THOMÆ LE BLANC

COMMENTARIA

IN

PSALMOS DAVIDICOS.

COMMENTARIA
IN
PSALMORUM DAVIDICORUM
A N A L Y S I M

AUCTORE

R. P. T H O M A L E B L A N C

E SOCIETATE IESU

SACRÆ SCRIPTURÆ IN ACADEMIA REMENSI ET MUSSIPONTANA PROFESSORE

EDITIO

HIERONYMO DE ANDREA

CARDINALI S. E. R.

ARCHIEPISCOPO MELITENO

DICATA

T O M U S III.

COMPLECTENS COMMENTARIA IN PSALMOS TRIGESIMUM QUARTUM AD QUINQUAGESIMUM NONUM.

N E A P O L I

A P U D I. N A G A R E D I T O R E M

IN VIA TRINITA' DE' SPAGNOLI N.° 33.

M.D.CCC.LVII.

COMMENTARIA
IN PSALMOS.

PSALMUS TRIGESIMUS QUARTUS.

IPSI DAVID.

1. IUDICA Domine nocentes me, expugna impugnantes me.
2. Apprehende arma et scutum: et exurge in adiutorium mihi.
3. Effunde frameam, et conclude adversus eos, qui persequuntur me: dic animæ meæ: salus tua ego sum.
4. Confundantur et revereantur, quærentes animam meam.
Avertantur retrorsum et confundantur cogitantes mihi mala.
5. Fiant tamquam pulvis ante faciem venti, et Angelus Domini coarctans eos.
6. Fiat via illorum tenebræ et lubricum, et Angelus Domini persequens eos.
7. Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui: supervacue exprobraverunt animam meam.
8. Veniat illi laqueus, quem ignorat: et captio, quam abscondit, apprehendat eum: et in laqueum cadat in ipsum.
9. Anima autem mea exultabit in Domino, et delectabitur super salutari suo.
10. Omnia ossa mea dicent: Domine quis similis tibi?
Eripiens inopem de manu fortiorum eius: egenum et pauperem a diripientibus eum.
11. Surgentes testes iniqui: quæ ignorabam, interrogabant me.
12. Retribuebant mihi mala pro bonis: sterilitatem animæ meæ.
13. Ego autem, cum mihi molesti essent, induebar cilicio.
Humiliabam in ieiunio animam meam: et oratio in sinu meo convertetur.
14. Quasi proximum, et quasi fratrem nostrum, sic complacebam: quasi lugens et contristatus sic humiliabar.
15. Et adversum me lætati sunt, et convenerunt: congregata sunt super me flagella, et ignoravi.
16. Dissipati sunt nec compuncti, tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione: frenduerunt super me dentibus suis.
17. Domine, quando respicies? restitue animam meam a malignitate eorum: a leonibus unicam meam.
18. Confitebor tibi in Ecclesia magna: in populo gravi laudabo te.
19. Non supergaudeant mihi qui adversantur mihi inique, qui oderunt me gratis, et annuunt oculis.
20. Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur: et in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.
21. Et dilataverunt super me os suum: dixerunt: euge, euge, viderunt oculi nostri.
22. Vidisti Domine, ne sileas: Domine ne discedas a me.
23. Exurge et intende iudicio meo: Deus meus et Dominus meus in causam meam.
24. Iudica me secundum iustitiam tuam Domine Deus meus: et non supergaudeant mihi.
25. Non dicant in cordibus suis: Euge, euge, animæ nostræ: nec dicant, devoravimus eum.
26. Erubescant et revereantur simul: qui gratulantur malis meis.
Induantur confusione et reverentia: qui magna loquuntur super me.
27. Exultent et lætentur, qui volunt iustitiam meam: et dicant semper, magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi eius.
28. Et lingua mea meditabitur iustitiam tuam: tota die laudem tuam.

PSALMI TRIGESIMI QUARTI ANALYSIS.

David angustiis undequaque pressus, belloque fatigatus, describit

- In prælio. 1.
  - Arma Dei,
    - Sententiam condemnationis, contra hostes suos. 1.
    - Clypeum protectionis, contra impugnantes. 1. 2.
    - Gladium iræ, contra persecutores suos. 3.
  - Arma hostium suorum.
    - Crudelitatem, qua
      - Quærunt ipsius animam 4. sed
        - Elusi confunduntur. 4.
        - Et trepidant. 4.
      - Eique mala cogitant, 4. sed
        - Avertuntur in fugam. 4.
        - Et rubore suffunduntur. 4.
    - Malitiam, qua
      - Laqueos abscondunt, sed
        - A Deo disperguntur, ut pulvis. 5.
        - Ab Angelo fugantur. 5.
        - In via tenebr. et lubr. cadunt. 6.
      - Et velut capto illudunt, sed
        - Laqueo suo capiuntur. 7. 8.
        - Eoque semper tenentur. 8.
  - Arma sua.
    - Amorem Dei 9. quo
      - In Deo exultat. 9.
      - In Deo lætatur. 9.
      - Illum totis viribus laudat. 10. qui
        - Eripit se inopem de manu potent. 10.
        - Diripientium. 10.
        - Accusantium iniuste. 11.
        - Opprimentium post accepta beneficia. 12.
    - Amorem salutis suæ. 13. quo.
      - Cilicium sumit cum patientia. 13.
      - Ieiunium cum humilitate. 13.
      - Orationem cum perseverantia. 13.
    - Amorem hostium ut fratrum 14. licet
      - Affectu, de eius malis lætentur 15.
      - Pedibus, in eum conveniant. 15.
      - Manu, flagellis cedant. 15.
      - Ore, calumniis obruere moliantur. 16.
      - Dentibus, præ ira et rabie infrendeant. 16.
- In fine belli. 17.
  - Victoriam Dei 17. qui
    - Aspectu in fugam hostes vertit. 17.
    - Manu ab eorum unguibus eripit. 17.
    - Os eius aperit, ad laudes suas cantandas. 18.
    - Lætitiam impedit hostium, 19. qui
      - Iniusti sunt. 19.
      - Maligni. 19.
      - Hypocritæ. 20.
      - Iracundi. 20.
      - Petulantes. 21.
      - Iactabundi. 21.
    - Corpus eius tuetur, ei semper assistens. 22.
    - Exurgit, ut eius innocentiam omnibus in iudicio declaret. 23.
    - Conatus hostium infringit, et eos pudore et terrore implet. 25. 26.
  - Triumphale carmen suum 27. qui
    - Cum sociis suis corpore exultat. 27.
    - Animo lætatur. 27.
    - Ore Deum laudat. 27. ob eius
      - Iustitiam in impios. 27.
      - Misericordiam erga iustos. 27.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

Ipsi David.

In Hebræo est לדוד *ledavid,* id est *Davidi*, supple, inspiratus est hic Psalmus: vel inseruit hic Psalmus. *Le David* significat etiam *Davidis*, supple, est Psalmus. Nam *lamed* aliquando est articulus genitivi. Unde Aquila hoc loco habet τῷ Δαυιδ. S. Thomas, Ugo Card. et aliqui alii addunt, *in finem*, de qua voce egi in titulo Ps. 4.

1. Ad litteram argumentum psalmi. Ad litteram psalmus est de Davide, cum persecutionem sustineret a Saule, et nullibi ei daretur tuto consistere: ita Euthymius, mentionem facit Ziphæorum, ac reliquorum, qui Davidem Sauli prodiderunt: ita Theodoretus.

Tropol. Tropolog. Proposita verba dicuntur vel ex eius persona, qui in Deo maxime confidit, et ab occultis potestatibus oppugnatur, vel ex choro Apostolorum, ait S. Athanasius. Ex Ieremiæ persona dici vult Eusebius: sed nimis angustus et coarctatus est hic sensus; ad omnes iustos extende.

2. Allegor. Allegor. de Christo est hic Psalmus. De illo explicant S. August. S. Hieron. S. Athan. Cassiod. Beda, Lomb. et alii. Christianus Ioan. 5. 25. de seipso usurpat v. 29. *odio habuerunt me gratis.* Caietanus negat de David ad litteram posse dici, sed de solo Christo, quod aliqua sint quæ Davidi non conveniant. Verum facile est ab eo allata refellere, ut videbitur suis locis.

3. Numerus 34. convenit Christi passioni. Nota: hic est secundus psalmus, qui fuse tractat de passione. Primus de ea egit 21. Est autem num. 34. conveniens passioni, quia Christus vixit annos 34. per tres men-

ses inchoatos, ait Salian. anno mundi 4086. Tiberii Imper. 20. B. Virginis, 49. Urbis conditæ 785. eo enim anno Christus passus est Olympiade 203. Servio Sulpitio Galba et L. Cornelio Sylla Consulibus. Cum probetur ex S. Lucæ Evangelio, et gravissimorum auctorum interpretatione Christum Dominum ineunte 30. vitæ suæ anno a Ioanne Baptista baptizatum, indeque natalis eius annus in 42. Augusti et urbis 751. evidenti pene supputatione referatur. Deinde Christus post unum a baptismo recepto annum exactum, miraculum conversionis vini in Cana Galilææ confecit, ut ex eodem loco, et ex Ecclesiæ Catholicæ sensu, atque praxi, concurrentibus doctissimorum sanctissimorumque virorum calculis probatur; secutaque sunt tria paschata, quæ a Ioanne Evangelista cap. 5. 6. et 12. memorantur, et rebus ipsis quas enarrant Evangelistæ distincta sunt, in quibus omnes fere consentiunt, necesse est Christum passum esse anno 34. per tres menses inchoato. Vide Baron. in apparatu, et an. Christi 34. Suarez tom. 2. in 3. p. 20. sect. 1. Alphonsum Salmeronem tom. 1. prolegom. 38. assert. 11. et alios. Sufficiat nunc Beda lib. de ratione temporum cap. 45. *Habet*, inquit, *ni fallor*, *Ecclesiæ fides Dominum in carne paulo plusquam triginta tribus annis, usque ad suæ tempora passionis vixisse, quia videlicet triginta annorum fuerit baptizatus, sicut Evangelista Lucas testatur, et tres et semis annos post baptisma prædicaverit, sicut Ioannes in Evangelio suo, non solum commemorato redeuntis Paschæ tempore perdocet, sed et idem in Apocalypsi sua, Daniel quoque in suis visionibus prophetice designat. Sancta siquidem Romana et Apostolica Ecclesia, hanc se fidem tenere, et ipsis testatur indiculis, quæ suis in cereis annualim scribere solet*, etc.

Nota secundo: Psalmus hic cum spe et amore cantandus est. Cum de Christo sit vero Davide manu forti et desiderabili. S. August. *David interpretatur manu fortis*, *vel desiderabilis. Psalmus ergo manu forti et desiderabili: qui nostram mortem vicit, qui nobis vitam promisit. In hoc enim est manu fortis, quia mortem nostram vicit: in hoc desiderabilis, qui vitam æternam promisit. Quid enim fortius manu hac quæ tetigit loculum, et mortuus surrexit. Quid fortius manu hac quæ mundum vicit, non ferro armata sed ligno transfixa? Quid autem desiderabilius eo quem non videntes Martyres mori voluerunt, ut ad illum venire mererentur? Ergo psallamus illi. Illi cor nostrum, illi lingua nostra digna cantet: si tamen ipse dignabitur donare quod cantet. Nemo illi cantat digna, nisi qui ab illo acceperit quod cantare possit.* 4. Psalmus hic cum.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

TRIA COMPLECTITUR. PRIMO, DEUM INVOCAT, UT ARMIS PRO SE SUMPTIS HOSTES ATTERAT, VERS. 1. SECUNDO, CAUSAS AFFERT, CUR HOSTES SINT ATTERENDI, VERS. 7. TERTIO, GRATUM SE FORE POLLICETUR, SI VICTOR EVADAT, VERS. 18.

SECTIO PRIMA.

Tria continet. Primo, ad Deum iudicem provocat, vers. 1. Secundo, Deum, bellatorem arma pro se sumere hortatur, ibid. Tertio, Deum victorem rogat, ut hostes in fugam vertat, eosque proterat, vers. 4.

PARAPHRASIS.

1. *Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me.*

1. Ad sacrum tribunal tuum non actionum modo, et verborum, sed intimorum animi sensuum iudex equissime, causam meam sisto: iusta æquitatis tuæ lance, tot immerenti illata ab hostibus damna expende, et exitium mihi molientes condemna. Non verbis tantum, sed armis opus est ad eorum infringendum furorem. In castra advola, ut circumstantes me et proterere volentes expugnes.

2. *Apprehende arma, et scutum: et exurge in adiutorium mihi.*

2. Viribus suis numero armisque confisi, spoliis inhiant atque prædæ, tu unus in omnes sufficis: armis fortitudinis tuæ accingere, divinæ protectionis tuæ clypeum eorum sagittis obtende, ut in eos immissa tela resiliant. Animi vires corporisque diffluere sentio, videoque me multis partibus hostium legionibus innumeris imparem, nisi tu mihi vires animumque suppedites. Quamdiu inermis illatas strages patieris? Exurge, arma corripe, auxilium ne denega.

3. *Effunde frameam, et conclude adversus eos, qui me persequuntur: dic animæ meæ, salus tua ego sum.*

3. Ultionis tuæ gladium distringe, quid tamdiu velut in vagina reconditus impiis animos facit? Viam obstrue infundentibus se in miserum me agminibus cædem et furorem spirantibus: Si emicantem e tuo vultu gladioque furorem viderint impetum repriment, pedemque referent. Titubantem animam hac una voce sustenta. Nihil te hostium vires et copiæ terreant: non in tuo robore, sed in armis meis atque præsidio, quod non deerit, salus tua sita est, atque victoria.

4. *Confundantur, et revereantur quærentes animam meam. Avertantur retrorsum, et confundantur cogitantes mihi mala.*

4. Qui velut ad prædam alacres convolabant, vitamque mihi meam eripere moliebantur, tuo aspectu territi pudore suffundantur, tuamque ob præsentiam contremiscant. Armis tuis in fugam acti coram omnibus pudefiant, conatibus suis in nihilum labentibus, qui malum mihi inferre moliebantur, et continuis me insultibus impetebant.

5. *Fiant tamquam pulvis ante faciem venti: et Angelus Domini coarctans eos.*

5. Sicut tenuis pulvisculus turbine circumactus per aerem raptatur, et hac illac disiectus evanescit: ita densati hostium meorum cunei potentia tua discussi et dissipati vires suas amittant, et irrito conatu dissolvantur. Eorumque tergo vindex Angelus in auxilium meum dimissus insistat, illosque in abrupta et invia cogens a cœptis absistere compellat.

6. *Fiat via illorum tenebræ et lubricum: et Angelus Domini persequens eos.*

6. Quæ una patebit ad fugam via, ita tenebris inhorrescat, ut pavidi quolibet in gradu cespitent: ita lubrica sit et salebrosa, ut faliente vestigio in lacunas dentur præcipites. Iustamque de eorum impietate vindictam ultor Angelus sumat, strictoque gladio fugam acceleret.

*

QUÆSTIO UNICA

Quanta clade Deus impios prosternit, et vastat.

6. Ordo Sectionis. **D**avid a Saule et Ziphæis in arctum compulsus Deum iudicem invocat, et ab eo hostes suos condemnari flagitat, v. 1. *Iudica Domine nocentes me.*

Deum bellatorem et victorem invocat. Secundo, eum veluti bellatorem ad arma sumenda invitat: *Expugna impugnantes me.* Primo, petit capi arma ad protectionem, vers. 2. *Apprehende arma et scutum: et exurge in adiutorium mihi.* Secundo, petit capi ad aggressionem, v. 3. *Effunde frameam, et conclude adversus eos qui me persequuntur.* Ut a præsente periculo liberetur: *Dic animæ meæ: salus tua ego sum.*

Tertio denique, Deum victorem sua victoria uti exoptat. Primo enim petit hostes confundi, ut quid agant, aut quo fugiant, ignorent, v. 4. *Confundantur et revereantur quærentes animam meam.* Secundo, trepidantes cum ignominia et infamia in fugam verti: *Avertantur retrorsum, et confundantur cogitantes mihi mala.* Tertio, fugientes ita dissipari, ut vires suas amplius adunare non possint, v. 5. *Fiant tamquam pulvis ante faciem venti*, atque ab Angelo impediri, si iterum copias vellent cogere, et in se reducere: *Et Angelus Domini coarctans eos.* Quarto, non solum omnes simul iungi non posse postulat, sed ne singulos quidem illa in fuga esse securos, v. 6. *Fiat via illorum tenebræ et lubricum, et Angelus Domini persequens eos.*

ARTICULUS I.

Deus clypeo et gladio armatur, ut servos suos ab iniustis hostibus tueatur.

David innocentia sua fretus, et Saulis iniustum odium cognoscens, ad Dei tribunal confugit, et petit causam

Vers. 1. 1. Pars. sibi adiudicari, atque hostes condemnari, vers. 1. **Iudica Domine nocentes me**: (etiam apud Plautum in milite, noceo ponitur cum accusativo) **expugna impugnantes me**. Pro *iudica*, Hebr. est ריבה *riba*, id est litiga, disceptа, contende, iudica. Unde S. Hieron. vertit, iudica Domine adversarios meos. Pagnin. iudices meos. Secundo, Arias, litiga Domine cum litigantibus mecum. Felix et Wolfgangus, contende cum contendentibus mecum. Quarto, Vatabl. et Campensis, suscipe Domine litem meam. Hanc orationem fundant litigantes, sed cum charitate et animi tranquillitate, ac spe in Deum. Quinto, effectum potius quam vim verbi expressit Chald. cum vertit. אתרברב *ithrabrab*, magnificare, seu manifeste te (est enim in coniugat. Ethpaal) Domine, contra auctores concertationis meæ.

7. Pro iudica pro condemna. Nota secundo: *Iudica*, sumitur metonymice pro *condemna*. Unde Camp. sic explicat, q. d. Supplicium sume de adversariis meis Domine. S. Bonav. ait esse triplex iudicium in præsenti, triplex in futuro. In præsenti quidem, iudicium discretionis, unde hoc Ps. 42. 1. *Iudica me Deus, et discerne causam meam.* Secundo, iudicium afflictionis, unde hoc 1. Petr. 4. *Iudicium incipit a domo Dei: quia boni debent se ponere murum pro domo Israel.* Tertio, est præmonstratio damnationis, unde hoc Ioann. 3. 18. *Qui non credit, iam iudicatus est:* id est, eius qui non suscipit sacramentum fidei, sententia damnationis est. Triplex quoque est iudicium in futuro: Primum iudicium discussionis, unde dicitur Matth. 25. *Quia veniet Dominus cum senatoribus terræ ad iudicium, et separabit bonos a malis, oves ab hædis, grana a paleis.* Secundo, salvationis, unde dicitur Ps. 36. 33. *Non damnabit eum, cum iudicabitur illi:* id est, ad utilitatem eius. Tertio, damnationis, unde dicitur Iac. 2. 13. *Qui fecit iudicium sine misericordia.*

8. Imprecatur David hostibus suis ob sex causas. Tertio, notat Asterius sex causas, ob quas imprecatur David hostibus suis. *Prima est*, inquit, *quod emendari eos cupiat. Percute enim improbum argentum, et purgabitur. Secunda, ut hic flagellati et afflicti levius æterna illa supplicia sentiant. Tertia, ut horum flagellis alii castigentur. Sapiens enim videns flagellari insipientem, ipse admodum*

A *eruditur. Quarta, ut vitam hanc peste ac morbis liberet. Quinta, ne alii eius mores discant, plagis illi irrogatis territi. Sexta, ne qui dicant: Ubinam est Deus David? num illum vindicat ac liberat?* S. Thom. 2. 2. q. 76. artic. 1. docet, maledicere, animo maledicendi, optando, seu imprecando malum alicui, illicitum esse: et hoc esse maledicere per se loquendo. Si autem aliquis imperet vel optet malum alterius sub ratione boni, sic esse licitum, nec esse maledictionem, per se loquendo, sed per accidens: quia principalis intentio dicentis non fertur ad malum, sed ad bonum.

Quarto nota: cum dicit David *Iudica Domine nocentes me*, alludit ad morem duellantium, qui ante certamen mutuis se verbis lacessebant, ut causæ suæ æquitatem, et hostium iniustitiam declararent: quique opem a diis suis in ipso certaminis loco poscebant, ut patet apud Homerum, et in certamine Davidis contra Goliathum gigantem, 1. Reg. Secundo, alludit ad morem eorum qui non prius bellum suscipiebant, quam maturo iudicio iustum esset iudicatum, resque ab hostibus repetitæ forent, ut 9. Duellantes ante pugnam mutuis se verbis lacessebant.

B Romanis priscis in usu erat: ex quo effectum est, ut tam felicem præliorum suorum exitum sortiti sint. Machabæorum maximam hanc fuisse fiduciam, quod ab eorum partibus staret iustitia, asserit S. Augustinus in Ps. 43. *Non pro uxoribus*, inquit, *liberis, et ancillis, patriæque eversione et captivitate, sed pro lege et patria pugnabant; eorum dux erat Deus. Cum ergo aciem dirigerent, et suas animas prodigerent, fundebant adversarios, non armis fidentes, sed loco omnis armaturæ, pugnæ causam sufficere ducentes.* Principes Christiani iustitiam armis suis annectere didicerunt. Unde Carolus Magnus gladii capulo edicta signabat: quod censeret eiusdem esse et confirmare leges, et defendere, ut ait Corroz de dictis mirabil. Fridericus III. arma legibus addenda suo symbolo ostendebat. Erat enim mensa, cui liber apertus imponebatur, cuique armata manu gladium superponebat, cum hoc lemmate: *Hic regit, ille tuetur.*

Ethnici plerique ius in armis ponebant, neque in tumultu et sono tubarum et tympanorum leges exaudiri vole- 10. Ius in armis ponebant.

C bant: sicut in Mario, Cæsare, Pompeio, aliisque planum est, qui pro palam id profiteri non sunt veriti. De Pompeio quidem refert Plutarch. quod, recusantibus Mamertinis ad eius tribunal accedere, et eius iudicium subire, tamquam antiqua lege Pop. Rom. prohiberentur, ait: *Nobis gladio accinctis leges recitare non desinitis?* Inter leges et arma perpetuum et irreconciliabile est bellum. Unde Div. Chrysost. in oratione περι νομυ, id est de lege, dicit, νομος τε μεν ειρηνης συμμαχος τω δε πολεμω εναντιος. *Lex quidem paci socia est, bello autem adversatur.*

Si iniuste bello sive publico sive privato appeteris, dicere potes cum David: *Iudica Domine nocentes me*, et ab eo debes victoriam exspectare. Clotharius Rex Franciæ id fecit, cum Chramno filio rebelli dimicaturus: *Respice*, ait, *Domine de cælo, et iudica causam meam. Quia a filio iniuste iniurias patior. Respice, et iudica iuste, illudque impone iudicium, quod quondam inter Absalonem et patrem eius Davidem posuisti.* Itaque prælio inito Chramnus a Clothario captus et occisus est, ut ait S. Gregor. Turon. lib. 4. cap. 16. et 17. De appellatis ad iudicium Dei, Cle- 11. A Deo petenda est victoria.

D mente Papa, Philippo et Ferdinando regibus, dixi alias. Vide plures apud Corn. Gen. 6. 5.

Alleg. nocentes Christo erant Scribæ, Pharisæi, Annas, Caiphas, Pilatus, Herodes, et alii, de quibus egi fuse Ps. 2. 1.

Tropol. nocentes nobis, litigantes, et contendentes, atque iniuste bonis nostris spoliantes nos sunt, dæmon, caro, et mundus. Cum S. Bernardus adhuc iuvenis in hospitio ab infami muliercula tentaretur exclamavit: *Latrones, Latrones.* Cumque hoc iterum fecisset, et quid rei esset ab accurrentibus, rogaretur. Virginitatis, inquit, thesaurum furari volebat impudens et impudica. 12.

Secundo, non satis est hostes iustorum iudicari et condemnari, sed executioni mandanda est sententia, vers. eod. 1. **Expugna impugnantes me**. Pro *expugna* apud Vers. 1. 2. Pars. Deus semper vincit.

Hebræos non est verbum compositum, illis enim carent, sed simplex לחם *lecham*. Itaque S. Hieron. vertit pugna. Felix, præliare. Vatabl. oppugna. Pagn. impugna. Chald. *bellum* סדר *sedar, ordina*, dispone, instrue, dirige. Noster tamen optime vertit expugna, quia hoc est desiderium implorantis opem, ut habeat victoriam; 2. quia Deus semper vincit, ut dixit ille dux Valenti; 3. *lecham* est cædere in ore gladii, devorare gladio. Petavius vertit κρατερῃ συμβάλλειν χαρμῃ, forti congredere prælio.

13. *In præliis a Deo auxilium est petendum. Hoc fecerunt: 1. Iudæi.* Moraliter, in præliis opem a Deo postula. Hoc fecit Moses, et Amalecitas vicit, Exod. 17. Hoc Iosue, Gedeon, Samson, David, Asa, Iosaphat, Machabæi, et alii, victorias illustres retulere. Pagani ipsi non tantum supplices ante bellum erant diis suis sacrificia offerentes, sed etiam precibus et sacrificiis deos hostium ad se evocare nitebantur, illis causæ suæ æquitatem exponebant, templa maiora et augustiora, iis pollicebantur, sacra crebriora et ampliora. Ideo, primo nefas erat Deum in cuius tutela urbs esset, nominare, ne precibus hostium flecteretur; et Varro testatur Tribunum plebis Romæ id evulgantem in crucem actum fuisse. *2. Pagani.* Secundo, deos suos ligabant, ne evocati movere se possent: sic Tyrii obsidione pressi simulacrum Herculis aurea catena vinxerunt, ne urbe excederet, ut refert Plutarch. problem. cap. 61. a Lacedæmoniis simulacrum Martis Enyalii, id est Bellonæ filii, compedibus fuisse constrictum ait Pausan. lib. 3. Tertio, obtenta victoria triumphans Capitolium petebat, et coronam suam lauream Iovi offerebat, ei acceptam victoriam ferens, primis temporibus soli dii coronabantur. Plin. lib. 16. c. 4. *Antiquitus nulla corona nisi Deo dabatur: ob id Homerus cælo tantum eas et prælio universo tribuit, virilim vero ne in certamine quidem ulli. Feruntque primum Liberum patrem imposuisse capiti suo.*

3. Christiani. Christiani principes et reges longe potiori iure debent in Deo fidere, eumque in præliis invocare. Alphonsus Aragonum rex ad filium Ferdinandum, contra Florentinos in bellum euntem, ait: *Noli, o fili, tantum tuæ, aut commilitonum audaciæ tribuere, ut putes absque* Dei *auxilio victoriam ullam haberi posse. Victoria enim non hominum disciplinis, aut industria paratur, sed Dei Optimi Maximi, benignitate et arbitrio. Deum igitur cole, et tibi concilia. Quod si quando eum tibi iratum suspicaberis, cave contendas: et quidquid ab eo tibi accidisse videbitur, boni consule, et patientia ac pœnitentia eum placa:* ita Panormitanus in eius vita. Dicitur sæpe Deus pro suis pugnare, ut Exod. 14. 14. et 25. Deuteron. 1. 30. cap. 3. 22. cap. 33. 7. Iosue 10. 14. et 42. cap. 23. 10. et 2. Paralip. 2. 29. 2. Esdr. 4. 20. Iudith. 5. 16. Isa. 51. 22. Moses de eo dicit Exodi 15. 3. *Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius.* Ubi pro *vir pugnator*, Hebr. est vir belli, id est maxime bellicosus, et pro *Dominus* est *Iehova*, q. d. contritor, ab *hava*, id est conterere, proterere. Pharaonem enim et Ægyptios protrivit. Sicut alias dicitur Sciaddai, id est vastator, a radice sciadad, id est vastavit. Chald. vertit Dominus est victor bellorum, Adonai est nomen eius. Septuaginta συντρίβων πολέμους, conterens bella. Itaque Deuter. 7. 17. opem populo suo pollicens vetat ne hostes ullos timeant Deo freti, qui eos eduxerat ex Ægypto. Deus est verus Αρης id est, Mars, ἀπὸ τῆ ἀρήγειν, id est ab adiuvando et succurrendo, ut vult Philo libro de lege ad Caium Caligulam. In Sancto Sanctorum arca cum Cherubinis et propitiatorio erant currus gloriæ Dei, id est belli, victoriæ et triumphi reportati da Amalec et Ægyptiis.

14. *Tropol. Christus pugnat in dæmonem, mundum et carnem.* Tropol. Christus pro nobis in hostes tartareos pugnat, et in mundum atque carnem. Act. 7. 55. apparet S. Stephano stans, veluti pro ipso pugnaturus. Ioan. 20. 33. ait: *Ego vici mundum.* Triumphans veste purpurata describitur Isaiæ 63. 1. *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra.* Bosra erat civitas Idumææ, significat munitionem, tribulationem et vindemiam. Ea verba dixerunt Angeli Christo in cælum ascendenti.

Etiam nos pugnemur. Hinc sequitur primo, nobis quoque ad imitationem tanti ducis esse pugnandum. Dixit Christus Petro Ioan. 21. 22. ci loquens de passione ipsius futura: *Tu me sequere*, q. d. pugna fortiter, sicut pugnavi in cruce; et vinces, sicut ego vici. Ante mortem suam dixerat ei se a passione revocare cupienti, et aliis discipulis, Matth. 16. 24. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* Ad bellum pergit accinctus gladio super femur suum potentissimus, ut dicetur Ps. 44. 4. et id declarat Matth. 10. 34. *Nolite arbitrari, quia* (quod) *pacem* (terrenam et mundanam) *venerim mittere in terram; non veni pacem mittere, sed gladium.* Ezechieli apparens in curru bellico Cherubinos secum habuit armatos.

Secundo sequitur, sub tanto duce non esse timendum in pugna. Christus ipse dicit Ioann. 16. 33. *Hæc locutus sum vobis, ut in me* (et per me) *pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis* (ecce bellum) *confidite, ego vici mundum.* S. Cyprian. l. 4. epist. 6. ad Tibaritanos. *Miles Christi*, ait, *præceptis eius et monitis eruditus, non expavescit ad pugnam, sed paratus est ad coronam.* Iesum enim pro se pugnantem spectat. In eadem epist. dicitur: *Solus non est, cui Christus in fuga comes est. Solus non est, qui templum Dei servans, ubicumque fuerit, sine Deo non est. Et si fugientem in solitudine ac montibus latro oppresserit, fera invaserit, fames, aut sitis, aut frigus afflixerit, vel per maria præcipiti navigatione, properantem tempestas ac procella submerserit, expectat militem suum Christus ubicumque pugnantem, et persecutionis causa pro nominis sui honore morienti præmium reddit, quod daturum se in resurrectione promisit.* S. Petr. Damiani rationem cur Christus nobis adsit in certamine, et adesse quodammodo teneatur, reddit serm. 74. qui est de spirituali certamine, nempe quod sit dux noster: *Ut quid,* inquit, *ex nostra infirmitate diffidimus, qui ipsum virtutis auctorem prævium ac ducem nostræ congressionis habemus: et ille tenetur ex promissione victoriæ, qui dux et auctor est pugnæ.* 15. *Sine timore.*

Dat nobis Paulus arma Dei, Ephes. 6. 11. et 13. arma lucis, Rom. 13. 12. arma iustitiæ, 2. Cor. 6. 7. Sed longe iucundius et securius est videre Deum pro nobis armatum. S. August. in Psalm. nostrum: *Magnum*, ait, *spectaculum est, videre Deum armatum pro te. Et quod eius scutum? quæ arma? Domine, inquit, alio loco homo iste qui et hic loquitur, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Arma Dei dicit esse nos ipsos, quos virtutibus roborat. *Ipsa fides*, inquit, *et lorica potest esse et scutum. Scutum est, quia tela inimicorum excipit et repellit. Lorica est, quia interiora tua transfigi non sinit. Hæc arma nostra sunt Dei, quia legimus quodam in loco: Erue ab impiis animam meam, frameam tuam ab inimicis manus tuæ:* per eum Dei frameam, id est, gladium seu lanceam, sanctus hic Doctor vult intelligi animam nostram, qua apprehensa et gratiæ suæ vi corroborata, debellat inimicos nostros.

Christus præit pugnans, illum consequamur. Sylla dux Romanus in Bæotia pugnans, vidensque legiones hostibus cedere, stricto gladio in acie præcurrit, et contenta voce ad milites clamans ait: Si quis quæsisset, ubi Imperatorem reliquissent, responderent, pugnantem in Bæotia. Cuius rei pudore, omnes eum secuti sunt. Eodem modo Christus in cruce decertans ab omnibus derelictus est, sed animos resume qui hæc legis, et dicentem tibi, audi Eccli. 4. 33. *Pro iustitia agonizare* (id est, agoniza. Verbum deponens active sumitur. Est græcismus) *pro anima tua, et usque ad mortem certa pro iustitia, et Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Alludit ad agones Olympicos, Nemæos, Pythios, Isthmios, aliosque. S. Hieron. epist. ad Heliodorum eleganter ait: *Quid facis in paterna domo delicate miles? ubi vallum? ubi fossa? ubi hiems acta sub pellibus? Ecce de cælo tuba canit. Ecce cum nubibus debellaturus orbem, Imperator armatus egreditur. Et tu mihi de cubiculo ad aciem: tu de umbra egrederis ad solem? Corpus assuetum tunicis, loricæ onus non fert: caput opertum linteo, galeam recusat, mollem otio manum durius exasperat capulus.* Prælati similiter suis præeant. Lege in eam rem S. Cypr. epist. 1. ad Cornelium, et lib. 2. epist. 2. ad Antonianum de Cornelio, S. Bernard. libris de consideratione, atque S. Greg. de cura pastorali. *Exemplum Syllæ ducis ponens. Tu Christum aspice.*

Tertio, modum pugnæ declarat David, orans 1. ut te- 16.

Vers. 2. gi scuto; 2. hostes gladio disiici, v. 2. **Apprehende arma et scutum, et exurge in adiutorium mihi**, q. d. Quid tamdiu iaces quietus, perinde quasi dormiens non attenderes ad afflictionem meam? exurge, et armare, meque protege. Ubi adverte, cum dormit Iesus, navis fluctuat, et naufragio est proxima. S. Augustinus in Psalm. nostr. *Exurge, quare obdormis Domine? Et quando ille dicitur dormire, nos dormimus: et quando ille dicitur exurgere, nos excitamur. Nam et Dominus Matth. 8. 24. dormiebat in navi: et ideo fluctuabat navis, quia dormiebat Iesus. Nam si illic vigilaret Iesus, non fluctuaret navis. Navis tua cor tuum. Iesus in navi, fides in corde. Si meministi fidei tuæ, non fluctuat cor tuum. Si oblitus es fidem tuam, dormit Christus, observa naufragium.*

Tsinna quid. Nota, pro *arma* Hebr. est מָגֵן *maghen*, id est clypeus, scutum: sic dictum a rad. גָּנַן *ganan*, id est, protexit, abscondit, circumclusit, circummunivit. Secundo, pro scutum Hebr. est צִנָּה *tsinna*, id est scutum, clypeus. Mercerus autem dicit, quod Hebræi volunt hoc nomine maiorem clypeum significari, qui totum fere hominem contegat, idque colligere ex Psal. 5. vers. ult. ubi scuto coronari, id est undique cingi, dicuntur servi Dei. Hinc Caiet.

Parma. vertit: *Apprehende parmulam et scutum.* Parma erat breve scutum et rotundum, quo milites utebantur: sic vocabatur, teste Varrone, quod a medio in omnes partes esset par. Scutum vero dici vult a sectura, quod minutis confectum sit tabulis. Commodius vertes, *Apprehende scutum et clypeum.* Sic postulabit opem equitatus et peditatus, q. d. Deo: aperi armamentarium, accipe scuta danda equitibus tuis pro me, te duce, pugnaturis, accipe clypeos tuos dandos peditibus tuis in eodem exercitu militaturis.

Clypeus. Clypeus enim est scutum maius, et tantum peditum, sicuti scutum equitum, ut docet Servius. Plin. lib. 35. c. 3. vult dici a γλυφω id est sculpo: alii ακαλυπτω, hoc est tego: alii a clepo, quod est furor ab ictibus. Clypeo iustos cingit Deus, ut tuti sint, et per virtutum varios actus insignia sua ibi insculpant, quæ post finem pugnæ imperatori suo repræsentent, ut coronam accipiant. Secundo, *tsinna* significat hastam, lanceam. Unde S. Hieron. *Apprehende* (Camp. corripe) *scutum et hastam.* Vatabl. *arripe scutum et lanceam.* Felix, *apprehende scutum et spiculum.* Intellige scutum acuminatum instar hastæ. Unde cum 3. Reg. 10. 16. Salomon dicatur fecisse ducenta scuta aurea, 2. Paral. 9. 15. dicuntur hastæ.

Nota, pro *scuto* Noster vertit *arma*, quia ibi per scutum et clypeum David synecdochice intelligit omnia arma defensiva ut sunt lorica, galea, ocreæ militares, et alia. Sic Septuag. οπλον, id est arma reddunt. Et Ps. 5. v. 13. ubi habemus: *Domine ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos*, Septuag. habent ως οπλω. Et 3. Reg. cap. 14. 26. οπλα τα χρυσα, reddit interpres, scuta aurea.

17. Quæres: Quænam sint illa Dei arma et scutum? Resp.
Arma Dei quæ Resp. I. primo S. Hieron. In armis cælestia adiutoria: in scuto, divinam protectionem designat, quam secundum infirmitatem carnis sibi postulat ministrari. Sed et nos spiritualibus defendit armis, ac munit, secundum Apostolum Ephes. 6. 11. *Induite vos arma Dei.* Arma Domini, protectio divinitatis. Quid fortius, quid pulchrius quam Christum armatum stare pro suis Sanctis? sicut S. Stephanus vidit, quando dixit Act. 7. 55. *Ecce video cælos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei Patris.* Stare pugnantis vel adversantis est. Tu non potes mutare tua arma. Dominus accedens de armis facit scutum. Et nos debemus arma accipere, ut possimus resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare.

Resp. II. Secundo, expressius et signatius dixeris Clypeum maiorem Dei esse bonam eius voluntatem, charitatem, seu misericordiam erga pios; 2. scutum brevius esse ipsius æquitatem et iustitiam. De primo dicitur Ps. 5. vers. ult. *Domine ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* S. Hieronym. Scuto placabilitatis tuæ coronabis eum: iustum scilicet, cui benedicit. Vide illum locum. R. David in eius loci commentario ait: Sicut scutum coronat hominem: ita tu voluntate tua coronabis eum. R. Emmanuel adhuc cla-

A rius: Sicut, inquit, scutum protegit et custodit: sic tu protegis et custodis ab omni malo iustum voluntate et spe. Vide Ps. 102. 4. *Qui coronat te in misericordia* (id est misericordia) *et miserationibus.* Homerus Deos inducit variis modis amicos suos tegentes. Et quidem Iliade 5. dicit, Venerem texisse filium suum Æneam, cum illi obtenderent πηχεε λευκω, candidas ulnas; et πεπλοιο φαεινου πτυγμα, pepli fulgidi plicaturam. Nonne hic est clypeus amoris et charitatis. Apollo autem eum texit, κυανεη νεφελη, hoc est nube cærulea, atque a periculo eripuit. Palladis munus, inde Palladium dictum, quo Troiæ manente prædictum erat non esse capiendam ab hoste, quidam censent fuisse scutum breve cælo delapsum, alii eiusdem Palladis simulacrum nominant. Ulyssi et Diomedi datum est negotium ut per cloacas in urbem ascenderent, fataleque illud scutum seu simulacrum auferrent. Quo facto, tutelari hoc præsidio spoliatam urbem, captu facilem reddiderunt. Numa secundus rex Romanorum delapsam cælo peltam, salutem urbis interpretatus est, cum per uni-
B versam Italiam grassata pestis Romam etiam popularetur. Pelta erat scutum exiguum, lunæ semiplenæ imaginem referens: quo genere Amazones præcipue in præliis uti solent. Ad Iunonem in sacris Tiburtibus hanc orationem fieri solitam tradit Servius: *Iuno Curulis tuo curru clypeoque tuere meos curiæ vernulos.* Salomon fecit ducenta scuta aurea, et sexcentos auri siclos dedit in laminas scuti unius. Et trecentas peltas item aureas, ita ut trecentæ minæ auri unam peltam vestirent. Sed quia eas posuit in domo saltus Libani, et non in domo Dei, velut ab eo uno præsidium sperans, ideo rex Ægypti Sesac, id est, Sesostris filius Pharaonis, cuius uxorem duxerat Salomon, in Iudæam veniens cum sexaginta millibus equitum et innumerabili peditatu, diripuit Ierusalem regnante Roboam cognato eius. Et Salomonis filio, et scuta aurea abstulit, pro quibus reposita sunt ærea. Præsidium Dei aureum est, cum charitate: mundi præsidium est æreum et ferreum, cum severitate et onere.

De secundo Dei clypeo sive scuto, nempe æquitate et
C iustitia, dicitur Sap. 5. 20. *Sumet scutum inexpugnabile æquitatem.* Qua se usque ab impiis tuetur. Cum enim videt impiorum iniustum impetum in Sanctos, excitatur, ut iustitia sua eos innocentes protegat. Mars ultor non hasta tantum, sed etiam clypeo armabatur: ut non tantum hasta feriret perditos, sed etiam scuto tegeret pios.

Moraliter. Deum quisque sibi pro suo affectu depingit. 18.
David miles illi dat arma. Græci quoque Deos suos pinxe- Deum quisque sibi pro suo affectu depingit.
runt armatos: sive ut ius esse in armis dicerent: sive potius, ut iuvenibus pigritiam amoverent, veluti diis odiosam, ut dixit quidam Lacedæmonius: sive, ut a diis omne robur bellicum pendere declararent. Lacedæmonii ipsam Venerem armabant, ut nihil nisi martium in ipsis etiam deliciis spectarent. Phœnices vero, cum mercaturæ essent dediti, Deos suos cum crumenis ac pecuniis pingebant: ut, qui sua cupiditate ad aurum ferebantur, a deorum cultu non discederent, cum eorum ope divitias sibi proventuras crederent. Adverte tu cum Plinio lib. 2. cap. 7. effigiem Dei formamque quærere, imbecillitatis humanæ
D reor: *Quisquis est Deus, et quacumque in parte, totus est sensus, totus visus, totus auditus, totus animæ, totus animi, totus sui.* Irridet deinde pluralitatem deorum, et ad rem nostram apte ait: *Fragilis et laboriosa mortalitas in partes ista digessit, infirmitatis suæ memor, ut portionibus quisque coleret, quo maxime indigeret.*

Allegor. Christi scutum primo est eius corpus, quo me- 19.
diante ictus suscepit, et a nobis repulit. Isaiæ 53. 4. *Vere* Allegor. Christi scutum est duplex.
languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. S. Petr. Chrysologus serm. 15. Christus venit, inquit, suscipere infirmitates nostras, et suas nobis conferre virtutes: humana quærere, præstare divina: accipere iniu- I. Eius corpus.
rias, reddere dignitates: ferre tædia, referre sanitates: quia medicus qui non fert infirmitates, curare nescit: et qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem. David loquentem Christum sic inducit Psal. 128. 3. *Supra dorsum meum fabricaverunt pec-*

catores. Chald. super corpus meum araverunt arantes. Arabs, flagellaverunt. Hæc flagella nobis debebantur, quia multa flagella peccatorum, sed scutum se pro nobis obiecit filius Dei, ut ictus exciperet. 1. Petr. 2. 24. *Peccata nostra* (id est, pœnas peccatis debitas. Est metonymia) *ipse pertulit in corpore suo super lignum:* hoc est, super crucem. Cassiodorus vult scutum dici quasi sculptum, quod in ipso antiqui sua facta significabant. In corpore Christi, ait Thomas Anglicus Cardinalis, scripta sunt eius facta, quibus antiquum hostem vicit. Hæc enim facta sculpta sunt ferro, et usque hodie in eius cicatricibus relucet hæc sculptura. Ibi nos ab eo servati, sculpti sumus. Isaiæ 49. 16. *In manibus meis* (in utraque ob vehementiam amoris, ut quamcumque in partem aspiciam te videam) *descripsi te.* Septuag. depinxi. Bonum est scutum manus Christi inter nos at hostes posita. S. Cyrill. ibi: *Christi passio, et pretiosa crux, et manuum ipsius affixio, securitas fuit et murus inaccessus.* S. August. in soliloq. cap. 2. amanter dicit: *Ecce in manibus tuis Domine Deus descripsisti me, lege ipsam scripturam, et salva me.* S. Cyrill. in Psalm. nostr. de Christo resurgente exponit: *Assumptis,* ait, *anima et corpore cum mortem obieris, resurge in auxilium meum.* Clypeus hic est fulgidus, et solo fulgore potest fugare principes tenebrarum, sicut hostes fugatos crystallini cuiusdam clypei luce dixi Psal. 8. ubi egi de nomine Iesu art. 2. sect. 1.

20. II. Eius patientia. Secundo, per arma Christi possumus intelligere virtutem humilitatis et obedientiæ: per scutum vero, virtutem patientiæ: ita Thom. Anglic. Tria autem arma dat Christo Ugo Cardin. nempe humilitatem, paupertatem, vitæ austeritatem: illis tres hostes devicit, 1. diabolum, per humilitatem; 2. carnem, per vitæ austeritatem; 3. mundum, per paupertatem. De illis tribus armis dicit ipse in Psal. 87. 16. *Pauper sum ego, et in laboribus a iuventute mea: exaltatus autem humiliatus sum, et conturbatus.* Illi autem tres hostes quos iste verus David manus suæ fortitudine devicit, significati sunt per tres hostes, quos habuit David, et quos superavit: videlicet Primo per Goliath gigantem, per quem diabolus designatur. Secundo, per Saul, qui interpretatur petitio, per quem significatur caro, quæ semper petit, et clamat, affer, affer, Prov. 30. 15. Tertio, per Absalonem, qui pax Patris interpretatur, licet patrem persecutus fuerit: per quam mundus designatur, quia pacificus videtur, sed tamen osculando interficit. Et præcipue, sicut Absalon patrem persecutus est, ita mundus eos, qui illum ædificant et diligunt, persequitur et interficit. Unde dicit: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, Matth. 26. 48. Sed Christus per hæc tria arma istos tres hostes devicit. Unde dicitur ei: Apprehende arma et scutum: atque Sap. 5. 18. *Apprehendet armaturam zelus illius;* et Iob. 29. 14. *Iustitia indutus sum:* ita Ugo.

21. Tropol. Scutum viri iusti est duplex. I. Fides. Tropolog. Scutum viri iusti duplex est, 1. fides; 2. patientia. Primum assignat hic fidem S. August. Lombard. Ruffin. et alii. De illo ait Paulus Ephesiis cap. 6. 16. *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi* (id est diaboli) *ignea extinguere:* id est instar ignis ardentia, penetrantia, et quæ tangunt inflammantia. S. Hier. monet, quod ibi Apostolus vult, nos in omni tentatione et opere gestare clypeum fidei, eoque venientes diaboli sagittas et suggestiones excipere et retundere.

II. Patientia. Secundum scutum viri iusti est patientia. Hoc illi dat S. Bonaventura in Psalm. nostr. *Apprehende arma et scutum. Armis pugnamus, scuto tegimur. Mundus enim duobus modis contra electos pugnat; verbo, et gladio. Verbum falsitatis eius expugnamus per sapientiam: gladio adversitatis resistimus per patientiam. In sapientia ergo accipimus arma; scutum, in patientia; Deus autem hæc apprehendit, quia nos apprehendere facit.*

Symbol. Symbolice. Arma Dei sunt, Primo, electi eius. Rom. 6. *Exhibete membra vestra arma iustitiæ Deo.* Secundo, Arma Dei sunt Angeli eius, quibus utitur ad pugnandum contra malos: ita S. Thomas. Vide a me dicta Ps. 33. 8. in illud: *Immittet* (Hebr. castrametatur) *Angelus Domini in circuitu timentium eum.*

Quarto, non solum Deus suos servos clypeo protegit, sed etiam eorum hostes gladio et hasta prosternit, v. 3. 22. Vers. 3.
EFFUNDE FRAMEAM, ET CONCLUDE ADVERSUS EOS QUI PERSEQUUNTUR ME: DIC ANIMÆ MEÆ, SALUS TUA EGO SUM. Syr. et Arabs: Dic animæ meæ, ego sum Salvator tuus. Hebr. salus tua, q. d. ait Theodoret. *Sufficit mihi tuus sermo, ut salvus sim,* q. d. Dixi, ut accipias arma, scutum, frameam, hæc tibi non sunt necessaria. Dic tantum verbo, et servabitur servus tuus. Est correctio. Ubi adverte, dic animæ meæ habere emphasim, et denotare, 1. efficacitatem dictionis; 2. suavitatem, q. d. non dicas solum auribus meis, sed verba tua in cor intimum penetrent, ita ut credam esse vera, et sperem in te Deo meo amantissimo et potentissimo. Anagog. Deus est salus nostra, quia in eius visione beatitudo nostra sita est. Hic salus tantum est inchoata, et multis periculis obnoxia, in cælo salus erit perfecta et consummata.

Nota, framea propria erit Germanis, ut cateiæ Teutonibus, gesa Gallis et Massagetis, Hispanis lancea, falarica Saguntinis, pila Romanis, gladius Lacedæmoniis, sarissa Macedonibus, romphæa Thracibus, acinacis Medis et Scythis, sagaris Persis, Amazonibus securis. Telorum in diversis populis varia nomina.

Quæres, quid est framea? Primo, S. Isidor. lib. 18. Origin. cap. 6. frameam, at romphæam idem vult esse, et significare gladium ex utraque parte acutum, quam vulgo spatham vocant. Secundo, Cornelius Tacitus frameam dicit esse hastam Germanorum. Verba illius sunt lib. de morib. Germanor. *Hastas vel ipsorum vocabulo, frameas gerunt, angusto et brevi ferro: sed ita acri et ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, vel cominus vel eminus pugnent.* Vide Ps. 9. 7. Framea quid?

Nota secundo, pro *frameam,* Hebr. est חנית *chanit,* id est primo gladius; secundo et melius, significat hastam seu lanceam, ut patet 1. Reg. 18. 10. et cap. 19. 10. et 2. Reg. 23. 21. Pro *effunde* Hebr. est, הרק *harek,* id, evacua, effunde, educ, profer, deprome, expedi, exhauri, evagina. Hinc primo S. Hier. *evagina gladium.* Ita Syr. et Arabs etiam vertunt. Campensis, stringe mucronem. Eobanus, tollere in ensem. Secundo, Pagnin. *expedi.* Felix, educ. Arias, *evacua lanceam.* Tertio, Vatabl. *expedi hastam.* Quarto, Petav. Αιχμαν δ'επορεξαι, id est, spiculum extende. Quinto denique Septuaginta εκχεον ρομφαιαν, *effunde romphæam.* Est autem romphæa, 1. gladius; 2. telum quoddam Thraceum: consule Gellium lib. 10. noct. Atticar. cap. 5. exponitur etiam framea, et iaculum longum. Deducitur a ρεπω, id est, propendeo, tendo, feror: quasi romphæa sit gladius vel iaculum, quod in ictum propendet, quod in hostem coniici exoptat, ac veluti contra inclinationem suam naturalem in vagina aut theca detinetur. 23. Hebr. chanit diversa significat.

Nota tertio, pro *conclude* Hebr. est סגור *segor;* quod primo Agellius ait posse esse nomen, ac genus quoddam armorum significare, unde Persice sagaris dicta est, et latine securis; sed aliena est et commentitia hæc expositio, licet aliqui Rabbini in id inclinent, q. d. Effunde frameam et instrumenta bellica contra hostes meos. 24. τo concludе quid significet.

Secundo, et melius *segor* est imperativus in Kal, et significat claude, include, conclude, intercludе. Sensum autem vult primo esse Ugo, q. d. Ostende eis conclusionem, quam in iudicio facies, dicens: Ite maledicti in ignem æternum. Sed hoc est mysticum, et conclude hic significat claude. Secundo, Beda sensum vult esse, q. d. conclusionem et munitionem fac. Sed qui arcem, munitionem et propugnaculum vult extrui, non petit expediri et effundi gladium et lanceam. Tertio, Lorinus sensum esse putat, q. d. Gladium manu firmiter prehensum tene, et stringe ad fortius feriendum, et vehementiorem ictum imprimendum. Sed *conclude* videtur non ad antecedentia, sed ad sequentia pertinere. Quarto, et aptius, *conclude adversus eos qui persequuntur me:* sensus est, q. d. Claude et in arctum constringe persecutores meos, ut ipsi gladium tuum et hastam evitare non possint: qui me concludere exoptant, a te ita claudantur, ut pereant. Quinto

denique, et aptissime, *conclude adversus eos qui me persequuntur:* sensus est, q. d. Claude viam, pone obstaculum, ne hostes ad me accedant: coarcta eos, et in angustias deduc, ne exultare, et in me libero campo decurrere valeant: ita Bellarminus, Agellius, Lorinus, Ludolphus, et alii. Huc spectare possunt variæ versiones: 1. Vatablus, *prodi obviam persecutoribus meis;* 2. Pagn. et Arias, *conclude in occursum persequentium me;* 3. S. Hieronym. *præoccupa ex adverso persequentem me;* 4. Campensis, *urge ex adverso persecutores meos.* Sic Deus couclusit Pharaonem et Ægyptios persequentes Israelitas, primo obiiciendo eis Angelum suum, et nubem tenebrosam in Phihahiroth, Exodi 14. v. 20. secundo illis in mare rubrum intrantibus, nt ad littus evadere festinantes assequerentur, obiiciendo fluctus, atque iis illos mergendo, Exodi 14. v. 27. Sic conclusit Angelus Balaam pseudoprophetam, evocatum a Balac rege Moabitarum, ut malediceret Israelitarum exercitui mox transituro Iordanem. Nam dicitur Numer. 22. v. 26. *Stetit Angelus Domini in via contra Balaam, qui insidebat asinæ, et duos pueros habebat secum. Cernens asina Angelum stantem in via, evaginato gladio, avertit se de itinere, et ibat per agrum. Quam cum verberaret Balaam, et vellet ad semitam reducere, stetit Angelus in angustiis duarum maceriarum, quibus vineæ cingebantur. Quem videns asina iunxit se parieti, et attrivit sedentis pedem. At ille iterum verberabat eam, et nihilominus Angelus ad locum angustum transiens, ubi nec ad dexteram, nec ad sinistram poterat deviare, obvius stetit. Cumque vidisset asina stantem Angelum, concidit sub pedibus sedentis: qui iratus, vehementius cædebat fuste latera eius, aperuitque Dominus os asinæ.* In his vides Primo, obstinationem scelerati persecutoris filiorum Dei. Balaam significat vetustum populum. Inveterati habitus dant obstinationem. Secundo, vide periculum impiorum, cum semper eorum capiti impendeat evaginatus diviuæ iustitiæ gladius. Balaam idem est quod absque populo: vel devoratio seu destructio eorum, quod tam active quam passive sumi potest. Tertio, vides conatus impiorum ad evadendum Dei manus, et invadendum Dei populum esse inutiles, quod magis adhuc patuit postea, cum Balaami os conclusit, ne malediceret Israelitas: et aperuit, ut vel invitus illis benediceret. Quarto, impios esse asinis cæciores, atque ad asinos esse mittendos, ut ab iis edoceantur. Quinto, vides lumen quod datur impio illi concedi in utilitatem piorum. Balaamo enim aperiuntur tandem oculi, ut territus non maledicat Israelitis, qui erant populus Dei.

25. Framea Dei, est ira eius et vindicta.

Quæres, quid hic per frameam intelligatur? Respond. sive framea sit gladius, sive hasta, denotat iram Dei, seu vindictam et iustitiam vindicativam. Quod autem dicitur illa framea effundi, notat primo facilitatem illius vindictæ, cum placuerit Deo illam exercere: secundo, sæpe immitti ex improviso: tertio, copiosam et abundantem vindictam significat. Unde Lombard. Ruffinus, Dionysius, Ludolphus, et alii exponunt: *Effunde frameam*, id est, multiplica vindictam.

Si sub specie gladii considerare placet Deum ultorem, vide quam sit terribilis. Deuteron. 32. v. 41. *Si acuero ut fulgur gladium meum, et arripuerit iudicium manus mea* (id est, mea potentia) *reddam ultionem hostibus meis.* Non dat ultionem, quia eius natura est misericordia: sed eam reddit, ob datas sibi iniurias. Non punit, nisi motus ab extrinseco. Iobi 19. v. 29. monet: *Fugite a facie gladii* (si facies et aspectus est terrificus, quid erit facies et concisio?) *quoniam ultor iniquitatum gladius est, et scitote esse iudicium.* Et quidem gladius apud Scythas erat mortis symbolum, fuitque apud eos maximum iuramentum, ventum et acinacem testari, quod innuit Lucianus in Toxari. Iusiurandum Scytharum erat νη τον ακινακην, και νη τον ανεμον, per acinacem et ventum, tamquam per vitæ et mortis auctores, ait Gilbertus Cognatus in annotationibus: Aerem enim respiramus, dum vivimus; et vitam effundimus cum gladio percutimur. Gladium hunc ultorem pro Deo colebant Scythæ, ut discis apud Lucianum in Tragœdo, σκυθαι, ait, ακινακη θυοντες. *Scythæ gladio sacrificant;* et apud Arnobium lib. 6. *Ridetis priscis temporibus Persas fluvios coluisse, informem Arabes lapidem, acinacem Scythiæ nationes.* Hoc ipsum ex Icesio refert Clemens Alexandrinus, et modum illius adorationis refert Ammianus Marcellinus libro ultimo: *Nec templum,* inquit, *apud Scythas visitur, aut delubrum, ne tugurium quidem culmo tectum cerni usquam potest, sed gladius barbarico ritu humi figitur nudus, eumque, ut Martem regionum, quas circumeunt, præsulem, verecundius colunt.* Ochum Persarum regem, quod omnia cædibus in Ægypto vastaret, gladium Ægyptii vocaverunt. Crantzius ait populos Septemtrionales a Deo servari, velut gladios in vagina reconditos, quos identidem educat ad aliorum populorum punitionem. Svetonius in Caligula cap. 49. refert, quod in secretis eius reperti sunt duo libelli diverso titulo, alteri gladius, alteri pugio index erat. Ambo notas et nomina continebant morti destinatorum. Ad rem quoque nostram facit, quod a legatis amplissimi ordinis rogatus, Romam ut properaret, qnam maxima voce ait: Veniam, veniam, et hic mecum: capulum gladii crebro verberans quo cinctus erat, cædem scilicet Senatus universi meditabatur: Mauritio Imperat. vindictam Dei intentavit quidam stricto gladio Constantinopolis vicos decurrens. Deus iubet Ezechieli ut assumat gladium, eoque sibi capitis pilos radat, ut repræsentet Dei iram in Iudæos, ait Maldonatus: et eius vindicem potestatem, ait Polychronius: ei collati omnes mortales sunt unus capitis pilus, neque illi plus possunt resistere, quam acutissimo gladio vilis et tenuis pilus. Lege cap. 1. Ezech. et 6. ac præsertim totum cap. 21. ubi inter cætera dicitur vers. 3. maxime ad Psalm. nostri apte: *Dices terræ Israel: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, et eiiciam* (extraham cum ira et festinatione) *gladium meum de vagina sua* (id est, vindictam de longanimitate mea) *et occidam in te iustum et impium. Pro eo autem quod occidi* (id est occidere decrevi) *in te iustum et impium, idcirco egredietur gladius meus de vagina sua ad omnem carnem, ab Austro usque ad Aquilonem* (id est a Bersabee usque ad Dan) *ut sciat omnis caro, quia ego Dominus eduxi gladium meum de vagina sua irrevocabilem.* Cometæ in formam gladii aliquando visi sunt.

Si frameam interpretari mavis lanceam seu hastam, eaque iram Dei, et vindictam figurari, habes Prophetam Habacuc, qui cap. 3. vers. 11. Deum alloquens dicit: *In luce sagittarum tuarum, ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ.* Agit de victoria Iosue, cum Sol et Luna steterunt, et fulmina, grandines, et lapides deiecti sunt in Chananæos prope Gabaonem. Tertullianus lib. 4. In Marcelum cap. 39. vertit: *In lucem coruscationes tuæ ibunt in fulgorem: fulgur scutum tuum.* Palladem suam veteres dictam esse censebant, απο τε παλλειν το δορυ, id est, a vibranda et concutienda hasta. Iunonem quoque habebant Curitim, id est hastatam: quod ut ait Festus, lingua Sabinorum, Curis hasta diceretur. Quin etiam Iustinus tradit, hastas pro diis olim fuisse, ideoque simulacris deorum addi.

Deus vindictam snam urbibus et regnis imminentem, 26.
sæpe declarat ostensione exercituum armatorum, et tela hastasque vibrantium in aere. Lib. 2. Machab. 5. refertur, quod eodem tempore quo Antiochus Epiphanes rex Syriæ secundam profectionem paravit in Ægyptum, a qua exclusus est: *Contigit per universam Ierosolymorum civitatem videre diebus quadraginta per aera equites discurrentes, auratas stolas habentes, et hastis quasi cohortes, armatos. Et cursus equorum per ordinem digestos, et congressiones fieri cominus, et scutorum motus, et galeatorum multitudinem gladiis districtis, et telorum iactus, et aureorum armorum splendorem, omnisque generis loricarum.* Hæc fuerunt præsagia cladis illatæ ab Antiocho irato; Ierosolymam enim cœpit, octoginta hominum millia ibi occidit, quadraginta millia incarceravit, et totidem vendidit in servitutem. Antequam Titus et Romani obsiderent, et caperent Ierosolymam, armatas acies et

Armatas acies in aere Deus ostentat.

currus in nubibus visos refert Iosephus lib. 7. de bello Iudaico, cap. 12. Antequam tempore S. Gregorii occuparent Italiam Longobardi, igneæ in cælo acies visæ sunt, ut ait ipse S. Gregor. hom. 1. in Evangelia. Vide Plinium lib. 2. cap. 57. et Iulium Obsequentem libro de prodigiis cap. 7. et 9. Cum essem Mussiponti in Lothariugia circa quartam horam matutinam visa sunt mira in aere portenta ex parte Septemtrienali, unde postea Sveci erupe-runt et Germaniæ maximam partem occuparunt aut devastarunt, ipsamque Lotharingiam expilarunt. Primo, visa sunt innumera ignea tela celeris cærulei totum horizontem occupare, et in terram defluere. Secundo, eodem in spatio plurimæ lanceæ igneæ, velut a Septemtrione iu Lotharingiam impulsæ. Tertio, per totum horizontem apparuit fornax ignea flammarum maximos globos subinde eructans, et hac illac dispergens. Qui id vidit, et mihi enarravit, sic interpretabatur, 1. tela cærulea sunt indicium pestis; 2. lanceæ igneæ sunt bellum; 3. fornax flammas undequaque diffundens est strages universalis. B Tunc quid Sveci, quid Croatæ, quid alii essent milites in Lotharingia nesciebatur. Post paucos menses initium belli positum est, et totalis provinciæ clades secuta est, quam videmus et miramur, pestis quoque per plerasque urbes et pagos desæviit.

27. Allegor. Framea Christi est eius anima. Allegor. Per frameam intelligitur anima dominica, per quam facit Deus Pater iustam vindictam: ita S. Hieron. sed præsertim in Iudæos sæviit. S. Cyrillus in Catena: Non simpliciter, ait, in eos gladium distrinxit, sed more fluvialis aquæ effudit: licet Iudæorum calamitates perpendere, nam post Salvatoris crucem opus frameæ facti sunt: ita ipse. Vide Iosephum de excidio Ierosolymæ agentem, Baronium tom. 1. anno 72. et quæ dixi Ps. 2. in illud: *Qui habitat in cælis, irridebit eos*, etc.

28. Anagog. Framea est sententia Christi in die iudicii. Anag. Framea est districtio iudicii universalis. Ibi gladius divinæ iustitiæ: Primo, fulget triumphante de hostibus Christo et Sanctis suis cincto. Syrus vertit hic: *Evagina gladium, et fulgere fac eum adversus persecutores meos.* Nunc in vagina reconditus splendorem suum occultat. C Secundo, percutit ille gladius in die iudicii. Apoc. 19. 15. *Et de ore eius procedit gladius ex utraque parte acutus: ut in ipso percutiat gentes.* Ioannes Bohemus tractat. de gentil. tit. scribit, in Asia principem quemdam, eum primum accepto diademate rex inaugurabatur, dicere solitum fuisse: *Oris mei sermo, de cætero gladius meus erit.* Tertio, gladius hic divinæ sententiæ et vindictæ impios a se invicem dividet. Matthæi 25. v. 32. *Congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis: et statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris.* Quarto, gladius divinæ vindictæ mortem æternam infert impiis. Isaiæ 34. vers. 5. *Inebriatus est in cælo gladius meus* (id explicat S. Hieron. de dæmonibus ex cælo hoc aereo in die iudicii deturbandis in tartara. Hoc ad cæteros impios transfer) *ecce super Idumæam* (animam sanguine peccati pollutam) *descendet, et super populum interfectionis meæ ad iudicium* (id est super populum a me iuterficiendum in vindictam. Hebraice, populum anathematis mei) *Gladius* D *Domini repletus est sanguine agnorum et hircorum, de sanguine medullatorum arietum. Victima enim Domini in Bosra, et interfectio magna in terra Edom.* Agni sunt plebs, hirci, duces et principes; arietes magistratus et divites. Bosra erat metropolis Idumææ, significat munitionem: sed nihil contra Deum est munitum. Pergit Isaias v. 6. *Et descendent unicornes* (id est dæmones) *cum eis: et tauri* (dæmones iidem) *cum potentibus.* Vel, unicornes sunt superbi, qui in solo cornu suo confidunt: tauri, sunt luxuriosi: potentes, sunt divites. Ratio subiicitur, v. 8. *Quia dies ultionis Domini, annus retributionum iudicii Sion.* Id est, pro Sione, hoc est pro Ecclesia et iustorum cœtu, qui in hac vita protritus est a sceleratis.

29. Tropol. Framea est anima cuiuslibet iusti. Tropolog. Framea seu gladius aut hasta Dei est anima cuiuslibet iusti, qua utitur Deus ad hostes suos domandos. S. Augustinus in Psalmum nostrum, *legimus quodam in loco*, Ps. 21. v. 21. *Erue ab impiis animam meam*, A *frameam tuam ab inimicis manus tuæ: et quod superius dixit animam meam: hoc sequenti versu frameam tuam: id est, gladium tuum. Ergo frameam Dei, dixit animam suam. Erue, inquit, ab impiis animam meam: id est, ab inimicis manus tuæ erue frameam tuam. Apprehendis enim animam meam, et debellas inimicos meos. Et quid est anima nostra, quamvis splendida, quamvis producta, quamvis acuta, quamvis uncta, quamvis luce sapientiæ et coruscationis vibrata? Quid est ipsa anima nostra, aut quid potest, nisi Deus illam teneat et pugnet de illa? Nam quælibet optime facta framea, si non habeat bellatorem, iacet:* ita Augustinus. Iusti sunt instrumentum quo utitur Deus ad agendum, sic assumens Apostolos fidem diffudit per totum orbem. Beda: *Effunde frameam, inquit, multiplicetur numerus iustorum, ut ubique sint effusi, quorum vita est framea tua.* Est oleum effusum concionator, cum proposita Dei bonitate, sanctitate, charitate, misericordia, liberalitate, homines ad eius amorem rapit. Est vero framea offensa, cum iustitiam et supplicia proponit.

Quinto, Impii a Deo superati, 1. pudore suffunduntur; 2. trepidant; 3. fugiunt; 4. dissipantur; 5. ab Angelis insequentibus coarctantur; 6. in tenebris et lubrico corruunt; 7. nunquam quiescunt. Nam additur, vers. 4. Vers. 4. CONFUNDANTUR, ET REVEREANTUR QUÆRENTES ANIMAM MEAM. AVERTANTUR RETRORSUM ET CONFUNDANTUR COGITANTES MIHI MALA. Saul scilicet, atque eius satellites. 30.

Confusio est pœna impietatis. 1. Prima punitio est confusio. *Confundantur*, id est, confundentur, erubescent, pudore suffundentur. Prophetia est, non maledictio. Isaias dicit de Gentilibus Christo resistentibus cap. 41. v. 11. *Ecce confundentur et erubescent omnes qui pugnant adversum te, erunt quasi non sint.* Christus ipse ait Ps. 108. v. 29. *Induantur qui detrahunt mihi* (Chald. inimici mei) *pudore.* (S. Hieron. confusione) *et operiantur sicut diploide* (Apollinaris, duplici pallio) *confusione sua.* S. Augustinus et Cassiodorus in Psalmum nostrum explicant de salubri erubescentia atque reverentia convertendorum ad Deum impiorum. Malim exponere de confusione superborum punitorum. Superbi similes sunt Lysimacho, prosperis rebus elati, cælum sibi lancea attingere videntur: aut cum Attila putant stellas ante se cadere, terramque sub se tremere gloriantur: aut cum Pompeio dicunt, si terram pede percusserint fore ut exercitus exiliant, qui ipsis præsto sint. Ad primam deinde hostis aut calamitatis impressionem confunduntur, ut accidit Pompeio, qui audito Cæsarem e Gallia cum copiis adventare, Italiam totam hosti deseruit, et trans mare celeri fuga se proripuit. M. Terentius Varro ante Cannensem pugnam erat præfractior ob Consulatum adeptum, cum esset tantum plebeius: victus vero ab Annibale barbam capillumque tota vita submisit, ut ait Frontinus lib. 4. cap. 5. neque unquam postea recubans cibum cepit, neque honores oblatos admisit, eum diceret: Felicioribus Magistratibus reipubl. opus esse. Porus Indorum rex, qui, ut tradit Curtius lib. 8. pro militiæ signo simulacrum Herculis ferebat, fortitudinis scilicet suæ indicium, victus ab Alexandro ita confusus est, ut postea nunquam se regem appellari passus sit, sicut tradit Philostratus in vita Apollonii lib. 2. cap. 9. licet hoc illi Alexander permisisset.

31. II. Pœna est trepidatio. Secunda punitio impiorum deviciorum, est trepidatio, v. eod. 4. *Confundantur et revereantur quærentes animam meam.* Pro *revereantur*, Hebraice יכלמו *iccalemu*, id est, Primo, ut vertit Pagninus, erubescent. Campensis, confundantur. Vatablus, afficiantur ignominia. Itaque plus est quam *ieboschu*, quod primo loco David posuit. Secundo, *iccalemu*, id est metu occupentur, ut vult Petavius, qui sic explicat, q. d. Utinam pudor et metus impudentes homines subeat. Septuaginta habent ἐντραπείησαν, id est, tanto pudore suffundantur, ut præ confusione faciem alio avertant: ita confundantur, ut oculos et vultum victores iusti ferre non possint. Ferdinandi Neapolitani regis audito Caroli VIII. et Gallorum adventu, et Xerxis cognito quod pons quem Hellesponto imposuerat, disiectus esset, et in traiectu agitaretur tempestate, at-

que aliorum trepidatio, satis denotat nullis humanis viribus fortes esse illos, qui a Deo deseruntur. Iovius lib. 4. tradit ad Frangetum oppidum Aragonios tanto metu perculsos fuisse Gallis pugnam ambientibus, ut necesse fuerit Ferdinando regi Aragonum, ad sistendam suorum fugam, alios manu sua laqueo suspendero, alios intentato gladio ferire.

32. III. Pœna est effusa fuga. Tertia punitio impiorum devictorum, est effusa fuga. Itaque David addit, v. eod. 4. *Avertantur retrorsum, et confundantur cogitantes mihi mala.* Prius dixerat quærentes animam meam, id est, vitam meam. Sæpe enim anima pro vita ponitur in Scripturis. Nunc usque ad cogitationem pergit. Fugientes enim et victi ne hiscere quidem audent scelerati, sed rabie efferati iram suam intus coquunt, et vindictam spirant et exoptant. Caius Cornificius timidos et fugaces milites vocabat galeatos lepores. Talis fuit Xerxes, qui teste Herodoto lib. 8. victis navali prælio ad Salaminem ducibus suis adeo effuse fugit, et cum tanto terrore, ut a Græcia se proripiens, non prius zonam resolverit, quam in Asia apud Abderitas securum se viderit. Tales duo non ita vetere memoria in Francia. Cum enim in pugna Montlcheriensi inter Ludovicum XI. regem et coniuratos principes certatum esset, quidam qui a partibus regis stabat, Lusignanum usque impastus fugit, credens hostibus cessisse victoriam, alter vero putans principes victos fuisse, fugit usque ad Quesnoy le Comte, ut refert qui aderat Philippus Cominæus fidelis historicus in histor. cap. 6. fol. 18. Itaque hic per leucas circiter triginta: ille per leucas plusquam sexaginta. Vide etiam Scipionem Du Pleix tom. 3. pag. 30.

33. Vers. 5. IV. Pœna est dissipatio a se invicem. Quarta punitio impiorum devictorum est, ut ita dissipentur, ut copias suas redintegrare et in unum coniungere non possint, v. 5. Fiant tamquam pulvis ante faciem venti, et Angelus Domini coarctans eos. Hebr. pro *pulvis* est מוץ *mots*, id est, gluma, hoc est folliculus grani frumentarii: a glubendo, quod eo folliculo deglubatur granum, hoc est decorticetur. Varro lib. 1. de re rustica, loquens de frumento, glumam ab arista sic distinguit. Granum dictum est, quod est intimum, solidum: gluma qui est folliculus eius: arista, quæ ut acus tenuis, longa eminet e gluma. Proinde ut grani theca sit gluma: et apex, arista. Glumam itaque vernacule dicimus: *la petite paille ou peau, dont est vetu un grain de frument, ou autre grain.* Cum autem vanno frumenta iactantur et purgantur, gluma levissimo vento avolat. Secundo, *mots* etiam pulverem significat: unde etiam S. Hieron. Felix, Vatablus aliique vertunt *sicut pulvis.* Vide Ps. 1. 4. in eam rem dicta, et comparationem impii cum gluma et cum pulvere. Chald. vertit, *sicut palea.* Sept. ὡσεὶ χνοῦς sicut lanugo plantarum: vel, mollis vellus lanæ, vel spuma.

Nunc sufficiat nobis Isaias, qui cap. 17. v. 13. agens de Syrorum calamitate ab Assyriis superatorum, ducente eos rege Theglathphalasar, qui Damascum eorum metropolim cepit et evertit, ait: *Sonabunt populi sicut sonitus aquarum inundantium, et increpabit eum, et fugiet procul: et rapietur sicut pulvis montium a facie venti, et sicut turbo coram tempestate.* Septuaginta vertunt: Sicut pulverem rotæ tempestatis impellentis. Vatablus: Sicut globus ante turbinem. Et cap. 64. v. 6. idem Propheta agens de Iudæis suis Christo non credituris ideoque puniendis, dicit: *Cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.* S. Gregor. lib. 31. Moral. cap. 10. in illud Iob: Quando fundabatur pulvis in terram, et glebæ compingebantur, per pulverem sceleratos vult intelligi in hunc modum: *Quid, ait, in pulvere, nisi peccatores accipimus qui nullo rationis pondere solidati, cuiuslibet tentationis flatu rapiuntur.* Fundantur vero in terram, cum ad Ecclesiam vocati in fide confirmantur, et infusa Spiritus sancti salutari unda et gratia, inter se uniuntur.

34. Vers. 6. De Angelo coarctante dicam articulo sequenti.

V. Pœna est error in tenebris. Quinta punitio impiorum devictorum est, ut in tenebris oberrent in cæcam noctem coniecti, v. 6. Fiat via illorum tenebræ et lubricum: et Angelus Domini persequens eos. Syrus. et Arabs vertunt, fiat via illorum tenebrosa. Hebr. maiore cum emphasi *tenebræ*, id est maxime tenebrosa sint in caligine Ægyptiaca aut Cymmeria. S. August. et S. Gregor. 19. Moral. 14. vel 20. legunt, *fiant viæ eorum tenebræ*, q. d. Ne una quidem via restet illis lucida. Magn. vertit, involvant tenebræ cælum, q. d. Cum ab uno Deo lux oriri possit, et impii eum lacessant, Soli suo radios subtrahat, ut sceleratis nox sit palpabilis et perpetua, sciant lunatici illi ab uno sole Deo lumen esse, habitent in terra lunæ destituta radiis solaribus, qua de re vide Lucianum in vera, id est, in ficta historia.

Nota, impiorum intellectus excæcatur, ideo pedes id est affectus aberrant. Ps. 81. v. 5. *Nescierunt* (S. Hieron. non cognoscunt, tantum abest ut habeant scientiam) *neque intellexerunt* (Chald. nescierunt bona operari, et non intellexerunt legem) *in tenebris ambulant* (S. Cyprianus, in umbra deambulabunt. Si umbras sequeris, erit via tua tenebrosa) *Movebuntur omnia fundamenta terræ*, id est, animæ terrenæ. Salomon Eccles. 2. v. 14. *Sapientis oculi in capite eius: stultus in tenebris ambulat.* Quanto magis in iis fugit coactus, cum etiam sponte in illis versetur? Campens. vertit: Sapiens oculos habeat in fronte, stultus velut cæcus palpat.

Qui sub polis habitant, in summo agunt frigore et ærumna, totos sex menses in tenebris caligant. Impii vero illis longe calamitosiores annum totum in caligine conterunt, vixque per horas duodecim die paschatis solem iustitiæ aspiciunt: anno reliquo, cæci instar Polyphemi, in perpetua nocte crudelitatem et rapinas spirant, sine ullo charitatis ardore, sicut lupi et ursi albi in frigore Aquilonari, ubi sedem posuit dæmon, omnibus infesti. Zachariæ 14. vers. 6. de illis ait: *In die illa non erit lux: sed frigus et gelu.* 35. Homines polares noctem habent sex mensium.

Pugnas in tenebris usurpabant primo Andabatæ, id est, gladiatores, qui oculis clausis digladiabantur. De illis sic Erasmus scribit: Andabatæ, fuerintne populi clausis oculis soliti pugnare, an gladiatorum genus, qui clausis oculis tenderent in adversarium, an potius lusus genus, ut propemodum ex Seneca licet conlicere, nondum (ut ingenuo fatear) satis compertum habeo: ita ille. Opinor fuisse gladiatores. 36. Andabatæ in tenebris pugnant.

Secundo, Basulti Libyes non pugnabant nisi noctu. Tertio, Auctili quoque Libyci populi de die habebant induclas, de nocte pugnas exercebant. Quarto, Ariis etiam Sveviæ populis nocturnæ, et tenebricosæ pugnæ in usu fuerunt, ut tradit Cornelius Tacitus libro de moribus Germanorum: *Arii truces*, inquit, *insitæ feritati arte ac tempore lenocinantur, nigra scuta, tincta corpora, et atras ad prælia noctes legunt: ipsaque formidine atque umbra feralis exercitus terrorem nullo hostium sustinente novum ac velut infernum aspectum. Nam primi in omnibus præliis oculi vincuntur.* Dæmones in tenebris pugnare volunt, in iis enim vincunt, cum sint principes tenebrarum; et quod tenent, statim excæcant, ut Philisthæi Samsonem, ne se expedire ab eorum vinculis possint. Et Basulti, Auctili, Arii.

Sexta punitio impiorum devictorum et fugientium est, ut in loco sint lubrico, ut sæpe concidant, et in præcipitiis sese collidant. *Fiat via illorum tenebræ et lubricum.* Pro *lubricum* Hebraice est חלקלקות *chalaklakot*, id est, loca maxime lubrica. Hæc enim geminatio auget. Nam *chalakoth* significat lubricitates, *chalaklakot* magnas lubricitates. Arabs vertit, erit via illorum lapsans. Quomodo non caderent impii, cum via sit lubrica, aer tenebrosus, ipsi trepident, ultor a tergo Angelus eos insequatur? Ierem. 23. v. 12. de pseudoprophetis ait: *Via eorum erit quasi lubricum in tenebris: impellentur enim, et corruent in ea; afferam enim super eos mala, annum visitationis* (punitionis) *eorum.* Et cap. 38. v. 22. ait Sedeciæ regi Iuda obsesso a Chaldæis, et brevi capiendo et excæcando, ducendoque Babylonem: *Seduxerunt te, et prævaluerunt adversum te viri pacifici tui* (id est, domestici tui et familiares, promittentes tibi pacem, hoc est, omnia prospera rebellando in Chaldæos) *demerserunt in cœno* (Chald. in confusione) *et in lubrico pedes tuos, et reces-* 37. VI. Pœna impii.

serunt a te. Threnor. 4. v. 18. Iudæi lugentes eversionem Ierusalem per Nabuchodonosor, et miseriam suam in fuga ad evadendum furorem Chaldæorum victorum, et strages ubique edentium, dicunt: *Lubricaverunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum*, ob trepidationem mentis, capitis turbationem et vertiginem, atque ob fusum sanguinem ubique decurrentem, ac lubricas vias reddentem; item propter hostium multitudinem ex omni parte instantem, et manus iniicientem, unde factum est, ut huc illuc nos flectentes titubaremus et flecteremur. S. Gregor. lib. 10. Moral. miseriam animæ tentatæ sic luget: *Sæpe tot tentamenta nos obsident, ut ipsa nos eorum numerositas pene ad lapsum desperationis inclinet. Ruituram se per momenta conspicit anima. Circumductos quolibet oculos obscuritas obsidet, et cum visum tenebræ semper impediant, mæsta mens nihil aliud quam tenebras videt.* Iustis vero quanta et quam iucunda ac salutaris sit lux, vide Isaiæ 58. v. 9. Illis in media pugna affulget: Deus enim qui totus est lux pro illis pugnat, et iis arma lucis donat. S. Petrus Damiani serm. 74. qui est de spirituali certamine: *Deus*, inquit, *pugnat; et ut nos vincamus, invitat. Ipse hostium vires destruit, et nobis victoriæ nomen adscribit. Vult nos fieri sua virtute victores, ut merito coronare valeat triumphantes. Nulla nos ergo desperatio frangat, quos ad fortiter agendum supernæ virtutis adhortatio provocat. Nulla infirmitas humanæ conditionis obsistat, ubi ad confligendum divinæ iussionis auctoritas roborat.* Hoc auxilium promittitur Deuter. 33. vers. ult. ubi Moses benedicit Israeli, et singulis tribubus, eisque ventura prædicit, ac tandem suam benedictionem atque prophetias sic concludit: *Beatus es tu Israel: Quis similis tui popule, qui salvaris in Domino* (id est, per Dominum qui est) *scutum auxilii tui, et gladius gloriæ tuæ*, (per quam gloriose pugnas et vincis) *negabunt te inimici tui, et tu eorum colla calcabis:* ut fecit Iosue per duces suos quinque regibus Chananæorum devictis prope Gabaonem: nempe regi Ierusalem, regi Hebron, regi Ierimoth, regi Lachis, regi Eglon; ait enim Iosue, Ios. 10. v. 24. *Ite, et ponite pedes super colla regum istorum. Nolite timere, nec paveatis, confortamini et estote robusti: sic enim faciet Dominus cunctis hostibus vestris, adversum quos dimicatis.* Calcanda vitia sunt, nec timenda, sic facilior erit victoria.

ARTICULUS II.

Angeli armantur, ut puniant peccatores, iustos adiuvent.

38. Angelus pugnavit in Ægyptios. DAVID a Saule rege exagitatus, et imparem se eius viribus cernens Dei opem imploravit, ut eum a se averteret. Nunc petit etiam opem Angelorum, alludens ad ea quæ contigerunt in mari rubro Ægyptiis, in quos Angelus in nube latens Primo accepit arma et scutum. Secundo, effudit frameam, fulmina scilicet. Tertio, eos conclusit aquis alveum suum repetentibus, et ex adverso in eos irruentibus. Quarto, pudore et timore complevit. Quinto, in fugam vertit. Sexto, vento vehementi hac illac disiecit. Septimo, eos coarctavit ut evadere non possent undique aquis clausi. Octavo, densis nubibus tenebras induxit. Nono, iter lubricum reddidit ob aquas redeuntes, et effecit ut in eo itinere caderent. Decimo denique, eos ad mortem usque persecutus est. Saul quoque tandem misere periit a Philisthæis victus cæso et fugato eius exercitu. David hoc non optat, sed prædicit.

Duo autem dicit præsertim ab Angelo esse facienda. Primo, hostes suos esse ab eo coarctandos. Secundo eosdem ab ipso esse persequendos.

Et primo, v. 5. dixit: FIANT TAMQUAM PULVIS ANTE FACIEM VENTI, ET ANGELUS DOMINI COARCTANS EOS. Hebraice, pro *coarctans* est דוחה *doche*, id est, impellens, propellens, expellens, compellens, in arctum scilicet atque ruinam. Recte Petavius sic explicat, q. d. In eos porro fortis incumbat Dei Angelus: et in angustum correptos compellat. Campensis vertit, Angelo Domini iactante illos. Arabs, Angelus Domini contristabit eos.

Secundo, additur v. 6. FIAT VIA ILLORUM TENEBRÆ ET LUBRICUM: ET ANGELUS DOMINI PERSEQUENS EOS, supple, fiat. Campensis vertit, Angelus Domini urgeat eos. Arabs, expellat ipsos. Hebr. Chald. et Syr. רדף *radaph*, significat, sequi, insequi, persequi, prosequi, sectari, insectari. Ubi nota, Angelus ad iuvandum nos præit, sicut ibat in columna nubis ante Israelitas egredientes ex Ægypto: quia id exigit eius charitas et nostra imbecillitas, qui ex nobis nihil possumus. Ad puniendum vero Angelus nos sequitur præeuntes, et ultro nos inferentes, ut contigit Ægyptiis mare intrantibus, et Sennacheribo regi Assyriorum in Iudæam irruenti, et Ierosolymam ac Dei templum diripere et vastare cupienti. Magnetius cladem hanc impiorum belle describit:

Hos pudor avertat refugos, agitante procella,
Ut sparsus rapitur per inania turbida pulvis:
Omnibus et pulsos terris, atque omnium egenos,
Cogat in angustum, et pœnis domet Angelus ultor,
Involvant tenebræ cælum; via lubrica plantas,
Fallat, et attonitis Domini ferus aliger instet.

Quæres, utrum de Angelo bono sit hic sermo, an de malo? Respond. primo, S. Hieron. S. Thom. Glossa, Beda, Lombard. Ugo, Dionys. Ludolph. Thomas Anglic. et alii, intelligi Angelum malum. Est enim carnifex, quo utitur Deus ad puniendos peccatores, et qui ex odio in homines concepto id officium libentissime exercet. Ps. 77. vers. 49. ubi est sermo de Deo puniente Ægyptios et Pharaonem ante exitum Israelitarum, dicitur: *Misit in eos iram indignationis suæ: indignationem et iram* (S. Hier. et comminationem) *et tribulationem: immissionem per Angelos malos.* S. Hieron. vertit ibi, Immissiones Angelorum malorum. In cap. 2. Ioelis, vertit, Angelos pessimos. Symmach. ἀγγέλων κακούντων, id est Angelorum affligentium. Lætantur, cum male fecerint, et malo affecerint, et cum malis versari amant, in eos illis datur potestas. Proverb. 17. v. 11. de rixoso habes: *Semper iurgia quærit malus: Angelus autem Domini crudelis mittetur contra eum.* Symmach. ἀσπλαγχνος, sine visceribus. Deo enim est maxime contrarius, qui habet viscera misericordiæ, quibus nos complectatur. Ibi obiter nota, quod non it, nisi mittatur; est canis catena ferrea ligatus, solvitur autem in peccatores. Isaiæ 19. v. 2. *Concurrere faciam Ægyptios contra Ægyptios*, id est tenebrosos dæmones contra tenebrosos peccatores. Ægyptus tenebras significat, ut quidam volunt. Apte ibi conveniet *Mesraim*, Hebr. id est Ægyptus, idem enim atque angustiæ, tribulationes, et *Misri*, id est, Ægyptius, hoc est angustians, tribulans. Scelerati tribulant et coarctant, atque in angustias et angorem coniiciunt bonos, ut hic patet in Saule persequente Davidem, unde a dæmone ipse vexatus est, et in summas calamitates redactus. 39. Angelus malus coarctat impios.

Raderus noster in Viridario Sanctorum part. 2. cap. 5. refert, quemdam Stylitam Edessenum hoc a Deo esse consecutum, ut non Angelum modo custodiæ suæ destinatum, sed tutelares etiam aliorum cerneret, verum dispari longe ratione. Nam, si quis virtutis semitam tenebat, illi face prævia prælucentem cernebat Angelum miro splendore radiantem: si quis vero vitiis dederat manus, hunc a dæmonibus vinctum catenis cernebat: eius vero Angelum lacrymis madentem, et longe semotum, subsequi. Exemplum notabile.

Dices. Si hic accipiendus est dæmon, quomodo vocatur Angelus Domini? Respond. tribus de causis sic appellari, 1. quia a Deo creatus est; 2. quia a Deo immissus; 3. quia tantum sævit, quantum illi Deus permittit. S. Hieronym. *Si Domini, cur malus? Domini, quia Dominus illum creavit: et Dominus habet illum in potestate. Malignus, non natura, sed sua adinventione.* Sic Proverb. 17. dicitur Angelus Domini crudelis. Et 1. Reg. 16. v. 15. dicunt Sauli regi familiares eius: *Ecce spiritus Dei malus exagitat te.* Ab eo sanatus est per Davidem citharam pulsantem: unde eum remisit ad patrem suum Isai seu Iesse: sed post cæsum Goliath audita acclamatione populi dicentis: *Saul percussit mille, et David decem millia:* invidia et odio in eum exarsit, viamque in se dæmoni aperuit, a quo iterum 40. Dæmon quo sensu dicitur Angelus Domini.

*

agitari cepit, ut manifestum est cap. 18. vers. 10. *Invasit spiritus Dei malus Saul, et prophetabat* (Chaldæus, insaniebat. Abulensis, aliena referebat. Est catachresis, vates enim paganorum instar insanorum et furiosorum oracula fundebant a dæmone agitati) *in medio domus suæ.* Vocatur ille spiritus, cap. 16. v. 13. spiritus nequam a Domino, supple immissus. Nec fuit sola melancholia sive atra bilis et mania, ut Iosephus et Genebrard. volunt, sed dæmon qui non solum vexavit Saulem exterius, sicut S. Iobum: sed etiam interius vere possedit: atque diris phantasmatibus, terroribus, tristitiis, anxietatibus, doloribus et angoribus afflixit, et per vices exagitavit.

41. Tropol. Peccator coarctatur quatuor modis.

Tropologice. Peccatores coarctat teter ille et crudelis carnifex: Primo, nimio ardore ad temporalium quisquiliarum curam compellendo. Exodi 5. v. 10. dicebat: *Non do* (non dabo. Est enallage temporis) *vobis paleas: ite, et colligite sicubi invenire poteritis: nec minuetur quidquam de opere vestro, dispersusque est populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas.* Ibi nihil aliud reperitur, et quidem cum multo labore. Secundo, dæmon coarctat servos suos, a rebus divinis illos arcendo. Iudic. 1. v. 37. *Arctavit Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum, ut ad planiora descenderent.* In plano, facili, fertilique loco humilitas est: superbia vero in aridis, præruptis, scopulosisque cautibus. Filii Dan sunt ii, qui iudicandi sunt ob superbiam, cuius symbolum est mons sine vallis possessione. Dan significat iudicantem, et iudicium. De omnibus enim temere iudicat superbus, se virtute, divitiis, scientia, honoribus, aliisque superiorem existimans; sed etiam ipse iudicatur, et in sua altitudine petrosa et sterili atque ardua punitur. Dæmon enim, qui est Amorrhæus, id est amaricans, ei lætitiam omnem et iucunditatem tollit. Tertio, dæmon coarctat peccatores, illos in curas inanes, et incertas; ac fluctuantes cogitationes coniiciens, viamque obstruens, ne a sceleribus et susceptis negotiis pateat exitus. Thren. 3. v. 7. Ieremias sic loquentem populum Ierosolymæ obsessum a Chaldæis, qui significant quasi dæmones, ut alias monui: *Circumædificavit adversum me, ut non egrediar: aggravavit compedem meum.* Rupertus explicat de captivis in Babylone. Origenes de ipso Ieremia in carcerem coniecto. Quarto denique, coarctat illos in locum tenebrosum et lubricum, ut inde corruant in præcipitia inferni. Thren. 3. v. 2. de se ait Ieremias a Phassur aliisque Iudæis deiectus in profundum laci, id est, ergastuli profundi, cœnosi et tenebrosi: *Me minavit* (Hebraice, duxit) *et adduxit in tenebras, et non in lucem:* id est, in densissimas tenebras, ita ut nihil prorsus lucis esset. Hoc Hebræis significat negatio adiecta affirmationi. Sic enim auxesim exponunt Ezech. 18. 2. Isaiæ 38. 1. Ioan. 1. 20.

42. Etiam Angeli boni puniunt.

Respondeo secundo ad quæsitum cum S. Thoma, Dionysio Carthus. Thoma Anglico, et aliis, qui de Angelis etiam bonis hunc locum intelligunt. Arbitror ego dici de utrisque: tam scilicet de bonis quam de malis ultoribus impiorum: unde bis ponitur nomen Angeli: Angelus malus coarctat proxime et immediate: Angelus bonus persequitur, velut præses imperans suis satellitibus, ut reos capiant, vinciant, in compedes coniiciant, torqueant et iugulent.

Prob. 1. ex Scriptura.

Nota primo, etiam Angeli boni sive per se immediate, sive per dæmonem puniunt peccatores. Hoc patuit primo in eversione Sodomæ, ad eam enim descenderunt duo Angeli ex tribus qui venerant ad Abrahamum. Gen. 19. tertio, in cælum revolante: quia cum libentius iustis benefaciant quam malos puniant, tres ad iustum veniunt, cui promittunt Isaac, id est risum, duo tantum Sodomam petunt, quam igni et sulphure concremant. Secundo, id patuit in Angelo qui ob numeratum a Davide populum, in tribubus Israel peremit septuaginta hominum millia, et apparuit Davidi stricto gladio iuxta aream Arcuna Iebusæi, 2. Reg. 24. v. 16. fuisse autem Angelum bonum patet v. 17. cum eum David oret. Tertio, id patuit in Angelo qui una nocte occidit in exercitu Sennacherib regis Assyriorum 185. millia militum tempore Ezechiæ regis Iuda, Isaiæ 37. 36. videtur fuisse bonus Angelus, v. g. Gabriel aut Michael præses synagogæ, ut ait Abulensis.

A bonis Angelis pœnas infligi censent etiam Patres. Primo, S. August. lib. 9. de civit. cap. 5. ubi ait: *Sanctos Angelos sine ira punire, quos accipiunt æterna lege puniendos: et miseris sine compassione subvenire.* Secundo, S. Athanasius sermone de communi essentia Patris, et Filii, et Spiritus sancti, tradit nonnullos Angelos pœnis inferendis esse præpositos. Unde vult eorum ordines distingui in ordinem docentium, permittentium, punientium, et eorum qui animabus gratificantur, et qui apud homines permanent. Tertio, S. Hermas Pauli Apostoli discipulus lib. 3. Pastoris, Similitudine 6. docet unum Angelum pœnæ esse præpositum, qui ab Angelo custode distinguatur: et variis incommodis, inopia, iniuriis, aliisque ad officium errantes revocet: *Hic pastor,* inquit, *pro iustis quidem nuntius est, sed præpositus pœnæ. Huic ergo traduntur, qui a Deo aberraverunt, et servierunt desideriis ac voluptatibus sæculi huius.* Quarto denique, Suarez tractatu de Angelis lib. 6. cap. 19. censet esse probabilius, Angelos quidem bonos inferre aliquando pœnas, non tantum medicinales, sed etiam eas quæ mera sint supplicia: nullum tamen esse his inferendis speciali ex officio destinatum.

2. ex Patrib.

43. Angeli boni variis nominibus vocantur.

Hinc variis nominibus Angeli appellantur in Scripturis et a sanctis Patribus. Primo, vocantur ignis urens Psal. 103. v. 14. *Qui facit Angelos suos spiritus* (ad refrigerium iustorum) *et ministros suos ignem urentem,* ad punitionem sceleratorum. Vide eum locum. Nahum 2. v. 3. dicitur: *Clypeus fortium eius ignitus.* Ob eam vim urendi et repurgandi scoriam vitiorum nostrorum, Sophronius Episcopus Ierosolymitanus in Angelorum encomio sic orat: *Ob incendendi expiandique vim qua polletis, quaque omnem malitiam, omnemque fœditatem absumere et expiare consuevistis, incensorum et calefactorum nomine designemini. Internos, obsecro, animæ meæ recessus a vitiorum sordibus expiate.*

I. Sunt ignis urens, ad nos purgandos.

Secundo, Angeli sunt nostri pædagogi, qui virga puerilem a nobis stultitiam fugent, atque a via aberrantes voce, minis, verberibus, velut ovem restitantem, ad securum iter deducant. S. Maximus in cap. 5. cælestis Hierarchiæ ait, παιδαγωγικως χειραγωγουσι, instar pædagogorum manuducunt.

II. Pædagogi ad nos docendos.

Tertio, Angeli medici nostri sunt, qui ulcus sanent, et gangræna erosas partes non sine cruciatu rescindant. Hoc meditatur Andreas Cæsariensis cap. 21. in cap. 8. Apocalypsis agens de septem Angelis, qui tuba cecinerunt, et plagas varias orbi intulerunt, immissa grandine, igne, etc. Sic autem ait: *Angeli harum rerum administri,* ως ιατροι συμπαθεις, χριστομιμητως, καυτηρσι και τομαις δεινοτατην αμαρτιας νοσον ασθενουντας θεραπευοντες: *tamquam misericordes condolentesque medici, dum ad Christi exemplum cauteria et sectiones illis adhibent, qui graviori peccatorum morbo tenentur; aut omnino curam morbumque profligant, aut ignavis ingratisque hominibus futurum supplicium nonnihil sublevare, moderatiusque reddere satagunt.*

III. Medici ad sanandos.

44. IV. Milites ad protegendos.

Quarto, Angeli milites Dei sunt, qui Imperatori suo illatas iniurias ulciscuntur. Sic eos appellat Athenagoras in apologia pro Christianis. *Angelos,* ait, *Deus tamquam in classes ordinavit, centuriavitque.* Secundo, S. Ignatius epistola ad Trallianos vocat, Angelorum militiarumque cælestium discrimina. Tertio, S. Gregorius Nyssenus in cantica homil. 15. ait esse instructas copias. Quarto, Franco Affligeniensis tom. 1. de gratia Dei: *Illa,* inquit, *in creaturis Dei beata beatorum spirituum agmina in ministerium conditoris sui miro et ineffabili nobis ordine distincta.* Quinto, Alphanus Salernitanus in agone duodecim martyrum dicit Deum rerum opificem *arte suprema composuisse agmina spirituum.* Sexto, Potho Prumiensis lib. 4. de statu domus Dei cap. 8. et aliis, videtur hoc nomen affectare. Hinc Deus vocatur Dominus sabaoth, id est, exercituum, cælestium scilicet. Septimo, Cherubini qui Ezechieli apparuerunt cap. 1. erant armati, ut eos

depingit Alcazar: stipabant enim quasi milites currum bellicum Dei, euntis ad excidium Ierusalem, et aliarum gentium. Atque hic causa fuit, cur in capite galeam et exuvias, puta similitudines sive facies aquilæ, leonis et bovis gestarent, ut docent Græci Patres. Hæ enim facies non erant eis naturales, sed ascititiæ, sicut et galeæ. Solebant enim veteres Romani terribilia monstra animalium in galeis præferre, ad virium et roboris ostentationem, et ad terrorem hostibus incutiendum, atque ad omen victoriæ, vel raræ aut arcanæ alicuius rei repræsentationem. Ita Plinius lib. 10. cap. 4. docet Romanos in galeis gestasse figuras minotaurorum, luporum, aprorum, et aquilarum. Sic Pyrrhus teste Plutarcho hircina cornua gestabat in galea: quia videri volebat natus Iove Hammonio, qui hirci specie colebatur. Sic Turnus apud Virgilium lib. 9. Æneados in casside gestat chimæram incendia vomentem. Cimbri equites in galeis hiantium animalium formidabiles species ostentabant, ut ait Plutarchus in Mario. Poloni equites etiamnum, non tantum pennas struthionum in galeis, sed et singuli in tergo integras exuvias leopardi, lupi aut leonis gestant, insuper alas aquilarum in ephippiis utrinque: tum ut sint formidabiles hostibus: tum quia alæ illæ, utpote ingentes, iuvant celeritatem equorum in cursu. Id accepi Romæ a patribus nostris Polonis: ita Corn. in Ezechielem. Simili modo Cherubini depinguntur, quasi habentes aquilam impositam galeæ, cui ad dexteram annexa vel coniuncta erat facies leonis, a sinistris vero bovis. Inducuntur enim hic, quasi iuvenes et milites galeati Dei, cum exuviis leonis, aquilæ, et bovis quasi cælestis militiæ duces, qui ad devastandam Ierusalem pergebant: ita Alcazar in Apocalypsim. Sicque horum Cherubinorum species concinna fuit instar generosorum militum in hostes pergentium. Christus Matth. 26. v. 53. vocat legiones Angelorum, et Lucæ 2. 13. vocantur militia cælestis.

V. Spiritus, ad mentem in Deum et spiritalia elevandam.

Quinto denique, Angeli sunt sanctissimi et purissimi spiritus, qui facies terrenas ferre non possunt. Andreas Cæsariensis in cap. 2. Apoc. vocat Angelos, ἀστέρας, διὰ τὸ φωτεινὸν καὶ καθαρὸν τῆς φύσεως: *Stellas, ob naturæ claritatem, vitæque sanctimoniam.* Cum tenebris degere non possunt, quin doloris et indignationis suæ indicia ostentant. Sophron. in encom. Angelorum, eos appellat, *expressum quoddam divinæ similitudinis simulacrum:* Ado die 2. Augusti ait, Hirtacum quemdam Nicetii consularis iussu S. Theodotæ pudicitiam fœdare voluisse, sed ab Angelo sanctæ illius custode tam gravi percussum fuisse pugno, ut sanguis deflueret, atque impius a cœptis desisteret. In litteris annuis Societatis Iesu habetur, in diœcesi Traiectana, iuveni qui se in perditorum consortium immiserat cum castitatis periculo, impactum fuisse colaphum ab Angelo custode, cuius ope tentationem meretriculæ evaserat, monitumque ut in posterum tales ganeones evitaret.

45. Angelorum bonorum officium est homines iuvare.

Nota secundo, proprium sanctorum Angelorum bonorum officium est homines iuvare. Hinc a Ieremia Constantinopolitano Patriarcha in responso primo cap. 21. nuncupantur *mediatores;* secundo, in libro precationum Iudaicarum dicuntur, *misericordes ministri Dei;* tertio, a S. Basilio lib. 3. in Eunomium, *pædagogi et pastores;* quarto, a S. Germano Patriarcha Constant. oratione de obdormitione Dei genitricis, *vitæ custodes et præsides;* quinto, a Iacobo Genuensi dominica 3. post Trinitatem serm. 3. *medici;* sexto, ab Andrea Ierosol sermone de salutatione Angelica, λίαν συμπαθεῖς καὶ φιλάνθρωποι, valde misericordes et hominum amatores; septimo, a S. Cypriano prologo de operibus Christi, *salutis nostræ ministeriales;* octavo, ab Origene hom. 8. in Genes. *procurationem animarum nostrarum tenentes, tutores et actores;* nono denique a S. Chrysost. orat. 14. in epist. ad Hebr. *fautores.*

Impii in Psalmo nostro in tenebrosa et lubrica loca coniiciuntur, et ibi pereunt. Contra vero, Angeli boni iustos in luce constituunt, et ab iis tenebras fugant, cum sint, ut ait Sophron. in encomio Angel. *Secundaria lumina, emanatione plane beata, e prima luce prodeuntia:* ut S. Chrysost. φωταγωγοί, lucis datores: ut Iob. 38. 7. *astra*

A *matutina:* ut S. Ioannes, Apocal. 4. 5. *lampades ardentes:* ut Dionys. Areop. c. 4. de divin. nomin. φῶτα φαεινά, splendentia lumina, quæ habeant ἐκβλυζομένας ἐλλάμψεις, manantes, et se foras effundentes illustrationes. Angelorum præstantiam paucis verbis plurimum extulit Bartholomæus Anglicus lib. 2. de rerum proprietatibus cap. 2. *Angelus,* inquit, *Deiformem habet intellectum. Cognoscit Deum supra se, in speculo æternitatis sine ulla interpositione. Extra se, apprehendit omnia sine collectione. Contra se, retinet apprehensa sine oblivione.*

Secundo, Angeli cum iam in loco stabili pedem fixeriot, nos in lubrico huius vitæ itinere titubantes a lapsu impediunt. S. Hildephonsus Toletan. Archiep. de virginitate Mariæ cap. 10. hanc Angelorum firmitatem prædicat: *Angelicæ,* ait, *forma naturæ ante soliditatem fragilis, ante stabilitatem ruens, ante robur titubans atque nutans, etc. post stabilitatem solida in bonis, post soliditatem indeficiens in amore divinitatis, post firmamentum perennis in aspectu dominicæ visionis, post robur inseparabilis*
B *a consortio Deitatis.* In portu securi, naufragis nobis in salo fluitantibus, et in lubrico titubantibus et lapsantibus, manum libenter porrigunt.

Tertio denique, Angeli boni dæmonem coercent nos impugnantem. S. Gregor. in Moral. dicit, Angelos, vocari milites, quia cum potestatibus tenebrarum pro nobis pugnant. Varia illorum elogia acervat Sophron. in encom. Angel. ex quibus apparet et potentes esse ut nos iuvent, et expeditos ac promptos ad id præstandum: *O vos omnes,* ait, *Angeli et Archangeli, cœtus cælestis, corona impenetrabilis, phalanx præstantissima, multitudo immensa, exercitus innumerus, celsitudo inaccessa, magnitudo incomprehensa, chorus incomparabilis, notitia omni indagatione superior, lætitia inexplicabilis, pompa summe admirabilis, quantitas cogitationem omnem excedens, subtilitas mensuram ignorans, agilitas cui nullà alia est similis, ordo infinite multiplex, celeritas inenarrabilis, substantia quæ circumscribi nequit, gloria mentis cogitatione compre-*
C *hendi nescia, vis omni virtute et robore maior. Vos omnium regis estis administri: vos venti, et spiritus, et aquæ, et principes, et equi, et exercitus, et Diaconi, et Apostoli, et Prædicatores, et Prophetæ, et Evangelistæ, et rerum divinarum interpretes, et custodes, et præsides, et conservatores, et abactores, et conductores, et viæ duces:* ita Sophronius. Officium bonorum Angelorum esse iuvare potius quam punire, patet etiam ex Scripturis. Cum enim in veteri Testamento referantur apparitiones aut actiones eorum saltem viginti octo, vix in tribus aut quatuor reperitur punitio. In novo Testamento autem semper apparuere benefici, et adiutores, atque consolatores. Vide Corn. in Exod. cap. 24. 20.

Ex his omnibus conclude, Angelum custodem esse nobis amandum et timendum. Exod. 24. 20. ait Deus, id est superior Angelus vices Dei gerens: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, et custodiat in via, et introducat in locum quem paravi. Observa eum, et audi vocem eius, nec contemnendum putes: quia non dimittet cum*
D *peccaveris, et est nomen meum in illo.* (Hebr. in medio eius, q. d. hic Angelus meum nomen, personam, auctoritatem, et voluntatem præfert.) *Quod si audieris vocem eius, et feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te. Præcedetque te Angelus meus, et introducet te ad Amorrhæum, et Hethæum, et Pherezæum, Chananæumque, et Hevæum, et Iebusæum, quos ego conteram?* Hoc meditatus erat Abbas ille in vitis Patrum lib. 7. cap. 44. qui cum rogaretur, quænam esset eius exercitatio, ait: Ego Angelum meum assistentem mihi iuxta me expecto, et custodio memetipsum, quod scriptum est Ps. 15. reminiscens: *Providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam a dextris est mihi, ne commovear.* Timeo ergo eum, ut custodientem vias meas, et quotidie ascendentem ad Deum, et insinuantem actus meos et verba: ita ille; tu idem præsta, et innocentiam servabis, ac perpetuam mentis et cælestem lætitiam consequeris.

SECTIO SECUNDA.

16. *Tria continet. Primo, David ait insidiis se esse appetitum. Sed in illis captos adversarios, se vero evasisse, vers. 7. Secundo, falsis testimoniis circumventum se, sed malum pro malo non reddidisse: verum cilicio, ieiunio et oratione Deum placavisse, vers. 11. Tertio, aperta vi se impetitum, sed auxilium a Deo sperare, v. 15.*

PARAPHRASIS.

7. *Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui: supervacue exprobraverunt animam meam.*

7. Quid ni Deum vindicem impiorum, cum nulla a me iniuria provocati hostes, in occultos fraudum suarum laqueos irretire me improvidum tentaverint, ut capto illuderent, atque extremum exitium afferrent? Sine causa clandestinis me calumniis lacerarunt, ut ad vitam eripiendam cæteros incitarent.

8. *Veniat illi laqueus quem ignorat: et captio quam abscondit apprehendat eum, et in laqueum cadat in ipsum.*

8. Quoniam insontem occultos in laqueos inducere sunt conati, unusquisque eorum insperata clade ita obvolvatur, ut expiicare se non possit: iis ipsis fraudibus, quibus intricare me tentarunt, implicentur: atque eo ipso laqueo quem mihi tetenderunt, capiantur.

9. *Anima autem mea exultabit in Domino: et delectabitur super salutari suo.*

9. Dum illi ultore Deo adstricti compedibus suis ingemiscent, anima mea libero volatu Deum petet, illique cum gaudio laudes victori accinet. In eo uno delicias suas habebit repositas, iisque perfruetur terrenorum omnium pertæsa, cum Salvatorem suum esse probe intelligat.

10. *Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi? Eripiens inopem de manu fortiorum eius: egenum et pauperem a diripientibus eum.*

10. Omnibus animi corporisque viribus tuas in laudes, Domine Deus erumpam, quantaque potero maxima voce inclamabo. Nullus est, qui aut amoris teneritudine pietatem erga nos tuam: aut corporis robore, potestatem in hostes: aut ingenii acumine, tuam ad fraudes retexendas sapientiam exæquet. Tu unus es, qui et possis et velis, ex immanibus divitum unguibus prædam excutere, et molares eorum infringere. Licet multis partibus paupere omnibus humanis præsidiis destituto sint superiores: tu tamen vel ex ipsis faucibus prædam extrahes.

11. *Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me.*

11. Huc igitur oculos, huc mentem adverte. Vides confertam falsorum testium in me conclamantem turbam, ut meis me responsis involvat, varia interrogat, quæ mihi ne in mentem quidem venerunt, quorumque nulla mihi ratione sum conscius.

12. *Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ.*

12. Neque illi modo quibus ignotus vixeram, sed amici, sed beneficiis a me plurimis affecti iniuriis dona præstita compensant, mihique rerum omnium orbitatem et vastitatem, ipsiusque vitæ iacturam afferre moliuntur.

13. *Ego autem cum mihi molesti essent induebar cilicio.*

13. Laqueis illi, et fraudibus, et mendaciis armati, in me insiliebant: cum vero maxime ferventi in pugna contra me æstuabant, eorum ego miseram deplorans sortem, et instantem illorum vertici divinæ iustitiæ gladium extimescens, cilicio corpus atterebam, ne sceleribus suis debitas pœnas exolverent.

Humiliabam in ieiunio animam meam: et oratio mea in sinu meo convertetur.

Non in iras ac vindictæ desiderium assurgebam, sed ieiunio subnascentes flammas extinguebam, et clementiam tuam humi stratus pro illis implorabam. Iteratis orationibus animæ meæ sinum complebam, ut quod, ardens licet, una non impetrasset, alia subinde rediens obtineret: hæ ex sinu meo, velut ex fonte, ad te exiliebant, et rori cælesti infusæ, summa cum delectatione animam meam perfundebant, cum istis ea quæ mihi accidere vellem, apprecarer.

14. *Quasi proximum et quasi fratrem nostrum sic complacebam: quasi lugens, et quasi contristatus sic humiliabar.*

14. Hostibus licet in me sævientibus placere studui, non minus quam amicis et fratribus meis: illorumque nequitiam et ruinam non minus dolui, quam mater filiorum suorum calamitate tangi solet atque commoveri.

15. *Et adversum me lætati sunt, et convenerunt: congregata sunt super me flagella, et ignoravi.*

15. Ipsis vero ira odioque adversum me æstuantibus calamitates meæ lætitiam pariebant: quin etiam cœtus coegerunt, ut adunatis animis viribusque me obtererent. Unde factum est, ut inundantibus undequaque malis obruerer: etsi tantæ acerbitatis causam penitus ignorarem, nec mihi ullius criminis in eos admissi conscius viderer.

16. *Dissipati sunt, nec compuncti: tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione, frenduerunt super me dentibus suis.*

16. In irritum eorum consilia inanesque machinationes reciderunt, Deo innocentium vindice, ipsorum malitiam puniente: neque tamen ad saniorem mentem redierunt, aut corde compuncti ab insania destiterunt. Sed in rabiem acti in maiores iras exarserunt, omnibus admotis machinis, ut me vexarent: sannis et cachinnis mihi pacis et quietis cupido illuserunt, furoreque succensi, præ nimia indignatione dentibus in me infrenduerunt.

17. *Domine, quando respicies? restitue animam meam a malignitate eorum, a leonibus unicam meam.*

17. Domine, quandonam illabente e cælis auxilio, luceque post tot tenebras, et angores emicante, mihi hostibusque meis placidum facies, te benignis oculis afflictionem meam intueri? In pristinam securitatem assere animam meam, a malitia eorum ereptam pristino vigori restitue. Illa mihi unica est; eam si amisero, nihil residui superest: illam eripe ab his furiis, quæ leonina rabie rictuque in me involant.

QUÆSTIO UNICA.

Quam vafer et periculosus venator dæmon.

47. Ordo Sectionis. David sectione superiori Deo supplex fuit, ut Saulem et Ziphæos in se armatos et vi aperta irruentes expugnaret. Nunc precatur ut eos ipsos omni ex parte sibi circumfusos, seque veluti feram mox in paratum laqueum ruituram circumdantes, in deserto Maon averteret, atque eluderet. Lege cap. 23. lib. 1. Reg. ubi v. 26. inter cætera dicitur de Saule atque eius exercitu: *Saul, et viri eius, in modum coronæ cingebant David, et viros eius, ut caperent eos.* Nos eadem dæmoni aptabimus sensu tropologico.

Primo enim, dæmon venator est continuo discursu orbem pererrans. Sex illius vitia hic annoto vers. 7. Primo, malitiam: *Gratis.* Secundo, fraudem: *absconderunt.* Tertio, crudelitatem: *interitum laquei sui.* Quarto, stultitiam: *supervacue.* Quinto, conviciandi morem: *exprobraverunt.* Sexto, temeritatem: *animam meam.*

Secundo, finem venationis aperit duplicem: Primo, dæmonis illaqueationem, v. 8. *Veniat illi laqueus quem ignorat, et captio quam abscondit apprehendat eum, et in laqueum cadat in ipsum.* Secundo, liberationem animæ suæ et corporis: Primo, animæ v. 9. *Anima autem mea exultabit in Domino: et delectabitur super salutari suo.* Secundo, corporis, v. 10. *Omnia ossa mea dicent: Domine quis similis tibi?* Tertio, conservationem etiam bonorum fortunæ, vers. 10. *Eripiens inopem de manu fortiorum eius: egenum et pauperem a diripientibus eum.*

Tertio, David modum ostendit, quo se aggressi sunt hostes, et quo se ipse defendit, et a Deo conservatus est. Hæc ad impiorum dæmonis asseclarum captiones et insidias adapta.

Primo enim, hostes circumfusi calumniis et dicteriis insontem onerabant atque pungebant, v. 11. *Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me.* Atque inter illos quosdam ab ipso beneficiis affectos docet, v. 12. *Retribuebant mihi mala pro bonis: sterilitatem animæ meæ.*

Secundo, ipse multiplici in eos armatura utebatur. Primo, Cilicio, vers. 13. *Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio.* Secundo, ieiunio: *humiliabam in ieiunio animam meam.* Tertio, oratione: *et oratio mea in sinu meo convertetur.* Quarto, charitate, v. 14. *Quasi proximum, et quasi fratrem nostrum, sic complacebam.* Quinto, humilitate: *quasi lugens et contristatus sic humiliabar.* Sexto, patientia, v. 15. *Et adversum me lætati sunt, et convenerunt: congregata sunt super me flagella, et ignoravi,* id est, perinde me gessi, ac si eorum sannas et flagella non sentirem.

Tertio denique, illos Deus dissipat, frendentes licet atque scommatis eum perstringentes, v. 16. *Dissipati sunt, nec compuncti: tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione, frenduerunt super me dentibus suis.* Et tandem illos atterit, ac iustos prorsus ab eorum unguibus liberat, v. 17. *Domine quando respicies? restitue animam meam a malignitate eorum; a leonibus unicam meam.*

ARTICULUS I.

Frustra dæmon in viros iustos furit.

48. Vers. 7. Ex quo dæmon e cælo cecidit, conatur homines ad illud ascendentes retinere, et laqueis implicare, v. 7. Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui: supervacue exprobraverunt animam meam.

Primo, hic malitiam vides hostis illius, quia *gratis* nos aggreditur, id est, nulla provocatus iniuria, et sine ullo suo commodo. Pro *gratis* Hebr. est חנם *chinnam*, hoc est sine causa, immerito; 2. temere; 3. frustra. Hic proprie David intelligi cupit se nullam Sauli et assecelis eius dedisse causam, cur ab iis agitaretur. Hinc Campensis vertit: *Innocenti mihi absconderunt perniciosum rete suum.* Petavius reddit, cum a me nihil essent passi.

A Tropolog. Totus ex veneno et malignitate conflatus est serpens stygius, nihil præter tetram mephitim afflat. Ioan. Gerson tract. de passionibus animæ considerat. 16. Excæcat, inquit, dæmones malitia amens, superbia furens, sine lege et ordine livor insaniens. Eam ob rem vocatur diabolus a S. Cyrillo Ieros. catech. 2. princeps peccati, et pater malorum: et a S. Laur. Iustiniano cap. 13. de disciplina et perfectione monasticæ conversationis, *servorum Christi implacabilis inimicus.* Ideo lernæum suum virus in eos effundere molitur. S. Leo serm. 4. de collectis et eleemosynis: Incentor ille, ait, auctorque peccati, primum superbus, ut caderet, deinde invidus, ut noceret. Hucbaldus Elnonensis in vita S. Aldegundis cap. 18. ait illi apparuisse dæmonem mœstissimum, et quærenti, quid commodi speraret dum tot hominum millia in inferos secum detruderet, respondisse: Invidiæ non modicæ se dolore torqueri contra filios Adæ, qui quotidie illuc ascenderent, unde miser ille cum suis exularet.

Dæmon totus est ex malitia conflatus.

B Secundo, diabolus fraudes annectit malitiæ, ut radici surculos et trunco ramos. Ideo additur: *Gratis absconderunt mihi.* Non sunt tantum leones ob crudelitatem, sed etiam vulpes propter astutiam, ait S. Eucher. Episcop. Lugdun. in fer. 5. post 3. Domin. quadrag. Secundo, dæmon est serpens qui in pratis inter floridas herbas se occultat, ut pungat et occidat. Est draco ob visus subtilitatem et inveteratam perversitatem. S. Isidor. l. 8. etym. censet dæmones dictos esse quasi δαημονας, id est peritos, et rerum præscios. Ambros. Ansbertus lib. 5. in Apocal. cap. 12. considerans illud, et ecce draco magnus, etc. causam dat cur diabolus sit draco et serpens: *Hostis noster,* inquit, *propter malitiam, draco: propter immanitatem sceleris, magnus: propter occultas insidias, serpens: propter seductionis diuturnitatem, antiquus: propter lapsum et accusationem, diabolus vocatur.* Tertio, illud ipsum quod est, occultat. S. Athanas. orat. 1. in Arrianos: *Quia,* inquit, *reiicitur ut serpens, ut draco, ut leo, quærens quem rapiat et devoret: ideo hoc ipsum quidem* C *quod est, dissimulat et occultat.* Ac paulo post subdit: Sinuosus ille, et infiniti doli fraudisque magister diabolus, a S. Macario hom. 27. dicitur πολυπλοκος, id est versutissimus; a S. Cyprian. lib. quod idola non sint dii, spiritus insyncerus et vagus. S. Basil. hom. in divers. ait, diaboli insidias esse πολυειδεις και πολυτροπους, id est, multiformes et multimodas. Unde S. Antonius epist. 2. monet cavendas esse decipulas diaboli, et calliditates atque artes multiformes. S. Epiph. dicit etiam peritissimos ab eo decipi: στερρον, ait, λογισμον απατα, id est, virilem animum decipit.

II. Ex fraudibus.

Tertio, crudelitas dæmonis ex eius malitia et fraudibus, velut ex fontibus venenatis rivus pestifer profluit: *Absconderunt mihi interitum laquei sui.* Pro *interitum* Hebr. est שחת *sciachat,* id est, perditio, interitus, corruptio; 2. fovea; 3. sepulcrum; 4. laqueus; 5. rete. Hinc S. Hieron. vertit: Frustra absconderunt mihi insidias retis sui. Felix vero, sine causa absconderunt mihi foveam retis eorum. Campensis denique, sine ulla causa conati sunt clam laqueis suis mortiferis involvere me.

III. Ex crudelitate.

D Malis nostris dæmon pascitur atque saginatur. S. Maximus Centuria 1. cap. 8. Nihil, inquit, diabolo tam gratum, quam homo qui cruciatur. Tertull. in apolog. c. 22. Operatio eorum, est hominis eversio. S. Basilius homil. quod Deus non sit auctor malorum: Diabolus, ait, gaudet de interitu nostro. Cedrenus eos vocat carnifices. Theophylact. in cap. 1. Marci, omnis misericordiæ expertes. S. Ignatius epist. ad Philipp. docet, illos laqueum Iudæ commonstrasse. Synes. lib. 1. de Provid. mortalium, inquit, calamitates epulæ sunt malorum dæmonum. Et S. Chrysost. hom. 31. in Genes. Dæmon mala bestia est, et multiplices machinationes struit; a S. Cyrillo vocatur: *Lupus sanguivorus* paratus ad devorandum; a S. Petro 1. epist. 5. 8. *Leo rugiens qui circuit, quærens quem devoret.* Osbertus Anglus in vita S. Dunstani Archiep. Cantuar. cap. 25. dicit apparuisse illi, lupi specie aperto ore, et distentis dentibus ringentis, deinde mutatum fuisse in vulpeculam. Sed ad rem nostram apte ei dixit sanctus il-

49. Malis nostris dæmon pascitur.

Lupi specie apparet S. Dunstano. Et specie vulpis.

le vir: *Vere ostendis quod agere soles; iocando namque blandiris incautis, ut eos devores, ut tibi ipsi blandiaris. Sed iam discede miser, quoniam Christus, qui leonem et draconem conculcavit, ipse te lupum et vulpeculam per me sua gratia superabit.* S. Antonio sub specie leonis, lupi, tauri, serpentis, et aliorum animalium apparebat, et sæpe eum verberibus contundebat. S. Athanasius in eius vita sic refert: *Rugiebat leo occidere volens, taurus mugitu et cornibus minabatur; serpens sibilo personabat, luporum impetus inhiabat; pardus discolor a tergo, auctoris sui calliditates indicabat. Truces omnium vultus, et vocis horridæ dirus auditus, Antonius flagellatus.* Idem pene accidit S. Hilarioni, ut refert S. Hieron. in eius vita c. 3. S. Xaverium dæmones crudeliter verberarunt in Ecclesia S. Thomæ orantem Meliaporæ in India, ut habet Tursell. lib. 2. cap. 15. B. Caluppanum eremitam terrere nititur orantem, se in forma serpentis eius collo implicans, sed frustra. Surius die 3. Mart. In canem transformatus strepitum edit in Ecclesia, catenas trahens et allatrans, aqua benedicta fugatur. Ioannes a S. Maria in vita Annæ Sanctiæ, quam terrere moliebatur. Idem refert ab Anna Gomesia solitum arripi scapulari et flagellis cædi. S. Catharina Senensis cum a dæmonibus crudeliter verberaretur, dicebat: Dolores et cruciatus meæ sunt deliciæ. In forma tauri apparentem religiosis Ord. S. Dominici, Elisabetha a prato abegit colu sua. Strictis gladiis euntem ad sacram synaxim Magdalenam Angelicam impedire dæmones nitebantur, sed eos irridens per medios enses transibat illæsa. Osanna Mantuana dæmonem in forma felis flammas ex oculis emittentis apparentem fortiter abegit.

S. Caluppano apparet ut serpens. Sanctiæ ut canis. Aliis alia forma.

Nota, interitus laquei, id est, laqueus interimens, seu interitus et laqueus. Non vult dæmon subita morte occidere, sed lenta et crudeli in laqueis, catenis et compedibus detentum. Pagnin. vertit: *Gratis absconderunt mihi foveam et rete suum.* Petav. sensum esse vult, q. d. Foveam foderunt occultam, et pedibus laqueum straverunt meis.

50. Laqueus dæmonis triplex.

Quæres, quos laqueos tendit nobis dæmon. Resp. triplicis esse generis. Primus enim dæmonis laqueus sunt divitiæ, quæ tam stricto nodo hominem vinciunt, ut inde se expedire nemo possit, qui in eas semel inciderit. Iobi 18. v. 8. dicitur de scelerato: *Immisit in rete pedes suos, et in maculis* (id est foraminibus) *eius ambulat, tenebitur planta illius laqueo.* Non planta solum et infima pars hominis, sed caput et mens hoc vinculo arctatur, et in terram deprimitur. Ps. 56. 7. *Laqueum paraverunt pedibus meis, et incurvaverunt animam meam.* (I. Divitiæ.)

II. Carnis voluptates. Secundo, laqueus, et quidem lethalis, est carnis voluptas. Ecclesiast. 7. v. 27. ait Salomon: *Et inveni amariorem morte mulierem,* adulteram ait Olympiodor. quamlibet illecebrosam, et ad luxuriam illicem, ut S. Hieron. et S. Gregor. Neocæsariensis, *quæ laqueus venatorum est* (Comicus in Asinaria fœminam facit similem aucupi: esca, inquit, est meretrix, lectus illex est, amatores aves) *et sagena cor eius* (Complut. vertunt, retia et scandala habet in corde suo. Comicus in Truculento: In melle, inquit, sunt linguæ vestræ, sed corda in felle) *vincula sunt manus illius* (vertere possis, vincti sunt in manibus eius) *Qui placet Deo, effugit illam: qui autem peccator est, capiatur ab illa,* ut ab ea interficiatur. Plutarchus in Numa tradit, quod veteres Libitinam, hoc est, Venerem coluerunt, quasi præsidem mortis et deam exequiarum. Athenienses adorabant Venerem, quasi Parcarum maximam, eique cognomen dederunt, ἀνδροφόνος, id est, virorum homicida, ut ait Pausan. lib. 1. Varro censet Venerem dici a venando, vel a vinciendo; hinc vinculis ligata Venus olim pingebatur, eo quod vinciat amatores. Vide dicta Ps. 37. sect. 1. S. August. legit, absconderunt muscipulæ suæ corruptionem.

III. Superbia. Tertio, laqueus dæmonis maxime proprius est superbia. Ps. 141. 4. *In via hæc qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.* S. August. muscipulam mihi. Et Ps. 139. v. 6. apertius dicitur: *Absconderunt superbi* (de dæmonibus exponit S. Aug. et Auctor oper. imperfect. hom. 43.) *laqueum mihi. Et funes extenderunt in laqueum* (S. Hier.

A funibus extenderunt rete) *iuxta iter scandalum posuerunt mihi.* S. Hierosym. Iuxta semitam offendiculum posuerunt mihi.

Triplex hoc vinculum commemorat Isaias cap. 24. 17. loquens Iudæis post et propter Christum crucifixum puniendis, ut vult Eusebius: vel Babyloniis, Moabitis, Ægyptiis, et aliis, ut S. Cyrillus: vel peccatoribus in fine mundi iudicandis, ut S. Hieron. *Formido* (μορμολυκεῖον, terriculamentum quod feris et avibus obiicitur, ut in adversam partem impellantur, et in casses paratos agantur) *et fovea et laqueus super te, qui habitator es terræ.* Alludit ad venationes. Symbolice, divitiæ intelliguntur nomine formidinis, quod perpetuum metum incutiant. Iob. 15. 21. de scelerato dicitur: *Sonitus terroris semper in auribus illius: et cum pax sit ille semper insidias suspicatur.* Secundo, luxuria est fovea profunda et lutosa. Prov. 23. 27. *Fovea profunda est meretrix: et puteus angustus, aliena.* Tertio, superbia per laqueum denotatur. Ut enim ait S. Aug. superbia bonis operibus insidiatur, ut pereant.

B Nota, illos laqueos abscondit dæmon naturis se omnium conformando, et inclinationibus, atque officiis et occupationibus. S. Ephrem. serm. ad eversionem superbiæ: *Laqueos,* inquit, *constituit sapienti per sapientiam, forti per fortitudinem, diviti per divitias, formoso per pulchritudinem.* S. Leo serm. 7. de nativitate Domini: *Novit,* inquit, *cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus invidiæ. Novit quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. Omnium discutit consuetudinem, ventilat curas, scrutatur affectus: et ibi causas quærit nocendi, ubi quemque viderit studiosius occupari.* 51. Laqueos dæmon abscondit.

Nota secundo, finis laquei est interitus: *Absconderunt mihi interitum laquei sui.* Paulus Venetus l. 1. c. 44. ait in quodam Asiæ deserto iter esse periculosissimum. Nam, ait, audiuntur ibi voces dæmonum, qui solitarie incedentes proprio quemque compellant nomine, vocem fingentes eorum, quos comitari se putant, et a recto itinere C deductos in perniciem trahant. Idem accidit in hac vita, per amicorum, familiarium, affinium voces decipit, et per eas occupationes, quæ maxime arrident. Palladius in historia Lausiaca cap. 20. ait S. Marcario per desertum pergenti ad monumentum Iannis et Mambre, magorum, qui Mosi restiterant, occurrisse septuaginta dæmones variis formis præditos: alios quidem clamantes, alios vero cum magno fremitu in eum stridentes dentibus, alios vero tamquam corvos volantes, et in eius vultum insilientes: ita Palladius. Præsertim autem ponit insidias viris omni virtute divitibus. S. Chrysost. hom. 31. Genesin: *Diabolus,* ait, *cum viderit spirituales divitias coacervatas, alacritatem fervidam, mentem vigilem, et quotidie divitias augeri, cruciatur, et dentibus frendet, et quasi pirata circumit, et innumeras excogitat artes, ut si qua vel parvum inveniat aditum, et quidquid nobis est spiritualium divitiarum deprædetur.* 52. Laqueus dæmonis interimit. In deserto Asiæ dolus dæmonis.

Quartum quod in dæmone iustos aggrediente notavimus initio, est infelix stultitia Unde additur: *Supervacue* D *exprobaverunt animam meam.* Pro *supervacue* est eadem vox חִנָּם *chinnam,* quam initio versiculi noster interpres vertit *gratis.* Vide ibi dicta. Hic S. Hieron. reddit, *sine causa.* Vatablus, *præter causam.* Felix, *frustra.* Cassiod. *vane.* Sensus itaque duplex esse potest: Primo, q. d. sine causa et nulla iniuria provocati, innocenti animæ meæ foderunt lacum seu foveam: ita Vatablus, me scilicet opprobriis et calumniis impetendo. Secundo, q. d. supervacue, frustra, inutili labore, nullo suo fructu, sine ullo meo damno, in me irruerunt, me iniuriis et contumeliis affecerunt. Et hic sensus magis placet, et eleganter hic ponitur duplex significatio *chinnam:* ita ut totius versiculi sensus sit, q. d. Sine causa in me non provocati laqueos paraverunt, sed omnes eorum conatus et insidiæ in nulla re mihi nocuerunt. Omnia iustis cooperantur in bonum: Malis vero vel ipsum manna in vermes convertitur. 53. Frustra dæmon fortes impetit.

Quis non timeat, cum considerat dæmonem in se irruen-

tem, quem S. Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 248. vocat φοβερον και αφορητον, terribilem et intolerandum: cuius velut leonis rugitum S. Cyrillus Alexand. in Sophoniam num. 29. appellat βροντην, id est tonitru: adeoque formidabilem esse ait, cum in prædam inciderit ως αποπεπηχθαι ut præ metu gelascere et defigi animantes videantur, et sicut ait S. Gregor. Nyss. homil. de creation. cuius rugitus υποτρομον ποιει την γην, terram tremefacit. Vide eum descriptum in Leviathan et in Behemoth, Iobi cap. 40.

Quis vero non rideat et exultet, cum videt leonem esse exarmatum, sicut leones Heliogabali de quibus alias; et a sanctis tanta facilitate superatum, ut vix sit credibile. De S. Saba refert Cyrillus Eremita in eius vita cap. 15. Satanas, ait, leonis formam suscipiens, torveque et furiose intuens, et tamquam qui impetum esset in eum facturus Sabam adoritur: At ille ubi dæmonem esse vidit: Si, inquit, accepisti contra me potestatem, cur reprimis impetum! Ego sum paratus Dei cedens nutibus, et non invitum me offerens ut devores: sin minus, cur fremis et exultas inaniter? Ambulabo enim, et conculcabo te leonem, munitus Christi veritate. Tum Satanas disparuit.

In omnes se formas mutat dæmon, Michael Psellus Tract. de operatione dæmonum cap. 18. ait, in quam voluerit quilibet formam transmutari fierique ut leo animetur, ut pardalis insiliat, ut aper irruat, ut catellus adblandiens non raro appareat. Sed hæc omnia nihil illi prosunt, si in fortem et in Deo sperantem, inciderit virum.

54. Dæmon gaudet calumniis et conviciis. Quintum dæmonis vitium est conviciandi studium. Supervacue *exprobraverunt* animam meam. Calumniæ et mendacii pater est diabolus, qui fuit mendax ab initio. Lactantius lib. 2. cap. 8. vim verbi exponens ait: Hunc Græci διαβολον appellant, nos criminatorem vocamus, quod crimina, ad quæ ipse allicit, ad Deum deferat. Apocal. 12. 10. vocatur accusator fratrum. Ioan. Cassian. mentionem facit dæmonum quorumdam cachinnantium, et homines irridentium. Sic enim loquitur Collation. 7. c. 72. Nonnullos immundorum spirituum (quos etiam Faunos vulgus appellat) ita seductores et ioculatores esse manifestum est, ut certa quædam loca seu vias iugiter obsidentes, nequaquam tormentis eorum quos prætereuntes potuerint decipere delectentur: sed risu tantummodo et illusione contenti, fatigare eos potius studeant, quam nocere: ita Cassianus.

55. Dæmon est temerarius et superbus. Sextum denique, dæmonis vitium in versiculo nostro inclusum, est temeritas et præsumptio, qua Deo dicatam animam, eiusque laudibus in æternum destinatam, sibi vendicare moliuntur, et imagine Dei deleta eam sibi vendicare, et suo charactere consignare: *Supervacue exprobraverunt animam meam.* Pro *exprobraverunt,* Hebr. est חפרו *chapheru*, id est foderunt, suffoderunt, scrutati sunt, exploraverunt, investigaverunt. Hinc Symm. vertit. αναιτιως υπωρυξαν την ψυχην μου, id est, sine causa suffoderunt animam meam. Per cuniculos scilicet atque occultas machinationes, in eam irrepere cupientes, eiusque muros et propugnacula evertere, ut eam divitiis cælestibus spolient. Secundo, S. Hier. vertit. Sine causa foderunt animæ meæ, foveam videlicet ac puteum abyssi, ut eam præcipitent in æternas miserias. Felix clare reddit, frustra foderunt foveam animæ meæ. Nota, probabile est Sept. legisse per transpositionem unius litteræ חרפו *charephu*, id est, probris affecerunt, contumeliis famam læserunt, probra publicarunt, exprobraverunt; unde verterunt, ματαιως ωνειδισαν την ψυχην μου. Me scilicet impium proclamantes, et reum læsæ maiestatis, qui tum a Saule rege recesserim, tum qui ad Achis Paganum transfugerim, tum qui obæratos et a dominis suis fugientes recipiam. Magn. parant vanis famam lacerare querelis. Nota secundo, qui alteri exprobrat, eiusque famam lædit, ei foveam fodit, primo, ignominiæ, in quam luto inquinetur, ex quo vix mundari queat; secundo, doloris, ex quo vix emergat; tertio, iacturæ bonorum, cum ab eo velut pestifero homine omnes abhorreant, ei non fidant, et cum eo commercia exercere subterfugiant; quarto, desperationis, ubi videt famam suam esse deploratam, et sine ullo remedio, aut spe recuperandi honorem et gloriam, quæ est lux et splendor animæ, et plerorumque cibus gratissimus, ac veluti vitæ ipsius vita.

Dæmones porro in id unum invigilant, ut animas in foveam deiiciant et spolient. Procopius Gazæus ad cap. 1. Exodi: *Insigne lucrum,* inquit, *et amplas divitias putant, si animas hominum a Deo abstrahant, simulque sollicitudinibus et curis involvant.* Radulphus Flaviacensis, qui floruit anno 910. ait lib. 2. in Levit. cap. 2. *Pascuntur maligni spiritus mentibus nostris, et gratum est eis sacrificium, cum homo sic corpore moritur, ut ad æternum supplicium pertrahatur.* Est rex Sodomæ, qui ait Gen. 14. v. 21. *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Pro una anima perdenda daret totum mundum, si illum possideret. Hinc ait Christo ipsi Matth. 4. v. 9. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens* (vide foveam) *adoraveris me.* Ubi adverte, quod semper dæmon dicit, *dabo,* spe inani peccatores lactans, sed nunquam dicit, *do:* quia miser est et miserabilis, ne vermiculum quidem et muscam habens in potestate. Auctor operis imperfecti in Matth. homil. 5. eius summum perdendi nos desiderium sic declarat: *Diabolus non manducat, non bibit, non dormit, nec opus aliquod aliud operatur, nisi ut tentet, ut fallat, ut subvertat. Hic est cibus illius, hic honor, hoc et gaudium. Propterea infatigabilis est in malo, sed potentia Dei repellit eum.* 56. Animas in ruina trahere exoptat.

Ex his sequitur Primo sollicite vigilandum esse adversus tam vafrum et potentem hostem, atque de anima nostra contendentem, cum timore item et tremore salutem nostram esse operandam. S. Laur. Iustinian. de disciplina et perfectione monasticæ conversationis, cap. 13. Si, ait, ad decipiendos mortales plenam diabolus a Deo susciperet potestatem, prorsus non fieret salva omnis caro, nec quisquam reperiretur, qui laqueos illius posset effugere. Secundo, robur et constantia mentis retinenda est, non vincit enim invitos. S. Bern. serm. 5. in quadragesima: Magnum, ait, discrimen adversus diabolicæ fraudis astutias tam crebros, imo continuos habere conflictus: quem nec videre quidem possumus, et quem nimis astutum fecerit tam natura subtilis, quam longa exercitatio malitiæ eius. Veruntamen in nobis est, si vinci nolumus, et nemo nostrum in hoc certamine deiicitur invitus: ita Bern. Dæmones dictos esse a δειμαινω, id est, timeo, ait Eus. lib. 4. de præparatione Evang. cap. 3. Sed plus in iis est terroris quam virium. Sunt myrmicoleon, id est formica leo: in timidos et fugaces irruunt ut leones: a fortibus et pugnacibus conteruntur et contemnuntur, ut formicæ. S. Anselm. Cantuar. Archiep. ad cap. 15. Matth. Diabolus, ait, adiutor et incentor malarum cogitationum potest esse, non auctor: quia nec interiora, nisi per quosdam habitus et gestus exteriores novit. Tertio, non est recusandum cum eo certamen, nemo enim coronabitur nisi qui legitime certaverit. Berno Augiensis Abbas vir doctus, qui floruit circa ann. 1014. lib. de divinatione dæmonum contemnenda: Nullo, inquit, oppugnante nec certamen aliquod erit, et sublato certamine nullum erit præmium, nulla victoria.

Terminus venationis, est illaqueatio ipsius venatoris; cadit enim in foveam, quam alteri paraverat. Unde prophetice pergit David, v. 8. VENIAT ILLI LAQUEUS QUEM IGNORAT: ET CAPTIO QUAM ABSCONDIT APPREHENDAT EUM, ET IN LAQUEUM CADAT IN IPSUM. *To in ipsum* redundat pleonasmum hebraicum: unde S. Hieron. tantum reddit, *cadat in laqueum.* Secundo, το *in ipsum*, id est, in illum ipsum laqueum, quem alteri paraverat. Nota, pro *laqueus* Hebr. est שואה *scioa*, id est, calamitas, desolatio, vastatio; 2. sonitus, strepitus, fragor; 3. ruina cum fragore; 4. tumultus. Hinc S. Hier. vertit Primo, Veniat ei calamitas quam ignorat. Secundo, Pagn. Veniet et contritio, quam non cognoscet. Tertio, Felix: Veniat illi strepitus quem non cognoscet. Quarto, Arias: Invadet eum desolatio, non cognoscet. Pro *captio* Hebr. est רשת *rescet*, id est rete, laqueus. Nota secundo: *Veniat illi laqueus,* id est ait Lorinus, veniat in laqueum: sicut Iudic. 1. 8. civitas mitti dicitur in ignem, pro eo quod est mit- 57. Vers. 8. Dæmon ipse illaqueatur.

tere in illam ignem: et Isaiæ 6. 7. peccatum mundari dicitur, hoc est ille in quo peccatum est. Est hypallage: ita Lor. Secundo tamen, et verius non est ibi hypallage. Nam etiam laqueus proprio et reto veniunt in prædam, eamque capiunt, cum laqueus ramo illigatus laxatur et irruit in non cogitantem, et rete iniicitur aut trahitur etiam antequam in illud fera incurrerit, aut grassator. Vernacule vocamus *un lacet courant*, ductilem seu ductarium nodum, quia incurrit sua sponte in avem aut aliam prædam. Itaque proprie dixit David, *veniat illi laqueus quem ignorat.* Item *captio*, id est, laqueus capiens. Est metonymia, actus enim ponitur pro potentia, *quam abscondit, apprehendat eum.* Ubi denotatur, 1. improvisa captivatio; 2. facta cum impetu; 3. ita ut evadere non possit firmiter retentus hostis; 4. ignominia et dolor cum videat se eo capi et teneri, quod alteri paraverat.

58. **Saul laqueo suo captus.** Ad litteram, hæc quæ dicit David contigerunt Sauli: venit enim illi laqueus Philisthiinorum a quibus victus est in monte Gelboe; et laqueo suspensus in muro urbis Bethsan. Ubi adverto, quod Bethsan, significat domum sonitus, strepitus, tumultus, desolationis, contritionis, vastationis, a *beth*, id est, domus, et *sciaon*, id est, sonus, tumultus. Vel a *scioa*, id est, desolatio, etc. quæ vox a nostro interprete vertitur *laqueus*, ut dixi supra. Itaque Bethsan potest verti, *Domus laquei eorum*, ibi corpus Saulis suspensum est, capite per totam Palæstinam circumlato, armis suspensis in templo Astaroth. Tropolog. Astaroth idem est quod divitiæ; 2. tinea legis. Divites sæpe in laqueos incidunt concupiscentiæ, et arma virtutis perdunt in cura divitiarum, ubi omnia sua defigunt, atque ideo regnum Dei contemnunt. Divites sunt Saul, id est, fovea, sepulcrum, infernus. Semper os habent hians, ut aliquos devorent, et nunquam dicunt sufficit. Sed ipsi in foveam maiorem, id est, in divites potentiores, aut in dæmones incidunt, a quibus devorantur, ut pisces mediocres a maximis. Saul etiam significat postulatum, petitum. Gaudet dæmon ruina potentis, id quærit, id postulat, ut eadem ruina multos involvat.

59. **Dæmones cælo lapsi.** Ipsi dæmones sunt gigantes, qui נפִילִים *nephilim* dicti sunt; ipsi enim in foveam inferni deciderunt, quod fuse describitur Isaiæ 14. 12. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris?* Proclus apud S. Epiphan. hæresi 64. Erat, inquit, lucis sidus matutinum: sed excidit, et in terram contritus est. Angelomus monachus Gallus, qui floruit tempore Lotharii Imperat. anno. 850. apte ad Psal. nostr. dæmones comparat Philisthiinis. Sic enim in cap. 4. lib. 1. Reg. Philisthiim, ait, hoc est cadentes poculo, immundos significant spiritus, qui poculo superbiæ inebriati, et ipsi de cælestibus ceciderunt. Secundo, dæmones in ea fovea ligantur. 2. Petri 2. v. 4. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reservari.* Tertio, dæmones in ea fovea cruciantur, et tanto gravius, quanto plures in eam traxerint. Salonius Episcopus S. Eucherii filius et Salviani discipulus, qui floruit circa annum Christi 470. ait in Ecclesiasten: *Dæmon stultus rex: quia quanto plus diligit, tanto magis pœnam sibi accumulat.* Quarto, dæmones e fovea sua et vinculis liberius exilientes ante Christi adventum, iterato deiecti, prostrati, incarcerati, et ligati sunt. Ratherius Veronensis in vita S Ursimari: *Illusus*, inquit, *est dæmon morte dominica, quasi avis decipula. Ostensa namque mortalitate, quam interimere appetebat, carnis, abscondito captus est laqueo divinitatis.* Quinto, captum dæmonem sanctis viris tradit Deus illudendum. S. Clemens Papa lib. 8. constit. Apostolic. cap. 7. *Dedisti*, ait, *nobis homicidam serpentem vinculis constrictum, sicut passerem pueris.* Quis autem non detestetur insaniam et furorem atque impietatem Lollardorum, qui dicebant Luciferum cum dæmonibus suis iniuste cælo pulsum? Unde cum se salutarent, dicebant: Salutat te iniuriam passus: id est, Lucifer: sentiebantque eum cælo esse restituendum, et S. Michaelem, aliosque sanctos Angelos damnandos, ut Trithemius ait in Chronico Hirsaugiensi anno 1315. Adeo nihil tam furiosum est et impium, quod hæretici dicere non audeant et facere. Lindanus ait in Dubit. dæmoniacos Anabaptistas decies dæmonem per dies singulos colere et invocare. Quid furiosius! Videant peccatores ne adhuc sæpius id nomen Deo et cælestibus horrendum in ore habeant. Videant etiam servi Dei, ut illum irrideant et contemnant: canis est rabidus, sed ligatus: terriculamentis utitur, sed nocere non potest. S. Dunstanus Archiepiscopus Cantuarien. forcipe naso impacta cum sibi apparentem traxit, ut ait Osbertus in eius vita cap. 8. S. Franciscus in equi forma ligatum vinculo, ad terram portandam et rudera domus, diu coegit.

Lepidum est quod narrat Martinus Cromerus lib. 9. historiæ Polonicæ. Memoratur, inquit, in Cracoviensi tractu spectrum apparuisse. **Monstrum in lacu Poloniæ.** Lacum enim quemdam perampium infestatione dæmonum, piscationibus et usibus hominum exemplum fuisse. Ad eum hyberna glacie concretum, vicinos cum sacerdotibus vexilla, cruces, et reliquias sacras, quibus vis dæmonum propulsaretur, ferentibus, piscandi gratia convenisse: immisso autem reti, primo quidem tractu contendentibus piscatoribus tres pisciculos: altero nihil nisi rete convolutum: tertio denique monstrum horrendum caprino capite, et in speciem ignis ardentibus oculis extractum esse: territis autem ac diffugientibus cunctis, spectrum illud sub glaciem sese immersisse, ac toto lacu discursans, terribilem strepitum et sonitum edidisse, afflatosque ab eo nonnullos homines fœda ulcera retulisse. Quam iucundum spectaculum dæmon reti captus?

Timeant quoque dæmonis emissarii scelerati, cadent in foveam quam aliis paraverint. 60. **Malitiam nocere auctori suo quatuor similitud. ostendit S. Aug.** Vide dicta Ps. 7. v. 16. et laqueo quo alios stringere voluerint, strangulabuntur, ut Aman, Achitophel, Iudas. Quatuor similitudinibus ostendit malitiam prius auctori suo nocere. S. Augustinus in Ps. nostr. ubi sic ait primo, veneni aliis propinati: secundo, foveæ alteri paratæ: tertio, ignis proxima depascentis: quarto, arboris nocentis terræ in qua est. Verba eius sunt: *Veniat illis muscipula quam ignorant: et captio quam occultaverunt, comprehendat illos. Tamquam si quisquam veneni calicem præpararet alicui, et oblitus bibat. Secundo, et tamquam si foveam fodeat quisquam, in quam quisque inimicus eius in tenebris incidat: et ille oblitus quod foderat, ambulans ea via, prius cadat. Prorsus fratres mei ita credite, ita certi estote: ita si est in vobis excellentior prudentiæ ratio, videte atque prospicite. Nemo malus qui non sibi prius noceat. Tertio, sic enim esse putate malitiam, quomodo ignem. Incendere vis aliquid aliud: illud quod admoves, prius ardet, nisi ardeat non incendit. Facula est, hanc faculam apponis ut aliquid incendat; numquid non ipsa facula quam apponis, prior ardet, ut aliquid possit incendere? Malitia autem procedit ex te, et quem prius vastat nisi te? Quarto, quo profundat ramum, lædit; ubi radicem habet, non lædit? Et quidem dico, quod malitia tua ut alteri non noceat fieri potest: ut autem tibi non noceat, fieri non potest. Nam quid nocuit sancto viro Iob, de quo prælocuti sumus? Quomodo in Ps. 51. v. 4. dicitur: Sicut novacula acuta fecisti dolum. Quid fit de acuta novacula? Capilli, res superfluæ deciduntur. Quid ergo facis ei, cui vis nocere? Si nequaquam tibi ad malum consentiat cui vis nocere, non malitia tua ei nocitura est, sed sua. Si autem intus ipse malitia careat, et cor mundum subdat illi voci dicenti, Salus tua ego sum, forinsecus oppugnas, interiorem hominem non expugnas: malitia tamen tua, ab interiore tuo procedit, te prius inanem reddit. Tu putris es intus, unde iste vermis processit, intus nihil integrum dereliquit.*

Alleg. Iudæi in laqueos ceciderunt, quos Christo paraverunt. 61. **Alleg. Iudæi laqueis Christo paratis capti sunt.** Nam in eversione Ierusalem circiter undecies centena millia fame, peste, morbis, gladio periere, cæteri tam vili pretio in servitutem venditi sunt, ut vix emptor reperiretur. Christus vero a morte resurgens vivit gloriosus de morte et inferno triumphans, et in cælo regnans, indeque toti terræ imperans. S. August. hic. Nonne, ait, hoc factum est Iudæis, Dominus eorum iniquitatem vicit,

illi iniquitate sua victi sunt. Ille surrexit pro nobis, illi mortui sunt in so. A

Iudas præsertim. Secundo, maxime proprio de Iuda qui funibus Iudæorum obiecit Christum captivandum, ligandum et torquendum, dicetur: *Veniat illi laqueus, quem ignorat*, etc. Ut enim dicitur Matth. 27. v. 5. *Proiectis argenteis* (Siclis) *in templo, recessit, et abiens laqueo se suspendit*, ex ficu, ut probabiliter dicunt Hebræi, et Iuvencus. Syrus vertit, se strangulavit: et textus Æthiopicus, laqueo se suspendit, et mortuus est. Unde sequitur falsum esse quod suspendio non sit mortuus, sed curru postea obtritus. De eo plura dicentur Ps. 108. v. 8. Lege S. Leonem serm. 3. de passione.

62. Vers. 9. In media tribulatione gaudet iustus. Iusti vero, etiam in mediis calamitatibus et tentationibus gaudent Deo salvatore freti, v. 9. ANIMA AUTEM MEA EXULTABIT IN DOMINO, ET DELECTABITUR SUPER SALUTARI SUO. Catharina de Raconis dicebat dæmonibus se verberantibus: Percutite, frangite, in frusta corpus hoc discerpite: id unum potestis, sed anima mea Deo meo invitissimis vobis serviet. Dicere poterat cum Davide nostro B in hoc Psalmo v. 15. *Congregata sunt super me flagella, et ignoravi.* Ubi Chald. sic reddit: *Conterunt me verbis suis, et nescivi: si lacerabant pellem meam, non tamen eliciebant sanguinem*, q. d. Nihil damni afferebant. S. Antonius epist. 1. dicit: Nos famuli Christi quo plus premimur, eo magis assurgimus et floremus; et S. Chrys. epistola ad Venerium: Quo gravior ad tentationem fit accessio, eo auctior ad coronas erit adiunctio. Theodoretus afflictos iustos recte comparat rubo ardenti et non absumpto; ex afflictione enim oritur maior splendor, et nulla læsio.

63. Hoc efficit Dei præsentia. Ratio cur sit lætitia iusto etiam in tribulatione, est præsentia et auxilium salvatoris: *Delectabitur super salutari suo;* est enim in eius usus expensus, nobis datus, nobis natus, parvulus datus est nobis. Hebraice, *in salute sua*, non est enim otiosus et inefficax salvator. Supra David petiit: *Dic animæ meæ salus tua ego sum.* Etsi pro nobis passus sit Salvator, nisi sit salus in actu secundo, erit nobis ob neglectum tantum donum duplicis damnationis occasio. Chald. vertit: *Exultabit in redemptione eius.* Christus est illud propitiatorium aureum, ex quo in Sancto C sanctorum Deus reddebat oracula, et populum suum iuvabat. Rom. 3. 21. *Quem proposuit Deus propitiationem* (Gr. ἱλαστήριον, id est, propitiatorium) *per fidem in sanguine ipsius.* S. Bern. serm. de passione Domini: *O quam bonus*, inquit, *quam suavis es, Domine Iesu, animæ quærenti te, Iesu redemptor perditorum, salvator redemptorum, spes exulum, fortitudo laborantium, anxiati spiritus latitudo, animæ lacrymosæ et post te currentis in sudore solatium et suave refrigerium, corona triumphantium, unica merces et lætitia omnium supernorum civium.* Et serm. 22. in Cantica agens de quatuor unguentis Sponsi, affert illud Pauli 1. Corinth. 1. 30. *Christus Iesus factus est nobis sapientia a Deo, et iustitia, et sanctificatio, et redemptio:* et ait: Omne quod erat Angelis, factus est nobis: Quid? Sapientia, iustitia, sanctificatio, redemptio. Sapientia in prædicatione, iustitia in absolutione peccatorum, sanctificatio in conversatione, quam habuit cum peccatoribus; redemptio in passione, quam sustinuit pro peccatoribus: D ita Bernardus. Lege etiam serm. 20. in eadem Cantica. Martyres in mediis tormentis delectabantur super hoc salutari. Theodorus certe martyr Publio interroganti: Mavisne esse cum tuo Christo, an vero nobiscum? ait: *Cum Christo meo, et sum, et fui, et ero: ideo non timeo tormenta tua.*

Si hæc in exilio contingunt, in patria quid fiet? S. Bernardus sermone de præmio cælestis patriæ: *Videbit*, inquit, *beatus Deum ad voluntatem, habebit ad voluptatem; fruetur ad iucunditatem. In æternitate vigebit, in veritate fulgebit, in bonitate gaudebit. Sicut habebit permanendi æternitatem: sic cognoscendi facilitatem: requiescendi felicitatem: Civis siquidem erit sanctæ illius civitatis, cuius Angeli cives sunt, Deus Pater templum est, Filius eius splendor, Spiritus sanctus charitas est.*

ARTICULUS II.

Quibus armis et artibus contra dæmones venatores utendum est.

VENATORUM dæmonum arma duo hic profert David: 64.
primo, clamorem; secundo, tela. Arma vero sex iusti Arma dæmonis duo, iustorum sex.
assignat, 1. cilicium; 2. orationem; 3. ieiunium; 4. charitatem; 5. humilitatem; 6. patientiam.

PRIMO quidem, clamoribus et calumniis dæmon innocenti obstrepit: ac veluti pavidum animal canum latratu, equorum hinnitu, buccinæ venatoriæ strepitu, virorumque ululatu, sistit et impetit, v. 11. SURGENTES TESTES INIQUI, QUÆ IGNORABAM, INTERROGABANT ME. Ad litteram, primo, Euseb. exponit hoc de accusatione iniusta Achimelech sacerdotis, qui dederat Davidi panes propositionis et gladium Goliath, eius enim personam David induit. Secundo, et melius, de ipso Davide sæpius apud Saulem accusato explicant idem Euseb. Euthym. et S. Basilius. Antequam enim fugeret non est dubium, quin sæpe Saul socer genero suo delata ad se partim amice, partim querule et dolenter, partim indignabundo dixerit. Deinde quin absenti sæpius per nuntios aut litteras varia exprobrarit et obiecerit, reditum imperans, minas interponens, turmas colligi vetans. Ubi nota, pro *surgentes* Hebr. est יְקוּמוּן *iakumu*, id est surgent, stabunt, consistent. Futurum autem Hebr. sæpe ponitur pro præterito. Hinc Vatablus vertit: *Surgebant testes violenti.* Felix, testes iniquitatis. Arabs, testes falsitatis, q.d. Qui ipsi mendacio os suum oppignorarunt. Pagnin. testes mendaces. Verti posset *testes violentiæ*, q. d. Qui Saulis violento et furioso ingenio subserviunt, et ipsi ad crudelitatem et tyrannidem propendent. Hebraice enim חמס *chamas*, significat 1. iniquitatem cum violentia seu rapinam, vim apertam, tyrannidem, quæ in rapina consistit; 2. mendacium, falsitatem. Muisius in præsenti vertit: *Insurgunt testes iniqui, quæ ignoro interrogant me.* In futuro reddit Arias: *Surgent testes iniquitatis.* Omnia tempora sæpe complectitur præteritum et futurum Hebraicum.

Nota secundo, *To surgentes*, et ut legit S. August. insurgentes. Cassiod. et Psalter. Rom. exurgentes. Felix, exurgent. Psalt. Ambros. assurgentes; denotat primo testium illorum iniquorum spontaneam accusationem et malevolentiam. Talis fuit Doeg, qui non rogatus detulit Davidem ad Saulem, et narravit quæ ipsi acciderant in Nobe, unde secuta est cædes omnium sacerdotum qui ibi manebant, 1. Reg. 22. Secundo, notat eorum arrogantiam et fastum qui se erigant, et iacenti insultent. Tertio, Hebr. *iakumu*, et ut vertit Petav. ἔστασαν stabant, notat testium illorum constantiam seu pertinaciam potius et obstinationem in accusando, ut a præda, cui semel dentem infixerint, non desistant.

Nota tertio, pro *testis* Hebraice est עֵד *ed*, et deducitur a rad. עוּד *avad*, id est spoliare, prædari, diripere. Testis mendax spoliat hominem fama, bonis, vita, ut patuit in Susanna quæ est idem ac lilium, id est, innocentia. Sed Deus immisit Danielem, qui significat iudicium Dei, et testes inveteratos dierum malorum lapidibus, quos contra insontem collegerant, subiecit.

Allegor. Hæc Christo clare conveniunt accusato ante Caipham, Annam, Pilatum, Herodem: id est, ante principem doctorum, is erat Annas: ante summum Pontificem et sacerdotes, ante iudicem supremum Iudææ provinciæ, et ante regem Galilææ, ut pro omnibus passurus apud omnes accusaretur. Patuit autem primo iniquitas testimoniorum, quod nemine confutante ipsi sibi testes contradicebant Marci, 14. v. 56. Secundo, arrogantia testium et accusatorum patet, quod sibi nihil probantibus credi a Pilato volebant, Ioan. 18. v. 30. Tertio, obstinatio et pervicacia in accusando declaratur. Lucæ 23. v. 10. *Stabant autem principes sacerdotum* (tales erant 24. qui præerant 24. classibus, in quas distributi erant sacerdotes ministraturi templo. Omnibus autem præerat unicus Caiphas summus Pontifex) *et Scribæ constanter accusantes eum.*

Tropolog. dæmon est testis et accusator mendax et iniquus, Apoc. 12. v. 10. vocatur accusator fratrum: *Proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.* Pro *accusator*, in Græco est κατηγορος, id est, calumniator, detractor, oblocutor. Si ita constans est in falsis criminibus obtrudendis, quid faciet in veris? Auditi sunt sæpe morti proximi in extasim rapti respondere accusationibus sibi factis, et quidem cum summo pavore et angore.

Secundo, David arma sua, quæ Sauli opposuit, incipiens recensere, primo loco cilicium ponit, quod loricæ speciem refert, et quidem trilicis et hosti impenetrabilis,

Vers. 13. v. 13. **Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio.**

65. Nota: Pro *cum mihi molesti essent*, Hebr. nunc est בחלותם *bachalotam*, id est, in ægrotando ipsos. Est enim gerundium in Kal, id est, in prima coniugatione. Hinc Vatabl. vertit, cum ipsi ægrotarent. Camp. ipsi cum ægrius haberent. Felix et Camp. cum ipsi infirmarentur. Aquila et Symmach. εν αρρωστιαις αυτων, in infirmitatibus eorum. Theodotio et V. editio, εν τω παρενοχλεισθαι αυτους, cum ipsi perturbarentur seu tumultuarentur. Secundo, cum Sept. legissent *behillotam*, in Piel, id est, in tertia coniugatione, quæ activa est, sicut prima est neutra, verterunt, εν τω αυτους παρενοχλειν μοι, cum illi me perturbarent. S. Hieron. cum infirmarer ab eis. Arabs, cum certarent contra me. Potavius, cum vehementius instarent.

Nota secundo: Saul ægrotans et a malo spiritu agitatus, lanceam sæpius contorsit in Davidem generum suum, ut illum configeret: et tunc vel maximo in eum furebat, cum eo morbo ægrotabat. Itaque idem est hic quoad sensum, *cum ipsi ægrotarent*, et, *cum mihi molesti essent.* Unum enim ex altero sequebatur. Nam cum Saul invidia exardebat in Davidem, a dæmone corripiebatur et agitabatur, graviterque tunc ægrotabat: et vicissim cum sic infirmabatur, tunc in eumdem asperius et furiosius bacchabatur, eiusque mortem appetebat. Hinc autem disce passiones male moderatas et compositas, esse morbos, et quidem lethales, nisi mature remedium adhibeas. Vide dicta Ps. 6. v. 3. etc. ubi probavi peccatum esse morbum, mortem, et infernum. Et huic ægrotationi Saulis valde conveniunt quæ sequuntur de cilicio, ieiunio, oratione, charitate, et humiliatione Davidis generi pro socero suo et seipso.

66. Cilicium. Quæres, an David tunc usus sit cilicio interno, et carni immediate imposito, an vero externo cilicio seu sacco? Nota, quotiescumque noster interpres vertit *cilicium*, in Hebr. est שק *sak*, et in Gr. σακκος, id est, saccus. Quæ vox in omni pene lingua remansit, sicut το *cornu*, ut matrem linguarum obiter notes esse Hebraicam linguam. Nota secundo, duplex cilicium seu saccum fuisse: nempe unum interius, alterum exterius poni solitum. De primo clarum est 4. Reg. 6. v. 30. de Ioram rege Iuda obsesso a Benadad rege Syriæ, et Samariam urbem suam regiam vidente premi tanta fame, ut venumdaretur caput asini octoginta argenteis siclis, id est libris gallicis, habetur: *Vidit omnis populus cilicium, quo vestitus erat ad carnem intrinsecus.* Sciderat scilicet vestimenta sua audiens a muliercula occisum fuisse et devoratum proprium filium. De interno etiam cilicio intellige quoties illo dicitur operta caro, ut 3. Reg. 21. v. 27. de Achab patre Ioram: *Cum audisset Achab sermones istos* (Eliæ minas ob cæsum Naboth intentantis) *scidit vestimenta sua, et operuit cilicio carnem suam, ieiunavitque, et dormivit in sacco.* Ubi vides cilicium a sacco distingui; secundo, quando dicitur eo accinctum pectus, aut gestari super lumbos. De externo autem cilicio, seu sacco habes Esther 4. vers. 1. *Quæ cum audisset Mardochæus* (nempe omnes Iudæos esse interficiendos in mense Adar, qui erat 12. et ultimus, respondens nostro Februario) *scidit vestimenta sua, et indutus est sacco, spargens cinerem capiti; et in platea mediæ civitatis voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui, et hoc eiulatu usque ad fores palatii gradiens. Non enim erat licitum indutum sacco aulam regis intrare.* Ubi patet fuisse cilicium exterius, alioqui potuisset intrare aulam, cum nihil videatur in cilicio ad carnem appresso. In luctu itaque, lugubris vestis saccus erat rudior et crassior, sive ex cannabi, sive ex cilicina quapiam materia.

Respondent igitur, Primo, Bellarminus, Iansenius, et alii, Davidis cilicium hic intelligi vestem sacceam, qua exterius utebatur, ad significandam humilitatem, sicut de rege Ninivitarum Ionas testatur.

Respondeo secundo, arbitrari me Davidem modo interno, modo externo cilicio seu sacco usum esse, sive quando Saul ægrotabat, et ægrotans in eum adhuc in aula manentem furebat, sive cum ab eo coactus fugere varia in loca secedebat cum suis 400. aut 600. militibus, ut Deum sibi conciliaret. 67. Cilicio ad carnem posito usus est David.

Quæres secundo, a quo tempore cepit usus cilicii, et an semper duraverit? Resp. primam cilicii mentionem in Scriptura fieri Genes. 37. 34. ubi de Iacobo lugente Iosephum quem putabat a fera fuisse occisum, anno mundi 2386. Imperii Assyrior. 375. post diluv. 650. ante Christum 1747. legitur: Scissis vestibus indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore. 68. A quo tempore est usus cilicii? Iudæi cilicio sunt usi: I. Patriarchæ.

Secundo, postea cilicio usi sunt ipsi reges, de Achab et Ioram regibus Israel iam dixi. De Davide hic habes, et Ps. 68. 13. ac 1. Paralip. 21. 16. cum Angelus ob numeratum populum percutiebat peste cives Ierusalem et regni totius: unde 70. millia perierunt: *Levans David oculos suos, vidit Angelum Domini stantem inter cælum et terram, et evaginatum gladium in manu eius, et versum contra Ierusalem: et ceciderunt tam ipse quam maiores natu vestiti ciliciis, proni in terram.* II. Reges.

Tertio, sacerdotes usi sunt ciliciis. Cum Holophernes dux Nabuchodonosoris regis Assyriorum arctissima obsideret Bethuliam, Iudith 4. v. 9. habetur: *Et induerunt se sacerdotes ciliciis, et infantes prostraverunt contra faciem templi Domini, et altare Domini operuerunt cilicio.* III. Sacerdotes.

Quarto, Prophetæ usi sunt ciliciis. Isaiæ 20. v. 2. illi ipsi Prophetæ dicitur: *Vade et solve saccum de lumbis tuis, et calceamenta tua tolle de pedibus tuis.* Saccus Isaiæ et Prophetarum, nudum erat cilicium, contextum ex pilis caprarum vel camelorum, eoque vestiebantur super nuda carne ut Capuccini. Erat enim vestis austeritatis et pœnitentiæ, ut eius exemplum darent populo, eumque ad pœnitentiam commoverent, et simul pro populi peccatis apud Deum satisfacerent, eique veniam et gratiam a Deo impetrarent. Id patet ex eo, quod Pseudoprophetæ fingentes se Prophetas, induebantur cilicio, ut ait Zacharias cap. 13. v. 4. *Nec operientur*, inquit, *pallio saccino, ut mentiantur.* Et hic fuit habitus Eliæ Prophetæ. Erat enim vir pilosus, et zona pellicea accinctus, 4. Reg. 1. v. 8. et S. Ioannis Baptistæ, cuius vestis erat aspera ex pilis camelorum: ita Cornel. Nam Matth. 3. v. 4. dicitur: *Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum.* In Syria enim est magna multitudo camelorum. S. Ægydius, unus e primis sociis S. Francisci interrogatus cur S. Ioannes, qui nihil peccaverat, tam austeram egisset vitam et pœnitentiam? Respondit: *Sicut carnes condiuntur sale, ne putrescant: ita corpus Baptistæ conditum fuit pœnitentia*, ut habetur in annalibus Franciscanorum. IV. Prophetæ.

Quinto, duces exercituum usi sunt ciliciis. Mathathias, sive per crasin Mathias, id est, donum Dei, pater Machabæorum, qui Deo eum eligente et impellente, et populo approbante factus est Pontifex et Dux, ac vindex populi, contra communem hostem Antiochum Epiphanem, usus est cilicio cum filiis, 1. Machab. 2. v. 14. *Et scidit vestimenta sua Mathathias, et filii eius: et operuerunt se ciliciis, et planxerunt valde.* His armis tecti vicerunt eos qui missi erant, ut eos cogerent ad sacrificandum idolis. Secundo Mathathias occidit Iudæum sacrificantem illis, et præfectum Antiochi hoc iubentem. Tertio, aram destruxit. Quarto, omnibus bonis suis relictis abiit in montes cum filiis. Quinto, legis zelatores ad arma capienda pro Dei causa suscitavit. Sexto, per circuitum aras varias destruxit, et circumcidit pueros. Septimo, brevi post moriens, filios Iudam, Ionatham, Simonem, et alios ita ani- 69. V. Duces exercitus.

mavit, ut plurimas de potentissimis regibus victorias obtinuerint, tandemque regnum in sua familia firmarint, iisdem armis usi quibus cum patre robur acceperant, nempe ciliciis. Nam cum elegisset Lysias, Dux Antiochi Epiphanis, Ptolomæum filium Dorimini, et Nicanorem, et Gorgiam, viros potentes ex amicis regis; et misisset cum eis quadraginta millia virorum, et septem millia equitum, ut venirent in terram Iuda, et disperderent eam secundum verbum regis, Iudas Machabæus congregavit paucos milites suos in Maspha, quia locus orationis erat in Maspha ante in Israel, et additur 1. Machab. 3. vers. 47. *Et ieiunaverunt illa die, et induerunt se ciliciis, et cinerem imposuerunt capiti suo, et disciderunt vestimenta sua.* Cum his pœnitentiæ armis, tot hostium millia oum additis exercitibus Syriæ et terræ alienigenarum superarunt, et in fugam verterunt.

VI. Populus. Sexto, populus Israeliticus usus est ciliciis. Thren. 2. v. 10. *Sederunt in terra, conticuerunt senes filiæ Sion: consperserunt cinere capita sua, accincti sunt ciliciis, abiecerunt in terram capita sua virgines Ierusalem.* Ad id omnes hortatur idem Ierem. cap. 4. 5. et 6. 26. et 49. 3.

VII. Mulieres. Septimo, ipsæ mulieres usæ sunt ciliciis ante Christum. Primo, de Iudith antequam occideret Holophernem, et ut ad id se armaret, dicitur Iudith 9. v. 1. *Ingressa est oratorium suum, et induens se cilicio, posuit cinerem super caput suum, et prosternens se Domino, clamabat ad Dominum.* Cilicio igitur et cinere, ait Cornelius, ornavit, imo armavit suam deprecationem. Secundo, cum a Seleuco rege missus Heliodorus venisset Ierosolymam expilaturus thesauros templi, *accinctæ mulieres ciliciis pectus per plateas confluebant*, ut dicitur 2. Machab. 3. v. 19.

70. Christus usus est cilicio, et quomodo. Quæres tertio, an Christus et Christiani usi sint ciliciis? Nota, de Christo hunc Psalmum esse, et de omnibus iustis, supra ostendimus. Resp. primo, S. Hier. S. August. S. Thomas, Cassiodorus, et alii, Christum usum esse cilicio negant. Itaque cilicium seu saccum Christi volunt esse eius carnem, 1. quatenus in carne passus est Christus, et compassus pro adversariis: ita Eusebius; 2. quatenus nostris se peccatis vestivit, sicut Iacob pelliceis vestibus fratris sui Esau, Gen. 27. v. 15. *Cilicium fortasse appellat carnis suæ mortalitatem. Quare cilicium? Propter similitudinem carnis peccati. Apostolus enim dicit Rom. 8. 3. Misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne: hoc est, filium suum induit cilicio, ut de cilicio damnaret hædos.*

Resp. I.

Resp. II. Respond. secundo, Probabiliter cum Lyrano in cap. 19. Ioannis, ubi S. Chrysostomum citans ait inconsutilem illam tunicam desuper contextam asperam fuisse, qualis est saccus aut cilicium reticulato opere. Caietanus in Psalm. nostr. sic loquitur: *Ad litteram* (malo esse allegoriam) *per hæc tria intelligo universa bona personalia, quæ Christus obtulit Deo pro Iudæis: in sacco afflictionem corporis austeriore camisia: in ieiunio afflictionem vitæ corporalis: in oratione sacrificium mentis.* Horum autem trium solus saccus in Evangelio non legitur: ex aliis tamen quæ leguntur de Christo, scilicet ieiuniis et orationibus, conii- cere possumus quod usus fuerit austeriore camisia: ut se exemplum perfectum exhiberet Pastoribus et prædicatoribus, quos oportet corpus suum et in servitutem redigere, ne cum aliis prædicaverint, reprobi efficiantur. Ita Caiet. qui per camisiam intelligere videtur inconsutilem tunicam.

71. Ab initio nascentis Ecclesiæ usi sunt Christiani ciliciis. Resp. tertio, Ab ipsis Ecclesiæ incunabulis usitatissimum fuisse cilicium. S. Hier. hic ait esse *cilicium arma Sanctorum.* Ruricius epist. 20. vocat Ecclesiæ vestimentum: *Deponant*, inquit, *sæculi byssum, et sumant Ecclesiæ vestimentum, quod est cilicium, contritionis indicium.*

I. Deipara. Primo, ipsam Deiparam cilicium gestasse tradit Franciscus Ximenius Patriarcha Ierosolymitanus auctoritate nixus S. Greg. Tur. Verba illius sunt lib. 2. de vita Christi cap. 47. *Sanctus*, inquit, *Gregorius Turonensis in libello de salutatione Angelica scripsit, se divino oraculo monitum cognovisse Deiparam, ex quo templum ingressa*

A *est, sine cilicio beatam illam carnem pungente vixisse nunquam: illius vestes e vilissima lana nullo infectæ colore. Somno semper humo nudæ, vel duris tabulis adhærebat, nullo instructis lecto.*

Secundo, Pontifices cilicio usi sunt. S. Petrus Cælestinus cilicio de pilis reticulatis et nodosis utebatur, sicut Ioannes Baptista de pilis camelorum vestiebatur. Ad nudam carnem catenam ferream aut circulum ferreum ferebat. Strati mollitiem spernens, super terram, in nudis tabulis, vel cancellatis craticulis, et præcinctus lumbos catena ferrea aut circulo ferreo iacebat: et pro pulvinari lignum aut lapidem capiti supponebat. Loricam cilicio nonnunquam superimponebat. Petrus de Aliaco Cardinalis in eius vita cap. 4. lib. 2. II. Pontifices.

Tertio, Cardinales cilicio usi sunt, S. Carolus Borromæus, S. Bonaventura, S. Petrus Damiani, et alii. III. Cardinales.

Quarto, Episcopi. S. Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, Sur. t. 6. die 29. Decembris. S. Edmundus item Archiepisc. Cantuar. in vita cap. 9. die 16. Novembris, S. Wilhelm. Archiep. Bitur. Sur. die 10. Ianuarii. De S. Edmundo vide Ps. 68. 12. IV. Episc.

B

Quinto, Imperatores. Otho III. Imperator, Roma egressus nudis pedibus perrexit usque ad montem Garganum in Apuliam ad ædes S. Michaelis, tota quadragesima cilicium gestavit, in storea cubavit, ut refert S. Petrus Damiani, qui illis vixit temporibus, in vita S. Romualdi. S. Carolus Magnus iam senex cilicio corpus attrivit, ut vitæ maculas pœnitentia abstergeret. Boll. V. Imperatores.

Sexto, reges cilicio usi sunt. *S. Ludovicus Franciæ rex licet tenero corpore esset, tamen aspere carnem domabat cilicio: vel, cum valetudo non ferret, ex consilio confessarii cum alia pœnitentia commutabat;* ita in eius vita, die 25. Augusti. 72. VI. Reges.

Septimo, filii regum. S. Iosaphat patre suo Abenner Indiæ rege sua opera ad fidem converso, et post laudabilem pœnitentiam mortuo, regem constitui curat Barachi, vestes suas regias pauperibus largitur, et in eremum pergit, non panem, non aquam, nec aliud quidquam secum ferens: nec aliud indumentum gerens, præter asperum cilicium: ita S. Ioannes Damascenus in eius vita, c. 37. apud Surium t. 9. die 27. Nov. VII. Regum filii.

C

Octavo, Duces supremi. S. Guillelm. Dux Aquitaniæ a S. Bernardo conversus, lorica ferrea carnem suam domabat, et contra tentationes armabat. VIII. Duces.

Nono, nobiles, ut S. Elzearius Comes Arriani. Quinimo ipsi exercituum ductores. Dux quidem Romani exercitus nomine Kericus (alii Cyriacum vocant) in bello fortissimus, in Deum pius, incursionem facturus in Persas, ad S. Theodosium Abbatem fama magnum, sanctitate maximum, velut ad oraculum adiit. Hunc vir sanctus variis præceptis muniit, ac præsertim ut non in armorum robore, sed in Dei unius fiducia spes suas defigeret; adeoque cælesti ducem alloquio cepit, ut ipsum cilicium quo magnus ille interius induebatur, loco cuiusvis alterius rei arma peteret, quibus se conservaret. Quod quidem cum accepisset et induisset, atque consueta aggressus esset certamina, victoria illustri nobilitatus rediit, cum et animi et corporis præclara ostendisset facinora. Illustrius autem est, quod ipse redux S. Theodosio Kericus narravit: *Illo ipso tempore pugnæ, mihi quidem, cum pro thorace tuum induissem cilicium, veniebat in mentem confidere, et in hostes irruere. Cum autem manus conseruissemus, magnæ exoriebantur tenebræ tamquam in densa caligine: et ab aliis quidem omnibus ea etiam, quæ prope erant, cerni non poterant: ego autem te solum mihi videbar videre me præcedentem, et manu significantem et admonentem, ut has quidem prælii partes dimitterem, in has autem pugnarem, et te duce equum agerem: donec conspectus terribilis, et intolerabilis inimicis, vehementi terrore omnibus iniecto efficerem, ut se in pedes conicerent, et turpem fugam libenter eligerent:* ita Cyrillus in vita S. Theodosii, et Baron. tom. 7. Annalium, ann. 527. IX. Nobiles.

D

Decimo, religiosi præsertim usi sunt cilicio. S. Theodorus Confessor ab aspera cilicii veste dictus Tribinas, X. Religiosi.

multis virtutibus claruit et præsertim potens fuit adversus dæmones, ut habetur in Romano Martyrologio. Ex eius corpore unguentum scaturiens ægrotis sanitatem impertiebatur. Die vigesima Aprilis festum eius celebratur. S. Abraham totis quinquaginta abstinentiæ suæ annis vestem cilicinam, qua indutus fuerat, nunquam mutavit; ita S. Ephrem in eius vita. Unde concludit ita semper constitutus erat, quasi quotidie moriturus. S. Simeon Stylites, qui triginta annis in columna stetit, cilicium gestabat. Carthusiani illud non deponunt.

XI. Pueri. Undecimo, ipsi pueri ciliciis usi sunt. Vide de S. Edmundo, cum esset scholasticus, dicta Ps. 68. 13.

XII. Fœminæ. Duodecimo, fœminæ ipsæ usæ sunt ciliciis. Et quidem ipsæ Imperatrices. S. Cunegundis uxor S. Henrici Imperatoris, quæ in coniugio virgo permansit, utque suam virginitatem marito probaret, nudis pedibus super candens ferrum illæsa ambulavit. Hæc mortuo marito Imperatore, facta religiosa cilicium induit: illique iugiter indormire, imo immori voluit: cumque agonizans videret sibi parari regales exequias et aurea feretro obtendi velamina, tum illa pallentes vultus, quos ante ut sponso venienti, lætos videres, ad hos retorquere, manu abnuere: *Amictus iste,* inquit, *non est meus, auferte hinc. Hic alienus est: his terreno sponso, istis cælesti copulata sum. Nuda de utero matris meæ egressa, nuda regrediar illuc. His vilem miseræ carnis materiam involvite, et corpusculum meum iuxta tumulum fratris mei ac D. Henrici Imperatoris, quem me iam vocantem video, in proprio locello reponite:* ita auctor vitæ, die 3. Martii. His dictis virgineum spiritum sponso suo Christo reddidit.

73. XIII. Etiam reginæ. Decimo tertio, reginæ ipsæ ciliciis usæ sunt. S. Radegundis Franciæ regina purpuram cum cilicio commutavit. Vitæ fuit maxime austeræ, ut patet ex vita die 13. Augusti tom. 4. Surii. Primum librum scripsit Fortunatus Episcopus, secundum Baudomina seu Baudoninia religiosa.

XIV. Regum filiæ. Decimo quarto, filiæ regum ciliciis usæ sunt. S. Margareta Hungarica filia Belæ regis, ab anno ætatis septimo cilicium tulit toto Adventus et Quadragesimæ tempore, in feriis quatuor temporum, in pervigiliis festorum Christi et Deiparæ, et singulis septimanis a die Iovis usque ad Sabbatum post completorium. Ioanna filia Alphonsi V. Regis Portugalliæ sub veste aurea et serica cilicium gestabat et indusium ex lana. S. Editha filia Edgari regis Anglorum asperrimo cilicio utebatur. In vita Surius.

XV. Religiosæ præsertim. Decimo quinto, religiosæ præsertim ciliciis usæ sunt. Ioannes a S. Maria multa refert de Dominicanis. Primo, Agatha a Cruce post cruentatum flagellis corpus asperum cilicium induebat. Crucem sibi magnitudine æqualem fecit, clavis asperam, cui orationem faciens innitebatur: alteram crucem parvam quindecim clavis rigentem dorso suo apprimebat. Secundo, cilicium a tempore ingressus in religionem semper tulerunt Anna de la Carriere, Antonia a S. Thoma, Nerea de Tolomei, et aliæ. Tertio, catena ferrea renes sibi strinxerunt Catharina d' Herrera, Maria Benigna, Ozanna de Cattaro, corpus cilicio etiam macerantes, in quo Ozanna mori voluit. Quarto, catenam ferream ita supra renes sibi constrinxerunt, ut profunde in carnes intraret, S. Catharina Senensis, Antonia de Angelis, Catharina de Raconis, Magdalena Angelica, Rosa a S. Maria, e cuius corpore extrahi non potuit nisi multis factis incisionibus novacula. Quinto, Lucia Margareta de Soncino renes cingebat zona coriacea clavis asperata. Sexto, Diana cingebat se catena ferrea, et sub aspero cilicio ferebat laminam ex ferro leviori, quod album vocant, in modum limæ aut instrumenti ad deterendum saccarum. Septimo, Catharina d' Herrera thoracem sibi ex ferro albo instar limæ asperato effecit, quod carni nudæ applicabat; idem fecit Francisca Mercado, Ioanna a præsepe Christi, Francisca a S. Dominico, Leonora de Vanegas, quæ cilicium illud diu noctuque gestabat, et post mortem repertum est ita in carnem penetrasse in aliquibus locis, ut non potuerit extrahi sine multis carnis frustis. Octavo, Stephana Staglin catenis ferreis corpus cinxit, et multis clavis confixit. Nono, Isabella de Moralles ferebat thoracem ferreum variis cuspidibus et aculeis horridum, quod ita astringebat corpori, ut multus sanguis efflueret. Decimo, Rosa a S. Maria cilicio se vestiebat ab humeris usque ad tibias, eoque putrefacto usa est duabus laminis ex ferro albo, quibus corpus stringebat ab humeris usque ad renes, licet admodum limæ essent asperatæ.

XVI. Puellulæ. Decimo sexto, puellulæ a prima infantia cilicio usæ sunt. S. Margareta Hungarica vix nata annos quatuor ciliciolum ferre voluit, neque illud dimisit, quin ei promitteretur reddendum cum foret ætatis robustioris, quamdiu illud ferret ab anno ætatis septimo iam dictum est supra. Margareta a Castro nata tantum annos septem cilicium sumpsit, et indusia linea abiecit. Columba cilicium induit, cum esset annorum sex. De illis iure dixeris: Beata quæ portaverit iugum Domini ab adolescentia sua. Computrescet iugum a facie olei. Omnia possum in eo qui me confortat. Non ego, sed gratia Dei mecum. Sinite parvulos venire ad me, talium enim est regnum cælorum.

74. Cilicii utilitates quinque. Quæres quarto, quis sit usus cilicii? Respond. primo, satisfacit pro peccatis præteritis. Secundo, vincit tentationes præsentes. Tertio, impedit aut enervat venturas, carnem enim domat. De S. Cæcilia legimus: *Cilicio Cæcilia membra domabat, Deum gemitibus exorabat.* Quarto, generosam et puram reddit animam. S. Hieronymus in epist. 4. ad Rusticum, cap. 2. *Sordidæ vestes, candidæ mentis indicia sunt.* Contra autem, vestes auro gemmisque fulgentes mentem tenebris opplent. Nam, ut ait Tertullianus libro de cultu fœmin. cap. 9. *Vestium pompæ de proximo, curant luxuriæ negotium, et obstrepunt pudicitiæ disciplinis.* S. Gregor. Nazianzenus in carmine parænetico ad Olympiadem: *Purpureæ,* inquit, *et aureæ, eximiæque, et splendidæ vestes, his demum conveniunt, quibus nullus vitæ splendor, nullum virtutis decus suppetit. At tibi pudicitiæ cura sit, pulchritudoque etiam clausis oculis admiranda.* Sancti cilicio et vestibus modestis tecti, similes sunt arcæ obvelatæ, et tabernaculo sagis seu stragulis cilicinis tecto. Quinto, cilicio tectus facilius Deum flectit, et ab eo impetrat quod petit, ut patuit in Achab, Ioram, Iudith, Mardochæo, Machabæis, et aliis.

75. Vers. 13. 2. Pars. Ieiunium addendum cilicio. Tertio, miles Dei armatus cilicio velut lorica assumit ieiunium velut zonam seu balthеum militarem, quo succingatur, et alacrior promptiorque ad agendum reddatur, v. eod. 13. HUMILIABAM IN IEIUNIO (id est, ieiunio. Hebræi nomen instrumenti et modi ponunt in ablativo cum præpositione Beth) ANIMAM MEAM, id est, me; est synecdoche frequens in Scriptura, in qua nunc caro, nunc anima ponitur pro toto homine. Nota, anima hominis est virtute triplex: rationalis scilicet, sensitiva et vegetativa. Ieiunium illam affligit et humiliat prout exercet operationes vitæ vegetativæ et sensitivæ; eam vero erigit, roborat, exornat, prout exercet operationes vitæ rationalis. Ut enim ait Petrus Alphonsus tit. 12. *Ieiunium est totius boni initium;* ut S. Cæsarius Arelatensis Episcopus: *Ieiunium immaculata corda purificat:* ut Theodoretus: *medicina est animæ salutaris:* ut Iacobus Genuensis Dominica 2. Quadragesimæ: *theriaca Dei:* ut Ioannes Trithemius hom. 15. ait: *mens sobria est domicilium sapientiæ.*

Nota secundo: pro *humiliabam* Hebraice est עניתי *inniti*, id est, affligebam, deprimebam, pati faciebam, humiliabam: unde Vatabl. vertit: ieiunio affligebam animam meam. Campensis, ieiunio maceravi me. Secundo, S. Hieron. et Noster, *humiliabam* (Felix, humiliavi) *in ieiunio animam meam.*

76. Ieiunium iuvat in bello. 1. Corporali. Quæres, quid ieiunio commune sit cum bello: ieiunium enim debilitat vires quæ in bello maximo requiruntur? Respondeo primo, ieiunium iuvare etiam in bello corporali, ut patet Primo, Iosue 7. vers. 6. cum post furtum Achan, et fugam Israelitarum, Iosue scidit vestimenta sua, et pronus cecidit in terram coram arca Domini usque ad vesperam: utique ieiunus. Hinc Deus furem aperit, et dat victoriam de Haiensibus, et aliis. Secundo, et

apertius, cum filii Israel iusta ira accensi contra Gabaitas ob scelus admissum in uxorem Levitæ, et irati contra Tribum Beniamin eos tutantem, convenissent ad quadringenta millia, et urbem Gabaa oppugnarent, egressi filii Beniamin de Gabaa, occiderunt de filiis Israel die illo viginti duo millia virorum. Rursum filii Israel *et fortitudine et numero confidentes*, in eodem loco, in quo prius certaverant, aciem direxerunt: ita tamen, ut prius ascenderent et flerent coram Domino usque ad noctem, consulerentque eum, et dicerent: Debeo ultra procedere ad dimicandum contra filios Beniamin fratres meos, an non? Quibus ille respondit: Ascendite ad eos, et inite certamen. Cumque filii Israel altera die contra filios Beniamin ad prælium processissent, eruperunt filii Beniamin de portis Gabaa: et occurrentes eis tanta in illos cæde bacchati sunt, ut decem et octo millia virorum educentium gladium prosternerent. Mira certe res, Deus pugnam iubet, et causæ iustissimæ vindices vincuntur cum tanta strage. Quid iis deerat? Ieiunium humilians animam, quod ubi in auxilium sibi asciverunt, victores evaserunt, cæsis prope ad internecionem omnibus Beniaminitis. Sequitur enim Iudic. 20. v. 26. *Quamobrem omnes filii Israel venerunt in domum Dei* (quæ tunc erat in Silo) *et sedentes flebant coram Domino: ieiunaveruntque die illo usque ad vesperam, et obtulerunt ei holocausta, atque pacificas victimas, et super statu suo interrogaverunt.* Statim Deus et pugnam imperat, et victoriam pollicetur, atque dat. Tertio, ieiunium in bello multum posse manifeste patuit, quando Ammonitis, Moabitis ac Syris contra Iosaphat insurgentibus, ipse prædicato ieiunio, una cum populo suo supplex, ad Deum confugit, sicque se mutuo cædentibus spolia collegit, 2. Paralip. 20. Quarto, ieiunii vis in bello patuit, cum Iudas Machabæus cum paucis et ieiunio fatigatis potentem Seronis exercitum devicit et fugavit, 1. Machab. 3. v. 17. Postea vicit etiam Lysiam ob ieiunium, et orationem, ibid. v. 47. et seq.

77. Respondeo secundo, in bello præsertim spirituali utile
II. est ieiunium. S. Hieron. in cap. 3. Ionæ: *Saccus et ieiu-*
Spirituali. *nium arma sunt pœnitentiæ.*

Nam primo usui est ad reprimendum hostem. Primo, ieiunium est nobis pro armis defensivis contra pugnationes dæmonis. Primo est arx et propugnaculum. S. Athanasius libro de Virginitate: *Magnum munimentum est ieiunium*. Secundo, est custos pervigil, Isboseth Rex Israel occiditur dormiente ancilla ostiaria post prandium, somnos nescit ieiunium. S. Ioannes Climacus grad. 14. Νηστεία ψυχῆς φωστήρ, νοὸς φυλακή, *ieiunium est lux animæ, custodia mentis, cæci cordis illuminatio, ianua compunctionis, humilis gemitus, lætus contriti cordis luctus, loquacitatis cessatio, solitudinis quietæ occasio, obedientiæ custos, somni levatio, salus corporis, beatæ tranquillitatis auctor, peccatorum remissio,* παραδείσου θύρα καὶ τρυφή, *paradisi porta et voluptas.* Tertio, ieiunium deficientes in assaltu vires restituit, et languentem pugilem excitat ad resistendum. S. Eligius hom. 3. de ieiunio: *Ieiunia*, inquit, *sunt gratiæ Dei primordia, reconciliationis sacrificia, salutis remedia, castitatis fundamenta. Hæc vitam imitantur Angelicam, his excitantur mentes fidelium, his reficiuntur animæ, per hæc moriuntur culpæ, delentur delicta, his gradibus pervenitur ad cælestia: his armis dimicamus contra diabolum, et vincimus exemplo Domini nostri Iesu Christi.* Quarto, ieiunium est baltheus ensem sustentans, et militem expeditum reddens. S. Eucherius Lugdunensis Episcopus homil. 1. de ieiunio quadragesimæ: *Christus*, inquit, *contra diabolum pugnaturus, se ad informationem tui, abstinentiæ virtute præcinxit.*

78. Secundo, ieiunium usui est ad aggrediendum hostem.
II. Primo, est telum. S. Isidorus lib. 2. de summo bono cap.
Ad aggrediendum. 44. *Ieiunia*, inquit, *fortia tela adversus tentamenta dæmonum.* Secundo, leviorem efficit militem Christi ut insiliat in hostem; qui adipe est aggravatus, vix se movere potest. S. Chrysostomus homilia de resurrectione: *Qui*, ait, *carnem suam non ebrietate, neque indulgentia, neque deliciis incrassarit: sed ieiuniis et precibus, diuturnaque afflictionum sustinentia leviorem et tenuiorem effecerit, sicut*

A *volucris aliqua superne devolans, ita valido impetu in phalanges dæmonum irruit, et occurrentes virtutes facile invadit, sibique subiicit.* Tertio, ieiunium est unctio athletarum et robur bellatorum. S. Basilius homil. 1. de ieiunio: Ieiunium, ait Prophetas generat, *potentibus addit robur*, ieiunium legumlatoribus subministrat sapientiam: ψυχῆς ἀγαθὸν φυλακτήριον, σώματι σύνοικος ἀσφαλής, ὅπλον ἀριστεύουσιν, ἀθληταῖς γυμνάσιον, bona animæ custodia, corpori tutus convictor, *armatura fortiter belligerantibus*, athletis exercitium. Hoc tentationes depellit, *hoc ungit ad pietatem*, vigilia familiaris comes, sobrietatis architectus: *In bellis addit fortitudinem*, in pace docet quietem, Nazaræum sanctificat, sacerdotem numeris omnibus absolvit.

Tertio, ieiunium victoriæ causa est. Iacobus de Vitria- 79.
co in capite ieiunii: *Tempus quadragesimæ*, ait, *tempus* III.
est militiæ Christianæ, tempus belli et victoriæ, tempus con- Est causa victoriæ.
culcationis hostium, et exaltationis fidelium. Iacobus Genuensis Dominica secunda Quadragesima: Vincitur, ait, diabolus per ieiunium, quod est theriaca Dei. Sicut enim B secundum Ambrosium sputum hominis ieiuni est venenum serpentum: sic ieiunium est venenum diabolo et theriaca homini, de sputo id sumpsit ab Aristotele lib. 8. historiar. animalium, cap. 29. idem tradunt Plinius et Ælianus.

Quarto, ieiunium coronat victores. S. Chrysostomus 80.
homil. 2. in Genesin sic ait: *Ieiunium est animarum no-* IV.
strarum tranquillitas, senum decor, adolescentium pæda- Coronat victores.
gogus, continentium magister, πᾶσαν ἡλικίαν καὶ φύσιν καθάπερ διαδήματι τινὶ διακοσμοῦσα: *quod omnem ætatem et sexum, diademate quodam ornat.* Et Isaac presbyter de mundi contemptu: Ieiunium, ait, protectio est omnis virtutis, *et initium certaminis, et corona continentium*, et pulchritudo virginitatis et sanctitatis, et splendor castitatis, et principium viæ Christianitatis, et mater orationis, et fons sapientiæ, et magister tranquillitatis, quæ præcedit omnia bona.

Hinc Sancti tam studiose ieiunio se armarunt, et mili- 81.
tes Christi ad illud incitarunt. Audiamus S. Chrysologum, Elogia ieiunii.
qui plures recenset serm. 12. *Indicamus*, inquit, *bella peccatis, statuamus criminibus pugnam, conflictum vitiis* C *nunciemus, securi de victoria. Ieiunantibus nobis diabolus esurit, qui nostris semper saturatur exculpis. Ille cibum nostrum deducit in crapulam, potum nostrum in ebrietatem diffundit, ut mentem faciat amentem, carnem luteam reddat, corpus animi domicilium, animæ vas, murum spiritus, virtutum scholam, Dei templum, in scenam criminum, in vitiorum pompam, voluptatum redigat in theatrum.* Postquam varia percensuit vitia, quæ satanæ cohortes et diaboli legiones vocat in nos militantes; subdit: *Ieiunium scimus esse Dei arcem, Christi castra, murum spiritus, vexillum fidei, castitatis signum, sanctitatis trophæum. Hoc Adam servavit in paradiso, quem inde detraxit gula. Hoc in arca custodivit Noe, mundum ebrietas eum demersit. Per hoc Loth Sodomiticum restinxit incendium, qui per ebrietatem incesti est adustus incendio. Hoc Moses, Elias, Ioannes, illustres facti sunt.*

S. August. epist. 86. ad Casulanum, ait, nonnullos suo 82.
D tempore repertos esse, qui ultra hebdomadam perpetuum Ieiunantes multis diebus aut septimanis.
servaverint ieiunium, eosque se novisse tradit. Secundo, S. Xaverius per septem dies (S. Ignatium in hoc ieiunio imitatus.) Faber eius primus socius per sex persliterunt ieiuni. Lucianus in Philopatro tradit, Christianos sic solitos, servare ieiunium. Tertio, ut quidam decem soles sine cibo transigerent. Quarto, S. Gregor. Nazianzenus ait: Complures monachos fuisse, qui totos viginti dies, totidemque noctes in Ponto a cibo abstinerent, dimidia ex parte Christi ieiunium imitantes; ex eisque unum sui gregis fuisse testatur. Quinto, Christus, Moses, et Elias quadraginta totos dies sine cibo perstiterunt, sed per miraculum, Deo suspendente actionem caloris naturalis, vel interius eos reficiente et roborante. Sexto, S. Sabas, toto ieiuniorum tempore erat ieiunus, nihil omnino cibi attingens, nisi quod Sabbatis et Dominicis divina sumebat sacramenta. Septimo, S. Simeon Stylita, per viginti octo annos, in quadragesima nihil prorsus comedit. Octa-

vo, Ioannes Abbas sola vixit Eucharistia, quam quotidie sumebat, per tres annos. Nono, Deus Mariam Ægyptiacam, ferme per quadraginta septem annos, in deserto sine cibo terrestri aluit cibis cælestibus, et orationibus. Decimo, Thomas Bozius lib. 11. de signis Ecclesiæ Dei, asserit sua ætate Felicem e Barbarano, Romani territorii oppido, virginem notissimam, et sanctitate insignem, tres totas quadragesimas absque ullo cibo traduxisse. Undecimo, Petrus de Abano in ultimum problema decimæ sectionis testatur: a viris se integerrimis gravissimisque cognovisse suo tempore puellam extitisse Northmannicam, quæ vixerit octodecim annos sine ullo cibo et potu. Duodecimo, Simon Portius insignis Philosophus libellum iussu Pauli III. Pontificis conscripsit, ut investigaret, an fieri naturaliter posset, ut puella quædam Germanica tum vivens, vivere triennium potuerit; et tamen nihil gustaverit. Decimo tertio, Iacob August. Thuanus l. 123. historiarum sui temporis, ad annum 1599. profert istud inediæ in virgine Confluentana in Pictonibus exemplum, quæ in eo, inquit, statu iam totum triennium fuerat, cum Franciscus Citesius Pictaviensis medicus eam invisit, et singula diligenter notavit libro ex ea occasione edito. Quomodo postea cum cibis in gratiam redierit, alterum commentarium edidit Citesius, quo disputationem quam prius habuerat cum Harvato medico Aurelianensi repetit. Hæc et alia Thuanus: vidi utrumque commentarium Citesii, ubi ex morbo id contigisse recte probat.

83. Humilitas est iungenda ieiunio, ob quatuor rationes.

De Agesilai temperantia, et victoria voluptatum, vide multa apud Plutarch. in eius vita. Erat rex Lacedæmoniorum.

Quæres, cur David humilitatem iungit ieiunio, dicens: *Humiliabam in ieiunio animam meam?* Resp. primo, quia soliti erant Iudæi tempore ieiunii, præsertim in magna calamitate, sacco se et veste lugubri induere, aut in cinere cubare, cinere et pulvere caput tegere, aliaque humiliationis signa exhibere, ut Deum ad misericordiam facilius et citius inflecterent. Sic Esther Regina, uxor Assueri, id est, Artaxerxis Longimani, regis Persarum, accepto per Mardochæum avunculum suum, quod mense Adar, id est, Februario, omnes Iudæi essent occidendi instinctu Aman, humiliavit in ieiunio animam suam. Sic enim habetur cap. 14. v. 2. Esther. *Cum deposuisset vestes regias, fletibus et luctui apta indumenta suscepit, et pro unguentis variis, cinere et stercore implevit caput, et corpus suum humiliavit ieiuniis.* Ubi notandum est, quod τὸ *ieiuniis* non est in textu Græco, sed subintelligitur. Nam humiliatio corporis, ieiunium vocatur ab Hebræis. Nihil enim ita carnem deprimit ac ieiunium. Hinc Hebræi ieiunium, per Estherem et Mardochæum indictum die decimo tertio ultimi mensis, nempe Adar, appellant Estheris humiliationem, id est, ieiunium. Vide 1. Machab. 3. v. 47. quid fecerint Machabæi, et alii Iudæi ieiunantes.

II. Secundo, humilitas iungenda est ieiunio, ne quod ieiunium acquirit, superbia perdat. S. Hieron. in epist. *Sint moderata et sancta in omni mentis humilitate ieiunia, quæ ita attenuent corpus, non mentem elevent, ne res humilitatis gignat superbiam, et vitia de virtute nascantur.*

III. Tertio, humilitas iungenda est ieiunio, quia hæc duo multa animæ pariunt bona, et a multis malis expediunt. S. Cyprianus sermone de ieiunio et tentatione Christi: *Ieiunium*, ait, *extraordinarios motus in cippo claudit et arctat, et appetitus vagos distringit et ligat. Ieiunium, si humilitate ornetur, servos Dei, mundi efficit contemptores*, etc.

IV. Quarto, humilitas iungitur ieiunio a Davide, velut parenti filia: quia ieiunium humiliat et corpus et mentem. Primo, corpus, ut ait S. Isidorus Hispalensis lib. 1. de Ecclesiasticis officiis cap. 42. *Ieiunium opus cæleste, ianua regni. Per hoc prosternuntur vitia, humiliatur caro, diaboli tentamenta vincuntur.* Secundo, etiam indirecte causatur humilitas mentis per ieiunium. S. August. sermone de ieiunio: Ieiunium, ait, verbositatem non amat, divitias superfluitatem iudicat, superbiam spernit, humilitatem commendat: præstat homini seipsum intelligere.

Versus 13. tertia pars, ET ORATIO MEA IN SINU MEO CONVERTETUR: hoc est, vertetur, volvetur: in omnem se versabit partem: ut, quod petit, impetret: q.d. Orationem perseverantem adiungam ieiunio donec exaudiar. Vers. 13. 3. Pars.

84. Oratio debet esse perseverans.

Nota. Oratio debet esse constans, et perseverans. Actorum 1. v. 14. de Apostolis ac discipulis dicitur: *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione.* In Græco est, προσκαρτεροῦντες; quod, ait Cornelius significat esse assiduum, insistere rei cuipiam arduæ et prolixæ, nec ab ea discedere; sed sustinere, et fortiter superare molestias, labores, fatigationes, tædia, tentationes, etc. quæ vel rei difficultas, vel hostis sagacitas, vel naturæ imbecillitas suggerit, qualia experimur in oratione, præsertim longa et continua: qua mens humana instar arcus tenditur, et continue extenditur ad cælestia et divina. Hæc Cornel.

85. Perseverantiæ in oratione vis declarata a Christo aliqua comparatione.

Perseverantiæ illius vim declarat Christus comparatione amici ab amico importune tres panes de nocte flagitantis. Lucæ 11. v. 8. *Si perseveraverit pulsans: dico vobis, et si non dabit illi surgens eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, et dabit illi quotquot habet necessarios. Et ego dico vobis: Petite, et accipietis: quærite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: et qui quærit, invenit: et pulsanti aperietur.* Petere, quærere, et pulsare denotant orantis perseverantiam.

86. Gemens non statim exauditur.

Gementi quod non statim exandiatur, dicendum cum Habacuc Propheta cap. 2. v. 3. *Si moram fecerit, exspecta eum: quia veniens veniet: et non tardabit.* Christus præivit exemplo, Lucæ 6. v. 12. *Erat pernoctans in oratione Dei.* In horto montis Oliveti, sub vitæ finem, diu oravit, antequam caperetur: et oratio eius ad ipsum reversa est: *Venit enim Angelus confortans eum*, Lucæ 22. vers. 43. *Et exauditus est pro sua reverentia*, Hebr. 5. v. 7.

87. Oratio iungenda est ieiunio.

Nota secundo, oratio iungenda est ieiunio. Tobiæ 12. v. 8. *Bona est oratio cum ieiunio.* Matth. 17. v. 20. *Hoc genus* (dæmoniorum) *non eiicitur, nisi per orationem et ieiunium.* S. August. in libro de spiritu et littera: Si volumus Deo placita esse nostra ieiunia, *simus in oratione continui*: in iudiciis iusti, in amicitia fideles, in iniuriis patientes, in contentionibus temperati, turpiloquia fugientes, adversus iniqua constantes, in conviviis continentes, in charitate simplices, inter subdolos cauti, condolentes tristibus, contumacibus resistentes, in suspicionibus parci, inter maliloquos taciti, inter humiles coæquales. Sic Augustinus. Et in sermone: *Oratio est refectio ieiuniorum*: duritiam cordis emollit, austeritatem temperat, *ieiunium dulcificat.* Sicut enim sine potu non est plena refectio: sic et ieiunium, sine refectione orationis non potest animam perfecte nutrire.

88. Moraliter. Oratio dat nobis arma et victoriam.

Moraliter. Oratio nobis omnia arma suppeditat, et de hostibus dat victoriam: unde David timens partim laqueos et insidias, partim potentiam et furorem Saulis, ad orationem, et quidem continuam confugit, ut sub eius tutela securus degat. Primo enim, oratio dux est strenuus ac pervigil, animæ muros obiens, atque potentiarum, passionum, sensuum, membrorum exercitum lustrans, ne qua hosti pateat via. Oratio est Cherub ille flammeus gladium flammeum atque versatilem semper vibrans ad custodiendam viam ligni vitæ, id est, animæ fructus immortales Deo gestantis. I. Oratio est dux.

II. Gladius.

Secundo, oratio est flammeus ille gladius Cherubini, id est, viri scientia magni, qui in omnem partem rotatur et conservat paradisum terrestrem, id est, Ecclesiam, regnum, provinciam, civitatem, animam et suam et alienam. Primo, si hostis tibi laqueos paret, sicut vers. 7. David ait sibi ab hoste absconditos, eos gladio orationis facile dissecabis. Ubi adverte, quod dæmon est similis retiariis illis antiquis, qui reti ac tridente animati in Secutorem aut Myrmillonem, cum quibus ut plurimum committebantur, irruebant. Retiarium sic armat S. Isidorus: *Retiarius*, inquit, *qui contra alterum pugnantem occulte ferebat rete, quod iaculum appellatur: ut adversarium cuspide insistentem operiret, implicitumque viribus superaret, qua armatura pugnabat tridentis causa.* Si apud

Lipsium lib. 2. Saturnal. cap. 8. retiarii iconem contempleris, credes videre te armatum tricuspide dæmonem, qui in miseram animam sceleribus illaqueatam irruat. De Secutore qui obiiciebatur Retiario sic ait S. Isidorus: *Secutor est ab insequendo Retiarium dictus. Gestabat enim cuspidem et massam plumbeam, quæ adversarii iaculum impediret, ut antequam ille feriret rete, iste superaret. Hæc arma sacra erant Vulcano. Ignis enim semper insequitur, ideoque cum Retiario componebatur, quia ignis et aqua semper inter se inimica sunt.* Retiario gladium assignat Prudentius: clypeum etiam et galeam, Dio. Sæpe Retiarius adversarium suum impiicabat, sed oratio nunquam vincitur. Prov. 1. v. 17. *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Etiamsi quis in laqueos incidat, ab oratione expedietur. Ps. 23. v. 15. *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* Et in longe fortiures laqueos hostem coniiciet. S. Athanasius in vita S. Antonii: Hostiie, ait, dæmonis contra omnes Christianos, maxime vero contra monachos et virgines Christi odium est. Eorum semitis laqueos tendit, etc. sed fideiium orationibus atque ieiuniis ad Dominum statim corruunt; ita Athanas. Secundo, si aperta vi hostis aggreditur, sicut Ægyptii et Amalecitæ, oratio illos sternit. Origen. hom. 11. in Exod. *Populus Dei*, ait, *non tam manu et armis, quam voce et lingua pugnabat*, id est, *orationem fundens ad Deum prosternebat inimicos.* Et hom. 13. in Numeros: *Audierat*, inquit, *Balach, rex Moab, quia populus hic orationibus vincit, et pugnat adversus hostes ore, non gladio.*

89. III. Sagitta. Tertio, oratio est sagitta, eminus enim ferit. Isaac presbyter cap. 22. de mundi contemptu: *Oratio, ait, est sagitta acuta contra inimicos.*

IV. Machina bellica. Quarto, oratio est machina bellica muros servans. S. Gregor. Nazianzenus eam vocat μηχανημα τειχȣς ισχυρȣ και γενναιȣ, machinam muri fortis et inconcussi. S. Chrysost. murum ipsum eam vocat hom. 2. de orando Deum: *Oratio*, inquit, *Ecclesiæ murus est, qui rumpi non potest, munimentum inconcussum, dæmonibus quidem formidabile, piis vero salutiferum.* Et in Ps. 5. Si orationis, ait, muro nostrum os muniverimus, καλον θεμελιον καθημερινης πραξεως καταβαλȣμεν, diurnæ actionis pulchrum iecerimus fundamentum. David Augustanus in formula noviliorum, cap. 37. orationem iure nuncupat columnam sanctarum virtutum, et deitatis scholam.

V. Clypeus. Quinto, oratio est clypeus tela propulsans. S. Gregor. Nyssenus orat. 1. de oratione Dominica: *Oratio*, inquit, *est viatoribus scutum, dormientium custos.* Et Isaac presbyter de mundi contemptu p. 22. *Oratio refugium est auxilii, et fons salutis, ac confidentiæ thesaurus, et lumen iis qui in tenebris sunt, et portus liberans a tempestate, et confortatio infirmorum, et protectio tentationum, et auxilium in ægritudinis violentia, et clypeus liberationis in prælio.*

90. VI Arma omnia. Sexto, oratio est instar armorum omnium, tum ad defensionem, tum ad impugnationem. S. Chrysost. hom. 5. de incomprehensibili Dei natura contra Anomæos: μεγα οπλον ευχη, ait, θησαυρος ανελλιπης, πλȣτος μηδεποτε δαπανωμενος, λιμην ακυμαντος, γαληνης υποθεσις: *Aptissima arma oratio est, thesaurus certe perpetuus, divitiæ inexhaustæ, portus quietus, occasio tranquillitatis: denique auctor, parens, fons, et radix bonorum omnium, et innumerabilium oratio est, atque etiam regia ipsa facultate potior.* Et postea subdit: Vis orationis vim ignis extinxit, impetum leonum cohibuit, *bella composuit, prælia removit*, tempestates sustulit, dæmonia expulit, cæli fores aperuit, vincula mortis disrupit, languores eiecit, offensas repressit, urbes terræ motu nutantes firmavit, plagas cælitus irruentes, insidias hominum, mala denique omnia delevit oratio. S. Climacus in anacephalæosi grad. 26. vocat eam, οπλα βασιλικα, *arma regia.*

91. VII. Dat victoriam. Septimo, oratio dat victoriam. S. Ioan. Clim. grad. 28. Oratio, inquit, si eius naturam spectes seu qualitatem, est familiaris conversatio et coniunctio cum Deo: si autem vim seu efficaciam, κοσμȣ συστασις, θεȣ καταλλαγη, δακρυων μητηρ, και παλιν θυγατηρ, αμαρτηματων ιλασμος, πειρασμων γε-

A φυρα, θλιψεων μεσοτοιχον, πολεμων θραυσις, αγγελων εργον, ασωματων παντων τροφη, mundi conservatio, Dei reconciliatio, mater lacrymarum et iterum filia, propitiatio peccatorum, pons tentationum, propugnaculum adversus impetum afflictionum, *bellorum oppressio et extinctio*, officium Angelorum, omnium spirituum alimentum. Vide ibi plura. In anacephalæosi autem grad. 26. sic loquitur: Sicut fures arma videntes regia in aliquo loco non facile eo se inferunt: sic nec dæmones fures invisibiles ubi quem oratione armatum perspexerint. Ioannes Bromiardus in summa prædictione de oratione, ait: Sicut magna est armorum utilitas, quando fortes sunt milites et validi, qui cum illis hostes invadunt: ita omnino de armis sentiendum est orationis. Theodoretus in historia sanctorum Patrum cap. 16. Sanctorum, ait, deprecatio est commune omnium malorum remedium. Et Constantinus Imperator in oratione ad sanctorum cœtum in Concilio Nicæno: *Est*, inquit, *iusta precatio res plane inexpugnabilis.*

Octavo, oratio de victis hostibus trophæum excitat. S. 92.
B Gregor. Nyssenus orat. 1. de oratione Dominica: *Oratio*, VIII.
ait, *regni vires, belli trophæum, pacis securitas.* Si pyra- Trophæum
midem in victoriæ memoriam excitare placet, in quatuor excitat.
lateribus hæc depinge. Primo, in latere pyramidis orientali oratio pingenda est habitu virginali, et instar divinæ Palladis armata, sub pedibus scelera catenis innexa premat. S. Ephrem sermone de orando Deum: Oratio, inquit, temperantiæ est custodia, iracundiæ frænum, animi elati repressio, et ad modestiam revocatio, odii ob acceptas iniurias medicina, invidiæ destructio, impietatis correctio. In secundo pyramidis latere, hoc est in occidentali, eadem victrix oratio pingenda est corona laurea insignis, palmam dextra, sinistra cornucopiæ gerens. Unde idem S. Ephrem subdit: Oratio corporum robur recta iuris legumque constitutio regni, potentia, *trophæum atque vexillum belli, tutela pacis.* In tertio, id est, in meridionali latere pyramidis, oratio quoque depingenda est, in medio virtutum choro eas exornans, et hostium spoliis C ditans. Pergit enim idem S. Pater: Oratio virginitatis præsidium, fides nuptiarum. Beatus Bernardus in Epistola: Orando, inquit, bibitur vinum spirituale lætificans cor hominis: vinum scilicet Spiritus sancti, quod inebriat mentem, et carnalium voluptatum infundit oblivionem, humectans interiora arentis conscientiæ, escas bonorum actuum digerit, et deducit per quædam animæ membra, *fidem roborans, spem confortans, vegetans ordinansque charitatem, et impugnans mores.* In quarto denique, id est septemtrionali latere oratio depingenda est curru triumphali invecta, devictorum hostium duces vinctos ostentans, victorem exercitum et liberatorum civium agmen deducens. S. Ephrem mox citatus: Oratio, ait, est viatorum præsidium, evigilantium confidentia, agricolarum fertilitas, navigantium salus. Oratio reorum patrona, vinctorum relaxatio, mœrentium consolatio, lætantium iucunditas, lugentium solamen, celebritas festi natalitii, coniugum corona, morientium disciplina.

Nono denique, oratio post triumphum captivatos ho- 93.
D stes nempe dæmones, punit: 1. flagellis; 2. ignibus. Pri- IX.
mo enim tamquam vilia mancipia eos flagellat. Lactan- Hostes
tius lib. 2. divin. instit. cap. 15. Iustorum verbis, ait, victos
dæmones, tamquam flagris, verberantur. Gerardus Na- punit.
zarethanus de conversatione servorum Dei, cap. 20. ait monachum quemdam novitium a dæmone possessum, scutica cæsum sanatum esse, cum aqua benedicta, cruce, aliisque sanari non potuisset. S. Cyprian. vim orationis, in exorcismis sic exprimit epist. 2. *Iam facultas datur invidos et erraticos spiritus, qui se expugnandis hominibus immerserant, ut recedant, duris verberibus urgere, conflictantes, eiulantes; gementes, incremento pœnæ propagantis extendere, flagris cædere, igne torrere.* Et Prudentius in Apotheosi contra Iudæos:

. . . . . . *Torquetur Apollo*
Nomine percussus Christi, nec fulmina verbi
Ferre potest, agitant miserum tot verbera linguæ
Quot laudata Dei resonant miracula Christi.

Secundo, oratio victum dæmonem igne torquet. S. Macarius hom. 43. Nulla, inquit, maior virtus est, nulla efficacior consolatio, quam vera invocatio. Si enim dæmones fuerint robustis montibus fortitudine pares, *tamquam ab igni cera, comburentur ab oratione*. S. Cyrillus Ierosolymitanus catech. 2. mystagogica, agens de oratione et insufflatione quæ fit in exorcismis, ait: *Insufflatio sanctorum, nominis Dei invocatio, tamquam vehementissima flamma urit dæmones, et in fugam convertit.* Minutius Felix in Octavio: Hæc omnia, inquit, sciunt plerique vestrum ipsos dæmones de semetipsis confiteri, quoties a nobis et meritis verborum, *et orationis incendiis* de corporibus exiguntur. Sæpe a S. Simeone Salo, id est stulto, sed sapientibus ipsis sapientiore, per orationem uri se dæmones conquerebantur, ut tradit Leontius in eius vita cap. 40. Oratio non tantum est altare aureum cum thymiamate, sed altare holocausti cum igne perpetuo. Vide S. Gregor. hom. 22. Ezech.

94 *Oratio tunc est potens, cum iungitur ieiunio* Nota, oratio tunc maxime potestatem suam ostendit, quando ieiunio iungitur, de quo immediate antea dixerat David noster. S. Leo id clare serm. 2. de ieiunio septimi mensis cap. 2. *Grata est Deo et terribilis diabolo ieiunantis oratio.* S. Cæsar. Arel. homil. 33. ait, ieiuniorum et orationum arma esse potentissima ad hostem callidissimum superandum. S. Chrysost. sine ieiunio imbecillam esse orationem in bello spirituali. Sic docet in cap. 6. Matthæi: *Sicut*, ait, *nec miles sine armis est aliquid, nec arma sine milite: sic nec oratio sine ieiunio, nec ieiunium sine oratione.* Et Christus ipse cum dæmonem quemdam obstinatiorem, qui lunaticum modo in ignem, modo in aquam proiiciebat, Apostoli expellere non potuissent, dixit Matthæi 17. vers. 20. *Hoc genus non eiicitur, nisi per orationem et ieiunium.* Tropol. vide ibi apud Bedam. Mete myrrham cum aromatibus, id est, iunge mortificationem orationi.

Secundo, oratio cum ieiunio non tantum dæmonem a terra deiicit in inferos, sed etiam ipsa e terra in cælos evolat. Ieiunium enim illi dat alas. Bellarm. in Psalmum nostrum: Saccus, inquit, et ieiunium sunt alæ orationis. Smaragd. in regulis Benedict. cap. 4. per ieiunium, ait, liberius oratio penetrat cælum. Alcuin. sive Albinus Anglus Bedæ discipulus, qui floruit circa annum 780. de virtutibus et vitiis cap. 16. Perfectum, inquit, est ieiunium, quod eleemosynis et orationibus in cælum transit, et ad thronum altissimi Dei pervenit. S. Chrysost. homil. 71. alas celeres dat ieiunio: *Ieiunans*, ait, *levis est, et alatus, et cum solertia orat et improbas extinguit concupiscentias, Deum placat, et insurgentem animum humiliat.* Ac deinde subdit: *Orans cum ieiunio geminas habet alas, et ipsis quidem ventis leviores.* S. Laurentius Iustinianus libro de Ligno vitæ, de oratione cap. 5. *Nihil sublimius, ait, nihil potentius homine orante. Qui autem orat cum ieiunio duplices habet alas, quibus ad rimanda cælestia sustollitur.* Moses, Elias, Christus ipse, orationem suam iunxerunt ieiunio. Labrum æneum, in quo lavabant se sacerdotes, factum erat de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi. Sept. quæ ieiunabant. Chald. quæ orabant. Hebr. quæ militabant.

95. *Vers. 14. 1 Pars. Charitas est iungenda ieiunio et orationi.* QUINTO, ieiunio et orationi iungenda est charitas, ut post bellum perfectum, obtentam victoriam et triumphum, pax Christi quæ exuperat omnem sensum, perficiat corda nostra et intelligentias nostras, v. 14. QUASI PROXIMUM, ET QUASI FRATREM NOSTRUM SIC COMPLACEBAM. Hæc constructio, inquit S. Thomas, est mirabilis; quia non habent hi accusativi unde regantur. Cassiod. et Ruffin. antiptosim esse dicunt, nimirum accusativos positos esse pro ablativis, q. d. Quasi, vel sicut de proximo, et quasi de fratre nostro, ita complacebam. Possent etiam casus dativi intelligi, q. d. Complacebam quasi proximo, quasi fratri. Quomodo in quibusdam græcis codicibus Iansenius legit, ως πλησιον, και ως αδελφω, ita ut, πλησιον sit adverbium, suppleaturque τω: sic est in bibliis Complutensibus ac Regiis, sed in Sixtianis est accusativus Græcus utrobique. Apollinaris ita exponit: quasi amico, et quasi fratri, sic complacui semper. Idem Thomas, Haimo, Ugo aliique sic inquiunt, q. d. complacebam Deo, habens me ad adversarios, sicut ad proximos et fratres. S. Hieron. legit, quasi ad amicum, quasi ad fratrem meum, sic ambulabam. Vatabl. vertit: Perinde ac si amicus atque frater meus fuisset, sic incessi. Vel, tamquam si summus amicus, imo frater quivis eorum fuisset mihi, omnia humanitatis officia exhibebam eis etiam in adversis, gerebam me velut cum amicis et fratribus. Vel quasi frater, quivis eorum esset, sic incedebam, id est placide conversabar erga illos. Genebrardus sentit esse constructionem Græcam, legisseque nostrum interpretem non ευαρεστειν quod iungitur dativo, sed αρεσκειν, quod accusativum requirit casum; vel certe irrepsisse *complacebam* pro *eum placabam*, aut *complacabam*, sicut Psal. 76. est, inquit, complacitior, pro complacatior. Nihil mutandum vel carpendum censeo in editione nostra. Suppleri potest præpositio, ad, cum S. Hieron. et Symmach. qui habet, ως προς εταιρον, ως προς αδελφον ανεστρεφον: *Quasi ad amicum, quasi ad fratrem conversus sum.* Suppleri præterea debet ad verbum *complacebam*, pronomen, *mihi*: nam quod ad Deum S. Thom. refert, q. d. *Complacebam Deo*, nimis remotum est: et alia plura quæ suppleantur, requirit. Si placet verbum ambulandi, quo usus est S. Hier. sensus erit, q. d. Quod in rebus adversis inimicorum, assidue David obibat illos ut succurreret; ita Lorin. Brevius dixeris olim dictum esse complacebam aliquem, sicut supra positum est, nocere aliquem. Et sufficit noster interpres ad id probandum. Quid enim si locus ille Plauti, ex quo probavi, nocere poni etiam cum accusativo, excidisset; statimne iudicares interpretem nostrum errasse? hic idem dic, et locutum esse illum prout suo tempore licero loqui cognoscebat.

Nota secundo, pro *complacebam*, Hebr. est התהלכתי *hithallacti*, id est ambulavi, me ipse ad ambulandum incitavi: est enim coniug. Hithpael, quæ significat actionem eiusdem in seipsum. Secundo, *hithallacti*, id est conversatus sum, me gessi. Ubi adverte charitatem non in verbis solis, sed in opere consistere.

Nota tertio, *proximum*, Hebr. est רע *rea*, id est, amicus; 96. *Consanguineorum specialis ratio est habenda.*
ita S. Hieron. Vatabl. Camp. 2. socius; ita Felix, Arias, Camp. 3. consanguineus; ita Magn. Ubi adverte, omnem quidem hominem esse proximum, natura, gratia, gloria. Sed tamen alios per specialem amicitiam, contubernium, convictum, communionem sanguinis esse propiores. Secundo, adverte charitatem debere procedere ex corde velut ex fonte.

Sensus itaque est, q. d. Conabatur Sauli licet hosti meo infensissimo, et aulicis eius furori et meæ afflictioni servientibus, ita gratificari, perinde ac si amici mei essent ac fratres. Saulem præsertim variis officiis demereri conabar; quia est mihi proximus, socer scilicet meus, cum mihi dederit Michol filiam suam in uxorem.

Allegor. Hæc de Christo explica Iudam proditorem, Iudæos deicidas, Gentiles carnifices, omnes impios amante 97. *Allegor.*
et ad se vocante, ac salvare cupiente quantum in se est, nec volente mortem peccatoris. Primo, id declarat similitudine gallinæ pullos alis foventis, Matth. 23. 37. Secundo, teneritudinem affectus et amoris erga suos fideles et Apostolos declarat filiolos vocans, Ioan. 13. 33. Tertio, fratres, sorores, matres vocat, dicens Matth. 12. 50. *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.* Quarto, videns civitatem Ierusalem flevit super illam, Luc. 19. 41. Quinto, videns surdum et mutum sibi oblatum, et a dæmone detentum, suspiciens in cælum ingemuit, miseram hominum sortem deplorans, et ait *Ephphetha*, id est, adaperire. Et statim apertæ sunt aures eius, et solutum est vinculum, et loquebatur recte. Sexto, ob Lazari mortem, et sororem eius Mariæ, et Marthæ orbitatem, lacrymas effudit, Ioan. 11. 35. Septimo, Iudam inter Apostolos, quos amicos vocabat, admisit, loculorum ei curam dedit, communis mensæ participem fecit, intinctam buccellam ei porrexit, et se ipsum in Eucharistia, ut multi putant, osculum eius

admisit, et amicum appellavit, Matth. 26. 49. Moraliter inimici nostri amandi sunt, 1. ut homines; 2. ut amici; 3. ut consanguinei; 4. ut fratres; 5. ut filii.

98. Ad inimicos amandos quinque sunt motiva. I. Sunt homines. Primo, inimicos aspicere debemus, velut homines similes nobis. Mater autem amoris similitudo est, ut ait Aristotel. Ex illis et nobis conflatur una respublica, una civitas, una domus. S. August. epist. 5. *Quid est civitas,* inquit, *nisi multitudo hominum in quoddam vinculum redacta concordiæ.* Et serm. de sanctis, ait, per charitatem fieri hominem homini Deum: *O quicumque es, attendis quid tibi fecerit homo, et non consideras quid tu feceris Deo. Cum enim tu multo graviora in Deum peccata commiseris; quare non dimittis homini parum, ut tibi Deus dignetur dimittere multum?* Ad bestias amandandus est, qui homines non amat, et levissima læsus iniuria eos veneno, vel morsu impedit. Seneca lib. de ira: *Pusilli hominis,* ait, *et miseri est, repetere mordentem, ut mures et formicæ, ad quas si manum admoveris ora convertunt.* Ad furias vero stygias detrudendus est, qui dæmonum rabie in obvios quosque furit atque insilit. Si enim, ut ait Clemens Alex. lib. 2. Stromat. *Dei est imago, homo benefaciens:* certe dæmonis est imago, homo malefaciens.

99. II. Sunt amici. Secundo, inimici amandi sunt, quia amici nostri sunt. Amare enim est benefacere. Primo, peccata nobis præterita exprobrant, et efficiunt, ut multa nobis innotescant, quæ nunquam aliter cognovissemus: atque præstant, ut de illis erubescamus, quod nobis est necessarium ad salutem. Secundo, impediunt ne in nova peccata incidamus cognoscentes statim nobis esse obstruenda. Lege Plutarchum tract. de utilitate ab inimicis percipienda.

100. III. Sunt fratres. Tertio, amandi inimici sunt, quia sunt consanguinei et fratres in Christo. Eodem patre Deo geniti sumus ab eadem matre Ecclesia suscepti, iisdem cibis nutrimur, eiusdem hæreditatis spe laboramus. Duo Cherubini insistentes propitiatorio aureo, id est, Christiani Christo qui totus est charitas, *respiciant se mutuo versis vultibus in propitiatorium.* Qui respiciunt Christum, se quoque benignis oculis respiciunt in Sancto sanctorum, id est in Ecclesia sanctissima. Est enim idem habitus charitatis, qui nos inclinat ad Deum et ad proximum amandum. Neque Deus, videndum se præbet ei, qui fratrem suum non respicit. Cherub aliqui dici volunt quasi כרב *cherab*, id est, *quasi vir.* Vir sit etiam quasi Cherub et Angelus totus aureus, et ex mera charitate conflatus. In tabernaculo Mosaico, quod erat typus Ecclesiæ, multa erant symbola charitatis. Primo enim, tabulæ quæ erant veluti parietes Sancti sanctorum habebant capita aurea, et inserebantur in bases argenteas. Secundo, in lateribus tabulæ duæ incastraturæ erant, quibus tabula alteri tabulæ connectebatur. Tertio, decem cortinæ ex hyacintho, purpura, cocco bis tincto et bysso retorta, sibi mutuo iungebantur per circulos et uncinos aureos, ut tectum unum facerent tabernaculi. Quarto, arca erat aureis laminis tecta intus et foris. Quinto, in Sancto, id est, in prima parte tabernaculi, erant tria ex auro facta; 1. altare aureum seu altare Thymiamatis, quod est symbolum orationis; 2. mensa panum propositionis, id est, propositorum ante Deum seu arcam et propitiatorium, in quo sedebat Deus, quæ mensa denotabat misericordiam et liberalitatem; 3. candelabrum aureum, ex cuius aureo hastili sex calami aurei prodibant sex lucernas sustentantes, quo candelabro lux doctrinæ et fidei figurabatur. Oratio enim nostra, operatio, et doctrina debent charitate illustrari, ut Dei oculis dignæ sint. Sexto, in atrio sacerdotum seu Levitarum altare holocausti habebat ignem perpetuum e cælo missum, cum primo Aaron sacrificavit: ignis charitatis ardet semper in corde bene mortificato. Septimo denique, Pontifex in pectore suo gestabat Rationale iudicii. id est sententiæ a Deo dandæ per ipsum illo indutum, in cuius rationalis duodecim gemmis erant inscripta nomina 12. tribuum Israel, ut iudicaret se eas ferre in pectore; et ut est in hebræo, super cor. Octavo, illud Rationale iungebatur cum Ephod, id est, cum superhumerali, uncinis et catenulis aureis. Nono denique, in capite habebat laminam auream, Tiaræ affixam, in qua erat nomen tetragrammaton inscriptum, et in extremitate tunicæ hyacinthinæ erant tintinnabula aurea 27. permista totidem malis punicis. Plin. in lib. 33. cap. 3. decem excellentias et dotes auri assignat, quas Alcazar adaptat charitati in cap. 1. Apoc. v. 13. notation. 12.

Levit. 19. 17. præcipitur: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo.* Longe magis in ore et in opere: tunc enim scandalum est. Gravissimas pœnas interminatur S. Ioannes odio fratrem suum christianum prosequentibus. Sic enim ait 1. epist. 2. 11. *Qui odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat, quia tenebræ obcæcaverunt oculos eius.* Et cap. 3. 15. *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem.* Et cap. 4. 20. *Si quis dixerit quoniam* (quod) *diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est.* In Christi pectore Ioannes recubuerat, et inde charitatem et charitatis amorem hauserat. Christo tu insitus es in baptismo, fer fructus divinæ illius oleæ, in ea et per eam unctus, aut Christiani nomen abiice. Nam, ut ait S. Hieron. epist. 8. *Irasci hominis est, et finem iracundiæ ponere, Christiani.* Quid vero erit in religiosis, qui eadem domo, veste, mensa, legibus, nomine utuntur? S. Bernard. ita pacem inter religiosos suos optabat, ut mortem præferret discordiæ eorum: *Ante,* inquit, *mihi contingat mori, quam audire in vobis quempiam iuste clamitantem: Filii matris meæ pugnaverunt contra me. Nonne præsentis congregationis, tamquam unius matris filii, omnes vos estis, singuli alterutrum fratres?* Neque ita multo post concludit: Proinde dilectissimi, pacem habete ad vos, et nolite lædere invicem, non facto, non verbo, non signo qualicumque: sic enim peccantes in fratrem, in Christum peccatis, qui ait Matth. 25. v. 40. *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

Itaque licet vere in te peccaverit frater tuus, tamen ne ira in eum exacerberis, sed condoleas illi velut fratri in præruptum præcipitium lapso, et morti proximo. S. Chrysostomus sermone de laude Dei: *Fuit,* inquit, *tibi quisquam iniurius, aut malo te affecit? ingemisce: ne maledictis incesseris: funde lacrymas, non iniuriæ gratia, sed ob iniuriam inferentis interitum: quemadmodum et Dominus tuus Iudam deploravit. Non enim quod cruci suffigeretur deplorabat, sed quod se ille esset ad sui perniciem proditurus. Læsit te quispiam, aut contumelia insectatus est? Deum precare, ut mox illi concilietur et parcat: frater enim est, et tuum membrum, eodem quo tu partu genitus, ad eamdem vocatus est mensam.*

Quarto denique, si Prælatus es, si ætate, doctrina, opibus, honore maior es, ama proximum tuum etiam inimicum, ut filium ægrotantem mater. Si inferior es, illum veluti patrem aut matrem in periculo mortis constitutos. In Psalmo nostro ubi legimus: *Quasi lugens et contristatus sic humiliabar.* Primo S. Hieron. vertit: *Quasi lugens mater tristis, sic incurvabar.* Secundo Chaldæus: *Sicut lugens, qui luget matrem suam, obscurus humiliabar.* Versiones illæ examinabuntur infra. Nunc ad rem; S. Hieron. ad Theophilum charitatem vocat, cunctarum virtutum matrem; S. Gregor. lib. 6. moral. 6. matrem et custodem omnium bonorum; S. Bernardus epist. 2. Hominum matrem et Angelorum, non solum quæ in terris, sed etiam quæ in cælo sunt purificantem. S. Paulus cam charitatem habens Christo Galatas gignebat, ad Galat. 4. v. 19. illos a se et fide discedentes, amantissime compellat et ad officium invitat. Cum Corinthiis sibi iniuriis infirmabatur, et ob eorum scandala urebatur intus præ ardore charitatis, 2. Corinth. 11. 29. 101. IV. Si Prælatus es, sunt filii.

Dices, iram bullientem comprimi intus non posse, ne te disrumpat. Respondeo primo, eam non esse admittendam, sed charitate velut lorica pectus esse muniendum, sic nullum aditum in te reperiet. S. Laurentius Iustinianus tract. de ligno vitæ cap. 4. *Charitas est impenetrabilis lorica, respuit gladium, iacula excutit, periculum insultat, mortem irridet, postremo vincit omnia.* S. Paulus 1. Co- 102. Obiicies, iram difficile comprimi. Resp. I.

rinth. 13. 4. *Charitas*, ait, *patiens est*, *benigna est*, etc. S. August. optime de laude charitatis, dicit: *Charitas in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis est, in bonis operibus hilaris, in temporalibus ditissima, in hospitalitate lætissima, inter bonos fratres lætissima, inter falsos sapientissima. In Abel per sacrificium læta: in Noe per diluvium secura: in Abrahæ peregrinatione fidelissima: in Mose inter iniurias lenissima: in David tribulationibus mitissima: in tribus pueris blandos ignes tolerat: casta in Susanna super virum, in Anna post virum, in Maria præter virum. Libera in Paulo ad arguendum, humilis in Petro ad obediendum, humana in Christianis ad confitendum, divina in Christo ad ignoscendum. Ipsa est fidei fructus, divitiæ pauperum, vita morientium.*

Resp. II. Respond. secundo, iram, si in pectus penetret telo inimici inflammato, statim esse extinguendam, ne mora eam magis succendat, diabolo materiam aggerante. Si enim, ut ait S. Basilius in institut. monastic. *Deus charitas est, sine dubio necesse est diabolum, odium esse. Sicut igitur, qui charitatem habet, in se Deum habet: sic, qui odium habet, diabolum in se nutrit.* Diabolus autem secum fert flammam tartaream, et per omnes animæ potentias dispergit.

Respondeo itaque tertio, iram esse effundendam in dæmonem, velut in damni nobis illati et contumeliæ factæ radicem et originem. S. Chrysost. homil. 22. quæ est de simultate et ira: Ενα μονον εχθρον εκελευθημεν εχειν διαβολον, unum inimicum iussi sumus habere diabolum, cum illo nunquam in gratiam redeas; adversus fratrem vero nunquam sis inimico animo: sed si nata fuerit offensiuncula aliqua, longior uno die ne esto. Et alibi dicit idem S. Pater: *Nihil ita Deum reddit propitium, sicut inimicos diligere, et calumniantibus benefacere. Cum igitur aliquis infestat, ipsum ne respicias, sed dæmonem instigantem, et omnem tu in illum iram effunde: ipsius autem miserere, qui movetur ab eo. Cum mordentem videris, cogita quod est diabolus, qui eum instiget, non enim Christianorum sunt scommata.*

103. Oratio eius qui inimico non parcit, non placet Deo. Dices secundo, oratione et ieiunio te Deo placiturum, eumque placaturum, sed charitatem te erga tam tibi iniurium servare non posse. Resp. a Christo ad altare etiam cum donis non admitti eum, qui habeat aliquid in fratrem suum. Matth. 5. v. 23. Ieiunium vero sine charitate esse ieiunium dæmonis, qui nunquam comedit; et semper est in felle amaritudinis. Sine charitate nihil a Deo obtinebis, quantacumque virtute fulgeas. S. August. serm. 5. de sanctis: *Nemo*, inquit, *sine charitate de virginitate præsumat, nemo de ieiuniis, nemo de orationibus confidat: quia quamdiu inimicitia in corde tenuerit, neque in istis quibuslibet operibus bonis placare sibi Dominum poterit.* S. Eligius Episcopus Noviomensis, qui obiit anno 665. homil. 14. de cœna Domini: *Necessaria*, inquit, *sunt animæ nostræ ieiunia, sicut vulneribus medicina. Medelam enim conferunt vitæ perpetuæ: ita tamen ut duarum rerum testimoniis commendentur: oratione scilicet et misericordia.* Et S. Chrysost. serm. 12. Ieiunium, ait, est castitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, civitas sanctitatis. Ieiunium est schola meritorum, magisterii magisterium, disciplinarum disciplina. Ieiunium est Ecclesiasticæ viæ viaticum salutare. Ieiunium est invictus Christianæ militiæ principatus. *Sed in his virtutibus ieiunium tunc viget, tunc vincit, tunc triumphat, cum duce misericordia pugnat. Misericordia et pietas ieiunii sunt alæ, per quas tollitur et portatur ad cælum, sine quibus iacet et volutatur in terra.*

104. Vers. 14 2. Para. Ob Saulis inimici mortem luget David. Sexto, David cilicio pectus, 2. ieiunio, ventrem; 3. oratione, os; 4. cor charitate muniverat et armaverat, ut supra dictum est. Nunc ait, se toto corpore vestes lugubres assumpsisse, ad lugendum Saulis morbum, et cladem quam prævidebat a Philisthæis inferendam in mente Gelboe. Dicit itaque, v. 14. Quasi lugens et contristatus sic humiliabar. Nota pro *et* Hebr. nunc est אם *em*, quod aliqui vertunt *mater*, alii vero *matrem*. Ricard. Cenomanensis non improbabiliter putat pro *em*, Septuaginta interpretes legisse *im*, quod etiam significat certe, vere, q. d. Quasi lugens vere contristatus humiliabar.

Nota secundo, pro *contristatus* Hebr. est קדר *koder*, id est, 1. tenebrosus, obscurus; 2. niger, ater, atratus, pullatus, hoc est vestibus nigris indutus; 3. tristis, contristatus, humilis, mœstus. Ubi adverte, Iudæos sicut etiam Romanos solitos esse ordinarie uti albis vestibus, in luctu autem nigris et atratis. In luctu Romanæ mulieres albo colore utebantur, ut Plutarchus prodidit quæst. Roman. q. 26. illis tamen videtur atrum amictum in luctu assignare Dionys. Halicarn. lib. 8. Spartanæ mulieres in funere affinium procedebant in veste candida, et capite aperto eiulantes, ut ait Plutarch. problem. c. 25. filii vero tecto capite, ut idem docet problem. cap. 13. et in veste puella parentes efferre consueverant. Homerus tradit, Thetidem deplorantem Achillis sui proximam mortem, se nigerrimo velo texisse, ut sic adiret et flecteret Iovem. Macrobius lib. 3. Saturnal. cap. 15. refert, Crassum illum divitem in piscina domus suæ mortuam murenam velut filiam luxisse atratum. Auctor lib. de mirabil. auscultatien dicit: Daunios in luctu usos esse nigris vestibus.

Nota tertio, pro *humiliabar* Hebr. est שחותי *sciachoti*, id est, incurvatus sum, inclinatus, prostratus sum. Secundo, humiliatus sum, sive humiliabar: Hebræi enim tantum habent unum præteritum, quod Latinorum continet præteritum imperfectum, perfectum, et plusquam perfectum.

Sensus itaque est: Primo, *quasi lugens et quasi contristatus sic humiliabar*, q. d. Humilibus me et abiectis ac sordidis vestibus induebam, sicut solent qui in magna calamitate atque afflictione versantur, quacumque ex causa eveniat.

Secundo, si Hebræis adhærere placet, et το *em* vertere *mater* in primo casu, vertere possis cum S. Hieron. *quasi lugens mater tristis, sic humiliabar*, q. d. Sicut mater ob filii mortem eiulans et mœrore oppressa, ita abiiciebam et incurvabam meipsum, ac vestibus mœstis induebam. Dices *em*, id est *mater*, est generis fœminini, et *koder*, id est *tristis* est masculini, itaque non posse unum ab alio regi et sibi invicem concordare. Resp. apud Hebræos id non esse verum, apud quos aliquando usurpatur enallage numeri et generis.

Tertio tamen, et melius το *em* alii vertunt matrem: unde Primo vertit Vatablus: *Ut qui luget matrem pullatus incurvabar*. Secundo, Felix: *Sicut lugens matrem nigerrimus humiliatus sum*. Tertio, R. David: *Sicut filius lugens matrem mortuam, obscuratus humiliavi me*. Facies enim lugentis, liverem et atrum colorem contrahit. Quarto, Campensis: *Tristis humiliabam meipsum, tamquam in materno funere*. Vel præterea: *Non aliter quam qui matrem lugent, pullatus et capite demisso incessi*. Quinto, R. Ioseph Kimhi: *Sicut lactens lugens mortua matre: quia non est qui lactet illum, obscuratus sum*. Lactentis dolor est maximus, cum ratione sedari non possit, si præsertim desit alia nutrix. 105. Velut filius parentem.

Ubi adverte, Saulem fuisse socerum Davidis, itaque eius filium, id est generum, Davidem fuisse: unde possessionem illam seu obsessionem dæmonis, et inde enascentem morbum, melancholiam, iram, furorem deplorabat; ac præsertim funestam mortem, quam ipsi imminere fuso exercitu populi Dei præsciebat. Regum autem calamitates et funera satis multis lacrymis prosequi non possumus, cum sint parentes patriæ, et columnæ, atque propugnacula. Hinc apud Spartanos est constitutum, ut rege defuncto, equites obitum regis annunciantes cursitent, fœminæque crinibus passis, et libero conquestu, tinnitu ollas pulsent æneas, quibus nec nocte, nec die quies. Tunc audito regis obitu, in omnem formam luctus concedi permissum erat, ut docet Herodotus lib. 6. Secundo, Persæ detonsis coniugibus et liberis, lacera veste, lugubri ululatu, corpora efferebant: qui etiam in funere clarorum virorum seipsos, equos et iumenta tondebant, ut refert Herodotus lib. 9. ubi agit de morte Masistii III. Ægyptii in obitu regis luto capita deturpabant, et nudatis mammillis mulieres, virique pectore, plangebant: at- Erat enim eius gener.

que in deformi illuvie, septuaginta duos dies cibis animantium, vino et omni apparatu abstinebant: ac recensentes regis virtutes, crebris eiulatibus luctum renovabant; ita Diodorus lib. 2. cap. 3. Herodotus lib. 1. Mela lib. 4. cap. 9.

106. *Moraliter. Humilitas potens est in dæmone.* Moraliter, magna vis est humilitatis in pugna contra dæmones. S. Ioannes Climacus grad. 25. fol. 316. Ταπεινοφροσυνη, ait, εστι πυργος ισχυος απο προσωπου εχθρου: *Humilitas est turris fortitudinis a facie inimici.* Non solum arcet, sed etiam prosternit adversas phalanges. Sicut enim tradit idem sanctus Pater in anacephalæosi grad. 26. παντων θηριων αισθητων αναιρετικη ελαφος: νοητων δε η ταπεινωσις: *Omnium serpentum sensibilium occisor est cervus, intelligibilium vero humilitas.*

Claudius Guisiæ dux in Hispanos exercitum ducebat: cum fluvius interflueret, priusquam traiicerent milites terram osculati sunt: dux ut exemplo cæteris præiret, primus sarissam manu gestans, flumen tranavit, hostemque invadens victoriam reportavit, ut ait Fauynus in histor. Navarræ fol. 708. Nos cum dæmone congressuri, terram exosculemur, terræ nostræ memores simus, dux superborum hac virtute celerrime prosternetur. Scipio Africanus, Carthaginis domitor, e navi pedem in Africam inferens cecidit in terram; quod ingeniose in prosperum omen vertit, quasi terram illam manu caperet, et devictis hostibus Africanus dictus est. Cape terram manibus, id est, in operatione sis humilis, et eris invictus: et Africanus, id est sine frigore tepiditatis, timoris, et infelicitatis. Limo sese obvolvens Ichneumon in os hiantis crocodili sese immergit securus, eumque confodit.

Nota, humiliatio seu humilitas reddit Deo gratum ieiunium, orationem, ipsamque charitatem, de quibus prius dictum est a Davide.

107. *Humilitas iungenda est ieiunio.* Primo quidem, ieiunio humilitatem vult iungi David supra: *Humiliabam in ieiunio animam meam*, non tantum corpus. Et Christus Matth. 6. v. 17. *Tu cum ieiunas, unge caput tuum* (id est, sis hilaris, lætitiam præ te fer, sicut qui diebus festivis unguntur) *et faciem tuam lava, ne videaris hominibus ieiunans* (Arabs, ne appareant hominibus ieiunia tua) *sed patri tuo qui est in abscondito* (id est, in locis etiam clausis et privatis) *et pater tuus qui videt in abscondito* (loco, et corde) *reddet tibi.* Remigius ibi recte: Sufficit, ait, ut qui est inspector conscientiæ, sit remunerator. Vide dicta supra.

Orationi. Secundo, humilitas aperit viam orationi, et Deum ipsi facit propitium, ut patuit in Publicano exaudito, et in Pharisæo reiecto, Luc. 18. 14. Hinc admonet Hesychius centuria 2. bibl. patr. græc. tom. 1. fol. 1014. *Habeamus orationem et humilitatem*, ατινα κατα δαιμονων συν νηψει οπλιζονται, ως μαχαιρα φλογινη, *quæ adhibita temperantia sunt adversus dæmones arma, perinde ac flammeus gladius. Quamdiu enim sic agemus, singulis diebus et horis læti, mysticum festum animo celebrare poterimus.*

Et charitati. Tertio denique, charitati annectendam quoque esse humilitatem, ut fiat cælestis biga homines in cælum vehens, ait S. Ioan. Climac. grad. 25. fol. 319. ιερα ξυνωρις, αγαπη και ταπεινωσις: *Sacer est currus charitas et humilitas. Illa enim extollit, hæc vero in altum elatos firmans, nunquam prolabitur.* 1. Corinth. 13. 4. dicit Paulus: *charitas non inflatur.*

108. *Vers. 15. Patientia Davidis in mediis flagellis.* Septimo denique, David patientiam suam veluti cæterarum virtutum coronidem attexit, v. 15. Et adversum me lætati sunt, et convenerunt (S. Hieron. congregabantur) congregata sunt super me flagella, et ignoravi, id est, perinde me gessi, atque si ignorarem, et non adverterem. Non magis excandui, quam si nihil paterer. S. August. et Cassiod. legunt, *et ignoraverunt*, 1. Christi divinitatem; 2. excellentiam humanitatis; 3. innocentiam; 4. resurrectionem et glorificationem futuram; 5. suam ipsorum punitionem, eversionem Ierosolymæ et templi. De Christo est hic Psalmus saltem allegor.

Nota, pro *adversum me*, est Hebr. בצלעי *betsalhi*, in claudicatione mea; ita R. Abraham, R. David et Vatabl. Secundo, *betsalhi*, id est, in infirmitate mea; ita S. Hier.

A Tertio, in afflictione mea. Camp. vertit: Quoties mihi adversi aliquid accidit. Quarto, *betsalhi*, id est, in latere meo: nam *tsela* etiam latus significat, costam quoque utriusque lateris. Hinc Arabs vertit: *Congregati sunt adversum me, et lætati sunt*, q. d. Latus meum ex omni parte cinxerunt, velut capto insultantes. Hoc dicunt Septuag. et Noster, *adversum me lætati sunt, et convenerunt.*

Nota tertio, pro *flagella* Hebr. est נכים *nechim*, id est Primo percutientes, cædentes, flagellantes. Hinc S. Hieronymus vertit, collecti sunt adversum me percutientes, et nesciebam. Secundo, *nechim*, id est, abiecti, viles. Tertio impii, ut vertit Chaldæus; verberones, plagiarii, nebulones, perditi, depravati, *des pendars.* Hinc Camp. reddit: Congregabantur adversum me homines depravati, qui læsi a me nulla re fuerant. Quarto, *nechim*, id est contriti, debiles, plebeii, humiliati, dolentes, percussi, flagellati; ita R. David, et R. Emmanuel. Quinto, *nechim*, id est claudi, debiles pedibus. Hinc Vatabl. vertit: *Congregabantur contra me claudi, quod minime putaram*,
B q. d. Ipsæ plebis quisquiliæ et fæces mihi ab aula Saulis expulso insultabant, me verbis et maledictis impetebant et flagellabant. Claudicat omnis iniquus in utramque partem, neque in prosperis, neque in adversis stans, aut recta incedens: sed Baali, id est, superbiæ serviens, cuius pedem sibi venire timebat David Ps. 35. 12. Sexto, *nechim* non tantum est nomen Toar, id est adiectivum, sed etiam substantivum, et significat flagella, sicut habet Psalt. Rom. Noster Petavius, Magnet. Septuag. qui melius callebant suam linguam hebraicam, quam ulli hebraizantes, qui Scripturam postea transtulere in suum aut in latinum idioma.

Allegor. de Christo flagellato id explicant S. Athanas. S. Cyrill. S. August. Hesych. et alii. Poterat iure dicere: *Congregata sunt super me flagella.* Primo, ob multitudinem inflictarum plagarum. Fertur enim S. Birgittæ revelatum fuisse, Christo tota passione inflicta fuisse vulnera 5475. Partem autem maximam in flagellatione inflictam patet. Nonnulli in ea quinque millia verberum assignant. Sed hoc non est certum, unde varii varie loquuntur. Secundo, *congregata sunt* in Christum flagella, ob multitudinem militum adstantium, illudentium et verberantium. B. Magdalena de Pazzi Sanctimonialis Florentina, sanctitate et revelationibus celebris, in extasi cognovit Christum a triginta paribus hominum: id est, a sexaginta ministris fuisse flagellatum: cum fatigatis novi recentesque supervenirent, et certatim se offerrent. Tertio, *congregata sunt super me flagella*, super me, id est, supra vires meas humanas. Nam ait Paulus a Palatio in Matth. cap. 27. traditum esse a gravissimis auctoribus, Christum flagellatum fuisse, primo virgis spineis; secundo, chordis cum stimulis ferreis; tertio, catenis aduncis. 109. *Allegor. Christi flagellatio fuit durissima. Quot plagas acceperit.*

Tropol. Flagella in nos immittuntur; primo a Deo; secundo, ab hominibus; tertio, a dæmone. Megæræ furiæ inferorum dat Nonnus lib. 21. μαστιγα flagellum seu scuticam. Virgilius lib. 7. Æneidos inducit Alecto verbera insonantem. Nam, ut ait Synesius lib. 1. de Providen-
D tia: *Mortalium calamitates, epulæ sunt malorum dæmonum.* Hinc non tantum per se, sed per sceleratos alumnos suos omnia perturbant atque invertunt. Hoc animadversum est in Antiochena seditione, de qua Sozomen. lib. 7. cap. 23. Refert enim ante tumultum omnem spectrum mulieris fuisse visum, magnitudine inusitata, et aspectu horrendum, quod quidem in sublimi per urbis plateas discurrens, *aerem diverberaret flagello horrisono:* ut quemadmodum ad iram feras incitant ii, qui ad huiusmodi spectacula operam suam navant, ita hanc seditionem dæmonum insidiis genius malus commoverit; ait spectrum τον αερα μαστιζειν υπο μαστιγι δυστηχει. 110. *Tropol. Flagellamur a Deo, hominibus, dæmone.*

Secundo, patientia ex his omnibus flagellis utilitatem percipit, et fortiorem athletam efficit, et meliorem. Plinius lib. 18. cap. 1. *Linum semper iniuria fit melius.* Nam, 1. evellitur; 2. siccatur; 3 maceratur fluvio; 4. iterum siccatur; 5. tunditur malleo stupario; 6. decorticatur; 7. scinditur spatha lignea; 8. pectitur ferreis hamis; 9. netur; 111. *Patientia inde utilitatem percipit.*

10. in filo politur; 11. illiditur in silico; 12. texitur; 13. tunditur clavis. Hinc Apostoli lineam albam in sacris adhibuerunt, ut scirent sacerdotes sibi multa esse patienda; et per multos labores ad innocentiam, veram mentis lætitiam, et gloriam perveniri. In multo etiam usu fuit lignum seu byssus in vestibus sacerdotum Aaronicorum, et ipsius Pontificis. Secundo, patientia non tantum facit fortem, sed invictum reddit, dat palmam et coronam. S. Chrysost. epist. 7. ad Olymp. *Nosti*, ait, *nosti profecto*, οτι υπομονης ισον ουδεν, *nihil esse quod patientiam adæquare possit, sed quod ipsa potissimum*, εςι βασιλις αρετων, θεμελιον κατορθωματων, λιμην ακυμαντος, η εν πολεμοις ειρηνη, η εν κλυδωνι γαληνη, η εν επιβουλαις ασφαλεια, *virtutum regina est, rerum præclare gestarum fundamentum, portus tranquillus, in bello pax, in tempestate tranquillitas, in insidiis securitas: quæ eum, qui ipsam sit consecutus*, αδαμαντος ςερροτερον ποιουσα, *adamante firmiorem reddit: eamque naturam habet, ut eam nec arma mota instructi exercitus, nec adhibita tormenta, nec arcus, nec lanceæ emissæ, nec ipsum dæmonum agmen, nec terrificæ adversarium potestatum phalanges, nec denique diabolus ipse cum omnibus copiis suis et machinis in aciem prodiens, detrimento ullo afficere possit.* S. Gregor. Nazianzen. orat. 28. id probat longa enumeratione. Morbo laborat? inquit, pugnabit: quod si victus fuerit, vincet: hoc scilicet assecutus, ut iam non amplius pugnet. Pauper est? pro divitiis Deum habebit: divites irridebit, ut qui, licet facultates suas quotidie augeant, semper tamen pauperes sint, quia pluribus indigent, bibuntque, ut maiori siti inflammentur. Fame vexatur? cum avibus aletur, quibus victus sationis et arationis expers est. Siti angitur? fontes ei et flumina potum suppeditabunt, et quidem potum non inebriantem, nec demensum. Algebit? idem quoque Paulo accidit: est ei quoddam cavernæ indumentum. Maledictis lacerabitur? vincet maledicta non regerendo. Persecutionem patietur? sustinebit. Blasphemabitur? obsecrabit. Calumniis premetur? orabit. Percutietur in dexteram maxillam? præbebit et alteram, tertiam (etiam si haberet) obiecturus: quo magis ad lenitatem percussorem erudiat, opere docens quæ sermone non potest. Probris impetetur? et Christus quoque afflictionis societate cruciabitur. Quamvis etiam Samaritanus vocetur, quamvis hoc ei obiiciatur quod dæmonis intemperiis agitetur, cum Deo omnia suscipiet. Multa adhuc, quamvis multa pertulerit, restabunt, acetum, fel, corona spinea, sceptrum arundineum, chlamys coccinea, crux, clavi, latrones simul cruci affixi, prætereuntium contumeliæ. Superiora enim Deum habere oportet, eo nomine in contemptum venientem, quod plures cruciatus ferat. Omnia prius cedent, quam ut manus det Philosophus Christianus: ita Nazianz. Quomodo Christi patientia nobis vires addat, vide apud S. August. serm. 18. in Matth.

112. Patientia sanctorum in flagellatione. Tertio, patientia sanctorum eluxit in flagellatione, sive qua ab aliis dilaniabantur, sive qua se ipsi Deo consecrabant, et membra sua mortificabant.

Tum ab aliis facta. Ac primo, S. Thomas Episcopus, ad ignominiam virgis fuit cæsus, ut tradit Victor Uticensis lib. 1. Vandalicæ persecutionis; 2. S. Afra cæsa fuit catomis, id est, flagellis ad humeros, qui græce ωμοι appellantur, ut habetur in eius Actis, seu verius catomari, est in humeros alicuius elevari, ut more puerorum in natibus cædatur; 3. S. Vitus puer, S. Eulalia 13. ann. puella, et S. Barida, aliique fuerunt catomati, id est more puerorum cæsi. Sed quanta patientia martyrum fuit in mediis flagellis? Probus martyr cum nervis boum nive cadente crebrioribus cæderetur, et terra irrigaretur sanguine, et stuperent qui circumstabant, atque ad eum clamarent: Vide hunc fluxum maxime terribilem, et tibi parce; martyr ad eos intuens, ait: *Quo qui certant unguntur, oleum aut unguentum, hunc sanguinem reputo, et ideo ad certamina evado alacrior.* Deinde in ventre rursum similiter verberatus, cum terram abundantiori sanguine fecisset purpuream: Christe, fer mihi opem, solum est eloeutus. Et cum dixisset Præses: Si tibi opem ferret, te liberaret ab omnibus his tormentis: sapienter admodum respondit vir iustus: *Non quæro non pati, sed fortiter ac constanter ferre perpessiones. Nemo enim ex iis qui decertant, si fuerit sanæ mentis, petierit auferri a certaminibus quibus assequitur coronam et præmia. Verum te latet, o iudex, me et valde fuisse exauditum, et mihi datum fuisse auxilium. Tua namque contemno tormenta, non victus ab iis per quæ putasti te me esse victurum, et ex acerbissimis corporis doloribus animum nactus robustiorem:* ita S. Simeon Metaph. die 11. Oct. in Actis Ss. Tharaci, Probi et Andronici cap. 4. Fustibus cæsi sunt S. Nemesianus, Felix, Lucius et alii, de quibus S. Cyprianus epist. 77. ait: Neque ad fustes Christianum corpus expavit, cuius est spes omnis in ligno. De patientia martyrum vide Ps. 43. Neque Deus illis deest. S. Menodora cæsa est a quatuor lictoribus, quod idola nollet colere. Sed cum per duas horas cæderetur, nullum sensit dolorem. Itaque ad tot plagas ne ingemiscebat quidem: ita eius Acta apud Sur. die 10. Sept. cap. 5.

Secundo, in se ipsos flagellis innumeri sancti sævierunt. Tum ab iis ipsis. Vide dicta Ps. 128. in illud: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.* Nonnullos hic ponam.

Primo, Fundatores Ordinum religiosorum in hoc patientiæ genere excelluerunt. Primo, S. Dominicus Ord. Prædicatorum Fundator. De illo ait Theodoricus l. 3. vitæ c. 12. *Semper ad lumbos catenam habebat ferream. Non autem sat habuit vir Dei perpetuis vigiliis carnem macerasse suam, sed etiam quamvis innocentem et virgineam, multis verberibus et castigationibus attrivit. Singulis enim noctibus ter catena ferrea se flagellavit: primo pro seipso, tum propter peccatores in mundo degentes: tertio pro animabus pœnas in Purgatorio luentibus.* Secundo, S. Franciscus corpus suum fratrem asinum appellabat, tamquam laboriosis supponendum oneribus, crebris cædendum flagellis, et vili pabulo sustentandum. S. Ignatius Societat. nostræ institutor etiam initio conversionis suæ, in itinere quod ad B. Virginis ædem in monte Serrato fecit, singulis se noctibus verberibus graviter afficiebat, et postea inter cætera pietatis exercitamenta, ter se quotidie verberabat, ut habet Ribad. lib. 1. vitæ cap. 3. et 5. agens de secessu eius Manresano.

113. Flagellis in se fuerunt severi. I. Fundatores Ordin. relig.

II. Religiosi. Secundo, religiosis nunc omnibus flagellorum usus est frequens. De S. Dominico Loricato ait S. Petr. Damiani oculatus testis, quod sæpe duo psalteria cum disciplinis stando continuabat: ita ut neque interim sederet, neque vel ad momentum a percussionibus incredibili mentis fervore quiesceret. Nonnunquam una die et nocte, octo psalteria flagellando explevit: tunc eum vir sanctus testatur vidisse se toto vultu ut scopis attritum, ac sulcantibus quibusdam vibicibus livefactum, tamquam si pila fuerit, ptisanarum more contusum. S. Nicolaus Tolentinas ferrea catenula carnem castigavit. S. Petr. Damiani tract. de Ord. Eremitarum, et de facultatibus eremi Fontis Avellanæ, ait, quod cum quis ibi obierat, unusquisque pro eo septem dies ieiunabat, septem disciplinas cum millenis scoparum ictibus accipiebat, septingentas metanœas faciebat, triginta insuper psalteria, et 28. missas presbyter quisque ex more decantabat.

III. Episcopi. Tertio, Episcopi ipsi flagellationem in se adhibuerunt. De Rudolpho Episc. Eugubino ait S. Petrus Damiani in epistola ad Alexandrum Pontificem: *Ferreo circa pectus circulo iugiter angebatur. Quem tamen circulum sub ilia divisum, dum coram fratribus nudaretur, diligentius occultabat. Nunquam scilicet capitulo confessor intererat, in quo non acciperet disciplinam, et tunc festivius exultabat, si non ab uno tantum, sed a duobus flagellari fratribus iuberetur. Sæpe pœnitentiam centum suscipiebat annorum, quam scilicet per viginti dies allisione scoparum, cæterisque pœnitentiæ remediis persolvebat. Psalterium quotidie, cum vero duo non posset, unum saltem non negligebat implere. Qui nimirum cum esset in cellula constitutus armata scopis utraque manu totum cum disciplina continuare consueverat.*

IV. Archiepiscopi. Quarto, de S. Annone Archiepiscopo Coloniensi t. 6. Sur. die 4. Decembr. scriptor vitæ ipsius dicit, quod pernoctabat plerumque in orationibus: et per Ecclesias pau-

cis et certis comitibus, interdum uno tantum puero contentus, discurrens nudis pedibus, nonnunquam etiam cilicio ad carnem indutus flens procedebat. Et diem quidem in disponendis privatis seu publicis negotiis, noctem vero totam in Dei opere expendebat. Nam tunc pœnitentiam agere, errata confiteri, commissa deflere, ob corporalis quoque flagelli castigationem, inferioris personæ manibus tantus Pontifex humiliare se non erubuit.

V. *Cardinales.* Quinto, Cardinales quoque flagellis se macerarunt. S. Carolus Borom. Card. tituli S. Praxedis, pietatis causa ad montem Varallum se contulit. Ibi corpus incommode admodum et severe tractare cepit, in ligneis tabulis somnum capiebat, lodica tantum instratis. Consueto utebatur panis et aquæ alimento: durius quam antea corpus flagellabat: id quod ex interula deinde, flagellisque sanguine aspersis apparuit: licet ipse studiose occultasset.

VI. *Reges et principes.* Sexto, de regibus, reginis et principibus dixi Ps. 128. 3. addo quæ de Birgero principe in Svecia, parente S. Birgittæ, et de filio eius, habetur tom. 4. Surii, in vita S. Birgittæ viduæ, die 23. Iulii cap. 1. Singulis sextis feriis peccata sua solebat humiliter confiteri, sæpissime his verbis utens. Ita me qualibet sexta feria comparare volo erga Deum, ut quidquid cæteris diebus ille mihi præstiterit, ferre æquo animo possim. Memor erat sententiæ illius: Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. Fecit consimiliter filius eius, quoad vixit etiam post confessionem secreto acerrimis flagellis cædebat corpus suum, ut paratus in flagella, Christum flagellatum in suo glorificaret corpore, et cum vitiis et concupiscentiis iugiter crucifigeret carnem suam. Ioanna Infans Portugalliæ singulis diebus Veneris in mediis aulæ deliciis atrociter in corpus innocens flagello sæviebat, et singulis diebus sanctæ hebdomadæ.

VII. *Religiosæ.* Septimo, præclara sunt quæ de religiosis Ord. S. Dom. refert Ioan. a S. Maria in vitis ipsarum. Primo, ter singulis noctibus flagello ex funiculis facto se cruentabat Ioanna a S. Stephan. Secundo, ter singulis diebus noctem etiam arbitror includi, Stephana de Soncino, 1. propter sponsi sui Christi amorem; 2. propter se et peccatores; 3. propter animas in Purgatorio detentas. Ter quoque Leonora de Cisneros, et Lucia Narniensis, quæ diebus Veneris addebat flagellationem unius horæ cum catena ferrea. Tertio, Maria a Iesu quotidie quinquies, nonnunquam octies aut novies se flagellabat, aliarum etiam ad id opera utens. Quarto, singulis diebus catenam ferream in eum usum semel adhibebat Dominica Torres. Ter, Columba, et Margareta a Castro singulis noctibus: item S. Catharina Senensis, singulas flagellationes in horam cum dimidia nonnunquam extrahens. Quinto, funibus ferratis utebatur Lucina Margareta de Soncino et Catharina de Nonia; 2. catenis ferreis Anna de Vuinos, Maria a S. Dominico, Maria Raggensis, Petronilla de Vela; 3. Agatha a Cruce flagello suo acus et aciculas addebat; 4. Margareta Angelica nunc catenis ferreis utebatur, nunc funibus, in quorum extremitate ponebat clavos, nunc clavium fasciculos; 5. Francisca a Petra adhuc in sæculo vivens virgis ex iunipero factis corpus affligebat, et ab aliis affligi curabat; 6. Columba urticas adhibebat, at Margareta Yprensis adhuc septennis; 7. Agatha a Cruce adhuc quinquennis flagellum sibi contexuit ex iuncis Hispanicis, quibus immiscuerat acutos lapillos. Sexto, laudabile quoque est, et suo modo immutabile, quod Maria Raggensis examen conscientiæ pro facienda confessione terminabat flagellatione per unam horam cum catena ferrea. Iolanta vero de Sylva cum aliqua sororum religiosarum in agonia versabatur, sese flagellabat, neque desistebat donec illa animam Deo reddidisset.

114. *Caro est mortificanda.* Concludamus itaque cum S. Paulo Coloss. 3. v. 5. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram* (ut animus in cælo vivat) *fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam quæ est idolorum servitus.* Ut enim dicit idem Apostolus Romanis cap. 8. v. 13. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu* (per spiritum, et rationem) *facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Lege S. Augnst. serm. 13. de verbis Apostoli, et S. Chrysost. homil. 13. in epist. ad Romanos. Inspice, et fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte. Idem Apostolus id monet Corinth. 2. epist. 4. vers. 10. *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Iesu* (in terris et in cælo acta) *manifestetur in corporibus nostris,* sicut in corpore Pauli, qui stigmata Domini in corpore suo se portare gloriabatur, et in corpore aliorum Apostolorum, qui flagellati ibant gaudentes, quod digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati, Act. 5. 41.

Octavo, post enumeratas varias virtutes suas: nempe mortificationem sumpto cilicio, temperantiam servato ieiunio, orationem, charitatem, humilitatem, patientiam, ostendit malitiam, et furorem hostium suorum, vers. 16. 115. Vers. 16.
DISSIPATI SUNT, NEC COMPUNCTI: TENTAVERUNT ME, SUBSANNAVERUNT ME SUBSANNATIONE, FRENDUERUNT SUPER ME (Cassiodorus, striderunt in me) DENTIBUS SUIS. Nota, pro *dissipati sunt*, Hebr. est קרעו *kareu*, quod sumi potest primo active, id est, sciderunt, dissipaverunt, ruperunt, dilacerarunt, et sic sumunt Chald. R. David, R. Salomon, R. Emmanuel. Secundo, *kareu*, potest sumi neutraliter sive passive, id est scissi sunt, etc. ut Noster, Septuag. et alii. Nota secundo, pro *nec compuncti sunt*, Hebr. est, *non siluerunt.*

Sensus itaque erit Primo, sumendo active, q. d. Ait R. David, labiis apertis ac veluti discissis cachinnaverunt contra me, et non siluerunt. Aperuerunt os suum præ multitudine risus, et non siluerunt a derisione sua. Secundo, R. Abraham sensum esse vult, q. d. Sciderunt carnem meam: quia loquebantur mala de me. Tertio, R. Emmanuel sic explicat, q. d. Sciderunt cor meum, quamquam ex illo non eduxerunt sanguinem. Chald. Si scidissent cutem meam, non fuisset egressus sanguis. *To* דמו *damu*, quod Noster vertit *compuncti sunt*, deduxerunt a *dam*, id est sanguis. Prius dixerat David, esse congregata super se flagella.

Secundo, et melius, sumendo *kareu* neutraliter sive passive, Noster vertit *dissipati* sunt. Sept. διεσχίσθησαν, discissi, dissecti, diffissi, divisi sunt. Sensus est, q. d. Qui inter se unanimi odio contra me congregati fuerant, ut me flagellis suis contererent, a Deo dissipati sunt et disiecti; nec tamen a malitia sua *compuncti sunt*, neque ab illa resipuerunt: atque ut est proprie in Hebræo, *non siluerunt et quieverunt*, ut par erat. Sed potius tentaverunt me et subsannaverunt me subsannatione, id est, gravissimis et molestissimis atque continuis sannis appetiverunt.

Nota secundo, quod in Græco et Latino legimus, *tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione*, S. Hier. ex Hebr. vertit, *in simulatione verborum fictorum*. Sed verba ipsa Hebraica neque hunc sensum, neque illum recipere videntur: sic enim legimus: בחנפי לעגי מעוג *bechanphe lahaghe mahog:* id est, *in hypocrisi, sive simulationibus subsannationum verbi otiosi.* At profecto credibile est Sept. interpretes aliter legisse, et libros optimos habuisse, præsertim cum Hebraica verba, ut nunc leguntur cum punctis Rabbinorum, nihil significare videantur. Existimo igitur mutanda esse puncta, et ex nomine *in simulationibus*, faciendum esse verbum modi infiniti cum affixo primæ personæ, quod reddendum erit, in tentando me. Nam etsi חנף *chanaf*, *simulare*, et hypocritam esse significet, tamen tentare proprium est hypocritarum, iuxta illud Domini Matth. 22. 18. *Quid me tentatis hypocritæ?* et idem est, in tentando me, quod in hypocrisi agendo mecum: et similiter ex nomine subsannationum faciendum erit verbum temporis præteriti cum affixo primæ personæ: et tunc sensus erit, *subsannaverunt me.* Illud autem *mahog*, significat quidem verbum otiosum, sed significat etiam subsannationem. Proinde integer sensus erit, *in tentando me subsannaverunt me subsannatione:* quod idem est cum eo quod nos habemus, tentaverunt, subsannaverunt me subsannatione; ita Bellarminus probabiliter.

116. *Sanna quid.* Simplicius tamen, et verius, arbitror nihil esse mutan-

dum, sed sensum esse, q. d. *In tentationibus* (active sumendo, et idem est quod tentaverunt me) *et in subsannationibus subsannationis,* sive *subsannationum*, id est subsannationibus maximis, *frenduerunt super me dentibus suis.* Est enim sanna sive subsannatio, cum quis soluto risu, exerta lingua, distorto naso, dentibus stridentibus, totius corporis partibus contortis quispiam irridetur. Cornutus in Persium Satyra 1. tria sannarum genera esse scribit, 1. cum manus contractis digitis, aut ad inferiorem partem inclinatis, ciconia significatur; 2. cum auriculæ asini apponuntur; 3. cum lingua in modum sitientis canis protenditur. *Subsannatio subsannationis*, sive *subsannationum*, est subsannatio maxima. Hebræi enim exaggerationem, sive gradum superlativum, exprimunt aliquando per nomen substantivum geminatum, ut canticum canticorum, id est canticum excellentissimum; sanctum sanctorum, id est, locus templi sanctissimus. *Frendere* autem *in subsannationibus*, vel ponitur concomitanter, id est, subsannant et frendent: vel causaliter, id est, per subsannationem frendent. Hebræi enim modum et instrumentum ponunt in ablativo cum præpositione. Non potest autem quis frendere dentibus, quin labia torqueat et subsannet.

Allegor. Alleg. de Christo flagellato et illuso, et de Iudæis hæc dici planum est. Iudæi enim Christum subsannarunt, et in eum caninis et leoninis dentibus frenduerunt: dissipati sunt nec egerunt pœnitentiam, nec dolore compuncti sunt ob scelus admissum. Primo, de dissipatione Iudæorum obstinatorum, per totum orbem divisorum, exponit Beda, Alcuin. et Bruno. Secundo, de dissipatione interiori in corde: nam dissecabuntur cordibus suis præ furore et rabie: ita Apollinaris. Tertio, et magis proprie *dissipati sunt* a Deo, quia non erant convenientia eorum testimonia, et ipsimet sibi contradicebant. Vide apud Lorinum, si placet, huius loci quindecim expositiones, sed hæ sufficiunt.

Nono, sancta quadam impatientia petit David a Deo liberari, cum iam dudum in afflictione perstitisset, v. 17. (Vers. 17.) Domine quando respicies? restitue animam meam a malignitate eorum, a leonibus unicam meam, id est, animam, quæ mihi unica est: ideoque est charissima et pretiosissima: ea enim a corpore abeunte, remanet vile et putridum cadaver.

117. Nota, pro *a malignitate* Hebr. משׁאים *miscioim*, id est, a desolationibus, vastationibus, cladibus, calamitatibus, tumultibus, impetu, fragore, irruptione, impressione, ut fit in repentinis malorum irruptionibus. Itaque malignitas hic ponitur metonymice pro effectu malignitatis: id est pro illata afflictione et calamitate. Unde S. Hieronym. vertit: *Converte animam meam a calamitatibus suis.* Secundo Pagn. *Eripe animam meam a desolationibus eorum.* Tertio, Felix: *Eripe animam meam a tumultibus eorum.* Quarto, Campensis: *Restitue a contumelia ipsorum animam meam.*

118. Nota secundo, David in persecutione Saulis erat veluti iam inter mortuos deputatus, 1. quia eiectus ex aula, ubi vivebat vita honoris; 2. spoliatus bonis, quibus vivebat vita civili; 3. privatus uxore, quæ erat dimidia pars corporis eius. Ex duobus enim fit una caro, id est, unus homo, ut ait Christus Matth. 19. 6. 4. iam erat sepultus in montium cavernis, ubi putrescebat doloris vermibus corrosus, et visu, motu, lingua, auditu aliisque sensibus pene privatus. Cum ibi nihil præter tenebras et mortis horrorem videret, movere se loco non auderet; ne hiscere quidem fas esset: nihil perciperet eorum quæ sibi necessaria essent, ut rebus suis consuleret, nihilque præter terrores ad eum deferretur. Petit itaque ab illa morte excitari, et animam sibi restitui prope amissam, et suis operationibus non fungentem in tanta calamitate: atque brevi e corpore penitus exituram, nisi cito comprimatur hostium malitia. Sensus hic est verborum istorum: *Restitue animam meam a malignitate eorum.* Quod Hebr. השׁיבה *hasciba*, id est reduc, redire fac, adhuc expressius signat, q. d. Iam abit anima mea, me relinquit; sed tu Deus abiturientem in corpus revoca, ut illud languidum, marcidum, torpens, frigidum, et pene emortuum vivificet atque roboret.

(David afflictus a Saule velut inter mortuos iam erat reputatus.)

Alleg. Christus postulat resurrectionem suam, qua corpus ad vitam revocetur, et glorificata anima glorificetur. 119. Tropol.

Tropol. Anima nostra magnifacienda, quia unica est. Illa perdita, nihil nobis superest. Est gemma illa evangelica, qua amissa non est quiescendum, antequam reperiatur. Est filia unica, qua mortua accedendum est ad Christum cum Iairo principe Synagogæ in Capharnaum, urbe celeberrima sita prope mare Galilææ, in qua urbe Christus domum habuit tempore suæ prædicationis. Iairus Hebr. significat lucem, sive lucidum. Ubi prima lux gratiæ nobis peccatoribus adlucet, currendum est ad Christum qui est vita, et resuscitabit nos: monet Ieremias Ierusalem cap. 6. v. 26. *Filia populi mei accingere cilicio* (illud adhibebat David ut vidimus,) *et conspergere cinere: luctum unigeniti fac tibi: planctum amarum, quia repente veniet vastator super nos.* Dæmon scilicet ad inferos deiiciens in mortem æternam, nisi ab hac prima peccati morte resurgamus. Deus ipse dicit Amos 8. 10. *Ponam eam quasi luctum unigeniti, et novissima eius* (diem mortis) *quasi diem amarum.* Ad litteram agit de terra Israel, quæ vastata est a Phul, Tegiatphalasar et Salmanasar regibus Assyriorum. Si mortuum tuum defleas, et illum coram Christo in terram, id est, ad notitiam tuæ infirmitatis, portes; movebitur misericordia super te, et teipsum tibi reddet ex mortuo et putrescente vivum et vegetum, ut fecit viduæ urbis Naim reddens filium unicum, Græce μονογενη, id est unigenitum. *Naim* Hebr. idem est quod pulchra, decora, iucunda, delectabilis. Resurge per Christum, vivo in illo, et manebis in Naim, id est, in pulchritudine gratiæ et iucunditate gloriæ.

(Anima cum nobis sit unica, est magnificanda.)

Nota tertio, pro *a leonibus* Hebr. est מכפירים *micchephirim*, id est, a leunculis iam grandioribus, et qui ad prædam egredi incipiunt. Hinc Vatab. vertit, *a leunculis animam meam.* Felix, a leonibus solitariam. Aquila, μοναχην μȣ, monacham meam, ut sic loquar, id est solitariam. Symm. μονοτητα μȣ, id est, solitudinem meam. Ubi adverte dæmones multis de causis comparari leonibus, ut dixi Ps. 7. sect. 4. Secundo comparari leunculis, quia, 1. maiori fame laborant; 2. consequenter in prædam avidius et ferocius involant; 3. sunt ferociores; 4. fortiores; 5. velociores; 6. magis petulantes. Tertio, solitudinem multum conferre ad tentationes, et audacius in hominem solitarium dæmones irruere; et qui viventibus in communitate velut catelli allatrant, in solitudine instar leonum irruere et furere. Sed Deo fretus ne castra quidem eorum timeas, vinces sicut S. Antonius, S. Hilarion, S. Macarius, et alii generosi athletæ. S. Sabæ Satanas in figura leonis terribilis, et torvo contuitu horrificus apparuit, ut sanctitate conspicuum virum exterreret, perinde ac si in eum facturus esset impetum. Heros autem ille interritus subiecit: *Si accepisti contra me potestatem, cur reprimis impetum? Ego sum paratus, Dei cedens nutibus, et non invitum me offerens, ut devores: sin minus, cur fremis et exultas inaniter? Ambulabo enim, et conculcabo te leonem, munitus Christi virtute.* His verbis, velut ardentibus telis, confossus disparuit. 120.

(Dæmones sunt leones et leunculi.)

SECTIO TERTIA ET ULTIMA.

Tria facit. Primo, hostium dolos et rabiem describit, vers. 18. Secundo, divinum auxilium in eos postulat, vers. 22. Tertio, gratum se fore pollicetur, Deique victoris laudes cantaturum, vers. 27.

PARAPHRASIS.

18. *Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo gravi laudabo te.*

18. In Ecclesia toto orbe diffusa, variis atque innumeris populis distincta, te victorem, te triumphatorem, o Deus meus, hymnis meis prædicabo. Tibi uni salutem adscriptam feram, in tanta gentium undequaque affluentium multitudine, invictoque tibi consecratorum hominum cœtu.

19. *Non supergaudeant mihi qui adversantur mihi inique, qui oderunt me gratis, et annuunt oculis.*

19. Ne mihi prostrato iacentique insultent, qui me virtute tua stantem, in ruinam impellere sine causa moliuntur. Qui insontem me atque innoxium una sua instincti rabie oderunt, et tamen nictantibus et per fraudem annuentibus oculis amicitiam mentiuntur.

20. *Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur: et in iracundia terræ loquentes dolos cogitabant.*

20. Composito ad modestiam ore verba pacem unam et benevolentiam spirantia loquebantur. Et intimis in præcordiis efferatam iram terrenorum avidi concoquentes, fraudes varias versabant.

21. *Et dilataverunt super me os suum: et dixerunt, euge, euge, viderunt oculi nostri.*

21. Rictuque diducto, atque exertis dentibus in me, velut in opimam prædam, involaverunt. Sibique mutuam rabiem aspirantes, et effuso risu gestientes, exclamarunt: Agite, agite, optato spectaculo oculi satiantur, iam in retia se induentem contemplamur.

22. *Vidisti Domine, ne sileas: Domine, ne discedas a me.*

22. Abstrusos licet insidiantium dolos perspexisti, notus tibi illorum furor, noti cachinni: quamdiu quietus et tacitus tantum nefas inultum esse pateris? Si bello me pugnæque apparas, saltem adsta dux et comes, neque tot cinctum agminibus desere.

23. *Exurge, et intende iudicio meo: Deus meus, Dominus meus in causam meam.*

23. Sacro tribunali tuo me causamque meam sisto, huc oculos animumque adverte: æqua lance, ut assoles, innocentiam meam hostiumque furorem expende, ut tandem in sontes ultricem manum exeras.

24. *Iudica me secundum iustitiam tuam Domine Deus meus: et non supergaudeant mihi.*

24. Profer secundum æquitatem, et iustitiam, de meo hostiumque iure sententiam: ius adscribe, cui allibitum est, scio te ab innocentibus semper stare. Ne veluti lite superiores de me condemnato triumphent, et gaudio subsultent.

25. *Non dicant in cordibus suis: euge, euge, animæ nostræ: nec dicant, devoravimus eum.*

25. Ne votis illorum ita obsecundes, ut interna foras erumpente lætitia his me vocibus examinent: Agite, agite, percommode res ex animi sententia cecidit, nostra est victoria.

26. *Erubescant et revereantur simul qui gratulantur malis meis. Induantur confusione et reverentia: qui magna loquuntur super me.*

26. Sed potius, ubi causa exciderint, erubescant et verecundentur omnes simul, qui ob damna mihi illata sibi applaudunt. Rubore vultum perfusi, totique opprobriis et ignominia oppleti, caput in terram victi deiiciant: qui subrecto supercilio humi me stratum despectabant, et superbas mihi minas atque atroces intentabant.

27. *Exultent et lætentur qui volunt iustitiam meam: et dicant semper, magnificetur Dominus qui volunt pacem servi eius.*

27. Illi vero qui innocentiam meam et amant et tuentur, cælestibus delibuti gaudiis optatorum compotes fiant. Nec mihi tamen sibive felicitatem suam adscribant, sed omnem gloriam in te unum Dominum orbis refundant: te unum glorificent, qui tranquillitatem meam et quietem ambiunt.

28. *Et lingua mea meditabitur iustitiam tuam: tota die laudem tuam.*

28. Ego non animi tantum vires, expendendis tuis in me meritis applicabo, sed suavium modulatione Psalmorum, iustitiam tuam qua innocentem tutatus es, omnibus prædicabo: nihil aliud dies noctesque præter laudem tuam lingua mea personabit.

QUÆSTIO UNICA

QUAM PERFIDUS ET PERNICIOSUS AUCEPS EST ADULATOR.

121. Ordo Sectionis. DAVID noster in prima sectione huius Psalmi Deum iudicem, bellatorem et victorem in auxilium evocaverat. In secunda, laqueos sibi ab hostibus positos dixerat, quibus eum velut feram aut avem implicarent. Nunc illos, velut aucupes, adulatione verborum suorum necem sibi inopinatam molientes describit: Deumque orat ut eorum artes et dolos evertat.

Ac primo, velut sacra avis paradisi cantus se Deo dicturum promittit, v. 18. *Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo gravi laudabo te.*

Secundo, postulat a Deo, ut impediat, ne ab illis aucupibus capiatur, v. 19. *Non supergaudeant mihi*, in me scilicet retibus suis implicatum involantes, et velut captæ aviculæ incubantes. Ostendit autem eorum primo iniustitiam: *Qui adversantur mihi inique.* Secundo, malignitatem: *Qui oderunt me gratis.* Tertio, hypocrisim, qua blandiuntur quidem, sed ut decipiant, 1. oculis ridentibus amorem testantes: *Et annuunt oculis;* 2. pipiente calamo, et ore ad suavitatem composito, in illicias suas pertrahere nituntur, v. 20. *Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur.* Quarto, iram qua vindictæ cupidi oculum in paratas tendiculas identidem contorquent, ut terræ afflictus non evadam: *Et in iracundiæ terræ loquentes, dolos cogitabant.* Quinto, petulantiam, qua cum captum me et irretitum crederent, in cachinnos eruperunt, vers. 21. *Et dilataverunt super me os suum.* Sexto denique, iactantiam inanem, qua prædam optatam cepisse se inclamarunt: *Et dixerunt: Euge, euge, viderunt oculi nostri*, illum scilicet Davidem captum 39.

Tertio, Deum velut e solio laqueos illos venatores et

avienlam, despectantem depingit, v. 22. *Vidisti Domine.* Quinque autem ab eo hoc aspiciente flagitat. Primo, ardorem, ut voce terribili grassatores illos terreat: *Ne sileas.* Secundo, constantiam, ne semel iis territis discedat: *Domine ne discedas a me.* Tertio, promptitudinem seu diligentiam ut auxilium non differat, v. 23. *Exurge.* Quarto, benevolentiam attentam: *Intende iudicio meo Deus meus, et Dominus meus, in causam meam.* Quinto denique, iustitiam, v. 24. *Iudica me secundum iustitiam tuam Domine Deus meus.*

Quarto, in hac Dei iustitia, postulat haberi rationem hostium et amicorum suorum.

Primo, quidem hostium, ut laqueis suis eum non deficiant, vers. eod. 24. *Et non supergaudeant mihi.* Secundo, ut disiectum et interceptum non discerpant et devorent, v. 25. *Non dicant in cordibus suis: Euge, euge, animæ nostræ: nec dicant, devoravimus eum.* Tertio, ut ipsi spe frustrati rubore suffundantur: *Erubescant.* Quarto, tremore, pœnam ferant lætitiæ suæ de eius calamitate perceptæ: *Et revereantur simul, qui gratulantur malis meis.* Quinto, diuturnas illas duas pœnas optat esse, et hostibus suis perpetuo adhærere sicut vestem: *Induantur confusione et reverentia, qui magna loquuntur super me.*

Secundo, amicis postulat concedi primo lætitiam, v. 27. *Exultent et lætentur qui volunt iustitiam meam.* Secundo, gratitudinem erga Deum: *Et dicant semper: Magnificetur Dominus qui volunt pacem servi eius.*

Denique pollicetur, se Deo omnem liberationis suæ gloriam tributurum, cumque semper laudaturum, v. 28. *Et lingua mea meditabitur iustitiam tuam: tota die laudem tuam.*

ARTICULUS UNICUS.

Adulator est monstrum portentosum omnibus insidians.

122. Adulator est monstrum ex variis animalibus conflatum.

Hostium sibi adulantium, sive adulatorum hostilium et perfidorum malitiam et crudelitatem David depingit et deplorat. Monstra facit terrifica, ex blanditiis et barbarie, velut ex diversissimis animabus, humana scilicet atque belluina, constantia. Illis enim assignat, 1. corpus draconis; 2. cor lupi; 3. oculos crocodili; 4. linguam sirenarum; 5. vultum lamiarum; 6. os et rictum leonis; 7. risum caninum; 8. denique, animam dæmonis. Quæ omnia ex sequentibus a nostro Propheta desumptis constabunt.

123. Vers. 18. Populus gravis.

Ac primo, ne in fauces tam terrifici monstri incidat, promittit se laudaturum Deum si ab eo liberetur, v. 18. Confitebor tibi in Ecclesia magna (S. Hieron. grandi) in populo gravi laudabo te. Ecclesia magna, est Ecclesia Catholica, de qua vide Psal. 44. et 47. dicta. Eadem dicitur *populus gravis*, id est, multus. Varro apud Nonium Marcellum vocat graves pavonum greges, id est, multos. Sallustius lib. 3. ait, grave pretium fructibus, id est multum. Secundo, *gravis populus*, est Ecclesia Catholica, id est populus robustus, fortis, invictus, bene munitus et armatus. Hebr. עצום *atsum*, idem est primo quod fortis, robustus: secundo, auctus quantitate, multiplicatus: tertio, osseus. Nam deduci potest ab *atsam* roborare, fortificare, multiplicare, vel ab *etsem*, id est os. Tertio, *gravis populus*, est Ecclesia Catholica, quia stabilis est et constans in fide Christi, et ab ea nunquam discedet; est enim ædificata supra firmam petram: et portæ, id est potestates inferi non prævalebunt adversus eam. Non circumfertur omni vento doctrinæ.

Tropolog. Populus gravis est, qui tentationibus non abripitur sicut palea Ægypti, et sicut pulvis, quem proiicit ventus a facie terræ viventium. S. August. in Psalm. nostr. *In Ecclesia quæ toto orbe diffusa est, palea est et frumentum. Palea volat, frumentum manet, ideo in populo gravi laudabo te. In gravi populo, quem ventus tentationis non aufert, in his Deus laudatur. Nam in palea blasphematur semper. Quando palea nostra attenditur, quid dicitur: Ecce quomodo vivunt Christiani, ecce quid faciunt Christiani. Et fit quod scriptum est Rom. 2. 24.*

A

Quoniam nomen meum per vos blasphematur in gentibus. Inique, invide, aream inspicis qui totus in palea es, non tibi facile grana occurrunt: quære et invenies populum gravem, in quo Dominum laudes. Vis invenire? Esto talis. Nam si non fueris, difficile est ut non omnes tales tibi videantur qualis es. Et comparantes, ait Apostolus 2. *Cor.* 12. 10. *semetipsos sibimetipsis non intelligunt:* ita Aug. de mala gravitate vide Ps. 4. 3.

Symbolice, populus gravis sunt religiosi modesti. S. Augustinus monet: In incessu, statu, habitu, in omnibus moribus vestris, nihil fiat quod cuiusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. Lege regulas modestiæ præscriptas a S. Ignatio.

Secundo, David incipit descriptionem adulatoris, cui tribuit corpus draconis, quod ita sit veneno perfusum, ut per omnes adulatoris actiones, veluti sanguis per venas, malitia venenata diffluat, v. 19. Non supergaudeant mihi qui adversantur mihi inique: qui oderunt me gratis, et annuunt oculis. Pro inique Hebr. est, *mendacio*, per mendacium, mendaciter. Felix et Arias, falso; 2. Pagn. gratis; 3. Vatablus, immerito; Camp. sine ratione; Petav. παρ'αισαν, præter ius; Noster, iniquum; 4. S. Hieron. et Syr. mendaces. Sed *seeker* est nomen substantivum, et significat mendacium, falsitatem, tam verborum quam rerum. Sumitur etiam adverbialiter. 124. Vers. 19. 1. Adulator habet corpus draconis.

B

Moraliter, venenati sunt adulatores. Stobæus ait, veritatis venenum pessimum esse adulationem. Secundo, venenum adulatorum eo est lethalius, quo minus prævidetur: illud enim occultant. Scorpionibus sunt similes, qui blandiuntur ut feriant. S. Gregor. lib. 1. in Ezech. cap. 9. *Adulator, ait, scorpio est, qui palpando incedit, sed cauda ferit.* Hoc de Iudæis ait Ugo Cardin. in cap. 5. Ioannis: et quidem Iudæi Hebr. idem est atque laudantes: laudabant Christum, sed ut cum vulnerarent: cum petunt an liceat dare tributum, ut si id diceret dandum, esset odiosus populo: si diceret non esse dandum, accusaretur apud Cæsarem, aut eius præsidem. Matth. 22. 16. *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum.* Arab. non respicis in faciem hominis. En laudem, sed venenum sequitur: *Dic ergo nobis, quid tibi videtur: Licet censum* (Syr. pecuniam capitatim) *dare Cæsari, an non?* Sed quomodo ingeniose Christus cognitam eorum malitiam eluserit, vide eo loco. Tertio, veneficis adulatores annumerat Plato in Menexeno, γοητευουσι τας ψυχας, præstigiis et veneficiis fallunt animas. Quarto, hinc concludit adulatores esse fugiendos. S. Petrus Damiani epist. 114. *Palpantes*, ait, *adulatores, tamquam serpentini morsus venena devita, et velut obiecta theriaca prorsus audiant*, ex Ps. 69. 4. *Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi euge, euge.* Et Ioannes Sarisberiensis eorum halitu pestifero urbes esse infectas dicit, ideoque fugiendas. Sic enim lib. 3. Policratici, seu de nugis curial. et philosoph. ait: *Fugio urbem adulatorum veneficio toxicatam.*

C

D

Tertio. David dat adulatoribus cor luporum, v. eod. 19. Qui oderunt me gratis, id est, sine ulla causa. Nam id faciunt primo sine ulla mea culpa; secundo, sine ullo suo fructu. 125. Vers. 19. 2. Pars. II. Habet cor lupi, ob novem rationes.

Homines in lupos verti rursumque restitui sibi, falsum esse confidenter existimare debemus, ut ait Plin. lib. 8. cap. 22. ubi duas fabulas refert, de hominibus in lupos mutatis, et postea humanæ formæ redditis. Lupis similes esse adulatores vere dicebat Alphonsus rex Aragonum, teste Antonio Panormitano in eius vita. Rationem hanc reddebat, quia lupis innatum est, ut titillando et scalpendo asinos decipiant, eosque devorent: ita adulatoribus illud est ingenitum, ut blanditiis mendacibusque principes palpent, atque illectos in ruinam trahant. In eamdem rem convenit priscum illud effatum: *Mel muscæ sequuntur, cadavera lupi; prædam sequitur turba ista, non hominem.*

Secundo, vestigia lupi calcata equis afferunt torporem: ita Plin. lib. 28. cap. 10. qui ait cap. 20. ibid. rumpi equos qui vestigia luporum sub equite sequantur. Et lib. 8.

c. 22. creditur vocem homini, quem priores contemplontur, lupos adimere ad præsens. Adulatio generosissimos enervat, et in rebus spiritualibus eloquentissimos facit elingues. Sigismundus Imperat. adulatores vocabat aulæ pestes.

Tertio, Plin. lib. 8. 22. in Italia, inquit, creditur luporum visus esse noxius. Et lib. 11. cap. 37. *Oculi in tenebris lupo splendent, lucemque iaculantur.* Sed ut noceant, et a se illuminatos devorent. Abnerem, id est patris lucernam seu patrem lucis, Ioab occidit, 2. Regum 3. 27. De adulatoribus dicit S. Chrysost. homil. 42 in Matth. *Isti catenam subdolæ laudis in ore portantes, et gladium malitiæ abscondentes in corde.* Et Hugo a S. Victore per varios effectus adulatorem describit: *Adulator*, ait, *amicus in obsequio, hostis in amico, constans in verbo, turpis in facto, lætus ad prospera, fragilis ad adversa, inflatus ad obsequia, anxius ad opprobria, immoderatus ad gaudia, facilis ad humana, difficilis ad honesta.*

Quarto, Plin. lib. 8. 22. Caudæ lupi creditur vulgo inesse amatorium virus exiguo in villo. Adulatores cauda blandiuntur, ut ad obscœna sæpe pertrahant. Ioab Abnerem percussit in inguino, 2. Reg. 3. 27.

Quinto, Inertes lupos parvosque Africa et Ægyptus gignunt, asperos trucesque frigidior plaga. Ubi est ardor charitatis et virtutum, ibi non habent vim adulatores, sed in frigore peccati. In Olympo Macedoniæ monte non sunt lupi, nec in Creta insula, nec in Anglia: sed quis est in terris locus, qui adulatore careat?

Sexto, lupi in fame vescuntur terra. Adulatorum cibus sunt homines terreni et carnales.

Septimo, lupo cervario in fame mandenti, si respexerit, oblivionem cibi surrepere aiunt, digressumque quærere aliud. Insatiabiles esse ait Plin. lib. 11. cap. 37. quia a ventre protinus recto intestino transeunt cibi. Adulatores ut plurimum sunt parasiti, aut avari, ideoque insatiabiles.

Octavo, lupi apud Mæotin paludem nisi partem a piscantibus suam acceperint, expansa eorum retia lacerant. Adulatores si nihil prædæ capiant, famam aliorum detractionibus discerpunt.

Nono, Plin. lib. 29. cap. 20. Ferunt, ait, lupos in agrum non accedere, si capti unius pedibus infractis, cultroque adacto, paulatim sanguis circa fines agri spargatur, atque ipse defodiatur in eo loco ex quo ceperit trahi. Punitio adulatorum eos ex aula fugabit, aliosque ne intrent, impediet.

126. Vers. 19. 3. Pars III. Adulator habet oculos crocodili. QUARTO, adulatori sunt oculi crocodili, v. eod. 19. ET ANNUUNT OCULIS. Primo, regis Saulis applaudentes furori commandatis sceleratis contra Davidem: ita S. Basil. Theodoret, et Euthym. Secundo, annuunt sibi ipsis se mutuis nictationibus incitando ad faciendum in ipsum impetum, et ferociorum crudelibus verbis consentiendo; ita S. Thom. Petr. Lombardus, Hesychius, Petavius, Campensis. Tertio, annuunt etiam mihi, ut me irrideant: ita S. Cyrill. et Euseb. ut fingant se mihi compati, et favere velle, S. Augustin. et Cassiod. Magnotius, qui sic bello expressit in quadam editione:

Improbus illudat nostris ne casibus hostis,
Et veram se ferre oculo nictante salutem
Assimulans, clausum foveat sub corde venenum.

Crocodili ea est malignitas, ut madentibus oculis fletus humanos imitetur, eoque actu incautos ad se alliciat ac devoret. Adulator et risum cum iis qui lætantur, et lacrymas cum tristibus, et odia cum iratis, atque delicias cum delicatulis imitatur: in omnemque se versat partem, ut quam maximo placeat, et statim sese in amicitiam insinuans ad exitium trahat. Secundo, ut ait Plin. lib. 8. cap. 25. crocodilum habet Nilus, quadrupes malum, et terra pariter, ac flumine infestum. Adulator in prosperis et adversis est noxius, et semper vorat. Tertio, unum hoc animal terrestre linguæ usu caret. Dicere veritatem non potest assentator, habet dæmonium mutum. Quarto, non aliud animal ex minori origine in maiorem crescit magnitudinem. In aula sæpe ex salicibus et virgultis fiunt cedri libani. Quinto, crocodilus dies in terra agit, noctes in aqua. Adulator de terra cogitat et loquitur in die, de deliciis in nocte. Sexto, terribilis hæc contra fugaces bellua est, fugax contra insequentes, sed adversum ire soli audent Tentyritæ, ab insula quam in Nilo habitant, sic appellati. Quin etiam flumini innatant, dorsoque equitantium modo impositi, hiantibus resupino capite ad morsum, addita in os clava, dextra ac læva tenentes extrema eius utrinque, ut frænis in terram agunt captivos: ac voce etiam sola territos, cogunt evomere recentia corpora ad sepulturam. Itaque uni ei insulæ crocodili non adnatant, olfactuque eius generis hominum, ut Psyllorum serpentes, fugantur. Generosos animos timet et fugit adulator. Septimo, crocodilus quatuor menses hyemis inedia semper transmittit in specu. Adulator sæpe famem sustinet, in aliena domo vorax. Octavo, quidam hoc unum animal quamdiu vivit, crescere arbitrantur: vivit autem longo tempore. Nunquam satis est aulicis assentatoribus, desideria eorum semper augentur.

Aliis quoque animalibus et rebus simile est fallax et versatile ingenium adulatorum. Primo, Protei sunt, qui in omnem se formam et figuram transformant, ut decipiant. Athenæus lib. 6. Κόλαξ, ait, εοικεν ειναι τω Πρωτει ο αυτος, *idem cum Proteo videtur esse adulator*. Adulator etiam est Proteus.

Secundo, Chamæleontes sunt, qui colorem omnem induunt præter album, ut censet Plutarchus: præter album et rubrum, ut volunt Plin. et Alciatus. Nihil est commune adulanti, cum innocentia et vera charitate. Chamæleon.

Tertio, Polypi sunt, qui saxo cuicumque adhæserint, illius colore vestiuntur: ut pisces ad se, velut ad cautem, adnantes ex improviso capiant et discerpant, sicut docet S. Basilius hom. 7. Hexaem. Polypus.

Quarto, Pantheræ sunt, quæ cunctas quadrupedes odoris dulcedine invitatas corripiant, sicut notat Plin. lib. 8. cap. 17. Maculosa pellis est adulatori. Panthera.

Quinto, Hyænæ sunt, quæ modo sunt mas, modo fœmina: *Hyenis*, ait Plin. lib. 8. cap. 30. *utramque esse naturam, et alternis annis mares, alternis fœminas fieri, parere sine mare, vulgus credit, Aristoteles negat. Oculis mille varietates, colorumque mutationes.* Ichneumon quoque alternare sexum fertur. Adulator vero non modo sexum alternat; sed Hermaphroditus est, una et eadem hora modo vituperans, modo laudans, si quid vel placere vel displicere eodem pene momento viderit. Lege Plutarchum de adul. Hyæna.

Sexto, adulatores Euripo assimilat Themistius. Sic autem ait apud Nicephor. Callistum lib. 10. histor. Eccles. cap. 42. κατ' ὐδεν διαφερουσιν Ευριπυ: *Nulla in re differunt ab Euripo, nunc huc, nunc illuc agitato.* Euripus.

Ex quibus conclude cum Tiberio Imp. apud Tacitum, assentatores esse homines ad servitutem natos. Cum Diogene apud Laertium, esse turbæ ministros. Cum Bione apud Erasmum, esse amphoras quæ auribus circumaguntur. Hoc apparuit Primo, in aula Dionysii Tyranni; nam, ut Theopompus refert, ob temulentiam corruptis oculis pene excæcatus erat. Assentatores vero eius, teste Theophrasto, simulabant nihil se videre, nec apposita cibaria poculave cernere, ad ea capienda eos manu ducente Dionysio, ideoque falso appellatos Διονυσοκόλακας. 127. Adulatorum simulatio ridicula, et imitatio stulta.

Secundo, Satyrus in vita Philippi regis Macedonum ait, cum Philippus percussus in oculo fuisset, Chisophum adulatorem accessisse eodem oculo ligato: cum deinde vulnerata fuisset Philippi tibia, cum rege claudicantem incessisse: et si quod acre edulium Philippus comedisset, ipsum quoque vultum formasse, quasi idem edisset.

Tertio, adulatores imitabantur Alexandri regis inflexionem colli, et in dicendo vocis asperitatem. Dionysii et Phalaridis crudelitas, iustitia: Ptolomæi regis choricæ saltationes, pietas in deos: Antonii luxus, humanitas dicebatur. Reges dum cantarent, Apollines: dum et ebrii essent, Bacchi: dum palæstram exercerent, Hercules salutabantur. Plato notat, quod amator amasii adulator, ei qui naso simo sit, nomen imponit gratiosi: ei qui adunco, regii: qui nigro, virilis: qui albo, deorum filii.

QUINTO, David adulatori tribuit linguam Sirenarum,

128. Vers. 20. IV. Adulatori est lingua Sirenæ.

v. 20. QUONIAM MIHI QUIDEM PACIFICE LOQUEBANTUR, ET IN IRACUNDIA TERRÆ LOQUENTES, DOLOS COGITABANT. Nota, pro *mihi pacifice loquebantur*, sensu contrario vertit S. Hieron. non enim pacem loquuntur. Pagnin. et Felix, non pacem loquentur. Vatabl. nihil pacificum loquuntur. Nunc enim legunt לא *lo*, id est *non:* Sept. legerant לי *li*, id est, *mihi*, et sensus est melior.

Sirenæ quid.

Nota, Dino pater Clitarchi dicebat Sirenes esse aves in India: mulcerique earum cantu, quos gravatos somno lacerent. Sed hoc parum est probabile. Poetæ fingunt fuisse tres Acheloi fluminis et Calliopes Nymphæ filias: nempe Parthenopen, Ligiam et Leucosiam. Harum unam voco, alteram tibiis, aliam lyra cecinisse: et primo iuxta Pelorum Siciliæ promontorium Italiam spectans, post in Capreis Insulis habitaverunt, ubi nautas dulcedine cantus sopiebant, sopitos demergebant, et demersos devorabant. Sirenes in rei veritate erant meretrices, quæ blanditiis suis transeuntes inescatos, ad paupertatem redigebant, et in naufragium virtutis, honoris, famæ, divitiarum et sanitatis deducebant. Idem faciunt adulatores in aula, quæ est mare Siculo periculosius. Ugo Cardin. in cap. 6. Proverbiorum. *Est*, inquit, *adulator quasi Sirena diaboli, trahens in exitium audientes*. Et S. Hieron. si recte memini sic loquitur: *Nos ad patriam festinantes, mortiferos Sirenarum cantus surda aure transire debemus*. Alludit ad Ulyssem, quem fingunt cum prope domicilium Sirenarum iter haberet, sociorum aures cera obturasse, ne insidiosos earum cantus audirent: seipsum vero malo navis iussisse alligari: atque ita periculum evasisse. Tu sepi aures tuas spinis coronæ spineæ Christi, et verba blandientia contemnens evades.

129. Adulatori etiam est lingua hyænæ.

Secundo, posses conferre adulatorem hyænæ, quæ vocem humanam æmulatur, ut homines discerpat. Est animal ferum et crudele, sed fallax et simulationis plenum. Plinius lib. 8. cap. 30. Hyæna, inquit, sermonem humanum inter pastorum stabula assimilat; nomenque alicuius addiscit, quem evocatum foras laceret; 2. item, vomitionem hominis imitatur, ad sollicitandos canes, quos invadat; 3. umbræ eius attactu, canes obmutescunt; 4. et quidem magicis artibus omne animal, quod ter lustraverit, in vestigio hæret: ita Plin. Ubi comitem tibi assentatorem adhærescere passus fueris, velut incantatus capieris, atque ab illius manibus subducere te non poteris.

Manticoræ.

Tertio, manticoræ etiam adulatorem compara. Hæc enim, ut auctor est Iuba, sermones hominum imitatur in Æthiopia, et dirissime sævit. De illa sic ait Ælian. lib. 7. cap. 2. Apud Indos nascitur immenso roboro animal, cui Indorum lingua manticora nomen est, magnitudine maximi leonis, coloro rubrum, canis modo villosum, facie eadem prope quæ hominis, dentium triplici utrinque ordine acutissimorum, caninis maiorum, auribus hominis similibus, nisi quod hæ et grandiores et villosiores sunt: oculis cæsiis et his non dissimilibus hominis, pedibus et unguibus iisdem, qui leonis. Summa cauda illi scorpionis, modo terreni, aculeo plusquam cubitali armata: reliquum caudæ utrinque aculeis cuspidatum est: quos, tamquam tela, si quis insequatur, eminus iaculatur. Humanis carnibus maxime delectatur: quocirca complures homines interficit: nec singulos dumtaxat homines invadit, sed plures collectos interimit. Adulatori et detractori hæc facile adaptabis.

Crocutæ.

Quarto, Crocutas posses adulatores appellare, eas Ælianus vocat Corocottas, docetque φθεγγεσθαι ανθρωπινη, *loqui humana voce*, et nominatim frondatoros appellare, ut illos devorent. Xiphilinus tradit Crocutam Romæ primum sub Severo visam esso: figuram vero habero perinde quasi ex cane et vulpe conflata sit, colore autem leænæ permistæ cum tigri. Est adulator vulpes, ut decipiat; 2. canis, ut mordeat; 3. tigris, ut insiliat et discerpat; 4. denique leæna, ut devoret. Plinius lib. 8. cap. 30. ex hyæna et leæna ait Crocutam gigni. Adulator fallax est et crudelis. Verba Plinii sunt: Hyænæ coitu leæna Æthiopica parit crocutam, similiter voces imitantem hominum pecorumque. Acies ei perpetua in utraque parte oris, nullis gingivis, dente continuo, qui ne contrario occursu hebetetur, capsarum modo includitur.

Quinto denique, adulatorum lingua est telum, labia rete, verba laquens. Primo, enim de eorum lingua dicit Ierem. cap. 9. 8. *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est: in ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias*. Secundo, S. Ambros. in epist. ait esse laqueum in labiis nostris. Diogenes apud Laertium vocat adulationem, *melleum laqueum*, quod blande amplectens iugulet. Qui fascino utuntur, laudando necant arbores, sata, pueros, ut ait Plinius. Et Seneca: *Malum*, ait, *hominem blande loquentem agnosce tuum laqueum esse. Habet enim suum venenum blanda oratio*. Tertio denique, de verbis adulatoriis dicit Salomon Prov. 29. 5. *Homo qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius*. 130. Adulatoris lingua est telum.

131. Vers. 20. 2. Pars. V. Adulatori est vultus lamiarum.

SEXTO, assentatoribus vultum lamiarum assignare possis: de iis ait David vers. eod. 20. ET IN IRACUNDIA TERRÆ LOQUENTES, DOLOS COGITABANT. Nota, *To terræ* non est in Psalter. Rom. et Ambros. nec apud S. August. et Cassiod. nec in plerisque codicibus Græcis. Melius tamen legitur e Symm. Aquila, S. Basil. Theod. Euth. Euseb. Chald. Syr. Arab. et aliis. Est enim in textu Hebraico.

132. To rega quid significet.

Nota secundo, pro *iracundia* Hebr. est רגע *rega*, quod potest esse nomen substantivum, et significat, 1. requiem; 2. scissionem; 3. tempus brevissimum, minutum, momentum; 4. iram cito erumpentem et omnia disrumpentem. Secundo, *rega* potest esse Toar, id est, nomen adiectivum, et significat, 1. quietum, pacatum, tranquillum, humilem, mansuetum; 2. quietum hoc est in opum et honorum requie existentem, divitem, opulentum, pinguem. Hinc variæ versiones existunt. Primo, Vatablus vertit, contra eos qui quieti sunt in terra, verba dolosa excogitant. Secundo, Chald. contra iustos terræ quiescentes in sæculo isto, verba dolosa cogitant. Tertio, adversus insontes qui in terra degunt, dolos concinnant. Quarto, super tranquillos terræ, verba fraudium cogitabunt. Quinto, Syr. Arab. R. Ionas, contra humiles. Sexto, Felix super (Flamin. contra) mansuetos terræ. Septimo, super vel contra discissos, confractos, contritos in terra. Multi iaccentibus insultant, quos stantes venerabantur et adorabant. Octavo et melius, alii *rega* sumunt substantive. Camp. ipse etiam vertit: Cum terra in tranquillitate est, fraudulenta consilia capiunt. Nono, S. Hieron. in rapina terræ, verba fraudulenta concinnant. Vel censuit *rega*, rapinam quoque significare: vel iracundiam vocavit rapinam, quia illius est causa: et dum satellites Saulis contra Davidem furebant, regionem totam armati populabantur cum quærentes. Decimo, R. David in huius loci commentario, et in libro radicum, in scissuris terræ verba fraudulenta cogitabunt. Scissuras vero terræ intelligit loca occulta. Accipere possis gurgustia, ganeas, popinas, lupanaria, q. d. Inter pocula et libidines suas tenebrosas scelerati homines de me perdendo cogitant, mihi necem per homines vino emptos et animatos machinantur. Scissuras etiam terræ iure voces corda irata. Nam ira est scissio tum intransitive, quia seipsam rumpit et cor in quo est; tum transitive, quia obvia quæque in aliis disrumpit, sicut fulmen et torrens.

133. Iracundia terræ sex modis explicatur.

Quæres. Quid est iracundia terræ? Respond. primo, *iracundia terræ* est quæ est *in terra*, id est, in corde terreno, tamquam in subiecto. Tale erat cor Saulis et satellitum eius.

Secundo, *iracundia terræ* illa est, quæ est *de terra*, tamquam de obiecto: id est, quæ versatur circa res terrenas aut acquirendas, aut perdendas, quæ scilicet excitatur aut timore ne perdas bona tua, sic Saul timebat amissionem regni transferendi in Davidem: aut ardore divitias et honores augendi alio deiecto qui illis fruitur, sic aulici furebant in Davidem ut gratificarentur Sauli, et ab eo ad honores et dignitates evcherentur.

Tertio, *iracundia terræ* est illa, quæ *in terram*, id est, in cunctos habitatores terræ infertur. Talis erat Saulis ira et satellitum eius, qui plurimos quasi faventes David, aut

illi compatientes, affligebant et bonis spoliabant, quod de eius parentibus, cognatis, affinibus, amicis, aliisque non est dubium: ut patuit in occisione Pontificis Achimelech, qui dederat Davidi panes propositionis, et in cæde omnium sacerdotum in Nobe, quæ etiam eversa est, et privata tabernaculo quod translatum est Gabaonem.

Quarto, *iracundia terræ* est iracundia, quæ celatur, et quodammodo terra tegitur: ita S. Basil. et Euth. Semper lucem fugit malus.

Quinto, Magnetius ingeniose, *iracundiam terræ*, dicit esse terræ motum, concussionem, distractionem, et mugitum. Sic enim vertit.

Composito pacem ore sonant, labefacta sed intus
Pectora rumpuntur: veluti cum sedibus imis
Terra revulsa gemit, vastoque abscedit hiatu.

VI. Et optime. Sexto denique, et optime, *iracundia terræ* illa est, quæ præ sui vehementia hominem stupidum facit, et defixis in terram oculis multa versantem corde. Sic exponit Petavius, q. d. Oculos in terram defigentes, occultum quiddam inter se submisse loquebantur, et fraudulentum callidis in mentibus consilium texebant.

134. Adulatores ad lasciva trahentes sunt lamiæ. Moraliter. Vultus mendax lamiarum in eos præsertim quadrat assentatores, qui ad lasciva pertrahunt. Lamias porro animal in Africa natum sic describit Dio. Chrysost. orat. 5. seu in fabula Libyca. Natura, inquit, corporis illarum bestiarum et forma talis est, το μεν προσωπον γυναικειον ευειδης γυναικος, *facies est muliebris, et qualis speciosissimæ mulieris esse possit; mammillæ autem, et pectora, et colla pulcherrima: qualia nulla virgo mortalis habere potest, neque adultæ nymphæ, neque fictor, neque pictor quisquam possit exprimere.* Cutis nitor clarissimus est, et hilaritas ex oculis, et desiderium animis incendit, simul ac quis eas aspexerit. Reliquum autem corpus durum et infractum squamis: et omne quod deorsum vergit, serpens est. Extremum autem caput serpentis, valde impudens. Ipsæ autem bestiæ non dicuntur nasci alatæ quemadmodum Sphinges: neque colloqui posse, ut illæ, neque aliam emittere vocem, sed sibilare tantum, ut dracones, acutissime. Esse autem omnium pedestrium velocissimas, ut nemo fere eas queat effugere: et alia quidem animalia robore vincere, hominem autem deceptione, ostendentes pectora et papillas, simulque aspicientes: Lamiarum descriptio, ex Dio. Chrysost. Καταγοητευειν δε και ερωτα εμβαλλειν δεινον τας ομιλιας, και τη προσ ενι καθαπερ γυναιξιν: *Incantare autem, et vehementius coitus iniicere desiderium, et nonnullos accedere ad eas tamquam ad mulieres: illas autem subsistere quiete, et sæpe* OCULOS IN TERRAM DEIICERE (illa est iracundia terræ) *imitantes mulierem honestam. Propinquum autem iam factum corripere. Habere enim et belluinas manus, quas abscondant interea. Serpens igitur confestim mordens occidit veneno: cadaver autem devorant simul et serpens et altera bestia.* Hæc Dio, qui deinde ostendit adulantem voluptatem etiam viros decipere et perdere: hæcque ait esse ante oculos habenda, quando cibum, aut pecunias, aut rem veneream, aut etiam aliquam voluptatem amamus. Quæ fabellæ docent in Africæ desertis reperiri, eadem in urbibus, et præsertim in aulis regum et principum, atque nobilium palatiis, videmus nimis vere reperiri, ubi assentatores et assentatrices sæpe fortissimos viros dementant et corrumpunt. De Lamiis vide Corn. in cap. 34. Isaiæ, v. 14. Meretricibus adulatores comparabat Antisthenes, quod utique mentem eripiant iis a quibus amantur.

Brevius et nervosius Sapiens ait Proverb. 27. 6. *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula blandientis.*

135. Vers. 21. 1. Pars. VI. Adulatori est os leonis. SEPTIMO, post multas dissimulationes tandem adulator os et fauces aperit instar leonis, ut incautos devoret, vers. 21. DILATAVERUNT SUPER ME OS SUUM: DIXERUNT EUGE, EUGE: VIDERUNT OCULI NOSTRI. Tribus modis contra Davidem os dilatabant eius hostes. Primo, cachinnando, et irridendo. Ubi dilatatio oris notat magnam et diuturnam irrisionem. Secundo, *dilataverunt super me os suum*, gloriando et superbiendo. Hoc notat τὸ *super me*, q. d. Veluti pedibus iugulo meo impositis magnifica de se loquuntur me despicientes. Sic Thren. 2. 16. dicuntur Chaldæi os suum aperuisse super Ierusalem a se devictam. Et Isaias 57. v. 4. Iudæis Christum deridentibus ait: *Super quem dilatastis os, et eiecistis linguam?* De irrisione etiam commode usurpabis. De iactantia aptius est illud dictum Sennacheribo regi Assyriorum volenti Ierusalem occupare, et Deum ore Rabsacis blasphemanti: *Cui exprobrasti, et quem blasphemasti, et super quem exaltasti vocem.* Superborum item et arrogantium tribuitur os loquens magna, ingentia, grandia, sic de Turca, ut vult Vatablus: de Antiocho Epiphane, ut Porphyrius: de Antichristo, ut melius S. Hieron. Dicitur Dan. 7. v. 2. *Cornu quod habebat oculos, et os loquens grandia.* Tertio, dilatatio oris fit ad devorandum. Sed præcipue est terribilis illa dilatatio, cum fit *super nos*, id est, cum deiecti sumus, et hostis victor, instar feræ famelicæ, prostratis incubat.

Moraliter, adulator est animal vorax et famelicum, quod post dolos et varias hypocrises, tandem sævit, et sanguinem exugit. Primo, est leo. Nam etiam leo sese inter venandum occultat, et fraudibus utitur. Qua de re vide dicta Ps. 9. v. 29. ubi avarum leoni comparavi. Secundo, S. Gregor. adulatores vocat locustas, Ægypti terram comedentes. Tertio, Antisthenes eos dicebat esse corvis peiores: corvi enim mortuis oculos eruunt, illi vivis. Quarto, Constantinus Imp. adulatores nuncupabat tineas et sorices palatii: ita refert Niceph. Call. lib. 8. Quinto, Anaxilaus apud Athenæum ait esse divitum vermes. Sexto, Marsilius Ficinus in Menexeno Platonis, citat ipsum Platonem in Phædro, ubi dicit, adulatorem esse bestiam humano generi pestilentem; similemque impuro dæmoni, incantos animos subnoxiæ voluptatis esca continue corporis sordibus inquinanti. Septimo, Bias censebat esse, των ζωων χαλεπωτατον, animalium infestissimum. Cum enim interrogaretur, quodnam infestissimum esset animalium, respondit, των μεν αγριων ο τυραννος, των δε ημερων ο κολαξ, ferorum quidem tyrannus: cicurum autem, adulator. Octavo denique, adulatores sunt morbus hominem totum putrefaciens et exedens. Plutarchus tract. de adul. et amici discrimine, dicit illos esse φλας, γαγγραινας, καρκινωματα, vomicas, gangrenas, cancros. Item, οικων και πραγματων μεγαλων ολισθημα και νοσημα familiarum, et rerum maximarum ruinam et morbum.

OCTAVO, dentes et risum canis habet adulator, vers. eod. 21. DIXERUNT: EUGE, EUGE; VIDERUNT OCULI NOSTRI. Supple, Davidem prostratum, bonis spoliatum, miserum, vagum, laqueis nostris implicitum, sub pedibus nostris iacentem. 136. Vers. 21. 2. Pars. VII. Adulatori est risus caninus.

Nota, *euge*, est vox græca deducta ab ευ, id est, bene, recte: et ab enclitico γε: ita ut ευγε significet, 1. bene, recte, præclare; 2. feliciter, commode, pulchre, apte. Est porro *euge* vox primo, exhortantis ad rem faciendam: secundo, assentientis et approbantis, cum res fit: tertio, exultantis et congratulantis, cum res facta est; quarto, insultantis et provocantis cum contemptu.

Nota secundo, pro *euge* Hebr. est האח *heach*, interiectio, 1. exultantis; 2. insultantis. S. Hieron. pro *euge*, *euge*, vertit *vah*, *vah*. Vatabl. *hæ*, *hæ*, et ait esse interiectiones exultantis. Pro *viderunt oculi nostri* Hebr. est, *oculus noster vidit*, id est, oculi nostri. Est enallage numeri frequens apud Hebræos. Symbolice unus tantum est oculus adulatori; est cocles. Terram solam respicit, cælum non contemplatur; 2. se solum et sua commoda inquirit, non regum, principum, et divitum cum quibus versatur.

Moral. Risus adulatoris est risus caninus; dum ridet, dentes parat ad mordendum. Primo, Diogenes apud Laertium vocat Aristippum Dionysio Siciliæ tyranno adulantem, *regium canem*. Secundo, magis adulatores deiicit Plato, cum eos nuncupat, κυνιδια μιμουμενα δεσποινας, *catellos dominas imitantes*, effœminatos scilicet atque molles, et otio diffluentes. Sic apud Lucianum in Lapithis Alcidamas Cynicus vocatur μελιταιον κυνιδιον, *catellus Melitæus*, qui mitratis serico capitio fluente fœminis ad de- 137. Adulator est canis.

licias tantum est. Tertio, adulatorem esse canem mordentem declaravit Sigismundus Imp. qui adulatori colaphum impegit: et causam roganti ait: *Cur me mordes adulator?* sicut refert Æneas Sylvius tract. de rebus gestis Alphonsi regis. Quarto, canes sunt venatores. Antonius in Melissa ait eos hostes esse illis quibuscum versantur, *ut canes lepori*: finis enim ipsorum est, post varios cursus saltusque sibi cum aliorum damno consulere. Socrates dicebat: *Lepores quidem canibus venatores capiunt*: τοις δε επαινοις ανοητους οι πολλοι: *multi autem stolidos laudibus irretiunt.* Quinto, adulatores sunt canes propriorum dominorum devoratores. Phavorinus ait: *Sicut Actæon a canibus quos alebat, discerptus interiit*: ουτως οι κολακες τους τρεφοντας καταλυουσιν: *sic parasiti eos a quibus aluntur, pessumdant.* Alio simili idem explicabat Aristonymus, ligna, inquit, dum augent ignem, ab ipso consumuntur: Ο πλουτος εκτρεφων κολακας, υπ' αυτων τουτων διαφθειρεται, *opes dum alunt adulatores, ab iis ipsis pereunt.* Hinc Agesilaus dicebat eos non minus vitandos esse quam propriæ vitæ insidiatores. Cato autem, esse teterrimos Reipublicæ hostes, et bonorum omnium insectatores. Athenienses olim veluti funestissimos civitatum eversores capitali eos supplicio afficiebant, quod in Timagora præstiterunt. S. Hieron. vocat blandos inimicos; sic enim loquitur contra Pelagium: *Semper insidiosa, callida, blanda est adulatio, pulchreque apud philosophos definitur: blandus inimicus.* S. August. in ipsis apertis hostibus adulatorem esse perniciosiorem dicit. Verba eius sunt in Ps. 59. *Duo sunt genera persecutorum, scilicet vituperantium, et laudantium: sed plus persequitur lingua adulatoris, quam manus persequentis.*

138. Nono denique, adulatori est malignitas et nocendi aviditas. sicut dæmoni. Animam itaque dæmonis illi tribue,
Vers. 25. qua desiderat devorare eos cum quibus agit, v. 25. Non
VIII. Adulatori est anima dæmonis. DICANT (non possint dicere ita spe sua cadent ut non valeant dicere) IN CORDIBUS SUIS (Hebr. et Syr. in cordo suo. Impii sunt unanimes et concordes ad nocendum) EUGE, EUGE ANIMÆ NOSTRÆ (id est nobis: q. d. Feliciter et prospere res nostra processit) DEVORAVIMUS EUM: Primo, eius honores et dignitates obtinendo: secundo, divitias illius et agros occupando: tertio, ipsum mactando: quarto denique, famam eius et gloriam absorbendo. Sed spe sua ceciderunt: nam David a morte illa civili resurrexit gloriosior, mortuo Saule factus rex primo solius tribus Iudæ in Hebron per septenninm: secundo, duodecim tribuum, et multorum aliorum populorum devictorum in Ierusalem per triginta tres annos.

Hostium illorum Davidis indicat aviditatem S. Hieron. S. August. Cassiod. et alii cum vertunt, *absorbuimus*, scilicet velut offam sibi obiectam Cerberus. Secundo, facilitatem et delectationem in nocendo Sept. qui reddunt, κατεπιομεν αυτον *ebibimus ipsum*, velut nectar nobis gratissimum in siccum guttur deiicientes. Adulationes vocat Diogenes apud Laertium, θανασιμον μελικρατον, id est lethale mulsum. Tertio, eorum crudelitatem denotat Noster, et Muisius qui vertunt, *devoravimus*. Vatabl. qui, *voravimus*. Vide dicta Ps. 13. 4. Quarto, odium. Pagn. qui habet *disperdidimus eum*. Quinto, Felix et Campens. iactantiam eorum et superbiam attingunt. Camp. reddit, *vicimus eum*. Felix, *depressimus eum*. Hebr. בלע *bala*, est, 1. absorbere, deglutire, ingurgitare, præcipitanter in ventrem deiicere; 2. perdere, dissipare; 3. præcipitare, cum impetu deiicere.

Moraliter. Adulator habet animam dæmonis, imo totus est dæmon, quod probari potest auctoritate Patrum. 139. Adulatori est dæmonis lingua.
Primo enim linguam dæmonis illi dat Ugo Cardin. in epist. 2. ad Timoth. 2. *Lingua diabol*, inquit, *est adulatio, vel detractio: quia detractor est os diaboli.*

Secundo, adulatori assignat mammam diaboli, idem Ugo in cap. 6. Proverb. *Adulator*, inquit, *est quasi nutrix diabolica, lactans parvulos Babylonis.* Ammianus Marcellinus lib. 20. adulationem nuncupat vitiorum altricem. Mamma.

Tertio, adulator manus diaboli habet uncinatas, ut omnia rapiat et ad malum promptas, ut dæmoni ad cædes et alia nefanda subserviat. S. Ioan. Climacus grad. 22. Κολακευτης, ait, εστι δαιμονων διακονος, *adulator est minister diaboli, et doctor superbiæ, perditor compunctionis, extinctor virtutum, erroris dux.* Manus.

Quarto, adulatori cor est dæmonis. Hinc adulator a Plutarcho vocatur Θεου εχθρος, *Dei inimicus.* Alanus tract. de contempl. naturæ appellat figulum falsitatis. Itaque cor eius est officina diaboli, ubi continua fingit et format mendacia, iisque spiritus vitales afflat. Isocrates eum vocat impostorem. S. Chrysost. homil. 2. in epist. ad Thessalon. 1. seductores. Dæmon autem est mendax ab initio et pater mendacii et mendacis: sicut veritas a contrario dicitur a Platone τι θειον, aliquid divinum: et S. August. lib. 8. 2. quæst. *Sicut*, inquit, *summa et divina virtus est neminem decipere: sic ultimum vitium est, quemlibet decipere.* Ut sit perfecta antithesis, dicere possis: sic ultimum et diabolicum vitium est, quemlibet decipere. Cor.

Quinto, adulatori animus est dæmonis. Nam etiam peccata ipsa laudat, et ad ea impellit, si modo sibi utilia esse videat ad gratiam principis demerendam. S. Chrysost. hom. 2. de Davide et Saule: *Collaudare delinquentes quod ad supplicii pertinet æstimationem, longe plus est quam delinquere: idque iure optimo; eo quod hoc suffragium proficiscatur ab animo plane corrupto, et insanabili morbo laborante.* Ibi dicit adulatorem esse omnis virtutis inimicum. Tullius in Lælio ait, adulationem esse vitiorum adiutricem. Animus.

Sexto, adulator est thronus dæmonis; in eius enim lingua sedet, regnat, leges dat, atque gloriatur et splendet. S. Petr. Damiani opusc. 50. c. 8. *Sæpe*, inquit, *malignus spiritus, velut avis in nido arboris: sic in lingua ponitur adulatoris.* Thronus.

Septimo, adulatoris sensus omnes sunt portæ inferorum, per quas dæmon suam pestem exhalat. Homer. Iliad. 1. facit adulatorem εχθρον ομως αιδαο πυλησιν, exosum velut inferni portas, cum aliud in mente occultum habeat, aliud vero dicat. S. Paulin. epist. ad Celantiam, eum esse pestiferum dicit: *Adulatorum assentationes*, ait, *velut pestes quasdam animæ, fuge. Nihil est quod tam facile corrumpat mores hominum; nihil quod tam dulci et molli vulnere animum feriat.* Tullius in Lælio, id est in lib. de amicitia: *Nulla*, inquit, *in amicitiis pestis est maior, quam assentatio, blanditiæ, adulatio.* Sinceros itaque amicos quæramus, qui vitia nostra et imperfectiones studiose investigent et fideliter referant, atque severe castigent, ut coram Deo iudice nostro expurgati tandem apparere possimus. Porta.

PSALMUS TRIGESIMUS QUINTUS.

1. In finem, servo Domini ipsi David.

2. Dixit iniustus ut delinquat in semetipso: non est timor Dei ante oculos eius.
3. Quoniam dolose egit in conspectu eius: ut inveniatur iniquitas eius ad odium.
4. Verba oris eius iniquitas et dolus: noluit intelligere ut bene ageret.
5. Iniquitatem meditatus est in cubili suo: astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit.
6. Domine in cælo misericordia tua: et veritas tua usque ad nubes.
7. Iustitia tua sicut montes Dei: iudicia tua abyssus multa.
8. Homines, et iumenta salvabis Domine: quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.
Fili autem hominum, in tegmine alarum tuarum sperabunt.
9. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: et torrente voluptatis tuæ potabis eos.
10. Quoniam apud te est fons vitæ: et in lumine tuo videbimus lumen.
11. Prætende misericordiam tuam scientibus te: et iustitiam tuam his qui recto sunt corde.
12. Non veniat mihi pes superbiæ: et manus peccatoris non moveat me.
13. Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem: expulsi sunt, nec potuerunt stare.

PSALMI TRIGESIMI QUINTI ANALYSIS.

David oculos in homines, orbem universum, Deumque ipsum intendens, miratur

- Impiorum malitiam. 2. in
  - Voluntate, per electionem peccati. 2.
  - Intellectu, per aversionem a timore Dei. 2.
  - Operatione. 3.
    - Fraudulenta proximo. 3.
    - Odiosa Deo. 3.
  - Locutione.
    - Impia erga Deum. 4.
    - Dolosa erga proximum. 4.
  - Cogitatione iniqua, quam
    - De nocte voluit. 5.
    - De die sequitur. 5.
    - Omni tempore amat. 5.
- Et Dei misericordiam. 6.
  - Erga omnes.
    - Altiorem cælo. 6.
    - Latiorem nubibus. 6.
    - Longiorem montibus. 7.
    - Profundiorem abysso. 7.
  - Erga peccatores. 8.
    - Perversitate brutis similes, magnam. 8.
    - Numero infinitos, multam. 8.
  - Erga sanctos in cælis. 8.
    - Corpus eorum sua protectione obumbrando. 8.
    - Voluntatem, amore Dei inebriando. 9.
    - Sensus omnes, torrente voluptatis absorbendo. 9.
    - Membra omnia, in æternum vivificando. 10.
    - Intellectum Deo per lumen gloriæ uniendo. 10.
  - Erga iustos in terra. 11.
    - Misericordiam dando, Deum cognoscentibus. 11.
    - Iustitiam iis qui recto sunt corde. 11.
    - Superbiam ab illis removendo. 12.
    - Hostium irruentium vires infringendo. 12.
    - Et eos penitus prosternendo et eiiciendo. 13.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. In finem, servo Domini ipsi David.

Tituli sensus est, q. d. Hic Psalmus mihi Davidi, qui sum servus Dei, inspiratus est, cantandus in finem, id est, semper, omnibus consecuturis sæculis, ut eo audito omnes servire Deo desiderent.

I. De quo est hic Psalmus? I. Quæres, de quo et qua occasione hic Psalmus scriptus est. Primo, S. Irenæus explicat de Pharaone iniuste affligente Hebræos et Dei voluntati resistente, eumque Dominum non agnoscente: atque de benignitate Dei erga Hebræos, quos eduxit ex illa servitute Ægyptiaca, ut servirent sibi in deserto et in terra promissionis. Vult itaque per servum Domini hic intelligi populum Israel exiturum de Ægypto. Sed hoc est remotius. Nam dicitur, *servo Domini ipsi David.*

II. Secundo, alii volunt per servum Domini accipi eumdem populum Israel exiturum e servitute Babylonica, et impii Nabuchodonosoris, qui Ierosolymam et templum everterat, atque Balthasaris qui sacra vasa polluerat, verba et scelera carpentem, ac Dei misericordiam erga se extollentem. Sed refutatur hæc opinio sicut præcedens.

III. Tertio, et probabilius, S. Basil. Beda, Euth. Lyr. Theo-

doretus, de Davide exponunt misericordiam Dei extollente, qua se ab impii Saulis malitia et dolo liberaverat. Primo, Euthymius occasionem scribendi Psalmi fuisse putat, quod cum in spelunca pepercisset Sauli, cumque eum posset, non occidisset, Saulque ab eo recessisset veluti placatus, tamen iterum inciperet eum persequi. Ubi adverto ab Euthym. et Nicephoro male dici Saul in eam speluncam venisse, ut ibi dormiret, ibique dormivisse. Scriptura enim ait eum id fecisse ut purgaret ventrem, et tunc Davidem abscidisse oram clamydis, et egresso ostendisse. Hoc contigit anno mundi 2976. exitus ab Ægypto. 433. Saulis regis 15. ætat. Davidis 27. ante Christum 1077. Secundo, occasionem scribendi Psalmi huius Theodoretus et Beda fuisse putant, cum David intrasset cum Abisai in castra Saulis de nocte, et invenisset eum dormientem, hastam tulit quæ erat ad caput eius, et scyphum aquæ, et abiit salvus et incolumis, eaque Sauli ostendens innocentiam suam illi probavit. Sed hic Psalmus videtur argumentum habere generalius, et illæ duæ historiæ non admodum congruunt cum psalmo. Nam tunc Saul seipse accusavit, et a Davide persequendo destitit, saltem ad tempus. Itaque tunc non fuit obstinatus. Et cum iterum facere cepit, necdum misericordia et benignitas Dei sese ita ostenderat Davidi, sicut psalmus hic loquitur. Nam hastam et scyphum aquæ accepit anno 2978. et tantum liberatus est prorsus a calamitatibus anno 2979. quo Saul victus est a Philistæis in monte Gelboe, et ipse electus est in regem a tribu Iuda, et cepit regnare in civitate Hebron.

IV. Et opinione. Quarto itaque optime, S. Thom. Iansen. Bellarm. Palanterius, Caiot. Thomas Anglicus, et alii censent hic generatim exponi obstinatorum impiorum ex habitu et malitia peccantium perversitatem; Dei vero summam misericordiam et iustitiam. S. August. in eadem opinione videtur esse, cum ait: *Non unum hominem, sed genus hominum dicit.* Alludit tamen in aliquibus ad Saulem, et alios hostes suos.

2. Alleg. Alleg. De obstinatione Iudæorum, persecutione contra Christum, et misericordia Dei erga fideles intellige: ita Ruff. Valentia, et alii. Ruffini verba sunt: *In finem puero Domini David. Finis noster est Christus, in quem mittit nos iste psalmus: qui attribuitur eidem Domino Iesu Christo, qui dictus est David, quia factus est ex semine David secundum carnem. Puer autem a puritate dictus est, quia sine peccato fuit: quod in hoc psalmo liquido declaratur. In quo ostenditur peccatorem omnia peccata sua non a Deo sed a se habere. Iustum vero nihil habere iustitiæ, nisi ex solius Dei liberalitate. Materia est iustus, et secundario impius. In prima parte psalmi impium cum sua accusatione describit. In secunda parte describit iustum non cum sua laude, sed cum laude Dei. Intendit autem nos admonere, ut vitia nostra ex nobis esse, bona autem a Deo cognoscamus: ne veniat nobis pes superbiæ, et cadamus.*

3. Servus Domini David dicitur ob quatuor rationes. Nota, *servum Domini* se hic David vocat: quia, ut ait Ugo, ea bona quæ habet, a Domino se recognoscit habere. Ut enim ait S. Bernardus: *Fidelis revera servus Domini es, si de gloria, etsi, non exeunte a te, tamen transeunte per te, nihil tuis manibus adhærere contingat.* Vide dicta Ps. 113. 9. *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

Secundo, David hoc loco se vocat *servum Domini;* quia, ut ait Remig. qui ad hoc laborat, ut convertat impium ab errore viæ suæ, salvabit animam eius a morte, et operiet multitudinem peccatorum, et in hoc bene servit Deo.

Tertio, ut se ab impio, de quo locuturus secernat, vocat servum Domini, ita R. Kimhi et Aben-Ezra.

Servum Dei esse, gloriosius est omnibus titulis. Quarto denique, David se *servum Domini* vocat, quia hic titulus est omnibus titulis regis gloriosior. Vide dicta Ps. 115. v. 6. ubi se appellat servum Dei et filium ancillæ. Hieron. Prado in Ezech. 24. pag. 312. putat Hebræos sibi in Sina monte aureas byssinasve *corollas* capiti imposuisse, cum essent a Deo legem accepturi, ut essent symbolum suæ desponsationis cum Deo. Aut certe, quia servire Deo regnare est. Agell. in Psalmum nostrum pulcherrime: *In titulis,* ait, *et inscriptionibus id inscribi so-*

A *let, quod ad nomen et gloriam eius qui curat inscribi, pertineat. Parthicus. Adiabenicus, et mille alios tributos Romanorum Imperatores invenerunt, plerumque etiam vanos. Hic autem non a regno, non a victoria suum titulum inscribit, sed a Domini servitute: qui titulus, quia Domini munere illi tributus est, usque adeo illi gratus fuit, ut eo magis se honestari, quam regia dignitate crederet.* Sic namque cum Deus appellaverat, cum illi Nathan legavit 2. Regum 7. v. 8. *Hoc dices servo meo David.* Quamvis autem omnia Deo, qua ratione ab eo creata sunt, serviant: eximia tamen quadam ratione et Moses et David servi Domini dicuntur, quod se totos Deo dicassent: et hoc præcipue operis haberent, ut illi omnibus in rebus obsequerentur: neque quidquam aliud curarent, nisi quod ad Dei cultum et obsequium pertineret: ita Agellius. De Mose pro omnibus laudibus et elogiis dicit Iosue, qui absolvit Deuteronomium cap. 34. Deuteronomii v. 5. *Mortuus est Moses servus Domini.* Nam, ut dicit Philo lib. de Cherubim δουλευειν θεω, μεγιστον αυχημα: *Servire Deo maxima est gloriatio: non modo libertate maior:* ου μονον ελευθεριας, αλλα και πλουτου, και αρχης, και παντων, etc. τιμιωτερον: *Sed et divitiis, et principatu, et omnibus rebus quas mortales miramur, pretiosior.* Rationem attingit Cassiodorus, qui ait: Tibi o Domine melius est servire, quam mundi regna capessere: merito, quando ex servis filii, ex impiis pii, de captivis reddimur absoluti. Hinc S. Agatha tyranno exprobranti paupertatem et ignobilitatem Christianorum, sapienter et generose respondit: *Multo pretiosior est Christiana humilitas et servitus, regum opibus et superbia.* Hinc tantus ardor Martyrum extitit, ut servos se Dei unius esse profiterentur. Iulianus apostata dolo milites Christianos volens impellere, eos invitavit ut de manu sua munus acciperent, utque recedentes thuris grana quædam, honoris gratia, in focum coniicerent, coram se et suis, qui cæremoniam hanc velut idolis factam, et Christianismi abiurationem interpretabantur. Milites hi mente et fraude Iuliani cognita, cum frementes adierunt exclamaruntque: *Non dona accepimus, Imperator, sed morte damnati sumus, non honoris causa vocati, sed ignominia notati sumus. Da hoc beneficium militibus tuis: Christo nos macta atque obtrunca, cuius unius imperio subiicimur. Ignem igni repende: pro illo in cinerem nos redige. Manus amputa, quas scelerate porreximus: pedes, quibus male cucurrimus. Alios auro dona, quos accepisse postea non pæniteat. Nobis satis superque est Christus, quem instar omnium habemus.* Iulianus ira inflammatus, et martyrii gloriam illis invidens, in exilium eos eiecit. Lege de ea re S. Gregor. Nazianz. orat. 1. contra Iulianum.

Nota secundo, pro *servus Domini,* Ruffinus legit, *puer Domini,* ob puritatem scilicet et omnimodam Christi innocentiam, ut supra dixi. Ad Davidem quoque transfer. Erat enim purus ab iis quæ Saul illi obiiciebat, et coram Deo se purum a peccato conservabat: unde Samuel dicit Sauli a Deo reprobato, 1. Reg. 13. vers. 14. *Quæsivit Dominus* (non statim occurrit; pauci tales sunt) *sibi virum iuxta cor suum:* id est Davidem post ipsum Saulem, regnaturum. Psalmi 17. titulus est: *In finem puero Domini David.* Ubi S. Hier. vertit, vincenti servo Domini David: ibi enim est vox עבד *ebed,* id est servus, sicut hic. Vatabl. ibi reddit, præfecto cantorum, servi Domini, Davidis. Exod. 33. 11. de Iosue servo Mosis habetur: *Minister eius Iosue, filius Nun, puer, non recedebat de tabernaculo:* etiam parvo, quod habebat Moses ut dux populi, ante extructum illud splendidum cuius formam dedit Deus in monte. Nam ibi posuerat tabulas legis, quam meditabatur Iosue, ut Deo perfecte serviret. *Puer* ibi dicitur, non ob ætatem, ut recte advertit Corn. nam antea præfuerat bello contra Amalecitas cap. 17. sed puer erat puritate, obedientia, innocentia et disciplina: erat enim discipulus Mosis, ab eoque erudiebatur tamquam futurus eius in regimine populi successor. Sic passim in Scriptura, discipuli et famuli vocantur pueri: quia minores et inferiores sunt magistro vel hero: et vice versa heri et magistri vocantur patres. Sic Elisæus Eliam vocat patrem,

4. Puer Domini David cur dictus?

dicens 4. Reg. 2. 12. *Pater mi, pater mi* (qui es) *currus Israel et auriga eius.* Sept. et eques eius. Hebr. et equites eius. Sic 4. Reg. 5. 13. servi Naaman eum vocant patrem: Deum tu velut patrem agnosce et ama, atque ut tali servitutem puerilem et filialem exhibe: servus Abrahami vocatur puer, Gen. 18. 7. Et Giezi servus Elisæi 4. Regum 4. 12. puer appellatur. Christus servos suos vult pueros esse: Ideo *advocans parvulum* (Syr. puerulum) *statuit eum in medio eorum*, Matth. 18. 2. eum in ulnas accepisse additur Marc. 9. 36. S. Martialem postea Lemovicensium, Burdegal. et Tolosan. Apostolum fuisse quidam volunt. *Et dixit*: *Amen dico vobis; nisi conversi fueritis* (ab hac æmulatione et ambitione vestra) *et efficiamini sicut parvuli* (Syr. sicut pueruli) *non intrabitis in regnum cælorum.* Origen. Ibi exponit, cur eos Christus velit esse similes pueris, quia nulla pene passio cadit in pueros. Lege illum. Ob innocentiam, simplicitatem et humilitatem, id præsertim dictum arbitror: Et hoc recte Psalmo nostro convenit, ubi obstinatum peccatorem ostendit esse iniustum, dolosum, malignum: et se timere pedem superbiæ.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

5. Duo continet. Primo, hominum nonnullorum omnimodam in Deum impietatem, vers. 2. Secundo, Dei velut optimi parentis omnimodam erga homines, pios præsertim, benignitatem.

SECTIO PRIMA.

Quatuor proponit. Primo, malitiam impiorum deliberatam, vers. 2. Secundo, opera eorum perversa, vers. 3. Tertio, locutionem dolosam, vers. 4. Quarto, cogitationes iniquas, vers. 5.

PARAPHRASIS.

2. *Dixit iniustus ut delinquat in semetipso: non est timor Dei ante oculos eius.*	2. Ea est impii dementia, ut ex certa scientia in animo ratum fixumque habeat cupiditatibus suis fræna laxare, et libero cursu per scelerum devia præcipiti lapsu devolvi. In easque mentis tenebras incidit, quod timor Dei, qui lux est hominum, eius animo non obversetur; sibique falso persuadeat, Deum timendum non esse, quod vel nullus sit, vel humanarum rerum cura non tangatur.
3. *Quoniam dolose egit in conspectu eius, ut inveniatur iniquitas eius ad odium.*	3. Quia fraudes nectit, veluti malitiam suam Deo celaturus: ita ut in odium eius incurrat, et ab eo deseratur in suarum cupiditatum prædam.
4. *Verba oris eius iniquitas et dolus: noluit intelligere, ut bene ageret.*	4. Ideo peste interna foras erumpente, verbis fraudulentis, et impiis ac blasphemis, Deum hominesque aggreditur. Radiis e iustitiæ sole prodeuntibus et scelerum horrorem vel invito obiectantibus, oculos mentis occludit: nec iustos ore, manu, exemplo, viam virtutis ostendentes vult aspicere, ne cogatur virtutis allectus pulchritudine eam sequi, et bene agere.
5. *Iniquitatem meditatus est in cubili suo: astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit.*	5. Nec dies vel longissimi perversitati eius sufficiunt, noctes attexit, quibus vafra versans consilia, somnum sibi quietemque subreptam non dolet, si modo vel in ipso cubili fraudes invenerit: quibus ubi aurora illuxerit, alios in suas pedicas inducat. Ubi nefarium quodpiam consilium excogitavit, hoc suscipit et amplexatur, in eoque hæret: neque ullum impietatis genus refugit, cum vel ipsa scelerum malitia illum oblectet pascatque.

QUÆSTIO UNICA.

Quantas in toto homine strages edit malitia.

6. Malitiam hominum ad scelus obstinatorum veluti pestem omnes animæ corporisque partes depascentem, delineat Propheta.

Primo enim, dominam domus, nempe voluntatem, aggreditur et sternit, v. 2. *Dixit* (statuit, decrevit) *iniustus in semetipso.*

Secundo, dominum ac patrem familias, nempe intellectum pervadit: *Non est timor Dei ante oculos eius.* Oculus mentis est intellectus.

Tertio, parentibus peste afflatis, universa proles morbum contrahit; ac præsertim tres filiæ: nempe operatio, locutio, cogitatio. Primo, operationis morbus gravis aperitur: fraus scilicet, v. 3. *Quoniam dolose egit in conspectu eius;* et purulenta sanies ex ulcere profluens: *Ut inveniatur iniquitas eius ad odium.* Secundo, locutionis morbus declaratur, v. 4. *Verba oris eius iniquitas et dolus.* Tertio, cogitationis tetra lues: *Noluit intelligere ut bene ageret.* Idque omni tempore, 1. de nocte vafrum mente consilium versando, v. 5. *Iniquitatem meditatus est in cubili suo;* 2. summo mane, vix albente cælo, insidias incautis ponendo: *Astitit omni viæ non bonæ;* 3. tota die in eadem cogitatione perstando: *Malitiam autem non odivit.*

ARTICULUS I.

Peccata totum hominem corrumpunt.

Virtus totum hominem vivificat et exornat, scelus vero totius et animæ et corporis est lues. Ac Primo, voluntatem reginam aggreditur, quod ex illa sit omnis pene 7.
influxus in totum regnum et omnes eius partes, vers. 2. Vers. 2. 1. Para.
Dixit iniustus ut delinquat in semetipso: non est timor Dei ante oculos eius. Nota, τὸ *in semetipso* potest referri: Primo, et bene, ad τὸ *dixit:* ita ut sit sensus, q. d. Dixit, statuit, decrevit in semetipso, id est intra seipsum iniustus, ut delinquat, id est se peccaturum, q. d. Vult ex deliberata malitia peccare; non tantum ex infirmitate labitur, sed ex fixo proposito. Est itaque hyperbaton. Secundo, in *semetipso* potest referri ad *delinquat,* ita ut sit sensus q. d. Dixit iniustus se peccaturum in semetipso, id est intra seipsum, in medio cordis sui, q. d. Sibi in ipsa peccati malitia complacet; tanta scelera et blasphemias mente volvit, ut eas ore non audeat expromere: nempe quod non sit Deus, aut non sit timendus,

Sic Psal. 13. 1. dicitur: *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus.* Hic quoque sensus est commodus.

8. Peccatum in conscientia est simile: Nota secundo, τὸ *in semetipso* potest significare intra se; 2. contra se. Nec potest esse peccatum *in medio cordis*, ut est in Hebr. quin illud inficiat, corrumpat, perdat, et cætera in quæ cor influit: atque Dei vindictam accersat. S. Ambr. legit: *Dixit iniustus, ut delinquat sibi*, id est in suam perniciem: quod hic sanctus Pater amplificans, peccatum comparat Primo, viperæ matrem necanti.

I. Viperæ.

II. Spinis pungentibus. Secundo, spinis manum eas stringentis cruentantibus: *Sicut*, inquit, *spinæ nascuntur in manu ebriosi, ut Scriptura asserit.* Proverb. 26. 9. *ita et in iniusti sermone nascuntur quæ compungant loquentem. Loquitur iniustus, et interior eius conscientia vulneratur: quia in omni sermone quem loquitur, non est fraudis immunis. Cuius enim gravior est pœna quam propria, cum pro omni sermone det pœnas?*

III. Serpenti. Tertio, peccatum intra conscientiam ait esse serpente perniciosius et stultius: *Serpens*, ait, *aliis infundit venenum, iniustus sibi; in eum enim refunditur quidquid effuderit. Iniustus igitur et aliis inutilis, et sibi noxius: Iusti autem vita fructuosa aliis, et sibi dulcis. Dixit enim Salomon*, Prov. 9. *Si sapiens eris, tibi sapiens eris et proximis: si autem malus evaseris, solus hauries mala.*

IV. Improbo fœneratori. Quarto, peccatum in conscientia perstrepens comparat idem S. Doctor improbo et impatienti exactori ac fœneratori, qui usuram exigit brevi transeuntis voluptatis: *Semper*, inquit, *nobis error noster tamquam malus exactor occurrit, vel tamquam improbus fœnerator conveniens debitorem: Unde Dominus ait Ioan.* 8. 34. *Qui facit peccatum, servus est peccati.*

Quinto, id probat exemplis. Primo, Caini trementis sine accusatore: *Abel*, inquit, *occisus Deo loquebatur in voce sanguinis sui, hic vivus a facie Domini repellebatur: et cum adhuc a Domino pœna cessaret, torquebat eum suorum conscientia peccatorum. Latebat miser timens et tremens: et cum adhuc percussor deesset, ipsa sese iniusti pœna cruciabat. Acceperat signum, ne eum aliquis occideret: non ut vitæ suavitate frueretur, sed ne mors auferret ærumnam, ut percussorem suum quotidie timendo pateretur. Meruerat quidem ut percussor inhiberetur: sed sine ulla intermissione ipse sibi suus carnifex erat, ipse percussor.* Secundo, Iudas Iscariotes etiam deliquit sibi vendendo Dominum. Tertio, Ananias mentiendo Spiritui sancti. De omnibus peccatoribus dicere possis cum Salomone Proverb. 10. 26. secundum versionem Sept. Interpretum: *Sicut uva acerba dentibus vexatio est, et fumus oculis, ita iniquitas utentibus ea.* Novem fumi et iniquitatis parallela vide apud Cornelium.

Nota tertio, pro *ut delinquat*, nunc legitur in Hebr. לרשע *larascia*, id est impio. Sed Sept. melius legerant לרשע *lirscia*, hoc est ad delinquendum, sive ut delinquat. Est enim gerundium in Kal, seu in prima coniugatione.

9. Gallicæ dictiones sunt viciniores hebraicis quam latinæ. Nota quarto, pro *iniustus* Hebr. est פשע *pescia*, seu *pecha*, ut alii pronuntiant quod magis accedit ad vocem vernaculam *peche*. Ubi obiter nota ordinario voces gallicæ propiores et coniunctiores sunt Hebraicis, a quibus derivantur quam latinæ: sicut syntaxis gallica est conformior Hebraicæ quam syntaxis latina. Porro vox *pescia* seu *pecha* est nomen substantivum, et significat Primo transgressionem. Deus nobis certas metas legis præfixit, quas prætergredi nefas est, sed peccator erecto collo velut onager liberum se natum putans, quo libuerit, vagatur.

Hebr. pescia quid significet.

Secundo, *pescia* est rebellio; Deo enim subiici non vult sceleratus, sed instar luciferi vult esse similis Altissimo, et cauda sua trahit ad se tertiam partem stellarum, et velut gigantes bellum indicit Deo. Hinc Chald. vertit: *Dixit rebellio ad impium in medio cordis eius.* Est prosopopœia: datur enim persona peccato, quod est rebelle contra Deum, et invitat omnes animæ potentias, facultates ac passiones, atque corporis sensus et membra, ut exercitum conflent et rebellent. Eam rebellionem sentire se fatetur Paul. Rom. 7. 23.

Tertio, *pescia* est prævaricatio. Hinc Muisius vertit: *Dicit prævaricatio impio in medio cordis mei.* Legit *libbi*, de quo mox dicam. Prævaricari ait Valla lib. 6. est quocumque modo a præscripto sui officii deflectere. In baptismo promisimus Christo servire; si eum deserimus, illius causam prævaricamus. In litibus forensibus, prævaricator est simulatus accusator vel defensor. Christiani causam Christi se tueri ipsa professione clamant; cum igitur in eum peccant, sunt prævaricatores.

Quarto, *pescia* vertitur a S. Hier. et Vatabl. scelus; a Campensi nequitia et audacia; a Wolfgango temeritas.

Nota quinto, *pescia*, id est scelus, rebellio, prævaricatio, sumitur pro scelestissimo, maximo rebelli et prævaricatore nequissimo. Hebr. sæpe superlativum exprimunt per nomen abstractum. Sic latine de scelestissimo dicimus, est ipsum scelus, et Gallice, *c'est la mechanceté même.* Itaque 10. Peccator est rebellis.

Exlex. Primo, Septuag. vertunt *pescia* παράνομος, q. d. Exlex, sine lege, contra leges, ius et æquum faciens, vel factus. Hinc Magnet. vertit: *Sacrilego exlegi suasit vesana libido, supplicia irati nulla timenda Dei.* Secundo, Noster reddit: *Dixit iniustus.* Tertio, Petavius, ἀσεβής, qui non colit nec veneratur cæleste numen, irreligiosus, impius, nefarius. Eobanus, impius. Quarto, Syr. עולא *auvala*, id est, iniquus, perversus, defraudans. Sic autem redde, *contemplatur defraudans flagitium in corde suo.* Quibus denotat peccatoris, 1. malitiam determinatam; 2. moram in illam; 3. delectationem et complacentiam. Est instar papilionis candelam ardentem cum gaudio contemplantis, et in ea se comburentis. Quinto, Arabs vertit: *Dixit ignarus in corde suo.* Malitia ignorantiæ est et mater, et filia. Nam 1. ignorat Deum peccator; 2. seipsum; 3. Dei dona et supplicia; 4. illud ipsum peccatum, quod perpetrat, sibi fore ipsius peccatoris carnificem. S. Ambrosius hic: *Quidquid loquitur iniustus, iniquitas est, quæ in suum refertur auctorem: sicut viperæ partus, qui primo suam scindit parentem, ut frequens sermo est.* S. Chrysologus in Psal. 90. *Quicumque peccaverit, quasi ericius est plenus spinis.* Et Isa. 53. 13. ubi in vulgata legitur, *pro urtica crescet myrtus*, Chald. vertit, *pro peccatoribus consurgent timentes peccatum.* Vide S. Gregor. 18. Moral. 12. Iniustus est peccator, quia non reddit unicuique quod suum est: de quo vide S. Thomas 1. 2. qu. 113. art. 1. ad 1. item 2. 2. q. 56. art. 1. ad 1. In hoc tamen iustum est omne peccatum, quia statim punit sui auctorem. Sicut enim virtus est sibi præmium maximo in hoc mundo: ita peccatum sibi pœna gravissima.

Iniustus. Impius. Fraudator. Ignarus.

Nota sexto, pro *in semetipso*, nunc est in Hebræo *in medio cordis mei.* Unde R. David in commentario sic explicat, q. d. Hoc cogito in medio cordis mei quod prævaricatio, id est, cogitatio mala, dicit ad impium: Fac quidquid vis. Quia non est pavor, etc. Eodem exponunt R. Abraham, R. Emmanuel, Vatabl. Camp. et alii. Sed pro לבי *libbi*, id est, cordis mei, legendum est לבו *libbo*, id est, cor eius, ut legerat S. Hieron. et Sept.

Ex his omnibus aperte vides Sept. interpretum et Vulgatam nostram versionem aliis esse præferendam, et vertendum: *Dixit iniustus ut delinquat in semetipso.*

Secundo, corrupta voluntate, velut regina, corrumpitur intellectus, qui est primus minister status, dum iubetur a Deo se avertere et ad idola converti; unde generalis corruptio in mentis regnum invehitur. Sicut enim prisma regina nostra felicitatem admirabilem prorsus sua pietate invehit, et eam iuvant ministri regni; ita e contrario, cum primæ columnæ corruunt, alia labantur oportet. Pergit igitur David: Non est timor Dei ante oculos eius. Quis hic loquitur? Primo, S. Hieron. vult scelus ipsum in mente scelerati loqui. Vertit enim: *Dixit scelus impii in medio cordis eius: non esse timorem Dei ante oculos eius.* In peccatoris igitur anima, velut in throno suo peccatum sicut dæmon quidam familiaris et domesticus loquitur, regnat, sævit, leges dat, dominatur; ibique velut in lapidea statua, aut in stipite, reddit oracula, ad nutum versat omnia: misero peccatore, veluti ser- 11. Vers. 2. 2. Pars. Peccatum corrumpit intellectum.

vo et mancipio, ad domini vocem annuente, et servituti membra corporis, animique facultates subministrante.

Secundo, et melius, τὸ *non est timor Dei ante oculos eius*, dicitur a Davide, sicut Ps. reliquus. Sic enim omnia clara sunt, quæ alioqui essent satis implicata.

Nota, τὸ *timor Dei* potest sumi Primo, obiective, id est, pro obiecto timoris, q. d. Non cogitavit Deum iustum, fortem, videntem omnia, ex qua cogitatione timorem tantæ potestatis sine dubio concepisset: ita Bellarmin. et bene. Secundo, timor Dei potest etiam sumi formaliter, q. d. Non considerat quantum sit bonum timere Deum. Existimat pusilli esse animi timere Deum; præceps et audax est excusso omni iugo, quo fert voluntas sese agitans, supplicia æterna velut puerorum aut anicularum inanes larvas, aut vana avium terriculamenta contemnens.

12. Deus est contemplandus. Moraliter nota. Deus omnia videt, et ab omnibus est aspiciendus: est enim Sol animarum. Primo, aspicienti se communicat lumen et calorem, id est, cognitionem et amorem, ut accidit Abrahamo coram ipso ambulanti, Genes. 17. 1. et Mosi ad eum in Sinai monte ascendente, Exod. 34. 29. Secundo, Sol ille infinitus etiam intima cordium pervadit. S. Ambros. in Ps. nostr. *Si*, ait, *Sol iste mundanus clausis plerumque domiciliorum habitaculis suum lumen interserit: quanto magis Deus summus, æternus, etiam secreta penetralia mentis humanæ, atque omne Angelorum consilium scientia sua scrutatur et prævenit?* Vide dicta Ps. 15. 7.

Secundo, Dei aspectus timorem eius ingenerat. S. Aug. serm. 46. de verbis Domini: *Ipse timendus est in publico, ipse in secreto. Procedis, videris: intras, videris: lucerna ardet, videt te: lucerna extincta est, videt te. In cubiculum intras, videt te. In corde versaris, videt te. Ipsum time, illum cui cura est, ut videat te: et vel videndo castus esto: aut si peccare vis, quære ubi te non videat, et fac quod vis.* Hunc oculum Dei flammantem veluti fulmen, fugit sceleratus. Timet et fugit parentem prodigus, abiens in longinquam regionem, ubi videri se non putat: timet profligatæ pudicitiæ adolescens pædagogum, grassator iudicem, reus tortorem.

Tertio, si Dei oculum non times, manum ultricem time. S. Prosper lib. 3. de vita contemplativa, cap. 11. *Si eo tempore quo quis peccare deliberat, sana mente consideret quæ pœna expectet in suis facinoribus ac flagitiis deprehensos, quod supplicium convictos excruciet, qui tremor membra quatiat, pallor ora perfundat, quantum denique humiliet et execrabilis reddat, nescio an possit quibuslibet vitiis accommodare consensum;* ita Prosper. *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis:* timebis enim. *Timor autem Domini expellit peccatum*, Eccli. 1. 27. Primo, timor Domini falce acuta armati, et mortem inferentis. Cassian. Collat. 10. vocat mortis cogitationem omnium vitiorum peremptorium. Secundo, timor Dei iudicis expellit peccatum. S. Basil. in Ps. 33. Dei iudicium nuncupat frænum, quo currentes ad præcipitia retineantur. S. Hier. in regul. monast. cap. 30. si tamen Hieronymi est liber ille. Sive comedam, ait, sive bibam, sive aliud aliquid agam, semper insonat auribus meis vox illa horrifica: Surgite mortui, venite ad iudicium; ita ibi. Sic evasit in virum sanctum. Tertio, timor Dei vindicis expellit peccatum. S. Prosper de vita contemplativa, ait: De inferorum suppliciis cogitare, nihil esse aliud, quam vitiis omnibus repudium dare, et omnia carnalia blandimenta refrænare.

Tertio, corrupta voluntate et intellectu per peccatum, velut regina et rege aut ministro principali; sequitur corruptio subditorum: nempe actionis, locutionis cogitationis.

13. Vers. 3. Peccatum variis dolis actiones corrumpit. Ac primo, actio corrumpitur per fraudes, vers. 3. QUONIAM DOLOSE EGIT IN CONSPECTU EIUS, UT INVENIATUR INIQUITAS EIUS AD ODIUM, 1. ad odium ipsius iniusti; 2. ad odium aliorum; 3. ad odium Dei.

Primo itaque, sensus est, q. d. Iniustus seu impius dolose egit in conspectu Dei, et tam graviter contra eum peccavit, itaque eius iram provocavit, ut atrocitate pœnarum sibi inflictarum, et fœditate criminum commotus, suam ipsius perversitatem odio haberet.

Secundo, sensus est, q. d. *Dolose egit in conspectu eius, ut inveniatur iniquitas eius ad odium*, q. d. Impius fingit se quærere iniquitatem, ut illam oderit, sed dolose id facit: cum enim eam invenerit, defendit; ita S. August. qui legit, *ut inveniret iniquitatem, et odisset*, atque sic loquitur: *Multi dolose agunt, ut inveniant iniquitatem suam: id est, non ex animo agunt invenire et odisse: Sed quia in ipsa inquisitione dolus est, in inventione defensio iniquitatis erit. Quid enim dicit? Quam multi hoc faciunt, et quis hoc non facit? Et numquid omnes perditurus est Deus? Aut certe hoc dicit: Si nollet Deus illa fieri, viverent homines qui ista committunt? Vides quia dolose agebas ad inveniendam iniquitatem tuam. Nam si non dolose, sed sinceriter ageres, iam invenisses et odisses: modo invenisti, et defendis. Dolose ergo agebas, cum quæreres;* ita S. Aug. Sit itaque examen conscientiæ tuæ cum vera contritione et proposito emendandi.

Tertio, *dolose egit in conspectu eius, ut inveniatur iniquitas eius ad odium*, q. d. Adeo ut eius iniquitas incrementum semper accipiens eum deducat ad odium virtutis; 2. virorum proborum; 3. Dei: id est, ita ut ipse virtutem, pios et Deum ipsum oderit. Sicut amor bonus perducit hominem ad amorem Dei: ita amor sui inordinatus deducit hominem usque ad odium Dei. Pagn. vertit: *Lenivit ei peccatum in oculis ipsius ad inveniendum iniquitatem suam, ut odio habeat bonum.*

Quarto, *dolose egit in conspectu eius, ut inveniatur iniquitas eius ad odium*, q. d. Ut incurrat in hominum, præsertim iustorum, et in ipsius Dei odium. Semper enim superbia et impietas ascendit: et clamor Sodomorum ascendit usque in cælum ad Deum, et vel ab invito fulmen et sulphuream pluviam extorquet. Ps. 5. v. 6. Deo dicit David: *Odisti omnes qui operantur iniquitatem.* Vide illum locum. Sed præsertim Deus odit eos qui ex consuetudine et malitia peccant. Eliphaz ait cap. 15. Iobi v. 16. *Abominabilis et inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem:* id est, qui sine ulla moderatione aut timore peccat. Lyran. Iniquitatem, ait, sicut aquam bibit qui committit peccata, absque fræno timoris. Ille enim qui bibit vinum quia timet inebriari, bibit temperate: sed bibens aquam hoc non timet, propter hoc non curat de tali temperamento. Hoc attende: si iram regis, principis, iudicis, magistratus, mariti, uxoris, parentis ferre non potes, quomodo feres pondus furoris Dei omnipotentis?

Nota, τὸ *quoniam* potest primo sumi quasi encliticum; id est, ita ut sit tantum adornatum, et nihil significet: sic enim sæpe sumitur Hebraice כי *chi*. Secundo, *quoniam* potest sumi causaliter, et referri ad anteriora, q. d. Non est timor ante oculos eius impii; quod ex eo facile colligitur, quoniam dolose agit. Tertio, *quoniam* causaliter sumptum refertur ad posteriora, q. d. Quoniam dolose egit, ideo verba oris eius sunt iniquitas et dolus. Hi duo sensus magis arrident.

Nota secundo, pro *dolose egit* Hebr. est החליק *hechelik*, id est lenivit, blanditus est. Secundo, dolose egit. Sub blanditiis enim latet ordinarie dolus, sicut anguis in herba molli et florida. Hinc Muisius vertit: *Quoniam blanditur ei* (prævaricatio impio) *in oculis eius, ut inveniat iniquitatem suam ad odium.* Vatablus clare: *Nam sibi ipsi blanditur, donec summo odio digna iniquitas eius evadat.* Mortifica te, et tibi ipsi severus esto, et Dei summo amore fies dignus. Non bis iudicat in idipsum. Tabernaculum inauratum vult tegi sagis ciliciis.

Moraliter. Nihil fit, quod a Deo non videatur quantocumque dolo obtegatur: *Dolose egit in conspectu eius.* Itaque se ipse non Deum decipit impius. Primo enim Deus est oculus semper apertus. Euryphamus Pythagoreus nuncupat hominem, ὀφθαλμὸν τᾶς τῶν ὄντων διακοσμήσιος, id est oculum mundi et rerum universitatis. Verius S. Cyrill. Ierosol. catech. 6. de Deo ait: *Totus oculus, totus auditus, totus mens.* Persarum reges, ut ait interpres Æschyli, duos ministros habebant, quibus Reip. custodiam committebant, ὡς βασιλέως πάλιν ὀφθαλμούς, *quos et regis oculos nominabant.* Deus solus sibi et suo regno contemplando 14. Deo nihil est occultum.

sufficit; cum sit, ut loquitur Clemens Alex. l. 7. Strom. fol. 518. ολος ακοη, και ολος οφθαλμος, totus auditus, et totus oculus. Hinc Ægyptii aures et oculos fabricantes ex materia pretiosa diis suis consecrabant, ut ostenderent, Deum omnia et videre et audire.

Secundo, hic oculus Dei omnia considerat. Prov. 15. 3. *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos.* Secundo, considerando videt omnia. Hesiodus, παντα ιδων Διος οφθαλμος, και παντα νοησας: omnia videt Iovis oculus, et omnia comtemplatur. Tertio, nihil illi potest occultari. Ier. 23. *Putasne Deus e vicino ego sum, dicit Dominus, et non Deus de longe? Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum, dicit Dominus? numquid non cælum et terram ego impleo, dicit Dominus?* Vel occultissima permeat. S. Ambrosius libro de paradiso: *Deus*, inquit, *super omnia occulta oculos habet.* Et domorum penetralia, et sylvarum opaca, et abstrusa montium pervadit, et videt. S. Basilius in Psal. 32. *Oculis Dei nihil obstaculi, nullum oppanditur velum.* Severus Antiochenus in Ieremiam: Λαθος γαρ ουδεν παντα ειδοτα Θεον: Nihil latere potest omnia scientem Deum.

15. Tertio, Deus est sol supermundanus simul utrumque hemisphærium pervadens. Philo. lib. de victimas offerentibus Deum vocat solem solis: Θεος, *inquit*, ηλιε ηλιος, νοητος αισθητε: *Deus est ipsius solis sol: intelligibilis, illius qui semper percipitur.* Ethnici partim solem ob diurnos radios, partim lunam ob nocturnum splendorem sibi in deos allegebant; sed infelices erant, quod mediam vitæ partem sine numine degerent, ut notavit eos irridens S. Cyrillus Ierosolymitanus Catech. 2. *Cum aberraverint quidam ab uno Deo, alii quidem Solem ponebant, ut occidente Sole, noctis tempore sine Deo essent: alii vero Lunam, ut in die Deum non haberent.* Nos perenne lumen colimus, quod et solaribus radiis sit micantius, et lunæ candorem infinitis partibus exuperet, ut eo duce neque diurnas nebulas, neque caliginem nocturnam vereamur. S. Bernard. lib. 5. de consideratione, cap. 11. animos nobis facit: *Quid*, ait, *est Deus? quod ad universum spectat, finis: quod ad electionem, salus: quod ad se, ipse novit. Quid est Deus? Voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo, creans mentes ad se participandum, vivificans ad sentiendum, etc.*

Deus est sol omnia videns.

16. Nota secundo, moraliter. Gravius est peccatum, quod Deo vidente fiat. Est enim primo contemptus maior Dei. Cum Aman rogaret Esther reginam pro anima, id est vita sua, et super lectulum convivalem, in quo mensæ accumbebant, corruisset, rediens Assuerus de horto nemoribus consito, intravit convivii locum, et excandescens ait Esth. 7. 9. *Etiam reginam vult opprimere, me præsente, in domo mea.* Et statim oporto capite tractus est ad crucem quam Mardochæo paraverat, altam quinquaginta cubitis. Secundo enim, gravius videtur factum scelus in oculis nostris, quia oculorum sensus acerrimus est, et facile mentem commovet, tum ob rei certitudinem, tum ob speciem clariorem atque celeriorem. Plinius lib. 11. cap. 37. hinc dicit: *Profecto in oculis animus inhabitat.* Et illud tritum Horatii ad Pisones: *Segnius irritant animos:* etc. Noster Ludovicus de la Cerda in illud lib. 1. Æneid.

Peccati gravitas augetur, quod fiat in oculis Dei.

Unam (navem) *quæ Lycios fidumque vehebat Orontem*
Ipsius (Æneæ) *ante oculos ingens a vertice pontus*
In puppim ferit.

Sic ait: Ex hoc capite Cicero amplificat Verris facinora, qui cogeret parentes interesse filiorum suppliciis. Et Svetonius Caligulæ cap. 27. et Cedrenus Phocæ, a quo quinque filii masculi Mauritii Imp. occisi sunt, επ'οψεσιν αυτε, ipso patre intuente: et Appianus in Mithridaticis auget scelus Cauniorum, qui, τα βρεφη εκτεινον εν οψει των μητερων, infantes interficiebant in conspectu matrum. Narratur videlicet crudelitas Cauniorum contra Romanos iussu Mithridatis: et Seneca cap. 6. *Homines amplius oculis quam auribus credunt.* Imperator Marcus apud Herodianum, τα δεινα υπο οψιν πιπτοντα σωτερον παρακαλειται μειζονα, mala, quæ sub oculos cadunt, maiorem commovent misericordiam.

Quamdiu Sodomitæ velut Dei obliti peccaverunt, Deus vindictam cohibuit, et licet clamor peccatorum in cælum ascenderet, dixit tantum Deus Gen. 18. 20. *Descendam et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint: an non est ita, ut sciam.* Loquitur more humano. Ubi vero Angeli duo missi a Deo, oculis viderunt Sodomitarum obstinatam et impudentem malitiam, statim educto Loth cum uxore et duabus filiabus totam regionem igneo et sulphureo imbre perdiderunt, et in lacum Asphaltitem, id est, bituminosum, quod mare mortuum dicitur, converterunt, Gen. 19.

17. Ex his infertur Primo cavendum esse peccatum, quia regis nostri oculos offendit. Susanna eo se motivo ad virtutem animat. Danielis 13. v. 23. *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini.* Menander poeta Græcus, apud Clem. Alex. lib. 5. Strom. ex hoc Dei aspectu concludit, ne acum quidem furto esse aliis eripiendam. Ο γαρ θεος, inquit, βλεπει σε πλησιον παρων: *Nam te propinquum respicit præsens Deus.*

Corollaria. Vitandum est peccatum.

18. Secundo, hinc sequitur stupidos esse homines, qui cum sciant se peccando irritare supremum regem fulmine armatum, tamen id faciunt. Ea cogitatione revocat in scelus ruentes Ambrosius in Ps. 118. Octonar. 1. *Si quis*, inquit, *allevet mentis oculos, et consideret plena esse Angelorum omnia, aera, terras, mare, Ecclesias, concepto potest renuntiare peccato. Hominem vereris præsentem, Dei Patris et Filii non vereris præsentiam. Sed non vis credere, ne possis cavere.* Hoc postremum dixit Propheta noster, *noluit intelligere, ut bene ageret.*

Stupidus est, qui peccat Deo vidente.

19. Tertio, hinc sequitur optimum remedium ad evitanda peccata esse memoriam præsentiæ Dei. S. Cyrill. Catech. 6. docet unius Dei notitiam satis esse ad scelerum evitationem: *Sufficiens*, ait, *nobis est ad pietatem, hoc solum scire, quod Deum habemus, qui millenas emittit divinitatis operationes.* Et S. Ephrem tractatu de virt. *Continua*, inquit, *Dei recordatione turpis animi passiones recedunt, instar maleficorum prætore præsente.* S. August. patrisfamilias et servorum simili hoc ostendit, epist. 11. Hoc, ait, servulorum linguas et manus coercet, ut nec flosculum carpant, nec pomulum ex horto rapiant, nec frustulum panis sublegant, si nullam sibi herilis absentiæ securitatem polliceri queant: hinc crebriores querelæ illæ, Dominus meus semper mihi a tergo hæret: loco quo minime formido deprehendor: ita Augustinus. Deus et Dominus est dominantium, et tibi semper præsens est, a peccatis contra ipsum te contine. S. Ephrem, ut refert S. Simeon Metaph. in eius vita, mulierculam ad scelus invitantem ea arte ad Deum convertit. Contentum se esse ait nefas perpetrare, modo hoc in platea civitatis id factum vellet: cum illa verecundiam obtenderet, subiecit vir Deo plenus: Quanto minus id fieri debet coram Deo, qui etiam occultissima intuetur? Quo responso attonita resipuit, et in cœnobium se abdidit.

Memoria præsentiæ Dei servat a peccatis.

20. Quarto, hinc sequitur timorem Dei ingenerari mentibus nostris ea cogitatione præsentiæ Dei. Seneca 2. naturalium quæst. 42. *Ad coercendos*, inquit, *animos imperitorum sapientissimi viri iudicaverunt inevitabilem metum, ut supra nos aliquid timeremus, utile erat in tanta audacia scelerum aliquid esse, adversus quod nemo sibi satis potens videretur.* Quis adeo sui hostis est, qui volens vidensque tantum regem in se armet? Quis eo teste peccet, ut statim iudicem sentiat? Seneca epist. 12. *Magna*, inquit, *pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. Aliquem habeat animus quem vereatur, cuius auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat. O felicem illum, quem non aspectus tantum, sed etiam cogitatus emendat.*

Et timorem Dei ingenerat.

21. Quinto, hinc sequitur illustrari intellectum eorum, qui Deum præsentem veluti solem infinitum contemplantur. S. Gregor. Nazianzenus orat. 40. *Hoc*, ait, *Deus est in intelligibilibus, quod sol in sensibilibus.* Olympiodor. ad cap. 5. Ecclæ. eum in altissima specula cælorum contemplantem omnia, et vel maxime depressa contemplantem

Intellectum illustrat.

repræsentat. S. Bernard. in Cant. serm. 4. *Nihil omnium, ait, omnino latet, aut effugit lucem ubique præsentem.* Ut tibi quoquo luceat, oculi aperiendi sunt, et ad eam dirigendi. Indorum Philosophi, qui solem ut Deum colebant, nonnunquam toto die oculos a sole non removebant. Plinius id testatur lib. 7. cap. 2. *Philosophos, ait, Indorum, quos Gymnosophistas vocant, ab exortu ad occasum perstare, contuentes Solem immobilibus oculis: ferventibus arenis toto die alternis pedibus insistere.* Pythagoras apud Laertium vocat oculos corporis nostri lib. 8. *portas Solis.* Id oculis mentis erit aptius et utilius. Hinc Tobias senior dicebat Tobiæ filio suo, cap. 4. v. 6. *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum.* Sic erit tibi perpetuus dies sine nocte, et vita vives sine metu mortis. S. Gregor. Nazianzenus orat. 1. *Non tam sæpe respirare, quam Dei meminisse debemus.*

22. Voluntatem perficit. Sexto, hinc sequitur Dei præsentis consideratione voluntatem perfici et sanctificari. Abrahamo dicit Deus, Gen. 17. 1. *Ambula coram me, esto perfectus*, q. d. Si coram me ambulaveris me considerans, me audiens, mihi adhærens, et me sequens, eris perfectus. Eccli. 2. 20. generatim omnibus dicitur: *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas.* Xenophon lib. 4. memorabilium, dicit nihil fuisse utilius ad virtutem, et ad quævis negotia, Socratis familiaritate et præsentia: verba illius sunt: Socrates, ait, utilis erat in negotio quovis, atque omni modo, ut cuivis hoc consideranti, etiamsi vel parum quid intelligat, perspicuum sit, quod, οὐδὲν ὠφελιμώτερον ἦν τῷ Σωκράτει συνεῖναι, *nihil est utilius, quam Socrate familiariter uti; et cum eo ubivis locorum, et quavis de re disserente versari.* Nam eius etiam absentis recordari non parum proderat illis, qui familiares erant, et qui probabant eum. S. Athanasius in præfatione vitæ S. Antonii dicit ἐμοὶ μέγα κέρδος ὠφελείας ἐστὶ καὶ τὸ μόνον Ἀντωνίου μνημονεύειν, mihi magno lucro est atque emolumento, vel solum Antonii meminisse. Cromerus lib. 5. hist. Polon. refert, Boleslaum III. Poloniæ regem collo appensam semper gestasse patris imaginem, ut eius memor nihil ipsius præsentia indignum gereret. Post mortem Alexandri Magni duces ipsius Cathedram vacuam ipsi veluti viventi in suis consultationibus relinquebant, ut veluti heroem ibi præsentem ipsum cogitantes, sapienter deliberarent. Illis omnibus sapientior Alexander Papa VI. collo sanctissimam Eucharistiam illigarat, ut Deum operum suorum et cogitationum inspectorem meminisset, sicut ait Caroccioius in vita Pauli IV. Utere consilio S. Bernardi tractatu de domo interiori cap. 9. *Sicut, inquit, nullum est momentum, in quo non utamur vel fruamur Dei pietate et misericordia: sic nullum debet esse momentum, in quo eum præsentem non habeamus in memoria.*

23. Spem excitat. Septimo denique, hinc sequitur ad spem habendam esse maximo utilem cogitationem præsentiæ Dei nos iuvantis, ac veluti animantis. S. Iustin. martyr in expositione fidei: In animo tuo, ait, considera iustitiæ Solem, universis quidem ex æquo substantia, ut qui Deus sit, præsto esse. Et Seneca proœmio natur: Quid est Deus, ait: *Mens universi.* Quod vides totum, et quod non vides totum. Sic demum magnitudo illi sua redditur; quia nihil maius excogitari potest, si solus est omnis: opus suum et extra, et intra tenet. Quid ergo interest inter naturam Dei et nostram? Nostri pars melior animus est: in illo nulla pars extra animum, totus ratio est; ita ille. Vive igitur secundum rationem, si rationi te intuenti et te rationalem facienti placere vis. Clemens Alex. ut supra dixi, eum esse *totum oculum, et totum auditum*: ut scilicet te videat ac dirigat, et preces tuas exaudiat. Tu esto illi totus oculus in eius unius contemplatione defixus, et totus auditus, ut eius mandata percipias. Esto Cherub aut Angelus, qui solo capite constantes pinguntur cum alis, quia scilicet Deum vident, audiunt, et ad nutum eius evolant, ut iussa sibi exequantur. Vide Ps. 15. 8.

24. Vers. 4 1. Pars. Pecca- QUARTO, voluntatis, intellectus, operationis corruptionem per peccatum sequitur corruptio locutionis, peste semper magis magisque venenum suum dilatante, vers. 4.

A VERBA ORIS EIUS INIQUITAS ET DOLUS: NOLUIT INTELLIGERE UT BENE AGERET. *Iniquitas et dolus*, id est, Primo, iniquitas dolosa; ita Apollinaris. Sic erit hendiadys satis frequens apud Hebræos. Ubi adverte duos comites pene inseparabiles esse, iniquitatem et dolum: Iniquitas est mater, dolus est eius filius, qui deformitatem matris suæ cerussa, minio et fuco celare contendit. Non audet apparere iniquitas sine larva. Tolle dolum omnem, fugiet iniquitas: ama et cole simplicitatem, veniet virtus et tibi aderit. Iobi 1. v. 1. *Vir erat in terra Hus nomine Iob: et erat vir ille simplex* (si vis esse vir, esto simplex, fœminas timidas decet duplicitas, timoris et pusillanimitatis index. Quid ex simplicitate virili sequitur?) *et rectus: et timens Deum, et recedens a malo.* Hinc effectum etiam est, ut in amissione primo mille boum et quingentarum asinarum per Sabæos; 2. septem mille ovium igne de cœlo, aereo scilicet, cadente; 3. ter mille camelorum per Chaldæos; 4. septem filiorum et trium filiarum simul convivantium, per ventum vehementem ortum e regione deserti B Arabiæ Australis, non peccaverit labiis suis, neque stultum aliquid contra Deum locutus fuerit. S. Greg. lib. 2. Mor. cap. 31. *Dolus in ore, inquit, quanto prudentius apud homines callet, tanto apud Deum stultius desipit. Quia ergo dolus in ore Iobi non fuit, stultum procul dubio non dixit.* Videant versutuli coniunctionem et nexum esse stultitiæ cum dolo, et consequenter sapientiæ cum simplicitate, Dei enim sermocinatio est cum simplicibus, in Dei autem sermocinatione est omnis sapientia et doctrina. Dolosos fugit Deus, ideo carent cælesti doctrina, eiusque lucem ferre non possunt. Chald. psalmi nostri præcedentem vers. sic reddit: Quia blanditur sibi in oculis suis, ut inveniat peccatum suum, et odio prosequatur doctrinam, verba oris eius impietas et dolus.

[Margin: Peccatum corrumpit locutionem.] [Margin: Dolus est magnus iniquitas.]

Secundo, et melius, *iniquitas et dolus* separata duo significant, sicut serpentem et ovum eius. Primo, per iniquitatem Cassiodorus intelligit blasphemiam in Deum: per dolum vero decipientia verba in proximum. Secundo, S. C Athanasius iniquitatem ait esse contumelias Iudæorum in Christum: dolum vero, blandos cum fraude sermones. Tertio, S. Cyrillus amorem iniquitatis et fraudem quæ illum tegat. Quarto denique, iniquitas in verbis, sunt omnia verba peccatorum: dolus vero, speciale est vitium cætera adaugens et periculosiora faciens per occultationem eorum malitiæ. S. Ambrosius de Iuda Christum osculante, et dicente Ave Rabbi, id explicat his verbis: *Oscula labiis ferebat, offundebat venena pectoribus. Meditabatur acerba supplicia, gratiæ pignus afferebat.* Quæ verba magis mellea, quam Ave Rabbi, id est, magister mi? quæ iniquitas tetrior, quam proditio Dei? Tot nunc Iudæ Christum salutant, osculantur, et produnt, quot membra eius, blandis verbis palpant, et fraudibus suis in exitium trahunt.

Nota, pro *iniquitas* Hebraice est אָוֶן *aven*, id est, 1. mendacium. Est enim mendacium fons et tegmen atque arx iniquitatis. Eo velut clypeo et telo semper utitur dolosus; 2. *aven*, est labor, fatigatio, afflictio, dolor, luctus, ærumna; 3. iniquitas, perversitas. Syrus vertit: *Sermo oris eius* כאבא *chico, dolor*, morbus, ægritudo, infirmitas; 2. passio, affectio, perturbatio. Hæc se mutuo consequuntur, et sibi sunt innexa, iniquitas ac dolor etc. *atque fraus.* Pro *dolus* Didymus legit *labor.* Habet enim: *Verba oris eius iniquitas et labor.* Funiculus hic triplex difficile rumpitur et dissolvitur, iniquitas, dolus, et dolor seu labor. Doloris et doli affinia sunt nomina, sicut πονηρίας, id est iniquitatis, et πόνου, id est laboris, afflictionis, ærumnæ, doloris. 25. Iniquitas, dolus et dolor sibi mutuo iunguntur.

QUINTO, corrupta voluntate, intellectu, operatione et locutione, necesse est etiam cogitationem corrumpi. Ubi adverte, sub cogitatione me etiam comprehendere affectionem, sicut fieri solet cum peccata dividimus in peccata operis, oris et cogitationis. Cogitatio enim et affectio sibi mutuo coniunguntur, nec a se invicem possunt separari. In peccato enim necessario requiritur cognitio et libertas: cognitio est in intellectu: libertas in voluntate. 26. Vers. 4. 2. Pars. Peccatum corrumpit cogitationes.

Dicit igitur David de impio obstinate perdito, v. eod. 4. NOLUIT INTELLIGERE UT BENE AGERET.

27. Ignorantia affectata. Et v. 5. INIQUITATEM MEDITATUS EST IN CUBILI SUO: ASTITIT OMNI VIÆ NON BONÆ. MALITIAM AUTEM NON ODIVIT. Quatuor ibi peccatoris obdurati mala aperiuntur: Primo, ignorantia boni affectata. Secundo, meditatio maligna modorum quibus peccare possit. Tertio, constantia et perseverantia in mala actione. Quarto denique, amor formalis ipsius malitiæ.

Ac primo, ignorantia affectata declaratur his verbis, v. 4. *Noluit intelligere ut bene ageret*, quo indicatur 1. negligentia ad quærendam scientiam eorum, quæ sibi erant necessaria ad bene agendum; 2. et præcipue, indicatur reiectio et contemptus luminis sibi a Deo oblati. Deus enim Matth. 5. 45. solem suum oriri facit super bonos et malos. Fenestras mentis occludunt scelerati, et instar Atlantum quotidie mane solem execrantium, quod eos in Africa excoquat, inclamant Iobi 21. 14. *Scientiam viarum tuarum nolumus.* Quod deplorans Salomon dicit Prov. 1. 22. *Usquequo parvuli diligitis infantiam, et stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient, et imprudentes odibunt scientiam:* S. Dionys. cap. 2. Eccl. Hierarch. vocat, ἀλαμπὲς κακίαν, *peccatum sine luce*, ab ignorantia enim et defectu lucis oritur: omnis enim peccans ignorans, ut ait Philosophus, et vicissim ex peccato, velut ex tempestate, caligo maior exoritur, ex qua tandem irreparabile inter densos scopulos et syrtes oritur naufragium. Richardus lib. 3. de contemplatione: *Habet*, inquit, *oculus intellectualis ante se velum magnum oppansum, ex peccati delectatione fuscatum.* Agell. in Ps. 50. *Peccata*, inquit, *tamquam obtento velo vultus Dei lumen et gratiam eripiunt.* Peccatum item est ocularia albugo, paulatim lumen diminuit, ac tandem prorsus tollit, nisi fluxio humorum impediatur, et fit peccator ipso talpa cæcior. Oculo vel eius usu erepto quid evenire necesse est, nisi ut cæcus in foveam cadat? Belle dicit Asterius: *Si oculus non esset, sine teste creatura senesceret, nemine vidente Dei sapientiam et virtutem in illa servatam.* Oculo autem mentis ablato, nec Deus cognoscitur, nec virtutis pulchritudo, nec peccati deformitas, quæ si videretur horrorem sui ingeneraret. S. Greg. 16. Moral. 13. *Tunc culpas plangimus, cum pensare cœperimus.* De Iudæis obstinatis dicit Christus: *Non veniunt ad lucem, ut non arguantur opera eorum.*

28. Peccatum facit surdos. Non cæcos tantum, sed etiam surdos facit peccatum, ut Deum vocantem et ad ostium cordis pulsantem non audiant. Apocal. 3. 20. Christus qui se vocat Amen, id est veritatem, mandat S. Ioanni, ut hæc scribat Angelo, id est, Episcopo Laodiciæ urbis maximæ in Phrygia, dicta quasi λαῶν δίκη, hoc est populorum iudicium: *Ecce sto ad ostium, et pulso: si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum.* Ubi vides, 1. gratiam prævenientem Dei; 2. cordis humani perversitatem se Deo claudentis; 3. cordis libertatem, ut illi se aperiat; 4. mercedem suavissimam si id faciat. Sed plurimi illi non aperiunt, sicut ipsi sponsæ accidit Cant. 5. licet hoc peteret primo amicissimis verbis. Secundo, cum magna constantia et patientia. Tertio, cum importunitate et ardore mittens manum per foramen portæ, id est, ut ait S. Gregor. Nyss. per fenestellam, quæ subinde in ostiis fit ad pessulum reducendum, vel seram reserandam. Foramen animæ sunt intellectus et voluntas. Alii non tantum non aperiunt ostium Christo per gratiam pulsanti, sed magis se obdurant, et portam studiosius occludunt. Illi sunt serpens vectis, et per serpentem vectem diabolum Deo portas suas claudunt. De illo agit Isaias cap. 27. 1.

29. Ignorantia quandonam sit peccatum. Nota, Primo nescientia est simplex carentia scientiæ: sed ignorantia, proprie est nescientia eorum quæ quis est aptus scire et debet. Error autem addit approbationem falsi. S. Thom. 1. p. qu. 101. art. 1. ad 2. et 1. 2. q. 6. art. 8. Secundo, ignorantia privationis, id est, eorum quæ quis tenetur scire et potest, est peccatum, non autem aliorum, 1. 2. q. 79. art. 2. Tertio, ignorans gravissime peccat, non propter quantitatem peccati, sed periculi, ibid.

A q. 76. art. 4. ad 3. Quarto, ignorantia est volita tripliciter, 1. directe, ut affectata; 2. indirecte, id est propter negligentiam; 3. per accidens, id est consequenter. Prima auget peccatum, aliæ diminuunt, q. 19. art. 6. Quinto denique, ignorantia tripliciter se habet ad actum, 1. concomitanter; 2. consequenter, id est volita in se, ut affectata: vel in sua causa, id est habitu vel passione, ut ignorantia electionis; 3. antecedenter, id est causa actus. Tertia causat involuntarium simpliciter: secunda, secundum quid: primo vero nullo modo, sed tantum non voluntarium, q. 6. art. 8. Cum dicitur in Psalmo, *noluit intelligere ut bene ageret*, patet sermonem esse de ignorantia affectata quæ auget peccatum, et in summum periculum peccatores coniicit, duce illis et oculo ablato, sicut de quindecim millibus Bulgarorum excæcatorum ab hoste, et in patriam remissorum dixi alias. Minus adhuc erant miseri, singulis enim centuriis dux unus relictus erat coclès. Peccatori autem ignorantiam affectanti duo oculi
B cæcati sunt: fides scilicet et cognitio naturalis, ac præterea faciei velum malitiæ oppansum est, quod ipsa adhuc cæcitate est peius. Ad cæcitatem præterea accedit surditas, ut dixi. Vide quæ dicta sunt de aspide obturante aures suas Ps. 57. 6. Et quod in illa cæcitate et surditate miserrimum est, Dei iram in se magis provocant, quia hominem desperatæ sanationis faciunt, cum remedia præcidunt, et voluntario peccare pergunt. In titulo cantici Habacuc habetur: *Oratio pro ignorantiis.* Chald. paraphrastes vertit: *Oratio quam oravit Habacuc, quando revelatum est ei de longitudine temporis, quam dedit Deus impiis: quod si convertantur ad legem corde perfecto, remittetur eis, eruntque omnia scelera eorum, quæ admiserunt in conspectu eius, quasi ignorantia.* Theodotio autem τὸ *pro ignorantiis* transtulit ὑπὲρ τῶν ἐκουσιασμῶν, id est, *pro voluntariis.* Hoc enim quod e voluntate fluit, est voluntarium, tale autem est peccatum ex ignorantia factum; ut patet in Psalmo nostro, *noluit intelligere*, etc.

C Secundo, Malignitas adhuc peccatoris maior est, cum studiose pervestigat diu noctuque modos varios peccandi, v. 5. INIQUITATEM MEDITATUS EST (Vatabl. excogitat) IN CUBILI SUO: ASTITIT OMNI VIÆ NON BONÆ, MALITIAM AUTEM NON ODIVIT, id est amavit. Est miosis, id est, diminutio, frequens Hebræis. Hinc Petavius vertit, malitiam vero non odit, sed amavit vehementer. Ubi adverte, nihil esse medium: aut odio habenda, aut amanda est iniquitas, non datur status indifferens. Hebr. est לא ימאס *lo imas*, hoc est non reprobavit; ita Arias; 2. non abiicit; ita Pagnin. 3. non reiicit cum fastidio et nausea, non repellit ut rem vilem, fœtidam et execrabilem. Primo, vilitatem ostendit Aquila, cum vertit, οὐκ ἀπερρίψε, id est a se non reiecit, non procul abiecit: et Theodotio, cum reddit, οὐκ ἀπώσατο, non repulit cum impetu, non disiecit. Secundo, fœditatem horret Theodoretus, qui habet οὐκ ἐβδελύξατο, *non est abominatus.* Nam βδελύττομαι est abominari et adversari ob fœtorem, a βδέω, crepitum ventris emitto. Tertio, execratione dignum est peccatum. Arab. *non execratus est.* — 30. Vers. 5. Peccatorum malitia.

D Nota, *meditatio iniquitatis in cubili*, subindicat meditationem, cogitationem, desiderium stupri aut adulterii: quod vocari simpliciter potest iniquitas, ob gravitatem. Unde Abimelech rex Geraræ appellat adulterium Genes. 20. 9. *grande peccatum.* Et Propheta Oseas agens contra Israelitas idololatras et luxuriosos vocat peccatum profundum, ait etiam cap. 9. *Profunde peccaverunt sicut in diebus Gabaa* (cum Gabaitæ abusi sunt uxore Levitæ, Iudicum 19.) *recordabitur iniquitatis eorum.* Secundo, et melius, *per iniquitatem in cubili* meditatam, intelligit omnia peccata, et præsertim fraudes et dolos, quibus die sequenti possint impii illaqueare proximos suos. Prius enim de dolosis eum loqui patet: et statim sequitur, *astitit* (Hebr. statuit seipsum. S. Hieron. stabit) *omni viæ non bonæ.* Ubi adverte impiorum, 1. vigilantiam; 2. obstinationem patientem; 3. anxietatem. Nam velut latrones viam insidentes semper timeat, et iudicem, et ipsos viatores; 4. periculum: quia sunt in via non bona. Nam — 31. Meditatio iniquitatis in cubili quid.

via illa est præcipitiis intercisa, prærupta, et lubrica: itaque abyssum subiacentem vident et horrent, et vertici suo imminentes atque mox lapsuras rupes respectant, nec evitare possunt. Hinc Propheta Michæas clamat cap. 2. 1. *Væ qui cogitatis inutile* (Hebr. iniquitatem. Arab. ignorantiam. Syr. fraudem. Chald. rapinam) *et operamini malum in cubilibus vestris: in luce matutina faciunt* (facitis. Est enallage seu mutatio personæ) *illud*, *quoniam contra Deum* (Hebr. אל *al* fortis; 2. Deus) *est manus* (consilium, meditatio, machinatio, actio) *eorum*. Quid enim facient infirmi contra fortem, et culices contra gigantem sæculorum.

32. Tropol. Cubile est cor nostrum. Tropolog. cubile nostrum est cor, in quo velut in molli culcitra, et in lectulo Salomonis, requiescit sponsa, quam Christus vetat excitari, donec ipsa velit: qui vero scelerum vulneribus confossi sunt, in cubili cordis sunt velut in spincto et carducto, aut in lecto ferreo Og gigantis, ibi in obduratione animi perpetuis aculeis compunguntur. S. August. in Psal. nostr. *Iniquitatem*, inquit, *meditatus est in cubili suo. Quid dixit in cubili suo? Dixit iniustus, ut delinquat in semetipso. Quod dixit superius in semetipso, hoc hic dixit in cubili suo. Cubile nostrum est cor nostrum: ibi tumultum patimur malæ conscientiæ; et ibi requiescimus, quando bona conscientia est. Qui amat cubile cordis sui, aliquid boni ibi agat. Ibi est cubile, ubi nos Dominus Iesus Christus iubet orare. Matth.* 6. 6. *Intra in cubiculum tuum, et claude ostium tuum.* Claudere ostium ait eos, qui non petunt bona sæculi, quæ ab hominibus videntur: A sed bona interiora et cælestia, quæ a Deo solo videntur, et quæ oculus non videt. Exponit deinde tumultum et anxietates sceleratorum, deinde hortatur ad quærendam requiem saltem in domo propria, et cubili, hoc est in corde. *Si quis*, inquit, *patitur foris inimicos*, *intus forte malam uxorem: procedit in publicum. Cum vult requiescere ab his quæ foris sunt*, *intrat in domum: quando vero nec ibi requiescit*, *nec foris requiescit*, *ubi erit requies? Saltem in cubili cordis*, *ut tollas te ad interiora conscientiæ tuæ. Si ibi invenisti forte coniugem*, *quæ tibi non faciat amaritudinem*, *sapientiam Dei: cum ipsa coniungere*, *quiesce intus in cubili tuo, non inde te eiiciat fumus malæ conscientiæ.* Isaias cor impiorum ait esse cubile draconum, hoc est dæmonum. Sic enim loquitur de Idumæa, id est anima sanguine et sordibus peccatorum plena, c. 34. 13. *Orientur in domibus eius spinæ*, *et urticæ*, *et paliurus in munitionibus eius: et erit cubile draconum*, *et pascua struthionum*, *et occurrent dæmonia onocentauris* (id est, monstris et larvis, quæ partim asini, partim tauri formam induant) *et* B *pilosus* (satyrus) *clamabit alter ad alterum*: *ibi cubavit lamia* (dæmon succubus, seu empusa, id est, succubi larva) *et invenit sibi requiem*. Sed animæ requiem sustulit, eius enim quies est bellum nostrum. Richardus a S. Laurentio, lib. 12. de laud. Virg. *Leones*, inquit, *sunt dæmones*, *quorum cubilia sunt peccatores*. Malum hunc hospitem a te reiice, in cubili tuo compungere, ut ibi in pace in idipsum, id est, in uno Deo, dormias et requiescas.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

33. *Duo præstat. Primo*, *misericordiam Dei erga omnes*, *et præsertim erga Sanctos in cælum admissos*, *vers.* 6. *Secundo*, *eamdem misericordiam iustis sibique postulat: et omnia*, *quæ ab illa consequenda impedire possent*, *amoveri*, *vers.* 11.

PARAPHRASIS.

6. *Domine in cælo misericordia tua: et veritas tua usque ad nubes.*

6. Dum in terris grassatur impietas, et cælo bellum indicit: divino tuo in palatio quieta manet misericordia, quæ plena manu in miseros et rebelles dona diffundit: nihil ut a summo empyrei vertice, ad penitissimas terræ partes sacrum eius numen et benignitatem non sentiat. Sed hæc tanta bonitas in cælo reposita humanos et terrenos sensus effugit, ac verax tua fidelitas per orbem diffusa tanta est et tam excelsa, ut summas nubes transcendens, obtusa humanæ mentis acie suspici et comprehendi non possit.

7. *Iustitia tua sicut montes Dei, iudicia tua abyssus multa. Homines et iumenta salvabis Domine.*

7. Iustitia tua, qua singulis meritorum rependis præmia, montium instar celso iugo nubes rumpentium, in altissimo loco sita est: neque est, qui in terris positus, illius secreta rimari valeat. Citius profundissimis terræ lacunis immensam, infinitam aquarum voraginem oculis penetrare, quam iudicia tua, quibus omnia moderaris, mente pervadere possumus. Neque illos solum ad gratiam et gloriam vocas atque admittis, qui hominum ritu a rationis tramite deflexerunt: sed illos etiam qui mentis impotes, cupiditatum æstro instincti, brutis se pecudibus aggregarunt, et lutulentis in pascuis per voluptatis devia aberrarunt: si modo ad montem vel sero redeant.

8. *Quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.*

8. Quam multis mirandisque bonitatis artibus, misericordiæ tuæ munera sparsim per omnes orbis regiones, atque a cultu tuo desciscentes mortales effudisti?

Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.

Si tanta terræ affixis iumentis in tua bonitate sunt præsidia, quanta spes est cæli volucribus ad divina evolantibus? Hi rationis subvecti pennis ue affectu quidem terram contingunt, et sublimem secantes aerem ad te perveniunt, ut in securo sinus tui perfugio et alarum tegumento positi milvos frustra crocitantes rideant.

9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: et torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

9. Cum vero ad cælestem domum tuam ventum fuerit, ibi divinis perfusi deliciis, terrenorumque omnium obliti, in te uno suaviter conquiescent, tuisque bonis saturabuntur. Tuique visione et fruitione, velut pleno flumine, perenni fluxu varias novasque subinde delicias convehente, eos ita potabis et reficies, ut cætera omnia pro nihilo ducant.

10. *Quoniam apud te est fons vitæ: et in lumine tuo videbimus lumen.*

10. Tu enim fons essentiæ, vitæ et sapientiæ, ex quo ubertim bona in omnes defluunt: sed illum cælesti in aula commorantibus præsertim aperis. Tu es Sol æternus, veræ lucis fons inexhaustus, qui per lumen a divina tua bonitate in iustos emicans, videndam illis essentiam tuam lucis omnis originem proponis; et per divinos radios atque influxus, omnem suavitatis ubertatem, eorum mentibus affundis.

11. *Prætende misericordiam tuam scientibus te: et iusti-*

11. His ut æternis deliciis perfrui possimus, nunc misericordem manum tuam extende, et nominis tui pietatisque notitiam habentibus porrige. Huius vitæ virtuti-

tiam tuam his qui recto sunt corde.

bus ornati, securo pede palatia tua petemus, si præsidium hoc non negaveris. Tuam quoque iustitiam, qua virtutis studiosis coronam apparas, eorumque hostes atteris, illis ne denega, qui sincero ex animo tibi serviunt.

12. *Non veniat mihi pes superbiæ: et manus peccatoris non moveat me.*

12. Ne mihi in lubrica huius vitæ via fluitanti obveniat superbia, qua elatus præcipiti cursu ferar in devia. Nec dæmonum eiusque assecIarum potestas ad patriam contento gradu anhelantem me propellat, soloque alligat, et a pietatis semitis abstrahat.

13. *Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem: expulsi sunt, nec potuerunt stare.*

13. In his superbiæ cautibus corruerunt, quibus hoc unum studium est, ut firmo gressu in Dei tramite stantes secum devolvant in præceps. A cælestibus sedibus extorres deiecti sunt, neque in hac sublimi arce omnibus licet naturæ instructi dotibus consistere potuerunt, scelerum mole degravante.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta Dei in homines misericordia est.

34. Ordo Sectionis. PRIMA Sectione ostendit David impietatem et ingratitudinem hominum erga Deum. Nunc in hac declarat quam excellens sit misericordia Dei erga homines, tum in hac, tum in alia vita.

Ac primo, misericordiæ illius divinæ dimensiones omnes exponit. Primo altitudinem, cum ad cælum usque erigatur, v. 6. *Domine in cælo misericordia tua.* Secundo, latitudinem, cum extendatur usque ad nubes, earumque modo in omnem partem diffundatur: *Et veritas tua usque ad nubes.* Tertio, longitudinem, cum ab ortu usque ad occasum pertingat; neque sit vel in orbis semotissimis angulis locus, quem non illustrat, v. 7. *Iustitia tua sicut montes Dei:* qui longo dorso regiones varias secant. Quarto denique, profunditatem, cum abyssi instar altissimæ sit inscrutabilis, et abyssos ipsas maris ac terræ penetret: *Iudicia tua abyssus multa.*

SECUNDO, personas attingit, ad quas sese extendit Dei infinita illa misericordia. Peccatores scilicet atque iustos.

Primo enim, erga peccatores magna est, quos salvat, licet prius ob peccata in pecudes conversos, v. eod. 7. *Homines et iumenta salvabis Domine.* Et multa propter hominum, qui ad vitia feruntur, multitudinem, v. 8. *Quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.*

Secundo, erga iustos in cælo beatos misericordia Dei summa emicat: corpus scilicet ipsorum, voluntatem, sensus et intellectum maximis donis afficiendo. Primo quidem, corpus ipsorum ab omnibus morborum, famis, et aliarum rerum incommodis servat, v. 8. *Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.* Secundo, voluntatem divino, id est, suo, amore inebriat, v. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.* Tertio, sensus omnes torrente et fonte perenni cælestium deliciarum perfundit: *Et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Et v. 10. rationem a priori assignat: *Quoniam apud te est fons vitæ.* Quarto denique, intellectum lumine gloriæ Deo unit: *Et in lumine tuo videbimus lumen.*

Tertio, erga iustos in hac vita Deus misericordiam et iustitiam ostendit, v. 11. *Prætende misericordiam tuam scientibus te: et iustitiam tuam his qui recto sunt corde.* Primo, quidem misericordiam, humilitatis virtutem illis largiendo, v. 12. *Non veniat mihi pes superbiæ.* Et superborum vires retinendo ne illis noceant: *Et manus peccatoris non moveat me.* Secundo, iustitiam pro ipsis exerendo, 1. hostium ipsorum depressione, vers. 13. *Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem;* 2. impediendo, ne, cum ceciderint, resurgant: *Expulsi sunt, nec potuerunt stare.*

ARTICULUS I.

Altitudo, latitudo, longitudo, et profunditas divinæ misericordiæ.

35. Vers. 6. 1. Pars. Misericordiæ divinæ dimensiones. PRIMO quidem, reptant in terris miseri mortales, Deus vero in cælis fortis est, misericordiæ rorem subinde demittens, qui percuntes reficiat. Hoc David declarat, v. 6. DOMINE IN CÆLO MISERICORDIA TUA: VERITAS TUA USQUE AD NUBES. Pro *in cælo*, Hebr. est *in cælis.* Chald. *in cælis cælorum*, hoc est in excelsissimis cælis et præstantissimis. Ibi thronum posuit; et ut ait Petavius ἐστρωται,

A stabilita est misericordia Dei, reginæ instar infra se omnia cernens, et posita opera Dei, ut dicam Ps. 144. 9. Usque ad cælos extendi misericordiam, qua plena est terra, docemur Psal. 56. 11. *Magnificata est usque ad cælos misericordia tua.* Hebr. magna est usque ad cælos, pede scilicet tangit terram, cælum vertice, coronata stellis, et ipso sole, brachiis et sinu totum aerem complexans, ut inde ex mammis fœcundos pluviarum et roris liquores emittat. Super ipsos cælos eam constituit idem Propheta Ps. 107. 5. *Magna est super cælos* (in cælis, extra et supra cælos, præ cælis et plusquam cæli) *misericordia tua.* Terræ exiguitati atque deiectioni et sordibus iure comparabis plerasque hominum misericordias: cælorum autem altitudini, amplitudini, et pulchritudini, ac puritati, misericordiam divinam, de qua Ps. 102. 11. *Secundum altitudinem cæli a terra* (quantum excelsius est cælum a terra, S. Hier.) *corroboravit misericordiam suam super timentes se.* S. Hieron. vertit, tantum confortata est misericordia eius super timentes se.

B Nota, Deus totus est ex bonitate et misericordia conflatus, est ipsa misericordia essentialis in cælis dominans. S. Bern. lib. 5. de consideratione ad Eugenium, cap. 11. Deum sic describit: *Quid est Deus? voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo, creans mentes ad se participandum, vivificans ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, iustificans ad promerendum, accedens ad zelum, fœcundans ad fructum, dirigens ad æquitatem, formans ad benevolentiam, moderans ad sapientiam, roborans ad virtutem, visitans ad consolationem, illuminans ad cognitionem, perpetuans ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circumdans ad securitatem.* Et c. 13. Dei veluti dimensiones varias assignat: *Quid est Deus?* ait: *longitudo, latitudo, sublimitas, et profundum. Quid ipsa longitudo? æternitas. Hæc tam longa, ut non habeat terminum, non magis loci, quam temporis. Est et latitudo: et ipsa quid? charitas. Quibus et ista terminis angustetur in Deo, qui nihil odit horum quæ fecerit?* Et paulo 36. Deus ex bonitate et misericordia est conflatus.

C post subdit: *Quid item Deus? sublimitas et profundum. Ut altero supra omnia, in altero infra omnia. Sublime, potentiam; profundum, sapientiam eius considera.* Omnes vero dimensiones complectitur misericordia. Est enim æterna, et charitatis lac, illique potentia et sapientia subserviunt. Ps. 144. 9. *Miserationes eius super omnia opera eius:* nullum excipit.

Ex his collige, misericordiam Dei dici esse in cælo, non solum quia, ut vult Trevetus, per lumen nobis e cælo bona proveniunt: sed quia, 1. sic denotatur eius excelsitas et eminentia præ omnibus; 2. quod cælum est thronus Dei, qui est ipsissima misericordia, et cuius natura bonitas. Chald. habet: *In cælis cælorum bonitas tua Domine.*

Symbol. misericordia Dei est in cælis, id est, Primo, in Angelis: ita Orig. hom. 5. in Ier. ubi per cælum intelligit Angelos in cælo habitantes: per nubes, Prophetas: per montes, sublimes potestates, aut homines virtute in altum evectos. Secundo, misericordia Dei est in cælis, id est, in Apostolis, ut illam distribuant toti orbi, per continuum D motum, lumen et influxum in universas eius provincias, urbes, oppida, homines illustrando. Vide dicta Psal. 18. 1. Tertio, misericordia Dei est in cælis, id est, in Christo et Ecclesia: nubes sunt Apostoli et prædicatores: montes, Sancti sublimioris contemplationis et perfectionis: abyssi, humiles: homines et iumenta, Iudæi et Gentiles, qui compu- 37. Symbol. Misericordia Dei est in cælis, id est, 1. In Angelis. 2. In Apostolis. 3. In Christo et Sanctis.

truerant sicut iumenta in stercore suo. Quarto denique, misericordia Dei est in cælis, hoc est in Sanctis: ita Beda. *Domine*, ait, *misericordia tua, id est, condigna te, illa tantum est in cælo, id est, in sanctis viris, qui sublati a terrenis, facti sunt cælum.* Et S. August. eam misericordiam ait in cælo illis dari, quia cælestis est, non terrena. *Domine*, ait, *in cælo misericordia tua, id est, misericordia quædam, quam donas Sanctis tuis, cælestis est, non terrena: æterna est, temporalis non est.* In cælo misericordia est: in nubibus veritas: in montibus iustitia, quia illis omnibus eminentior et præstantior est misericordia. S. Thomas in Psal. nostr. *Iustitia Dei alta est, quia nullus tantum meretur, quin Deus plus reddat. Veritas est altior, quia Deus promittit et solvit, quæ nunquam meruimus, sicut incarnationem, et alia quæ pertinent ad mysterium redemptionis. Sed misericordia est altissima, quia ea quæ cogitare non possumus, largitur*, 1. Corinth. 2. 9. *Quod oculus non vidit*, etc.

38. Misericors misericordiam consequitur. Quæres, quomodo possis obtinere misericordiam illam Dei, quæ in cælo est? Responsio facilis est: fac misericordiam Deo in terra, cum se offert tibi in forma pauperis, famelici, nudi, afflicti, et reddet tibi cum fœnore in cælo. Hoc pollicetur ipse Christus, beatitudinem adiungens misericordiæ, Matth. 5. 7. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, veluti coronæ splendentes. Ps. 102. 4. *Qui coronat te in misericordia et miserationibus*, suis et tuis. Prov. 19. 17. *Fœneratur Domino qui miseretur pauperis, et vicissitudinem suam reddet ei.* Syrus, secundum opera eius retribuetur ei. Septuag. secundum donum eius retribuet ei. Hoc est, si magna, et ex magno corde dat, Deus magna reddet; si parva, parva quoque restituet. S. Chrysologus stimulos ad dandum addit, cum ait serm. 42. Manducat Deus in cælo panem, quem perceperit pauper in terra. Da ergo panem, da potum, si Deum debitorem, non iudicem vis habere. Et serm. 8. suavius, atque ad Psalmum nostrum adhuc aptius: *Manus pauperis*, ait, *Abrahæ sinus est; ubi quidquid pauper acceperit, mox reponit. Thesaurus cæli est manus pauperis, quod suscipit ne in terra pereat, reponit in cælum. Thesaurizate*, inquit, *vobis thesauros in cælo. Manus pauperis est gazophylacium Christi: quia quidquid pauper accipit, Christus acceptat. Da ergo homo pauperi terram, ut accipias cælum. Da nummum, ut accipias regnum. Da micam, ut accipias totum. Da pauperi, ut des tibi: quia quidquid pauperi dederis, tu habebis: quod pauperi non dederis, habebit alter. Clamat Deus: Misericordiam volo. O homo, petit Deus, sed tibi, non sibi: Misericordiam volo. Humanam misericordiam petit, ut largiatur divinam. Est in cælo misericordia, ad quam per terrenas misericordias pervenitur. Domine, inquit, in cælo misericordia tua.* Non est dubium quin miseri simus, et multis peccatis sordidati: quo igitur modo coram Dei iudicis tribunali comparebimus, ita ut salvemur, et in cælis coronemur? est nobis patrona assumenda misericordia, quæ statim superior erit in causa. Pergit idem sanctus Pater: *Dicturus causam in iudicio Dei patronam tibi misericordiam, per quam liberari possis, assume. Qui de patrocinio misericordiæ certus est, de venia sit securus, de absolutione non dubitet. Misericordia non solum causam prævenit, anticipat cognitorem, sed etiam sententiam revocat, absolvit addictos. Quod Ninivitæ probant, quos iam sententiæ subiectos, pœnæ traditos, ad victimam stantes, morti deditos, misericordia sic rapuit, sic tenuit, sic prævenit: ut maluerit Deus deduci sententia, ne misericordiæ quid negaret. Stabat quidem et tunc pro causa ieiunium, aspergebat cineres, sternebat cilicium, dabat gemitus, fundebat lacrymas: et quod non poterat excusare verbis, luctibus temperabat: sed non voluit mutare sententiam, nisi perorans misericordia subvenisset.* S. August. in Ps. 36. vult nos esse sapientes fœneratores: *Attende*, ait, *quid facit fœnerator, minus vult dare certe, et plus accipere: hoc fac et tu. Da modica, accipe magna. Vide quam late crescat fœnus tuum. Da temporalia, accipe æterna: da terram, accipe cælum.* Sed quantam terræ portionem dabis, pro qua totum cælum,

A omnes eius thesauros, et Deum ipsum accipies?

SECUNDO, sicut cælorum excelsitas, misericordiæ divinæ sublimitatem nobis repræsentat, ita nubium pluvia et rore gravidarum extensio, eius amplitudinem et dilatationem adumbrat, v. eod. 6. ET VERITAS TUA USQUE AD NUBES. Pro *veritas* Hebr. est אמונה *emuna*, id est 1. veritas; 2. fides, fidelitas; 3. firmitas, stabilitas, certitudo. Rad. *aman*, credidit, confisus est. Hinc primo S. Hieron. et Wolfgangus vertunt, *fides tua usque ad nubes*. Secundo, in scholio Græco habetur, η βεβαιοτης σου εως αιθερων; *stabilitas tua usque ad æthera*. Tertio. Septuag. Noster, Pagnin. Felix, et alii, *veritas tua usque ad nubes*. 39. Vers. 6. 2. Pars.

Nota secundo, pro *nubes* Hebr. est שחקים *scechakim*, id est, 1. nubes proprie altiores, et rariores, ac tenuiores; quia ætheri, hoc est, supremæ aeris regioni, sunt propiores: a rad. *scachak*, contundere, molere, comminuere; 2. *scechakim*, æther; 3. cæli. Hinc primo Vatabl. *veritas tua ad æthera usque*. Secundo, *veritas tua usque ad cælos*. Tertio, Sept. Noster, S. Hieron. et alii, *usque ad nubes*.

B Sensus autem est Primo, *veritas tua usque ad nubes*. 40.
q. d. Ait Rasi: Propter impios tu transfers misericordiam Veritas
ab his inferioribus, et exaltas veritatem tuam usque ad Dei usque ad
nubes, ut transferas illam ab hominibus. Sensus hic est nubes,
contrarius intentioni Prophetæ. et quomodo.

Secundo igitur, *veritas tua usque ad nubes*. Sensus est q. d. Constantiam propositi tui sentiunt quæcumque inter terram et nubes media sunt: ita Campensis.

Tertio denique et verius, *veritas tua usque ad nubes*, est parœmialis formula, q. d. Veritas tua est maxima et latissime extensa. Per veritatem porro Dei, intelligo eius veracitatem et fidelitatem, in iis exequendis, quæ ex misericordia promisit. Volens enim se nobis fecit debitorem. Agellius: *Misericordia Domini*, ait, *benignitas vocatur, qua rebus omnibus providet. Veritas vero eius efficacia, per quam quod ex benignitate vult, etiam opere perficit, quibus duabus virtutibus eius providentia constat*: ita ille, qui iure misericordiam Dei vocat diluvium benignitatis tam maC gnum, ut de terris ad cælos usque pertingat, omnes homines mergat quodammodo et obruat. In nubibus autem illam benignitatem et misericordiam contentam effundit Deus in terras. Philo lib. Quod deterius potiori insidiari soleat, ait: Θεον ανδρα και πατερα των ολων, σποραν και γενεσιν απαντων παρεχομενον ενδικως φησομεν: *Deum, veluti virum et patrem universorum, semen geniturамque omnibus præbentem iuste dicemus.* Melius, et ad rem aptius dicit: *Quoties pluit Deus in mare, fontes producit in locis desertissimis, tenuem, et asperam, sterilemque terram rigat inundans fluminibus* τι ετερον παριστησιν, η την υπερβολην πλουτου και αγαθοτητος αυτου: *Quid aliud exhibet, quam nimietatem divitiarum benignitatis suæ?* S. Paulus Ephes. 2. 4. ait: Deum esse divitem in misericordia, id est, misericordia. Illam promissam dat, ut ad sui amorem homines alliciat. S. Dionysius Areopagita cap. 10. de divinis nominibus: *Dicitur*, ait, *omnipotens summa illa divinitas, et ut omnia superans, et in omnia mire imperans, atque ut omnibus amabilis et desiderabilis perstans, et immittens omnibus volunD tarias leges, dulcesque partus divinæ, et omnipotentis, et tranquillissimæ suæ bonitatis amorem insinuans.* S. Thomas in Psal. nostr. Quidquid, inquit, Deus facit in nobis, vel est ex iustitia, vel ex misericordia, vel ex veritate. Ex iustitia, quando reddit pro meritis: ex veritate, quando reddit quod promisit: ex misericordia, quando excedit merita et promissa.

Symbolice, nubes sunt Apostoli et prædicatores, ut iam 41.
dixi Ps. 17. 13. Adde hic S. August. *Nubes sunt præ-* Symbol.
dicatores verbi veritatis. Quando minatur per prædicatores Nubes
Deus, coruscat per nubes, tonat per nubes, terret per nu- sunt A-
bes, et irrigat per pluviam. Prædicatores ergo isti, per postoli
quos prædicatur evangelium Dei, nubes Dei sunt. Si plu- et con-
ra vis parallela: Primo, nubes ventis agitantur; prædica- cionatores ob
tores sæpe pulsantur vento tribulationis ut Paulus decla- octo rationes.
rat de se et Apostolis, 1. Cor. 4. et 10. Secundo, nubes non habent propriam mansionem, eunt enim quo impelluntur. Iob. 37. 12. *Lustrant cuncta per circuitum, quo-*

cumque eas voluntas gubernandis duxerit. Tertio, prædicator est procul a terra per contemplationem et desiderium æternorum. Iob. 7. 15. *Suspendium elegit anima mea.* Quarto, e mari nubes oritur et relinquit mare. Apostoli Petrus et Andreas, Iacobus et Ioannes vocati sunt cum reficerent retia sua, et occupati essent in istis prope mare Tiberiadis, seu potius in ipso mari et nave; sed sequentes Iesum reliquerunt mare, id est amaritudinem sæculi. 3. Reg. 18. 44. Elias in oratione post cæsos 450. pseudoprophetas Baal, dicit: *Ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari.* Quinto, nubes in pluviam solvitur; concionator in imbres lacrymarum, ut irriget propriam terram cordis sui, et doctrinæ, ut irriget terram proximorum. Iob. 26. 8. *Qui ligat aquas in nubibus, ut non erumpant pariter deorsum:* sed scilicet dent imbrem in tempore suo. Sexto, solvitur nubes in tonitru per comminationes. Iob. 36. 29. *Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, et fulgurare lumine suo desuper.* Eccli. 43. 18. *Vox tonitrui eius uberabit terram.* Septimo, celerrime nubes volant. Isa. 60. 8. *Qui sunt isti qui ut nubes volant?* Deuter. 33. 26. *Magnificentia eius discurrunt nubes.* Ps. 147. 15 *Velociter currit sermo eius.* Octavo, nubes irim efficit. Genes. 9. 13. *Ponam arcum meum in nubibus cæli,* id est, sacram Scripturam in prædicatoribus, quæ est diversis sensibus decorata, sicut iris diversis coloribus. Vel quia sicut ibi dicitur, iris est signum fœderis inter Deum et hominem. Tunc dat prædicator irim, quando reconciliat peccatores Deo. 2. Corinth. 5. 18. *Dedit nobis Deus ministerium reconciliationis, et posuit in nobis verbum reconciliationis.* Hæc ferme Ugo Cardinalis. Veritas tunc est in nubibus, cum sol iustitiæ Christus eas lumine suo illustrat, et facit parelia, iridem

42. *Nubium altitudo a terra quanta sit.*

et splendorem, quem oculi nostri ferre possint. Nubes sunt inter nos et Christum, elevantur a nobis, ut terra; sed remotæ sunt plurimum a Christo ut cælo. Alchazea enim 7. Opticæ. Clavius in Sphæra, digress. de crepusculis proposition. 6. Vitellus lib. 10. Opticæ, proposit. 60. non multum a terra elevari vapores volunt, ex quibus nubes constant; nam Vitelius et Alchazea censent ascendere tantum ad 52. milliaria vel circiter, id est, ad tredecim leucas Germanicas, septemdecim Gallicas; Clavius vero summam elevationem vaporum opinatur præcise esse ad 43. milliaria, hoc est, circiter ad quindecim leucas Gallicas. Specta illas nubes, eas imitare, eleva te a terra sicut illæ, de terra, et in terra erant sicut tu: aut de aqua, quæ est adhuc fluxibilior terra. Si ascendere ad eas non placet, saltem ad te descendentes, et tui causa se humiliantes recipe, sinu fove, fructum fer bonorum operum, ne Deus mandet nubibus suis, ne pluant super te imbrem, et exsiccatus sterilescas et pereas. Vide Cresol. l. 1. Mystag. cap. 12. ubi nubibus sacerdotes comparat.

43. *Vers. 7. Nomen Dei additum rebus notat eas esse magnas.*

Tertio, a cælo et nubibus ad montes descendit Propheta, eisque Dei iustitiam comparat, v. 7. IUSTITIA TUA SICUT MONTES DEI (Chald. o Deus. Aquila, ισχυρε id est, fortis; sed melius Sept. S. Hier. Vatabl. Felix et alii habent *Dei*, sicut Noster) IUDICIA TUA ABYSSUS MULTA.

Nota, nomen Dei vel Domini additum rebus indicat esse magnas ac dignas illius maiestate, ut dixi Ps. 28. 3. Eadem phrasi loco superlativi, quo carent Hebræi, dicuntur cedri Dei, Psal. 79. 11. visiones Dei, Ezech. 1. v. 1. civitas Dei, Ionæ 3. v. 1. quam interpres vocat magnam, Ninive scilicet, tuba Dei, 1. Thess. 4. 15. filii Dei, Gen. 6. 1. hoc est ut Oleaster explicat, proceri et robusti, sagittæ Domini, Iob. 4. sopor Domini, 1. Reg. 26. 12. castra Dei, Gen. 32. 2. civitas Dei, Ps. 86. 3. Etiam ab interprete, domus Dei, Gen. 28. 17. digitus Dei, Exod. 8. 19. currus Dei, Ps. 67. 18. terror Dei, Gen. 33. 5. exercitus Domini, Exod. 12. 45. paradisus Domini, Gen. 13. 10. spiritus Domini, Gen. 1. 2. id est, ut placet Tertulliano contra Hermogen. et Theodoreto q. 8. ventus magnus, seu a Deo excitatus. sagittæ ac terrores Domini, Iob. 6. 4. ita Lorinus, et bene.

44. *Iustitia Dei est similis monti Sinai ob decem rationes.*

Secundo tamen, arbitror hic iustitiam Dei comparari monti Sinai, qui proprie vocari potest mons Dei: quia ibi Deus legem dedit, et ante legem datam Angelus in rubo ardenti ibi apparens Mosi dixit, Exod. 3. 5. *Solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est:* sive quod olim aliqui ex antiquis Patriarchis, sive ante, sive post diluvium, ibi Deo sacrificaverint, et locum illum ipsi dedicaverint; sive quod esset iam terra veneranda ob legem postea dandam. 3. Reg. 19. 8. dicitur mons Dei Horeb, ad quem ivit Elias. Sinai autem et Horeb sunt duo colles eiusdem montis. Iustitiæ Dei porro recte mons ille comparatur, 1. quia mane exorto diei illius, quo erat ibi lex danda, audita sunt tonitrua; 2. emicuerunt fulgura; 3. nubes densissima operuit montem; 4. clangor buccinæ vehementius perstrepuit; 5. totus mons fumabat; 6. descendit Dominus super eum in igne, ut dicitur Exod. 19. 18. et sequ. 7. videbatur velut fornax ardens. Nam Deuter. 4. 11. dicitur mons arsisse; 8. mons intremuit, ut habemus Psal. 67. 9. Præterea 9. erat pluvia et procella, ut dicitur Hebr. 12. 18. Denique 10. voce tubali et terrifica Angelus Michael probabiliter, custos et præses synagogæ, legem decalogi promulgavit. Quæ omnia sunt iustitiæ tremendæ symbola. Sicut igitur cum supra est dictum: *Veritas tua usque ad nubes,* alludi arbitror ad legem datam in medio nubium occupantium verticem Sinai, ita iustitia Dei hic comparatur eidem monti. Fortasse alluditur etiam ad montes Garizim, in quo benedictiones pronuntiatæ sunt servantibus legem, et Hebal, in quo maledictiones transgressoribus, ut præcipitur a Mose Deut. 27. et executioni mandatur a Iosue transmisso Iordane post urbes Iericho et Hai captas et eversas, cap. 8. Iosue v. 33. et seq.

Et quibuslibet montibus.

Nota secundo, iustitia quibuslibet montibus comparari potest. Primo, propter firmitatem et stabilitatem. *Iustitiam Dei,* ait Hesychius, *inconcussam et firmam: nihil est quod violentia, aut opibus, aut dolo, aut obsequio adulationis subterfugere possit.* Secundo, iustitia Dei est similis montibus ob altitudinem, oculos enim hominum fugit eius altitudo. S. Ambros. in Ps. nostr. ait: *Apostolus videns esse sublimia quæ audivit, dicit Rom. 11. O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei: quam inscrutabilia sunt iudicia eius, et investigabiles viæ eius!*

Symbol. Vir iustus montibus similis est. 45.

Symbolice, iustitia, id est, iusti et sancti viri (abstractum enim sæpe ponunt Hebræi pro concreto) sunt sicut montes Dei; ipseque Christus, qui est nostra iustitia, est mons. De illo S. Ambrosius hic: *Ipse Dei Filius mons magnus est: et ideo ascende in hunc montem, qui evangelizas Sion, ut stes radicatus et plantatus in Christo. Est mons quasi sapientia Dei, est mons quasi iustitia, est mons quasi scientia Dei, est mons quasi sanctificatio, est mons quasi redemptio, est mons quasi resurrectio. Demonstravit nobis hos montes Scriptura, quæ dixit 1. Corinth. 1. In ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est sapientia nobis a Deo, et iustitia, et sanctificatio, et redemptio: vel quia Angelis Angelus factus est Dei filius, Prophetis propheta.*

Apostoli sunt montibus similes. 46.

De Apostolis prædicatoribus ait Beda: Sunt similes montibus, 1. propter constantiam fidei; 2. et propter eminentiam virtutum; 3. quia sicut sol exoriens, prius illustrat montes, et inde resplendet in valles: ita verus sol iustitiæ, id est, Christus exortus, primum corda illorum montium, ut intelligant Scripturas, aperuit: et inde nobis resplenduit, quia per illos occulta Scripturarum mysteria nobis aperuit; ita Beda. De illis dic, quod reddit Pagninus: *Iustitia tua* (id est, iusti tui) *sicut montes fortissimi.* Sunt montes ærei emittentes quatuor quadrigas in totum mundum. Zach. 6. 1. *Et vidi, et ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium: et montes, montes ærei.* Alcazar in cap. 6. Apocal. notation. 5. pag. 444. per quadricolores equos et quadrigas intelligit quatuor dotes et virtutes, quibus Apostoli, virique Apostolici, quasi quadrigæ Christi, ipsi totum subegerunt orbem: scilicet equos albos denotare immaculatam sanctitatem: rufos, zelum ardentem: varios, sapientiam: nigros, modestiam. S. Chrys. in Isaiam dicit per montes tria denotari, το στερρον, το υψηλον, το αχειρωτον, id est, immotam so-

liditatem, et sublimitatem, et inexpugnabilem invictamque potestatem.

47. *In iustitia elucet Dei misericordia.* Nota, in iustitia elucet Dei misericordia: itaque Agellius per iustitiam vult intelligi misericordiam. Fortasse, ait, quod verius puto, iustitia idem est quod misericordia: iudicium idem quod veritas. Ut misericordia et iustitia benignius aliquid habeant, et ad Dei clementiam spectent. Veritas et iudicium ad ea facienda pertineant, quæ fieri æquum est, et ratio postulat, et rectus ordo rerum flagitat; ita Agellius valde probabiliter. Agitur enim hic de beatitudine et delectatione Sanctorum, ut infra patebit. Illa autem est partim opus misericordiæ Dei, qui liberaliter eam promisit, qui primam gratiam dedit, ut ad illius consecutionem impelleret, qui dedit donum perseverantiæ: partim est opus iustitiæ, quia illam meretur de condigno, qui habens gratiam habitualem operatur. Adde, in ipsa Dei iustitia puniente, præsertim in hac vita, esse misericordiam. Clemens lib. 2. Pædag. ἐλεος κυριου ait, ἐπι πασαν σαρκα ἐλεγχων και παιδευων, και διδασκων, ὡς ποιμην το ποιμνιον αὐτου: *Misericordia Domini est super omnem carnem, dum arguit, castigat, et docet, sicut pastor gregem suum.* Dicitur Deus pater misericordiarum: quia misericors est, sive dona largiatur, sive culpas castiget: utrobique enim pater est, et nunquam dicitur pater iustitiæ: ergo etiam dum castigat filium, est pater misericordiæ: sicque est pater misericordiarum. Clemens idem dicit: ἀγαθος ὁ Θεος δι ἑαυτον; δικαιος δε δι ἡμας: *Deus bonus est, per seipsum: iustus vero, propter nos.* Sed cum est iustus propter nos, non desinit esse bonus in se: et oleum bonitatis cum vino severitatis in plagas nostras bonus Samaritanus infudit: ipseque apis aculeus, mel infundit.

Vers. 7. 2. Pars. QUARTO, David ut imas quoque maris terræque partes a divina misericordia penetrari denotet, comparat illam abysso, vers. eod. 7. IUDICIA TUA ABYSSUS MULTA, id est, magna. Est enallage quantitatis Hebr. רב *rab*, et multum, et magnum significat.

48. *Iudicia Dei hic tripliciter sumi possunt.* Nota, *iudicia Dei*, ibi sumuntur Primo, pro punitione impiorum; ita R. David Kimhi, qui ait Iustitiam pro benignitate et liberalitate sumptam, quam Deus ostendit præcipue erga pios, comparari hic montibus: iudicia vero, quibus impios atque iniustos punit in tartaro, conferri abysso.

I.

II. Secundo, et melius, tam ad bonos quam ad malos extendere possis hæc Dei iudicia, ita ut sumantur pro executione iustitiæ Dei, et pro efficacia illius, sive punientis, sive mercedem dantis.

III. *Et optime.* Tertio, præcise et proprie, hic *iudicia* Dei sumuntur respectu piorum, quos Deus mirabili modo ad se vocat, mirabili modo in virtute provehit, et modo admirabili ad gloriam perducit, atque æternis gaudiis cumulat.

49. *Iudicia Dei similia sunt triplici abysso.* Nota secundo, iudicia Dei comparari possunt triplici abysso. *1. Maris rubri.* Primo, abysso, quam mirabiliter transiverunt Israelitæ fugientes ex Ægypto: nempe mari rubro, de quo Ps. 105. 9. *Deduxit eos in abyssis, sicut in deserto.* Sicut itaque cum dixit David: *Veritas tua usque ad nubes,* allusit ad columnam nubis illuminantem Hebræos in via, et ducentem per Angelum in ea latentem: vel, ut dixi, allusit ad nubem operientem montem Sinai, dum lex dabatur: et cum dixit, *iustitia tua sicut montes Dei*, allusit ad ipsum montem Sinai: ita hic, *iudicia tua abyssus multa*, alludit ad mare rubrum. *2. Maris cuiuslibet.* Secundo, per abyssum omnia maria latissime fusa accipi possunt: hæc enim abyssus est multa et multiplex: una tamen per freta varia et canales sibi iuncta. De illa dicés Ps. 103. 25. *Hoc mare magnum et spatiosum manibus.* *3. Præsertim fundo carentis, quod in paucis locis est.* Tertio, stricte potest sumi abyssus: id est, ut ait S. Isidorus, profunditas aquarum innumerabilis, vel impenetrabilis. In mari pauca sunt loca in quibus fundus reperiri non possit, ut in littore Svevico, at in quibusdam locis Ponti ex adverso Coraxorum, atque in quibusdam aliis ab Hispanis et Lusitanis repertis. *4. Abysso initio mundi terram tegentis.* Quarto denique, *iudicia Dei* comparare iure possis cum abysso illa immensa, quæ pertingebat a terra usque ad cælum empyreum. Primo enim die Deus tria produxit creatione proprie dicta, id est, ex nihilo: nempe, 1. cælum; 2. terram; 3. aquam, quæ impleret totum spatium, quod interiacebat inter cælum et terram, et super quam fuerunt tenebræ per sex horas, ut vult Cornelius, aut per 12. ut alii.

Nota tertio, illi abysso primigeniæ comparantur iudicia Dei, 1. quia existunt independenter a nobis, et sine præexistente causa quam cognoscamus; 2. quia sunt sæpissime obscura. De Deo dicitur Ps. 17. 12. *Posuit tenebras latibulum suum;* 3. quia omnia complectebatur illa abyssus: ubique et in omnibus adoranda sunt Dei iudicia; 4. terram cælo iungebat; 5. denique, erat prorsus sine fundo, plusquam centum milliones leucarum in sua altitudine continens. Paulus exclamat Roman. 11. 33. *O altitudo divitiarum*, etc. *quam incomprehensibilia* (Tertullian. contra Hermogenem legit, ininventibilia) *sunt iudicia eius, et investigabiles* (ἀνεξιχνίαστοι, hoc est, non vestigabiles) *viæ eius!* hoc est, consilia, modi operandi, providentiæ. *Quis cognovit sensum* (νουν, mentem, cogitationem) *Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* Arabs hic vertit, Iudicia tua, velut abyssus profunda; et apud Paulum altitudo ponitur pro profunditate. Græce enim est βαθος, id est, profundum, πλουτου, divitiarum. Licet enim, ut ait Cornelius, profunditas respectu nostri climatis descendat, tamen respectu alterius orbis et hemisphærii tendit in altum: sic altus puteus dicitur profundus: at fossa alta, id est, profunda. 50. *Iudicia Dei comparantur abysso primigeniæ ob quinque rationes.*

De mari cum Dei sapientia collato habes Eccli. 24. 39. *A mari* (id est, præ mari, plusquam mare. Est Hebraismus) *abundavit cogitatio eius,* (sapientiæ divinæ) *et consilium illius ab* (præ) *abysso magna*, id est, præ aquarum voragine, quæ careat fundo. Tigurina vertit: Abundantior mari est intellectus eius, et consilium eius profundo immensius. Prius comparaverat illam Phisoni, Tigri, Euphrati, et Geoni, qui sunt quatuor fluvii paradisi terrestris.

Nota quarto, misericordia recte immenso mari confertur, 1. quia exhauriri non potest, quantumcumque ex ea accipias; 2. quia extinguit et absorbet omnia peccata, licet maxima, eique comparata sunt instar levissimæ stricturæ ferri, et scintillæ statim in vase aquæ morientis. S. Chrysost. hom. 3. de Pœnitentia: *Cogita,* inquit, *si in mare scintilla ceciderit, num possit stare, aut apparere. Quantum scintilla ad mare se habet, tantum hominis malitia ad Dei clementiam pietatemque: imo vero non tantum eodem modo, sed etiam supra.* Est enim infinita distantia inter omnia hominum peccata, et inter misericordiam Dei: non est vero infinita distantia inter scintillam, et maria omnia, seu abyssum illam primigeniam, quæ cælum et terram tangebat. Unde cum eodem sancto Patre concludamus hom. 22. ad popul. *Proiiciamus nosipsos in mare miserationum eius.* 51. *Misericordia Dei confertur mari.*

ARTICULUS II.

Misericordia Dei ad peccatores et iustos se extendit.

CUM David dixerit iudicia Dei esse abyssum magnam et profundissimam, explicat quænam sint hæc iudicia: nempe decretum de salvandis peccatoribus et innocentibus, v. 7. HOMINES ET IUMENTA SALVABIS DOMINE. 52. *Vers. 7. 3. Pars. Deus habet providentiam circa animalia quælibet.* Primo, hoc accipi potest de salute corporea; Deus enim non tantum habet providentiam circa homines, sed etiam circa species et individua quorumlibet animalium, 1. efficiendo ut species conservetur; 2. singulis speciebus Angelum præficiendo; 3. cibum convenientem præstando; 4. varia imperando hominibus circa animalia, ne iis abutantur, aut nimis illa fatigent; 5. varias illis dando industrias, quibus se a suo hoste tueantur, sive cum fugiendo, sive aggrediendo. De perdicum, leporum, ursi, ichneumonis, et aliorum industria, vide Plutarchum tract. de solertia animalium, pag. 974. Dando 6. illis modum sibi medendi in morbis. Idem auctor ait, quod testudines origanum, mustelæ rutam mandunt, ubi de serpente quid comederunt. Canes certa quadam herba se bili vexante

expurgant. Draco oculum obtuse videntem fœniculo compunctum acuit. Ursa cum primum ex antro suo prodiit, aro vescitur agresti, cuius acrimonia aperit intestinum ipsius concretum, etc. Quod cura iumentorum tangat Deum, habes Primo Gen. 8. ubi cessatio diluvii tribuitur ex parte conservationi iumentorum, et aliorum animalium. Sic enim v. 1. *Recordatus autem Deus Noe, cunctorumque animantium, et omnium iumentorum, quæ erant cum eo in arca, adduxit spiritum* (ventum) *super terram, et imminutæ sunt aquæ.* Secundo, vult sabbato illa quiescere, Deuter. 5. 14. *Septimus dies sabbati est, id est, requies Domini Dei tui. Non facies in eo quidquam operis tu et filius tuus, et filia, servus et ancilla, et bos, et asinus, et omne iumentum tuum.* Tertio, cap. 25. 4. vetat claudi capistro ora triturantium, ne comedant de sua tritura: *Non ligabis os bovis terentis in area fruges.* In Palæstina boves circumacti segetes terebant unguiis pedum suorum, et sic grana excutiebant, ut nunc etiam fit in Canariis insulis. Voluit Deus ipsa animalia exultare in labore suo. Quarto, dat iumentis escam ipsorum, Ps. 146. 9. *Dat escam omni carni,* Psal. 135. 25. Pascit volatilia, Matth. 6. 26. Implet omne animal benedictione, Ps. 144. 16. Quinto, parcit civitati Ninive etiam propter iumenta; Ionæ enim prophetæ indignanti, quod Ninive non destrueretur post 40. dies, sicut prædixerat, cum tamen doleret suam hederam exaruisse, ait Deus, Ion. 4. 11. *Ego non parcam Ninive civitati magnæ, in qua sunt plusquam centumviginti millia hominum* (id est, parvulorum) *qui nesciunt quid sit inter dexteram et sinistram suam* (inter bonum et malum) *et iumenta multa.* Ex quibus collige, 1. proiicere curam tuam in Dominum ut ipse te enutriat: et non nimis sollicite curare de crastino, quia Deo cura est de te, magis quam de bobus et corvis, quibus tamen nihil deest; 2. collige, etiam non degravare nimio labore ipsa iumenta, aut nimis illa percutere. Nam Balaamum reprehendit Angelus ob verberatam tertio asinam; et Deus os asinæ aperuit, ut eius furorem impediret, Num. 22. Lepidum est quod refert Plut. de solert. animalium, et ex Ctesia Cnidio: Susis, ait, boves sunt, qui regium ibi hortum rigant portatiliibus haustris, quorum numerus est definitus, ut quilibet bos quotidie centum id genus vasa aquæ plena eo portet: plura ut portet, nulla ratione, neque vi quidem ulla efficies. Nam sæpe tentatum est; sed bos subsistit, neque progreditur.

53. *Homines et iumenta varie sumi possunt.* Secundo et melius, *homines et iumenta* etiam ad litteram sumuntur. Primo, pro Iudæis legem et præcepta habentibus, quibus instruantur: et pro Gentilibus idololatris, qui instar iumentorum in stercore suo computrescebant, ac lege scripta carebant; ita S. Cyrillus.

I. II. Secundo, *homines* sunt, qui cum fide charitatem habent: *iumenta* autem, qui fidem habent, sed charitate carent, et sunt peccatores; ita S. Cyrill. l. 3. in Leviticum.

III. Tertio, *homines* sunt, qui sunt magis perfecti, atque infantiam, quæ est pecoribus proxima, reliquerunt: *iumenta* vero sunt minus perfecti, qui nominantur adhuc adolescentulæ, seu iuvenculæ, Cant. 1. 3. et 6. 7. Ita S. Gregor. Nyssen. hom. 15. in Cant.

IV. Quarto, *homines* sunt contemplativi: *iumenta* activi; ita Ugo Card. activi enim iuvant eos, qui in otio contemplationis sunt, et quorum conversatio in cælis est.

V. Quinto, *homines*, sunt viri doctrina, prudentia, solertia, ingenio præditi: *iumenta*, sunt ii, qui per mansuetudinem humiles sunt et obsequentes; ita Agellius. *Homines* Rabbini apud Galatin. de arcanis fidei lib. 5. cap. 8. sunt ii, qui sunt prudentes ad faciendum bonum: *iumenta*, sunt qui simplices sunt ad malum fugiendum, et patientes ad onera sibi imposita perferenda.

VI. *Et optime.* Sexto et optime, *homines et iumenta*, sunt boni et mali, iusti et iniusti, qui rationis dignitatem et impulsum servant, et qui proni terram spectant, ac terrenis sensibus pascuntur; ita S. Ambrosius, Hesych. Didym. Beda, Ugo, et alii. Verba S. Ambrosii sunt: *Quid est homines et iumenta? Rationabiles utique et irrationabiles. Rationabilibus iudicia, irrationabilibus misericordia. Alii reguntur, alii nutriuntur.* Quod primo homo censeatur vir pius, et in hominis definitione includatur virtus, docet S. Chrysostomus in illud Iob. 1. vers. 1. *Erat vir ille simplex, et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo.* Sic enim inquit: *Quid est homo? Homo est animal rationale, mortale: de his Philosophorum termini consulantur. Scriptura autem non eosdem dat terminos. Sed quid? Homo est irreprehensibilis, iustus, verax, et recedens ab omni opere malo. Adeo ut qui talium perfectorum officiorum testimonio non fuerit comprobatus, homo non sit.* Secundo, quod peccator in iumentum et in belluam commutetur, docet Origenes in illud Ezech. 14. 7. *Homo, homo de domo Israel.* Verba illius sunt: *Iste non est homo, homo, sed homo iumentum. Matth. 3. 7. Generatio viperarum, quis vobis demonstravit fugere a ventura ira? Talis non est homo homo, sed homo serpens. Et qui in fœminas inhiantes unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebant: iste non est homo homo, sed homo equus.* Vide dicta Ps. 48. 13. et 21. Commode huc referetur, quod noster Athanasius Kircherus ait in Prodromo Ægyptiaco solitos Ægyptios in suis hieroglyphicis, aut homini caput alicuius animalis appingere, aut animali alicui caput hominis. Ad alios quidem sensus id trahunt; sed nunc eo symbolo denotari velim, homines plerosque sensuum ductu ad animalium mores sæpe devolvi. Tertio, peccator non modo fit iumentum, sed etiam fera, imo fera tetrior. S. Chrysost. in Ps. 139. Nemo, ait, nos condemnet, si dicamus vitiosum hominem *fera esse improbiorem*: ea enim et si naturalem feritatem habet, potest tamen facile decipi. Homo autem qui scelus meditatur, et multis personis se luduit, longe difficilius cavetur quam fera; ita Chrysost. Et quidem Darius Medus magis timebat improbos ne Danieli nocerent, quam leones ipsos, ut patet Daniel. 6.

Dices, unde constat quod iumenta, id est, peccatores salvat Deus? Respondeo, Christum id declarare ipso suo nomine; 2. verbis parabolicis; 3. verbis apertis; 4. factis symbolicis; 5. factis claris et manifestis. Primo, enim Christus, id est, unctus et ungens est. S. Bern. serm. 15. in Cant. docet eum effundere oleum misericordiæ etiam in eos, qui computruerant, sicut iumenta in stercore suo. Est Iesus, id est, Salvator. Non salvantur nisi qui perierant, aut perire debebant. Cant. 1. 2. *Oleum effusum nomen tuum.* S. August. per oleum intelligit misericordiam, effunditur in omnem terram confracto vase. 54. *Quod iumenta, id est, peccatores Deus salvet, quinque modis declaravit Christus.* I. *Suo nomine.*

Secundo, Luc. 15. ponitur parabola ovis perditæ quæsitæ et salvatæ. Sic enim v. 3. *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonagintanovem in deserto, et vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam?* etc. Ovibus errantibus nos comparat Isaias cap. 53. 6. et S. Petrus 1. epist. 2. 25. Vide Ps. 118. v. 176. Secunda parabola est de prodigo, qui cum porcis vixerat, porco peior, et deterioris conditionis, et tamen recipitur a patre, veste ornatur, convivio reficitur, musica et choreis recreatur, Luc. 15. 20. II. *Parabolis.*

Tertio, *iumenta*, id est, peccatores salvat Christus, ad hoc enim venit, ut apertis verbis declarat, veluti excludens alios ab ea salute. Cum enim S. Matth. quem Marcus vocat Levi Alphæi, supple filium, ut addit Syrus, et multi publicani, ac peccatores discumberent cum eo in convivio, audiens Scribas et Pharisæos de ea re murmurantes, ait Marc. 2. 17. *Non necesse habent sani medico, sed qui male habent: non enim veni vocare iustos, sed peccatores.* O suave verbum, et omni consolatione dulcius in animæ medullas influens! *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria* (illustri et gloriosa gratia) *Dei*, Rom. 3. 23. O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem! Si enim peccatum Adæ non fuisset, nec in omnes influxisset, ac totam massam corrupisset, venisset fortasse Christus, sed non venisset redemptor, nec passibilis fuisset, neque esset mortuus, sicut non est mortuus pro Angelis, sed tantum pro peccatoribus hominibus. III. *Verbis apertis.*

55. IV. *Factis symbolicis.* Quarto, *iumentorum*, id est, peccatorum, se esse Salvatorem Christus probavit primo in Nativitate, nascens inter duo animalia, et ibi recubans in præsæpio, sicut ait

Habacuc. Ubi enim legimus cap. 3. vers. 2. *Domine opus tuum* (redemptionis hominum. Chald. renovationis mundi, ait, et miserationum Dei) *in medio annorum vivifica illud*. Hoc est in plenitudine temporum, ut Galat. 4. v. 4. dicitur. Septuaginta vertunt: *In medio duorum animalium cognosceris*. Duo animalia S. Hieron. ait esse duos latrones, inter quos crucifixus et agnitus est Christus. Sed melius S. August. orat. contra Iudæos et Paganos, cap. 13. accipit bovem et asinum, inter quos natus est Christus. Tunc vero bos cognovit possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui, ut ait Isa. cap. 1. 3. Secundo, in triumphali Christi ingressu in Ierusalem habes Matth. 21. 7. *Adduxerunt asinam et pullum, et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt*. Asina synagogam Iudaicam iugo legis assuetam, pullus populum gentilem adhuc indomitum designat; illis fertur Christus, sed conversis ad se. Nam ut ait auctor imperfecti, sicut peccatores equi sunt diaboli: ita et Sancti, equi sunt Christi. Ipse est Cyrus ascensor asini, et Darius ascensor muli, qui cœperunt Babylonem, id est, mundum confusione plenum, Isa. 21. 7. De Christo certius in Iuda figurato dicit moriturus Iacob Genes. 49. 11. *Ligans ad vineam* (id est, Ecclesiam suam) *pullum suum, et ad vitem* (id est, ad seipsum) *o fili mi, asinam suam* (hoc est, synagogam): *lavabit in vino* (in suo sanguine) *stolam suam* (vestem, id est carnem suam) *et in sanguine uvæ* (suo scilicet, qui est botrus cypri, ut mox dicam) *pallium suum*, hoc est eamdem carnem. Tertio itaque, in passione præsertim positus est inter duo animalia, id est, inter duos latrones, ut dixi ex S. Hieron. ibique succo vivifico asinam et pullum cruci illigatos sanavit, et vitæ reddidit. Cantic. 1. 13. dicit Sponsa: *Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi*, quod de passione Christi explicat Hortolanus, qui Engaddi exponit *fontem incisionis*, et quidem ex Hebr. et Syr. si hæc vox conflctur, est *fons*, vel *oculus incisionis*, seu *scissuræ*, quod apte Christo crucifixo convenit. Copher vero significat expiationem. Hinc quidam *botrus Cypri*, reddunt *botrus expiationis*, *botrus redemptionis iniquitatis*, *botrus propitiationis*, *vel pretii*. Pretio magno in cruce nos emit Christus, nempe suo sanguine; 2. Engaddi idem est, quod *oculus tentationis*, ait Iustus Orgelitanus; 3. Engaddi reddi potest, oculus sive *fons felicitatis;* 4. ad rem nostram Engaddi, est *fons hædi;* talis fuit fons Christus in cruce de hædis, hoc est, peccatoribus, faciens agnos ad dexteram suam locandos, cum laverint stolas suas in sanguine agni. S. Bern. serm. 44. in Cant. *In fide*, ait, *et lenitate sanctum faciet illum, et dabit illi non oleum, sed balsamum in vineis Engaddi. Nec enim dubium ex fonte hædi profluere charismata meliora, cuius utique unctio hædos vertit in agnos, et de sinistra transfert in dexteram peccatores, abundantius quidem ante perfusos unctione misericordiæ: ut ubi abundaverint delicta superabundet et gratia*. S. Gregor. in Cant. fontem hædi iure vocat baptisma, quod lavat hædos et transformat. De latere Christi aqua fluxit typus baptismi. *In Engaddi*, ait, *balsamum gignitur, quod cum oleo, Pontificali benedictione Chrisma efficitur, quo dona sancti Spiritus exprimuntur. Engaddi interpretatur fons hædi: hædus autem antiquitus pro peccatis immolabatur. Quid ergo per fontem hædi, nisi baptismus Christi figuratur? In quo dum corpus mergitur, anima abluitur; et per illius fidem, qui pro peccatoribus mortem pertulit, anima humana a peccatis omnibus mundari se credit*. Vide Paulum Ephes. 2. 4. et seq. Rom. 3. 24. etc.

56. V. Factis apertis. Quinto denique, *iumenta*, id est, peccatores salvare se Christus factis apertis ostendit. Cum enim in urbe Iericho, quæ lunam seu lunaticum significat, intrasset domum Zachæi principis Publicanorum, id est, qui multos sub se habebat publicanos seu exactores vectigalium, Zachæus conversus est, et dimidium bonorum suorum statuit dare pauperibus, et ablata compensare in quadruplum: Tunc *ait Iesus* (id est salvator) *ad eum: Quia* (quod) *hodie salus domui huic facta est*: eiecta perditione, inquit, Euth. quæ in ea morabatur, propter avaritiam et iniustitiam. Tunc non tantum nomine, sed etiam re, fuit Zachæus, id est, iustus, purus, limpidus: et factus est de iumento filius Abrahæ, id est, imitator fidei, iustitiæ et sanctitatis Abrahami. Secundo, Magdalenæ dicitur Luc. 7. 50. *Fides tua te salvam fecit:* erat peior iumento, habens septem dæmonia: fit præstantior hominibus. S. Chrysost. hom. 62. ad popul. ait, propter eam dictum esse Matth. 21. 31. *Publicani et meretrices præcedent vos in regno Dei*. Ut enim dicit S. Gregor. Plerumque gratior est Deo fervens post culpam vita, quam securitate torpens innocentia.

Aptissimum est huic loco quod refert Cæsarius lib. 2. miraculor. cap. 31. ait enim quemdam usurarium in Ordinem S. Benedicti intrasse, ibique pie obiisse. Post eius mortem, cum corpus in oratorio positum esset, quatuor dæmones coram monachis apparuisse, ex altera parte totidem Angelos sanctos. Tunc dæmones dixisse quatuor versus Psalmi nostri: *Dixit iniustus ut delinquat in semetipso*, etc. atque ex illis probasse mortuum sui iuris esse. Angelos vero decantasse reliquos versus eiusdem Psalmi, nempe: *Domine in cælo misericordia tua*, etc. *homines et iumenta salvabis Domine*. Atque inde confirmasse ad se pertinere, statimque stygios prædones diffugisse.

Secundo, si hostibus suis pœnitantibus Deus dat gratiam cum misericordia, quid faciet amicis et filiis? v. 8. 57. Vers. 8.
Quemadmodum (Hebr. מה *ma*, id est, quam, quantum, quantopere, quantum et quam magnum in modum. Est admirantis.) multiplicasti (omnibus exhibendo) misericordiam tuam Deus. Cassiod. misericordias tuas. Nota, pro *multiplicasti* Hebr. est יקר *iakar*, id est, pretiosa, honorabilis, gloriosa, præclara, magnifacienda, rara. Hinc S. Hier. vertit: *Quam pretiosa est misericordia tua Deus*. Vatablus: Quam præclara est, o Deus, bonitas tua. Campensis: Quam magnifacienda est benignitas tua Deus. Multiplicat itaque Deus misericordiam suam, quia illam dat omnibus, sed eo pretiosiorem, quo latius patet; tu illam magnifacias, et illa te faciet magnum et pretiosum Deo atque hominibus. Humanitas Christi hanc misericordiam fundens est *parvus fons, qui crevit in fluvium, et in lucem solemque conversus est, et in aquas plurimas redundavit*, Esth. 10. 6. Posce ab eo ut misereatur tui secundum magnam misericordiam suam, et secundum multitudinem miserationum suarum deleat iniquitatem tuam, Ps. 50. 1. Tribuit illi Isa. 65. 15. multitudinem viscerum et miserationum; omnes ut intra cor suum abscondat, et in eo illos excoquat igne charitatis, et eos formet in filios sibi.

Amicis suis dat Deus duo: nempe securitatem, et delectationem: de secunda dicetur art. seq. nunc de prima ait David. v. eod. 8. Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt. Hebr. *in umbra alarum tuarum sperabunt*, id est, protegentur, et sentientes se protegi sperabunt se ab hoste illæsos fore. Est metalepsis: posterius enim ponitur pro eo quod præcedit, id est, spes pro protectione. Arabs reddit: *Sub umbra alæ tuæ* (una sufficit: est magnus Dominus, nos parvi) *protegentur*. Secundo, amorem Dei nos tegentis, et sollicitudinem Petav. declarat, cum vertit: σαις πτερυγεσσι βροτων γενος αμφικαλυψεις: tuis alis hominum genus circumteges, ex omni parte teges ac proteges. Tertio, ardorem et pugnam Dei nos tegentis indicat Magn. qui reddit: *Hinc sanctos placida iam nunc tutaris in umbra*. Hoc ab avibus sumptum notat, cum addit: *Ut pennis ales pignora chara suis*. Id quotidie videmus in gallina pugnante pro pullis: illi se Christus comparat Matth. 27. 37.

Quæres primo, quinam hic dicuntur *filii hominum?* 58.
Filii hominum et homines qui. Primo, S. Ambr. S. August. Ruff. Beda, et alii distinguunt homines et filios hominum. Primo enim Ruffinus ait: Possumus intelligere per *homines*, antiquos patres, qui legem quidem non habuerunt, sed ipsi sibi fuerunt lex, et præcepta dominica rationabiliter intellexerunt et fecerunt. Cum enim, ut ait Paulus Roman. 2. 14. *Gentes quæ legem non habent, ipsi sibi sunt lex:* qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente il-

lis conscientia ipsorum. Ipsi quidem per misericordiam Dei salvati sunt, quemadmodum et nos, qui sumus *filii hominum:* scilicet Prophetarum et Apostolorum, pertinentes ad filium hominis Salvatorem Christum: qui sumus nutriti sub lege, regenerati per gratiam in spem vitæ æternæ. Quæ quidem gratia nobis commendatur, cum subinfertur: Inebriabuntur etc. Secundo, S. August. *filios hominum* dicit esse eos qui sperant æterna; *homines*, qui terrena. Seiuncti, inquit, filii hominum non solum a iumentis, sed et ab hominibus, qui salutem iumentorum quærunt a Deo, et pro magno, hoc desiderant. Qui sunt ergo filii hominum? qui sub tegmine alarum eius sperant. Illi enim homines cum iumentis gaudent in re, filii autem hominum gaudent in spe. Illi præsentia bona sectantur cum iumentis, isti futura bona sperant cum Angelis. Tertio denique, S. Ambr. in Psal. nostr. *filios hominum* ait esse eos, qui retinent in se imaginem Dei impressam rationali creaturæ. *Filii hominum*, ait, *non generatio viperarum: sed filii hominum, qui ad imaginem et similitudinem Dei vivunt, non in pascuis, sed in conviviis collocantur; alii enim in loco pascuorum, alii in privilegio sacramentorum. Imperfectis succus laetis, perfectis mensa refectionis, de qua dixit Ps. 22. Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me.*

II. Et melius. Secundo, et melius, *filii hominum et homines* pro iisdem sumuntur. Est hebraismus frequens etiam apud Græcos. Vide Ps. 4. 3. ita sentit Euthym. Omnes igitur homines, si homines esse volunt, hoc est rationabiliter vivere, in tegmine alarum Dei sperabunt: atque ut vertit Symmachus, ἀμεριμνήσουσι, id est sine cura erunt, sine sollicitudine et anxietate manebunt, tuto quiescent. Audient enim Christum dicentem Matth. 6. 25. *Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, aut corpori vestro quid induamini.* Illam sollicitudinem ter vetat, quia tota Trinitas vult nobis providere. Si rex id vellet, aut aliquis dives, non timeremus, et Deo opem et curam suam offerente trepidamus, cum Domini sit terra et plenitudo eius; id est omnes thesauri, opes, feræ, iumenta, herbæ, flores, homines, omnia.

59. Alæ Dei quot. I. Una nempe tabernaculum. Quæres secundo, quot et quænam sunt Dei alæ: Primo, Agellius unam tantum alam videtur assignare, nempe tabernaculum, in quo Deus colebatur. Et quidem Daniel. 9. 27. *Erit in templo abominatio desolationis*, id est desolans, seu desolare faciens. Est hebraismus. Nam Hebræi ponunt duo substantiva pro adiectivo et substantivo. Hebr. ad rem nostram legitur pro *in templo* על כנף *al canaph*, ad alam, super alam. Nonnulli vertunt græce πτερύγιον, id est ala, pinnaculum Unde Tertull. lib. contra Iudæos legit: *Destruet pinnaculum usque ad interitum.* Vatablus reddit: propter alam abominationum destruetur, supple Ierusalem: sed hæc versio nos non iuvat. Templum porro duas veluti alas habebat: nempe Sanctum, et Sanctum sanctorum, quæ duæ partes templum Salomonis seu tabernaculum Mosis proprie loquendo constituebant; 2. atria ipsa tabernaculi seu templi habebant veluti alas, id est amplas porticus, et loca distincta, in quibus populus orabat; 3. et præcipue, Deus id est Angelus vice Dei, sedebat supra Cherubim aureos, et super propitiatorium aureum, ut redderet oracula in Sancto sanctorum, et alis suis populum sibi supplicem obumbraret. Vide Ps. 60. 4. et 5.

II. Duæ, misericordia et potentia. Secundo, Dionys. Carthus. duas hic alas Dei assignat: nempe misericordiam et potentiam. Posteritas, ait, priorum parentum, seu Ecclesia militans, et maximo homines non bestialiter, sed humane et pie rationabiliterque viventes, in tegmine alarum tuarum: id est, in defensione misericordiæ tuæ atque potentiæ sperabunt, non in propriis meritis aut viribus: ita Dionys. Haimo duas alas dat Deo, misericordiam et veritatem.

III. Tres, misericordia, veritas, iustitia. Tertio, in psalmo nostro reperio tres alas Dei, seu potius tria alarum paria, nempe, 1. misericordiam; 2. veritatem; 3. *iustitiam.* Primo, misericordia dat alas duas Patri æterno, ipse est *Pater misericordiarum*, 2. Cor. 1. 3. id est misericordissimus. Est hebraismus similis mox ante dicto. Lege S. Bern. serm. 5. de natali Domini, qui minus recte eum locum videtur tribuere Filio, cum de Patre agat Apostolus. Duplicem porro dat misericordiam, ut tollat duplicem miseriam, 1. animæ; 2. corporis. Secundo, Spiritui sancto dat alas veritas. Nam, 1. locutus est nobis per Prophetas; 2. venit in Pentecoste, et alis lucis Apostolos obumbravit annuntians illis omnia mysteria. Tertio, Filio dat alas iustitia, 1. ut det mercedem piis; 2. ut puniat reprobos. Nam Deus Pater omne iudicium dedit Filio, Ioan. 5. 22. Tres illas alas seu tria alarum paria David posuit, v. 6. *Domine in cælo misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes, iustitia tua sicut montes Dei.* Hæc tria supra nos sunt, nos tegunt, et obumbrant.

60. Allegor. Umbra alarum Dei est umbra manuum Crucifixi Christi. Alleg. *filii hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt*, q. d. Sub umbra manuum tuarum in cruce expansarum; ita Arnob. et alii. Malach. 4. 2 *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ, et sanitas in pennis eius.* Quale prodigium sol alatus! Christus is est, cuius vel occidentis umbra salutaris est: et quidem in eo occasu passionis est longior et suavior. Vitam dat illa umbra. Nam Christus est arbor vitæ, et dat umbram vitæ: sicut mundus est arbor Sodomæ, et dat umbram mortis. S. Ambros. in Ps. 118. serm. 3. vim illam vivificam extollit his verbis: *Christus vita est: et ideo qui umbra Christi vivit, in umbra vitæ est. David in umbra alarum Domini Iesu sperare se dicit. Zachæus in arborem sicomori ascendit, ut Christum videret. Nobis quoque expandit manus suas Iesus, ut totum mundum obumbraret. Quomodo non sumus in umbra, qui Crucis eius protegimur velamento. Quomodo non sumus in umbra, quos Crucifixus a malignitate sæculi, et corporis ardore defendit:* Idem pene dicit serm. 4. Et Arnoldus Carnotensis tract. de septem verbis Domini: *Extentis*, ait, *brachiis Christus in Cruce totum corpus infra se positum complexus est, et sub alis Crucis aggregato genere nostro, ibi et protexit, et fovit, ut nihil posse putabatur.*

61. Tropol. Tropolog. *filii hominum*, id est, tota Ecclesia continuata usque ad finem sæculi, *in tegmine alarum tuarum sperabunt:* id est, in protectione duorum præceptorum charitatis: Dei videlicet et proximi. Sub istis alis quisquis non protegitur, vitiorum æstibus exuretur; ita Ruffinus. Secundo, addit Ugo alias duas, sapientiam et obedientiam.

62. Symbol. Alæ Dei sunt duo testamenta. Symbolice, *alæ Christi* sunt duo testamenta, quibus teguntur Sancti, dum illis obediunt; ita S. Thom. S. Hier. Cassiod. Remig. Bruno, Ugo. Secundo, *alæ Dei* sunt Angeli, qui arcam, id est Ecclesiam obvelant. In eam rem notabilis est protectio Alphonsi regis Portugalliæ, qui pugnans in Mauros vidit alam Angeli se protegentem, ideo instituit Militantes sub instituto Cisterciensi. Verba eius sunt in illorum constitutione: *In Dei nomine, S. Michaelis Archangeli, et sancti Angeli Custodis, etc. Cum in bello signum meum esset captum ab inimicis meis, ego dissilii de curru, ut liberarem illud, et cum in pressura pedibus pugnarem, mirabile visu evenit circa me peccatorem, brachium pugnantis et adiuvantis me, armatus quidem secundum visum meum, et summitatem eius cooperiebat ala tamquam Angeli, corpus autem non videbam, nec aliquis vidit, quamquam multi Maurorum manum vidissent sicut postea dixerunt captivi. Cum ego manum vidi, intra me confortatus insilii in hostes, et ecce cadebant a latere meo mille, et decem millia a dextris meis. Victus est inimicus meus, et collegimus spolia eorum, et vidimus prostratam in campis Sanctarenæ manum magnam, quæ persecuta fuerat nos: et cantavimus laudem Deo nostro, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius.* Et infra subdit: *Et ne obliviscamur adiutorium S. Michaelis, et Angeli mei, de consilio supradictorum, decrevi facere unum Ordinem et Societatem Militum, qui deferant supra cor alam purpuream, insignitam auro et fulgore: sicut visum oculis meis fuisse illam, quam videram in prælio.* Hæc Alphonsus, deinde addit conditiones, quas debent servare milites illi, et iurare cum accipiunt alam. Hoc confirmatum est Era 1205, anno scilicet Reparationis nostræ 1167.

ita noster Ludovicus de la Cerda tract. de excellentia cælestium Spirituum, cap. 20. pag. 199. ubi vide et alam Angelicam, et eius efficaciam.

63. Alæ Dei proprietates. Quam sit ala Dei, 1. secura; 2. blanda et delectabilis; 3. levis et suavis? 4. refrigerativa et consolatoria in tentationibus; 5. calefactiva ad dandam charitatem, vide Ps. 16. 8. ubi etiam alia reperies. Alæ duo sunt præcipua officia, 1. tegere avem ipsam et pullos eius; 2. iuvare ad volatum et erigere ad altum. De primo hic dicitur. De secundo ait Isa. 40. 31. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem: assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient.* Vide S. Greg. 19. Mor. 16. qui vim umbræ Dei recte aperit in commentario Cantici, super illud cap. 2. 3. *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi: et fructus eius dulcis gutturi meo.* Sic enim ait: *Umbra Christi est protectio Spiritus sancti. Spiritus quippe sanctus mentem, quam replet, obumbrat: quia omnem tentationum fervorem temperat, et dum aura suæ inspirationis suaviter mentem tangit, quidquid noxii caloris sustinebat, expellit, et quam iam forsitan nimius vitiorum æstus marcidam fecerat, umbra sancti Spiritus protegens recreat; ut dum in eius inspiratione sedens pausat, vires colligat, quibus ad æternam vitam robustius currat.*

ARTICULUS III.

Quanta iucunditate Sanctos cumulat misericordia Dei præsertim in cælo, eos seipso inebriantis, et suis bonis.

Non securitatem modo dat servis suis Deus in tegmine alarum suarum sperantibus, sed suavitatem etiam infundit se osculantibus, et ore aperto potum et cibum po-
64. Vers. 9. stulantibus, v. 9. INEBRIABUNTUR AB UBERTATE DOMUS TUÆ, ET TORRENTE VOLUPTATIS TUÆ POTABIS EOS. Nota, pro *inebriabuntur* Hebr. est ירויון *irviun*, a radice *rava* (unde *rivus*) quæ significat, 1. *rigare*, irrigare, perfundere, humectare; 2. inebriare; 3. satiare, saturare. Hinc primo Petavius vertit: Τοις μεν εποµβρησεις δομυ σιο ναχυτον υθαρ: In eos quidem large depluat domus tuæ copiosum uber. Deus vocatur Schaddai, q. d. Uberalis, mammeus, uberrimus, cuius virtus et bonitas per universas creaturas diffunditur. Secundo, Sept. Noster. S. Hier. Pagn. Vatabl. et pene omnes alii vertunt, *inebriabuntur*. Et quidem ab *irve*, inebriabit, quod est futurum in Kal, recte derivabis vocem gallicam *ivre*, per metathesim, et latinam *ebrius*. Ubi obiter vides Gallica nomina magis accedere ad hebraica, quam latina. Tertio, Campens. *saturabuntur ubertate domus tuæ*, id est, ut explicat, fruentur copia rerum, quibus abundat domus tua. Ubi adverte, quod Philosophus in problematis docet, quod sitis est desiderium potus et cibi. Fames autem est solum desiderium cibi: et ideo diutius possunt abstinere esurientes, quam sitientes. Ideo ait Thomas Anglicus, quia inebriatio sitim extinguit, per inebriationem David intelligit magnam repletionem appetitus: qui non solum potu, sed etiam cibo repletur.

Nota secundo, pro *ab ubertate* Hebr. est מדשן *middescen*, id est de pinguedine. Unde S. Hieron. et Felix vertunt: *Inebriabuntur pinguedine domus tuæ*; ita *descen* redditur Ps. 42. 6. et 64. 12. Ubi adverte, quod *descen* significat cinerem. Quid his in terris cinerem et pulverem quærimus, in quem resolvitur omnis pinguedo carnea, cum habeamus in cælo pinguedinem stabilem, immortalem, recreantem, roborantem et non onerantem?

Dices, minus convenit pinguedo ebrietati. Resp. potum Dei et nectar etiam nutrire et pinguefacere. Sic Ier. 31. 14. agens de adventu Christi ait Deus: *Inebriabo animam sacerdotum pinguedine*, (id est gratia et donis Spiritus sancti) *et populus meus bonis meis adimplebitur*. Alludit ad victimas pacificas, in quibus, 1. adeps et partes pinguissimæ cedebant Deo, et cremabantur; 2. pectusculum et humerus seu armus dexter sacerdoti; 3. reliqua reddebantur offerenti. Orat David Ps. 62. 6. *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea.* Vide ibi dicta. Deus conqueritur de Israelitis, id est de nobis, quod non darent

A pingues victimas. Sic autem loquitur Isaias 43. 24. *Adipe victimarum tuarum non inebriasti me.* Manna dabat Hebræis in deserto cibum et potum. Potus Dei dat etiam cibum, et quidem pinguissimum, id est suavissimum.

Quæres primo, quænam est Dei domus, in qua inebria- 65. Domus Dei, in qua inebriantur Sancti est: I. Ecclesia militans.
buntur Sancti? Primo, hæc domus Dei est Ecclesia militans in terris; ita Lombard. Iansen. Thomas Anglic. et S. Ambr. qui sic loquitur: *Imperfectis succus lactis, perfectis mensa refectionis, de qua dixit Ps. 22. 5. Parasti in conspectu meo mensam. In qua panis vivus, id est verbum Dei, in qua oleum sanctificationis, quo impinguatur caput iusti, et sensus firmatur interior, ut aboleatur oleum peccatoris: in qua etiam poculum illud inebrians quam præclarum, vel quam validum,* κράτιστον *enim dixit Græcus. Validum enim quo abluuntur flagitia vel delentur. Bona ergo ebrietas poculi salutaris. Sed est alia ebrietas de redundantia Scripturarum: est et alia ebrietas per infusionem Spiritus sancti. Denique illi qui diversis linguis in Apostolorum Actibus loquebantur, musto pleni audientibus*
B *videbantur. Domus ergo Ecclesia est: ubertas domus, redundantia gratiarum; torrens voluptatis, Spiritus sanctus.*

Hæc domus Ecclesiæ habet multas cellas et cubicula, in quæ Sponsus Sponsam, id est animam sanctam, ducit. Cant. 1. 3. *Introduxit me rex in cellaria sua.* Syr. in thalamum. Arab. in cubiculum secretum. Græc. εἰς ταμιεῖον, id est, 1. in cellam penariam, in qua scilicet reconditur penus, hoc est omne esculentum et poculentum; 2. in locum ubi ponuntur pecuniæ, id est in thesaurum suum. Hebr. חדר *chadar*, est cubiculum intimum, adytum, penetrale: ubi 1. ipse herus degit; 2. ubi opes suas recondit. Hæc varia Ecclesiæ cellaria sunt primo varia sacramenta; secundo, scripturæ libri; tertio, secreta Dei consilia et iudicia; quarto, mysteria Incarnationis, nativitatis, passionis, resurrectionis, etc. Christi Domini.

Sed præ cæteris amabilis et desiderabilis est cella vinaria, in qua inebriemur. Sponsa in eam intraverat, unde exultans dicit adolescentulis sibi adhærentibus Cant. 2. 4. *Introduxit me in cellam vinariam* (Hebr. in domum vini)
C *ordinavit in me charitatem.* Cella vinaria est ipsa Ecclesia, in qua haurimus vinum sapientiæ et amoris divini; ita S. Anselm. et Theodoretus; 2. cella vinaria in Ecclesia est sacramentum Eucharistiæ, seu altare in quo continetur Christus, qui est vinum germinans virgines; ita Psellus, S. Gregor. Nyssen. hom. 4. in Cant. et Paschas. Radbertus tract. de Euch. cap. 11. Vel 3. cella vinaria est contemplatio mysteriorum: ita S. Bernard. et Cassiod. Ibi zelo pectus impletur, ut possis præesse aliis. S. Bern. serm. 23. dicit tres esse Sponsi cellas, 1. aromaticam; 2. unguentariam; 3. vinariam. Primam ait esse disciplinæ: secundam naturæ: tertiam gratiæ: additque dici vinariam, quod in ea vinum zeli in charitate ferventis reconditur. Nec debet, inquit, omnino præesse aliis, qui in eam necdum meruit introduci. Oportet prorsus hoc vino æstuet, qui aliis præsidet, quemadmodum Doctor Gentium æstuabat, quando dicebat, 2. Cor. 11. *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* Alioquin improbe satis præesse affectas, quibus prodesse
D non curas: et quorum non zelas salutem, subiectionem nimis ambitiose vendicas tibi; ita Bern.

Secundo, hæc domus Dei, in qua Sancti inebriantur II. Cælum.
totaliter, et ab ebrietate nunquam exeunt, est cælum, ubi est Ecclesia triumphans. De illa domo præsertim hic esse sermonem arbitror, quia ibi proprie est ubertas et superabundantia nunquam deficiens, aut immiautionem patiens; ita S. August. Beda, Ugo, Thomas Anglicus, Bellarm. Ludolph. et alii. Si S. Petrus Matth. 17. 4. videns gloriam Corporis Christi in monte Thabor, exclamavit: *Bonum est nos hic esse: faciamus hic tria tabernacula: tibi unum, Mosi unum et Eliæ unum.* Quid dicet anima sancta, cum intraverit in gaudium Domini, seu in Domini gaudium suum, et quidem infinitum, cum Paulus dicat 1. Corinth. 2. 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor* (id est in mentem) *hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum?* Hoc sumpsit ex Isaiæ cap. 64. 4.

ubi pro *diligentibus* habetur *expectantibus*. Habe patientiam: expecta, sed cum amore: veniens veniet dilectus, et trahet te ad dilecta. Quæ S. Bern. serm. 11. in Cant. contemplans, ait: *Dic nobis tu qui præparas, quid præparas? replebimur in bonis domus tuæ. Sed quibus bonis? vino, oleo, frumento? Sed hæc novimus, videmus, et fastidimus. Id quærimus quod oculus non vidit, etc. Erit*, inquit, *Deus omnia in omnibus. In hoc sæculo et ratio sæpe in iudicio fallitur, et voluntas quadruplici perturbatione iactatur, et memoria multiplici oblivione confunditur. Triplici huic vanitati nobilis creatura subiecta est non volens, in spe tamen. Nam qui replet in bonis desiderium animæ, ipse rationi futurus est plenitudo lucis, ipse voluntati multitudo pacis, ipse memoriæ continuatio æternitatis. O veritas, charitas, æternitas! O beata et beficans Trinitas, ad te mea miseria trina miserabiliter suspirat, quoniam a te infeliciter exulat: discedens a te quantis se intricavit doloribus et timoribus! Heu me qualem pro te commutavimus trinitatem! cor meum conturbatum est, et inde dolor: dereliquit me virtus mea, et inde pavor: et lumen oculorum meorum non est mecum, et inde error. En quam dissimilem trinitatem*, o *animæ meæ trinitas*, *exulans offendisti*. Subdit tamen postea, quæ mœroris nubem excutere possint, ait enim: *Verumtamen quare tristis es anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: cum error videlicet a ratione, a voluntate dolor, atque a memoria timor omnis abscesserit, et successerit illi quam speramus, mira serenitas, plena suavitas, æterna securitas. Primum illud faciet veritas Deus, secundum charitas Deus, tertium summa pietas Deus, ut sit Deus omnia in omnibus: ratione recipiente lucem inextinguibilem, voluntate pacem imperturbabilem consequente, memoria veritati indeficienti æternaliter inhærente*. Lege epistol. 18. S. Hieron. ad Eustochium.

66. Inebriari ab ubertate quid sit. Quæres secundo, quænam est ubertas inebrians Sanctos in domo Dei? Nota, non dicitur *inebriabuntur a vino*, sed *ab ubertate*, id est ubertate, ut denotetur non tantum ibi esse nectar et potum: sed etiam ambrosiam ac cibum, et omnimodam repletionem, atque satietatem. Dicit Christus Cant. 2. 1. *Ego flos campi et lilium convallium*. Tigurina vertit: *Ego sum rosa Saron, et lilium gaudens vallibus*. Vatabl. pro Saron vertit *saturitatis* et abundantiæ. De vino tamen hic præcipue dicendum est; quod intellectum, voluntatem, et totam animam inebriat.

67. Inebriantur Sancti. I. Contemplatione Dei, in intellectu. Primo itaque, tum in hac, tum in alia vita præcipue intellectus inebriatur in contemplatione Dei, ut Moses in Sinai, Petrus in Thabor, Magdalena ad pedes Iesu, Ioannes in eius pectore. S. Gregor. illud Cant. 2. 4. Introduxit me rex in cellam vinariam, considerans, ait: *Quid per cellam vinariam congruentius, quam ipsam arcanam æternitatis contemplationem accipimus? In hac æternitate Angeli sancti vino sapientiæ inebriantur, dum ipsum Deum facie ad faciem videntes, omni voluptate spirituali satiantur. Hanc sancta mens, si a Sponso introducatur postpositis omnibus temporalibus intrat, in qua ex illis Angelicis deliciis, quantum sibi conceditur, gustat. Et si adhuc quia in corpore corruptibili detinetur, se perfecte non satiat: tamen ex illo minimo, quod cursim sumit, considerat, quantum debeat amare quod amat*. Didymus in Ps. nostr. Cum ait, Ecclesia sit domus Dei, profecto ubertas eius erit Ecclesiastica doctrina, a qua, qui detenti fuerint, *sobria ebrietate* inebriabuntur. Cellam vinariam in quam introductam se Sponsa gloriatur Cant. 2. Origenes hom. 3. et 4. ait esse domum sapientiæ, hoc est gymnasia et templa, in quæ inducitur populus fidelis, ut ibi a doctoribus et prædicatoribus hauriat vinum veræ sapientiæ: id est, cognitionis, timoris et amoris Dei. Chald. ibi vertit: *Dixit cœtus Israelis: Introduxit me Dominus in domum gymnasii doctrinæ Israel, in montem Sinai, ut disceremus legem ex ore Mosis Scribæ magni*.

68. II. Amore eius in voluntate. Secundo, voluntas in domo Dei inebriatur amore eius. Si poeta Anacreon, amatorem pulchritudinis terrenæ iure vocat, ἔρωτι μεθύοντα, id est amore ebrium: quid dicetur de eo qui totus rapitur in amorem boni infiniti? Ex contemplatione sequitur illa ebrietas. S. Bern. serm. 49. in Cant. *Si quis*, ait, *orando obtineat mente excedere in id divini arcani, unde mox redeat divino amore vehementissime flagrans, et æstuans iustitiæ zelo, nec non et in cunctis spiritualibus studiis atque officiis pernimium fervens, ita ut possit dicere: Concaluit cor meum intra me, et in meditationibus meis exardescit ignis, is plane cum ex charitatis abundantia, beatam et salutarem vini lætitiæ ructare crapulam ceperit, in cellam non immerito perhibebitur vinariam introisse. Cum enim duo sint beatæ contemplationis excessus, in intellectu unus et alter in affectu: unus in lumine, alter in fervore: unus in agnitione, alter in devotione: pius sane affectus et pectus amore calens, et sanctæ devotionis infusio, etiam et vehementis spiritus repletus zelo non plane aliunde quam e cella vinaria reportantur: et quicumque cum horum copia surgere ab oratione donatur, potest in veritate loqui, quia introduxit me rex in cellam vinariam*.

Tertio, tota anima in domo Dei inebriatur spirituali gratia. Ea enim est ornamentum, cibus et potus animæ, sine illa nuda est, famelica et siti moriens. Ubertatem domus Dei ait Beda esse abundantiam spiritualis gratiæ. Ruffin. etiam qui sic loquitur: *Gratia Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis: ipsa est ubertas domus Dei. Hac ubertate inebriantur, qui tanto omnipotentis Dei amore repleti sunt, ut mente mutata sibimetipsis extranei esse videantur*. Fovetur et augetur illa gratia potu sanguinis Christi in Eucharistia, quam Thomas Anglicus vult esse ubertatem domus Dei inebriantem. Hic est botrus cypri in vineis Engaddi, cyprum sumit pro balsamo S. Bern. Aponius, Hailgrin. Honorius, Soto maior, et Sanchez; 2. pro peculiari arbore in Ægypto et Palæstina, quæ cyprus dicatur; 3. pro uvis delicatissimis Delrio. Hæc omnia est nobis Christi sanguis in Eucharistia. Remotius illud videtur quod ait Hesychius, ubertatem scilicet domus Dei esse aquam et sanguinem fluentem e Christi latere in Cruce. 69. III. Gratia, in anima.

Quarto denique, ad corpus etiam extendit Nicephor. ubertatem domus Dei inebriantem. Dicit enim inebriabuntur, hoc est lætabuntur ab ubertate, hoc est affluentia tam corporalium quam spiritualium rerum necessariarum subministratione. Et voluptatis torrente, hoc est voluptate copiose fluente ex multiplici aquarum concursu potabis eos: ita Nicephorus. Hanc plenitudinem prænoscebat David cum dicebat Ps. 64. 5: *Replebimur in bonis domus tuæ*. In bonis, id est internis bonis ut explicat Ugo; 2. et proprie bonis, id est deliciis et opibus cælestibus; 3. intra bona existentes, Deo ipso replebimur. Nam ut ait S. Fulgentius epist. 6. cap. 4. *In ipso erunt pleni, in quo nihil indigetur: in eo securi, in quo nihil metuitur: et in eo vere semperque gloriosi, cuius vera et sempiterna gloria nec aufertur, nec minuitur, nec augetur*. 70. IV. Donis variis, etiam in corpore.

Quæres tertio, quænam sint proprietates ebrietatis illius divinæ ortæ ex perceptione ubertatis in domo Dei? Prima proprietas est lætitiæ sine amaritudine: ita Niceph. et Euthymius, cuius hæc verba sunt: Inebriabuntur, hoc est lætabuntur, lætitiam enim ebrietatem appellat, quemadmodum et divitias ubertatem. Vinum enim, ut alibi inquit Propheta, lætificat cor hominis. Ubertas etiam copiam quamdam ampliorem significat. Domus autem Dei est Ecclesia, cuius divitiæ pia sunt dogmata, quæ ipsos dogmatum participes spirituali afficiunt lætitia: ita Euthymius. Sed quid erit in cælo, ubi solus doctor est Deus, qui verba vitæ æternæ habet? lætitia illa cælestis ebrietatis fructus erit: Primo pura. Sophocles quidem vocat ebrietatem corpoream, ὑπομονῆς λυτήριον, *malorum remedium*, et vitem παυσίλυπον, *tristitiam sedantem*. Astydamas quoque vitem nuncupat, ἀκεσφόρον λύπης, *molestiarum auxilium*. Sed quantæ sæpe sordes et fæces sunt in illo vino inebriante! in eo enim est luxuria ut ait Ephes. 5. 18. et poculum meretricis Babylonis plenum erit omni immunditia, Apocal. 17. et illo inebriabit omnes gentes. At vero calix Domini quam præclarus est, Psal. 22. 5. Vide ibi dicta. Est clarissimus, non est turbidus calix, id est potus seu vinum

71. Ebrietatis ex Dei ubertate ortæ, tres proprietates. I. Dat lætitiam perfectam quæ est:

calicis. S. Cypr. legit, *quam peroptimus.* Isaias cap. 25. 6. agens de convivio Eucharistico corporis et sanguinis Christi, ut vult S. Cyrill. et Procopius: seu verius agens de Sanctorum deliciis in cælo, ait: *Faciet Dominus exercituum* (ne spera triumphale convivium, nisi milites pugnes, et vineas) *omnibus populis in monte hoc* (Sione cælesti, in montibus sunt vites meliores) *convivium pinguium, convivium vindemiæ* (ibi non deest vinum, sicut in nuptiis Cana Galilææ) *pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ,* hoc est a fæcibus expurgatæ, dabit ibi vinum purissimum et optimum a principio convivii usque ad finem.

II. Vehemens. Secundo, lætitia ex vino cælesti orta in domo Dei est vehemens. Ibycus affirmat ambrosiam, μελιτος κατ'επιτασιν εννεαπλασιαν εχειν γλυκυτητα, *melle novies esse meliorem.* Anaxandrides ait nectar esse cibum deorum, ambrosiam vero potum illorum. Homerus vero nectar vult potum esse, ambrosiam vero cibum. Hæc sæpe confunduntur. Socrates apud Xenophontem ait, *Vinum lætitiam non aliter excitare, quam oleum igni inspersum flammam excitat.* Hoc autem efficit statim, cum impetu et vehementer.

III. Sine fatigatione organorum. Tertio, lætitia ex vino cælesti orta in domo Dei est, sine doloris aut fastidii et pœnitentiæ languore, ac sine fatigatione organorum. Hildebertus Cenomanensis, seu ut alii vocare malunt, Turonensis: *In hoc fructu,* ait, *est regnum sine termino, satietas sine tædio, sublimitas sine discessu, glorificatio sine defectu.*

IV. Æterna. Quarto, lætitia illa est æterna. Alcuinus sive Albinus, qui circa annum 780. floruit, Bedæ discipulus, a Carolo Magno ex Anglia in Franciam evocatus, lib. 3. de Trinitate, cap. 22. *Nulla erit tunc necessitas laborandi, nec ulla cuiuslibet indigentiæ molestia, sed plena certaque securitas, et sempiterna felicitas, et indeficiens lætitia.*

V. Secura et certa. Quinto, lætitia illa erit certa et secura; non enim tantum erit æterna, sed pro certo scient fore æternam. S. Audoenus Archiep. Rothom. lib. 2. vitæ S. Eligii cap. 16. *Erit,* inquit, *illic lætitia certa, requies secura, pax vera, iucunditas infinita.*

VI. Universalis in tota anima. Sexto, lætitia illa Sanctorum in cælo erit universalis in tota anima et omnibus eius potentiis. Virtutes enim omnes certatim odorata balsama per felicis illius civitatis vicos, plateasque ac domos profundunt, et singulos cives floribus coronant, et fructibus cumulant: omnesque terræ et erebi pestes ab his beatorum viridariis procul amandant. Iuvat hoc Petri Cellensis Abbatis in Campania nostra verbis exponere. Sic enim libro de Panibus cap. 5. *Invidia,* inquit, *neminem tangit, elevatio nullum extollit, ira non perturbat, luxuria non tentat, gula non urget, ambitio non torquet, omne vitium non apparet, omne malum deficiendo vel refugiendo contabescit et languet. Regnat ubique concordia, per singulas discurrit mansiones humilitas, sedet benevolentia in medio, eminet in turribus castitas, disponit sobrie omnia sobrietas, sufficientia singulis, sufficienter ad nutum administrat, sanitas portas observat, charitas seu bonitas omnium stationes et tabernacula illustrat.*

VII. Universalis in toto corpore. Septimo denique, lætitia illa cælestis orta ex ebrietate Sanctorum vino uberis Dei plenorum erit universalis etiam in toto corpore et omnibus eius sensibus ac membris. S. Anselm. epist. 2. ad Hugonem cap. 56. *In illa,* inquit, *futura vita delectatio quædam ineffabilis bonos inebriabit, et inæstimabili dulcedine sui totos eos inenarrabili abundantia satiabit. Quid dico totos? Oculi, aures, nares, os, manus, guttur, cor, iecur, pulmo, ossa, medullæ, exta etiam ipsa, et cuncta singulatim, singulaque membra eorum in communi tam mirabili delectationis et dulcedinis sensu replebuntur, ut vere totus homo torrente voluptatis Dei potetur, et ab ubertate domus eius inebrietur.* Et c. 71. *Gaudium erit intus et extra, sursum et deorsum, et gaudium circumcirca, ubique gaudium plenum.* Sancti in Deum se immergentes, erunt spongiæ in medio mari gaudii. Sicut igitur in medio mari aquæ impletur aqua spongia, in medio vini dolio impletur vino, ita Sancti intrantes in gaudium Domini, eo implentur in omni sui parte, et fiunt toti gaudium.

Secunda proprietas ebrietatis cælestis ortæ ex perceptione ubertatis et vini domus Dei, est oblivio terrenorum omnium. Ebrius enim omnia obliviscitur et pro nihilo ducit, atque a se abiicit, spargit pecunias, possessiones dat obviis, nullius rei cura tangitur. Divina ebrietate æstuans obliviscitur et deserit: Primo, peccata præterita, non amplius ad illa respectans: sive ut in iis sibi complaceat, sive ut nimis ob illa formidet. S. Hieron. in psal. nostrum: *Inebriabuntur,* inquit, *ut obliti flagitiis, virtutibus copulentur.* Hoc efficit charitas inebrians quæ foras pellit timorem, et omnem amorem terrenum disiicit. Philo Carpathius illud Cantic. 2. 4. *Ordinavit in me charitatem,* contemplans: *Ordinatur,* inquit, *charitas in anima fideli ex diligenti observatione mandatorum, dum legit et meditatur Scripturas sanctas, ex quibus fructu suavissimo pascitur, et interna quadam animi suavitate repletur: adeo ut in cellam vinariam, hoc est in arcana divinitatis contemplando sæpe rapiatur: indeque sic edocta voluptates omnes rerum omnium humanarum facillime abominatur et fugit.* Et Isaac presbyter lib. 1. de contemptu mundi: Charitas, ait, sufficiens est nutrire hominem pro cibo et potu: hoc est vinum quod lætificat cor hominis. Beatus qui bibit ex vino isto. Ex hoc biberunt impudici, et facti sunt pudici: et ebrii, et facti sunt ieiunii: et peccatores, et facti sunt precatores, et obliti sunt vias offensionum. — 72. II. Oblivionem inducit terrenorum: I. Peccatorum:

II. Rerum. Secundo, qui ebrius est ex ubertate domus Dei abundanter percepta, obliviscitur omnia terrena, et illa contemnit. S. Aug. lib. de agone Christiano tom. 3. *Quamdiu,* inquit, *sumus in corpore et peregrinamur a Domino, gustemus saltem quam suavis est Dominus, qui dedit nobis pignus spiritus, in quo sentiamus eius dulcedinem, et desideremus ipsum vitæ fontem, ubi sobria ebrietate inundemur et irrigemur sicut lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, et dat fructum in tempore suo, et folia eius non decident. Dicit enim Spiritus sanctus: Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ. Talis ebrietas non evertit mentem, sed tamen rapit sursum, et oblivionem præstat omnium terrenorum.* S. Gregor. illud Cantic. 1. v. 1. *Osculetur me osculo oris sui,* meditans, ait: Fastidit sancta mens omnia quæ per corpus sentit, et illa in spiritalia tota transmutari concupiscit: et dum ista obstrepunt, in illa fugit; seque abscondere, ne hæc sentiat, appetit: ideoque osculum Sponsi quærit. Ita Gregor. Illum vero osculans amore inebriatur, quia torrenti voluptatis et fonti vitæ applicatur: eique firmiter et constanter adhærens illo impletur.

III. Parentum etiam filiorum, etc. Tertio, ebrius ubertate domus Dei obliviscitur suos parentes, filios, uxores, maritos, amicos, vicinos, Deum unum sitiens. S. August. in Ps. nostr. *In alio Psalmo dicitur* (in Ps. 22. 5. Lege ibi posita) *Calix meus inebrians quam præclarus est. Hoc iam calice inebriati erant Martyres, quando ad passionem euntes, suos non agnoscebant. Quid tam ebrium quam non agnoscere uxorem flentem, non filios, non parentes? Non agnoscebant, non eos ante oculos esse arbitrabantur. Nolite mirari, ebrii erant? Videte: Acceperunt calicem unde inebriarentur. Unde et ille gratias Deo agit, dicens Psal. 115. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi. Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.* Idem pene habet Beda.

IV. Ac sui ipsius. Quarto denique, ebrius ubertate domus Dei, seipsum obliviscitur, et totaliter seipsum abnegat oculis in unum crucifixum intentis, quem sequitur cantans et exultans de cruce et in cruce. S. Basil. in regulis fusius disputatis interrog. 6. *Nihil,* inquit, *est sui ipsius abnegatio, nisi summa rerum omnium vitæ superioris oblivio, atque a sui ipsius voluntatibus recessio.* Sponsa amore ebria in sinu sponsi obdormit, sicut Ioannes fecit in ultima cœna post perceptionem Eucharistiæ, quæ est vinum inebrians, et somnos divinos inducens, a quibus vetat Sponsam evigilari Cant. 2. 7. adiurans per capreas cervosque camporum, id est, ait Origenes, per Angelos celeres et acute videntes; 2. per Prophetas et Patriarchas, ut Rupertus; 3.

per Apostolos et doctores, ut Aponius; 4. per sanctas animas exutas corporibus, ut Bernardus; 5. per virtutes ipsas Sponsæ, nempe fidem, spem et charitatem, ut S. Gregor. meretur enim ut in illo suavi somno fruatur quiete et amplexu Sponsi sui, omnium aliorum prorsus oblita.

73. III. *Ebrietas illa sancta, totam mentem in Deum transfert.*

Tertia proprietas ebrietatis ortæ ex perceptione ubertatis domus Dei, est totius alienatio mentis, in qua amans perdit animam suam, et se in divinam transformat. S. August. hic: *Cum accepta fuerit illa ineffabilis lætitia, perit quodammodo humana mens, et fit divina, inebriatur ab ubertate domus Dei.* Et in Manuali cap. 20. hoc diffusius amplificat: *Anima amans*, inquit, *trahitur votis, fertur desideriis, dissimulat merita, maiestati oculos claudit, aperit voluptati, ponens se in salutari, et fiducialiter agens in eo. Amore anima secedit et excedit a corporeis sensibus, ut sese non sentiat, quæ Deum sentit. Hoc fit, cum mens ineffabili Dei illecta dulcedine, quodammodo sese sibi furatur, imo rapitur atque labitur a seipsa, ut Deo fruatur ad iucunditatem. Nihil tam iucundum, nisi esset tam modicum. Amor dat familiaritatem Dei, familiaritas ausum, ausus gustum, gustus famem. Anima quam tangit amor Dei, nihil aliud potest cogitare, nil desiderare; sed frequenter suspirat, dicens: Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Non ad tua, sed ad te unum, quem amat in omnibus et super omnia. Talis erat Paulus, cum dicebat Galat. 2. 20. *Vivo autem iam non ego: vivit vero in me Christus*, q. d. Animam meam pro ipso, cum ipso, in ipso, et per ipsum perdidi, ille me transformat et informat, estque anima mea et vita mea, ad eum unum aspiro, per ipsum respiro, moveor et agor. Libertatem quodammodo tunc amittit, et iam cælo adscripta mens peccare non potest. Baptista Mantuanus lib. 3. de patientia cap. 26. Paradisus noster, inquit, sua redundantissima voluptate sic omnem voluptatis appetitum inebriat, ut liberum arbitrium in ea positum peccandi libertate privetur. Quod tamen non est libertatem minui sed augeri: ita ille. Quod de paradiso cælesti verum est atque æternum: de terrestri autem, id est de illa absorptione in Deum breve est, et cito transiens.

74. *Ebrietas illa a Deo est petenda.*

Ex his sequitur, summo studio appetendam et a Deo postulandam ebrietatem illam cælestem. Hinc dicit Sponsa Cant. 2. 5. *Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo.* Pro floribus Hebr. est אשישות *asisciot*, id est, 1. unguentis, ut vertunt Septuag. 2. calicibus vini, ut quidam: lagenis, ut Pagn. in thesauro; 3. *œnanthinis*, ut quidam interpres a S. Hieron. relatus. Œnanthe autem est flos vitis, sive labruscæ. Recte Noster et Symmach. vertit *floribus*. Deduci potest *asisciot*, a rad. שש *sas*, id est, lætitiam percepit, gavisus est. Flores autem, ut recte ait Corn. sunt veris lætitia, camporum risus, naturæ hominisque gaudium. Secundo, *asisciot*, deducitur, si R. Ioseph audimus, ab אש *es*, hoc est ignis, quod cælesti vino et flori vini convenit: calorem enim excitant charitatis. Hi flores odorandi sæpe sunt, atque ut ab animo non recedant, vinea nobis est conservanda, sic semper non tantum flores, sed etiam vinum suppetet, quo inebriemur et exultemus. S. Ambros. in Ps. 36. *Est*, inquit, *quædam vinea in pectoribus fidelium, de qua dicit Isaias 5. 1. Vinea facta est dilecto in cornu uberi. Hanc vineam Dominus plantavit in cordibus nostris: et ideo legimus dicentem Deum, Ierem. 2. 22. Ego te plantavi vineam fructiferam, totam veram. Nemo ergo de agro animæ nostræ hanc auferat vineam: quia benedicta est ea vinea. Ideoque dictum est de Sanctis, Ps. 4. 8. A fructu frumenti, vini, et olei multiplicati sunt. Bonum est ergo habere intra te torcularia vino redundantia, ut fluat tibi vinum in vas tuum de vinea Sareth, poculum illud inebrians quam præclarum.* Hanc vineam plantat Noe, id est requies: nempe mentis tranquillitas et Christus.

75. *Mycerinus vitam sibi minuit gula.*

Herodot. lib. 2. narrat. Mycerinum, quemdam Ægyptium, cum vatum oraculis rescivisset brevem sibi vitam fore, lucernas fieri multas præcepisse, totisque noctibus potasse animo hilari se oblectantem: idque diu et noctu nulla prorsus intermissione, per paludes et nemora va- A gum: et sicubi convivia fieri audiret, ad ebrietatem usque bibentem.

76. *Antithesis ebrietatis bonæ et malæ.*

Nos vero cum proposita nobis sit ubertas domus Dei, et uber ipsum ac mamma Dei nos inebriare volentis, et obtrudentis ubera sua meliora vino et fragrantia unguentis optimis, torpidi ac stupidi languebimus ad lutea inclinati? Ebrietas quam sectabatur Mycerinus, et qua sibi brevem vitam effecit, vocatur primo a S. Basilio oration. in S. Iulittam, ἐσχατον κακων, extremum malorum. Nos hanc sanctitatis plenam vocare iure possumus, ἐσχατον καλων, extremum honestorum, aut ἐσχατον ἀγαθων, extremum seu præstantissimum bonorum. Secundo, illam S. Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 9. appellat, ὁρμητηριον παθων, passionum propugnaculum: hanc iure dixerimus, arcem virtutum omnium. Tertio, illam S. Chrysost. in cap. 5. Isaiæ nominat, μυριων κακων ὑποθεσιν, innumerabilium malorum fundamentum. Hæc vero, bonorum omnium est scaturigo. Dicamus itaque cum Theophilo epist. 21. *Quis nobis concederet ex dulci sapientiæ cratere divino* B *imbui falerno et sacro insanire liquore, quem illa apud Salomonem immiscet, et cordatos ac prudentes illos iudicat, qui illo amentes usque ad finem perstabunt.* De vinis variis tractatum edidit Arnaldus de Villa nova, Plin. et alii. sed nectar illud nulli mortalium satis cognitum esse potest.

77. *Vers. 9. 2. Pars. Torrente potari Sanctos quid sit.*

Post mentionem ebrietatis Sanctorum, causam illius ponit vers. eod. 9. ET (id est, quia in Scriptura et sæpe est causale.) TORRENTE VOLUPTATIS TUÆ POTABIS EOS. Pro *torrente*, Septuag. habent in accusativo χειμαρρουν, id est torrentem; unde S. Ambrosius legit: *Torrentem potabis eos*, q. d. Non tantum dabis illis de torrente, sed totum torrentem: totus enim Deus illabitur in animam Sanctorum, et se illis totum donat. Ubi adverte, 1. liberalitatem et amorem Dei, nihil sibi reservantis; 2. desiderium eius, statim explendi sitim Sanctorum; 3. capacitatem Sanctorum, qui totum torrentem contineant; 4. aviditatem ipsorum, quibus pars non sufficiat; 5. satietatem perfectam et plenitudinem. Quod enim vas, Deo non impleatur? Sunt pleni et superpleni sancti. Dixerat Chri- C stus eleemosynam daturis, Luc. 6. 38. *Date, et dabitur vobis: mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Hoc illud est centuplum, et millies millecuplum. Isaiæ 35. 10. *Lætitia sempiterna super capita eorum*, 1. quia coronabuntur; 2. quia in torrentem voluptatis immersi infra, supra, a dextris, a sinistris, et intus, atque extra erit illis gaudium.

78. *Varietas versionum, vulgata defenditur.*

Nota secundo, pro *voluptatis* Cassiod. et Beda legunt *voluntatis*, quia, ut ait Lombard. torrens voluptatis dicitur voluntas Dei in homine, rumpens omnia obstacula. Sed in Cassiod. et Beda esse manifestum errorem patet ex Hebr. Chald. Syr. Arab. Græco. Ubi adverte, in Hebr. esse in plurali עדניך *adanecha*, id est deliciarum, delectationum, voluptatum, ab *eden*, unde Gr. ἡδονη, id est voluptas. S. Hieron. vertit: *Torrente deliciarum* (Felix, voluptatum) *tuarum potabis eos.* Alludit ad fluvium, qui egrediebatur de loco voluptatis, Hebr. *de Eden*, ad irrigandum paradisum, Genes. 2. 10. In Eden erant aliquæ deliciæ, sed in cælo sunt omnes. Ostenditur enim illis D omne bonum, et clarius quam Mosi; faciem enim vident, et nulla nubes interponitur.

79. *Deliciæ spirituales per potum figurantur ob rationes septem.*

Quæres primo, cur delicias spirituales Scriptura potius per potum, quam per cibum denotet? Vitalis Cardin. in Speculo Morali S. Scripturæ, verbo *pulchritudo*, ob septem causas seu analogias id fieri. Primo, quia potus tam charitate quam colore delectat aspectum. Secundo, quia sua subtilitate sine medio immutat gustum. Tertio, quia sua limpiditate ad membra singula deportat, eisque inseparabiliter venit nutrimentum. Quarto, quia sua potestate restaurat deperditum. Quinto, quia sua subtilitate penetrat corpus totum: unde famelici et deficientes hausto vino statim resumunt vigorem et vires. Sexto, quia sua satietate sedat sitim, et tamen edendi provocat appetitum. Septimo, quia sua facilitate et suavitate facile subit intima ventris. Addit hisce septem dotibus potus denotari septem præmia, vel dotes præmii Beatorum. Primo,

scilicet, contemplationem sine discontinuatione. Secundo, fruitionem sine interruptione. Tertio, dilectionem sine separatione. Quarto, potentiam sine corruptione. Quinto, sapientiam sine occultatione. Sexto, munditiam sine rebellione. Septimo, concordiam sine discretione. Deinde hæc septem adaptat totidem classibus Sanctorum. Primum fidei Patriarcharum. Secundum spei Prophetarum. Tertium, fervori Apostolorum. Quartum, fortitudini Martyrum. Quintum, prudentiæ Doctorum. Sextum, temperantiæ Virginum. Septimum denique, iustitiæ Confessorum.

80. *Torrenti comparatur sanctorum delectatio, et cur.* Quæres secundo, cur David delectationem Sanctorum comparet torrenti, cum torrens sit rivus fluviusque temporarius, qui cito siccatur, felicitas vero Sanctorum sit æterna? Respond. non esse necesse in aliqua similitudine omnia convenire, alioqui non esset similitudo, sed identitas. Dico itaque, Beatorum felicitatem et voluptatem comparari torrenti, quia tria sunt in torrente. Primo, multitudo maxima aquarum e monte defluens. Secundo, repentina inundatio: in alveo enim sicco, mox apparet ingens fluvius. Tertio, impetus aquarum decurrentium, et obvia omnia secum rapientium. Hæc infra applicabo beatitudini.

81. *Torrens voluptatis triplex.* *I. Spiritus sanctus.* Quæres tertio, quis est ille torrens voluptatis, quo inebriantur Sancti? Primo, S. Hieron. Thomas Anglic. et alii, torrentem hunc voluptatis dicunt esse Spiritum sanctum et gratiam eius. Verba S. Hieron. sunt: *Torrens voluptatis Dei Spiritus sanctus est, qui irrigat omnem animam spiritualibus fluentis, ut fructum exhibeat sanctitatis.* Isaias Spiritum sanctum vocat torrentem cap. 30. 28. Sed hic sensus est accommodatitius. Thomas Anglicus in Ps. nostr. *Torrens,* inquit, *est Spiritus sanctus, seu abundantia donorum Spiritus sancti. Isaiæ 30. 28. Spiritus eius velut torrens inundans. Torrens enim ex pluviis gratiarum: Spiritus sanctus pluvia dicitur. Ps. 67. 10. Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ. Isto torrente potati sunt Apostoli in die Pentecostes visibiliter in præsenti, et plenius potabuntur in futuro. 2. Cor. 12. 13. Omnes in in uno Spiritu potati sumus. Dicit Philosophus 3. de animalibus, quod est flumen quoddam, de quo si grex potaverit, facit parere agnos rubeos. Tale flumen est torrens iste. Nam grex Chri ti est Ecclesia, de ipso potata protulit agnos id est Apostolos, et Martyres proprio sanguine inebriatos. In cuius figura sic habetur Exod. 36. Operimentum tabernaculi erat de pellibus arietum rubricatis. Similiter et grex iste quia continue potatur isto flumine non desinit facere agnos rubeos, et electos igne charitatis flammescentes. Ezech. 48. 9. Omnis anima vivens quæ serpet quocumque venerit torrens, vivet. Alia littera habet, Torrente voluntatis. Et convenienter Spiritus sanctus dicitur torrens voluntatis: quia procedit per voluntatem a Patre et Filio: vel quia sicut torrens cum impetu trahens secum alia venit, cui non faciliter resistitur: sic et voluntati divinæ nullus resistit: et quos vult, secum trahit. Ioan. 3. 8. Spiritus ubi vult, spirat:* ita Thomas Anglic. Cardin. Torrentem illum gratiam esse Spiritus sancti etiam dicunt Ruffin. Beda, et Lombardus.

82. *II. Christus.* Secundo, torrens voluptatis est Christus, propter temporariam eius in terra apparitionem: ita Procopius. Torrens voluptatis est sapientia Christi, quoniam subita est et rapida: ita Petrus Lombardus Episc. Parisiens. qui collegit sententias sacrorum Theologorum, et vocatur Magister sententiarum. Floruit circa ann. 1145. De eo sapientiæ torrente a Christo, velut a templo fluente explicant Pintus, Vatabl. Theodor. et alii, torrentem quem Ezechiel Propheta vidit egredientem de templo, cap. 47. De illa sapientia seu doctrina Evangelica dixerat cap. 36. 25. *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Et Zacharias cap. 14. 8. Et erit in die illa, et exibunt aquæ vivæ de Ierusalem: medium earum ad mare Orientale, et medium earum ad mare novissimum: in æstate, et in hyeme erunt.* Mare Orientale, est mare mortuum, terminus Iudææ a parte Orientis: mare novissimum, est mare mediterraneum, eiusdem terminus ex parte Occidentis. Synecdochice autem per ea maria intelligit alia omnia toto orbe fusa. Eas aquas Christus offert Samaritanæ, Ioan. cap. 4. 10. Et omnibus cap. 7. 37. Vide dicta Ps. 22. 2. Symbolice aliqui apud Euth. per ubertatem domus Dei, sanguinem Christi intelligunt, qui ex illius immaculato latere defluxit: et per torrentem, aquam illam quæ tunc temporis cum sanguine pariter effusa est: et quæ, ut Græce dictionis etymologia indicat, hyberno tempore defluxit. Hyems enim erat, quando passus est Dominus: quæ etiam inebriavit nos: ita ut debacchati simus ad salutem, et a priori errore quo seducebamur in totum educti, et summa affecti lætitia; ita ibi: Nam χειμαρρους, id est torrens, qua voce usi sunt Septuag. deducitur a χειμων, id est hyems: et ρεω, id est fluo, q. d. Fluens in hyeme.

83. *III. Tota Trinitas.* Tertio, planius et plenius, torrens voluptatis in domo Dei, est tota sanctissima Trinitas: Pater scilicet, Filius, et Spiritus sanctus, et infinitæ illius essentiæ plena et perfecta possessio atque fruitio. In eam enim immerguntur Sancti, velut divini pisces, in immensum fluvium et mare interminatum.

84. *Visio Dei est torrens voluptatis, ob tres rationes:* *I. Propter abundantiam gaudiorum.* Nota, torrens voluptatis dicitur hæc visio Dei. Primo, ob abundantiam gaudiorum, ex ea et per eam omnes animæ facultates et corporis sensus implentium. S. Prosper Aquitanicus lib. 1. de vita contempl. cap. 4. *Omnia bona,* ait, *quæ naturaliter peccatum corruperat, reparabuntur in melius: id est intellectus sine errore, memoria sine oblivione, cogitatio sine pervagatione, charitas sine simulatione, sensus sine offensione, incolumitas sine debilitate, salus sine dolore, vita sine morte, facilitas sine impedimento, saturitas sine fastidio, et tota sanitas sine morbo.* Deus implet totam domum in quam descendit. Repletur domus ex odore unguenti, ita ut nihil tetri odoris restet, fugit omnis mœror, et absterguntur lacrymæ ab oculis eorum. S. Fulgentius Episcopi Ruspensis, qui floruit tempore Trasimundi regis, et obiit anno Christi 529. illam liberationem ab omni malo sic nobis repræsentat: *Nec,* inquit, *cogitationibus fatigabitur spiritus, nec laboribus macerabitur corpus, nulla erit sollicitudo certaminis: sed perfecta erit securitas pacis; nulla nobis erit iustitiæ indigentia, sed cum delectatione securitas plena. Tunc satiabimur cum delectatione, et delectabimur cum satietate.* Utrumque, nempe plenitudinem voluptatis et carentiam omnis mœroris complectitur Franco Affligeniensis de gratia Dei, tom. ult. *Non est,* inquit, *humanæ angustiæ illa æternæ claritatis gaudia comprehendere: ubi quod contristet nihil interveniet: nihil deerit, quod lætificet.* Torrens ab Ezechiele visus est anagogice delectatio Sanctorum, orta a Deo se illis communicante et eos inundante in cælo. Torrentis abundantia declaratur v. 6. *Torrentem non potui pertransire: quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non potest transvadari.*

85. *II. Ob repentinam inundationem.* Secundo, visio Dei et possessio, seu infusio Dei in animam Sanctorum dicitur torrens voluptatis, quia illa inundatio est repentina. Nam unico momento statim atque Deus, veluti extracto operculo, sibi viam in animam efficit, illam totam inundat, et replet scientia non solum rerum creatarum, sed etiam omnium attributorum ipsius Creatoris. Quanta erit delectatio, de repente ex summa ariditate et siccitate ac siti, hos torrentes per totam animam excipere, et tenebras Ægyptias lucis fluentis commutare. Petrus Cluniac. lib. 6. epist. 40. *Quæ,* ait, *iucunditas illa miseris mortalitas ignota? qua torrente voluptatis ipsius potati insatiabili satietate ab illo, apud quem est fons vitæ, post has tam densas, tam odibiles Ægypti tenebras in lumine eius videbimus lumen?* Cum descendit Spiritus sanctus in Apostolos, factus est repente de cælo sonus, Act. 2. v. 2. ut declararet donum illud supra merita esse, et ex mera Dei liberalitate dari. Secundo, ut vim ostenderet, repente mutantis homines terrenos in cælestes. S. Greg. 30. in Evangel. id admiratur his verbis: *O qualis,* ait, *est artifex iste Spiritus! nulla ad discendum mora agitur in omne quod voluerit. Mox enim ut tetigerit mentem, docet: solumque tetigisse, docuisse est. Nam humanum subito ut illustrat, immutat affectum: abnegat hoc*

*

repente quod erat: exhibet repente quod non erat. Pensemus sanctos Prædicatores nostros, quales hodierna die reperit, quales fecit: ex timidis scilicet fortes, ex rudibus eruditos, ex discipulis doctores. Maior longe fiet mutatio, cum reducto velo, videbitur Deus facie ad faciem, non iam in linguis igneis, sed in seipso.

86. III. Ob impetum. Tertio, visio Dei, et effusio eius in animam beatam, comparatur torrenti, quia fit cum impetu: ita S. August. S. Thom. Remig. Haimo, Bruno, Beda. Hoc et de gratia huius vitæ, et de gloria alterius explicare possis. S. August. in Psal. nostr. *Torrens*, ait, *dicitur aqua veniens cum impetu. Impetus enim misericordiæ Dei ad irrigandos et inebriandos, qui modo ponunt spem sub umbraculo alarum eius. Voluptas illa quæ est? quasi torrens inebrians sitientes. Modo ergo qui sitit, spem ponat. Qui sitit, spem habeat: inebriatus habebit rem: antequam habeat rem, sitiat in spe.* Isaias cap. 59. 19. fluvium violentum oriri dicit a Domino. Salomon Prov. 18. 4. torrentem vocat: *Torrens redundans* (Aquila et Symm. ἀναβλύζων, id est erumpens) *fons sapientiæ*, hoc est, Christi. Septuag. Rom. et Compl. habent. *Flumen scaturit, et fons vitæ.* Vir iustus est tamquam lignum plantatum super decursus aquarum. Ps. 1. 3. Vide illum locum.

87. Torrentis illius impetus tria notat: Adverte porro, per impetum gratiæ et gloriæ torrentis denotari: Primo quod oritur ex alto, nempe ex sublimi divinitatis monte, ut ait Bellarm. Nam ut docet S. Iacobus cap. 1. 17. *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum.* Sapientissime ait Trismeg. in Asclepio:

1. Oriri ex alto nempe a Deo. *Omnia Deus, et ab eo omnia, et eius voluntatis omnia: quod totum est bonum, decens, immutabile, prudens, ipsi soli sensibile et intelligibile: et sine hoc nec fuit aliquid, nec est, nec erit: omnia enim ab eo, et in ipso, et per ipsum.* Cum venit Spiritus sanctus, fit de cælo sonus tamquam spiritus vehementis, Act. 2. v. 2. est vehemens, quia de cælo. Christus ad nos venit tamquam gigas ad currendam viam, Ps. 18. venit saliens in montibus, Cant. 2. 8. quod de Incarnatione explicant Cassiod. Beda et S. Ansel. de missione Spiritus sancti, Rup. et S. Cyrill. tunc enim Christus etiam venit ad Apostolos per gratiam suam, ut promittit Ioan. 14. 18. Sponsa dicit Cant. 3. 17. *Donec aspiret dies* (æternitatis) *et inclinentur umbræ* (huius vitæ) *reverlere, similis esto, dilecte mi, capreæ hinnuloque cervorum super montes Bether*, id est Bethel, ut Arabs vertit, hoc est super montes domus Dei; 2. Septuag. vertunt ὄρη κοιλωμάτων, montes cavitatum; Philo Carp. montes convallium, id est humilium; 3. Syr. et S. Ambros. montes aromatum, id est orationis et pietatis; 4. Beda montes domus consurgentis, hoc est animæ contemplantis: *Precor*, inquit, *ut dulcedinem vitæ immortalis, quam membris omnibus meis in retributione promittis, aliquibus etiam in itinere, quamvis a longe speculandam reveles. Congruit autem et nomen montium mentibus eorum, qui contemplationi cælestium oculos cordis aperire didicerunt: eum dicitur super montes Bether, quod domus consurgens, sive domus vigiliarum interpretatur.* Proprie montes Bether, sunt montes divisionis et separationis. Mons ille divinitatis ita separatus est ab hominibus, ut nullis viribus sine gratia, et quidem vehementi possint ad eum ascendere, violentiam sibi

88. faciendo. Secundo, *impetus* torrentis gratiæ et gloriæ in

2. Esse amorem Sanctorum magnum. animam a Deo effusus denotat vehementem Dei erga Sanctos amorem, qui se continere non potest. Hic est fluminis impetus, qui lætificat civitatem Dei, Ps. 45. 5. Tertio denique, *impetus* ille notat, gratiæ Dei resisti non posse.

3. Gratiæ Dei resisti non posse. Cassiod. Christi gratia, inquit, subita est, et ita rapida, ut ad finem quem vult, sine aliqua tarditate perveniat. Remig. Gratia Christi, ait, omnia obstacula terrenarum cogitationum amovet, et omne lutum terrenæ voluptatis diluit, facitque impulsu suo, ut violenti rapiant regnum cælorum, quod vim patitur, Matth. 11. 12. Convertit gratia illa idololatras, vitiis maxime adhærentes. Isa. 59. 19 *Timebunt* (colent et reverebuntur) *qui ab Occidente nomen Domini* (id est Dominum; est metonymia) *et qui ab ortu Solis, gloriam eius* (per Occid. et Orient. intelliguntur reliquæ partes mundi; est synecdoche) *cum venerit quasi fluvius violentus, quem spiritus Domini cogit.* Elicit consensum infallibiliter, libere tamen: attingit a fine usque ad finem fortiter et suaviter.

Ex his collige Primo, cum torrens voluptatis paratus iusto sit immensus, cor et pectus est dilatandum charitate, fodiendum profunde per fidem humilem, et per spem ac desiderium vehemens est aperiendum; quantamcumque ei capacitatem feceris, maior est et amplior, qui illud impleturus est, Deus scilicet qui ait Ps. 80. 11. *Dilata* (Rom. Psal. et Arnob. aperi) *os tuum, et implebo illud.* Totalem et cum amore ac libertate factam impletionem indicat Concil. Lateranense sub Martino primo; legit enim: *Aperi os tuum, et ego replebo illud, et ego adimplebo.* Os est symbolum desiderii et petitionis. Licet fuerit peccator, ne timeas. Ps. 144. 16. *Implet omne animal benedictione.* 89.

Corollaria tria: I. Pectus dilatandum esse charitate ut torrens voluptatis capiatur.

II. Semper nos paratos esse debere illum excipere. Secundo, cum torrens ille voluptatis sit repentina inundatio, semper esto paratus ad illum excipiendum, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet, Luc. 12. 40. Venit ad Sponsam nocte, Cant. 5. 2. Apparuit Magdalenæ mane post resurrectionem, Marc. 16. 9. Abrahamo apparuit in convalle Mambre, sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei, id est in meridie, Gen. 18. 1. Apparuit etiam per Angelos Lotho sedenti in foribus Sodomæ vespere, Gen. 19. v. 1. Vocat Ioan. Baptistam adhuc in utero matris existentem, Luc. 1. 44. Apostolos in flore ætatis, Matth. 4. 18. etc. Latronem in cruce morti proximum, cui paradisum promittit, Luc. 23. vers. 43.

III. Fervorem esse necessarium. Tertio denique, cum torrens ille voluptatis veniat cum impetu, requirit ferventem animam, qua excipiatur. Paulus monet, 1. Cor. 9. 24. *Sic currite, ut comprehendatis*, torrens est, elabitur ignavis. Christus pertransiit benefaciendo, de quo vide S. Bern. epist. 234. et tu fac similiter: esto aliis torrens voluptatis per beneficientiam, ut bona tua in Dei sinum per pauperes coniecta fiant tibi torrens in dies maior, suo tempore refundendus in pectus tuum. Sponsa, id est anima sancta vocatur Cant. 4. 15. *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano*, id est, de Christo puro et candido. Velis, nolis, torrens temporalium rerum defluit, et tibi quotidie perit. Ugo Card. in illud Ps. 82. 10. Fac illis sicut Madian, et Sisaræ, sicut Iabin in torrente Cison, sic loquitur: *Iabin interpretatur sapiens, seu sapientia. Cison interpretatur lætificans eos. Per Iabin intelliguntur sapientes huius mundi, qui stulti sunt apud Deum, qui congregantur in torrente Cison. Torrens Cison est abundantia temporalium, quæ ad modum torrentis, præsenti quasi in hyeme abundant: sed in futuro, quasi in æstate, quando necessarium esset aliquid habere, penitus siccabuntur, et deficient, sicut patet in divite epulone.* Similes sunt huius mundi deliciæ fontibus Tamaricis, de quibus Plin. lib. 31. cap. 2. 90.

Fons sæpius ut in die siccatus. In Cantabria, inquit, fontes Tamarici in augurio habentur. Singulis siccantur duodecies diebus, aliquando vicies, citra suspicionem ullam aquæ, cum sit vicinus illis fons sine intermissione largus. Dirum est non profluere eos aspicere volentibus: sicut proxime Largio: Largio Licinio Legato post Præturam post septem dies accidit. Hæc Plinius pari ratione momentis pene singulis gaudia terrena interrumpuntur et arescunt: quodque molestius est, etiam cum fluunt, sunt torrentes absynthii, non puræ et defæcatæ ac syncerae voluptatis. Iuba refert, in Troglodytis lacum esse, insanum malefica vi appellatum, ter die fieri amarum salsumque, ac deinde dulcem, totiesque etiam noctu, scatentem albis serpentibus vicenum cubitorum. Hunc lacum mundanæ voluptatis iure appellaveris. Lacus insanus apud Troglodytas.

Quare cum Philon. concludamus lib. de temulentia: ἀπληστίας ἡ ἀργαλεωτάτη παθῶν ψυχῆς ἐπιθυμία: εὐφροσύνης δὲ κτῆσις ὁμοῦ καὶ χρῆσις ἀρετῆς: Molestissima omnium affectionum est concupiscentia: sicut lætitiæ causa est usus virtutis simul ac possessio. Contra vero, torrens voluptatis cælestis est omnibus votis appetendus. S. Ambr. in Psal. nostr. cum legerit: Torrentem voluptatis tuæ potabis eos, ait: Consideremus cur torrentem voluptatis dixerit potabis eos: et non torrente, quasi de torrente: nisi quia avi-

ditatem bibentium voluit exprimere, quasi torrentem ipsum vellent ebibere, si possent. Hic est forsitan torrens voluptatis quem in Genesi legimus, fontem qui abluit paradisum, et dividitur in quatuor flumina, qui circumeunt totam terram. Ex hoc fonte virtutes profluunt spirituales: prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia. Bonus fons, gratiæ et splendoris eiusdem atque naturæ, cuius et illud flumen, de quo in posterioribus dicitur, Ps. 45. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.*

91. *De torrente vini hic agitur.* Quæres denique, cur post mentionem ebrietatis faciat mentionem torrentis, cum aqua potius tollat ebrietatem? Resp. primo, Davidem loqui de torrente vini. Quidni porro, cum Iob. 20. 17. seu potius Sophar Naamathites apud ipsum offerat *torrentes mellis et butyri*, quos virtute præditis fluere denotat, cum eos a peccatore excludit? Et Eliphaz Themanites, filius primogenitus Esau, promittat torrentes aureos Iobo (quem peccatorem male censebat) revertenti ad Deum, cap. 22. 24. *Fluvii vino fluentes.* Deinde non modo Lucianus in vera hist. fictitium nobis vini fluvium profundit, ortum a vitibus admirabilibus, fœminarum formam habentibus, sed veros vini fontes fuisse, historiæ probatæ asseverant, verene, viderint Historici Plin. lib. 31. cap. 2. *Mutianus*, inquit, *Andri e fonte Liberi patris statis septenis diebus eius Dei vinum fluere; si auferatur a conspectu templi, sapore in aquam transeunte.* Hoc ipsum Pausanias in Eliacis refert. Sunt qui in Naxo etiam insula fontem vini sapore fluere dicant.

92. *De torrente aqua sumi potest David.* Resp. secundo, posse dici torrentem hic aquæ intelligi, sed quæ primo sit omni vino melior. Si licuit Pindaro dicere, αριστον μεν υδωρ, id est, *optima quidem est aqua*, quid dicemus de aqua sapientiæ salutaris? Eccli. 15. 3. de aqua refectionis, Ps. 22. 2. Vide ibi dicta de fluvio aquæ vitæ, qui procedit de sede Dei et Agni, id est Dei Patris et Christi? *Aqua vino est melior, et inebriat.* Secundo, etsi sit torrens aquæ, non desinit inebriare. Ovid. lib. 15. Metam. de Lyncestio amne canit:

Huic fuit effectu dispar Lyncestius amnis,
Quem quicumque parum moderato gutture traxit,
Haud aliter titubat, quam si mera vina bibisset.

Vibius Sequester Lycesium nominat, et Traciæ fluvium esse tradit. Plinius vero lib. 2. cap. 103. simpliciter ait: *Lyncestis aqua, quæ vocatur acidula, vini modo temulentos facit. Item in Paphlagonia, et in agro Caleno.* Vinum tædio venire his, qui ex Clitorio lacu biberint M. Varro refert: Sotion vocat fontem non lacum. Et Ovid. 15. Metam. dicit:

Clitorio de fonte sitim quicumque levarit,
Vina fugit.

Sic si torrentem voluptatis semel gustaveris, vinum meretricis Babyloniæ etiam aureo calice tibi propinatum, in terram abiicies, atque ut pestem et venenum aversaberis. Dulcis enim et rectus Dominus, suam dulcedinem dat rectis, et dando adhuc amantiores rectitudinis et virtutis facit.

93. *Vers. 10 1. Pars. Fons vitæ est apud Deum.* Ne torrentis mentio timorem iniiceret, cito perituræ felicitatis, addidit Propheta: QUONIAM APUD TE EST FONS VITÆ Ubi dat rationem, cur sit potaturus Deus Sanctos suos torrente voluptatis: quia apud ipsum est fons: itaque id facit sine difficultate, et sine impensis. Secundo, indicat torrentem illum nunquam esse siccandum, quia apud Deum est *fons vitæ*, id est, fons vivus, fons indeficiens, fons semper vivens in se, et vitam omnibus infundens. Nam *fons vitæ* potest sumi 1. intransitive, q. d. Fons qui est vita; 2. transitive, q. d. Fons qui dat vitam, et quidem æternam, ex qua oritur summa lætitia Beatis.

Nota, pro *apud te* Hebr. est עמך *immecha*, id est, *tecum*, ut S. Hieron. et Felix vertunt; *penes te*, ut Vatabl. et Wolfgangus, verti etiam potest, *in te*. Et quidem apud aliquem esse, et in aliquo esse, idem sæpe sunt, ut S. Fulgentius variis probat exemplis lib. 3. ad Monimum, c. 5. et 6. Sic Ps. 129. 7. dicitur: *Apud Dominum misericordia et copiosa apud eum redemptio.* Hic itaque adverte, quod fons vitæ non est in his terris, sed in cælo, ubi se Deus manifestat. Iansen. hoc vidit: Non enim, ait, in hoc mundo, sed apud te, in cælesti tua habitatione est fons vitæ

A veræ: scilicet perennis et felicis. Nam ea quam hic vivimus vita, non tam vita, quam mors quædam continua est. Tu ipse fons es et origo vitæ veræ, ex quo quidem nunc profluit sperantibus in te vita spiritus et mentis. Verum cum eis ex hoc mundo liberatis dabitur apud te agere in domo tua, tum ex fonte tuo augustissimo haurient vitam sempiternam: quæ cum felicissima sit futura, perpetuam satietatem ac voluptatem afferat eis necesse est. Hæc Iansenius. Quibus verbis occurrit obiectioni, quæ fieri poterat. Nam non bene videtur causa reddi, eur Deus torrente voluptatis potet Sanctos, cum dicitur, quoniam apud eum est fons vitæ; sed potius dicendum fuisset, est fons lætitiæ aut sapientiæ. Bellarm. egregie: *Apud Deum*, ait, *est fons vitæ, qui idem est cum fonte sapientiæ. Deus igitur qui fons est sapientiæ, hoc ipso fons est vitæ, quia sapere sapientibus est vivere: et quia fons est vitæ, hoc ipso fons est essendi, quia vivere viventibus est esse. Dicitur autem fons sapientiæ, vitæ et essentiæ: quia non habet ab alio, ut sapiat, aut vivat, aut sit: sed ipse est sapientia, est vita,*

B *est esse, et omnia alia, quæ utcumque sapiunt, vivunt, aut sunt, ab illo id habent.*

Quæres primo, quis est præcise ille fons vitæ? Primo, Thomas Anglicus ait Patrem æternum esse *fontem vitæ*, quia est *fontale principium totius divinitatis*. S. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 16. *Apud te*, inquit, *Deus omnipotens Pater, qui fons vitæ es in lumine tuo Filio, lumen videbimus Spiritus sancti.* Greg. de Valentia 1. p. disp. 7. q. 6. de paradiso, puncto 1. sic explicat locum Eccli. 24. 41. *Ego quasi aquæductus, exivi de Paradiso*, q. d. Ego filius qui sum Sapientia genita, processi de substantia Patris, in qua est tamquam uberrimus torrens voluptatis. Rabanus ibid. Filius, ait, est trames aquæ immensæ de fluvio; quia sicut Deus de Deo, lumen de lumine, ita ipse aqua immensa de fonte Patre sive fluvio tropice dici potest: quoniam Pater origo est divinitatis: quando sicut de Patre genitus est Filius, ita et Spiritus sanctus procedit a Patre, quem in Evangelio aquæ nomi- 94. *Fons vitæ est: 1. Pater æternus.*

C ne Dominus nuncupavit, dicens Ioan. 4. 14. *Qui biberit aquam quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Item Ioan. 7. 37. *Qui sitit, veniat ad me et bibat: et de ventre eius fluent aquæ vivæ.* Et rursum Eccli. 15. 3. *Aqua sapientiæ salutaris potabis eum.* Hæc Rabanus.

Sensus itaque erit, *apud te est fons vitæ*, q. d. Tu Deus Pater es fons vivus et perennis, semper fluens, et omnia vivificans, tu es vita fontalis, a qua omnis vita processit.

Secundo, *fons vitæ* est Filius Dei: ita S. Aug. Didym. Apollin. Theodor. Euseb. Lomb. et alii. Primo, Christus qua Deus, est fons vitæ, et sensus erit, q. d. *Apud te* Patrem æternum, *est fons vitæ*, nempe Verbum tuum, per quod omnia vivificas: ipse enim est vita essentialis, et a sinu tuo non separatur. De illo dicitur Ioan. 1. 4. *In ipso* (Verbo scilicet) *vita erat:* Primo, vita formalis, q. d. Ipsa verbi substantia est vita, ipsum Verbum est vita subsistens: ita Œcumen. in epist. 1. Ioan. 1. Secundo, in Verbo est vita idealis, sive exemplaris, quia in verbo quasi 95. *II Christus qua Deus.*

D in idea vivunt sempiternæ rerum omnium rationes: ita S. Aug. Tertio, in verbo est vita causalis naturalis, quia Verbum dat et conservat vitam viventibus omnibus naturalibus: ita S. Chrysost. Quarto, in Verbo est vita causalis supernaturalis, quia dat omnibus vitam et gloriam: ita Cornelius a Lapide. Deum esse originalem vitam naturæ angelicæ, humanæ, animalium, plantarum, iustorum, beatorum, docet S. Dionys. cap. 6. de divin. nom. Illum consule. De Verbo Psal. nostrum explicat Theodoretus: ait enim: *Apud te est Verbum in æternum fons vitæ, et in lumine Spiritus sancti, lumen Unigeniti tui cernemus.*

Verbum porro semper fuit, est, et erit in Patre, et apud Patrem. Ioan. 1. v. 1. *In principio* (ante omnia: ita S. Augustin. et S. Basil. 2. in Patre æterno: ita Origen. et S. Cyrill.) *erat Verbum, et Verbum erat apud Deum*, Patrem scilicet, qui sæpe in Scripturis vocatur simpliciter Deus. *To apud* notat 1. diversitatem personarum: ita Severus et Leontius in Catena; 2. amicam et summam Fi-

lii: coniunctionem cum Patre, a quo separari non potest: ita Nonnus; 3. æqualitatem Filii cum Patre: ita S. Cyrill. Ierosol. cath. 11. In sinu Patris dicitur esse Ioan. eod. cap. 1. 18. *Deum nemo vidit unquam. Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Lege ibi S. Chrys. est catachresis. Deus enim, cum sit incorporeus, caret pectore et sinu. Syr. vertit, in gremio. S. Cyrill. in utero, de quo vide dicta Ps. 109. 4. iilis indicatur intima et summa Filii cum Patre coniunctio, et communicatio essentiæ, consubstantialitas, et secretorum manifestatio. Christus ipse dicit Apostolis suis in ultima cœna, Ioan. 14. 10. *Non creditis* (Gr. πιστευετε μοι, id est, credite mihi) *quia* (quod) *ego in Patre, et Pater in me est.* Prius dixerat se esse fontem vitæ, et fontem lucis, v. 6. respondens S. Thomæ dicenti se nescire quo iret: *Ego sum via, veritas et vita.* S. Ambros. lib. de bono mortis cap. 12. *Via est quæ perducit, veritas quæ confirmat, vita quæ perseverantibus redditur.* Et S. Hilar. lib. 7. de Trinit. *Non nos seducit qui via est: nec illicit per falsa, qui veritas est: nec in mortis relinquit horrore, qui vita est.*

96. Et qua homo. Secundo, Christus etiam qua homo, est *fons vitæ;* ita S. August. *Quis est,* inquit, *fons vitæ, nisi Christus? venit ad te in carne, ut irrigaret fauces tuas sitientes. Satiabit sperantem, qui irrigavit sitientem.* Ruff. *Venit in carne, rorabit sitientem, satiabit sperantem.* Sponsus, id est Verbum Dei, Sponsam suam, hoc est humanitatem suam, quæ est nobilissima Cantici Sponsa, vocat fontem vitæ. Cant. 4. 15. *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano,* hoc est de summa divinitate, et excelsa dignitate ob unionem hypostaticam. Iesus filius Sirach, Eccli. 24. 35. et seq. Christum variis fluviis comparat: Primo quidem Phisoni: *Qui implet quasi Phison sapientiam,* id est, qui est plenus sapientia, sicut Phison aquis. Syr. sic vertit: Quia plena est sicut fluvius sapientia; 2. qui eam dat aliis cum abundantia. Tigurina reddit: Quasi Phison omnia replet sua sapientia. Phison significat abundantiam, copiam, exuberantiam, multitudinem: item, oris mutatio. Christus sit tibi Phison, os tuum mutet, tunc implebit illud. Aperi illi os tuum, et implebit illud: sic impletum sapientia, erit mutatum. Secundo, Christum comparat fluvio Tigri: addit enim, *et sicut Tigris in die novorum:* id est, novarum frugum: hoc est in verno tempore. Tigurina vertit, ut Tigris novarum frugum temporibus. Christus suavitate et lumine replet iuvenes, qui ei se consecrant in flore ætatis, et primitias frugum suarum illi offerunt. Tigris vocatur Genes. 2. 14. חדקל *chidekel,* id est, lætus sonitus; 2. læta velocitas. Aquæ sapientiæ suaviter resonant, et cum alacritate decurrunt, et sibi se committentes velociter ad optatum portum atque ad Deum vehunt. Tertio, Christus comparatur Euphrati, v. 25. *Qui adimplet quasi Euphrates sensum,* Græc. συνεσιν, intelligentiam. Tigurina habet, in modum Euphratis fœcundat ingenium. Euphrates est fluvius Mesopotamiæ, quem Strabo scribit ex Niphate Armeniæ monte, magnum, profundum, et celerem nasci. Hebr. vocatur פרת *perat,* Gen. 2. 14. id est frugifer, fructificans, crescens. Græci deducunt ab ευφραινω, id est lætifico: quoniam circumiacentem agrum restagnationibus suis adeo lætum fœcundumque reddit, ut sequente anno sponte restibilis fiat seges, impressis tantum vestigio seminibus. Vide Plin. lib. 18. cap. 15. et 16. Quarto, comparatur Christus Iordani fluvio Terræ sanctæ. Adiicitur enim: *Qui multiplicat quasi Iordanis in tempore messis,* hoc est, qui sapientia exundat, sicut Iordanis exundat mense Martio, et in vere, cum in Iudæa fit messis hordei. Unde Nisan, id est Martius, vocabatur mensis novarum frugum, et prima die post Pascha, hoc est 16. luna, seu die Nisam primitiæ hordeaceæ offerebantur Deo. Quinto, Christus comparatur Geoni cap. 37. *Qui mittit disciplinam sicut lucem, et assistens quasi Geon in die vindemiæ.* Geonem aliqui dicunt esse Nilum, qui, ut ait Plin. lib. 18. cap. 18. coloni vice fungitur. Fœcundat scilicet exundatione, quæ accidit sub solstitium æstivale, post messem et vindemiam. Probabilius tamen Geon est fluvius aliquis non multum A distans ab Euphrate, Tigri et Phisone, qui sunt tres alii fluvii egredientes de Paradiso terrestri. Sexto denique, Christus ipse loquens se comparat omnibus fluminibus, et immenso mari, ac matrici fluviorum, v. 40. *Ego sapientia effudi flumina.* Ubi Rabanus: Christus, inquit, est sapientia, et effudit in mundum flumina doctrinæ Evangelicæ, quæ abundantissime reficiunt et satiant avidas mentes electorum, v. 41. *Ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio: ego quasi fluvius Dioryx* (διωρυξ, id est, fossa, canalis) *et sicut aquæductus exivi de paradiso;* quod explicans Palacius: Pater, ait, hoc loco vocatur fluvius, unde omne esse in universo fluit: ex hoc fluvio primus trames fluens est Filius, in quem ex Patre universa Divinitas derivatur; unde ipse est trames aquæ immensæ, et non mensuratæ, nec mensurabilis.

Tertio, fons et fluvius vitæ potest dici Spiritus sanctus. 97. Est enim sanctificator, et gratiæ auctor. Apoc. 22. 1. ait III. S. Ioannes in extasi raptus in cælum: *Ostendit mihi* (Angelus) *fluvium aquæ vitæ, splendidum tamquam crystal-* B *lum, procedentem de sede Dei et Agni.* Hic fluvius est visio beatifica, et torrens voluptatis in Beatos effusus; 2. est gratia Spiritus sancti; 3. ut vult Rupertus, est ipsemet Spiritus sanctus, qui procedit a Patre et Filio. S. Ambr. lib. 3. de Spiritu sancto, cap. 21. *Hic est,* inquit, *fluvius de Dei sede procedens: is est Spiritus sanctus, quem bibit, qui credit in Christum, sicut ipse ait: Qui sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ. Hoc autem dicebat de Spiritu. Ergo flumen est Spiritus, hic igitur est in Dei sede.* Fons vitæ est Spiritus sanctus.

Quarto denique, malim dicere vivificum hunc fontem IV. esse totam sanctissimam Trinitatem, eiusque visionem. Et optime. De illa Philo lib. de profugis: *Deus solus animæ et vitæ, præsertim rationalis animæ et prudentis vitæ, auctor est. Nam materia res est mortua,* Ο δε Θεος πλεον τι η ζωη, πηγη του ζην, αεναος: *Deus autem plusquam vita, fons vivendi, ut ipse ait, sempiternus, quem fugientes impii non gustato* C *potu immortalitatis, dementes foderunt sibi: non ut Abraham et Isaac, puteos, id est profundas scientias, præbentes sermonem potabilem, sed cisternas, quæ ex se ipsis nihil boni ad recreandum habent, et indigent externis affluentiis.* Fons vitæ est tota Trinitas.

Quæres secundo, qui sunt effectus illius fontis vitæ. 98. Primo, dat vitam, ideo Apoc. 7. 17. *Agnus,* id est Christus Salvator, *qui in medio throni est, reget illos, et deducet illos ad vitæ fontes aquarum.* Hoc est, ad visionem et fruitionem Dei, quæ unus est fons originalis, ex quo 1. multi alii profluunt, nempe plenitudo scientiæ omnium rerum; 2. abundantia omnis gaudii; 3. thesaurus infinitus divitiarum cælestium; 4. exuberantia honoris et gloriæ; 5. aggregatio deliciarum, voluptatum, et bonorum omnium. Pomponius Mela tradit, in Fortunatis insulis duos esse fontes omnino contrarios: ex altero qui gustaverit, risu solvi in mortem: alterum vero, male affectis mederi. In cælo sunt fontes vitæ: et si Hebr. sequi volumus, fontes vitarum. Unde Caiet. vertit: *Tecum est fons vitarum.* In his vero terris sunt fontes plurimi, variis modis mor- D tem inferentes: ideo iure voces fontes mortis. Vitæ fontem nullum reperies, nisi in fabulosis veterum narrationibus. Necare aquas in Thracia, dicit Theopompus, Lycus in Leontinis interficit tertio die, si quisquam biberit. Varro ait, ad Soractem id facere fontem, cuius latitudo sit quatuor pedum. Fontem qui det vitam ubinam gentium reperies? In cælesti viridario illum habes: non qui canes semimortuos e somno et lethargo excitet, sed qui homines vita immortali donet. Si enim Philo plantas vitæ et immortalitatis in paradiso terrestri collocat, a fonte scilicet eos irrigante id sortitas, de divinis pomariis quid censebimus? Verba sunt Philonis lib. de plantatione Noe: *Narrant in paradiso terrestri stirpes esse, nostris nequaquam similes: sed ζωης, αθανασιας ειδησεως, καταληψεως, συνεσεως, vitæ, immortalitatis, scientiæ, cognitionis, intellectus, bonorum rerum et malarum imaginationis. Hæ vero cum terrenæ non sint, necessario rationalis animæ plantæ sunt existimandæ.* Hæc ille loquens symbolice, aliqui

Fontis vitæ tres proprietates: 1. Dat vitam.

Fons vitæ et mortis in Fortunatis insulis.

erant ibi veræ plantæ, sicut in hortis nostris, et quæ tandem mortuæ fuissent, et ipsa vitæ arbor post annos multos defecisset, sed ex ea aliæ eiusdem speciei et efficacitatis succrevissent. Alludit hic David ad fontem paradisi terrestris, qui omnes plantas et arbores in paradiso terrestri vivificabat, et sic erat illis fons vitæ. De illo agit Moses Gen. 2.

99. II. *Satiat et inebriat Sanctos.*

Secundo, *fons vitæ* apud Deum existens, et in Sanctos effusus, hoc est visio et fruitio Dei, illos plene satiat et inebriat. Sapientia sive communis toti Trinitati, sive notionalis et genita, sive incarnata, dicit Eccli. 24. 42. *Rigabo hortum meum plantationum* (ubi sunt meæ plantæ) *et inebriabo prati mei fructum;* Gr. μεθύσω μου τὴν πρασιάν τὴν δικαίαν, id est, irrigabo areolam meam iustam, id est iuste et perfecte dimensam atque compositam; hoc est pios et iustos, qui sunt in paradiso meo. Ubi adverte, quod sapientia inebriat fructum, non folia: si vis inebriari, fer fructum: alioqui sicut ficus infrugifera aresces; 2. vide, ut fructus tuus sit bonus et Deo dignus: pro *plantationum*, Septuag. habent ἄριστον, hoc est, optimum. Unde sic vertunt: Potum dabo horto meo optimo, et inebriabo viriditatem meam iustam. Semper sis viridis per spem, et per renovationem mentis ac iuventutem perpetuam. Virorem illum et vigorem facile poteris conservare. Est enim abundans aqua gratiæ etiam in hac vita, v. 43. addit Sapientia: *Et ecce factus est mihi trames abundans, et fluvius meus appropinquavit ad mare*, id est fuit æqualis mari, fuit instar vasti maris. Tigurina vertit, flumen meum in mare excrevit. Et quidem cito: Arabs, *fluvium meum in mare inundare facio mane*, id est cito, et cum luce, præsertim ingentibus et a maris corde: ipsi enim consolabuntur; *faciamque illum etiam in generationes plurimas:* Quæ omnes illo inebriabuntur. Athenæus lib. 12. Multis, ait, in regionibus aqua fontium potui gratior est, et vinum sapit, sicut eius qui in Paphlagonia, ut aiunt, indigenas ad bibendum confluentes inebriat.

Fontes vini saporem habentes.

Theopompus quoque scribit, iuxta Erganem fluvium acidam aquam esse, καὶ πίνοντας αὐτὸ μεθύσκεσθαι, quæ perinde ac vinum temulentos facit.

100. III. *Eos recreat per totam æternitatem.*

Tertio denique, *fons vitæ* in cælo, hoc est visio et fruitio Dei, semper durabit, et fluxu perenni Sanctos recreabit. Ut enim ait Hugo a S. Victore lib. 4. de anima c. 15. *Vivunt*, ait, *vita sine fine, sine molestia, sine diminutione, sine omni adversitate. Vita eorum visio et cognitio beatæ Trinitatis, sicut Dominus ait Ioan. 17. 3. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, et quem misisti Iesum Christum.* Et cap. 16. *In ea cælesti patria est vita sine morte, iuventus sine senectute, sanitas sine infirmitate, requies sine labore, gaudium sine tristitia, pax sine discordia, delectatio sine fastidio, lux sine tenebris, pulchritudo sine turpitudine, agilitas sine ponderositate, fortitudo sine imbecillitate, libertas sine servitute, voluptas sine anxietate, longævitas sine vitæ termino, sapientia sine insipientia, amicitia sine inimicitia, concordia sine discordia, honor sine dedecore, securitas sine timore.* Et S. Cæsarius Arelat. Episcop. qui vixit tempore Symmachi Papæ et Theodorici regis Italiæ, et pervenit ad annum Christi 499. gaudium Sanctorum in cælo sic describit hom. 26. *Vita cuius erit cursus sine termino, usus sine fastidio, refectio sine cibo, adiutorium sine defectu, requies sine nocte, otiositas sine senio, indeficiens sub nutu Dei charitas, et sub antiquis perpetuisque gaudiis semper nova iucunditas, et sine ullo amittendi periculo felicitas.* Vina Opimiana per ducentos annos servata sunt, sed in speciem redacta mellis asperi. Fons vitæ in æternum suavis erit.

101. *Deliciarum terrenarum tres proprietates: 1. Sunt fons mortis. 2. Fons amaritudinis et tristitiæ.*

Contra vero, deliciæ terrenæ sunt, 1. fons mortis; 2. fons tristitiæ; 3. fons cito arescens. De primo habet Ps. 82. v. 11. *Disperierunt in Endor: facti sunt ut stercus terræ.* Abit aqua limpida, et restat lutum et sordes. Hebr. Endor significat fontem generationis, et est index luxuriæ in qua innumeri pereunt, divites præsertim et nobiles. Fons ille generationem et vitam ostentat, sed dat mortem. De secundo, Exod. 15. 23. *Venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara.* Hebr. Mara idem est quod amaritudo: tales sunt aquæ in deserto mundi: si sis verus Israelita, de illis non poteris bibere; mundanis sunt initio dulces, sed illis fiunt aquæ amaritudinis atque maledictionis, et computrescet venter eorum. Vide num. 5. fuse de aquis amarissimis propinatis mulieri, de cuius castitate dubitabatur. Aristobulus Cassandræus ait, Mileti fontem esse, Achilleum incolæ nominant, cuius profluens aqua dulcissima est, τὸ δ' ὑπεστηκὸς ἁλμυρόν, quod autem in imo fundo residet, salsum est. Rident vultu, corde mœrent impii. Herodot. lib. 4. scribit. Hypanim ex Schytia ortum fluvium fluere fere quinque dierum navigatione, βραχὺν καὶ γλυκύν, angustum et dulcem: sed mox quatuor a mari dierum navigatione, πικρὸν δεινῶς, amarissimum, propter amarum qui in eum fluit fontem: adeo, inquam, amarum, ut cum sit exiguus magnitudine, tamen inficiat Hypanim fluvium, ἐόντα ποταμὸν ἐν ὀλίγοισι μέγαν, qui est fluvius in paucis magnus. Initia deliciarum sunt mellea et nectarea, progressus et exitus est felleus et tartareus.

Fontes in sua amaritudine mirabiles.

Hypanis fluvius initio dulcis, in progressu amarus.

3. Cito arescit fons deliciarum terrenarum.

De tertio, nempe quod voluptates mundanæ cito arescunt, ait Deus admirans et ingemens, Ierem. 2. 12. *Obstupescite cæli super hoc, et portæ eius* (extima superficies, aut nubes, quæ velut nobis cælum claudunt expansæ, et aperiunt divisæ) *desolamini* (id est plorate emittendo pluvias, fulgura, fulmina et tonitrua) *vehementer. Duo enim mala fecit populus meus.* Primo enim v. 13. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ.* Arabs habet, fui illis fons aquæ dulcis et laudabilis. Secundo addit, quid est inde consequens, *et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas*, (Syr. conquassatas) *quæ continere non valent aquas.* Arabs significantius vertit, cisternas scissas, in quibus non congregatur aqua, neque durat. Nulla scilicet ullo tempore potest esse vera et solida lætitia peccatori. S. Aug. in sententiis sent. 289. *Quantum*, ait, *et quale bonum sit Deus, etiam ex hoc evidenter ostenditur, quod nulli a Deo recedenti bene est: quia et qui gaudent in mortiferis voluptatibus, sine doloris timore esse non possunt. Et qui omnino malum desertionis suæ maiore superbiæ tumore non sentiunt, aliis qui hoc noverunt discere, quanta sit miseria apparet.* Deum vero qui habet, omne bonum habet, et eo solo inebriatus, omnia alia contemnit. S. Ephrem id erat expertus, tract. de divina gratia, tom. 1. ait: *Qui fontem habent, gutta non indigent. Lacte non egent, qui gregem pascunt. Qui panem frangunt, micis opus non habent. Qui mel conficiunt, eos mellis saporem explorare non est necesse. Qui margaritam habent, de obolo acquirendo non laborant.* Inclamemus itaque cum Trismegisto, dialog. 7. *Respicite, o mortales, et respicite, et ad fontem vitæ recurrite.* In pedibus Christi fontem vitæ reperit Magdalena, Luc. 7. 38. Ioannes Apostolus in pectore, Ioan. 13. 25. Petrus in eius oculis se aspicientibus, illuminantibus, et convertentibus, Luc. 22. 61. Lazarus in voce cum singultibus se vocante, Ioan. 11. 43. Filia Iairi archisynagogi in urbe Capharnaum, in manu se tangente et reddente matri, Matth. 9. 25. Mulier quæ ab annis duodecim fluxum sanguinis patiebatur in eius fimbria, cuius attactu sanata est Matth. 9. 20. Totus Christus erat fons vivificus, pertransiens, et sanans omnes a languoribus suis. Provide igitur ne Holofernes, hoc est diabolus, tibi hunc fontem subtrahat, Iudith 7. 6. Et Philisthæi puteos tibi obstruant, Gen. 26. 19. Sed cum Samaritana pete aquam ex hoc puteo seu fonte Iacob, quæ saliat in vitam æternam, Ioan. 4. 14.

102. *Vers. 10. 2. Pars. Lucis et luminis differentia.*

Post inebriationis, torrentis, fontisque mentionem, lucis similitudine, David explicat divinam visionem et fruitionem, vers. eod. 10. Et in lumine (Arabs, cum lumine. Syr. et Petav. per lumen) tuo videbimus lumen. Vatablus vertit, in luce tua videbimus lucem: ita etiam Campensis. Ubi adverte, 1. quod lux est splendor, fulgor, claritas, et quidem proprie illa, quæ a sole diffunditur, atque orbem illustrat: ad alias claritates abusive transferri volunt plerique; 2. Servius in lib. 2. Æneid. dicit, in lumine esse splendorem, sed cum fumo: in luce, solum splendorem; sed id verum non est; 3. et melius, lumen est ipsum corpus lucidum, quod est veluti fons lucis, cla-

ritatem a se diffundens: talis est Sol, qui lumen iure appellatur: lux est splendor a sole productus. Hæc tamen aliquando confunduntur.

Pro lumine vident lumen Sancti septem modis.

Sensus porro est septuplex: *In lumine tuo videbimus lumen.* Primo, in Patre Filium. Secundo, in Filio Patrem. Tertio, in Filio Spiritum sanctum. Quarto, in Spiritu sancto Filium. Quinto, in Patre Filium, in Filio Patrem, et in utroque Spiritum sanctum. Sexto, in tota Trinitate totam Trinitatem. Septimo denique, per lumen gloriæ videbimus lumen essentiæ divinæ, et personarum cum suis attributis, tam essentialibus quam notionalibus.

103. Cælum est regio lucis.

Nota, cælum est regio lucis. Apocal. 22. 1. *Et nox ultra non erit: et non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis: quoniam Dominus Deus illuminabit illos, et regnabunt in sæcula sæculorum.* S. Chrysost. epist. 5. ad Theodorum lapsum: *Omnia*, inquit, *erunt pax, lætitia, gaudium. Omnia dies, et splendor, et lux: lux non quæ nunc est, sed plane alia, quæ hanc tantum excedit, quantum ea lumen lychni: neque enim occulitur illic aut nocte, aut congressu nubium, nec urit, neque inflammat corpora; nam nox non obumbrat, nec adurit vespera, nec frigora, nec æstus, nec alia huius generis immutatio.* Rupertus de Lycio serm. 2. de beatitud. Sanctorum cap. 3. ait: Beatis lætitiam esse ob loci luminositatem, puritatem et magnitudinem. S. Laur. Iustinian. tract. de casto connubio Verbi et animæ, cap. 5. de illa cælesti patria loquens: *Fulget*, inquit, *claritate, amœnitate floret, æternitate viget, et mirabili dilatatur immensitate.* Secundo, ad loci lumen accedit fulgor ex Sanctorum, ac præcipue Deiparæ et Christi Domini corporibus emicans. Primo, de Sanctis dicitur Sap. 3. 7. *Fulgebunt iusti, et tamquam scintillæ in arundineto* (Gr. ἐν καλάμῃ in stipula) *discurrent*, in cælo scilicet, ut explicant S. Cypr. exhort. ad Martyr. c. 12. S. Bonav. Clem. Alex. lib. 4. Strom. cap. 6. Splendorem iis maiorem dat Daniel cap. 12. 3. *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti.* Hoc de omnibus Sanctis exponit Dionys. Carthus. Docti, ait, sunt omnes iusti: sunt enim scientes Deum; non negaverit tamen lucem maiorem Doctoribus, de quibus locum illum exponit S. Hier. Non solum scintillæ et stellis, sed etiam soli comparat Beatos Christus, Matth. 13. 43. *Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Ægidius Romanus lib. 2. Hexaem. cap. 23. Sancti, ait, erunt quasi quidam soles, et quasi quædam stellæ. Rabanus Maurus in Ecclesiasticum, cap. 13. *Incorruptorum*, ait, *gloria corporum non hoc tantum splendoris emittet, quantum ex ista corruptibili luce procedit: sed tantus erit futuræ lucis splendor, quantum corporeus ferre non possit aspectus.* Secundo, Deiparam S. Anselm. serm. 1. de Nativit. vocat fontem lucis; figuratam existima in fonte solis, de quo Iosue 15. 7. et apertius in fonte verso in solem, Esth. 10. 6. *Parvus fons, qui crevit in fluvium, et in lucem Solemque conversus est* (id est in lucidum solem; est hendyadis) *et in aquas plurimas redundavit, Esther est, quam rex accipit uxorem, et voluit esse reginam.* Esther autem est figura Deiparæ, quæ appellatur mulier amicta sole, Apoc. 12. 1. De ea Chrysippus ait orat. ad eam: Ave fons lucis, omnem hominem illuminans. Tertio, de Christo dicitur Apocal. 21. 23. *Civitas* (cælestis scilicet visa a S. Ioanne ex auro et gemmis constans) *non eget sole, neque luna, ut luceant in ea. Nam claritas Dei* (id est Deus clarissimus) *illuminavit eam, et lucerna* (lux, fax) *eius est agnus*, hoc est Christus. S. Bernard. meditat. cap. 4. *Civis*, inquit, *erit illius sanctæ civitatis, cuius Angeli cives sunt, Deus Pater templum, Filius eius splendor, Spiritus sanctus charitas. Omnes delectantur de Deo, cuius aspectus pulcher, facies decora, eloquium dulce. Delectabilis est ad videndum, suavis ad habendum, dulcis ad perfruendum.* Postremo denique divinitatis lux longe maior est, infinita enim est.

104. In lumine lumen videtur, id est:

Sensus igitur est, *in lumine tuo videbimus lumen*, q. d. Videbimus in Filio Spiritum sanctum: ita S. Ambr. hic, et in 1. ad. Timoth. 6. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 16. et lib. 3. de virginitate, et Concil. Nicænum. Verba S. Ambr. lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 16. *Apud te Deus*

A *omnipotens Pater, qui fons vitæ es, in lumine tuo Filio lumen videbimus Spiritus sancti.* Lib. 2. de Actis in Concil. Nicæno hæc habentur: *Propheta David de hoc fonte vitæ, sancta Trinitate, clamat: Apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen. Fontem vitæ Deum et Patrem appellans, ad Filium vero loquens: Siquidem Pater est in Filio, et Filius in Patre: lumen autem ipsum Filium nominat, in quo lumine testatur videndum esse lumen Spiritum sanctum. In lumine, inquit, tuo, videbimus lumen. Fons enim veræ vitæ ac luminis, est Pater: lumen etiam est Filius ex Patre lumine. Lumen etiam est Spiritus sanctus ex eodem lumine.* I. In Filio Spiritus sanctus.

II. In Filio Pater.

Secundo, *in lumine tuo videbimus lumen*, hoc est, in Filio Patrem: ita S. Ambr. in Psal. nostrum: Recte dicitur, inquit, in lumine tuo videbimus lumen secundum illud Ioan. 14. 9. *Qui me videt, videt et Patrem meum.* Apud te ergo fons vitæ, præsentem videbimus Patrem. Sicut enim tu apud Patrem eras in principio Deus Verbum: ita apud te semper est Pater, quia in te est. Est enim B apud ipsum, in quo est. Prophetatur autem adventus Domini Salvatoris, qui venturus in terram diceret, Ioan. 10. 30. *Ego et Pater unum sumus.* Id est, unum sumus lumen, sicut unum nomen. Per luminis et nominis unitatem ambo unum sumus, imo Trinitas unum in unitate substantiæ, sed distinctione uniuscuiusque personæ. Trinitas distinctionem significat personarum, unitas potestatem.

III. In Spiritu sancto Filius.

Tertio, *in lumine tuo videbimus lumen*, hoc est, in Spiritu sancto Filium: ita S. Gregor. Naz. orat. 37. *Nos*, inquit, *perspeximus et prædicamus, ex luce nimirum, id est Patre, lucem, hoc est Filium, in luce, hoc est in Spiritu sancto percipientes.* Theodoret. in Psal. nostr. A Spiritu sancto illuminati, ait, unigeniti tui radios intuemur.

IV. In Patre Filius.

Quarto, *in lumine tuo videbimus lumen*, hoc est, in Deo Patre Filium, in Filio Patrem, et in utroque Spiritum sanctum. S. Cæsarius frater S. Gregorii Nazianzen. dialog. 1. Biblioth. Patr. Græc. tom. 1. *Sanctum*, ait, *Spiritum lumen esse divino Davidi assentiens aio: In lumine, inquit, tuo videbimus lumen. Nam in Deo ac Patre Filium et ipsum Deum, atque in Filio Patrem: Spiritum autem* C *in utroque cernimus, sicut Filius ait Ioan. 14. 10. Pater in me est, et ego in Patre. Qui vidit me, Patrem vidit. De Spiritu vero inquit: Spiritus veritatis, qui de Patre procedit. Itaque in lumine, quod est Pater, lumen aliud, nimirum ipsius sermonem ac Filium cernimus, et in lumine quod est Filius, lumen Spiritum videmus.* Ait deinde, Patrem esse Filii principium, sicut fons fluminis, sicut sol radii, sicut ignis flammæ.

V. In Deo Deus.

Quinto, *in lumine tuo videbimus lumen*, id est, in Deo Deum ipsum, seu in tota Trinitate, totam Trinitatem; est enim sui ipsum lucidissimum speculum: ita S. August. Soliloq. cap. 36.

105. VI. In lumine gloriæ Deus.

Sexto denique, *in lumine tuo videbimus lumen*, id est lumine et per lumen gloriæ te ipsum Deum: ita S. Thom. q. 12. art. 2. *Dicendum*, ait, *quod ad videndum Dei essentiam requiritur aliqua similitudo visivæ potentiæ, scilicet* D *lumen divinæ gloriæ confortans intellectum ad videndum Deum, de quo dicitur in Ps. 35. In lumine tuo videbimus lumen*: ita S. Thomas, et hic sensus mihi maxime arridet. S. August. 8. de civit. cap. 8. negat, aptiori similitudine declarari beatitudinis nostræ modum posse, quam oculi lucem cernentis.

Lumen per lumen ipsum videtur.

Nota secundo, lumen non videtur nisi per lumen. S. Gregor. Nyss. hoc advertit orat. de S. Stephano. Nam videmus ipsum solem non videri nisi per radios solis. S. Irenæus hoc fusius dilatat: *Quemadmodum*, ait, *videntes lumen, intra lumen sunt, et claritatem eius percipiunt: sic et qui vident Deum intra Deum sunt, percipientes eius claritatem. Vivificat autem eos claritas. Percipiunt ergo vitam, qui vident Deum, et propter hoc incapibilis et incomprehensibilis, visibilem se, et comprehensibilem, et capibilem hominibus præstat, ut vivificet percipientes et videntes se.* In eo autem lumine splendidissimo, purissimo, æterno, summam esse Sanctorum Deo fruentium lætitiam necesse est, eam sic declarat S. Laur. Iustinian. tract.

de disciplina et perfectione monastica, cap. 17. *Tunc*, inquit, *videbimus eum sicuti est: tunc laudabimus perfecte, amabimus ardenter, vocabimus actualiter, inhærebimus indissolubiliter, iucundabimur lætanter, satiabimur sufficienter, et transformabimur totaliter. Erit namque tunc Deus omnia in omnibus. Nam nihil in nobis a laude cessabit. Erit enim rationi, Dei sapientia, plenitudo lucis: erit affectioni, Dei bonitas et clementia, multitudo pacis et superabundantia dilectionis: erit memoriæ, Dei mira essentia et maiestas, continuatio fruitionis. Erit quippe tunc in cælesti gloria læta societas, secura tranquillitas, indicibilis honestas, plena pax, vera dilectio, mutuus amor, una gloria, eadem mansio, et imperturbabile regnum.* S. Dionys. Areop. cap. 1. de divinis nomin. Spiritualis, ait, atque intelligibilis lucis (mente perturbationibus omnibus et materia libera) participes facti eius, quæ sensum omnem superat unionis lucidissimorum radiorum incognitis ac beatissimis iactibus, erimus supercælestes spiritus, etc.

Remigius Antisiodorensis monachus, qui floruit circa annum Christi 890. et in hanc urbem Remensem evocatus est a Fulcone Archiep. ad scholas instaurandas, cum ea ætate censeretur doctissimus, illud Psal. 5. 4. *Mane exaudies vocem meam, mane astabo tibi*, sic explicat de visione beatifica nobis danda in lumine post vitæ huius tenebras: Exaudies, ait, vocem meam, non nocte, sed mane. Tota hæc vita quasi nox est, quia multis et magnis ignorantiæ et vitiorum tenebris involvitur. Transacta hac corruptibili vita, cùm mortale hoc induet immortalitatem, veniet mane: id est, initium diei nunquam deficientis. Tunc enim fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum, claritate virtutum splendidi, nullam maculam corruptionis habentes. Hoc modo exaudies: quia mane, id est remotis ignorantiæ et totius corruptionis tenebris, luce virtutum et immortalitatis splendidus, adstabo tibi, assidue tecum stabo. Quod hic non est. Stamus enim hic cum Deo, sed non adstamus, quia appropinquamus bene vivendo, male autem vivendo ab eo recedimus. Vel, adstabo tibi, id est tuæ cognitioni prope stabo: quia nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum, 1. Cor. 13. Et tunc cum ero iam totus lucidus, non habens maculam neque rugam, videbo scilicet aperte. Videmus enim nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, 1. Cor. 13. ita Remigius paulo subtilius in aliquibus.

106. Lumen unum potest dici in Trinitate.

Nota tertio, dici potest esse tantum unum lumen in Trinitate: ita Faustinus Presbyter, qui floruit circa annum 367. Sic enim loquitur tract. contra Arrianos ad Flacillam Imperatricem: Legisti Ps. 35. *Et in lumine tuo videbimus lumen*. Quæ hic distantia luminis a lumine est, posuisset enim et distantiam, si fuisset, ne quis luminis a lumine nullam distantiam crederet: quod si nulla distantia est, non ergo duo lumina, sed unum lumen est, cum in lumine Patris Filii lumen agnoscitur: Hoc lumen est, de quo et Daniel loquitur, dicens: Et lumen cum ipso est; non enim de aliqua creatura dicitur, sed de splendore ipsius Dei existentis sempiterni luminis. Si Pater sempiternum lumen est, sine dubio et Filius sempiternum lumen est. Si vero negatur, Filium Dei lumen esse sempiternum, quomodo in Patris sempiterno lumine lumen Filii, quod non esse sempiternum, videtur. Sed in laudibus Dei non est hæc falsa dictio Sanctorum. Et in lumine tuo videbimus lumen. Ergo et Filii lumen sempiternum est, quod non distat a Patris lumine sempiterno, et ideo licet lumen sit Filius, et Pater lumen sit, unum tamen Patris et Filii lumen est; quia in Patre et Filio nulla separatio luminis est, quomodo nec imaginis secundum Mosen, nec formæ secundum Apostolum Paulum. Sacramentum autem inseparabilis unitatis secundum hoc, quod uterque, id est et Pater et Filius æqualiter et indivise, neque secundum portionem Deus unus, et pluralitatis secundum hoc, quod unus Pater est, et unus Filius: ita Faustinus. Secundo, si vim verbi præcise sequi volumus, in Trinitate sunt tria lumina; nam in ea sunt tres personæ luminosæ, lumen vero est ipsum corpus lucidum: sed in ea non est nisi una lux, quia lux est fulgor e luminoso egrediens. Hinc Cæsarius dialog. 1. In lumine, ait, quod est pater, lumen aliud, nimirum ipsius Sermonem ac filium cernimus: et in lumine, quod est filius, lumen Spiritum videmus. Quamobrem ratione consentanea, *tria in seipsis lumina*, intelligantur omni sine confusione et separatione unita. Tertio, et unam lucem, et unum lumen ponit S. Gregor. Naz. orat. 37. Erat, ait, lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Pater. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Filius. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem, Paracletus. Erat, et erat, et erat: sed unum erat. Lux, et lux, et lux: sed lux una, Deus unus; ita Gregor. Vox Græca φῶς et lux, et lumen est. Quarto, tres etiam luces in Trinitate ponere possumus, id est tres personas lucidas. Pater enim est lux a se lucem, id est Filium producens. Unde de Filio canit Ecclesia:

107. Et tria lumina.

Splendor paternæ gloriæ,
De luce lucem proferens
Lux lucis (id est patris) *et fons luminis*
Diem dies illuminans:
Verusque sol illabere,
Micans nitore perpeti:
Iubarque sancti Spiritus
Infunde nostris sensibus.

Ubi vides lumen et lucem sæpe confundi: aut lucem vocari in abstracto, id quod est luminosum.

Nota quarto, Deum vocari fontem vitæ, et lumen, quia ait S. August. in Ps. nostr. *Hic aliud est fons, aliud lumen, ibi non ita. Quod enim est fons, hoc est et lumen: et quidquid vis, illud vocas, quia non est quod vocas, quia non potes congruum nomen invenire, non remanet in uno nomine. Si diceres, quia lumen est solum, diceretur tibi: sine causa ergo mihi dictum est, ut esuriam et sitiam. Quis enim est qui manducet lumen? Illud plane mihi recte dictum est, Matth. 5. 8. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Si lumen est, oculis meis paret: paret et faucibus, quia illud quod lumen est, fons est. Fons, quia satiat sitientes: lumen, quia illuminat cæcos. Hic aliquando alibi lumen, alibi fons. Aliquando enim currunt fontes et in tenebris, et aliquando in eremo pateris solem, non inveneris fontem. Hic ergo possunt ista duo esse separata: ibi non fatigaberis, quia fons est: non tenebraberis, quia lumen est.* Ubi adverte obiter fontis et solis magnam esse affinitatem, ut notavit Cornel. in cap. 10. Esther 6. Primo, quia sicut fons est origo et scaturigo fluminis, sic sol est luminis. Sicut enim flumen manat a fonte, ita et lumen a sole: nam similis est productio utriusque profluxus, et emanatio: unde Hebr. נר *ner*, id est, lux et lucerna, alludit ad נהר *nahar*, id est flumen, et אור *or*, id est lumen, quia significat profluxum seu propagationem luminis velut fluminis: id est seminis et posteritatis. Secundo, quia quod fons est in terra, hoc sol est in cælo. Sicut enim fons est quasi oculus terræ, ita sol est quasi oculus cæli, totum cælum orbemque lustrans et ornans. Unde Hebr. עין *ain*, tam oculum quam fontem significat: quia quod oculus est in homine, hoc fons est in terra, et sol in cælo. Tertio, quia flumen ex fonte manans limpidum est, perspicuum et clarum instar crystalli (imo crystallus non est aliud, quam aqua fontis conglaciata) ac radiis solis illuminatum resplendet ut sol. Quarto, quia ex fonte et aquis primigeniis creatus est sol et cæli. Unde et Hebr. שמים *sciamaim*, cæli vocantur, q. d. *Ibi aquæ*, a *sciam*, id est ibi: et *main*, id est aquæ. Vel q. d. *admirabiles*, seu stupendæ *aquæ*, a שמם *sciamam*, admirari, obstupescere: et *maim*, aquæ. Vel q. d. *ignis et aqua*, ab אש *es*, ignis: astra enim ignea plerique Patrum censuerunt, ut alias ostendi.

108. Deus simul est fons et lumen.

109. Fontis et solis magna est affinitas.

Nota quinto, ex hoc loco sancti Patres deduxerunt distinctionem et Trinitatem personarum; ita S. Gregor. Naz. et S. Ambros. quos supra retuli, Anastasius Sinaita, de fidei dogmatibus, et alii. Secundo, inde probant divinitatem Filii S. Cyrill. Alex. in 1. Ioan. cap. 7. Gregorius Bæticus lib. de Trinitate. S. Isidor. de vocatione Gentium,

110. In Trinitate est distinctio personarum.

cap. 3. R. Iohanan, et R. Moses Hadarsan, quia si Filius est lumen Patris, necesse est, ut illi sit consubstantialis, alioqui in Deo reperirentur accidentia sicque posset perfici, et non haberet essentiam infinite perfectam. Faustini locum attuli supra idem sentientis.

111. *Visio qua Deus videtur supernaturalis. Et quidem quoad substantiam.*

Quæres primo, cum dicatur, *in lumine tuo videbimus lumen*, an necessario requiratur lumen gloriæ in entitate supernaturale ad Deum videndum? Dico primo, de fide est visionem qua Deus videtur, clare et intuitivo esse supernaturalem. Rom. 6. 23. *Gratia Dei vita æterna.* Ps. 83. 12. *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* Matth. 11. 27. *Nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.*

Secundo, visio illa beatifica supernaturalis est quoad substantiam suam omni creaturæ intellectuali creatæ et possibili. Ille enim actus dicitur supernaturalis in sua substantia seu entitate, cuius entitas talis est secundum suam specificam et specialem rationem, ut fieri non possit per naturalem potentiam creaturæ, cum generali concursu Dei sibi debito. S. August. vero lib. 12. de civit. cap. 1. B agens de creatura intellectuali, dicit posse fieri beatam visione Dei; non quia creatura est: multæ enim creaturæ non sunt illius beatitudinis capaces, sed quia rationalis est: *Quia vero*, inquit, *creatura est, hoc non ex se potest: quia ex nihilo creata est: sed ex illo, a quo creata est.* Hæc ratio procedit in omni creatura possibili, semper enim ex nihilo creabitur. S. Thom. 1. p. qu. 12. artic. 4. hanc rationem affert, cur nullus intellectus creatus possit per sua naturalia Deum intuitivo cognoscere: quia scilicet modus essendi Dei excedit modum cognoscendi creaturæ, est enim altioris ordinis et rationis ab omni esse creato: quia *solius Dei proprius modus essendi est, ut sit suum esse subsistens.* Est in suo esse actus purissimus et simplicissimus: omnis autem creatura habet aliquam compositionem, et veluti materialitatem, si cum divina puritate comparetur. Et nulla creatura est suum esse, sed habet esse participatum.

112. *Ad visionem Dei concurrit intellectus Beatorum.*

Tertio, tamen intellectus beati effective concurrit ad visionem per suam entitatem, et non tantum per lumen, vel per formam aliam sibi superadditam. Nam non potest vitalis actus saltem ex natura sua fieri sine influxu effectivo potentiæ vitalis et principii: si autem intellectus non influeret immediate in visionem, tantum materialiter se haberet respectu illius et respectu principii efficientis visionem; scilicet respectu luminis sustentando illud. Sicut se habet aqua calida respectu caloris, qui est principium calefaciendi: vel sicut se habet corpus respectu actionis vitæ procedentis ab anima: hoc autem non satis est ad actionem vitalem.

Quarto, qui videt Deum, verbum creatum producit, quo Deum ipsum videat, et impossibile est etiam de potentia absoluta aliter videri Deum ab ullo intellectu creato. Ratio est, quia visio beatifica est qualitas ab intellectu creato producta, ut per eam formaliter constituatur intelligens.

113. *Non videtur Deus per speciem intelligibilem.*

Quinto, de facto Beati non vident essentiam divinam per speciem intelligibilem: sed per ipsam essentiam, quæ subit vicem speciei intelligibilis. Est enim immaterialis, D et præsens intellectui. Itaque essentia Dei influit in illam visionem, 1. per influxum generalem, veint prima et universalis causa; 2. per influxum particularem, quatenus est obiectum visionis. Posset tamen Deus efficere speciem intelligibilem, per quam intellectus creatus posset Deum videre: quia nulla potest afferri contradictio. Nam in visione beatifica de facto datur species expressa: hoc est, Beati videntes Deum formant verbum mentis, seu conceptum formalem, qui est actualis repræsentatio divinæ essentiæ: ergo dari potest etiam species impressa, quæ eamdem essentiam repræsentet.

114. *Lumen gloriæ datur Beatis, et quid sit.*

Sexto, datur Beatis lumen gloriæ, hoc est qualitas creata, et habitus ac virtus intellectualis supernaturalis, et per se infusa intellectui, qua reddatur maxime potens, et habilis ad videndum Deum; ita S. Thom. 1. p. q. 12. artic. 5. Scot. 4. dist. 49. S. Bonav. 3. d. 14. art. 1. A Argentina 4. d. 49. q. 2. art. 1. et alii. Probatur ex Ps. nostro: *In lumine tuo videbimus lumen.* In Clement. Ad nostrum, de hæreticis, inter errores Begardorum et Beguinorum damnatur: *Quod anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum.* Unde Scotus, Capreol. Ferrar. Caiet. censent esse de fide dari Beatis lumen gloriæ. Sed non est de fide, an sit habituale, an actuale. Deus enim per actualem concursum supernaturalem posset supplere activitatem luminis gloriæ, id est, illius habitus supernaturalis iam dicti. Ratio est, quia Deus potest supplere habitum charitatis ad actum dilectionis, ut omnes concedunt: ergo et habitum luminis gloriæ ad actum visionis: est enim eadem ratio. Datur tamen lumen habituale, ut sit connaturalis visio: sicut de aliis habitibus supernaturalibus philosophamur.

115. *Oculus corporeus Deum non videt.*

Quæres secundo, an *in lumine tuo videbimus lumen*, possit de absoluta potentia intelligi de oculo corporeo? Respond. negative: quia nulla potentia potest ferri extra suum obiectum: obiectum autem visus corporei est visibile corporeum: Deus autem est spiritualis et incorporeus. Neque idem est de igne corporeo elevato ad torquendos spiritus in inferis, quia visio est actio vitalis, quæ debet esse e principio vitali, et circa obiectum potentiæ vitalis.

116. *Non potest videri una persona Trin. sine alia.*

Quæres tertio, an una persona Trinitatis possit videri sine alia? Respond. primo, nec essentiam divinam sine personis, nec personas sine essentia videri posse: quia sunt unum quid simplex ex sua natura: neque minus sunt idem, quam ego mihi ipsi sum idem. Eamdem ob rationem neque essentia divina sine attributis, v. g. sapientia, potentia, bonitate: nec unum attributum sine alio videri potest. Resp. secundo, unam personam non posse clare et intuitive videri sine alia: quia licet inter se realiter distinguantur, sunt tamen idem cum essentia: ergo qui videt essentiam, videt omnes personas. Hinc Christus ait Ioan. 14. 19. *Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum. Non credis quia* (quod) *ego in Patre, et Pater in me est?* Neque dicas cum Scoto, unam personam posse C incarnari sine alia, igitur et videri. Nam non est paritas: quia visio ex natura sua talis cognitio est, qua res in se intuitive clare et distincte cognoscitur. Relationes vero, qualis est unio, non sunt eiusdem rationis, sed in eadem re possunt habere varios terminos: unde unio non fit in essentia, licet fiat in persona, et persona filii, atque essentia identificentur. Igitur longe potius poterit fieri unio in persona Filii, et non fieri in persona Patris, cum a se invicem distinguantur. Hæc ferme Suarez tract. de Deo uno lib. 2. cap. 8. et seqq. Becanus 1. p. cap. 9. et alii Theologi.

117. *Tropol. In lumine videtur lumen, sex modis.*

Tropolog. *In lumine tuo videbimus lumen.* Id est, Primo, in lumine naturali videbimus lumen virtutis. Secundo, in lumine contemplationis lumen actionis. Tertio, in lumine creaturarum lumen et splendorem Creatoris. Quarto, in lumine fidei lumen beatitudinis æternæ et mysteriorum. Quinto, in lumine legis Mosaicæ lumen Evangelii. Sexto denique, in lumine Evangelii lumen virtutis heroicæ per consilia et præcepta excellentiora. Christus dicit Ioann. 8. 12. *Ego sum lux mundi.* Apostolis ait Matth. 5. 14. *Vos estis lux mundi.* Lex et lux conveniunt. Vide dicta Ps. 18. 9. Virtus est lux. Radulph. Flaviacensis monachus, qui floruit circa ann. Christi 910. *Dies*, inquit, *virtus intelligitur, sicut et peccatum nox.* De luce dicitur Gen. 1. 4. *Vidit Deus lucem, quod esset bona.* Erat figura fidei dandæ Gentilibus, ut explicat Paulus 2. Cor. 4. 6. Philo Iudæus omnium Iudæorum doctissimus, qui floruit tempore Caii Caligulæ, lib. de plantatione Noe: σκοταιον, inquit, και δυομενον, και νυκτηφορον αφροσυνη: *Tenebricosa, vespertina, nocturnaque res est insipientia*, λαμπροτατον δε και περιαυγεστατον, και ανατελλον, ως αληθως φρονησις: *splendida vero, fulgida, et vere orientalis est prudentia*, και καθαπερ ανισχων ηλιος, etc. *atque sicut oriens sol totum cælum radiis illustrat: eodem modo etiam virtutes suos habent radios, quibus in mentem penetrando totam eam reddunt lucidissimam.*

ARTICULUS IV.

Humilitate opus est, ut vitæ fonte et lumine gloriæ fruaris, superbia enim deiicit ad cælum pergentes.

118. Vers. 11 Misericordiam suam Deus prætendit, et quomodo.

POST explicata Sanctorum in cælo gaudia, illorum possidendorum desiderio ardens, Propheta Deum orat, ut se suosque in eo adiuvet, utramque manum extendens: nempe misericordiam et iustitiam, v. 11. PRÆTENDE MISERICORDIAM TUAM SCIENTIBUS TE, ET IUSTITIAM TUAM HIS, QUI RECTO SUNT CORDE. Nota primo, *prætende* significat: Primo, ante tende, seu tende ante me, q.d. Antequam ad te possim venire, et ad montis prærupti verticem pertingere, extende misericordiam tuam, veluti manum, qua me in altum eleves. Vel instar veli, tegminis et umbraculi eam extende, ut impedias ardorem tentationum et afflictionum. Sic alludit ad columnam nubis, quæ præcedebat filios Israel, se opponens radiis solis, et eos deducens per desertum. Symm. ἐπισκήνωσον, id est, sit instar tentorii, et tabernaculi. Ubi protectio misericordiæ, et circummunitio, et circumclusio denotatur. Secundo, *prætende*, id est præmonstra, præostende misericordiam veluti facem præviam, quæ in obscuris et caliginosis locis, aut etiam de nocte, ambulantem deducat, ut non aberret. Prætende etiam iustitiam, veluti gladium, qui hostes removeat atque exterreat.

Nota secundo, pro *prætende* Græce est παράτεινον, id est extende, protende, duc in longum, produc. Ubi denotatur perseverantia in miserendo. Hoc fit in cælo per totam æternitatem. Euthym. eam significationem indicat, cum ait: *Perpetuo eorum Deus miseretur, qui illius cognitione digni sunt.* Hebr. vero est משך *mesciech*, id est, *trahe*, attraho, q. d. Traho misericordiam tuam ad scientes te. Ubi denotatur, 1. necessitas gratiæ; 2. eius supernaturalitas, ut veluti vis illi inferatur, ut ad tam viles creaturas descendat; 3. desiderium vehemens illius, et sancta impatientia, donec habeatur. *In prætendendi* verbo potest notari gratia præveniens.

Nota tertio, pro *scientibus te*, Haimo legit, *sitientibus te*. Sed Hebr. Chald. Arab. Græca habent, *scientibus te*. Scientia speculativa et practica debet esse scientia cum sapore, amore, ardore, siti fruendi tanto bono ac fonte vitæ. Itaque Haimo non verba, sed rem attigit. Remig. *scientes* explicat, volentes scire. Apoll. vertit, misericordiam tuam Deus extende ποθοῦσι, desiderantibus. Duo ad Deum maxime nos ducunt, 1. scientia et cognitio Dei, ac mysteriorum fidei; 2. desiderium eo fruendi. De hoc vide Ps. 41. 13. ubi de cervo sitiente fontes dicitur. De scientia ait: Prius est scire Deum per fidem, deinde rectum habere cor: id est velle quod Deus vult. Scientibus se prætendit misericordiam suam Deus, quando credentibus in eum prius donat remissionem peccatorum. Deinde cum iam cor rectum habere ceperint, ut ea, quæ Deus vult, et ipsi velint: sic iustitiam Dei consequuntur, ut de peccatoribus iusti efficiantur.

119. Iustitia Dei est misericordia et gratia.

Nota quarto, pro *iustitiam* Symm. vertit ἐλεημοσύνην, id est misericordiam, benignitatem erga me miserum. Hebr. צדק *tsedek*, sæpe sumitur non tantum pro iustitia, sed etiam pro misericordia, ut ostendi alias. *Iustitiam* porro hic S. Hieron. intelligit mandata, quibus nempe exercetur iustitia; late scilicet sumpta, hoc est id quod æquum et iustum est, seu omnis virtus. Secundo, Ruffin. et Bruno *iustitiam* volunt esse gratiam iustificantem. Tertio, Arnob. *iustitiam* censet esse gratiam, quæ conservat iustitiam in eo, qui per misericordiam est correctus. Quarto denique, S. Thom. Cassiod. et Euseb. *iustitiam* sumunt pro meritorum retributione, quæ vocatur corona iustitiæ, 2. ad Timoth. 4. 8. Prius enim egit de præstantia visionis beatificæ, quæ est torrens voluptatis, et lux inæstimabilis; eam autem obtinere desiderans, petit misericordiam Dei et iustitiam; partim enim datur ex iustitia, quia datur meritis, et velut merces debita; partim ex misericordia, quia involvit primam gratiam et gratiam perseverantiæ, quæ non cadunt sub meritum: prima sub nullum, secunda sub congruum tantum.

120. Misericordia Dei est Christus.

Misericordiam vero Christum ipsum, cuius petatur adventus, intelligit Anastasius Sinaita lib. 1. de fidei dogmat. Ipse enim est propitiatio nostra. Sic Christus vocatur misericordia Ps. 84. 8. Secundo, per misericordiam sumit hic omnem gratiam S. August. lib. de spiritu et littera cap. 7. Neque, ait quia sciunt, sed etiam ut sciant eum prætendit misericordiam suam, qua iustificat impium. Hæc cogitatio non affert superbiam: quod vitium oritur, cum sibi quisque præfidit, seque sibi ad vivendum caput facit. Tertio, Ruff. explicat de remissione peccatorum. Quarto, S. Ambros. *misericordiam* vult hic esse vires ad exequendum cognita per fidem, et resistendum tentationibus. Quinto, S. Cyrill. et Lorin. explicant de gratia, quæ iustorum sit, si sint iidem scientes et recti corde. Quæ explicatio magis placet per iustitiam intelligendo eamdem gratiam, quæ conservat iustitiam. Hoc probant sequentia, in quibus dicitur: Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me.

121. Vers. 12. Pes superbiæ quomodo veniat nobis.

Duo enim sunt, per quæ perdi possit iustitia: Primo, intrinseca vitia, qualis est superbia, dux et regina omnium. Secundo, vis extrinseca, dæmones scilicet. De utroque dicitur, v. 12. NON VENIAT MIHI PES (id est pedes) SUPERBIÆ, ET MANUS PECCATORIS NON MOVEAT ME. Sensus est primo: *Non veniat mihi pes superbiæ*, q. d. Non assequatur me superbus, non veniat usque ad me, ne ad me propius accedat, ne me comprehendat, et in me involet: ita Campensis, Petavius, et alii. Secundo, *Non veniat mihi pes superbiæ*, q. d. Ne mihi propius adstans superbia per fraudem subiiciat et intorqueat pedem ut decidam. Hoc attigit Arias, qui vertit: *Ne invadat me pes superbiæ.* Tertio, *Non veniat mihi pes superbiæ*, q. d. Cum me assecutus fuerit superbus aut deiecerit, ne pede proterat et conculcet. Maguet. *Ne premat abiectum insultante superbia planta.* Per superbum autem intelligitur primo diabolus: ita Bellarmin. secundo, quilibet superbus homo. Hic sensus est maxime litteralis.

Secundo, Sensus esse potest: *Non veniat mihi pes superbiæ*, q. d. Ne sim superbus, ne ob gratiam, iustitiam, et rectitudinem mihi datam erigar in superbiam, sed illa omnia accepta uni Deo et eius misericordiæ feram, inde eius gloriam non meam quæram: alioqui manus peccatoris, id est diaboli me moveret, sicut Adamum movit. S. August. hic: *David dixit, sub umbraculo alarum eius sperabunt filii hominum, et inebriabuntur ab ubertate domus tuæ. Cum ceperit quisque isto fonte uberius irrigari, caveat ne superbiat. Non enim inerat Adæ primo homini, sed venit illi pes superbiæ, et movit illum manus peccatoris, id est manus diaboli superba.* Hildebertus Cenomanensis Episcop. epist. 26. Deo, inquit, suspecta superbia est: nec fieri potest, ut cum eo in gratiam revertatur. Diversum est utrique hospitium, nec in eodem cohabitant animo, quibus cohabitare non licuit in cælo. In cælo nimirum nata est superbia: sed velut immemor qua inde via ceciderit, illuc ultra redire non invenit nec novit. Ea de supernis corruens et parentans in terris, omnibus suis apud inferos æternam pepigit mansionem. Ipsa ex purissimis et simplicibus orta substantiis, puros adhuc animos inquietat: ausa victoriam sperare de homine, quæ de Angelo triumphavit. Fusius quoque de eo vitio et eius effectibus agit epist. 31. *Superbia*, inquit, *totum virtutis corpus inficitur, vitale columen emarcescit, formata quæque deformantur. Superbia natione cælestis sublimes appetit mentes: et velut ad proprios ortus revolans, in gloriam et puritatem irrumpit hominum, quia a gloria et puritate prorupit Angelorum. Ea prius in cælis, dehinc in terra triumphans, sic Angelis innata est, ut ab eis non recederet: sic homines infecit, ut a Deo separaret.* Postea vero ait, superbiam esse morum dilapidationem ac subdit: Sine humilitate per prudentiam eligere quod diligendum est, erronea discretio est: adversa per fortitudinem superare, iacens victoria: illecebris per intemperantiam resistere, temulenta sobrietas. Unde et his quartam scilicet rotam necesse est coniugari, quam velut omnium com-

plexione clausulaque virtutum, in præfatis capitulis iustitiam Augustinus nominavit. Ea cæteris colligata totum structuræ nostræ corpus consurgit in currum, tu in cælum. Currus iste non currus Pharaonis quem Dominus proiecit in mare: sed currus quo ascendens in montem Sion, montem magnum et excelsum montem, ad quem prosperum iter faciet tibi Deus salutarium nostrorum. Beatum sane vehiculum, quo perdita ovis ad gregem refertur: *Inventa drachma in thesaurum infertur, regina Austri ad Salomonem defertur, in amplexus David Bersabea transfertur. Vere, inquam, beatum et omni prædicandum laude, quo post laborem venies ad denarium, post ventilationem pervenies ad horreum, de exilio reverteris in patriam, de servitute converteris in libertatem. Hæc sunt illa quatuor flumina paradisi, quibus terra cordis tui sobrie inebriata, susceptum semen in spem messis emittit, et fructum affert in patientia. Hos quoque quatuor angulos illa beati Iob domus habuit, in qua ventus irruens septem convivantes filios oppressit:* ita Hildeb. ex Cenomanensi Episc. factus Archiep. Turonensis: unde ab aliquibus Cenomanensis vocatur, ab aliis Turonensis. Floruit tempore S. Anselmi Cantuar. Episcopi, et Urbani II. circa ann. Domini 1100. temporibus quoque Honorii II. qui sedere cœpit an. 1125. clarus est habitus. Ventum porro illum, qui concussit domum filiorum Iob, iure dixeris esse superbiam seu vanitatem, et vanam opinionem de suis et maiorum suorum meritis. Talis ventus concussit Pharisæi domum, id est conscientiam, Luc. 18. 22. Superbiæ in definitione seu descriptione deiectionem ponit S. Gregor. Nyss. lib. de vita Mosis: *Superbia*, inquit, *est descensus ad inferiora:* quod si vis verbi ut multis videtur, contrarium ostendat (superbus enim, qui super alios est, dici videtur) non admiraberis. Veritatem enim divinæ historiæ sequi malo, quam nominum impositionem: nam si qui se super alios præferre volunt, hiatu terræ demersi ad infima decidunt: non est contemnenda definitio, cum dicimus, casum ad infima superbiam esse: ita Greg. Humilitas vero est ad excelsa et divina elevatio: unde S. August. pie et ingeniose lib. unico de sancta Virgin. cap. 52. tom. 9. dicit: *Pergite viam sublimitatis, pede humilitatis. Ipse exaltat humiliter sequentes, quem descendere non piguit ad iacentes.* Titus Bostrorum Episc. in cap. 17. Lucæ, superbiam vocat malum periculosum, et Deo Opt. Max. admodum exosum. S. Hieron. tom. 2. in cap. 32. Ezech. Prophetæ, vocat illam pedem draconis, qui conturbat aquas Scripturarum per hæreticos, et conculcat eos, quos deiecit: ideoque Davidem hic orare, ut non veniat sibi pes superbiæ, ne scilicet conculcetur: sicut Ps. 55. 2. ait: *Miserere mei Domine quoniam conculcavit me homo;* inimicus scilicet homo, id est diabolus, de quo dicitur Ps. 9. 18. Ut non magnificetur homo super terram.

122. *Pes superbiæ tribuitur non oculus, os, etc. ob quinque rationes.* Quæres, cur pes tribuatur superbiæ potius quam oculus, vultus, os, cor, etc. Resp. primo, qui superbia instabilis est et vaga, nullo in loco consistens, semper ad altiora assurgens, et ad ima defluens. Secundo, pes datur superbiæ, quia præit omnia vitia, et eorum funestum et lethiferum agmen adducit. Eccl. 10. 15. *Initium omnis peccati est superbia.* S. Prosper lib. 3. de vita contempl.
1. cap. 3. et 4. *Nullum*, inquit, *peccatum fieri potest, po-*
2. *tuit, aut poterit sine superbia, si quidem nil aliud est omne*
3. *peccatum, nisi contemptus Dei.* Tertio, *pes* datur superbiæ: quia eius summa delectatio est, si omnibus eminens, eorum dorsum et colla pede conculcet. Symbolum eius esto Tamerlanes, pede calcans Baiazethi dorsum, aut Sapores Valeriani. Vel, Adonibesec rex Besec throno insidens ad mensam, sub qua septuaginta reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant ciborum reliquias, pedibus convivantium calcati. Adonibesec significat *Dominum fulguris:* quasi posset fulmen ac tonitru pro sua voluntate in hostes deiicere, vel ipsis tempestatibus imperare: vel potius, q. d. Dominum seu regem fulgurantem, instar fulminis omnia pervadentem, et fulguris modo ubique splendentem cum hostium trepidatio-
4. ne. Quarto, *pes* datur superbiæ, quia gaudet gressu pompatico. Amos 6. 1. loquens Ierosolymitanis et Samaritis, ait: *Væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ: optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel.* Hebr. pro *pompatice* est להם *lahem*, id est sibi ipsis, q. d. Qui instar pavonum incedentes, se suaque circumspectant, et aliis videnda ostentant gloriam inanem aucupantes. *Ut*, sicut ait S. Hieron. *tumorem animi corpus ostendat, et pomparum ferculis similes esse videantur.* Cicero lib. 1. offic. id fieri vetat: *Cavendum est*, ait, *ne tarditatibus utamur in gressu mollioribus, ut pomparum ferculis similes esse videamur.* Pedem hunc superbiæ recte exprimes, si fœminam depinxeris, quæ alto cothurno incedit. Petrus Davity tom. 3. p. 557. ait, quasdam Italas eo vanitatis venisse, ut ad corporis altam staturam fingendam, cum in publicum prodeunt, assumant erectiores crepidas altitudine unius crucis, tectas corio inaurato aut deargentato, aut alia materia exornatas, quibus velut grallis seu furculis eminent, simplarium adhuc socculum habentes, hanc additiliam longitudinem tegentes supparo seu laxiori tunica, et alicui innitentes in viis ne corruant: domum reversæ mediocres soccos sumunt. Quis personatam hanc vanitatem non rideat aut lugeat verius, et pro Deo se humiliet, ut veram altitudinem inveniat? Quinto denique, *pes* datur super- 5.
biæ, quia vilis et abiecta est. Tota pes est, sicut serpens, qui volens esse similis Altissimo, deiectus est in terram, et ventre toto repens totus pes est humi adhærens et sordescens.

Quæres secundo, cur datur tantum pes unus superbiæ? 123. *Pes unus tantum datur superbiæ, et cur?*
Respond. primo, cum dicitur, *non veniat mihi pes superbiæ*, perinde est, ac si diceretur: Non veniant mihi pedes superbiæ. Est hæc enallage numeri frequens Hebræis et aliis. Itaque duos superbiæ pedes assignat Ugo Cardin.
nempe divitiarum affluentiam, et sæcularem potentiam. 1.
Illis munitus superbus, in Deum ipsum pergit. Iob. 15. 26. ait Eliphaz Themanites: *Cucurrit adversus eum erecto collo, et pingui cervice armatus est.* Hebr. et in densitate altitudinis scutorum eius, q. d. Suam altitudinem et superbiam velut scutum quo se tueatur, Deo obtendit. Hoc patuit in Sennacherib eunte in Iudæam et Ierusalem, et per Rabsacen gloriante, quod vires Dei ipsius esset infracturus, ut diis aliarum gentium fecerat, 4. Regum 18.
Secundo, pes unus tantum datur superbo, quia in se so- 2.
lo et suis viribus confidit. Ut patuit in Nabuchodonosore, Pharaone, Antiocho, et aliis, qui ideo deiecti sunt. Tertio enim pes unus datur superbo, ut ostendatur facile ipsum cadere. Gulielmus Parisiensis Episc. de Rhetorica divina cap. 52. ait, hoc pede cum quis meritis suis confidit, nullum fragiliorem aut infirmiorem inveniri posse. De ea re dicetur mox.

Quæres tertio, quænam sit manus peccatoris? Peccator hic ad litteram est superbus. Non enim solum initium peccati est superbia, sed etiam consummatio. Manus autem superbi est eius potestas et crudelitas, os iactantia, caput arrogantia, cor inanis gloria, pedes contemptus Dei et hominum: omnia enim despicit et calcat. Vis illius potestatis a Septuag. declaratur, *χεὶρ ἁμαρτωλοῦ μὴ σαλεύσαι με*: manus peccatoris ne instar venti navem corripientis fluctuare me faciat. Apollinaris vehementem etiam agitationem indicat, cum vertit, *μεδονοίη*, id est, concutiat, agitet, et instar puerilis turbinis circumagat. Magn. reddit, dimoveatque gradu. Milites Dei sumus, in gradu et statione nostra manere debemus. Hebr. תנדני *tenideni*, id est, migrare et vagari faciat, de loco in locum fugere. Hæc enim significat נוד *nud*. 124. *Manus, os, caput et cor superbi.*

Tropol. *peccator* κατ᾽ἐξοχὴν est dæmon, movit tertiam partem stellarum de cælo per superbiam; Adamum de paradiso; Cainum dolentem se postponi fratri, eiecit in terram Naid, id est commotionis, nos quotidie per eamdem deiicere conatur in profundum vitiorum. Hoc advertit Hildebertus Cenomanensis epist 31. *Postquam*, ait, *fidelis anima de abysso vitiorum emergens salutare virtutum culmen ascendit, velut ex insidiis prosilit et occursat elatio, totum domus Domini ædificium concussura ad ruinam,* 125. *Tropol. Peccator antonom. est dæmon.*

quod surrexerat ad consummationem. Retiarii in morem iaculo suo nos implicare dæmon conatur, et involutos præcipitare atque iugulare; superbia rete eius est, ut B. Albertus deplorat serm. de S. Petro Apostolo: *Superbia,* inquit, *est rete diaboli, per quam tamen ipse primum cecidit, et licet per eam ceciderit, tamen adhuc per ipsam trahit in sublimi residentes.*

126. Manus diaboli, et eius digiti ex Ugone. Ugo Cardinalis ingeniose explicat qualis sit manus diaboli, et qui eius digiti. Sic enim ait in cap. 1. Thren. Manus diaboli quinque digitos habet. Primus est pollex, scilicet spes vitæ longioris: duo eius articuli sunt, sanitas et iuventus. Secundus est index, scilicet propositum emendationis vitæ: tres articuli huius sunt, peccare audacius, copiosius et liberius. Tertius est medius, scilicet pudor: cuius articuli tres sunt, erubescentia paupertatis, vilitatis, fatuitatis. Quartus est annularis vel medius, amor malus: cuius articuli sunt tres, amor carnalis parentum, amor scientiæ sæcularis, amor honoris, vel excellentiæ temporalis. Quintus est auricularis, hic est timor: cuius tres articuli sunt, timor in aggrediendo, in sustinendo, in perseverando.

127. Vers. 13. 1. Pars. Superbus cadit. Cum tantum sit pes unus superbo, et impellatur manu dæmonis fortissimi, duo sunt inde consequentia. Primo, ut suo pondere et motu cadat. Secundo, ut alieno impulsu adhuc periculosius præcipitetur. De utroque ait David vers. ult. IBI CECIDERUNT (Septuag. addiderunt πάντες, *omnes,* ita etiam habet Psalt. Rom. et Gall. S. Aug. et Arnob. Nemo sibi privilegium speret: omnis qui se exaltat, humiliabitur) QUI OPERANTUR INIQUITATEM (id est superbiam. Sicut enim sæpe superbia ponitur pro omni iniquitate: ita iniquitas sæpe ponitur pro superbia: genus scilicet pro specie præcipua, et quia in omni iniquitate est virtualis quidam contemptus Dei et legum eius) EXPULSI SUNT, NEC POTUERUNT STARE. Nota, pro *ibi* Symm. vertit ὅπου, id est *ubi,* q. d. ait Agellius: Ne patiaris Deus meus, ut pes superbiæ veniat super me et mei similes cultores tuos, et manus peccatoris de tua terra, et de tuis alis expellat, eo modo quo ceciderunt qui operantur iniquitatem, qui casu insanabili præcipitati atque deiecti, nunquam ultra surgere potuerunt. Secundo, q. d. Ne me patiaris dimoveri manu et potentia peccatoris: et eo labi, quo ceciderunt qui operantur iniquitatem: hoc est, in præcipitium et ruinam, et foveam perditionis. Sic namque vertit Symmachus, ὅπου πίπτουσιν οἱ ἐργαζόμενοι ἀδικίαν: ubi cadunt qui operantur iniquitatem. Nam operantes iniquitatem sæpe ex ea terra deturbati sunt, et ex alis et protectione ac domo Dei exciderunt, ut qui Deum protectorem contempsissent, atque idolis colendis animum adiecissent: quod in libro Iudicum sæpissime accidisse illi populo scriptum est. Tertio, operantes iniquitatem sunt, qui dolis et fraudibus cæteros opprimunt vel decipiunt, qualis ille iniustus erat, de quo initio psalmi dixit, *Verba oris eius iniquitas et dolus:* ita Agellius.

128. To ibi quatuor modis explicatur. Nota secundo, pro *ibi* Hebr. est שׁם id est. *sciam,* quod aliqui volunt sumi hic pro statim, sicut Iob 39. 30. ait Deus: *Ubicumque cadaver fuerit* (שׁם *sciam,* ibi, ut vertit Pagninus) *statim adest,* aquila scilicet. Sed *sciam* ibi redditur per *statim* potius ratione materiæ, quam ob vim

I. vocis, quæ tantum significat, ibi, illic, hic: huc, illuc, istuc. Unde Christus Luc. 17. 37. dixit: *Ubicumque fuerit corpus* (mortuum scilicet, hoc est cadaver) *illuc congregabuntur et aquilæ.*

II. Secundo, τὸ *ibi* S. Ambros. ad remotiora refert, nempe ad *scientibus te,* q. d. Ibi ceciderunt ubi mei cognitionem habuerunt et fidem. Quid est, ait, ibi ceciderunt? Utrum ubi est superbia, ubi est manus peccatorum? An ubi stabant, ubi erant plantati ibi ceciderunt? An in cœno, an in continenti, quasi iu ipso tempore, in ipso loco? Et videtur ambiguum. Sed alibi docemur, quid sit ibi, ubi dicitur Ps. 47. 7. *Ibi dolores ut parturientis.* Bonus dolor ei, cui partus est fidei, quo Christus in Ecclesia formatur et nascitur. Et alibi dicit Ps. 86. 4. *Memor ero Rahab et Babylonis scientium me.* Etenim alienigenæ et Tyrus et populus Æthiopum hi fuerunt ibi. Id est, ubi scientes me; ubi fundamenta in montibus sanctis, ibi et alienigenæ: quia et ipsi in me putaverunt esse credendum. Ibi ergo ceciderunt, ubi magis stare debuerunt: quia et in paradiso cecidit Adam, et Christus in ruinam venit, et in resurrectionem: ut ruina sit perfidorum, iustorum autem et fidelium resurrectio.

Tertio, et commodius, τὸ *ibi* ad proxime dicta refertur, III.
q. d. ait Vatablus, *ibi,* id est in ipso conatu collapsi sunt, qui perpetrare iniqua conabantur. In foveam ceciderunt, in quam me deiicere volebant; eo ipso impetu, quo contra me ferebantur, se præcipitarunt. Hoc accidit Achitopheli, Absaloni, Sebæ, et aliis, qui Davidem aggressi sunt, et misere perierunt.

Quarto denique, et aptissime, *ibi,* id est in sua super- 129. IV. Et optime.
bia, ceciderunt, qui operantur iniquitatem, tum contra me, tum præcipue contra Deum quem offendunt, me impetendo. Ubi adverte, proprium esse superbiæ corruere. Superbus cadit, ob quatuor rationes:
Primo, quia debilis et fragilis est. S. August. in Ps. 92. I. Quia debilis est.
Omnis fortitudo in humilitate, quia fragilis est omnis superbia. S. Petri Damiani lib. 6. epist. 9. ex fragili vitro eam esse conflatam dicit: *Humanam mentem superbia vitream reddit.* Itaque cum in alios fertur, seipsa frangit, et in deciduum pulverem resolvit.

Secundo, superbia cadit, quia caret oculis, et vertigine II. Cæcus.
laborat, atque iu altis præcipitiis ambulat. S. Ambr. in Ps. nostr. Non veniat, iuquit, mihi pes superbiæ: id est, non in Ps. 130. 1. superbiam incidam. Denique et alibi meminit sui dicens, *Neque ambulavi in magnis.* Hic oravit, ibi implevit. Non implesset, nisi orasset. Cavenda superbia, quæ etiam in prosperis supplantat. Denique gravius Adam in paradiso cecidit, quam si cecidisset in terra. De altissimis cadere, præcipitium est: in planis, lapsus vocatur. Ideo pes errat superbi, quia caput non tenet. Oculi enim sapientis in capite eius. Non mirum ergo si errat vestigium, ubi oculus non habetur. Præcedat oculus, ut pes sequatur. Quomodo enim in tenebris viator incederet? Cito pes offendit in nocte, si quasi quidam mundi oculus, viam luna non monstret. Et tu in nocte es sæculi, monstret tibi Ecclesia viam: ex alto te iustitiæ Sol illuminet, ut lapsum timere non possis.

Tertio, superbia cadit, quia pedibus dolet. Ugo Card. III. Pedibus dolet.
Habere pedem superbiæ, est habere pedem inflatum, quod periculosum est nobis peregrinis. Secundo, pes ille non est nobis naturalis, sed ascititius atque accidentalis, itaque non bene sustentat. Unde dicit, *non veniat mihi pes superbiæ.* Deus fecit hominem rectum, et stare est situs eius naturalis, sed illum deiecit superbia et distortum fecit. Tertio, pedes superbiæ non sunt æquales. Thomas Anglicus refert ex Aristot. lib. 4. hist. animalium, esse quoddam monstrum marinum, quod habet dextrum pedem parvum, et sinistrum magnum. Et propterea totum corpus, dum ambulat, illi innititur. Idem superbo contingit. Nam duo pedes, duæ sunt affectiones, seu duo amores: scilicet amor Dei, quo quis gloriam Dei quærit, et iste est dexter; et amor sui, quo quis gloriam suam quærit, et iste est sinister. Istum habet superbus magnum, quia superbia inflat eum, cui et totus innititur, et ideo monstruosus est totus, nec diu poterit stare. Deut. 32. 35. *Ego retribuam eis in tempore, ut labatur pes eorum:* ita ille. Contra vero humilitas stabilit humilem. S. Chrysost. homil. 20. in epist. ad Rom. Οὐδὲν ταπεινοφροσύνης δυνατώτερον, ἀλλὰ καὶ πέτρας ἰσχυρότερα, καὶ ἀδάμαντος στερροτέρα: *Nihil humilitate potentius, petra est fortior, et adamante solidior, et in maiore securitate nos collocat, quam queant vel turres, vel urbes, vel muri.* B. Umbertus eam vocat fundamentum vitæ spiritualis. Sic enim ait cap. 37. de utilitate humilitatis: *Humilitas,* inquit, *est fundamentum spirituale, ædificium ne cadat sustentans, et scala ad cælestia nos sublimans.* Guarricus Abbas radicem vocat serm. de parabola prodigi: *Humilitas,* ait, *omnium virtutum est maxima, cum tamen virtutem se esse nesciat: ipsa fere omnium radix, et seminarium, et fomes, et incentivum, et ipsa cumulus, et fastigium, custodia et disciplina.*

Quarto denique, superbus cadit, quia morbo gravi la- IV.

Laborat morbo caduco.
borat, nempe morbo caduco. Sic eam nuncupat Albertus serm. de conversione S. Pauli: *Humilitas*, inquit, *sanat caducum morbum: hoc est, superbiæ pestem.* Cum itaque superbia sit caducus morbus, nec opinantes evertit in lutum, spumas agit, mugitus edit, oculisque contortis et vultu corrugato deformatoque cunctis horrorem facit, et superbum ex alto deiicit. Gullielmus Alvernus seu Parisiensis tract. de moribus, cap. 10. *Superbus toto præcipitio fertur in profundum.*

130. Superbi lapsus est periculosus, ob quatuor rationes.
Ex his efficitur, ut periculosus sit lapsus superbi. Primo, quia frequens est, et generalis in omnibus actionibus. Hugo a S. Vict. lib. 3. de anima, cap. 24. *Superbia*, inquit, *sicut est origo omnium criminum, ita est ruina omnium virtutum.* Secundo, superbi lapsus periculosus est, quia ex alto cadit: nempe ex potentia, divitiis, scientia,
1. gloria, ipsisque virtutibus. S. Augustinus: *Humilitas,*
2. inquit, *homines sanctis Angelis similes facit, et superbia ex Angelis dæmones facit.* Hinc Halifragius Episcopus Cameracensis, qui vixit tempore Ludovici Pii, et floruit circa ann. 830. dicit lib. de pœnitent. cap. 2. *Superba voluntas facit Dei præcepta contemni, et ex Angelis dæmones facit.* Smaragdus Abbas in cap. 4. regulæ S. Benedicti: Superbia, inquit, ex Angelis dæmones facit, et rebelles diabolo subdit; humilitas humiles Christo coniungit.
3. Tertio, superbi lapsus est molestus, quia se ridendum exhibet omnibus quos deiicere volebat se præcipitans. S. Petrus Damiani epist. 16. cap. 26. Superbia semper sibi, non aliis facit ruinam. Hinc consequens est, quod ait S. Laur. Iustinianus Patriarcha Venetus de vita solitaria, cap. 7. *Superbiæ*, ait, *detentus vento, ignominiæ*
4. *collidetur in scopulos.* Quarto denique, superbi lapsus est exitialis quia ex uno lapsu semper in graviorem cadit, donec labatur usque ad contemptum formalem Dei. S. Ioan. Climac. grad. 22. *Superbia*, inquit, *est Dei abnegatio, inventio dæmonum, aspernatio hominum, condemnationis mater, sterilitatis augmentum, laudum progenies, divini adiutorii expulsio, stuporis præcursor, lapsuum ministra, casus materia, iracundiæ fons, simulationis ianua, firmamentum dæmonum, delictorum custos, duritiæ et crudelitatis artifex, compassionis et misericordiæ ignoratio, amarus exactor, immitis iudex, Dei adversatrix.*

Si superbi propria temeritate et stultitia atque infirmitate concidunt e summis rupibus: quid illis accidet, si alieno impetu inde præcipitentur? Hoc dicit David, vers.
Vers. 13. 2. Pars. eod. 13. EXPULSI (Vatabl. *impulsi.* Petav. *retro conversi.* Hic lapsus Iudæ et Iudæorum est periculosus. Arabs, elongati, q. d. longe proiecti. Campensis, deiecti et prostrati) SUNT, NEC POTUERUNT STARE. Pro *stare*, Hebr. est קום *kum*, id est, 1. surgere; ita S. Hier. Felix, Pagnin. Camp. 2. stare; ita Sept. Noster, Vatabl. et alii.

131. Superbus in ruinam impulsus concidit.
Duo itaque mala superbi hic indicantur. Primo, quod impulsus non stet, sed cadat. Secundo, quod cum ceciderit, non resurgat.

De primo, S. Zeno Veronensis Episcopus qui sub Gallieno passus est, et floruit circa anno 260. ait serm. 1. in Ps. 130. *Animæ depressio, cor elatum est: cor cohibitum, promotio est animæ.* Abdias Propheta inducit Deum, qui Idumæos superbos reprehendit, quod in rupibus habitantes putarent se esse invincibiles, eamque ob rem se eos deiecturum per Chaldæos minatur, vers. 3. Sic autem ait: *Superbia cordis tui extulit te* (Chald. decepit te. Hebr. *nasa*, cum puncto in dextro cornu scin, significat decipere: in cornu sinistro sin, efferre, extollere. Superbia extollendo decipit: promittit enim stabilitatem, affert ruinam) *habitantem in scissuris* (Pagnin. in munitionibus. Superbiæ munitiones et arces sunt scissuræ et fractiones. Tigurina, in cavernis. Superbia tenebrosa est) *petrarum exaltantem solium tuum* (sic fecit Lucifer, similis esse volens Altissimo. Septuag. habitaculum tuum.) *Qui dicis in corde tuo?* Superbia foras prodire non audet, nisi humilitate velata: *Quis detrahet me in terram? Si exaltatus fueris ut aquila* (Syr. ut aquilæ) *et si inter sydera posueris nidum tuum* (est hyperbole) *inde detraham te, dicit*

A *Dominus.* Sophar Naamathites unus ex amicis Iob, hoc prius generatim de impiis, id est superbis, dixerat Iob. 20. 6. *Si ascenderit usque ad cælum superbia eius, et caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur: et qui eum viderant, dicent: Ubi est?* Vide dicta Ps. 36. 35. de Nabuchodonosoris sive Balthasaris lapsu miserando: lege Isaiam cap. 14. Exempla varia coacervat Innocentius lib. de vilitate condition. humanæ: *Superbia*, inquit, *turrim evertit, linguas confudit, prostravit Goliath, suspendit Aman, interfecit Nicanorem, peremit Antiochum, Pharaonem submersit, et Sennacherib interfecit.*

Contra vero, humilitas a lapsu impedit, est tecti peribolus et corona, de qua præcipitur Deuter. 22. 8. *Cum ædificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum* (erant enim tecta domorum plana in Palæstina) *ne effundatur sanguis in domo tua, et sis reus labente alio, et in præceps ruente.* S. Nilus Constantinopolitanus monachus, S. Chrysost. discipulus, qui floruit circa ann. 445. hoc ad mores sic transfert oratione de superbia: *Corona* 132. Humilitas a lapsu impedit.
B *domus*, ait, *est humilitas, et ascendentem servat incolumem. Cum ad virtutum fastigium perveneris, tum magna tibi opus est custodia. Qui enim ex humili loco cadit, celeriter surgit: qui autem ex alto decidit, mortis adit periculum.* Helmoldus Canonicus Butsoniensis, qui vixit circa ann. 1180. Lapsum gravissimum Luciferi superbi e cælo cadentis sic deplorat in Chronico Henetorum sive Slavorum lib. 3. cap. 9. *Væ tibi superbia, quæ in cælis quidem nata, sed cum genitore tuo diabolo ad inferiora barathri es demersa: et quanto fuit terra altior gradus, tanto factus est inferior casus.* A terra usque ad cælum empyreum sunt plusquam centum milliones leucarum, si Mathematicis creditur: inde uno pene momento ad ima tartari cecidit superbia, nunquam in æternum surrectura.

De secundo, nempe quod superbus deiectus non resurgat, etiam Psalmus noster intelligi potest. Ratio autem est primo, quia difficulter agnoscit superbus se cecidisse. Secundo, cum id in se agnoscit, non vult lapsum suum fateri, sed illum mille excusationibus obvelat. Tertio, licet fateatur lapsum, vult in eo permanere, et cor suum obdurat, sicut Pharao. Quarto denique etiam, cum vult non potest surgere: quia et debilis est, et opem Dei non vult implorare. 133. Superbus deiectus non resurgit, ob quatuor rationes.
C Similis itaque est superbus ebrio in lutum deiecto, qui præ virium imbecillitate ac mentis stupore, ac ob tenacis limi lubricam declivitatem, fugaci fluidoque fertur ac refertur vestigio: et modo se in manus, modo in genua, modo in pedes subrigit: sed illico in cœnum revolutus, totusque tabo illitus, risum spectantibus vel infantulis præbet, et tamen eripere se volentes, luto appetit atque maledictis. Ebrio in lutum lapso confertur.
Vel superbus est similis cæco, qui a via sua aberrans, in præcipitium lapsus est: is enim nec scit ubi sit amissa via, neque e suo præcipitio potest surgere, cum habeat membra confracta, et locus sit præruptus. Et cæco in præcipitium delapso.
Hugo a S. Victore lib. 1. de anima: *Superbia*, inquit, *in cælo nata est, sed velut immemor qua via inde venerit, illuc postea redire non potuit.* Unde S. Ambr. in Ps. nostr. orat: *Non sim superbus, ut peccem: non peccem, ne mo-*
D *vear: non movear, ne cadam: non cadam, ne expellar sicut Adam de paradiso expulsus est, quia in ipso primum princeps superbiæ stare non potuit. Nescit stare superbia: et si ceciderit, non novit resurgere.* Vide dicta Ps. 19. 8. *Hi in curribus* etc. Ipsi obligati sunt, et ceciderunt.

Contra vero, humilitas nos in cælum elevat. S. Augustinus lib. 16. de Civit. cap. 4. *Tutam*, inquit, *veramque in cælum viam molitur humilitas, sursum levans cor ad Dominum, non contra Dominum.* Secundo, S. Ephrem de recta vivendi ratione illi dat alas. Sic enim loquitur: *Humilitatem dilige, et nunquam diaboli laqueis capieris. Velocissimis enim humilitatis alis semper sublevatus sublimior eris, quam ut inimici retibus capi possis.* Tertio, dat illi currum Petrus Blesensis serm. 30. in festo S. Augustini: *Humilitas*, ait, *est primogenita filia summi Regis, sal et condimentum reliquarum virtutum, dulce vehiculum compeditis, qui iniecerunt pedes suos in compedes sapientiæ.* Quarto, currui humilitatis addit alas S. Chrysost. ut cum 134. Humilitas in cælum elevat.

suavitate et delectatione iungatur velocitas. Sic autem ait hom. 40. in epist. 1. ad Corinth. *Sedebis in curru humilitatis, qui te in cælum sustollit, qui equos habet alatos: sin autem ab illo cecideris, et in arrogantiæ currum transieris, nihilo melius afficieris, quam serpentes humi repentes: imo vero miserius, et miserabilius.* Itaque superbiam fugiamus, ne corruamus: humilitatem sectemur ut in æternum coram Deo et agno stemus. Nam Christus suprema veritas dixit Matth. 23. 12. *Qui* (Syr. expressius, *quicumque;* nemo excipitur) *se exaltaverit, humiliabitur: et qui se humiliaverit, exaltabitur.* S. Petrus Damiani epist. 15. aut 36. militis eam sententiam irridentis miseram mortem refert: tu cave, ne factis illam irridens puniaris.

PSALMUS TRIGESIMUS SEXTUS.

Psalmus ipsi David.

1. Noli æmulari in malignantibus: neque zelaveris facientes iniquitatem.
2. Quoniam tamquam fœnum velociter arescent: et quemadmodum olera herbarum cito decident.
3. Spera in Domino, et fac bonitatem: et inhabita terram, et pasceris in divitiis eius.
4. Delectare in Domino: et dabit tibi petitiones cordis tui.
5. Revela Domino viam tuam, et spera in eo: et ipse faciet.
6. Et educet quasi lumen iustitiam tuam, et iudicium tuum tamquam meridiem: subditus esto Domino, et ora eum.
7. Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua: in homine faciente iniustitias.
8. Desine ab ira, et derelinque furorem: noli æmulari, ut maligneris.
9. Quoniam qui malignantur, exterminabuntur: sustinentes autem Dominum, ipsi hæreditabunt terram.
10. Et adhuc pusillum, et non erit peccator: et quæres locum eius, et non invenies.
11. Mansueti autem hæreditabunt terram: et delectabuntur in multitudine pacis.
12. Observabit peccator iustum: et stridebit super eum dentibus suis.
13. Dominus autem irridebit eum: quoniam prospicit quod veniet dies eius.
14. Gladium evaginaverunt peccatores: intenderunt arcum suum.
Ut decipiant pauperem et inopem: ut trucident rectos corde.
15. Gladius eorum intret in corda ipsorum: et arcus eorum confringatur.
16. Melius est modicum iusto: super divitias peccatorum multas.
17. Quoniam brachia peccatorum conterentur: confirmat autem iustos Dominus.
18. Novit Dominus dies immaculatorum: et hæreditas eorum in æternum erit.
19. Non confundentur in tempore malo, et in diebus famis saturabuntur: quia peccatores peribunt.
20. Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint et exaltati: deficientes quemadmodum fumus deficient.
21. Mutuabitur peccator, et non solvet: iustus autem miseretur et tribuet.
22. Quia benedicentes hæreditabunt terram: maledicentes autem ei disperibunt.
23. Apud Dominum gressus hominis dirigentur, et viam eius volet.
24. Cum ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam.
25. Iunior fui, etenim senui: et non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.
26. Tota die miseretur et commodat: et semen illius in benedictione erit.
27. Declina a malo, et fac bonum: et inhabita in sæculum sæculi.
28. Quia Dominus amat iudicium: et non derelinquet Sanctos suos: in æternum conservabuntur.
Iniusti punientur: et semen ipsorum peribit.
29. Iusti autem hæreditabunt terram: et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam.
30. Os iusti meditabitur sapientiam, et lingua eius loquetur iudicium.
31. Lex Dei eius in corde ipsius: et non supplantabuntur gressus eius.
32. Considerat peccator iustum: et quærit mortificare eum.
33. Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius: nec damnabit eum, cum iudicabitur illi.
34. Expecta Dominum, et custodi viam eius: et exaltabit te, ut hæreditate capias terram: cum perierint peccatores videbis.
35. Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani.
36. Et transivi, et ecce non erat: quæsivi eum, et non est inventus locus eius.
37. Custodi innocentiam, et vide æquitatem, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.
38. Iniusti autem disperibunt: simul reliquiæ impiorum interibunt.
39. Salus autem iustorum a Domino: et protector eorum in tempore tribulationis.
40. Et adiuvabit eos Dominus, et liberabit eos: et eruet eos a peccatoribus, et salvabit eos, quia speraverunt in eo.

PSALMI TRIGESIMI SEXTI ANALYSIS.

David fluctuantem virum iustum, et ob felicitatem impiorum indignabundum, ad moderationem animi vocat: quod iniusti possideant,

- Bona natura sua fluxa, 2. quæ
  - Illis invitis
    - Velut fœnum citissime arescant. 2.
    - Velut olus citissime decidant. 2.
  - Dum iusti
    - In vita purgativa
      - Sperant in Deo. 3.
      - Virtutis actiones exercere incipiunt. 3.
      - Suavitate divina inescantur. 3.
    - In illuminativa
      - Delectationem victis passionibus sentiunt. 4.
      - Petita a Deo impetrant. 4.
    - In unitiva
      - In oratione omnia sua Deo revelant. 5.
      - Spes omnes suas ex amore in eum coniiciunt. 5.
      - Illum adiutorem sentiunt. 5.
      - Lumine virtutum effulgent. 6.
      - Humilitate se Deo subiiciunt. 7.
      - Precum fervore illi uniuntur. 7.
- A Deo per vim auferenda. 8. 9.
  - Impiis
    - Exterminandis. 8. 9. cum
      - Iusti opem Dei expectant. 9.
      - Et terram securi possident. 9.
    - Citissime disparentibus. 10. cum
      - Iusti in terra quiescant. 11.
      - Et in pace delectentur. 11.
    - Miseria summa cruciatis.
      - Invidiæ qua iustis insidiantur. 12.
      - Iræ, qua in eos frendent dentibus. 12.
      - Tristitiæ, cum a Deo se irrisos sentiunt. 13.
      - Crudelitatis, qua in omnes sæviunt. 14. 15.
      - Infidelitatis, qua singulos decipiunt. 14. 15.
      - Infelicitatis, qua ipsis suis artibus pereunt. 15.
  - Iustis
    - Divitias cum suavitate et fructu possidentibus. 16.
    - Corpore sano, a Deo conservatis. 17.
    - Vita longa fruentibus. 18.
    - Bona filiis suis ac posteritati relinquentibus. 18.
    - Famis tempore, saturatis. 19. cum
      - Peccatores pereant. 20.
      - Et honoribus excidant. 20.
    - Pecunias etiam mutuo commodantibus. 21.
    - Benedictionem in omni re percipientibus. 22.
- Nullo modo cum bonis iustorum conferenda, qui
  - Deum vident,
    - In via dum ambulant, eos dirigentem. 23.
    - Si in ea cadant elevantem. 24.
    - Si fameant, cibos illis cum copia dantem. 25. 26.
    - Filios illis socios felicitatis adiungentem. 26.
    - Virtutis in actionibus eos iuvantem. 27.
      - Cum sit iustus. 28.
      - Iniustos puniat. 28.
      - Iustos coronet. 29.
  - Seipsos animant,
    - Ad Deum ore laudandum. 30.
    - Corde amandum. 31.
    - Hostes vitandos, Dei auxilio. 32. 33.
    - Hæreditatem promissam expectandam. 34.
  - Impios mirantur,
    - Pereuntes. 34.
    - Ab honore deiectos, dum ipsi abundant. 35. 36. 37.
    - Penitus excisos. 38. dum
      - Deus ipsos servat. 39.
      - Protegit. 39.
      - Adiuvat. 40.
      - Eruit a peccatoribus. 40.
      - Salvat in se sperantes. 40.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

PSALMUS IPSI DAVID.

1. Psalmum hunc scripsit David senex. HEBRÆI recentiores Psalmum hunc volunt esse Propheticum, quia prædicit mortem Saulis: sed decipiuntur; nam Psalmum hunc scripsit David senex, ut patet vers. 25. *Iunior fui, etenim senui.* Interfectus autem est Saul in monte Gelboe, victus a Philisthæis anno ætatis Davidis 30. regnavit deinde David in Hebron 7. annis, et in Ierusalem 33. id est in universum 40. annis. Itaque cum David senex psalmum hunc cecinit, memoria pene omnis de Saule exciderat.

Moralis igitur est hic Psalmus, et quidem excellens, ut

A

plurimi notant. Primo quidem Origenes hom. 1. ex quinque quas fecit in hunc psalmum: *Totus,* inquit, *moralis est, et velut cura quædam ac medicina, humanæ animæ datus cum peccata nostra arguit, et docet nos secundum legem vivere.* Secundo, temperat poculum saluberrimum: ita Remig. continet pharmacum saluberrimum ad curandos animos pusillorum, qui facile scandalizantur, cum vident in hoc mundo impios scandalizari: ita Bellarmin. Tertio, Asterius ait, hic esse magnas exhortationes. Quarto, Ruffin. poni hic saluberrimam doctrinam. Quin- 2. Elogia septem huius Psalmi.

tn, Cassiod. esse doctrinæ genus efficacissimum: et quidem S. Fulgentius Episc. Ruspensis propositum vitæ religiosæ versans animo, nec evulgans ad opus aggrediendum, hoc psalmo est incitatus. Sic enim habet auctor vitæ eius, quæ extat apud Surium tom. 1. die I. Ianuarii, scripsit eam ad Felicianum Episcop. Fulgentii successorem: *Beati*, ait, *Augustini exponentis* 36. *Psalmum disputatione compunctus, publicare statuit suum votum, mutare gestiens habitum.* Sexto, Lombardus psalmum hunc vocat Christi vestem, et aliorum potionem: *Est*, ait, *psalmus iste, quasi vestis Christi, et potio corporis eius. Vestis scilicet, quæ totum corpus eius operiat præceptis, et protegat contra adversa, et quasi sinu consilii foveat. Potio contra infirmos, qui murmurant de flore malorum, et labore bonorum, quasi omnia casu agantur, quorum errorem curat psalmus velut salubre antidotum, docens omnia, et hæc inferiora divina providentia gubernari, et non casu agi.* Septimo, intendit abstrahere nos ab amore terrenorum, et allicere ad amorem æternorum: ita Thom. Angl. personam Iusti glorificat; iniusti notat: mores instruit, bonitatem Dei docet, pravitatem evellit: ita S. Hieron. ædificari fidem ait Beda: muneri nos vult Theodoretus, ut simus mansueti, et in iram ob adversa non efferamur; ait enim eum esse psalmum factum a Davide, quia experientia doctus erat, quod ἀγαθων προξενος η πραοτης, bonorum conciliatrix est mansuetudo.

3\. Conjunctio huius psalmi cum præcedente.

Quæres quænam est coniunctio huius psalmi cum præcedente? Iure, ait Eusebius, psalmus hic præcedentem sequitur: quia in illo iniquum se ad peccata excitantem, et vitam eius, et eversionem finemque descripsit: consequenter hoc psalmo mores iniustorum fugere conatur, et ait, similes eorum actiones non esse æmulandas. S. Ambros. enim præcedente Psalmo, et cum 33. cui eum præfert, hunc psalm. sic confert: *Etsi*, ait, *ille* (33) *prædulcis et lucidus est, iste tamen dulcior: quoniam ille me docuit cohibere linguam a malo: iste desinere ab ira, indignationem relinquere. Ille præcepit sine dolo loqui, iste instituit esse mansuetum, qui præmia mansuetudinis demonstravit. Quæ maiora fomenta sunt cordis humani, quam mansuetudo atque simplicitas: quibus et dolor omnis acceptæ levatur iniuriæ, et labes criminis excluditur? Ad hæc igitur manum medicamenta mittamus, ut vulnera nostra curemus: ne si velimus dicere, quod alios curare possimus, dicatur nobis: Medice cura teipsum.* Ac paulo infra: Pulchre, ait, sanctus David in superiore psalmo iniusti vitam describit, hic iusti. Ibi iniustus exponitur, hic iustus instituitur. Ille sibi delinquit, hic tollit etiam aliena peccata: Titelm. dicit psalmum hunc esse vehementer consolatorium iustis, et impiis terribilem. Didymus in ultima verba psalmi: *Adiuvabit eos*, etc. notat num. 36. esse perfectionis symbolum: quia est numerus quadratus et triquetrus: *Psalmus hic*, ait, *in eo numero positus est, qui iis quæ in eo continentur, maxime convenit. Est enim* 36. *Nam numerus is et triquetrus est et quadratus. Latere enim octonario constat. Nam si ab unitate ad octonarium numeres, colliges triginta sex. Est enim octonarius numerus resurrectionis dies. Idem numerus tetragonus est, qui senarium pro latere habet: senarius autem perfectus est, qui in se versus prædictam summam confecit:* nempe 1. 2. 3. simul collecta. Vide plura apud Bongum lib. de myster. numerorum.

De numero trigesimo sexto.

4\. Qua occasione scriptus est hic psalmus.

Quæres secundo, qua occasione psalmum hunc David scripsit? Respond. Multi videntes Saulem Regem, Doeg armigerum eius, Absalonem, Sebam, aliosque Davidis hostes iniqua agentes prosperari temporaliter: et Davidem innocentem, parentes eius, fratres, ac multos alios iustos, tunc et postea temporaliter affligi, declinabant ad malum, et recedebant a bono: quasi Deus res humanas non curaret, nec iis provideret: ideo David hic ostendit, etiam in hac vita iustos esse melioris et felicioris conditionis quam sceleratos: ita Lyranus, Theodoret. Valentia, Aiguan. et alii. Ubi nota cum Caietano, quod status veteris testamenti erat adeo imperfectus, ut trahendi essent Iudæi ad cultum Dei et bonos mores promissionibus bonorum temporalium, et retrahendi a malis operibus metu pœnarum temporalium: et propterea in fine Deuteronomii multis capitulis ponuntur hic promissiones et comminationes. Unde sequitur, quod tunc temporis *regulariter et per se*, temporalia bona erant iustorum, et similiter temporalia mala iniquorum, Deo sic statuente. Et propterea tunc iustitia erat *velut causa per se productiva bonorum temporalium*, meritorie tamen: et simpliciter iniquitas erat per se causa malorum temporalium. Ita quod sicut vere dicimus in naturalibus, quod oliva olivam, bos bovem, et homo hominem generat (quamvis per accidens aliter quandoque eveniat) ita verum erat tunc dicere, quod iusti prosperarentur in temporalibus, et iniusti deprimerentur et exterminarentur: ita Caietan.

5\. Psalmus hic est alphabetarius.

Nota primo, hic psalmus est ex alphabetariis, numero inter eos tertius. Primus illius rationis est psalmus 24. secundus vero 33. Rationem affert Bellarm. quia non est in hoc psalmo continuata oratio, sed collectio quædam sententiarum, quasi aphorismorum: et ideo ut facilius memoria custodiretur, per alphabetum digestus est. Secundo nota, hic esse veluti duplicem alphabetum: ita ut primus quasi aphorismus, continens duos versiculos, incipiat a prima littera: secundus a secunda, et sic de aliis.

Alphabetum est imperfectum, et cur?

Tertio nota, alphabetum est hoc loco imperfectum: quia deest una littera, quod tropolog. sic explicat Ugo Card. Scribitur, inquit, per imperfectum alphabetum, 1. quia instruit parvulos, ne invideant, vel indignentur prosperitati malorum, quia ut dicitur Iob. 5. 2. parvulum occidit invidia; 2. ne illam prosperitatem malorum appetant. Proverb. 1. 22. *Usquequo parvuli diligitis infantiam, et stulti ea, quæ sibi sunt noxia, cupient*; ita Ugo. Quarto, nota, quod littera quæ deest, est עין *ain*, quæ significat *oculum*, 1. quia cæcus est, qui aliis invidens, Dei providentiam circa res humanas negat; 2. quod expediat potius oculo carere, quam invidere, hoc est nimis videre, curiosius introspicere felicitatem alienam. Cicero 1. Tuscul. ab invidendo, inquit, invidentia recte dici potest, ut effugiamus verbum ambiguum invidiæ: quod verbum dictum est a nimis intuendo fortunam alterius. Quinto nota, quod loco *ain* ponitur צ *tsade*, quod significat iustitiam, ait Bredembachius, *quasi*, inquit, *voluerit Propheta significare, omnium eorum, quæ toto Psalmo canuntur, fontem esse et originem iustitiam Dei: cuius divinis oculis cum pateant omnia nuda et exposita, non patietur iustis neque in hac, neque in futura vita, sua deesse præmia, neque iniustos effugere pœnam.* Concedo Bredembachio, *ain* significare oculum et fontem: sed *tsade* non significat iustitiam, sed venabulum, cui est forma persimile. Pro fonte igitur Deus est impiis hasta, telum, furca eos conspectos perfodiens. Potuisset dicere Bredembachius, in eo versu, in quo debebat poni *ain*, esse, *Iusti hæreditabunt terram, et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam.* Iustitia est illis fons omnis prosperitatis, et fons nunquam deficiens.

Littera ain deest.

Cæcus est qui providentiam non videt.

Loco ain ponitur tsade

DIVISIO TOTIUS PSALMI

6. Duo hic Psalmus inculcat. Primo, perversos licet honore divitiisque felices videantur et stabiles, brevi tamen perituros, vers. 1. ad 23. Secundo, Deum peculiari providentia, iustos eorumque bona conservare, vers. 23. usque ad finem.

SECTIO PRIMA.

Duo complectitur. Primo, docet non esse invidendum nefariorum felicitati, neque eorum imitanda scelera, ut divitiis et honore floreamus, vers. 1. Secundo, perpetua pene antithesi ostendit, brevem futuram sceleslorum prosperitatem, et multis permistam malis: piorum vero securam atque diuturnam, vers. 2. et seqq.

PARAPHRASIS.

1. *Noli æmulari in malignantibus: neque zelaveris facientes iniquitatem.*

1. Tu qui cœptum iter virtutis magno animo decurris, cave ne visa impiorum felicitate ad imitationem eorum provoceris: aut indignatione movearis ad invidiam in perversos tua opinione beatos: aut ad blasphemiam in Deum, velut iniustum, et res humanas non curantem.

2. *Quoniam tamquam fœnum velociter arescent: et quemadmodum olera herbarum cito decident.*

2. Sicut enim illucescente aurora sparsi per pratum flores intermicant, oculosque amœna varietate pascunt: ardente autem sole marcescunt, ut succisi iumentis vilo pabulum præbeant: ita sceleratorum florea felicitas, aut tribulationum æstu torrida, aut falce mortis demessa, dæmonum ludus fit et locus. Sicut herbæ septis hortorum clausæ cito emortuæ flaccescunt: ita impiorum honores et divitiæ, sedulo licet asservatæ, odorem suum viroremque perdunt, et prorsus occidunt.

3. *Spera in Domino, et fac bonitatem: et inhabita terram, et pasceris in divitiis eius.*

3. Tu itaque provide diligenter, ne fluxis illis caducisque bonis oculos animumque pascas: sed in uno Deo, orbis universi Domino, spem tuam repositam habeas: tum ubivis gentium diversare, affluentibus undequaque mentis corporisque, et externarum opum subsidiis ditaberis. Quod si ubertas terrena nonnunquam in speciem desit, cælestibus gaudiis inopia tua contentus circumfluес.

4. *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.*

4. Gaudeant impii, sibique in abiectis creaturis placeant: tu vero excelsiorem animum gere, ad Deum evola, in eo delicias tibi reconditas ama, illisque fruere: tum votorum te tuorum compotem efficiet, nihilque ambies quod illi acceptum non videris.

5. *Revela Domino viam tuam, et spera in eo: et ipse faciet.*

5. Mentis tuæ arcana, et consilia, operaque omnia Deo in oratione detege, spemque tuam in eo defige: tum etiam occlusas, multisque intertextas difficultatibus vias aperiet, atque ipse potenti sua virtute felicem cœptis tuis exitum dabit.

6. *Et educet quasi lumen iustitiam tuam, et iudicium tuum tamquam meridiem: subditus esto Domino, et ora eum.*

6. Et virtutem tuam, nubeculis calamitatum, scelestorumque calumniis obscuratam, in apertum educet: eiusque radios, micantis instar solis, orbi proponet. Causæ tuæ æquitatem omnibus planam faciet, ipsaque meridiana luce clariorem. Tibi vero hæc una incumbit cura, Deo ut te tuaque rerum omnium Domino subiicias, et, si quas calamitates immiserit, eas tu a potenti eius manu nihil immurmurans suscipias: sed in oratione prostratus, paternam eius benignitatem et providentiam implores et expectes.

7. *Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua, in homine faciente iniustitias.*

7. Ne te prosperi impiorum successus commoveant, aut ad imitationem scelerum provocent, cum in proximo adfuturum tibi divinum auxilium videas.

8. *Desine ab ira, et derelinque furorem: noli æmulari ut maligneris.*

8. Quid frustra ob nefariorum felicitatem irasceris, et indignatione succensus furere videris: placato sis animo. Ne tibi vanus fulgor ita perstringat oculos, ut excæcatus salebrosas, multisque implexas anfractibus, perditorum vias secteris, eorumque actiones imiteris.

9. *Quoniam qui malignantur, exterminabuntur: sustinentes autem Dominum ipsi hæreditabunt terram.*

9. Nam qui in Deum, ex malitia præsertim, peccaverint, ex hac terra opinione sua citius exscindentur. Qui vero cum patientia Deum, eiusque opem expectaverint, ipsi acceptas a parentibus possessiones, atque ut plurimum magnis auctibus amplificatas, pacati possidebunt, suosque in posteros longa serie transfundent. Si vero secus acciderit, saltem cælestis æternæque terræ legitimi hæredes cum Deo conquiescent.

10 *Et adhuc pusillum, et non erit peccator: et quæres locum eius, et non invenies.*

10. Morulam igitur temporis præstolare, flos hic felicitatis deciduus putrescet: morte succisus impius ex hominum oculis et mentibus cito evanescet. Adeoque vel minima illius fibra extirpabitur, ut si vel sobolem, vel divitias, vel honorem ac fastum quæsieris, nihil residui invenire possis.

11. *Mansueti autem hæreditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis.*

11. Qui vero constantem patientemque animum ad calamitates sibi a Deo immissas attulerint, æquoque animo perversorum felicitatem, velut a Deo datam, aspexerint, ipsi hæreditario ac perpetuo iure, eorumque nepotes, terram possidebunt: multaque pace, summo cum gaudio, subactis hostibus perfruentur.

12. *Observabit peccator iustum: et stridebit super eum dentibus suis.*

12. Impii actiones iustorum respicient, intentique excubabunt illis ut noceant: et dentibus infrendentes, spumasque ore agentes minas intentabunt, ac virus acerbitatis suæ in eos evoment.

13. *Dominus autem irridebit eum: quoniam prospicit quod veniet dies eius.*

13. Deus vero caninam hanc rabiem irridebit, ac pro nihilo ducet: cum intortum missile iam in eorum caput decuti et proruere videat, brevique post tempore illos perituros.

14. *Gladium evaginaverunt peccatores: intenderunt arcum suum. Ut deiiciant pauperem et inopem, ut trucident rectos corde.*

14. Stricto gladio cervicibus iustorum imminent, iamiam lethali plaga illos percussuri: iam contento arcu in eos collimant, eisque perniciem extremam moliuntur: suas ut in pedicas, illos omni humano auxilio destitutos inducant, retibusque suis implicitos venabulo transverberent.

15. *Gladius eorum intret in corda ipsorum, et arcus eorum confringatur.*

15. Sed gladio suo ipsi peribunt: ac potentia, quam in pios paraverant, in eorum perniciem retorquebitur: arcusque iamiam funestum telum excussurus diffringetur.

16. *Melius est modicum iusto, super divitias peccatorum multas.*

16. Melius est, iucundius atque securius iustis, tenui fortuna contentos cum virtute vivere: quam multis abundare divitiis, ut assolent perversi, plurimis sceleribus eas et corradentes, conservantes et augentes.

17. *Quoniam brachia peccatorum conterentur: confirmat autem iustos Dominus.*

17. Etenim peccatorum robur, quo ipsos solo affligere moliuntur, conteretur: Deus vero iustos conservat atque corroborat.

18. *Novit Dominus dies immaculatorum: et hæreditas eorum in æternum erit.*

18. Omnia vitæ eorum momenta in scientia prædestinationis suæ descripta habet atque numerata: nihil est quod vel unum diem possit illis eripere: et hæreditas illorum in æternum summa cum felicitate perdurabit.

19. *Non confundentur in tempore malo, et in diebus famis saturabuntur: quia peccatores peribunt.*

19. Cum calamitas inciderit, non rubore suffundentur, quasi spe sua deciderint: cæterisque fame pereuntibus, necessaria vitæ subsidia, etiam cum ubertate a Deo obtinebunt: soli enim nefarii peribunt, et terrena felicitate privati, et ab æterna exclusi.

20. *Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint, et exaltati: deficientes quemadmodum fumus deficient.*

20. Dei hostes ad honores et dignitates evecti, ubi ad optatum apicem pertigerint, fumi instar ventis hac illac per auras disiecti et dissipati evanescent.

21. *Mutuabitur peccator, et non solvet: iustus autem miseretur et tribuet.*

21. Scelerati licet divitiis initio abundent, tam multa tamen in sumptus inutiles expendent, ut mutua pecunia precariam vitam trahere cogantur, nec sint æri alieno dissolvendo pares. Iustus vero, tanta prudentia et moderatione modicissimas licet opes dispensabit, ut licet plurima in pauperes eroget, habeat tamen, quam fœnori det, pecuniam.

22. *Quia benedicentes ei hæreditabunt terram: maledicentes autem ei disperibunt.*

22. Quisquis enim in Dei laudes os suum animumque impenderit, liberalem eius manum sentiet, terramque pacatus possidebit. Qui autem ore sacrilego fuerit illi iniurius, vindicem dexteram experietur, penitusque interibit.

QUÆSTIO UNICA

Felicitati impiorum non est invidendum, cum sit brevi peritura.

7. Ordo Sectionis. Cum sceleratorum prosperitas nonnunquam piorum mentem indignatione commoveat, ostendit Propheta noster quam fluxa sit et caduca.

Ac primo, cavendum monet, ne paris felicitatis spe illecti, ad scelera proruamus, v. 1. *Noli æmulari in malignantibus;* aut si parem obtinere nos posse desperemus, ne ad indignationem et iram incitemur: *Neque zelaveris facientes iniquitatem.*

Felicitatis iustorum et impiorum parallela. Secundo, marcescentem hanc et evanidam esse felicitatem ostendit, cum natura sua sponte defluat atque flaccescat: sive in agris possessiones accumulent, velut fœnum pratorum excidunt, v. 2. *Quoniam tamquam fœnum velociter arescent.* Sive in urbibus ac domibus summa cura thesauros congerant, velut vile hortorum olus pereunt: *Et quemadmodum olera herbarum cito decident.*

Iustus vero divina, sancta, immortalia bona possidebit, tum in vita purgativa, tum in illuminativa, tum in unitiva.

Primo, in vita purgativa, sperando in Dei misericordia, vers. 3. *Spera in Domino;* 2. vitia deserendo, et inchoando virtutis exercitia: *Et fac bonitatem.* Fructus erit, a fame prodigi cum porcis transitus ad ciborum paternorum ubertatem: *Et inhabita terram, et pasceris in divitiis eius.*

Secundo, in vita illuminativa, complacendo sibi in virtutum exercitio, iam per habitum delectabili, v. 4. *Delectare in Domino,* tum in actione, tum in oratione actionem illuminante, recreante et confortante. Fructus erit, petitorum certa consecutio: *Et dabit tibi petitiones cordis tui.*

Tertio denique, in vita unitiva, detegendo ipsi arcana cordis omnia, velut amico, vers. 5. *Revela Domino viam tuam;* 2. in eo uno, non in terrenis rebus spem suam et amorem ponendo: *Et spera in eo.* Fructus erit quod Deus Primo, ad optatum exitum perducet ea, quæ iustus ita dispositus aggredietur: *Et ipse faciet.* Secundo, lumine

A tum interno, tum externo, spectabilem eum efficiet, v. 6. *Et educet quasi lumen iustitiam tuam, et iudicium tuum tamquam meridiem.* Quamdiu iustus se coram Deo in oratione et contemplatione humiliabit: *Subditus esto Domino, et ora eum.*

Tertio, probat David, miseros esse impios, quod non modo felicitas eorum sponte excidat, sed quod etiam ante tempus, quod natura illi concederet, a Deo evertatur. Itaque inculcat non esse invidendum ipsis, v. 7. *Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua, in homine faciente iniustitias.* Secundo, non esse indignandum Deo, quod eos extollat aut ditet, v. 8. *Desine ab ira, et derelinque furorem.* Tertio, non esse sectanda vitia ad eamdem felicitatem obtinendam: *Noli æmulari ut maligneris.*

Rationem, cur non sit æmulatio illa habenda, affert Primo, quia impii funditus exscindentur, v. 9. *Quoniam qui malignantur, exterminabuntur.* Iusti vero diu perstabunt felices, possessiones a parentibus suis accipientes, et ad posteros transmittentes: *Sustinentes autem Dominum, ipsi hæreditabunt terram.*

B Secundo, tempus illud excidio impiorum destinatum cito veniet, vers. 10. *Et adhuc pusillum, et non erit peccator.*

Tertio, modus excidii terribilis est, ac summam Dei iram denotat; nihil enim integrum et intactum illis relinquetur. Ibid. *Et quæres locum eius, et non invenies.* Contra vero, iusti manebunt quieti in suis possessionibus, v. 11. *Mansueti autem hæreditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis.*

Quarto, miseri sunt impii, quod illud ipsum tempus, quo felices se putant et nominant, sit miserrimum. Primo, ob curas, sollicitudines, et labores, quos assumunt ut piis insidientur, v. 12. *Observabit peccator iustum.* Secundo, ob invidiam et iram, quibus exæstuat, et in rabiem agitur: *Et stridebit super eum dentibus suis.* Tertio, ob metum Dei vindicis, quem scit non passurum impunita tot scelera, v. 13. *Dominus autem irridebit eum: quoniam prospicit quod veniet dies eius.* Quarto, ob crudelitatem, qua in omnes partim aperte, partim occulte sævire gestiunt, et sæpe effectu optato frustrati contabescunt, in scelus semper intenti, et anxia cura distorti, v. 14. *Gla-*

*

dium evaginaverunt peccatores, intenderunt arcum suum. Quiato, ob fraudes, quas cum mentis angore et cruciatu versant, v. eod. 14. *Ut decipiant pauperem et inopem, ut trucident rectos corde.* Sexto, ob tristitiam cor eorum penetrantem, tum a malitia eorum ortam, tum a certitudine pœnæ futuræ, v. 15. *Gladius eorum intret in corda ipsorum, et arcus eorum confringatur.*

Quarto, infelicitas sceleratorum etiam crescit, quod videant iustorum felicitatem esse solidam et universalem, omnique tempore perdurantem. Primo enim vel in ipsa tenuitate contenti sunt sibi a Deo datis, v. 16. *Melius est modicum iusto, super divitias peccatorum multas.* Secundo, corpus iustorum a Deo sanum et robustum conservatur, dum molliculos et vitiis caervatos morbi absumunt, v. 17. *Quoniam brachia peccatorum conterentur: confirmat autem iustos Dominus.* Tertio, vitam piis longam Deus largitur, et eos semper tota vita a periculis et incommodis tuetur, v. 18. *Novit Dominus dies immaculatorum.* Quarto, bona iustorum Deus filiis ipsorum atque nepotibus et posteris reservat: *Et hæreditas eorum in æternum erit.* Quinto, in fame totius populi, atque in bellicis tumultibus Deus iustos tuetur, v. 19. *Non confundentur in tempore malo, et in diebus famis saturabuntur.* Sexto denique, iustorum hostes perdet, ut ipsi soli terræ bonis et pace quieta perfruantur: *Quia peccatores peribunt.*

Quinto denique, miseri sunt impii: quia ipsa eorum exaltatio est causa ruinæ ipsorum. Primo, quia similes sunt fumo, qui quo altius tollitur, eo citius dissipatur, v. 20. *Inimici vero Domini, mox ut honorificati fuerint et exaltati: deficientes quemadmodum fumus deficient.* Secundo, quia eorum exaltatio et dignitas in causa sunt, cur iagentes sumptus faciant, quibus solvendis pares non sint, v. 21. *Mutuabitur peccator, et non solvet.* Contra vero, iusti modico victu et vestitu contenti, etiam pauperibus erogant: *Iustus autem miseretur et tribuet.* Ratio subtexitur, quod benedicentibus sibi, benedicat Deus: maledicentibus autem sibi, maledicat, v. 22. *Quia benedicentes ei hæreditabunt terram: maledicentes autem ei disperibunt.*

ARTICULUS I.

Nec invidendum, nec indignandum est felicitati peccantium.

8. Vers. 1. Æmulatio quid? PRIMUM medicamentum iustitiæ, ait S. Ambrosius, tradi a Davide, cum ait, v. 1. NOLI ÆMULARI (S. Ambrosius, subæmulari) IN MALIGNANTIBUS: NEQUE ZELAVERIS (S. Ambros. æmulatus fueris) FACIENTES INIQUITATEM. Nota, æmulatio alia est bona, alia mala. Primo enim de bona dicit Aristoteles lib. 2. Rhetor. cap. 96. *Æmulatio et bona est, et bonorum virorum:* invidia et mala est et malorum. Est autem æmulatio molestia quædam suscepta ex eo, quod in iis, qui natura similes sunt, honorata inesse bona videntur, quæ et ipsi consequi possunt; non quod alii, sed quod et ipsi non potiuntur. Ad æmulationem propensi sunt, qui se bonis dignos censent, quæ non habent: ideo, 1. iuvenes et magnanimi tales sunt; 2. et quibus talia bona suppetunt, quæ honoratis viris digna sunt, ut divitiæ; 3. et ii, quos alii dignos censeat; 4. et quorum maiores, aut cognati, aut propinqui, aut natio, aut civitas honore excellunt: quia ea sibi propria esse, et dignos se arbitrantur: ita Aristoteles, qui ait, æmulabilia esse, quæ aliis utilitatem afferunt, et virtutes, et quæ beneficium afferre possunt, et bona quibus frui proximi possunt. M. Anton. Natta lib. 5. de pulchro, dicit æmulationem esse calcar ad capessenda ardua et difficillima. Hinc Galatas (id est Gallos, qui in Græciam commigrarant, unde dicti sunt Gallo-Græci) commonet Paulus cap. 4. 18. *Bonum autem,* (id est, bonam rem; 2. bonum virum) *æmulamini in bono* (in re bona, vel in bono viro) *semper.* In Græco nunc est, καλὸν τὸ ζηλοῦσθαι ἐν καλῷ πάντοτε bonum est æmulari in bono semper: sic etiam habet Syrus et S. August. non bona tantum, sed optima sub æmulatione cadunt. Hinc S. Paulus dicit Corinthiis 1. epist. A 12. 31. *Æmulamini charismata meliora,* id est, ut ait Anselmus, apostolatum, prophetiam, sapientiam, scientiam, non vero donum linguarum.

Secundo, quod aliqua æmulatio sit mala, patet Rom. 9.
10. 2. dicit de Iudæis: *Æmulationem Dei habent, sed non* Æmulatio aliqua est mala.
secundum scientiam, q. d. Zelo ardent pro lege Mosaica defendenda, et Dei zelum esse credunt, sed toto cælo aberrant. Et de seipso dicit Gal. 1. 14. *Proficiebam in Iudaismo supra coætaneos meos, abundantius æmulator* (id est, ardentior zelator) *existens paternarum mearum traditionum.* Illa æmulatio est magni animi index, et facile ad bonum inflecti potest. S. Augustin. 22. contra Faustum cap. 70. *Animæ,* inquit, *virtutis capaces, ac fertiles, præmittunt sæpe vitia, quibus hoc ipsum indicent, cui virtuti sint potissimum accommodatæ, si fuerint præceptis excultæ. Sic ille animi motus, quo Moses peregrinum fratrem a cive improbo iniuriam perpetientem inultum esse non pertulit, non servato ordine potestatis, vitiosa quidem, sed* B *magnæ fertilitatis signa fundebat. Sic cum Saulum Ecclesiam persequentem Deus de cælo vocavit, prostravit, erexit, implicuit, tamquam percussit, amputavit, inseruit, fœcundavit: illa namque Pauli sævitia cum secundum æmulationem paternarum traditionum persequebatur Ecclesiam, putans officium Deo se facere, tamquam sylvestre erat vitium, sed magnæ fertilitatis indicium.*

Nota secundo, *æmulatio* sumitur, 1. pro invidia; 2. pro 10.
indignatione; 3. pro amore et ardore; 4. pro imitatione. Æmulationis variæ significationes.
S. Bonaventura in Psalm. nost. Primo ait, est æmulatio amoris. Unde Apostolus ait Corinthiis 2. epist. 11. 2. *Æmulor vos Dei æmulatione.* Secundo, est æmulatio livoris: unde dicitur in prologo S. Hieron. quod multos æmulos habuit. Tertio, est æmulatio indignationis, unde hoc: *Noli æmulari in malignantibus.* Quarto denique, est æmulatio imitationis, seu indignationis; unde exponitur de utroque: Noli æmulari in eo qui prosperatur: ita Bonaventura.

Nota tertio, pro *noli æmulari,* Hebr. est אל תתחר *al C titchar,* id est proprie, *ne irascaris,* ne excandescas; 2. ne ardeas zelo, seu æmulatione. Nam *chara,* unde ira deducitur, significat irasci, ira inflammari. Hinc Petavius vertit: Ne tu scelerate agenti nimium irascere homini. Ignis igni adiunctus magnum excitat incendium. Impii sunt maligni seu malignantes, q. d. Male igniti: quam allusionem non video, cur Lorinus ineptam vocet. Ruffinus: *Malignantes dicti sunt,* inquit, *quasi malum ignem alentes, id est, concupiscentiam.* Ugo Cardin. Noli æmulari in malignantibus; id est, ait, de malignantibus, id est maligne ardentibus, videlicet igne avaritiæ, de quo Mich. 6. 10. *Adhuc ignis in domo impii.* Et Ps. 57. 9. *Supercecidit ignis, et non viderunt solem.* Magnum ignem æmulationis prævidebat S. Ambros. epist. 25. ad Eccl. Vercel. ubi legit: *Noli æmulari inter malignantes malignitatem.*

Nota quarto, *zelus* idem est cum æmulatione, 2. Cor. 11.
11. 2. *Æmulor vos Dei æmulatione.* Græce ζηλῶ zelor, ze- Zelus et æmulatio sunt synonima.
lotypus sum erga vos zelo Dei, d. q. ait Cornelius, non patior æmulos pseudoapostolos, qui vos quasi virginem D mecum ambiunt. Notat S. Chrysostomus, *æmulationem,* id est zelum, *Dei* dici, q. d. Non ambio mihi hanc sponsam, sed Christo et Deo; non meæ gloriæ, commodis, lucris, sed Christi, omnia hæc adorno. Christus enim sponsus est, ego tantum sponsæ ductor et paranymphus. Vides clare zelum et æmulationem, sed magnam, pro eodem sumi: in zelo enim est semper ardor. Ut enim docet S. Thomas 1. 2. q. 28. art. 4. *Zelus ex intensione amoris provenit.* Et proprie zelus est amor intensus, non patiens consortium in re amata. Nam quanto aliqua virtus intensius tendit in aliquid, fortius repellit omne contrarium, vel repugnans. Cum igitur amor sit motus quidam in amatum, ut ait S. Augustinus lib. 83. quæst. q. 35. et 36. tom. 4. intensus amor quærit excludere omne id, quod sibi repugnat. S. Thomas autem ait, hoc aliter contingere in amore concupiscentiæ, et aliter in amore amicitiæ. Nam in amore concupiscentiæ qui intense aliquid concupiscit, movetur contra omne illud quod repugnat consecutioni

vel fruitioni quietæ eius quod amatur: et hoc modo dicuntur viri zelare uxores, ne per consortium aliorum impediatur singularitas, quam in uxore quærunt: similiter etiam qui quærunt excellentiam, moventur contra eos, qui excellere videntur, quasi impedientes excellentiam eorum, et iste est zelus invidiæ, de quo dicitur in Ps. 36. *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem.* Amor autem amicitiæ quærit bonum amici: unde quando est intensus, facit hominem moveri contra illud, quod repugnat bono amici, et secundum hoc aliquis dicitur zelare pro amico, quando, si qua dicuntur, vel fiunt contra bonum amici, homo repellere studet. Et per hunc etiam modum aliquis dicitur zelare pro Deo, quando ea, quæ sunt contra honorem vel voluntatem Dei, repellere secundum posse conatur; secundum illud 3. Regum 19. *Zelatus sum pro Domino exercituum;* et Ioan. 2. super illud: *Zelus domus tuæ comedit me*, dicit Glossa, quod bono zelo comeditur, qui quælibet prava, quæ viderit, corrigere satagit; si nequit, tolerat et gemit: ita S. Thom. Hæc Glossa sumpta est ex S. August. in Evangel. Ioan. tract. 10. inter medium et finem tom. 9. Ex his et ex supradictis vides, quomodo zelus sit æmulatio vehemens sive pro amato, sive pro re amata. Hinc S. Hieron. in cap. 1. Isaiæ, textum nostrum sic invertit: *Ne zelaveris in malignantibus, neque æmuleris facientes iniquitatem.*

12. Zelus et parazelus ex S. Ambr. Nota quinto, Græce pro *ne æmuleris*, habetur μὴ παραζήλου, id est, ne excita ad zelotypiam. Pro *neque zelaveris*, μὴ ζήλου, quod S. Ambr. expendens, zelum a parazelo distinguit; hunc in malam partem, illum in bonam partem sumendo: *Quid est*, inquit, *in æmulationem excitare? Exemplo si possumus, aperiamus. Intemperantes mulieres quædam sunt, quæ aliorum coniugum corda sollicitant: quos cum consuetudini suæ probroque subdiderint, non contentæ erroris sui habere secretum, student coram iugalibus eorum suum iactare flagitium, ut eas in zelum sui excitent et inflamment, triumphum quemdam de dolore probarum mentium et commotione captantes. Quæ æmulatione fœminea thori proprii contumeliam non ferentes, solvunt complaciti vincla coniugii, aut quotidiana rixa decertant. Fitque ex æmulatione discordia, ex dissensione dissidium, quo domus tota turbetur. Exemplo igitur protervæ mulieris cognosce qui legis, partes esse nequissimæ detestabilisque versutiæ, improba æmulatione alterius animum commovere: aliudque esse zelum, aliud parazelum. Hæc est enim prava æmulatio, quæ bonorum subintrat affectum: qua etiam Iudæus erravit, qui a vero et bono Evangelicæ disciplinæ devius legis æmulatione deflexit; sicut de se Apostolus ait, quod secundum æmulationem legis persequebatur Ecclesiam Christi:* ita Ambrosius.

13. Sensus primus huius loci. Sensus itaque primus erit: *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem*, q. d. Ne malos ad æmulationem concites. Hoc sumpsisse videtur S. Ambrosius ab Origene, qui æmulari inter malignos exponit, ducem præire, et quasi formulam præbere cæteris flagitii; altero membro significari eos, qui imitentur. Præterea dicit, *æmulari* esse irritare atque provocare: caveri autem hic, ne qui videns hominem nequam concitet zelum ipsius contra se, faciendo incaute aliquid, unde nequitia concitetur. Sed hic sensus non placet, quia David monet iustum virum, ut non æmuletur neque zelet visa impiorum prosperitate.

II. Melior. Secundo igitur, et melius, sensus est: *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem*, q. d. Ne invideas peccatori divitias suas, potentiam, gloriam, sanitatem, amicos, aliaque: hæc enim cito defluent, cum fœnum sint, ut dicetur versu sequenti. Sic dicitur Eccl. 9. 16. *Non zeles gloriam et opes peccatoris: non enim scis quæ futura sit illius subversio.* S. Bernard. epist. 42. ad Henricum Senonensem Archiepiscopum, æmulationem hanc vocat pestiferam. Philo lib. de Ioseph, κακὸν ἀργαλεώτατον, gravissimum malum. S. Cyprianus de zelo et livore: *Late*, inquit, *patet zeli multiplex et fœcunda pernicies: radix est omnium malorum, et fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum. Inde odium surgit, animositas inde procedit. Avaritiam zelus inflammat, dum quis non potest suo esse contentus, videns alterum ditiorem. Ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus altiorem, zelo excusante sensus nostros, ac in ditionem suam mentis arcana redigente, Dei timor spernitur, magisterium Christi negligitur, iudicii dies non providetur.* Vides zelum pro invidia usurpari. Hæc invidia, ut ait Philo lib. de Ioseph. αἱ μεγάλαις εὐπραγίαις ἀντίπαλος, magnarum felicitatum adversaria est perpetua. S. Ambrosius lib. 1. de Abraham: Prosperitatem, ait, cito sequitur invidia. S. Gregor. Nyssenus in vita Mosis explicat, quantorum malorum causa sit invidia. Verba illius sunt: *Invidia malorum princeps, mortis mater, prima peccati ianua, vitiorum radix, doloris initium, calamitatis parens, inobedientiæ causa, ignominiæ principium, mortifer stimulus, mucro reconditus, naturæ morbus, bilis venenosa, tabes sponte adhibita, telum amarum, figens animam clavus, flamma cordis, intestinorum ignis.* Ex his facile colliges verum esse quod dicit S. Cyprianus loco mox citato: *Nihil magis Christiano cavendum, nihil cautius providendum, quam ne quis invidia et livore capiatur: ne quis dum zelo in fratris odia convertitur, gladio suo nescius perimatur.* Syrus in Ps. nostr. vertit.

Tertio, sensus etiam bonus est: *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem*, q. d. Ne 14.
irascaris et indigneris contra malignos et sceleratos, quod III. Etiam bonus. In felicitate temporali quatuor sunt spectanda.
in maiori sint prosperitate quam tu. Hinc Theodotio reddit, μὴ παρετίζου, *ne irriteris*. Arias, ne succenseas in malignos. S. Hieron. noli contendere cum malignis. Aquila μὴ διαμάχου, noli concertare. Symmachus, μὴ φιλονείκει, ne rixeris, ne studiose contendas. Ugo Cardinalis in Psalm. nostr. ostendit quatuor in temporali prosperitate, quibus consideratis non debemus æmulari, id est, indignari aut invidere illis, qui florent in hoc mundo; sed magis
compati illis. Primum est, quia temporalia dantur eis in 1.
deceptionem. Ps. 72. 18. *Verumtamen propter dolos posuisti eis, deiecisti eos dum allevarentur.* Sapient. 14. 11. *Creaturæ Dei in odium factæ sunt, et in tentationem ani-*
mæ hominum. Secundum, quia dantur eis in laqueum et 2.
vinculum, quibus trahantur ad patibulum. Unde Ierem. 27. 2. *Fac tibi vincula et catenas, et pones ea in collo tuo, et mittes ea ad regem Edom, et ad regem Moab, et ad regem filiorum Ammon, et ad regem Tyri*, etc. Reges enim et principes, et magni homines his vinculis colligantur, et
multi ad patibulum inferni suspensi sunt. Tertium, quia 3.
dantur eis in iugum et onus. Unde Deuter. 17. 17. præcepit Dominus de rege: *Non habebit auri et argenti im-*
mensa pondera. Quartum est, quia nullum fructum ha- 4.
bent ex iis. Unde Ierem. 48. 9. *Date florem Moab, quia florens egredietur*, q. d. Non habebit ibi nisi tantum florem. Unde Seneca: Apud alios, ait, est fructus divitiarum, divitibus autem nomen cedit et sollicitudo: ita Ugo. Adde qui gemmas et thesauros habet, non indignatur, nec invidet obolum habenti, aut puellulo pomum putridum tenenti et exultanti. Iusti conversatio gaudium et thesauri sunt in cælo, regnum eorum non est de hoc mundo; qui cælum tenet, lutum non curat. S. August. homil. 23. in Ioannem: *Ille*, inquit, *male vivit, et felix est: iste iuste vivit, et laborat. Non indignetur iuste vivens et laborans. Intus habet quod ille non habet. Ille felix habet aurum in arca, iste Deum in conscientia. Comparemus Deum et aurum, arcam et conscientiam: ille illud habet quod perit: et ibi habet, unde perit. Iste Deum habet, qui perire non potest: et ibi habet, unde auferri non potest.* In illud S. Iacobi cap. 1. 2. *Omne gaudium existimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis;* Glossa Bedæ habet: Ne indignemini, si mali in mundo florent, et vos patimini; quia non est Christianæ dignitatis temporalibus exaltari, sed potius deprimi. Mali nihil habent in cælo, vos nihil in mundo: sed spe illius boni, ad quod tenditis, quidquid in via contingat, gaudere debetis: ita ibi S. Chrysostomus hom. 8. in epist. 2. ad Timoth. dicit fore, ut nihil nos ad æmulationem et zelum moveat, si consideremus scelera-

tos aliquos hic pœnas non dare, ne resurrectioni plerique non credant; Deus enim non punit bis in idipsum.

Quarto: *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem*, id est ne ames et concupiscas gloriam, potentiam, delicias atque divitias peccatoris, neque ardenti atque anxio studio et cura enitaris hæc illis eripere, aut æqualia vel maiora consequi per fas et nefas. Arabs vertit, ne beatifices malos, et ne conforteris in operantibus iniquitatem. Prov. 24. 19. ait Salomon: *Ne contendas cum pessimis* (Hebr. cum malignis) *nec æmuleris impios. Quoniam non habent futurorum spem mali: et lucerna impiorum extinguetur.* Septuag. λαμπτήρ, hoc est, lampas, fax: id est, gloria et prosperitas. Extinctionem illam fuse habes Iob 18. 5.

15. Quinto denique: *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem*, id est, noli imitari malignos et sceleratos, ut tibi bona caduca et cito peritura compares. Campensis clare vertit, noli imitari malos. Chaldæus, ne æmuleris in malignos, ut fias illis similis. S. Ambros. noli malignari inter malignantes. Ita legit epistol. 25. ad Vercellensem Ecclesiam. Hortatur autem nos in Ps. nostr. v. 2. ad fugiendam impiorum imitationem, his verbis: *Noli esse imitator iniquitatis et fraudis, sed esto Apostolicæ doctrinæ, Propheticæ gratiæ, Sanctorumque virtutis imitator, ut fructum feras, et messem bonitatis recondas, sicut Ioseph, qui multitudine frumenti famem diuturnæ sterilitatis exclusit. Ut Habacuc, qui prandium messoribus deferendo, elevatus ab Angelo aerii tramitis iter carpsit, et redditus terris inter sævos leonum strepitus pio Prophetæ dulce convivium ministravit.* Ab imitatione peccatorum, et desiderio atque amore felicitatis ipsorum deterrere te potest S. Laurentius Iustinianus lib. de spirituali animæ refectione: *Nihil sane*, ait, *infelicius felicitate peccantium, quibus tamquam desperatis ægrolis, quamquam contrarium et morbo incongruum nil negatur, quod libeat.* Deinde horrificam prorsus omnibus divitibus et felicibus huius sæculi sententiam subtexit: *Nullum tam evidens perpetuæ damnationis indicium est, quam continuis transitoriæ prosperitatis gaudere successibus, per quos homo in hac miseriarum valle finem suum instituit, nolens veluti peregrinus et advena: sed in hoc mundo cupiens conversari ut civis.* Itaque concine cum Magnetio:

Si ridet fortuna malis, si purus iniquis
Sol micat, et largi densantur munera cæli:
Æmula ne rodat mœstum indignatio pectus,
Et dubiam vano mentem livore fatiget.

ARTICULUS II.

Fœnea, et cito marcescens est felicitas sceleratorum.

16. Vers. 2. Cum David monuerit, non esse æmulandam et zelandam prosperitatem impiorum, rationem statim attexit: quod videlicet fœni instar cito marcescat et decidat, v. 2. QUONIAM TAMQUAM FOENUM VELOCITER ARESCENT, ET QUEMADMODUM OLERA HERBARUM CITO DECIDENT. Fœnum proprie est herba in pabulum resecta: id nomen habet a fœnore, quod sine cura, labore, aratione fœnus det suo domino: vel certe a fœtu sic vocatur, quod herbæ eædem manentes quotannis novas pariant. In Psalmo nostro sumitur pro gramine viridi, quod demessum et exsiccatum, fit fœnum. Et quidem Hebr. est חציר *chatsir*, id est herba, ut S. Hieron. Pagnin. Chald. Arias, Arabs, et alii vertunt; 2. fœnum, ut Campens. Felix, Noster, et alii. Sic etiam vertitur Psal. 128. 6. et locis aliis. Syrus vertit: Quoniam sicut festucæ confestim arescunt. Græcum χόρτος, pro fœno usurpatur a Xenophonte; 2. pro herba seu gramine adhuc virenti, a S. Matthæo cap. 13. et Marco 4.

Olera herbarum. Nota secundo, *olera herbarum*, id est, olera herbida seu herbescentia, hoc est, quæ in herbam creverunt, quæ sunt viridia. Est hebraismus frequens. Duo enim substantiva ponuntur pro substantivo et adiectivo. Sic panes propositionis dicuntur panes propositi seu positi ante Deum, hoc est, prope Sanctum sanctorum, ubi erat propitiatorium, in quo Deus preces audiebat, et reddebat oracula. S. Hieron. vertit: *Sicut olus viride marcescent.* Campens. Sicut viride gramen marcescunt. Vatabl. Veluti virens herba marcescent. S. Augustin. Sicut olera prati cito cadent. Felix, Sicut herbarum germina decident. Chald. Tamquam viriditas herbæ defluent.

Nota tertio, fœnum et olera pro eodem sumuntur: ita Lombard. Sed nos fœnum et olera commodius distinguemus: nam olus proprie est herba sativa, quæ in usu cibario est, ab alendo; quia ante repertas fruges oleribus homines alebantur. Fœnum autem sponte nascitur. Hinc primo per *fœnum* intellige felicitatem sponte sua alicui provenientem, aut a nativitate, ut Sapori regi Persarum coronato cum adhuc esset in utero matris; et tot principibus, qui ampla regna virtute maiorum parta obtinent iure hæreditario, ut Ludovicus Pius succedens Carolo Magno: Constantius, Constans, et Constantinus filii Constantini Magni: aut provenientem speciali Dei benignitate, ut illi Timotheo duci, in cuius dormientis rete urbes sponte sua veniebant. Per *olera* vero sumi potest felicitas, quæ studio et labore comparatur, ut Alexandri Magni, Syllæ, qui dictus est Felix, Caii Iulii Cæsaris, qui se in magna pericula coniecerunt, e quibus erepti ad summas dignitates pervenerunt. 17. Fœnum et olera quid symbolice? I.

Secundo, per *fœnum* intellige celsitudinem potestatis: per *olera herbarum*, decorem gaudii: ita S. Thomas. II.

Tertio, *fœnum* sunt nobiles et magnates: *olera*, tenuiores fortunæ homines: ita Cassiod. et Haymo. III.

Quarto, *fœnum* sunt bestiales et carnales homines: hoc enim est cibus iumentorum et pecorum: *olera*, sunt homines peccatis spiritualibus obnoxii. IV.

Quæres, quænam est similitudo felicitatis humanæ cum fœno? Respond. primo, quia fœnum sponte nascitur, ita quidam sunt, et dicuntur fortunati, quibus prope omnia prospera succedunt in ludo, bello, et aliis: unde in procelloso mari trementem nautam animavit Iulius Cæsar: *Fortunam*, ait, *Cæsaris vehis.* Plutarchus tract. de Fortuna Romanorum refert, Servium Tullium ipsorum regem dictitare solitum, sibi consuetudinem intercedere cum fortuna, quam per fenestram quamdam in suum cubiculum ad se delabi frequenter prædicabat: in Capitolio fortunam primigeniam, et obsequentem dedicavit. 18. Felicitas humana est fœno similis ob decem rationes. I.

Secundo, fœnum vilis et contemptibilis herba est, parvique pretii. Nihil est abiectius bonis terrenis Isa. 40. 6. *Omnis caro fœnum, et omnis gloria eius, ut flos fœni.* Ierem. 16. 19. ait: *Vere mendacium possederunt patres nostri; vanitatem, quæ eis non profuit.* II.

Tertio, fœnum in superficie tantum est terræ, radices altas ibi non agit: itaque a transeuntibus vel loco et contemptim extrahitur, et huc illuc ventorum ludibrium iactatur: quod non accidit arboribus plantatis secus decursus aquarum. Eccli. 21. 5. *Substantia superbi eradicabitur.* Græce, domus superbi annuliabitur. Tigurin. desolabitur. Iulius Capitolinus de Antonio Pio Imp. morti proximo sic habet: *Tertia die cum se gravari videret, M. Antonino rempubl. et filiam præsentibus præfectis commendavit, fortunamque auream, quæ in principum cubiculo poni solebat, transferri ad eum iussit.* His dicitur: eradicare et transplantare in mare, id est, in amaritudinem, Luc. 17. 6. III.

Quarto, fœnum sua viriditate oculos recreat, sed in hyeme: arescit enim in æstate. Arbores vero in hyeme foliis et fructibus nudantur, in æstate frondent, et pomis ditantur. Vita hæc hyems est, ubi virent et vigent mali: affliguntur, et externis bonis sæpe spoliantur boni, sed in æstate iudicii et æternitatis contrarium accidet, ubi Sol iustitiæ fuerit propior. S. August. in Ps. nostr. Fœnum, ait, intelligimus olera prati. Vilia quædam sunt, et superficiem terræ tenentia, altam radicem non habent: proinde per hyemem virent. At ubi sol æstatis fervescere cœperit, arescent. Modo ergo tempus est hyemis, gloria tua nondum apparet: sed si alta radix est charitatis tuæ, IV.

sicut multarum arborum gloria per hyemem, transit frigus, venit æstas, id est, iudicii dies. Tunc arescet viror fœni, tunc apparebit arborum gloria. Mortui enim estis, ait Apostolus, Coloss. 3. 3. quomodo videntur arbores per hyemem, quasi aridæ, quasi mortuæ. Ergo quæ spes, si mortui simus? Intus est radix. Ubi radix nostra, ibi et vita nostra. Ibi enim charitas nostra. Et vita, inquit, abscondita est cum Christo in Deo. Quando arescet, qui sic habet radicem? Quando autem erit ver nostrum? Quando æstas nostra? Quando vos circumvestit dignitas foliorum, et ubertas fructuum locupletat? Quando hoc erit? Audi quod sequitur Coloss. 3. 4. Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. Sic Aug. conc. 1. in hunc Psalmum: illum sequitur Lombardus.

V. Quinto, fœni flos facile vento deiicitur, aut sole exarescit. Ps. 102. 15. *Homo sicut fœnum dies eius, et tamquam flos agri sic apparebit.* Vide ibi dicta. Origenes homil. 1. in Psal. nostr. Vis, inquit, per singula videre, quomodo flos fœni sit carnis gloria? Vide quis imperavit ante hos triginta annos, quomodo imperium eius efflornit, continuo autem sicut flos fœni emarcuit: tunc deinde alius post ipsum, deinde alius atque alius: qui deinde duces et principes: et omnis eorum gloria et honor, non solum tamquam flos emarcuit, verum etiam tamquam pulvis aridus, et a vento dispersus, ne vestigium quidem sui reliquit. Alii etiam divitiis elati, et honoribus tumidi, studentes, vel laudabiles haberi per simulatam bonitatem, vel execrabiles per indomitam erudelitatem. Quorum si quis vana studia constituat æmulanda, eat nunc ad cadaverum eorum reliquias, si tamen vel ipsæ inveniri queant; aliquantis enim ne hoc quidem concessum est; et tunc inveniet, quomodo omnis caro fœnum est, et omnis gloria eius ut flos fœni. Lege S. Gregor. lib. 16. Moral. cap. 5. S. August. in Ps. 103. ait: *Totus splendor generis humani, honores, potestates, divitiæ, minæ, tumores, flos fœni est.* Et S. Ambr. lib. 3. Hexam. cap. 11. *Brevi,* ait, *unusquisque decurso ætatis flore marcescit.* Sequenti capite ostendit, nos fore similes viti, si velimus. In Psalmo autem nostro: *Ipsæ,* ait, *divitiæ, et omnis gloria sæcularis tamquam fœnum cito arescit, et tamquam olera herbarum in ipsa specie sui floris intercidit.*

VI. Sexto, fœnum falce demetitur: omnis humana felicitas mortis falce succiditur. Hæc est falx acuta, quam tenet Christus, sedens super nubem candidam, et habens in capite suo coronam auream, Apocal. 14. 14. cui Angelus exiens de templo, hoc est, de loco Beatorum in cælo, dicit, v. 15. *Mitte falcem tuam, et mete, quia venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terræ.* Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædagog. cap. 10. ait: Agrum esse hunc mundum, nos vero divina irrigatos gratia, herbam esse, attonderi morte, sed tonsos rursus exoriri in resurrectione. Fœnum vero allegorice dici turbam promiscuam, quæ floret parvo tempore: quæ superflua ornamenta, quæ gloriam, quæ quidvis potius quam veritatem sectatur: quæ non ad aliud est apta, quam ignis ad incendium. Sæpe mors maturitatem fœni non expectat. Cato dat illud præceptum: Fœnum ne sero seces; priusquam semen maturum sit, secato. Plinius lib. 18. cap. 28. Interamnæ, inquit, in Umbria, quater anno secantur, etiam non rigua. Seneca epist. 67. *Mors aliorum longius vitam passa est procedere, aliorum in medio flore præscidit, aliorum interrupit principia.* S. Bernard. epist. 104. ad Galterum de Calvo Monte: *Cogitans,* ait, *illud tuæ iuventutis decus, et ingenii acumen, scientiæ et eruditionis ornatum, etc. O si mors inopinata subripiens ista concusserit, heu subito cuncta velut ad impulsum urentis et furentis venti, tamquam fœnum velociter arescent.* Si felicitas sæpius succrescat impiis, sæpius a Deo deiicitur, sicut fœnum Interamnæ, de quo mox.

VII. Septimo, fœnum dispergitur ut arescat. Disperguntur per varias curas impii in Ægypto, ut quærant paleas, Exod. 5. et fiunt sicut fœnum aridum. Eccl. 14. 6. *Insatiabilis oculus cupidi* (Tigurina, oculus avari) *in parte iniquitatis* (in parte seu portione, quam iniuste acquisivit, maiora semper optat. Syrus, in oculis stulti, exigua est pars sua) *non satiabitur, donec consumat arefaciens animam suam.* Hoc est, vitam et corpus; 2. ipsam animam. Græce habetur: Iniquitas maligni desiccat animam. Tigurina: Iniustitia mali exaruit vitam eius.

Octavo, fœnum colligitur in acervos. Impius sibi socios VIII.
et contubernales quærit, quorum amicitia deterior fiat. Proverb. 5. 11. sed simul colligantur, ut comburantur. Matth. 13. 40. quasi fœnum in area. Michææ 4. 12. de Assyriis et rege eorum Sennacheribo dicitur: *Ipsi non cognoverunt cogitationes Domini, quia congregavit eos quasi fœnum areæ.* In Iudæa sunt congregati, ut ab Angelo una nocte 185. eorum millia occiderentur. Stuppæ collectæ et comburendæ comparatur synagoga, id est, cœtus et congregatio peccatorum, Eccl. 21. 10.

Nono, fœnum plaustro imponitur, et sub eo plaustrum IX.
stridet magis quam sub re solidiore, quæ fixe et immobiliter illi incumbat. Deus se onerato gementi plaustro comparat Amos 2. 13. alloquens Israelitas, id est decem tribus, quæ idola adorabant: *Ecce ego stridebo subter vos, sicut stridet plaustrum onustum cum fœno.* S. Hieron. sic explicat, q. d. Sicut plaustrum stipulæ vel fœni onere prægravatum stridore et sonitu longe exululat, sic ego peccata vestra ultra non sustinens, et quasi stipulam tradens incendio, clamabo et dicam: Peribit fuga a veloce. etc. R. Abraham exponit, q. d. Non est robur ut feram vos: sed gemo sub onere.

Decimo denique, fœnum est cibus brutorum anima- X.
lium; felicitas humana datur bestialibus hominibus, qui non possunt gustare suavitatem virtutis quæ est panis Angelorum. De Nabuchodonosore habes dictum a vigile, id est, Angelo, Daniel. 4. 20. *Cum feris sit pabulum eius, donec septem tempora* (hoc est, anni) *mutentur super eum.* Et vers. 30. hoc executioni fuisse demandatum dicitur. Origenes homil. 1. in hunc Psalmum, censet fœnum esse iniquitatem malorum sociorum, quæ est cibus eorum qui illis sese aggregant: *Fœnum,* ait, *mutorum et irrationabilium animalium cibus est. Fortassis ergo pro eo, quod omnes stulti et imperiti, et qui contra rationem et sapientiam Dei vivunt, sequuntur eos, qui in malitia principes sunt; et ex illorum vita vel actibus vesci dicuntur, quibus et obediunt; idcirco eos fœno comparavit. Nemo enim prudens ab illis sumit exemplum. Nam sicut vir prudens, qui audit verba Domini, et facit ea, iste est qui manducat panem illum, qui de cælo descendit, et Iesus est cibus ei pro eo quod ex verbis eius pascitur, et in mandatis eius vivit. Similiter et hi, qui in malitia eminentes, sicut fœnum efficiuntur eis, qui sibi obtemperant, vel æmulationem sui ad iniquitatem gerunt.*

Hæc pene omnia quæ dixi de fœno, possunt etiam de 19.
oleribus dici. Adde quod, ut ait Ugo, olera decidunt, 1. per vermes; 2. per sectionem; 3. per hyemem; 4. per siccitatem: sic impii decidunt, 1. per vermem conscientiæ; 2. per sectionem, quæ fiet, cum separabit Dominus bonos a malis; 3. per hyemem stringentis pœnæ, ubi erit fletus et stridor dentium; 4. per siccitatem et ariditatem, id est, per defectum omnis boni, deiicientur. Origenes sceleratos comparat oleribus Ægyptiorum, et oleribus impiis Achab. Primo quidem ait hom. 1. in Ps. nostr. *Deuteron. 11. 10. dicitur, quod fluminum Ægypti aqua sit deorsum descendens, et rigans sicut hortum olerum: quo videlicet Ægyptius non arbor dicatur, sed ne vitis quidem nominetur, sed olera, quæ cito deficiunt. Et vis videre quam cito Ægyptus decidat? Vide quid dicatur de eis Exod. 15. Ægyptii autem festinaverunt, decolligaverunt axes suos, et cito fugerunt sub aqua. Sicut olera ergo herbarum cito decident.* Ingeniose deinde ait, Naboth noluisse dare vineam suam Achab regi, quod eam vellet mutare in hortum olerum, quæ symbolum sunt impiorum: *Denique, inquit, Achab ille iniquus, quoniam talia olera parabat plantare in vinea Naboth Iezrahelitæ, propter quod Nabuthæus magis mori elegit, quam permittere, ut excisa vinea Israelitica olera plantarentur. Fecit ergo hoc tam-*

Olera et impii pereunt quatuor modis.

quam iustus, ut non permitteret excidi vineam iustitiæ, cuius fructus lætificat cor hominis, cum in sapientiæ cratere miscetur, et plantari olera iniquitatis velociter viridantia, sed velocius arescentia. Ostendit deinde, in anima nostra esse vineam scientiæ et virtutis, quam Achab iniquus et impius conetur excidere per Iezabel, id est per carnalem sapientiam, ut qui spiritu ceperunt, carne consummentur.

ARTICULUS III.

Stabilis est, et illustris, iucundissimaque felicitas Sanctorum.

20. PRIMA ratio, cur non sit invidendum aut indignandum malignantibus, et zelo appetenda et quærenda eorum prosperitas, posita est art. præced. scilicet quia brevi defluit. Nunc David secundam subtexit rationem adhuc validiorem, nempe quia pii suam et longe meliorem felicitatem habent, 1. stabilem; 2. abundantem; 3. delectabilem; 4. omne desiderium explentem; 5. gloriosam.

Vers 3. PRIMO itaque dicit, v. 3. SPERA IN DOMINO (S. August. in Dominum) ET FAC BONITATEM, ET INHABITA TERRAM, ET PASCERIS IN DIVITIIS EIUS, id est divitiis eius. Nam Hebræi instrumentum et modum ponunt cum præpositione *in*. Nota, pro *pasceris in divitiis eius*, Hebraice est רעה אמונה *ree emuna*. Quod primo quidam active sumunt: unde Pagn. et Felix vertunt, pasce veritatem. Vatabl. pasce fidem. Wolfgangus, pasce fideliter. Syrus, quære fidem. Chald. operam nava in fide. Secundo, alii melius sumunt passive τὸ *ree emuna*. 1. S. Hieron. reddit, *pascere fide* id est, fidelitate Dei, hoc est, rebus, quas tibi dabit per fidelitatem suam, cum sit fidelis et verax. Est metonymia: ponitur enim actus, nempe fidelitas pro eius obiecto; 2. Arabs vertit, vive ex suavitate ipsius; 3. Muisius, *pascere veritate*, id est, veracitate *Dei:* Primo te oblectans, quod Deum veracem habeas, qui tanta tibi promisit, et dabit. Secundo, et potius, te pascens et saginans bonis a Deo verace concessis, sicut se facturum asseruerat. Tertio, vertunt Sept. ποιμανθήσῃ ἐπὶ πλούτῳ αὐτῆς, pasceri in divitiis eius: terræ scilicet, ut patet ex articulo fœminino. Bellarmin. censet Sept. interpretes non habuisse in suo textu Hebraico אמונה *emuna*, sed המונה *hamona*, quæ vox divitias significat, ut patet ex eodem Psal. vers. 16. ubi legitur: *Melius est modicum iusto, super divitias peccatorum multas.* Quamvis etiamsi legamus, *pasceris fide, aut veritate*, erit sensus, pasceris in terra fide, id est, fideliter et vere: quod est fere idem cum *pasceris in divitiis eius.* Ille enim fideliter et vere pascitur in terra, cui non deest abundantia fructuum terræ, quæ sunt eius divitiæ: ita Bellarmin. Sed arbitror Sept. legisse, sicut nunc legimus, nempe *emuna*, neque versus allatus quidquam probat, ubi est *hamona.* Deinde satis magna est differentia inter *emuna et hamona.* Nam, 1. in illo est *aleph*, in hoc est *he:* in illo est *chateph segol*, in hoc est *chateph pathach:* in illo est *cholem*, in hoc *sciurek*.

21. Et divitiis Dei pascaris, tria requiruntur.

Nota secundo, pro *inhabita terram*, S. Hieron. habet, *peregrinare in terra*, sic tria requiruntur, ut quis pascatur divitiis Dei: 1. Primo, ut speret in Domino. 2. Secundo, ut faciat bonitatem: sicut enim hic dicit Raynerius, fides sine operibus mortua est: adde et spes. Sicut enim fides, ita et spes potest stare cum peccato mortali, licet non in esse virtutis, ut loquitur S. Thomas. 3. Tertio, ut terrena omnia contemnat, veluti peregrinus. Lupus terra oppletus non gustat delicias cæli. Quamdiu prodigus fuit plenus siliquis porcorum, non est admissus ad mensam paternam et ad vitulum saginatum: debuit prius famere, cogitare se esse in terra aliena, atque ad patrem pergere. Non percipitur manna in Ægypto, datur peregrinis per mundi desertum tendentibus in patriam promissam quæ est terra Chanaan, id est mercatoris. Datur enim ut merces. Deus est bonus et dives mercator, dat pro vili

Sensus litteralis.

pretio. Adverte tamen, melius esse in Vulgata *inhabita terram*, et sic pene omnes vertunt. Hoc enim significat τὸ שכן *scechon*, quod est in Hebr. Chald. Arabico. Sen-

A sus itaque est, Spera in Deo, et fac bona, et tunc habita in terra ubicumque volueris, sive ad Orientem, sive ad Occidentem, ibi te Deus pascet divitiis suis. Ipse enim dives est in omnes qui invocant, id est, colunt illum. Potest quoque tropol. in τῷ *inhabita*, notari stabilitas mentis et perseverantia: in τῷ *terram* humilitas et cognitio suæ egestatis. Hæc autem iuvant, ut Deus pascat nos. Ps. 21. 27. *Edent pauperes et saturabuntur:* et amicus perseverans in orando tres panes obtinet, Luc. 11. 8.

Nota tertio: quadruplicem terram assignat Ugo Card. Inhabita, inquit, terram quadruplicem: scilicet superiorem, inferiorem, interiorem et exteriorem: Primo, superiorem, vitam æternam, quæ est terra viventium: *et pasceris in divitiis eius:* hic per prægustationem: in futuro, per plenariam fruitionem. Secundo, inferiorem, Ecclesiam, cuius divitiæ sunt sacramenta et suffragia, quibus corroborantur filii Ecclesiæ. Ps. 111. 3. *Gloria et divitiæ in domo eius.* Tertio, interiorem, conscientiam scilicet, eam excolendo: *et pasceris in divitiis eius*, id est, bonis cogitationibus: de B qua terra et pastu Prov. 12. 11. *Qui operatur terram suam, satiabitur panibus.* Quarto denique, exteriorem, scilicet corpus proprium spiritui subiugando: *et pasceris in divitiis eius*, id est in bonis operibus. Prov. 24. 27. *Præpara opus tuum foris, et diligenter exerce agrum tuum, et postea ædifices domum tuam.* Eccli. 20. 30. *Qui operatur terram suam, inaltabit acervum frugum.* Ita Dominus in exemplum et fructum nostrum terram corporis sui ut agrum voluit exerceri. Unde primo omnes superfluitates temporalium deliciarum et divitiarum ab eo longe resecavit, non quia nunquam prius habuerit, sed ne eas unquam haberet. Et quia in eo nihil erat vitii quod extirparetur, ideo quod aliquo modo dicitur superfluum, scilicet pilos eius evelli permisit. Unde dicit Isaiæ 70 6. *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus.* Secundo, ager iste aratus, firmatus fuit sputis Iudæorum. Isa. 50. 6. *Faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me.* Tertio, aratus fuit in flagellatione, quando de C longo in longum totius corporis flagellaverunt eum, ita quod sanguis defluebat per vestigia aratri. Sed quia angulos huius agri non plene attigerat aratrum, ideo cum fossoriis clavorum, culti fuerunt anguli: scilicet manus et pedes. Sic enim solent facere agricolæ, quod aratrum non potest attingere, fossorio colunt. Hæc autem terra multum acervum frugum inaltavit, et pascimur modo per gratiam in divitiis eius, et in futuro pascemur per gloriam: ita Ugo, partim anagogice, partim allegor. tropol. et symbolice. Sensum litteralem supra attuli. 22.

Terra quadruplex est inhabitanda, ex Ugone. 1. 2. 3. 4.

SECUNDO, delectationem velut hamum Deus attexuit virtuti, vers. 4. DELECTARE IN DOMINO, ET DABIT TIBI PETITIONES (S. August. Arnob. Syr. et Cassiod. habent, *petitionem:* sed in Hebræo, Chald. Arab. et apud Septuag. habetur, *petitiones*, et quidem suavius. Omnes enim Deus exaudit) CORDIS TUI. Prius eas exaudit Deus, quam ad os veniant. 23.

Vers. 4. Delectat Deus sibi voluntarie servientes.

Nota, pro *delectare* in Hebr. est התענג *hithannag*, id D id est delecta te ipsum, delectationem tibi compara. Est enim verbum in Hithpael. Ubi indicatur propensio voluntatis necessaria, ut ad Deum feramur, velut ad fontem gaudii: Non delectat Deus invitos et restitantes. Venientes sponte ad se reficit et potat aquis vitæ. Vox etiam Chaldaica *hithphens*, est in coniugatione Ethpaal, et denotat actionem eiusdem in se ipsum. Sensus esse potest, q. d. Nolo a te subtrahere delectationem, sed eam quære et ama in Deo, tibi sufficiat gaudium, quod in Deo reperies. Unde avarus et delicatus est, cui Deus non sufficit, S. Thomas 1. 2. q. 32 art. 7. docet, quod omnia animalia naturaliter appetunt delectationem: quia semper animal laborat per sensum et motum: et propter hoc etiam iuvenes maxime delectationes appetunt propter multas transmutationes in eis existentes, dum sunt in statu augmenti, et etiam melancholici vehementer appetunt delectationes ad expellendum tristitiam: quia corpus eorum pravo humore corroditur, ut dicitur in 7. Ethic. cap. 14. post medium. Noli extra te delectationem quærere, *dele-*

eta teipsum, tunc a te illa lætitia auferri non poterit. Etiamsi in domo tua sint tibicines et amici, ut te consolentur, tristaberis ob filiam, id est animam tuam, sicut Iairus, Marc. 5. 22. Luc. 8. 41. si mortuus sis per peccatum.

24. *Delectatio in Deo solo est quærenda.* Nota secundo, delectatio quærenda est in Domino; ibi enim invenitur, et non alibi: *Delectare in Domino.* Ubi adverte, pro *delectare* Sept. vertunt κατατρύφησον, id est delicate vive, deliciare, deliciis abunda et affluе, suavissimis deliciis fruere ad satietatem. Hanc enim vim habet Hebr. ענג *anag*, et quidem S. Hieron. in cap. 31. Ierem. notat hic pro *delectare*, in græco et Hebr. esse, *deliciis affluе.* Hominem paulo post creationem transtulit Deus in paradisum voluptatis, ut doceret cupere se ut eum delectatione viveret. Genes. 2. 8. *Plantaverat Dominus Deus paradisum voluptatis a principio* (die tertio creationis) *in quo posuit hominem quem formaverat.* Paradisum illum Origenes putat esse tertium cælum, in quod raptus est Paulus: arbores esse virtutes angelicas: flumina esse aquas quæ sunt supra firmamentum. Errat quidem Origenes: nam paradisus terrestris fuit locus corporeus in terra, habens arbores corporeas: sed symbolice loquendo paradisus voluptatis est Christus et Deus ipse. Suidas paradisum vult deduci a παρα και δενω, id est, irrigo. De Christo et Deo fluunt fontes vitæ atque lætitiæ. Quisquis in Deum intrat, intrat in gaudium Domini, et in Dominum gaudii, et in Dominum gaudium universæ terræ, id est animæ constantis et humilis, quam irrigat, fœcundat, recreat, exornat et ditat. Iob. 22. Eliphaz Thomanites, id est rex Thoman, quæ erat regio Idumææ, ait vers. 23. *Si reversus fueris ad Omnipotentem, ædificaberis: et longe facies iniquitatem* (pœnam iniquitatis) *a tabernaculo tuo. Dabit pro terra silicem* (Septuag. vertunt, poneris super aggerem in petra: hoc est, Niceta interprete: Tuto atque constanter in terra commoraberis. R. David vertit, pones super terram aurum) *et pro silice torrentes aureos.* Nicetas explicat, q.d. Ex Sophir, ubi aurum gignitur præstantissimum, ac lapides pretiosi, aurum eum amne fluens ad te permanabit. Arbitror esse proverbium, q. d. Rebus omnibus abundabis, eris ditissimus. Ubi adverte, quod *Eliphaz* significat *Deus meus aurum obrizum:* non est aurum adulterinum et apparens. Additur v. 25. et 26. *Erit omnipotens contra hostes tuos, et argentum coacervabitur tibi. Tunc super omnipotentem deliciis affluеs.* Ut enim ait Seneca, Deus non tantum necessitati providet, sed etiam delectationi. Sic autem loquitur lib. 4. de Benef. cap. 5. *Unde hæc innumerabilia, oculos, aures, et animum mulcentia? Neque enim necessitatibus tantummodo nostris provisum est, usque in delicias amamur.* Si super infirmos amicos delectamur, quid faciemus in sinu Christi et Dei omnipotentis et amantis parentis nostri? S. Thomas 1. 2. qu. 2. 6. docet, delectationes spirituales esse maiores et perfectiores corporeis, et affert inter cætera illud Sap. 7. 9. *Omne aurum in comparatione sapientiæ, arena est exigua.* Vide illum etiam q. 3. art. 5. q. 38. art. 41. et 2. 2. q. 141. art. 4. q. 180. art. 7.

25. *Delectari in Deo tripliciter possumus.* Quæres, quomodo oporteat delectari in Domino? Resp. hoc fieri posse tripliciter. Primo, per contemplationem ei uniendo nostrum intellectum. Secundo, per charitatem adhærendo illi per voluntatem. Tertio, per operationem ad illum applicando reliquas animæ et corporis facultates.

I. *Per contemplationem.* De primo, nempe de contemplatione Dei hunc locum explicat Ugo Cardin. et alii. In contemplatione enim prægustatur dulcedo Dei. Ps. 33. 9. *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus.* Vide ibi dicta. Illa dulcedo et suavitas non est commutanda cum deliciis terrestribus. Naboth, qui interpretatur prophetans, vel fructificans et germinans, non vult commutari vineam suam in hortum olerum Achab, qui significat frater patris, vel pater fratris, vel avia patris. Inimici hominis domestici eius, in domo fratris pereunt filii Iob delicias captantes. Esto prophetans sicut Naboth, et quærens cælestes delectationes. Origenes hom. 1. in hunc Psalm. *Est,* inquit, *nobis vinea quædam, ex qua fructum scientiæ, qui lætificat cor hominis per donum sapientiæ premimus in torcularibus Scripturarum, cum perfectius et latius divinæ legis mysteria contuemur. Sed proficientibus nobis in his studiis, et Israelitico oculo ad oculum spiritalem tendentibus, venit Achab iniquus et impius. Achab inimicus vineæ nostræ, et adversum optima studia hæc sapientiæ invidiam concitat, tumultum commovet, dolos et factiones per Iezabel, hoc est per carnalem sapientiam instruit, et vult excidi vineam istam spiritalis intelligentiæ, et plantari olera: id est, ut quæ legimus, carnaliter intelligamus, sicut olera enim omnis gloria carnis est, ut impleatur in nobis illud quod culpat Apostolus dicens ad Galat. cap. 3. Sic insensati estis, ut cum spiritu ceperitis, nunc carne perficiamini? Quod autem in anima sancta sint vineæ, et agri a Domino benedicti, audi etiam Isaac ad filium suum Iacob dicentem, Gen. 27. 27. Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus. Melius ergo est vineam nos colere in anima nostra, et torcular fodere Scripturarum, et vindemiare botros, et premere vinum de vinea Soreeh, ut et nos dicamus ad Dominum, quia poculum tuum inebrians quam præclarum est.* S. Thomas docet 1. 2. q. 3. art. 5. q. 38. artic. 4. et 2. 2. q. 170. art. 8. delectationem contemplationis excedere omnem delectationem humanam.

II. *Per charitatem.* De secundo, nempe de charitate, exponit hunc locum Bellarminus: Ut quis, ait, bene operetur, et sit amicus Dei, ita ut in illo secure confidat, necessaria est charitas, ideo dicit: *Delectare in Domino,* id est ama Deum ex corde, et ille sit deliciæ tuæ: ita Bellarm. Itaque erit metalepsis. Ponitur enim consequens pro antecedenti: nempo delectatio quæ ex amore sequitur pro amore ipso.

26. III. *Per alias virtutes.* De tertio, nempe de aliis virtutibus, et earum actibus explicat Origenes: *Nemo potest,* inquit, *et in carne, et in spiritu habere delicias. Sed si quis in carne deliciatur, sicut ille dives, carebit gremio Abraham et deliciis. Qui vero in præsenti sæculo pane afflictionis vescitur, sicut et ille pauper, eum hinc abscesserit, in deliciis erit. Deliciare ergo in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. Quod si adhuc plenius intueri vis, quomodo quis delicietur in Domino, perspice quod Dominus veritas est, et sapientia est, et iustitia est, et sanctificatio est. Si ergo abundaveris in deliciis veritatis, si abundaveris in intellectu sapientiæ, si copiosus fueris in actibus iustitiæ, tunc plene et integre deliciaris in Domino.* S. Thomas 1. 2. q. 32. art. 1. et in 4. dist. 49. q. 3. art. 5. q. 4. docet, causam proximam delectationis esse operationem, cuius obiectum est causa remota. In 1. 2. quæst. 100. artic. 9. ad 3. et in 3. d. 31. qu. 1. 5. ait, omnem operationem ex habitu perficiente naturam causare delectationem. Et in 4. d. 49. qu. 3. 2. dicit, causam formalem delectationis esse obiectum eius, scilicet operationem connaturalem habitus, non impeditam; sed causam materialem esse spiritum abundantem, clarum, temperatum, non nimis rarum, nec nimis densum. Primum non esse in convalescentibus, secundum in melancholicis, tertium in ægris, quartum in macilentis, quintum in senibus. Ideo magis inclinari ad tristitiam. Esto plenus Deo atque virtutibus et semper in gaudio eris. Delectare in Domino. S. Basil. in regul. brev. qu. 193. quærit: Quodnam sit gaudium in Domino, et ait: *In his quæ secundum Dei mandatum fiunt, gaudere, est in Domino gaudere. Quocirca quandocumque mandata Dei exequimur, aut propter nomen Domini aliquid patimur, gaudere et gratulari nos debemus.* S. August. lib. de salutaribus documentis, cap. 10. *Si,* ait, *aliquid in hoc sæculo possidere delectamur, Deum qui possidet omnia, qui creavit omnia, expedit ut mente possideamus, et in eo habeamus quæcumque feliciter et sancte desideramus. Sed quoniam nemo possidet Deum, nisi qui possidetur ab eo, simus nos ipsi Dei possessio, et efficietur nobis possessio Deus. Et quid potest esse in mundo felicius, quam cui efficitur suus Imperator Redemptor census, et hæreditas dignatur esse ipsa divinitas. Quid ultra quærit, cui omne gaudium, et omnia suus redemptor esse debet?* 27. *Delectationem suam in Deo ponens impetrat quæ petit.*

Nota tertio, fructus delectationis in Domino, est impetratio eorum quæ a Deo postulamus. Dicitur enim: *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.* Ubi

adverte, non dici, quod dabit petitiones carnis et sensualitatis, sed petitiones cordis, id est mentis: aliud enim petit caro, et aliud cor: alia enim est vox et appetitus carnis, alia cordis. Origenes diversas in homine voces recte explicat hom. 1. *Si*, ait, *singulorum membrorum propria quædam persona fingatur, verbi causa, si oculus haberet vocem, numquid non diceret peto lucem, ut videam ea quæ me videre delectant? Refugio enim videre horrorem aliquem, et omne quod conturbat et contristat aspectum. Similiter etiam si auditus acciperet vocem, numquid non diceret, peto sonum modulata arte compositum, sonum delectabilem, asperum vero et terribile aliquid audire refugio. Ita si gustui vox daretur, et tactui, et omnes sensus nostri sine dubio hæc peterent, quæ suo sensui convenirent. Ab his ergo transeamus ad cor, in quo est mens, et principalis intellectus, et videamus quid desideret et quid petat cor, sicut de oculo vel de auribus cæterisque sensibus in superioribus demonstravimus. Secundum sui naturam cor sine dubio intelligentiam poscit. Sicut oculus visum, ita cor intellectum requirit. Sicut auris suavem sonum cupit, ita cor sapientibus sensibus delectatur. Sicut gustus dulci sapore, ita cor prudentibus cogitationibus gaudet. Sicut odoratus suavitate fragrantiæ, ita cor rationabilibus studiis lætatur. Sicut tactus lenibus ac mollibus, ita cor utilibus et optimis consiliis delectatur. Si ergo delicieris in Domino, et sapientiæ, et veritatis, et iustitiæ copiis atque deliciis perfruaris, dabit tibi Dominus petitiones cordis tui aptas deliciis supradictis.* Quis malit tristari, et a Deo reiici, quam lætari et petita accipere? Sed vide, ut sis totus cor, et illud aperias Deo; illud rore cælesti complebit. Psal. 19. 5. *Tribuat tibi secundum cor tuum.* Psal. 19. 38. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem* (Symmach. πρόθεσιν, propositum. Cassiod. concupiscentiam) *cordis eorum audivit auris tua.*

28. Delectatio cur iuvet impetrationem? Quæres, quænam est hæc connexio, *Delectare in Domino, et dabit tibi?* Resp. primo, *delectare*, posse sumi per metalepsim pro amare vehementer; 2. pro operari ferventer, et ex solo Dei amore; 3. pro petere cum fiducia, libertate, ardore. Ex his enim delectatio consequitur. Resp. secundo, delectatione atque lætitia cor dilatari et charitatem inflammari; 2. spem atque fiduciam orationis augeri; 3. operationem adiuvari; 4. Deum sibi placere in hilari datore: eum enim placere Deo, cui placet Deus. Cum itaque delectatio iuvet charitatem, spem, orationem, operationem, et faciat amicum Deo, non est mirum si adiuvet etiam impetrationem. S. Thom. 1. 2. quæst. 33. artic. 4. docet, quod delectatio perficit dupliciter operationem. Primo, ut finis, secundum quod omne bonum completive superveniens, potest dici finis: et sic docet Aristot. lib. 10. Ethic. cap. 4. post medium. Secundo, ex parte causæ agentis, in quantum agens, quia delectatur in sua actione, vehementius attendit ad ipsam, et diligentius eam operatur. Unde ait Aristot. eod. lib. 10. cap. 5. quod delectationes augent proprias operationes, et impediunt extraneas. Quod vero ad orationis vim spectat, S. Bern. serm. 5. de Quadrages. ait, nunquam esse infructuosam orationem, si delectemur in Domino, et sit oratio cordis. Verba eius sunt: *Quæ est veritas fidei, nisi quod promittit ipse Filius Dei? Quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, et fiet vobis. Nemo vestrum fratres parvipendat orationem suam. Dico enim vobis, quia ipse ad quem oramus, non parvipendit eam. Priusquam egressa sit ab ore nostro, ipse scribi iubet eam in libro suo. Et unum indubitanter e duobus sperare possumus: quoniam aut dabit quod petimus, aut quod nobis noverit esse utilius.* Hæc Bernardus.

29. Vers. 5. Vidimus felicitatem iustorum esse, 1. stabilem, *inhabita terram;* 2. abundantem, *pasceris in divitiis eius;* 3. delectabilem, *delectare in Domino;* 4. omne desiderium explentem, *et dabit tibi petitiones cordis tui.* Restat nunc ut ostendamus esse etiam gloriosam. Hoc declarat v. 5. REVELA DOMINO VIAM TUAM, ET SPERA IN EO, ET IPSE FACIET.

Vers. 6. Ac v. 6. ET EDUCET QUASI LUMEN IUSTITIAM TUAM, ET IUDICIUM TUUM TAMQUAM MERIDIEM.

Nota, pro *revela*, Hebr. est גול *gol*, id est, 1. volve, devolve; 2. circui, circumvolve, a rad. גלל *galal*, volvere, circuire. Unde primo S. Hieron. vertit, volvo super Dominum viam tuam, id est, actiones, cogitationes, affectiones et intentiones tuas: secundo, Felix reddit, circumvolve secus Dominum viam tuam.

Secundo, *gol* Iansen. et Lorinus deducunt a גלה *gala*, id est detegere, discooperire, revelare. Hinc Sept. vertunt, ἀποκάλυψον, hoc est manifesta, retege. Apollin. ἀνάφαινε, aperi, ostende clare et dilucide.

30. Revelanda sunt Deo peccata nostra. Quæres, quænam revelatio viæ nostræ facienda est Deo? Resp. de duplici hoc posse intelligi. Primo de revelatione peccatorum per confessionem: ita Orig. S. Ambr. Ugo, Haymo et alii. Sic dicebat Iob cap. 13. 15. *Vias meas in conspectu eius arguam*, id est reprehendam: castigabo, ut S. Thomas, Philippus, et alii exponunt. S. Ambrosii verba in Psal. nostr. audiamus: *Quis*, ait, *revelat Domino viam suam, nisi qui Deo occultorum suorum arbitro interna sui pectoris confitetur? Bene ait, revela: hoc est, aperi conscientiam tuam, ne eam sæculi istius gravet umbra vel carnis. Prorumpentia semina si fuerint obumbrata, tenuantur: Soli obiecta pinguescunt. Quid de seminibus loquor? Ipsas arbusculas, quo minus se in altum subiiciant, umbra sylvestris internecat, et prohibet brachia ramosa diffundere. Puchre autem dixit, Revela ad Dominum viam tuam: quia natura hominum prona peccato, velut quoddam menti nostræ velamen obducit, ne nostra Domino peccata fateamur, qui potest vulnera nostra sanare; ut erubescat quis ore proprio postulare medicinam, ne coram hominibus sua prodantur opprobria. Premit igitur se intra hominem conscientia, cum latere non possit: et tamdiu differt, quod vulnus efferveat: ut iam non fidei salubritate, sed immedicabili atrocitate vulneris delegatur. Revela, inquit, ad Dominum viam tuam: hoc est, aperi viam tuam: noli abscondere sicut abscondebat Cain, qui latere cupiebat. Omnis enim qui male agit, odit lucem. Revelabat David viam suam, qui ait Ps. 44. Dico ego opera mea regi. Aperi sensum tuum, ut nihil sit quod timeas reprehendi;* ita Ambros. Vide dicta de confessione peccati Ps. 31. v. 3. et seqq.

Et actiones omnes. Secunda revelatio viarum nostrarum, id est, actionum et affectionum, coram Deo fit per orationem; et de illa potissimum hic agitur, ut patet ex antecedentibus et consequentibus. Ab oratione enim omne negotium est incipiendum, ut monebat Plato, et faciebat Scipio Africanus: Ab Iove principium Musæ. Psal. 118. 26. ait rex noster: *Vias meas enuntiavi* (S. Hieron. exposui. Hebr. ספרתי *siparti*, id est sigillatim et distincte recensui) *et exaudisti me.* Chald. respondisti mihi. Quod mutuam Dei et Davidis collocutionem in oratione denotat.

31. Revelationis Deo factæ duplex fructus. Quæres secundo, quis sit fructus illius revelationis viarum nostrarum factæ Deo? Resp. hic assignari duplicem. Primum quidem, *et ipse faciet.* Secundum, *et educet quasi lumen iustitiam tuam.*

To ipse faciet quatuor modis explicatum. De primo, τὸ *ipse faciet*, Bellarm. refert ad sequentia, q. d. Faciet iustitiam et iudicium. Prius, revelationem viæ exposuerat de defensione actionum et propulsatione calumniæ, sicut fecit Susanna quæ flens suspexit in cælum, Dan. 13. 35. *Erat enim cor eius fiduciam habens in Domino:* et Deus fecit iustitiam et iudicium per manifestationem calumniæ, liberationem innocentis, et lapidationem duorum senum inveteratæ malitiæ. I.

Secundo, τὸ *ipse faciet*, id est, ut ait Ugo, ipse faciet proprium opus suum, quod est misericordia. Unde dicitur in collecta: *Deus cui proprium est misereri semper et parcere.* Origenes specialiter explicat de sanatione peccatorum, et illustratione iustorum. II.

Tertio, S. Ambrosius sic exponit, q. d. *Ipse faciet* viam tuam, apertam scilicet, planam, facilem, expeditam, q. d. Si reveles Deo viam tuam, videbit eius difficultates, et illas tollet. III.

Quarto, commodius et significantius, sensus est, q. d. *Ipse faciet* petitiones cordis tui: ita Iacobus de Valentia IV. Et optime.

et Iansenius, qui sic explicant, q. d. Propone devotis precibus Deo institutum tuum, et omnem rerum tuarum statum illi commenda, et spera in eo. Id si feceris, ipse de te, tuisque omnibus rebus faciet quæ conducunt. Si aliquibus malis affligeris, quibus te eximere nequeas, Deo committe, et tota fiducia pende ab illo, et ipse faciet feliciorem malorum eventum, quam vel desiderare poteris. Si quid ex Dei voluntate agere institueris, illius providentiæ ac bonitati tam opus quam finem operis commenda, et ipse ad optatum terminum institutum tuum perducet; non quod otiosum te esse velim, aut nihil te ipsum agere, sed quod de rerum tuarum eventu nolim superflua te cura macerari.

Nota, τὸ *ipse* habet emphasim, et duo denotat. Primo, amorem tenerum Dei operantis, q. d. *Ipse faciet*, non committet rem quam petis alteri faciendam; non homines, non ipsos Angelos adhibebit, ut tibi faciat satis, ipse postulata præstabit. Secundo, τὸ *ipse* denotat excellentiam operis, q. d. ait Cassiod. Ipse faciet qui omnipotens est, ipse qui manu fortis est, ipse revera, cuius omnia iussionibus obsecundant.

Nota secundo, post orationem, Deo committendam esse operis executionem. Ut enim ipse ait Ioan. 15. 5. *Sine me nihil potestis facere*. Et Paulus dicit 2. Cor. 3. 5. *Sufficientia nostra ex Deo est*. Vide Greg. 22. Mor. c. 19.

32. Educere quasi lumen iustitiam tripliciter exponitur. Secundus fructus revelationis viarum nostrarum factæ Deo est felicitas gloriosa. Unde addit David v. 6. *Et educet quasi lumen iustitiam tuam, et iudicium tuum tamquam meridiem;* id est Primo, Deus admirabili providentia sua faciet, ut iustitia tua, id est ius tuum, quod erat quasi in tenebris sepultum propter calumnias persecutorum, emergat et clarissime conspiciatur, quomodo

I. lumen cernitur, cum candela accenditur, vel cum profertur ex clausa et obscura laterna. Et repetens idem aliis verbis, addit, *et iudicium tuum tamquam meridiem:* id est producet in apertum at clarum idem ius tuum, ut luceat et conspiciatur ab omnibus, ut conspicitur sol meridianus. Quod quidem in iudicio Susannæ manifeste apparuit. Ita Bellarm. et Iansenius, qui *iudicium* sumit pro æquitate ac vitæ ratione ex recto iudicio instituta; et Origenes qui *iudicium* accipit non pro hominis iure, sed pro iudicio quod Deus diiudicat, id est pro sententia Dei iudicis.

II. Secundo, Titelmannus explicat, *educet quasi lumen iustitiam tuam, et iudicium tuum tamquam meridiem*, q. d. Si teipsum Deo toto corde commendaveris, ipse suæ gratiæ cooperatione exurgere et effulgere faciet iustitiam tuam: id est omnis virtutis in te perfectionem, quasi lumen præclarum: et iudicium tuum, id est rectitudinem et æquitatem tuam faciet exoriri et effulgere, quasi lumen meridiei clarissimum: ita ut non solum tu ipse totus ab eo illumineris, verum etiam ut luceat lumen perfectionis tuæ coram hominibus, ut videant bona opera iustitiæ tuæ, et glorificent Patrem qui in cælis est: valeantque et ipsi aliqua ex parte ambulare in lumine tuo, exemplum imitantes iustitiæ tuæ, quomodo in lumine meridiano solent tuto homines ambulare.

III. Et genuine. Tertio et melius, iustitiam et iudicium sumuntur pro virtute, et sensus est, q. d. Deus te felicem faciet atque gloriosum propter virtutem tuam, qua reddis unicuique quod suum est: Deo scilicet honorem, amorem proximo, tibi laborem et castigationem. Educere autem quasi lumen, denotat magnum splendorem atque claritatem: quod præsertim denotat meridies.

33. Mane unde dictum. Nota. *Lumen* sumitur pro aurora seu luce matutina, ut colligitur ex eo quod in sequenti hemistichio fit mentio meridiei. Hoc etiam declarat eductio. Nam mane erumpit lumen solis, atque educitur ex altero hemisphærio, ubi sol veluti demersus latebat. Sic dicit Isaias cap. 58. 8. *Tunc* (si peccata vitaveris, et opera misericordiæ feceris) *erumpet quasi mane* (Hebr. sicut aurora) *lumen tuum*. Ibi Forerius per lumen prosperitatem accipit, illius enim est symbolum; et Varro lib. 2. de lingua latina tradit, *mane* dici quasi *manum*, id est antiqua lingua *bonum*. Teste autem Nonio, veteres *manum* vocavere *clarum*. Græci inclamabant φῶς ἀγαθὸν, id est lumen bonum. Post auroram in iusto sequitur dies et lux provectior. Prov. 4. 18. *Iustorum semita, quasi lux splendens* (est elegans paronomasia inter ארח *orach*, id est, iter, semita: et inter אור *or*, id est lux) *procedit, et crescit usque ad perfectam diem.* Sym. usque ad stabilem diem. Syr. donec stabiliatur dies. In æternitate scilicet, hic enim semper mutatur, ipsa vespera et afflictio iustis fit lux et splendor. Sophar Naamathites amicus Iobi dicit cap. 11. 17. *Quasi meridianus* (In cælo, est meridianus: in terra, est quasi meridianus) *fulgor consurget tibi ad vesperam*, id est, 1. in senectute; 2. in morte; 3. in tribulatione: *Et cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer.* Eadem stella vocatur Hesperus, seu vesper et vesperugo, cum occidentem solem sequitur: et lucifer, cum orientem solem præcedit: quo denotatur eumdem hominem modo in tenebris calamitatum, modo in luce prosperitatis versari.

Nota secundo, τὸ *educet* indicat iustitiam, id est virtutem Sanctorum esse occultam. Dicunt enim, secretum meum mihi; et nolunt sciri a sinistra, quod facit dextera eorum: tabernaculum sunt et arca aurata, sed tecta pellibus: lux et sol sunt, sed sub terra, et sui cognitione ac mortificatione latens. Orig. hoc vidit, ait enim homil. 1. *Tuam iustitiam, quam tu egisti in occulto, et revelasti eam soli Deo, hanc producet sicut lumen Deus, et ostendet te iustum illuminatum sole iustitiæ, cælo et terræ, et omnibus qui in cælo sunt ostendet lumen iustitiæ tuæ, et* (*si ita dici oportet*) *iactabit se de te tamquam de filio, tamquam qui acceperis spiritum adoptionis. Producet ergo iustitiam tuam sicut lumen, quia qui secundum mandatum Domini iustus est, iustitiam suam ita facit, sicut ipse mandavit dicens: Vos autem cum facitis iustitiam vestram, nesciat sinistra quid faciat dextera vestra. Hæc ergo iustitia quæ ita fit, ut non hominibus appareat, nec ut humanam gloriam captet: sed fit in occulto, ut Pater qui videt in occulto reddat palam in tempore suo, producitur a Deo sicut lux, et iudicium tuum sicut meridies.* 34. Occultant Sancti virtutem.

Anagog. educit Deus iustitiam Sanctorum, sicut lumen matutinum et meridianum in tota æternitate: ibi enim est meridies, id est lux clarissima, et mane, id est lux semper incipiens, et nunquam in vesperam declinans. Ibi non sunt umbræ et nox, atque dierum variatio et alternatio, sed dies una melior in atriis Dei super millia; eam enim sol efficit Christus. Hugo a S. Victore annot. in Psalmos cap. 44 *Educet*, inquit, *quasi lumen iustitiam tuam: et iudicium tuum, tamquam meridiem. Iustitia bonorum nunc occulta est: quia ibi se iustificari satagunt, ubi ab hominibus videri non possunt. Et quamvis in eis iam luceat exemplum boni operis: tamen in abscondito est virtus intentionis. In futuro autem quasi lumen iustitia eorum educitur: quia quomodo bona opera sua ab humana laude abscondunt, veniente iudice iam secure pro eis in æterna claritate gloriabuntur. Unde et in Psal.* 126. *dicitur: Vanum est vobis ante lucem surgere: id est, ante futuri iudicii claritatem exaltari. Sed surgite postquam sederitis: quia tunc fructuosa ibi erit vestra exaltatio, si prius in huius vitæ exilio sponte propter Deum vos humiliaveritis. Sequitur: Et iudicium tuum tamquam meridiem. Iustitia bonorum est opus virtutis quod faciunt: iudicium eorum est præmium virtutis quod eligunt. Deus ergo educet iustitiam Sanctorum quando manifestabit opera virtutum quæ fecerunt: educet iudicium, quando manifestabit quale boni operis præmium elegerunt. Et ideo iustitia tamquam lumen, iudicium vero tamquam meridies, id est, clarum lumen educitur: quia minor est omnis claritas boni operis, claritate æternæ retributionis.* 35. Anagog. lux æterna erit Sanctis in cælo.

Optandus nobis et quærendus est ille meridies. Hoc facit Sponsa, id est sancta anima, Cant. 1. 7. *Indica mihi, quem diligit anima mea* (non indicatur nisi amanti et ferventi) *ubi pascas, ubi cubes in meridie* (pro *ubi* Hebr. est איכה *echa*, id est quomodo) *ne vagari incipiam*, q. d. Semper vagabor, donec te et lucem perfectam reperiam: displicet mihi nox, lucem postulo. S. Bernardus id meditans

*

serm. 33. in Cant. *O vere*, inquit, *meridies plenitudo ferA voris et lucis, solis statio, umbrarum exterminatio, desiccatio paludum, fœtorum depulsio. O perenne solstitium, quando iam non inclinabitur dies! O lumen meridianum! O veris temperies! O æstiva venustas! O autumnalis ubertas! et ne quid videar præteriisse, o quies et feriatio hyemalis!* Lege cætera. Meridies erat, quando Ioseph cum fratribus epulabatur, ait S. Ambr. non ultus iniuriam, sed oblitus; Iesus nos pascet et illuminabit in meridie claritatis et bonitatis suæ.

36. Vers. 7. Luce gloriæ et felicitatis ostensa, modum acquirendi David aperit. Quinque autem requirit. Primo, humilem subiectionem, v. 7. SUBDITUS ESTO DOMINO. Secundo, orationem perpetuam, ET ORA EUM. Tertio, invidiæ odium: NOLI ÆMULARI IN EO QUI PROSPERATUR IN VIA SUA, IN HOMINE FACIENTE INIUSTITIAS. Quarto, iræ et Vers. 8. indignationis refrænationem, v. 8. DESINE AB IRA ET DERELINQUE FUROREM. Quinto denique, malitiæ detestationem et fugam: NOLI ÆMULARI UT MALIGNERIS. Rationem reddit, quia maligni exterminabuntur.

37. Silentii vis. Nota primo, pro *Subditus esto* Hebr. est דום *dom*, id est sile, tace, obmutesce. S. Hieron. vertit, *tace Domino*, q. d. Illo est Dominus, tu servus, itaque tibi silendum est: imperat, urget, increpat, punit, sile, illi subiicere, Dominus est. Non dantur ancillæ nisi oculi, ut videat non faciem Domini qua se indignam putat, sed manus operis indices, ut ad labores evolet lingua carens, nihil obmurmurans. Isaias 32. 17. *Erit opus iustitiæ pax, et cultus iustitiæ silentium.* Et Ieremias Thren. 3. 26. *Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei*: hoc est, salutem et liberationem a Deo. Hebr. est, *Bonum est, et silebit*, q. d. Recte aget homo si expectet atque taceat, ut explicant Hebræi. S. Climac. grad. 4. *Studiosus silentii*, ait, *appropiat Deo, ipsique iugiter in abdito cordis assistens illustratur ab eo.* Et grad. 11. *Taciturnitas in cogitatione est mater orationis, captivitatis revocatio, ignis divini amoris observatio, cogitationum diligens inspectio, specula hostium, carcer luctus, lacrymarum amica, memoriæ mortis operaC trix, suppliciorum pictor, iudicii indagatrix, sagax mæroris subministratrix, inimica fiduciæ, quietis coniux, ambitiosæ doctrinæ adversatrix, scientiæ adiectio, speculationis opifex, secretus in Deum profectus, occultus ascensus.* Vide dicta Ps. 38. v. 1.

38. Nota secundo, pro *ora* Hebr. est התחולל *hitcholel*, id est, 1. expecta; 2. spera, confide; 3. dole. Hinc primo, S. Hieron. Flamin. Felix vertunt, *expecta eum*. Secundo, Pagnin. *spera in eo*. Tertio, R. David, *dole propter eum*, q. d. Illius gratia patere tibi immissas calamitates, et eas forti fer animo. Quarto, Sept. Syr. Arabs, Noster, aliique reddunt, *ora eum*. Non vult enim otiosos expectatores, et sperantes. Adde, vim vocum melius fuisse notam Septuag. interpretibus, quam recentioribus Hebræis. Adverte autem cum dicitur *ora eum*, nihil determinari, primo, ut intelligas in omnibus tibi necessariam esse orationem: secundo, ut ad omnia impetranda scias esse sufficientem et efficacem. Hugo a S. Victore annot. in Psal. cap. 44. *Cum dixisset David, Subditus esto Domino, statim adiunxit, et ora eum: ut et subditus Deo sis de te non præsumendo; et ores eius auxilium expetendo. Nam quid est aliud Deum orare, nisi mente humili atque devota ad eius misericordiam semper respicere? Propterea enim non dixit tibi, ora eam hoc vel illud: sed tantum, ora eum: quia nil aliud a te, quam affectum bonum exigit, qui tuam necessitatem, etiam te non loquente cognoscit. Cum ergo oras, quem petas potius, quam quid petas, cogitare tibi dulce sit: et ipse quem petis, quidquid tibi petendum fuerat providebit. Sicut in Ps. 24. Psalmista idem testatur: Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.*

Nota tertio, pro *ab homine faciente iniustitias*, S. Hier. vertit, *adversus virum, qui facit quæ cogitat*. Ut intelligas terram nostram non producere, nisi spinas et tribulos: et perditionem nostram a nobis esse, a Deo autem salutem. Hebr. מזמות *mezimmot*, significat 1. cogitationes; 2. abominationes, scelera, versutias.

Nota quarto, non dicit David *ne irascaris*, sed *desine ab ira*: vix enim ullus est tam sanctus et moderatus qui non irascatur aliquando, ut Orig. et S. Ambros. notant. Verba S. Ambr. sunt: *Sapiens dicit: Ira perdit etiam sapientes, Salomonis dictum est: quia non solum quoscumque de medio homines, sed etiam ipsos perdat ira sapientes. Et David sapientem monet dicens: Desine ab ira, ne cum accenderis eam, illa non desinat priusquam te eius flamma consumat. Relinque, inquit, indignationem. Hoc est, natura te rapit, movet affectus, culpa te alicuius excitat vel offensa, ut indigneris: sed non usquequaque, ut modum nescias. Relinque eam, finem impone, ne te in peccatum trahat. Hoc est quod supra dixit: Irascimini, et nolite peccare. Non enim hortatur ut irascaris, sed ad tempus cedit affectui. Dat tamen medicamentum, ne diutius vis ulceris serpat. Irascimini quod ait, tuæ est passionis. Medicus enim non statim adhibet medicamenta languori. Si dolor fervet, fomenta adhibet, ut mitescat dolor. Si febris* B *exæstuat, remedii tempus expectat, ipsum potum sitientibus negare consuevit. Non dicit, nolite febrire, eum vapor fervet ægroti; sed dicit: Expecta, desinat febris, digeratur commotio. Sic et Propheta non potuit dicere homini, cuius caro ut variis morborum, ita commotionum passionibus excitatur: Non irascere; sed dicit, Desine ab ira, et indignationem relinque, ne pecces. Ira enim gravis est magistra peccati. Alius quoque medicus dicit Ephes. 4. 25. Sol non occidat super iracundiam vestram: ne dum diu differs, veniat ille qui calefactum corporis somno excitare consuevit, et stimulet te, inserat tibi cogitationes, et in secreta pectoris tui immergat, dicens: vindica iniuriam tuam, virum te esse cognosce. Fœmineæ infirmitatis est non capere vindictam, etc.*

Nota quinto, post *iram* ponit *furorem*, ait enim, Desine ab ira, et derelinque furorem: quia ab ira furor nascitur: et nisi iram cito extinxeris, in furorem erumpet. S. Ambros. hic: *Ira gravis passio est, plerumque accendit invi-* C *tum: et volentem mitius vindicare, in furorem rapit, ut perimat quem putaverit coercendum. Commotus, gladio sæpe transverberat innocentem. Amicos et fratres per indignationem plurimi peremerunt. Ideo Sapiens dicit: Ira perdit etiam sapientes.* Hæc Ambrosius. Hoc probare poteris his exemplis. Primo, Artaxerxes Mnemon, Persarum rex Darium filium cum aliis filiis quinquaginta rebellibus interfecit. Secundo, Ptolemæus Philopator (hic per antiphrasim dictus) in Ptolemæum Evergetem patrem suum insurgit, eumque mactat. Tertio, matrem suam Cleopatram occidit Ptolemæus filius Epiphanis, unde Philometor est dictus. Quarto, fratrem Getam Antoninus Caracalla. Quinto, maritum suum Alboinum regem Longobardorum, Rosimunda. Sexto, uxorem suam Sabinam Poppæam Nero calcis ictu interfecit, cum uterum ferret. Adeo funesta furia est ira, ut omne ius intervertat. Eam iure compares cani rabido in omnes furenti, atque obvios quosque mordenti. Avicenna 4. causam docet, canis rabidi morsu insaniam induci, atque post aliquot a morsu D dies, ita humores omnes commoveri, ut suboriantur infesti cogitatus, furiosa somnia, desperatio cum ira, murmuratio, perturbatio rationis, atque responsio sine interrogatione. Idem faciat in te ira, si te momorderit, et venenum in venas tuas diffuderit. Dæmon est familiaris, aut certe dæmon hominem possidens, discerpens, modo in aquam, modo in ignem deiiciens, modo ad pavimentum allidens, in aerem elevans, contorquens, atque huc et illuc exagitans, os, oculos, vultum, membra omnia deformans. Iacobi 3. 16. *Ubi zelus et contentio: ibi inconstantia, et omne opus pravum.* Vide dicta Ps. 4. 5.

39. Ex ira oritur furor.

40. Iræ exitialis exempla sex: 1. In Artaxerxe. 2. In Ptolemæo Philop. 3. In Ptolemæo Philom. 4. In Caracalla. 5. In Rosimunda. 6. In Nerone. Ira est canis rabidus.

Initio Psalmi ostendit David non esse æmulandos malos, quia cito peribunt et marcescent, sicut fœnum et olera: ita licet ab aliis non exscinderentur, perirent: nunc vero probat, non esse illos æmulandos, quia Deus eos violente et severe exterminabit. Itaque et ab intrinseco et ab extrinseco orietur eorum ruina et excidium, v. 9. QUONIAM QUI MALIGNANTUR (S. Hieronym. *qui male faciunt*) Vers. 9.

EXTERMINABUNTUR (S. Hieron. interibunt) **SUSTINENTES** (S. Hieron. *expectantes*) **DOMINUM, IPSI HÆREDITABUNT TERRAM.**

41. Vers. 10. Felicitas impii brevis. Tempus breve illis assignat, v. 10. **ET ADHUC PUSILLUM** (S. Hieron. modicum) **ET NON ERIT PECCATOR** (id est diabolus, ait Remigius; 2. qui aliis nocet, ut Haymo, q. d. Peccare in alios non poterunt; 3. quilibet peccator felix. Non erunt, ait Bruno, in hoc statu ita florentes, ut opprimant Iustos: non in ea gloria, dicit Hesychius, in qua nunc sunt) **ET QUÆRES LOCUM EIUS, ET NON INVENIES.** Locus peccatoris est eius dignitas, gloria, thronus, domus, arx, civitas, regio florens et opulenta. Iob 20. 4. ait Sophar Naamathites se cognoscere scientifice gaudium hypocritæ esse breve: *Hoc*, ait, *scio a principio* (Sept. ex eo quod olim. Symm. a sæculo. Caiet. a semper) *ex quo positus est homo super terram: quod laus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritæ ad instar puncti.* (S. Chrys. eleganter: Si, ait, eorum lætitia ingens est ruina et gaudium perditio, quid dicemus esse ipsum interitum? Dic, amabo te, quid dolorem, quid animi ægritudinem?) Vers. 6. *Si ascenderit usque ad cælum superbia eius, et caput eius nubes* (nihil ibi est solidum, ibi tempestates, fulgura et tonitrua) *tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur: et qui eum viderant, dicent: Ubi est? Velut somnium avolans non invenietur, transiet sicut visio nocturna. Oculus qui eum viderat, non videbit, neque ultra intuebitur eum locus suus etc.* fuse. Ieremias de Ierusalem disiecta a Chaldæis dicit Thren. 2. 15. *Plauserunt super te manibus* (irridentes, ait Lyran. 2. dolentes, et admirantes, ait S. Thomas) *omnes transeuntes per viam: sibilaverunt, et moverunt caput suum super filiam Ierusalem* (urbes vocantur filiæ, et sic pinguntur) *Hæccine est urbs perfecti decoris, gaudium universæ terræ*, q. d. Quæ opibus, pompa, ornatu, sapientia, pace, securitate, negotiatione, canticis, conviviis, aliisque, orbis deliciæ et gaudium in eam adventantium, et illi sublectorum populorum erat. Sic de regina Iezabel occisa a Iehu in Iezhrael, et ita devorata a canibus, ut non restaret nisi calvaria, et pedes ac summæ manus, dicitur 4. Reg. 9. 37. *Hæccine est illa Iezabel?* Nomen Psalmo nostro convenit. Nam איזבל *izebel* (sic vocatur Hebraice) significat insulam habitaculi. 2. significat væ habitaculo. Iezabel filia Eth-Baal regis Sidoniorum, erat velut insula Tyrus indecore suo firma, stabilis, ornata, inexpugnabilis: a *Iehu* vero, qui significat *Deus ipse:* vel, *ipse;* vel *existens*, deiecta de fenestra velut stercus fœtidum conculcatur in Iezrahel, quod significat distillatio contritionis divinæ. Stillat furor Dei in peccatores, et eos consumit. Non tantum super personas, sed super eorum locum stillat furor Dei. Sic de Ierusalem tempore Sedeciæ perdenda ait Olda Prophetissa uxor Sellum, quæ habitabat in Secunda: id est in secunda seu media parte Ierosolymæ, quæ erat divisa in tres partes, 2. Paralip. 34. 25. *Stillabit furor meus super locum istum, et non extinguetur.* Stillabit igitur, sicut flammæ super Sodomam et Gomorrham.

42. Dices, Peccatores multi abundant divitiis tota vita. Resp. primo, multos in hac ipsa vita puniri, ita ut vix dimidientur eorum dies, Ps. 56. 24. Resp. secundo, vitam hanc esse illud pusillum et modicum. Paulus Hebr. 3. 13. tempus vitæ et mundi vocat *hodie*. Secundo, a S. Iacobo cap. 4. 14. dicitur *vapor ad modicum parens*, ubi Corn. octo analogias vaporis et vitæ affert. Vide Ps. 38. 6.

Est volatica et transitoria. Hinc iure S. August. serm. 106. de diversis, terrenam felicitatem vocat volaticam et transitoriam: et conc. 1. in Psalm. nostr. ait esse auram matutinam: id est, ventum

Aura matutina. qui mane exurgit, et cito desinit sole exorto, et vaporem dissipante. Secundo, S. Greg. Naz. epist. ad Sophronium comparat humanam felicitatem litteris aquæ inscriptis, quæ statim aqua fluente ita deleatur, ut ne vestigium quidem remaneat: Αυραις, ait, ἐστι μαλλον πιστευειν, και γραμμασι τοις καθ' υδατος, η ανθρωπινη ευμενεια: *Auris ac litteris aquæ inscriptis fidere licet citius, quam humanæ felicitati.*

Similis litteris aquæ inscriptis. Tertio, idem Naz. confert illam felicitatem terrenam rotæ volu-

Et rotæ volubili. bili, quæ nullo in loco consistit, sed sursum ac deorsum semper volvitur. Sic enim ait oration. de pauperum amore: *Natura*, inquit, *nihil est in rebus humanis firmum, et æquabile, ac durabile, atque eodem statu constanter manens: verum res nostræ velut orbe quodam volvuntur.* Volubilitatem illam S. Ambr. contemplans et admirans, digitoque aliis ostendens, in Ps. 1. ait: *Quid prosunt innumeræ possessiones? Publicæ sunt, non tuæ. Hodie tu tenes, cras alius. Cum tu exieris, alius intrabit. Vix movisti pedem, alius gressum intulit.* Quarto, somnio supparem facit imaginariam hanc felicitatem Minutius Felix in Octavio: Atque somnio. *Absque notitia Dei*, ait, *quæ potest esse solida felicitas, cum sit somnio similis? antequam tenetur, elabitur.* Mors omnia demetit falce sua implacabili, atque divitias ab uncinatis manibus discutit. Seneca 102. *Excutit redeuntem natura, sicut intrantem. Non licet plus efferre, quam intuleris.* Quinto, Sapiens cap. 5. 9. vitam et felici- Denique nihil.
tatem mundi exponit simili, 1. umbræ; 2. nuntii currentis; 3. navis transeuntis; 4. avis volantis; 5. sagittæ in scopum excussæ. Sexto, idem Sapiens c. 9. 6. verbo rem absolvit, cum in nihilum redigendos impios docet: *Si quis erit consummatus* (τελειος, perfectus) *inter filios hominum, si abfuerit ab illo Sapientia tua, in nihilum computabitur.* 1. Corinth. 13. 2. et 3. cætera dona præ charitate Dei nihil esse dicuntur. Magis ad rem nostram est illud Isa. 40. 17. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo: et quasi nihilum* (Forerius vertit, plusquam nihilum. Nam nihilum non distat nisi finite ab ente creato: ens vero creatum distat infinite a Deo) *et inane reputatæ sunt.* Vide Ps. 38. 6.

Concludo ex hoc loco, non esse invidendum felicitati impiorum, cum prosperentur in via sua, quæ exitum luctuosum habet: non vero in via Dei, quæ tota cælestibus radiis effulget, atque ad æterna palatia perducit. S. August. hoc meditatur concion. 1. in hunc Psalm. *Prosperatur*, ait, *impius, sed in via sua, non in via Dei. Illi prosperitas in via est, in perventione infelicitas: tibi labor in via, in perventione felicitas, quoniam iter impiorum peribit. Ps. 1. ult. Novit Dominus vias iustorum, et iter impiorum peribit. Has vias ambula quas novit Dominus, et si ambulas in eis, non te fallent. Via vero impiorum, felicitas transitoria: finita via, peracta est felicitas.*

Molestum est impiis excidium a Deo immissum et punitio: sed est longe gravior et doloris plenior eorum afflictio, quod propriis suis artibus et crudelitate pereunt,
v. 14. **GLADIUM EVAGINAVERUNT PECCATORES, INTENDERUNT ARCUM SUUM** (ut gladio prope: arcu e remoto loco Vers. 14.
feriant) **UT DEIICIANT PAUPEREM ET INOPEM, UT TRUCIDENT RECTOS CORDE.** Vers. 15. **GLADIUS EORUM INTRET IN CORDA IPSORUM, ET ARCUS EORUM CONFRINGATUR.** Hoc est, suis manibus, et viribus atque artibus pereant. Vide dicta Ps. 7. v. 17. in illud: *Convertetur dolor eius* (id est, quem aliis infert) *in caput eius, et in verticem ipsius iniquitas eius descendet.* 43. Vers. 15. Gladio suo perit impius.

Alludit David ad gladium Goliathi; cum enim infixus esset lapis in fronte eius, et ipse cecidisset in faciem suam super terram (ut saltem moriens se terram esse meminisset, qui prius Dei exercitui insultabat) prævaluit David adversus illum, percussumque interfecit. *Cumque gladium non haberet in manu, cucurrit, et stetit super Philisthæum, et tulit gladium eius, et eduxit eum de vagina sua; et interfecit eum, præciditque caput eius.* Cum Pelagius Gallæciæ rex Mauros fugiens in speluncam se recepisset cum militibus, tela a Mauris coniecta in eos ipsos resiliebant, eosque occidebant: unde animatus Pelagius impetum in territos fecit, et grandi clade prostravit. Idem accidit militibus Eugenii tyranni in Theodosium magnum pugnantis, ut refert Theodoret. lib. 5. histor. cap. 24. et Orosius lib. 7. cap. 35. Baronius tom. 4. anno 394. Et S. Ambros. in Ps. nostr. *Quemadmodum*, ait, *revertitur pax in Dei servulos ab eis qui non receperint benedicentium pacem: ita etiam malitia peccatorum, qua iusto nocere conantur, in eorum perniciem revertatur, quo suis telis et vulneribus trucidentur. Sæpe enim iacula in ipsos, qui ea iecerint, refunduntur. Quod etiam proximo accidit bello, cum infideles et sacrilegi lacesserent aliquem in Domino* Sicut Goliath.

confidentem, et regnum eius eripere contenderent, Ecclesiis Domini persecutionum sæva minitantes, ut subito ventus orirelur, qui infidelibus excuteret scuta de manibus, ac tela omnium atque missilia in peccatoris exercitum retorqueret. Adhuc hostis deerat, et iam illi ventorum prælia ferre non poterant, suisque spiculis sternebantur. Et quod peius est, non erant corporum graviora vulnera illa, quam mentium. Deficiebant enim corde, cum Deum adversum se pugnare cognoscerent. Exierant itaque provocantes, et de pharetra cordis sui adversus populum Christianum venenata perfidia iacula proferebant: sed in caput eorum sua revertebatur impietas.

44. Alleg. Alleg. Christus sæpe Pharisæos, Scribas, aliosque convicit ipsis eorum verbis, et telis propriis eos confixit, Matt. 9. 34. et 15. 3. et 21. 23. et 22. 17.

45. Tropol. Gladius est peccatum oris. Tropol. S. Ambr. gladium peccatorum ait esse sermonem eorum, sicut gladius Dei est verbum Dei. Unde monet esse opus fortitudine ad verba turpia repellenda: *Gladium*, ait, *evaginaverunt peccatores, quando sermo turpis, tamquam de vagina, petulanti ex ore profertur, quem cohiberi par fuit et recondi. Similiter ut gladius verbum Dei dicitur: et idem, sermo est peccatoris. Ita et arcus quem extendunt peccatores, mens eorum est; et sagitta quam iaciunt, sermo est venenatus. Sicut enim sagitta est Christus, qui est verbum Dei, cui dicitur Isaiæ 49. Posui te sicut sagittam electam, quæ profertur ex pharetra Dei: ita sagittæ sunt perfidorum, quæ arcu quodam iniquitatis emissæ, incautum vulnerant innocentem, nisi ignita eorum iacula scuto fidei repellantur. Et ideo sollicitus esse debes miles in prælio, quia pugna tibi non solum adversus carnem et sanguinem est, sed adversus ipsas quoque nequitias spiritales, quæ non videntur. Abundent tibi arma fortia Deo, ut facile possis quæ volueris tela depromere: ne pauperem te et inermem hostis possit opprimere. Esto Deo fortis, Deo dives, ut dicatur de te, Prov. 13. 8. Redemptio animæ viri, divitiæ eius.*

46. Et peccatum omne. Secundo, gladius peccatorum est eorum peccatum, quo se occidunt. Eccli. 21. 4. *Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas.* Græce ἴασις, hoc est sanatio, curatio, remedium. Tigurina vertit: Instar ancipitis gladii omne nefas est, contra plagam illius nullum est remedium. Syr. specialim arctat ad peccata luxuriæ, sic enim reddit: Gladius anceps os meretricis, et plagæ illius non est sanatio. Ad omnia peccata extende: hæc sunt gladius Saulis in monte Gelboë se occidentis. Gelboe significat volubilitatem inquisitionis: vel, circuitum inquisitionis. In circuitu creaturarum impii ambulant et quærunt, sed solam volubilitatem, inconstantiam, rotationem et ruinam reperiunt. Stultiores et miseriores ipso Saule sunt omnes peccatores, alios enim ut leviter perstringant se occidunt. Non desunt qui Saulis factum excusent, licet id sit satis difficile, sed aliis noxios sceleratos se gladio suo transverberantes nemo excusare potest. Ideo S. August. eos vocat insanos et cæcos. Sic enim ait Concion. 2. in Ps. nostr. *In corpore occidere voluerunt, in anima moriuntur. Desipiunt, contra se sæviunt, insaniunt, non se vident, tamquam si vellet aliquis per corpus suum ferrum traiicere, ut concideret tunicam alterius.* Quod amplificans Euseb. Emissen. homil. de sanctis Epiphoro et Alexandro, insaniam demiratur illorum, qui ut intensum digitum fronti alicuius infringant, animam suam toto brachio confodiunt: *An tu*, ait, *hunc potentem vocas, qui in mortem suam fortis est, cui proventum fallax umbra præsentium, æternorum congregat causas malorum. Quis beatam dixerit validam in suum iugulum dexteram? Quis probabiliter laudet veloeem ad ardua præcipitia festinantem? Quis eius miretur ascensum, quem de summo prospicit esse casurum? Exultant in rebus pessimis, et de sua perditione lætantur similes illis, qui forte sumentes exitiales herbarum succos, cum risu perire dicuntur.*

Obiicere quis posset, iustos sæpe felices non esse, quia
47. sunt pauperes: cum impii abundant divitiis, sed respon-
Vers. 16 det David etiam tum eos feliciores esse impiis, vers. 16. **Melius** (id est suavius, felicius, securius, lætius, copiosius, atque uberius) **est modicum** (S. Hier. et S. Ambr. *parum*) **iusto, super divitias peccatorum multas.** Heb. רבים *rabbim*, id est multorum; 2. magnatum atque potentium, q. d. Vel unius iusti exigua substantia et supellex optabilior est et beatior omnibus opibus multorum, imo omnium, peccatorum, quantumvis illustrium atque effulgentium. Melius est modicum iusto super divitias peccatorum ob tres rationes.

Nota, pro *divitias* Hebr. est המון *hamon*, id est 1. multitudo, multiplicatio; 2. divitiæ, a rad. *haman*, id est augere, multiplicare; 3. tumultus, sonitus, strepitus, perturbatio, a rad. *hama*, hoc est sonare, resonare, tumultum excitare. Secundo, pro *peccatorum* Hebr. est רשעים *resciaim*, id est, 1. impiorum, sceleratorum; 2. pavidorum; 3. inquietorum. Vide Ps. 1. v. 1. Hinc ratio prima petenda est, cur melius sit modicum iusto super divitias peccatorum multas; quia scilicet divitiæ perturbant, et ipsi impii illam turbationem augent. Ierem. 8. 16. *A Dan auditus est fremitus equorum eius, a voce hinnituum pugnatorum eius commota est omnis terra, et venerunt, et devoraverunt terram et plenitudinem eius: urbem et habitatores eius.* Impii divites sunt equi frementes, tumultuantes et devorantes bona aliorum. In se quoque tumultuantur, et se allidunt sicut fluctus maris in seipsos allisi. Isaias cap. 17. agens contra Damascenos seu Syros quorum caput erat Damascus, ait v. 12. *Væ multitudini populorum multorum, ut multitudo maris sonantis*, etc. Vide dicta Ps. 61. 11. in illud, *divitiæ si affluant*, velut undæ intumescentes, *nolite cor apponere:* ne cum illis fluctuet et rapletur in cautes ac scopulos. Sigismundus Imperator allatis ad se quadraginta millibus aureorum somnum capere non poterat, cogitans in quos usus impenderet. Tum ille excitatis cubiculariis: Ite, inquit, ocyus, consiliarios ducesque omnes militum huc accersite. Vocati proceres media nocte trepidi (timebant enim ne quid adversi accidisset) Imperatorem celeriter adeunt, et quæ causa sit tam repentinæ evocationis, inquirunt. Imperator confestim aperta arca, inter eos qui advenerant, pecunia distributa: Ite, inquit, securo tranquilleque nobis dormire liceat. Nam quod mihi somnum ademerat, iam procul aberit a cubiculo, ut refert Æneas Sylvius lib. commentar. de rebus gestis Alphonsi. In eamdem rem afferri potest dictum Pheraulæ. Cum enim a Saca felix nuncuparetur ob divitias, quas sibi acquisiverat, antea pauper, respondit: Num ita existimas, Saca, me nunc eo iucundius vivere, quo plura possideo? An ignoras me et comedere, et bibere, et dormire, nullo modo mihi iucundius, quam tunc cum eram pauper? Chilon interrogatus quid essent divitiæ, ait: Thesaurus malorum, calamitatis viaticum, improbitatis suppeditatio. 48. I. Divitiæ sunt causa perturbationis.

Qui vero pauca habet terrena bona, in sua paupertate, 49.
si sit voluntaria, securus est. Seneca epist. 17. ad Lucilium: *Paupertas, inquit, appetenda est; multis ad philosophandum obstitere divitiæ: paupertas expedita est, secura est. Cum classicum cecinit, scit se non peti: cum aliqua conclamatio est, quomodo exeat, non quid efferat, quærit. Si navigandum est, non perstrepunt portus, nec unius comitatu inquieta sunt littora, non circumstat illam turba servorum, ad quos pascendos transmarinarum regionum est optanda fertilitas. Facile est pascere paucos ventres, et bene institutos, et nihil aliud desiderantes, quam impleri. Parvo fames constat, magno fastidium. Paupertas contenta est desideriis instantibus satisfacere. Quid est ergo, quare tu hanc recuses contubernalem, cuius mores sanus dives imitatur? Si vis vacare animo, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis. Non potest studium salutare fieri sine frugalitatis cura; frugalitas autem, paupertas voluntaria est.* Et epistola 20. recte eum admonet, ut paucis sit contentus: *Huc*, ait, *cogitationes tuæ tendant, hoc cura, hoc opta, omnia alia vota Deo remissurus, ut contentus sis temetipso, et ex te nascentibus bonis. Quæ potest esse felicitas Deo propior? Redige te ad parva, ex quibus cadere non possis.* Et in fine epistolæ miratur insatiabile hominum desiderium. Nemo, ait, nascitur dives: quisquis in lucem exit, iussus est lacte et panno esse contentus: ab his ini- Paupertas voluntaria securitatem affert.

tiis nos regna non capiunt. Hinc epist. 25. ait: Nihil ex his quæ habemus, necessarium est. Ad legem naturæ revertamur; divitiæ paratæ sunt. Aut gratuitum est quo egemus, aut vile. Panem et aquam natura desiderat, nemo ad hæc pauper est: *intra quæ quisquis desiderium suum clausit, cum ipso Iove felicitate contendat*, ut ait Epicurus. Sacræ conchæ sunt viri iusti, eos vel fonticulus paulatim impleat: impii vero, canales sunt immensi, qui, quidquid ingeritur, evomunt: hiatus sunt ac voragines terræ hiantes, quæ ingestos vel totos fluvios absorbent. Mare sunt infinito spatio protensum, quod in oculis omnium capaci sinu aquas totius orbis recipit, quas per occultos ac subterraneos meatus in terræ abiectæ claustra obscura immittat. Hoc admirans Seneca in quadam epistola ait: *Neminem pecunia divitem facit: imo e contrario nulli non maiorem sui cupiditatem incussit. Quæris quæ sit huius rei causa? plus incipit habere posse, qui plus habet.* In hoc est infelicitas impiorum, quod qui maiores flammas concepere, eo plura ligna appetant. Unde fit ut nunquam satientur et quiescant. Idem Philosophus epist. 16. *Ab Epicuro dictum est: Si ad naturam vixeris, nunquam eris pauper; si ad opinionem, nunquam dives. Exiguum natura desiderat, opinio immensum. Congeratur in te, quidquid multi locupletes possederunt: ultra privatum pecuniæ modum fortuna te provehat, auro tegat, purpura vestiat, et eo deliciarum opumque perducat, ut terram marmoribus abscondas, et non tantum habere tibi liceat, sed calcare divitias; accedant statuæ et picturæ, et quidquid ars ulla luxuriæ laboravit, maiora cupere ab his disces. Naturalia desideria finita sunt: ex falsa opinione nascentia, ubi desinant, non habent: nullus enim terminus falso est. Via eunti aliquid extremum est: error immensus est. Retrahe te a vanis, et cum voles scire quod petis, utrum naturalem habeat, an cæcam cupiditatem, considera an possit alicubi consistere. Si longe progresso, semper aliquid longius restat, scito id naturale non esse.*

Ex his facile est concludere, divites esse pauperrimos. Ut enim ait idem Seneca lib. de moribus: *Quæ sunt maximæ divitiæ? non desiderare divitias.* Epictetus rogatus, quis esset inter homines dives? Cui, ait, satis est quod habet. Et Socrates petenti, quem putaret ditissimum? Qui, inquit, paucissimis contentus est. Ac Democritus interrogatus, quomodo quis fieri posset dives, respondit: Si cupiditatum pauper sit. Et alias: Si inops sit desiderio. Bias aiebat, eum ex opinione vulgi felicem esse, qui opes ex animi sententia assequeretur. Verum multo beatiorem, qui ne desideraret quidem.

50. II. Divitiis melius utitur iustus. Secunda ratio, cur *melius sit modicum iusto super divitias peccatorum multas*, est, quia divitiæ non in possessione, sed in usu consistunt: itaque ille est ditior et felicior, qui melius bonis suis utitur. Aristoteles lib. 1. Rhetor. ad Theodect. cap. 5. dicit, divitias in utendo magis, quam in possidendo consistere. Isocrates egregia similitudine rem declarat. Sic enim loquitur ad Demonicum: *Omnem divitiarum fructum non in magnitudine opum, sed in moderato usu rei familiaris esse positum existima. Sperne illos, qui cumulandis opibus invigilant, sed partis uti nesciunt. Idem enim usuvenit istis, quod his, qui equitandi nescii bonos equos habent.* Et Seneca epist. 14. Is maxime, ait, divitiis fruitur, qui minime divitiis indiget. Nemo autem sollicito bono fruitur. Illis aliquid studet adiicere: dum de incremento cogitat, oblitus est usus.

51. III. Virtutes sunt veræ divitiæ. Tertia, et potissima ratio, cur *melius sit modicum iusto super divitias peccatorum multas*, est, quia iustus virtutibus, quæ veræ divitiæ sunt, abundat: peccatores vero vitiis, quæ sunt animæ paupertas, scatent. S. Gregorius in Evangelia: *Solæ, ait, divitiæ veræ sunt, quæ nos virtutibus divites efficiunt. Si ergo, fratres, divites esse cupitis, veras divitias amate; si culmen veri honoris quæritis, ad cæleste regnum tendite; si gloriam dignitatum diligitis, in illa superna Angelorum curia adscribi festinate.* Divitiæ ad vitia trahunt; divitiis enim et vitiis magna est affinitas. Beda lib. 1. in Esther: Familiaris, inquit, res est, humanum cor opibus ac libertate dissolvi: ærumnis vero

A ac paupertate, ad semetipsum recolligi. Unde recte usurpabis illud Aristotelis lib. 2. Rhetor. cap. 16. Divitiæ nihil fere aliud sunt, quam felix amentia. Ut enim ait S. August. de verbis Domini serm. 12. *Quid prodest arca plena bonis, si inanis sit conscientia? bona vis habere, et tu bonus esse non vis. Erubescere debes de bonis tuis, si domus plena bonis te malum habet Dominum. Quid prodest diviti quod habet, si Deum qui omnia dedit, non habet?* Diogenes servos Anaximenis conspicatus multa vasa ferentes, cuius ea essent interrogavit? Cum autem illi, Anaximenis esse respondissent: An non pudet eum, inquit, tam multa habere, qui seipsum non habet?

Ex horum consideratione patrem suum imitatus dicebat Salomon Prov. 15. 16. *Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri multi et insatiabiles*, Hebr. *et* מהומה *mehuma*, id est, tumultus, perturbatio, *in eo*. Chald. vertit, quam thesauri multiplicationis, in quibus est perturbatio. Vatabl. contritio. Syr. quam thesauri iniquorum. Ubi vides iniquitatem et turbationem esse synonima, aut B saltem inseparabilia. Et contra, timorem seu cultum Dei et felicitatem atque lætitiam sibi invicem iungi. S. Chrysostomus hom. 26. epistola ad Hebræos: *Adsit*, inquit, *timor Dei, et nihil erit molestum: sive dixeris paupertatem, sive morbum, sive captivitatem, sive servitutem, sive quidvis aliud molestum: sed et ipsa nobis opem afferent ad contraria. Scilicet paupertas divitiis honestior, morbus sanitate firmior; captivitas denique, et servitus libertate gloriosior ac potior erit.* Vide Salomonem Proverb. 13. 7. cap. 16. 8. cap. 17. 1.

Symbolice. Divitiæ peccatorum multæ, sunt multæ et magnæ impiorum scientiæ: modicum illud iusti, est fides eius, quæ ut granum sinapi, brachia sua in cælum extendit, et volucres cæli in se recipit. Origenes homil. 3. in hunc Psalmum: *Sunt multa et diversa studia litterarum in hoc mundo, ut videas quam plurimos incipientes a Grammaticis ediscere carmina Poetarum, comœdiarumque fabulas, tragœdiarum vel commentitias, vel honorificas narra-* 52. Symbol. Divitiæ superborum sunt scientiæ.
C *tiones, historiarum longa ac diversa volumina, tum deinde transire ad rhetoricam, atque ibi omnem fucum eloquentiæ quærere, post hæc venire ad philosophiam, perscrutari dialecticam, syllogismorum nexus inquirere, mensuras geometriæ pertentare, astrorum leges ac stellarum cursus perscrutari, nec musicam ipsam omittere: et sic per omnes istas eruditi tam diversas et varias disciplinas, in quibus nihil de Dei voluntate cognoverunt, multas quidem sed peccatorum divitias congregaverunt.* Aristotelis scilicet, Ciceronis, Virgilii, Horatii, Euclidis, et aliorum hominum damnatorum. Subdit deinde: *Videas autem unum de Ecclesia imperitum in verbo atque eruditione, sed fide ac timore Dei repletum, qui propter timorem Dei in nullo audet delinquere, sed veretur omnino aperire os suum, ne sermo malus procedat de ore eius, et observat etiam in minimo delinquere, a quibus observare se non potest ille qui dives est in huiusmodi sapientia. Hos igitur sibi conferens divinus sermo, ait: Melius est modicum iusto super divitias peccatorum multas. Ut sunt divitiæ peccatorum sa-* D *pientia huius mundi, in qua divites sunt et abundantes in eloquentia, nec tamen se per hæc continere prævalent a peccato. Modicum autem iusti est, qui habet fidem tamquam granum sinapi modicam, sed vividam et vehementem, per quam se communit et continet a peccato.* Idem et elegantius dicit S. Ambrosius.

Alias rationes, cur melius sit modicum iusto super divitias peccatorum multas, affert David. Primo, quod robur peccatorum confringatur, v. 17. QUONIAM BRACHIA PECCATORUM CONTERENTUR: CONFIRMAT (Hebr. סומך *somech*, id est, sustentans, ut Pagninus et Felix vertunt: Benoni, id est, participium ponitur pro tempore præsenti, quo carent Hebræi. 2. S. Hieronymus, sublevat) AUTEM IUSTOS DOMINUS. Vers. 17. Brachia peccatorum, sunt actrices animæ facultates: ita Didymus. Secundo, et melius, sunt robur eorum et potentia, opes, maiestas: ita S. Augustinus, S. Basilius, S. Cyrillus, Eusebius, et alii. Sic Iobi 40. 4. *Si habes brachium* (similem potentiæ et pulchritu-

dinis gloriam, ait Pineda) *sicut Deus, et simili voce Ionas.*

Tropolog. Brachia peccatorum conteruntur a diabolo, cum boni operis studia, veluti vinctis et contritis infidelium brachiis impedit: ita Origenes.

Secundo, *melius est modicum iusto super divitias peccatorum*, quia eius actiones Deus approbat, et felices red-
Vers. 18 dit, v. 18. NOVIT (scientia approbationis. Vide Ps. 1. 6.) DOMINUS DIES (Septuag. ὁδοὺς, id est, *vias*. Hebraice est *dies*. Est metonymia) IMMACULATORUM. Pagninus, perfectorum. Tropol. dies iusti est eius virtus fulgens. Lege hic S. Ambrosium.

Tertio, *melius est modicum iusto super divitias peccatorum*, quia divitiæ, quas acquirit virtutibus, æternæ erunt. Additur enim: ET HÆREDITAS EORUM IN ÆTERNUM ERIT.

Vers. 19. Quarto, in die iudicii non contremiscent iusti, v. 19. NON CONFUNDENTUR IN TEMPORE MALO, id est, 1. in die iudicii extremi; 2. in qualibet calamitate: illis enim Deus præsto aderit, et salvabit eos ab hostium irruentium viribus ac furore.

53. Quinto, *melius est modicum iusto super divitias peccatorum multas;* quia post hanc vitam, cum dives epulo ne guttam quidem aquæ obtinebit ad levandam sitim, tunc Lazarus satiabitur, quia apparebit ei gloria Dei, vers. eodem 19. ET IN DIEBUS FAMIS SATURABUNTUR. Hoc in hac vita potest intelligi dupliciter. Primo, de fame corporali, Deus enim ordinarie iustis providet, ut Eliæ immisso corvo in torrente Carith, 3. Reg. 17. 6. et indicata vidua in Sarephta Sidoniorum urbe, 3. Reg. 17. 9. Secundo, ac-
Cibus animæ est verbum Dei. cipi potest de fame et satietate verbi Dei. Ut enim ait S. Ambrosius: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei. Verbum enim Dei vita est: quia verbum caro factum est. Itaque est cibus hominum carne et ossibus constantium.* Et infra addit idem sanctus Doctor: *Caro est quæ in Christo apparuit, vel Christus in carne: ipse nostra in omnibus vita est. Ipsius divinitas, vita est: ipsius æternitas, vita est: ipsius caro, vita est: ipsius passio, vita est. Unde et Ieremias ait, Thren. 4. In umbra eius vivemus. Umbra alarum, umbra crucis, umbra est passionis. Ipsius mors, vita est: ipsius vulnus, vita est: ipsius sanguis, vita est: ipsius sepultura, vita est: ipsius resurrectio, vita est universorum. Vis scire quoniam mors ipsius vita est? in morte ipsius baptizati sumus, ut cum ipso in novitate vitæ ambulemus. Et ipse ait Ioan. 12. 24. Amen, amen dico vobis: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuatur, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Ipse granum pro nobis corpore solutus et mortuus est, ut fructum multum afferret in nobis.* Nobis corpus suum in cibum verum, et sanguinem in potum proponit, Ioan. 6.

Ratio porro additur, cur iusti sint habituri æternam hæreditatem, et sint in fame satiandi, v. eod. 19. QUIA PECCATORES PERIBUNT, qui scilicet eos perturbare, et bonis suis spoliare soliti erant.

54. Quomodo autem, et cur sint perituri, subditur, v. 20.
Vers. 20. INIMICI VERO DOMINI (en causa cur pereant) MOX UT HONORIFICATI FUERINT ET EXALTATI (en tempus et occasio) DEFICIENTES QUEMADMODUM FUMUS DEFICIENT, eo modum Hebr. *deficientes, deficient*, id est, cito certo et penitus deficient.

Versionum varietas. Nota, pro *exaltati*, a S. Hieron. legitur, sicut monocerotes: ab aliis, *agni*, quæ sunt res diversissimæ. In Hebræo nunc habetur *Carim*, quod proprie agnos significat, et ad sententiam huius loci nihil facit. S. Hieron. videtur legisse *Carem*, et ideo vertit, sicut monocerotes: nam monoceros in lib. Num. cap. 23. et 24. dicitur *reem:* et in lib. Iudic. cap. 38. dicitur *rem:* et sensus est: Inimici Domini cum honorificati et gloriantes fuerint sicut monocerotes, tamquam fumus consumentur. Sed Septuag. Interpretes non legerunt *Carim*, neque *Carem*, sed *Carum*, et ideo recte verterunt, *Cum exaltati fuerint*. Quæ lectio optima est, eamque noster Interpretes etiam secutus est, et tota frequentat Ecclesia: ita Bellarminus. Quid sit autem monoceros, et quomodo illi impii comparentur, vide Ps. 21. 22. Cur impii etiam ovibus assimilentur habes Ps. 48. 15. *Sicut oves in inferno positi sunt.* Chald. in Psalm. nostr. vertit: Sicut gloria vervecum impinguatorum, qui tandem iugulantur: sic impii deficient, et in fumo gehennæ consumentur. R. Salomon reddit: Sicut decor camporum.

Nota secundo, pro *sicut fumus defecerunt*, Hebraice nunc est *in fumo*, facili mutatione *heth*, id est, *in*, pro *caph*, id est, *sicut*. In fumo deficere et consumi gravis dolor est. Sive igitur impii, sicut monocerotes insaniant et impetant: sive ut agnelli blandiantur: sive ut verveces impinguentur: sive ut camporum amœnitas splendeant, in fumo tamen et oculorum dolore vivunt et consumuntur. Lampridius in Alexandro Severo cap. 36. refert, quod Turinum quemdam gratiæ, qua apud eum valebat, venditorem stipiti alligatum, fumo apposito, quem e stipulis et lignis humidis fieri iusserat, necavit, præcone dicente: *Fumo punitur qui vendidit fumum.* Longe iustius punitur fumo, qui illum excitat, et in eo vult vivere ac mori.

Nota tertio, fumo comparantur impii et eorum felicitas: 55.
Comparationem habes Isa. 65. 5. ubi Deus de Iudæis idola Fumo confertur impii felicitas ob sex rationes.
et fortunam colentibus ait: *Isti fumus erunt in furore meo*, in inferis, cum malos puniam, erunt fumo æterno circumdati, *ignis ardens tota die*, in tota æternitate. Sed in hac etiam vita fumus sunt, ob sex rationes.

Primo, fumus in altum se subrigit. De impiis habes I.
Ps. 73. 23. *Superbia* (S. Hieron. sonitus: Impietas est ignis in spinis stridentibus et crepitantibus. Alii vertunt, tumultus, fremitus, strepitus) *eorum qui te oderunt, ascendit semper.*

Secundo, fumus fœda fuligine omnia deturpat et nigra II.
efficit. Baruch. 6. 20. de idolis, id est, tropologice, de divitibus et nobilibus sceleratis, qui ut idola coli volunt, dicitur: *Nigræ sunt facies eorum a fumo* (nihil præter honoris et pulchritudinis vanæ fumos spectant) *qui in domo fit.* Ipsi sibi fumum faciunt, et vendunt.

Tertio, fumus oculos ferit, et vel invitis lacrymas ex- III.
cutit. Iob 24. 12. ait de sceleratis: *De civitatibus fecerunt viros gemere.* Hoc fecit Pharao Israelitas opprimens, Exod. 2. 23. Quod in fumo sint, et in obscuritate, declarat Iob v. 13. *Ipsi fuerunt rebelles lumini.*

Quarto, fumus ab igne exiit, et tenebras infert. Ps. IV.
57. 9. de impiis dicitur: *Supercecidit ignis (cupiditatis et libidinis) et non viderunt Solem*, iustitiæ. S. Hieron. vertit, quasi abortivum mulieris, quod non videt solem. Chald. sicut abortivum, et talpa cæca, quæ non vident solem. Impii sunt fumus exiliens de igne infernali, de quo Apoc. 9. 2. *Et aperuit* (stella de cælo cadens, id est, Lucifer) *puteum abyssi: et ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ: et obscuratus est sol, et aer de fumo putei.*

Quinto, fumus facile dissipatur levi vento. Isaias 41. V.
v. 11. de impiis iustorum persecutoribus ait Deus: *Erunt quasi non sint: et peribunt viri, qui contradicunt tibi.* Alloquitur populum Israel, id est, populum Christianum. S. Chrysost. res terrenas fumo pereunti comparat homilia de avaritia: *Perpende*, inquit, *assidue rerum humanarum naturam, quæ nihilo melius habet quam omnium defluxus, et fumo in aerem evanescente fugacior est, et umbra prætereurrente inanior.* Superbiæ fastum inde comprimit Hugo a S. Victore in institutione noviliorum, cap. 11. *Quid*, ait, *superbit cinis et pulvis, fumus evanescens, et vapor ad modicum parens?*

Sexto denique, fumus quo magis elevatur, eo magis et VI.
facilius dissipatur. De impiis vide in hoc Psalmo v. 35. *Vidi impium superexaltatum sicut cedros Libani, transivi, et ecce non erat.* S. Greg. l. 1. epist. 5. deplorat se in ipsa sua exaltatione ad Pontificatum deiici. Verba eius sunt: *Ex eis me esse video, de quibus dictum est Ps. 72. 18. Deiecisti eos dum allevarentur. Neque enim dixit, deiecisti eos postquam allevati sunt; sed dum allevarentur: quia pravi quoque dum temporali honore suffulti, foris videntur surgere, intus cadunt. Allevatio ergo ipsa, ruina est: ut quia dum gloria falsa subnixi sunt, a gloria vera evacuantur.* Affert deinde locum Psalmi nostri, et subdit: *Fumus quip-*

pe ascendendo deficit, et sese dilatando evanescit. Sic videlicet fit cum peccatoris vitam præsens felicitas comitatur: quia unde ostenditur, ut altus sit: inde agitur, ut non sit.

57. Vers. 21. Aliud sceleratorum malum, et iustorum bonum affertur a Davide, vers 21. MUTUABITUR PECCATOR, ET NON SOLVET: IUSTUS AUTEM MISERETUR ET TRIBUET. Pro *mutuabitur*, Hebraice est לוה *love*, id est, mutuum accipit, ut vertit Pagninus et Arias; 2. fœnus accipit, ut S. Hieronymus. Significat accipere mutuum sive cum fœnore, sive sine fœnore: hic de fœnore est accipiendum magis. S. Ambrosius legit, fœneratur. De fœnoris sive usuræ incommodis dixi Ps. 14. 5.

Nota secundo, τὸ *non solvet*, dupliciter potest accipi. Primo, nolet solvere, licet possit, quod sæpe faciunt ditiores pauperibus et mercenariis, in quos diras intentat auctor Eccli. 34. 27. Secundo, *non solvet*, id est, non poterit solvere, etiamsi vellet. Hic sensus est verior et nervosior. Ubi adverte Hebræa verba activa sæpe non actionem et affectum, sed agendi virtutem, vim, et potentiam significant, ut Ioan. 6. 55. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet* (id est, habere poterit vi Eucharistiæ, si alia præstet) *vitam æternam*. Sic in loco nostro, *iustus miseretur, et tribuet*, id est, tribuere et clargiri semper maiora poterit. Fit in eo liberalitas fons inexhaustus, et puteus aquarum viventium, et alios vivificantium. Vide dicta Ps. 40. 1. et seqq. Salomon Proverb. 11. 24. dicit: *Alii dividunt propria, et ditiores fiunt: alii rapiunt non sua, et semper in egestate sunt.*

58. Debita non sunt facile contrahenda. Moraliter nota Primo, mutuum, præsertim fœnerarium, non est facile accipiendum. Hoc docet Paulus Roman. 13. 8. *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Eccli. 21. 9. *Qui ædificat domum suam impendiis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hyeme.* Gr. εις χειμωνα, in hyemem, vel ad hyemem: ut scilicet domum construat tempore hyemis, id est, tempore importuno, et quo ædificata corruent. Complut. Cod. habent, εις χωμα ταφης αυτου, in tumulum sepulturæ suæ, q. d. Sibi sepulcrum extruit, cito morietur curis et tristitia consumptus. Servitutem enim servit miserrimam. Poeta Græcus Comicus ait: τα δανεια δουλους τους ελευθερους ποιει: *Fœnus frequenter liberos servos facit.*

Plutarchi festiva comparatio. Plutarchus in Moralibus comparat debitores equis, qui accepto semel fræno sessorem alium post alium coguntur ferre: ita qui semel æri alieno se subiiciunt, vix unquam evadunt, sed versuram faciunt commutatione creditorum, donec eorum multitudine obruantur. Confert eos quoque cholericis, qui commodo tempore purgari nolunt, collecta in dies maiore bile, postea graviter cruciantur. Nec illis prodest culcitra equitis illius Romani, de qua Macrobius lib. 2. cap. 4. Saturn. Equite enim Romano quodam defuncto, compertum est illum tantum habuisse æris alieni, ut summam ducenties nummum excederet, id est, quingenta millia aureorum, qui 35. asses contineant, idque dum viveret, celaverat. Cum igitur res illius auctioni subiicerentur, ut ex pecunia creditoribus satisfieret,

Augusti Imp. lepidum dictum. Augustus iussit sibi emi culcitram eius cubicularem: ac mirantibus hoc præceptum: Habenda est, inquit, ad somnum mihi conciliandum illa culcitra, in qua ille tanto ære obstrictus somnum capere potuit. Nam Augustus ob ingentes curas sæpe maximam noctis partem ducebat insomnem: ita Macrobius. Sed vix crediderim equitem illum quietos somnos in ea culcitra cepisse, nisi prorsus sine cerebro fuerit. S. Gregorius in Moralibus stultos vocat eos, qui se debitis onerant: *Stultus est*, inquit, *debitor, qui gaudens pecunias accipit, et tempus quo reddere debeat, non agnoscit.*

Persæ oderant debitis se onerantes. Eam ob rem Persæ turpissimum censebant debita contrahere, ut tradit Herodotus lib. 1. p. 59. Persæ, inquit, dicebant duo esse peccata inter homines turpia: quorum primum est, debitorem esse: alterum, mentiri. Coniunxerunt autem hæc duo, quod unum raro sit sine altero. Qui enim ære alieno obstricti sunt, pollicentur in dies se satisfacturos; nec tamen præstant quod promissum est semel atque iterum.

Mira lex regis Asychis. Asychis rex Ægypti legem tulit, ne quis pecuniam mutuo acciperet, nisi cadaver patris pignori traderet, ut ab accipienda pecunia deterrerentur, ut ait idem Herodot. lib. 2. sive in Euterpe pag. 142.

Secundo nota, si debitum contraxisti, illud reddo: si non feceris, et possis, peccator es. Eccli. 4. 8. *Redde debitum tuum*, quod 1. do eleemosyna intellige, quæ sæpe non est libera divitibus, sed ab eis debita ob necessitatem; 2. de veris, et proprie ac stricte sumptis debitis accipe, sive ob mutuum, sive ob aliud factis. Idem auctor fuse describit tergiversationes iniqui debitoris, et solvere detrectantis, cap. 29. 4. et seq. *Multi inventionem* (veluti rem inventam) *æstimaverunt fœnus* (mutuum) *et præstiterunt molestiam his qui se adiuverunt.* Eos deinde per mimesim depingit. Sæpe verum est dictum a Ben-Sira Alphabeto primo, littera Ain: *Merces*, ait, *si communes habueris cum aliquo, a bono centies frustra repetes, a malo millesies.* Suidas refert sententiam cuiusdam anonymi, qui dicebat, miserrimos homines esse, qui modo rubros, modo pallidos habeant dentes. Notabat autem eos, qui mutuo accipiunt ab aliis: qui dum mutuum repetitur, erubescunt: dum vero creditorem viderint, pallescunt, ne solvere cogantur. Phalaris epist. 63. ad Eunæos scribit, improbum debitorem imitari mores Chamæleontis, qui pro tempore colores mutat: Cum beneficium est accepturus, laudat dantem: cum reddendum est debitum, velut tyrannum et impium existimat eum, qui sua repetit. Iure compares illos Polypis, qui etiam colores mutant, et vix ab illis avelli possunt quæ semel arripuerunt. Plin. lib. 9. 29. *Polypi*, ait, *per brachia velut acetabulis dispersis, haustu quodam adhærescunt, tenent supini, ut avelli non queant.* Vitellius Imperat. requisitis suis creditoribus dicebat se reddidisse salutem pro credita pecunia, et tabulas contractuum reposcebat, ut ait Dio Cassius lib. 65. pag. 736. 59. Debita sunt citissime solvenda.

Pœnam illis perfidis varii populi imposuerunt gravissimam. Primo, Gellius Noct. Atticar lib. 20. cap. 10. tradit, quod apud Romanos si ob æs alienum creditori dedi- 60. Debita non solventibus pœnæ impositæ: I. Apud Romanos.
tor addictus foret, post distractum patrimonium, ro familiari destitutus, postque vincula et catenas, membra eius brevissimo laniatu ad creditorum libidinem dividi iubebat, iniquissimo decreto sævæ atrocitatis immanitatisque. Verba legis sunt: *In ius ducito, ni iudicatum faxit, aut se vi et iure vendicat, statim ducito, vincito, aut nervo et compedibus quindecim pondo, nec minore: si volet, maiore vincito: si volet, suo vivito: ni suo vivit, qui cum vinctum habet, libras farris in dies; si volet, plus dato. Tertiis nundinis partes secanto, si plus minusve secuerint, sine fraude est.* Hactenus lex, sed barbara et crudelis.

II. Apud Ægyptios. Secundo, de Ægyptiis ait Diodor. Sicul. lib. 2. cap. 3. Mos est apud eos, defunctorum parentum corpora dare in pignus creditori. Summa illos, qui non redimunt, sequitur infamia, et sepultura carent.

III. Apud Bœotios. Tertio, apud Bœotios, ait Alex. lib. 10. qui æs alienum non dissolvit, in foro sedere cogitur: et circumstante plebe in os corbem accipere: qua nulla fuit ignominia maior.

IV. Indos. Quarto, Indis qui creditum moratur, a creditore reus agitur: mox præfixa die, si non solvit, manu trunca, et oculo effosso morte afficitur.

V. Pisidas. Quinto, apud Pisidas de abiurato deposito, maximum erat iudicium, ut abiurans facinus morte lueret.

VI. Athenienses. Sexto, Athenienses divitibus, quibus erant ære obstricti, aut arabant, sextantem fructuum pensitantes, aut corporis nexu duci a creditoribus poterant, aut liberos distrahere compellebantur. Donec Solon rempubl. capessens, componeret civium controversias, lege data τας σεισαχθειας, id est, abolitionis tabularum, et excussionis onerum: ita Laertius et Plutarchus in Solone et in Cæsare.

VII Hebræos. Septimo denique, debitores solvere non valentes apud Hebræos erant servi creditorum. Ad hoc alludit Christus Matth. 18. 23. ubi de servo nequam, cui demissa fuerant decem millia talenta: *Cum non haberet unde redderet, iussit eum Dominus eius venumdari et filios, et omnia quæ ha-*

bebat, et reddi. Licuisse quoque filios pro paternis debitis in servitutem trahere, colligi potest ex lib. 4. Reg. 4. 1. ubi mulier quædam de uxoribus Prophetarum, id est, virorum religiosorum et cantorum sacra cantica canentium, clamabat ad Elisæum, dicens: Servus tuus vir meus mortuus est, et tu nosti quia servus tuus fuit timens Deum: *Et ecce creditor venit ut tollat duos filios meos ad* A *serviendum sibi.* Sed hoc impedivit Elisæus per olei multiplicationem.

Conclude cum R. Simeone, qui inquirenti R. Ioanni: Quæ via foret mala, a qua abstinendum esset, respondit: Ab eo qui mutuum accipit, et non restituit. Qui enim mutuum accipit ab homine, perinde ac si a Deo accepisset, gerere sese debet.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

61. *Tria præstat. Primo, iustorum felicitatem ostendit, vers. 24. Secundo, eorum virtutem et gratitudinem, vers. 32. Tertio denique, impiorum depressionem, vers. 37.*

PARAPHRASIS.

23. *Apud Dominum gressus hominis dirigentur, et viam eius volet.*

23. Singulos iustorum gressus Deus diriget, ut rectæ semitæ insistentes in avia non ferantur, neque ad dexteram vel sinistram deflectant: omnesque eorum actiones et consilia approbabit, sibique in illis complacebit.

24. *Cum ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam.*

24. Si forte in via lubrica et pendente lapsi fuerint, et peccatum admiserint, non conterentur, nec pristinas vires amittent ita ut pereant, sed a calamitate eximentur: Deus enim misericordi potentia sua et benignitate, velut subiecta manu iustos conservat, sicut amantissimos filios.

25. *Iunior fui, etenim senui, et non vidi iustum derelictum: nec semen eius quærens panem.*

25. A primævo ætatis flore ad effœtam usque senectutem non vidi iustum ullum a Deo abiectum et derelictum: nec liberos eius in eam redactos inopiam, ut necessaria ad vitam illis non suppeterent.

26. *Tota die miseretur et commodat: et semen illius in benedictione erit.*

26. Imo vero tanta divitiarum ubertate circumfluentes adverti, ut totos dies impenderent partim in donis inopi largiendis, partim in pecuniis sine fœnore commodandis. Ideoque efficiet Deus ut hæc opum abundantia in filios et nepotes exundet, quos ob patris liberalitatem et virtutem temporalibus et spiritualibus commodis cumulabit.

27. *Declina a malo, et fac bonum, et inhabita in sæculum sæculi.*

27. A luculenta igitur scelerum orbita emerge, et floreos fragrantesque virtutis tramites inambula. Sic perennem tibi felicemque mansionem comparabis, ad eamque pertinges. Nam et in his terris longam prosperamque vives vitam, et in cælis æterna tibi parata palatia obtinebis.

28. *Quia Dominus amat iudicium, et non derelinquet sanctos suos: in æternum conservabuntur.*

28. Deus enim æquitatis tenax est: ideoque bene de se meritos sanctos non deseret, neque obrui calamitatibus patietur. Sed in perpetuum ab omnibus illæsos cladibus conservabit, ac tandem in æterna requie procul a mundanis tumultibus collocabit.

29. *Iniusti punientur, et semen impiorum peribit.*

29. Impii sceleribus suis debitas pœnas exolvent: eorumque liberi, tam nefaria excisa progenie, misere peribunt.

30. *Iusti autem hæreditabunt terram: et inhabitabunt in sæculum sæculi.*

30. Iusti autem proprio et hæreditario iure terram promissionis a Deo datam incolent: cumque longos felicesque annos in ea quieti pacatique transegerint, illam filiis suis ac posteris continua serie possidendam tradent.

31. *Os iusti meditabitur sapientiam, et lingua eius loquetur iudicium.*

31. Quidquid in buccam venerit impiis, id effutiant: iusti autem summo studio expensa loquentur: ideoque nihil nisi sapienter proferent: quodque dixerint, illud iustum et rationi consentaneum reperietur.

32. *Lex Dei eius in corde ipsius: et non supplantabuntur gressus eius.*

32. In eorum animo thronum sibi fixit lex Dei: ibi dominatur, ibi triumphat. Ideoque nihil erit, quod eos a loco suo emoveat, aut viam Dei ingressos prosternat.

33. *Considerat peccator iustum, et quærit mortificare eum.*

33. In insidiis positi grassatores in omnem occasionem intenti excubant, ut in pios impetum faciant, eosque atterant, attritosque mactent ac iugulent.

34. *Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius: nec damnabit eum cum iudicabitur illi.*

34. E cælo respectans Dominus, vel ex ipsis eorum unguibus certatim involantium ipsos eripiet, liberosque dimittet, elusis iis, qui iam de capta præda sibi gratulabantur: et cum iudicii tempus advenerit, pro illis sententiam feret.

35. *Expecta Dominum, et custodi viam eius: et exaltabit te ut hæreditate capias terram: cum perierint peccatores, videbis.*

35. Quare, licet prosperitas impiorum oculos tibi feriat, animumque concutiat, patienter tamen Dei promissa expecta, eiusque opem certo tibi affuturam, neque a via mandatorum eius distrahi te patere. Tandem per ardua nitentem te ad honoris quietisque apicem subvehet, ibique promissam terram melle ac lactis suavitate optabilem, in perpetuam hæreditatem concedet. Cum impiorum interitum videbis, tunc ea quæ nunc polliceor, intelliges.

36. *Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani.*

36. Vidi sceleratos tanta potentia opumque fastu turgidos, et præ cæteris elevatos, ut instar cedrorum Libani, nullis ventorum turbinibus concuti se posse crederent.

37. *Et transivi, et ecce non erat: quæsivi eum, et non est inventus locus eius.*

37. Vix ab illa foliorum amœnitate ramorumque proceritate oculos avellieram, et viam prosequens locum illum transiveram, cum ecce tibi repentina tempestas stirpitus cælo minitantem arborem ita evulsit, et in præceps egit, ut ne vel levissimum eius vestigium subsidente terra superesset.

38. *Custodi innocentiam, et vide æquitatem: quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.*

38. Tu aliena ruina cautior innocentiam amplectere, et iustitiæ atque æquitati adhære. His firmatus præsidiis nullo fortunæ concussu prosterneris: sed pacem tecum, cum proximo, et cum Deo servans omnibus semper bonis abundabis.

39. *Iniusti autem disperibunt simul: reliquiæ impiorum interibunt.*

39. Impii vero, velut in addictos flammis fasciculos colligati, una ruina involventur: quodque variis sudoribus corraserant, in senectutis suæ liberorumque subsidium, id totum unico momento interibit.

40. *Salus autem iustorum a Domino: et protector eorum in tempore tribulationis.*

40. Iustos vero Deus ipse ex huius vitæ ærumnis in tranquilliorem statum educet: ac mediis in tribulationum æstibus, tela hostium ipse excipiet, atque a suorum corpore animoque dispellet.

41. *Et adiuvabit eos Dominus, et liberabit eos, et eruet eos a peccatoribus: et salvabit eos, quia speraverunt in eo.*

41. Et cum difficultatibus luctantes adiuvabit, ac pene victos liberabit, atque a peccatorum furore eximet. Ac tandem æterna beatitudine eorum actiones coronabit: quod spem suam in eo reposuerint.

QUÆSTIO UNICA.

Quanto studio Deus iustos servat, et iniustos deprimit.

62. Ordo Sectionis. Superiori sectione potissimum ostendit David, felicitatem impiorum esse brevem, multisque permistam malis, ideoque non esse illi invidendum. Hic vero in iustorum felicitate secura et a Deo conservata diutius immoratur, atque tandem ad sceleratorum celerem ruinam rediens concludit, pie vivendum esse.

Ac primo, in via Dei ambulantem iustum Deus ipse dirigit, v. 23. *Apud Dominum gressus hominis dirigentur, et viam eius volet,* id est, amabit et approbabit.

Unde sequitur Primo, quod si forte in locis salebrosis ac lubricis ceciderit, non læditur, Deo illum sustentante, v. 24. *Cum ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam.* Secundo, cibos illi ad viam Deus suppeditat, v. 25. *Iunior fui, etenim senui, et non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.* Tertio, tanta copia cibos et omnia ad viam suam peragendam iustus habet, ut etiam aliis commodare possit, v. 26. *Tota die miseretur et commodat.* Quarto, filios, nepotes ac posteros eius benedicit: *Et semen illius in benedictione erit.*

Concludit ex illis rationibus, virtutem esse amandam et fugienda vitia: 1. de vitiorum fuga inquit, v. 27. *Declina a malo;* 2. de amore et prosecutione virtutis: *Et fac bonum.* Fructum aperit fore æternum in cælo, et securitatem diuturnam in terra: *Et inhabita in sæculum sæculi.* Quem fructum probat futurum, quia Deus est iustus, v. 28. *Quia Dominus amat iudicium.* Itaque iustum est, ut servos suos conservet: *Et non derelinquet sanctos suos: in æternum conservabuntur.* Quod ut fiat commode, eorum hostes destruentur, v. 29. *Iniusti punientur, et semen impiorum peribit.* Itaque pietati dediti secure manebunt in sua possessione, v. 30. *Iusti autem hæreditabunt terram: et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam.*

C Secundo, vir iustus in via illa sacra ambulans Deum laudat et amat, coque iuvante hostes insidiantes fugit: 1. laudat Deum, v. 31. *Os iusti meditabitur sapientiam, et lingua eius loquetur iudicium;* 2. eumdem amat, v. 32. *Lex Dei eius in corde ipsius;* 3. operum firmitate et constantia illi servit: *Et non supplantabuntur gressus eius;* 4. hostes quidem sibi insidiantes habet in obscuris viæ implexæ locis, v. 33. *Considerat peccator iustum, et quærit mortificare eum.* Deo autem iuvante illos fugit, vers. 34. *Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius: nec damnabit eum cum iudicabitur illi.*

Concludit ex hac Dei custodia, Dei viæ esse insistendum, v. 35. *Expecta Dominum* (qui erit dux tuus) *et custodi viam eius.* Fructum ostendit gloriam æternam: *Et exaltabit te ut hæreditate capias terram.* Et delectationem ob impios deiectos, qui nocere amplius non poterunt, sed erunt spectaculum eorum quos afflixerant: *Cum perierint peccatores, videbis.*

D Tertio, impii felicitas citissime evanescet, v. 36. *Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani.* Quis hoc non miretur? sed paulisper expecta, omnia excidisse sceleratis aspicies. Pergit enim v. 37. *Et transivi,* A *et ecce non erat: et quæsivi eum, et non est inventus locus eius.*

Concludit ex hoc sceleratorum excidio, virtutem esse consequendam et amplexandam, vers. 38. *Custodi innocentiam, et vide æquitatem.* Hoc confirmat adhuc sicut supra 1. ex iustorum abundantia: *Quoniam sunt reliquiæ homini pacifico;* 2. ex iniustorum ruina, vers. 39. *Iniusti autem disperibunt simul: reliquiæ impiorum interibunt;* 3. a Dei cura erga sanctos, vers. 40. *Salus autem iustorum a Domino.* Modum aperit. Nam primo eos protegit: *Et protector eorum in tempore tribulationis.* Secundo, eos iuvat, v. 41. *Et adiuvabit eos Dominus.* Tertio, eos penitus e manu et potestate hostis eripit: *Et liberabit eos, et eruet eos a peccatoribus.* Quarto, perfecta, secura, et æterna salute donat: *Et salvabit eos.* Causam attexit: *Quia speraverunt in eo.*

ARTICULUS I.

B *Vir iustus nunquam indiget pane, et rebus necessariis.*

Initium, Græce ἀρχή, hoc est, præcipuum, caput, summa, *vitæ hominis, aquæ et panis.* Et habetur Eccli. 29. 28. ideo non patitur ea Deus auctor vitæ deesse servis suis, v. 25. Iunior (S. Ambros. S. August. S. Hieron. Vers. 25.
Camp. *iuvenis.* Pagninus, Arias, Flamin. Camp. *puer*) fui, etenim (Hebr. גם *gam.* id est, *etiam, et*) senui, et non vidi iustum derelictum (a Deo) nec semen eius quærens panem, ita ut *illum* non reperiat, ut explicant Titelm. et Iansen. Unde Chaldæus vertit, *egens pane.* Per panem porro intelligit omnia ad vitam necessaria. Est synecdoche. Sunt qui panem deducunt a Græco πᾶν, id est, omne. Hebræi sæpe panem accipiunt pro omni cibo. Unde manna vocatur panis, Ps. 77. 24. et 25. Sap. 16. 20. In hoc Psalmo panis synecdochice etiam accipitur pro cæteris ad vitam necessariis. S. Cyprian. tract. de oratione Dominica, hanc Dei erga suos providentiam agnovit: *Cum* ait, *Dei sint omnia, habenti Deum nihil deerit, si Deo ipse non desit.* Et S. Chrysost. hom. 8. in Epist. ad Hebr. *Impossibile est eum, qui quæ Dei sunt, quærit, non etiam quæ humana sunt, assequi.* Hoc Christus promisit Luc. 12. 31. *Quærite primum regnum Dei et iustitiam eius, et hæc omnia adiicientur vobis.* Vide dicta Ps. 33. 11. Ps. 54. 23. Ps. 111. 3. 63. Viro pio nihil deest.

Tantum abest ut vir iustus egeat, quin etiam aliis sua bona communicat. Unde addit David vers. 26. Tota die (assidue, semper; 2. in luce virtutum) miseretur et commodat (id est, mutuum dat. Miseretur affectu, et commodat opere. Septuag. δανείζει, hoc est, fœneratur, ad fœnus dat, q. d. Ita abundat ut et gratis ac misericorditer possit dare pauperibus, et fœnori dare ad rem suam familiarem augendam) et semen illius (id est, opera bona, miserationes, eleemosynæ. Ugo, Haymo, Valentia; 2. *semen,* id est, filii. Ugo idem, Titelmann. Iansen.) in benedictione erit. S. Cyprianus lib. 3. cap. 1. est Primo, in benedictione, hoc est donatione bonorum Dei. Secundo, in benedictione, id est, laude hominum. Tertio, in benedictione, hoc est, abundantia rerum temporalium. 64.

Dices primo, etiam iustos videmus eguisse pane. Nam primo de Abraham dicitur, Gen. 12. v. 10. *Descenditque* Iusti in egestate fuerunt.

Abraham in Ægyptum, ut peregrinaretur ibi: prævaluerat enim fames in terra. Secundo, Isaac Abrahæ filius ob famem cogitur ire ad Abimelech, regem Palæstinorum, Genes. 26. 1. Tertio, Ismael adhuc innocens eiusdem Abrahæ filius, prope siti enecatur, Genes. 21. 16. Quarto, Iacob et eius filii in Ægyptum secedere coguntur ob famem, Genes. 46. Quinto, Elias a vidua paupere panem emendicare cogitur, 3. Regum 17. v. 11. Sexto, Lazarus mendicus ad ianuam divitis micam de mensa cadentem negantis moritur, Luc. 16. 22. Septimo, de se aliisque Apostolis ait Paulus 1. Corinth. 1. 11. *Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus,* (Græc. ἀστατοῦμεν, id est, certam sedem non habemus) *et laboramus operantes manibus nostris, etc. tamquam purgamenta* (Syr. nephata, id est, stercus. Gr. περικαθάρματα, hoc est, sordes undique evertendo collectæ) *facti sumus omnium peripsema,* hoc est, abiecta scobs et ramentum. Octavo, multi Martyres fame sunt mortui: scilicet S. Maurita, S. Orator, S. Fortunatus, S. Felix, et alii.

A

65. Sed illis succurrit Deus. Respondet primo Haymo, τὸ *nec semen eius quærens panem,* esse intelligendum de spiritali vivificatione. Et Burgensis negat hoc posse intelligi de pane sensibili.

Secundo, et melius, Lyranus ait esse hyperbolem, dicitque nunquam videri pios panem mendicando quærere: quia id raro accidit. Hyperbole est frequens in Scriptura.

Tertio, et optime, *nec semen eius quærens panem,* ita scilicet ut non reperiat, ut dixi supra: ita Titelm. Iansen. Si qui autem vere iusti et sperantes in Domino derelicti videntur, et quærentes micas panis, ut Lazarus de Evangelio: ii melius aliquid a Domino acceperunt, quam sit copia rerum temporalium: neque mutarent meritum patientiæ cum omni temporali felicitate: ita Bellarm. Vide dicta Psal. 54. 23. in illud: *Iacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet.*

Dices secundo, contradicere sibi David videtur, hic enim ait: *Non vidi iustum derelictum,* dicit vero in persona Christi Ps. 21. 1. *Deus Deus meus quare me dereliquisti?* Ps. 26. 10. in sua persona ait: *Pater meus et mater mea dereliquerunt me.* Psal. 37. 12. *Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt.*

I. Iobo. Respond. hic cum S. Ambrosio in Psalmum nostrum, quod iustus et si in sæculo derelinquatur, a Domino tamen non derelinquitur. Hoc probat exemplis variis. Primo, Iobi: *Neque enim,* ait, *Iob cum esset in stercore, a Domino derelictus est: quem in Angelorum consortio Dominus ipse sua voce laudabat: quem tentari passus est, ut coronaret. Tentationem autem in corpus dedit, in animam denegavit.*

II. Davidi. Secundo, profert exemplum Davidis: *Nec,* inquit, *derelictus David, cui regnum dedit, ut populo imperaret electo, quem parricidalibus præliis appetitum, regni sui depulsum finibus, victoriæ iure restituit.*

III. Iacob. Tertio, *ipsi quoque Iacob, Elias, et Elisæus, et Ioannes Baptista, et cæteri qui in caprinis pellibus, circumeuntes errabant in solitudinibus, et montibus, et speluncis, et foveis terræ, licet ludibria multa, et acerba supplicia tolerasse videantur, tamen non derelicti sunt: siquidem cum fratrem fugeret Iacob, et per deserta incomitatus erraret, obdormivit, et surgens vidit ibi multitudinem cælestis militiæ, et ait Gen. 32. 2. Hic locus vocatur castra Angelorum. Non satis fuit castrum vocare, sed castra quæ tantæ multitudini convenirent. Vides ergo quia solum se putabat, et castra eum cælestis exercitus sequebantur.*

IV. Israelitis. Quarto, affert exemplum Israelitarum, toties a Deo in deserto per quadraginta annos adiutorum: *Patres nostros Mosi tempore, ne in deserto sitirent, petra (ut scriptum est Exod. 17.) sequebatur. Nam cum in Exodo legerim, quod sitiente populo percussit Moses de virga petram, et aqua fluxit, et bibit populus Dei: iterum in Levitico legerimus, vel in Numeris, quod rursus Moses tetigerit petram virga, et scaturierit aqua patribus ad bibendum: præclare Apostolus hoc interpretatus est, dicens* 1. *Cor.* 10. 4. *Bibebant autem de sequenti eos petra: petra autem erat Christus. Illos igitur querulos, illos murmurantes, illos prævaricantes, tamen non deserebat Dominus, sed sequebatur.*

Quinto: *Quid de Elia et Elisæo dicam, quibus per deserta gradientibus equi de cælo, et igneus currus occurrit?* V. Eliæ. *Quomodo derelictus Elias, qui est invitatus a Christo? quomodo derelictus in terris, qui raptus ad cælum? quomodo egens, et nudus, et inanis, qui geminati spiritus hæreditatem discipulo dereliquit, ut una melotide hæres donatus fluvios sisteret, Iordanem revocaret in fontem, regum exercitus pasceret in deserto, et potum sitientibus ministraret? Ad eius arbitrium profluebant pocula, in terris mortui resurgebant.*

Sexto, speciatim de Elisæo ait: *Quomodo derelictus* VI. Elisæo. *Elisæus, qui cum Syrorum vallatus esset exercitu, ut captivus raperetur ad regem: dicente Giezi servo, 4. Regum 6. 16. Domine, quid faciemus? ait: Noli timere: quoniam plures nobiscum sunt, quam cum illis. Et dixit: Domine aperi oculos eius, ut videat. Et aperti sunt oculi illius, et vidit montem, et omnia in circuitu equis innumeris et cæ-*

B

lestibus repleta legionibus.

Septimo denique, de S. Paulo subiungit: *Paulus qui* VII. Paulo. *dixit, periculis in mari, periculis in deserto se esse iactatum, tamen ipse testificatus est, dicens, Rom. 8. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Ergo sic ille derelictus et destitutus ab hominibus, apud Deum abundat et profluit. Nam et Elias destitutus erat, ita ut diceret 3. Reg. 19. 4. Domine accipe animam meam, et tamen vigebat apud Deum, ut ipsis esset regibus virtute terribilis.*

Dices tertio: si semen iustorum non derelinquitur a 66. Ordines mendicantium recte sunt instituti. Deo, neque unquam quærit panem, non licet mendicare: longe minus igitur licebit instituere Ordines mendicantium. Resp. licitum esse mendicare et petere eleemosynas, quibus susteuteris. Probatur 1. exemplo Christi; 2. Apostolorum; 3. aliorum Sanctorum; 4. ratione.

Primo enim, Christus fuit mendicus. Ps. 39. 18. *Ego* Prob. I. Exemplo Christi mendici. *autem mendicus sum et pauper.* Ubi Glossa ait, quod hoc dicit Christus de se ex forma servi. Et infra: Mendicus est qui ab alio petit, et pauper qui sibi non sufficit. Secundo,

C

Psal. 69. 6. *Ego vero egenus et pauper sum.* Glossa, sum egenus, id est petens: et pauper sum, id est, insufficiens mihi: quia et mundanas copias non habet: et intus ubi est dives, semper ambit, desiderat, accipit. Tertio, Psal. 108. 16. *Persecutus est hominem inopem et mendicum.* Glossa, scilicet Christum. Et alia Glossa: Pauperes insequi, sola sævitia est; alii pro divitiis vel honoribus interdum huiusmodi patiuntur. Istæ duæ ultimæ glossæ ostendunt manifeste, quod de mendicitate rerum temporalium prædicta verba intelligere oportet. Quarto, Paulus 2. Corinth. 8. 9. ait: *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egens factus est,* glossa in mundo. Et quod in hoc Christus sit imitandus, patet per glossam, quæ ibidem dicit: Nemo se contemnat. Pauper in cella, dives in conscientia: securior dormit in terra, quam cum auro dives in purpura. Non ergo expavescas cum tua mendicitate ad illum accedere, qui indutus est nostra paupertate. Quinto, quod Dominus victum petierit, expresse ha-

D

betur Luc. 19. ubi Dominus dixit ad Zachæum: *Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Glossa, non invitatus invitat, quia etsi nondum audierat vocem invitantis, audierat tamen affectum. Item Marc. 11. 11 *Circumspectis omnibus, cum iam vespera esset,* etc. Glossa, Circumspectis omnibus, si quis eum hospitio susciperet. Tantæ enim paupertatis fuit, et ita nulli adulatus, ut in tanta urbe nullum hospitium inveniret. Ex quo patet quod Christus ita pauper erat, quod hospitium conducere non posset: sed ab aliis hospitium petebat et expectabat: unde blasphemum est dicere, quod non liceat mendicare.

Secundo, probatur id exemplo Apostolorum, qui iussi II. Apostolorum. sunt a Domino necessaria ad victum in via non ferre, ut patet Matth. 10. Marci 6. Luc. 9. et 10. Constat autem quod ipsi imperiose non poterant accipere. Ergo satis evidens est, quod necessaria victus humiliter petebant, quod est mendicare.

III. Discipul. Apost. Tertio, probatur exemplo discipulorum Apostolorum post resurrectionem Christi. Dicitur enim in 3. epistola Ioan. 7. *Pro nomine eius profecti sunt.* Gloss. Pro nomine Christi ampliando profecti sunt, alienati a rebus propriis: ergo sine necessariis viæ ibant: ex quo patet, quod necesse habebant petere.

IV. S. Alexij. Quarto, probatur per exemplum S. Alexii, qui omnibus suis dimissis propter Christum, sine labore manuum vivebat de eleemosynis, quas mendicando quærebat, ita etiam quod a servis patris sui, qui eum quærebant, eleemosynas peteret, et de hoc gratias Deo ageret, quod a servis suis eleemosynas accepisset: cuius sanctitatis indicium fuit vox cælitus dolapsa, audientibus Papa et imperatoribus Honorio et Arcadio, et universo populo Romano, in Ecclesia beati Petri existentibus, quæ testata est meritis eius Romam stare. Multis etiam miraculis post mortem claruit: unde et canonizatus est, et festum eius a Romana Ecclesia solemniter celebratur.

V. Testimon. S. Patrum. Quinto, probatur testimonio S. Hieron. ad Oceanum in commendatione Fabiolæ, ubi dicit, quod optabat suis divitiis pariter effusis pro Christo stipes accipere: in hoc autem non esset commendanda, si peccatum esset mendicare.

VI. Rationibus quinque. Sexto, probatur variis rationibus. Primo, illud quod est illicitum in Ecclesia, non iniungitur alicui in pœnitentiam: sed pro gravioribus peccatis alicui iniungitur, quod extra terram suam sine expensis mendicando peregrinetur. Secundo, sicut ea quibus maceratur corpus, ut ieiunium, vigiliæ, et huiusmodi, valent contra concupiscentiam carnis: ita ea quæ ad humiliationem hominis pertinent, valent contra superbiam spiritus, quæ non minus est fugienda quam concupiscentia carnis, cum etiam peccata spiritualia sint maioris culpæ, ut Gregorius dicit: sed nihil potest esse inter opera pœnitentiæ quod hominem magis humilem et abiectum reddat quam mendicatio. Tertio, charitas Christi liberalior est quam amicitia sæculi: sed licet ex amicitia sæculi aliquid petere ab amico suo, quo indigeat. Quarto, licet petere ab aliquo illud, ex cuius datione fit dantis conditio melior. Quinto, indigentiæ pauperum non potest subveniri, nisi eorum indigentia sciatur: ita S. Thomas Opusculo 19. cap. 7. ubi fuse refutat argumenta in oppositum. Vide etiam illum ibidem cap. 5. et 6. et 2. 2. quæst. 187. art. 5. S. Bonaventura in Apologia pauperum, S. Antoninum 4. p. Summæ titulo 11. cap. 7. paragrapho 5. Bellarm. lib. 2. de monachis c. 45. ubi rationes affert, et cap. 46. ubi adversariorum solvit obiectiones.

VII. Ex approbatione Pontificum. Adde, quod Ordines mendicantium summi Pontifices approbarunt. Primo, Innocentius III. Secundo, Honorius III. Tertio, Gregorius IX. Quarto, Innocentius IV. Quinto, Alexander IV. Sexto, Nicolaus IV. Mitto cæteros.

VIII. Ex approbatione Conc. General. Concilia etiam generalia approbarunt eosdem Ordines mendicantium. Primo, Concilium Lugdunense, ut refert Nicolaus IV. cap. Exiit, de verborum significatione in 6. Secundo, Constantiense sess. 8. Tertio, Trident. sess. 25. cap. 3.

67. IX. Ob excellentiam paupertatis voluntariæ. Ad extremum voluntaria paupertas est virtus maxime Deo grata. Primo S. Bonaventura eam vocat evangelicam margaritam. Sic enim in vita S. Francisci cap. 7. *Nemo tam auri, quam ipse cupidus paupertatis: nec thesauri custodiendi sollicitior ullus, quam iste huius evangelicæ margaritæ.* Christus in Evangelio ait Apostolis Matthæi 10. v. 9. *Nolite possidere aurum, neque argentum in zonis, neque duas tunicas habeatis.* Secundo iuvat ad perfectionem. Christus adolescenti diviti viam ad perfectionem postulanti dixit Matth. 19. v. 21. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et sequere me.* Procopius Gazæus in cap. 2. Isaiæ: *Paupertas, ait, quæ iniuste partis opibus caret, est dux et magistra ad pietatem: divitiæ autem contumeliæ et iniuriarum sunt hortatrices.* Ipsi ethnici paupertatem voluntariam in pretio habuerunt. Socrates certe eam vocabat philosophiæ sociam et amicam. Æneas Gazæus in Theophrasto: *Ipse*, inquit, *Socrates in paupertate quasi superbiebat, eamque divitiarum nomine quasi dignam ducebat, et philosophiæ sociam atque amicam appellabat.* S. Antioch. pauperem voluntarium aquilæ liberis alis in cælum volanti conferebat. Sic enim ait homil. 89. *Qui nullum possidet peculium monachus,* αιτος υπαρχει υψιπετης, *aquila est altivola.* Contra vero, dives in terra occupatur, multis distentus curis. Sic de eo ait S. Laurentius Iustinianus tractatu de ligno vitæ, cap. 3. Divitem necesse est plurimis indigere, et turpiter servire, formidare, et suspicari, et timere eorum: qui suspicantur oculos, et calumniantium ora, et avarorum concupiscentias.

ARTICULUS II.

Scelerati, licet cedris sint altiores, et stabiliores, deficientur et eradicabuntur.

Cum felicitatem improborum videret Propheta causam esse, cur nonnulli eorum mores imitari vellent, admonet, brevi successura esse infortunia: nec folia tantum, 68.
sed ipsam arborem radicitus esse evellendam, v. 35. Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros (S. August. et Ambros. *super cedros*) Libani. Vers. 35.

Vers. 36. Et transivi, et ecce non erat: et quæsivi eum, et non est inventus locus eius. Id est, Primo, non est inventus in loco suo, a loco suo deiectus et extirpatus est. Est hypallage. Secundo, et melius, sensus est, q. d. Non modo peccator non est amplius, sed ne locus quidem eius, id est, domus, familia, dignitas, splendor, fama, memoria, posteritas, opes, et cætera, in terris restat, q. d. Ita est eradicatus, ut ne vestigium quidem remaneat ibi cedrum illam, hoc est hominem divitem, nobilem, potentem extitisse. Vers. 36.

Nota primo, pro *superexaltatum*, Hebraice est עריץ *arits*, id est, 1. fortis, robustus; 2. timendus, terribilis, cæteros pavore consternens; 3. conterens, violentus. Ab *arits* fortasse Græcum ἄρης, id est Mars deducitur. Subtilius est, quod Hesychius ait, et Origenes indicat, exaltationem esse superbientis inter pares: hoc est, homines: superexaltationem etiam contra Deum, ut solet impius. Pro *elevatum* est מתערה *mithare*, id est, diffundentem se. Est enim in Hitpael; 2. integrum: ita Felix; 3. fortissimum: ita Hieronymus; 4. virescentem: ita Pagnin. Hæc aptissime quadrabunt arbori illi magnæ extendenti ramos suos, et in cælum se erigenti qua designatus est Nabuchodonosor Asiæ pene totius monarcha, qui postea deiectus est, Dan. 4. 11.

Nota secundo, pro *cedros* Hebraice est אזרח *ezrach*, quæ vox significat, 1. indigenam, ut vertit S. Hieron. deducitur a זרח *zarach*, oriri; 2. arborem indigenam, ut Chaldæus, quæ scilicet non sit ab alio loco sumpta et transplantata, sed in eo loco nata; 3. laurum, ut Felix, Muisius, Campensis, Pagninus; 4. cedrum, ut Septuaginta, Apollinaris, Flaminius. Ubi adverte, quod Bellarminus censet Sept. non legisse, *che ezrach*, sicut indigenam: sed *che arza*, sicut cedrum, litteræ unius transpositione. Sed hoc non facile admiserim, cum *ezrach* sumatur pro arbore, ut Chald. Syr. Arabs vertunt: potest synecdochice sumi species pro genere: nempe *laurus*, sive *cedrus* pro arbore excellenti.

Nota tertio, pro *Libani* Hebraice est רענן *raanan*, id est viridis; 2. florens; 3. frondescens; 4. fructifera. Unde Chaldæus vertit: *Vidi impium fortem et validum, sicut arborem indigenam et frondescentem.* Sexta editio: *Vidi impium atque impudentem iactantem se in duritia, et dicentem: sum sicut indigena, ambulans in iustitia.* Dices, cur igitur Septuaginta vertunt, *sicut cedros Libani.* Resp. Septuaginta interpretes ex arboribus virentibus semper selegerunt cedros Libani, veluti excelsiores atque celebriores. Arabs de more eos secutus vertit: *Vidi impium exaltari, et in altum evehi, sicut arbores Libani.*

Quæres, quem impium viderat David superexaltatum et elevatum, ac deinde ita eradicatum, ut ne locus quidem illius superesset. Resp. hoc posse intelligi, 1. de Goliath gigante; 2. de Saule Rege; 3. de Doeg Idumæo; 4. de Achitophele; 5. de Absalone; 6. de variis aliis. Notandum

enim est hunc psalmum esse scriptum a Davide sene, ut patet v. 23.

69. *Transiens terrena et cælum petens, terram sprevit.* Quæres secundo, quomodo videri possit ruina impiorum? Resp. primo, si oculos aperias; multi enim ita cæcutiunt, ut ad eam non attendant; secundo, et ad Psalmum aptius respondet S. Augustin. concione 3. in hunc psalmum: *Quare non erat, et non est inventus locus eius? Quia transisti. Si autem adhuc carnaliter cogitas, et ista terrena felicitas vera felicitas tibi videtur, nondum transisti. Aut æqualis illi es, aut infra es. Profice et transi, et cum proficiendo transieris, attendis cum fide. Vides novissima ipsius, et dicis tibi: Ecce non est iste qui sic tumuerat, quomodo si transires iuxta fumum. Nam et hoc dictum est in isto psalmo superius, deficientes velut fumus deficient. Erigitur in altum fumus, et in globum tumidum pergit: quanto magis attollitur, tanto amplius intumescit. Sed cum transieris attende post te: post te enim fumus, si est ante te Deus. Noli posteriora ex desiderio attendere, sicut attendit uxor Loth, et remansit in via: sed respice ex despectu, et videbis impium nusquam esse, et quæres locum eius. Quis est locus eius? Quo nunc habet potestatem, habet divitias, habet quemdam ordinem suum in rebus humanis, ut multi ei obsequantur, ut iubeat et audiatur. Iste locus non erit, sed transit, ut tu possis dicere: Transivi, et ecce non erat. Quid est transivi? Profeci, perveni ad spiritualia, intravi in sanctuarium Dei, ut intenderem in novissima, et ecce non erat: et quæsivi eum, et non est inventus locus eius.*

Origenes et S. Ambros. monent quoque, transeundum esse, si videre velimus. Verba S. Ambrosii sunt: *Vides cedrum in monte altissimo superexaltatum: sed vento frangitur, sed igne exuritur, sed vetustate dissolvitur: ita est dives in sæculo. Fulget quidem splendore quodam gratiæ sæcularis, ut Libanus. Nixus est mundi potentia, opibus et divitiis exultat. Videtur tibi aliquid esse antequam dicas, transiens videbo. Sicut enim Moses animo et mente transivit materialia et Deum vidit: ita et tu transeas hinc, ad Dei gratiam vestigium tuæ mentis attollens: videbis eum nihil esse, qui in hac terra sibi potentissimus videbatur. Ideo animæ tuæ dicit, menti tuæ dicit Deus verbum: Ades huc a Libano Sponsa, ades huc a Libano: transibis et pertransibis. Si transeas sæcularia, transies ad paradisum.* Et aliquot interiectis addit: *Ubi transivi mente supra mundum, vidi quia iam non erat, qui ante erat superexaltatus in hoc mundo. Et tu si iustus es, transi a præsentibus ad ea quæ futura sunt, et transibunt tibi præsentia. Cælum et terra transibunt: verba autem mea non præteribunt. Iuste ergo omnia transeunt. Transit impius, similis vanitati, et dies eius sicut umbra prætereunt.* Adverte pro transivi, in Hebræo nunc esse transivit. Sensus pene idem esse potest. Si enim transeas impium, et ipse transit tibi. Explicare id possis simili nautarum, qui terram deserunt et ab ea recedunt. Sic hoc S. Ambrosius declarat: *Sæpe nautæ, maxime in tempestate, fugiunt terram. Et tamen cum eam fugiunt navigantes, ipsa potius fugere videtur a navigantibus. Et tu si fugias mundum hunc, et ipse te effugiet. Si prætereas terram hanc, et ipsa te præteribit. Et tu in mari hoc navigas, et in hoc sæculo fluctuas. Fuge terram, saxa habet, lapides habet.*

70. *Cedris superbi collati, ob sex rationes.* Moraliter nota. Superbi recte comparantur cedris Libani, sed exscindendis. Vide dicta Ps. 28. v. 5. Nunc altitudinem cedrorum consideremus; 2. crassitudinem; 3. materiam; 4. folia; 5. fructus; 6. locum. Et horum omnium eversionem ac perditionem.

I. *Ob altitudinem.* Primo, altitudo cedrorum præ cæteris arboribus est commendata. Plinius lib. 16. cap. 40. miram unius altitudinem refert: *In Ægypto*, ait, *et Syriæ reges, inopia abietis, cedro ad classes feruntur usi. Maxima ea in Cypro traditur ad undeciremem Demetrii succisa centum triginta pedum, crassitudinis vero ad trium hominum complexum.* Vix tantæ altitudinis arborem ullam reperies. Illa enim quam M. Agrippa Romæ pro miraculo statuit, erat tantum centum pedum, sesquipedali crassitudine. Et trabs e larice, Tiberii Cæsaris iussu, Romam ostentationis causa advecta fuit, solum longa pedes centum et viginti, bipedali crassitudine æqualis. Hæc autem longe distant a cedro Demetrii. Hinc Amos 2. vers. 9. superbi comparantur cedro: *Altitudo cedrorum quasi altitudo illius, et fortis ipse quasi quercus.* Et Ezechielis 31. v. 3. *Ecce Assur quasi cedrus in Libano, pulcher ramis, et frondibus nemorosus, excelsusque altitudine, et inter condensas frondes elevatum est cacumen eius. Aquæ nutrierunt illum, abyssus exaltavit illum, flumina eius manabant in circuitu radicum eius, et rivos suos emisit ad universa ligna regionis.* Lege illam descriptionem pulcherrimam.

Illa cedrorum, id est, superborum, altitudo evertitur, cum antea nubes cacumine perrumperent. Ezechiel. 31. v. 10. agens de Assur, id est, de Sennacherib a filiis cæso, ait Maldon. vel de Pharaone Rege Ægypti, ait Cornelius (nam Assur pro quibuslibet tyrannis sumitur) sic loquitur: *Pro eo quod sublimatus est in altitudine, et dedit summitatem suam virentem atque condensam, et elevatum est cor eius in altitudine sua. Tradidi eum in manus fortissimi Gentium* (id est, tradam in manum et potestatem Nabuchodonosoris. Loquitur enim prophetice, ponens præteritum pro futuro) *faciens faciet ei* (id est certo, et pro sua voluntate) *iuxta impietatem eius eieci eum. Et succident eum alieni, et crudelissimi nationum* (Chaldæi) *et proiicient eum super montes, et in cunctis convallibus corruent rami eius, et confringentur arbusta eius in universis rupibus terræ: et recedent de umbraculo eius omnes populi terræ et relinquent eum* (ab eius subiectione et confœderatione recedendo). *In ruina eius habitaverunt omnia volatilia cæli* (id est, reguli et principes prius illi subiecti) *et in ramis eius fuerunt universæ bestiæ regionis*, id est, conculcantes prostratum plebei et populi. Lege cætera. *Quæ deiicitur, ut patuit in variis. I. In Sennacherib, seu in Pharaone.*

Secundo, exitium superbi ipsius Nabuchodonosoris describitur Danielis 4. v. 2. in typo arboris excelsæ et vertice contingentis cælum. Sic enim habetur v. 10. *Ecce vigil* (id est Angelus: ita Septuaginta, erat Angelus Babylonicæ regionis præses) *et sanctus de cælo descendit. Clamavit fortiter, et sic ait: Succidite arborem, et præcidite ramos eius: excutite folia eius, et dispergite fructus eius: fugiant bestiæ* (id est, populi) *quæ subter eam sunt, et volucres de ramis eius. Verumtamen germen radicum eius in terra sinite* (ei enim successit filius Evilmerodach) *et alligetur vinculo ferreo et æreo* (Nabuchodonosor in bovem transmutatus) *in herbis quæ foris sunt, et rore cæli tingatur, et cum feris pars eius in herba terræ.* Superbus qui supra homines Deumque ipsum esse voluit, ad bestias est ablegandus, et infra eas deprimendus. II. *In Nabuchodonosore.*

Tertio, de Iudæis excidendis per Chaldæos ait Isaias cap. 2. v. 11. *Oculi sublimes hominis humiliati sunt* (humiliabuntur. Agit de re futura velut de præterita, ob certitudinem prophetiæ) *et incurvabitur altitudo virorum: exaltabitur autem Dominus solus in die illa. Quia dies Domini exercituum super omnem superbum et excelsum, et super omnem arrogantem: et humiliabitur. Et super omnes cedros Libani sublimes, et erectas, et super omnes quercus Basan:* hoc est super Iudæos fortes, militares et superbos, ait S. Basilius. Dies autem Domini est dies vindictæ, in qua Dei iustitia et potentia, ac supremum in omnes dominium cernetur, cum Iudæam impiam tradet Nabuchodonosori regi Babylonis. III. *In Iudæis.*

Quarto, de Antiocho Epiphane superbiente in Deum ipsum, et insaniente in Iudæos, quos a cultu Dei abstrahere conabatur blanditiis, minis et tormentis, ait morti proximus Mathathias pater Machabæorum, 1. Machab. 2. v. 62. *A verbis viri peccatoris* (Antiochi) *ne timueritis, quia eius gloria stercus et vermis est* (fœtet ac pungit): *hodie extollitur, et cras non invenietur: quia conversus est in terram suam, et cogitatio eius periit.* IV. *In Antiocho.*

Quinto denique, generatim de superbis omnibus dicit Iob cap. 24. v. 24. *Elevati sunt ad modicum, et non subsistent, et humiliabuntur sicut omnia, et auferentur: et sicut summitates spicarum conterentur.* Pro *non subsistent*, in Hebræo est, *et non ipse.* Quod convenit cum Psalmo nostro, in quo David ait, *et ecce non erat.* Vere dicit Phili- V. *In aliis.*

scus apud Dionem lib. 38. Quanto quis maiora ab humanis felicitatibus accepit incrementa, tanto facilius auræ instar concidit. Seneca lib. 6. de beneficiis: Omnia, inquit, ista quæ vos tumidos, et sapientia humana elatos, oblivisci cogunt nostræ fragilitatis: quæ ferreis claustris armatis, quæ alieno sanguine rapta, vestro defenditis: propter quæ classes cruentaturas maria deducitis: propter quæ quassatis urbes, ignari quantum telorum in adversos fortuna comparet: propter quæ raptis toties affinitatis, amicitiæ, collegii fœderibus, inter contendentes duos terrarum orbis elisus est. Non sunt vestra, in depositi causa sunt, iam iamque ad alium Dominum spectantia: aut hostis illum, aut hostilis animi successor invadet: ita Seneca. Cui consonat Seneca poeta, sic enim ait:

Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens iacentem,
Res Deus nostras celeri rotatas
Turbine versat.

Hinc concludamus cum S. Cyrillo Alex. lib. 3. in Ioan. cap. 20. *Caducam gloriam, quæ superbiæ ac statui coniuncta est, quasi acerbum hostem fugiamus, et humilitatis decorem amplectamur, alter alteri cedentes.* Vide dicta Ps. 87. 17.

71. II. *Cedro confertur superbus ob crassitudinem.* Secundo, mira est cedrorum crassitudo. Nam Theophrast. lib. 5. de plant. cap. 9. dicit, in Syria esse cedros tam crassas, ut eas quinque hominum ulnæ amplecti nequeant. Plinius mox citatus ait, cedrum undecimis Demetrii fuisse crassitudinis ad trium hominum complexum.

In divitiis crassities est accumulatio domus ad domum, et agrorum ad agros. Sed a vento tribulationis omnia evertuntur, licet sua mole et radicum firmitate immobilia prorsus videantur. S. Chrysost. homil. 43. ad populum: *Quemadmodum,* ait, *sævi venti in tranquillum mare delati totum ab imo subruunt, ut et arena cum undis misceatur: sic et ambitio, et turpis quæstus, animam subeuntes, omnia subvertunt.* Hinc Eliphaz amicus Iobi ait cap. 5. Iob v. 3. *Ego vidi stultum* (divitem superbum: sic vocatur dives epulo Luc. 12. 20.) *firma radice: et maledixi pulchritudini eius:* id est, loco specioso, domui in amœno loco sitæ, habitaculo pulchro. Hæc enim significat Hebr. *nave.* Maledicere autem ibi potest significare, 1. male ominari; 2. male precari; 3. abominari, abhorrere, execrari, refugere velut pestem.

72. III. *Ob incorruptionem, sed ementitam.* Tertio, materia cedrorum est incorruptibilis. Plin. lib. 13. cap. 5. *Materiæ vero æternitas.* Itaque et simulacra deorum ex ea factitaverunt. Et lib. 16. cap. 40. Cariem, ait, vetustatemque non sentiunt cupressus, cedrus, ebenus, lotus, buxus, taxus, iuniperus, oleaster, et olea. Quin etiam peruncta cedro a tineis et carie non læduntur: unde illud, *et cedro digna locutus.*

Æternitatem gloriæ ambit superbus, sed frustra: cito enim a tineis et blattis consumitur. Ezech. 17. 3. Nabuchodonosorem aquilæ comparat medullam cedri abstrahenti, id est, transportanti regiam stirpem regum Iuda cum suis principibus in Babylonem. Tropol. hæc aquila est dæmon, qui divitiis, nobilitate, imo et virtutibus excelsos, atque inde superbientes, ad medullam usque consumit, et ex monte sublimi, cælestique in infima et perturbata mundi commercia immittit. S. Nilus ait superbiam esse arborem putridam. Sic enim loquitur tract. de octo animæ affectionibus, cap. de superb. *Superbia,* inquit, *arbor sublimis est, putrida tamen, atque eiusmodi ramos habens, qui facile perfringantur, et ascendentem in terram prosternant.*

De superbis pereuntibus, hoc commode dices, quod in Psalmo nostro habetur: *Et ecce non erat,* q. d. Non tantum arbor cecidit, sed omnino periit, velut terra absorpta, et futura ignis æterni materia. Ezech. 28. 19. de rege Tyri superbo dicitur: *Nihil factus es, et non eris in perpetuum:* ut enim ait S. Petr. Damiani tract. de omnipot. Dei: *Qui ab illo,* ait, *qui vere est, recedit, necesse est ut non sit, quia ad nihilum tendit.* Et lib. 2. epist. 27. docet peccatorem non esse, etiam cum videtur esse. Esther 14. 11. ait Deum orans, ne Iudæi occidantur ab Aman et eius satellitibus: *Non tradas Domine sceptrum tuum his qui non sunt.* Id est, idololatris et peccatoribus. S. Ambros. in Psal. nostr. ingeniose docet virtute præditos existere, et peccatores nihil esse: *Quid est,* ait, *Ecce non erat? In principio utique verbum erat.* Et qui verbum videt, qui particeps verbi est, utique et ipse est: quia verbum Dei semper est. Qui autem nescit verbum, non est: quia non adhæret ei qui dixit, Ego sum. Qui autem adhæret ei, unus spiritus est. Ubi autem spiritus, ibi et vita. Ideo tibi dicit Scriptura de Deo, Rom. 4. 17. *Qui vivificat mortuos, et vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt.* Hoc est, vocat gentes quæ non erant, tamquam populum suum qui erat. Erant enim patres nostri, qui erant electi Dei. Et alibi dicitur 2. Timoth. 2. 19. *Cognovit Dominus, qui sunt ipsius.* Non cognoscit eos qui non sunt. Et Esther ait cap. 14. 11. *Non des virgam regni tui iis qui non sunt.* Recte ergo iustus dicit: *Et transivi, et ecce non erat.* Hoc est, vidi eum superexaltatum in sæculo, antequam considerarem, quia nihil est sæculum. Ubi autem transivi mente supra mundum, vidi quia iam non erat, qui ante erat superexaltatus in hoc mundo.

Quarto, folia cedris non defluunt. Plin. lib. 16. c. 21. Sylvestrium, ait, generis folia non decidunt abieti, larici, pinastro, iunipero, cedro, terebintho, buxo, ilici, aquifolio, suberi, taxo, tamarici. 73. IV. *Ob foliorum ornatum.*

Superbus ornamenti studiosior est, quam par sit. Sed cito omnia illa folia arescunt et decidunt. S. August. in Ps. 101. omnes homines foliis caducis comparat. Videtis, inquit, generationes hominum sic esse in terra, sicut in arbore folia: sed in arbore olivæ, vel lauri, vel cuiuscumque alterius, quæ toto tempore fronde vestita est. Sic tamquam folia genus humanum terra portat. Plena est hominibus, sed aliis morientibus alii nascendo succedunt: semper enim arbor illa veste viridi vestita est: sed semper attende, quam multa caicas arida folia. Mimnermus apud Stob. serm. 98. Producit nos, ait, tamquam folia floridum tempus veris, cum subito splendor solis augetur. His foliis similes ad breve tempus floribus iuventutis delectamur: ita ille. Cito cadunt folia illa. Hinc S. Bern. serm. 6. de adventu vocat caducas consolationes, imo desolationes. Valer. Max. lib. 6. Caduca nimium, inquit, et fragilia, puerilibusque consentanea crepundiis, quæ vires atque opes humanæ vocantur, affluunt subito, repente dilabuntur: nullo in loco, nulla in persona, stabilibus nixa radicibus consistunt.

Superbia præsertim hæc folia decutit. Ioan. Cassianus lib. 12. Instit. cap. 3. Nullum est, ait, vitium aliud quod ita omnes virtutes exhauriat, cunctaque iustitia et sanctitate hominem spoliet ac denudet, ut superbiæ malum, tamquam generalis quidam et pestifer morbus, non unum membrum partemve eius debilitare contentus; sed solidum corpus lethali corrumpit exitio, et in virtutum iam fastigio collocatos gravissima ruina deiicere ac trucidare conatur.

Quinto, fructus ferunt aliquæ cedri, aliæ illo carent. Plin. lib. 13. cap. 5. *Maioris cedri duo genera. Quæ floret, fructum non fert. Frugifera non floret: et in ea antecedentem fructum occupat novus.* Ut plurimum superbus sine fructu virtutum est, solis foliis contentus: nonnunquam etiam fructu virtutis ad vanam gloriam abutitur, atque hic vermis est, vel ipsas cedros Libani pertundens atque erodens. S. Augustin. fructus a superbia impediri docet. Sic enim in Ps. 124. *Qui prosperantur in hoc sæculo felicitate falsa atque ventosa, et prorsus seductoria: ubi nihil aliud nutriunt, quam superbiam. Et cor eorum congelascit adversus Deum. et fit durum adversus imbrem gratiæ ipsius, ne fructum ferat.* 74. V. *Ob sterilitatem.*

Sexto, locus cedrorum excelsissimarum et laudatissimarum erat mons Libanus: quod superbis commode adaptatur. Libanus enim candorem et candidationem significat: inde fortasse dictus ob nives, quæ diu ibi perseverant: et albæ sunt, sed frigidæ. Ita superbus lucet exterius, sed in animo frigidus est. Locus ipse superborum, 75. VI. *Ob locum excelsum.*

id est hypocrisis, vel divitiarum et honorum tumor deiicitur, ut verum sit quod ait hoc loco Propheta noster, *Quæsivi eum, et non est inventus locus eius.* Ierem. 51. 25. dicitur Babyloni metropoli totius imperii Chaldæorum, vastandæ a Medis et Persis duce Dario Medo et Cyro Persa: *Ecce ego ad te mons pestifer* (Babylon mons dicitur ob palatiorum, domorum et murorum altitudinem. Sept. vertunt, mons corrupto.) *ait Dominus, qui corrumpis universam terram: et extendam manum meam super te, et evolvam te de petris; et dabo te in montem combustionis* (id est, combustum) *Et non tollent de te lapidem in an-* A *gulum* (hoc est, domus tuas evertam, et in cineres redigam) *et lapidem in fundamenta, sed perditus in æternum eris.* Hebr. eris in desolationes sempiternas: hoc est, ultra non ædificaberis. Et vero Babylon antiqua prorsus deleta est, nova in alio loco nunc posita est. Antiquam alluebat Euphrates, novam Tigris.

Ut concludam hunc psalmum, et tibi brevitatem felicitatis impiorum ob oculos ponam, attexam schema eorum quæ in hoc psalmo continentur; non servabo tamen ordinem versiculorum, sicut feci et facere semper soleo in psalmi principio: sed rerum ordinem potius observabo.

ANALYSIS PSALMI TRIGESIMI SEXTI.

David fluctuantem iustum, et ob felicitatem impiorum indignabundum, ad moderationem animi revocat, quod

- Felicitas impiorum sit brevis:
  - Sicut fœnum agri, cito marcescens. 2.
  - Sicut olus hortorum, cito succidendum. 2.
  - Sicut fumus, in aere cito evanescens. 20.
  - Sicut arbor, in ignem cito immittenda. 35. 36.
  - Sicut nihilum, omnino disperiens. 10. 36.
- Infelicitas vero perpetua:
  - In anima vitiis obnoxia. 12.
    - Iræ. 12.
    - Invidiæ. 12.
    - Audaciæ. 14.
    - Crudelitatis. 14.
  - In corpore cuius.
    - Oculi, præ invidia tabescent. 12.
    - Dentes, præ ira collidentur. 12.
    - Manus, exarmatæ consident. 15.
    - Cor, propriis armis transverberabitur. 15.
    - Brachia, alienis viribus diffringentur. 17.
    - Vultus, ignominia perfundetur. 13.
    - Aures, minis Dei terrebuntur. 13.
  - In fortunæ bonis.
    - Potentia ablata. 15. 17.
    - Divitiis sine usu manentibus. 19.
    - Bonis mobilibus pereuntibus. 21.
    - Bonis immobilibus pereuntibus. 22. 36.
    - Filiis cito morientibus. 28.
- Infelicitas vero iustorum brevis est.
  - Deo cito ad auxilium accurrente. 17. 23.
  - Et a confusione æterna eos servante. 28.
- Felicitas vero perpetua:
  - In anima. 6. cuius.
    - In intellectu lux et sapientia. 6.
    - In voluntate virtutes.
      - Iustitia. 6.
      - Misericordia. 22.
      - Mansuetudo. 11.
      - Mandatorum omnium amor. 33.
    - In tota anima
      - Gratia. 3.
      - Pax. 11.
      - Ab insidiis liberatio. 33.
      - Ab impugnatione aperta protectio. 40.
      - Ad cælum cum victoria perductio. 27. 29.
  - In corpore, cuius.
    - Ori, cibus abundans. 3.
    - Stomacho, saturitas. 19.
    - Cordi, desideriorum adimpletio. 4.
    - Facici, serenitas et securitas. 10.
    - Oculis, hilaritas, ob ruinam hostium. 34.
    - Brachiis, robur. 17.
    - Manibus, auxilium. 24.
    - Pedibus, directio et stabilitas. 23.
    - Corpori integro, conservatio et sanitas. 24.
  - In fortunæ bonis.
    - Potentiam eius conservando. 34. 39. 40.
    - Bona mobilia stabiliendo. 21.
    - Bona immobilia dando. 9. 37.
    - Filios eorum benedicendo. 26.
- Pietatis summa merces.
  - Corde in Deum sperant, et eum amant. 3. 4. 31. 39.
  - Ore illum orant, et prudenter loquuntur proximo. 5. 6. 23. 31.
  - Manu, bona opera faciunt. 3. 26.
  - Pedibus, viæ Dei insistunt. 27. 37.
  - Passiones domant
    - Invidiam. 1. 7. 5.
    - Et iram. 8.
  - Peccata omnia fugiunt. 8. 9.
  - Virtute omnes sectantur. 3. 26. 28.
  - Corpore et animo totos Deo se subiiciunt. 7.

PSALMUS TRIGESIMUS SEPTIMUS.

1. Psalmus David, in rememorationem de sabbato,

2. Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.
3. Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: et confirmasti super me manum tuam.
4. Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.
5. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: et sicut onus grave gravatæ sunt super me.
6. Putruerunt, et corruptæ sunt cicatrices meæ: a facie insipientiæ meæ.
7. Miser factus sum et curvatus sum usque in finem: tota die contristatus ingrediebar.
8. Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: et non est sanitas in carne mea.
9. Afflictus sum et humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei.
10. Domine, ante te omne desiderium meum: et gemitus meus a te non est absconditus.
11. Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.
12. Amici mei et proximi mei: adversum me appropinquaverunt et steterunt.
13. Et qui iuxta me erant de longe steterunt: et vim faciebant qui quærebant animam meam.
Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: et dolos tota die meditabantur.
14. Ego autem tamquam surdus non audiebam: et sicut mutus non aperiens os suum.
15. Et factus sum sicut homo non audiens: et non habens in ore suo redargutiones.
16. Quoniam in te Domine speravi: tu exaudies me Domine Deus meus.
17. Quia dixi, ne quando supergaudeant mihi inimici mei: et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.
18. Quoniam ego in flagella paratus sum: et dolor meus in conspectu meo semper.
19. Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: et cogitabo pro peccato meo.
20. Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me: et multiplicati sunt, qui oderunt me inique.
21. Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam sequebar bonitatem.
22. Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne discesseris a me.
23. Intende in adiutorium meum: Domine Deus salutis meæ.

PSALMI TRIGESIMI SEPTIMI ANALYSIS.

David variis sentiens flagella, timore divinæ iustitiæ concussus, memorat

- Pœnas sibi inflictas ob luxuriam, quam agnoscit:
  - Deo invisam, cuius
    - Iram et furorem provocat. 2.
    - Sagittas recipit. 3.
    - Gladium sentit. 3.
  - Sibi noxiam, 4.
    - In corpore, cuius
      - Carnem morbis conficit. 4.
      - Ossa comminuit. 4.
      - Caput obruit. 5.
      - Humeros gravat. 5.
      - Membra corrumpit. 6.
      - Vultum deiicit. 7.
      - Cor conturbat. 7.
      - Lumbis illudit. 8.
      - Pectus suspiriis rumpit. 9.
      - Os gemitu complet. 10.
      - Brachia et nervos debilitat. 11.
      - Oculos excæcat. 11.
    - In anima, cuius
      - Voluntatem.
        - Multitudine scelerum opprimit. 5.
        - Gravitate atterit. 5.
        - Turpitudine polluit. 6.
        - Fœtore inficit. 6.
        - Duratione possidet. 7.
        - Impietate, bonis divinis spoliat. 7.
        - Suavitate, ad terrena commoda curvat. 7.
      - Appetitum sensitivum.
        - Tristitia turbat. 7.
        - Tentationibus concutit. 8.
        - Victum proculcat. 9.
        - In summos dolores coniicit. 9. 10.
      - Intellectum.
        - Conturbat. 11.
        - Robore privat. 11.
        - Sine lumine efficit. 11.
  - Aliis odiosam,
    - Amicis indignantibus. 12.
    - Affinibus impugnantibus. 12.
    - Domesticis longe recedentibus. 13.
    - Hostibus irruentibus. 13. et
      - Ore loquentibus vanitates. 13.
      - Mente dolos meditantibus. 13.
- Et patientiam suam declarat. 14.
  - In pœnis illis perferendis. 14.
    - Aures, dissimulatione prudenti muniendo. 14. 15.
    - Os, silentio claudendo. 14. 15.
    - Voluntatem, spe in Deum firmando. 16.
    - Intellectu, utilitatem afflictionis volvendo. 17.
    - Memoria, præterita peccata versando. 18. 19.
    - Corpus, flagellis paratum exhibendo. 18.
    - Lingua, iniquitatem suam aperiendo. 19.
  - Et malis non inferendis.
    - Culpam non retorquendo hostes, licet
      - Vivaces sint et prompti. 20.
      - Fortes et firmi. 20.
      - Multiplices et diversi 20.
      - Crudeles et impii. 21.
      - Ingrati et detractores. 21.
      - Pietatis et virtutis inimici. 21.
    - Sed opem a Deo uno implorando.
      - Ne gratiarum subtractione deserat. 22.
      - Ne præsentiæ suæ solatium tollat. 22.
      - Ut auxilia efficacia suppeditet. 23.
      - Ut ad salutis portum provehat. 23.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. PSALMUS DAVID, IN REMEMORATIONEM DE SABBATO.

1. Tituli explicatio. NOTA, in Hebræo nulla fit mentio sabbati, sed habetur tantum, *Psalmus David in commemoratione*, ut vertit S. Hieron. ad commemorandum, ut Pagn ad reminiscendum, ut Felix. Et quidem Sept. habent, εις αναμνησιν, id est, in recordationem.

Nota secundo, τo *ad recordationem*, potest sumi dupliciter. Primo, active, q. d. Ad efficiendum ut Deus recordetur mei, meque adiuvet ac sanet. Secundo, et melius, sumitur passive, q. d. Ut recorder, ut in memoriam mihi redeant aliqua.

Nota tertio, pro *de sabbato*, aliqui codices latini habent, ad recordationem sabbati; 2. S. Ambr. diei sabbati; 3. alii apud Ipsum, diei sabbatorum, quod est idem. Nam et in singulari et in plurali usurpatur dies ille septimus et festus Iudæorum; 4. Genebr. legit, die sabbati, et ait hoc additum esse ex usu synagogæ, quæ hunc psalmum

sabbatis canebat; 5. retinendo nostram versionem, *de sabbato*, Lorin. ait sensum esse, q. d. Psalmus canendus in sabbato: sicut dicitur, de die aut de nocte cantare: id est, in die aut in nocte. Sed hæc loquendi ratio non est usitata, ut *de sabbato* sit idem quod *in sabbato*. Quærendus est igitur alius sensus, ad quem cognoscendum:

Quis loquitur in hoc Psalmo.

Petes primo, quis hic loquatur? Primo, Iobum afflictum loqui vult Lombardus, et alii apud Cassiodor. Secundo, Adam loquentem et miserias suas post peccatum deplorantem induci hic arbitratur Valentia. Tertio et verius, David in propria persona hic agit.

Tempus quo psalmus scriptus est.

Secundo petes, quonam tempore hic Psalmus scriptus est? Resp. Euth. Iansen. Valent. Bellarm. scriptum esse cum Absalon Davidem persequeretur, et cum amici et noti eum desererbant, et ad filium transibant. Cumque, ut ait Iansenius et Titelm. etiam corpore ægrotaret.

2\. De qua rememoratione hic agitur.

Tertio petes, de qua rememoratione seu recordatione hic agitur? Primo, R. Kimhi vult agi de recordatione mirabilium operum Dei. Secundo, S. Gregor. de recordatione quietis in statu innocentiæ. Verba eius sunt: *Sabbatum requies interpretatur. Sabbatum humanum in primo parente habuit, qui quamdiu in conditoris sui obedientia perstitit, in suavissimo contemplationis divinæ lecto requievit. In paradiso namque primus homo deliciis petitus, sicut nullam in anima poterat sentire esuriem: ita etiam omnem, quæ ex carne nascitur, ignorabat passionem. At postquam divini colloquii peccando familiaritatem perdidit, mortis legibus succumbens, requiem felicitatis amisit. Et in procellosos mundanæ instabilitatis corruit fluctus, quia statum rectitudinis servare contempsit. Fidelis ergo anima requiem in primo homine perditam ad memoriam revocans, et futurum nihilominus vitæ æternæ sabbatum spiritus agilitate contemplans, ab omni spiritus et carnis corruptione eripi, et ad futuram indeficientis beatitudinis requiem consummato huius vitæ termino, orat sine cunctatione perduci.*

Tertio, de rememoratione seu recordatione sabbati, id est, tranquillitatis conscientiæ agi vult Bellarm.

3\. Ex peccato oritur pœnitentia, quæ est eius medicina.

Quarto, de recordatione peccati a se admissi explicant S. Ambrosius, S. Basilius, S. Gregor. Nyssenus, Origenes, Eusebius, Ugo, Theodoretus, Genebrardus, Flaminius et alii. Sic autem loquitur S. Ambros. recordationem hanc sumens pro pœnitentia, quæ est medicina peccati: *Unde*, ait, *medicina nisi de vulnere sumpsit exordium? Dum prima ætas generis humani docet alios quod sibi profuit, et quemadmodum vulnus suum sanaverit, aliis ostendit. Usus artem fecit, et ægritudo magisterium. Ipsa est enim prima et valida facta medicinæ quam experientia non coniectura formavit. Ideoque ab experientia*, ἐμπειρικοί, *primo medici sunt vocati, et ex ea facta cæteræ derivatæ sunt, atque ab ea usum quemdam suæ sumpsere virtutis. Quid autem est ad cohortationem pœnitentiæ validius, quam quod sanctus Propheta David peccatorum nostrorum nos docuit pœnitere? Quis enim dedignetur humiliare se Deo, cum rex se humiliaverit? Aut quis dubitet affligere animam suam, cum Propheta tantus afflixerit, solvens pretium lacrymarum pro redemptione peccati.* Ait deinde plenam esse definitionem pœnitentiæ, commemorationem delictorum, ut unusquisque peccata sua velut quodam quotidiani sermonis castiget flagello, et commissa sibi flagitia condemnet: quod intellige, si habeat propositionem emendandi se, et satisfaciendi Deo. Addit itaque: *Vera medicina est gerere pœnitentiam.* Et multis interiectis affert similitudinem viperæ fœminæ, quæ caput maris amputat in ipso usu coniugii, sic caput esse peccato amputandum monet: *Celebris sermo est*, inquit, *et scriptorum auctoritate robustus, serpentem* (viperam) *aquis appropinquantem sibilo sibi fœminæ anguis sponsare concubitus: illam propriæ consulentem saluti, ea spondere lege petitos coitus sui usus, si serpens venenum evomat: captumque obedire iussis, arma deponere, ac proprii more conventus caput ori eius inserere: atque ubi calescere ceperit consuetudo, seu naturæ quadam violentia, seu libidinis ardore fœminam stringere ora, morsusque libidinis osculis premere, atque ita caput serpentis abscindi. Nonne in natura serpentis mysterium fidei recognoscis? Serpens ille paradisi prior fœminam ad culpæ adulterium provocavit: sed ubi venenum eius effusum est in hunc mundum soboles illius fœminæ circumventionem parentis, et fraudem ulta serpentis, armis eum suis exuit, et caput illius amputavit. Quod si venena prævaluerint, et peccatum in quo est aculeus mortis, irrepserit: utere medicorum exemplo, ut tibi serpens vel cito moriatur. Conteras eius venenum, corpusque comminuas, et admistum salutaribus succis noveris temperandum; ut non solum vim suam et virus amittat, sed etiam fiat remedium de veneno. Moritur autem tibi serpens ille intelligibilis, si tu moriaris peccato, et tibi tua peccata moriantur. Sic conteritur eius venenum, si te tua facta compungant. Sic omne virus eius aboletur, si bonis operibus tegas, et fideli confessione temperes crimen admissum. Audi quemadmodum virtus draconis ipsius conteratur: Conterat, inquit Rom. 16. v. 20. Deus Satanam sub pedibus vestris. Contere primo cor tuum, in quo erat draconis cubile, ut non inveniat ubi possit habitare. Contere draconis carnes. Carnes eius peccata nostra sunt. Ideo tibi dicit Deus: Epulantur in eo gentes. Et infra: Præcurrit mori. Carnes autem corporis eius sunt adhærentes ei. Sicut enim Sancti corpus et membra sunt Christi: ita peccatores qui peccatum non deserunt, sed peccato inhærent, corpus draconis et membra sunt. Ideo nos Christi corpus epulamur, illi autem corpus epulantur draconis. Nos epulamur, qui Christo adhærere contendimus, remissionem quotidianam et veniam peccatorum. Illi autem qui peccatis quotidie peccata connectunt, continuationem flagitiorum epulantur et criminum. Contere igitur has carnes, et super eas contritionem tui cordis asperge. Deinde mitte super omnia ea Iordanis aquam.*

Vipera fœmina caput maris abrodit. — Peccator dæmoni caput conterat. — Medicus ex venenis theriacam facit. — Contritio de peccatis medicinam.

Sabbatum, seu requies mentis.

Qui recordatur peccati, cogitat *sabbatum*, id est, quietem et tranquillitatem mentis, si illud expellat. Sic intelexit idem sanctus Doctor. Prius enim dixerat: *Quid est sabbatum, nisi requies futurorum, levamen præsentium, quo lex iubet hominum opera feriari, onera deponi. Quæ sunt gravia onera, nisi nostra peccata?* Quidam apud Aiguanum accipiunt sabbatum pro peccato. In otio certa meridiano respexit David Bethsabæam, et in tranquillitate propria post multas victorias. Quid si die sabbati peccavit? Sed hoc est divinare. Neque arbitror Septuag. hic sabbatum pro peccato usurpasse: cum sabbatum apud Iudæos esset in tanta veneratione.

Quinto, τὸ *in rememorationem*, potest accipi de recordatione pœnæ sibi a Deo inflictæ ob peccatum cum Bethsabæa, et ob cædem Uriæ: ita S. Athanasius, Euthymius, Apollinaris, Flaminius, Genebrardus, Theodoretus qui ait: In hoc Psalmo, et de peccato David mentionem facit, et de pœna inflicta ob peccati expiationem. Acciderunt autem ipsi multæ et variæ molestiæ: nimirum Amnonis cædes, Absalonis tyrannis, Achitophelis consilium, quod contra ipsum consultavit, Semei contumeliæ, et cætera quæ historia edocet: ita Theodor. De suppliciorum infligendorum recordatione Ugo Card. exponit.

Alleg. Lindonus de Christo sic explicat: Christus, ait, 4. Allegor.
pro nobis factus peccatum, ac pro peccatis nostris hostia, orat tempore passionis pro mitigatione acerbissimæ disciplinæ pacis nostræ, ipsi pro nobis impositæ.

Tropolog. Iansenius: Psalmus hic, ait, homini convenit, qui propter commissam iniquitatem supra modum 5. Tropol.
conturbatur, sentiens in se divini iudicii horrorem; pungentes admodum malæ conscientiæ stimulos, mirabilem in corpore indispositionem, et mutuum diversorum tumultum, qui ob id divinam iram cum gemitu cordis deprecatur.

Anagog. Psalmus iste est David, et cuiuslibet pœnitentis, in rememoratione et recordatione sabbati, et requiei 6. Anagog.
æternitatis, quam habere desiderat, sed peccatorum conscius perdere reformidat: ita Rayn. Snoygoudanus. Hunc sensum attigit S. August. S. Gregor. Haymo, Alguanus.

Moraliter nota, homo facile obliviscitur Dei et divino- 7.

Homo facile obliviscitur Dei. Gamba rex veneno amisit memoriam. Messala Corvinus morbo. Trapezuntius senectute. Thraces stupiditate.

rum. Hinc ab Hebr. dictus est אנוש *enos*, hoc est, obliviosus, a rad. נשא *nascia*, oblivisci. Id illi contigit ab ipso mundi exordio, hausto veneno serpentis. Gamba Gothorum rex in Hispania hausto veneni ab Heringio dati amisit memoriam. Secundo, morbi diritate Messala Corvinus sui nominis est oblitus. Morbi nos multi opprimunt, et non est sanitas in carne nostra, sicut dicitur in Psalmo nostro. Tertio, in extrema senectute Georgius Trapezuntius oblitus est litterarum. Senectus spiritualis inducit oblivionem Dei. Quarto, a natura sæpe oritur ille defectus. Thraces quidam olim ita erant obtusi, ut quaternarium numerum excedere numerando non valerent. Peccatores quidam ita sunt stupidi, ut ne Trinitatem quidem personarum in Deo, et Christi humanitatem possint percipere et meminisse.

8\. Ars memoriæ est addiscenda. Cyri memoria admirabilis. Cyneæ. Senecæ. Charmidæ.

Secundo igitur, ars memoriæ est ediscenda. Potuit Cyrus nomina cunctorum militum in numeroso exercitu tenere. Nos non possimus unius ducis nostri recordari? Cyneas Pyrrhi legatus Romam a domino missus, omnium senatorum nomina edidicit uno die, quorum consessum totidem regum sibi videri retulit Pyrrho. Nos non possimus aliquot sanctorum Patronorum regni, provinciæ, civitatis, ecclesiæ, domus, propriæ personæ recordari, eosque invocare? Seneca testatur, memoriam in seipso adeo excelluisse ut non ad usum modo sufficeret, sed in miraculum usque procederet. Nam duo millia nominum recitata quo ordine erant dicta referebat: ducentos versus ab ultimo incipiens, recitabat. Nos non possimus pauculas orationes menti commendare? Charmidas (aliis Carmandas, Carnadas et Carneades) quidam in Græcia, quæ quis A exegerat volumina in bibliothecis, legentis modo repræsentavit. Nos sacra volumina ne attingamus quidem, neque vel unam ex iis sententiam excerpamus?

Artem memoriæ invenit Simonides. Mithridatis memoria stupenda.

Artem memoriæ invenit Simonides, perfecit Metrodorus. Plinius lib. 7. cap. 24. Memoria, inquit, necessarium maxime vitæ bonum, qui præcipua fuerit haud facile dictu est, tam multis gloriam eius adeptis. Cyrus rex omnibus in exercitu suo militibus nomina reddidit; L. Scipio populo Romano. Cyneas Pyrrhi regis legatus senatui et equestri ordini Romæ postero die quam advenerat. Mithridates duarum et 20. gentium rex, totidem linguis iura dixit, pro concione singulas sine interprete affatus. Ars postremo eius rei facta, et inventa est a Simonide Melico, consummata Methrodoro Scepsio, ut nihil non iisdem verbis redderetur auditum. Nec aliud est æque fragile in homine, morborum et casus iniurias, atque etiam metus sentiens, alias particulatim, alias universa. Ictus lapide oblitus est litteras tantum. Ex præalto tecto lapsus, matris et affinium, propinquorumque cepit oblivionem. Alius æ- B grotus servorum etiam: sui vero nominis Messala Corvinus orator. Hæc Plin. Dei est memoriam nobis dare. Ps. 110. 4. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus.* Si oblivio nos ceperit Dei, orandus est ut memoriam reddat. Psalmus canendus in recordationem, seu 9.
in rememorationem, ut hoc loco, et offerendum *sacrificium recordationis*, Num. 5. 18. Fiet in odorem suavitatis Deo. Chald. In Psalmo nostro apud Augustinum, Iustinianum Episc. Nebiensem habet: *Pro fasciculo thuris in memoriam Israelis.* Vide dicta Ps. 76. 4. *Memor fui Dei, et delectatus sum.*

Memoria beneficii accepti est sacrificium Deo gratum.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

10\. QUATUOR COMPLECTITUR. PRIMO, DAVID POSTULAT A DEO NON PUNIRI IN RIGORE IUSTITIÆ, VERS. 2. SECUNDO, BELLUM INTESTINUM, OB LUXURIAM IN ANIMO SUO ET CORPORE SUSCITATUM EXPONIT, VERS. 3. TERTIO, BELLA EXTERNA SIBI IN PECCATI ILLIUS POENAS AB ALIIS ILLATA PERCENSET, VERS. 12. QUARTO DENIQUE, PATIENTIAM SUAM EIUSQUE CAUSAS OSTENDIT, AC DEUM INVOCAT, UT A PECCATO EMERGENTI ADSIT, VERS. 14. USQUE AD FINEM.

SECTIO PRIMA.

Tria continet. Primo, sentiens David acerbitatem inflictarum sibi a Deo pœnarum ob peccatum, misericordiam eius implorat, vers. 2. Secundo, scelera sua multa, magna, et inveterata esse profitetur, vers. 5. Tertio denique, carnis suæ rebellionem, conturbationem et debilitationem deplorat, vers. 8.

PARAPHRASIS.

2\. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.*

2\. Ne Domine severitatem iudicis in tot scelera mea exeras, sed paterna castigatione contentus clementiam tuam, filio licet immerito exhibeas.

3\. *Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: et confirmasti super me manum tuam.*

3\. Iam enim in pœnam peccatorum meorum sagittis iræ tuæ transfixus sum: ac dirissimis flagellis undequaque concisus, et calamitatum pondere depressus, ultricem manum tuam persensi et perhorrui. Sufficiant iustitiæ tuæ tot tantæque clades.

4\. *Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.*

4\. Non sensus modo, sed vel aspectus iustæ indignationis tuæ, tanto concussu animam meam emovet, ut vel ipsum corpus totum intremat et contabescat. Si a flammanti dextera tua ad animi mei penetralia sceleribus oppleta oculos retorsero: tum vero penitissimas medullas horror permeat, cum vel ipsa fulmina frigida et languida videam, si ex iustitiæ tuæ rigore sim feriendus.

5\. *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: et sicut onus grave gravatæ sunt super me.*

5\. Etenim velut undarum ruptis obicibus late stagnantium eluvione absorptus, atque in cœnum immersus, ita infigor ac deprimor, ut ne vel ipsum caput meum extet, quo vel opem implorare, vel oculis cælum respectare liceat. Sed immensa moles et aquarum, et luti, vertici meo humerisque superiecta, sub pondere gementem, vilemque animam ægre trahentem degravat, atque in fœdiores ac profundiores semper lacunas cæspitantem devolvit.

6\. *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ.*

6\. Cum enim totus ulceribus plenus tabe sanieque diffluerem, ea fui insania, ut dissimulatione peccata mea obvolverem; quo factum est, ut male obducta cicatrix putresceret fœtoremque omnibus inhalaret, vixque medicinæ ullum faceret locum.

7. Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem: tota die contristatus ingrediebar.

7. Ad summam miseriam, omnibus animi bonis spoliatus redactus sum, et ad terrena inflexus, neque unquam erigendus nisi præter meritum me adiuves. Ideo a tempore quo peccavi, nullam animo sinceram delectationem cepi, sed funesto mœrore contabui.

8. Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: et non est sanitas in carne mea.

8. Quis enim non doleat, cum disrupto rationis fræno, et eius neglecto imperio, bruta se cupiditas in fœda et pudenda desideria immittat: omnesquo corporis mei sensus vana delectatione pruriant, et hostium ictibus pateant?

9. Afflictus sum, et humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei.

9. Ea me res gravissimo cruciatu ac dolore affecit, tantoque, ut dolor animo meo contineri non posset, sed in crebra et vehementia suspiria erumperet.

10. Domine ante te omne desiderium meum: et gemitus meus a te non est absconditus.

10. Tu Domine nosti, quanto ardore ab his malis eximi cupiam: tu diurnos nocturnosque in intimo conclavi gemitus exaudis, cum solus tibi Deo meo afflictum cor effundo.

11. Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.

11. Intestino commotionum corporis tumultu nutans animus concutitur: pene excidunt languenti arma de manibus, nec tot præliis fracto ad retundendum hostem domesticum, meisque hærentem visceribus, vires suppetunt. Totque obiectæ animo nubes rationis mihi solem eripiunt, et in tenebris errantem suavissima pristinorum radiorum luce privant.

QUÆSTIO UNICA.

Quam multa et magna luxuriæ mala.

11. Cum Psalmus hic scriptus fuerit, ut dixi, tempore persecutionis ab Absalone excitatæ, David in eo deplorat miserias a luxuriæ peccato exortas. Nam ante tempus illud peccata eius alia non legimus. Ostendit autem tria: scilicet primo, peccatum illud esse Deo invisum: secundo, esse sibi noxium: tertio, esse aliis odiosum. Sed hoc ultimum explicat in sequenti sectione: nunc duo prima videamus.

Luxuria excitat iram Dei. Primo quidem, Deus in luxuriosum vehementer irascitur, eique paratas pœnas intentat. Unde David timore exterritus inclamat, v. 2. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Secundo, non inanes tantum minas iactat, sed telo immisso peccatorem ferit, v. 3. *Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi.* Tertio, non leviter solum illæ sagittæ perstringunt aut vulnerant, sed diu fixæ adhærent: et gladius ultor iam confixum novis plagis concidit: *Et confirmasti super me manum tuam.*

Et totum hominem corrumpit. Secundo, luxuria totum hominem corrumpit, 1. corpus et eius membra; 2. appetitum sensitivum; 3. mentem ipsam.

Primo enim, carnem morbis conficit, v. 4. *Non est sanitas in carne mea.*

Secundo, ossa luxantur et debilitantur ob mollitiem: *Non est pax ossibus meis.*

Tertio, caput doloribus obtunditur, et peccatis obruitur, v. 5. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum.*

Quarto, humeri tanto oneri ferendo non sunt pares: *Et sicut onus grave gravatæ sunt super me.*

Quinto, membra cætera putrescunt, v. 6. *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ: a facie insipientiæ meæ.*

Sexto, pectus in terram inflectitur, v. 7. *Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem.*

Septimo, appetitus sensitivus ob luxuriam corrumpitur, 1. irascibilis, ob tristitiam inde enascentem, vers. 7. *Tota die contristatus ingrediebar;* 2. concupiscibilis, ob inanem lætitiam vers. 8. *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus.* Hinc primo sequuntur morbi: *Non est sanitas in carne mea.* Secundo, pudor et dolor, v. 9. *Afflictus sum, et humiliatus sum nimis.* Tertio, gemitus: *Rugiebam a gemitu cordis mei.* Quarto, suspiria, v. 10. *Domine ante te omne desiderium meum: et gemitus meus a te non est absconditus.*

Octavo denique, pars mentis superior a luxuria conturbatur. Primo, voluntas, v. 11. *Cor meum conturbatum est.* Virtutibus enim, et suo ad resistendum hostibus robore spoliatur: *Dereliquit me virtus mea.* Secundo, intellectus cælesti lumine privatur: *Et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.*

ARTICULUS I.

Deus graviter punit luxuriosos.

Graviter afflictus David, et graviora timens ob peccatum cum Bethsabæa commissum, veniam postulat, et 12.
pœnam capiti impendentem deprecatur, v. 2. Domine ne Vers. 2.
in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Vide dicta Ps. 6. et hic S. Ambrosium.

Vocem David eo contentius erigit, quo gravius telum sentit, v. 3. Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: Vers. 3.
et confirmasti (Hebr. *et descendit,* ex alto cælo, itaque graviter vulnerat) super me manum tuam. *Manum*, id est, plagam manu inflictam. Est metonymia: ita Genebrardus. Secundo, *manum*, id est potentiam vindictæ: ita Raynerius, et melius, q.d. Firmiter et fortiter me percussisti manu vindicante: ita Ugo. Ponitur hoc ex translatione cædentium, multasque plagas incutientium. Ita Gregorius, et Origenes qui ait: *Confirmat manum supra pueros pædagogus, dum verberat et emendat; et confirmat manus, cum verbera non negligenter, aut leviter infliguntur.* Melius sumetur comparatio a venatore, qui feram primo impetit telis eminus: deinde irruentem excipit venabulo obfirmans manum, vel etiam gladio ictum iterat; ac denique eam comprehendit, et acceptione suam facit. S. Ambr. exemplis manum Dei in peccatores firmatam declarat: *Manum Dei*, inquit, *virtutem intelligimus puniendi. Hæc manus regem Ægyptiorum propter Abrahæ iniuriam, ob tentatam Saræ pudicitiam flagellavit. Hæc manus Ægyptiorum currus, equos et populos rubri maris demersit profundo. Hæc manus mentem gravavit regis Saul, ut gratiam sui conservatoris odisset: et pro prævaricatione cælestis imperii desertus a sociis, interemptis quoque filiis destitutus, victus ab hostibus, quo spectaculo nihil est deformius regi, gladium in se suum ipse converteret, ne captivus senex viveret filiis et regno superstes. Hanc manum David in seipso expertus et liberis, alterius incestum, alterius parricidium deploravit, etc.*

Quæres, quas sagittas Dei hic David intelligit? Primo, 13.
S. Augustinus id explicat de verbis Dei amorem excitantibus divinum: *Verba Dei*, ait, *tamquam sagittæ excitant amorem nondum excitatum, non dolorem. An quia et ipse amor non potest esse sine dolore? Quidquid enim amamus et non habemus, necesse est ut doleamus. Nam ille amat et non dolet, qui habet quod amat. Qui autem amat, et nondum habet quod amat, necesse est ut in dolore gemat. Inde illud in persona Ecclesiæ sponsæ Christi in Cantico Canticorum cap. 2. et 5. Quoniam vulnerata charitate ego sum. Vulneratam se dixit charitate: amabat enim quidem, et nondum tenebat: dolebat, quia nondum habebat. Ergo si dolebat, vulnerata erat, sed hoc vulnus ad veram salutem rapiebat. Qui hoc vulnere non fuerit vulneratus, ad veram sanitatem non potest pervenire. Hæc est sagitta salutis Domini*, 4. Reg. 13.

Sagittæ Dei infixæ Davidi erant: I. Verba Dei.

II. Tentationes carnis.

Secundo, *sagittæ Domini* sunt tentationes carnis a Deo permissæ in pœnam peccatorum præcedentium: ita Ugo.

Sagittæ, inquit, possunt vocari motus carnis: quæ sagittæ Domini esse dicuntur, quia eas permittit infigi homini ut humilietur. Iob 6. 4. *Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum*, id est, spiritousitatem et superbiam meam. 4. Reg. 13. *Sagittæ salutis Domini: sagitta salutis contra Syriam*, id est, contra superbiam. *Syria* enim, *sublimis* interpretatur: ita Ugo. Tentatio, ut ait S. Ambrosius, quasi sagitta penetrat interiora hominis, et quasi gladius Dei, qui scrutatur interna.

III. Pœnalitates animæ et corporis.
Tertio, *sagittæ Domini* sunt pœnalitates animæ et corporis, quas in hac vita pati necesse est post peccatum Adæ: ita S. August. et Raynerius. Mortalitas et passibilitas: ita S. Gregor. Pœnalitates, ait Ugo, scilicet esuries, sitis, frigus, calor, lassitudo, ægritudo, quæ sicut sagittæ in arcu intenduntur, et postea in obiectum corpus infiguntur; sic istas pœnalitates intendit Dominus in arcu comminationis, dicens Adæ, Gen. 2. 17. *Quocumque die comederis ex eo, morte morieris*. Et cum comedit Adam, infixæ sunt et isti sagittæ et nobis in eo. Unde bene dicit non tantum fixæ, sed infixæ. Multum enim intima fixæ fuerunt, quæ nos in ipso vulneraverunt. De arcu isto et sagittis dicitur in Ps. 7. 13. *Arcum suum tetendit, et paravit illum, et in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit*. Arcus est comminatio sive iustitia Dei: vasa mortis sunt prædictæ sex miseriæ, quæ mortem homini afferunt. Sicut significatum fuit Ezechiel 9. ubi dicitur, quod sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad Aquilonem, et uniuscuiusque vas interitus in manu eius. Eadem vasa sagittæ sunt, quas Dominus ardentibus effecit, id est, igne peccati originalis et fomitis succensis. De his sagittis Iob. 5. 19. *In sex tribulationibus liberabit te, et in septima, id est, morte non tanget te malum*: ita Ugo.

IV. Minæ Prophetæ.
Quarto, *sagittæ Domini* infixæ pectori Davidis sunt minæ Prophetæ Nathan, et increpatio severa ob peccatum adulterii et homicidii. 2. Regum 12. *Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego unxi te in regem super Israel: et ego erui te de manu Saul, et dedi tibi domum Domini tui, et uxores Domini tui in sinu tuo: dedique tibi domum Israel et Iuda. Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo? Uriam Hethæum percussisti gladio, et uxorem illius accepisti in uxorem tibi. Quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, etc.* Certe ista exprobratio beneficiorum, et comminatio pœnarum pupugit sine dubio gravissime animum Davidis, et verecundia, timore et dolore vehementissimo illum affecit: ita Bellarm.

V. Et optime, tribulationes graves.
Quinto denique et optime, *sagittæ Domini* infixæ Davidi, erant tribulationes multæ et calamitates illi inflictæ ob peccata: ita S. Basil. Iansen. Genebr. qui et morbum includit. Crediderim tum cæteras, tum præsertim afflictiones ob Absalonis filii defectionem ortas intelligi. Cor enim parentis lethali sagitta confoditur, cum filii furorem in se contortum videt.

14. Sagittarum Dei proprietates quinque.
Nota, sagittæ illæ erant primo cælestes, id est, e cælo vindice et ultore descendentes. Hebr. *sagittæ* נחתו *nichathu*, id est, *descenderunt in me*: ita Pagninus. Secundo, sunt certæ et non aberrantes. Symmachus vertit, τα βελη σȣ καθιχετο μȣ, *sagittæ tuæ attigerunt me*. Tertio, *sagittæ*
1. illæ sunt veloces et impetuosæ. Chald. *sagittæ tuæ irrue-*
2. *runt in me, et mansit super me vulnus manus tuæ*. Quar-
3. to, *sagittæ* illæ sunt acutæ, penetrantes et tenaces, *sagit-*
4. *tæ tuæ infixæ sunt mihi.* Quinto, *sagittæ* illæ erant multæ.
5. Nam 1. filius ex adulterio susceptus mortuus est; 2. Thamar Davidis filia a proprio fratre Amnone violata est; 3. Amnon a fratre Absalone occisus est; 4. Absalon a patre defecit, eum e trono expulit, eius decem concubinas in urbis regiæ oculis polluit; 5. Semei eum lapidibus et maledictis appetiit. Prius illi dixerat Nathan Propheta, 2. Reg. 12. 10. *Non recedet gladius de domo tua in æternum.*

15. Luxuria iram Dei conciat ob quatuor.
Moraliter nota: luxuria iram Dei provocat, propter quatuor rationes: Primo, enim luxuria terrea et lutosa est, Deus est purissimus spiritus. S. Gregor. Nazianz. in carmine de Virginitate: πρωτη παρθενος εϛιν αγνη τριας, *Pri-*

A *ma Trias virgo est*. Tertull. de cultu fœm. cap. 8. *Ubi Deus ibi pudicitia*. S. Epiph. in festo Palmarum ait, Christus est νυμφιος της αφθαρσιας, *sponsus incorruptionis, seu sponsus virginitatis*. Nam utrumque αφθαρσια significat. S. Ignatius epist. ad Tarsenses, vocat virgines ιερειας χριϛου, sacerdotes Christi: et viduas castas, θυσιαϛηριον θεου, altare Dei. Non manet columba super cadavera putrida et fœtentia luxuriæ diluvio mersa. Cum Deus virgo sit, sibi similes amat virgines, et pascitur inter lilia, Cant. 2. 10. Paulus Thessalonicensibus ait, 1. epist. 4. 3. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis a fornicatione*. Sapient. 6. 26. *Incorruptio facit esse proximum Deo*. Contra vero, impuros punit. Apocal. 21. 8. *Timidis autem, et incredulis, et execratis, et homicidis, et fornicatoribus pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure, quod est mors secunda*. Locustæ ex abysso erumpentes, habebant capillos sicut capillos mulierum, Apoc. 9. 9. ibi est domus luxuriosorum, et habent super se regem B Angelum abyssi, cui nomen Hebraice Abaddon, Græce autem Apollyon, Latine autem exterminans. Abaddon significat perditionem, exterminationem; sed Hebræi sæpe sumunt abstracta pro concretis, απολλυων Græc. est perdens, disperdens, exterminans. I.
Quia est carnea, Deus vero est spiritus.
Deus est virgo, sponsus incorruptionis.
Virgines sacerdotes sunt Christi.
Viduæ sunt altare Dei.

Secundo, luxuria iram Dei provocat: quia corpus, quod est Dei templum, polluit. S. Paulus Corinthios ob fœdas libidines arguens 1. epist. cap. 3. 16. ait: *Nescitis, quia templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis?* S. Isidorus Pelus. lib. 3. epist. 75. vocat corpus nostrum τιμενος και ιερον της αγνειας, *castitatis delubrum et templum*. Unde inferre debemus cum Tertulliano de cultu fœminarum cap. 1. *Cum omnes templum simus Dei, illato in nos et consecrato Spiritu sancto, eius templi æditua et antistes pudicitia est, quæ nihil immundum nec profanum inferre sinat*. Iustinianus Imp. Noveli. de Lenon. ff. Sancimus, ait: *Sancimus ut quisque pro se, quantum in ipso est, castitatem colat, quæ sola hominum animas cum fiducia Deo præsentare potis est*. S. August. serm. 10. de verbis Do- C mini cap. 10. fœditatem illius vitii recte ob oculos ponit: *Si, ait, eligeres in Ecclesia facere adulterium intra istos parietes, quid te esset sceleratius? Modo autem tu ipse es templum Dei: templum intras, templum exis, templum in domo tua manes, templum surgis. Vide quid agis, vide ne offendas templi habitatorem*. Angeli e templo Iudæorum exeunt, idque deserunt, ideo igne Romano comburitur. Si a te Deus exeat, tartareo igne perderis. 16. II.
Quia luxuria corpus templum Dei polluit.
Castitas Deo homines offert.

Tertio, luxuria iram Dei provocat, quia animam, quæ ad Dei imaginem facta est, corrumpit. S. August. lib. de 10. chordis, cap. 10. *Charior tibi factus es homo, quam Deus. Ergo quomodo iniuriam facio, inquis, ipsi Deo? Corrumpis teipsum. Et unde iniuriam facio Deo, quia corrumpo meipsum? Unde facit tibi iniuriam qui voluerit forte lapidare tuam tabulam pictam, in qua tabula imago tua est in domo tua inaniter posita ad vanum honorem tuum, nec sentiens, nec loquens, nec videns? Cum vero imaginem Dei, quod es tu, corrumpis in te per fornicatio-* D *nes, non attendis per libidines illicitas fornicationis, cuius imaginem violasti*: hæc Augustinus. 17. III.
Luxuria animam, quæ est Dei imago, corrumpit.

Quarto denique, luxuria iram Dei provocat quia virtutibus animam spoliat. S. August. de doctrina Christiana: *Luxuria est inimica Deo, inimica virtutibus, perdit omnem substantiam*. Et Hugo a S. Victore, tract. de proprietatibus et epithetis, cap. 10. *Luxuria, inquit, gratuita tollit, animam inficit, corpori morbum paralysis ingerit, et cæcitatem oculis; corpus inquinat, famam deflorat, pecuniam tollit; inimica est proximo, fœtet Deo, placet diabolo, odibilis Angelis, eius ignis descendit in infernum, fumus eius vindictam petens ascendit in cælum.* IV.
Virtutibus animam spoliat.

ARTICULUS II.

Luxuriosus est sibi noxius.

Deo invisam esse luxuriam ostendi articulo præcedenti, corpori et animo labem inferre nunc est aperiendum. 18.

Primo, ab ea corpus labefactari et consumi ait David, v. 4. NON EST SANITAS IN CARNE MEA A FACIE IRÆ TUÆ: NON EST PAX OSSIBUS MEIS A FACIE PECCATORUM MEORUM. *A facie iræ*, id est, propter iram, ait Lorinus; 2. et melius, *a facie iræ*, id est a consideratione et aspectu terrifico iræ Dei. Est prosopopœia. Inducitur enim ira Dei velut persona vultu flammato et scintillanti, so stricto gladio, et ad ictum iam vibrato offerens. Nolim tamen alludi ad aspectum Angeli strictum gladium habentis in area Ornan Iebusæi. Nam id factum est post numeratum populum, post annos a rebellione Absalonis, cuius occasione hic Psalmus conscriptus est. Sic additur *a facie peccatorum*, id est, ab aspectu et consideratione peccatorum meorum: adulterii scilicet atque homicidii. Ut enim, ait hoc loco Origenes, et recte: *Est facies quædam peccatorum: et, ut ita dixerim, color quidam atque species, per quam recordari et recognosci solent ea, quæ aliquando commissa sunt. Cum vero ante oculos cordis nostri statuerimus peccata nostra, et unumquodque intuentes, recognoscentes erubescimus, factique pœnitemus; tunc conturbati et exterriti merito dicimus, nos non habere pacem in ossibus nostris a facie peccatorum nostrorum.* Peccata monstra sunt, horrorem aspectu solo ingerunt. Superbia capite leonino irrugit, avaritia instar gryphis discerpit, luxuria ut taurus immugit, pigritia ut asinus rudit, invidia ut draco sibilat, ira tigris est, et gula sus immunda et rabida. Vel unicum peccatum in varias se facies immutat. Hebr. *Non est pax ossibus meis a faciebus peccati mei.* Nam adulterium cum Bethsabæa, si Deum spectes, est offensa gravissima: si Uriam maritum, est iniuria atrox: si Bethsabæam, est violatio datæ fidei: si Davidem, est turpitudo et infamia. Deinde peccatum antequam committatur, obtrudit se facie blanda et adulatoria; sed postquam admissum est, furiali vultu horrorem et terrorem infert.

Vers. 4.

Ira est furia theatralis.

Scelera omnia sunt monstra et feræ.

19\. Porro τὸ *Non est sanitas in carne mea*, sumi potest, Primo, in bonam partem, q. d. Nihil in me remanet carneum, omnia carnalia mea desideria exciderunt, caro mea non est amplius potens in spiritum, ex quo considerare cœpi iram tuam, et fœditatem peccati mei: ita Origen. qui sic loquitur: *Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ. De eo, qui apud Corinthum peccaverat, iudicavit Apostolus, dicens* 1. *Corinth.* 5. 5. *Tradere huiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis. Numquid putandum est, quod iniquum fieri volebat, quem dicebat tradi debere Satanæ in interitum carnis? Quin potius apparet, quoniam pro salute eius tradebat carnem eius in interitum. Denique addit dicens: Tradidi eiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat in die Domini, ostendens non posse salvari spiritum, nisi caro in interitum traderetur. Quis ergo sit interitus carnis, audi: Quia quod interierit, sine dubio mortuum est. Vivit autem caro in peccatore, mortua est caro in homine iusto. Propter quod et iusti dicunt,* 2. *Corinth.* 4. 10. *Semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferentes, ut et vita Iesu Christi manifestetur in carne nostra mortali. Et iterum Coloss.* 3. 5. *Mandatum accepimus dicens, Mortificate ergo membra vestra quæ sunt super terram. Et beatus qui mortuus est peccato: secundum quod dictum est: Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita vivit propter iustificationem. Tradi autem in interitum carnis tale est, ut emoriatur sensus carnalis in nobis, et non vivat carnis cupiditas in ea. Ex eo enim quod moritur sensus carnis, ut non secundum carnem sapiamus, spiritus salvus efficitur.* Aliquot deinde interiectis ad Psalmum nostrum delabitur, et ait: *Si caro infirmatur, sine dubio proficiens infirmitas etiam ad mortificationem pervenit carnis; et tunc est quod recte dicitur: Quoniam non est sanitas in carne mea. Memini me aliquando de illo capitulo Evangelii disputantem, in quo scriptum est Matthæi* 26. 41. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, tale aliquid sensisse: quod antequam Salvator noster veniret ad crucem, et crucifigeret carnem, atque emori eam faceret, antequam perfecte mor-*

Non est sanitas in carne, in bonam partem Origenes sumit.

Caro est mortificanda, et spiritui subiicienda.

A *tificaretur, prius dixit infirmari carnem suam: et donec infirmabatur quidem caro, spiritum promptum esse dicebat: cum vero cruci eam tradit, et perfecta morte consummat, tunc non iam promptum spiritum, sed in manibus Patris positum esse testatur. Hæc autem ille in se describens, nostris eruditionibus præbebat exemplum. Propter nos enim et nobis infirmus erat. Ideo consideremus nosmetipsos, si infirma est caro nostra, si non deliciis luxuriaque resolvitur, hæc ei vitiosa sanitas præsto est. Vide si per abstinentiam quotidianam infirma efficitur caro, si per continentiam desideria refrænantur, libido comprimitur, vitia conquiescunt: tunc etiam si nondum emortua est, tamen non est sanitas in carne tua, sed etiam membra tua mortificata sunt super terram.* Inquirit deinde quomodo illa carnis mortificatio obtineri possit; et ait, hoc contingere, si sentiamus faciem iræ Dei. Dum enim recordamur iram Dei, et ante oculos vultum eius adducimus, ex ipsa institutione eius, quæ propter hoc facies iræ appel-
B lata est, conturbata et exterrita caro infirmatur atque languescit. Hæc ultima vera sunt, sed priora subtilia magis sunt quam vera.

Secundus itaque sensus et melior est: *Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ*, id est, morbo corporali laboro, considerans iram tuam contra me. Vel, q. d. Consideratio iræ tuæ ita animum meum concutit, ut in corpus quoque languor et debilitas redundet, nec ossa mea stent firma, sed intremant, et mutuo sibi illidantur.

Symbolice, ossa animæ sunt virtutes, non est illis pax 20.
a facie peccatorum, quia quamdiu aliqua peccata manent in anima, pugnant in virtutes: ita Gregor. *Per ossa*, inquit, *virtutes accipimus, quia sine eis nullum in anima robur habemus. Omnes autem virtutes in conspectu Dei vicaria ope se sublevant; nec virtutes veræ sunt, si a se invicem aliqua diversitate discordant. Una enim virtus sine altera, aut omnino nulla est, aut minima. Sic enim aut castitatem humilitas deserat, vel humilitatem castitas derelinquat, cum Deus detestetur tam superbiam, quam immunditiam: quomodo oculis eius accepta erit castitas elata, vel humilitas immunda. Non enim bona accepta sunt*
C *Deo, quæ malorum admistione maculantur: quia modicum fermentum totam massam corrumpit: et qui in uno offendit, multa bona perdit: et qui sine humilitate virtutes congregat, quasi inventum pulverem portat. Quia ergo virtutes animæ aut vitiis impugnantur, aut plerumque elatione deprimuntur, recte nunc dicitur: Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum. Quotidieque peccatorum pœnam patior, quam in ipsa peccatorum facie contemplor. Et quia sentio pœnam, recogito culpam. Vel: Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum. Quia videlicet nullam anima mea potest habere requiem, donec aliquam peccati in se habeat recordationem.*

Ossa animæ sunt virtutes.

Allegorice, Christus hic loquitur in persona non sua, 21.
sed membrorum suorum: ita S. August. Ubi notat, quod cum Christus loquitur, aliquando ex persona solius capitis loquitur, quod est ipse Salvator, natus ex Maria Virgine: aliquando ex persona corporis sui, quod est sancta Ecclesia, diffusa toto orbe terrarum. Sic Ps. 21. 1. ait: *Deus,*
D *Deus meus quare me dereliquisti: longe a salute mea verba delictorum meorum.* Unde enim peccata, nisi de corpore quod est Ecclesia. Item dicitur Matth. 25. 35. *Esurivi, enim, et non dedistis mihi manducare*, etc. Præterea Act. 9. 4. *Saule, Saule quid me persequeris?* id est, meam Ecclesiam. Sic hoc loco dicitur, non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum, id est, Ecclesiæ meæ pro qua patior.

Allegor.

Moraliter nota. Luxuria totum corpus inficit, enervat, 22.
et consumit. 1. Corinth. 6. 18. *Fugite fornicationem* (pestis est ac lues) *omne peccatum quodcumque fecerit homo extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*, 1. quia corpus suum inquinat et fœdat: ita Gregor. Nyss. 2. quia illud debilitat, exhaurit, morbis erodit: ita S. Athan.

Luxuria totum hominem inficit.

Alia vitia corporis aliquam partem occupant, et molestia afficiunt, luxuria vero integrum. Primo, superbi la-

Alia vitia partem eius.

I. Superbia, caput. borant capite. Isa. 1. 5. de Iudæorum regno dicitur: *Omne caput languidum*, id est, omnis princeps, magistratus, iudex et prælatus. Vel *omne*, id est, totum. Est enallage quantitatis. Sanchez putat perstringi Oziam seu Azariam regem, qui superbia tumens ius sacerdotii sibi arrogavit, et cum adoleret incensum in altari thymiamatis, percussus est lepra, quæ statim apparuit in fronte eius, 2. Paralip. 26. 19. *Orta est lepra in fronte eius.* Inde oritur, et ibi apparet lepra, ubi sedem sibi figit superbia supercilium erigens.

II. Invidia, oculos. Secundo, in oculis ægrotant invidi. Unde ait Seneca: *Utinam invidi haberent oculos in omnibus civitatibus, ut de omnium felicitate torquerentur.*

III. Ira, pectus. Tertio, ira pectus exagitat, sicut contigit Achab regi Israel, 3. Reg. 21. qui iratus adversus Naboth nolentem vendere vineam suam, decidit in lectulum, et præ tristitia non comedit.

IV. Gula, ventrem. Quarto, gula ventrem torquet. Eccli. 37. 33. *In multis escis erit infirmitas.*

V. Sed luxuria totum corpus. Quinto denique, luxuria per totum corpus grassatur et furit. Unde David post peccatum ait: *Non est sanitas in carne mea*, (Arabs et Chald. in corpore meo. Est synecdoche) *non est pax a facie peccatorum meorum.* S. Nilus lib. de octo vitiosis cogitationibus, cap. de fornicat. *Libido*, ait, *tuam animam emollit et inficit, ipsumque principatum in turpem servitutem transfert, tum corporis vigorem labefactat, atque ad morbos propensum reddit.* Beda de templo Salomonis: *Luxuria est dulce venenum, importuna lues, perniciosa portio, quæ humanum corpus debilitat, et virilis animi robur enervat.* Tineæ corrodenti illam confert S. Bernardinus Senensis tom. 2. serm. 52. *Per tineam, quæ de veste nascitur, et illam consumit, non tantum in futuro per gehennam, sed etiam in præsenti per multiplicem culpam et pœnam.* Belluæ immani eam comparat S. Gregor. Nyssenus illud Apostoli: Omne peccatum, etc. Sic enim ait: Fornicator suæ carni parat insidias, ut eam deprædetur. Hugo a S. Victore de propriet. et epithetis rerum cap. 10. Luxuria, inquit, corpori morbum paralysis ingerit, et cæcitatem oculis, corpus inquinat. S. Ephrem in illud: Attende tibi; probat ex Scripturis exitiosam esse hanc pestem. Nosse cupis, inquit, quam gravis et periculosa sit fornicatio? Quos occidere nequiverunt morsus serpentum, hos Madianitarum fornicatio prostravit: ita ipse. Periisse hos fornicatores peste est probabile: perierunt autem viginti quatuor millia, Numer. 25. 9.

23. Quod castitas roborat. Contra vero, castitas corpus roborat, et sensus acuit. S. Paulinus epist. 35. *Anima*, inquit, *quanto castior membris, tanto vivacior sensibus; et quanto mundior corde, tanto capacior Christi est.* Immortales quodammodo facit castitas. Unde S. Ambros. ad virgines scribens, illis gratulatur: *Beatæ virgines*, inquit, *quæ tam immortali spiratis gratia, ut horti floribus, ut templa religione, ut altaria sacerdotio.* De illis dici posset, quod ait S. Cyprianus, aut verius Origenes lib. de Singul. Cleric. *Sicut*, inquit, *modica aquæ gutta multo vino infusa a se tota deficit, vinique colorem et saporem inducit: ferrum candens pristina propriaque forma exuitur, et igni simillimum efficitur. Solis radio aer perfusus in eamdem transformatur luminis claritatem; speculum radiis solaribus directe irradiatum, Solis in se recipit similitudinem, idque putares alterum esse Solem: ita et Sancti in intimis suis totaliter Dei charitate penetrantur, sicque Deiformes effecti in Dei similitudinem transformantur.* Qui sunt casti, fiunt spiritus, et spiritus cælestes et divini.

24. Vers. 5. Non corpus tantum, sed etiam animam perdit luxuria, eamque scelerum mergit diluvio. Unde addit David v. 5. **Quoniam** (reddit rationem cur non sit sanitas in carne, nec pax in ossibus) **iniquitates** (id est, calamitates immissæ ob iniquitates. Est metonymia; 2. et melius, in propria significatione sume iniquitates) **meæ supergressæ sunt caput meum; et sicut onus grave gravatæ sunt super me.**

Quæres, quid per caput hic denotetur? Primo, caput

A pro memoria sumit Thomas Anglicus Card. Secundo, caput esse mentem seu rationem et intellectum dicunt Valentia et Innocentius, qui ait: *Caput mulieris vir, et caput viri Christus: caput Christi, Deus. Unde caput dilecti mei sicut aurum optimum*, Cant. 1. 11. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ*, Coloss. 1. 18. Caput animæ mens. Unde Ps. 22. 5. *Impinguasti in oleo caput meum:* ita Innoc. Tertio, caput, ait Titelm. esse spiritum, id est, mentem et voluntatem. Quarto denique, caput censeo hic pro tota anima sumi. Sic Cantic. 5. 11. de sponso dicitur: *Caput eius aurum optimum*, id est, anima eius charitate effulget. Caput est symbolum: 1. Memoriæ. 2. Intellectus.

Sensus itaque est, *iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum*, q. d. Ita in peccata mea immersus sum, ut ne caput quidem meum, id est, anima extet. Ex quo patet, 1. magnitudo peccatorum; 2. deiectio peccatoris; 3. difficultas emergendi; 4. dominium peccati servum peccatorem opprimentis. Arabs vertit, *Culpæ meæ superexaltatæ* (arrogantia, fastus, et inanis tumor ac lætitia notatur) B *sunt super caput meum.* S. Ambros. legit, *Superposuerunt* (se et dæmones, ac malos habitus, et reatum pœnæ) *super caput meum.* Chald. *Transiverunt super caput meum.* Ubi agitatio et desiderium eminendi declaratur. Qui enim facit peccatum, servus est peccati. Magnet. *Crimina depressum caput alto gurgite mergunt.* Prov. 23. 27. *Fovea enim profunda est meretrix.* Ugo Card. Iniquitates meæ, ait, superaverunt rationem tripliciter, 1. quantum ad numerum, quia multæ; 2. quantum ad locum, quia usque ad cælum ascenderunt; 3. quantum ad dominium, quia me in servitutem redegerunt. De duobus primis dicitur, 1. Esdr. 9. 6. *Quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, et delicta nostra creverunt usque in cælum.* De tertio, Ioan. 8. 34. *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Et Ps. 118. 133. *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, ut non dominetur mei omnis iniustitia.*

Nota, aliqui volunt ductam a victoribus similitudinem, qui eorum quos vicerunt, solent pedibus capita calcare, C ut innuitur Ps. 65. 12. *Imposuisti homines super capita nostra.* Thren. 1. 14. *Vigilavit iugum iniquitatum mearum: in manu eius convolutæ sunt, et impositæ collo meo, infirmata est virtus mea*, ut scilicet illud iugum et onus nequeam portare. Secundo, et melius, similitudo petitur ab eo, qui ita profundum fluvium ingreditur, ut aquæ supergrediantur caput eius: ita Bellarm. Paulatim peccator voraginem scelerum subit. Primo enim velut plantas tingit; deinde talos, genua, umbilicum, collum; tandem ipsum caput supergreditur: sicut e contrario aquas gratiæ pedetentim subimus Ezech. 47. 3. *Cum egrederetur vir* (Angelus specie humana) *ad Orientem, qui habebat funiculum in manu sua, et mensus est mille cubitos: et traduxit me per aquam usque ad talos: rursumque mensus est mille, et traduxit me per aquam usque ad genua: et mensus est mille, et traduxit me per aquam usque ad renes*, ut scilicet in lumbis inclusum libidinis ardorem extingueret, quo facto diluvium immensum gratiarum extitit. Unde D subdit v. 5. *Et mensus est mille, torrentem quem non potui pertransire; quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non potest transvadari.* Eodem modo ubi semel peccatorum torrens renes attigit, statim ipsum caput occupat et mergit. Tertio, et optime, similitudo ducitur a naufragio, qui aquis hauritur, sicut Ionas, et dicit, Ion. 2. 6. *Pelagus operuit caput meum.* Thren. 3. 54. *Inundaverunt aquæ super caput meum.* Ps. 17. 5. *Torrentes iniquitatis conturbaverunt me.* Victores calcabant colla victi. In fluvium immersus peccator. Sancti sunt in aquis gratiæ.

Nota secundo, pro *iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum*, S. August. legit, *sustulerunt caput meum:* ut scilicet ipsum caput emineat, quod est proprium superbi. Nemo superbus, ait sanctus hic Doctor, nisi iniquus, cui sustollitur caput. Sursum tollitur, qui erigit caput adversus Deum. Eccli. 10. 14. *Initium superbiæ hominis, apostatare a Deo.* Hic sensus est remotior a Davidis mente. Christus superponendus est capiti nostro; sic Magdalena caput suum abiicit ad Christi pedes, quos lacrymis lavat, capillis tergit.

25. *Luxuria in graves lapsus animam deiicit.* Moral. Nullum peccatum est, quod in tam multos et graves lapsus animam deiiciat, quam luxuria. Omnes enim sensus et membra omnia permeat. S. Greg. in Moral. *Ex quo*, ait, *luxuria semel mentem alicuius occupaverit, vix eum bona cogitare permittit. Sunt enim desideria viscosa: quia ex suggestione oritur cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione consensus, ex consensu operatio, ex operatione consuetudo, ex consuetudine desperatio, ex desperatione peccati defensio, ex defensione gloriatio, ex gloriatione damnatio.* Hæc catena ad inferos trahit.

Luxuriæ serpentina soboles. Vipeream libidinis sobolem enumerat Alcuinus lib. de divinis officiis, cap. 13. *De luxuria*, inquit, *nascitur cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror autem vel desperatio futurorum.* Et lib. de virtutibus et vitiis, cap. 3. paulo aliter: *De fornicatione*, inquit, *nascitur cæcitas mentis, inconstantia oculorum, vel totius corporis, amor immoderatus, sæpe periculum vitæ, lascivia, ioci, petulantia, et omnis incontinentia, odium mandatorum Dei, mentis enervatio, et iniustæ cupiditates.* Pene eadem refert Cæsarius Heisterbachius lib. 4. cap. 92. Denique libido infert tam multa, et tanta animæ vulnera, ut eam occidat. Hinc S. Laurent. Iustinian. lib. 1. de spirituali animæ interitu, ait, luxuria est mors animæ.

26. *Vers. 5. 2. Pars.* SECUNDO, post peccati magnitudinem, qua caput peccatoris supergreditur, David ponit eius gravitatem, v. 5. ET SICUT ONUS GRAVE GRAVATÆ SUNT SUPER ME. Hebr. ממני *mimmenni*, hoc est, præ me, supra me, plusquam vires meæ ferre poterant, q. d. Oppresserunt me, atque in terram deiecerunt victum et subactum. Itaque τὸ *super me* non denotat situm et loci positionem, sed potestatem maiorem victoris peccati atque dominantis, et iugum pro sua voluntate imponentis. Chald. *graviores fuerunt meipso.*

Peccata sunt onus grave. Nota, vocat peccata, 1. onus; 2. onus grave; 3. grave gravans: ut denotet maximam et molestissimam gravitatem, quæ in peccato duplex est: 1. gravitas culpæ; 2. gravitas pœnæ: ideo dicitur, sicut onus *grave gravatæ* sunt super me: iniquitates scilicet. Prophetæ sæpe vocant onera peccata populorum, et pœnas ob ea subeundas. Sic Isaiæ 13. 1. habetur onus Babylonis, cap. 14. onus Philisthiim cap. 15. 1. onus Moab, cap. 17. 1. onus Damasci, cap. 19. onus Ægypti, cap. 21. 1. onus deserti maris, ibidem v. 11. onus Duma, ibid. v. 13. onus in Arabia, cap. 22. 1. onus vallis visionis, cap. 23. 1. onus Tyri, cap. 30. 6. onus iumentorum Austri. De illis S. Bern. serm. de undecim oneribus: *Quid est onus, nisi pondus quoddam deprimens animam, et ad terram inclinans, faciens eam ad inferiora respicere, et negligere superiora? Tale nobis onus aliquando ex mundi provenit delectatione, et hoc onus Babylonis. Aliquando ex immundorum spirituum immissione, et hoc onus Philisthiim. Aliquando ex naturali quadam et inevitabili necessitate, et hoc onus Moab. Aliquando ex tenebris ignorantiæ, et hoc onus Ægypti. Aliquando ex innata nobis infirmitate, et hoc onus Damasci. Aliquando ex malorum persecutione, et hoc onus deserti maris. Aliquando ex occulta animi vexatione, et hoc onus Duma. Aliquando ex timore mortis, et hoc onus in Arabia. Aliquando ex vanitate, quando proficimus, et hoc onus vallis visionis. Aliquando ex angustia pro his quæ toleramus, et hoc onus Tyri. Aliquando ex charitate, quando aliis prodesse desideramus, et hoc onus iumentorum Austri.* Posses quoque per Babylonem intelligere superbos, qui omnibus volunt dominari; 2. per Philisthiim, id est, cinere conspersos, avaros terræ inhiantes, et ea sese involventes, instar ichneumonis cum pugnare vult; 3. per Moabitas, hæreticos; 4. per Damascum, iracundos sanguinem fundentes; 5. per Ægyptum tenebrosam, invidos; 6. per desertum mare, pigros; 7. per Duma, gulosos carnis et sanguinis avidos; 8. per Arabiam, immisericordes; 9. per vallem visionis, vanos; 10. per Tyrum, obstinatos; 11. per iumenta, luxuriosos.

Et fascis gravis. Nota secundo, pro *onus grave*, S. August. legit, *fascis gravis*, qui est onus amplius et diuturnius. Nam *fascis* præter *onus* dicit colligationem et constrictionem. In quo denotatur, 1. concatenatio unius peccati cum alio; 2. habitus peccandi; 3. difficultas excutiendi illud onus. Non enim potest tolli unum peccatum ex anima, quin omnia tollantur per infusionem gratiæ, quæ formaliter expellit peccata omnia, sicut lux tenebras. Qua de re vide Vasquez in 12. qu. 207. cap. 5. ubi docet etiam per absolutam Dei potentiam unum peccatum sine alio non remitti. Fascis ille deprimit peccatorem, quia est supra illum, et illi colligatus, itaque fascem illum quo comburatur, semper secum fert peccator, et tota æternitate feret, nisi dissolvat colligationes impietatis. Unde monet Deus apud Prophetam Isaiam 58. 6. *Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes.* Id est, disiice et exure fasces syngrapharum, et violentarum cautionum, quibus pauperes debitores per usuras obstrinxisti; 2. fasciculi sunt quælibet peccata. S. Basil. in Asceticis cap. 4. *Solve*, inquit, *animi infirmitates, et peccatorum insolubilia vincula, quæ fecisti cum diabolo patre peccati.* Et S. Hilar. in Ps. 24. Solve omne vinculum, et omnem nodum iniquitatis. Nam si a præceptis Dei declinaveris, et his obligationibus peccatorum te colligaveris, abduceris in pœnas æternas cum operantibus iniquitatem: ita Hilar. Adverte porro, iuste peccato peccatorem deiici, qui per peccatum cum Lucifero cornua in Deum erigit. S. August. in Psal. nostr. *Nemo superbus*, inquit, *nisi iniquus, cui sustollitur caput. Sursum tollitur, qui erigit caput adversus Deum, et quia iniquitates sustulerunt caput eius. Quid illi fecit Deus? Sicut fascis gravis gravatæ sunt super me. Levitatis est erigere caput; quia nihil portat qui erigit caput. Quia ergo leve est, quod potest erigi, accipit pondus, unde possit comprimi. Convertitur enim labor eius in caput eius, et iniquitas eius in verticem descendit.* S. Arsenio visus est peccator fasce gravi onustus, quem ob gravitatem et pondus abiiciebat, ac deinde auctum in humeros erigebat.

27. *Omnia peccata sunt gravia.* Moral. nota primo, omne peccatum grave est. Innocentius hoc loco: Est, inquit, onus Christi; 2. onus mundi; 3. onus diaboli. Primum, gratiæ; secundum pœnæ; tertium culpæ. De primo, Matth. 11. 30. *Iugum meum suave est, et onus meum leve.* De secundo, Isai. 13. 1. *Onus Babylonis, quod vidit Isaias filius Amos.* De tertio, Ier. 17. 27. *Nolite portare onera in die sabbati.* Vide dicta Ps. 4. 3. *Filii hominum usquequo gravi corde?* Ibi fuse ostendi per omnia peccata cor degravari. Oneris illius gravitatem declarat S. Ambros. in epist. ad Simplicianum: *Nullus*, inquit, *maior est dolor, quam is, qui peccati mucrone vulnerat conscientiam: neque ullum gravius est onus, quam peccatorum sarcina, et pondus flagitiorum deprimit ad terram, ne se erigere possit: gravia, fili, gravia nimis delictorum pondera.* Sub illo pondere peccator corruit. Isai. 24. 19. *Confractione confringetur terra* (id est, anima terrena) *contritione conteretur terra, commotione commovebitur terra, agitatione agitabitur terra sicut ebrius, et auferetur quasi tabernaculum unius noctis: et gravabit eam iniquitas sua, et corruet, et non adiiciet ut resurgat.* Descendunt enim obstinati in profundum, quasi lapis, et ibi magis obdurescunt. Thomas Anglicus Card. notat ex libro de naturis rerum, asinum inter omnia animalia esse maxime brutum: non enim repugnare sarcinis supra vires impositis. Bubalum vero, cum sit animal fortissimum, si contra voluntatem, et supra vires oneretur, statim in terram se deiicere, nec facile surgere, nisi onere levetur. Idem ait peccatoribus accidere, qui cum scelerum onere graventur, scelus addunt sceleri, licet variis plagis debiles; contra vero iustos hæc pondera diaboli abiicere, ad quod hortatur nos Christus, Luc. 21. 34. *Attendite vobis ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis huius vitæ.*

Excutiendum esse illud onus monet S. Ambros. *Quando*, ait, *nos ingravant nostra peccata, et talento quodam iniquitatis plumbeo ad terrena deprimimur, dirumpamus vincula eorum, et proiiciamus a nobis iugum ipsorum: ut possimus oculos nostræ mentis attollere, et audire dicen-*

tem, Matth. 11. 28. *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam.* Denique Ægyptum avaritia onerabat, pecunia vexabat, mercatus Æthiopes, sicut scriptum est Isaiæ 45. 14. *Labor Ægypti, et mercatus Æthiopum, et Sabaim viri excelsi ad te transibunt.* Laboravit Ægyptus, antequam cognosceret veritatem: sed iam non laborat postquam transivit ad Christum. Sequuntur volentes Sabæi viri, qui ante fugiebant: quia tenent eos vincula charitatis, quæ adamante fortiora sunt.

Remedia assignat S. Bernard. serm. de undecim oneribus: *Inspiciat unusquisque seipsum, videat et quod onus sustineat, et quod in futurum sustinere formidet. Si sub onere Babylonis est, detestetur illud et abiiciat: ne si fuerit conformis operibus eius, a pœnis eius non sit immunis. Sub onere Philisthiim videat, ne potationibus eius inebrietur, eisque fiat similis in culpa, futurus eis similis in pœna. Quod si sub onere Moab se senserit laborare, satagat sic necessitatibus corporis indulgere, ne Nabuzardan muros destruat Ierusalem: nec sic ei satisfaciat, ut cum illo in æternum ardeat.* Lege cætera.

Dices, cur peccatores multi onus non sentiunt? Resp. primo, Ugo Cardinalis, quia mortui sunt, vel ebrii, vel furiosi. Respondeo secundo, quia sunt sub aquarum immensarum pondere immersi, et emergere non conantur: aqua autem in loco suo non gravitat. Sed eum exire volunt, et aquæ pondus supra humeros levant, tunc sentiunt, gemunt, et nisi excutiant iterum in præceps devolvuntur.

28.
Luxuria præ ertim est onus gravissimum

Secundo moraliter nota: licet omne peccatum sit grave, præcipue tamen luxuria degravat. Est enim maxime terrea et lutosa. Carolus Magnus lib. 6. legum cap. 312. *Pene*, inquit, *omnibus peccatis gravior et deterior est fornicatio: et veraciter dici potest laqueus mortis, et puteus inferni, et vorago perditionis: eo quod adulteri vel luxuriosi propter cordis inopiam perdunt animas suas.* S. Chromatius Episcopus sanctitate et eruditione illustris, qui floruit circa annum 390. tractatu in cap. 5. Matthæi, vocat eam grave peccatum. S. Chrysost. hom. 62. in Ioannem: Grave malum, ait, est fornicatio; grave, inquam, et immortale afferens supplicium, et in hac vita innumera secum mala trahit. Cogitur enim vitam miseram et infelicem vivere, qui hoc morbo afficitur. Neque meliori loco res eius sunt, quam eorum qui suppliciis distrahuntur. Et homil. 41. in Matthæum ait, fornicationem esse viam quæ ducit ad diabolum. Secundo, non tantum ducit ad infernum et diabolum, sed ei subiicit. S. Isidorus Hispalensis lib. 2. de summo bono, cap. 39. *Inter cætera*, inquit, *septem vitia. fornicatio maximi est sceleris, quia per carnis immunditiam templum Dei violat, et tollens membrum Christi, facit membrum meretricis. Maxime per carnis luxuriam humanum genus subditur diabolo, quam per cætera vitia.* Tertio, libido ita deiecta est ac depressa, ut sit velut alter infernus. Iacobus Vitriacus Cardinalis natione Gallus, multis laboribus pro Ecclesia perfunctus in Oriente et Occidente, Dominica 6. post Pentecosten: *Libidinis*, ait, *iugum gravissimum est, in qua velut in altero inferno, fœtor, ardor, vermis conscientiæ. Appetitus enim eius plenus est anxietate, satietas plena pœnitentia, ut ait Boethius. Luxuria enim futura excruciat, præsens non satiat, præterita non delectat.* Quarto denique, libido quæ est iniquitas calcanei, ut dixi Psal. 48. v. 6. semel deiectum et supplantatum non patitur exurgere. Ut enim S. Gregorius immensitate huius criminis alia omnia bona obruuntur. Boethius Severinus, vir clarissimus, Senator et Consularis, qui claruit circa annum Christi 420. tempore Theodorici regis Italiæ, vocat libidinem puteum interitus, e quo scilicet superas ad oras evadere non datur: *Meretrix*, ait, *nonaria* (sic dictæ sunt meretrices, quod hora nona cellas aperirent, corporis prostituendi gratia) *est inferni ianua, via iniquitatis, scorpionis percussio, viscarium scelerum, puteus interitus.* Theodoret. in epist. 1. ad Corint. cap. 6. vocat luxuriam acre et vehemens peccatum quod hominem insensibilem faciat: *Qui*, ait, *vel innumerabilia alia peccata committit, et iurisiurandi fidem*

A *frangit, et maledicto ac blasphemia linguam polluit, et in ea quæ ad se non pertinent, invadit, non usque adeo peccati sensum accipit.* Philo lib. de Allegoriis legis ait, voluptatem præ omnibus bestiis, hoc est vitiosis animæ affectibus, esse execrabilem. S. Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 3. de suscitatione Lazari ait, dirum et execrandum malum esse. S. Isidorus Pelusiota lib. 4. epist. 296. vocat insidiosam rabiem. Isychius Ierosolymitanus lib. 5. in Leviticum cap. 17. ad dæmones confugium. S. Petrus Damiani epist. 10. cap. 4. dicit, luxuriosum non vereri semetipsum maligno spiritui victimam immolare. S. Eucherius Lugdunensis Episcopus feria 4. post primam Dominicam Quadragesimæ dicit, luxuriam esse ornamentum diaboli. Tertullian. lib. de pudicitia, cap. 1. mœchiam et fornicationem culmen criminum tenere. S. Ambros. libidinem appellat criminum stimulum, et eius importunitatem et malignitatem describit. Sic enim ait lib. 1. de Cain et Abel, cap. 5. *Sævus criminum stimulus libido est, quæ nunquam manere quietum patitur affectum. Nocte fervet,* B *die anhelat, de somno excitat, a negotio abducit, a ratione revocat, aufert consilium, amantes inquietat, lapsos inclinat, castis insidiatur, pollendo inflammat, usque accenditur.*

Contra vero, castitas ad Deum et sanctitatem elevat. S. Ciprian. seu potius Origenes lib. de singularitate clericorum: *Castitas*, ait, *est pronuba sanctitatis, munimen invictum sanctimoniæ, ubertas gratiarum, acquisitio meritorum.*

Tertio, peccatum omne, sed præsertim luxuriæ, turpe 29.
est, v. 6. Putruerunt (Hebraice חבאישו *hibisciu*, id Vers 6.
est, fœtuerunt; 2. quod est amplius. Multa enim sunt 1. Pars.
fœtida quæ non sunt putrefacta) ET CORRUPTÆ SUNT CICATRICES MEÆ, A FACIE INSIPIENTIÆ MEÆ, id est, ob meam insipientiam, practicam scilicet: hoc est, ob peccatum meum, ait Theophylactus, Lactantius in epistola ad Colossenses cap. 3. sicut sapientia practica est virtus. Sic supra v. 5. ubi habemus, *iniquitates meæ* supergressæ sunt caput meum, Syrus vertit, *insipientiæ meæ*, excesserunt caput meum. Et S. Augustin. in versiculo nostro ait: Unde superius dixit, a facie peccatorum meorum: inde nunc a facie insipientiæ meæ. Secundo, et melius, insipientiam sume pro incogitantia, socordia, negligentia exurgendi a peccato, et considerandi quanta mala animæ afferat, et quibus periculis exponat. Propter illam enim socordiam, quæ est stultissima, computrescunt et corrumpuntur cicatrices peccatorum.

Nota, pro *cicatrices* Hebraici est חבורות *chaburoth*, id est, livores. S. August. ita Pagnin. 2. ulcera: ita Syrus; 3. vulnera: ita Arabs; 4. vomicæ, id est, apostemata interna saniem vomentia: ita Campensis; 5. cicatrices: ita Septuaginta. S. Hieronym. Felix, S. Fulgentius epist. 4. Itaque livor ponitur pro vulnere seu ulcere livido. Est metonymia.

Quæres, quæ cicatrices Davidis computruerunt et fœ- 1.
tuerunt? Primo, cicatrices in bonam partem sumit S. Gregorius pro pœnitentia, quæ sanat vulnus et illud claudit; D per relapsum vero vulnus aperitur et corrumpitur. Verba eius sunt: *Super curatum vulnus*, inquit, *cicatrix obducitur, dum signum præteritæ plagæ in resarcita cute monstratur. Quæ nimirum cicatrix necessario corrumpitur, si caro sanata iterum vulneratur. Ubi quanto magis extenditur inæqualitas corporis, tanto difficilius ostenditur efficacia curationis. Sed quid per vulnus, nisi peccatum exprimitur? Quid vero per cicatricem, nisi pœnitentiæ actio designatur? Qui enim per pœnitentiæ lamenta peccatum corrigit, quasi cicatricem vulneri superducit. Quod si dimissæ nequitiæ mentem iterum ad delectationem pertrahunt, superductæ vulneri cicatrices putrescunt. Cicatrices namque putrescere est sanata iam peccatorum vulnera rursum in tentationem serpere, atque de eorum iteratione delectationem sentire.* Ac deinde sapienter subdit magnam esse stultitiam ita relabi in scelera: *Sicut, inquit, summa prudentia est aliquem post acceptam pœnitentiam sollicitæ sibi circumspectionis studio in posterum prospicere: ita*

Cicatrices in bonam partem sumit Gregor. pro pœnitentia.

miserabilis insipientiæ est, in istius vitæ ambiguo quasi accepta securitate dormire. Per insipientiam ergo negligentiæ, vulnus iam sanatum computruit: quia dum per studium vigilantiæ mens ingrata sibi in posterum providere noluerit, miserabilius ea quæ prius abdicaverat, mala committit: Ita Gregorius.

II. Et melius, in malam partem sumo.

Secundo, et melius, *cicatrices* in malam partem accipiuntur.

I. Pro peccato originali.

Primo, quidem Petrus de Palude Patriarcha Ierosolymitanus pietate et doctrina clarus, cicatrices hoc loco sumit pro peccato originali, quod licet in baptismo prorsus remissum sit, videtur putrescere, cum quis in peccatum mortale incidit: tunc enim fomes magis accenditur, et concupiscentia rebellis insurgit. Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.*

II. Pro pœnalitatibus ex eo secutis.

Secundo, Nicolaus de Gorram, qui florebat anno 1330. et scripsit in psalmos, *cicatrices* sumit pro pœnalitatibus et miseriis, quæ remanent post baptismum, et ducunt ad corruptionem et mortem. Roman. 6. 23. *Stipendia peccati mors.*

III. Pro maculis peccatorum.

Tertio, Glossa *cicatrices* ait esse maculas peccatorum, quæ remanent etiam post actum præteritum.

IV. Pro peccatis cordis.

Quarto, Ugo Cardinalis arbitratur *cicatrices* intelligi peccata cordis quæ putrescunt, licet exterior actus non perpetretur. Isa. 1. v. 16. *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perverse.* A corde incipienda est curatio, alioqui non sanatur vulnus, licet obducatur cicatrix, sed tunc magis putrescit.

V. Pro occultatione peccati.

Quinto denique, *cicatrices* hic arbitror esse varias occultationes peccati non sanati, sed per hypocrisim obtecti. Cicatrix enim est signum vulneris obducti, sive vulnus illud intus sanatum sit, sive non. Unde sæpe ex aperta cicatrice, aut ex corruptione vulneris interna sequitur morbus gravis et mors. David cum Bethsabæa peccaverat, hoc erat vulnus. Illud tegere conatur, 1. Uriæ morte et matrimonio cum Bethsabæa; 2. dissimulatione et variis artibus. Sed quo magis exterius tegebatur, eo magis interius corrumpebatur, putrescebat et fœtebat per additionem peccati ad peccatum, et per varias anxietates. Deinde fœtor erumpebat exterius per infamiam tum in Iudæa, tum in vicinis populis; 3. per malum exemplum. Hinc Christus comparat hypocritas Matth. 23. v. 27. sepulcris dealbatis, et plenis ossibus mortuorum fœtentibus. Figurantur Danielis 14. v. 6. per idolum Bel, quod exterius erat æreum, interius vero luteum.

30. Moral. Omne peccatum est corruptio et fœtor.

Moral. nota primo, Omne peccatum est corruptio et fœtor. Nam, ut ait Pepinus concion. 29. in psalmos pœnitentiales, propter sex causas aliquid putrescit. Primo, propter excessum humoris, quod avaris accidit qui in bonis luteis nimium hærent Philipp. 3. *Omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Secundo, propter accessum caloris, et contingit luxuriosis. S. Hieron. Venter, inquit, mero plenus despumat in libidinem. Tertio, per processum tumoris, seu inflationis, quod verum est in superbis. Ierem. 13. v. 9. *Putrescere faciam superbiam Iuda, et superbiam Ierusalem multam: populum istum pessimum qui nolunt audire verba mea, et ambulant in pravitate cordis sui.* Deinde sequitur, *et erunt sicut lumbare istud quod nulli usui aptum est.* Quarto, res putrescit per recessum vigoris: sic putrescit omnis peccator per recessum gratiæ Dei. Ioannis 11. v. 39. *Domine iam fœtet, quatriduanus est enim.* Quinto, per defectum salis, ita defectus prudentiæ inducit putredinem spiritualem. Deuter. 32. v. 28. *Gens absque consilio est, et sine prudentia: Utinam saperent*, etc. Sexto denique, res putrescit per nimiam quietem. Iobi 13. v. 28. *Quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum quod comeditur a tinea.* Innocentius in psalmum nostrum: Heu, ait, si quis viderit animam peccatricem, quam sit fœda, quam fœtida et putrida: profecto leprosior est carne leprosa: ita Innocent.

31. Luxuria præsertim.

Secundo nota, luxuria præsertim fœda et turpis est. Luxuriosus est instar scarabæi cœno et stercore se obvolventis, et in eo se volutantis, ibique exultantis. Salomon id erat expertus, habens 700. reginas, et 300. concubinas,

A ait autem Proverb. 6. v. 32. *Qui adulter est, propter cordis inopiam* (ob mollitiem animi; 2. ob inopiam iudicii et rationis) *perdet animam suam. Turpitudinem* (Septuaginta, dolores. Hebr. Chald. plagam. Syr. calamitatem) *et ignominiam congregat sibi, et opprobrium illius non delebitur.* Ecclesiastici auctor cap. 19. v. 2. et 3. *Vinum et mulieres apostatare* (a sapientia, fide, virtute, Deo ipso) *faciunt sapientes* (ut accidit Salomoni.) *Et qui se iungit fornicariis* (κολλώμενος πόρναις, agglutinatus meretricibus) *erit nequam: putredo et vermes hæreditabunt illum, et extolletur in exemplum maius* (id est, tolletur cito de vita, et ut sit παράδειγμα, hoc est, exemplum insigne punitionis divinæ, sicut fuit Salomon) *et tolletur de numero* (viventium) *anima eius.* Quot morbi, veluti stipendia, ex luxuria ortum habeant, docet Aetius lib. 3. Atrabil. exolutio scilicet virium, cruditates, hebetudo sensuum, oblivio, tremor, articulorum dolor, renum et vesicæ morbi, oris graveolentia, dentium dolor, gurgulionis inflammatio, ulcera in membris, phthysis, et alii morbi.

Luxuriosus est similis: I. Panno putrido.

B Comparat luxuriosum panno putrido S. Gregorius Nyssenus homilia in illud Apostoli: Omne peccatum: *An non*, inquit, *est res gravis et terra volutari in cœno, turpitudinem ali, non habere corpus differens a panno. Quænam est panni et fornicatoris differentia. Eo quod a pietatis sit abscissus corpore, quotidiana corrumpitur putredine. In viis peccati proiectus iacet tamquam pannus inutilis, et ab omnibus conculcatus dæmonibus. In eo diabolus suam subigit et imprimit putrefactionem.* Est pannus menstruatæ, vel lumbare putridum visum a Ieremia in Euphrate fluvio, Ierem. 13. v. 7. *Alii ad Euphratem, et ecce computruerat lumbare* (id est, cingulum quo accinguntur lumbi) *ita ut nulli usui aptum esset.* S. Hieron. ait, lumbare illud seu cingulum esse populum Israel, qui ob peccati putredinem abiectus erat a Deo in captivitatem Babylonicam. Ugo Cardinalis notat Euphratem significare ubertatem, et esse symbolum divitiarum; lumbare vero, continentiæ. Sed in uberibus divitiis computrescit et perit castitas, Ier. 5. 7. *Saturavi eos, et mœchati sunt.*

C

II. Iumentis fœtentibus.

Secundo, libidinosos comparat iumentis fœtentibus Ioel Propheta cap. 1. v. 17. de Iudæis, id est de duabus tribubus, Iuda scilicet ac Beniamin, agens, dicit: *Computruerunt iumenta in stercore suo.* Septuag. reddunt, *Subsultaverunt vitulæ in præsepibus suis*, fœtidis et sordidis. In ipso stercore exultant et illud amplexantur, qui prius nutriebantur in croceis, et pascebantur inter lilia. S. Gregor. lib. 24. Moral. 8. Iumenta, inquit, in stercore suo computrescere, est carnales homines in fœtore luxuriæ vitam finire. Non enim esse homines, sed iumenta declarantur, de quibus per Prophetam Ierem. cap. 5. v. 8. dicitur: *Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.* Et de quibus propheta Ezech. 23. v. 20. dicit: *Ut carnes asinorum carnes eorum, et fluxus equorum, fluxus eorum.* Hoc in Massagetis omnes fatentur, qui publice in oculis omnium miscebantur mulieribus, sicut Nasamones. Omnes execrantur Augilas populos, quorum fœminæ ea nocte qua nubebant, omnium patebant stupro. Quid tam fœdum in

D iumentis? Christiani si impudici sint, illis sunt tetriores, quia in luce Evangelii peccant. Phedonis filiæ Athenis ne a triginta tyrannis polluerentur, se in puteum abiecerunt. Stymphalidem virginem adamabat Aristoclides, fugit illa ad templum Dianæ, et simulacrum amplexa ibi confodi maluit quam fœdari. Spurina formosissimus iuvenis a variis mulieribus sollicitatus sibi faciem deformavit, ne animam et totum corpus inficeret. Quid tu facies Christiane, qui factus es membrum Christi, et templum Spiritus sancti? Guarricus Igniacensis Abbas, S. Bernardi discipulus, qui floruit circa annum 1180. *Luxuria*, inquit, *est pestis, quæ de membris Christi facit membra diaboli.* S. Petrus Damiani, sic appellatus a nomine fratris sui Damiani, qui cum loco filii habuerat et iuverat, Card. Episc. Ostiensis, qui claruit circa ann. 106. Epist. 10. cap. 4. ait: *Per carnis illecebrosæ luxuriam membrum factus es Antichristi.*

III. Porcis.

Tertio, libidinosos porcis volutantibus se in volutabro

*

luti confert Adelredus in speculo amoris, cap. 6. et addit, *nil turpius, nil fœdius, nil magis crubescendum, nil tam confusione dignum*. S. Chrys. hom. 18. in 1. Corint. *Corpus*, inquit, *fornicatoris, velut incidens in lebetem immunditiæ, sordibusque et inquinamento tinetum, sic polluitur*. S. Hilar. in Ps. 125. Cui, ait, libido domina est, in quo cœno dedecoris versatur? Tertullianus mundum carceri comparans, tract. ad martyres cap. 2. Peiores, ait, immunditias expirat mundus, libidines hominum. Et de habitu mulierum cap. 2. vocat libidinum vaporata momenta. Lactantius lib. 4. cap. 17. dans causam cur Iudæis esus suillæ carnis interdictus fuerit, sic ad rem nostram ait: *Est lutulentum hoc animal et immundum, nec unquam cælum aspieit, sed in terra toto corpore et ore proiectum ventri semper et pabulo servit, nec ullum alium dum vivit præstare usum potest, sicut cæteræ animantes, quæ vel sedendi vehiculum præbent, vel in eultibus agrorum iuvant, vel plaustra collo trahunt, vel onera tergo gestant, vel indumentum exuviis suis exhibent, vel copia lactis exuberant, vel custodiendis domibus invigilant. Interdixit ergo ne porcina carne uterentur: id est, ne vitam porcorum imitarentur, qui ad solam mortem nutriuntur: ne ventri ac voluptatibus servientes, ad faciendam iustitiam inutiles essent, ac morte afficerentur. Item ne se fœdis libidinibus immergerent, sicut sus quæ se ingurgitat cœno: vel ne terrenis serviant simulacris ac se luto inquinent: luto enim se oblinunt qui deos: id est, qui lutum terramque venerantur*. Plinius lib. 8. cap. 51. de suo ait: Animal hoc maxime brutum, animamque ei pro sale datam non illepide existimatur.

IV. Dæmonibus. Quarto, libidinosos dæmonibus impuris comparat Smaragdus Abbas monasterii S. Michaelis ad Mosam. Sic enim loquitur ad cap. 4. regulæ S. Benedicti: Sicut castus corde et corpore Angelis et hominibus facit suavem odorem: ita pollutus corde et corpore horridum spargit fœtorem. Castus enim puritatis virtute nitescit, pollutus sordibus immundis fœtet. Castus et purus sanctis coniungitur Angelis: immundus immundis sociatur dæmonibus. Pollutum polluti dæmones mergunt in tartarum: castum vero sancti Angeli suscipiunt in cælum.

32. Libidinosus ipse cur fœtorem suum non sentiat. Quæres, cur fœtorem illum non sentit libidinosus? Respondeo primo, sæpe ita illum sentire ut nauseet. Resp. secundo, nares cœno oppletas habere, ideo sensus expertem esse: ita S. Ambros. in Psal. nostr. *Specta*, inquit, *epheborum aliquem lascivum, et egregie libidinosum, qui in stupris vitam suam exigat, more illius divitis, in bysso et ostro iacentem, atque epulantem quotidie splendide, cui natent pavimenta vino, tegatur humus floribus, et spinis cooperta viseium, incensis diversorum thymiatum odoribus triclinia compleantur: quemadmodum se beatum putet, et olere iudicet: cumque gravia atque diuturna animæ suæ vulnera gerat, et eorruptum sanguinem fluat, nullum tamen fœtorem cicatricis accipiat? Obstructas enim cœno nares habet: nec potest dicere: Spiritus divinus, qui est in naribus meis.*

33. Remedia contra illum fœtorem. Quæres secundo, remedia contra illum fœtorem. Resp. primo, mortificatione, velut sale, opus esse. S. Cyprian. libro de Operibus cardinalibus Christi, si tamen opus est Cyprian. et non potius alterius eruditi et antiqui auctoris, ait: *Ad cohibendos refrænandosque turpitudinum appetitus, necessarium est sale eorrosorio carnis perfricare pruritus, et semper recrudescentes desiccare putredines*.

2. Secundo, fuga necessaria est, velut a peste. 1. Corinth. 6. v. 18. *Fugite fornicationem*. Gulielmus Episcopus Parisiensis lib. de remediis tentationum cap. 4. Fugienda est, ait, fornicatio, ut spurcitia abominabilis, et hoc aversis oculis et obturatis auribus: quemadmodum a spurcitiis corporalibus facere consuevimus, nec sine expuitione, sine execratione recedere: ita vir ille insignis pietate et doctrina, qui floruit anno 1240. S. Hier. epist. 77. *Etiam*, ait, *ferreas mentes libido domat*. Itaque cum illa non est

3. pugnandum, sed ab ea fugiendum. Tertio, cogita difficile sanari et lavari eum, qui semel hoc vulnus accepit, et corrumpi ac putrefieri permisit. S. Chrysost. hom. 7. in

A 1. epistolam ad Thessalonicenses: Scortatio, ait, est malum, quod difficulter potest elui. S. Zeno Veronensis Episcopus sermone de charitate: *Ideo*, inquit, *eupido lineamento pueriili depingitur, quia eius lasciva lubricitas nec annis senilibus temperatur*. Hinc vix eradicari potest hoc malum e Rep. Origenes homil. 20. in Num. Proh nefas, inquit, prohibetur libido legum minis, vix gladii terrore comprimitur.

Quarto, David conqueritur voluntatem suam per peccatum luxuriæ ad terram esse inclinatam, vers. 7. Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem, id est, ad pœnitentiam humiliatus: ita Rayner. Secundo, usque ad finem pœnitentiæ: hoc est, usque ad Christum: ita S. Ambros. Tertio, usque ad perseverantiam in pœnitentia: *Curvemur*, ait idem sanctus Pater, *usque in finem; id est, non solum Christo fidem, sed etiam passionum nostrarum perseverantiam deferentes, et gaudeamus in passionibus nostris, sicut et Christus gaudebat in passionibus suis: quas ille suscipiebat pro servulis, nos subeamus pro Domino.* 34. Vers. 7. 1. Pars.

B Quarto, usque in finem vitæ: ita S. August. et Ugo usque in sæculum: ita Arabs. Quinto, et melius, *usque in finem*, id est valde, ut Hebræi habent: vel, usque valde, ut reddit Arias; vehementissime, ut Pagninus; omnino, ut Euthymius et Lindanus; nimis, ut S. Hieron. mirum in modum, ut Genebr. Quod sic explicant Iansen. et Titelm. q. d. Adeo ut videret amplius ferre non posse. Bellarminus vero, q. d. Usque ad finem curvationis, ut magis curvari nequeat.

Nota primo, pro *miser factus sum*, Hebr. est נַעֲוֵיתִי *naavethi*, id est, Primo, perverse et inique egi. Summa miseria et miseriarum causa est peccatum. Proverb. 14. vers. 34. *Iustitia*, (generalis scilicet, id est virtus) *elevat gentem: miseros autem facit populos peccatum*. Secundo, *naavethi*, id est contortus sum: ita Arias. Incurvatus sum: ita Pagnin. et Felix. Tertio, afflictus sum: ita S. Hieron. fatigatus sum: ita Euthym. miser factus sum: ita Noster. Septuaginta habent ἐταλαιπώρησα, id est, labores et ærumnas pertuli. Sap. 5. 7. dicunt impii, *Ambulavimus vias difficiles*.

C Nota secundo, pro *curvatus sum*, Hebraice est שַׁחוֹתִי *sciachoti*. id est humiliatus sum, ut vertit Felix; depressus sum, ut Arias: humiliavi me, ut Pagninus; 2. curvatus, sicut Noster et Flamin. incurvatus, ut S. Hieron. Incurvatio autem illa intelligi potest Primo de culpa inclinante ad terrena. Magn. *succumbo nimiæ infelix sub pondere noxæ*. Et Campensis, peccati, ait, pondere depressus supra mundum humiliatus sum. Instar bestiæ ad iugum est peccator: unde Apollinaris vertit, κατ' αὐχένα παντόθεν ἐκάμφθην, secundum cervicem curvatus sum. Secundo, potest intelligi de pœna, q. d. ait Titelm. curvatus sum sub pondere miseriarum. Tertio, curvatus erat David præ pudore non audens oculos in cælum levare, sicut accidit Publicano pœnitenti.

Nota tertio, S. Thomas *miseriam* ait esse aversionem a
D Deo: curvationem vero, conversionem ad creaturas. Secundo, Pepinus censet *in miseria* notari privationem gratiæ, sine qua miserrimi sumus: Apoc. 3. v. 17. *Dicis quod dives sum, et nullius egeo, et nescis quia tu es miser et miserabilis*. Gratia scilicet et virtutibus privatus. *In curvitate* autem, notat difficultatem bene agendi Isaiæ 51. v. 23. *Qui te humiliaverunt, dixerunt animæ tuæ: incurvare, ut transeamus*. Et Psal. 56. v. 7. *Laqueum paraverunt pedibus meis, et incurvaverunt animam meam*. Denique in eo quod additur *usque in finem*, indicari vult impossibilitatem resurgendi secundum vires naturæ. Prov. 2. vers. 19. *Omnes qui ingrediuntur ad eam* (meretricem scilicet) *non revertentur* (per pœnitentiam) *nec apprehendent semitas vitæ*. Tertio, Thomas Anglicus Cardin. sic explicat, q. d. Miser factus sum, peccatum committendo. Curvatus sum, peccatum in consuetudinem ducendo, et hoc usque in finem Ps. 68. 24. *Obscurentur oculi eorum, et dorsum eorum semper incurva*.

Moral. nota, Peccatum omne ad terram inclinat. Hoc præsertim de superbia exponit S. Augustinus: *Unde cur-* 35. Moral. Pecca.

tum omne ad terram inclinat.

vatus est? inquit: Quia elatus erat. Si fueris humilis, erigeris: si fueris elatus, curvaberis. Non enim deerit Deo pondus, unde te curvet. Illud erit pondus fascis peccatorum tuorum; hoc replicabitur in caput tuum, et curvaberis. Quid est autem curvari? Non se posse erigere. Talem invenit Dominus mulierem per decem et octo annos curvam, quæ non se poterat erigere. Tales sunt qui in terra cor habent. At vero quia invenit mulier illa Dominum, et sanavit eam, habeat sursum cor. In quantum tamen curvatur, adhuc gemit. Curvatur enim ille qui dicit Sapient. 6. 15. *Corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* S. Gregor. homil. 31. in Evangelia. *Omnis*, inquit, *peccator terrena cogitans, cælestia non requirens, sursum respicere non valet: quia dum desideria inferiora sequitur, a mentis suæ rectitudine curvatur: et hoc semper videt, quod sine cessatione cogitat.* Hortatur deinde ad fugam honorum, pecuniarum, et aliorum terrenorum: nam hæc, inquit, in imo sunt, et quando mens talibus implicatur, ab statu sui rectitudine flectitur. Et quia ad cælestc desiderium non assurgit, quasi mulier inclinata sursum respicere nequaquam potest. Et in Ps. nostr. idem sanctus Pater dicit: Usque in finem curvatur, qui iniquæ voluntatis studium usque ad effectum pravi operis terrenis inhians protrahit, et ad cælestia ambienda non solum per gradum operis, sed nec per intentionis volatum assurgit: Ita Greg.

36. Luxuria præsertim ad terram incurvat.

Secundo nota, luxuria præ cæteris peccatis hominem ad terrena inclinat, et bestiis similem facit prono in lutum capite. Proverb. 7. v. 22. *Statim eam sequitur* (iuvenis œstro libidinis percitus) *quasi bos ductus ad victimam.* S. Ambros. libro de Noe et arca cap. 9. *Nihil est*, ait, *quod tam miseræ servituti subiiciat hominem, quam libido, atque eiusmodi cupiditates, quæ iugo quodam criminum gravi deprimunt miseram conscientiam, ut se nequeat attollere, utpote quæ libertatem innocentiæ amiserit.* Et ad caput 4. Lucæ: Quasi clavis quibusdam, ait, suffigitur anima corporis voluptatibus, et eum semel adhæserit cupiditatibus demersa terrenis, difficile in altum potest, unde descendit, sine Dei favore revolare. Actuum enim suorum laqueis vincta, et deliciarum sæcularium illecebris obnoxia iam tenetur. S. Paulus Galat. 5. 19. inter opera carnis ponit primam fornicationem, et S. Anselm. rationem reddit, quia nullum peccatum ita redigit animam ad carnalitatem, sicut fornicatio.

Serpenti recte super pectus gradienti luxuria comparatur. Genes. 3. v. 14. *Super pectus gradieris, et terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*, ait Deus serpenti. Hoc Philo symbolice voluptati applicat: *Serpens*, inquit, *pedibus carens ventre nititur, deinde terræ glebis pro cibo utitur, et venenum gestat in dentibus, quo solet morsus tollere. Quibus omnibus malis obnoxius est homo voluptati deditus: quippe qui ægre caput attollit, gravatus, depressusque, subvertente supplantanteque ipsum intemperantia.*

Terream et luteam hanc maculam exceratur Deus, Angeli, homines, dæmones. Primo quidem Deus Genes. 6. v. 3. ipse ait: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est*, id est carnalis. Abstractum ponitur pro concreto. Symbolice hoc declaratur Levit. 11. vers. 41. *Omne quod reptat super terram abominabile erit, nec assumetur in cibum. Quidquid super pectus quadrupes graditur, et multos habet pedes, sive per humum trahitur, non comedetis, quia abominabile est.* Tales sunt serpentes et vermes: tales et luxuriosi, qui super terram reptant et terrena quærunt. Secundo, Angelis displicent libidinosi, qui sunt de familia dæmonis Asmodæi: cum ut ait Tertullianus ad uxorem lib. 1. cap. 4. casti de familia Angelica deputentur. Tertio, ipsis dæmonibus contemptibiles sunt et invisi, qui ad turpia se abiiciunt. Guillelmus Peraldus tom. 2. Summæ: Luxuria, inquit, videtur esse de numero peccatorum illorum, de quibus etiam erubescunt dæmones. Quarto denique, abominabiles sunt hominibus libidinis servi, ut dicetur sect. sequenti.

Hinc concludamus cum S. Ambr. lib. de fuga sæculi: Beatus vir, ait, quem delectatio non revocat, quem non inclinat voluptas, qui ad inferiora non respicit, sed per castitatem ad cælum elevatur. S. Ephrem tom. 1. in castitatis encomio: O castitatis, ait, currus spiritualis, possessorem suum in sublime evehens.

Quinto, appetitum etiam sensitivum luxuria conturbat, 37.
v. 7. Tota die contristatus ingrediebar. Pro *contri-* Vers. 7. 2. Pars.
status Hebr. est קֹדֵר *koder*, id est, atratus, ut vertit A- Appetitum sensitivum luxuria conturbat.
rias: pullatus, ut Pagninus: nigerrimus, ut Felix, q. d. Toto die habitu lugubri obambulavi tristis, ut exponit Campensis: atra et nigra facie propter animi mœstitiam, ut Genebrardus. Favet vox Græca σκυθρωπάζων, id est, vultum tetricum et mœstum præferens, contrahens supercilium. Tò *ingredi* denotat inquietum animum uno in loco consistentem, sed huc illuc sese agitantem. Iansenius explicat, tota die contristatus obambulavi. Caietanus sumit de fuga Davidis in vulgari humilique habitu, et cum lacrymis quæ faciem lividam, luridam, squallidam, sordidam, nigram solent reddere.

Tristitia porro illa sumi potest vel de ea quæ infligitur in peccati pœnam: vel de ea quæ sponte assumitur a pœnitente ad peccati expiationem. De utraque hunc locum intelligo hic in Davide rebellem filium Absalonem fugiente.

38. Moral. Omne peccatum contristat.

Moral. Omnis peccati proprium est tristitiam inducere. S. Aug. lib. 1. Confessionum: *Iussisti Domine*, inquit, *et sic est, ut pœna sua sibi sit omnis inordinatus animus.* Contra vero, virtuti semper comes lætitia est. Seneca ad Lucilium: *Sola virtus præstat gaudium.* S. Isidorus in Soliloq. *Bona vita*, inquit, *semper gaudium habet.* Aristoteles in Ethicis: *Nemo est*, ait, *qui non gaudeat operationibus bonis.* Si est gaudium in mundo, hoc utique possidet puri cordis homo. Proverb. 15. v. 15. *Omnes dies pauperis* (hoc est, insipientis, ait R. Levi, et Vatabl. impii scilicet) *mali: secura mens* (Hebr. bonus corde) *quasi iuge convivium*, et sibi et aliis. Ubi Ugo Card. ait, Convivæ huius convivii sunt virtutes, quæ omnes propriis ferculis reficiuntur. Malim dicere, convivas esse omnes animæ potentias et facultates, atque corporis sensus et membra: cibos vero esse virtutes atque earum actus.

39. Luxuria præsertim contristat.

Secundo nota, luxuria præsertim mœroris causa est. Osee Prophetæ loquens Ephraim, id est duabus tribubus, vitulos aureos a Ieroboam adorantibus et cum iis luxuriose vitulantibus, ait cap. 9. *Non libabunt Domino vinum* (a Deo solo est lætitia) *sacrificia eorum quasi panis lugentium*, id est, qui comedi solet in exequiis et funeribus parentum et amicorum. Græci vocant νεκρόδειπνα. Chaldæus vertit, sacrificia eorum erunt instar panis abominabilis. Et v. 6. *Desiderabile argentum eorum urtica hæreditabit, lappa in tabernaculis eorum*, in anima scilicet, q. d. Tropologice, argento et auro corpus vestiunt, ut amasiis placeant, sed fiet illis urtica et afflictio: animam deliciis implere satagunt, sed fiet eis lappa. Septuaginta, spina: alii, tribuli. Hebr. חוח *choach*, *hamum* proprie significat; 2. omnem plantam spinosam, quæ instar hami adhæret illi rei cui applicatur, et illam tenet. Quod autem illi essent luxuriosi, patet ex vers. 9. ubi additur: *Profunde peccaverunt, sicut in diebus Gabaa*, urbis scilicet, in qua cives enormi stupro uxorem Levitæ ita afflixerunt, ut inde moreretur: ex quo secuta est pene totalis excisio tribus Beniamin eos armis tutantis contra undecim reliquas tribus populi Dei, Iudic. 19. et 20. Item vers. 10. comparat eos maioribus illorum qui in campestribus Moab peccaverunt cum puellis Moabiticis et Madianiticis, atque abalienati sunt in confusionem: id est, adoraverunt pudendum idolum Beelphegor, hoc est Priapi.

Vere S. Hier. in epistola: *O quam acerbus*, ait, *fructus luxuriæ, amarior felle, crudelior gladio.* Innocentius III. lib. 2. de contemptu mundi, cap. 21. *Semper*, inquit, *libidinem præcedunt ardor et petulantia; semper comitantur, fætor et immunditia; sequuntur semper dolor et pœnitentia.*

Duplicem tristitiam ait esse S. Thomas in psalmum nostrum. Unam quidem absorbentem, quæ est propria for-

nicariorum, 2. Corinth. 2. v. 7. *Ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui eiusmodi est*, agit de incestuoso. Alteram vero aggravantem, et est acedia, quæ sic deiicit, ut non permittat bonum agere. S. Ambrosius in v. 3. huius psalmi, ubi queritur Propheta non esse ossibus suis pacem, ostendit scelera nobis plurimum adversari, et quietem nostram atque lætitiam turbare: *Gravior*, inquit, *adversarius nobis culpa est nostra, quæ sollicitat otiosos, affligit sanos, contristat lætos, inquietat placidos, exagitat mites, excitat dormientes. Rei sumus sine accusante, sine tortore cruciamur, sine vinculis adstringimur, sine venditione vendimur.* Augeri quoque hanc tristitiam ait S. Gregor. futuri iudicii recordatione, quo punienda esse scelera novit impius.

40. Vers. 8. SEXTO, non tantum appetitus noster corrumpitur a luxuria per tristitiam consumentem, sed etiam per lætitiam illudentem. Hinc addit David de seipso, v. 8. QUONIAM LUMBI MEI IMPLETI SUNT ILLUSIONIBUS: ET NON EST SANITAS IN CARNE MEA. Pro *lumbi mei*, Hebraice habetur כסלי *chesalai*, id est, ilia mea, ut Felix et Pagninus vertunt; 2. intestina, ut Campensis; 3. latera, ut alii; 4. calcanei, ut Syrus, sed perperam; 5. et optime, lumbi mei, ut Noster, Origenes, S. Hieron. Flamin. S. Basilius et alii sancti. Aquila, αἱ λαγόνες μου, femora mea. Psalterium vetus, et Romanum, et Ambrosius atque Æthiop. item S. Augustinus, Ambrosius, Cyr. et alii non pauci legunt *anima mea*, ad sensum magis quam ad verba attendentes. Ex illusione enim lumborum sequitur animæ illusio.

Nota secundo, pro *illusionibus*, Hebr. est נקלה *nikle*, id est, ardore, ut vertit Pagninus et Chaldeus; combustione, ut Felix; ferventi plaga, ut Camp. 2. ignominia, ut Hieronymus; fœdo, ut Arias; plaga contemptibili, ut R. David; re abominabili, sicut R. Abraham. Radix est *kala* quod in Kal, id est in prima coniugatione significat torrere, assare, comburere; 2. in Niphal, id est in secunda coniugatione, vilem esse et contemptibilem. Unde R. Levi explicat, q. d. In cogitationibus meis vilis sum, in oculis mei ipsius. Quid enim est fœdius et abiectius libidine? Aquila vertit, latera mea (id est lumbi) impleta sunt dedecore. Alexander Macedo aduiantibus, et divinos honores obtrudentibus, dicebat: Duabus se rebus cognoscere, quod Deus ipse non esset, 1. ob somnum; 2. ob actum venereum. Hæc enim sunt brutorum animalium.

41. Illusionibus meus peccatoris repleatur, et quomodo? Quæres, de quibus illusionibus sit sermo? Respons. primo, hoc intelligi posse de quibuslibet tentationibus, et fallaciis diaboli, carnis et mundi: ita S. Augustinus, Cassiodorus, Innocentius. Nam lumbi symbolice sumuntur pro internis mentis affectionibus, et pro mentis vigore et robore. S. Augustinus asserit, si quantæ sint illusiones animæ voluerit dicere, fore ut tempore sibi non sufficiat. Cuius enim anima, inquit, ista non patitur? Innocentius in psalmum nostrum ingeniose illas dilatat: *Innumerabiles*, ait, *sunt illusiones, quas homo patitur in hac vita, dum pravis persuasionibus circumventus credit falsa pro veris, agit mala pro bonis, et dimittit cælestia pro terrenis: dum pro caducis, vanis, et frivolis a divina servitute transfertur, a pia intentione retrahitur, a sancto proposito revocatur, et tunc incipiunt illudere ei dicentes: Hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare.* Exponit deinde sigillatim, quinam homini in omnem partem iactato illudant. Addit enim: *Alludit mundus, eludit caro, et illudit diabolus. Mundus alludit per blanditias sæculares: caro eludit per sensuales illecebras: diabolus illudit per spirituales fallacias.* Comparat deinde eas sophistis fallacibus, qui ignarum argutiis suis illaqueant, et irretito illudunt: *Isti enim sunt tres fallaces sophistæ, qui miseram animam suis versutiis circumveniunt et seducunt. Proponit mundus, assumit caro, concludit diabolus. Mundus proponit sæcularia blandimenta. Caro assumit illicita desideria. Diabolus concludit sempiterna tormenta. Sic alluditur animæ ut elidatur: sic eluditur, ut illudatur:* ita Innocentius. Mundus itaque facit maiorem propositionem syllogismi sophistici: caro facit assumptionem, seu minorem, ex quibus diabolus conclusionem deducit, ut miseros casibus

A suis concludat. Non intellectus tantum, sed voluntas etiam, et memoria, animaque tota, plena est illusionibus. Unde S. Augustinus et alii non pauci vertunt hic, anima mea completa est illusionibus. Et S. Gregorius ait per lumbos posse animam accipi, quia sicut ex lumbis carnales delectationes prodeunt, ita ex anima omnes cogitationes procedunt.

Anima plena illusionibus eas in totum corpus reiicit. 42. Anima illusiones suas in corpus reiicit.
Hinc additur: *Non est sanitas in carne mea*, id est, in corpore. Est synecdoche. S. Chrysologus ait, dæmonem laborare, *ut corpus animi domicilium, animæ vas, murum spiritus, virtutum scholam, Dei templum, in scenam criminum, in vitiorum pompam, voluptatum redigat in theatrum.* S. Gregorius in Psalm. nostr. Oculos, inquit, ad videndum obscœna et turpia inflectimus. Aures libenter ad audiendas detractiones accommodamus. Illecebrosos odoratus naribus haurire concupiscimus. Iniquitatem in excelso loquimur, et inter fratres discordiam seminamus. Salutem etiam corporis redigimus in usum vitiorum. B Omnia tandem quibus utiliter uti possemus ad Dei servitium, in pravi operis convertimus instrumentum. Non est in carne nostra sanitas, quia nulla pars nostri corporis intentata remanet, per quam nos peccati desiderium non titillet: ita Gregorius.

Primo, caro præcise et proprie sumpta plena est illusionibus in hominibus impuris, 1. instar vulpis prædam præstolantis mortuam se fingit, ut ex improviso reviviscat, et in animam insiliat; 2. infirmam se et debilem fingit, nec posse ea præstare quæ mens imperat. Matth. 26. v. 42. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma;* 3. cum semel subiectam libidini animam diu captivam tenet. Ecclesiastes 7. v. 27. *Inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, et sagena cor eius. Vincula sunt manus illius: qui peccator est, capietur ab ea.* Lapsus in carnalia, est sæpe pœna aliorum peccatorum, præsertim superbiæ. Caro plena est illusionibus.

Secundo, imaginatio sæpe plena est illusionibus, dum C efficit, ut quod malum est, bonum appareat: quod amarum, dulce: quod mundum, immundum. S. Gregorius in suo Pastorali, cap. 20. *Sæpe*, inquit, *vitia congruunt, et virtutes esse simulantur: sicut tenacitas, parsimonia: prodigalitas, liberalitas: furor, zelus: remissio, misericordia: indiscretio, abstinentia, et huiusmodi.* Hoc superbis, avaris, iratis et aliis accidit, hæc sunt somnia vigilantium. Imaginatio.

Tertio, lingua plena est illusionibus per adulationem. Isaiæ 3. 12. *Popule meus qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.* Lingua.

Quarto, oculi pleni sunt illusionibus in avaris, qui terrena pro magnis reputant, et auri splendore excæcantur, cum omnia quæ tanti fiunt vana sint et fluxa. Eccles. 1. vers. 14. *Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, et ecce universa vanitas, et afflictio spiritus.* Oculi.

Quinto, aures plenæ sunt illusionibus in propriis laudibus. Ps. 9. v. 24. *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur.* Aures.

Hæc præsertim vera sunt in libidinoso. Nam, 1. caro 43. Libidinosi pleni sunt illusionibus.
D eius pruritibus et titillationibus illuditur; 2. phantasia ludicris et turpibus imaginibus pascitur; 3. lingua cantilenis, iocis, et colloquiis perversis delectatur; 4. oculi inani mulierum specie delectantur; 5. aures vanis fabulationibus et cachinnis capiuntur; 6. intellectus lutulentis cogitationibus obscuratur; 7. voluntas affectibus nefariis inficitur; 8. memoria impletur turpibus repræsentationibus. Hæc autem omnia illusiones sunt. Primo, quia ludus putantur et dicuntur a peccatore non satis eorum gravitatem expendente. Secundo, quia puerilis est animi hæc amare, quærere, et in eis tempus terere. Tertio, quia expleto peccato sequitur dolor et pœnitudo; ut Demosthenes in ipso æstu libidinis confessus est, cum nimiam pecuniam petenti Corinthiæ cuidam meretrici, ait, tanti pœnitere non emo. Quarto, quia per momentaneam delectationem æterna incurruntur incendia. Unde S. Gregor. Quid, ait, insanius, quam pro momentanea delectatione æternis se mancipare suppliciis?

44. In lumbis maxime hæret leviathan, id est, dæmon, quod indicatur a Deo ipso, Iobi 40. v. 12. *Fortitudo eius in lumbis eius, et virtus illius in umbilico ventris eius.* Origenes in psalmum nostrum: *Virtus diaboli,* ait, *præcipue circa lumbos hominis est.* Et S. Chrysologus serm. 24. *Ex lumbis tota carnis negotia suscitantur.* In lumbis enim est origo seminis. S. Gregorius hic: *In lumbis*, ait, *carnalis delectatio continetur. Sæpe sanctorum etiam virorum mentes cogitationes illicitæ polluunt, et eas iam ad summa tendentes terrenarum rerum delectationibus tangunt. Sæpe etiam in ipso orationis tempore se illis ingerunt, ut hoc ipsum sacrificium aliquo modo commaculare valeant, quod in odore suavitatis Deo acceptum contrito corde, et contribulato spiritu mactatur.* Leviathan recte sumetur pro dæmone luxuriæ, 1. quia significat copulationem, coniunctionem, a rad לוה *lava*, copulare, coniungere; 2. quia leviathan, id est balæna, est in mediis aquis; 3. quia plurimos pisces absorbet. Vide eius descriptionem Iobi 40. ibi varia sunt quæ ad rem præsentem possis adducere.

In lumbis præcipue sunt illusiones.

Remedium est, lumborum accinctio, hoc est, virile robur mentis et ardor. Isai. 32. v. 11. *Accingite lumbos vestros super ubera:* hoc est, ut ait S. Isidor. lib. de summo bono cap. 39. *In corde libidines resecate, quæ ad lumbos pertinent. Nam cor sub uberibus est, non in lumbis.* Ephesior. 6. v. 14. *State* (iacet libidinosus) *ergo succincti*, (περιζωσάμενοι, id est circumcincti: non est ullus aditus hosti relinquendus) *lumbos vestros in veritate,* hoc est, veritate. Est hebraismus. Cingulo figuratur, 1. fidelitas; 2. fortitudo et constantia; 3. integritas et virginitas. Veritatem pro virtute hic sumit S. Chrysostomus. 2. pro fidelitate atque integritate Cornel. 3. pro vera voluptate, modestia et honestate S. Chrysost. hom. 67. ad populum.

45. Vers. 9. Septimo afflictionem suam et dolorem ex peccato exortum amplificat, v. 9. Afflictus sum (S. Augustinus, *infirmatus sum.* S. Hieron. *evigilavi.* Afflictio et morbi ex somno et lethargo libidinosos excutiunt) et humiliatus sum nimis, (Hebraice, usque valde, id est, plurimum: sed qui deliciis est assuetus, facile nimium putat esse dolorem suum.) rugiebam a gemitu cordis mei, id est, gemens rugiebam, q. d. Tantus erat gemitus meus, ut rugitus leonis videretur. Leoni autem se comparat David, 1. quia regia potestate in Bethsabæam, velut prædam irruerat; 2. quia Uriam summa crudelitate iugulandum hosti obiecerat; 3. quia terrificus est atque maximus leonis rugitus; 4. quia tantus erat gemitus, ut vocem in verba formare non posset.

Itaque pergit de interno suo desiderio et dolore dicere
Vers. 10. v. 10. Domine ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus, q. d. A cæteris eum quantum potui abscondi, tibi uni placere volens.
Vers. 11. Et v. 11. Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea (Hebraice כחי *cochi*, fortitudo mea ut S. Hieron. Ambrosius, Augustinus habent) et lumen
46. oculorum meorum (supple, dereliquit me. Hebraice enim est ibi interpunctio) et ipsum non est mecum. Hebr. etiam ipsi non sunt mecum, q. d. Ita caligo præ anxietate, timore et dolore, ut prorsus cæcus esse videar, et oculi e capite meo per lacrymas putentur defluxisse. Nota, pro *conturbatum est,* Hebraice est סחרחר *secharchar,* id est, *circuivit*, ut vertit Felix et Pagn. 2. palpitat, ut Camp. 3. fluctuabat, ut S. Hieron. circumcursat, ut Lorin. explicat, circumvagatur, circumlustrat, circumfertur, vertitur in gyrum, rotatur, revolvitur, vacillat, nutat, consternatur: nimirum præ magno metu ac mœrore: unde anxiæ curæ et sollicitudines, incerta dubiaque consilia. Hebræi, teste Trevcto, exponunt de cordis agitatione, quem medici *Saltum* vocant, quemque David revera passus sit præ ingenti dolore ac tristitia. Græci, παλμὸν καρδίας nominant, immoderatam concussionem cum diastole ac systole molesta. Tanta vero interdum est, ut vicinas thoracis effringat costas, et eas quæ sunt supra mammam sede propria dimoveat, arteriam foras dilatet, efficit hunc morbum præsertim melancholia. Vide Fernel. l. 5. cap. ult. de part. morbis et symptomat. Chaldæus hic vertit, *horruit.* Syrus, cor meum circumagitavit seipsum.

Cor peccatoris fluctuat.

A

47. Symbol. *Cor* Davidis ait Caietanus, intelligi Absalonem filium, qui motu præternaturali, contraque naturæ ius circuierit contra patrem: *virtute,* intelligi robur exercitus qui sequebatur Absalonem: *lumine oculorum*, Achitophelem, cuius consilium perinde fiebat, ac si quis consuleret Deum, quando in aula Davidis erat. Sed illud lumen obscuratum est per rebellionem.

Symbol. Cor Davidis erat Absalon filius.

48. Moraliter, peccati, præsertim luxuriæ, proprium est animum turbare. Primo, Adam et Eva peccatores tremunt audita Dei voce et deambulatione in paradiso, Gen. 3. v. 8. Secundo, Cain occiso Abele fratre, dicebat Deo, Gen. 4. v. 14. *Ecce eiicis me hodie a facie terræ, et a facie tua abscondar, et ero vagus et profugus in terra.* Deinde v. 16. dicitur habitasse profugus in terra ad Orientalem plagam Eden. Hebraice est, habitavit in terra Nod, id est vaga, mobili, fluctuante. Non quod omnis terra quam Cain pedibus calcabat, fluctuaret et contremisceret sicut Rabbini

Moral. Peccatum turbat animam.

B

somniant: sed quod ipse continuo tremeret, atque illa esset terra profugii; ad quam scilicet se receperat. Tertio, peccatum serpens est in sinu, quis non timeat et horreat venenum, morsum ac sibilum? Omnia turbant peccatorem, cælum, terra, inferi. S. Gregorius qui legit, *Cor meum conturbatum est in me*, sic ait: *Latrones timeo, temporalia damna formido, cæli motus et terræ perhorresco, undique sollicitudinibus angustor, undique angustiis premor, undique pressuris deiicior. Adversitas me deprimit, successus extollit, convicia commovent, adulationes demulcent. Hæc autem omnia ideo patior, quia dereliquit me virtus mea. Humanum cor ad omnem tentationis impulsum facile concutitur, si virtute constantiæ interius non firmatur. Possumus quoque per hanc virtutem rationalitatem accipere, quæ ita in nobis per peccatum primi parentis hebetata est, ut Dei in nobis offuscantes imaginem, creaturas sequentes, relinquamus Creatorem.* S. Cyprianus apprime ad rem nostram docet turpis voluptatis hunc esse effectum, ut cor

C

exagitet, paceque omnem sensum exuperante privet. Procopius in cap. 25. Isaiæ: *Est*, inquit, *errantium cor instabile, ebriorumque more cupiditatibus agitatur et vacillat; παντὶ γὰρ πνεύματι περιφέρονται, καὶ κατὰ παροιμίαν, ῥεμβασμὸν ἐπιθυμιῶν ὑπομένουσιν: Quolibet enim spiritu circumaguntur; et quod est in proverbio, rapiuntur cupiditatum turbine.* Oseas cap. 4. v. 11. clare: *Fornicatio et vinum, et* (pro *id est*, sumitur hoc loco) *ebrietas auferunt cor:* hoc est, mentem, iudicium, rationem, consilium, prudentiam, animum: faciunt enim homines amentes, stupidos, vecordes. Luxuria præsertim est maxime terrena, in carnem immersa, a spiritu recedens ad brutum, et rationi repugnans. Ita Sampsoni cor et mentem rapuit *Dalila*, id est, *exhauriens*, Iudicum 16. Salomoni sapientissimo mortalium 700. reginæ, et 300. concubinæ. Diogenes dicebat scorta esse regum reginas, ut ait Laertius l. 6. quod scilicet regibus imperarent, eos ad paupertatem redigerent, et tandem dementarent. Demetrius Phalereus viso

Luxuria præsertim.

D

iuvene luxurioso, ait: *Ecce quadratam statuam, habentem syrma, ventrem, pudenda, et barbam.* Xerxes iratus Babyloniis, quod a se defecissent, postquam illos in suam potestatem redegit, vetuit ne ferrent arma; sed psalteriis tibiisque canerent, scorta alerent, cauponas haberent, quo voluptatibus evirati et excordes, non molirentur denuo defectionem. Libidine omnia imperia florentissima fuisse excisa docui Ps. 3. sect. 1. art. 1.

Denique maximam in seipso pœnam ponit David v. 11. Vers. 11. 2. Pars.
Et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum. Arabs, *et non reperi oculis meis lucem.* Cæcitas illa seu defectus claritatis in visione oriebatur a morbo exhauriente spiritus animales: ita Hebræi; 2. a dolore et lacrymis multis ob peccata effusis: ita S. Basilius, Euthym. Theodoret. Nicephor. Oculos vocabat Pythagoras apud Laertium lib. 8. ἡλίου πύλας, *solis portas.* Illis occisis corpus est antrum Polyphemi, ubi nihil est præter tumultum et horrorem.

49. *An sit lumen in oculo hominis?* Quæres, an sit lumen aliquod in oculis. Respondent affirmative Stoici et Platonici. Plato enim in Timæo docet, aspectum non affici imagine aliqua a re visa affluente, sed emicare ex oculis lucem, quæ una, cum lumine externi aeris obiectum quasi manibus prehendat, ipsumque suo contactu visibile efficiat: tum vero refundi eam lucem ad oculum affectam alteratione alterati visibilis, et ubi in pupilla insederit, fieri visionem. Platoni assentiuntur Seneca lib. 1. naturalium quæstionum, Chalcidius in commentario super Timæum, Euclides in libello de Perspectiva, Aphrodisæus lib. 1. problem. quæst. 75. Alchiudus in lib. de aspectibus, Ptolemæus in Catoptrico, Lactantius in libro de opificio Dei, cap. 8. ubi ideo negat species visuales esse necessarias, quia putat mentem esse, quæ immediate videt per oculos, tamquam per fenestras intro perlucentes. Galenus idem docet lib. 7. de placitis Hippocr. et Platonis, item lib. 10. de usu partium, et lib. 1. Prognost. sentent. 19. addens, quemadmodum nervi sensionem perferunt ad cerebrum, a quo sentiendi vim accipiunt; sic externum aerem appulsu radiorum, qui ab oculis exiliunt, reddi accommodatum, ad deferendam visibilis alterationem ad oculum.

Malim tamen hærere Aristoteli docenti visionem fieri non emissis ab oculo radiis, sed receptis a re obiecta imaginibus. Sic tradit lib. 2. de anima cap. 7. et cap. 12. ac lib. 3. cap. 1. 2. et 3. atque in libro de sensu et sensibili, cap. 2. Rationes sunt Primo, quia radius visorius pertingit ad res quæ videntur, vel non. Non secundum, quia iam ille radius non alteraret obiectum, neque aliqua qualitate alteratus ad oculum rediret, ut aiunt. Primum etiam dici non potest, quia incredibile omnino est e tantula pupilla tantum luminis ab oculo exilire posse, ut ad res tam varias, tamque inter se distantes, quas simul contuemur, pervenire queat: ita ut magnam cæli partem occupet, quam undique oculis obiectam conspicimus. Deinde quia si lumen solis quantumlibet recto incidat, nunquam reflectitur e terra usque ad mediam aeris regionem, multo minus eiusmodi radii a stellis, quas in firmamento cernimus, ad nostrum aspectum reflectentur. Hæc et alia nostri Conimbric. lib. 2. de anima cap. 7. quæst. 5.

Concesserim tamen aliquid lucis esse in oculis, quæ delatas per externum lumen species recipiat: cuius index est nonnunquam ex oculis de nocte emicans splendor, et nonnunquam scintillæ exilientes. Quædam animalia lumen foras ex oculis emittunt, sicut feles. De Hercule hoc refert Ion. Chius, de aliis Eustath. lib. 8. Iliad. In iratis sæpe hoc fit. Cicindela genus muscarum noctu lucet ignium modo, laterum et clunium colore, λαμπυρὶς dicitur a Græcis, noctiluca et nitedula appellatur a latinis. Quin etiam quercus putrida interlucet in tenebris.

50. *Symbol. Lumen oculi nostri est Spiritus sanctus.* Symbol. *lumen oculorum* nostrorum est Spiritus sanctus. Dolebat David a se ablatum, quia gratiam eius amiserat; 2. donum prophetiæ; 3. ipsum Spiritum sanctum, qui recedit a peccatore, sicut peculiari modo datur substantialiter, unitus tamen accidentali modo, animæ iustificatæ. Non enim solum est dator gratiæ, sed est ipsum donum, ut alias docui. *Lumen oculorum*, ait S. Basilius *erat propheticus spiritus, ipsius animæ aspectum illustrans, et ipsum non erat mecum. Reliquerat enim eum, et se ab eo subduxerat, quia in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus sanctus enim disciplinæ dolum fugiet, et auferet se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu.* *Et Christus.* Secundo, *lumen oculorum* nostrorum est Christus, de quo S. Ioan. cap. 1. vers. 9. *Erat lux quæ illuminat omnem hominem.* S. Ambrosius in psalmum nostrum: *Quod est,* inquit, *verum lumen omnium, nisi Christus Iesus: de quo Ioannes dicit: Erat verum lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: quia ipse est qui illuminat et corporis oculos, et mentis obtutum. Rogemus ergo, ut semper nobis suum lumen infundat, et semper nobiscum sit, sicut erat cum Davide. Et ideo audebat dicere Psal. 35. Quoniam apud te est fons vitæ: et in lumine tuo videbimus lumen. Ille certe quasi Propheta magnum viderat lumen. Nobis lucerna eius luceat, ne possimus errare. Et lucerna verbum est, sicut verum lumen est verbum, quod totum illuminat mundum. Denique lucerna pedibus meis, verbum tuum Domine. Et lucernam illam etiam Propheta quærebat, non laternam. Lucernam autem illam Ioannes invenit, et demonstravit: cum laterna persecutor advenit. Laterna enim clausum habet, non liberum lumen. Lumen Iudæorum quasi lucerna sub modio, vel fax sub velamine, potest videri, sed non videt: Nos autem revelata facie gloriam Domini speculamur æternam, ut ad eius imaginem a gloria in gloriam per Spiritum sanctum reformemur. Venit ergo persecutorum turba cum laternis: et ideo inclusam in eis lucem videre eorum oculi nequiverunt. Venit cum facibus, quæ plus habent in fumo caliginis, quam splendoris in lumine. Denique facibus mortuorum cadavera ardere consueverunt. Sibi ergo Iudæi iam ferebant incendia, qui persequebantur salutis auctorem. Venere cum armis, significantes armis se perituros esse a Romanis usque ad excidium totius civitatis et templi, qui pacem Domini recusarunt.* Spiritus sanctus est lumen oculi dextri, et Christus lumen oculi sinistri.

Moral. nota Primo, proprium peccati est excæcare. Sapientiæ 2. v. 21. *Excæcavit illos malitia eorum.* Lactantius lib. 4. cap. 16. legit, stultitia ipsorum. Malitia et stultitia sunt germanæ sorores, et gemellæ uno partu effusæ. Et vero nonne stultis ipsis censeretur stultior, qui sibi oculos stylis ferreis configeret aut erueret. Id tamen faciunt peccatores. Unde Sophonias, id est speculator Domini cap. 1. v. 17. Deum inducit dicentem: *Ambulabunt ut cæci, quia Domino* (id est, mihi; est Hebr.) *peccaverunt.* Christus de suis confixoribus dicit Luc. 23. vers. 34. *Nesciunt quid faciunt.* Paulus de seipso agens, 1. ad Timotheum 1. v. 13. *Prius blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus* (ὑβριστὴς violentus, vim inferens) *sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Adamus primus parens comedendo de fructu arboris scientiæ, ob peccatum scientia se privavit, et cæcus factus est. S. August. in psalm. nostrum: *Latuerat Adam lumen oculorum ipsius. Nam lumen oculorum ipsius ipse Deus erat, quem cum offendisset, fugit ad umbram, et abscondit se inter ligna paradisi, pavebat a facie Dei, et quæsivit umbram arborum. Iam inter arbores lumen oculorum non habebat, ad quod gaudere consueverat.* Deinde ait, nobis nunc esse lumen fidei et lumen spei, in cælo futurum iustis perfectum lumen oculorum. Generatim loquitur S. Gregorius: Solet, inquit, plerumque animæ peccanti contingere, ut mox eum in culpam labitur, et a sui cognitione longius separetur. Peccatum enim ipsum quod peragit, quasi murum quemdam, oculis se mentis opponit: adeo ut nec unde ceciderit conspicere valeat; nec bonum quod sibi quærendum sit, cognoscat. Voluntariis namque tenebris obvoluta, quanto magis tenacius adhæserit, tanto difficilius intelligit bona perpetua quæ amisit. Lux quippe veritatis pravorum culpas subtiliter examinans, si ab opere repellitur, nequaquam in corde versatur. Districto enim et occulto agitur iudicio, ut a quo inventa negligitur, ab eo postmodum nec amissa requiratur: et qui illam non servat in opere, notitiam illius non habeat in corde. Sed tunc homo lumen quodam modo intelligentiæ habere incipit, cum cæcitatis suæ tenebras recognoscit. Quicumque ergo claritate luminis divini illustrari desiderat, ignorantiæ suæ primitus agnoscens caliginem dicat: Lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum: Ita Gregorius, qui lib. 23. Moral. de superbia specialim ait: *In mente superbia, sicut in oculo caligo gravatur, quæ quo se latius dilatat, eo vehementius lumen angustat.* Si lucem itaque optas recuperare, vitia tibi sunt extirpanda. Oseæ 10. v. 12. monet Israelitas sceleratos, *Innovate vobis novale,* id est novum agrum, qui evulsis spinis, loliis atque herbis primo colitur et seritur. Hoc est, cor vestrum innovate reiecta idololatria et malitia. Se-

ptuag. vertunt, *Illuminate vobis lumen scientiæ:* quia scilicet a virtute, velut sole, lux oritur. Ut enim ait S. Bernardus epist. 108. *Veram scientiam soli Christi discipuli, id est mundi contemptores Dei munere assequuntur. Nec enim hanc lectio docet, sed unctio: non littera, sed spiritus: non eruditio, sed exercitatio in mandatis Domini. Seminate, inquit, vobis ad iustitiam, metite spem vitæ: illuminate vobis lumen scientiæ. Vides, quia non recte prodiitur ad lumen scientiæ, nisi iustitiæ germen præcedat ad animam: ex quo formetur granum vitæ, et non palea gloriæ.* Lege illum serm. 37. in Cantica.

52. *Luxuria præsertim excæcat.* Secundo nota, nullum est vitium, quod ita mentis oculos hebetet atque luxuria. Ps. 57. v. 9. *Supercecidit ignis* (concupiscentiæ et luxuriæ, ait S. Thomas) *et non viderunt solem* sapientiæ. Non enim habitat sapientia in corpore subdito peccatis, ut dicitur Sapient. 1. v. 4. In illo Psal. S. Hieron. vertit: Quasi abortivum mulieris quod non vidit solem. Chald. sicut abortivum et talpa cæca, quæ non vident solem. Vide illum locum. De duobus senibus impudicis Susannam ad scelus sollicitantibus habetur Danielis 13. v. 9. *Everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos suos, ut non viderent cælum*, id est Deum, ait Maldonatus. Sic enim videtur accipi Matth. 21. v. 25. *Baptismus Ioannis unde erat? a cælo an ex hominibus?* Luc. 15. v. 21. *Pater peccavi in cælum?* 2 proprie accipe. Nam libidinosus non modo Deum non videt, sed ne aulam quidem ipsius.

Libidinosi e religione solis suspensi, et cur? Cum moraretur populus Israel in Sethim, fornicatus est cum filiabus Moab, et initiatus est Beelphegor: hoc est illi idolo se addixit et consecravit. Vatablus vertit, coniugatus est Israel ipsi Beelphegor, hoc est Priapo, qui dictus est Beelphegor, id est Deus desiderii seu concupiscentiæ. Adrichomius in descriptione Terræ sanctæ pagina 129. dicit Beelphegor esse Chamos. Nam uterque fuit Deus Moabitarum Dicitur autem Chamos a כמש *camas*, id est latitare, occultare: ut Chamos fuerit Bacchus νυκτελιος, quem noctu, per epulas et effrænes libidines colebant: indeque dicuntur comessationes, κωμαζειν, et κωμον, id est cantiones et saltationes lascivæ. Probabile est Beelphegor, Priapum, Chamon, Bacchum νυκτελιον fuisse idem idolum. Sed Deus ad solem illos suspendi iubet, ut vindictæ saltem oculos aperiant vero lumini rebelles. Numer. 25. v. 4. *Tolle*, accipe, convoca, *cunctos principes, et suspende eos* (principes: ita Vatablus; 2. alios fornicatores. Non enim verisimile est cunctos principes peccasse) *contra solem*, id est ex adverso solis, facie ad solem versa, ut pudore suffundantur; 2. ut e tenebris ad lumen emergant; 3. ut Dei oculum vigilem esse sciant.

Oseæ 4. v. 11. *Fornicatio, et vinum, et ebrietas auferunt cor*, id est mentem et rationem. Ibi S. Hieronymus: Sicut, inquit, vinum et ebrietas eum qui biberit, mentis suæ impotem facit: ita et fornicatio et voluptas pervertit sensum, animumque debilitat, et de rationabili homine brutum efficit animal, ut ganeas, et lupanaria, et libidinum lustra sectetur. Et in epist. Libido, ait, nunquam satiatur, et accincta reaccenditur, usu crescit et deficit, nec ratione paret quæ impetu ducitur. S. Gregor. Naz. tetrastich. 42. sic ait:

> Ερως, μεθη, ζηλος τε, και δαιμων ισα:
> Οις αν προσελθη το φρονειν επελυσε.
> *Vinum, libido, livor, et dæmon pares:*
> *Hos mente privant, quos tenent.*

Dicit deinde ιατρειαν, id est medicinam esse macerationem, orationem, lacrymas. Lactantius in epitome divinarum institutionum, cap. 5. *Appetentia*, ait, *nimia voluptatis, et periculum parit, et insaniam generat.* Alcuinus lib. de officiis divinis, cap. 13. De luxuria, inquit, nascitur cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio. S. Thomas 2. 2. quæst. 53. art. 6. filias luxuriæ assignat octo, 1. cæcitatem mentis. Inde errores et lapsus in præcipitia; 2. inconsiderationem; 3. præcipitationem; 4. inconstantiam; 5. amorem sui; 6. odium Dei; 7. affectum præsentis sæculi; 8. desperationem futuri sæculi; et quæst. 46. art. 3. docet, quod homo incurrit quintuplex damnum ex luxuria, 1. depressionem mentis; 2. exhæredationem; 3. periculum personæ; 4. periculum rerum; 5. impedimentum bonorum operum. Samson a Dalila deceptus est, et a Philisthinis excæcatus, et iussus instar bruti versare molam. Cassiodorus id deplorat tractatu de amicitia: Decisis, ait, virtutum crinibus, et effossis prudentiæ oculis, circumvolvit molam, sequens cupiditatum circuitum, relicto compendio charitatis. Qui legerit cap. 16. lib. Iudicum, mirabitur in sinu Dalilæ fasciuati herois socordiam pene incredibilem, quam ipse frustra lacrymis sanguineis deploravit.

Theotimi mira vecordia. Oculos corporis perdere maluit Theotimus quidam, quam sensum brutæ voluptatis. S. Ambros. lib. 4. in Lucam cap. 12. *Non alienum*, ait, *videtur repetere, quemadmodum Theotimus cum gravi oculorum incommodo laboraret, et amaret uxorem interdicta sibi a medico facultate coeundi, cupiditatis impatiens, atque impetu libidinis raptus se moderari nequiverit. Sciens enim prudensque quod esset oculos amissurus, priusquam conveniret uxori in ipso æstu ferventis cupiditatis, et consuetudinis apparatu. Vale, inquit, amicum lumen. Sic febre libido flagrantior est, graviusque præcipitat et inflammat:* ita Ambros. Quis eum ad talpas non ableget, qui talis sit? Sed quis ferat oculos mentis sibi infami voluptate cruentem.

Ratio cur oculos corporis lædat libido, est, quia illos exhaurit ad suppeditandum semen, quod ex toto corpore exsciditur, sed præcipue ex oculis. Oculos vero lædit mentis, Deo sic iuste puniente, quod oculi sunt in amore duces. Item, ubi oculus, ibi amor: ubi manus, ibi dolor. S. Thom. 1. 2. q. 72. art. 7. ad 3. quinque assignat luxuriæ gradus, 1. aspectum; 2. cogitationem; 3. delectationem; 4. consensum; 5. opus. S. Gregor. Nyss. hom. in illud Apostoli, Omne peccatum, etc. *In oculos*, ait, *telum dirigit fornicatio.* S. August. serm. 83. de tempore: *Prima*, inquit, *adulterii oculorum tela sunt: secunda, verborum.* S. Antioch. homil. 17. η γυναικος οψις, inquit, βελος εστι πεφαρμακευμενον: *Aspectus ipse mulieris, telum est veneno lethali illitum.* S. Basil. in cap. 3. Isaiæ ait, mulierem sceleratam, *iactu oculorum, sagittam plane exitialem emittere, quemadmodum basiliscum ferunt solo aspectu perimere suos spectatores.* Audivi, ait Cornel. in Dan. cap. 13. matronam gravem et castam monentem confessarios, ut caverent ab aspectu et colloquiis longis fœminarum. Ego enim, ait, certa sum, non esse virum tam sanctum, tam constantem, quem non flectam quo velim, si cum eo ad quadrantem horæ colloquar, isque oculos meos intueatur. Serpentini ergo sunt oculi, facies, et colloquia fœminarum. De Hebræis qui fortissime in gigantes pugnaverant, et a puellis Madianiticis et Moabiticis victi sunt, ait S. Basilius, Seleuciæ Episcopus: Cum armis vincerent, oculis labebantur: pilis et hastis superiores, formæ iaculis vulnerabantur. S. Hieron. seu potius alius auctor in regula monacharum t. 9. cap. 18. *Nihil*, inquit, *periculosius viro quam mulier, nec mulieri quam vir: uterque palea, uterque ignis.* Ac S. Bern. serm. 6. in Cant. *Cum fœmina semper esse, et non cognoscere fœminam, nonne plus est quam mortuos suscitare? Quod minus est, non potes: et quod maius est, vis credam tibi?*

Oculi servandi, ut castitas habeatur. Remedium, ut a libidine quis liberetur, est, ut oculis remedium adhibeat. Aristot. lib. 8. histor. animal. notavit: Serpentes, cum renovantur, ab oculis incipere. Cum serpens, ait, exuere pellem incipit, ab oculis primum detrahi aiunt, ita ut obcæcati videantur iis qui rem non intelligunt: tum caput exuitur: glabrum enim hoc omnium antequam reliquum corpus apparet, atque una fere nocte et die senectus tota exuitur, a capite orsa ad caudam et cute altera intus subnascente ipsa renovatur: ita Aristot. Dicit Christus Apostolis Matth. 10. 15. *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.* Oculi columbini sunt oculi simplices et casti. Sponsus Christus dicit Sponsæ, id est animæ castæ, Cant. 1. 15. *Oculi tui*

columbarum: oculos itaque primum purgemus, tum cætera nobis erunt expeditissima. Oculi sunt sedes omnium affectuum et motuum animi. Lege Plin. lib. 11. cap. 37. Ad rem nostram est Aristot. lib. 2. de generat. animal. cap. 5. *Sedes oculorum*, inquit, *maxime omnium locorum capitis seminalis est: quod patet, cum sola ipsa per coitum venereum manifeste immutetur, et usu immodico rei venereæ oculi aperte langueant, et subsideant: Causa est, quod natura genituræ similis cerebro est.* Cum purgaveris

A oculum, eo utero velut speculatore, ne te hostes rursus ex improviso impetant. S. Hieron. epist. 10. ad Furiam: *Sollicitæ*, inquit, *diligentiæ, in carne non carnaliter vivere, secum purgare quotidie; et inclusum hostem, Argi, ut fabulæ ferunt, centum oculis observare.* S. Thom. 2. 2. quæst. 167. art. 2. docet, luxuriam vix vitari posse, nisi vitetur principium eius: id est, aspectus mulieris pulchræ, et præcipue virginis.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

55. *Tria facit. Primo, ab amicis se desertum, et ab hostibus impugnatum, conqueritur, vers. 12. Secundo, patientiam suam ostendit, et illius rationes profert, vers. 14. Tertio denique, opem divinam in tantis periculis implorat, vers. 22.*

PARAPHRASIS.

12. *Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt.*

12. Qui mihi amicitia, et sanguinis affinitate erant coniuncti maxime, ipseque filius meus Absalon, in me arma sumpserunt, atque ex improviso imparatum aggressi sunt.

13. *Et qui iuxta me erant de longe steterunt: et vim faciebant qui quærebant animam meam.*

Et qui inquirebant mala mihi locuti sunt vanitates: et dolos tota die meditabantur.

13. Qui vero custodiæ meæ deputati milites me aulamque meam circumstabant, quique deliciis aulicis innutriti, mihi abblandiebantur nobiles, celeri se fuga subduxerunt, ac mediis in fluctibus iactatum reliquerunt. Cum interim sanguinis mei sitibundi hostes toto impetu in me, velut in prædam laqueis implicitam, involarent.

Tantaque rabie in iacentem soloque afflictum ferrentur, ut regii throni, opumque omnium iactura non contenti, famam mendaciis et dicteriis carperent ac vellicarent, quod præ cæteris Semei præstitit; fugientique pedicas pararent, in quas me incautus induerem, quod præsertim nefarius fecit Achitophel.

14. *Ego autem tamquam surdus non audiebam: et sicut mutus non aperiens os suum.*

14. Ego autem licet gravi dolore saucius, eam animi æquitatem ac patientiam præ me tuli, perinde quasi surdus essem: et quæ effutirent, ne auribus quidem acciperem. Iræ subsultantis motus ita compescui, ut muti instar, ne maledictum quidem ac verbulum in eos regererem, nec causæ meæ bonitatem explicarem.

15. *Et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones.*

15. Eumque me gessi, nihil ut eorum quæ in me dicebantur, percipere viderer. Nihilque suppeteret, quo mendacissimas illas calumnias refellerem.

16. *Quoniam in te Domine speravi: tu exaudies me Domine Deus meus.*

16. Ideo porro tam facilem me ac mansuetum indignissimis licet exhibui, quoniam nullis humanis præsidiis nitor: neque in amicorum copiis, neque in verborum defensione, sed in te uno spem meam ac fiduciam colloco. Frendeant licet impii, tu clamantem ad te exaudies, et rerum omnium Dominus depulsis tenebris optatum solem reveхes.

17. *Quia dixi: Ne quando supergaudeant mihi inimici mei: et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.*

17. Hæc etiam me ratio impulit, ut patiens essem: quia apud me dixi: verendum est, ne si vindictæ ardori plus concedam quam par sit, a te deserar, et hostium iocus fiam. Qui adeo petulantes ruinæque meæ sunt avidi, ut etiam dum leviter fluctuarem, nec totus penitus in calamitates demersus essem, veluti triumphatores victo insultarent.

18. *Quoniam ego in flagella paratus sum: et dolor meus in conspectu meo semper.*

18. Deinde si nullius me ruinæ gravioris timor in officio continuisset, tacuissem tamen, quoniam immissas per paternam manum tuam clades, lubens volensque suscipio, amplector atque deosculor. Maiorque conceptus ex sceleribus meis dolor, qui semper oculis mentis meæ obversatur, externa hæc leviora efficit.

19. *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo.*

19. Egone porro scelera mihi exprobrantibus fierem iniurius, qui primus propalam ea omnibus evulgare statui. In eamque curam unam intentus excubare, ut pro peccatis meis satisfaciam, et oblatas mihi patientiæ occasiones in eam rem tibi offeram?

20. *Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me: et multiplicati sunt qui oderunt me inique.*

20. Dum me tacitus quietusque summis in angoribus contineo, hostes mei rabie instincti, alacres vegetique volitant: et robore numeroque auctiores afflictum me proterunt, et sine causa odio prosequuntur.

21. *Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi: quoniam sequebar bonitatem.*

21. Cum enim eos licet immeritos bonis omnibus atque honoribus cumularim, mala pro tot beneficiis rependunt, et famæ meæ nominique detrahunt: quod afflante regia fortuna pietati nimis deditus videar, et tempestate iactatus, velut stipes ac truncus, ad cautes varias allisus, obmutescam.

22. *Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne discesseris a me.*

22. Itaque, cum tantis luctantem malis ne deseras, mi Domine Deus: ne opem tuam imploranti te subtrahas.

23. *Intende in adiutorium meum, Domine Deus salutis meæ.*

23. Promptum et efficax auxilium impertire, Domine Deus Salvator meus.

QUÆSTIO UNICA

Quam odiosa hominibus luxuria.

Sectione superiori luxuriam ostendit David, 1. Deo odiosam; 2. corpori animæque illius quem infecit, noxiam; 3. nunc declarat proximo esse invisam.

56. Ac primo, ab omnibus desertum se fuisse deplorat, 1. ab amicis, v. 12. *Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt;* 2. ab affinibus, *et proximi mei;* 3. a domesticis, v. 13. *Et qui iuxta me erant, de longe steterunt;* 4. ab hostibus, qui eum aggressi sunt, Primo, opere. *Et vim faciebant, qui quærebant animam meam.* Secundo, locutione: *Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates.* Tertio, cogitatione: *et dolos tota die meditabantur.*

Secundo, modum patientiæ suæ ostendit, cum dimissa culpa pœnitens sensit vindicem Deum, qui pœnas per tot afflictiones repetebat. Nam 1. ait, se neglexisse dicteria calumniatorum, v. 14. *Ego autem tamquam surdus non audiebam;* 2. ore, nihil respondendo: *Et sicut mutus non aperiens os suum.* Hoc ipsum repetit versu sequenti: *Et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones.*

Tertio, rationes quatuor affert, propter quas tanta patientia tam indigna pertulerit a filio suo Absalone, a Semei, et aliis. Primam rationem desumit a spe in Deum, qua voluntatem suam Deo consecrat, ab eoque solo auxilium expectat, v. 17. *Quoniam in te Domine speravi: tu exaudies me Domine Deus meus.* Secundam, a cogitatione, quod patientia illa efficere possit, ut flagella cessent, v. 17. *Quia dixi: Ne quando supergaudeant mihi inimici mei; et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.* Tertiam, a corporis sui conservatione, secundum Dei beneplacitum, v. 18. *Quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper.* Quartam denique, a memoria præteritorum peccatorum, v. 19. *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo.*

Quarto denique, opem in hostes illos implorat, quorum offendit, 1. potentiam, v. 20. *Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me;* 2. multitudinem: *Et multiplicati sunt qui oderunt me inique;* 3. malignitatem, v. 21. *Qui retribuunt mala pro nobis, detrahebant mihi: quoniam sequebar bonitatem.* Itaque petit a Deo 1. ne deseratur, præsente enim duce alacrior est miles, v. 22. *Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne discesseris a me.* Sed positive adiuvetur, vers. 23. *Intende in adiutorium meum, Domine Deus meus.*

ARTICULUS I.

Quanta in amicis inconstantia et infidelitas: et quanto odio adulteros cuncti oderunt.

57. Peccator ab omnibus deseritur.

Postquam David pœnas exposuit, quas a Deo, et seipso perpessus fuerat ob adulterium cum Bethsabæa admissum. Nunc ait se ab omnibus amicis et propinquis deseri, atque ab hostibus impugnari. Omni autem ex parte impeditum contemplare: 1. a dextris stant amici obiurgantes: *Amici mei*, etc. 2. a sinistris, affines, *et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt;* 3. a tergo, sunt domestici cachinnantes, atque recedentes, sed more Parthorum in ipsa fuga sagittas contorquentes, *et qui iuxta me erant, de longe steterunt;* 4. a fronte, hostes cæco impetu hastam et gladium intorquentes, *et vim faciebant, qui quærebant animam meam.*

Vers. 12. Primo itaque, de amicis et affinibus dicit v. 12. Amici mei, (S. Hieron. *cari mei*, mes mignons) et proximi mei (S. Hieron. et Pagninus, *amici mei.* Felix et Arias, *socii mei.* Campensis, *familiares.* Magnet. *sodales*) adversum me appropinquaverunt, et steterunt. Pro *adversum me appropinquaverunt*, nunc in Hebræo est מנגד נגעי *minneghed nighi*, id est e regione plagæ meæ: A ita Chaldæus, Campensis et Pagninus; e regione doloris mei: ita Syrus; 3. contra lepram meam: ita S. Hieron. q. d. A me fugerunt velut a leproso, cuius contactu Iudæi erant immundi. Me amici mei et proximi a se suoque consortio fugabant, sicut leprosum qui a domibus atque urbibus eiiciebatur. Sed Septuaginta, qui meliores et emendatiores codices habuerunt, legerant נגעו *nagheu*, id est, appropinquaverunt, et sensus est melior atque elegantior. Amici enim et proximi dicuntur ad eum accessisse, sed ut impugnarent: domestici vero ab eo fugisse: hostes denique, cum impetu irruisse.

Secundo, de domesticis et hostibus addit vers. 13. Et 58.
qui iuxta me erant (vicini mei: ita S. Hieron. propinqui mei: ita Flaminius; cognati mei: ita Campens. servi: ita Magn.) de longe steterunt (longe aberant, ait Campensis; longe a me fuerunt semoti, fuga sibi consuluerunt) et vim faciebant (S. Hieronym. irruebant. Chaldæus et Flaminius, laqueos tetenderunt. Felix, posuerunt B tendiculam. Campensis, retia expandunt. Pagninus, illaquearunt.) qui quærebant animam meam: id est, vitam meam. Sic sæpe anima pro vita in Scripturis ponitur; et quærere animam, pro quærere vitam alicui auferre: ita Exod. 4. v. 19. lib. 1. Reg. 20. v. 1. cap. 22. v. 23. cap. 23. v. 15. cap. 29. v. 29. et alibi passim. Tropologice, multoties vim faciunt, ait Ugo, agentibus pœnitentiam, cogunt eos infringere ieiunia, et omittere orationes. Hi quærunt animam non sibi, sed diabolo. Sibi enim quærunt temporale emolumentum, sed diabolo venantur animam: *Canes enim venatici sunt ipsius diaboli.* Et quando ceperunt bestiam, diabolus dat eis pellem: id est, exteriora, interiora autem sibi retinet, quia corpus et animam retinet assanda in igne gehennæ: ita Ugo. Diabolus est rex Sodomæ, qui dicit Gen. 14. v. 21. *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Et Christo ait Matth. 4. vers. 9. ostendens omnia regna mundi, et gloriam eorum: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Sed vis vi repellenda est, ut fecit Christus ibi. Et Mathathias atque C filii eius Machabæi resistentes Antiocho, a cuius exercitu se alii permiserant occidi die sabbati, lib. 1. Machabæorum cap. 2.

Vers. 13. 1. Pars. Quærere animam, est vitam velle auferre.

Tertio, ait ad operum crudelitatem, eos adiecisse acerbitatem verborum, vers. eod. 13. Et qui inquirebant mala mihi, (S. August. mala mea. Symmachus, malum meum) locuti sunt vanitates (Hebr. הוות *avoth*, id est, 1. pravitates: ita Felix, et Flaminius; scelerata: ita Campensis; 2. insidias: ita S. Hieron. 3. vanitatem: ita S. Ambros. et August. 4. mendacium: ita Chaldæus, q. d. David: Hostes mei vana et falsa comminiscuntur in me, calumniis me obruere nituntur, et famam meam obscurare) et dolos tota die meditabantur. Sic erant illi qui se Davidi opponebant: 1. perfidi: *Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt;* 2. importuni, *et steterunt;* 3. timidi et fugaces, *et qui iuxta me erant, de longe steterunt;* 4. violenti et impetuosi; 5. crudeles et sanguinarii, *qui quærebant animam meam;* 6. malitiosi, *et qui inquirebant mala mihi;* 7. vani et mendaces, D *locuti sunt vanitates:* 8. dolosi et fraudulenti, *et dolos tota die meditabantur.* 59.

Vers. 13. 2. Pars.

Allegorice, hæc de Christo patiente aptissime dicentur. 60.
Prius locutus erat in persona membrorum suorum, nunc loquitur in propria persona: relictus enim est ab amicis suis Iudæis: a proximis, id est ab Apostolis: et a Pharisæis, Scribis, Sacerdotibus aliisque impetitus. Vide Ps. 21. Hic vero S. August. et S. Gregor.

Allegor.

Symbolice, amici peccatorem deserentes sunt Angeli: ita S. Ambros. et S. Basilius, qui ait: *Quinam erant amici et proximi, nisi qui in prioribus bonis eius gaudebant, Angeli videlicet boni et ministri Dei super hominum salute gaudere assueti? Nam et super peccatore pœnitente gaudium in cœlis oritur: et castra metabitur Angelus Domini in circuitu timentium eum. Et hi igitur sunt omnes amici Davidis, qui tempore ipsius peccati,* ἀνεχώρουν ἀποστρεφόμενοι *sese avertentes discesserunt, non tamen omnino illum deseruerunt.* Vide Ps. 38.

Symbol. Angeli sunt amici nostri: obstinatos deserunt.

Secundo, S. Bernard. serm. 77. in Cantic. hoc adaptat malis Ecclesiæ prælatis ac pastoribus, qui sunt ficti amici sponsi: pro *proximi mei* Hebr. est רעי *reai*, quod Tuccius in Cant. anuot. Pastrix. permiss. 3. vertit, *pastores mei*, et de Apostolis exponit, atque per amicos intelligit discipulos Christi. Tu ad alios pastores deriva, qui pascunt seipsos, et lupo veniente fugiunt. Legant Ezech. cap. 34. totum, et tremant, atque vitam mutent.

61. Tropol. Tropologice, *Inimici hominis domestici eius*, Mich. 7. v. 6. dum revocant a pœnitentia, a virtutibus, a religionis ingressu. Hi quærunt animam tuam, sed tu, ait auctor Eccl. 4. 33. *Pro iustitia agonizare pro anima tua.* Ubi Græc. est, atque Syr. *Ad mortem usque decerta pro anima tua, et Deus pugnabit pro te.* Ora illum, ut eruat de manu canis tartarei unicam tuam. Vide Ps. 21. v. 21. Si cum sit unica, illam perdideris, iactura erit irreparabilis et æterna.

62. Ab amicis deseri grave est, et cur? Moraliter nota Primo, gravissimum est ab amicis deseri et oppugnari. Ratio est 1. quia tela improvisa magis feriunt; 2. quia e propinquo percutiunt; 3. quia omnia nostra illis nota sunt, et sciunt quomodo impeti et sterni possimus, sicut cives proditores qua parte murus sit debilior; 4. iis amicis nihil usquam præsidii speramus: amici enim sunt anterides domum fulcientes, quibus deiectis concidit. Nam ut dicitur Eccli. 6. *Amicus fidelis, protectio fortis* (Gr. σκεπη κραταια, id est, tegmen forte, validum, firmum, et potens. Syr. amicus veritatis, amicus est fortitudinis;) *qui autem invenit illum, invenit thesaurum.* Primo itaque, ut ait S. Gregor. Nazianz. orat. 6. ad Gregor. Nyssen. Amicus fidelis, protectio fortis, οχυρωμενον βασιλειον, munitum palatium. Amicus fidelis, λιμην ανεψυχεως, solatii portus. Et alio loco vocat asylum tutissimum, et navem contra omnes tempestates munitissimam. S. Gregor. Magnus ait amicum esse animæ custodem. S. Isidor. Pelus. esse panopliam fortissimam. Xenophon ait amicos esse secura regum sceptra. Sic enim l. 8. Cyropæd. οι πιςοι φιλοι σκηπτρον βασιλευσιν αληθιςατον και ασφαλεςατον, *amici fideles sceptrum sunt regibus fidelissimum, et maxime securum.* Secundo, amicus est thesaurus, id est res pretiosa et opulenta. Cyrus apud Xenoph. dicit, optime pecunias apud amicos deponi, neque ullos eis tutiores ac fideliores esse thesauros. Et Tullius lib. de amicit. Multæ, ait, sunt res, in quibus de suis commodis boni viri multa detrahunt, et detrahi permittunt, ut illis potius amici fruantur, quam ipsi. Diogenes dicebat, amicorum et deorum omnia esse communia. Unde Plutarch. lib. de amici et adulatoris discrimine ait: πυρος και υδατος ο φιλος αναγκαιοτερος, *amicus magis est necessarius quam ignis et aqua.* Tertio, amicus est solatium maximum, et vitæ suavitas. Eccli. cap. 6. mox citato v. 16. *Amicus fidelis medicamentum animæ* (φαρμακον ζωης, pharmacum vitæ. Syrus, medicina vitæ. Arabs, velut emplastrum vitæ, hoc est vivificans, vitam conservans) *et immortalitatis.* S. Ambros. lib. 110. offic. cap. 32. Benevolentia, inquit, communis quædam parens omnium, quæ amicitiam connectit et copulat: in consiliis fidelis, in prosperis læta, in tristibus mœsta: ut unusquisque benevolentis se, magis quam sapientis credat consilio: ut David cum esset prudentior, Ionathæ tamen iunioris consiliis acquiescebat: *Tolle ex usu hominum benevolentiam, tamquam solem e mundo sustuleris, ita erit: quia sine ea usus hominum esse non potest, ut peregrinanti monstrare viam, revocare errantem, deferre hospitium, aquam de aqua profluenti dare, lumen de lumine accendere. Non igitur mediocris virtus, de qua sibi plaudebat Iob dicens: Foris autem non habitabat hospes, ianua mea omni venienti patebat. Benevolentia itaque in his est omnibus, tamquam fons aquæ reficiens sitientem; tamquam lumen, quod etiam in aliis luceat: nec illis desit, qui de suo lumine aliis lumen accenderint.* S. August. lib. 4. Confessionum cap. 6. laudat Horatium, qui amicum vocat dimidium animæ suæ: et libro de amicit. cap. 2. si tamen est eius auctor, ait quod amicus dicitur quasi amoris, vel ipsius animi custos. Plutarchus libro de multitudine amicorum ait, in amicis

Amicus est protectio. — Solatii portus. — Animæ custos. — Sceptrum regum. — Thesaurus. — Solatium vitæ. — Benevolentia est Sol mundi.

A esse plura corpora, sed unicam animam: *Concentus*, inquit, *nervorum ex contrariis sonis conflatur, acutis et gravibus, utcumque similitudinem quamdam gignentibus: amicitiæ autem concentus, nullam vult partem esse dissimilem, aut inæqualem: sed oportet omnia dicta, sensa, consilia et affectus inter se convenire, velut uno animo in plura diffuso corpora.* S. Chrysost. apud S. Maximum sermone 135. Quot, ait, amicos paraveris, tot *oculos* habes, quibus quæ velis, videas: tot *aures*, quibus quæ decet audias: tot consilia, quibus de iis quæ conducunt consultare et prospicere possis. Non enim aliter se habet plurium amicitia, quam si cui Deus *unum corpus habenti multas daret animas*, quæ omnes illi providerent et consulerent: ita Chrysostomus, qui alio loco ait, optabilius esse nobis solem extingui, quam amicis orbari. Eccli. 6. vers. 15. *Amico fideli nulla est comparatio.* Vatablus, nullum par pretium. Gr. ουκ εςιν ανταλλαγμα, non est ulla permutatio et compensatio.

B Secundo tamen nota, quod in his terris fluxa et instabilis est plerumque amicitia. Eccli 6. v. 8. *Est amicus secundum tempus suum* (id est, cum ei opportunum et commodum fuerit. Syr. est amicus ad horam) *et non permanebit in die tribulationis. Et est amicus qui convertitur ad inimicitiam.* Hoc David de suis amicis dicebat: *Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt.* Ex amicis autem illis fiunt atrocissimi inimici, ut ex generoso vino fortissimum acetum. Alio simili explicat Plinius lib. 37. cap. 4. *Ut adamas, ait, si frangi contingat malleis, in minutissimas dissilit crustas, adeo ut vix oculis cerni queant: ita arctissima necessitudo, si quando contingat dirimi, in summam vertitur simultatem; et ex arctissimis fœderibus, si semel rumpantur, maxima nascuntur dissidia.* 63. Amicitiæ humanæ non sunt stabiles.

Plato apud Plutarchum libro de animi tranquillitate, ait amicum esse, ευμεταβολον ζωον, animal facile mutabile. Menander amicitias plerasque umbras esse dicit, σκιαι γαρ εισιν, inquit, οντως αι πολλαι φιλιαι. Et Plautus in Truculento: In melle, ait, sunt linguæ sitæ atque orationes lacteque: Corda in felle sunt sita, atque acerbo aceto. Theo-

C gnis amicos plurimos ait v. 215. similes esse polypis colorem omnem sumentibus. Hinc Plutarchus libro de amicorum multitudine docet, paucos esse amicos: *Amicitia*, inquit, ςασιμον τι ζητει και βεβαιον ηθος, και αμεταπτωτον, ον μια χωρα και συνηθια, *stabile requirit quidpiam, et immutabile ingenium, quod eamdem retineat consuetudinem.* Ideo, σπανιον και δυσευρετον εςι φιλος βεβαιος, *rarus et inventu difficilis est constans amicus.*

64. In aula præsertim. In aula præsertim regum vix ulla est amicitia. Nam primo, aulici suam amant et quærunt utilitatem, non principum. Alphonsus Aragonum rex, amicos aulam frequentantes, ut officium vel beneficium aliquod obtinerent, vocabat vultures aulæ: qui, eo quod quærebant, adepto, illico avolarent. Secundo, principes vix ullum vere amant, sed suum solatium et delectationem in omnibus quærunt: eosque modo elevant, modo deiiciunt ad arbitrium. Artaxerxis Persarum regis gener a socero deiectus, et honoribus privatus dicebat: Principum amicos videri similes

D arithmeticorum seu computatorum digitis; nam sicut hi computando nunc myriada, qui numerus decem millia continet, gestu conficiunt: nunc vero monada, id est unitatem: pariter et qui regibus sese insinuant, modo pollent plurimum, suntque omnes conspicui fumos venditantes: mox autem deiecti ludibrio omnium subiacent. Quidam vero principes, non inconstantes modo, sed crudeles sunt amicis. Quid crudelius Caio Caligula? qui cum in vitæ discrimine versaretur, et quidam ex amicis se pro eius valetudine depugnaturum vovisset, morbo liberatus, ut votum solveret, exegit: neque abire campo nisi victorem passus est. Alium qui vitam pro eo voverat, cum intelligeret ad mortem solvendi voti gratia nequaquam properare, vinctum pueris tradidit, qui eum per urbis vicos flagellatum ab aggere demum præcipitarunt. Illi amici portus speciem referunt, sed in quo sint occulti scopuli, ut ad portum velut ad securitatem allecti, scopulis allidantur. Aiax a-

Alphonsus aulicos vocabat vultures. — Artaxerxes dicebat amicos regum esse digitos arithm. — Caligula erga amicos crudelis.

pud Sophoclem ait, per multis mortalium, απιστον ειναι εταιρειας λιμενα, infidum esse amicitiæ portum. Hoc videre est in Tiberio Imperatore, qui fuit portus Seiano, sed infidus, et in quo fecit naufragium. Primum enim Seianus apud eum tanta gratia valuit, ut Dio Cassius lib. 57. dicat, ουδεν χωρις αυτου επραττετο, nihil sine Seiano fiebat. Deinde vero ab ea gratia ita excidit, ut nihil sit miserabilius, et in quo magis videas, ανθρωπινην ασθενειαν, humanam imbecillitatem, ut dicit idem auctor: *Quem enim, ait, mane ut præstantiorem se, universi ad curiam comitati fuerant, tunc quasi nequaquam se meliorem in carcerem rapuerunt. Quem coronis ante dignati fuerant, ei tum vincula induxerunt: quem tamquam Dominum stipaverant, eum fugitivi instar custodierunt, tegmenque obvelanti sese detraxerunt alapis ingestis.* Quis post hæc aulicis amicis confidat? audi graviora. *Quem ante prætexta veste decoraverant, ei caput verberabant*, οντε προσεκυνουν, και ως θεω εθυον, τουτον, θανατωσοντες ηγον: *cui genua flexerant, atque ut Deo sacrificaverant, eum tunc ad mortem duxerunt.* Narrat deinde quæ passus sit a populo, quomodo statuæ eius deiectæ, fractæ, raptatæ fuerint, eodem die a Senatu damnatus sit, ad scalas Gemonias, ad quas corpora damnatorum impacto unco trahebantur proiectus, ac tandem toto triduo populi ludibriis obiectus in Tiberim protractus sit. Quodque magis deplores, filii eius Senatusconsulto necati sunt; filia, quam pactus erat Claudii filio, constuprata prius a carnifice, in carcere occisa est.

Tiberius Seianum perdit.

Quam autem gravis sit hæc in amicis infidelitas, vidit Themistius in Basanista: Ουδεμια, inquit, μοχθηρια μαλλον δυσκινωτητος απιστιας, *Nulla magis ab hominum societate abhorret malitia, quam perfidia et infidelitas. Nam unicum vitium est adversus quod nullam cautionem ac provisionem comparare possumus.*

65. Cognatorum et affinium est iucunda amicitia. Tertio, iucundissima est inter cognatos et affines necessitudo familiaritas et amicitia; sed ea etiam sæpe nec est sincera, nec diuturna. De primo, vide Ps. 132. v. 1. *Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum.* Nunc sufficiat nobis Plutarchus libro de fraterno amore, αδελφων, ait, ομοφροσυνη και γενος, και οικος υγιαινει, και τεθηλε, και φιλοι, και συνηθεις, ωσπερ εμμελης χορος, ουδεν ουτε πραττουσιν εναντιον, ουτε λεγουσιν, η φρονουσιν: *Per fratrum consensionem unanimem et familia, et domus, prospero ac florido in statu viget. Et amici, fratres, ac moribus concordes, tamquam chorus sibi consonus, nihil contrarium aut agunt, loquuntur, aut cogitant.* Ibidem refert Apollonidem Cyzicenam Eumenis regis matrem, ac trium præterea filiorum, Attali scilicet, Philetæri, et Athenæi prædicasse subinde se beatam, diisque egisse dicunt gratias, non propter divitias vel imperium: sed quod tres filios videret natu maximi esse satellites, eumque in medio ipsorum gladios atque hastas ferentium, absque metu versari.

66. Sed vix est sincera et diuturna. De secundo, nempe quam parum sincera sit et diuturna hæc fratrum amicitia, id docet Abelis per Cainum fratrem cædes, Genes. 4. Esau et Iacob dissidia, Genes. 27. Iosephi venditio facta a fratribus, Gen. 37. Thamaris sororis violatio, atque eiectio e domo per Amnonem Davidis nostri filium primogenitum, 2. Reg. 13. v. 14. eiusdem Amnonis cædes per Absalonem fratrem, 2. Regum 13. v. 29. Adoniæ ambitio, ut præriperet sceptrum Salomoni, 3. Reg. 1. v. 9. eius cædes per Salomonem ob levem suspicionem, ne iterum de regno occupando cogitaret, cap. 3. Turcæ et aliqui alii populi, ubi ad imperium pervenerunt, fratres suos iugulari curant. Davidem deseruit Absalon filius, Amasa nepos, Achitophel consiliarius. Unde ait: *Amici mei et proximi*, etc.

67. Moral. Omnes nationes horruerunt adulteros. Moral. nota secundo, nationes omnes adulterium horruerunt, et puniverunt. Isychius Ierosolymitanus Episcopus, qui floruit tempore S. Gregorii, circa annum 601. luxuriam vocat lepram. Sic enim lib. 4. in Leviticum: *Anima*, inquit, *ad profanas declinans voluptates, leprosa fit.* Ideo a Paulo Corinthius fornicator ab Ecclesia præcisus est, 1. Corinth. 5. vers. 5. sicut e castris et urbibus populi Dei leprosi amandari solebant. David adulterii

A reus, velut leprosus, ab amicis ipsis relictus est. S. Hieron. sic vertit: *Chari mei, et amici mei, quasi contra lepram meam steterunt.* S. Gregor. Nyssenus in illud Apostoli, Omne peccatum, etc. sic ait: *Fornicator est in ædibus fugiendus, et in congressibus abominandus, contumelia appropinquantibus, inimicis opprobrium, vicinis probrum ac dedecus, iis qui simul habitant execrandus, dolor parentibus, familiæ publicum ludibrium, vicinis ridicula narratio. Si velit uxorem ducere, reiiciendus: in matrimonio, suspectus sponsus: pater, filius odiosus: despicabilis consiliarius, largiens ingratus, petens ingratior, mortuus magis laborans infamis.* Orbem si placet decurramus, et quis sit sensus populis a natura inditus videamus; Asiam, Africam, et Europam contemplemur.

Primo quidem in Asia apud Tenedios lex erat, ut adulteri mas et fœmina capite mulctarentur: ita Stephanus de urbibus. Secundo, in Galatia Concilium Ancyranum cap. 19. *Si*, ait, *cuius uxor adulterata fuerit, vel si ipse adulterium commiserit, septem annorum pœnitentia oportet* B *eum perfectionem consequi secundum pristinos gradus.* Legi hoc capitul. in epistola Zachariæ Papæ ad Pepinum Maiorem Domus, atque ad Episcopos, Abbates, et proceres Francorum. Tertio, in Cappadocia S. Basil. Cæsariensis Archiepiscopus, epist. 1. ad Amphilochium canone 58. *Qui, ait, adulteravit, in quindecim annis non communicabit. In his autem quindecim annis sic quoque dispensabitur. Quatuor annis erit deflens: quinque audiens, quatuor, substratus: in duobus, consistens sine communione.* Et Canone 59. Fornicator, inquit, septem annis sanctis non communicabit: duobus deflens: et duobus audiens: et duobus substratus: et in uno consistens, octavo autem ad communionem admittetur. Prius dixerat Canone. 6. και φονεις, και φαρμακοι, και μοιχοι, και ειδωλολατραι της αυτης καταδικης εισιν ηξιωμενοι, *Homicidæ, et venefici, et adulteri, et idololatræ eadem condemnatione digni habentur.* Quantum sit adulterium, vel ex hoc collige, quod cum tantis sit sceleribus. Quarto, in Arabia, ut ait Strabo l.16. C μοιχω ζημια θανατος, adulterio supplicium est mors. Quidam e sanctis Patribus notat apud S. Ioannem Climacum, hæreticos conversos statim ad divinorum mysteriorum participationem admitti, non autem fornicatores, παρα των αποστολικων κανονων, *secundum canones Apostolorum.* Quinto, in Pisidia, ut tradit Nicolaus περι εθων, id est, de moribus, adulter insidens asino circumducitur. Sexto, in Iudæa, primis temporibus adultera comburebatur, Gen. 38. 24. hoc patet ex iudicio contra Thamar reddito a Iuda. Dixitque Iudas: Producite eam (Thamar) ut comburatur. Postea vero Mosi præcepit Deus, ut adulteræ lapidarentur. Levitici 20. v. 10. *Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, et adulterium perpetrarit cum coniuge proximi sui, morte moriantur, et mœchus et adultera.* per iapidationem scilicet, sicut dictum erat v. 2. de dantibus semen Moloch idolo, hæc enim pœna ad sequentes casus extenditur. Et Ioannis 8. 5. adulteram ad Christum adducentes dicunt: *In lege Moses mandavit nobis huiusmodi lapidare.* Septimo, in Parthia, ut ait Iustinus lib. 41. *Nul-* D *la delicta adulterio gravius vindicant.*

68. I. In Asia. 1. Tenedii. 2. Galatæ. 3. Cappadoces. 4. Arabes. 5. Pisidæ. 6. Iudæi. 7. Parthi.

Secundo, in Africa, Leptæi, ut habet Heraclides in politicis, eos qui in adulterio deprehensi sunt, per triduum ducunt per compita deridendos, et toto vitæ tempore contemptibiles habent. Idem fit mulieribus: atque hæ, ut refert Cælius lib. 21. cap. ult. diebus undecim in foro stare coguntur, discinctæ et tunica circumvestitæ pellucida; 2. in Ægypto, Sesostris secundus rex Ægypti, magni Sesostris filius, cum per decennium cæcus extitisset, Deum Heliopolitanum consuluit, et ab oraculo monitus est (si credere fas est) *ut fœminæ alienum virum non expertæ lotio faciem ablueret, a sua coniuge exorsus: cum multa explorasset, nullam invenit incorruptam, præter uxorem cuiusdam hortulani, quam sanitati redditus, duxit uxorem, adulterasque vivas in vico quodam concremavit, quem ab hoc eventu*, ιεραν βωλον, *sacram glebam, nuncuparunt*, ut ait Diodorus Siculus lib. 1. Omnibus Ægyptiis adulterium erat execrabile. Nam idem Diodorus refert

69. II. In Africa. 1. Leptæi. 2. Ægyptii.

lib. 2. lege sancitum esse, ut, si adulterium esset commissum, viro mille plagæ fustium, mulieri narium detruncatio irrogaretur. Et quidem sapienti consilio; nam mulieribus ad vetitas libidines sese exornantibus, δειν αφαιρεισθαι τα μαλιστα κοσμουντα ευπρεπειαν, præcipua venustatis lenocinia adimenda esse.

70. III. In Europa. I. Thraces. Tertio, in Europa magis adhuc odiosum semper fuit adulterium, et fornicatio ipsa. Primo, in Thracia, S. Chrysostomus Patriarcha Constantinopolitanus homil. in Ps. 49. *Si*, ait, *videris aliquem eorum qui tecum congregantur fornicantem, et ad sacramenta accedentem, dic ei qui est minister distributionis eorum. Hic est indignus sacramentis, arce profanas manus.* Et homil. 69. in Ioannem: Non est locus hic lupanar, sed Ecclesia. Si membra meretricis habes, abesto ab Ecclesia, ne præsentia tua sordescat.

II. Athenienses. Secundo, Athenis capitalis pœna statuta erat adulteris. Plutarchus in vita Solonis: μοιχον ανελειν τω λαβοντι δεδωκεν; *Solon adulterum interficere deprehendenti permisit.* Deinde, ut auctor est Heraclides Ponticus, noluit ut astringeretur ad alendos parentes is, qui ex meretricibus esset procreatus. Nam nuptiarum decus qui prætereat, profitetur se non liberorum gratia, sed voluptatis, adsciscere mulierem: habetque mercedem suam, neque locum sibi quærendi reliquit de genitis, quibus ipsam reddidit probrosam nativitatem. Alius quoque erat modus adulteros puniendi, quem Cælius lib. 27. cap. 4. refert. Cestreus, ait, est piscis, quem latini mugilem vocant, ita nuncupatus: quia telì modo Atheniensium pœna intret adulteros. Plato lib. 8. de legibus, adulteros vult esse infames, et omnibus civitatum honoribus indignos. Et lib. 9. etiam eum, qui se cum muliere innupta miscuerit, mortis supplicio condemnat. Sancit etiam adulterum impune a viro occidi posse. Et in Phædro, hominem luxuriæ deditum, pecudi similem dicit. Atque in Gorgia, dolium Danaidum.

III. Spartani. Tertio, apud Spartanos adulteri non reperiebantur, si Geradæ credimus. Nam, ut ait Plutarchus in Licurgo: Memoratur dictum Geradæ cuiusdam Spartiatæ ex antiquissimis, qui hospiti sciscitanti quæ esset pœna apud ipsos adulteris constituta, respondit: Adulter, hospes, non invenitur apud nos. Quo subiiciente, Quid si inventus esset? Tum Geradas: Taurum, ait, luit ingentem, qui capite traiecto per montem Taygetum, bibat ex Eurota fluvio. Obstupescente illo ac dicente: Qui existat bos tantus? ridens Geradas: Qui, ait, adulter existat Lacedæmone: ita Plutarchus. In perpetuis scilicet laboribus indurati Spartiatæ, et parvo contenti, mollitie non defluebant.

IV. Cretenses. Quarto, in Creta, ut tradit Ælianus lib. 12. cap. 112. Adulter Gortynæ in civitate Cretæ deprehensus, et in iudicium adductus, criminisque convictus, *lana coronabatur.* Hæc autem coronatio redarguebat eum esse hominem mollem, effœminatum, et mulieribus se ornantem. Et æstimata est ei publice quinquaginta staterum summa: και ατιμοτατος εν, και ουδενος α μετα κοινων, atque ad turpissimam infamiam redacto omnes ad gerendam in Rep. dignitatem viæ intercludebantur.

V. In Italia. 1. Cumæi. Quinto, in Italia, primo Cumæi teste Plutarcho in quæstion. græcis, deprehensam in adulterio mulierem in forum producebant, et in lapide omnibus conspicuo sistebant, deinde asino impositam circa urbem circumducebant, postea rursus in eodem lapide adstare coacta, και το λοιπον ατιμον διατελειν ονοβατιν προσαγορουμενην, infamis per totam habebatur vitam, et vocabatur onobatis, id est quæ supra asinum ascenderat. Lapidem vero ob eam rem, velut pollutum abominabantur. 2. Locrenses. Secundo, Locrensium legislator Zaleucus, ut ait Ælianus lib. 13. variar. histor. cap. 24. iussit, ut adultero deprehenso *uterque oculus effoderetur.* Quæ autem minime expectarat præter spem atque opinionem fortuna quædam ipsi se obtulit. Nam filius eius deprehensus in adulterio, pœnam a paterna lege statutam luere debuit. Ibi ne quod semel omnium sententiis confirmatum erat, irritum fieret, ipse pro altero filii oculo sibi alterum eximi passus est, ut ne prorsus cæcus fieret adolescens. 3. Ferrar. March. Tertio, Ferrariensis Marchio Nicolaus Estensis, filium proprium et uxorem ob incestum capite mulctavit, ut ait Fulgosius lib. 6. cap. 1. 4. Romani. Quarto, Romæ, lege Romuli regis matrona adulterii rea marito cognatisque permissa est, qui illam punire morte poterant, ut Iustus Lipsius in annotat. Tacit. lib. 4. colligit ex Dionysio Halicarnasseo, qui lege regia maritum constitutum ait, κυριον του μεγεθους της τιμωριας, arbitrum magnitudinis pœnæ. Mulier enim iuxta sacratas Romuli leges in manu viri erat, sicut proles in manu patris. Plautius prisco instituto, de capite famaque coniugis, propinquis coram, cognovit, et insontem nuntiavit, ait Tacitus. Si mariti cognatique dissimulabant: aut, ut Livii verbis utar, idoneus in privato supplicii exactor nemo erat: non raro id iudicio publico persequebatur magistratus, et præsertim Ædilis, ac damnatos damnatasque apud populum reperio pecuniaria mulcta, imo exilio interdum. Lex inde Iulia promulgata est, quæ non videtur fuisse capitalis, sed tantum relegatio, quod accidit Ovidio ob adulterium. Postea capitalem fuisse pœnam notat ex Apuleio Cuiacius lib. 6. observation. cap. 11. cui adde Arnob. lib. 4. Adulteria, inquit, legibus vendicant, et capitalibus afficiunt eos pœnis, quos in aliena comprehenderint fœdera genialis se lectuli expugnatione iecisse. Augustus morte aut fuga illos punivit, ait Cornelius Tacito lib. 3. agit autem de iis, qui filiam et neptes eius polluerant. Filiam vero Iuliam et neptes in insulam Pandatariam deportari iussit, mox in oppido Rheginorum includi, licet mariti earum pœnam deprecarentur: neque alio eas nomine dignatus est, quam ut eas vomicas et carcinomata appellaret: moriensque testamento prohibuit, eas sepulcro suo inferri, tamquam earum ossa piaculum corpori suo illatura essent, ut Tacitus et Dio referunt. Claudius Imperator Messalinam uxorem suam adulterii ream trucidavit, ut ait Dio l. 60. pagina 686. Pontius Aufidianus eques Romanus propriam filiam fornicationis convictam necavit, ut testatur Valerius lib. 6. cap. 1. Meduilina virgo Romana patrem suum ad fulminis aram ob incestum sacrificavit, ut docet Aristides lib. 3. Italicorum.

Sexto, in Hispania Tarraconensi, sororem duo fratres occiderunt, quod virginitatem violasset, ut tradit Ludovicus Vives lib. 1. de Christ. fœmina. VI. Hispani.

Septimo, in Francia, Concilium Nannetense cap. 14. sic statuit: *Si vir non habens uxorem adulteravit, aut si qua mulier non habens virum, cum alterius viro: ille qui fœdus violavit coniugii, septem annis, ut supra dictum est, pœniteat: ille qui lege coniugii non tenetur, quinque annis pœniteat.* Et Concilium Leptinense cap. 6. Quisquis, ait, servorum Dei, vel ancillarum Christi, in crimen fornicationis lapsus fuerit, in carcere pœnitentiam faciat in pane et aqua. Etsi ordinatus presbyter sit, duos annos in carcere permaneat, et antea flagellatus et scorticatus videatur, et post Episcopus adaugeat. Si autem clericus vel monachus in hoc peccatum inciderit, post tertiam verberationem in carcerem missus, vertente anno ibi pœnitentiam agat. Similiter et Nonnæ velatæ, eadem pœnitentia contineantur, et radantur omnes capilli capitis earum. Philippus Pulcher rex Franciæ, ut loquitur Paulus Æmil. de rebus gestis Francorum, felixne pater filiis, an nuribus infelix? Omnes illæ probri causam dixere. Ioanna Philippi absoluta, Margarita Ludovici, Blanda Caroli, flagitii convictæ. Adulteri, verendis convulsi, cute nudati, unco tracti, resti tandem suspensi, pœnas insessi nobilissimi thori graves illustresque dedere. Ianitor conscius cervice luit. Margarita in custodia, morbo an (quando variant auctores) anima interclusa defuncta. Blanda in custodiam perpetuam coniecta, alii Blancam nominant. VII. Franci.

VIII. Germani. Octavo, in Germania. Cornelius Tacitus lib. de morib. Germanorum: Paucissima, inquit, in tam numerosa gente adulteria, quorum pœna præsens, et maritis permissa. Accisis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit. Publicatæ enim pudicitiæ nulla venia, non forma, non ætate, non opibus maritum invenerit. Nemo illic vitia ridet: nec corrumpere et corrumpi sæculum vocatur. Melius quidem adhuc eæ civitates, in quibus tantum virgines nubunt, et

cum spe votoque uxoris semel transigitur. Sic unum accipiunt maritum quomodo unum corpus, unamque vitam: ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tamquam meritum, sed tamquam matrimonium ament: ita Tacitus.

IX. Vandali. Nono, in Vandalia. Salvian. lib. 7. de providentia: Addiderunt, inquit, hoc Vandali ad libidinem comprimendam, severas pudicitiæ sanctiones decretorum, gladio impudicitiam coercentes. Passim docet, victos fuisse a barbaris Christianos, quod libidine regiones essent pollutæ, castioresque viverent barbari.

X. Poloni. Decimo, denique in Polonia, cum Boleslaus, qui anno 1038. ad coronam pervenit, in Russia per septennium circiter bellum gessisset, reducem reperisse plerasque uxores cum servis consuevisse. Infantes ille abiici curavit, et uberibus mulierum, quibus viri misericordia pepercerant, catulos admoveri, ut refert Crantzius, lib. 3. Vandal. cap. 12. et Cromerus lib. 4. hist. Polon.

ARTICULUS II.

Patientia in contumeliis et afflictionibus est servanda.

71. Inter amicos, proximos, domesticos, et extraneos inimicos, velut inter fluctus reciprocos, et subsultim hinc et inde impetentes immotus David perstitit, neque mentis robur hac tempestate concuti passus est, ita ut naufragium faceret: sed invicto animo intrepidum pectus periculis obiecit, et patientiam constantiamque tenuit, atque velut rupes inconcussa permansit, v. 14. EGO AUTEM TAMQUAM SURDUS NON AUDIEBAM: ET SICUT MUTUS NON APERIENS OS SUUM. (Vers. 14.)

Vers. 15. Et v. 15. ET FACTUS SUM SICUT HOMO NON AUDIENS: ET NON HABENS IN ORE SUO REDARGUTIONES: id est, vim et potestatem redarguendi et increpandi adversarios, sed qui reum se fateatur, eorum criminum quæ illi obiiciuntur, aut graviorum, quæ considerans ad leviora respondere nolit. Innocent. et S. Cypr. epist. 27. legunt, *increpationes*, q. d. Factus sum sicut homo nihil habens in adversariis meis reprehendendum, in eos nolui calumnias reiicere, aut vera etiam crimina obtrudere, et par pari referro. Sed silui perinde ac si fuissem surdus et mutus.

Davidis patientia mirabilis. Hæc est perfectissima Davidis regis patientia, cum Absalone filio in Hebron rebellante fugit ex urbe regia Ierusalem, et Semei illi occurrens lapides in eum coniiceret ac diceret 2. Reg. 16. 7. *Egredere, egredere vir sanguinum, et vir Belial, reddidit tibi Dominus universum sanguinem domus Saul, quoniam invasisti regnum eius. Sed ecce nunc dedit Dominus regnum in manu Absalon filii tui. Et ecce nunc premunt te mala, quoniam vir sanguinum tu es.* Cum Abisai frater Ioab et Davidis nepos, indignans diceret: Quare maledicit canis hic mortuus domino meo regi? vadam et amputabo caput eius, David qui hactenus tacuerat, rege sancto et pœnitente dignam protulit sententiam: *Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, quærit animam meam: quanto magis nunc filius Iemini? dimittite eum ut maledicat iuxta præceptum Domini.* Nota, psalmum hunc esse scriptum, cum Absalon Davidem persequeretur, ut dixi in tituli explicatione.

72. Patiens perfectus debet esse surdus et mutus. Moraliter nota, ad perfectam patientiam, et prorsus consummatam requiritur, ut simus surdi et muti. Licet enim non exigua sit patientia, cum quis est mutus; id est, non respondet ad sibi obiecta, et ob continuum exercitium patientiæ quodammodo respondere non potest, tamen cor sæpe murmurat, subsultat, indignatur, effervescit, respondet atque convitiatur, dum lingua silet. Sed cum quis surdus etiam est, non modo non regerit calumnias et contumelias, sed ne audit quidem. Itaque illis non tangitur nec læditur, quietum habet cor et lætum. Non audit calumnias formaliter, id est ut calumnias: sed audit eas velut occasionem meriti et gloriæ, atque exultans expandit sinum vestis, ut rosas paradisi hebetatis aut prorsus ablatis spinis colligat. S. Gregor. lib. 5. Moral. *Si mens*, ait, *forti intentione in Deum dirigitur, quidquid in hac vita sibi amarum sit, dulce æstimat: omne quod affligit, requiem putat.* S. Bernardus serm. 85. in Cant. Ad virtutes, ait, spectat, tribulationes fortiter sustinere: ad sapientiam, in tribulationibus gaudere. Conforta cor tuum, et sustine Dominum. Virtutis est gustare et videre, quoniam suavis est Dominus sapientiæ. Philemon in Ecdicazomeno: Ηδιον ουδεν, ουδε μουσικωτερον εστ' η δυνασθαι λοιδορουμενον φερειν: *Nihil est iucundius, et docto viro dignius, quam ferre posse conviciantem.* Et Lucan. *Gaudet patientia duris.* Seneca lib. 4. de virtutibus: Si, ait, magnanimus fueris, nunquam iudicabis tibi contumeliam fieri. Et libro de moribus, libenter feras, quod necesse est, dolor patientia vincetur. Contra vero, Bion dicebat, magnum malum esse, non posse ferre malum: absque hoc enim nulli potest esse vita suavis. Aristippus Philosophus apud Laertium improperia passus a quodam, discessit; cumque eum ille prosequeretur, et diceret: Quid fugis? respondit: *Quia maledicendi tibi potestas est, et mihi non audiendi.* Saul in regem populi Dei electus, et spiritu eius plenus, cum audiret filios Belial, id est viros sceleratos, dicentes 1. Reg. 10. Num salvare nos poterit iste? videretque se ab illis despici, et dona sibi non afferri, dissimulavit se audire. David quoque noster dicit: *Ego autem tamquam surdus non audiebam*, ut, sicut ait S. Ambrosius intentione mentis, vocem loquentis excluderet. S. Isidorus libro de summo bono: Adversus convicium linguæ, ait, fortitudo adhibenda est patientiæ: ut tentatio verbi, quæ foris impugnat, tolerantiæ virtute victa discedat. Arabs in psalmum nostrum perfectam Davidis patientiam ostendit, cum vertit: *Factus sum sicut homo non audiens, et non est reprehensio in corde eius*, q. d. Ne animo quidem iudicat eos esse nefarios et iniustos ac mendaces, a quibus lacessitur: suis tantum sceleribus cogitandis est intentus: de alienis non cogitat, sed omnia velut a Deo parente et iudice immissa recipit. Non modo nihil habet in ore asperitatis, sed ne in corde quidem esse patitur radicem amaritudinis, etiam amarissima et fellea in cor eius iniecta, fiunt suavissima et mellea.

Secundo, si surdus non es ad convicia, saltem sis mutus: *Et sicut mutus non aperiens os suum.* Aliqui muti sunt, quia non audent convicia et contumelias regerere in potentiores se, cum præsentes sunt: sed aperiunt os suum, quia detrahunt absentibus, et ostendunt desiderium nocendi famæ illorum si possent. David vero erat mutus, et non aperiebat os suum, ne vel levissimus sonus, licet inarticulatus asperior erumperet. Claustris opus est ut dentes et lingua cohibeantur, ut fuse dicetur psalm. seq. v. 1. 2. 3. 73. Patiens saltem sit mutus.

Motiva novem sunt, ut cum impetimur dicteriis, sileamus. Primo, quia periculo multorum peccatorum se exponit, qui tunc loquitur. S. Gregor. in psalmum nostrum: *Cum, ait, perfidorum iniuriis impetimur, etiamsi vera dicere possumus, ad contumelias reddendas non erumpamus, ne ministerium correptionis, in arma vertamus furoris.* 74. Silentii in iniuriis motiva novem. I.

Secundo, cogita te peccasse, et dignum esse maiori pœna; sic cessabit ira quæ est appetitus iustæ vindictæ. S. Ambrosius hoc loco: *Cum ipse*, ait, *accusator tuus esse debeas, et coacervare flagitia, teque ipsum offerre supplicio, quomodo negare obiecta desideras? Pœnitentia patientiam quærit, patientia mitigat delicta magna. Quomodo irasceris aliis, tuæ ipse reus conscientiæ? Quomodo commoveris, cum debeas esse miserabilis?* Tum inde sapienter infert: *Qui arguitur, et (quod est amplius) a semetipso, curare debet sua vulnera, non alterum vulnerare. Nemo alium vulnerando se sanat. Medice cura te ipsum. Si medicus, quanto magis reus prius curare se debet? Confiteris peccatum tuum, et medicum te profiteris in alienum? Etsi veritatis est quod retorques, temporis non est. Peccator enim, dixit Deus Ps. 49. Quare tu enarras iustitias meas? Usurpas tibi ut de lege arguas, qui contra legem ipse fecisti.* II.

Tertio, patientia illa tolerandi contumelias, et in illis obmutescendi, auget virtutes. S. Isidorus lib. 2. Soliloq. III.

Magna est virtus, si non lædas, a quo læsus es. Magna est fortitudo, si etiam læsus remittas. Magna est gloria, si cui potuisti nocere, parcas. Lactantius lib. 5. divin. institut. Magna, inquit, et præcipua virtus patientia est, quam pariter et vulgi publicæ voces, et Philosophi, et Oratores summis laudibus concelebrant: quod si negari non potest quin summa virtus sit, necesse est iustum et patientem virum in potestate esse hominis iniusti, ut patientiam capiat. Patientia est enim malorum quæ aut inferuntur, aut accidunt, cum æquanimitate perlatio. Ergo iustus et sapiens, quia virtutem capit, habet in se patientiam, qua carebit omnino si nihil patietur adversi: contra, qui in rebus improsperis impatiens est, virtute maxima caret: ita Lactantius. S. Ambr. in psalm. nostr. Melius est, inquit, dissimulare iniuriam, quam cum redarguis vindicare. Bonus mutus, qui male loqui nescit: cuius ex ore crimen exire non novit. Hic est mutus vere beatus, qui cum tacet, intra se loquitur. Dominus dat mihi linguam eruditionis, ut sciam quando oporteat me dicere sermonem: ita Ambr.

IV. Quarto, patientia illa iucunda est. Sic enim homo redditur invulnerabilis et impassibilis. Iucundum est Herculi lorica et galea tecto imbelles Pygmæorum ictus ac sagittas recipere. Risu etiam tela hostium excipiuntur, cum firmus inter te et illos sit murus. Dum patientiæ murus et arx consistet, e loco superiori et securo hostes contemnes, sicut luna canes latrantes, qui nec lucem, nec cursum, nec efficaces eius influentias impediunt.

V. Quinto, patientia illa utilis est, sive hostes respicias, sive Deum, sive te ipsum. Primo enim citius desinit impugnare. Laertius l. 6. de vitis philosophor. refert, Diogenem iuveni querenti quod a plurimis lacesseretur ac turbaretur: Desine, ait, perturbationis indicia præ te ferre. Cum enim inimici impetant, ut discrucient: desinent, si viderint illum nihil commoveri. S. Laur. Iustin. tract. de ligno vitæ c. 6. *Sicut*, inquit, *nihil est deformius, quam respondere furiosis: ita nihil est utilius, quam tacere nobis provocatis. Nullus est enim finis inimicitiis, nisi ad tempus obtemperemus iratis.* Secundo, Deus exaudit facilius eum qui lacessitus silet. S. Ambros. hic: *Mulier Susanna*, ait, *accusabatur, et tacebat. Ducebatur ad mortem, et silentio se tegebat, ne nudaret pudorem. Intra se tamen loquebatur Deo: qui eam magis audivit tacentem. Quæ si voluisset loqui, forsitan non esset audita. Et tu ergo qui proposuisti satisfacere pro delictis Domino Deo tuo, illi soli interiori corde te purga: illum contuere, qui potest peccata diluere. Adiuvat te, qui putaverit arguendum. Denique cum malediceretur David, et eius dux Abessa* (Abisai) *iniuriam regis vellet ulcisci, dixit ad eum David: Dimitte illum, ut maledicat: quoniam dixit illi Dominus, ut videat humilitatem meam, et retribuat mihi Dominus bona pro maledicto hoc. Vides igitur quod a conviciantibus adiuveris, ut Dominus audiat te, et peccatum tuum remittat.* Prov. 20. v. 22. ait Salomon: *Ne dicas: reddam malum: expecta Dominum, et liberabit te.* Septuaginta vertunt: Ne dixeris, ulciscar inimicum. Eccli. 1. v. 29. *Usque in tempus sustinebit patiens, et postea redditio iucunditatis.* Isa. 30. v. 15. *In silentio et spe erit fortitudo vestra.* Thren. 3. v. 26. *Bonum est præstolari cum silentio et spe salutare Dei*, id est, salutem et salvationem a Deo. Tertio, animam tuam ornas virtutibus, ut supra est dictum.

VI. Sexto, patientia calumnias et iniurias tolerantis honesta est et gloriosa: Primo quidem, quia vincit ipsam contumeliam, calumniam, et iniuriam. S. Greg. l. 30. Moral. Gloriosius est, ait, iniuriam tacendo fugere, quam respondendo superare: et si servus convicium dicat, iustus taceat: et si infirmus iniuriam faciat, iustus sufferat: et si pauper criminetur, iustus non respondeat: ita Gregor. Secundo, vincit ipsum contumeliosum. S. Chrysost. in Matth. 81. vindicare vis, sile, et funestam ei plagam intulisti. Seneca lib. 4. de virtutibus: De inimico dices, inquit, non nocuit mihi, sed animum nocendi habuit; et cum illum in potestate tua videris, vindictam putabis, vindicare potuisse. Scito enim, magnum et honestum vindictæ

A esse genus, ignoscere. Tertio, patiens vincit seipsum quæ victoria est gloriosissima. Prov. 16. v. 32. *Melior est patiens* (Septuaginta, longanimis) *viro forti: et qui dominatur animo suo expugnatore urbium.* S. Chrysost. homil. 85. in Matth. *In bellis ostensio belli est, similes occiderit: illa fulgentissima victoria est, qua inferentem iniurias patiendo superasti.* Affert exemplum Iosephi fratres et Ægyptiam mulierem patientia vincentis. S. Ambrosius in illud Psal. 118. *Anima mea in manibus meis semper*, victoriam hominis in seipsum sic declarat: *Quicumque proprium corpus subegerit, nec ab ira et aliis passionibus turbari animam suam rector sui congrua vi permiserit, is bene regia quadam potestate se cohibens, rex dicitur, quod regere se noverit, et arbiter sui iuris sit, nec captivus trahatur in culpam.* Quarto, patiens vincit adstantes, et audientes ac videntes mentis fortitudinem: sicut accidit in Iaponia, ubi prima ad fidem conversio facta est, cum S. Francisci Xaver. socius contumeliis appetitus, et inter concionandum sputo conviciantis in facie illitus, siluit,
B et sputum hilari ac sereno vultu abstersit. Quinto denique, patiens vincit Deum, ut condonet et exaudiat. S Ignatius apud Antonium in Melissa, parte 2. cap. 89. *Firmiter*, ait, *dum cæderis, quasi incus stato. Generosi athletæ est cædi et vincere: maxime autem propter Deum omnia nobis patienda sunt, ut ipse nos patiatur. Patienter alii alios cum mansuetudine patimini, ut semper Deus nos leniter ferat.*

Septimo, patientia martyres facit. S. Gregor. nos sine ferro et flamma martyres esse possumus, si patientiam in animo veraciter custodimus. VII.

Octavo, patientia obmutescentis ad iniurias prodest adversario, 1. quia non tam graviter peccat. Responsio enim mollis frangit iram, sed silentium eam penitus extinguit; 2. facilius ad mentem redit, et culpam agnoscit: *Qui recte arguit*, ait Origenes, *impassibiliter debet arguere, ut salutem expetat eius qui arguitur, non vindictam.* Illa autem impassibilitas vix haberi potest dum inimicus VIII.
C nos aggreditur.

Nono denique, patientia in iniuria silens imitatur Christum in passione. S. Martialis primus Episcopus Lemovicensis, epistola ad Tolosanos, si tamen illius, et non potius alterius est auctoris: *Audistis*, inquit, *exemplum a me patientiæ ipsius, cui cum malediceretur, non maledixit: qui, sicut agnus innocens, ante tribunal corruptibilis iudicis se iudicari permisit. Nam et discipulo suo, a quo tradendum se noverat, dulcedine suæ bonitatis, nobis trementibus et intuentibus sævitiam eorum, qui cum comprehendere venerunt, osculum dedit.* IX.

Allegorice enim locus hic de Christo silente in passione intelligitur: ita S. Ambrosius, Augustinus, Gregorius et alii. Tacebat autem Iesus coram Caipha, Herode, Pilato et aliis. Primo, quia superfluam videbat suam responsionem: ita Euthymius. Secundo, quia non egebat defensione. S. Ambrosius serm. 49. *Bene tacet*, inquit, *qui defensione non indiget. Ambiat defendi, qui timet superari: festinet loqui, qui timet vinci. Christus autem cum con-*
D *demnatur, superat: cum iudicatur, vincit. Quid opus erat ei loqui ante iudicium, cui ipsum iudicium erat plena victoria? Vincit cum iudicatur Christus, quia sic innocens approbatur. Unde ait Pilatus Matth.* 27. v. 24. *Innocens ego sum a sanguine iusti huius.* Tertio, Christus tacet ne crimen diluens dimittatur a præside, et crucis utilitas differatur: ita S. Hieronym. in Evangel. Quarto denique, Christus tacet in tormentis, ut det exemplum patientiæ martyribus, et aliis. S. August. in Ps. 131. *Rex noster*, inquit, *mansuetudine vicit diabolum. Sæviebat ille, iste sufferebat. Victus est qui sæviebat: vicit qui sufferebat. In ista mansuetudine Ecclesia vincit inimicos.* Ἰησοῦς per anagramma est σὺ ἡ οἶς, *tu es ovis.* Et Isa. 53. v. 7. ait: *Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum.* Vult suos Apostolos et discipulos esse sicut oves in medio luporum, Matt. 10. v. 16. Ibi coronam suam reperiunt, et animam possident

75. Allegor.

in patientia. S. Lidwina virgo Hollandica magnæ sanctitatis, iniuriis, sputis et maledictis appetita, benedictiones et beneficia referebat, dicens: *Illis ego debere me fateor, qui viam mandatorum Dei, quorum plenitudo dilectio est, me currere compellunt.* Vidit eadem sancta virgo in extasi coronam pretiosissimam, necdum tamen orbe perfecte absoluto. Rediens ad se, petiit pati pro Christo, ut coronam absolveret. Mox in ducis Philippi apud Hollandos inauguratione, milites eius Sanctam adierunt, vexaruntque mire et indignis modis, vulnera vulneribus cumularunt, addiderunt convicia, vocantes eam bestiam, prostibulum, voracem, etc. Angelus deinde ad eam venit instar solis splendidus, aitque ad eam: *Salve charissima soror. Ecce nunc absoluta est corona, quam nuper imperfectam vidisti. Propter inverecundos tactus virorum illorum, noveris te positam fuisse in vestigiis Salvatoris. Ludibria et vulnera corpori tuo imposita, fuere gemmæ, quas in illa corona et adesse vidisti et deesse.* S. Greg. hom. 35. in Evangelia ait, quod S. Stefanus Abbas tantæ erat patientiæ, ut eum sibi amicum crederet, qui sibi molestiæ aliquid irrogasset. Reddebat contumeliis gratias. Si quod in ipsa sua inopia damnum fuisset illatum, hoc maximum lucrum putabat. Omnes suos adversarios nihil aliud quam adiutores æstimabat.

76. *Patientiæ quatuor motiva.* Restat ut patientiæ motiva videamus. Quatuor hic a Propheta ponuntur: Primo, a spe in Deum, qua voluntatem suam Deo David consecrat, ab eoque solo expectat auxilium, v. 16. *Quoniam in te speravi Domine, tu exaudies me, Domine Deus meus.* Secundo, a iudicio, quo intellectus agnoscit ultionem, futuram potius ruinæ quam solatii causam, v. 17. *Quia dixi* (id est, apud me indicavi et consideravi) *ne quando supergaudeant mihi inimici mei, et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.* Tertio, a corporis sui consecratione, secundum Dei beneplacitum, vers. 18. *Quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper.* Quarto, ab memoria præteritorum peccatorum, v. 19. *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo.*

Vers. 16. Primo itaque, dicit se veluti surdum et mutum perstitisse in mediis contumeliis, quia in Deo speravit, v. 16. QUONIAM IN TE DOMINE SPERAVI. Quod scilicet, TU EXAUDIES ME, DOMINE DEUS MEUS, clamantem et petentem liberari de potestate insultantium mihi, quod contigit Achitophele suspenso, fuso exercitu rebellium, Absalone transfosso lanceis Ioab.

77. *Spes in Deum afflictione probatur.* Moral. nota, primo spes in Deum afflictione probatur. S. Gregor. lib. 11. Moral. Nunquam, ait, est patientiæ virtus in prosperis. Ille autem vere patiens est, qui et adversis conteritur, et tamen a spei suæ rectitudine non curvatur. Secundo, spes in Deum afflictione augetur. S. Gregor. hoc loco: *Quemadmodum*, ait, *carnem mollia nutriunt, ita animam dura sustollunt. Illa namque delectationibus pascitur, hæc amaritudinibus vegetatur. Denique illam lenia refovent, istam vero aspera exercent. Et rursum, sicut carnem dura convulnerant, ita spiritum mollia necant. Et sicut carnem laboriosa attenuant, ita spiritum delectabilia angustant. Nos ergo quanto graviora in hoc mundo tentamenta perferimus, tanto spei nostræ anchoram in Deo immobiliter figimus, ut dicere veraciter cum capite nostro possimus: Quoniam in te Domine speravi.* Tertio, spes in Deum lætitiam parit in ipsa afflictione. S. August. serm. de patientia. *Ne indignemini, fratres*, inquit, *si in mundo mali florent, et vos adversa patimini, quia non est Christianæ religionis in temporalibus exaltari, sed potius deprimi. Mali enim nihil habent in cælo, et vos nihil habere debetis in terra: sed spe illius boni ad quod tenditis, quidquid in via contingit, gaudere debetis.*

78. *Vers. 17. Patientia dat victoriam.* Secundo, David surdi instar et muti non respondit lacessenti se hosti, quia iudicabat hanc patientiam sibi profuturam ad hostem vincendum, vers. 17. QUIA DIXI (in mente) NE QUANDO SUPERGAUDEANT MIHI INIMICI MEI, (S. Hieron. ne forte insultent mihi. Noster significantius vertit, *supergaudeant*, victores scilicet) ET (τὸ *et* ibi est encliticum, nihilque significat, nec habetur in Hebræo) DUM COMMOVENTUR PEDES MEI (fugiendo e Ierusalem ob rebellionem Absalonis in Hebron) SUPER ME MAGNA LOCUTI SUNT, 1. me irridentes quod fugissem; 2. regnum mihi eripere volentes; 3. relictum me prope ab omnibus contemnentes, et facile se victuros iactantes; 4. morti me, velut patriæ luem, destinantes. Quid facerent victores, qui ante pugnam ita insaniebant?

Moraliter nota, patientia in ferendis contumeliis et iniuriis iuvat ad gloriam et victoriam. Hoc patuit in Iosepho, qui factus est princeps in Ægypto, ob patientiam suam. Generatim dicit S. Gregor. in psalm. nostr. *Habet fidelis anima inimicos suos in hac vita: habet qui contra eam interius dimicent: habet etiam qui eam extrinsecus impugnent. Sed super eam inimici gaudere non valent: quia consilii spiritu et fortitudinis repleta, et suggestiones diabolicas abdicat, et rabiem persequentium calcat.* Syriaca versio hoc complectitur: sic enim habet: Dixi, quod non gaudebunt de me, nec sese attollent super me in vacillatione pedum meorum.

79. *Vers. 18.* Tertio, David surdi instar et muti non respondit lacessenti se hosti, quia mortificationis verum desiderium habebat, v. 18. QUONIAM EGO IN FLAGELLA PARATUS SUM, ET DOLOR MEUS (id est obiectum doloris mei, res quæ mihi dolorem parit. Est metonymia. Intelligit autem Tuccius in Cantic. de ipsis flagellis; 2. et melius, sume de peccatis) IN CONSPECTU MEO SEMPER, q. d. David, semper ante oculos mihi obversantur peccata mea, velut monstra et furiæ omnibus plagis dignæ: ita S. Petrus, S. Maria Magdalena, S. Maria Ægyptiaca, S. Thais, ii de quibus S. Climacus grad. . . semper ob oculos sibi proposita habebant peccata, quæ lacrymas excuterent, et ad pœnitentiam impellerent. Vide dicta Ps. 50. 5. Flagellatio notat satisfactionem; 2. dolor contritionem; 3. iniquitatis annuntiatio confessionem; 4. cogitatio de peccato diligentem peccatorum inquisitionem. Unde additur v. 19. *Vers. 19.* QUONIAM INIQUITATEM MEAM ANNUNTIABO (Cassiodor. *pronuntiabo*. Clara scilicet ac sonora voce, ita ut ab omnibus audiatur) ET COGITABO (S. Hieron. sollicitus. S. August. curam geram) PRO PECCATO MEO, id est primo, de peccato meo, q. d. Peccata mea erunt obiectum cogitationis meæ, eorum non obliviscar. Secundo, pro peccato meo cavendo in posterum, q. d. Providebo, ne relabar in peccata mea. Tertio denique, et melius, q. d. Cogitabo quomodo vulnus mihi a peccato meo inflictum magis ac magis sanem. S. Aug. hunc sensum habet: *Quid est, ait, curam gere pro peccato tuo? Curam gere pro vulnere tuo. Si diceres curam geram pro vulnere meo, quid intelligeretur nisi dabo operam ut sanetur? Hoc est enim curam gerere pro delicto, semper niti, semper intendere, semper studiose et sedulo agere, ut sanes peccatum. Ecce de die in diem plangis peccatum tuum, sed forte lacrymæ currunt, et manus cessant. Fiant eleemosynæ, redimantur peccata, gaudeat indigens de dato tuo, ut et tu gaudeas de dato Dei. Eget ille, eges et tu: eget ille ad te, eges et tu ad Deum. Tu contemnis egentem tui, Deus non contemnit egentem sui. Ergo impleto tu egentis inopiam, ut impleat Deus interiora tua. Hoc est, curam geram pro peccato meo, faciam omnia quæcumque facienda sunt, ad abluendum et sanandum peccatum meum.* *Peccatum est vulnus.*

80. *Versionum varietas.* Nota, pro *flagella* Hebraice est צלע *tsela*, id est, 1. latus; 2. claudicatio; 3. contritio; 4. plaga; 5. interitus; 6. flagellum. Unde primo verti potest: *Quoniam in latus paratus sum*, ut scilicet lateribus nudatis flagello excipiar, velut servus fugitivus. Hic sensus placet, et versionem nostram cum Hebræo concordare ostendit. Secundo, R. David, et R. Abraham Aben-Ezra vertunt, *Ego ad claudicationem paratus sum*, q. d. Paratus sum tot ac tantis flagellis excipi, ut ob vulnera accepta cogar claudicare. Tertio, Chaldæus reddit, *Ego ad contritionem paratus sum.* Quarto, *Ego ad plagas paratus sum:* ita S. Hieron. Quinto, *Ego ad interitum paratus sum:* ita Felix.

Sexto denique optime et clarissime Septuag. Noster, Apellin. Flamin. S. August. *Ego in flagella paratus sum.*

81. Flagella sunt calamitates. Quæres, quæ sint illa flagella, a quo et cur ad illa sit David paratus? Respond. per ea flagella intelligi omnes afflictiones et calamitates a Deo immissas aut permissas. Secundo, paratus erat David ad ea flagella, 1. ab hostibus suis Absalone, Achitophele et aliis, qui ea illi infligere dudum meditabantur; 2. ad ea paratus erat a Deo, qui eum posuerat veluti signum ad sagittam, in quod sua tela et verborum et operum omnes intorquerent; 3. ad illa excipienda et patienter toleranda erat paratus a seipso, id est lubens se ac volens ad ea offerebat, a Deo unius sive iudicis ot vindicis, sive parentis optimi voluntate pendere expetens: quod declaravit fugiens e Ierusalem urbe regia, quando Absalon in Hebron est rex acclamatus, cum enim Sadoc Pontifex Arcam ad eum detulisset, ut Deus comes esset et præses itineris, ait 2. Reg. 15. v. 25. *Reporta arcam Dei in urbem: si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, et ostendet mihi eam, et tabernaculum suum: si autem dixerit mihi, Non places, præsto sum faciat quod bonum est coram se.*

82. Ad flagella parare nos debemus, ob sex causas. Tertio, causæ variæ sunt, ob quas præparare nos debeamus ad flagella Dei. Primo, quia ad illa paratis minus sunt molesta, et sæpe per longam præparationem et meditationem dulcia evadunt. Secundo, quia flagella excutiunt pulverem peccatorum præteritorum, et animæ faciunt puritatem. S. August. hic: *Flagellum medicamentum est contra peccata.* Tertio, flagella impediunt, ne dæmon in animam intret, timent enim flagella, sic peccata futura evitantur. S. Gregor. hoc loco: *Sancti viri,* ait, *in hac vita flagellari desiderant, ut flagellis correcti, et imminentes culpas videant, et commissas ante oculos ponant. Sæpe enim delinquentes oculos flagella aperiunt, quos inter vitia insolentiæ et securitatis tenebræ concludunt. Sæpe torpentis animus persecutionibus tangitur, ut excitetur: quatenus qui statum suæ rectitudinis per securitatem perdidit, in afflictione consideret quo pervenit.*

4. Quarto, flagella impediunt, ne errabunda ovis in præcipitium cadat, et ad inferos devolvatur. S. Ambros. in psalmum nostr. *Castigat Dominus omnem filium quem recipit. Si servulum tuum videas peccata propria confitentem ultro offerre se pœnæ: inflecteris, ignoscis, et de Domini miseratione diffidis? Iudex ipse cui non licet plurimis causis a gladio temperare, quia legibus servit: potest tamen lucrum donare pœnarum: et tu adhuc trepidas, qui a legum Domino et misericordiæ auctore deposcas: cui lex voluntas est, et donandi ius? Si tamen tu petas tibi tua peccata donari, nec consideres honores tuos, aut erubescas amicos tuos, ne dignitatem tuam deflexisse videaris. Amicus Dei, propheta Dei: rex ab ipso electus Deo, unctus in regnum flagellis se spontaneus offerebat, nec erubescebat: et tu erubescis? Non multum ista verecundia tibi opitulabitur cum ad iudicium Dei veneris, sed pudoris te istius pœnitebit, cum in conspectu non solum hominum, sed etiam Angelorum et omnium potestatum cælestium constitutus, cœperis peccata propria non negare. Quomodo excusabis, cum tanta commiseris? Prætendes conditionis infirmitatem, quia nemo sine peccato. Respondebitur tibi: Debuisti ergo agere pœnitentiam. Dederam remedium, cur refutasti? Subtexes pudorem, quod honores tuos erubueris. Dicet: Si tu erubuisti me coram amicis tuis, et ego te erubescam coram Patre meo qui est in cælis:* ita Ambr. Vide etiam Origen.

5. Quinto, flagella Dei efficiunt, ut a via non aberremus, sed in terram promissionis, et in paternam domum ad hæreditatem veniamus, fugati a porcorum contubernio. S. Augustin. hic: *Si flagellat me pater meus, in flagella paratus sum, quia mihi hæreditas præparatur. Non vis flagellum? non tibi datur hæreditas.* Hoc patuit in divite epulone, cui dixit Abraham, Luc. 16. v. 25. *Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Narratur, quod, cum S. Ambros. apud quemdam divertisset ex itinere, isque se ob res semper prosperas efferret, et

A nulla se adversa hactenus pertulisse iactaret, illico inde abiverit, ac brevi post domus habitatores ruina sua oppresserit, et hiatu terræ absorpta sit, ibidem succrescente lacu, tanti prodigii perpetuo monumento: ita S. Thomas hoc loco, et S. Antoninus 2. p. hist. tit. 10. c. 5. sess. 2.

Sexto, flagella efficiunt, ut corpus et animus robur maius acquirant, atque virtutes augeantur. Hinc Sancti nullum flagelli genus recusarunt. Primo, notabile est, quod David noster nihil hic excipit, ait enim: *Ego in flagella paratus sum.* Quod S. Ambros. sic meditatur: *Elegisse,* inquit, *lego sanctum David flagelli genus, quod æquanimiter sustineret. Sed elegit, quia de tribus ei conditionibus eligendæ unius necessitas mandabatur. Ubi autem non mandatur, ad omnia paratus est Dei servulus: seu corporalem ægritudinem subeat, seu fugam a facie inimici: sive obitum filiorum, quos non timet prætermittere, quia recipere potest imperterritus.* Secundo, illustre est, licet non imitandum, quod habet Surius tom. 3. die 13. Iunii in vita S. Antonii Ulyssiponens. seu Paduani dicti. 32. 6.

B Paduanus quidam, ait, viro Dei confitens peccata sua, inter alia exposuit ei, quod matrem suam tanta vi trusisset pede, ut illa compulsa fuerit cadere. Id audiens vir sanctus, omnis malitiæ hostis capitalis, cum quodam spiritus fervore dixit: *Pes quo pater aut mater percutitur, merito quamprimum deberet amputari.* Quod ille homo simplex perperam accipiens illico domum abit, et pedem amputat. Mox per omnium ora volitat crudele facinus, et ad virum Dei refertur, qui absque mora adit hominem, et post oblatas Deo preces, Crucis signo expresso, inungit pedem tibiæ, et aliquamdiu linit sacris manibus suis. Confestim surgit homo incolumis et exiliens, et laudans Deum, et ingentes agens gratias servo eius fideli Antonio. Tertio, illustrius adhuc est, quod refert Cæsarius Heisterbacensis Ordinis Cisterciensis lib. 6. ubi agit de simplicitate, cap. 35. Cum sacerdos quidam multis præsentibus sermonem haberet de peccatis, et de pœnis gehennæ, mulier quædam verba eius interrumpens, eo quod territa esset et compuncta, sic ait: O Domine, quid fiet

C de concubinis sacerdotum? Ille sciens fœminam valde simplicis esse naturæ, in ioco respondit: Nunquam poterunt salvari, nisi clibanum ardentem ingrediantur: erat et ipsa sacerdotis concubina. Quæ verbum serio suscipiens, dum die quadam clibanus coquendis panibus succenderetur, et ipsa adesset, casu omnibus egressis, ostium clausit, et, ut flammas evaderet æternas, seipsam in caminum ardentem præcipitans, flammis excepta spiritum exhalavit. In ipsa hora hi, qui circa domum fuerant, contemplati sunt columbam candidissimam de ore fornacis exire, et cum multa claritate cæli secreta penetrare. Obstupefacti ob visionem, effractis foribus ingressi sunt, et fœminam semiustam atque extinctam extrahentes, ad verbum prædicti sacerdotis, tamquam proprii corporis interfectricem, in campo sepelierunt. Ut autem Deus ostenderet mortem tam simpliciter illatam, non fuisse ex malitia, sed ex obedientia, noctibus candelis ardentibus, videntibus multis, tumulum eius illustravit.

D Allegorice, Christus dicit: *Ego autem in flagella paratus sum.* Item apud Isaiam cap. 50. v. 6. *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus.* S. Ambr. lib. de Incarnatione Dominic. Sacram. cap. 5. et Sept. habent: *Dorsum meum dedi in flagella, et maxillas meas in palmas.* 83. Allegor.

Quæritur Primo, cur Pilatus Christum ad flagella damnaverit? Resp. primo, quia eum liberare cupiebat, et furorem Iudæorum hoc spectaculo satiare: ita S. Cyrill. et S. August. secundo, quia sancitum erat Romanis legibus, ut crucifigendi prius flagellarentur: ita S. Hieron. Flagellari vero Christus voluit, 1. ut amorem erga nos summ declararet, qui tanta et tam insolita pro nobis pati voluerit; 2. ut horrorem nobis peccatorum, præsertim carnalium, ingeneraret, pro quibus ita satisfecisset; 3. ut nos ad mortificationem carnis nostræ incitaret; 4. ut solatio esset martyribus, aliisque tanta passio Salvatoris. Cur Christus flagellatus?

An bis. Secundo quæritur, an Christus fuerit bis flagellatus. Resp. primo, bis fuisse flagellatum: nempe ante et post sententiam latam: primo, ex crudelitate; secundo, ex lege id iubente: ita Gerson in Monotessaro, et Arias Montanus in Scholiis. Resp. secundo, probabilius est tantum semel fuisse flagellatum: quia legi abunde satisfaciebat tam atrox Christi verberatio.

An columnæ alligatus. Tertio quæritur, an columnæ alligatus, an humi prostratus sit flagellatus Christus? Respond. fuisse columnæ alligatum: ita S. Hieron. Beda et alii. Et quidem Beda libro de Locis sanctis sic ait: In superiori montis Sion planitie, monachorum cellulæ frequentes Ecclesiam magnam circumdant, illic ut perhibent ab Apostolis fundatam: eo quod ibi Spiritum sanctum acceperint, ibique S. Maria obierit: in qua etiam locus cœnæ Domini ostenditur: sed et columna marmorea in medio stat Ecclesiæ: cui adhærens Dominus flagellatus est, etc. S. Hieron. in epitaphio Paulæ, ait illa columna sustentatam fuisse porticum illius Ecclesiæ. Marianus in scholiis epitaphii, ait eiusdem co-B lumnæ partem ostendi in templo S. Praxedis. Dices, Deuteron. 25. v. 2. præcipit Deus: *Sin autem eum qui peccavit, dignum viderint plagis, prosternent* (illum iudices) *et coram se facient verberari.* Resp. lege Romana, a iudice Romano, et militibus Romanis fuisse Christum verberatum, non lege Iudaica.

Quot plagæ inflictæ? Quarto quæritur, quot plagæ sint Christo inflictæ? Resp. primo, certum non esse numerum; secundo, plagas fuisse plurimas; tertio, S. Birgittæ revelatum fertur, Christo fuisse inflicta vulnera quinquies mille, quadraginta et septuaginta quinque. Plerique ponunt circiter quinquies mille. S. Vincentius sermone de Christi passione scribit, corporis ossa ex medicorum sententia esse 276. Christum vero ita flagellatum, ut cuilibet ossi triplex verberum ictus responderet.

Quo genere flagellorum? Quinto quæritur, quibus flagellis Christus fuerit verberatus? Respondet S. Vincentius, a planta pedis usque ad verticem fuisse flagellatum: idque 1. spinis et vepribus acutissimis; 2. flagellis aculeatis; 3. catenis hamatis. Unde dicit, quod Eusebius et S. Chrysost. super illa verba Isaiæ 53. *Disciplina pacis nostræ super eum*, aiunt, quod ista disciplina fuit triplex: dura, quia virgis et spinis: durior, quia flagellis nodatis: durissima, quia catenis ferreis Christus fuit cæsus.

An ab ipso Pilato? Sexto quæritur, an Pilatus propriis manibus Christum verberarit? Respond. Beda affirmative, quia dicitur Ioannis 19. v. 1. *Apprehendit Pilatus Iesum, et flagellavit.* Sed dico id esse improbabile: quomodo enim totius Iudææ Præses se ad tam vile ministerium deiecisset? Hoc autem dicitur fecisse, quia per milites suos fecit, quorum multa paria Christum verberarunt.

An Deipara flagellationi adfuerit? Septimo denique quæritur, an beata Virgo adfuerit flagellationi? Resp. S. Birgitta lib. 1. Revelation. cap. 10. hoc sibi fuisse revelatum: ita Barrad. noster t. 4. lib. 7. cap. 6. ubi ait etiam, Theatrum mundi totius fuisse Pilati domum, spectaculum in ea proponi toti mundo, omnibus Angelis et hominibus. Rupertus ait loco. 19. *Spectaculum grande mundo, Angelis, et hominibus, ut a servis pec-*D *cati princeps libertatis servilibus modis cæderetur.*

Restat itaque, ut S. August. audiamus serm. 114. de tempore: *Perpende*, ait, *qui talem pro nobis dedit pecuniam, (scilicet sanguinem suum, et vitam, imo totum Deum) qualem a nobis sit exacturus usuram. Corpus meum, ait, dedi percutientibus, etc. Agnosce homo, quantum valeas, et quantum debeas, dum tantam redemptionis tuæ perspicis dignitatem, ipse tibi indicito peccati pudorem. Ecce pro impio pietas flagellatur: pro stulto, sapientia illuditur: pro mendace, veritas necatur: damnatur iustitia, pro iniquo: misericordia affligitur, pro crudeli: pro misero, repletur sinceritas aceto: inebriatur felle dulcedo, addicitur innocentia pro reo; moritur vita pro mortuo.*

84. Sancti se flagellis conciderunt. Quam ferventer Christum imitati sint Sancti, etiam pontifices, reges et principes, voluntariis flagellis in seipsos sævientes, vide Ps. 34. v. 15. in illud: *Congregata sunt super me flagella.* Et præsertim Ps. 128. 3. in illud: A *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.*

Et flagella sibi inflicta patienter pertulerunt. Martyres præsertim singuli dicebant: *Ego autem in flagella paratus sum*, et mira patientia et alacritate ad Deum se in tormentis convertebant. Primo, de sanctis martyribus Acindyno, Pegasio, Anempodisto, Aphtonio, Elpidephoro, dicit Simeon Metaphrastes, die 2. Novembris: *Cum totam mentem ad Deum sustulissent, ita affecti erant cum virgis cæderentur perinde ac si patientibus aliis, ipsi adessent spectatores. Propterea plagas quidem negligebant: conveniens autem canticum ad Deum psallebant, dicentes ex Ps. 34. v. 22. Domine ne sileas; Domine, ne discedas a nobis.* Ex igne, craticulis ferreis candentibus, lebete stylis confixo, aliisque tormentis, illæsi evaserunt, tandem in fornace ardenti se in holocaustum Deo obtulerunt. I. S. Acyndynus, etc.

Secundo, S. Thyrsum quidam iuvenes, mente crudeles, manu valentes, ante idolorum imagines virgis conscindebant. Ille vero *tamquam in somnis ea patiens*, ad ea quæ erant molesta et aspera, nihil se convertebat: sed ad verum Deum suam transmittens cogitationem, qui et abyssos exsiccat, et montes solo aspectu liquefacit, dicebat: Veniat manus tua super me, Domine: et ne procul abesse velis auxilium tuum a me, ad defensionem meam conspice: non confundar, quoniam invocavi te. Repente horribilis strepitus in urbe auditus est, iudex acutissimis doloribus compungi cœpit, tortoribus vis ablata est, idola corruerunt: ita Simeon Metaph. 14. Decembris, in Actis eius cap. 20. II. S. Thyrsus.

Tertio, S. Severianus cum crudis nervis laceraretur, clamabat ingeminans illud Psal. 128. 3. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam.* Plagas suas ducebat esse incitamentum ad Christi dilectionem. Cum latera eius lacerarentur, dicebat: *Unam hanc plagam gravem existimo, quæ me a Christo disiungit. Sunt vero hæ omnes mihi potius voluptati. Me enim ab iis, quæ sunt in terra, separantes, soli Christo coniungunt:* ita idem Metaphr. 9. Sept. cap. 3. et 8. III. S. Severianus.

C Quarto, S. Bacchus a quatuor tortoribus extensus, boum nervis crudeliter cædebatur. Sed licebat videre mentem longe natura fortiorem, et animi institutum vi quavis corporis excelsius. Nam sanctissimi quidem illius corporis partes avulsæ flagellis, disiiciebantur in ipsum aerem, per terram autem ferebantur rivi sanguinis, et viscera quidem nudabantur carnibus, ipsius naturæ formationem aperientia iis qui aderant: anima autem, quæ ipsa quoque athletam festinabat relinquere, sustinebat tamen, etiam plura requirens supplicia, ut omnino munificentiora assequeretur bravia. Lætabantur Angeli, videntes admirabilem martyris constantiam. Cruciabantur dæmones, quod parta de eis victoria, in conspectu omnium quodammodo duceretur in triumphum. Lictores fessi, humi accumbebant. Martyrem autem videns, dixisses eum ita esse affectum, ut non tam flagris cæsus, quam *vernis floribus conspersus* videretur: ita idem auctor. 7. Octobr. cap. 13. Feris obiectum eius corpus ab iis post mortem non est læsum: sed eum ad sepulcrum deferretur, illud sequebantur fungentes munere satellitum. IV. S. Bacchus.

Quinto, Lysias Præses dixit: Ad virgas Claudius aptetur: non enim alia via poterit eius insania domari. Claudius ait: Etiamsi his graviora adhibeas tormenta, *me quidem prorsus nihil lædis*, tuæ vero animæ æterni ignis supplicia paras. Tum Præses iussit eum in eculeo suspendi, et eius pedibus flammas admoveri: particulas quoque ex eius calcaneis præcisas illi offerri. Claudius ait: *Qui timent Deum, nec ignibus, nec ullis tormentorum pœnis possunt lædi:* imo vero cedent hæc eis ad salutem sempiternam, quod propter Christum ea patiantur. Præses ait: Testis asperrimis eius latera radite, et candelas ardentes applicate. Quod cum fieret, Claudius ait: Ignis tuus et tormenta tua salvam faciunt animam meam: *Quæ enim patior propter Deum, in magno lucro ponenda mihi sunt: atque adeo mors ipsa, Christi causa tolerata divitiæ putanda.* Cum S. Claudii frater Asterius productus esset, et Lysiæ minas et idola contemneret, Lysias ait: Ungulas V. S. Claudius. Et S. Asterius.

ferreas capessite, atque pedibus eius colligatis fortiter eum torquete, ut sentiat et corporis et animi cruciatus. Asterius ait: Stulte et insane, quam ob causam ita me excrucias, nec cogitas, quid pro his recepturus sis a Domino? Lysias dicit: Carbones ardentes pedibus eius substernite, virgis et nervis durissimis dorsum et ventrem eius conscindite. Id cum factum esset, Asterius ait: Tu quidem plane cæcus es, sed *ego hoc abs te peto, ut nullam corporis mei partem, vulneris expertem esse sinas.* Surius 23. Augusti ex eorum Actis: Hæc meditare, et ardorem excita pro Christo patiendi, ut cum Paulo possis dicere ad Galat. 6. v. 17. *De cætero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata* (plagas et cicatrices ex verberibus et vulneribus) *Domini Iesu in corpore meo porto.*

PSALMUS TRIGESIMUS OCTAVUS.

1. In finem, ipsi Idithun, Canticum David.

2. Dixi, custodiam vias meas: ut non delinquam in lingua mea.
Posui ori meo custodiam: cum consisteret peccator adversum me.
3. Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis, et dolor meus renovatus est.
4. Concaluit cor meum intra me: et in meditatione mea exardescet ignis.
5. Locutus sum in lingua mea: notum fac mihi Domine finem meum.
Et numerum dierum meorum quis est: ut sciam quid desit mihi.
6. Ecce mensurabiles posuisti dies meos: et substantia mea tamquam nihilum ante te.
Verumtamen universa vanitas: omnis homo vivens.
7. Verumtamen in imagine pertransit homo: sed et frustra conturbatur.
Thesaurizat: et ignorat cui congregabit ea.
8. Et nunc quæ est expectatio mea? nonne Dominus? et substantia mea apud te est.
9. Ab omnibus iniquitatibus meis erue me: opprobrium insipienti dedisti me.
10. Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti: amove a me plagas tuas.
11. A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus: propter iniquitatem corripuisti hominem.
12. Et tabescere fecisti sicut araneam animam eius: verumtamen vane conturbatur omnis homo.
13. Exaudi orationem meam Domine, et deprecationem meam: auribus percipe lacrymas meas.
Ne sileas, quoniam advena ego sum apud te et peregrinus: sicut omnes patres mei.
14. Remitte mihi, ut refrigerer priusquam abeam et amplius non ero.

PSALMI TRIGESIMI OCTAVI ANALYSIS.

David a Semei maledictis et lapidibus appetitus, peregrinum se cogitans, ut iram cohibeat,

- Linguam custodit, 2.
  - Mentem servans
    - Per vigilantiam. 2.
    - Et fugam peccati. 2.
  - Et os suum, 2.
    - Per silentium. 3.
    - Humilitatem. 3.
    - Patientiam. 3. ex quibus oritur.
      - Contritio de peccatis. 3.
      - Amor Dei ardens. 4.
      - Meditatio inflammata. 4.
      - Oratio vocalis fervens. 5.
      - Cognitio brevitatis vitæ. 5.
- Ac mentem erigit, 5. eam,
  - A terrena hac vita avocando, 5. cuius,
    - Brevitatem maximam despicit. 6.
    - Fragilitatem non minorem. 6.
    - Vanitatem in omnibus pudendam. 6.
    - Instabilitatem instar umbræ versatilem. 7.
    - Perturbationem sine fructu continuam. 7.
    - Laborem in thesauris acquirendis anxium. 7.
    - Miseriam in misere perdendis. 7.
  - Atque ad cælestem patriam convertendo, 8.
    - Cuius finem proponit, 8.
      - Deum, quem solum iustus ambit. 8.
      - Bona alia gloriæ, quæ Deus adiicit. 8.
    - Viæ ad eam ducentis impedimenta, 9.
      - Peccata, quæ a Deo solo tolli possunt. 9.
      - Hostes intercursantes, qui patientia superantur. 9.
    - Viæ adiumenta.
      - Silentium ne tempus teratur. 10.
      - Patientiam ne quis obmurmuret. 10.
      - Conformitatem cum Dei voluntate. 10.
      - Spem in eius misericordia, ut flagella amoveat. 11.
      - Timorem ob eadem flagella. 12.
      - Humilitatem ob scelera, quibus irascitur Deus. 12.
      - Mortificationem, per corporis attenuationem. 12.
      - Contemptum mundi, ob inanes aliorum tumultus. 12.
      - Orationem, quæ vires sufficiat. 13.
      - Compunctionem, quæ in lapsu sordes abluat. 13.
      - Desiderium æternorum bonorum, ut ad cursum incitet. 13.
      - Desiderium perfectionis immaculatæ, ut cum gaudio peregrinus incedat. 14.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. In finem, ipsi Idithun, Canticum David.

1. Christus semper vincit.

Nota, pro *in finem* Hebraice est *lamnatseach*, id est victori, ut reddit Pagnin. vincenti, ut Felix; pro victoria, ut S. Hieron. et Origenes. Per victorem autem intellige Christum, ad quem in finem usque pergendum est, et ad cuius honorem psalmi canendi sunt. S. Ambrosius id vidit, qui sic loquitur: *In sæcularibus scriptis alii erant qui scribebant, alii qui in scena, vel cantica vel comœdias vel tragœdias canere consueverant. Et illi quidem coronam Olympicam postulabant: unde et ἐπινίκιον hymnum eorum scripta in fine testantur. David autem qui non hæc serta coronarum marcentium, requirebat, sed illam incorruptibilem et incontaminatam remunerationum cælestium hæreditatem pio desiderabat affectu, hymnum non victoriæ ἐπινίκιον; sed et scripsit, qui victoriam in se credentibus impertiebat, qui finis est omnium quæ pia mente deposcimus. Sive enim sapientiam quæras, sive virtuti studeas, sive veritati, sive viæ atque iustitiæ, sive resurrectioni: in omnibus tibi sequendus est Christus, qui est virtus Dei atque sapientia, veritas, via, iustitia, resurrectio. Ad quem igitur contendas, nisi ad perfectionem omnium, summamque virtutum? Et ideo tibi dicit: Veni, sequere me. Hoc est, ut ad consummationem virtutum pervenire merearis.* Septuag. legerant in Hebr. לנצח *lanetsach*, ideo verterunt εἰς τέλος, id est, *in finem*, quod varii varie explicant, ut dixi Ps. 4. in titulo.

2. Idithun fuit præfectus cantorum.

Nota secundo, pro *ipsi Idithun*, Septuag. habent ὑπὲρ Ἰδιθοὺν, id est, pro Idithun, ut Origen. S. Ambros. et S. August. legunt; 2. S. Hieron. et Cassiod. vertunt, *de Idithun*. Constat porro, ait Lorinus eum fuisse ex præclaris cantorum præfectis, quos David constituit, ut est in 1. Paralip. 6. 31. 32. et 16. 5. 7. 37. et 25. 1. 6. videlicet cum Asaph et Heman. Et sub illorum præfectura qui erudiebant canticum Domini, erant duceuti octoginta octo destinati, 1. Paralip. 25. 7. ut vestiti byssinis concreparent cymbalis, psalteriis, citharis ante arcam: et horum numerus erat quatuor millia. Quia vero sicut Asaph ad Leviticam familiam Gersonis pertinebat, Heman ad Caath: ita Ethan ad Merari, 1. Paral. 6. 1. 31. et 15. 17. (qui ipsi Gerson, Caath et Merari dicuntur constituti super cantores, 1. Paralip. 6. 31.) videtur idem fuisse Ethan qui Idithun. Trevetus porro minus recte dicit legendum esse Iduthun secundum formam Hebraicam, et corrupte legi Idithun. Minus recte, inquam, id asserit: nam Septuaginta et omnes sancti Patres sic legerunt, et sic habetur nunc in codicibus Hebraicis. Nec alio flectere nos debet circulus chetib appositus a Massoretis, qui reiiciendi sunt quando pugnant cum Sept. et sanctis Patribus. Itaque nihil est quod obstet, quin legamus sicut est in textu, neque est necesse recurrere ad marginem, ut ille circulus indicat.

3. Psalmus non est scriptus ab Idithun, sed a Davide.

Nota tertio, ex titulo aperte patet Psalmum hunc non esse scriptum ab Idithun, sed a Davide, ut daretur canendus ipsi Idithun. Unde ulterius collige, alios Psalmos, in quibus ponitur Idithun seu Ethan, filiis Core, vel Asaph, ab ipso Davide conscriptos fuisse, ut darentur illis cantoribus. Chald. hic vertit: *Ad laudandum pro custodia domus sanctuarii, ore Idithun.* Quod autem dicatur, *ipsi Idithun*, indicari potest, ab ipso, non a subiectis ei cantoribus fuisse cantatum, quod facit ad commendationem Psalmi, quem S. Athanas. ait esse perutilem, ut te ipsum observes, ac veluti ceromate inungas contra hostem imminentem.

4. Quandonam Psalmus est scriptus?

I. Opinio.

Quæres, quo tempore hic Psalmus sit conscriptus, et qua de re agat? Primo, R. Salomon censet, Psalmum hunc factum esse a Davide prævidente captivitatem Babylonicam, in qua patienter ferebat opprobria et contumelias hostium in medio populi Dei.

II. Secundo, Bellarm. et alii dicunt hic describi brevitatem et vanitatem præsentis vitæ, ut intelligamus spem nostram non in hac vita, sed in Deo, in quo est vita æterna, esse ponendam: et ideo dandam esse operam patientiæ, et paci cum omnibus hominibus, et præcipue linguam esse custodiendam ab omni rixa et iurgio, et contentione, ut non impediamur a cursu ad bravium supernæ vocationis. Certe enim qui ad bravium maximi pretii currit, si in medio cursu videret sibi litem pro pallio moveri, pallium potius dimitteret, quam se a cursu impediri pateretur. Neque litigant aut contendunt homines in terris, nisi pro temporalibus rebus. Itaque Psalmus præsens doctrinam Evangelicam et Apostolicam continet. Nam et Dominus docuit, ut percutienti maxillam præbeamus etiam alteram: et volenti nobis pallium eripere, demus illi et tunicam, Matth. 5. 40. et Apostolus dicit, 1. Cor. 6. 7. Delictum est in vobis, quod lites habetis inter vos: cur non magis fraudem patimini? Hic igitur Psalmus, propter doctrinam tam sublimem, cani debet in finem, id est semper, usque ad finem mundi: et non solum ipso tempore Davidis et Idithun. Idem etiam Psalmus recte inscribitur pro victoria, quia nulla esse potest victoria nobilior, quam per patientiam vincere in bono malum, et sibi ipsi hominem imperare: ita Bellarminus.

III. Et vera.

Tertio, Theodoret. Iansen. et alii recte dicunt, Psalmum hunc scriptum esse a Davide fugiente Absalonem, cum Semel ipsum lapidibus et contumeliis impeteret. Hac autem occasione miserias humanæ vitæ exponit. *In finem*, ait Theod. nos transmittit David, quoniam humanæ naturæ vilitatem deplorat, et huius finem demonstrat. Iacobus de Valentia Christopolitanus Episcopus ait, Davidem per eiectionem suam a regno, et per rebellionem filii et populi ob peccatum commissum, vidisse in spiritu totum mysterium peccati primorum parentum, qui propter inobedientiam et ingratitudinem, fuerunt eiecti a paradiso, et perdiderunt felicitatem: imo omnia fuerunt eis rebellia. Nam pars sensitiva et caro insurrexit contra spiritum: et elementa et bestiæ in eos insurrexerunt. Sic Adam qui erat rex et dominus in illa civitate, eiectus est, et factus est peregrinus cum sua posteritate in hac valle lacrymarum. Item sicut populus Davidis fuit divisus in duas partes, aliis ipsi Davidi, aliis Absaloni adhærentibus: ita, ut ait S. August. lib. 15. de civit. Dei, filii Adam postquam eiecti sunt a paradiso, divisi sunt in duas civitates: scilicet terrenam et cælestem sive spiritualem: sive in duos populos, quorum unus dicitur terrenus ponens suam spem in hoc sæculo, et alter dicitur spiritualis ponens spem suam in Christo, expectans per ipsum liberari, et ad civitatem, de qua eiectus est, revocari. Ille populus incepit a Cain: iste vero ab Abel iusto. Ille populus pertinet ad hanc terrenam civitatem, in qua ponit suam spem: iste vero pertinet ad civitatem supernam, ad quam tendit. Ideo dicitur peregrinus, et non civis, in hac terrena civitate. Unde S. August. dicit, quod duo amores diviserunt has duas civitates: scilicet terrenam amor sui usque ad contemptum Dei: cælestem autem amor Dei, usque ad contemptum sui. Et ideo illa in se, ista in Domino gloriatur: et ideo illa quærit ab hominibus gloriari et exaltari, ista autem dicit Domino suo: Tu es gloria mea, tu exaltans caput meum. Et ideo semper illa civitas terrena quæsivit prosperitatem in hac vita: ista autem noluit habere hic manentem civitatem, sed futuram expectavit. Et sic legitur quod Cain ædificavit civitatem, quasi intendens in hoc mundo permanere: sed Abel non legitur ædificasse civitatem, quia non intendebat in hoc sæculo permanere, sed ad civitatem cælestem peregrinari. Et sic omnes carnales et terreni dicuntur successores Cain, et pertinent ad civitatem terrenam: sed omnes spirituales dicuntur successores Abel et peregrini, eo quod

posuerunt spem in Christo futuro. Et sic usque ad Christum per fidem, spem, et charitatem peregrinati sunt, patienter ferentes persecutiones et vexationes a civibus civitatis terrenæ: sed finaliter sunt per Christum liberati, et ad civitatem cælestem revocati, sicut David in regnum suum cum gloria est restitutus. Filii autem terrenæ civitatis partim perierunt in primo adventu Christi: et in finali iudicio totaliter peribunt cum diabolo capite suo, sicut periit Absalon cum suis.

5. Tropol. Tropolog. Psalmus hic datur a Davide, id est Christo, cantandus ipsi Idithun, id est confessionem seu laudem danti; 2. legem amanti; 3. docenti eos; 4. proiicienti eos; 5. exaltanti et elevanti eos; 6. transilienti eos; 7. viro intus scienti; 8. iudicanti eos; 9. litiganti contra illos. Potest enim Idithun derivari primo a *iada*, proiecit, docuit, confessus est, elevavit; secundo a *dath*, id est, lex; tertio a *dun*, id est, iudicare, litigare: etymon septimum affert S. Thomas: sextum S. August. Glossa ordinaria et Interlinearis, Ugo, et alii. *(Etymon varium vocis Idithun.)*

Quæres, quosnam transilit Idithun spiritualis? Resp. primo, S. August. transilire eos qui remanent curvati in terram, et ascendere ad Deum per gradus virtutum: Inde esse quosdam Psalmos ἀναβαθμῶν, id est, gradum ascendentium, et subtexit: *Est autem hæc ascensio, et ista transitio, non pedibus, non scalis, non pennis: et tamen si interiorem hominem attendas, et pedibus, et scalis, et pennis. Nam si non pedibus, quomodo dicit homo interior: Non veniat mihi pes superbiæ? Si non scalis, quid sunt quas vidit Iacob, ubi erant ascendentes Angeli et descendentes? Si non pennis, quis est qui dicit: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam? Sed in rebus corporalibus aliud sunt pedes, aliud scalæ, aliud pennæ. Intus autem et pedes, et scalæ, et pennæ, affectus sunt, et bonæ voluntates. His ambulemus, his ascendamus, his volemus.* Resp. secundo, Ugo Card. verum et perfectum Idithun, id est, transitorem, transilire mundum, carnem, et rationem, 1. mundum, per contemptum; 2. carnem, per macerationem; 3. rationem, per contemplationem. Intentionem vero Psalmi esse, ut sine offendiculo possimus transilire. Offendiculum autem quo sæpius offenditur, est lingua: unde monet refrænare linguam. *(1. Verus Idithun. — transilit homines carnales. — 2. Transilit hostes suos.)*

DIVISIO TOTIUS PSALMI

6. TRIA COMPLECTITUR. PRIMO, DAVID ASSERIT SE CUM SILENTIO PATIENTER ET TULISSE, ET LATURUM ESSE CONTUMELIAS ILLATAS, VERS. 2. SECUNDO, VITAM HOMINUM MERAM ESSE VANITATEM, VERS. 5. TERTIO DENIQUE, IN UNO DEO SPES SUAS ESSE COLLOCATAS: IDEO AB IPSO PETIT REMISSIONEM PECCATORUM, ET AUXILIUM IN ADVERSIS, VERS. 8. AD FINEM USQUE.

SECTIO PRIMA.

Quatuor proponit. Primo, pervigilem oris custodiam, vers. 2. Secundo, tempus præcipuum illius custodiæ, vers. eod. 2. Tertio, custodes assignat, v. 3. Quarto denique, effectus illius custodiæ refert, v. eod. 3. et 4.

PARAPHRASIS.

2. *Dixi, custodiam vias meas: ut non delinquam in lingua mea.*

Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me.

3. *Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis, et dolor meus renovatus est.*

2. Cum cernerem tot me iustis ob scelera flagellis a Deo concuti, statui ita intentus in omnes actiones meas excubare, ut lubrico linguæ vitio in præceps non devolverer.

Neve non cogitanti quid excideret, pervigili custodia ac severa os meum munivi, ac veluti fræno coercui, cum impius Semei gravi iam clade pene obrutum maledictis et conviciis impeteret, ac fugienti se mihi importunus obtruderet.

3. Tunc subnascentem iram silentio pressi, mentisque demissione his me iniuriis dignum iudicavi. Neque ea ipsa, quæ ad defensionem mei poteram iure ac merito obtendere, aperui: sed malui prorsus silere. Quique pene iam callum contraxerat dolor propter commissa peccata, recruduit: cum auditis Semei contumeliis in memoriam ea revocavi.

QUÆSTIO UNICA.

QUAM SOLLICITO STUDIO LINGUA EST CUSTODIENDA, ET QUANTI SUNT FRUCTUS SILENTII.

7. LINGUAM velut in arce sublimi positam (Sionis arcem, si placet, existima) describere David videtur, in eaque regium palatium inhabitantem. *(Linguam velut reginam diligenti custodia cingit David.)*

Duplicem porro custodiam constituit. Primam ad arcis portas, ad quas variæ viæ confluunt, v. 2. *Dixi, custodiam vias meas.* Secundam, ad vestibulum palatii: *Posui ori meo custodiam.*

Secundo, tempus designat, quo excubiæ debent esse accuratiores, cum scilicet hostis ingruit, v. eod. 2. *Cum consisteret peccator adversum me.*

Tertio, custodes tres in primo domus regiæ atrio collocat. Primo, silentium, v. 3. *Obmutui.* Secundo, humilitatem, *et humiliatus sum.* Tertio, patientiam, *et silui a bonis.*

Quarto denique, tres illius custodiæ mirabiles effectus ostendit. Primum, pro tempore futuro, innocentiam, v. 2. *Ut non delinquam in lingua mea.* Secundum, pro tempore præterito, contritionem de peccatis admissis, v. 3. *Et dolor meus renovatus est.* Tertium denique, pro tempore præsenti, orationem ardentem, v. 4. *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis.* Primum, conservat gratuita: secundum, avocat a terrenis: tertium unit æternis.

Porta huius palatii est ipse oris hiatus. Diathyrum, sive ipsum septum portæ, labia. Serratum claustrum, *la herse*, dentes: Mœnia, gingivæ: Terrea moles exterius obiecta, genæ: Domus ipsa seu palatium, oris concavum: ubi est palatum, quod Græcis οὐρανὸς dicitur. Ibi lingua, velut in molli culcitra, conquiescit, et reginæ instar, cum lubet, imperat, prohibet, increpat, dominatur. Ad rem veniamus.

ARTICULUS I.

Sedula sit oportet oris custodia.

DUPLICES excubias ad oris custodiam David constituit. Unam remotam, alteram proximam.

8. Vers. 2. 1. Pars. Viæ hominis sunt: 1. Eius cogitationes. 2. Sermones.

Prima et remota est ipsius mentis, omniumque sensuum et actionum custodia, v. 2. DIXI, CUSTODIAM VIAS MEAS, UT NON DELINQUAM IN LINGUA MEA. Quæres: Quas vias hic intelligit? Primo, Asterius *vias* interpretatur desideria, quæ celeriter moventur. Nam si ea abiecerimus, non proferentes, nec exprimentes verbo, quod male cogitavimus, non peccabimus in lingua: ita ille. Secundo, *vias* Davidis interpretatur idem Asterius sermones eius, et doctrinam. Et sic putat vocem illam usurpari a Paulo 1. Cor. 4. 17. *Misi ad vos Timotheum, qui vos commonefaciet vias meas, quæ sunt in Christo Iesu*. Prov. 16. 17. *Custos animæ suæ servat viam suam*. Septuag. Interpretes vertunt: *Diligens vitam suam parcet ori suo*. Tertio, Hesychius, *vias* Davidis ait esse actionum cursus et ingressus, ita ut non declinet in vitium: non aberret in lingua, dum dictis agat contraria. Vere enim lingua peccat, qui verbo vitium damnat, opere astruit: ex quo illud sequitur, ut vitæ suæ institutione doctrinam ementiatur: ita Hesych. Quarto, et melius, Lorinus noster *vias* Davidis vult intelligi omnem eius vitæ degendæ rationem in cogitatis, dictis, et factis. Sic Deus præcipit Deut. 4. 2. *Custodite vias vestras, et studia vestra*. Et David ait Ps. 118. 59. *Cogitavi vias meas, et converti pedes meos in testimonia tua*. Nota, cum hunc Psalmum fecit David, erat in via: fugiebat enim Absalonem. Ideo utitur hac viæ similitudine.

3. Actiones.

4. Omnis agendi ratio, loquendi et cogitandi.

9. Cuinam dixit David se custoditurum vias suas?

Quæres secundo, cuinam dixit David, *Custodiam vias meas?* Resp. primo id dixit sociis fugæ suæ, ac præsertim Abisai volenti occidere Semei maledicum, 2. Reg. 16. 10. Resp. secundo, id dixit Deo, a quo sentiebat se puniri. Tertio denique, id dixit sibiipsi, hoc est statuit et decrevit apud se. In animo enim est verbum mentis, quod est terminus intellectionis: unde nobisipsis loquimur: et in divinis secunda persona Trinitatis dicitur Verbum, quia est terminus intellectionis Dei Patris. Dicere Dei sumitur dupliciter: scilicet pro formatione Verbi, et pro expressione eius: primum est æternum, non autem secundum, ut docet S. Thom. 1. p. q. 32. art. 1. ad 3. et q. 47. art. 1. In nobis quoque est dictio, seu locutio mentalis et vocalis, quæ est mentalis expressio. S. Ambr. hinc ingeniose concludit, nos debere esse constantes in servandis propositis: *Dixi*, inquit, *hoc est proposui, confirmavi, imperavi mihi, locutus sum cordi meo: Vias meas custodiam. Si aliis dixissem, sermo meus stare deberet: quanto magis stabile debet esse quod mihi ipse constitui? Si quis alienum fallat, indecorum est: si quis proximum, grave. Quanto igitur gravius, si quis seipsum, eo quod sibi promiserit, putet esse fraudandum, ut ipse sibi infidelis suo iudicio et despicabilis æstimetur? Cui igitur idoneus videri potest, qui sibi vilis est? Teneamus igitur animæ constantiam nostræ, ne in offensionem labia loquendi festina prorumpant.*

Bona proposita sunt servanda.

10. Religiosus est verus Idithun terrena transiliens.

Symbolice, hoc potest exponi specialiter de Religioso, qui est proprie Idithun, id est, transiliens, scilicet de mundo ad claustrum, ut dicat: *Dixi custodiam vias meas*, quæ sunt tres viæ, sive triplex via, de qua Exod. 5. 3. *Deus Hebræorum vocavit nos, ut eamus viam trium dierum in solitudinem*. Hæc via trium dierum, est triplex votum, quod fit in religione, quæ per solitudinem designatur; videlicet votum castitatis, votum obedientiæ, votum paupertatis, sive abrenuntiationis proprietatis: ita Ugo. Adde Hebræos esse transitores, a rad. עבר *abar*, transivit. Sis itaque Idithun et Hebræus, ut sis perfectus Religiosus, et cane canticum tibi datum a Davide, id est, a Christo amabili et manu forti: hoc est, alacriter decurre stadium religiosum, non quasi gemens sub onere, sed quasi exultim transiliens præ fervore. S. Iacobus c. 1. 26. ait: *Si quis putat se religiosum esse non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.* Hinc S. Hieron. in regula monach. vocat, sancta silentia.

11. Qui actiones suas custodit, linguam custodit.

Nota, fructus custodiæ actionum et cogitationum, est linguæ custodia: et vicissim, qui custodit linguam, custodit cor suum et manus: hic est fluxus ac refluxus maris, ab actione et cogitatione ad locutionem, et a locutione ad actionem et cogitationem; unde cum dixisset: *Custodiam vias meas*, additur, *ut non delinquam in lingua mea*. Lingua est veluti præco semper paratus ad intimandam voluntatem imperantis. S. Thomas: *Lingua*, ait, *est immediatum organum ad interiorem conceptum cordis explicandum. Unde quam cito verbum est in corde, est in lingua: ideo debet diligenter custodiri.* Si læto tristive aspectu oculi commoventur, si auribus quid instrepit, si gustui aliquid sapit: si pes, si manus, si totum corpus dolore urgetur, si quid denique uspiam, aut voluptatis, aut tristitiæ exoritur, statim lingua, ut commune instrumentum, armatur; et verbis velut telis, utitur ad impugnationem, si res postulet: velut scuto ad defensionem, si necesse sit: velut pharmaco ad sanandum, si vulnus factum: aut velut veneno ad inficiendum, nisi regatur. Lingua nostra est horologii lingua seu manus, quæ horas indicat, secundum motus interiorum rotarum. Hinc ille dicebat iuveni: Loquere ut te videam.

Lingua est immediatum organum cordis.

12. Vers. 2. 2. Pars. Facile est lingua peccare.

Nota secundo, lingua facile delinquit. Unde dicitur: UT NON DELINQUAM IN LINGUA MEA. Lingua est veluti torrens, dentibus non solum, sed etiam multis meditationibus et præclaris actionibus circumcinctus: si aliqua via operiatur, statim erumpit atque omnia disiicit. S. August. hic: *Non enim*, ait, *lingua frustra in udo est, nisi quia facile labitur*. S. Gregor. Nyss. hom. 1. in Ecclesiasten, ὑγρὰ, inquit, ἡ γλῶσσα καὶ εὔτροπος: *Lingua est humida et versatilis, et citra laborem se fingens ad quodcumque genus verborum*. Agapetus tom. 2. Biblioth. Patr. Græc. num. 54. εὐόλισθον, inquit, τὸ τῆς γλώττης ὄργανον, καὶ μέγιστον παρέχει τοῖς ἀμελοῦσι κίνδυνον: *Lubricum est instrumentum linguæ*, maximumque affert negligentibus periculum: quod si pium intellectum, *velut musicam* illi præfeceris, omnibus harmoniæ numeris concinnatum modulabitur melos. Theodoretus in Psal. nostr. vocat linguam, membrum admodum labile.

13. Lingua est causa multorum peccatorum.

Nota tertio, pro *delinquam*, quod notat facilitatem peccandi, et lubricitatem linguæ. Hebr. est, *ne graviter peccem*. Hebr. enim חטא *chata*, S. Hieron. Pagnin. Felix, Camp. vertunt, peccare. Hinc Græcum ἀτάω lædo, noceo, noxam et damnum infero: et ἄτη, noxa, damnum, clades. Lingua causa est multorum vitiorum, quod magis indicat *delinquam*: et gravium, quod indicat, *peccem*.

De primo, nempe quod lingua sit causa plurimorum lapsuum, docet S. Ioannes Climacus grad. 11. πολυλογία, inquit, ἐστὶ κενοδοξίας καθέδρα: *Loquacitas est sedes vanæ gloriæ, per quam se ipsam ostentare, et in scenam ac theatrum solet deducere*; 2. πολυλογίας ἐστὶν ἀγνωσίας τεκμήριον, *loquacitas est ignorantiæ argumentum*; 3. καταλαλιᾶς θύρα, *fenestra obtrectationis*; 4. εὐτραπελίας χειραγωγός, scurrilium nugamentorum magistra; 5. ψεύδους ὑπουργός, ministra mendacii; 6. κατανύξεως διάλυσις, compunctionis abstersio; 7. ἀκηδίας κλήτωρ, auctrix et conciliatrix ignaviæ; 8. ὕπνου πρόδρομος, somni nuncia; 9. συννοίας σκορπισμός, meditationis distractio; 10. φυλακῆς ἀφανισμός, custodiæ cordis abolitio; 11. θέρμης ψυχριστήριον, fervoris divini gelidium; 12. προσευχῆς ἀμαύρωσις, orationis languor, seu potius extinctio. S. Basil. in Ps. 33. dicit, peccatum, quod fit per linguam, esse προχειρότατον καὶ πολύτροπον, *omnium propensissimum, et incredibili prope varietate multiplex.* S. Chrysost. in Ps. 140. Non tot gladio, ait, quot lingua perierunt. S. Ambr. in Ps. 36. loquacitas, inquit, innocentiæ virtutisque naufragium, atque incentivum prolapsionis et culpæ. S. Bern. *levis sermo*, ait, *facile volat, et facile violat.*

Et gravium.

De secundo, nempe quod lingua graviter vulneret, et sit causa gravium in homine peccatorum, patet: quia, Primo, telum est non tantum figura, sed etiam re ipsa. S. Valerianus Episcopus Cemeliensis (quæ civitas est in provincia Alpium maritimarum, in finibus Italiæ et Galliæ,

et floruit circa annum 450.) hanc linguæ violentiam sic declarat: *Nihil est sævius, nihil violentius amaris asperisque sermonibus: quorum vulnera tanto difficilius curantur, quanto facilius proferuntur. Ferri spicula per cælum volantia facile scuti obiectione contemnis: verborum vero iactus nec revocari potest, nec prohiberi: multo enim velociores sagittis sunt.* Secundo, in illis telis est venenum: unde sæpe vulnus est incurabile. Hinc S. Leo serm. 8. de Passione, venenata verborum tela nominat. S. Iacob. epist. cap. 3. 8. *Lingua*, ait, *inquietum malum, plena veneno mortifero.* Ps. 5. 11. *Sepulcrum patens est guttur eorum.* Vide ibi dicta. Euripides in Oreste dicit, linguæ impotentiam esse αισχιστον νοσον, turpissimum morbum. Tertio, lingua est fera sævissima, aut potius est receptaculum et spelæum omnium ferarum. S. Petrus Damiani opusc. 52. c. 26. linguam ad feras amandat, iisque sæviorem ostendit: *Omnia*, inquit, *ferarum in lingua reperiuntur: ibi quippe est levitas volucrum: ibi ferocitas bestiarum: ibi fraus virulenta serpentum. Volatiles enim sunt, qui proferunt in cælum os suum, et quorum os locutum est vanitatem, quasi volucrum levitatem. Feroces autem bestiæ sunt, quia exacuerunt ut gladium linguas suas. Serpentes postremo sunt, de quibus dictum est Ps. 13. 3. quia venenum aspidum sub labiis eorum.*

Est telum inevitabile et irrevocabile.

Est veneni plena.

14\. Hinc collige, versum hunc nostrum, *Dixi custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea*, diligenter esse mente volvendum, et opere complendum. Socrates lib. 3. hist. cap. 23. refert, quod Pampus monachus illitteratus qui vixit temporibus S. Athanasii, cum doceri Psalmum vellet, audissetque primum hunc nostri versum, audire secundum versum noluit, dicens: Si potuero hoc implere, hic versus solus mihi sufficiet: cumque doctor qui ei tradiderat versum, culparet, cur per sex menses ad se minime venisset, respondit: quia versum illum adhuc opere non implevi: postea vero cum multos supervixisset annos, a quodam amico rogatus, an didicisset versum: *Quadraginta*, inquit, *annis vix eum implere valui.* Ut enim ait S. Iacobus cap. 3. 2. *In multis offendimus* (πταιομεν, cadimus) *omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* In vitis Patrum lib. 5. cap. 10. de discretione, num. 49. refertur quod Abbas Sisois dicebat: *Triginta annos non deprecor Deum propter peccata, sed orans hoc dico: Domine Iesu Christe protege me a lingua mea. Et usque nunc per singulos dies corruo per ipsam, et delinquo.* S. Augustinus in prooemio lib. retractat. dicit se libros retractationum scribere, ut multa locutus male dicta castigaret: *Neque enim*, ait, *ea reprehendere deberem, si dicere debuissem: sed qui primas non potuit habere sapientiæ, secundas habeat partes modestiæ: ut qui non valuit omnia impœnitenda dicere, saltem pœniteat quæ cognoverit dicenda non fuisse. In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Ego mihi hanc perfectionem nec nunc arrogo, cum iam sim senex, quanto minus cum iuvenis cepi scribere, vel ad populos dicere: tantumque mihi tributum est, ut ubicumque me præsente loqui opus esset ad populum, rarissime tacere, atque alios audire permitterer: et esse velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum:* ita Augustinus. Quis itaque loqui non timeat, et labi per linguam non reformidet? Plutarchus lib. de Iside, ait, quod Ægyptii sacrificantes Harpocrati Deo silentii, clamabant: *Lingua fortuna, lingua dæmon.*

Pambo magni facit primum versum Psalmi nostri.

Sisois abhas timet linguæ vitia.

Et S. Augustinus.

Ægyptiorum dictum notabile.

15\. Secunda custodia ad os ipsum et linguam applicari debet. Hoc David se præstitisse dicit, v. eod. 2. POSUI ORI MEO CUSTODIAM: CUM CONSISTERET PECCATOR ADVERSUM ME. Pro *custodiam*, Hebr. est מחסום *machsom*, id est, Primo, clausuram, ut Pagn. vertit. Secundo, epistomidem, ut Arias. Est autem epistomis seu epistomium, instrumentum illud æneum, quo in fontibus ora salientum obturantur, vertibulum in medio pertusum habens, quod admittit vel arcet aquam. Nos lingua nostra fontem vocamus. Hoc etiam instrumento utimur ad vinum e dolio hauriendum, *un robinet.* Tertio, *machsom*, Chald. Camp. Flamin. vertunt, *frænum.* Unde Magn. *linguamque maligne sese exertantem rigido cohibere lupato*, id est, fræno asperrimo. Lupatum dicitur a lupinis dentibus, qui inæquales, sunt, et quorum morsus est vehemens. Quarto, *machsom* Muisius reddit, *capistrum*, id est, capitis vinculum, quod equis et huiusmodi animalibus adhiberi solet, ne fugiant: item, quod circa os brutorum involvitur, ne cibos decerpant. Quinto, Septuaginta, S. August. Theodoret. Apollin. et alii *machsom* exponunt, *custodiam*, et bene: ut nulla prorsus custodia omittatur: modo strictior, ut frænum: modo laxior, ut capistrum: modo penitus os occludatur: modo suo tempore reseretur cum prudentia et moderatione. Sicut enim Prov. 4. 23. dicitur cuilibet nostrum: *Omni custodia* (Chald. omni munitione. Syr. omni cautione. Vatabl. omni cura. Aben Ezra, præ omni custodia) *serva cor tuum: quia ex ipso vita procedit.* Ita dicere debemus, omni custodia serva linguam tuam, quia ut habetur Prov. 18. 21. *Mors et vita in manu linguæ: qui diligunt* (Septuag. *qui continent.* Amat se et linguam suam, qui eam in officio continet) *eam, comedent fructus eius.* A corde vita, a lingua vita et mors. Itaque est adhuc studiosius continenda, quam cor: igitur est custodienda præ omni custodia, cum cor omni custodia sit custodiendum. Sexto, quænam sit illa custodia, S. Hieron. explicat, cum vertit: *Custodiam os meum silentio.* Quam autem accuratam, sollicitam, severam et constans esse debeat, explicare possis suprapositis similitudinibus.

Vers. 2. 3. Pars. Variæ significationes. To machsom.

Primo, enim ori tuo appone epistomidem, ut vinum sapientiæ in corde tuo contineas. Arias reddit: *Custodiam ori meo epistomidem*, q. d. Verba in meo pectore et lingua instar musti feventis ebulliunt, et omnem clausuram volunt disiicere, ut erumpant, sed custodiam illam clausuram, et sæpe illam visitabo. Vinum in medio vasis est optimum, ita sapientia cum in corde retinetur et devotio. Si vero linguam aperueris, omnia per linguam effluunt et pereunt, sicut vinum vel leviter moto vertibulo in epistomide, ad eam partem accurrit, et in terram defluit. 16. I.

Ori est apponendum epistomium.

Secundo, ori tuo appone frænum. Chald. *Custodiam os meum fræno, quamdiu improbus est contra me.* Hoc præcipit auctor Eccli. 28. 29. *Aurum tuum et argentum tuum confla:* (Tigurina, obliga) *et verbis tuis facito stateram*, (Græc. ζυγον και σταθμον, id est, iugum et stateram) *et frænos ori tuo rectos* (lege S. Ambros. lib. 1. offic. cap. 3. S. Hilar. in Ps. 140. v. 3.) *Et attende ne forte labaris in lingua* (id est, lingua) *et cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, et sit casus tuus insanabilis in mortem.* Lingua est instar equi levissimi et facile corruentis, atque in præcipitia hominem deiicientis, nisi fræno coerceatur et regatur. S. Chrysost. hom. 52. in Matth. ιππος inquit, εστι βασιλικος η γλωσσα: *Regius quidam equus est lingua nostra. Si ergo frænum ei immiseris, et doctrina tua gradarium feceris, ascendet in eum rex, et quiescet in eo: si autem nullo fræno domueris, sed huc atque illuc infrænem iactari permiseris, diaboli vehiculum eum fecisti.* Theophrastus dicebat, potius esse fidendum equo effræni, quam verbo incomposito. Plutarchus lib. de garrulitate ait: Non sera et obicibus carentium penuum aut conclavium, sed oris effrænis finem esse calamitatem: αχαλινων στοματων το τελος δυστυχια, ait Euripides. Finis oris effrænis est infelicitas atque miseria. Et Plutarchus idem lib. de liberis educandis: Frænare linguam, ait, qui μικρον και φαυλον, rem exigui pretii et vilem putat, is plurimum a vero aberrat: σοφον γαρ ευκαιρος σιγη, και παντος λογου κρειττον: tempestivum enim silentium est sapientiæ indicium, et omni oratione præstantius. Fræno autem opus dicimus ad continendam linguam: quia id difficile est. Iamblichus in vita Pythagoræ, cap. 31. ait, coercere linguam, παντων εγκρατευματων ειναι χαλεπωτατον, *omnium quæ ad frænandos animorum impetus pertinent, esse difficillimum.* Unde Zeno Ptolomæi regis legatis, qui multos eruditos ad convivium invitarant, percunctantibus quid de ipso regi suo essent renuntiaturi, ait: Vidisse vos senem, qui in convivio tacere noverit. Cum enim cæteri ad ostentationem multa dixissent, unus Zeno perpetuum te- 17. II.

Frænum.

nuit silentium. Sciebat sibi plus laudis et gloriæ ex silentio illo, quam ex multa eruditione sua oriturum esse. Agis etiam rex Spartæ, cum Abderitarum legatum diu disserentem audivisset, petenti quid civibus suis esset relaturus? ait: Illud renuntia, quantum temporis tibi fuit opus ad dicendum, tantum me silentem audivisse.

18. III. Capistrum. Tertio, ori tuo appone capistrum, ne ullos mordeat. Felix vertit: *Custodiam ori meo capistrum, dum consistit impius adversum me.* Agellius in Psal. nostr. Custodiam, inquit, dixit Interpres, cum in Hebræo mains quiddam *machsom,* quod camum significat, seu capistrum, quo iumentorum ora vinciuntur, ne mordeant: quo significavit, nihil aliud esse maledictis lacessere, aut invicem maledicta referre, quam *ritu mulorum mordere.* Unde etiam Apostolus hac voce factum denotavit Galat. 5. 15. *Quod si invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini.* Vide dicta Psal. 26. 2. in illud: *Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas.*

19. IV. Clausura omnis; os enim nostrum claudi debet: 1. Sicut vas 2. Sicut domus. Quarto, ori tuo appone clausuram. Pagninus habet: *Custodiam ori meo clausuram, quamdiu est impius iuxta me.* Clausura est apponenda ori, 1. velut vasi; 2. velut domui; 3. velut thesauro; 4. velut arci et civitati; 5. velut mari. Nam primo, ut ait Deus Mosi, Numer. 19. 15. *Vas quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit.* Secundo, pectus suum, velut domum, considerabat David, cum dicebat Ps. 140. 3. *Pone Domine custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ* (id est, ostium circumstans et claudens ex omni parte. S. August. legit, ostium continentiæ) *labiis meis.* Theodotio et Aquila, super labia mea. Vide illum locum. Ibi S. Chrysostom. duo considerat, 1. ostium poni, non murum, quia aliquando debet aperiri clave rationis: *Os,* inquit, *perpetuo custodiamus,* κλειν αυτω τον λογισμον επιτιθεντες, *ci rationem, tamquam clavem adhibentes: non ut perpetuo claudatur, sed ut convenienti tempore reseretur. Si oporteret ora perpetuo patere, non factæ essent portæ. Si autem perpetuo clausa esset, non esset opus custodia. Quod enim clausum est, cur quis custodierit?* Secundo notat, diligentem et severam debere esse custodiam. Non levem, ait, custodiam ori petit apponi, ostium scilicet circumstantiæ: ut custodia illa non observatio sit aliqua, sed claustrum. Periculosus enim et promptissimus est linguæ lapsus; et ex ea maledictum, mendacium, periurium, obtrectatio, motu facili et aditu patenti proferuntur: ita Chrysost. qui in epist. ad Timoth. ait: Servemus os nostrum: ianuam illi ac vectes apponamus, ut nihil ex eis, quæ Deo grata non sunt, loquamur. Adamus Præmonstratensis serm. 2. Curabis, inquit, primo custodire os tuum, ubi non delinquis in lingua tua: pones ostium circumstantiæ labiis tuis, ostium, inquam, non murum: cavens non modo proferre quod reticendum est, sed et reticere quod proferendum est. S. Ambros. lib. 3. de Virginibus, monet soli Christo os nostrum esse aperiendum: *Sponsus ipse,* ait, *vult clausam esse ianuam, cum pulsat. Ianua nostra os nostrum est. Christo propemodum soli debet aperiri: nec aperiatur antequam pulsaverit verbum.* Est porta orientalis, quæ soli patet principi, Ezech. 44. 2. S. Columbanus in monast. ait perfectionis studioso: *Pone tuis verbis vectes, serasque loquelis.* Et S. Petr. Damiani serm. 73. *Portatis, fratres mei, vobiscum clavem cellulæ, portate et clavem linguæ. Apponitis pessulum ostio, adhibete salubriter retinacula ori vestro.* Cor nostrum est rationabile sponsi conclave, non aperit ibi secreta sua, nec suaves et castos ac divinos dat amplexus si porta pateat. Vult claudi ostium, ut illi loquamur, et ipse nobis.

Ratio est clavis, qua debet os aperiri.

3. Sicut thesaurus. Tertio, clausura est ori apponenda, velut thesauro. Aulus Gellius Hesiodum laudat lib. 1. Noct. Atticar. cap. 15. quod linguam instar thesauri servandam dicat: Hesiodus, ait, Poetarum prudentissimus, linguam non vulgandam, sed recondendam esse dicit, perinde ut thesaurum. Eiusque esse in promendo gratiam plurimam, si modesta, et parca, et modulata sit. Hesiodi verba sunt: γλωσσης τοι θησαυρος ανθρωποισιν αριστος, etc. In Asphaltide Iudææ lacu, item in Aristissa Armeniæ maioris, nihil mergi potest. Ita quidam sunt, quibus quidquid

A commiseris, in propatulo gerunt, neque quidquam celare possunt. Sed cito etiam id perdunt, quod habent. Quarto, clausura est ori apponenda, velut arci et civitati. Theodoretus in Psal. nostr. Linguam David, ait, semper munivit, veluti quodam muro. Contra vero dicit Salomon Proverb. 25. 28. *Sicut urbs patens* (Hebr. urbs dirupta. Chald. urbs diruta) *et absque murorum ambitu: ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum,* id est, iram, ut explicat Vatabl. 2. superbiam, ut Rabbini; 3. et melius, quamlibet animi affectionem et incitationem. Arias vertit, *Vir cuius non est claustrum spiritui suo.* Murus autem ille seu claustrum sunt dentes et labia, ut S. Chrysost. docet hom. ad baptizandos: Armetur, ait, lingua adversus peccata tua, non adversus fratris plagam præparetur: et ideo Deus illam, velut muro duplici, voluit circumdari. Nam dentium tegmine et labiorum custodia continetur, ne verba improvida garrulitate proferantur. Refræna igitur linguam, et si non patitur reticere, dentium morsu quiescat, et tamquam carnifici tradatur B dentibus. Secundum claustrum seu murus est ratio et timor Dei. Septuag. reddunt: Sicut urbs muros deiectos habens et non murata: sic vir qui non cum consilio quid agit. Quinto denique, clausura est ori apponenda velut fluvio rapido, aut mari exundare molienti. Plutarch. lib. de garrulit. *Qui,* ait, *existimant ædes foribus carentes, et crumenam, quæ claudi non possit, nulli usui esse: ore interim semper aperto, semper foras diffluentes, quomodo Pontus per suum ostium semper in Propontidem effluit, ii videntur sermonem pro re omnium abiectissima ducere.* Rupes fluminibus et mari obiecit natura, tu constantiam mentis oppone loquacitati.

4. Sicut urbs.

5. Sicut fluvius exundare moliens.

Clausuram sive claustrum optimus oris et cordis in claustro suo hic discet Religiosus a S. Hieron. qui vertit, *Custodiam os meum silentio,* de qua dicetur art. seq.

Fructum illius clausuræ assignat Syrus, dum reddit, *Continebo os meum ab iniquitate.* Qui enim silet, parum peccat. Hinc Carillus petenti, cur tam paucas leges Lycurgus tulisset Lacedæmoniis? Quoniam, ait, pauca loC quentibus, paucis etiam legibus est opus. Erant autem Lacedæmonii brevissimi in loquendo. Unde Laconismus, id est, breviloquium, ut ipse Tull. usurpat ad Brutum scribens. Laconice loqui, hoc est, breviter. Prov. 10. 19. habetur: *In multiloquio* (Septuag. ex multiloquio. S. Cyprianus, ex multiloquentia) *non deerit peccatum.* (Hebr. transgressio seu prævaricatio. Ut enim ait S. Ambros. 1. off. cap. 3. cito lutum colligit amnis exundans) *qui autem moderatur* (Hebr. inhibet) *labia sua, prudentissimus est.* S. Diadochus in asceticis de perfectione, cap. 70. *Silentium,* ait, *parens est sapientissimarum cogitationum. Sicut si balnei ostium nimis frequenter aperias, calor abit: sic nimis os loquendo aperiens, devotionem amittit.* S. Isidorus: Linguosus homo, inquit, imperitus est, sapiens paucis utitur verbis. Brevem sermonem scientia facit. Loqui multum stultitia est. Maneat igitur in verbo mensura, in sermone statera: ita ipse. Stobæus serm. 36. ait, in garrulo esse verborum flumen, mentis guttam. Ausonius cum comparat vasi vacuo et multum resonanti. Sicut, D inquit, vascula inania maxime tinniunt: ita quibus minimum inest mentis et crisis (id est, iudicii) hi sunt loquacissimi. Plutarchus lib. de garrulitate: Alii, ait, sermones contiuent, garruli autem plени sunt rimarum et perfluunt: deinde tamquam vasa mente cassi, sono pleni obambulant. In eo sunt infelices, quod neque audiunt, neque audiuntur. Sermonis finis est, ut fidem faciat audientibus: nemo autem fidem habet loquacibus, etiamsi vera loquantur. Quod in corde sobrii est, id est in lingua ebrii: garrulitas periculosa est, odiosa et ridicula. Dicendi magistros habemus homines; tacendi, deos. Silentium in initiationibus mysteriisque quasi per manus accipientes. Ægyptiorum rex cum Pittaco victimam misisset, iussisetque optimam et pessimam partem eximere, linguam exemptam remisit: quasi linguam tam malorum, quam bonorum maximum esse instrumentum diceret. Qui ingenuam regiamque adepti sunt eruditionem, primum sile-

20. Qui silet, parum peccat.

Et fervorem conservat sicut balneum clausum.

re, deinde loqui didicerunt. Discipuli Pythagoræ quinquennium tacebant. Locutum esse, sæpe me pœnituit, ait Simonides, tacuisse nunquam. Silentium non solum sitim non conciliat, ut ait Hippocrates: verum neque tristitiam neque dolorem: ita Plutarch. Apollonius aiebat, in loquacitate multos esse errores; silentium vero tutum esse. Item petenti, quinam essent hominum optimi? Qui ait, in dicendo brevissimi. Zeno de frivolis garrientem mouebat: *Nisi lingua in mentem intincta disserueris, adhuc multo amplius dicendo delinques.* Græci dicunt, quod cornix reiecta est a Pallade, id est, garrulitas a meditatione et sapientia. Lycon vocabat garrulas hirundines, quæ perpetuo garritu familiaritatis voluptatem perdunt. Ranis loquacibus eos comparabat Carbo: utribus et vesicis inflatis, ac mox detumescentibus rex Alphonsus: iaculis et viperis a proprio fœtu disruptis, Plutarchus: ebriis et insanis amatoribus, Seneca: somniantibus, Salomon, qui ait cap. 5. Ecclesiast. v. 2. *Multas curas sequuntur somnia, et in multis sermonibus invenitur stultitia.* Ad omnem virtutem inepti sunt locutuleii: omnis eorum vis in linguam defluit. Demades orator Athenienses tibiis comparare solebat, quibus si linguam detrahas, reliquum erit inutile. Demadem ipsum iam senem dicebat Antipater nihil habere præter linguam et ventrem: luxui et gulæ deditus fuisse fertur. Si igitur vitia fugere, et virtutem colere cupis, silentio utere, et prius cura medullam, quam corticem, et fructus, quam folia.

1. Cornix reiecta est a Pallade. 2. Garruli comparati hirundinibus, ranis. 3 Utribus inflatis. 4. Viperis. 5. Ebriis 6. Somniantibus. 7. Tibiis

Tempus præcipuum custodiæ est, cum arx cordis obsidetur, et vafer ac vehemens potensque adversarius impressionem facit, vers. eod. 2. CUM CONSISTERET PECCATOR ADVERSUM ME. Hebr. לנגדי *lenegdi*, id est, coram me, ut Arabs et Muisius vertunt; 2. iuxta me, ut Arias; 3. et melius, adversum me, ut Noster et Flamin. id est, contra me, ut S. Hieron. et Chald.

Vers. 2. 4. Pars.

21. Quæres, quis sit ille peccator contra Davidem stans? Resp. esse Semei maledicum et contumeliosum, de quo dixi supr. Ita S. Basil. Euth. Nicephor. Lyr. S. Chrysost. hom. 1. Elias Cretensis in orat. 1. de pace, Naz. S. Ambrosius, et alii. Resp. secundo, peccatorem illum fuisse etiam diabolum, qui est peccator ab initio, et peccati auctor, atque, ut monet Ambrosius, ipsum Semei in Davidem incitabat: ita S. Chrysost. homil. 2. Hesychius hoc loco Didym. Euseb. Valentia, S. Hieron.

Hoste circumstante est silendum.

I. Ratio autem prima, cur silendum sit hoste circumstante, est, quia facilius per occasiones illi datas in arcem nostram sese insinuat, et nos illaqueat, ut Evæ contigit, de qua S. Ambros. in Psal. nostr. *Vicissemus, si Eva tacuisset. Ergo primum illud processit ex voce peccatum, et serpens ille nequissimus atque versutus per vocem nos ante tentavit. Atque utinam aut Adam surdus fuisset, aut Eva obmutuisset. Ille, ne vocem suæ uxoris audiret; ista, ne loqueretur marito, et lubricæ vocis ministerio serpentis in virum venena transfunderet.* Prius loquens serpenti laqueos sibi ipsa fecerat. S. Petrus Damiani serm. 2. de vitio linguæ, confert loquacem cum Zerdela ave, cui quod egerit, necem affert: quia ex eius fimo frutex oritur, quem viscum vocat, de cuius humore tenax liquor eiusdem nominis conficitur, quo infelix postea capitur. Secundo, aptissime idem sanctus Pater epist. 39. ad Desiderium, silentii violatores ait esse similes Crocodilo oscitanti, cui tunc hostis Hydrus (id tribuit Plin. lib. 8. 25. Ichneumoni) fauces ingreditur, et alvum erodit. Tertio, comparat eos ostreo sese ad solem incaute aperienti, cui primum insidiatur cancer, et calculum iniicit ne claudatur, deinde eius viscera depascitur; tum concludit: *Religiosus vivit, dum sub silentii censura concluditur: perit autem, cum ad loquendum immoderatius aperitur.* Albertus Magnus lib. de virtut. cap. 31. *Ubi*, ait, *non est taciturnitas, ibi homo de facili ab adversario superatur.* S Gregor. 3. part. Pastoral. admonitione 15. Anima, inquit, totam se insidiantis hostis vulneribus detegit, quam nulla munitio custodiæ circumcludit. Unde scriptum: Sicut urbs patens, et absque murorum ambitu: ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum; quia enim murum silentii non habet, patet inimici iaculis civitas mentis: et cum se per verba extra semetipsam eiicit, apertam se adversario suo ostendit: quam tanto ille sine labore superat, quanto ipsa quæ vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat: ita Gregorius. Lege in Psalmo nostro Ambrosium fuse de hac re et utiliter tractantem, ubi inter cætera ait: *Iustus ipse sibi castrum est, ipse sibi pervigil custos.* Et antea: Silentium et tutum est, et decorum, quod servat cum gravitate cautelam. Quid enim labia nostra, nisi quædam nostra vincula sunt? Denique vinculis labiorum suorum unusquisque constringitur. Ideo sapiens in tempore tacet, et secum ipse considerat, quo tempore loqui debeat. De quo præclare ipse Salomon Proverb. 5. Labia sapientis alligata sunt intellectu. Quando ergo vides illudentibus protervis sapientem tacere, dic: Ligavit iste intellectu labia sua, hoc est, prudenter tacet, ne labiorum suorum vinculis alligetur. Posuit ori suo custodiam, sepsit aures suas spinis, vectem adhibuit foribus oris sui: *servat thesaurum cordis sui, et argentum eloquii sui*, ut examinatum et purgatum quando oportet proferat: ne quisquam prius fur in cor eius aut perturbator irrumpat, et ad eos captivum trahat, quibus flagitia sua vendat: ita Ambrosius.

Quia aliloqui facile nos irretit.

Crocodilus oscitans occiditur.

Ostreum se aperiens, perit.

Vir iustus est sibi arx.

Secundo, hoste muris circumfuso, et convicia in cives et milites iaciento, portæ clauduntur, ne quis præfervidus et temerarius erumpat ac pereat. Cum hostis instat, ira cæco impetu fertur, atque in hostium incurrit tela, ideo alliganda est ore clauso. S. Ambros. lib. 1. Offic. cap. 3. *Alliga*, ait, *sermonem tuum, ne luxuriet, ne lasciviat, et multiloquio peccata sibi colligat. Sit restrictior, et ripis suis coerceatur. Cito lutum colligit amnis exundans. Alliga sensum tuum, non sit remissus ac defluus, ne dicatur de te, Isa. 1. 6. Non est malagma ponere, neque oleum, neque alligaturam. Habet suas habenas mentis sobrietas, quibus regitur et gubernatur. Sit ori tuo ostium, ut claudatur ubi oportet; et obseretur diligentius, ne quis in iracundiam excitet vocem tuam, et contumeliam rependas contumelia. Audisti hodie lectum Ps. 4. 5. Irascimini et nolite peccare. Ergo etsi irascimur, quia affectus naturæ est, non potestatis: malum sermonem non proferamus de ore nostro, ne in culpam ruamus. Sed iugum sit verbis tuis, et statera: hoc est humilitas atque mensura, ut lingua tua menti subdita sit. Restringatur habenæ vinculis, frænos habeat suos quibus revocari possit. Ad mensuram sermones proferat libra examinatos iustitiæ: ut sit gravitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus.* Sappho dicit, in ira cavendam esse γλωσσαν μαψυλακτην, linguam frustra latrantem. Ezechias vetuit populum loqui cum Rabsaces in eum ac Deum ipsum convicia iaciebat. Plutarch. lib. de ira cohibenda: Febricitantium lingua, ait, si non naturæ convenienter affecta signum est malum, non causa. Sed iratorum lingua exasperata et inquinata, cum in absurda dicta erumpit, εχθρας ανηκεςυ δημιεργον υβριν εκφερει και δυσμενειας υπυλυ κατηγορον, inimicitiæ implacabilis effectricem iniuriam affert, et malevolentiæ occultæ delationem. Inter pocula qui tacet molestus est compotatoribus atque insolens, εν οργη δε σεμνοτερον ουδεν ησυχιας ουσης, in ira nihil magis decet quam quies: ita Plutarchus. Diabolus Iobo reliquerat solummodo labia circa dentes, ut tot plagis et hostibus succinctus peccaret ira et indignatione commotus, sed labia eius fuerunt vitta coccinea, et charitate in Deum rubentia ac refricta. Cum enim diu siluisset, dixit cap. 1. 21. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* De Deo, non de hoste cogitat, cui et de quo ne verbum quidem dicit.

22. II. Facile tunc peccamus, et perimus.

ARTICULUS II.

Tres oris custodes: nempe silentium, humilitas, et patientia.

NEC frænum, nec sera ori nostro custodiendo sufficiunt, custos præterea necessarius est: ut nec nimia sit in tacendo morositas, nec nimia in loquendo levitas. Unde

cum dicamus in Vulgata, v. 2. *Posui ori meo custodiam,* Arabs vertit, *posui ori meo custodem.*

23. Tres oris custodes: silentium, humilitas, patientia. Custodes autem oris duos assignat hoc loco S. Ambr. 1. patientiam; 2. taciturnitatem. Tres cum Davide nostro statuamus: unum, qui omnes adventantes sistat, ut unde irrumpant, agnoscat: alios duos, qui ex utraque portæ parte adstent, ne nobis invitis ingrediantur. Primus est, silentium, *Obmutui.* Secundus, humilitas, *et humiliatus sum.* Tertius, patientia, *et silui a bonis.*

Primo enim, cum hostis laxatis habenis impetu fertur, ut in mentem irrumpat, silentium advolat, et serratum labiorum claustrum deiiciens, turbatum sistit. Qui sit, et cuias, quid rei facturus, tam repentinus involet, ratio sciscitatur: tum ubi motus asperiores fregit, si urbis magistratui visum fuerit, ingressum permittit. Hunc custodem primo loco ponit rex noster v. 3. Vers. 3. 1. Pars. OBMUTUI, ET HUMILIATUS SUM, ET SILUI A BONIS. Nota, pro *obmutui,* Hebr. est, נאלמתי *neelamthi,* id est, obmutui, silui. Est in Niphal, id est, in secunda coniugatione. In Piel, hoc est, in tertia coniugatione, significat ligare manipulos. Eniti debemus omnes, ut semen gratiæ a bono patrefamilias in cor nostrum immissum inveniat terram bonam, quæ ferat fructum non modo trigesimum et sexagesimum sed etiam centesimum. Ligandi sunt manipuli silentio, si velimus affectiones nostras deportari in horreum Christi. Omnia enim per garrulitatem effluunt, ut a volucribus cœli comedantur. Silentium exactissimum exigunt, qui hæc sequentibus iungunt, ac vertunt: *Obmutui silentio:* ita S. Hieron. Pagnin. Muisius, Felix, Flamin. et alii. *Obmutui penitus:* ita Campens. ἀλαλος ἐγενόμην, σιγῇ ἐσιωπήθην: *Elinguis factus sum, silentio silui.* Hoc est, perfectissime silui. Est Hebr. Cum enim Hebræi verbo iungunt nomen eiusdem significationis, notant rei certitudinem et perfectionem, ut vita vivet, morte morietur, et in similibus; 2. S. Augustinus et S. Cyrillus interpres lib. 12. in Ioan. cap. 12. legunt *obsurdui,* non respicientes ad vocem Hebraicam, quæ tantum significat obmutui, sed ad Gr. ἐκωφώθην, quæ proprie significat obsurdui, surdus factus sum, me surdum simulavi, perinde me gessi ac si surdus fuissem. Sic Ps. præcedenti v. 14. κωφὸς sumitur pro surdo. Usurpatur tamen etiam pro muto, ab ipso Homero et Nicandro.

24. Silentium est optimus mentis custos. Moral. Optimus mentis custos est silentium. Hoc docet Salomon. Proverb. 13. v. 3. *Qui custodit os suum, custodit animam suam; qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* Arab. *trepidare faciet animam suam.* Septuag. terrebit seipsum. Sæpe enim videbit verba emissa sibi nocuisse. Theodotio, confusio imminet illi. Vatabl. contritio est illi. Syr. facit contritionem animæ suæ. Per animam intelligit vitam Vatablus. Sæpe enim verba temere prolata corpori nocent; et ut eleganter ait Plinius, *sæpe vox temere emissa redit per iugulum.* Hinc S. Petrus Damiani serm. 73. ad hanc silentii curam invitat: *Præcipue,* ait, *loquacitatis vitio severe ac vigilanter obsistite, et prurienti linguæ frænum sobrii moderaminis adhibete; ne quod absit, brevis horæ spatio perdatis otiosa loquendo, quod per plures acquisistis orando: et nunc ex lingua leviter affluat, quod mentem postea pœnitendo graviter premat.* Et lib. 2. epist. 18. ad Cardin. dicit: Religiosis per cætera fere securis a sola lingua esse periculum damnationis: *Fateor,* inquit, *fratres mei, nil fere in monasteriis agitur, unde mens mea terribilius super monachos imminere Dei iudicium suspicetur: nam continuo meatus impulsu, quasi torrens per decliva devexa procedens eorum lingua decurrit: et cum tintinnabulum sonat, sic illis est, tamquam si de repentino protinus ictu eorum caput illidat.* Et aliquot interiectis subtexit: Authalopus eum exclamat, ad suum ignarus interitum, gladios venatoris invitat: qui donec obticuit, persequentis industriam fugacis cursus opinione delusit. Atque ut hoc inferam: quod cancer ostreo, facit plerumque diabolus monacho. Cancer solerter explorat, si quando ostreum se contra solis radios aperiat: tunc ergo calculum clandestinus incursator immittit; sicque hiantia claustra reperiens, viscera ostrei interna decerpit. Ostreum significat monachum, qui nimirum vivit, dum sub silentii censura concluditur: perit autem, cum ad loquendum immoderatius aperitur. Quid enim designat calculus, qui ostreo ne recludatur, iniicitur, nisi duritia consuetudinis, qua quisque ne sese ad pœnitentiam emolliat, induratur. Nam quasi quidam lapillus pravæ consuetudinis obstat, ne is, qui fabularum vacat ineptiis, a sua se vanitate recludat. Cancer qui post se naturaliter graditur, est apostata spiritus, qui postquam semel a conditore recessit, in posteriora relabi numquam desiit. S. Laur. Iustin. de disciplina et perfectione monasticæ conversationis, cap. 15. *Nihil,* ait, *ita incongruum homini Deo famulanti, et ad perfectionem tendenti reperitur, sicut effrænata lingua nullo considerationis moderamine religata, quæ omnem mentis unitatem dissipat et occidit.* Docet deinde eam silentio esse infrænandam, et rationem adiicit: *Est namque ianua, per quam sæpe diabolus ingreditur ad cor, et per quam patet omnis interioris hominis status.*

Ad eam portam oris et linguæ optimus custos est silentium. Nam primo, silentium est custos pervigil, et qui non patitur se ad varia distrahi; secundo, est custos stabilis et constans; tertio, est custos fortis et impenetrabilis; quarto denique, fidelis et incorruptibilis. 25. I. Silentium est custos pervigil.

Ac Primo, de silentii vigilantia et perspicacite. S. Ioannes Climacus grad. 11. ait: *Silentium prudens est,* μήτηρ προσευχῆς, *parens orationis, a captivitate liberatio,* πυρὸς φυλακή, λογισμῶν ἐπίσκοπος, σκοπὸς πολεμίων, *ardoris divini custodia, observatio cogitationum, speculator hostium, luctus carcer, amans lacrymarum, assiduæ mortis memoriæ effector, suppliciorum æternorum pictor,* κρίσεως φιλοπράγμων, *curiosus iudicis observator, minister salutaris tristitiæ, hostis nimiæ confidentiæ, religiosæ quietis coniux, ambitiosæ doctrinæ oppugnator,* γνώσεως προσθήκη, *scientiæ augmentum, contemplationis informator, occultus in virtutibus profectus, arcanus in Deum ascensus.*

Secundo, silentium est custos stabilis et constans. S. Iacobus in sua Canonica epistola cap. 3. v. 8. linguam vocat *inquietum malum.* Græce ἀκατάσχετον, hoc est incoercibile ut vertit Vatablus; inimpedibile ut Syrus. Alii qui legunt, ἀκατάστατον, hoc est, inconstans, instabile, consistere non potens. Est hydrargyrum sive argentum vivum quod nullo in loco stat, sed semper agitatur: aut est avis vaga, et huc illuc aberrans: eget aliquo custode, qui eam in loco suo et officio contineat. S. Augustin. serm. 31. de verbis Apostoli: *Lingua,* ait, *facilitatem habet motus, in udo posita est, facile lubrico labitur. Quanto illa citius et facilius movetur, tanto tu adversus illam fixus esto. Domabis, si vigilabis; vigilabis, si timebis: timebis, si Christianum te esse cogitaveris.* II. Stabilis et constans.

Tertio, silentium est custos fortis et impenetrabilis. Scutum vocatur a S. Ambrosio in Psalmum nostrum: *O validum scutum,* ait, *circumspectæ munitionis silentium. O fidissimum stabilitatis fundamentum: in quo si quis potuerit stare, lubricum verbi timere non possit. Multi enim stabili corde firmati, incauti tamen, sermonis fluctuantis errore sæpe ceciderunt.* Phocylides dicebat ὅπλον τοι λόγος ἀνδρὶ τομώτερον ἐστι σιδήρου, arma dedit Deus homini potentiora et penetrabiliora ferro sermonem. Illum comparat cornibus taurorum, aculeis apum, fortitudini leonum, et celeritati avium, vocatque præterea, ἔρυμα ἀνθρώπων, defensaculum hominum. Sed experientia docet nihil esse fortius et securius silentio. Romani urbem suam satis tutam esse credebant, dum silentio custodiretur: neque alterum Romæ nomen, nempe Valentia, hosti indicaretur. Hinc Angeronæ deæ sacrificabant ad diem duodecimum Calendas Ianuarii, eiusque simulacrum ore obligato obsignatoque habebant, ut notavit Plinius lib. 3. cap. 5. Valerius Soranus, cum nomen illud Romæ evulgasset, statim pœnas luit. Apud Eleusinios capitale erat quidquam ex mysteriis in vulgus efferre: pariter apud Romanos in sacris bonæ deæ. III. Fortis et impenetrabilis.

Quarto denique, silentium est custos fidelis et incorruptibilis. Illi cor tuum et arcana potes committere. Chilon IV. Fidelis et incorruptibilis.

*

rogatus, quod esset difficile? Arcanum, ait, retinere. Aristoteles etiam interrogatus a quodam, quis arcanum sermonem continere posset, respondit: Qui carbonem quoque ignitum lingua retinere potest. Hinc Seneca epistola 110. ad Lucilium sapienter dicit: *Nihil æque proderit ad quietem commodam retinendam quam quiescere, et minimum cum aliis loqui, plurimum secum. Est quædam dulcedo sermonis qui irrepit et blanditur, et non aliter quam ebrietas et amor, secreta producit. Nemo quod audierit, tacebit: nemo quantum audierit, loquetur: qui rem non tacuerit, non tacebit auctorem: habet unusquisque aliquem, cui tantum credidit quantum ipsi creditum est, ut garrulitatem suam custodiat, et contentus sit: unius auribus populum faciet. Sic quod modo secretum erat, rumor est.* Mutas cicadas reperies in agro Rhegino, grues silentes cum Taurum montem transvolant, lapillo in ore posito, ne ab Aquilis discerpantur, naves in ipsa tempestate anchoris alligantur et servantur, qui linguam contineat vix hominem reperies. Ideo orabat auctor Ecclesiastici c. 22. v. 33. *Quis dabit ori meo custodiam, et super labia mea signaculum certum*, (Græce σφραγῖδα πανοῦργον, sigillum astutum et prudens. Tigurina, sigillum sapientiæ. Syrus, sigillum honoris. Tale est silentium. Nam, ut ait Salomon Prov. 17. 18. *Stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur*. Solon dicebat, nullus stultus tacere potest. Hebræi hoc usurpabant proverbium: Lagena plena nummis, non sonabit: unicus et alter si in ea nummus fuerit, sonum edet et tinniet: id est, doctus et virtutibus plenus silet: qui doctrina et virtute est vacuatus, continuo tinnit et resonat. Additur in Eccl. *ut non cadam ab ipsis*, (per ipsa labia) *et lingua mea perdat me*. Thales dictitabat. Vide ne in ius te vocet sermo contra coniunctos tibi ac socios dictus. Persæ arcana regum mira silent fide: non metus, non spes elicit vocem qua prodantur occulta: vetus disciplina regum, silentium vitæ periculo sanxerat. Lingua gravius castigatur, quam ullum probrum: nec magnam rem sustineri posse credunt ab eo, cui tacere grave sit, quod homini facillimum voluerit esse natura. Sume itaque tibi signaculum certum et tutum, nempe silentium. Alexander epistolam sibi ab Olympiade matre missam, quæ occultas accusationes et calumnias in Antipatrum continebat, legens, Ephestionem quidem amicum simul, ut consueverat, eamdem legere passus est: sed ea lecta annulum ipse digito detraxit, et ori illius sigillum, veluti reticentiæ symbolum impressit, dicens: Contine hæc, et ne quid eorum effutias.

Vers. 3. 2. Pars. Secundus mentis custos a Davide assignatus est humilitas, v. 3. Et humiliatus sum. Primo, a Semei et aliis hostibus, a quibus fueram throno eiectus et conviciis appetitus. Petavius vertit πτήξας χαμαί, humi demissus. Secundo, a me ipso, ob cognitionem peccati et acceptationem pœnæ a Deo immissæ: et ob totum cultum exteriorem, cum fugerem pedes, flens et operto capite, a facie filii mei Absalonis. Pro *humiliatus sum*, hebraice est דוּמִיָּה *dumiia*, id est, *silentio*, suspicatur Lorinus, Septuaginta interpretes legisse *domamthi*, a rad. *dum*, vel *damam*, succidere. Sed magna est differentia inter *dumiia*, et inter *domamthi*. Itaque censeo per metonymiam seu metalepsim silentium poni pro humilitate. Consequens scilicet pro antecedente, sive effectum pro causa. Siluit enim David, cum appeteretur contumeliis a Semei, quia seipse humiliabat in animo suo.

26. Humilitas est optimus animæ custos. Moral. Optimus animæ custos est humilitas. Primo enim est pervigil, per sui cognitionem. Hugo lib. 1. de anima: *Melior es*, inquit, *si teipsum cognoscas, quam si te neglecto, cursus siderum, vires herbarum, complexiones hominum, naturas animalium, cælestium omnium, et terrestrium scientiam haberes. Multi enim multa sciunt, et seipsos nesciunt: cum summa Philosophia sit cognitio sui.*

I. Est pervigil.

II. Stabilis. Secundo, humilitas est custos stabilis. S. Bernardus l. 5. de consider. ad Eugenium illam vocat virtutum stabile fundamentum. Hugo a S. Victore lib. 3. de claustro animæ: *In spirituali*, ait, *ædificio fundamenti locus in imo, id est, humilitate quæritur; in latitudine, id est charitate disponitur; in altitudine vero bonorum operum paries erigitur, et divinæ protectionis tectum desuper ponitur; in longitudine autem patientiæ perficitur.*

III. Fortis. Tertio, humilitas est custos fortis. S. Ioannes Climacus grad. 25. Ταπεινοφροσύνη ἐστὶ σκέπη θεία, πύργος ἰσχύος ἀπὸ προσώπου ἐχθροῦ: *Humilitas est tegmen divinum, et turris fortitudinis a facie inimici.*

IV. Fidelis. Quarto denique, humilitas est custos fidelis. S. Bernardus in epistola ad Socrum: *Humilitas*, ait, *meretur, ut homo virtutes occupet, quia humilibus Deus dat gratiam. Servat accepta, quia non requiescit Spiritus sanctus, nisi super quietum et humilem. Servata conservat: nam virtus in humilitate et infirmitate perficitur. Inimicum omnis gratiæ, omnisque peccati initium, superbiam debellat.*

Optima præsertim custodia est humilitas, quia Deum dat custodem humiliantibus se præsertim cum silentio. Ps. 118. v. 6. *Custodiens parvulos* (νήπια, id est infantes, non fantes, non loquentes: a νη particula negativa et ἔπω dico, q. d. Non loquens) *Dominus: humiliatus sum, et liberavit me*. Ps. 33. 19. *Humiles spiritu salvabit*, et interno et externo spiritu: id est mente et habitu humiles: hoc est, qui nec intus superbiunt, nec verbis inflantur.

Tertius mentis custos est patientia. Unde David subtexit, v. eod. 3. Et silui a bonis. Hebraice est מִטּוֹב *mitob*, quod verti potest, 1. a bono, ita Pagninus et Felix; 2. de bono; ita S. Hieronymus; 3. pro bono; 4. propter bonum; 5. per bonum; 6. plusquam bonum. Hæc enim omnia significat propositio *min*, quæ servit ablativo reiecta littera nun. Nota secundo, bonum sumi potest, 1. pro bonitate seu virtute interna mansuetudinis: ita Euthymius; 2. pro bonis operibus: ita S. Gregor. Nazianzenus orat. 1. de pace, et Elias Cretensis; 3. pro bonis a Deo nobis datis, et beneficiis eius, ac legibus: ita Chaldæus et alii; 4. pro bonis æternis in cælo nobis servatis: ita Valentia; 5. denique, pro bonis hominibus: ita S. Thomas. Hinc autem varii existunt sensus. 27. Vers. 3. 3. Pars. Bonum varie accipitur.

Silui a bonis, in malam partem acceptum. Primo enim aliqui in malam partem accipiunt *silui a bonis*. Primo, q. d. Bonis operibus me non exercui. Hinc Arabs vertit: *Retraxi me a bono*. Hesychius vocat malum silentium. Symmachus reddit, silentio silui, cum non sim in bono. Sic dicitur Genes. 4. secundum Septuag. *Peccasti, quiesce*. Vide dicta Ps. 49. v. 18. Secundo, *silui a bonis*, q. d. Silui cum loqui deberem: ita S. Augustinus et Caietanus. Hoc voluit Chaldæus, cum vertit: *Cessavi a verbis legis*. Tertio, *silui a bonis*, q. d. Silui quod nulla mihi spes esset boni: id est, quod nihil de bono et salute cogitarem præ magnitudine angustiarum: ita Eugubinus. Quarto denique, quod abstinuerit a bonis hominibus docendis: ita S. Thomas et Ugo.

Melius in bonam: et quomodo? Secundo, et melius, τὸ *silui a bonis*, in bonam partem accipiendum est. Primo, q. d. Tribulationes toleravi propter spem bonorum æternorum: ita Valentia. Secundo, *silui a bonis*. q. d. Silui supra quam bonum erat, silui ita ut omnem silentii bonitatem superaverim, et illud exactissime perfectissimeque servaverim, cum loqui etiam cum laude possem: ita Matthias Bredembachius. Tertio, *silui a bonis*, q. d. Silui ex bonitate, bonitas, lenitas, benignitas mea et mansuetudo me impulit ut silerem: ita Euthym. Quarto, *silui a bonis*, q. d. Silui de bonis; hoc est de meis bonis operibus et de honore meo regio. Hinc S. Hieronymus vertit, *tacui de bono*. Quinto denique et optime, *silui a bonis*. q. d. Silui cum possem bonitatem causæ meæ facile obtendere, et calumnias mihi a Semei aliisque obiectas refellere: ita Petav. qui reddit: Diu mutus fui, humi demissus, neque adversus inimicos, ut fas est, excusans me, quod bonum erat, dixi. Magn. clare, Cum liceat iustas factis obtendere causas. Quæ explicatio est melior illa quam postea posuit, Abstinui bona verba loqui, et lenire furentes, nisi forte idem velit dicere. S. Isidorus libro de conflictu virtutum atque vitiorum monet, ab utilibus nonnunquam verbis esse abstinendum. S. Ambrosius in psalmum nostrum ait: Davidem tacuisse, quia erat innocens in iis quæ a Semei obtrudebantur: *Bona conscientia*, inquit, *non eget defensione verborum, quæ suo nixa est te-*

stimonio ipsa sui iudex. Adde quod etiam in iusta sui defensione sæpe multa excidunt, quæ ex innocente reum faciunt. S. August. hic: *Cepi*, ait, *non dicere bona, cum timeo ne dicam aliqua mala.*

28. Moral. Patientia est optimus animæ custos, semper illam contra hostes irruentes protegens. Nam ut ait Greg. lib. 11. Mor. Nunquam est patientiæ virtus in prosperis. Ille autem vere patiens est, qui et adversis conteritur, et tamen a spei suæ certitudine non curvatur: ita Gregor. Cum igitur consistit peccator adversum te, patientiam assume ad tui custodiam.

Patientia est optimus animæ custos.

I. Primo, patientia custos est pervigil. Prov. 14. v. 29. *Qui patiens* (Septuag. μακρόθυμος longanimis) *est, multa gubernatur prudentia: qui autem impatiens* (S. Antioch. homil. 2. pusillanimis) *est, exaltat stultitiam suam.* S. Antioch. fortis est stultitia. Lege S. Chrysol. serm. 38. Iram comparat Aristoteles velocibus ministris, qui antequam audiant quod dicitur, excurrunt: proinde in agendo oberrant. Item comparat canibus, qui antequam considerent si sit amicus, latrant, statim ut pulsatum est ad ianuam. Vide illum lib. 7. Ethic. cap. 6. Doctrina non speculativa sed practica, id est sapientia, prudentia, et discretio, habetur per patientiam. Prov. 19. 11. *Doctrina viri per patientiam noscitur.* Syrus vertit: Doctrina viri est patientia. Symmach. Prudentia hominis longanimitas eius. R. Salomon: Si vir iram cohibeat, mente præstabit.

Est custos pervigil.

II. Secundo, patientia est custos stabilis et constans. Eccli. 1. 29. *Usque in tempus sustinebit patiens*, (Græc. ἀνέξεται id est tolerabit; 2. mutuo complexu stringet: crucem scilicet suam; 3. resistet, reluctabitur) *et postea redditio iucunditatis.* Tigurina, postea exorietur ei lætitia. Hinc David ait Ps. 26. 14. *Expecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.* Tertull. lib. de patientia: *Idoneus*, ait, *patientiæ sequester Deus: si iniuriam deposueris penes eum ultor est: si damnum, restitutor est: si dolorem, medicus est: si mortem, resuscitator est. Quantum patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem.*

Stabilis et constans.

III. Tertio, patientia est custos fortis. Prov. 16. 32. *Melior* (præstantior) *est patiens* (Hebr. longus naribus; Sept. longanimis) *viro forti: et qui dominatur animo suo expugnatore urbium.* R. Barzoma in Pirke avoth petit: *Quis potens? Ille qui fortiter tentationi resistit.* 2. *Quis sapiens? Ille qui se semper, et ab omnibus doceri fortiter desiderat. Quis dives? Qui suis contentus, nec aliena appetit. Quis honoratus et in pretio? Qui alios honorat, observat, et colit debita reverentia.*

Fortis.

IV. Quarto denique, patientia est custos fidelis et incorruptibilis. Quamdiu mentem custodit, secura est. Luc. 21. 19. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Omnis possessio spiritualis secura est, patientia stante pro foribus eius. Vide Ps. 37. sect. ult. art. ult.

Fidelis.

Tribus his animæ custodibus: nempe silentio, humilitati, et patientiæ præsidet Ratio, velut arcis gubernator, sine quo omnia pessum eant necesse est. Nam ut ait S. Chrysost. in Ps. 140. *Sicut nihil iuvat domus, non urbs, non mœnia, non portæ, non ostia, nisi sint qui ea custodiant et sciant quando oportet ea quidem claudere, quando vero aperire:* ουτως ουδε γλωττης οφελος ουδε στοματος: *ita etiam oris et linguæ nulla est utilitas, nisi ratio, cui* μετα ακριβειας και πολλης επιστημης, *scienter, accurate ac circumspecte ea claudere et aperire permissum sit, et sciat quæ sint efferenda, quæ vero retinenda.* 29.

Ratio mentis custodibus præsidet.

Custodiam ori duplicem cum David adhibuimus: unam quidem remotam, alteram proximam. Remotam quidem, vigilantiam, quæ mentem ipsam et omnes vias circumspiceret, ne hostis ex improviso adveniret. Huius effectum ait esse, impedire peccata linguæ. Proximam vero custodiam ori adhibuit, silentium, humilitatem, patientiam. Huius custodiæ duplicem effectum assignat, 1. contritionem; 2. orationis fervorem.

Ac primo, silentium, humilitas et patientia contritionem de peccatis adaugent vel excitant, v. 3. Et dolor meus renovatus est. Hebr. נעכר *necar*, id est conturbatus: ita S. Hieron. et Felix; 2. exagitatus est: ita Flaminn. 3. sensum exprimit Campensis, q. d. Ea taciturnitas auxit dolorem meum. Magn. dolor oppressus recrudnit. Ratio physica cur silentio augeatur dolor, est, quia per oris occlusionem spiritus vitales magis ac magis inflammantur: per oris apertionem aer frigidus ingreditur viscera, et illa refrigerat. Ratio autem moralis est: Primo, quia qui loquitur in dolore, recipit consolationem ab amicis. Secundo, causæ suæ æquitatem ostendit etiam inimicis, qui inde mitigantur. Tertio, etiam cum ira vindictam sumit, suavitas quædam animum titillat. Cum vero quis silet, hæc omnia cessant. Quarto, qui silet, magis applicat animum ad dolorem suum, minus enim distrahitur ab obiecto dolorifero: qui vero loquitur, ad plura attendit. 30.

Vers. 3. 4. Pars. Silentium est causa contritionis.

Eamdem ob rationem, contritionem de peccatis excitat silentium humile et patiens. Illam vero dissipat garrulitas. De primo ait S. Ioan. Clim. grad. 11. σιωπη πενθους δεσμωτηριον, δακρυων φιλη, *luctus carcer, amans lacrymarum est silentium:* αδημονιας υπουργος, *salutaris tristitiæ minister.* De secundo autem ait ibid. loquacitas est, κατανυξεως διαλυσις, compunctionis et contritionis dissolutio. S. Laur. Iustinian. de disciplina et perfectione monasticæ conversationis, cap. 15. *Nil*, ait, *sic dissolvit mentem, compunctionem dissipat, confusionem adducit, denigrat honestatem, et interioris gustus dulcedinem tepefacit, sicut inanis et præsumptuosa loquacitas.*

Secundo, effectus silentii humilis et patientis est fervens oratio. Unde addit David, v. 4 *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis.* Sed vide hunc versum seq. art. 1. ubi expendetur.

Et orationis ferventis.

SECTIO SECUNDA.

Duo complectitur. Primo, Orationis fervorem, qui est velut illius forma, vers. 4. Secundo, illius aperit materiam; nempe brevitatis et vanitatis vitæ considerationem, vers 5. et seqq.

PARAPHRASIS.

4. *Concaluit cor meum intra me: et in meditatione mea exardescet ignis.*

4. Ex illa contritione cordis mei, et collisione doloris interni, calor cælestis charitatis excitatus est in eius medio: et scelera mea eorumque præsens supplicium animo versans et concoquens, humanæque vitæ miseriam volvens, divinas in flammas exarsi, et contemptis terrenis ad cælestia evolavi.

5. *Locutus sum in lingua mea: notum fac mihi Domine finem meum.*

5. Nec se conclusus ignis tamdiu continere potuit, quin scintillæ emicarent, sacris ardoribus inflammata lingua has voces emisit: Ostende quæso Domine, quo tandem eruptura sit hæc calamitas, quemve finem vita mea sortitura sit.

Et numerum dierum meorum quis est: ut sciam quid desit mihi.

Noverim Domine, quantum mihi spatii decurrendum restet, quamque mihi vitæ metam præfixeris: ut intelligam quid mihi desit, quo transcurso optatum hunc terminum attingam.

6. Ecce mensurabiles posuisti dies meos: et substantia mea, tamquam nihilum ante te.

6. Tu certa mensura dierum meorum numerum clausisti: eaque tam brevi, ut magnæ non sit operæ illos percensere. Nec dies mei modo pro nihilo duci debent, si æternitati tuæ conferantur: sed ego ipse, meaque subsistentia, atque essentia, nihil sumus in oculis tuis, licet a cæcutientibus hominibus et ad regios radios caligantibus, plurimi æstimemur.

Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens.

Etenim quisquis in terris homo est, sive divitiis abundet, sive honoribus floreat, sive ad nutum cuncta possideat, universitas est vanitatis, et fortunæ iocus atque ludibrium: cum nihil nisi fluxum sit et labile, brevique interiturum.

7. Verumtamen in imagine pertransit homo: sed et frustra conturbatur.

7. Nam homo, inanis instar umbræ (quæ rei imago est, non res ipsa) prætervolat. Et continuis animi commotionibus: timoris scilicet, spei, amoris, odii, cæterisque fluctibus tunditur, et huc illuc agitatur.

Thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea.

Quis avarorum æstus, quæ concitatio, ut hinc inde conquisitos thesauros aggerant? quæ porro tot in acervatis opibus quies et tranquillitas? cum ignorent an futuræ sint hostium spolium, furum præda, nepotum lustris ganeisque immersorum ludus.

QUÆSTIO UNICA.

QUANTO STUDIO VITÆ HUIUS BREVITAS EST CONSIDERANDA.

Sectione superiori David ostenderat patientiam suam in perferendis Semei contumeliis: nunc aperit causam illius patientiæ: nempe considerationem brevitatis vitæ.

31. Vitæ humanæ proprietates octo. Ac primo, orationis suæ dispositiones declarat, v. 4. *Concaluit cor meum intra me.* Formam, cælestibus flammis conceptis: *Et in meditatione mea exardescet ignis.* Activitatem, v. 5. *Locutus sum in lingua mea.*

Secundo, materiam orationis notat. Nempe finem vitæ, v. eod. 5. *Notum fac mihi Domine finem meum.* Et eius decursum: *Et numerum dierum quis est: ut sciam quid desit mihi.*

Tertio, materiam illam dilatat; aitque, vitam hanc nostram esse brevem, v. 6. *Ecce mensurabiles posuisti dies meos;* 2. fragilem: *Et substantia mea tamquam nihilum ante te;* 3. vanam: *Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens;* instabile, v. 7. *Verumtamen in imagine pertransit homo;* 5. perturbationibus obnoxiam: *Sed et frustra conturbatur;* 6. laboribus plenam in divitiis acquirendis: *Thesaurizat;* 7. incertam de futuris: *Et ignorat cui congregabit ea.*

ARTICULUS I.

Orationis perfectissimæ quinque proprietates.

32. Orationis perfectæ proprietates quinque. In psalmo nostro absolutissimæ orationis conditiones reperio. Primo, quod a corde, velut vivo fonte, ortum habeat, v. 4. *Concaluit cor meum.* Secundo, quod in corde, velut in sacra fornace, incalescat: *Concaluit cor.* Tertio, quod diu in corde, velut in thesauro, conclusa non erumpat foras: *Concaluit cor meum intra me.* Quarto, quod in corde, velut in sacro altari, flammas concipiat: *Et in meditatione mea exardescet ignis.* Quinto denique, quod ex corde, velut ex sacra et cælesti fistula, ignitas pilas ad cælum per linguam vomat, et Dei cor vulneret, v. 5. *Locutus sum in lingua mea*, id est, lingua mea.

33. Vers. 4. 1. Pars. I. A corde incipere debet oratio. Primo itaque, oratio ab ipso cordis meditullio, velut a vivida radice, prodeat, si medullæ fructusque aliquid proferre cupit, v. 4. CONCALUIT COR MEUM INTRA ME, ET IN MEDITATIONE MEA EXARDESCET IGNIS. Qui ferreas glandes cannis muralibus intorquent, et mœnia verberant, ii glandem ad imum usque fistulæ fundum immittunt, ut ignario sulphuratoque pulvere excussa, vi maiore prorumpat. Nam si fistulæ in medio aut ore eam posueris, irrito ictu diffluet, aut ipsam cannam disrumpet. Rex noster ex profundo cordis penetrali amoris tela in cælum emittebat, ut felici ictu parentis optimi cor vulnerarent. Hoc profitetur Ps. 118. v. 58. *Deprecatus sum faciem tuam* (id est, te præsentem. Est synecdoche) *in toto corde meo:* in omnibus eius partibus ambulans et considerans, ne quid tibi displiceret: ab eo autem non recedens, sed efficiens: ut quot sunt in eo partes, tot sint ora te laudantia atque amantia, et nihil aliud. Cor primo generatur, ait S. Thomas 2. 2. quæst. 122. art. 2. Cor est principium

A motus in animali, 1. 2. quæst. 17. art. 9. Cor est primum principium virium vitalium, 3. parte, quæst. 90. art. 3. Hoc adhuc est verius in ordine gratiæ. Omnia enim debent a corde incipere: sive in prima generatione per contritionem et conversionem ad Deum, sive in progressu. De primo habes publicanum pectus percutientem, ut indicaret unde oratio et contritio eius prodiret, Luc. 18. v. 13. Ubi Theophylactus: *Percutit pectus*, inquit, *quasi manu designans, unde oratio germana procedat, et ut cor ipsum excitet Deo.* De secundo, nempe de progressu in virtute et perfectione, ad quam mens ambulat, et oratio anhelat, ait David Ps. 34. v. 13. *Oratio mea in sinu meo* (Psalt. Rom. in sinum meum) *convertetur.* Vide ibi dicta. S. Ambrosius in psalmum nostrum v. 3. ait: *Etsi infirmus es, ora: et si fortis es, ora. Infirmus pro te oras, fortis pro inimico tuo oras. Bonum scutum infirmitatum, oratio. Tu oras, et Dominus te protegit. Bonum scutum etiam triumphantis, ut inimicum tuum quem possis ferire, defendas ne ab aliquo trucidetur: et quod est maius a Christo, qui* Oratio in sinu convertitur.
B *dixit: Mihi vindictam et ego retribuam. Hæc est oratio quæ in sinum convertitur deprecantis, fructum referens eorum quæ voluit impetrare, ut dona eius ad animam ac mentem recurrant, quæ poposcit a Domino: Sicut in posterioribus hic idem Propheta te docuit dicens Ps. 62. Sic benedicam te in vita mea, et in nomine tuo levabo manus meas. Tamquam adipe et pinguedine repleatur anima mea.* Deinde secretum orationis vocat animæ et Abrahæ sinum. Pergit enim: *Ipse est sinus animæ, secretum orationis eius, penetralia voluntatis, et quædam recurrentium votorum intima receptacula. Unde et iusti in Abrahæ sinu requiescere leguntur: quod in eius gratia, in eius requie, in eius placiditate, requiescant, qui conformem ei induerint fidem, et eamdem in bonis operibus fecerint voluntatem.*

Nulla Deo simphonia est acceptior, quam fervens oratio: sed ori consonans cor esse necesse est, ne vocum discrepantia Angelicæ assuetas melodiæ aures convulneret. S. Isidorus de summo bono lib. 3. cap. 8. *Quid prodest,* ait, *strepitus labiorum, ubi cor est mutum? Sicut enim*
C *vox sine modulatione, est quasi vox porcorum: sic oratio sine devotione, est quasi mugitus boum.* Ubi cor deest, ne victima quidem pinguissima erit placabilis Domino.

Secundo, cor velut altare holocausti, perpetuum calorem servet amore divino exæstuans, ut cælestes victimas per mortificationem oblatas sustentet, v. eod. 4. CONCALUIT COR. Magnum calorem esse vult Arabs, qui vertit, æstuavit cor. Chaldæus, ebullit. Internus sit calor, ut duret, et in dies magis ac magis incendatur spiritibus vitalibus sese mutuo excitantibus et inflammantibus. S. Hieronym. reddit, *incaluit*, q. d. Intus caluit. Campensis, *incalescebat*, q. d. Opto semper magis illud calefacere; Deum amanti, infinitum bonum, nullus calor satis intensus videtur. Levitici 6. 12. *Ignis in altari meo semper ardebit, quem nutriet sacerdos subiiciens ligna.* Sacerdos est, qui sacra dat, se scilicet sacrum faciens et sacrificans Deo: altare est cor altum non repens humi: altare holocausti, est cor nihil sibi reservans, sed perfecte ad incinerationem usque et ultimam abiectionem se ad humum suam redigens in conspectu Dei: ligna quibus ignis nutritur, sunt 34. II. Orantis cor debet incalescere. Ignis in altari holocausti semper ardebat.

Dei dona, Christi mysteria, sanctorum prælucentium virtutes, vel divinæ inspirationes. Secundo, cor est thuribulum aureum, quod ferebat, et in quo adolebat incensum summus sacerdos intrans in Sancta, id est, in Sanctum sanctorum, hoc est in locum templi sanctissimum, ubi erat testimonium, id est arca continens tabulas testimonii; hoc est legis, qua Deus testabatur populo suam voluntatem. Levit. 16. *Assumpto thuribulo, quod de prunis altaris impleverit, et hauriens manu compositum thymiama in incensum, ultra velum intrabit in Sancta, ut positis super ignem aromatibus, nebula eorum et vapor operiat oraculum* (id est propitiatorium, in quo sedens Deus, hoc est Angelus vices Dei gerens, reddebat oracula) *quod est super testimonium, et non moriatur.* Thuribulum, est cor charitate plenum; ignis, est Spiritus sanctus; calor, est sanctorum fervor; thymiama, sunt virtutes; suffitus, sunt orationes. S. Ioannes Apocal. 8. v. 3. vidit thuribulum illud aureum in cælo; ibi enim esse debet cor nostrum, ubi est thesaurus noster. Et dicitur nobis quotidie, Sursum corda. In eo thuribulo sit incensum. Verba S. Ioannis sunt: *Altus Angelus venit, et stetit ante altare, habens thuribulum aureum: et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei, ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Sis Angelus, id est purus; offer manu, id est operatione; coram Deo, hoc est eum tibi semper præsentem ante oculos ponens. Præcipuam Ægypti effigiem ex imagine cordis in ara ardenti thuribuloque considentis, ostendere veteres consueverant. Calida enim atque humida est Ægyptus, in australibus præsertim locis, quemadmodum et cor. Sed sapienter Pierius Valerianus, qui hoc refert lib. 14. cap. 6. docet, potius dicendum esse, cor in thuribulo positum significare orationes precesve, quæ puro ex corde proferuntur ad Deum: idque esse thus illud mundum, quod sibi Deus offerri mandat in divinis litteris.

35. Vers. 4. 2. Pars. III. Oratio in corde debet perfici.

Tertio, oratio non prius foras prodeat, quam in cordis catino diu conclusa, perfecte excocta sit et purgata, vers. eod. 4. CONCALUIT COR MEUM INTRA ME. Hebr. in medio mei: ut ibi regnet, ibi triumphet, ibi dominium summum exerceat. Arabs vertit, *in visceribus meis.* Non enim leviter impressa, sed in intimis medullis fixa hæreat oratio: homines effugiat pro virili, clauso ut ostio uni Deo pateat. Matth. 6. v. 6. *Tu autem cum oraveris intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora patrem tuum in abscondito: et pater tuus qui videt in abscondito,* (Deus intuetur cor, 1. Reg. 17.) *reddet tibi.* Recollectio in precibus valde est necessaria. S. Hilarius can. 5. in Matthæum acute vocat orationem, *cubiculum cordis:* in ea enim cor velut in suo asylo latet et tutum est: hic autem Propheta noster, cor facit cubiculum orationis, quod ipsa exornat et ditat, accendit et illustrat.

Cor et oratio duo sunt duces catena aurea charitatis constricti, qui mutuum sibi subsidium præbeant. Ierem. Thren. 3. v. 65. meditationem passionis Christi vocat *scutum cordis:* hoc loco autem David cor ponit, veluti clypeum atque arcem orationis ex qua dimicare, et ad quam confugere debeat.

Silentium iuvat orationem.

Ex his sequitur, silentio iuvari orationem: et ideo postquam dixit David: *Obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis*, subtexit, *Concaluit cor meum intra me*, q. d. Ex meo silentio sequitur calor cordis mei. Non ad iram vel indignationem ut (Ambrosius exponit qui ait: *Vaporatur eius cor, habet febrem, ignescit ad obiecta convicia. Etsi tacet vel intra se teritur*) sed ad orationem et amorem Dei. Ratio autem cur silentio iuvetur oratio, est, quia qui silet, animum suum colligit, neque patitur eum ad varia dissipari: ideo sicut fons impeditur ab aliquo canali aureo ne in terram defluat, sursum se erigit: ita et mens non dissipata, sed in se ipsam collecta, ad Deum sese erigit, 1. per cognitionem; 2. per affectionem. De primo ait

Tam quoad cognitionem.

S. Anastasius Sinaita quæst. 2. *Virtutum omnium maxima est quies et silentium, ut quæ sunt causa Dei cognitionis, convenienter ei, qui dicit Ps. 45. v. 11. Vacate et videte, quoniam ego sum Deus.* Vide illum locum. Deum solum aspicit, qui hominibus silet. S. Climac. grad. 11. ideo eum dicit illustrari: *Studiosus silentii,* προσεγγίζει Θεῷ *familiaris est Deo: et arcano quodam modo, dum cum illo familiariter colloquitur, a Deo illustratur.* Ut Moses in Sinai, Apostoli in Thabor. S. Antioch. hom. 103. Quam speciosa, inquit, quamque opportuna et accommoda est virtus silentii? Nihil aliud prorsus est, quam μήτηρ ἐννοιῶν σοφωτάτων, *mater sapientissimarum cogitationum.* Benignus enim ille spiritus vix aliud tam aversatur et fugit, quam multiloquii vanitatem: quandoquidem is ab omni turbulenta se submovet intemperie, atque ludificatoria imaginatione.

Quam quoad affectionem.

De secundo, nempe quod silentium iuvet piam affectionem, patet: qui enim silet, privat se suavitate et amore creaturarum, ideo suavis fit illi Deus, et in illum amore fertur, mutuoque ab eo amatur. S. Antiochus hom. 103. mox citata: Monachus, inquit, silentii et quietis amator non potest non a Deo diligi. Cum enim Dei amore inardescat, soli cupit Deo colloqui per sinceram orationem. Is, etsi in terra moretur, cælestia tamen transcendit pia imaginatione. Tota enim eius mens in hac una et anxia cogitatione versatur, ὡς ἀρέσκειν τῷ Θεῷ, καὶ γενέσθαι ναὸς ἁγίου πνεύματος. Ut Deo se probet ac reddat amabilem, sanctique spiritus templum promereatur effici: ita S. Antiochus, qui addit eum qui silet, cervicem suam libenter suavi Christi iugo subiicere, amare solitudinem, ut Deum contempletur: Οἱ τοιοῦτοι ἀγγέλοις τῷ βίῳ συναμιλλῶνται: *Qui tales sunt, puritate vitæ cum Angelis congrediuntur.* Et cum multa quiete ac mentis tranquillitate divina fruentes allocutione, ἑαυτῶν νοῦν ἔσοπτρον ἀκηλίδωτον ἀπεργάζονται, *suam ipsorum mentem speculum efficiunt, nulla labe interpunctum aut aspersum:* ita ibi. Et supra dixerat, quod silentium est, μήτηρ πασῶν ἀρετῶν, mater omnium virtutum, per iugem et indivulsam ad Deum interpellationem, S. Laurentius Iustinianus de disciplina et perfectione monasticæ conversationis, cap. 15. Pacifica mens, ait, cultrix Dei et virtutum amatrix, atque in oratione pure ardenterque Domino astare desiderans, provida gubernatione inter claustra silentii cohibet linguam. Nil enim dissolvit mentem, compunctionem dissipat, confusionem adducit, denigrat honestatem et interioris gustus dulcedinem tepefacit, sicut inanis et præsumptuosa loquacitas. Et S. Ioannes Climacus grad. 11. Loquacitas, ait, est ignorantiæ argumentum, fenestra obtrectationis, scurrilium nugamentorum magistra, ministra mendacii, κατανύξεως διάλυσις, compunctionis abstersio, auctrix et conciliatrix ignaviæ, somni nuncia, συννοίας σκορπισμός, meditationis distractio, φυλακῆς ἀφανισμός, custodiæ cordis abolitio, θέρμης ψυχοποιήριον, προσευχῆς ἀμαύρωσις, fervoris divini gelicidium, orationis languor seu potius extinctio.

36. Vers. 4. 3. Pars. IV. Oratio in corde debet incalescere.

Quarto, cor solum ardere magnum quidem est, sed non sufficit: ipsa oratio ardeat necesse est. Unde subdit David: ET IN MEDITATIONE MEA EXARDESCET IGNIS. Hebraice, exarsit. Ubi adverte, quod Arabs docet, sacros illos ignes cum suavitate mentis inflammari. Vertit enim: *Et in cantu meo accensus est ignis ex me.* Secundo, Syrus aperit, non animam solum, sed corpus ipsum expurgari et succendi, cum reddit: *Et in corpore meo accensus est ignis.* Tertio, causam cælestis illius flammæ docet Chaldæus esse meditationem, cum vertit: *Ob meditationem meam exardescet ignis.*

Meditationis ignis habet quinque proprietates.

Nota, ignis ille divinus meditationis habet quinque proprietates, 1. ardet; 2. lucet; 3. urit; 4. ascendit; 5. stridet.

1. Ardet.

Primo enim, cor iusti in meditatione, est veluti speculum concavum, quod iustitiæ soli obiectum flammam concipit orationis, quæ immundas omnes cogitationes et affectiones absumat: in omnia enim se membra sacratus hic ignis insinuat, et ea ab hoste instar clypei flammantis protegit. Nahum 2. v. 3. *Clypeus fortium* (Syrus, clypei gigantum) *eius ignitus, viri exercitus in coccineis: igneæ habenæ currus in die præparationis eius, et agitatores consopiti sunt.* Agit de Medis et Chaldæis Assyrios et Ninivem eorum metropolim eversuris: ait autem eos venturos cum

clypeis inauratis, qui sole percussi flammas vomere videantur, coccinea veste et auratis habenis terrorem incussuros, cum nobilitas eorum inde appareat, atque agitaturi sint currus militares vino sopiti, ita ut prælium non timeant, sed semiebrii sese in densos hostes immittant, sicut nunc faciunt Cozaki, Hollandi, Hiberni, et alii, qui ante certamen se vino implent, ut generosiores sint. Musto plenus est, et ignem spirat, qui Deo in oratione approximat, Ninivem quæ significat speciosam, id est, mundum, qui κόσμος, hoc est ornatus, a Græcis dicitur, in se aliisque evertens. Syrus vertit: Clypei gigantum eorum rubescunt, et viri gigantes ludunt lampadibus ignis, et in curribus in die qua præparantur. Gigas est, qui cælo caput infert Deum contemplans et cælestia, ac pede terram calcat: ludit lampadibus ignis, gerens manu lampades, id est, operationes ardentes, ante thronum Dei sedentis cum senioribus, hoc est principibus populi sui: in curru est Eliæ, cum fervore ad summa abreptus, pallium, hoc est exteriora bona, in terram a se procul abiiciens. Sic S. Ignatius, qui totus erat igneus, ab oratione surgens, vultu flammante apparebat. Sic beatus Stanislaus Koska ita inflammabatur inter orandum, ut necesse esset aqua frigida madentia linteamina pectori eius applicare, ne corde nimium æstuante deficeret. Sic S. Philippus Nerius totus amore divino colliquescebat. Sic S. Catharina Senensis ita ardebat et incalescebat ob iugem cum Deo familiaritatem, ut etiam in hyeme modicis vestibus tecta, non modo non ureretur, sed ne frigeret quidem. In eo igne et flamma sibi Christus veluti sacra salamandra, complacet, atque in illis habitat quos ardentes et flammantes videt. Genes. 18. 1. *Apparuit Abrahamo Dominus in convalle Mambre, sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei*, hoc est sub meridiem, quo tempore solent hospites et peregrini adventare. Dominus tunc ei apparuit in specie trium virorum, qui symbolice repræsentarent sanctam Trinitatem. Si vis ut tibi appareat Deus, 1. esto in convalle, id est in humilitate; 2. in convalle Mambre, id est amari seu amaritudinis, amando mortificationem; 3. sede in ostio tabernaculi tui, habe pacem et tranquillitatem animæ tuæ, non multum discurrens; 4. esto in die, id est luce virtutis et fidei, sed fervente per ardentem charitatem. Tunc tecum sedebit Christus animæ tuæ Sponsus. Cant. 1. 6. dicit illi Sponsa: *Indica mihi quem diligit anima mea* (erat in ipso fervore diei) *ubi pascas, ubi cubes* (S. Ambros. lib. de Isaac cap. 4. ubi manes) *in meridie*, id est in charitate. Ibi quoque suos accumbere facit. Hebr. est, ubi תרביץ *tarbits*, id est, *accubare et quiescere facias*, gregem scilicet tuum. Sic accubuit cum discipulis duobus in Emmaunte castello (quod sexaginta stadiis distabat ab Ierusalem, hoc est milliaribus septem cum dimidio, seu duabus leucis cum dimidia) quia in via fuerat ardens cor ipsorum. S. Ambros. in illud Ps. 118. Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus custodit illud, sic ait: *Quem Dominus ignem novo sparsit testamento, qui secretos mentium divinæ ardore cognitionis inflammaret affectus, qui vaporem fidei et devotionis adoleret, qui cupiditatem virtutis accenderet. Hoc igne calefactus dicit Ieremias: Et erat ignis flammigerans in ossibus meis. Hoc sermonum igne cælestium vaporati Cleophas, et ille alius, qui simul cum Domino ab Ierusalem usque ad castellum confeceran iter, dicebat: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum aperiret nobis Scripturas?*

37. Et ardore fovet charitatem. Illa ardenti oratione nutritur et augetur Primo charitas. Absalon Abbas libro de dedicatione Ecclesiæ: *Sicut incensum, ait, cum inceditur, flammam, fumum, odorem ex se mittit: ita oratio Deo grata, fumum compunctionis ob peccata: flammam charitatis ob amorem cælestium: odorem devotionis, per ascensionem mentis in Deum.* Secundo, nutritur et augetur fervor in adeundis periculis.

Ac fervorem. S. Chrysostom. homil. 52. in Acta: Qui, ait, igne Christi captus fuerit, talis fit, qualis esset homo solus super terram habitans, adeo nihil curæ est ei gloria et ignominia. Tentationes autem sic contemnit, et flagella et carceres, quasi in alieno corpore pateretur: vel quemadmo-

A modum si adamantinum possideret corpus. Quæ autem suavia sunt in hac vita, ita ridet, et non sentit, sicut nos ipsi mortua corpora. Et sicut muscæ in medium flammæ non incidunt, sed fugiunt: ita et affectiones ad illos accendere non audent: ita Chrysostomus. Tertio, illo igne et flamma tollitur in cælum anima, ibique habitat, et conversationem suam habet in cælo cum Deo et sanctis. Iudic. 13. Angelus ascendit in cælum in flamma ignis. Sic enim v. 19. *Tulit Manue hædum de capris* (id est hædum parvulum) *et libamenta* (vinum et oleum) *et posuit super petram, offerens Domino, qui facit mirabilia, ipse autem et uxor eius intuebantur. Cumque ascenderet flamma altaris in cælum, Angelus Domini pariter in flamma ascendit.* Quod expendens Serarius noster quæst. 24. ait Angelum in holocausti flamma rediisse in cælum, ut significaret: Primo, gratissimum hoc Deo esse sacrificium, seque illud in cælum quasi deferre, ut illi offerret. Secundo, se etiam ipsum una cum holocausto isto dicare et quod-
B dammodo sacrificare totum. Tertio, oportere sacrificia precesque omnes, quas ab Angelis in cælum ad Dominum perferri optamus, *esse igneas ac præfervidas.* Quarto, Deo in primis accepta esse corda, quæ altarium instar, holocausticas sursum flammas mittunt, ut sunt suarum actionum omnium, verborum et cogitationum consecrationes, incensa divinæ propagandæ gloriæ desideria, charitate ac zelo flammantia proposita, religiosa paupertatis, castitatis, et obedientiæ, aliaque id genus sancta vota. Quinto, his omnibus delectari admodum sanctos Angelos: horum e petris etiam durissimis ac frigidissimis evocandorum esse auctores: his in cælum euntibus esse comites, imo et eorum baiulos. Sexto, Angelos recreari veritatis luce, charitatis calore, sanctoque ad supera motu. Ignis enim lucet ac illustrat, calet atque calefacit, sursum in cælum semper nititur. Septimo, se tendere, nosque ac nostra omnia tendere debere ad Deum, qui et ipse ignis consumens est, Hebr. 12. v. 29. Octavo denique, oportere illos, qui Malach. 2. v. 7. aut alibi, vocantur Angeli,
C collucere non inani pompa atque ornatu, ascendere non superbia et fastu, ardere non ira et libidine; sed flamma, quæ ab altari sit, quæ holocausta cremet, quæ ad cælum feratur.

Et animam in cælum tollit.

38. II. Lucet. Secundo, orationis et meditationis ignis in corde sanctorum lucet. Nahum 2. v. 4. *Aspectus eorum quasi lampades, quasi fulgura discurrentia.* Talis erat Moses e monte descendens, postquam secunda vice ibi fuerat per quadraginta dies, Exodi 34. v. 29. Sancti sunt septem lucernæ candelabri aurei lucentes in sancto ante arcam: ad eas alludens S. Ioannes Apocal. 4. v. 5. ait, *Et septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei.* Esto spiritus et spiritualis, lucebis et ardebis in conspectu Dei, qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis, Ps. 103. 4. quem locum consule. Origenes hom. 1. in psalm. nostr. prædicans eorum felicitatem, qui cælesti hoc igne sunt inflammati, subtexit. Erunt semper lampades eorum accensæ, et lucernæ ar-
D dentes, et ipsi parati tamquam servi expectantes Dominum suum de nuptiis redeuntem: ita Origen.

39. III. Urit. Hæc porro lux per orationem obtinetur. S. Chrysost. *Sicut sol*, ait, *præbet lucem corpori, sic animæ lumen est oratio.* Hoc sole mens illustrata, Phœnicis instar, charitate uritur et consumitur, in humilitatis cinerem redigitur, et seipsa pulchrior ac vegetior per fervorem reviviscit.

Tertio, oratio urit. Primo enim ardet nobis, lucet Angelis, urit dæmones. S. Maximus hom. 43. *Si, ait, fuerint dæmones fortes, robore montibus haud dissimiles, ab oratione comburuntur, velut cera ab igne.* Dæmones sunt muscæ quæ in hac flamma pereunt. Secundo, oratio urit peccata. S. Chrysost. apud Antonium in Melissa p. 1. *Sicut ignis*, inquit, *extergit æruginem: sic preces peccatorum nostrorum sordes expurgant.* S. Ambros. in Psal. nostr. *Et in ipsa meditatione ignis exardescit. Non malus ignis qui adurat, sed non exurat. Talis ignis, quem Moses in rubo vidit, quando rubus urebatur, sed non exurebatur. Est ergo ignis qui peccatum minuit, et suo culpam ardore*

depascit. Ideo et Dominus venit, ut ignem hunc in terram mitteret, quo illuminaret animas universorum, studium accenderet, crimen exureret. Tertio, oratio urit ipsum orantem. Ierem. 20. 9. *Factus est in corde meo quasi ignis exæstuans claususque in ossibus meis: et defeci, ferre non sustinens.* Tales ignes sentiebat S Xaverius thoracem præ ardore aperiens et clamans: Satis est Domine, satis est. Et S. Ephrem qui vasculum suum rumpi timebat. Quarto denique, oratio urit peccatores, ut conterantur, et Dei amore inflammentur. Illustre est exemplum in vita S. Elisabethæ.

40. IV. Ascendit. Quarto, orationis ignis sursum ascendit ad Deum, velut ad centrum suum, ut in illo quiescat. Cant. 3. v. 6. synagoga primitus ad Christum conversa, ait de Ecclesia gentium recens ad Deum se convertente: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum* (Syr. et Arabs, ex deserto, gentilitate sterili) *sicut virgula fumi* (Rabbini, sicut columnæ fumi. Symm. tamquam incensi evaporatio. Arabs, quasi thurificata ramis thuris) *ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii:* Id est apothecarii, qui aromata in pulverem redigit, commiscet atque componit et distribuit. Hoc secundario dicitur de singulis fidelibus per orationem ac virtutes in cælum ascendentibus. S. Gregor. homil. 22. in Ezechielem: *Fumus*, ait, *ex aromatibus compunctio est orationis, concepta ex virtutibus amoris: quæ tamen oratio, fumi virgula dicitur: quia dum sola cælestia postulat, secreta progreditur, ut ad terrena petenda minime reflectatur: Non virga autem sed virgula dicitur: quia interdum in compunctionis ardore tantæ sublimitatis est vis amoris, ut hanc nec ipse animus possit comprehendere. Subiungitur, myrrhæ, et thuris: quia thus in sacrificium incenditur, myrrha vero corpora mortua condiuntur, ne vermibus corrumpantur. Quare myrrhæ et thuris sacrificium offerunt, qui et carnem affligunt, ne eis corruptionis vitia dominentur, ut redolentem in conspectu Domini amoris sui hostiam incendant.* Ieiunium orationi vult iungi S. Chrysost. in Matthæum, tunc duabus alis celeriter evolat, corpore animam non degravante: Qui, ait, orans ieiunat, binas possidet alas, quibus ventos ipsos volando prætervehitur; non enim oscitat, non extenditur, non torpet orando: *sed igne est ardentior, et terra superior.* Unde infert hominem in oratione terrorem incutere dæmonibus, summamque vim obtinere: *Nihil enim homine probo orante potentius.* Puritas præsertim mentis et corporis iuvat ascensum in cælum, facit enim de homine Angelum, qui in flamma sacrificii cælos petat, ut dixi de Angelo apparente Manue et uxori eius. S. Ephrem sermone de virginitate sic ea de re ait: *Esto totius orationis tempore, velut cælestis Angelus, sicque contende ut oratio tua sit sancta ac pura, immaculata et irreprehensibilis: ut cum illam sursum ascendere viderint, portæ cælestes gaudentes ultro confestim ei aperiantur: ut ipsam cernentes Angeli et Archangeli cuncti lætantes illi occurrant, et coram sancto atque excelso throno immaculati Domini ipsam offerant. Sic ergo semper in orationis hora esto Deo coniunctus, ut Cherubim et Seraphim.*

41. Vers. 5. 1. Pars. V. Stridet. Quinto denique, orationis et contemplationis ignis stridet, crepitat, sonum edit, ac scintillas varias huc illuc disiectat. Ex oratione enim interna oritur ardens oratio vocalis, et inflammata prædicatio. Unde addit David v. 5. LOCUTUS SUM IN LINGUA MEA, id est, lingua mea. Hebræi enim nomen instrumenti ponunt cum præpositione; NOTUM FAC MIHI DOMINE FINEM MEUM. Linguam igneam sibi optat Origenes in psalmum nostrum, ubi dicit, ignem illum sanctum a tota Trinitate datum esse. Primo enim Patri applico, quod ait de igne Ieremiæ Prophetæ dato: *Tales erant*, ait, *Ieremiæ sermones, secundum quod scriptum est, cum dicit ad eum Dominus cap. 5. v. 14. Ecce dedi sermones meos retrorsum in os tuum ignem. Quare ignem? Quia sermones quos loquebatur, accendebant auditores, et nihil tepidum in eis neque frigidum permanebat: sed sicut ignis consumit atque interimit omnem materiam, nec immundum aliquid in se recipit, aut pollutum: ita et hi quorum cor divini verbi ignis accenderit, non patientur ultra materialibus et mundanis sordibus pollui, nihil in se tepidum recipient, et quod evomi dignum sit, nec patientur multiplicata in se iniquitate refrigescere charitatem: sed erunt semper lampades eorum accensæ, et lucernæ ardentes, et ipsi parati tamquam servi expectantes Dominum suum de nuptiis redeuntem.* De Filio Dei clare intelligendum est, quod subdit: *Aut non iste erat ignis ille de quo Salvator noster dicebat: Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat? Iste procul dubio ignis est qui frigus peccati fugat, et calorem spiritus revocat.* De Spiritus sancti igne addit: *Hoc nimirum est etiam quod in actibus Apostolorum refertur, cum dicit: quia visæ sunt eis divisæ linguæ sicut ignis, et consedisse super Apostolos, pro eo scilicet quod Evangelii verbum prædicaturi, et ignei vigoris deberent gratia roborari, ut auditorum animæ flammam per sermonis traducem sumerent.* Deinde subdit: Sed unde mihi hoc ut lingua ignis veniat in cor meum, et de lingua ignea ego quoque proferam sermonem, ut ex me velox sermonibus meis accendatur ignis in cordibus auditorum.

De illa lingua ignea dicit S. Lucas Actuum 2. v. 3. *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis.* Linguæ tamquam ignis, id est, ignitæ ac flammantes. Secundo, dispertitæ tamquam ignis. Nam ignis propter suam agilitatem in varias partes quasi linguas, facile se dividit ac dispertit. Fiebat autem hoc in Apostolis: primo, quia variis linguis erant locuturi; secundo, variis gentibus; tertio, varia mysteria enuntiaturi; quarto, varia dona distributuri. Tu quoque esto omnibus omnia. Sed habe linguam purgatam igne Seraphico cum Isaia, aut ignitam igne Spiritus sancti cum Apostolis. Nam ut ait S. Petrus Damiani opusculo 45. cap. 4. *Si vis vocem habere, vel in prædicationibus intonantem, vel in orationibus efficacem, satage semper ut te divinus fervor accendat: ne vocem tuam torpor frigoris intercipiat: Frigidæ quippe mentis oratio, vel prædicatio, non admittitur, et tamquam vox rauciens non auditur.* Sed heu! quam verum est S. Augustini pronuntiatum in Ps. 65. Multi languescunt in orando, et in novitate conversionis suæ ferventes orant, postea languide, postea frigide, postea negligenter, quasi securi sint: vigilat hostis, dormis tu: ita ille.

ARTICULUS II.

Humanæ vitæ summa est brevitas, fragilitas, vanitas, instabilitas, etc.

EXPOSITA orationis suæ forma, nunc ad materiam Propheta delabitur, nempe ad vitæ suæ considerationem. Atque ante omnia lucem sibi a Deo deposcit, ut finem eius cognoscat atque decursum. De primo, nempe de fine 42.
ait v. 5. NOTUM FAC MIHI DOMINE FINEM MEUM, q. d, Vers. 5.
nemo est præter te, qui illam mihi notitiam dare possit, 2. Pars.
cum tu solus sis vitæ ac mortis Dominus. Itaque doce me, quo tempore, anno, mense, die, hora sim moriturus. De secundo, nempe de vitæ decursu addit: ET NUMERUM (Hebraice מדה *midda*, id est, mensuram, ut vertunt S. Hieron. Felix, Pagnin. Arias. Est enallage quantitatis; 2. modum, ita Camp. hæc vox ab hebr. non discrepat) DIERUM MEORUM QUIS EST, id est, quantus et qualis est, UT SCIAM QUID DESIT MIHI, hoc est, quam parum mihi supersit temporis. Chaldæus, quando deficiam a sæculo.

Nota, pro *numerum dierum quis est*, S. Ambrosius et Dies vitæ
S. Augustin. legunt, *Numerum dierum meorum qui est.* nostræ
Quod ingeniose, sed non ad litteram, considerans S. Au- non sunt.
gustinus docet dies vitæ huius non esse, nunquam consistere, sed semper transire: diem vero æternitatis unum et stabilem esse, cum nunquam declinet in noctem. Verba eius audiamus: *Et numerum dierum meorum qui est. Numerum dierum quæro qui est. Sic possum dicere, sic possum intelligere numerum sine numero, quomodo possunt dici anni sine annis. Ubi enim anni, utique quasi numerus: sed tamen tu idem ipse es, et anni tui non deficient.*

Numerum dierum meorum mihi notum fac, sed qui est. Quid ergo? Iste numerus in quo tu es, non est? Plane si attendam bene, non est: si hæream, quasi est: si transiliam, non est. Ita ergo ipse deficiens pene non sum, ut exciderit mihi qui dixit: Ego sum qui sum. Est ergo aliquis numerus dierum? Vere est, et sine fine est. Probat autem primo dies vitæ huius non esse: deinde dies æternitatis, esse. De primo quidem ait: *Tenes diem istum? Si tenuisti hesternum, tenes et hodiernum. Sed hesternum, inquis non teneo, quia iam non est: istum autem teneo, in quo sum, et qui mecum est. Itane de isto excidit tibi iam quantum a prima luce transierit? Nonne iste dies a prima hora cœpit? Da mihi primam horam eius: da mihi et secundam eius, quia forte et ipsa transvolavit. Tertiam, inquis dabo tibi. Forte enim in ipsa nunc sumus. Certe ergo sunt isti dies, et est tertia dies. Et si tertiam dabis, non diem, sed horam dabis. Verumtamen nec hoc quidem tibi concedo, si mecum utcumque ista transilisti. Da mihi vel horam, tertiam ipsam mihi da in qua es. Si enim aliquid eius iam præteriit, aliquid eius adhuc restat: nec quod præteriit et aliquid mihi potes dare, quia iam non est: nec quod restat, quia nondum est: quid mihi de hora ista, quæ nunc peragitur, dabis? Quid de illa mihi dabis? Cui committam hoc verbum, ut dicam, est? Cum dicis ipsum, est, certe una syllaba est, et momentum unum est, et tres litteras habet in ipso ictu. Ad secundam huius verbi litteram non pervenis, nisi prima finita fuerit. Tertia non sonabit, nisi cum et secunda transierit. Quid mihi de hac una syllaba dabis? Et tenes dies qui unam syllabam non tenes? Momentis transvolantibus cuncta rapiuntur. Torrens rerum fluit, de quo torrente ille in via bibit pro nobis qui iam exaltavit caput. Isti ergo dies non sunt, ante abeunt pene quam veniant; et cum venerint, stare non possunt. Iungunt se, sequuntur se, et non se tenent. Nihil de præterito revocatur, quod futurum est transiturum expectatur: nondum habetur, dum non venit; non tenetur dum venerit. Numerum ergo dierum meorum qui est, non istum qui non est, et quod me difficilius et periculosius perturbat, et est et non est: nec esse possumus dicere, quod non stat: nec non esse quod venit et transit.* De secundo autem, nempe de die stabili æternitatis, addit: *Est illud simplex quæro, est verum quæro, est germanum, quæro, est quod est in illa Ierusalem sponsa Domini mei: ubi non erit mors, non erit defectus, non erit dies transiens, sed manens: quia nec hesterno præceditur, nec crastino impellitur. Hunc, inquam, numerum dierum meorum qui est, notum mihi fac.* Ita Augustinus, qui finem nostrum ait esse Christum, non vero notitiam dierum qui sunt, ut sciamus quid desit nobis: quia nondum ibi sumus: ne superbiam, ait, ex eo in quo iam sum, ut inveniar in illo non habens meam iustitiam. In comparatione enim illius quod est, attendens ista quæ non ita sunt, et plus mihi videns deesse quam adesse, ero humilior ex eo quod deest, quam elatior ex eo quod adest. Nam qui putant aliquid se habere cum hic vivunt, superbiendo non accipiunt quod deest, quia magnum putant esse quod adest. Nec isti ex hoc magni sunt. Nam et inflatio et tumor imitatur magnitudinem, sed non habet sanitatem.

43. *Vitæ humanæ proprietates quinque.* Lucem, quam petierat David, accipiens; septem videt in hac vita sua, 1. brevitatem; 2. fragilitatem; 3. vanitatem; 4. instabilitatem; 5. perturbationem; 6. laborem acquirendi; 7. incertitudinem futurorum ut iam supra monui.

Ac primo, brevitatem vitæ sibi ante oculos obiicit, ut intercursantes calamitates facilius perferat, cum finem brevi inventuræ sint,

Vers 6. 1. Pars. I. Vita humana est brevis.

v. 6 ECCE MENSURABILES POSUISTI DIES MEOS, ET SUBSTANTIA MEA TAMQUAM NIHILUM ANTE TE. Nota, pro *mensurabiles* Hebraice est טפחות *tephachoth*, id est, 1. palmos; 2. palmares; 3. breves. Hinc primo Arias vertit, *Ecce palmos* (hoc est, sicut palmos) *dedisti dies meos.* Pagninus, *Ecce ut mensuram quatuor digitorum* (Felix, ad mensuram pugillorum) *posuisti dies meos.* Campensis, Ecce tu constituisti dies meos palmi longitudine. Seu alio modo. Certum est, te veluti in digitis numeratos habere paucissimos dies meos. Flaminius, Ecce mensura pugillorum terminasti dies meos. Secundo, S. Hieron. vertit: *Ecce breves posuisti dies meos.* Chald. leves. Noster, mensurabiles. Sed minima mensura, quatuor scilicet digitorum, qui est palmus minor: palmus vero maior continet duodecim digitos.

Nota secundo, pro *mensurabiles*, Septuaginta in emendata editione habent παλαιας, id est *veteres.* Unde S. Augustinus, Psalterium Arabicum et Æthiopicum, *Ecce veteres posuisti dies meos.* Apollinaris, ηματα παλαιοτατα, *dies vetustissimos:* qui scilicet sicut vestes veteres defluunt, lacerantur, pereunt, ac diu durare non possunt. Sic dicitur Ps. 101. 27. *Omnes sicut vestimentum veterascent.* Vide illum locum. Mystice vetustatem illam sumit S. Ambros. de peccatis veteris hominis: *Si, ait, secundum Septuag. viros veteres accipimus dies: hoc est, secundum veterem hominem: intelligimus exactos. Sed vetus homo noster affixus est cruci. Ergo et vetus dies præteriit, novus venit. Alius enim dies hominis, alius dies Christi, quem Abraham vidit, et gavisus est; de quo et David ait: Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea. Sanctus ergo in die Domini exultat, in die novo, in quo Deus Dominus illuxit nobis, et dedit novam lucem in innoxiam vitam et integram reformatis. Ideo vir iustus securus novæ lucis et gratiæ Dei. Et erit, inquit Apocal. 22. cælum novum, et terra nova, et novum lumen. Non enim lucerna et lumen solis illic lucebit, aut lunæ: sed Dominus illuminabit super populum suum. Illa ergo desideravi, illa exoptavi: et ideo diem hominis non requisivi.*

Nota tertio, pro *mensurabiles*, alii codices Græci habent παλαιστας, ut monet S. Ambrosius, et hanc lectionem sequitur Euthymius, et S. Gregor. Nazianzenus oratione de Cæsar. fratre suo. Significat autem παλαιστης Primo luctatorem, adversarium in lucta, cum qui in lucta conatur deiicere et supplantare; παλαισμα proprie est artificium luctationis ad supplantandum adversarium, seu artificiosa luctatio. Dies igitur palæstræ sunt dies luctatoris, id est 44.

Dies nostri cur palæstræ dicti.

primo, qui nobiscum luctantur, et nos sensim ac sine sensu in terram et sepulcrum deiiciunt, quotidie enim morimur: quod alio simili muris albi et nigri, id est diei et noctis, arboris in præcipitio pendentis radicem a rodentibus, et arborem deiicientis expressit S. Damascenus. Secundo, dies luctatores sunt, in quibus multi hostes in nos depugnant. S. Ambrosius: *Quod si, ait, palæstas accipimus dies, ex nomine intelligimus plenos certaminis et laboris: quoniam palæstæ luctatores in agone dicuntur, qui luctantur ad coronam. Ergo quia et nobis lucta non solum adversus carnem et sanguinem est, sed etiam adversus spiritalia nequitiæ in cælestibus: dies nostri, hoc est vitæ istius, in labore sunt et dolore. Unde et in posterioribus ait Ps. 89. Anni nostri sicut aranea meditabuntur: dies annorum nostrorum, in ipsis septuaginta anni. Si autem in potentatibus, octoginta anni: et plurimum eorum labor et dolor. Unde et Apostolus Paulus abundantius cæteris Apostolis laboravit, ut legitime certando ad coronam quam caperet, perveniret.* Secundo, palestæ, sicut notat idem sanctus Pater, architectorum mensuræ diei feruntur, quibus ad structuræ numerum vel modum spatii colligendum, ædificia metiuntur, locumque eum, in quo ædificia sunt locanda, et per Isaiam locutus est Deus. Quis mensus est manu aquam, et cælum palmo, et universam terram clausa manu? Quis statuit montes in statera? Hinc sensum hunc colligi posse censet, q.d. Quod cognitos dies omnium habeat Deus: cui nihil immensum sit, qui omnia mensura quadam suæ scientiæ comprehendat, nihilque ei sit inæstimabile, nihil inexaminatum atque innumerabile, qui ait: Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt.

Nota quarto, pro *mensurabiles*, Symmachus vertit σπιθαμας. Est autem σπιθαμη, ut docet Pollux lib. 2. et Hesychius, spatium quod est inter pollicem et minimum digitum expansos: seu, est mensura duodecim digitorum, quæ a Latinis palmus maior et dodrans vocatur. Hinc S. Ambrosius ingeniose addit: *Quia palmo mensus dicitur Deus cælum: palma autem vel palmus portio manus est metien-* 45.

Dies nostri cur palmares dicti.

tis et aliquid comprehendentis. Ideo tamquam breves dies æstimant nuncupatos, cum cognitio Dei per mensuram possit intelligi, quos Deus mensus est palmo, quo mensus est cælum. Neque enim breves suæ vitæ dies diceret, qui postea ait Ps. 119. *Heu me! quia incolatus meus prolongatus est: nisi forte quia propter peccata hominum breviores vitæ istius dies fecit Deus: quæ ante et nongentis et septingentis annis extendebatur: ut nunc intra centum annorum curricula claudatur. Sic ergo intelligendum est: Ecce peccato obnoxios dies meos nosti. Dies enim vitæ huius (quæ peccato est obnoxia) breves sunt: dies autem vitæ æternæ, sine fine.*

Arbitror per dies palmi unius intelligi dies breves et *tephach* esse palmum minorem, non vero spithamam seu palmum maiorem. Cresolius noster lib. 4. Mystag. hunc quem expendimus versiculum ingeniose illustrat. Venit, inquit, mihi in mentem Anacharsis dictum viri sapientis, qui navigantes digitis modo quatuor distare a morte aiebat, quanta videlicet fuit ligni crassities, quo super oceani vortices, dubiosque motus ferebantur. At discere a nostro Vate potuisset, non tantum navigantium, sed vitæ omnium mortalium illam ipsam esse mensuram, quæ palmo, hoc est digitis omnino quatuor definitur. Id regius cantor in enthusiasmis suis clare posuit, atque illis verbis profitetur, *Ecce mensurabiles posuisti dies meos.* Qua sententia eleganti vir ingenio sacrum emblema contexuisse videtur, ad mortalium documentum. Nam ut Parrhasius pingendi artificio clarissimus, cum Cyclopem in tabella parvula dormientem expressisset, ut eius indicaret magnitudinem, Satyros iuxta posuit illius pollicem thyrso metientes. Sic contra rex sapientissimus, cum humanæ vitæ brevitatem ante oculos vellet collocare, Deum induxit illam palmis et momentis mensurantem, quem etiam dixit Isaias palmo cælos ponderasse. Sic igitur canit: *Ecce mensurabiles posuisti dies meos.* Divus Hieronymus vertit, breves: noster interpres exquisito iudicio reddit, mensurabiles, generatim, et stylo contractiore: quod plenius apertiusque poneretur, mensurabiles palmo dies. Itaque patres Græci legunt, palæstas posuisti dies meos, ut habet S. Ambrosius, qui etiam notat, palæstam significare mensuræ quoddam genus architectorum, quatuor scilicet digitos inter se iunctos. Hinc Symmach. in hoc loco posuit σπιθαμας, hoc est, palmam. Esse tamen distinctionem inter palæstam et spithamam ait S. Hieronymus in 40. Ezech. et illam quidem palmum dici breviorem: hoc est, mensuram quatuor digitorum: hanc autem palmum aliquanto maiorem, id est, dodrantem. Sed illa duo confunduntur ab auctoribus, atque ab illo fonte manavit Proverbium id Græcorum, *Spitama vitæ*, quod Diogenianus interpretatur το ελαχιστον, vitæ cursum brevissimum, perpusillum quiddam et minutum. Scio novam Septuaginta editionem habere iam παλαιας, veteres, quod in codice quoque suo habuit S. Ambrosius, qui sic reddit: Ecce veteres posuisti dies meos. Verum exemplaria fuisse diversa, tum ex eo doctissimo patre intelligimus, tum è Gregorio Nazianzeno, cui non modo coronata facundia, qua triumphat, sed excellens quoque in omni genere litteraturæ cognitio tribuenda est. Qui cum fratris sui funus laudatione cohonestat: *David*, inquit, *dies humanos*, παλαιστων μετρον, *palmi mensuram definit.* Quod imitatus videtur poeta Græcus Anthol. lib. 3. cap. 6. qui vitam vocat, *paucorum annorum* μετρα μινυνθαδια, *parvas mensuras.* Atque hoc etiam convenit cum hebræo textu, quem Vatablus exprimit et illustrat in hunc modum: *Palmares dedisti dies meos:* vel pusillos, hoc est breves, posuisti ut mensuram palmi. Pagnin. autem sic, ut mensuram quatuor digitorum posuisti dies meos. Vita nostra palmi unius est, vel quatuor digitorum: atque ita quidem, ut in illo spatio tam parco et restricto, quemadmodum in linea, individua copulantia infinita, sic innumera prope mala, et adversa contineantur. Quo Eusebius Euthymiusque trahunt vocem *palæstas*, allusione ad palæstritas, ut dies nostri non palæstæ modo videantur, sed etiam palæstræ, dies laboriosissimi, et plenissimi conten-

A tionis: in quibus vivere mors quædam sit; atque mori, principium immortalitatis: ita Cresolius. *Longum est tempus mortuorum*, aiebat Simonides, ζωμεν δ'αριθμω πανρα κακως ετεα, *vivimus autem numerato spatio paucos annos, et quidem misere.*

Iob cap. 14. ver. 5. ingemens ait: *Breves dies hominis sunt*, id est, ut explicat Pineda, abbreviati, decurtati, statuti et præscissi, definiti, præscripti ad mensuram certam et angustam, ac numerum brevissimum. Theophrastus fertur indoluisse quod corvis, cornicibus, cervis, elephantis natura longam vitam dedisset, homini autem brevem. Neque breves tantum dies sunt, sed hæc brevitas semper diffluit, neque tota possideri simul potest: sed cum uni te parti adiungere volueris, elabitur, atque inanem animam deserit. Cap. 16. v. 2. idem sanctus vir ait: *Ecce breves anni* (Hebraice, *anni numeri.* Omne quod est numerabile, vel mensurabile, est breve) *transeunt: et semitam, per quam non revertar, ambulo.* Vitæ enim dies
B elapsi nunquam redeunt. Antiphon dicebat, uni diei æquale propemodum esse totum vitæ spatium. Seneca punctulo eam conferebat. Sic enim loquitur epist. 50. *Punctum est quod vivimus, et adhuc puncto minus: sed hoc minimum specie quadam longioris spatii natura divisit. Aliud ex hoc infantiam fecit, aliud pueritiam, aliud ab adolescentia senectutem. In qua annus totus quosdam gradus posuit, cuius brevitatem aliquando futuram cogitemus.*

Vixerint itaque trecentenos, millenos si placet annos, Mathusalæ etymon.
Nestores, Adami, Mathusalæ, omnes hi anni citissime deflorescunt. Genes. 5. v. 27. de Mathusala habetur: *Et facti sunt omnes dies Mathusala nongenti sexaginta novem anni;* sed postea attexitur, *et mortuus est.* Et vero si etymon spectes, *Mathusala* mortis spolium significat, a rad. hebraica מות *moth*, id est mors: seu מת *meth*, mortuus est, et שלח *scelach.* Syrus, id est, spoliavit. Aut si sola arrident hebraica, cum longe ante exortam linguam Syriacam mortuus sit Mathusala, interpretare *mortis hortum*, a radice מות *moth*, et שלח *scelach*, pomarium, viridarium. Singuli eius dies, menses, anni totidem sunt flosculi decidui et cito marcescentes. Seneca ex hoc vitæ
C fluxu concludit, nullam vitam longam esse. Sic enim ait epist. 77. *Nulla vita est non brevis. Nam si ad naturam rerum respexeris, etiam Nestoris et Statiliæ brevis est, quæ inscribi monumento suo iussit, annis se nonaginta novem vixisse.*

Secundo, ad vitæ brevitatem accedit pene incredibilis 46.
illius fragilitas, cum vasis instar testacei facile ad primum Vers. 6.
occursum frangi possit, et ad cineres suos redire. Itaque 2 Pars. II.
illa brevitas naturalis sæpe fit brevior ob multa intercurrentia, vers. 6. ET SUBSTANTIA MEA TAMQUAM NIHILUM ANTE TE. Pro *substantia* Hebr. est חלד *cheled*, id est Vita humana est fragilis.
1. tempus vitæ, ætas, ævum; 2. vita ipsa. Hinc primo, Felix vertit, *tempus meum ac si non esset.* Pagninus, tamquam nihil *coram te.* Campens. huius vitæ tempus apud te res est penitus nihili. Vel rursus, ætas mea tamquam nihilum est coram te. Flaminius, ævum meum. Secundo, S. Hieron. vertit, vita mea quasi non sit in conspectu tuo. Tertio; Chald. vertit גושמי *gusmi*, id est, corpus meum;
D 2. pulvis meus; 3. strigmentum meum, ramentum meum; 4. gleba mea, massa instar glebæ. Coram Deo omnia sunt peripsema et quisquiliæ. Sis in oculis eius gleba, ferax boni frumenti. Sed quidquid feceris, servum te inutilem reputa. Quarto, Noster, S. August. et alii, *substantia mea.* Quinto, Aquila καταδυσμη μου, id est, vespera mea, occasus meus, id est, vita mea, quæ singulis momentis ad occasum et interitum vergit, ac tandem penitus occasura est; ita ut veniat nox, in qua non poterit operari.

Nota secundo, pro *substantia mea*, Septuaginta habent υποστασις μου, id est primo, subsistentia mea, robur vitæ meæ, virtus mea; 2. essentia mea. Aliquando enim ουσια, id est essentia non distinguitur ab hypostasi, sed hæc duo confunduntur. Sumuntur autem hic abstracta pro concretis more Hebræo: id est, subsistentia, essentia, substantia, pro ipso subsistente, existente, permanente et durante, q. d. Ego nihil sum coram te, quidquid sim et quam-

dio durem. Ubi adverte, conferri hic posse dupliciter hominem Deo. Primo, comparando hominis infirmitatem, vilitatem, esse dependens et caducum, cum Dei essentia infinita, omnibus perfectionibus ornata, per se atque sine dependentia ullius existente. Secundo, comparando brevem hominis vitam cum æternitate Dei, cui collata omnis diuturnitas, brevis est, punctum est, nihil est: et de hoc secundo magis est sermo, dum dicitur, *Ecce mensurabiles posuisti dies meos, et substantia mea tamquam nihilum ante te.* Agellius putat hoc loco ὑπόστασιν sumi extremo et quasi fæce: sed non placet. Verum quidem est ὑπόστασιν, sumi etiam a Græcis pro sedimento quod ex urina subsidit, seu pro crassiore urinæ portione secreta et subsidente: et pro fæce subsidente, et crassiore atque obscura in aliis liquoribus: sed David ait hic, quod in se est excellentissimum, coram Deo nihil esse. Puta te coram Deo nihil esse nisi fæcem: et ut loquitur S. Ignatius, apostema purulentum.

47. *Tempus vitæ nostræ nihil est.* Moral. Primo, tempus vitæ nostræ nihil est. Psal. 89. v. 5. *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.* Sept. vertunt, ἐξουδενώματα, id est nullificamina, ut reddit Tertullianus; nihilitudines, ut Eugubinus; nihilcitates, ut Delrio. Verba non suppetunt, quibus vile illud nihilum satis exprimatur. Genebrardus, bulla eorum anni erunt. Sic S. Gregor. Nazianzenus bullas homines ipsos vocat, aitque hos in mari huius mundi cito frangi, illas tardius. Seneca lib. de brevitate vitæ, cap. 10. tempus vitæ nostræ pro nullo reputari debere admonet: *Ut*, inquit, *nihil prodest quantumlibet ingeras, si non subest quod excipiat ac servet: sic nihil refert quantum temporis detur, si non est ubi subsidat, per quassos foratosque animos transmittitur. Præsens tempus brevissimum est: adeo quidem, ut quibusdam nullum videatur. In cursu enim semper est: fluit et præcipitatur: ante desinit esse quam venit.* Et alibi: *Omnis dies, omnis hora, quam nihil sumus probat.* Hanc continuam vitæ deperditionem contemplans S. Bernardus sermone de fallacia vitæ, ne vitam quidem esse nominandam dicit: *Nec vita sane*, inquit, *dicenda est, qua nimirum soli vivitur morti.* Et Lucillius lib. 1. Anthologiæ vocat, βίον ἀβίωτον, id est, vitam non vitalem, q. d. Vitam non vitam.

48. *Homo ipse nihil est.* Secundo, non solum tempus vitæ hominis nihil est, sed ipse etiam homo merum est nihil. Psal. 143. v. 4. *Homo vanitati* (Syrus, vapori. Alii, nihilo) *similis factus est, dies eius sicut umbra prætereunt.* Hebr. ibi est הבל *hebel*, id est, vanitas, res vana, res nihil, res quæ non est quidquam, quæ cito desinit. Et David de ipso homine loquens dicit: *Substantia mea*, id est essentia mea, *tamquam nihilum.* Sibylla id canit apud Clementem Alexandrinum lib. 3. Strom. Ἄνθρωποι θνητοὶ καὶ σάρκινοι, οὐδὲν ἐόντες: *Mortales homines et carnei, nihil existentes.* Quin ipse Sophocles poeta id fatetur et deplorat: O mortale, inquit, miserumque genus hominum! Quam nihil sumus, sed umbris similes inutile pondus telluris obversamur. Petronius in Satyrico alludens ad imagunculam mortis, quam Herodotus lib. 2. ait circumlatam per mensas Ægyptiorum: *Potantibus*, ait, *et accurate lautitias nobis mirantibus, larvam argenteam attulit servus. Heu, heu nos miseros, quam totus homuncio nil est.*

49. *Homo nihil est si Deo confératur.* Tertio, homo præsertim nihil est, si cum Deo conferatur, qui est suum ipsius esse et essentia, ut docet S. Thomas 1. parte, quæst. 3. art. 3. in Deo enim esse et essentia non differunt, quæst. 2. art. 1. quæst. 3. art. 4. Differt eius esse ab esse creaturæ tripliciter, 1. quia subsistit; 2. quia non fit, nec mutatur; 3. quia non differt ab essentia sua, ut ait idem sanctus Doctor in lib. 1. Sent. dist. 8. Creaturæ autem non sunt coram eo, quia per se non subsistunt. Isaiæ 40. v. 17. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum, et inane reputatæ sunt ei.* Forerius vertit, *plusquam nihilum*: quia, ut ait Cornelius a Lapide, si nihilum cum ente quolibet creato conferas, minus illud ab eo distat, cum utrumque sit finitum, finiti autem a finito distantia sit finita, quam distet ens quodlibet, imo totus mundus a Deo: huius enim in-

A finita est distantia. Deus enim in infinitum entia omnia creata transcendit, ac proinde ab iis non tantum negative, sed et positive distat in infinitum: cum ens a nihilo positivam distantiam habeat finitam. Sicut enim ens est finitum, sic etiam eius oppositum, puta non ens, sive nihil, est finitum; est enim negatio vel privatio entis finiti. Nihil ergo per se, et quasi positive est finitum: quia minus habet esse quam ens: nullum enim habet esse, estque nihil prorsus. Negative tamen nihil est aliquo modo infinitum: quia negat omne ens, omnesque res, etiamsi illæ essent infinitæ: negat ergo infinita quæ sunt, vel esse possunt: sed positive est finitum, ac finite tantum distat ab ente creato et finito. Sin autem nihilum cum Deo conferas, nil a Deo magis distare potest quam nihilum. Loquor physice. Nam moraliter a Deo magis distat peccatum. Et hoc sensu est hyperbole, q. d. Omnes gentes, imo omnia entia a Deo distant summe, et in infinitum, ideoque si posset dari maior distantia quam sit nihili a Deo, magis quam nihilum distarent a Deo. Huc
B alludit Apostolus 1. Corinth. 1. v. 28. cum ait: *Elegit Deus ea quæ non sunt*: id est, quæ nullius sunt pretii at momenti. Isaias alloquens deos gentilium seu idola, dicit cap. 41. v. 24. *Ecce vos estis ex nihilo, et opus vestrum ex eo quod non est.* Idola sunt et idololatræ, peccatores, præsertim nobiles et divites, qui putant se aliquid esse, cum nihil sint, et coli ab omnibus volunt. Generaliter ait apud Danielem Prophetam, Nabuchodonosor ex bove in hominem reformatus, et oculos ad cælum elevans sensu sibi reddito, cap. 4. v. 32. *Omnes habitatores terræ* (imo etiam cæli) *apud eum in nihilum reputati sunt.* Itaque recte David noster dixit, licet rex esset: *Substantia mea tamquam nihilum ante te.*

Quarto denique, præsertim homo nihil est, si sit ante Deum sibi iratum, qualem timebat David memor adulterii et homicidii sui, cum fugeret a facia Absalonis. Cum nobiles et principes in felicitate sunt, stare se firmiter putant, et substantiam suam esse aliquid: sed ubi adversitas venerit, vident et sentiunt fuisse vanam larvam, spe- 50. *Homo nihil est, si Deo irato offeratur.*
C ciem, et umbram, ac merum nihil. Ps. 72. v. 20. *Velut somnium surgentium* (S. Hieron. evigilantis. Chaldæus, *ab homine ebrio.* Felicitas humana sopit et inebriat minus cautos) *in civitate tua Domine, imaginem ipsorum* (id est, imaginariam prosperitatem, et gloriam, ac divitias, et voluptates) *ad nihilum rediges.* Ubi Euthym. sic loquitur: Humana felicitas, vera felicitas non est, tametsi esse videatur: sed ut imago aut umbra imitatur tantum felicitatem. S. Petrus Damiani opusc. 56. quod est de fluxa mundi gloria et sæculi despectione c. 7. profert exempla regum ac ducum, qui mundi felicitatem infelicissimo exitu perdiderunt: ubi etiam videre licet quam breves sint humanæ vitæ dies. *Galba*, inquit, *Romanus Imperator quatuor tantummodo mensibus imperavit: et in Romæ foro gladio percussus occubuit. Taceo Neronem, prætereo Ottonem, quos a semetipsis interfectos Romanæ Reipublicæ testantur historiæ. Nonne Vitellus interemptus est a ducibus Vespa-*
D *siani? Nonne et Pertinax occisus est a militibus prætorianis? Macrinus, Antonius, Alexander, Philippus, Gallienus, nonne omnes hi Imperatores, militaris impetus gladios pertulerunt? Domitianus præterea suorum coniuratione confossus est.* Multos deinde percenset, ut intelligas vitam per se brevem, fieri variis casibus breviorem.

Tertio, non tantum brevis est vita et fragilis, atque in perpetuo casus periculo: sed in ipsa sua firmitate ac robore mera est vanitas, v. 6. VERUMTAMEN (Hebraice אך *ach*, id est *vere*: ita Lindanus: et quidem pro vere censeo sumptum esse verumtamen a nostro interprete; *revera*: ita Campensis; *certe*: ita Flaminius; *utique*: ita Pagninus et Arias; 2. *enim*: ita S. Hieronym. 3. aliquando *ach* ponitur in sententiæ principio magis ornatus causa quam significationis, ut patet Sophoniæ 3. 7. ita Lorinus; 4. alii *ach* sumunt pro *tantum*, quo modo sumit ipse S. Hieron. versu sequenti, q. d. Omnia nihil sunt præter vanitatem. Sumo ego pro certe, vere, profecto) UNIVERSA VANITAS OMNIS HOMO VIVENS. Hebraice נצב *nitsab*, 51. *Vers. 6. 3. Pars. III. Vita humana in ipsa sua firmitate est instabilis.*

id est stans, consistens, vivens. Per vitam enim homo stat, per mortem cadit. Secundo, *stans* extendi potest ad bonam et firmam corporis valetudinem, et excellentes animi dotes, ad florentem fortunæ statum et apparentem stabilitatem. Hæc enim omnia in homine sunt vana, id est, non solida, sunt inania ac venti plena, si cum Deo conferantur, aut ab eo separentur, velut a sua basi et fulcimento, a sua medulla, robore et anima.

Nota secundo, pro *universa* est hebraice כל *col*, quod est et numeri singularis et numeri pluralis. Itaque verti posset cum Flaminio: *Certe omnis vanitas omnis homo permanens.* Et cum Campensi, certe tota vanitas est universus hominis status. Secundo, et melius, το *universa* est numeri pluralis, et sumitur pro *secundum universa*, in omnibus. Græce enim est in plurali τα συμπαντα, id est, omnia, ut vertit S. Hieron. pro κατα τα συμπαντα, Græcismo usitatissimo.

Sensus itaque est, q. d. Vere per omnia est vanitas omnis homo vivens: ita Lindanus, id est, tota hominis vita: ita S. Chrysost. revera modis omnibus vanissimus est quisquis est homo, quantumvis videatur esse aliquid: ita Camp.

Nota tertio, pro *vanitas* hebraice est הבל *hebel*, cum sex punctis, et significat rem quæ non est quidpiam, rem futilem, caducam, inanem, labilem, fluxam, non consistentem, sed quæ cito desinit, sicut ait rex David, flatus qui ab ore egreditur, et citissime evanescit atque disparet. Symmachus vertit ατμις, id est vapor. Syrus quoque: *Quoniam omnes homines, veluti* (lahago) *vapor consistunt*, q. d. Non consistunt, sed instar vaporis ex aquis elevati et calefacti ad suum frigus et pondus redeunt, atque in aquas frigidas, lutosas, defluentes, et mari salso absorptas recidunt; iisque ita permiscentur, ut dignosci non possint. Itaque nihil illis profuit elevatio, nisi ut cum strepitu caderent. Chaldaice למא *lema*, id est, *nihilum*: sic usurpatur Iudic. 5. 16. et 2. Reg. 13. 21. atque in Beresith. rabba sect. 2. ubi dicitur: *Hic est Adam primus, qui fuit*, lema, *nihilum, et non quidquam.*

Nota quarto, aliqui versum hunc in duas partes dividunt, et sic explicant, q. d. Sed omnis res vana est: et omnis homo vivens, fortis: ita Arabs. Vel melius, q. d. Verumtamen in hac mortalitate universa sub sole degentia sunt vanitas, et etiam omnis homo vivens plenus est vanitate naturæ, culpæ, et miseriæ: ita Raynerius. Sed melius Noster, et alii, ista non diviserunt, de homine enim solo hic agitur, ut patet ex antecedentibus et sequentibus.

52. Totus homo est vanitas. Nota quinto, pro *omnis* Hebraice est כל *col*, quod verti potest, 1. omnis; 2. totus. Non enim solum omnis homo vanus est in aliqua re: sed totus homo vanus est, vanitas est κατα συμπαντα in omnibus; nempe in animo, in corpore atque in fortunæ bonis. In eo sunt omnes vanitatis classes; est enim ipse solus universa vanitas, imo universitas et doctor vanitatis, cuius palmam et laureolam cæteræ illi creaturæ concedunt. Iobi 14. vers. 1. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.* Vide Psal. 8. sect. 2. et Psal. 143. v. 4. S. Bernardus de consideratione vilitatis humanæ: Septem, ait, sunt de essentia hominis, quæ si homo consideraret, in æternum non peccaret: scilicet, 1. materia vilis; 2. operatio turpis; 3. exitus flebilis; 4. status instabilis; 5. mors tristabilis; 6. dissolutio miserabilis; 7. damnatio detestabilis. Silenus a Mida captus rogatus est: Quid esset homini optimum? diu silentium tenuit, tandem coactus ut responderet, ait: Optimum esse nunquam nasci: proximum, quam ocyssime aboleri, ut ait Plutarchus.

53. I. In anima. Primo enim, in anima est vanitas culpæ et originalis et actualis. Architam Tarentinum dicere solitum ait Ælianus lib. 10. de varia historia: Quemadmodum, si etiam summam diligentiam adhibeas, tamen *piscem sine spinis* non invenias: sic neque hominem inveniri posse, qui non dolosum spinosumque quiddam habeat admistum. S. Bernardus serm. 48. in Cant. Donec, ait, in carne est anima,

A *inter spinas* profecto versatur, et necesse est ut patiatur inquietudines tentationum, tribulationumque aculeos. Videat quam vigilem sollicitamque esse oporteat super custodia sui, *septa undique spinis*, hinc inde aculeos intendentibus: unde dicitur: Sicut lilium inter spinas. Innocentius libro de miseria humana: Formatus, inquit, est homo de luto, de pulvere, et de cinere, quodcumque est vilissimo, et spurcissimo spermate conceptus in fœtore luxuriæ: quodque deterius est, in labe peccati natus ad laborem, timorem, dolorem, miserrimus ad mortem. Agit prava, quibus offendit Deum, offendit proximum, offendit seipsum: agit turpia, quibus polluit famam, polluit personam, polluit conscientiam: agit vana, quibus negligit sana, negligit utilia, negligit necessaria; ita Innocentius. Hæc culpæ vanitas, et consequens inde pœnæ miseria per totam se animam diffundit. Primo enim, intellectus in cogitando est instabilis, in opinionibus suis errorum plenus, in consiliis varius, in studiis mutabilis. Secundo, voluntatem præterita peccata maculant, præsentia exa- B gitant, futura exterrent. Tertio denique memoria est deteriorum tenax, utilia effluí patitur ac necessaria. S. Chrysostomus in Matthæum miserrimum esse hominem sic breviter ait: *Præ omnibus malis homo est pessimum malum. Quælibet bestia unum habet ac proprium malum, homo autem omnia.* Et Anacharsis rogatus a quodam, quid hominibus esset infestum, ait: Ipsi sibi ipsis. Diogenes quoque in foro stans clamabat: Adeste homines, veluti concionem habiturus ad populum. Cum frequentes iam convenissent nec clamare desineret, Adeste homines: quidam indignati: En adsumus dic aliquid. Tum Diogenes baculo illos abigens: *Homines*, ait, *adesse iussi*, *non sterquilinia.* Homo factus est ad imaginem Dei, sed ipse se ad bruta deiecit per peccatum.

Secundo, homo vanus est, imo ipsa vanitas, infirmitas, et inanitas in suo corpore. Seneca corpus vocat vinculum, Empedocles antrum, Plato spelæum. S. Hilarius in illud Ps. 67. v. 7. Qui habitant in sepulcris, corpus ait sepul- 54. II. In corpore.
C crum esse: *Intra corporum suorum*, ait, *emortua domicilia consepulti.* Solon corporis vanitatem signatius expressit: *Homo*, inquit, *putredo est in exortu*, *bellua in omni vita, esca vermium in morte.* Visus sæpe laborat caligine, auditus humorum nimia copia, fœtore odoratus, gustus amaritie, tactus dolore torquetur. Alteratio, decretio, fames, sitis, ustio, marcor, et alia, vegetativam facultatem exagitant. Quid dicam lepras, podagras, hydropises, et alios morbos, quibus nulla remedia reperiuntur? unde hac in re homo est peioris conditionis quam pleraque animalia. Cervi pastu dictamni excutiunt corpore sagittas, a phalangio percussi cancrorum esu sibi medentur, lacertæ a serpentibus ictæ herba quadam se refovent, hirundines vexatis pullorum oculis chelidonia succurrunt, testudo cuniculæ pastu vires adversus serpentes reficit, mustella in murium venatu ruta se confirmat, ciconia origano, hedera apri sibi medentur in morbis, item cancrorum esu: anguis fœniculi succo abiicit exuvium: draco vernam nauseam sylvestris lactucæ suc- D co restinguit: pantheræ adversus aconitum hominis excrementis sibi medentur: elephas chamælcontæ fronde (nam similis est animanti color) devorata: ursi cum mandragoræ mala degustavere, formicas lambunt: cervus venenatis pabulis herba cinaræ resistit: palumbes, graculi, merulæ, perdices, lauri folio annuum fastidium purgant: idem faciunt columbæ, turtures, galliuacei, herba quæ vocatur helxine: anates, anseres, cæteræque aquaticæ, herba siderite: grues et similes, iunco palustri: corvus occiso chamæleonte, qui etiam victori nocet, lauro infectum virus extinguit: breviter, nullum est animal, quod non intelligat sua remedia. Solus homo nescit, unde vel corporis vel animi remedia, petere debeat, nisi ab aliis doceatur, sed rudis omnium nascitur.

Tertio denique, fortunæ bona vana sunt, et vanos homines reddunt: eos enim inflare, sed nec implere, nec solidare possunt. Primo, multis sese ostendunt, ut aquæ 55. III. In fortunæ bonis.

et poma Tantalo; cum capere volunt, recedunt. Phavorinus dicebat homines partim esse ridiculos, partim odiosos, partim miserabiles. Ridiculos quidem, qui per audaciam ad maiora aspirant: odiosos, qui ea consequuntur: miserabiles vero, qui spe frustrantur. Cum a Democrito peteretur, quid de hominum sorte iudicaret, ait: Miseram homini fortunam esse, cum bona quærentibus vix veniant: mala autem non tantum non quæsita, sed extra omnem expectationem obtingant. Secundo, felicitas terrena vana est, quia sæpe impiis accidit. Demosthenes atque Aristonymus dictitabant vitam hominis esse similem theatro, in quo pessimi homines fere semper primatum obtinent. Tertio, felicitas terrena vana est, quia non dat quod promittit: nam promittit quietem et iucunditatem, dat vero perturbationem atque tristitiam. Synesius oratione de regno, ευτυχια, ait, φορτιον μολιβδȣ περιβριθεστερον: *Felicitas onus est plumbo gravius.* Quarto, felicitas terrena est vana, quia nunquam securos facit. Philippus Macedoniæ rex, devictis apud Cheroneam Atheniensibus, ita se ob nimiam felicitatem efferri sensit, ut se hominem fortunæ telis obnoxium amplius non cogitaret. Sed cum sciret quid exitii afferre solebat superbia, uni ex aulicis pueris iussit, ut ad solis exortum in suo cubiculo inclamaret: Rex memineris te non Deum, sed hominem esse multis fragilitatibus, ærumnis ac malis obnoxium, ac expositum, ut refert Cælius lib. 19 cap. 13. brevius dicebat: φιλιππε, μεμνησο ανθρωπος ων. Quinto denique, felicitas terrena vana est, quia sæpe in contrarium vertitur. Ælianus lib. 6. var. historiæ refert, cum Simonides convivio lautissimo a Pausania rege Lacedæmoniorum exceptus rogaretur, ut quidpiam ex philosophorum arcanis in medium proferret: videns ille Pausaniam nimis rebus suis fidentem quod iam ad Medorum partes se applicuisset, ait: *Memento te in tanta rerum felicitate hominem esse.* At Pausanias illud philosophi pronuntiatum pro nihilo duxit. Sed cum iam in summo vitæ esset discrimine, et mortem atrocissimam præ oculis esse intelligeret, altissima voce exclamasse fertur: O Cee hospes, quam salutare tuum erat consilium. Ego autem adeo captus eram inani persuasione, ut mihi nequaquam tantam admonitionem convenire existimarem: unde nunc misere perire cogor. Non absimile est quod alias de Crœso retuli pyræ imposito, et Solonis dictum in memoriam revocante. Concludamus cum Alphonso rege Aragonum, qui, ut ait Æneas Sylvius lib. 3. de rebus gestis Alphonsi, de humanæ vitæ miseria disputantes audiens, ait: *Comœdia est vita nostra, cuius ultimus actus in morte agitur; bonus autem poeta nemo habetur, nisi ad finem usque actus omnes prudenter explicet.* S. Gregor. Nyssenus hom. 6. in Ecclesiasten, in hac vita constituit, πονηρον παθηματων σμηνον, *improbum examen calamitatum.* Sed inde mel si sapiamus educemus, sicut Sampson ex ore leonis, in quo apes consederant.

56. IV. Vers. 7. 1. Pars. Vita humana transit in imagine. Quarto, præter brevitatem, fragilitatem, et vanitatem, id quoque habet humana vita, ut perpetuo in cursu sit, v. 7. VERUMTAMEN IN IMAGINE PERTRANSIT HOMO: SED ET FRUSTRA CONTURBATUR. Nota, pro *in imagine*, hebraice est בצלם *betselem*, id est, 1. in tenebris: ita R. Ionas, R. Ioseph, et Campensis; 2. in umbra: ita Mercerus; 3. in imagine umbrosa. Nam צלל *tsalal*, inumbrare, obumbrare: צל *tsel*, umbra: צלם *tselem*, imago, adumbratio. Sicut enim umbra est quædam imago corporis quod sequitur: ita imago est sui prototypi quædam adumbratio.

Quæres, quomodo homo ambulet in imagine. Nota, hoc potest accipi, ita ut homo ipse sit imago; 2. ita ut res ipsæ, in quibus homo ambulat, sint imagines.

I. Enim res omnes terrenæ sunt imagines rerum. Primo, Bellarminus de rebus ipsis imaginem sumit, et vult significari hominem ambulare non in rebus veris, sed tantum in imaginibus rerum. Sic dicimus hominem ambulare in luce, in tenebris, in fide, in timore, in dilectione, in veritate: sicque ambulare in imagine opponitur ambulare in veritate: quatenus imago opponitur veritati. Verba Bellarmini sunt: Homo pertransit et perambulat viam vitæ huius in imagine rerum, non in rerum veritate, habens videlicet ante oculos in toto hoc itinere non res veras, sed rerum umbras atque imagines. Vita enim quam hic habemus, imago est vitæ beatæ, quæ sola vera est vita. Sanitas huius temporis imago est immortalitatis, quæ sola vera est sanitas. Pulchritudo, quam hic videmus, vix umbra quædam est pulchritudinis illius, quam habebimus, cum iusti fulgebunt sicut sol in conspectu patris eorum: ita ipse. Omnia humana sunt imago umbratica. S. Nilus in parænesi: σκια και τροχοι, τα λυπηρα τȣ βιȣ, και τα φαιδρα παραβαλλε· ως γαρ σκια ȣ μενει, και ως τροχος κυλιεται: *Umbræ, et rotæ, tristia et læta huius vitæ compara. Nam quemadmodum umbra non manent, et ut rota vertuntur.* Abbas Guarricus serm. 3. in natali Apostolorum Petri ac Pauli: Videre, inquit, mihi videor et alias umbras intra nos, quæ veluti in quodam speculo, de rebus aliis nascuntur in sensu nostro, et obumbrant nobis, vel obumbrant nos. Obumbrant nos, quæ refrigerant et obscurant nos: obumbrant nobis, quæ refrigerant et illuminant nos: ita Guarricus. Cum his umbris homo, velut umbra, ad occasum tendit. Richardus Pampolitanus in cap. 14. Iobi v. 2. sic ait: *Umbra quæ ex corpore lucido et opaco causatur, ab ortu solis usque ad occasum semper est transiens et fugiens: sic homo qui velut umbra apparet, et vere non existit, quia cito evanescit, ab initio ortus sui usque ad finem vitæ suæ semper fugit.*

Secundo, et melius homo pertransit in imagine: id est instar imaginis, velut imago; cum sit ipse imago. Dupliciter autem ista imago sumi potest, 1. ut sit homo imago Dei; 2. ut sit figura quædam, species, adumbratio, umbra, imaginarium simulacrum, et non res solida, stabilis et firma. 57. II. Homo est imago.

Primo, S. Ambros. S. Hieron. S. Thomas, Ugo, Remigius, Cassiodor. S. Gregor. lib. 10. Moral. cap. 9. et 22. cap. 10. S. Bernardus serm. 80. in Cantica, S. August. serm. 1. in Septuagesima, et alii, de imagine Dei exponunt, q. d. Homo factus est ad Dei imaginem, eamque circumfert quocumque pergit. Psalter. Roman. habet: *Quamquam in imagine Dei ambulet homo.* Chaldæus et S. Ambrosius: *In imagine Dei ambulat homo.* Et illud expendens ait: *Beatus homo, qui ad similitudinem Dei per fidem ambulas. Beatus, qui in te fidem habes: beatior, si avaritiam non haberes. Aliud bonum mentis est æternum: aliud vanum carnalis cupiditatis incendium. Fides enim Deo militat, avaritia tentatori. Ista congerit quod sibi prosit, illa quod proficiat alienis.* Et aliquot interiectis, ait illam Dei imaginem esse Christum, quem induere debemus, in nobis efformare, et nobiscum portare, tum per fidem, tum per charitatem et operationem: *In qua ergo*, ait, *imagine ambulat homo? In ea utique ambulat, ad cuius similitudinem factus est: id est, ad imaginem Dei. Imago autem Dei Christus, qui est splendor gloriæ, et imago substantiæ eius. Christus ergo imago Sancti. Ad imaginem hæc venit ad terras, ut iam non in umbra ambularemus, sed in imagine. In Christo enim ambulat, qui sequitur Evangelium. Ideo discipulo suo dicit Marci 8. v. 33. Vade retro me, ut me sequaris. Ideo erravit populus Iudæorum, quia in umbra ambulavit. Ideo non errat populus Christianus, quia in imagine ambulat habens solem sibi iustitiæ refulgentem. Bona imago, non ceris picturæ fucata radiantis, sed plenitudine divinitatis expressa. In qua imagine et pater simul videtur et filius: quia per utrumque eorum unitas operationis effulget.* Post aliqua denique monet repræsentandam esse illam imaginem Dei et Christi, si in cælum admitti velimus: in illud enim non intrare imaginem dæmonis, quæ per vitia peccatoribus imprimitur: *Quomodo, ait, tu hostis et adversarii imaginem in civitatem veri Imperatoris inducis, nisi ut ipse te damnes? Et si volueris imaginem terrestris inferre, contradicet tibi princeps istius mundi, et dicet: Mea est imago hæc: et quæ offers, mea sunt. Quid facies deprehensus, cum tibi dixerit: Mea est avaritia, mea est ambitio, meæ divitiæ, quarum imaginem in te recognosco? Ipse est adversarius et*

Pertransit ferens Dei imaginem.

defensor. Quod si fueris qualis Iacob, dices Labe, qui se transfigurat in Angelum lucis: Recognosce si quid tuorum in me invenis. Tunc ille requiret, et non inveniens confutatus abscedet: quia abscondisti atque obliterasti omnia. Beatus qui potest dicere Ioan. 14. v. 30. Venit huius mundi princeps, et in me suum inveniet nihil. Quæ sua sunt enim, quærit ille: non illa quæ Christi. Vide Ps. 8. sect. 2.

Aut potius est imago umbratica. Secundo, et melius, *in imagine pertransit homo*, id est, homo transit instar imaginis caducæ et umbraticæ, est imago ac species, figura et adumbratio, non res ipsa solida et veritas: ita S. Athanasius, S. Basilius, S. Cyrillus, S. Thomas, S. Ambros. in Ps. 118. ubi ait: *Hic in umbra vivimus: ergo vita ista in corpore, umbra est vitæ: atque imago, non veritas: denique in imagine ambulat homo.* Tot spectra et larvæ in hac umbra intercurrunt, ut Crantor in consolatione ad Hippoclem dicat, multos et quidem sapientes viros, res humanas deploravisse, τιμωριαν ηγουμενους τον βιον, supplicium iudicantes vitam hanc esse, και αρχην το γενεσθαι ανθρωπον συμφοραν την μεγιστην: et summæ calamitatis loco ducentes nasci hominem.

58. Vita nostra transit. Moral. primo, vita nostra transit; secundo, transit velut umbra et imago.

Primo enim, vita nostra nunquam stat, sed semper transit, currit, ac diffluit. Ps. 55. 9. ubi Vulgata et Sept. habent: *Vitam meam annuntiavi tibi*, est נדי *nodi*, id est motionem meam: Ita Arias; migrationes meas: ita Pagn. fugas meas: Ita Vatabl.

Et cum illa transeunt omnia. 1. Honores. Cum vita omnia illi annexa transeunt. Primo quidem, honores transeunt. S. Ambros. lib. 4. in Lucam meditatur, ductum esse Christum in montis supercilium, et omnia regna orbis terræ ostensa illi in momento temporis, ut refertur Luc. 4. 5. Ubi sic expendit: *Bene in momento temporis sæcularia et terrena demonstrantur. Non enim tam conspectus celeritas indicatur, quam caduca fragilitas potestatis exprimitur. In momento enim cuncta illa prætereunt, et sæpe honor sæculi abiit antequam venerit. Quid enim sæculi potest esse diuturnum, eum ipsa diuturna non sint sæcula? Docemur hic inanis ambitionis flabra despicere, quod omnis dignitas sæcularis diabolicæ subiaceat potestati, ad usum fragilis, et inanis ad fructum.*

2. Voluptates. Secundo, voluptates transeunt. S. Bern. de charitate, vocat mundi transitoriam voluptatem. Richardus a S. Victor. tract. 3. de erudit. Interioris hominis appellat, transitoria carnis blandimenta.

3. Divitiæ. Tertio, divitiæ transeunt. Seneca epist. 74. eas nuncupat fugacissima bona. S. Laurent. Iustinian. tract. de ligno vitæ, cap. 3. *Fallax*, inquit, *suavitas in temporalibus bonis, infructuosus labor, vana spes, perpetuus timor, et periculosa inest iucunditas; cui initium sine prudentia, progressus absque rubore, et finis cum pœna.*

4. Dies ipsi. Quarto, dies ipsi qui sunt veluti vehiculum honorum, voluptatum et divitiarum, transeunt. S. Augustin. serm. 39. de verbis Domini: *Nonne*, ait, *vita ipsa morti similis est. Dies autem ipsi properantes transeunt, quia hodiernus dies hesternum exclusit: crastinus ideo nascitur, ut excludat odiernum.* Poeta Græcus vitam nostram appellat δραπετην, id est fugitivam. S. Greg. Nyss. εφημερον, diariam. Quinto denique, omnia transeunt. Hippotamus Pythagoricus in libro de Republica: *Omnia sane mortalia*, inquit, *propter necessitatem naturæ in mutationibus volvuntur: tum aut a meliori statu ad deteriorem statum transeunt, aut contra. Res enim natæ augentur, auctæ vigentes senescunt, et tandem corrumpuntur.*

59. Vitæ nostræ fugacitas novem comparationibus expressa. Variis comparationibus celeritatem vitæ, et fugaces cursus, sancti Patres aliique exprimere gestiunt.

1. Viatoris. Primo, viatori vitam nostram comparat S. Basilius in Psal. 14. ait enim illam, παροδευειν, more hospitis transire.

2. Cursoris. Secundo, non viatori cuilibet, sed cursori eam æquiparat Iobus cap. 9. v. 25. *Dies mei velociores fuerunt cursore: fugerunt, et non viderunt bonum.* Lucretius lib. 2. sic ait: *Et quasi cursores vitæ sibi lampada tradunt.* Alludit et ad cursores sibi facem mutuo dantes, et ad græcam vocem φως, quæ et hominem et lumen significat.

3. Fluvii. Tertio, cursor etiam celerrimus de nocte aut de die somnum et cibum capere, atque aliquantulum interquiescere cogitur. Vita A vero nunquam consistit, sed perenni fluxu labitur: unde fluvio semper decurrenti illam componit S. Gregor. Naz. distich. 6.

> Οςις απερχομενοισι και ερχομενοισι πεποιθε,
> Ρευματι πιςευει, ουποτε ιςαμενω.
> *Fidere quæ veniunt rebus fugiuntque vicissim,*
> *Fluminis est rapidis fidere semper aquis.*

S. Chrysostomus homil. de avaritia: Assidue, ait, perpende rerum humanarum naturam, quæ nihilo melius habet, quam amnium defluxus, et fumo in aerem evanescente fugacior est, et umbra prætercurrente inanior.

Quarto, licet vitæ cursus sit perpetuus, non eumdem tamen tenorem habet: sed modo sursum, modo deorsum res agitantur: ideoque illam S. Gregor. Nazianz. comparat rotæ, quæ nunc sursum erigitur, nunc deorsum deiicitur. Verba eius sunt orat. 16. *Natura nihil est in rebus humanis firmum, et æquabile, ac durabile, atque in eodem statu constanter manens: sed* κυκλος τις ημετερων περιτρεχει πραγματων, *res nostræ velut orbe quodam volvun-* B *tur: alias sæpe uno eodemque die, atque etiam interdum hora, mutationis advehente.* S. Antiochus hom. 30. adhuc apertius vitam rotæ confert: O βιος, ait, του ανθρωπου τροχος υπαρχει ανακυλιομενος: Nihil hominis vita aliud est, quam rota, quæ perpetuo rotatu versatur. 4. Rotæ.

Quinto, in hac agitatione varias afflictiones S. Gregor. Nazianz. designat in vita nostra contingere, cum t. 2. pag. 155. cam comparat turbini seu trocho a pueris agitato et flagellis huc illuc rotato. Sic autem concinit: 5. Turbinis.

> Τροχος τις εςιν αςατως πεπηγμενος,
> Ο μικρος ουτος και πολυτροπος βιος.
> Ανω κινειται και περισπαται κατω,
> Ουχ ιςαται γαρ, καν δοκη πεπηγεναι,
> Φευγων κρατειται, και μενων αποτρεχει,
> Σκιρτα δε πολλα, και το φευγειν ουκ εχει,
> Ελκει, καθελκει τη κινησει την ςασιν,
> Ως ουδεν ειναι τον βιον διαγραφων
> Η καπνον, η ονειρον, η ανθος χλοης.
> C *Hæc parva, varia, vita est par turbini:*
> *Simul movetur, fixus est et qui simul*
> *Sursum movetur, ac deorsum volvitur,*
> *Fixum esse quamvis æstimes, non stat tamen:*
> *Fugiens tenetur, et manens rursum fugit,*
> *Multumque saltat, sed fugere nequit tamen:*
> *Trahitque motu, retrahit et statum suum.*
> *Nil ergo vita est, si velis describere,*
> *Quam fumus, herbæ flos, breve aut insomnium.*

Sexto, honor evanescit veluti fumus, et tanto magis, quanto altius tollitur. 6. Fumi. Æschilus: Genus humanum, ait, in diem sapit: et nihilo magis firmum est, η σκια καπνου, quam umbra fumi.

Septimo, felicitas ipsa, veluti nubes erratica et sterilis, avolat. 7. Nubis. Philo libro quod Deus sit immutabilis: *Fuit Ægypti olim perampla et magnifica potentia: sed nubis in morem præteriit eius felicitas.*

Octavo, pulchritudo, veluti arboris caduca folia, arescit, decidit, in luto putrescit. 8. Foliorum cadentium. Mimnermus poeta Græcus: Perducit, inquit, nos tamquam folia floridum tempus veris, D cum subito splendor solis augetur, his foliis similes ad breve tempus floribus iuventutis delectamur.

Nono denique, divitiæ velut somnium abeunt. 9. Somnii. Iobi 20. vers. 8. ait: Sophar Naamathites de impio per divitias et honores caput ad nubes et cælum usque erigente: *Transiet, sicut visio nocturna, oculus qui eum viderat, non videbit eum, nec ultra tenebit eum locus eius.* Ps. 75. v. 6. *Dormierunt somnium suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Vide illum locum. S. Petrus Damascenus opusc. 56. cap. 9. *Si unus*, inquit, *quod dicitur ad vitam introitus et similis exitus diligenter attenditur: varietas illa quæ versatur in medio, necesse est, ut tamquam volax somnii vanitas, contemnatur.* Addere possis floris, bullæ, avis in aere volantis, colubri in saxo serpentis, navis mare sulcantis comparationes brevitatem et fugacitatem declarantes.

60. Vita humana Secundo, ut pressius insistamus psalmo nostro, vita nostra transit in imagine; sed inani, umbratica, et vo-

Transit in imagine decem modis. latili. Primo, imagini per umbram expressæ vitam compara. Ps. 101. v. 12. *Dies mei sicut umbra declinaverunt.* Sapientiæ 2. v. 5. *Umbræ transitus est tempus nostrum.* 1. In imagine et figura umbræ. Iobi 8. v. 9. ait Baldad Suhites: *Hesterni sumus,* (id est, a parvo tempore nati) *et ignoramus, quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram,* q. d. Et quod parvo tempore durabimus. Magn. in quadam editione habet: Umbra sumus, vanæ simulacra fugacis formæ. Sophocles in Aiace: Vide, ait, nos nihil esse aliud, πλην ειδωλα οσοιπερ ζωμεν, ου κουφην σκιαν, præter simulacra, quicumque vivimus, aut 2. In imagine picta. levem umbram. Secundo, vita nostra similis est imagini in tabella depictæ. Hugo Eterianus de regressu animæ ab inferis, cap. 1. *Umbræ vespertinæ,* inquit, *arentique fœno, humana vita et gloria comparatur, sed quid umbra tenuius? quid fœno languidius? His certe nostra infirmiora sunt, inediæ, languores, æqualitates, et quæ repente nobis pericula superveniunt, terra marique, morsque ex insidiis emergit intempestiva. Quid enim facilius, quam hominem mori? Tumescit homo miser: et quia nondum moritur belluino impetu efferatur. Ideo Propheta dicit: Verumtamen in imagine pertransit homo: thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea. Vanitas omnis homo vivens: quia respectu illius beatitudinis, ista vita vanitas est. Ac divites vapori comparantur dissoluto, frustra ædificant, et in vanum accumulant divitias, cum nihil a picta imagine differant. Deficiunt certe ad imaginis similitudinem vetustate temporis, et tamen nihilominus contemnunt, decertant, rixantur, laboribus, sudoribus, afflictionibus, ut divitias acquirant, ignari quis post eos futurus sit hæres.* 3. In imagine fallaci ob varios colores apparentes. Tertio, vita nostra similis est imaginibus illis fallacibus; in quibus varii colores apparent pro diversitate aspectus, cum tamen si eas ad solem obvertas, solitos tantum colores habere videas, nempe album et nigrum. Sunt multa fucis illita, quæ luce purgentur tua, ut canit Deo Ecclesia. Quarto, vita nostra (et quæ in ea sunt) similis est imaginibus, quæ oculis cernuntur in vitro concavo aut extuberante perspicillorum quorumdam, quæ res multiplicant, 4. In imagine res multiplicante. aut maiores et pulchriores quam sint, ostendunt. Pene omnes mortales cum illis perspicillis in imagine ambulant, aspicientes et apprehendere cupientes non rem, sed imaginem: et plus in imagine, quam in rei veritate sibi applaudentes. 5. In imagine intra speculum. Quinto, vita nostra et eius bona sunt imago apparens in speculo, quæ levi halitu obscuratur ac desinit, aut levi speculi inflexione mutatur, decurtatur ac deperit. Quidam religiosi apud Turcas aquam obviis bibendam offerunt, ac speculum ut in eo se contemplentur: tum repente speculum invertunt, ut vitam aqua decurrente, et imagine speculo impressa celerius fluere et perdi denotent. 6. In imagine intra aquam, aut in nubibus, et in arena. Sexto, vita nostra et eius bona sunt imago et figura in aqua apparens aut efficta. S. Gregor. Nazianzenus orat. 16. *Instabilibus ventis,* inquit, *ac navis per mare iter facientis vestigiis, ac fallacibus noctis insomniis brevem voluptatem afferentibus* οσα κατα ψαμαθον παιδες τυπωσι παιζοντες η ανθρωπων ενυπνια, *iisque figuris, quas pueri per ludum in arena fingunt, fides potius haberi possit, quam hominum prosperitati.* 7. In imagine phantastica. Septimo, vita nostra et eius bona sunt imago, quam nobis in phantasia nostra efformamus vigilantes, et in eius aspectu nos recreantes. Petit a se ipso Carfilis: τι ανθρωπος? et respondet, ολιγοχρονιον φαντασμα: *Quid est homo? caducum simulacrum ac phantasma.* Mercurius Trismegistus vocat hominem imaginationis imaginem: *Hominem, ait, recte enuntiamus humanitatis imaginationem: ac puerum, pueri imaginationem: senem, senis imaginationem. Nec adolescens, adolescens: nec senex, senex: nec vir, vir. Quæ cum mutantur, mentiuntur, et quæ iam fuerunt, et quæ sunt.* 8. In imagine dormientium. Octavo, vita nostra et eius bona, sunt imago imaginationis in dormientibus, quæ eo magis arridet, quo minus ratio ad illa imaginationem avertit, et statim fugit somno recedente. Plutarchus de consolatione ad Apollonium refert dictum Pindari, quo umbra ipsa hominem imbecilliorem facit, eum vocans umbræ somnium: *Quid est esse aliquem? quid nullum?* σκιας οναρ ανθρωπος, *somnium umbræ homo.* Postea addit, sibi videri esse aptissimam, perspicuam, et admo-

A dum artificiosam hyperbolen: τι γαρ σκιας αφενεστερον: *quid enim umbra imbecillius? aut quibus verbis somnium eius effari possis?* Nono, vitæ huius bona sunt imagines et figuræ a lemuribus obiectæ. 9. In imagine magica. Cum aurum dare non possunt, auri imaginem in arido folio obtrudunt: cum cibos Deus illis non permittat, ciborum figuram offerunt: cum cupitam pulchritudinem prostituere non valeant, fœtens cadaver suspensi alicuius vanis imaginibus et coloribus pingunt. Decimo denique, homines viventes, et vanis inhiantes, atque ad ea se circumferentes, sunt imagunculæ illæ, quæ rotulis ferreis intus occultatis aguntur et cursitant. 10. In imagine rotulis insistente. Hugo Eterianus vir doctus, qui floruit circa annum Christi 1177. lib. de regressu animar. ab inferis, cap. 2. *Homo, ait, statua non manu facta, idolum animatum, obumbratio quotidiana.* Si iustus es, imago sancta es per urbem sæpe circumlata, ac postea divino in templo consecranda. Si impius es, vile te idolum reputa, ornatum quidem, sed dæmonis cultui dicatum: atque quod timorem ingenerare debet, cito deiiciendum in præceps. B Aristoteles hominem describens ait: *Quid est homo? imbecillitatis exemplum,* καιρου λαφυρον, *temporis spolium, fortunæ ludus, inconstantiæ imago, invidiæ et calamitatis trutina: reliquum vero, pituita et bilis.* Statua aurea Nabuchodonosoris redacta in pulverem, Dan. 2. est homo potens et dives moriens, aut ad miserias compulsus. Præterit figura huius mundi, 1. Cor. 7. 31.

61. Vers. 7. 2. Pars. Homo est miser. Quinto, ex brevitate, fragilitate, vanitate, et instabilitate vitæ, velut ex præmissis verissimis, certissimam infert conclusionem, vitæ scilicet eiusdem perturbationem. Sed et frustra conturbatur: homo scilicet, qui in imagine pertransit. S. August. serm. 50. de tempore, legit, omnis homo. S. Chrysost. homil. in hunc nostrum versiculum habet, omnis homo vivens, q. d. Nullus est qui in hoc mundo non conturbetur. Unde Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromat. pag. 316. Solonis acroama refert: *O Crœse,* πας ανθρωπος συμφορη, *quivis homo est calamitas.* Non est tantum miser, sed est ipsa miseria. Est C veluti naufragus in furibundo mari, huc illuc ad varias cautes iactatus. S. Chrysostom. homil. mox citata: *Vide quæso,* inquit, *quomodo hominum res mare imitantur, quomodo illius tempestate vita hæc nostra implicatur, quomodo diutius et sæpius quam aqua in terra, tempestate iactamur: quomodo vehementius inter nos quam venti collidimur: quomodo pecuniæ quasi clypei inter nos committunt, et quasi in tempestate maris huc atque illuc impellimur.* Postea deinde dicit, ipsa elementa et animalia commoveri: sed iterum sedari, confirmari, quiescere, satiata desinere, extingui, etc. hominem nunquam desinere, nova semper cupiditate rapi, ad aliudque continuo impelli, nullum finem facere plura et plura coacervandi. Euripus est fretum, id est, mare angustum inter Aulidem Bœotiæ portum, et Eubœam insulam quod unius diei et noctis spatio septies recurrit eo impetu, ut navigia repugnantibus ventis plena, secum rapiat, ut tradit Mela. Hominis animus non septies, sed septuagies huc illuc D una die, imo hora nonnunquam in diversas, et contrarias partes contorquetur. Quam misera sit hæc hominum conturbatio, ac pene omnium, aperit S. Bernardus sermone de quinque negotiationibus, in hunc modum: *Aspicio,* inquit, *genus humanum ab ortu Solis usque ad occasum, mundi huius nundinas perambulare, alios divitias quærere, alios honoribus inhiare, alios favoralis auræ suavitate capiari: sed quid de divitiis? nonne cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, cum dolore amittuntur? Thesaurizas, et ignora cui congregabis ea. Vide quantum laborem pro perituris divitiis assumpsisti. Transis maria, et alium tibi orbem aperis navigando, secundum Sapientem tribus digitis distans a morte patriam fugis, relinquis parentes, divelleris ab uxore, filios nescis, et omnium necessitudinem oblitus, quæris ut acquiras, acquiris ut perdas, perdis ut doleas. Filii hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? Quæ est ista dementia filii Adam circuire maria, perambulare terras, rapi extra mundum, in laboribus plurimis, in vi-*

62. Vana hominum studia.

giliis, in ieiunlis crebris, in mortibus frequenter? Ecce quales divitiæ. Secundo, sed quid de honoribus? in sublimi loco positus es, ducem te constituerunt? Vide si non a Deo constituendus es, ab hominibus spectandus, ab omnibus lacerandus. Si miles es, excubas ante limina principis, ut principatum acquiras, et ferrato vestitus amictu, propior es vulneri quam honori, morti quam vitæ, periculo quam præmio. Si de sorte Domini, nonne Episcopus Romanum Pontificem, archidiaconus vel diaconus Episcopum pertimescit? Numquid in honore sine dolore: in prælatione sine tribulatione: in sublimitate sine vanitate esse quis potest? Ecce quales honores. Tertio, quid autem de gloria? Gloria tibi unde, fœtide pulvis, limus terræ, vas in contumeliam? Non tibi, non tibi, sed nomini Domini da gloriam. Illi permitte gloriam suam, qui gloriosus est in Sanctis suis. Illum lauda, quem laudant Angeli in cælis. Numquid et ipsa inanis gloria, quæ nihil aliud est quam aurium inflatio vana, quæ haberi vix potest sine invidia? Respice quos antecedis, et cogita quia omnibus invidiæ semina præbuisti. Omnes ergo adversum te torvis luminibus inflammantur, tua felicitate torquentur, tua uruntur gloria. Ecce unde gloriosus, inde odiosus: unde sublimis, inde humilis: inde sollicitus, unde securus. Vides ergo quam vane conturbatur omnis homo. Hæc sunt mercimonia, quæ inveniuntur in regione dissimilitudinis. Prudens ergo negotiator, qui videt in divitiis laborem, in honoribus pœnam, invidiam in gloria, facit sarcinam suam mundi contemptum, et fugit.

63. Viri iusti afflictionibus et tentationibus non curent.

Nota secundo, pro *sed* et Hebr. est אך *ach*, de quo egi v. 6. p. 3. Hic S. Hieron. vertit *tantum*. Pagnin. et Felix *verumtamen*. S. Greg. et S. August. *tamen*. Vertere possis, certe, vere, profecto.

Primo, si cum S. August. lib. 14. de Trinit. cap. 4. et cum S. Greg. lib. 22. Moral. cap. 31. legas: *Quamquam in imagine Dei ambulat homo, tamen vane conturbatur;* sensus erit, licet homo per naturam et gratiam sit imago Dei, tamen in hac vita tentationibus, passionibus et calamitatibus agitatur. Verba S. Gregorii sunt: *Sanctus vir quantalibet virtute profecerit, cum in hac vita positum adhuc extrinsecus carnis infirmitas premit, ut scriptum est: quamquam in imagine Dei ambulet homo, tamen vane conturbatur. Plerumque agitur, ut et turbetur exterius, et imperturbabilis duret interius: et quod vane conturbari potest, de infirmitate carnis sit, quamvis in imagine Dei ambulet de virtute mentis: quatenus et roboretur intus divino adiutorio, et tamen adhuc foris sarcina prematur humana. Unde bene Habacuc unam sententiam protulit ad utraque servientem. Ait enim: Et introivit tremor in ossa mea, et subtus me turbata est virtus mea. Ac si diceret: Non mea virtus est, in qua superius raptus imperturbabilis maneo: sed meæ infirmitatis est, in qua inferius turbor. Ipse ergo super se imperturbabilis est, ipse sub se perturbabilis: quia super se ascenderat, in quantum rapiebatur ad summa: sub semetipso erat, in quantum adhuc reliquias trahebat in infima. Ipse super se imperturbabilis est, quia in Dei iam contemplationem transierat: ipse sub se perturbabilis sub semetipso adhuc infirmus homo remanebat.* Lege hic Ugonem Cardinalem, qui agit de imagine Dei in nobis multis modis existente.

64. Omnis hominum perturbatio est vana.

Secundo, si cum S. Hieronymo legas, *tantum frustra conturbatur*, sensus erit: homo in imagine, et figura, ac specie fluxa et pereunte ambulans conturbatur, sed tantum frustra, q. d. Omnis eius conturbatio est vana, inanis, inutilis, et frustranea. De primo, nempe de turbatione ait S. Augustinus serm. 1. de tempore Dominicæ in Septuagesima: Dura causa est vita mortalis. Quid est aliud hic nasci, quam ingredi laboriosam vitam? De labore futuro nostro testis est ipse fletus infantis. Ab ipso molesto convivio nemo est excusatus. Bibendum fuit quod propinavit Adam. Facti quidem sumus manibus veritatis, sed propter peccatum proiecti in dies vanitatis. Facti sumus ad imaginem Dei, sed detrivimus eam transgressione peccati. Ideo Psalmus nos admonet, quomodo facti fuerimus, et quo pervenerimus. Ait enim: Quamquam in imagine Dei ambulet homo. Ecce quod factus est. Quo pervenit? Audi quod sequitur. Tamen frustra conturbatur omnis homo. In imagine ambulat veritatis, et conturbatur in consilio vanitatis. Sic Augustinus. Angustum, ait S. Hieron. et satis anxium tempus vitæ mortalis. Turbatur autem homo partim a seipso, partim a rebus ipsis huius mundi. S. Laurentius Iustinianus opusc. de contemptu mundi, cap. 21. *Revera*, inquit, *talis est hæc vita, ut intolerabilis debeat esse prudentibus. Nam insipientibus sicut nulla inest discernendi ratio, ita neque dolendi. Undique concupiscentiarum spinis obsita, deceptionum anfractibus dubia, latronibus spiritualibus plena, bellorum tumultibus, fragoribus, atque inimicorum circumsepta fallaciis: adeo ut iustus innocentiam, et humilis corde suam difficillime valeat servare munditiam.* Et paulo post magis ad rem nostram: *Ubique lites, ubique iurgia, in plateis, in foro,* etc. *Periit in conversatione simplicitas, in societate charitas, in actione iustitia, et in proximorum necessitate pietas.* S. Gregorius Nazianzenus hanc mundi fluctuationem belle describit orat. 16. Κυκλος τις εστιν, inquit, των ανθρωπινων πραγματων. Κινειται γαρ το παν περι τον ακινητον, και σαλευεται. *Res humanæ velut orbe quodam volvuntur, fratres. Movetur enim, ut sic dicam, ac fluctuat universitas rerum circa immobilem.* Deus est veluti rupes inconcussa, ad quam omnes fluctus veniunt, et circa quam continuo rotatu volvuntur. Paulo post idem sanctus Pater subdit: ουδεν ακινητον ουδε ομαλον, ουδ' αυταρκες, ουδ' εις τελος ομοιον, ουτε το ευθυμειν, ουτε το αθυμειν, nihil motus expers est, nihil planum et æquabile, atque in finem usque sibi simile: non hilaritas, non mœstitia, non opes, non paupertas, non vires, non infirmitas, non humilitas, non potentia, non præsens tempus, non futurum, non res nostræ, non alienæ, etc.

65. Quia causa illius est vana.

De secundo, nempe quod homo sæpe conturbatur frustra, seu vane, ut vertit Arias et Felix; in vanum, ut Pagnin. temere, ut Campens. probatur Primo, quia causa efficiens illius turbationis est vana, nempe inepta, et parum rationi conformis cupiditas et imaginatio: *In imagine pertransit homo.* Vana sibi fingit contra veritatem rerum, sicut melancholici, qui vitreos se, oblongo naso, et mortuos imaginantur: et veluti milites pavidi, qui hostem videre se putant, cum videant vaccas, perdices, lepores, arundines. Vide Psal. 52. 6. Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Secundo, conturbantur sæpe homines frustra et vane, quia causa turbationis obiectiva, quæ est causa formalis extrinseca, est vana: *In imagine pertransit homo*, id est, non in rebus veris, sed in rerum imagine, ut dixi ex Bellarm. in rebus phantasticis sumus, spectra varia et sæpe horribilia nobis apparent, ut Ægyptiis in triduo tenebrarum: et viatoribus de nocte ambulantibus, præsertim si timeant. Tertio, sæpe homines conturbantur frustra, quia causa finalis laborum, in quibus turbantur, est vana: honor scilicet, voluptas, divitiæ, ex quibus sæpe maiora illis mala eveniunt, et ad quæ raro perveniunt, sicut optant. Hoc deplorat Salomon Eccl. 2. 22. *Quid proderit homini de universo labore suo, et afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est? Cuncti dies eius doloribus et ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit: et hoc nonne vanitas?* Et cap. 5. 11. *Quid ergo prodest ei quod laboravit in ventum?* Quidquid acquisierit, erit imago theatralis et personata, quæ a misero citissime discedet, atque eum in sua miseria relinquet. Seneca epist. 80. *Hic*, ait, *humanæ vitæ mimus, nobis partes has, quas male agamus, assignat. Ille qui in scena elatus incedit, et hæc resupinus dicit:*

En impero Argis, regna mihi liquit Pelops,
Qua Ponto ab Helles, atque ab Ionio mari
Urgetur Isthmus.

Servus est quinque modios habens, et quinque denarios. Idem de istis licet omnibus dicas, quos supra capita hominum, supraque turbam delicatos lectica suspendit. Omnium istorum personata felicitas est. Contemnes eos si despoliaveris. Equum empturus solvi iubes stratum; detrahis vestimenta venalibus, ne qua vitia corporis lateant; hominem

1\. Efficiens.
2\. Obiectiva.
3\. Finalis.

involutum æstimas. Si tu eo cultu externo illustris es, ne inde superbias, cum scias esse tantum mentitam et emendicatam imaginem. S. Gregor. Nazianz. orat. in laudem fratris Cæsarii, ait eum hæc omnia contempsisse: Omnia, inquit, quæ hæc vita habet, ex alto deridens: nimirum divitias, ut appellantur, et abiectas dignitates, et fictos honores, et imposturam quam nobis sensus faciunt: ita Gregorius. Hanc imposturam vix melius cernes quam in regibus Persarum, de quibus S. Chrysologus serm. 120. *Ne simus, ut Persarum reges, qui subiecta nunc pedibus sphæra polorum se calcare vertices mentiuntur: nunc radiato capite, ne sint homines, solis resident in figura: nunc impositis sibi cornibus, quasi viros se esse doleant, effœminantur in lunam: nunc varias velut siderum sumunt formas, ut hominis perdant figuram, et nihil supernæ charitatis acquirant.* Nonne hoc erat histrionem agere, et ridendos se sapientibus propinare?

Persarum reges ridicule vani.

Sexto, vitæ nostræ non exigua miseria, et innumerabilium turbationum causa, est inordinatum congerendarum opum desiderium, v. 7. THESAURIZAT, ET IGNORAT CUI CONGREGABIT EA, quæ scilicet thesaurizat. Vel τὸ *ea* contemptum notat, quasi David ne nominare quidem velit. Non enim opum seu divitiarum nomine digna sunt terra et lutum. Quid est autem aurum, nisi densatum lutum.

Vers. 7. 3. Pars.

66. Nota, thesaurizantium triplex est miseria, 1. in acquirendo; 2. in conservando; 3. in perdendo.

Thesaurizantium triplex miseria.

I. Primo enim, in pecuniarum acquisitione labor est ob aviditatem multa congerendi. Chald. *chenas*, et Hebr. צבר *tsabar*, significant congregare, coacervare, accumulare, in cumulos et acervos conglobare. Secundo, est insatiabilitas, nunquam enim avarus dicit, sufficit: sed sicut sepulcrum, infernus et os vulvæ dicit semper, affer, affer. Hinc S. Hieron. in tempore præsenti vertit, congregat. Noster, thesaurizat. Camp. accumulat. Arabs, *thesaurizat thesauros*, q. d. Nec uno, nec duobus est contentus; ignis est insaturabiliter iniecta devorans, et plura semper appetens, et consumere potens; 2. Arias vertit in tempore præterito, *congregavit;* 3. Pagnin. in tempore futuro, *congregabit*. Felix, *coacervabit*. Sic avaritia crudelis est domina, quæ suum mancipium nunquam patitur quietum esse. S. Greg. Nyssen. lib. de vita Mosis vocat illam δεσποτιν μηδεμιαν ανεσιν τω δουλευοντι παρεχομενον, dominam quæ nullam quietem mancipiis suis concedit. S. Asterius Episcopus Amaseæ homil. 3. vocat eam μαιναδα, furiam. S. Chrysost. tom. 4. hom. quod nemo læditur nisi a seipso, pag. 578. avaritiæ crudelitatem amplificat, cum ne servis quidem suis parcat: *Tamquam inhumana domina,* inquit, *tamquam sævus tyrannus, barbara quædam immanis, tamquam meretrix publica, et pretiosa dedecorat, conficit, et sexcentis obiicit periculis ac pœnis eos, qui illi servire in animum induxerunt. Cumque sit terribilis, acerba, crudelis, sæva, vultu barbarico, quin potius ferino,* και λυκου, και λεοντος αγριωτερον, *et quam lupus ac leo truciore: mansueta tamen, et expetenda, et melle dulcior videtur esse captivis eius.* Tertio, in congregandis thesauris est stultitia, quia aurum multo labore erutum e terra, in eam reiicitur. S. Ambros. id spectat lib. de Nabuthe, cap. 4. tom. 1. Eruitis ait, aurum de metalli venis, sed rursum absconditis. Quantorum vitas in illo infoditis auro, cur illa servantur?

In acquisitione pecuniæ.

67. II. Secundo, in conservatione et possessione thesauri est, Primo, sollicitudo. Avari prope thesauros suos excubant, velut dracones iuxta vellus aureum, gryphes et formicæ prope mineras Indorum: pleni sunt veneno, unguibus et crudelitate, in obvios insiliunt, in domesticos suspicaces, erga amicos timidi. Secundo, stultitia, nam divitias suo fine frustrant, ad usum enim datæ sunt, iis autem avarus non utitur, sed in iis se volutat, ut Heliogabalus, et in eas cor immergit, ut ille de quo S. Antonius Patavinus id probavit, arca aperta, et corde in mediis nummis reperto. Vere enim dixit Christus Matth. 6. 21. *Ubi est thesaurus tuus, ibi et cor tuum erit.* Si igitur miserum Crassum censemus, cui mortuo in os infusum est a Parthis aurum, cum hoc elogio: Satia te auro, quod sitisti: quanta erit avari miseria, cuius viventis cordi superfusum et intrafusum est semper aurum; natat cor eius in medio auro, vel aurum in medio corde eius, illudque ad inferos deprimit. Hinc væ illis intentat Amos Propheta qui sunt divites. Sic enim cap. 6. 1. *Væ qui opulenti estis in Sion,* q. d. Id liceat gentilibus, sed non Sionitis, id est, speculatoribus cælestium, nempe Christianis: talpis id relinquitur terram fodientibus et cæcis; aves cæli non laborant, neque nent, neque congregant in horrea, et Pater cælestis pascit illas. Septuag. vertunt, *væ spernentibus Sion,* divitiis incubans Ecclesiam, et eius divitias spirituales, et Ecclesiæ filios, nempe pauperes quantumvis sanctos despicit. Est sanguisuga intenta tantum, ut corrupto se impleat sanguine. Hebr. *sciaanannim*, verti potest *annihilantibus*, q. d. Væ iis, qui ut crescant et pinguescant, alios omnes vellent et conantur annihilare. Terribile est dictum Christi Luc. 6. 24. *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram: væ vobis qui saturati estis, quia esurietis.* Tertio, igitur in ipsa possessione est continuus timor perdendi. Scit enim avarus bona sua non esse firma et stabilia. S. August. in illud Ps. 89. Dies nostri sicut aranea meditabuntur, in hunc modum loquitur: *Aranea texit tota die, et labor grandis est, sed effectus nullus: sic et vita hominum: possessiones quærimus, divitias appetimus, procreamus filios, in regna sustollimur, et omnia facimus: et non intelligimus quod araneæ telam teximus.* Nonne stultus erat Heliogabalus Imperator, qui ut tradit Lampridius in eius vita, iubebat sibi deferri millena pondo aranearum, proposito præmio; ferturque collegisse decem millia pondo, id est, libras, dicens: et hinc coniiciendum, quam magna esset Roma. Stultior eo est Christianus, qui sciens æterna in cælo acquiri posse præmia, hic quisquilias et sordes ac stercora congerit.

In eius conservatione.

Tertio denique, in deperditione thesauri dolor est inconsolabilis in avaro; unde multi bonis congestis spoliati ad gladios, ad restim, ad præcipitia cucurrerunt. In ipso usu modico et necessario rerum suarum ingemit avarus. Exemplum affert S. Ambr. tom. 1. lib. de Nabuthe, cap. 4. *Novi, ait, divitem in agrum proficiscentem, panes breviores urbe delatos numerare solere, ut pro numero panis æstimaretur, quot dies in agro futurus esset. Nolebat obsignatum aperire horreum, ne quid de condito minueretur. Panis unus singulis diebus deputabatur, qui tenacem vix satiare posset. Comperi etiam viri fidem, si quando ei ovum esset appositum, queri quod pullus esset occisus. Hoc ideo scribo, ut cognoscatis vindicem esse Dei iustitiam: quæ lacrymas pauperum vestro ulciscatur ieiunio:* ita Ambros. Θησαυρος dicitur παρα το εις αυριον τιθεσθαι, quod reponatur in crastinum. Nunquam sumitur in præsenti, semper in crastinum usus differtur: sic mors occupat auro suo involutum et argento, atque in mediis thesauris egenum et pauperem. Sophon. 1. 11. *Ululate habitatores Pilæ* (id est, Ierusalem, seu voraginis Mello, per quam Chaldæi irruperunt, et in qua velut in pila seu mortario cives contuderunt. Anagogice, habitatores pilæ sunt avari in olla Vulcania et inferis positi et contusi) *conticuit omnis populus Chanaan*, id est, cœtus mercatorum: (id enim significat Chanaan) *disperierunt omnes involuti argento*, quo captivi tenebantur, et a quo expedire se non potuerunt. Cato apud Gellium: Fures privatorum, ait, in nervo et in compedibus ætatem agunt: fures vero publici in auro atque in purpura. 68. III.

In eius deperditione.

Ex his sequitur, esse faciendum id quod iubet Christus Matth. 6. 19. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur,* etc. Thesaurizate vobis thesauros in cælo, etc. Nam, ut ait Philippus Grevens, Cancellarius Parisiensis serm. 83. Thesaurus faciendus est de pretiosis; 2. de raris; 3. de durabilibus, quæ conservari possunt; 4. de utilibus; 5. de iis quæ facile auferri non possunt; 6. de iis quæ facile et parvo loco possunt abscondi; 7. de iis quæ certum est remanere apud congregantem; 8. de iis quorum non est damnosa conservatio. Primo autem, temporalia non sunt pretiosa; nullam enim habent virtutem: toto enim thesauro suo non potest rex 1.

69. Novem considerantur in iis, ex quibus fit thesaurus. De rebus spiritualibus, non de temporalibus, faciendus est thesaurus, ob rationes septem.

sibi febrem modicam tollere: unde pauper sanus præfertur diviti ægrotanti, Eccli. 30. 14. Spiritualia vero sunt pretiosa. 2. Corinth. 4. 7. *Habemus thesaurum* (virtutes et dona gratis data) *in vasis fictilibus*, hoc est, in nobis, in corpore fragili et caduco. Proverb. 3. 15. *Pretiosior est cunctis opibus sapientia* (tum speculativa, tum practica) *et omnia quæ desiderantur, huic non possunt comparari*. Discerne pretiosum a vili, ut hoc reiicias, illud conserves. Ierem. 15. 19. ait Deus: *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris*, id est, eris meus Propheta et præco, per quem mea secreta et decreta aperiam omnibus. S. August. tract. 46. in Ioan. sapienter monet: *Botrum carpe, spinam cave*.

II. Secundo, spiritualia rara sunt; e cælo enim veniunt, et a paucis obtinentur: temporalia sunt in terra nostra. Matth. 20. 16. *Multi sunt vocati, pauci vero electi*. Eccl. 1. 15. *Stultorum infinitus est numerus*.

III. Tertio, temporalia non sunt durabilia, et conservatione deteriorantur. Stultus esset qui de pomis, et de iis quæ servari non possunt, thesaurizaret: qui stercora in unum congregaret, quæ tanto magis fœtent, quanto magis cumulantur. Stercora et fimus tunc primo prodesse possunt, quando dispersa sunt, et non adunata. De dispersis ager impinguatur, et facilius fructificat: sic et divitiæ conservatæ non prosunt, sed pauperibus erogatæ fructum vitæ æternæ multiplicant; ideo dicitur Habacuc 2. 6. *Væ iis qui multiplicant non sua, usquequo aggravant contra se densum lutum*, q. d. Deberent potius dispergere, quam adunare ad fructificandum. Aggregatio luti generat vermes in sterquilinio. Similiter et vermes conscientiæ, vermes etiam pœnæ æternæ generantur ex tali aggregatione. Unde sequitur in Habacuc: *Numquid non repente consurgent, qui mordeant te?* Spiritualia bona ex vetustate proficiunt. Eccl. 25. 7. *Quam speciosa veteranis* (Syr. magnatibus; Tigurina, senibus) *sapientia*.

IV. Quarto, temporalia sæpe sunt noxia, cum, ut dixi, curam, laborem, dolorem, imo mortem violentam aliquando pariant. Spiritualia sunt lætitiæ et exultationis plena. Vide Ps. 99. 1. *Iubilate Deo omnis terra*. Et Psal. 32. 1. *Exultate iusti in Domino*.

V. Quinto, temporalia facile auferri possunt. Matth. 6. 19. *Nolite thesaurizare vobis* (sed pauperibus) *thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur*. Spiritualia non auferuntur. Eccli. 11. 17. *Datio* (Syrus et Tigurina, donum) *Dei permanet iustis: et profectus* (Syrus, voluntas. Tigurina, favor) *illius successus habebit in æternum*. Nam, ut ait Paulus Rom. 11. 29. *Sine pœnitentia* (ἀμεταμέλητα, id est, impœnitibilia) *sunt dona et vocatio Dei*. Et Concilium Tridentinum sess. 7. cap. 11. ex S. Aug. determinat, Deus sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi prius ab iis deseratur.

VI. Sexto, temporalia non possunt contineri in parvo loco, sed spiritualium locus est solum cor. Ibi est thesaurus noster. Unde Eccl. 30. 24. dicitur: *Congrega cor tuum in sanctitate*: per sanctitatem efficies ut non diffluat, et per varia oberret cælestes liquores sibi infusos perdens: vel per hypallagen, q. d. Congrega sanctitatem in cor tuum, illa enim est thesaurus cælestis et divinus. Prius dixerat, v. 15. *Salus animæ in sanctitate iustitiæ melior est omni auro et argento*.

VII Septimo, temporalium bonorum conservatio est damnosa. Ecclæ. 5. 12. ait Salomon: *Est et alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole: divitiæ conservatæ in malum Domini sui*: quia, ut ait Emmanuel Sa, sæpe divites occiduntur, ut divitiis spolientur. Concludamus igitur cum Habacuc Propheta cap. 2. 9. *Væ qui congregat avaritiam malam* (Chald. divitias iniquas et impias; 2. malam, id est exitialem) *domui suæ*. Agit præcipue de Nabuchodonosore, qui in Babylonem divitias variorum regnorum a se spoliatorum congessit, sed hæ opes incitaverunt Darium Medorum regem, et Cyrum regem Persarum, ut Babylonem obsiderent, et caperent, quod accidit post mortem Nabuchod. anno 44. regnante Balthasare eius nepote.

Septimo denique, summa avari miseria est, quod nescit cuinam hæredi thesauros suos congreget, v. 7. THESAURIZAT, ET IGNORAT CUI CONGREGABIT EA, id est, cui congreget, et tota vita sit congregaturus. Pagninus, nesciet cui congregat ea. Quatuor miserias in hoc nimio desiderio coacervandi divitias hæredi reperio. 70.

Vers. 7. 4. Pars. Avari thesauros congregantis miseria quadruplex.

I. Ignoratio hæredis.

Prima miseria est, ignoratio, qualis et quis futurus sit hæres. Ut enim ait S. Ambros. in Psal. nostr. *Quid tam vanum, quam nescire, cui labores hæredi? Quis enim scit si sibi filius aut nepos proprius supervivat? sæpe conditis tabulis, testamentis scriptis, hæres funereo ambitu testatorem præcedit ad tumulum, aut hæreditatem superstes absorbet, aut luxuriosus dissipat, aut stultissimus non tuetur, aut proscriptus amittit*. Hinc Salomon sibi ipsi onerosus est ob curam congregandi opes, et ait Eccl. 2. 18. *Detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi, habiturus hæredem post me, quem ignoro utrum sapiens aut stultus futurus sit*. Ut ipse Salomon hominum omnium sapientissimus expertus est in Roboamo hebete filio suo. Ezechiæ piissimo successit Manasses filius sceleratissimus. Iosiæ quoque regis optimi et ditissimi, filii fuerunt impii, et in captivitatem Babylonicam ducti.

II. Quia hæredes eodem se labore consumunt.

Secunda miseria est, quod ipse filius et hæres congregabit thesauros, et nesciet cui illos sit congregaturus; sic erit infinitus labor sine fructu. S. August. in Psalm. nostr. *Hæc est vox pietatis, excusatio iniquitatis. Filiis meis, inquit, servo. Ecce discutio te cum filiis tuis: servas transiturus transituris, imo vero transiens transeuntibus*. Et serm. 1. de temp. Domin. Septuag. *Ut saccellus tuus impleatur nummis, anima tua febricitat curis: video, doleo; conturbaris, et sicut dicit qui fallere nescit, vane conturbaris; thesaurizas enim, ut bene proveniat quidquid agis. Ut accedat aurum, perit fides: ut foris vestiaris, intus expoliaris*. Et aliquot interiectis subtexit: *Quare, inquis, vane conturbor? Ecce saccos impleo, parietes mei vix capiunt quod acquiro. Quare vane conturbor? Thesaurizas, et ignoras cui ea congreges. Aut si scis cui, obsecro dic et mihi. Audiam te cui. Si non vane conturbaris, dic cui thesaurizas? Mihi, inquis. Hoc audes dicere moriturus? Filiis meis, inquis: hoc audes dicere de morituris? Magna pietas, thesaurizat pater filiis: imo magna vanitas. thesaurizat moriturus morituris*.

III. Sæpe thesaurizant impiis hæredibus.

Tertia miseria thesaurizantium est, quod sæpe thesaurizant impiis, ingratis, et omnia prodige consumentibus filiis. S. Ambr. lib. 1. off. c. 49. Quid est, ait, congregare opes, nisi vanum? quia caduca quærere vanum est satis. Cum autem congregaveris, qui scias, an possidere liceat tibi? Nonne vanum est ut mercator noctibus ac diebus conficiat iter, quo aggerare possit thesauri acervos, merces congerat, conturbetur ad pretium, ne forte minoris vendat quam emerit, aucupetur locorum pretia, et subito aut latrones in se invidia famosæ negotiationis excitet, aut non expectatis serenioribus flatibus, dum lucrum quærit, naufragium impatiens moræ incidat? An non conturbatur etiam ille vane, qui summo labore coacervat, quod nesciat cui hæredi relinquat? Sæpe quod avarus summa congesserit sollicitudine, præcipiti effusione dilapidat hæres luxuriosus: et diu quæsita, turpis helluo, præsentium cæcus, futuri improvidus, quadam absorbet voragine: ita Ambrosius.

IV. Sæpe thesaurizant inimicis suis.

Quarta denique, thesaurizantium miseria est, quod sæpe extraneis nonnunquam, inimicis suis thesaurizant. Ecclæ. 6. 1. *Est aliud malum quod vidi sub sole, et quidem frequens apud homines: vir cui dedit Deus divitias, et substantiam, et honorem, et nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desiderat; nec tribuit ei potestatem Deus ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud*.

Hinc colligit primo S. Ambros. lib. 1. off. cap. 49. mox citato, non esse nimia cura temporalibus studiis vacandum: *Sæpe*, inquit, *speratus successor invidiam partæ acquirit hæreditatis, et celeri obitu extraneis aditæ successionis transcribit compendia. Quid ergo vane araneam te-* 71.

Ex his tria consequuntur.

1. Non esse nimia cura temporalibus rebus vacandum. 2. Bona danda pauperibus.

xis, quæ inanis et sine fructu est, et tamquam casses suspendis inutiles divitiarum copias, quæ etsi fluant, nihil prosunt: imo exuunt te imaginem Dei, et induunt terreni imaginem? Si tyranni aliquis imaginem habeat, nonne obnoxius est damnationi? etc. Secundo, ad maiorem perfectionem hinc excitat S. Oresiesis de institut. monast. nempe ut relictis omnibus bonis terrenis eatur ad Christum: *Quare*, inquit, *non audies Davidem loquentem: Thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea. Et sermonem Evangelicum, avarum divitem corripientem: Stulte hac nocte animam expetent a te. Quæ autem præparasti, cuius erunt? Et iterum: In illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Stulte, quare non vis audire Dominum hortantem? Vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et tolle crucem tuam, et veni sequere me:* ita Oresiesis. Tertio denique, hinc sapienter colligit Salvianus, enitendum parentibus, non ut bonis terrenis suos liberos cumulent, sed ut eos pietate ditent. Sic enim lib. 1. ad Eccles. Cathol. ait: *Quid ergo æstuas paterna pietas? quid ad conquirenda terrena et peritura distenderis? nihil maius præstare filiis potes, quam si hoc bonum per te habeant, quod nunquam penitus amittant. Non necesse est ergo, ut filio tuo terrenos thesauros recondas: nulla re eum facies ditiorem, quam si ipsum filium tuum thesaurum Dei feceris.*

3. Liberos pietate potius, quam pecunia esse ditandos.

72\. Exemplum illustre hominis bona sua dantis pauperibus.

Quam utile sit magis pietatem, quam filiorum divitias terrenas quærere, disces exemplo quod Ioann. Moschus recitat cap. 201. in prato spirituali, ubi quemdam sic inducit referentem Constantinopoli quid sibi accidisset: Ego, ait, filius fui cuiusdam sæcularis gloria clarissimi. Erat autem pater meus eleemosynis maxime deditus, et plurima pauperibus distribuebat. Die ergo quadam vocavit me, et ostendit mihi omnes pecunias, dicens: Fili, quid tibi gratius est, ut dimittam tibi pecunias istas, an Christum curatorem tuum? Ego, cum placerent mihi quæ faciebat, respondi, me Christum malle. Ista enim omnia prætereunt, et hodie sunt, et cras non erunt; Christus autem manet in æternum. Quod ille cum audisset, omnia iam libere et larga manu pauperibus erogabat: ita ut moriens pauca admodum mihi relinqueret. Ego autem iam pauper effectus, humilis procedebam, spem meam habens in Christum, cui me ille reliquerat. Erat autem alius quidam dives valde, et primarius, habens uxorem fidelem Christo, et timentem Dominum; habebat autem et filiam unicam. Dixit ergo illa viro suo: Hanc solam habemus filiam, tantaque bona nobis largitus est Deus. Cuius ergo rei indiget? Si quæsierimus dare illam alicui primario et diviti, qui non sit bonis moribus, affliget eam semper. Quæramus illi virum humilem, et timentem Dominum, qui secundum Deum illam diligat, et foveat. Qui dixit illi: Recte dixisti: perge ergo in Ecclesiam, et ora intentissime, atque illic resido: et qui primus ingressus fuerit, hic illi a Domino missus est sponsus. Fecit igitur ut insserat vir eius. Cumque orasset et sederet, ingressus sum ego primus. Mittens ergo illa servum suum continuo accersivit me, cœpitque interrogare dicens: Unde es? Ego autem dixi illi: Ex hac civitate sum talis filius: Dixit autem mihi: Illius eleemosynarii? Et dixi: Ita, illius sum filius. Tunc ait mihi: Habes uxorem? Et dixi: Non. Narravique illi, quæ mihi dixerat pater meus, et quæ ego responderam ipsi. Illa vero glorificans Dominum dixit: Ecce bonus curator tuus misit uxorem et pecunias, ut utaris utriusque cum timore Dei. Deditque mihi filiam suam, et pecunias. Ego autem oro ut patris mei viam usque in finem teneam. Ex hoc sapienter ille inferebat, vere beatum esse, qui spem suam in Deo ponit, et seipsum totum illi committit. Infer quoque beatos esse illos parentes, qui Deum potius tutorem et curatorem filiis suis relinquunt, quam multas opes.

Et felicitas filii eius.

SECTIO TERTIA ET ULTIMA.

73\. *Tria complectitur. Primo, David ait se in Deum solum sperare, vers. 8. Secundo, illum solum timere, vers. 12. Tertio denique, ab eo solo opem flagitat, vers. 13.*

PARAPHRASIS.

8\. *Et nunc quæ est exspectatio mea? nonne Dominus? et substantia mea apud te est.*

9\. *Ab omnibus iniquitatibus meis erue me: opprobrium insipienti dedisti me.*

10\. *Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti:*

11\. *Amove a me plagas tuas.*

12\. *A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus: propter iniquitatem corripuisti hominem.*

Et tabescere fecisti sicut araneam animam eius: verumtamen vane conturbatur omnis homo.

13\. *Exaudi orationem meam Domine, et deprecationem meam: auribus percipe lacrymas meas.*

Ne sileas: quoniam advena

8\. In quo igitur spes meas defigam, cum tam fluxæ sint aggestæ multis laboribus divitiæ? In te uno rerum omnium Domino animus meus conquiescet, te unum summum bonum conquiram. Tu vita mihi eris ac felicitas; in cælestibus thesauris ea habes recondita, quæ et ambio et expecto.

9\. Quo ut evolem, scelerum meorum pondera, quibus in præceps feror, excute: et quas hic etiam merentur pœnas allevа. Iam aliquas exolvisse videor, cum a te cavillis et maledictis Semei insanientis obiectus sum.

10\. Quam a te iusto vindice immissam calamitatem cum iudicarem, ne hiscere quidem in maledicum volui: sed instar surdi ac muti ne verbulo quidem obiecta crimina dilui, aut temere impetentem læsi.

11\. Tuum est ultricem manum, cum placuerit, amovere, et a flagellis cessare; hoc ut facere digneris, obsecro.

12\. In tot tantisque cladibus contabui, omnibusque tum animi tum corporis viribus destitutus prope defeci, ob gravitatem ultionis, et ultricis potentiæ tuæ magnitudinem. Etsi non sine causa, sed propter admissa scelera, hanc mihi calamitatem accidisse sentiam et profitear.

In qua consumptus dolore et contabescens, vilis instar araneæ, in texenda tela captandis tantum muscis idonea, totus emarcui: cum tot exantlatos in firmando augendoque regno, opibusque congerendis labores, inopinato turbine concidisse adverterem. O quam inanes et futiles hominum curæ ac perturbationes, quibus animum ad cælestia natum terrenis implicant.

13\. Non iam caduca et peritura postulo: unum tantum ut orationem meam exaudias, obtestor: tantoque impetu defluentes lacrymas, ut auribus circumstantium insonent, tu quoque benignis auribus accipe.

In tuum sinum convolantem paternis verbis consolare: neque enim hic stabilem

ego sum apud te et peregrinus, sicut omnes patres mei. — mihi sedem defixi, in exilio demoror, et hospitis ritu viam decurrentis ad patriam meam cælestem anhelo, sicut maiores mei Abraham, Isaac et Iacob, ac cæteri qui nunc, tua postea visione fruituri, in limbis demorantur.

14. *Remitte mihi ut refrigerer priusquam abeam, et amplius non ero.* — 14. Hæc porro una mea petitio est, ut scelera mihi mea condones, ab his ut animi fluctibus paululum in virtutibus et tranquillitatis portu conquiescam. Tum ab his corporis vinculis liber evolabo, atque his in terris emori optabo, ut quam ocyssime tibi vivam ac te perfruar.

QUÆSTIO UNICA.

Qualis est vitæ nostræ peregrinatio.

Sectione prima David patientiam suam ostendit ac silentium, cum fugeret rebellem Absalonem: sectione secunda, brevitatem et miseriam huius vitæ declaravit. Nunc in hac tertia et ultima, peregrinos esse omnes homines ait, et Deum unum spectare debere. Se autem in exemplum proponit.

74. Peregrinationis humanæ finis et media.

Tria autem proponit: 1. finem peregrinationis huius vitæ; 2. in eius decursu tota via impedimenta occurrentia; 3. viæ adiumenta, ut ad optatum finem ac metam peregrini perveniant.

Ac primo, peregrinationis nostræ finis duplex est: Primus quidem essentialis, nempe Deus, v. 8. *Et nunc quæ est expectatio mea? nonne Dominus?* Secundus vero accidentalis: nempe cætera omnia bona quæ dabuntur Beatis in cælo: *Et substantia mea apud te est.*

Secundo, impedimenta illius viæ profert duo: Primum quidem intrinsecum, nempe peccata, vers. 9. *Ab omnibus iniquitatibus meis erue me.* Secundum vero, extrinsecum: scilicet hostes: *Opprobrium insipienti dedisti me.*

Tertio denique, viæ adiumenta virtutes duodecim assignat. Primo, silentium, vers. 10. *Obmutui.* Secundo, patientiam: *Et non aperui os meum,* scilicet ut murmurem, aut excandescam. Tertio, conformitatem cum divina voluntate: *Quoniam tu fecisti.* Quarto, spem in Dei misericordia, v. 11. *Amove a me plagas tuas.* Quinto, timorem ob divina flagella, v. 12. *A fortitudine manus tuæ ego defeci.* Sexto, humilitatem, per agnitionem scelerum, et pœnarum ob illa meritarum: *Propter iniquitatem corripuisti hominem.* Septimo, mortificationem: *Et tabescere fecisti, sicut araneam, animam eius.* Octavo, contemptum mundi, in quo frustranea est omnis turbatio: *Verumtamen vane conturbatur omnis homo.* Atque hæ virtutes partim corpus proprium, partim animam, partim proximum respiciunt. Nono, fervorem orationis ad Deum, v. 13. *Exaudi orationem meam Domine, et deprecationem meam.* Decimo, compunctionem ob peccata in Deum admissa: *Auribus percipe lacrymas meas.* Undecimo, desiderium æternorum bonorum: *Ne sileas, quoniam advena ego sum apud te, et peregrinus, sicut omnes patres mei.* Duodecimo denique, desiderium perfectionis, ne qua sit remora, per viam mandatorum currenti, v. 14. *Remitte mihi, ut refrigerer, priusquam abeam, et amplius non ero.*

ARTICULUS I.

Humanæ peregrinationis finis est possessio beatitudinis.

75. Vers. 8.

Metam itineris sui semper præ oculis habere debet peregrinus. Itaque David, qui v. 13. clare profitetur se esse advenam et peregrinum, ait hic v. 8. Et nunc quæ est exspectatio mea? nonne Dominus? et substantia mea apud te est? id est, quid spero? quid quæro? quid opto? nonne Dominus expectatio et spes mea est? Substantia mea, id est, vita mea, et opes meæ apud te sunt, nihili facio cunctas res creatas, te unum pro rebus omnibus habere cupio: quia in te sunt omnia. In Hebræo ad verbum habetur: *Et nunc quid expecto Domine? expectatio mea tibi ipsa?* Ex quo intelligere possumus Hebraicæ lectioni respondere tantum illa: *Et nunc quæ est expectatio mea? nonne Dominus?* Illa vero, *et substantia mea apud te est,* videntur addita explicandi gratia a Septuaginta seniori-

A bus, quæ a nostro latino Interprete fideliter reddita sunt. Itaque non oportet quærere, ut multi faciunt, cur substantiam latinus Interpres posuerit pro voce Hebraica, quæ spem vel expectationem significat. Latinus enim Interpres non substantiam pro expectatione posuit: sed addidit ad verba Hebraica id, quod Septuaginta Interpretes addiderunt. Simile est in Ps. 21. ubi legimus, *Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti?* Illud enim, *respice in me,* non habetur in Hebræo codice, sed additum est a Septuaginta Interpretibus, et inde translatum est a latino interprete in editionem vulgatam: ita Bellarminus. Sed hoc verum esse non arbitror. Nam quod in Hebræo est: *Et nunc quid expecto Domine?* sufficienter respondet verbis illis vulgatæ: *Et nunc quæ est expectatio mea? nonne Dominus?* itaque cætera adhuc exprimenda fuerunt, sicut non tantum Septuaginta, sed etiam Chald. Arabs, et alii fecerunt.

Nota, pro *substantia,* Hebraice est תוחלת *tochelet*, id est, spes. Unde Pagninus, Felix, Camp. vertunt, spes mea **B** in te est. S. Hieron. præstolatio mea tu es. Arias, expectatio mea in te ipsa. Chald. אריכות *ariculh*, significat expectationem diuturnam, spem longam, spem cum patientia et longanimitate servatam, spem dilatam. Secundo, spem animæ sanitatem afferentem, spem quæ est animæ medicina. Tertio, spem tranquillantem. Sumi enim potest a rad. ארך *arach*, prolongare, extendere, protendere: vel a rad. *arca*, id est, sanitas, medicina, tranquillitas. Quarto, *ariculh*, est spes recta, decens, conveniens, aptata, præparata. Nam etiam *arach*, significat aptare, præparare, rectum, decens et conveniens esse, ut docent Guido Fabricius Boderianus, et Ioannes Buxtorfius. 76. Spes mentem sanat et tranquillat.

Dices, cur Noster vertit *substantia?* Resp. primo, quia Sept. vertunt hic ὑπόστασις, id est, subsistentia; 2. substantia, essentia. Respond. secundo, Septuag. et Noster reddunt *substantia.* Primo, quia volunt denotare spem firmam, stabilem et solidam: sicut enim S. Paulus Hebr. 11. 1. fidei dat substantiam, seu ὑπόστασιν, ita etiam spei est substantia. Est enim anchora, ut ipse ait Hebr. 6. 19. **C** *Confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Syrus habet, quæ spes nobis est velut anchora, quæ retinet animam nostram, ne commoveatur. In tempestuoso et semper agitato mari sumus, egemus firma anchora et sacra, nisi naufragium facere velimus. Syri et Arabes spem appellant ותקה *vathaka*, q. d. Firmitatem, robur, soliditatem. *Vatak* enim significat vincere, firmare, roborare: inde etiam confidere et sperare: *vattik* vero, iustum, pium, sanctum: item doctum, peritum. Firma et solida spes facit Sanctos, et sanctitas atque charitas spem roborat et stabilit. David igitur pius spem habebat in Deo firmissimam, licet iactatus tempestate per Absalonem, cui ventus et aura popularis favebat; populus enim eum sequebatur toto corde. Aquila charitatem iunctam spei indicat, cum vertit καραδοκία, id est, sollicita et cupida expectatio, sicut eius qui caput exerit ad prospiciendum eminus eum qui expectatur. Deducitur a κάρα, id est, caput, et δοκάω, observo, expecto. Talis autem est spes et expectatio amantium, qui prospiciunt per cancellos, et caput elevant, ut **D** terram aut urbem, ad quam pergunt, vel milites auxiliares ad se venientes, vel amicos et parentes e longinquo videant. 77. Spes est substantia et quomodo.

78. Bona spiritualia sunt bona substantialia.

Secundo, Septuaginta et Noster vertunt, *substantia:* quia sciebant *tochelet*, id est, spem poni pro re sperata, id est, pro thesauris in cælo repositis, qui sunt substantia, vita, et omnes divitiæ Sanctorum. Pro nihilo enim

habent res omnes huius mundi, quæ non sunt substantialia bona, sed mera accidentia, quæ possunt tolli sine deperditione subiecti; in cælo autem sunt bona substantialia, quæ si quis non obtineret, melius esset illi, si natus non fuisset. Itaque sunt plusquam substantia eius, sunt supersubstantialia: sunt enim altioris ordinis. Nam ut docet S. Thomas 1. 2. quæst. 2. Beatitudo nostra non consistit in divitiis, honoribus, fama seu gloria humana, potestate, aut aliquo bono exteriori, aut in illis omnibus simul, nec in bonis corporis, sed ut idem docet quæst. 3. art. 1. beatitudo nostra obiectiva est bonum increatum, nempe Deus, qui solus sua infinita bonitate potest voluntatem hominis perfecte implere. Possis etiam per substantiam, id est, opes et thesauros, accipere non modo Deum tota æternitate possessum, sed etiam bona alia, quæ in cælo facient beatitudinem accidentalem, scilicet visionem humanitatis Christi, B. Virginis, et sanctorum omnium, conversationem et collocutionem cum ipsis, notitiam secretorum naturæ, et mysteriorum fidei, perfectam corporis habitudinem, et iucunditatem in omnibus sensibus et membris.

79. *Qui in Deo sperat, stabilis est.*

Moral. Qui in Deo sperat, eique servit, habet substantiam, consistentiam et stabilitatem: qui vero in aliis rebus sperat, in nihilo sperat, et nihil fit.

De primo afferri potest illud Amos 7. v. 7. *Ecce Dominus stans super murum litum* (cæmento et calce illitum ac firmatum) *et in manu eius trulla cæmentarii*, id est cura et providentia, qua hactenus populum suum Israel illo muro figuratum firmaverat atque stabiliverat. Septuaginta, Syrus, et Symmachus pro *trulla* vertunt *adamantem*. Stabat, inquiunt, Dominus super murum adamantinum, et in manu eius adamas. Ubi S. Hieronymus ait, Apostolos et Sanctos esse adamantes. Verba illius sunt: Adamas sui nominis lapis est, quem nos indomitum possumus appellare: eo quod Primo, nulli cedat materiæ, ne ferro quidem. Nam si ponatur super incudem, et gravi ictu feriatur mallei, antea incus et malleus vulnus accipiunt, quam adamas conteratur. Secundo, cum ignis omnia domat, et omnia metalla consumat, reddit adamantem duriorem, ut ne parvulum quidem angulum vis nimii ardoris obtundat. Tertio, vidi et in auro adamantem magnitudine milii; cumque vicinum consumatur aurum longo usu ac nimia vetustate, solus adamas non atteritur. Quarto, nulla lima imminui potest, sed e contrario limam terit, et quidquid attarit, lineis sulcat. Quinto, hic lapis durissimus et indomabilis, solo hircorum cruore dissolvitur, at missus in calidum sanguinem perdit fortitudinem suam. Sexto, est autem parvus et indecorus, ferrugineum habens colorem, et splendorem crystalli. Septimo, quatuor adamantis genera describuntur: Primus est Indicus: secundus Arabicus: tertius Macedonicus: quartus Cyprius, pro qualitate regionum plus vel minus duritiem possidentes. Octavo, dicitur quoque in electri similitudinem venena deprehendere, et maleficis resistere artibus. Ita Hieronymus, qui deinde hæc Christo et Sanctis, ac præsertim Apostolis adaptat: *Talis*, inquit, *est Dominus et Salvator, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, etc. factus obediens usque ad mortem. mortem autem crucis. De quo Isaias scribit cap. 5. 3. Non est species illi, neque decor: vidimus eum, et non erat pulchritudo: despectum et novissimum hominum, virum dolorum, et scientem ferre infirmitatem. Hic stat super murum adamantinum: id est, super Sanctos et Apostolos suos quibus donavit ut ipsi adamantes vocarentur, et a nullo superati dicerent: Quis nos separabit a charitate Christi, etc. Petrus quoque erat fortissimus adamas, portæ inferorum non prævaluerunt adversus eum. Hic vir et Dominus, qui stat super murum adamantinum, habet in manu sua adamantem: quia nisi Dei teneatur manu, et illius valletur auxilio, omnem perdit fortitudinem, dicente Domino in Evangelio Ioan.* 10. *Nemo potest rapere de manu Patris mei. Et in tantum robustus est, ut dicatur ad eum, Isaiæ* 43. *Si transieris per ignem, flamma non comburet te: quantoque magis tentationibus cæditur, tanto fortior fit, et pro nomine Salvatoris inter flagella lætatur.* Sic Apostoli flagellati ibant gaudentes, quod digni essent pro nomine Iesu contumeliam pati, Act. 5. 40. S. Dionysia ad sanguinem flagellata iussu regis Hunerici, ait: Ministri diaboli, quod ad opprobrium meum facitis, ipsa est laus mea, ut testatur Victor lib. 3. persecut. Vandal. Sollicitatus ad Arrianismum a ministris regis Victor Proconsul. Carthaginis: *Dicite*, inquit, *regi vestro, ut subiiciat me ignibus, adigat bestiis, excruciet omni genere tormentorum: si consentio, frustra sum in Ecclesia baptizatus.*

80. *Qui in terrenis rebus sperat, in nihilo sperat, et nihil fit.*

De secundo, nempe quod qui in terrenis rebus sperat, in nihilo sperat, et ob peccata inde consequentia nihil fit, patet Amos 6. 14. ubi alloquens decem tribus idola colentes, et in se præfidentes, ait: *Qui lætamini in nihilo, qui dicitis: Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua?* id est, vires et robur ad tutandum regnum contra Assyrios. Sed ad nihil redacti sunt per locustas: id est, Phul regem Assyriorum, qui exegit a Manahem rege Israel mille talenta argenti. Secundo, per ignem ab Amos visum post locustas, id est, per Teglatphalasar, qui instar ignis devoravit abyssum magnam, hoc est, innumeram turbam populi, nempe tribus Ruben, et Gad, ac dimidiam tribum Manasse, sitas trans Iordanem, humiliore loco, atque Assyriis propiora: præterea cis Iordanem tres alias tribus: nempe tribus Nephthalim, Aser et Zabulon, quas vastavit, cepit, expilavit, in captivitatem abduxit. Tertio, murus cecidit, et in pulverem redactus, Deo trullam, id est curam suam et protectionem auferente. Vere et pie S. Augnst. Soliloq. 3. et 4. *Nihil*, ait, *est mors: nam per ipsam ad nihilum tendimus, dum nos nihil facere per peccatum non formidamus. Et iuste quidem hoc Domine; nam digna factis recipimus, dum ad nihilum devenimus tamquam aqua decurrens: quia sine te factum est nihil, et nos faciendo nihil, facti sumus nihil: quia sine te sumus nihil, per quem facta sunt omnia, sine quo factum est nihil. Væ mihi misero toties annihilato: quia tu Verbum, per quod facta sunt omnia, et ego sine te, sine quo factum est nihil.* Et cap. 5. ait: Miser factus sum, et ad nihilum redactus sum, et nescivi: quia tu es veritas, et ego non eram tecum. Ad nihilum duxerunt me iniquitates: quia tu es Verbum, per quod facta sunt omnia, sine quo factum est nihil: et ideo sine te factus sum nihil: quia est nihil, quod ad nihilum ducit. Quæcumque per Verbum facta sunt, valde bona sunt. Quare bona sunt? quia omnia per Verbum facta sunt, et sine ipso factum est nihil: quia nihil bonum sine summo bono est: sed malum est ubi non est illud bonum, quod utique nihil est: quia nihil aliud est malum, quam privatio boni: sicut nihil aliud est cæcitas, quam privatio luminis. Malum ergo nihil est, quia factum non est. Sed qualiter malum est, si factum non est? quia malum privatio boni est, per quod factum bonum est: esse ergo sine Verbo, malum est; quod esse non potest, quia sine ipso nihil est. Separari ergo a Verbo est esse sine via, sine veritate, sine vita: et ideo sine ipso nihil, et ideo malum: quia separatur a Verbo, per quod facta sunt omnia valde bona. Separari autem a Verbo, per quod facta sunt omnia, nihil aliud est, quam deficere, et a facto transire in defectum: quia sine ipso est nihil. Quoties ergo a bono devias, a Verbo te separas: quia ipsum est bonum: et ideo nihil efficeris, quia sine Verbo es, sine quo factum est nihil. Psalterium Romanum pro eo quod est in Vulgata, *et substantia mea apud te* habet: *Et substantia mea tamquam nihilum ante te.*

Peccatum est nihil.

81. *Qui peregrinum se cogitat, apud Deum stabilis est.*

Quæres, quomodo substantiam tuam apud Deum reperire et conservare possis? Resp. Si peregrinum et advenam te esse cogites in terris, tunc enim et contemnes bona quæ præteris, et quæ te prætereunt, ac Deus te sui amantem amabit, ditabitque: sicut Abraham, Isaac, et Iacob, qui demorati sunt in terra promissionis, tamquam in aliena, in casulis habitando, et defuncti sunt *confitentes, quia peregrini et hospites sunt super terram*, Hebr. 11. 13.

Unde statim subditur v. 16. *Unde meliorem appetunt, id est cælestem. Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum:* dicitur enim Deus Abraham, Isaac et Iacob. S. Laurentius Iustin. de compunctione ait, in regnum virtutum, ubi sunt divitiæ spiritnales, et substantia cælestis, intrare solum peregrinum: *Habet,* inquit, *spirituale regnum ipsa perfectio hominis virtutum divitiis refertum, gratiarum monilibus decoratum, charitate præfulgida renidens, atque donorum numerositate insigne. In hoc viget pax, erudit veritas, vivificat charitas, regnat amor, habitat sponsus, assistunt Angeli, celebrantur nuptiæ, abundant deliciæ, laudes resonant, mulcent carmina, gaudet spes, exultat humilitas, oratio nutrit, regit prudentia, fortitudo dominatur, propulsatur timor, et gaudium in Spiritu sancto percipitur. In hoc nullus immundus ingreditur, nullus vitiosus appropiat eidem: sed virtutis amator, suimet impugnator, imitator Christi, et huius vitæ peregrinus in spiritu.*

ARTICULUS II.

Vitæ cælestis impedimenta et adiumenta.

David peregrinum se cogitans, petit a se removeri impedimenta omnia, et dari auxilia necessaria ad viam feliciter decurrendam.

82. Vers. 9. Duo impediunt nos ad cælum euntes. Duo autem attingit impedimenta: nempe intrinseca, scilicet peccata: et extrinseca, scilicet bostes, v. 9. AB OMNIBUS INIQUITATIBUS (Pagn. prævaricationibus. Prævaricator est, qui diversam partem adiuvat, prodita causa sua, ait Ulpianus in L. Athletas, ff. de iis qui not. infa. Hoc autem facit peccator; 2. Felix, transgressionibus. In stadio non licet scamna transgredi, et lineam præfixam; 3. Trevetus, erroribus; ovis errans lupi fit præda; 4. Syr. optime, insipientiis. Nihil stultius eo, qui præfert cælestibus terrena, æternis caduca, Deo creaturam) MEIS ERUE ME, (velut a præcipitio et luto) OPPROBRIUM INSIPIENTI DEDISTI ME. 1. Absaloni; 2. Achitopheli; 3. aliis rebellibus; 4. præsertim Semei maledico, cuius occasione hic Psalmus scriptus est, ut dixi supra.

83. I. Peccata nostra. Primo itaque, impedimentum intrinsecum tollendum est, nempe peccata, quæ sunt spinæ infixæ pedi ambulantis, et præter dolorem vehementem impedientis ne progrediatur in via. Ps. 118. 1. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Vide ibi dicta. S. Paulus Colossenses monet cap. 1. 10. *Ambuletis digne Deo.* Clemens Alex. lib. 3. Pædag. cap. 7. inde dixit: *βαδιζον εναρμοςως τω λογω,* incedendum est convenienter Verbo. Hoc autem fiet, si pratorum spretis deliciis, viator regla gradiatur via: si enim ad floreos campos diverticula quærat, serpentium erit atque hostium ludus. S. Laurentius Iustin. de connubio Verbi et animæ, cap. 25. *Voluptatis,* inquit, *servus libertatem apprehendere nequit: sibiipsi flagellum est, dum obliquis graditur itineribus.* Hoc patet in Israelitis toties punitis in deserto ob peccata.

Ut iam sarcinam abiicias peccatorum, cogita te esse peregrinum. S. Petrus 1. epist. cap. 2. vers. 11. alloquens electos advenas dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ et Bithyniæ, hoc est, Iudæos Christianos, qui ob persecutionem a nece S. Stephani excitatam e Iudæa fugerant in illas regiones, ait illis cap. 2. 11. *Charissimi* (αγαπητοι, amabiles, dilectione digni) *obsecro vos tamquam advenas et peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam.* S. Basilius admonitione ad filium spiritualem: *Aviditate,* inquit, *cælesti anima flagrans Christi amori copulatur, cum in terris agens de cælestibus iugiter meditatur: calcat sæculi voluptates, nec ulla sæculi cura eam segregat ab amore Christi; sed ut figura quædam inter homines versari videtur, et tota conversatio eius in cælis est. Mors illi præsens, tamquam vita ipsa est dulcis: cupit dissolvi et esse cum Christo, quem in carne vivens intra suum portaverit templum.* Lege illum in Regulis fusius disputatis, interrogatione 5. S. Bernard. serm. 7. de Quadragesima, ait: Peregrinum recta pergere per viam, contentum victu ac vestitu, sine sarcinis supervacaneis: unum iter suum curare, non aliena negotia. Felices esse dicit eos, qui se ut peregrinos gerant: *Felices,* ait, *qui se præsenti sæculo tamquam advenas et peregrinos exhibent, immaculatos se custodientes ab eo. Neque enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Abstineamus ergo a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, tamquam advenæ et peregrini.*

Secundo, impedimentum extrinsecum tollendum est, nempe hostes, ut commode viam decurramus. Hoc deprecatur David, cum ait: *Opprobrium insipienti dedisti me,* q. d. Illum remove a me, alioqui in opprobrio perpetuo sum futurus. Alii codices, teste S. Ambrosio, habent: Opprobrium insipienti ne tradas me. Chald. opprobria stulti ne posueris me. Tropolog. Ille insipiens est peccator omnis; 2. diabolus. S. Ambrosius hic: *Quis est insipiens, nisi qui peccatum facit, et eligit mala pro bonis? Ergo qui auctor est peccatorum, ipse insipiens magis quam eius minister? Cum peccamus igitur, in opprobrium tradimur adversario, ut ille nos quasi inimicus in die iudicii accuset et prodat.* Quod fusius amplificans Origenes ait: Donec habemus peccata, necesse est nos exprobrari ab insipiente, et accusatore nostro diabolo: et si inveniantur peccata nostra non esse deleta, sed scripta in nobis stylo diaboli, per hæc ipsa quæ gessimus, exprobrabit nos inimicus. Sicut enim bona quæque scripta dicuntur non atramento, sed Spiritu Dei vivi: ita mala quæque conscribuntur atramento et calamo diaboli. Propter quod Dominus et Salvator noster delevit chirographum peccatorum nostrorum, quod erat adversum nos diabolo adstipulante conscriptum, sicut et ante prædixerat per Prophetam dicentem, Isai. 44. 22. *Ecce deleo sicut nubem iniquitates tuas, et sicut nebulam peccata tua, et ultra non ero memor.* Ut ergo non exprobremur ab insipiente, convertamus nos ab omnibus iniquitatibus nostris, ne deprehendens in nobis maculas peccatorum, id est, suæ voluntatis insignia, exprobret, et dicat: Ecce hic Christianus dicebatur, et Christi signo signabatur in fronte, meas autem voluntates et chirographa gerebat in corde. Ecce iste qui mihi et operibus meis renuntiavit in baptismo, meis rursum operibus se inseruit, et legibus meis paruit. Liberari ergo ab omnibus iniquitatibus nostris studeamus, ne in die iudicii huiuscemodi opprobriis insipientis diaboli succumbamus: ita Origenes. 84. II. Hostes extrinseci.

Non est satis impedimenta tolli, egemus auxiliis; sumus enim debiles et infirmi viatores. Duodecim virtutes comites sibi et adiutrices assumit David, ut feliciter ad viæ metam perveniat: 1. silentium; 2. patientiam; 3. conformitatem cum voluntate Dei; 4. spem; 5. timorem Dei; 6. humilitatem; 7. mortificationem; 8. contemptum mundi; 9. orationem; 10. compunctionem; 11. desiderium bonorum æternorum; 12. perfectionis desiderium. 85. Virtutes duodecim ad cælos euntem invitant.

Ac primo, silentium est virtus peregrino maxime necessaria. Qui enim loquax est, in minimis et inutilibus rebus hæret, et parum in via progreditur, ac sibi aliisquo gravis est, hostilibusque facilius intercipitur insidiis, v. 10. OBMUTUI, ET NON APERUI OS MEUM, QUONIAM TU FECISTI. David habuit obvium Semei maledicum, cum fugeret Absalonem, sed nihil eius contumeliis respondit, ut monui iam, et habetur 2. Reg. 16. Qui in silvis periculosis cantat, aut loquitur, prædones in se provocat. Grues cum ex Cilicia devolant, lapillos in os sumunt, atque ita Taurum montem aquilis plenum tuto transvolant, idque noctu: ita tutissimum ubique est silentium, ut ait Plutarchus in Moral. Malum hominem melius posset tacendo aliquis vincere quam respondendo: quia malitia non instruitur sermonibus, sed incitatur. Ideo Dominus Iesus recedendo Iudæos compescere studuit, quos respondendo non compescuit, ut ait S. Chrysostomus in Matth. Canes lunam allatrant. Atlantes soli maledicebant, astra tamen illa silentio salutari cursus suos semper peragunt, et luce orbem recreant et fœcundant: et tu fac similiter. S. Antiochen. homil. 103. dicit, quod silentium est μητηρ πασων αρετων mater omnium virtutum. Vide dicta vers. 2. et 3. huius Psalmi. 86. Vers. 10. I. Pars. I. Silentium.

87. Vers. 10. 2. Pars. II. Patientia. Secunda virtus peregrino et viatori necessaria, est patientia: unde additur, v. 10. ET NON APERUI OS MEUM, q. d. Non solum vocem in verba non formavi obmutescendo, id est, instar muti non respondendo mihi obiectis: sed ne labia quidem aperui, ut inarticulato sono dolorem meum testarer, ab ipso gemitu abstinui, patienter ferens mihi inflictam a Semei contumeliam. S. Hieron. ait, primam Christiani virtutem esse, contemnere, et contemni. Sicut enim peregrinus ob vestes insolitas idioma novum, agendi rationem non usitatam in ea urbe et regione per quam transit, irridetur: sed pro nihilo id æstimans iter suum peragit: ita cum S. Paulo 1. Corint. 4.3. vir mundo mortuus, et ad cælum pergens dicit: *Mihi pro minimo est, ut a vobis iudicer, aut ab humano die*, hoc est, ab humano iudicio. Apud Cilices enim, apud quos erat natus Paulus in Tharso, humanus dies vocabatur humanum iudicium. Secundo, ab humano die, id est, ab hominibus potentibus et sapientibus, ab hominum favore et commendatione. Iure quidam vir sanctus dictitabat: Si vis esse beatus, disce contemnere, et contemni. S. Hier. ad Pammachium de obitu Paulinæ: *Prima*, inquit, *monachi virtus est contemnere hominum iudicia, et semper Apostoli recordari dicentis: Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Tale quid et Dominus loquitur ad Prophetas: quod posuerit faciem eorum quasi urbem æneam, et lapidem adamantinum, et columnam ferream, ne paverent ad iniurias populi, sed impudentiam subsannantium frontis rigore contererent.* Non verba tantum, sed variæ molestiæ ferendæ sunt peregrinis ob calorem, frigus, pluvias, ventos, famem, sitim, iter asperum, lubricum, præceps, arduum, intercisum rivis, paludibus, fluviis, plenum belluis, serpentibus, aliisque. S. August. in Ps. 137. *Vita ista*, inquit, *parva tribulatio est: si non est tribulatio, non est peregrinatio. Si autem peregrinatio est, aut parum patriam diligis, aut sine dubio tribularis. Quis enim non tribuletur non se esse cum eo quod desideret?* Patientia itaque necessaria est, ad quam velut ad portum peregrinus fugiat. S. Chrysost. tom. 4. epist. 7. ad Olympiadem, pag. 766. υπομονη, ait, λιμην ο ακυμαντος, η εν πολεμοις ειρηνη, η εν κλυδωνι γαληνη, η εν επιβουλαις ασφαλεια: *Patientia portus est fluctibus non agitatus, in bello pax, in tempestate tranquillitas, in insidiis securitas.*

Vers. 10. 3. Pars. Tertia virtus necessaria viatori peregrino, est conformitas cum Dei voluntate: eam ob rem ait siluisse se, et patienter tulisse iniurias sibi illatas: QUONIAM TU FECISTI, q. d. Tu qui pater es, tutor, curator, patronus, iudex, vindex, itineris mei dux et comes, creator ac Deus meus.

88. III. Conformitas cum Dei voluntate. Quæres, quid fecit? Primo, S. Thomas et Ugo Cardin. sic explicant, q. d. *Tu fecisti*, ut non impatienter responderem, aut murmurarem. Secundo, Bruno Carthus. *tu fecisti*, me scilicet perfectum et purgatum per illas plagas. Tertio, *tu fecisti*, id est, creasti me, q. d. Silui et patiens fui in calamitate mihi inflicta, quia cogitavi me tibi vitam ipsam debere: itaque tuum esse vili creatura, vel in honorem, vel in contumeliam uti. Sic dicebat Heli summus Pontifex et Iudex, id est, Princeps Hebræorum, minas sibi et familiæ suæ intentatas audiens, 1. Regum 3. 18. *Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat;* ante oculos Dei omnia lucent, et florent. Iob quoque ait cap. 1. 21. *Dominus dedit* (id non posset facere, nisi esset Dominus) *Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum:* semper eum nominabo Dominum meum, et me servum eius. Ter nomen Domini repetit ob sanctam Trinitatem, et ob vehementiam affectus ac reverentiæ. Sept. in Ps. nostro, Psalterium Arab. et Æthiop. vertunt, *quoniam tu fecisti me.* S. Chrysost. et S. Cyrillus, fecisti me et plasmasti.

Quarto et optime, sensus est, *quoniam tu fecisti*, rem scilicet quam patior, q. d. Quoniam tu fecisti, id est permisisti ut Absalon me throno eiiceret, et Semei mihi malediceret. Sic Abisai volenti occidere Semei, ait patientissimus et modestissimus Princeps 2. Reg. 16. 10. *Quid mihi et vobis filii Sarviæ? dimitte eum ut maledicat: Dominus enim præcepit ei ut malediceret David* (id est mihi) *et quis est qui audeat dicere quare sic fecerit?* Non est malum in civitate, quod non fecerit Dominus: mala enim pœnæ positive ordinat, atque immittit: mala culpæ non facit quidem, sed permittit: unde abusive dicitur illa facere; quia positivam habet voluntatem illa permittendi: vult enim hominis liberum arbitrium conservare. Ezechias rex agens de morbo suo, quo ipsi erat moriendum nisi per miraculum sanatus esset, dicit Isa. 38. 15. *Quid dicam, aut quid respondebit mihi* (si conquerar) *cum ipse fecerit?* q. d. Nihil possum queri de Deo, cum ipsemet morbum hunc immiserit; diceret enim, ait Cornelius: O lutum, in manu figuli tace, et patere! Amos Propheta loquens Amasiæ sacerdoti idolorum ipsum increpanti in Bethel, quod prædiceret clades eventuras decem tribubus per Phul, Theglathphalasar, et Salmanasar reges Assyriorum, ait cap. 8. 2. etc. *Video uncinum pomorum*, etc. *multi morientur, in omni loco proiicietur silentium.* Hebr. habetur: Multiplicabitur cadaver, in omni loco proiiciet, id est, dicet, ait Vatablus, *tace*, q. d. Pollinctor, qui curam habet proiiciendi cadavera in sepulcrum, agnoscendo iustam Dei vindictam in tanta Israelitarum strage, dicet socio suo: Tace, noli conqueri de Domino Deo, quod tot nobis det funera: quia iuste hæc patimur: propter idololatriam et peccata nostra. Sept. vertunt, in omni loco iniiciam silentium, id est, desolationem ac solitudinem ob innumeras strages, et captivos abductos. Est metalepsis. Sed necessarium illud silentium sibi occasionem patientiæ faciunt sancti Deo sese conformantes, et dicentes cum Paulo Rom. 14. 8. *Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus:* ab eius dominio subtrahere nos nolumus, ut servi rebelles. Dominum ama, et illi semper unitus eris. S. Laurentius Iustin. tract. de connubio Verbi et animæ: *Charitas*, ait, *æquitatis statera est, in qua appenduntur merita singulorum. Quapropter donec vivitur, donec peregrinationis terminatur cursus, in huius mundi stadio pro hac sancta charitate pugnare suppetit, et in illa crescere, atque ad verbi connubium attingere posse donatur.*

Quarta virtus viatori peregrino necessaria, est spes in Deum, qua emergendi a malis desiderio concepto opem divinam expectat et implorat, v. 11. AMOVE A ME PLAGAS TUAS, id est, a te iuste immissas. Septuag. vertunt, μαστιγας σου, id est flagella tua, ut habet S. Aug. et Syrus, qui sic reddit: transfer a me flagellum tuum, et a me plagam manuum tuarum, hoc est, manibus tuis immissam. Sic Iob dicebat cap. 9. 34. *Auferat a me virgam suam.* Et cap. 13. 21. *Manum tuam* (id est, potentem et gravem afflictionem) *longe fac a me.* 89. Vers. 11. IV. Spes in Deum.

Dices, cur David, qui dicebat Psal. 37. 18. *Ego in flagella paratus sum*, nunc ait, *Amove a me plagas tuas?* Resp. primo, varios esse affectus etiam sanctissimorum virorum; nunc optantium sibi a Deo pœnas immitti, nunc petentium eas tolli, atque eas pro potestate declinantium, ut patet in S. Paulo, qui modo superabundat gaudio in tribulatione, modo appellat Cæsarem ne in manus Iudæorum veniat: modo it in Ierusalem, sciens quod vincula eum manent; modo clamat, civis Romanus ego sum, ut flagellis non subiiciatur. Resp. secundo, cum S. Ambrosio: *Flagella a se postulat amoveri, quia solvit iam de manu Domini duplicia peccata sua, erubescendo, opprobria sustinendo. Compunctiones cordis sunt, sunt et cogitationum, sunt et increpationum flagella.* Et paulo post: *Quasi substantia Domini præsumit, veniam sibi iniquitatum suarum a conditore suo posse concedi. Et ideo rogat, quia novit auctorem suum misericordem.* Deus enim pater est, et cum flagellat, pater est: cito a flagellis desistit, et prodigum filium amplexu, osculo atque convivio reficit et recreat. S. Laurentius Iustinianus de humilitate, cap. 6. *Pro suo*, ait, *beneplacito imperat, ut Deus; 2. terret, ut Dominus; 3. docet, ut magister; 4. cohabitat, ut frater; 5. nutrit, ut mater; 6. protegit, ut custos; 7. hortatur, ut pater; 8. blanditur, ut amicus; 9. amplexatur, ut sponsus; 10. illustrat, ut veritas; 11. prævenit, ut bonitas;* Varii sunt sanctorum affectus.

12. *se manifestat, ut lux;* 13. *loquitur, ut verbum;* 14. *dulcorat, ut sapientia;* 15. *salutemque præstat, ut vita.* De eo dicit Habacuc 3. 2. *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis,* 1. tempore ipso iræ, id est, vindictæ; 2. ut iram cito deponat. Non enim punit his in idipsum.

90. Vers. 12. 1. Pars. V. Timor Dei est peregrino necessarius.

Quinta virtus viatori peregrino necessaria, est timor Dei: timor enim filialis a lapsu impedit, sicut spes ad cursum incitat, v. 12. A FORTITUDINE MANUS TUÆ EGO DEFECI IN INCREPATIONIBUS; PROPTER INIQUITATEM CORRIPUISTI HOMINEM. Nota, τὸ *in increpationibus,* Hebr. S. Hieron. Pagnin. Felix, Campensis, et alii hebraizantes; quin etiam S. Ambrosius iungunt cum sequentibus. Secundo, pro *fortitudine,* Hebraice est תגרת *tigra,* id est, 1. contentio; 2. bellum; 3. verberatio; 4. vulnus. Hinc primo S. Hieron. vertit, *A contentione manus tuæ ego consumptus sum.* Secundo, R. David et Pagninus, *A bello* (Arias, a conflictu) *manus tuæ ego defeci.* Tertio, Flaminius, *A verberatione manus ego defeci.* Quarto, Felix, *A vulnere manus tuæ ego defeci.* Noster vero, quia volebat exprimere gravitatem vulneris, ait, *A fortitudine manus tuæ.*

Sensus porro est, *A fortitudine manus tuæ,* id est propter fortem, validam, et potentem, severamque manum tuam, et percussionem, ego sentio vires corporis animique deficere: cum enim ego infirmus sim et viiis homuncio, non possum ferre pondus brachii tui. Sic Iob cum dixisset cap. 13. 21. *Manum tuam longe fac a me, et formido tua non me terreat.* Subdit v. 25. *Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam; et stipulam siccam persequeris.* Et Deus ipse ait Iobo cap. 40. 4. et 5. *Si habes brachium sicut Deus, et simili voce tonas. Circumda tibi decorem, et in sublime erigere: esto gloriosus, et speciosis induere vestibus.* Iob fatetur se timere illud Dei brachium et fortitudinem, cap. 23. 6. *Nolo multa fortitudine contendat mecum, ne magnitudinis suæ mole me premat, proponat æquitatem contra me, et perveniat ad victoriam iudicium meum.* Deuter. 32. 36. ait Moses: *Non est qui de manu tua possit eruere.* Dicit David Ps. 43. 3. *Manus tua* (id est, potentia, et vindicta) *gentes disperdidit.* Vel unica manus, imo digitus Dei, omnes gentes potest perdere.

Dices, si timor Dei facit ut deficiat viator, non est utilis ad iter faciendum. Resp. cum S. Ambrosio, ipso defectu robur acquiri, modo nos tangat manus Dei. Verba eius sunt: *Hoc bonæ substantiæ est, etsi fortitudine manus Domini defecisse se dicat. Fortis manus sicut male percutit, sic cito sanat. Quæ fortis ad vulnus, fortis ad remedium est. Unde et ipse ait Deuteron. 32. 39. Percutiam et sanabo: ut non meminerit vulneris, qui sanatus evasit. Denique hæc manus Domini sancto Iob omnia abstulit et repræsentavit: imo omnia cumulo auxit, ut amissa geminaret. Ne te moveat, quod defecisse dicit. Est qui deficit, et fortior surgit. Suffulsit enim Dominus omnes qui ruunt, et corrigit omnes elisos. Cum virtute enim surgit, quicumque corrigitur. Defecit Paulus a fortitudine manus huius. Cecidit persecutor, et surrexit Evangelii prædicator.*

91. Vers. 12. 2. Pars. VI. Humilitas est peregrino necessaria.

Sexta virtus viatori peregrino necessaria, est humilitas, quæ a præruptis montibus ac lubricis ad securas valles deducit, suique notitia titubantes gradus firmat, v. 12. PROPTER INIQUITATEM CORRIPUISTI HOMINEM, id est, me, qui licet sim rex, tamen homo et humus sum, ac vilis pulvisculus. Hebræi sæpe loquuntur de se in tertia persona. Arabs vertit, comminuisti hominem tentationibus propter peccatum eius. Humilitatis est dignum se plagis agnoscere, et immissas plagas æquo animo tolerare. Quod autem in cælum ducat humilitas, aperte docet Christus, Matth. 18. 3. Apostolis ipsis dicens: *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est maior in regno cælorum.* Et cap. 19. 14. ait iisdem Apostolis increpantibus parentes, qui filiolos suos Christo offerebant, ut manus eis imponeret, eosque benediceret: *Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire: talium enim est regnum cælorum.* Christus ipse

A ideo exaltatus est, quia se humiliavit, Philipp. 2. Eliphaz Thamanites, id est, regulus seu princeps Theman, quæ est regio in Arabia, amicus Iobi, ait de Deo, Iob. 5. 11. *Qui ponit humiles in sublime, et merentes erigit sospitate.* Ut enim ait Cassiodorus in Ps. 6. Magnus ascensus ad Deum est cognitio infirmitatis suæ. S. Aug. ad Dioscorum: *Excelsa est patria, humilis est via. Ergo qui quærit patriam, quid recusat viam?* Et idem sanctus Pater, de verbis Domini: Omnes, ait, delectat celsitudo, sed humilitas gradus est. Quid tendis pedem ultra te? Cadere vis, non ascendere; a gradu incipe, et ascendisti. S. Greg. lib. 18. Moral. Tanto quis fit vilior Deo, quanto pretiosior sibi. Tanto pretiosior Deo, quanto propter eum vilior est sibi. S. Ioannes Climacus gradu 30. ait: *Sicut aqua in arctum locum compressa,* εἰς ὕψος ἀνατρέχει, *in altum celeriter ascendit: ita ut plurimum mens per varia pericula coangustata, ad Deum per humilem pœnitentiam ascendit et salvata est.*

B Septima virtus viatori peregrino necessaria, est mortificatio, ut per arctam et angustam viam transire possit, per quam obesus et crassus non posset evadere. ET TABESCERE FECISTI SICUT ARANEAM ANIMAM EIUS. Nota, pro *animam eius,* Hebraice est חמודו *chamudo,* id est, desiderium eius; 2. desiderabile eius. Hinc primo, Pagn. vertit, liquescere fecisti ut tineam desiderium eius. Secundo, S. Hieron. posuisti quasi tineam desiderabilia eius. Felix, tabescere fecisti velut tineam pretiosum eius. Itaque cum Septuaginta vertunt, *animam eius,* non tam verba, quam sensum expresserunt, ut advertit Bellarminus. Vere enim, ait, anima ratione prædita, est id quod in homine est maxime pulchrum, pretiosum et desiderabile. Ipsa enim imago Dei est, ipsa æterna est, ipsa capax est æternæ felicitatis; et per illam communicamus cum Angelis, ut per carnem communicamus cum bestiis: proinde incredibilis cæcitas est propter explendas carnis appetitiones, perdere quod in nobis est summe pretiosum et desiderabile: ita Bellarminus. Hoc ipsi ethnici viderunt.

92. Vers. 12. 3. Pars. VII. Mortificatio.

C Tullius lib. de universitate: Animus, ait, est rationis compos et particeps, quo nihil ab optimo et sapientissimo genitore melius est procreatum; lib. 3. offic. *Mente nihil homini dedit Deus ipse divinius.* Paradox. 1. *Nobis Deus, sive mater rerum omnium natura, dedit animum, quo nihil est præstantius, neque divinius.* Tusculan. quæst. lib. 5. Humanus, inquit, animus decerptus ex mente divina. Plato dictitabat, eos qui corpora exercerent, et animum negligerent, nihil aliud facere, quam imperantem relinquere, et imperatum curare. Ariston. hominum vulgus Laerti comparabat, qui cum reliqua omnia ruri diligenter curaret, se ipsum negligebat: sic et illos studiosissimos quidem esse circa possessiones, animum autem feris obrutum affectibus non excolere. Demonax vehementer eos arguebat, qui corpora summo studio curarent, et sa prorsus negligerent. Haud dissimiles eos ratus illis, quorum omnis sollicitudo in extruendis ædificiis versaretur: et hominum, qui ædes habitarent, nullam penitus haberent rationem. Xenophontem in angiportu cum obvium

Anima est excolenda, corpus contemnendum.

D habuisset Socrates, videretque adolescentem rara indole, porrecto baculo vetuit ne præteriret: ubi constitisset, rogavit, ubi fierent venderenturque variæ merces, quibus vulgo utuntur homines: ad id cum prompte respondisset Xenophon, percontatus est, ubi homines fierent boni? cum adolescens respondisset, se id nescire: Me igitur sequere, ait, ut hoc discas. Ex eo Xenophon cepit esse Socratis auditor. Audi tu auctorem Ecclesiastici, id est Iesum Sirach, c. 30. 24. *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Græc. dilige te ipsum. Syr. blandire animæ tuæ. Origenes homil. 4. in cap. 6. Lucæ: *Deus,* ait, *animæ tuæ suam imaginem et similitudinem commendavit: istud ergo depositum tam insigne tibi restituendum est tam integre, quam a te constat esse susceptum.* Imprime tibi dictum Christi Matth. 16. 26. *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* S. Xaverius lib. 2. epist. 5. Ioanni III. Lusitaniæ regi hoc saluberrimum dat consilium, ut quotidie per quadrantem

S. Xaverii notabile documentum datum regi Lusitaniæ.

horæ divinam illam sententiam meditando, *Quid prodest homini*, etc. germanam eius intelligentiam a Deo petat, cum sensu animi interiore coniunctam: et simul omnium suarum precationum illam velit esse clausulam. *Quid prodest homini si universum mundum lucretur*, etc. quoniam propius quam existimet, adest hora, qui illum Rex regum, et Dominus dominantium ad rationem reddendam evocaturus est, illud intonans: *Redde rationem villicationis tuæ*. Verus fuit vates: nam paulo post rex vita functus est. Tu qui hæc legis, idem præsta, quid tibi vitæ supersit, quis tibi declaravit?

Nota secundo, τὸ *animam eius*, posse referri ad Semei maledicum, cuius animam, id est, vitam tabescere fecit, id est, faciet Deus, ob impudentiam et perversitatem. In multo enim timore diu vixit, ac tandem iussu Salomonis occisus est. Secundo, et melius, τὸ *eius* ad Davidem refertur, ut patet ex præcedentibus. Anima porro sumi potest vel in propria significatione, ut dictum est; vel 2. pro vita. Sic Iob 2. 6. *Animam eius serva*. Matth. 10. 39. *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam;* 3. anima sumitur pro cupiditate, et propensione; 4. pro eo quod maxime amatur et desideratur. Hinc amicos vocamus animam, seu animulam nostram.

93. Concupiscentia est refrænanda. Tropologice. Tabescit anima, cum concupiscentia refrænatur. S. Ambr. in Ps. nostr. *Tabescit anima, quando peccatum minuitur: vel cum anima tabescit, culpa deponitur: incrassatur, cum peccata cumulantur. Unde dicimus de peccatoribus Genes. 6. 3. Non permanebit in his spiritus meus in æternum, quoniam carnes sunt. Et alibi Scriptura dicit, Matth. 13. 15. Incrassatum est cor populi huius. Ideo et Ieremias primum baculum vidit nuceum, deinde ollam ferventem, ut tabesceret anima Prophetæ incipientis, quo culpa discederet, ut accederet gratia. Sed cur prius baculum, postea ollam? Quoniam qui baculo non corrigitur, in ollam mittitur ut ardeat et tabescat. Et ideo ad Prophetam Ezechielem dicitur cap. 4. 3. Accipe tibi sartaginem, et accipies iniquitates domus Israel, et consummabis; tabescent, inquit, in suis iniquitatibus. Et alibi in eodem libro dicit Dominus: Sed ego magnum faciam titionem, et multiplicabo ligna, et succendam ignem, ut liquefiat caro, minuatur ius. Quibus testimoniis significatur, quod animæ perfidorum admoto igne tabescant, ut deponant crassitudinis quemdam carnalis humorem. Mittuntur ergo in sartaginem et animæ peccatorum, ut defluat quædam peccati caro, quæ obduxerat animæ et mentis vigorem, et velut iure quodam, ita quibusdam infuderat animam illecebris cupiditatum. Expectant igitur nos quædam sartagines: ideo hic conteramus cor nostrum, ut subtile fiat, et deponat omnem duritiem et pinguedinem quamdam carnalis arvinæ, quod patientur qui luxuriali sunt in hac vita, et magis ludibria dedecorum, quam opera ulla virtutum exercenda sibi more Iudaico crediderunt. Incrassatus est enim Iacob, et pinguis factus est, et surrexit ludere, quem a fidei virtute lusus ille in perfidiæ traduxit errorem. Merito igitur Paulus castigabat corpus suum, ne nutriret corpus peccati. Luxuriando enim facimus membra peccati, sobrietate autem membra iustitiæ. Non natura ergo, sed culpa delinquit. Nec iterum vana et inania sequamur, ne telam araneæ texere iudicemur: eo quod peccata nulla perpetuitatis possunt habere substantiam.*

94. Peregrino necessaria est carnis extenuatio. Peregrino autem viatori maxime necessarium est ut nimia pinguedine non gravetur: non enim posset facile gradum movere, et in via sua celeriter progredi. Clemens Alex. lib. 4. Strom. Iam vero, ait, sapientis anima, et eius qui est cognitione præditus, οιον επιξενουμενη τω σωματι, σεμνως αυτω και τιμητικως προσφερεται, *ut quæ in corpore peregrinetur*, eo decenter atque austere utitur, non in ipsum nimiam affectionem ostendens aut indulgentiam, ut quæ sit e vestigio relictura tabernaculum, si excedendi et migrandi tempus advenerit. Et lib. 3. Pædag. cap. 7. per delicias virtutem omnem pessumdari edocet, τρυφη, ait, εις ηδονας αλωμενη χαλεπον ανθρωποις ναυαγιον, grave sunt ac periculosum hominibus naufragium deliciæ, quæ per voluptates vagantur.

Nota tertio, pro *araneam* Hebr. est עש *as*, id est 1. tinea: ita S. Hieron. Camp. Flam. et alii; 2. Chald. vertit, limacem; 3. Syr. festucam; 4. Sept. et Noster, S. Ambr. et S. August. araneam. 95. To as varia signi-ficat.

Cura ob bona temporalia sunt mentis tinea. Primo itaque vita nostra, velut a tinea, consumitur a variis curis et calamitatibus. S. Hieron. *Posuisti sicut tineam desiderabilia eius*, q. d. Etiam quæ maxime amat et desiderat, fiunt illi sicut tinea corrodens, 1. quamdiu necdum illa possidet, angitur et uritur cura, et timet ne speratis excidat; 2. cum illa timet, consumitur timore ne perdat: ira furit in eos, qui rapere ea moliuntur; 3. cum perdit, tristitia tanto maiore absorbetur, quanto gratiora fuerant. Tinea est vermiculus, qui aut situ, aut pulvere, aut putredine interdum nascens, vestes aut libros abrodit. Terrena sunt pulvis et putredo, atque animam nudant virtutibus et scientia. Flamin. reddit: *Tabescere facis sicut tinea vestimentum, animam eius*. Campensis, Absumere, inquit, soles, donec resipiscat quidquid in homine eximium fuerat; quemadmodum tinea vestimentum absumere consuevit. Mirum est, quod ait Plinius lib. 11. cap. 33. Quædam insecta, inquit, ex imbre generantur in terra, quædam et in ligno. Nec enim cossi tantum, sed etiam tabani ex eo nascuntur et alia, ubicumque humor est nimius: *sicut intra hominem tineæ* (alii tæniæ) *tricenum pedum aliquando et plurium longitudine*. Iam in carne exanimi, et viventium quoque hominum, et capillo: qua fœditate et Sylla dictator, et Alcmanum ex clarissimis Græciæ poetis obiere: ita Plinius. In quibusdam tineæ, id est, curæ et anxietates, non triginta modo, sed centum dierum, imo plurium annorum sunt: plerique a vermibus, id est, curis seu peccatis venialibus ita eroduntur, ut in mortem animæ tandem incurrant immedicabilem, in gravia et putrida atque fœtentia scelera delapsi. Anima virtutum plena est alveare apum, cave ne mel ibi positum, et ex rore cæli collectum tineæ illæ corrodant. Monet Columella lib. 9. cap. 14. ut tineæ, si in alvearibus apparuerint, everrantur, papilionesque enecentur, qui plerumque inter alveos morantes, apibus exitio sunt. Nam et ceras erodunt, et stercore suo vermes progenerant, quos alveorum tineas appellamus.

Secundo, vita nostra est instar semitæ a limace tritæ: lucet, sed sanies tantum et putredo est vilis, et cito lucem illam inanem et inutilem amittens. Chaldæus vertit, *Liquefactum est instar* זחיל *zechil, limacis, corpus eius*. Vere corpus limax est; a limo enim limax dicitur, et homo humus est, et corpus limo, putredine, et sanie ac mucore plenum est. Anima etiam multorum est limax seu cochlea (utrumque enim confundit Varro lib. 6. de lingua Latina) corpus est illis concha: ibi cornua, sed frustra et ridicule exertant, atque in limo gloriantur. *Zechil* verti etiam potest, reptile et tinea. Iob. 12. 28. de se ait, *Quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum quod comeditur a tinea*. Ibi in Chald. est *zechil*, quod deducitur a *zechal*, repere, reptare, serpere more vermium et insectorum; 2. *zechal* significat etiam fulgere, splendere, ut est in Midras Koheleth, id est, in expositione Eccles. cap. 8. 1. Recte itaque *zechil* pro limace sumitur, qui serpit et lucet. Tu lucem vanam fuge, et humi ne repe: si lucere vis, in cælum evola, et indue te solem iustitiæ: pone stellas supra caput tuum, et lunam sub pedibus. 96. Vita humana est instar semitæ a limace decursæ.

Tertio, vita nostra, et quisquiliæ terrenæ, sunt meræ festucæ, et vilis ac levissima palea. Syr. *Fluere fecisti, sicut festucam, desideria eius*. Syr. הבתא *habtha*, vult Gabriel Sionita significare proprie festucam aquis inundantibus supernatantem. Id convenit voluptatibus terrenis, quæ 1. leves sunt; 2. impetu rapiuntur; 3. post varios cursus et recursus merguntur; 4. corrumpuntur et putrescunt in limo. Secundo, Guido Fabricius Boderianus *habtha* sumit pro stipula sicca et arida; sicque dictam esse ait, quod facile accendatur. Deducitur a rad. *hebath*, accensus est. Tales etiam sunt terrenæ divitiæ atque honores, 1. leves sunt; 2. ariditatem habent molestam, succi autem nihil; 3. ignem discordiarum et avaritiæ atque iræ excitant; 4. cito evanescunt. 97. Terrena sunt meræ festucæ.

Quarto denique, vita nostra, et pleraque hominum studia, similia sunt araneæ et telæ eius. Hinc Septuag. et Noster habent: *Tabescere fecisti sicut araneam animam eius.* Arabs habet, *Et velut araneam infirmasti animam eius: et veluti somnium abibunt desideria eius,* id est, hominis; nempe Davidis. Alii ad Semei et hostes alios Davidis referunt, ut dictum est.

98. Avari et araneæ parallela novem. Moraliter: Varia parallela araneæ et peccatorum, ac præsertim avari, afferri possunt. Primo, peccator auri avidus in anteriori parte exilis est: in posteriori autem, crassior: et eam ob rem deorsum vergit. S. Chrysologus

I. serm. 22. *Aurum*, ait, *de profundo terræ est*, *anima de excelsis cæli. Melius proinde est ad sedem animæ deferri aurum, quam in sepulcro auri anima demergatur.*

II. Secundo, aranea est plena veneni, et venenum ex iis herbis legit, ex quibus mel apes. Peccator totus est venenatus; atque inde venena et peccandi occasiones sumit, unde vir pius animum in cælos erigit. De avaritia ait S. Laurentius Iustinian. *Est avaritiæ æstus commune malum, sitis inextinguibilis, infidelitatis filia, mater impietatis, idolorum servitus, radix criminum, et desiderium inquietum, per quod exercentur rapinæ, fraudes excogitantur, committuntur furta, sceleraque complentur innumera. E contrario divitiarum contemptus perfectionis est via, cæli scala, receptaculum pacis, Christi imitatio, spes futuræ felicitatis, spirituale gaudium, thesaurus invisus, imprædabilis gemma, pretiosa margarita.*

III. Tertio, aranea subtiles quidem, sed inutiles telas, et facile rumpendas texit. S. Ambrosius id præcipue considerat in hoc Psalmo: *Arguti sibi*, ait, *et industrii omnes avari videntur. Quid argutius, quid sollicitius aranea? quæ operi suo diebus ac noctibus semper intendit, nec ullo sumptu, ullaque impensa conficit vestimentum, sed vanum est omne quod fecerit. Sic homo omnis est, qui opus suum supra Christi non constituit fundamentum: vane noctibus et diebus ipse turbatur: cum eum plerumque araneæ modo, etiam in ipso suæ improbitatis molimine, operis sui ruina convolvat. Et ideo sapiens, qui cognoscit huius sæculi vanitatem, non diuturnam vitæ huius precatur usuram; sed ad illa æterna festinat, et labore huius corporis et dolore gestit absolvi.*

IV. Quarto, aranea telas suas texit in aere, sine solido fulcimento: et eam ob causam facile rumpuntur. S. Ambr. Cum, ait, videris aliquos studere facultatibus ampliandis, cumulandis potestatibus, affectando decori, dices illud Isaiæ 59. 3. Telam araneæ texunt, quæ diuturna esse non potest, sed cito scinditur, atque opus eius omne dissolvitur.

V. Quinto, aranea telas suas texit, ea sola intentione, ut muscas viles captet. Quid capere ambit peccator? Eccli. 10. 19. ubi habetur in Vulgata, *Pecuniæ obediunt omnia*, Septuaginta vertunt, του αργυριου ταπεινωτει, *argenti abiectioni:* unde sæpe S. Paulinus Nolæ Episcopus orabat: *Domine, ne excrucier propter aurum et argentum: ubi enim sunt omnia mea, tu scis.* Quis non miretur et rideat, aut potius deploret Heliogabalum, qui ut ait Platina in Urbano I. eo insaniæ interdum provectus est, *ut decem millia pondo aranearum* collegerit, qua ex re magnitudinem urbis Romæ comprehendi posse dicebat. Exhibuit præterea *decem millia murium, mille mustelas, mille sorices.* Sed ob hæc insana studia contemptus est, et a militibus cum matre occisus. Quod avarus facit, qui luto arcas implet.

VI. Sexto, aranea ipsa telis suis implicatur, et cum illis in præceps devolvitur. Divitiæ vocantur a S. Paulo laqueus diaboli. Eo laqueo avarus capitur et necatur. Prov. 21. 6. *Qui congregat thesauros lingua mendacii, vanus et excors est, et impingetur ad laqueos mortis.* Hebr. vanitas est impulsa ad mortis laqueos. Syr. ad perditionem destruentur, mortem quærentes. Corvus apud Æsopum cibi indigens, vidit serpentem in aprico dormientem, eumque devolando rapuit. Hic cum se vertisset, atque momordisset ipsum, corvus moriturus dixit: *Me miserum, qui tale reperi lucrum; quo etiam pereo.* Avarus est corvus, divitiæ sunt serpens; si eas ceperis, in summo es vitæ periculo, æternæ semper, et nonnunquam temporalis. Habacuc dicit cap. 2. 9. *Væ qui congregat avaritiam malam* (id est exitialem) *domui suæ, ut sit in excelso nidus eius, et liberari se putat de manu mali.* Artemidorus lib. 1. c. 49. ait, aurum in somnis mortem portendere. Pallidum enim, ait, est aurum, et grave, et frigidum, et propterea morti simile existit.

Septimo, araneæ, ut ait Plinius lib. 1. cap. 24. *sereno non texunt, nubilo texunt.* Ideoque multæ araneæ imbrium sum. Avarus tunc sibi lucrum quærit, et laqueos tendit, cum quis calamitosus est, ut fœnus augeat, merces carius vendat, emat agros et alia viliori pretio. VII.

Octavo, Phalangius, aranei genus noxii morsus, in ipso specu incubat magno numero: qui ut emerserit, matrem consumit, sæpe et patrem: adiuvat enim incubare: ita Plin. Avari in domesticos ipsos et parentes sæviunt. Filii ingrati sæpe aranei sunt, qui parentes exugunt, lingua venenata pungunt, et operibus impiis enecant. VIII.

Nono denique, araneæ texendo se exhauriunt, seque brevi consumunt. Plinius loco citato: *Orditur telas, tantique operis materiæ uterus unus sufficit: sive ita corrupta alvi natura stato tempore (ut Democrito placet) sive est quædam intus lanigera fertilitas: tam moderato ungue, tam tereti filo, et tam æquali deducit stamina ipso se pondere usus. Texere a medio incipit, circinnato orbe subtegmina adnectens: maculasque paribus semper intervallis, sed subinde crescentibus, ex angusto dilatans, indissolubili nodo implicat. Quanta arte celat pedicas scutulato rete grassantes? quam non ad hoc videtur pertinere cribratæ pexitas telæ, et quadam polituræ arte, ipsa per se tenax ratio tramæ? quam laxus ad flatus, non ad respuenda quæ veniant, sinus? derelicta lasso prætenti summa parte, ut arbitrari licet illa, quæ difficile cernuntur: atque ut in plagis lineæ offensæ præcipitant in sinum? Specus ipse qua concameratur architectura? et contra frigora quanto villosior? quam remotus a medio aliudque agenti similis? inclusus vero sic, ut sit, necne, intus aliquis, cerni non possit? Age, firmitas quanta irrumpentibus ventis! qua pulverum mole degravante, latitudo telæ sæpe inter duas arbores, cum exercet artem, et discit texere: longitudo fili a culmine, ac rursus a terra per illud ipsum velox reciprocatio: subitque pariter ac fila deducit. Cum vero captura incidit, quam vigilans et paratus ad cursum? licet extrema hæreat plaga, semper in medium currit: quia sic maxime totum concutiendo implicat. Scissa protinus reficit, ad polituram sarciens. Namque et lacertarum catulos venantur: hos primum tela involventes, et tunc demum labra utraque morsu apprehendentes, amphitheatrali spectaculo cum contingit:* ita Plinius. Multa hinc ad mores possis deducere, sed præsertim illud quod avarus sese eviscerat, ut alios capiat. Eccli. 10. 10. *Nihil est iniquius, quam amare pecuniam: hinc enim* (qui illam amat) *et animam suam venalem habet* (ποιει, hoc est, facit: diabolo scilicet malo mercatori, qui pro re lutea vult emere imaginem Dei) *quoniam in vita sua proiecit intima sua,* se laboribus et sudoribus consumendo dies noctesque, sicque vitam suam minuendo, et vires frangendo. S. Augustin. tractat. 25. in Ioan. hoc etiam de superbis explicat. Magnetius generatim de inanibus hominum studiis exponit in hunc modum Psalmum nostrum: IX.

Haud secus ac fragilis orditur aranea multo
Concursans studio telas, et frivola captat
Viribus exhaustis vilis compendia muscæ.
Sic ego dum memet curis exentero, vitæ
Fila minuta trahens, varioque labore fatigor,
Heu nugas miser, et prædas consector inanes.

In quarta editione pressius loquitur, et stultas curas, quæ de terrenis sunt, non dubitat appellare. 99.

Octava virtus peregrino viatori necessaria est, contemptus mundi: ut si quid inter ambulandum in via suave arrideat, non immoretur: si quid molestum intercurrat, non tristetur: sed omnia pro nihilo ducens, in hoc unum incumbat, ut ad patriam veniat, vers. 12. VERUMTAMEN Vers. 12. 4. Pars. VIII. Contemptus mundi

est necessarius peregrino.

VANE CONTURBATUR OMNIS HOMO. S. Augustinus et Cassiod. Omnis homo vivens. Syr. Veluti vapor sunt omnes homines. Arabs, tamquam umbra omnes homines. Chald. Profecto nihil est omnis homo. In Psalterio Romano repetitur sententia, vers. 6. Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens. Vide ibi dicta. Addo Tullium in somn. Scipionis: *Alte*, ait, *spectare si voles, atque hanc sedem et æternam domum contueri, neque sermonibus vulgi dederis te, nec in præmiis humanis spem posueris rerum tuarum: suis te illecebris oportet ipsa virtus trahat ad rerum decus. Vestra quæ dicitur vita, mors est.* Et quæst. 4. Academ. Cogitantes superiora atque cælestia, hæc nostra ut exigua et minima contemnamus. Quidam philosophus sapienter dicebat: Brevis vita prohibet suscipere longas spes, vel ad eas aspirare. Seneca epist. 99. Quidquid est cui Dominus inscriberis, apud te est, tuum non est. *Nihil firmum infirmo, nihil fragili, æternum invictum est.* Et S. Augustin. quæst. 91. in Levit. ad rem nostram aptius: *Omnis homo*, inquit, *advena est nascendo, quoniam compellitur migrare moriendo.* Et lib. de consolatione mortuor. *Peregrinatio est omne quod vivimus; nam sicut peregrini in sæculo sedes habemus incertas, laboramus, desudamus vias ambulantes difficiles, periculis plenas: undique insidiæ a corporalibus, a spiritualibus inimicis: ubique errorum calliculi sunt præparati. Et cum tantis periculis urgeamur, non solum ipsi non cupimus liberari, sed etiam liberatos tamquam pereuntes lugemus et plangimus.* Lege illum serm. 26. de verbis Apostoli.

Hinc recte colligitur, res terrenas esse contemnendas a nobis. S. Bern. serm. 7. In Quadrages. *Peregrinus via regia incedit, non declinat neque ad dexteram, neque ad sinistram. Si forte iurgantes viderit, non attendit. Si nubentes, et choros ducentes, aut aliud quodlibet facientes, nihilominus transit, quia peregrinus est, et non pertinet ad eum de talibus. Ad patriam suspirat, ad patriam tendit, vestitum et victum habens non vult aliis onerari.* Clemens Alex. lib. 7. Strom. *Revera*, inquit, *is est totus hospes et peregrinus in tota vita, qui in civitate habitans, contemnit ea quæ in civitate sunt, et quæ alii mirantur*: και καταπερ εν ερημια εν τη πολει βιοι, *et vivit in civitate tamquam in solitudine, ut non locus eum cogat, sed liberum eligendi arbitrium eum iustum ostendat.* S. Eucherius epist. ad Valerianum, felices eos dicit esse, qui hæc fecerint: *Vera*, inquit, *beatitudo est, sæculi beatitudinem spernere, neglectisque terrenis ad divina flagrare. Abrumpatur illa interminabilis sæcularium negotiorum cura: nihil est magnum re, quod parum est tempore: nec longis dilatatur gaudiis, quidquid arcto fine clauditur.*

Quinam sint veri peregrini, aperit S. Ioannes Climacus grad. 3. *Peregrinatio*, ait, *seu fuga sæculi, est omnium commodorum, quæ a destinata te pietatis meta præpediunt, in omnem vitam repudiatio. Peregrinatio est morum disciplina, ignota sapientia*, αδημοσιευτος συνεσις, *abhorrens a publico sensus, abdita vita, non apparens finis et scopus, tacita meditatio*, ευτελειας ορεξις, ξενοχωριας επιθυμια, *despicientiæ appetentia, desiderium afflictionis, divini affectus augmentum, amoris copia*, κενοδοξιας αρνησις, σιωπης βυθος, *vanæ gloriæ proscriptio, altum silentium.*

100. Vers. 13. 1. Pars. IX. Oratio.

Nona virtus viatori peregrino necessaria, est oratio, quæ fatigatum peregrinum recreet, viresque suppeditet. Ad eam confugiebat David, tum ut plagas sibi inflictas averteret, tum ut dona optata impetraret. Unde addit, v. 13. EXAUDI ORATIONEM MEAM DOMINE, ET DEPRECATIONEM MEAM: AURIBUS PERCIPE LACRYMAS MEAS. Orationem et deprecationem sic recte distinguit Ugo Card. Oratio, ait, est ad bonum acquirendum: deprecatio, ad malum amovendum: lacrymæ vero ad utrumlibet quasi condimentum. Hebr. pro *deprecationem meam*, habetur שועתי *sciavati*, hoc est, clamorem meum, ut S. Hieron. Felix et Pagn. vertunt, ut denotetur orationis vehementia.

Moral. Ad cælum tendens, ab oratione non recedat, sed eam semper sibi comitem teneat. S. Laurentius Iustinianus tract. de connubio Verbi et animæ, cap. 1. *Oratio*, ait, *peregrinationis nostræ individua sit comes. Si accubare, si ambulare, si operari, si quid agere disponimus, semper præmittatur oratio, et ubique præsto sit. Reprimit namque hostium audaciam, nostræ peregrinationis fatigationem temperat, animi virtutem roborat, et intelligentiæ oculum sapientiæ luce perfundit.* Vide Ps. 4. 1. et Psal. 5. 2. et seqq.

Decima virtus viatori peregrino necessaria, est compunctio, vers. 13. AURIBUS PERCIPE LACRYMAS MEAS. S. Hieron. vertit, *Ad lacrymam meam ne obsurdescas.* Vel unica lacryma sufficit, ut Deus orantes exaudiat. Hoc accidit Tobiæ seniori cap. 3. 1. Danieli Prophetæ, c. 10. 1. Ezechiæ regi Iuda ad mortem ægrotanti, Isa. 38. 2. Ragueli benedicenti Tobiam iuniorem, qui postea eius gener extitit, Tob. 7. 6. Iudithæ, quæ precibus cum fletu roborata, Holoferni principi et duci exercitus Assyriorum caput abscidit, inaudita et admirabili virtute et felicitate, Iudith 8. 14. 101. Vers. 13. 2. Pars. X. Compunctio.

Nota, lacrymæ vocem, imo clamorem, et quidem potentem, habent coram Deo. Ps. 69. ait David ipse: *Exaudivit Dominus vocem fletus mei.* Vide ibi dicta. Lacrymarum in hac vita quatuor causæ.

Nota secundo, flendum est nobis in hac peregrinatione, Primo, ob peccata commissa, ut illa abluantur et purgentur. Psal. 6. 7. *Laboravi in gemitu meo: lavabo per singulas noctes lectum meum.* Vide illum locum. Secundo, flendum est nobis peregrinis, ob bona amissa. S. Ambrosius in Ps. nostr. *Fundit lacrymas, quoniam cum advena in terram venerit, demoretur et separetur a patria longo detentus exilio. Considera nunc mihi illum Adam de paradiso eiectum, in castellum relegatum, spectantem unde eiectus sit, flentem ubertim; quia reminiscitur quid acciderit, quove deciderit. Et ideo gratias agamus Deo, qui nos perpetuo exilio liberavit, aperiens ianuam, qua revertamur ad patriam.* Tertio, flendum est nobis peregrinis, ut veniam impetremus delictorum, et pœnam illis debitam a nobis removeamus. Hoc fecit Magdalena, cui lacrymis riganti pedes suos, et capillis tergenti ait Christus Luc. 7. 48. *Remittuntur tibi peccata tua.* Quarto denique, flendum est nobis peregrinis, quia needum sumus in patria nostra. S. Bernard. serm. de Nativitate Mariæ: *Sic orabitis, Pater noster qui es in cælis. Felix oratio, cuius ipsa primordia, et divinæ adoptionis, et terrenæ peregrinationis admoneant: ut hoc scientes, quod quamdiu non sumus in cælo, peregrinamur a Domino, gemamus intra nosmetipsos adoptionem filiorum, expectantes præsentiam utique patris.* Id præsertim decet religiosos, qui relicto Laban, id est, mundo, instar Iacobi, hoc est, luctatoris cum vitiis, ad patrem suum Isaac, id est, gaudium, pergunt cum Rachele et Lia, hoc est, per vitam contemplativam et activam, habentes copiosum gregem virtutum. S. Ioannes Climacus grad. 3. religiosam vitam vocat peregrinationem: ξενιτεια, inquit, εστιν ανεμπλεστου πενθους εργατις και εγγηθεις: *Peregrinatio est assidui luctus cultrix et effectrix.*

Undecima virtus viatori peregrino necessaria, est desiderium bonorum æternorum, v. 13. NE SILEAS QUONIAM ADVENA EGO SUM APUD TE ET PEREGRINUS, SICUT OMNES PATRES MEI. Nota, pro *advena*. Hebraice est גר *gher*, id est, peregrinus, advena. Pro *peregrinus*, Hebr. est תושב *thosciab*, id est, incola, advena. S. Hieronymus nunc colonum, nunc peregrinum, nunc advenam, nunc inquilinum vertit: hic vertit, *Advena ego sum apud te: et peregrinus sicut omnes patres mei.* Pagninus, Peregrinus sum apud te (Felix, tecum) incola sicut omnes patres mei. Campensis reddit, Peregrinus sum apud te et alienigena, quales fuerunt omnes progenitores mei. 102. Vers. 13. 3. Pars. XI. Desiderium bonorum æternorum est necessarium peregrino.

Nota secundo, Hebr. *thosciab*, significat incolam, advenam, peregrinum, qui iam diu manet in terra, in qua habitat extra suam patriam. Deducitur a rad. ישב *iasciab*, id est, habitare, sedere, manere, permanere. Cum itaque se vocat David *thosciab*, indicat, Primo, miseriam suam esse diuturnam. Secundo, desiderium suum inde emergendi, et ad patriam suam eundi, cum tædio afficiatur, sicut Iacob post viginti annos servitii apud Labanum socerum suum. Tertio, motivum proponit, quo Deus cum

citius exaudiat. Unde dicit, *ne sileas*, id est, exaudi me, dic mihi quod ea facies quæ postulo. Est metalepsis. Ex consequente enim intelligitur antecedens. Qui silet, ostendit se non audire aut negligere, et respuere preces orantis. *Ne igitur sileas.* Ratio est, quia advena et peregrinus sum *apud te*, id est, quia scis me his terrenis rebus non adhærere, non esse habitatorem terræ, et qui in ea radices agere velim: sed me esse civem cæli, ibi esse meum cor, thesaurum, amorem, desideria, conversationem, eo me tendere. Dolere me, quod tamdiu in his vinculis demorer, et incolatus meus prolongetur. Homines me putant esse civem huius mundi, sed *apud te*, in tua notitia sum civis paradisi, et peregrinus in terra. Psalter. Rom. Arab. Æthiop. S. Ambros. Cassiod. Septuag. correcti habent, Incola ego sum apud te *in terra*. S. Ambros. hic: Alius ait, est incola, alius advena, alius accola. Incola, qui de loco est, et genitalem locum incolit. Advena, qui aliunde venit. Accola, qui ad tempus colit, et mutatur annorum vicibus. Hoc est ergo quod dicit David: Apud te alienus sum, dum in terra sum, non sum paradisi incola: ita Ambros. Adverte quod inquilinus et advena aliquando confunduntur. Proprie tamen inquilinus est, qui in alieno privato habitat: proprie tamen in conducto sive in urbe, sive ruri, ut ait Valla lib. 4. Advenæ autem sunt, qui ex longinquo loco in aliquod oppidum veniunt: convenæ, qui ex pluribus locis.

103. *Sancti peregrinos se esse cogitant.* Nota tertio, omnes Sancti peregrinos se esse cogitant et profitentur. Unde ait David, *Advena et peregrinus ego sum, sicut omnes patres mei.* Ut enim ait S. Augustinus: *Omnis homo advena est nascendo, quoniam compellitur migrare moriendo.* S. Cyprianus tractat. de mortalitate: *Patriam nostram*, ait, *paradisum computamus: magnus nos illic charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum copiosa turba desiderat, iam de sua incolumitate secura, et adhuc de nostra salute sollicita. Quin igitur nos properamus, ut patriam nostram videre, et parentes salutare possimus. Ad hos properemus, ut cum his cito esse, ut cito ad Christum venire contingat optemus.* Ioann. Moschus, qui vixit circa annum 630. in lib. quem scripsit ad Sophronium Episcop. Ierosolym. et Pratum spirituale appellavit, qui liber citatur in septima Synodo, narrat: quod cum Abbas Olympius a quodam interrogaretur, quanam ratione recte vitam suam instituerct, respondit: Ubique æstima te peregrinum: et ubicumque sederis, dic, peregrinus sum. Hoc fecit Iacob Gen. 47. 9. loquens Pharaoni regi Ægypti, et tamen iam in terra fuerat 130. annis: civis tamen mundi esse noluit, nec ius civitatis in eo acquirere. Secundo, David hic et cum Salomonem secundo curavit in regem ungi, 1. Paralip. 29. 15. ubi præterea dicit dies nostros esse umbram, et nullam esse moram. Tertio, S. Paulus fatetur 2. Cor. 5. 6. quamdiu sumus in corpore, peregrinari nos a Domino. Quarto, S. Petrus 1. epist. 2. 11. monet omnes Christianos, ut se advenas et peregrinos cogitent, atque abstineant a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. Quinto, S. Gregor. Naz. moriens noluit poni in peculiari sepulcro, quod vivens nullius loci dominus vocari voluisset, sed in alienis tamquam inquilinus et peregrinus habitans vitam transegisset: atque ab ea ratione ne mortem quidam suam et sepulturam discrepare vellet. Sexto, illustre est, quod idem sanctus Doctor refert de S. Basil. Cum, inquit, Præfectus quidam Valentis Imp. Arriani minaretur exilium et eiectionem ab episcopatu, respondit: *Nihil horum quæ dixisti, curo: melior sum his, qui publicant et proscribunt. Ipse me ob spem regni cælestis proscribens, nihil vero possidens ab exilii metu liberum, unam omnium cognoscens esse patriam paradisum (terram enim quasi commune omnium aspicimus naturæ exilium) propria vero catena terra nullo loco circumscribor: Domini enim est terra et plenitudo eius, incola ego sum in terra, sicut omnes patres mei. Cumque ab episcopatu pelleretur in exilium, dixit statim socio suo: libellum hunc accipe, et veni mecum: cum prius libellos pauculos, et pannosam vestem, qua indutus erat, Præfecto obtulisset, quæ sola ipsius erant supellectilia, addiditque dicens: Exilium nihil ad me spectat, cum domus, quam inhabito, aliena sit.*

Duodecima denique virtus viatori peregrino necessaria, est desiderium perfectionis, ab omni peccati macula liberæ, v. 14. REMITTE MIHI UT REFRIGERER, PRIUSQUAM ABEAM (S. August. et S. Ambr. *eam*, S. Hieron. *vadam*) ET AMPLIUS NON ERO. S. Hieron. *et non subsistam.* Nota, pro *remitte*, Hebr. est, השע *hascia*, id est, Primo, claude; supple, oculos tuos, ait Pagninus: unde vertit Arias, *Claude a me*, et roborabor, antequam vadam: et non ego, supple, ero. Secundo, *hascia*, id est parce. Hinc S. Hier. reddit: *Parce mihi*, ut videam antequam vadam, et non subsistam. Tertio, *hascia*, id est, cessa, desine. Hinc R. David vertit, cessa a me. R. Salomon, et R. Abraham, cessare fac manus tuas a me. Camp. abstiue paululum a flagellando me. Flamin. recede a me. Felix, declina a me. Pagn. desine a me. 104. Vers. 14. XII. *Desiderium perfectionis necessarium est peregrino.*

Nota secundo, pro *ut refrigerer*, Hebraice est אבליגה *abliga, roborabor*: ita Pagninus et Arias; ut vires pristinas recipiam: ita Campensis; 2. *ut quiescam*: ita Syrus; 3. *ut respirem*: ita Arabs, qui vertit: Relaxa me, ut respirem, antequam vadam, et non sim futurus amplius. Alleluia; 3. Septuag. ἵνα ἀναψύξω, ut refrigerer, sicut Noster vertit: ut per respirationem recepto aere frigido paululum levamenti recipiam in meis malis, et in itinere tam præcipiti et molesto exitu e regia mea urbe ob timorem Absalonis, q. d. Dolor a te immissus ob recordationem peccatorum meorum, et ob afflictionem præsentem, atque indignatio ob impietatem rebellum, me intus urit atque excoquit; dimitte liberum me et condona postulanti, ut respirem atque recreer. Est metalepsis, ex respiratione enim sequitur refrigeratio, ex refrigeratione refocillatio et recreatio. Interpretes nostri, ait Lorinus refrigerium intelligunt, quando quis indulgendo dolori, gemitibus, lacrymis recreatur quodammodo, ac veluti potatus suismet lacrymis refrigeratur, quas lacrymas prohibere vehementior solet cruciatus. S. Greg. lib. 9. Mor. cap. 37. *Moderata*, ait, *afflictio lacrymas exprimit, immoderata subducit*: quia mœror ipse quasi sine mœrore fit, qui afflicti mentem devorans, sensum doloris tollit. Sunt lacrymæ velut e cordis vulneribus profluentes guttæ sanguinis. S. Basil. hom. 4. de gratiar. actione dicit lacrymas oriri ex quadam impressione minus prævisa, ac si illata esset plaga, qua percellatur anima, et contrahatur compressio et coangustato spiritu circa cor. Allevatum capitis cerebrum lacrymis, sicut post imbres cælum serenatur, eodem Basilio auctore, qui etiam docet eos, qui vi intra se lacrymas continent, in apoplexiam, paralysim, mortem ipsam interdum incidere. Denique S. Augustinus testis est lib. 4. Confess. cap. 5. dulcem miseris fletum esse: seque in eo requievisse, substernendo cordi suo, lib. 9. cap. 12. Mentem allevant lacrymæ, ait S. Ambrosius de obitu Valentiniani Imper. *fletus refrigerat pectus*, et mœstum solatur affectum. S. Basil. epist. 69. ait, sæpe suspirium ex alto cordis editum, solatium aliquod animis indolescentibus afferre, atque lacrymas erumpentes afflictionis copiam discutere. Secundo, tamen melius, τὸ *ut refrigerer*, referes non ad fletum et lacrymas, sed ad liberationem ex tam præsenti et urgente periculo, cum ipsi non daretur quies ob furorem Achitophelis, volentis eum insequi, sumptis secum duodecim millibus virorum, 2. Regum 17. 1. Unde Chusai hoc cognito consilio, monuit Sadoc et Abiathar sacerdotes, ut per internuntios dicerent Davidi, v. 16. *Ne moreris nocte hac in campestribus deserti, sed absque dilatione transgredere, ne forte absorbeatur rex, et omnis populus qui cum eo est.* David monitus a Ionathan et Achimaa statim tota nocte curavit, ut sui transirent Iordanem, ita ut ne unus residuus fuerit, qui non transisset fluvium. Petit igitur David quietem securam et respirationem post tot angustias et contractionem cordis in suo dolore ac timore. Syrus vertit: *Libera me*, et quiescam, antequam vadam, et amplius non sim futurus. *Moderatus dolor lacrymas exprimit, vehemens sistit.*

Quæres, quomodo ait David, *et amplius non ero*, cum

105. *Quomodo David dicit, et amplius non ero.* anima sit immortalis? Resp. primo, *et amplius non ero*, supple peregrinus, q. d. Remitte mihi exilium, in quod relegatus sum. Si remiseris, antequam discedam hinc, non ero amplius exul et peregrinus. Cum enim tu remiseris, non ero peregrinus, sed ero civis Sanctorum tuorum. Ero cum patribus meis, qui et ipsi fuerunt ante peregrini, nunc vero iam cives sunt. Ero domesticus Dei, ut pœnam non timeam, gratiam merear: ita S. Ambros. Secundo, idem sanctus Doctor sumit *non esse*, pro non salvari, non esse in vera vita: *Deploremus,* inquit, *in terris, ut mereamur indulgentiam. Nisi remissum peccatum hic fuerit, non habebimus requiem. Si requies non fuerit, non erit vita æterna: si vita æterna non fuerit, non erimus. Ideo petit remitti sibi, antequam eat, ut sit.* S. Augustinus in eadem est mente, et hoc subtiliter more suo examinat: *Priusquam eam*, inquit, *et amplius non ero*, q. d. Immunem me fac a peccatis, priusquam eam, ne cum peccatis eam. Et infra: *Quid est, non ero? Si enim dives ille non erat, quis est qui ardebat? Quis est qui guttam aquæ de digito Lazari stillari in linguam suam desiderabat? Quis est qui dicebat, Pater Abraham, mitte Lazarum? Utique qui loqueretur, erat; et qui arderet, erat; et qui resurgat in finem, et qui eum diabolo æterno igne damnetur. Quid est ergo non ero, nisi respiciat iste Idithun? Quid est esse et non esse? Videbat enim illum finem, quo corde poterat, qua mentis acie valebat, quem sibi ostendi desideraverat, dicens: Notum fac mihi Domine finem meum. Videbat numerum dierum qui est: attendebat infra omnia quæ sunt, in comparatione illius esse non esse, et se non esse dicebat. Illa enim permanent, ista mutabilia sunt, mortalia, fragilia: et dolor ipse æternus, plenus corruptionis adhuc non finitur, ut sine fine finiatur. Respexit ergo beatam illam regionem, beatam patriam, beatam domum, ubi participes sunt Sancti vitæ sempiternæ, atque incommutabilis veritatis; et timuit extra ire, ubi non est esse; ibi desiderans esse, ubi est summum esse. Propter hanc ergo comparationem inter utrumque constitutus, adhuc timens dicit: Remitte mihi, ut refrigerer priusquam eam, et amplius iam non ero. Si enim mihi non remiseris peccata, ibo in æternum absque te. Et a quo ibo in æternum? Ab illo qui dixit: Ego sum qui sum. Ab illo qui dixit: Dic filiis Israel, qui est, misit me ad vos. Ab eo ergo qui vere est, qui in contrarium pergit, ad non esse pergit.* Vide v. 6. huius Psalmi. De damnatis ad mortem æternam, et semper in ea viventibus recte dicemus illud Isai. 41. 11. *Ecce confundentur et erubescent omnes, qui pugnant adversum te: erunt quasi non sint: et peribunt viri, qui contradicunt tibi.* Quæres eos, et non invenies, viros rebelles tuos, erunt quasi non sint: et veluti consumptio homines bellantes adversum te: ita Isaias, et bene. Nam damnati sunt, quia vivunt: non sunt, quia a vera vita, qui est Deus, et ab eius gratia, quæ est vitæ illius participatio, recesserunt. Sed hæc sunt mystica. Quarto denique proprie, *priusquam abeam, et amplius non ero*, id est, antequam moriar, et non sim amplius inter vivos in hoc mundo. Est Hebraismus. Similis est Ierem. 31. 15. et Matth. 2. 18.

106. *Peccata venialia post mortem remittuntur.* Quæres secundo, quare dicit David, *Remitte mihi, priusquam abeam*, id est, e vivis excedam, nonne post mortem aliqua peccata remittuntur? Resp. aliqui, nunquam remitti ulla peccata post mortem: quia, inquiunt, vel iustus habens peccatum veniale tempore mortis, agit quod potest ad illius expiationem, vel non: si primum, tollitur peccatum ante mortem: si secundum, grave peccatum committit: ita ut gratiam amittat, quia ille est quidam contemptus propriæ salutis, et divinæ offensæ, ac satisfactionis. Sed quis legit ea de re præceptum, ut quis teneatur in articulo mortis remedium adhibere peccatis venialibus? nullus est in ea re contemptus, sed sæpe sola negligentia. Resp. secundo, Alensis in 2. p. quæst. 124. memb. 10. Maior in 4. d. 21. qu. 3. post mortem nulla peccata venialia remanere: quia gratia finalis illa omnia delet, absque ullo alio hominis actu. Sed ubi scriptum est illud privilegium gratiæ finalis? Respond. tertio, certum cum sit, quod nihil coinquinatum introibit in regnum cælorum, et quod aliquis habens peccatum veniale, in eo potest mori; necesse est ut post mortem aliqua peccata venialia remittantur.

Quæres tertio ulterius, quomodo illa venialia peccata remittantur? Resp. primo, Gabriel et Medina, hoc fieri paulatim et successive per ipsam pœnam ignis purgatorii: quia, inquiunt, veniale peccatum nihil est aliud, post transactum actum, nisi reatus pœnæ: hic autem reatus solutione pœnæ solvitur. Sed hoc fundamentum est falsum. Resp. secundo, S. Bonaventura in 4. d. 21. qu. 1. art. 2. et Scotus dist. 15. quæst. 2. art 2. peccatum veniale in purgatorio remitti successive, non tamen per solam pœnam, sed per bonos actus, quos tunc exercet anima, præsertim per voluntariam acceptationem, et patientiam in toleranda pœna. Ratio est, quia Scriptura docet, peccata remitti in purgatorio, et per ignem illius. Dicitur enim 1. Corinth. 3. 15. *Salvus fiet, sic tamen quasi per ignem.* Loquitur autem de eo, qui lignum, fœnum et stipulas superædificat, per quæ intelliguntur peccata venialia, sicut ait S. August. in Enchiridio, cap. 69. et lib. 21. de civit. cap. 26. et de fide et operibus, cap. 15. Respond. tamen tertio, omnia peccata venialia, cum quibus homo iustus decedit, remitti quoad culpam in primo instanti separationis animæ a corpore: non propter præcedentia merita, sine ullo actu novo, ut vult Scotus d. 21. qu. 1. sed per ferventem actum dilectionis Dei, et contritionis perfectæ de præteritis omnibus culpis, ut docet S. Thom. q. 7. dist. mal. art. 11. Richardus d. 21. art. 2. q. 1. Paludan. q. 1. art. 1. conclus. 3. Ratio est, quia talis anima in illo momento optime cognoscit statum suum, et est expedita ad operandum: et ex parte Dei habet auxilium efficacissimum iuxta mensuram suæ gratiæ: et ipsa statim sine mora operatur, et perfecte tendit in Deum, et avertitur ab omnibus venialibus: igitur ille actus sufficit, ut statim tollantur omnia illa peccata quoad culpam. 107. *Et quidem primo in instanti post separationem animæ a corpore.*

Quæres denique quarto, an ille actus, quo tota culpa peccatorum venialium post mortem remittitur, tollat aliquid pœnæ, et aliquid mereatur? Resp. primo, statum merendi cum hac vita finiri: itaque ille actus nihil meretur: ita S. Thomas q. 7. de malo, artic. 11. et Adrianus quæst. 4. de confessione. Tenetur tamen Deus ex iustitia posito illo actu remittere omnem culpam venialium, ob præcedentia merita, vel iusti ipsius, vel Christi applicata. Resp. secundo, illum etiam actum contritionis et doloris, licet pœnalis sit, non esse satisfactorium pro tota pœna, imo nec pro parte pœnæ debitæ. Ratio est, quia Deus statuit tempus huius vitæ ad satisfaciendum per nostros actus, vel pœnas huius vitæ; tempus autem vitæ futuræ ad sustinendam condignam pœnam ignis: ita Suarez tom. 4. in 3. p. disput. 11. sect. 4. Ex quibus collige cum S. Paulo Galat. 6. 10. *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Et cum Christo, Ioan. 9. vers. 4. *Venit nox, quando nemo potest operari.* Nunc est tempus acceptabile, nunc sunt dies salutis, nunc qui pauperi dederit calicem aquæ frigidæ propter Dei amorem, meretur vitam æternam, qui luget sua peccata, et culpam et pœnam delet. Noli ita tibi esse infestus, ut per tuam negligentiam tempus perdas ita pretiosum, et ad inutilia illud insumas, sed quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, ut requiem et mercedem paratam reperias, sed præsertim ut Deo pro te semper in cælo et in terris, ac in teipso operanti placeas, eumque tota æternitate perfectius laudes. 108. *Actus tamen, quo remittuntur, nihil meretur. Nec satisfacit pro pœna.*

PSALMUS TRIGESIMUS NONUS.

1. In finem, Psalmus ipsi David.

2. Expectans expectavi Dominum, et intendit mihi.
3. Et exaudivit preces meas: et eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis.
Et statuit super petram pedes meos: et direxit gressus meos.
4. Et immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro.
Videbunt multi et timebunt: et sperabunt in Domino.
5. Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius: et non respexit in vanitates et insanias falsas.
6. Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua: et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.
Annuntiavi et locutus sum: multiplicati sunt super numerum.
7. Sacrificium et oblationem noluisti: aures autem perfecisti mihi.
Holocaustum et pro peccato non postulasti:
8. Tunc dixi: Ecce venio.
In capite libri scriptum est de me.
9. Ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei.
10. Annuntiavi iustitiam tuam in Ecclesia magna, ecce labia mea non prohibebo: Domine tu scisti.
11. Iustitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam et salutare tuum dixi.
Non abscondi misericordiam tuam, et veritatem tuam a concilio multo.
12. Tu autem Domine ne longe facias miserationes tuas a me: misericordia tua et veritas tua semper su-
sceperunt me.
13. Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ,
et non potui ut viderem.
Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei: et cor meum dereliquit me.
14. Complaceat tibi Domine ut eruas me: Domine, ad adiuvandum me respice.
15. Confundantur et revereantur simul, qui quærunt animam meam, ut auferant eam.
Convertantur retrorsum, et revereantur qui volunt mihi mala.
16. Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi: Euge, euge.
17. Exultent et lætentur super te omnes quærentes te: et dicant semper: Magnificetur Dominus: qui di-
ligunt salutare tuum.
18. Ego autem mendicus sum, et pauper: Dominus sollicitus est mei.
Adiutor meus, et protector meus tu es: Deus meus ne tardaveris.

PSALMI TRIGESIMI NONI ANALYSIS.

Christus declarat auxilium sibi a Deo Patre præstitum, et suas præces ac virtutes ostendit:

- Partim in corpore suo Ecclesia:
  - Adventum eius expectante et obtinente. 2.
  - Liberata e limbo. 3.
  - Educta ex peccatis. 3.
  - Confirmata in fide Salvatoris. 3.
  - Illuminata ad procedendum in via Dei. 3.
  - Exultante ob mysterium Incarnationis. 4.
  - Gratia erga tantum Redemptorem. 4.
  - Convertente multos in tota terra. 4.
  - Proponente Dei maiestatem, et terrenorum vilitatem. 5.
- Partim in seipso Ecclesiæ capite:
  - Per Incarnationem,
    - Quam Pater æternus decrevit,
      - Mirabiliorem omnibus Dei operibus. 6.
      - Et præstantiorem omnibus sacrificiis, 7.
    - Et Christus ipse absolvit,
      - Cum obedientia intellectus perfecta. 8.
      - Obedientia operis promptissima. 9.
      - Obedientia voluntatis tenerrima. 9.
  - Conciones quarum proponit,
    - Materiam,
      - Iustitiam Dei. 10.
      - Voluntatem eius. 10.
      - Misericordiam. 11.
    - Locum et modum
      - In Ecclesia totius orbis. 10. 11.
      - Cum libertate et fervore. 10. 11.
  - Passionem, cuius
    - Dolores innumeri. 12. 13.
    - Gravissimi. 13.
    - Dei unius ope superabiles. 14.
  - Resurrectionem,
    - Ad confusionem malorum. 15.
      - Crudelium. 15.
      - Et malignorum. 16.
    - Exultationem bonorum. 17.
      - Deum quærentium. 17.
      - Et Christum amantium. 17.
    - Ac propriam eius gloriam. 18.
      - A paupertate liberati. 18.
      - Atque a periculis exempti. 18.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. IN FINEM, PSALMUS IPSI DAVID.

1. Quis loquitur in hoc Psalmo? QUÆRES, quis hic loquitur? Primo, R. Salomon putat in hoc Psalmo loqui populum ab Ægypto liberatum. Secundo, quidam teste Theodoret. de beato Ieremia hunc Psalmum acceperunt, quidam de admirabili Daniele, quoniam uterque in lacum coniectus est. Exordium autem Psalmi de lacu mentionem facit. Tertio, quidam captivis Babylonem habitantibus Psalmum quadrare dixerunt. Quarto et melius, S. Thomas, Trevetus, et Valentia, Davidem ipsum loqui volunt post liberationem a persecutione vel Saulis, vel Absalonis, ita tamen ut sit typus Christi.

Quinto et optime, S. Ambrosius, S. Athanasius, S. Hieronymus, S. Augustinus, Eutherius, et alii, totum Psalmum de Christo exponunt: dicuntque eum loqui, Primo, in persona corporis sui, id est, Ecclesiæ; deinde in persona propria. S. Paulus Hebr. 10. v. 5. et sequentibus, non pauca Christo applicat, ut videbitur suis locis. S. Chrysost. et Hesychius negant hunc Psalmum ad Iudæos pertinere, quoniam continet abrogationem sacrificiorum, holocaustorum, et oblationum: et hinc fortasse Psalmo est inscriptum, *in finem*, ut eum, qui David in finem visus est, significaret: vel etiam populum, qui in fine ad ipsum David, hoc est Christum, accessit. Nam cum in consummatione sæculorum advenisset, salvum eum fecit: ita ipsi. S. Ambrosius paulo subtilius sic hoc concludit: *In trigesimo nono Psalmo, novum annuntiat testamentum.* A *Qui enim malorum pœnitentiam agit, expectat: sed non est perfecti expectare, sed expectasse. Nemo enim, nisi qui perseveraverit usque in finem, salvus erit. Ideo addidit: Expectans expectavi Dominum. Ubi ergo recte hoc dicitur, nisi in Evangelio? in quo iam nobis, a quibus expectabatur, advenit: in quo iam nobis non legis caligat umbra, sed veritas fulget: quia Christus illuxit, qui exaudivit voces deprecationum suarum, et eduxit nos de lacu miseriæ, et de luto fæcis, ubi iam demersi tenebamur nostrorum voragine peccatorum, et totus homo noster inhærebat, nec poterat se animus noster eruere, obrutus multiplicis labe flagitii. Gratias igitur Domino Iesu unigenito Dei filio Redemptori nostro, qui nobis peccata omnia remissurus descendit e cælo, ut nos de lacu ac limo istius mundi, e cœnulenta quadam palude terrarum, de corpore quoque mortis huius eriperet, atque in carne sua statueret animi nostri interiora vestigia, ut confirmati in Dei verbo, et per crucem Dominici corporis passionibus absoluti, ambulemus iam non in opprobrio dedecoris, sed in* B *remissione peccati.*

Argumentum Psalmi est lætitia Ecclesiæ et Christi ipsius, tum de eductione e limbis per Christum, tum de Christi ipsius resurrectione, quam meritus est per incarnationis humilitatem, et dolorem passionis. 2. Argum. Psalmi.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

TRIA IN HOC PSALMO SUNT. PRIMO, CHRISTUS IN PERSONA ECCLESIÆ IN LIMBO DEMORANTIS DIUTURNAM SUAM IN EXPECTATIONE MESSIÆ PATIENTIAM EXPONIT, VERS. 2. SECUNDO, IN PROPRIA PERSONA LOQUENS, MIRABILE MYSTERIUM INCARNATIONIS, ET PROMPTISSIMAM OBEDIENTIAM SUAM REFERT, VERS. 6. TERTIO DENIQUE, IN PROPRIA ITEM LOQUENS PERSONA, PASSIONIS DOLORES DESCRIBIT, ET OPEM IMPLORAT, VERS. 12.

SECTIO PRIMA.

Quatuor dicit Ecclesia, id est, sancti Patres, Primo, se eductam fuisse e limbis, et in Christi meritis stabilitam, vers. 2. Secundo, se gratias Deo acturam, vers. 4. Tertio, multos inde excitandos, ut in Christo sperent, vers. eod. 4. Quarto denique, felices fore qui id fecerint, vers. 5.

PARAPHRASIS.

2. *Expectans expectavi Dominum, et intendit mihi.*	2. Longissimo annorum decursu ego populus Dei, partim terræ clausus visceribus, partim in hac exilii valle demorans, Messiam Redemptorem expectavi. Qui tandem faciles clamoribus meis aures præbuit, et benignis oculis calamitatem meam aspexit.
3. *Et exaudivit preces meas: et eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis.*	3. Atque optatis meis, quæ per preces varias aperui, tandem annuens, e cælesti palatio advenit: meque ex misero et subterraneo specu eduxit, et peccatorum omnium sordibus expiavit.
Et statuit super petram pedes meos: et direxit gressus meos.	Pedesque meos prius in via mandatorum titubantes, supra fidem suam, doctrinam, et exempla ita stabilivit, ut amplius non mutent, rectoque et inoffenso gradu viæ cælestis tramitem decurrant.
4. *Et immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro.*	4. Novoque cantico, de novis beneficiis ac mysteriis composito, os meum implevit, quod in Dei mei et Salvatoris honorem decantarem.
Videbunt multi et timebunt: et sperabunt in Domino.	Profusam hanc in me parentis optimi beneficentiam plurimi videbunt, et tam benignum Dominum amore ac reverentia filiali prosequentur: spesque suas omnes in eo collocatas habebunt.
5. *Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius: et non respexit in vanitates et insanias falsas.*	5. Beatum quis non dixerit eum, qui spes suas omnes in uno Deo habet reconditas? quique ne aspectu quidem divitias, honores ac delicias, resque huiusmodi futiles ac vanas dignatur: ab iisque se subducit, velut a mera stultitia, quæ homines mentis suæ impotes faciat.

QUÆSTIO UNICA.

Quam ardenter optabant Patres Incarnationem Christi.

3\. Diu expectarunt Christum sancti Patres. **I**usti omnes tum in vita, tum post mortem, summis votis Messiam sunt præstolati, eumque a Deo frequentissimis precibus postularunt. Hinc Christus in persona totius populi fidelis hunc Psalmum incipit, v. 2. *Expectans expectavi Dominum.*

Decem fructus longissimæ illius expectationis et perseverantiæ in orando subiicit.

Fructus illius expectationis. Primo quidem, incarnationem tot votis expetitam, v. eod. 2. *Et intendit mihi.*

Secundo, precum exauditionem largitione aliorum donorum, v. 3. *Et exaudivit preces meas.*

Tertio, incipit recensere illa alia dona per incarnationem concessa: nempe liberationem e limbo: *Et eduxit me de lacu miseriæ.*

Quarto, liberationem ab omnibus peccatis, quibus tunc scatebat terra: *Et de luto fæcis.*

Quinto, confirmationem in fide, ac doctrina et exemplis Christi nascituri, vers. eod. 3. *Et statuit supra petram pedes meos.*

Sexto, sapientiam, vires ac fervorem ad pergendum secure atque alacriter in via Dei: *Et direxit gressus meos.*

Septimo, exultationem spiritualem, ob tam novam, mirabilem et profusam gratiam, v. 4. *Et immisit in os meum canticum novum.*

Octavo, gratitudinem erga benefactorem: *Carmen Deo nostro.*

Nono, conversionem totius orbis: *Videbunt multi, et timebunt, et sperabunt in Domino.*

Decimo denique, beatitudinem cælestem atque æternam iis, qui terrena pro Christo despexerint, v. 5. *Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius: et non respexit in vanitates et insanias falsas.*

Hæc sacra est ad felicitatem scala, quam decem præceptorum gradibus Christus in cælum erexit, ut per eam illa obtinere possimus, quæ Patribus per eam liberatis evenerunt.

ARTICULUS I.

Diu Patres Messiam venturum expectarunt, ac tandem illum obtinuerunt.

Prophetæ pollicebantur adventum Christi: ad eum, velut ad rorem ac imbrem terra arida, suspirabat omnis Ecclesia iustorum: vers. 2. Expectans expectavi

Vers. 2. 1. Pars. Dominum, et intendit mihi. Nota, *expectans expectavi*, denotat 1. diuturnam expectationem; 2. sine intermissione; 3. cum spe; 4. cum patientia. Est Hebraismus, qui denotat diuturnitatem, et perfectionem, ac certitudinem in eo quod dicitur, cum verbum idem geminatur.

4\. Quamdiu expectarunt. Quæres, quamdiu expectarunt Patres adventum Christi? Respond. pro diversitate temporum, quibus vixerunt, varie expectasse, et plus minusve tanto bono privatos fuisse. Primo quidem, Adamus, expectavit per annos 4052. eo enim anno natus est Christus, ut fuse docet noster Iacobus Salianus in Annal. Eccles. eo anno. Incidit enim hic annus in 47. annum Romani Imperii, cum C. Iulius Cæsar devicto in acie Pharsalica Pompeio, primus Romano Imperio potitus est, variisque sibi mox victoriis in Ægypto, in Africa, in Gallia atque Hispania confirmavit. Sed ex eo mox quinto Imperii sui anno per cædem extruso, unius fere anni interregnum secutum est, et Octavius hæres Imperii esse cœpit. Quo interregno imperfecti anni expleti sunt, etsi alioqui certum sit primum et postremum Iulii non fuisse integros: vulgari tamen consuetudine, quam passim usurpant sacræ litteræ pro integris computari, habita ratione annorum Iulianorum, qui Calendis Ianuariis oriuntur. Quod si ab anno Urbis conditæ 705. quo cœpit imperare Iulius, ad præsentem 751. enumeres, reperies 47. annos per quinque circiter menses

A inchoatos. Primo, annus mundi 4052. incidit in annum 42. Imperii Augusti, quo anno Augusti natum esse Christum docet Eusebius in Chronico, S. Epiphan. hæresi 51. S. Isidorus. in Chronico, et alii plurimi. Secundo, Noe expectavit Christi in terras adventum per annos 2996. Tertio, Abraham per annos 2014. Quinto, Isaac per 1914. Sexto, Iacob per 1851. Septimo, Moses, 1589. Octavo Iosue, 1562. Nono, David ipse 1103. De illis S. Ambrosius in Psal. nostr. *Affulsit*, inquit, *remedium salutis: quoniam qui expectabatur, adest. Expectavit eum Adam de paradiso eiectus, ut longo liberaretur exilio. Secundo, expectavit eum Noe iustus, qui ad semen futurorum est reservatus, ut ex eo iustitiæ semina in hominibus pullularent. Ipsum putabat publicæ salutis auctorem, qui diluvio superstes esse meruisset. Ipsum sapientiæ Principem, qui excoluisset vitem, et ex eius fructu inebriatus foret. Quid est enim vitis, nisi sapientia? Sicut aperuit nobis David cælestis interpres oraculi, dicens Psal.* 127. 3. *Uxor tua*

B *sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Eo quod in ipso esset sapientiæ plenitudo qui expectabatur in Christo, qui novo repletus sapientiæ sacramento quod oculus non vidit, nec auris audivit, inusitatum nobis deferre mysterium præparavit, ut nudus iaceret, et exuberantis sapientiæ pocula inaudita profluerent: ut obliti superiorum in novos mores et novam sobrietatem vitæ resurgeremus æternæ, quo per stultitiam prædicationis Deus agnosceretur, quem per sapientiam non cognovit hic mundus. Denique in figura illa dormientis et nudati patris, qui stultitiam risit, maledictus est: qui venerati sunt, benedictionis gratiam sunt adepti. Ideoque qui mortem unigeniti Filii Dei Patris et Creatoris omnium ad offendiculum aut opprobrium nostræ fidei obiiciendam esse crediderint, peccatorum suorum nexibus ad perpetuæ maledictionis ærumnam tenentur adstricti. Qui vero eam pro totius humani generis absolutione suscipiunt, virtutis æternæ præsidio fulciuntur. Crux enim Christi Iudæis offendiculum, Gentibus stultitia, ut Apostolus dixit* 1. *Corinth.* 1. 24. *nobis*

C *autem, qui credimus in Dominum Iesum, virtus Dei ac sapientia est. Tertio, expectatus est in Mose, cum sisteret undas maris, et impossibile viribus humanis, pedestris viæ aperiret in fluctibus iter: sequeretur petra, et vomeret aquas, ut sitientium Patrum in medio deserti viscera interna satiaret. Quarto, expectatus est et in Aaron Principe sacerdotum, qui inter vivos ac mortuos medius stetit, et per serpentem statuit luem mortis, ne a cadaveribus defunctorum ad viventium transiret interitum. Quid enim tam proprium Christi, quam advocatum apud Deum Patrem adstare populorum, mortem suam offerre pro cunctis, repellere necem, vitam reformare perituris. Quinto, expectatus est et in Iesu Nave, et certe venit: qui et potestatem suam et nomen accepit: ut et populum in terram repromissionis induceret, et vere Iesu nomine vocaretur. Siccavit fluenta, convertit amnem in suum fontem, solem statuit, donec consummaret in virtute victoriam. Sed adhuc figura illa erat, non veritas. Denique verus ei dux*

D *militiæ cælestis effulsit et adoravit eum Iesus Nave, quamvis nondum in corpore verus astiterat, sed adhuc venerat in figura:* ita Ambrosius. Itaque Sancti illi, aliique, et Christum expectabant, et venturi erant figura, et quædam arrha populo fideli data. Annis supra positis, quibus sancti Patres expectaverunt adventum Christi, adde annos triginta quatuor, quibus vixit.

Quæres itaque secundo, quem Dominum expectaverunt sancti Patres? Resp. primo, Deum Patrem expectarunt, ut misertus ipsorum Filium mitteret. Sic clamabat Isaias cap. 16. 1. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion,* hoc est, o Pater æterne, mitte Christum Regem totius orbis, qui nascetur ex Ruth Moabitide. Hinc Syrus reddit: Mitte filium dominatoris terræ, id est, tuum. Secundo, et melius, per Dominum hic intelligitur Christus incarnandus de quo dicit Habacuc cap. 2. 3. *Si moram fecerit, expecta eum: quia veniens veniet, et non tardabit.* Isaias 25. 9. *Ecce Dominus Deus noster iste: expectavimus eum, et salvabit nos.* 5. Christus est expectatus, ob septem eius dona.

Expectatus est autem 1. ut Doctor; 2. ut Redemptor; 3. ut liberator a limbo; 4. ut liberator a carcere peccatorum; 5. ut illuminator cordium; 6. ut protector contra hostes; 7. ut remunerator: ita Hugo in Ps. 38. 8. in illa verba: *Et nunc quæ est expectatio mea, nonne Dominus?*

I. Ut Doctor totius orbis. Primo enim Christus velut Doctor gentium omnium expectabatur. Oseæ 10. 12. *Tempus requirendi Dominum, cum venerit qui docebit vos iustitiam.* Septuag. donec veniat, et depluat super vos iustitiam. Chald. Recipite vos ad timorem Domini: nunc enim revelabitur, et afferet vobis iustitiam. Ioel vero veluti iam videns Christum incarnatum ait cap. 2. 23. *Exultate et lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiæ.* Hebr. מורה *more*, et doctorem et pluviam significat; unde subditur, et descendere faciet super vos imbrem matutinum et serotinum, id est, 1. gratiam excitantem et concomitantem; 2. gratiam in iuventute atque initio conversionis, et gratiam in senectute et finalis perseverantiæ; 3. gratiam ad exurgendum a nocte peccati, et ut dies gratiæ et virtutis duret; 4. pluviam, id est, doctrinam. Hinc Moses dixit Deuter. 31. 2. *Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et stillæ super gramina.* Hoc desiderium Sanctorum exprimit Ecclesia in Adventu, ubi sex antiphonas recitat, quæ ab O incipiunt, et O vocantur, atque canuntur per septem dies ante Nativitatem Christi. In octavo die ante illam celebritatem primum O est, O *sapientia*, quæ ex ore Altissimi prodiisti, attingens a fine usque ad finem, fortiter suaviterque disponens omnia, veni ad docendum nos viam prudentiæ.

II. Ut Redemptor a peccatorum pœna. Secundo, Christus expectatus est a tota Ecclesia, veluti Redemptor, qui nos per Adæ peccatum ad æternam mortem damnatos, et hostis potestati traditos, pretio sui sanguinis redimeret, satisfaciens ad æqualitatem iustitiæ. Ps. 110. 9. *Redemptionem* (id est, Redemptorem perfectissimum) *misit populo suo: mandavit in æternum testamentum suum.* Chald. pactum seu testamentum suum sanctum, hoc est, novum testamentum et legem gratiæ. Hoc exprimitur septimo die ante Nativitatem in secundo O: dicitur enim *O Adonai*, et dux domus Israel, qui Mosi in igne flammæ rubi apparuisti, et ei in Sina legem dedisti: *Veni ad redimendum nos in brachio extento.* Rubus ille erat B. Virginis typus. Sic eam appellat Proclus Episcop. Constantinopolit. *Hæc*, inquit, *animatus naturæ rubus, quem divini partus ignis non consumpsit.* Et S. Bernard. hom. 2. super Missus est: *Portendebat rubus ille Mariam parientem, et dolorem non sentientem.*

III. Ut liberator e limbo. Tertio, Christus expectatus est a tota Ecclesia, veluti liberator a limbo. Zachar. 9. 11. *Tu vero in sanguine testamenti tui* (id est per sanguinem, quo testamentum seu fœdus novum fecisti inter Deum et homines, de danda æterna hæreditate fidelibus, tamquam filiis) *emisisti vinctos tuos de lacu*, id est, de captivitate Ægyptiaca, ut docet Chald. aut Babylonica, ut Hugo: sed male, quia liberatio illa non est facta in Christi sanguine. Lacus ergo intelligendus est limbus, in quo erant Patres sub terra, expectantes redemptionem Israel. Hoc significatur sexto die ante Nativitatem in tertio O, quod est, *O radix Iesse*, qui stas in signum populorum, super quem continebunt reges os suum, quem gentes deprecabuntur, *veni ad liberandum nos*, iam noli tardare.

IV. Ut liberator e carcere peccati. Quarto, Christus expectatus est a tota Ecclesia veluti liberator a carcere peccatorum. Thren. 3. 53. *Lapsa est in lacum anima mea, posuerunt super me lapidem.* Hoc desiderium exprimitur die quinto ante Nativitatem in quarto O, quod est, *O clavis David*, et sceptrum domus Israel: qui aperis, et nemo claudit: claudis, et nemo aperit: veni et *educ vinctum de domo carceris*, sedentem in tenebris, et umbra mortis. Sumitur ex cap. 42. Isaiæ, ubi habetur v. 7. *Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium: ut aperires oculos cæcorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris.*

V. Ut illuminator cordis. Quinto, Christus expectatus est a tota Ecclesia, ut illuminator cordium. Luc. 2. 31. *Quod parasti ante faciem* A *omnium populorum, lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel.* Ps. 3. 4. Exortum est in tenebris lumen rectis corde. Hoc exprimitur die quarto ante Nativitatem in quinto O, quod est, *O oriens splendor lucis æternæ, et sol iustitiæ, veni et illumina sedentes in tenebris et umbra mortis.*

VI. Ut protector contra hostes. Sexto, Christus expectatus est velut protector contra hostes. Isa. 19. 20. *Mittet eis salvatorem et propugnatorem qui liberet eos.* Hoc petitur die tertio ante Nativitatem in sexto O, quod est, *O Rex gentium*, et desideratus earum, lapisque angularis, qui facis utraque unum, veni et salva hominem quem de limo formasti. Apollinaris in Psal. nostro ait: τετληκως οπτηρα θεον, και αρωγον εδεγμην: Tolerans spectatorem Deum et adiutorem expectavi.

VII. Ut remunerator. Septimo denique, Christus expectatus est velut remunerator. Thren. 3. 24. *Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea expectabo illum.* Et Sophon. 3. 8. *Expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum.* Hoc exprimitur secundo die ante Nativitatem in septimo O, quod est, *O Emmanuel, Rex et Legifer noster, expectatio gentium, et salvator earum: veni ad salvandum nos, Domine Deus noster.* B

Ut in Deo spem et oculos defigas, non sunt in terram, velut in Sodomam pereuntem, reflectendi. Ideo subditur vers. 5. ET NON RESPEXIT IN VANITATES, ET INSANIAS FALSAS. Vers. 5. 2. Pars. Hebraice כזב *cazab*, id est, mendacii: hoc est, mendaces, non veras, fallentes, seducentes; quæ scilicet promittunt id quod non præstant, neque posse se præstare cognoscunt.

6. Quænam vanitates et insaniæ falsæ. Quæres, quæ sunt illæ vanitates et insaniæ falsæ. Respondeo primo, S. Chrysost. S. Cyrillum, Iansenium, esse idola, eorum mendacia oracula, mysteria fallacia, fraudes et præstigias. Resp. secundo, vanitates et insanias falsas esse observationes superstitiosas Astrologorum divinationes et alia eiusmodi: ita S. Cyrillus, Valentia, et alii. Respondeo tertio, vanitates et insanias falsas esse contentionum theatralium dissensiones, Circensium ple- C na furoris studia, et aliorum ludorum inanitates: ita S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Maxim. Verba S. Augustini sunt: *Unde insaniæ mendaces? insania mendax, vanitas verax. Quæ vides bona putas, falleris: sanus non es, nimia febre phreneticus factus es, verum non est quod amas. Laudas aurigam, clamas aurigæ, insanis in auriga. Vanitas est, insania mendax est.* Et S. Maximus diffuse homilia unica de Circumcisione Domini: *Insana*, inquit, *sunt omnia quæcumque diaboli fallente mendacio. Dei in se non habent veritatem. Et illorum gravior atque immedicabilis languor est, qui superstitionum furore, et ludorum suavitate decepti, sub specie sanitatis insaniunt. Annon omnia quæ a ministris dæmonum illis aguntur diebus, falsa sunt et insana, cum vir virium suarum vigore mollito totum se frangit in fœminam, tantoque illud ambitu atque arte agit, quasi pœniteat illum esse quod vir est? Numquid non universa ibi falsa sunt et insana, cum se a Deo formati homines, aut in pecudes, aut in portenta transformant? Numquid non omnem perdit insaniam, cum decorem vultus hu-* D *mani specialiter manibus in omnem pulchritudinem figuratum squalore sordium, et adulterina fœditate deturpant? Quomodo non sanum sapientibus patet, nihil inibi esse sanitatis, ubi impia, ubi inhonesta, inversaque omnia et faciunt, et loquuntur: non audientes clamantem quotidie in Ecclesia beatum David, et dicentem Ps. 4. Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* Hæc adapta Bacchantibus ante quadragesimam. Quarto, et optime, vanitates et insaniæ falsæ sunt vana auxilia, quæ a creaturis quibuslibet sperantur, sive ab honoribus, sive a divitiis, sive a voluptatibus, sive a quacumque alia re vel homine: ita S. Ambros. S. August. S. Hieron. S. Chrysost. Iansenius, Bellarmin. Euseb. et alii. 4. Et optime.

7. Honor est vanitas et stultitia. Primo enim, honor, vanitas et stultitia est, ac vanos et stultos facit sui amatores. Iob. 4. vers. 18. dicitur: *In Angelis suis reperit pravitatem.* Symmachus vertit, vanitatem. Arias, gloriationem. Hebraice est, תהלה *tahol-*

la, id est, stultitiam, insaniam. Raderus, *halal*, laudare, lætari, insanire. Ex laudo lætitia oritur, ex lætitia nimia sæpe per vanitatem et gloriationem stultitia. S. Chrysostom. hom. 65. in Ioan. πλουτος, inquit, εις πλεονεξιαν: αρχη δε εις απονοιαν αγει: *Divitiæ quidem ad avaritiam: principatus vero et honor ad insaniam et mentis impotentiam ducunt*. Ideo multi sibi manus intulere, ne dedecus in triumpho subirent; multi ut honores assequerentur, et Principibus suis placerent stultissima fecerunt. Vanitas vero falsa est honor, quia præ se fert speciem rei duraturæ, et citissime avolat. Nicetas Choniata refert, a Ioanne Comneno Imperatore, in somnis Alexium filium Leoni insidentem visum esse recens coronatum, quem Leonem auribus tegebat, nihil habens ad domandam belluam accommodatum. Cuius visi hæc erat significatio, puerum imperio, titulo tenus, et nomine absque re potiturum: Regia autem potestate orbatum iri: id quod paulo post accidit, eo morte sublato.

Nota, pro *vanitates* Hebraice est רהבים *rehabim*, quod nonnulli substantive, nonnulli adiective sumunt. Primo enim, Septuag. Syrus, Arabs: *Beatus vir qui non aspexit ad vanitates*. S. Hier. ad superbias. Campens. ad fastum. Secundo, Flaminius, Pagninus, Felix, Arias, non respexit ad superbos. R. Salomon, ad fortes. Ob robur corporis Gigantes superbi extiterunt, ut patet in Goliath, 1. Regum 17. *Sed Gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ*, id est roboris sui. Vide ibi dicta Ps. 32. v. 16. Itaque etiam hoc est vanitas et stultitia. Non est in tanto corpore mica salis. Rad. est רהב *rahab*, roborare, elevari, extolli, superbire. Chaldæus vertit, non respexit ad סרבניא *sarbanaia*, id est, ad rebelles et refractarios: tales sunt superbi, qui volunt esse similes Altissimo. Sed hoc stultitia est. Rad. *serab*, abnuero, renuere, repugnare, obniti, denegare, nolle, rebellare, refractarium esse, reluctari, refragari.

Hinc sequitur, superbiam esse stultitiam, et consequenter superbum esse stultum. De primo ait S. Ioannes Climac. grad. 23. υπερηφανεια εστιν εσχατη πτωχεια ψυχης, πλουτον εν σκοτεια οιομενης: *Superbia est extrema mentis inopia, divitias in tenebris reponens*. De secundo Ps. 74. 5. habetur: *Dixi iniquis* (Hebr. הוללים *holelim*, id est insanis: ita Pagnin. 2. gloriantibus, et sese alta voce extollentibus et laudantibus) *nolite inique agere*. Syrus et Arabs reddunt: *Dixi insipientibus, ne deliretis*. S. Chrysost. in epist. ad Rom. hom. 21. ait: των μαινομενων εισιν αθλιωτεροι και των φυσει μωρων: *furentibus sunt miseriores superbi, et iis qui a natura stulti sunt*. Inepta deinde superborum desideria enumerat: *Statim desiderabas*, και πτεροφυηναι, *enasci tibi alas, ut non ambules super terram*, etc.

[8. Divitiæ stultos faciunt.] Secundo, divitiæ stultitia sunt, et stultos faciunt. De avaro, præsertim bonis alienis inhiante dicitur Prov. 24. v. 8. *Qui cogitat mala facere, stultus vocabitur*: id est, erit, et esse apparebit. Vatablus vertit, vocabitur sceleratus vir. Chald. vocabunt eum habentem astutiam pessimam. Nam ad pessima et furibunda nimius habendi ardor cogit. S. Chrysost. hom. 7. in epist. ad Coloss. Μαινομενους ο πλουτος ποιει πολλους: furiosos facit divitiarum abundantia. Et postea addit: Οντως ανοητους ποιει το πλουτειν, και μαινομενους: *Vere stultos et furiosos faciunt divitiæ*.

[9. Voluptas stultos efficit.] Tertio, voluptas stultos efficit. Philo libro de decalogo: *Adulterium, ait, fontem habet amorem voluptatis: quæ et corpus atterit*, et ψυχης εκλυει τονους, *robur animi resolvit, et rem familiarem absumit, quidquid attigerit more ignis consumens, et nihil salvum relinquens in vita hominum*. S. Chrysost. οφθαλμια χαλεπη μοιχεια, adulterium gravissimus est morbus oculorum, non corporis sed animi.

Quarto denique, omne peccatum est stultitia, quia in
A Deum creatorem, conservatorem, redemptorem, dominum, supremum iudicem, vindicem, glorificatorem, patrem, sponsum, etc. peccans anima rebellat. Chald. vertit, ut supra monui: *Et non respexit ad rebelles, et loquentes mendacia*. David noster post admirationem operum divinorum subdit Ps. 91. 7. *Vir insipiens non cognoscet, et stultus non intelliget hæc*. Arabs reddit: Vir ignorans non agnoscit, et perversus id non intelliget. Singula vitia si placet decurrere, invenies meras esse insanias. Primo, de superbia dixi supra: Adde illud Amos 3. 9. *Congregamini super montes Samariæ* (Lucifer vult sedere in monte testamenti) *et videte insanias* (in colendis vitulis aureis, ait Hieron. *admirabilia*, ut vertunt Septuag. Superbus admirationem quærit; *confractiones*, ut Vatabl. eæ non deerunt superbis) *multas in medio eius*. Secundo, avaritiam vocat Aster. hom. 3. μαιναδα, id est furiosam instar bacchantium. S. Chrysost. lib. 3. in vituperatores vitæ monasticæ: εκεινων, inquit, ερωτων σφοδροτερος ουτος εστι, και μανικωτερος: *Eiusmodi amorum vehementissimus, et ma-*
B *xime furiosus, est avaritia*. Tertio, ira etiam stultum facit. S. Antioch. hom. 24. O θυμος, ait, και η οργη, οι δυο υιοι μιας μητρος εγγονα τυγχανουσι, καλουμενης αφροσυνης: Furor et ira sunt duo unius matris stultitiæ filiæ. Quarto, invidia rationis quoque expers, ac feris deteriorem hominem facit. S. Basil. orat. de invidia: *Fugiamus*, inquit, *fratres, invidiam*, θεομαχιας διδασκαλον, *magistram impietatis in Deum, matrem homicidii*, συγχυσιν φυσεως, *confusionem naturæ, urbanitatis et affabilitatis ignorationem*, συμφοραν αλογωτατην, *calamitatem rationis omnis expertem. Quod ferarum genus invidi non superant feritate? Canes nutriti cicurantur. Leones manu ducuntur, et mansuescunt beneficiis affecti. Sed invidi ipsis officiis et benevolentiæ testificationibus magis efferantur*. Quinto, gula quoque stultitia est. Clemens Alex. in pædag. lib. 2. cap. 1. γαστριμαργια, inquit, ακρασια περι τροφην ως δε και το ονομα περιεχει, μανια επι γαστερα: Gula est intemperantia circa cibum: aut ut nomen ostendit, *insania circa ventrem* μαργος enim significat insanum, vecordem, stolidum, μαργη
C insania, stoliditas. Sexto, S. Ioan. Clim. grad. 13. pigritiam vocat νοος εκλυσιν, mentis dissolutionem. De luxuria iam dictum est. Septimo denique, peccator omnis stultus est. Salvian. l. 5. de providentia: *Legi*, ait, *quondam in quodam loco: Nemo malus, nisi stultus: si enim saperet, bonus esse mallet*. Et lib. 6. deplorat stultitiam Carthaginensium peccantium: *Quis, ait, æstimare hoc malum possit? Circumsonabant armis Cirtæ Carthaginis populi Barbarorum, et Ecclesia Carthaginensis insaniebat in Circis, luxuriabat in theatris: alii foris iugulabantur, alii intus fornicabantur: pars plebis erat foris captiva hostium, pars intus captiva vitiorum*. Sap. 14. 23. dicitur, dum lætantur, insaniunt S. Paul. Galat. vocat insensatos, cap. 3. 1. quod non obediant veritati, et 1. Cor. 1. 20. dicit stultam esse sapientiam huius mundi.

[10. Omne peccatum stultitia est.]

Contra vero, perfecta sapientia est virtus, et quæ ad virtutem ducunt. S. Gregor. Naziaz. orat. 15. σοφια πρωτη βιος επαινετος: *Prima sapientia est vita proba et honesta, Deoque perpurgata, vel certe se purgans: Deo, inquam,* [11. Virtus est perfecta sapientia.]
D *qui purissimus et splendidissimus est, solumque purgationis sacrificium a nobis requirit: quod quidem cor contritum, et laudis sacrificium, et novum in Christo creaturam, et novum hominem, aliaque id genus, appellare Scriptura consuevit*. Et Philo lib. de migratione Abraham: σοφια, inquit, αυλη και βασιλειον εστι πανηγεμονος και μονου βασιλεως αυτοκρατορος: *Sapientia est aula et palatium regium ducis omnium, et solius veri imperatoris Dei*. Et libro de temulentia, ait illam esse τεχνην τεχνων, artem artium. Hoc de sapientia speculativa et practica verum est.

SECTIO SECUNDA.

12. *Quatuor continet. Primo, opera Dei omnia Christus admiratur, vers. 6. Secundo, Incarnationem præ omnibus Dei operibus admirabilem esse dicit, ipsisque Sacrificiis præferendam, vers. 7. Tertio, obedientiam suam in Incarnationis et Redemptionis humanæ mysterio declarat, vers. 8 Quarto denique, constantiam suam et libertatem in annuntianda Dei misericordia, iustitia, veritate, et salvandi homines desiderio aperit, vers. 10.*

PARAPHRASIS.

6. ***Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua: et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.*** *Annuntiavi et locutus sum: multiplicati sunt super numerum.*	6. O Domine Deus, quam multa sunt, quam magna et admirabilia opera tua, sive naturam, sive gratiam spectemus et gloriam. Nemo est homo usquam gentium, neque ullus in cælis Angelus, qui sapientiæ inventionibus æquiparari possit tibi, quique tam ingeniose et amanter tam nova, mira, atque utilia excogitare valeat. Has ego mirificas cogitationes et consilia in mundum adveniens annuntiavi per me meosque hominibus: sed tam multa sunt, tamque varia hæc consilia tua, eorum ut numerum nemo inire, nedum illa ut addecet, prædicare possit.
7. *Sacrificium et oblationem noluisti: aures autem perfecisti mihi.*	7. Sed præ cæteris inventis tuis humanæ imbecillitati, salutique accommodis admirationem illud omnem superat, quod neque victimis, neque panum, thurisve, aut frugum oblationibus, conceptam ob Adami, cæterorumque hominum scelera iram tuam placari volueris. Mihi enim filio tuo unigenito aures aperuisti, ut præceptis tuis obtemperarem: et corpus personæ meæ divinæ univisti, ut mortem probrosissimam pro humana salute oppeterem.
Holocaustum et pro peccato non postulasti.	Neque holocausta, neque victimas corporales pro peccatis oblatas, ad tam nobile redemptionis opus admisisti.
8. *Tunc dixi: ecce venio.*	8. Statim ut tua mihi voluntas innotuit, lubens, volensque me obtuli, ut mortale corpus induerem, et per corporis sanguinisque mei sacrificium tibi satisfacerem.
In capite libri scriptum est de me.	In libri vitæ, atque æternæ prædestinationis tuæ principio, de me primum præordinatum est et prædestinatum, tamquam de primogenito in multis fratribus, ac præcipuo primoque omnium electorum, ut decretum voluntatis tuæ usque ad mortem ipsam crucis explerem.
9. *Ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei.*	9. Id vero cum tibi placitum esse cognoscerem, prompto animo paratum me exhibui: atque hoc præceptum tuum mihi acceptissimum intimis animi medullis condidi, ut totis viribus eniterer quam perfectissime illud exequi.
10. *Annuntiavi iustitiam tuam in Ecclesia magna: ecce labia mea non prohibebo: Domine tu scisti.*	10. Neque animo tantum præceptum illud tuum inclusi, sed palam populis undequaque confluentibus aperui, in eoque summam tuam iustitiam ostendi, ac deinde per Apostolos meos orbi universo declaravi. Neque ullus mihi metus os interclusit, quin in ea quæ gloriæ tuæ et hominum salvationi conducibilia censerem, libere prædicarem: unum te testem Deus meus appello.
11. *Iustitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam et salutare tuum dixi.*	11. Nec animo fiduciaque dispari mihi cognitam iustitiam tuam, qua tot beneficiis non emollitos punire consuevisti, sceleratis aperui. Pios vero, ostensione fidelitatis tuæ in exequendis promissis toties per Prophetas decantatis, et misericordiæ tuæ in salute hominibus largienda enarratione recreavi.
Non abscondi misericordiam tuam, et veritatem tuam a concilio multo.	Eam, inquam, incredibilem misericordiam tuam, atque in Messia tuo mittendo fidelitatem, notam Ecclesiæ universæ feci.

QUÆSTIO UNICA

Quam admirabilis Deus in Christi incarnatione.

13. Mirabilia multa in incarnatione. Sectione superiori, Patrum desideria de Messiæ adventu et incarnatione declaravit, illiusque utilitatem David aperuit. Nunc Dei decreto illam perfectam esse ostendit, et eius excellentiam declaravit. Christum autem in propria persona loquentem inducit, sicut prius induxerat loquentem in persona Ecclesiæ.

Primo itaque, Christus dicit a Deo Patre multa mirabilia in sua incarnatione patrata esse, v. 6. *Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua;* 2. magna et incomparabilia: *Et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi;* 3. inenarrabilia et innumerabilia: *Annuntiavi et locutus sum: multiplicati sunt super numerum.*

Secundo, incarnationem præfert omnibus veterum sacrificiis, vers. 7. *Sacrificium et oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi. Holocaustum et pro peccato non postulasti:* Et v. 8. *Tunc dixi: Ecce venio.*

Tertio, obedientiam suam mirabilem fuisse ostendit in illa incarnatione: sive spectes intellectum, sive executionem, sive voluntatem: 1. intellectu percipiendo mandatum Dei, et illud iustum iudicando, vers. 7. *Aures autem perfecisti mihi;* 2. in executione promptitudinem osten-

A dendo, v. 8. *Tunc dixi: ecce venio;* 3. in voluntate, Patris æterni voluntatem amplexando, v. 9. *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei.*

Quarto denique, dicit se Incarnationis mysterium orbi universo per se et suos Apostolos prædicaturum, v. 10. *Annuntiavi iustitiam tuam in Ecclesia magna.* Et quidem cum fervore: *Ecce labia mea non prohibebo: Domine tu scisti.* Denique ait se enuntiaturum virtutes Dei Patris in eo mysterio exhibitas, 1. iustitiam, v. 11. *Iustitiam tuam non abscondi in corde meo;* 2. fidelitatem: *Veritatem tuam et salutare tuum dixi;* 3. misericordiam: *Non abscondi misericordiam tuam, et veritatem tuam a concilio multo.*

ARTICULUS I.

In Incarnatione multa sunt mirabilia.

Christus ipse Incarnationem suam considerans, ait, 14.
B v. 6. Multa tu fecisti Domine mirabilia (Sym- Vers. 6.
machus, τεράστια prodigia) tua, 1. in mirabilibus operi- 1. Pars.
bus omnipotentiæ tuæ; 2. in provida tuorum cura; 3. præsertim in incarnatione, de qua hic agitur: et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi. Hoc est, in cogitationibus et adinventionibus sapientiæ tuæ non

est qui tibi sit perfecte similis: Nullus est aut hominum aut Angelorum qui tam mira comminisci possit atque tu, et cogitata opere adimplere. Varii varie vertunt hebraica. Primo, S. Hieronymus, cogitationes tuas pro nobis, non inveni ordinem contra te. Secundo, Pagnin. cogitationes tuas, nobis, non est ordinare tibi. Tertio, Felix, cogitationes tuæ erga nos, non est comparatio tibi. Quarto, Camp. consilia tua apud nos exemplo carent. Vel, cogitationes, quibus sedulo curas nos, tam multæ sunt, et mirabiles, ut nemo hominum intelligere queat, quantum tibi debeat pro illis. Noster dilucidius vertit, cogitationibus tuis, non est qui similis sit tibi. Hoc docet Isai. cap. 55. v. 8. *Nec enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ: sed sicut exaltantur cæli a terra, sic exaltatæ sunt cogitationes meæ a cogitationibus vestris.* Et Rom. 11. v. 32. *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viæ eius.*

15. Vers. 6. 2. Pars. Pergit Christus vers. eod. 6. ANNUNTIAVI ET LOCUTUS SUM, (mirabilia scilicet tua) MULTIPLICATI SUNT (ii qui crediderunt) SUPER NUMERUM, id est, innumerabiles crediderunt (posito numero infinito pro finito per hyperbolem) vel crediderunt multi super numerum præordinatorum ad vitam æternam: quia multi reprobi cum electis in aream Domini, sive in rete Dominicum intraverunt. Et potest ad hunc sensum non difficulter accommodari codex hebraicus: nam ubi habemus, præ numerari, mutatis punctis potest fieri, præ numero, ut notum est intelligentibus. Et quidem hæc explicatio vera est, sed non ita perfecte respondet textui originali, neque tam apte connectit hunc versiculum cum superiori, ut expositio prior, quæ est Euthymii, et aliorum, et est conformis versioni S. Hieronymi, neque contraria est editioni nostræ vulgatæ: illud enim, *multiplicati sunt*, vel est error librariorum, ut multi suspicantur: et scriptum est, multiplicati, pro *multiplicatæ*, id est cogitationes: aut, *multiplicata*, id est opera mirabilia: vel certe ipse interpres posuit genus masculinum, dicens: *multiplicati sunt*: quia respexit ad nomen Græcum, quo significantur cogitationes, quod est generis masculini, videlicet διαλογισμοί. Simile quid habemus Sap. 1. v. 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.* Ubi τὸ *hoc* et *quod*, referuntur ad Spiritum Domini; et debuisset scribi, *et hic qui continet omnia*, secundum grammaticam Latinam: sed interpres posuit genus neutrum: quia *spiritus* Græce est generis neutri, videlicet πνεῦμα: ita Bellarmin. Et quidem Lindanus Episcopus Ruræmondensis legit, *multiplicata*. Iansen. Episcopus Gandavensis, *multiplicatæ*.

16. Incarnatio est miraculum maximum. His positis, Dico primo, incarnationem omnibus miraculis esse maius miraculum. Theodoretus in psalmum nostrum vocat, omnibus admirabilius. S. Ioannes Damascenus oratione 1. de Nativitate nuncupat, miraculorum omnium caput. Nam inquirens, cur Deipara sit orta ex Anna sterili, dicit: *Quoniam oportebat, ut ad id quod solum sub sole novum erat, ac miraculorum omnium caput, via per miracula sterneretur, ac paulatim ab humilioribus ad sublimiora progressus fieret.* S. Ildelfonsus Episcopus Toletanus, qui floruit circa annum 658. et ita Virgini placuit, ut ab ea acceperit præclaram vestem sacerdotalem, et ab ea certus sit redditus de veste gloriæ post mortem consequenda, ait lib. de virginitate Deiparæ cap. 11. Christi conceptionem omni miraculo mirabiliorem, omni opere potentiorem, omnique signo ac prodigio augustiorem. Achaz Regi Iuda, et Iudæis metuentibus, ne per Syros atque Samaritas exciderentur, Isaias promittit opem et liberationem, et offert, datque signum Emmanuelis nasciturі ex Virgine. Verba Dei sunt Isaiæ 7. vers. 11. *Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra.* Cumque Achaz diceret, non petam, et non tentabo Dominum, ait Deus v. 14. *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel.* Quod significat, nobiscum Deus, q. d. Omnibus miraculis quæ fieri possent, sive in profundum inferni, sive in excelsum supra, maius miraculum Deus faciet, nempe incarnationem Filii sui. A propheta Habacuc incarnatio vocatur opus Dei. Sic enim loquitur cap. 3. v. 2. *Domine audivi auditionem tuam, et timui. Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud.* Deipara ipsa eam vocat opus brachii Dei. Luc. 1. v. 51. *Fecit potentiam in brachio suo;* cætera autem sunt opera digitorum vel manuum Dei. Nam de creatione cælorum habetur Ps. 101. v. 26. *Opera manuum tuarum sunt cæli.* De liberatione populi Israel, Exodi 8. v. 19. ait Pharao: *Digitus Dei hic est.* Incarnatio totum brachium requirit. Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis, qui floruit circa annum 860. in vita S. Remigii dicit, Deum incarnationis mysterium absolvisse, incomprehensibili virtutis suæ opere. Et Concil. Wormatiense in confessione fidei docet, Christum mundo innotuisse novo ordine, novaque nativitate. Petrus Blesensis Abbas epistola 83. Abyssus, inquit, inscrutabilis est incarnationis Dominicæ mysterium.

Dico secundo, in una Christi incarnatione multa sunt miracula. Aliqua attigit Dionysius Carthusianus lib. 1. de laudibus Virginis art. 30. Infinite, ait, distantium immediata unio; 2. præsubsistentis personæ vera generatio; 3. divinæ et humanæ naturæ hypostatica coniunctio; 4. æterni recens productio; 5. denique, cum humanitas sit unita Verbo personaliter, tamen non ubicumque est persona Verbi, ibi est humanitas: ita Dionysius. Nonnulla etiam hic attingamus. 17. In incarnatione sunt sex miracula.

Primo, in incarnatione est admirabilis unio, qua Deus fit homo, et homo Deus. S. Bernardus serm. 1. de Assumptione Mariæ: *Quis*, ait, *etiamsi linguis hominum, Angelorumque loquatur explicare queat, quemadmodum superveniente Spiritu, obumbrante virtute Altissimi, caro factum sit Verbum Dei, per quod facta sunt omnia; et Dominus maiestatis, quem non capit universitas creaturæ, intra virginea sese clauserit viscera factus homo.* S. Cypr. serm. 3. de Nativitate: *O Domine*, ait, *quam admirabile est nomen tuum? vere tu es Deus, qui facis mirabilia. Non modo mundi huius staturam admiror, non stabilitatem terræ, cum eam complectatur volubile firmamentum, non singulos dies, non lunæ defectum et incrementum, non solem semper integrum, et laborem eius perpetuum, non temporum vicissitudines, in quibus quædam arent, quædam virent, et quæ mortuo modo videntur, deinceps reviviscunt: miror Deum in utero Virginis, miror omnipotentem in cunabulis, miror quomodo Verbo Dei caro adhæserit, quomodo incorporeus Deus corporis nostri tegumentum induerit.* Mayro in sermone de Annuntiatione probat, omnipotentiam Dei magis elucere in incarnatione, quam in creatione mundi. Plus enim, ait, distat Deus et homo, quam universum et nihil. Nam in incarnatione est infinita distantia positive inter Deum et hominem. At in creatione, quamvis ex parte subiecti dicatur distantia infinita, quia fit e non subiecto; ex parte tamen creaturæ productæ, quæ habet perfectionem finitam, positive est finita distantia. Quare plus est facere de homine Deum, quam quod nihil sit ens. I. Est unio admirabilis.

Secundo, in incarnatione mirum est, quod vir perfectus sit in utero matris. Ierem. 31. v. 22. *Creavit Dominus novum super terram: Fœmina circumdabit virum.* Novum, id est rem novam, inauditam, mirabilem. S. Bernardus homilia super Missus est: *Quæ est*, ait, *hæc fœmina? Quis vero iste vir? aut si vir, quomodo a fœmina circumdatus? aut si a fœmina circumdari potest, quomodo vir? Et, ut apertius dicam, quomodo potest simul et vir esse, et in utero matris? hoc est enim virum a fœmina circumdari. Sed verto me ad conceptum partumque virginalem, si forte inter plurima nova ac mira, quæ ibi profecto inspicit, qui diligenter inquirit, etiam hanc reperiam novitatem. Vir erat Iesus necdum etiam natus; sed sapientia, non ætate; animi vigore, non viribus corporis: maturitate sensuum, non corpulentia membrorum. Nec enim minus habuit sapientiæ, vel potius non minus fuit sapientia Iesus conceptus quam natus: parvus quam magnus.* Vide S. Thom. 3. p. q. 33. art. 2. et in 3. distinct. 3. q. 5. art. 2. 18. II. Vir perfectus in matris utero.

Tertio, in incarnatione miraculum est, quod Christus

19. III. *Conceptus de Virgine.* sit conceptus et natus ex Virgine sine humano semine, sola virtute et operatione Spiritus sancti. Hoc contemplans Isaias exclamat cum admiratione cap. 7. v. 14. *Ecce Virgo* (Hebraice עלמה *alma*, id est virgo abscondita, et viro incognita) *concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel.* Unde Galli decurtarunt *Noel*, et Itali *Manuel*. S. Augustinus hac humanam generationem comparat divinæ. Sic enim loquitur hom. 36. in lib. 50. homiliarum: *Mirabilis est humana generatio, quia sine patre: mirabilis est divina, quia sine matre.* S. Maximus Taurinensis Episcopus, qui sub Honorio et Theodosio iuniore floruit circa annum 410. ait hom. 6. *Quod universa nobiscum natura miratur, natus est homo, non per hominem procreatus.* Figuratum hoc fuisse in Adamo ex terra virgine, id est, non proscissa aratro, nec semine gravida procreato, docet S. Irenæus lib. 3. cap. 31. Item in rubo ardente et non combusto, S. Gregorius Nyssenus oratione de Christi nativitate. Denique in arca auro vestita, et ex lignis Sethim facta, Andreas Hierosolymitanus sermone de salutatione Angelica, ubi Virginem vocat, φυσεως εργαστηριον, naturæ officinam. S. Athanasius dicit nativitatem Christi ex virgine esse inenarrabilem. Sophronius Episcopus Ierosolymitanus, qui floruit tempore Heraclii Imperatoris circa annum 630. sermone de Assumptione citat locum illum Ierem. 31. v. 22. *Novum creavit Dominus super terram*, et ait: *Vere novum, et omnium novitatum supereminens novitas virtutum, quando Deus, quem ferre non potest mundus, neque videre aliquis, ut vivere possit; sic ingressus est hospitium ventris, ut corporis claustrum nesciret: sicque gestatus, ut totus Deus in eo esset: et sic exivit inde, ut esset, sicut Ezechiel fatetur, porta omnino clausa.* Lege S. Leonem serm. 2. de Nativitate.

20. IV. *Deus a muliere aliquid mutuatur.* Quarto, in incarnatione miraculum est, quod Deus a muliere aliquid mutuatur. Nam beata Virgo se habuit active in præparatione materiæ, non tamen in conceptione Christi, ut docet S. Thom. 3. p. q. 32. art. 4. Methodius Episcopus Tyrius et Martyr, qui floruit tempore Diocletiani circa annum 280. oratione in hypapantem, id est, in occursum Christi et Simeonis: *Quid*, ait, *hoc illustrius? quidve sublimius? qui cælum et terram implet, cuius præterea sunt omnia, quæcumque sunt atque subsistunt, is tui factus est indigus. Tu enim admirabilem incarnationem, quam aliquando non habuit, Deo mutuo dedisti. Tu potentem corpore tamquam decenti panoplia induisti, per quam ipse quidem a me facile caperetur et cerneretur. Ego vero tutum et commodum ad illum accessum haberem* Ambrosius Ansbertus hoc pulcherrime expendit lib. 7. in Apocalypsin: *Quis, ait, unquam potest æstimare, quam magnum et admirabile sit, Deum hominem fieri, Creatorem creaturam effici: vitam Angelorum, ne fame moriatur, lacte nutriri: eum qui orbem portat, puellæ manibus baiulari: Dei virtutem humana imbecillitate lassari: ex quo, et per quem vivunt omnia, occidi: sed die tertia a mortuis excitari: quadragesima vero cælos penetrare:* ita Ansbertus.

21. V. *Filius matrem ætate superat.* Quinto, in incarnatione miraculum est, quod filius ætate matrem superet. Nam Christus est filius Patris æterni ab æterno ante luciferum genitus, et tamen in tempore natus de Maria, quæ est vere Dei mater, ut docet S. Thomas 3. p. quæst. 25. art. 3. licet non sit mater divinitatis, ut habet in 3. distinct. 4. quæst. 2. art. 2. Hoc miratur S. Basilius Seleuciæ apud Isauros Episcop. de quo crebra fit mentio in Synodo Chalcedonensi, et qui floruit circa annum 450. Sic enim loquitur oratione in Annuntiatione Virginis, agens de unione, qua Verbum naturam humanam assumpsit: *Tunc*, inquit, *factum est mysterium, quod in hodiernum usque diem manet mysterium, neque unquam mysterium esse desinet. Tunc creatura vidit, quod antea visum est nunquam, nempe prolem, quæ suæ matris erat parens: infantem, qui genitricem ætate antecedebat: puerum, qui sæculis omnibus, quæ ante effluxerant, erat antiquior.* Deinde inducit Deiparam, quæ filium suum Deum et hominem contemplans et admirans, his verbis alloquitur: *Ecquid igitur tecum inceptabo? lactene enutriam, an vero ut Deum colam? ut mater curabo, an vero ut ancilla adorabo? ut filium amplexu fovebo, an vero ut Deum supplex invocabo? Lacne porrigam, an vero thymiama offeram? Et quod hoc magnum, et abditum est miraculum? Cælum tibi thronus est, et sinus meus te complexus est. Totus his præsto es, qui inferne degunt, neque unquam tamen ab iis abes, qui in supernis vivunt: neque enim localis fuit tua illa descensio, sed divina quædam submissio et condescensio. Celebro proinde tuam clementiam, sed non investigo tuam œconomiam. Tale namque mysterium per illum patratum est, quale nulla prorsus lingua aut cogitatio assequi potest.*

22. VI. *Puer in primo instanti conceptionis fuit liber.* Sexto denique, in incarnatione admirandum est, quod Christus unius momenti puer, habuit usum liberi arbitrii, 3. p. quæst. 34. art. 2. habuit plenitudinem gratiæ et cognitionis, quæst. 7. art. 1. e 9. virtutes, art. 2. Spiritus sancti dona, art. 3. in primo instanti ita meruit, ut aliorum sanctificator esset, quæst. 34. art. 3. Quin etiam fuit perfectus comprehensor in eodem instanti, artic. 4. ibidem, et in 3. dist. 13. quæst. 1. artic. 2. Vere itaque Christus ipse se miraculum vocat Ps. 70. v. 7. *Tamquam prodigium factus sum multis.* Caietanus vertit, *tamquam miraculum* factus sum multis. Syrus, admiratio. Arabs, admirabilis. Et S. Ioannes Damascenus orat. 1. de Nativitate Mariæ vocat Virginem ipsam, θαυματων εργαστηριον, *miraculorum officinam.* S. Epiphanius sermone de laudibus Deiparæ, ξενον θαυμα εν ουρανοις, stupendum miraculum in cælis. S. Ephrem, præstantissimum orbis terræ miraculum. S. Bernardinus Senensis tom. 2. concion. 61. artic. 1. cap. 12. *Miraculorum miraculum.* Et iterum S. Damasc. cit. *Miraculum omnium miraculorum maxime novum.*

ARTICULUS II.

Incarnatio fuit necessaria ad redemptionem generis humani.

23. Vers. 7. 1. Pars. *Sacrificii adæquata divisio in animatum et inanimatum.* Post Adami et posterorum peccata expiationem fuisse necessariam ad delendas tot maculas, et ad satisfaciendum Deo offenso, planum est: nullam vero fuisse sufficientem hic dicitur, v. 7. SACRIFICIUM ET OBLATIONEM NOLUISTI: AURES AUTEM PERFECISTI MIHI. HOLOCAUSTUM ET PRO PECCATO NON POSTULASTI. Nota, sacrificium adæquate dividitur in animatum et inanimatum. Animatum subdividebatur in tres species, 1. in holocaustum; 2. in sacrificium pacificorum; 3. in sacrificium pro peccato. Inanimatum vero sacrificium vocabatur Mincha; 1. erat solidum, nempe farris et panum; 2. liquidum nempe libamen olei et vini.

24. *Sacrificium pacificorum quale?* De illis quatuor sacrificii speciebus hic agit Christus. Primo enim *sacrificii* nomine intelligit sacrificium pacificorum, in quo offerebatur hostia pacifica; hoc est pro pace, id est, prosperitate offerentis obtenta vel obtinenda. Ut enim docet S. Thom. 1. 2. quæst. 102. art. 3. erat illud sacrificium ex debito beneficii, vel accepti, vel accipiendi, pro gratiarum actione, vel pro salute et prosperatione offerentium, quorum tertia pars erat, secunda sacerdotum, et prima incendebatur Deo. Erat autem maxime frequens illud genus sacrificii, ideo nomine communi exprimitur.

25. *Sacrificium Mincha quale, et cur usurpatum.* Secundo, per *oblationem* intelligi sacrificium Mincha planum est. Hebr. enim est מנחה *minha*, seu *mincha*, quod oblationem, seu munus et donum significat. Lev. 2. v. 1. *Anima cum obtulerit oblationem sacrificii Domino, simila erit eius oblatio, fundetque super illam oleum, et ponet thus.* Hebr. habetur *oblationem Mincha*, quod Aquila vertit, donum de frumento. Vatabl. vertit, sacrificium cibarium. Andreas Masius in cap. 22. Iosue v. 23. vertit, fertum. Mincha enim Hebræis proprie est sacrificium, quod ex farre aut simila fit, sive pura simila sit, sive cocta clibano, sartagine aut craticula. Et quia alia sacrificia peculiare habent nomen. Hinc Noster interpres passim in toto lib. Levitici, sacrificium ex simila, sive Mincha vocat absolute sacrificium. Hoc autem sacrificium *Mincha* seu

farreum instituit Deus. Primo, propter pauperes: non enim omnium erat emere aut offerre animalia. Ita Licurgus Legislator Spartanorum rogatus, cur ita parca et tenuia sacrificia instituisset, respondit: ne unquam Deorum apud nos cultus deficiat, ut ait Plutarchus in Lycurgo. Secundo, ut sacerdotibus de pane et annona provideret. Magna enim pars huius sacrificii cedebat sacerdotibus. Tertio, ut sicut animalibus Deum colebant Hebræi, eique gratias agebant, ita et colerent frugibus terræ, discerentque in omni egestate et alimonia ad Deum respicere. Quarto, quia sacrificium erat quasi convivium, quo Deus epulabatur cum hominibus, victimæque erant quasi cibus Dei: panis autem, cuius materia est far aut simila, necessarius est hominum cibus. Unde similam vel panem in suo sacrificio pariter exegit Deus. Id ita esse patet primo ex eo, quod victima vocatur panis, id est cibus Dei, Levitici 21. v. 21. et cap. 22. 25. Secundo, ex eo quod altare vocatur mensa Dei, Malachiæ 1. 7. et 12. Voluit enim Deus, cuius deliciæ sunt esse cum filiis hominum, hac ratione dignationem suam erga homines ostendere, exhibendo se iis tam familiarem, ut eamdem cum ipsis habeat mensam et prandium. Hinc apud Gentiles Romanos in epulo Iovis, quod in Capitolio septem viri epulonum celebrabant, Iupiter in lectulum, Iuno et Minerva in sellas ad cœnam invitabantur: ex quo illud colligit Valerius Maximus, quod viri antiquitus in lectulis dumtaxat, mulieres vero in sellis discumberent. Tertio, ex eo quod Septuaginta passim sacrificium vocent καρπωσιν, vel καρπωμα, id est fructum, quo scilicet vestitur et fruitur Deus. Unde ὁλοκαρπωμα vocant holocaustum, eo quod totum cedat in fructum et esum Dei. Quarto, quia hac de causa iussit Deus, in omni sacrificio animalis offerri similam et vinum, ut patet Numeror. 15. 4. 7. et 10. Item sal, ut patet Lev. 2. 13. ut scilicet plenum et perfectum esset Dei convivium. Nam in omni convivio requiritur caro et panis ad cibum, vinum ad potum, sal ad condimentum. Hoc imitati sunt Gentiles in suis sacrificiis, qui farre molito (quod proinde molam salsam vocabant) tosto et sale consperso, victimæ caput aspergebant: a qua mola et ritu deductum est verbum immolo, id est sacrifico. Huius molæ testis est Lucanus l. 1. Virgil. Eclog. 8. Horat. lib. 2. sermon. Satyr. 3. Numa enim Pompilius rex Romanorum qui Romulo successit, sanxit, *non litandum esse sine farina:* caussamque symbolicam addit: ut, inquit, hoc symbolo significem, *non minimam pietatis partem in moribus cicurandis, et ad mansuetudinem componendis sitam esse.* Farina enim mollis et tractabilis symbolum est mansuetudinis: ita Plutarchus in Numa. Ab hoc ritu deductum est verbum mactare, id est magis augere, et victima macta, id est magis aucta. Quoties enim farina, vinum, aut thus super victimam fundebatur, dicebat: Mactus est taurus thure vel vino: ita Isidorus lib. 10. Gir. syntag. 17. Cornelius a Lapide in Leviticum. Vide plura apud Plinium lib. 12. cap. 18. et apud Ciceronem lib. 2. de divinatione.

26. *Cur dicuntur hæc sacrificia Deo non placuisse.* Quæres, cur dicantur hæc sacrificia Deo non placuisse, cum essent ab eo instituta et præcepta? Respond. primo, Deo placuisse, et grata extitisse. Erant ab ipso instituta, 1. ut sibi cultus exterior debitus redderetur; 2. ut ad cultum interiorem populus provocaretur; 3. ut in diebus festis perniciosum otium vitaretur, et illis exterioribus rebus rudiores retinerentur, ne ad idola colenda deflecterent: 4. ut essent figurativa sacrificii in cruce offerendi; 5. denique, ut varia inde ad mores formandos, et ad amandam sui ipsius mortificationem deducerentur. Respondeo secundo, Deo non placuisse illa boum, ovium, agnorum, hædorum, vitulorum sacrificia secundum se sumpta, et a cultu interno offerentium separata. Hæc enim immolatio animalium non dabat gratiam nisi ex opere operantis: in lege autem gratiæ Sacramenta dant illam ex opere operato. Vide S. Thom. 1. 2. quæst. 102. art. 3. Resp. tertio, sacrificia illa Deo non placuisse, neque sufficientia fuisse, pro satisfactione peccatorum nostrorum. Itaque necessarium fuisse, ut Christus incarnaretur, et seipsum in sacrificium offerret ad condignam Patri æterno satisfactionem offerendam. Et hic est sensus præcipuus et germanus huius loci, unde statim additur: *Tunc dixi: ecce venio.* Quod autem cæteroqui placuerint Deo sacrificia virorum piorum patet, Primo, in lege naturæ, ignem deiecit in hostiam Abelis, Gen. 4. v. 4. Abrahæ, Gen. 15. v. 8. et 9. Gedeonis, Iudic. 6. v. 21. Manue, qui fuit pater Samsonis, Iudic. 13. v. 20. Secundo, in lege scripta, comburendo eodem igne cælesti victimas Aaronis, Levitici 9. v. 24. Davidis, 1. Paral. 21. v. 26. Salomonis, 2. Par. 7. v. 1. Eliæ, 3. Reg. 18. v. 38. Nehem. 2. Machab. 1. 32. Impiorum vero sacrificia illi displicebant, ut patet Isa. 1. v. 11. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus; plenus sum, holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum et agnorum, et hircorum nolui.*

Quæres secundo, cur in lege gratiæ non usurpentur sacrificia illa vetera. Respondeo, quia sacrificium Christi in cruce factum sufficit, cum præsertim quotidie ad renovandum fervorem in Missa instauretur. S. Ambrosius in Psalmum nostrum: *Cessavit,* inquit, *oblatio pro peccato, quia peccatorum remissor advenerat. Non erat remedium necessarium legis, ubi legis auctor adstabat.* S. Leo serm. 8. de Passione: *Omnes,* ait, *differentias hostiarum una corporis et sanguinis Christi implet oblatio.* Et Paul. Hebræor. 10. v. 11. *Omnis sacerdos* (veteris legis) *præsto est quotidie ministrans, et easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata. Hic autem* (Christus) *unam pro peccatis offerens* (προσενεγκας, id est postquam obtulit) *hostiam in sempiternum sedet in dextera Dei.* S. Gregor. lib. 17. Mor. 18. Fecit, inquit, pro nobis sacrificium, corpus suum exhibuit pro peccatoribus, victimam sine peccato, quæ et humanitate mori, et iustitia mundare potuisset. 27. *Cur in lege gratiæ non usurpantur vetera sacrificia?*

Quam perfecta autem fuerit Christi incarnati obedientia, ipse in hoc psalmo loquens aperit, v. 7. AURES AUTEM PERFECISTI MIHI. Hebr. *aures mihi* כרית *carita.* id est, *fodisti:* ita S. Hieron. perforasti; ita Felix: vellicas: ita Campensis, hoc est, ut explicat Ugo Cardin. perfectam obedientiam dedisti mihi. Chaldæus clare vertit: *Aures ad auscultanda præcepta tua perforasti mihi.* Nota, alluditur ad ritum illum quo subula perforabatur auris illius, qui post annum sextum servitutis, nolebat anno septimo discedere a domo heri sui, sed ei volebat adhuc servire. Præceptum extat Exod. 21. 5. *Quod si dixerit servus: Diligo dominum meum et uxorem, ac liberos, non egrediar liber: offeret eum dominus diis* אלהים *Elohim,* (id est Iudicibus) *et applicabitur ad ostium, et postes* (nempe domus heri, ut indicetur velle in hac domo sedem sibi stabilem figere, et inde non egredi sine facultate heri) *perforabitque* (ipse herus) *aurem eius subula* (ut sciat se perfectam habere debere obedientiam, licet dura et aspera præcipiantur) *et erit servus ei in sæculum,* id est, usque ad annum quinquagesimum Iubilæi, in quo omnes servi Hebræi libertatem suam recipiebant. Cum igitur Christus dicit, sibi aures esse perfectas et perforatas, notat se habuisse obedientiam, primo, facilem et promptam; secundo, humilem et dimissam instar servi; tertio, stabilem et constantem; quarto denique, perfectam, et omnibus numeris absolutam. 28. *Vers. 7. 2. Pars.*

Dices, cur Septuag. et eos secuti S. Paul. Hebr. 10. 5. Græci PP. et ex Latinis S. Ambros. S. August. Cassiod. et alii legunt, *corpus autem aptasti mihi?* Resp. primo, Genebrard. esse hic metaphoram et synecdochen. Primo, quidem metaphoram a figulis, qui manu fodicant et ducunt argillam, ex qua cupiunt vas formare, currente rota. Quare Deus figulus fictor, et plastes nuncupatur, ut alludatur ad Gen. 2. 7. quando ex humo humanum corpus effinxit. Secundo autem esse synecdochen, partem scilicet pro toto, id est, aures pro corpore. Sed aurium præsertim meminisse, quia de obedientia agebatur: ita Genebrard. Resp. secundo, Septuag. sensum spectasse, non verba. Cum igitur præceptum esset de incarnatione, et tota eius œconomia, Hebraicus textus præcepti acce-

ptationem declarat, Septuag. illius terminum et executionem: Itaque verterunt corpus aptasti, seu fecisti, *mihi*, cum in Hebr. sit, *aures perforasti mihi*.

29\. Nota, ut perfecta sit obedientia, tria debet complecti, 1. ut exequamur id quod est imperatum; 2. ut illud voluntate amemus; 3. ut intellectu iudicemus esse prudenter et iuste imperatum. Hos tres obedientiæ gradus fuse exponit S. Ignatius in aurea illa epistola de obedientia, ubi ait, num. 5. *Vobis clare compertum esse, ac animis vestris penitus insidere vehementer cupio, infimam, et valde imperfectam esse primam illam obedientiæ formam, quæ mandata dumtaxat opere exequitur, nec virtutis nomine dignam, nisi ad alterum gradum ascendat, qui voluntatem superioris suam efficiat: et cum ea ita concordet, ut non solum in effectu executio appareat; verum etiam in affectu consensio: sicque idem velit uterque, idem nolit.* En tibi iam duos obedientiæ gradus: nempe executionis, et voluntatis: sed vir perfectissimus tertium et excellentissimum adiungit, Num. 9. *Qui vero*, ait, *se totum penitus immolare vult Deo, præter voluntatem, intelligentiam quoque, qui tertius et summus est gradus obedientiæ, offerat necesse est: ut non solum idem velit, sed etiam ut idem sentiat, quod superior, eiusque iudicio subiiciat suum.* Nam obediens debet se offerre in perfectum holocaustum suo Creatori, a quo omnia accepit. Unde in eadem epistola ait: *Obedientia sit quoddam holocaustum, quo totus homo, sine ulla prorsus imminutione, Conditori suo ac Domino, per manus ministrorum in charitatis igne immolatur.* Et illud obedientiæ sacrificium acceptius est Deo, quam quodlibet sacrificium, sive pacificum, sive peccati expiatorium, sive holocaustum, ut dicit Samuel Sauli regi Israel dicenti se adduxisse ad sacrificium greges ex regione Amalecitarum, quos volebat Deus esse anathema. Verba eius sunt 1. Reg. 15. v. 22. *Melior est obedientia, quam victima.* Hebraice est, Melius est obedire, quam victimas offerre. Ratio est, quia intellectus et voluntas sunt perfectiores hostiæ, quam pecudes. Ut autem ait S. Gregor. lib. 35. Mor. cap. 10. Per victimas aliena caro, per obedientiam voluntas propria mactatur. Et S. Hier. in cap. 43. Isaiæ: Non exegi, inquit, a te oblationes, nec thura quæsivi, etc. sed obedientiam, quæ est sacrificium, de quo David Psal. 50. v. 19. *Sacrificium Deo, spiritus contribulatus.* S. Bernardus libro de ordine vitæ: Tanto quisque Deum citius placat, quanto ante oculos eius repressa arbitrii superbia, gladio præcepti se immolat. Lege S. August. lib. 10. de Civitate Dei, cap. 6. Obedientiam esse matrem omnium virtutum; quia causantur et conservantur per actum eius: charitatem vero, ut finem, docet S. Thomas 2. 2. quæst. 104. art. 2. esse maiorem omni alia virtute morali, sed minorem virtutibus Theologicis, art. 3. præferendam omnibus sacrificiis, 3. parte, quæst. 47. artic. 2. ubi agit, cur Christus ex obedientia sit mortuus. Opusculo autem 18. probat omne bonum quantumcumque est bonum per se, fieri melius per obedientiam.

Obedientia perfecta requirit tria: 1. Executionem mandati. 2. Voluntatis pium affectum. 3. Iudicii conformitatem.

30\. Hi porro tres obedientiæ gradus a Christo hic exprimuntur. Primo, intellectus iudicium conforme præcepto: *Aures autem perfecisti mihi.* Nam animæ oculus et auris percipiens obiecta est intellectus, illius enim est videre et audire, atque examinare quæ proponuntur. Secundo, de executione fit mentio, vers. 8. *Tunc dixi: ecce venio.* Tertio, voluntatis acceptatio clare ponitur, et quidem perfectissima: *Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei.* Quarto denique, præceptum superioris ponitur: *In capite Libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam.* Ut autem docet S. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 5. proprium obiectum obedientiæ est præceptum tacitum vel expressum, hoc est voluntas superioris quocumque modo innotescat.

Hæc tria a Christo hic excipiuntur.

Nota secundo, obedientia non convenit personis divinis secundum Deitatem: quia obedientia importat gradum dignitatis, quod non convenit Deo, ut ait S. Thom. in 1. Sentent. distinct. 15. quæst. 1. art. 1. et in 3. distinct. 17. art. 3. quæst. 1. Itaque hoc in Psalmo agitur de obe-

A dientia Christi, ut homo est. Dicit autem, *aures perfecisti mihi.* Sicut Isaiæ 50. v. 4. ait ipse Christus: *Erigit mane* (id est, in ipso instanti incarnationis meæ) *mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum. Dominus Deus aperuit mihi aurem* (est metalepsis: id est, fecit ut præcepta eius libenter audirem) *ego autem non contradico: retrorsum non abii.* Alludit ad Mosem, qui recusabat ire ad Pharaonem, sicut postea Ionas fugit, ne iret in Ninivem. S. Bernard. serm. 28. in Cantic. Laudat illam obedientiam promptam: *Quam beatus*, inquit, *qui ait: Dominus Deus aperuit mihi aurem, et ego non contradico, retrorsum non abii. Ubi et voluntariæ habes obedientiæ formam, et longanimitatis exemplum. Qui enim non contradicit, spontaneus est: et qui retro non abiit, perseverat. Utrumque necessarium: quoniam hilarem datorem diligit Deus, et qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Utinam et mihi aperiat aurem Dominus, intret ad cor meum sermo veritatis*, etc. Vult Sponsus in sua Sponsa,

B id est, Deus in humanitate, vel anime sancta, murenulas aureas vermiculatas argento, Cant. 1. 11.

Secundo, intellectus post assensum datum imperat potentiis externis executionem præcepti. Ut enim docet S. Thomas 1. 2. quæst. 17. artic. 1. imperare est ordinare aliquid ad faciendum, intimando, seu denuntiando. Unde dicit Christus, v. 8. TUNC DIXI: ECCE VENIO. Hebraice 31.
באתי *bathi*, id est, veni: ita Felix. Est enim præteritum
in Kal; 2. dixi ergo, en ipse veniam: ita Campensis; 3. S. Hieron. Noster, Sept. *ecce venio*. Præterita enim hebraica sæpe sumuntur pro omni differentia temporis; id est, pro præterito, præsenti et futuro. Sed τὸ *venio*, denotat promptitudinem et alacritatem maiorem. Figuratum hoc est in Abrahamo egrediente de terra sua, et de cognatione sua, ut iret in terram, quam monstraturus erat ei Deus, Genes. 12. v. 4. Secundo, id figuratum in Iosepho misso a Iacob parente ad fratres suos qui pascebant oves, ait enim Gen. 37. v. 14. *Præsto sum.* In multis fuit typus Christi. Vide S. Bernard. hom. 2. super Missus est. Tertio, in promptitudine Samuelis venientis ad

C Heli, 1. Reg. 3. 5. *Et cucurrit ad Heli, et dixit: vocasti enim me.* Ac postea ait Deo ipsi, v. 9. *Loquere Domine, quid audit servus tuus.* Quarto denique, illa Christi promptitudo obedientis Patri figuratur in Isaia dicente c. 6. 8. *Ecce ego, mitte me.*

Vers. 8. 1. Pars.

Quæres primo, ad quod tempus refertur τὸ *tunc*, cum dicitur: *Tunc dixi, ecce venio?* Respondeo referri ad illud tempus, quo statuit Deus non recipere sacrificia animalium, aut panis, vel vini, oleive pro peccatorum humanorum expiatione: tunc enim advertit incarnationem suam esse necessariam, cum Deus vellet sibi satisfieri ad æqualitatem, et id non posset fieri ab ulla creatura; cum persona offensa esset infinita, et satisfaciens persona finita peccato maculata, et omnis meriti incapax. Vide alias multas rationes apud Suarez in 3. part. t. 1. disp. 4. quæ est de necessitate incarnationis.

Nota, executionem etiam incarnationis declarant verba mox explicata, *aures autem perfecisti mihi.* Nam S. Paulus vertit, *corpus autem aptasti mihi*, id est humana me

D carne vestivisti, similem me cæteris hominibus effecisti, terrenum corpus personæ meæ divinæ univisti. S. Greg. Nazienz. orat. 51. atheum illum dicit esse quia asserere audeat Christum per Virginem, velut per canalem, translivisse. S. Cyrillus Ierosolymitanus catech. 4. clare ait: *Non tamquam per canalem transiens per Virginem, sed vere incarnatus ex ipsa, lacte nutritus vere, vereque comedens sicut et nos.* S. Ignatius epistola ad Trallianos: Corpus, inquit, sibi fabricavit ex sanguinibus Virginis, hoc solum excepto, quod nulla viri consuetudo intercesserit. Ioannes Cantacuzen. Apol. 2. Assumpsit, ait, ipsissimam hominum naturam. Sophronius Ierosolymitanus oratione in Christi natali: Suscepit, inquit, carnem in ipso Verbi complexu existentiam sortitam. Origen. lib. 1. περὶ ἀρχῶν: Christus, inquit, corpus assumpsit nostro corpori simile, eo solo differens, quod natum ex Virgine de Spiritu sancto est. S. Irenæus lib. 5. cap. 1. Neque esset

vere sanguinem et carnem habens, per quam nos redemit, nisi antiquam plasmationem Adæ in seipsum recapitulasset.

Quæ allata velim, non ut Basilidis, Marcionis, Manetis, et similium monstrorum hæreses iam extinctæ impugnentur: sed ut Christi erga nos benevolentiam, Deiparæ dignitatem, corporis nostri nobilitatem videamus: et amore Christum, veneratione Virginem, castitate corpus honoremus.

32. Tertio, præceptum Dei impositum Christo fuisse aperit ipse Christus: dum subdit, v. 8. IN CAPITE LIBRI SCRIPTUM EST DE ME, UT FACEREM VOLUNTATEM TUAM: DEUS MEUS VOLUI (venire, ut facerem voluntatem tuam) ET LEGEM TUAM IN MEDIO CORDIS MEI, supple, volui: habere scilicet.

Vers. 8. 2. Pars. Vers. 9. 1. Pars.

Nota, pro *in capite libri*, Hebraice est במגלת ספר *bimghillath sepher*, quod primo, S. Hieron. Pagnin. Felix, Vatablus, Campensis vertunt, *in volumine libri*. Secundo, Aquila vertit ειλημα, id est, involucrum, convolutio. Tertio, alii in scholio Græco reddunt, τομον, id est, tomum. Quarto denique, Septuaginta, et ex illis S. Paulus Hebr. 10. vers. 7. εν κεφαλιδι βιβλιου, hoc est, *in capite libri*, seu, ut vertit S. Hieron. in cap. 29. Isaiæ, *in capitulo libri*. Hebræis enim, et aliis multis populis in usu erant loco librorum longæ membranæ, quas in cylindrum convolvebant et complicabant ad caput, vel initium libri: hoc est, membranæ: unde vox Latina *volumen* pro libro sumitur: et umbilicus dicebatur lignum, circa quod chartæ volvebantur: quia erat in earum medio. Cum vero chartas illas legere cupiebant, eas revolvebant et explicabant, sicut nos nunc tabulas geographicas, quas mappas mundi vocamus; aut veteres titulos familiarum, et regum statuta in charta pergamena longiore convoluta. Hinc מגלה *meghilla*, significat primo voluminis seu libri caput et initium, circa quod totius libri chartæ volvebantur. Secundo, ipsum librum et volumen, quod sic volvebatur. Nonnulli, ut refert Genebrardus, putant Septuaginta Interpretes accepisse *meghilla* e significatione *gulgoleth*, quod cranium seu caput significat: unde Golgotha mons Calvariæ dictus est. Ab eadem enim radice derivantur: nempe o *galal*, volvere, revolvere, circuire. Sed *gulgoleth* semper sumitur pro hominis capite: quia est rotundum, et in seipsum convolutum; *meghilla* autem pro volumine, seu libro convoluto vel convolubili. Unde aliqui hic reddunt, *in libro plicabili, in membranis plicabilibus*.

33. Quæres, in cuius libri capite scriptum est, Christum venturum ut faciat voluntatem Patris sui? Resp. librum illum esse librum divinæ præscientiæ et prædestinationis: ita Raynerius, et alii. Probatur hæc sententia, Primo, quia hic liber vitæ in Deo ponitur Ps. 68. 29. Dan. 12. 2. Luc. 10. 20. Philipp. 4. 3. Apocalyp. 20. 15. et 21. 27. In eius libri capite et initio scriptus est Christus, et ea quæ de ipso sunt, cum sit Primogenitus in multis fratribus, Rom. 8. 29. *Primogenitus omnis creaturæ*. Coloss. 1. 13. in ipso condita sint universa. Coloss. 1. v. 16. Secundo probatur, quia hic agitur de præcepto quod datum est Christo, vi cuius motus est ad veniendum ut faceret voluntatem Patris. Hoc autem præceptum est in mente divina, et ibi innotescit Christo perfectius quam in Scriptura. Tertio denique, Hebraicæ voces, *in volumine libri*, seu *in libro involuto et clauso*, huic sententiæ favent. Nam liber vitæ, in quo scripta sunt nomina prædestinatorum clausus est: quia non potest hoc tempore legi ab ullo homine. Hæc sententia mihi maxime arridet. Symmach. favet, qui vertit: *In volumine definitionis tuæ scriptum est*.

In quo libro scripta est futura Christi incarnatio?

I. Et optime, in libro divinæ prædestinationis.

II. Secunda tamen sententia probabilis est et communissima, per illum librum intelligendam esse sacram Scripturam, quæ absolute et per excellentiam ab Hebræis vocabatur liber, seu volumen, quia complicatur: sicut etiamnum Iudæi legem suam in synagogis complicant, in corticis morem.

Et probabiliter, in sacra Scriptura.

I. In Genesi.

Primo igitur, per *caput libri* accipitur liber Genesis: ita S. Hieron. Procopius, Iansenius, Riber. et alii. Sed in hac explicatione est adhuc varietas. Primo, enim S. Ambrosius, S. Hieron. S. Isidorus exponunt de primis verbis Genesis; scilicet, *In principio creavit Deus cælum et terram:* ubi το *in principio* explicant, in Christo Domino. Secundo, Riber. *caput libri* ait esse cap. 2. Gen. ubi scriptum est de Christo et Ecclesia in sensu allegorico, *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea.* Nam sicut ex latere dormientis Adæ ædificata est Eva, ita postea ex latere Christi dormientis in cruce ædificata est Ecclesia: cum sanguis et aqua ex eo fluxerunt: in quibus duo maxima Sacramenta, scilicet Baptismus et Eucharistia, figurata sunt. Unde Paulus hæc Genes. verba citans ad Ephes. 5. et allegorice explicans, ait: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Tertio, *caput libri* sumit Ians. cap. 4. Genes. ubi agitur de interfectione Abel. Quarto denique, Procop. in c. 23. Gen. censet hic innui mactationem arietis pro Isaac: id est, corporis Christi, non deitatis. Mallem indicari cap. 3. 4. ubi Deus maledicens serpentem ait: *Inimicitias ponam inter te et mulierem: inter semen tuum, et semen illius, et ipsa conteret caput tuum*, per se videlicet ac per semen suum. Sed in his omnibus nullum est præceptum, vi cuius venerit Christus in hunc mundum.

Secundo, Pint. *capite libri* exponit de Levit. qui est, liber sacerd. et continet præcepta de omnibus sacrificiis, in quibus figurabatur mors Christi. II. In Levit.

Tertio, Ians. *capite libri* ait esse Deut. quod c. 10. 12. dicatur: *Et nunc Israel, quid Dominus Deus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum*, etc. Theophyl. in cap. 10. epist. *ad Hebr. capite libri* accipit lapideas tabulas legis, vel initium Genesis. III. In Deut.

Quarto, *caput libri*, id est Scripturæ, sumit Pineda in cap. 11. Iobi v. 13. de toto Pentateucho: id est, de quinque libris a Mose conscriptis, qui libri legis etiam vocantur: nempe de Genesi, Exodo, Levitico, Numeris et Deuteronomio, qui sunt in principio totius Scripturæ positi, et primi omnium compositi, si forte excipias librum ipsius Iobi. IV. In toto Pentateucho.

Quinto, S. Augustinus hic ait *caput libri* esse initium Psalmorum, sive Psalmum 1. qui incipit, *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, sed in lege Domini voluntas eius, et in lege eius meditabitur die ac nocte.* Quod licet omnibus iustis, Christo tamen præsertim convenit. Idem sentiunt S. Thomas, Cassiodorus, Haymo, Ruffin. Trevetus, et alii. V. In Psalmorum initio.

Sexto, Lindanus *caput libri* arbitratur accipiendum esse de libris sacris Prophetarum. Hi enim sæpe de Christo agunt, et totam œconomiam incarnationis prædicunt et exponunt: ita etiam censent S. Chrys. S. Basil. Euth. Theodoret. et Niceph. VI. In libris Prophetarum.

Septimo, S. Chrysost. hom. 2. *caput libri* ait esse initium Evangelii S. Ioan. ubi aperte habetur cap. 1. v. 1. *In principio erat Verbum*, etc. ac postea v. 14. *Et Verbum caro factum est:* ita etiam S. Hieron. in tradition. Hebr. Sed Evangelium S. Ioannis necdum erat scriptum tempore Davidis. VII. In principio Evangelii S. Ioannis.

Octavo denique et optime, si per librum Scripturam intelligis, per *caput libri* sume summam legis, hoc est, totum pentateuchum et reliquam universam Scripturam. Hæc enim tota scopum sibi et finem præfigit Christum, atque ad eum tota ordinatur. Unde a S. Paulo dicitur Roman. 10. 4. *Finis legis, Christus.* Finis, id est, perfectio et consummatio; quia quod lex non potuit, nempe hominem iustificare, hoc fecit Christus: ita S. Chrysostom. et Photius; 2. finis, id est, scopus: ita Syrus: quia tota lex ad Christum, velut ad finem, terminum, et scopum suum refertur, tendit, ducit et vocat: ita S. Athanas. Euseb. Pintus, Iansenius, et alii. VIII. In tota Scriptura.

Quæres, an præceptum fuerit impositum Christo? Respondeo primo, de fide est, quod nullum præceptum potuit imponi Verbo, ut incarnaretur: quia præceptum est superioris ad inferiorem. Verbum autem est æquale prorsus Patri, et Pater nullo modo est ipsius superior. Resp. 34.

An præceptum Christo impositum?

secundo, Christum hominem proprie et vere fuisse capacem præcepti, quoad vim directivam eius, et obligationem faciendi quod lex præcipit: et vitandi, quod prohibet. Sexta Synodus actor. 7. in definitione fidei, definit duas esse in Christo voluntates non contrarias: quia voluntas humana non resistebat, nec reluctabatur, sed subiecta erat divinæ voluntati: *Oportebat enim*, inquit, *carnis voluntatem moveri, subiicique voluntati divinæ, iuxta sapientissimum Athanasium.* Deinde probatur ratione, quia voluntas Christi humana, non erat sibi regula suorum actuum: habebat enim superiorem, a quo poterat dirigi et gubernari. Secundo, Christus ut homo erat subiectus Patri. Tertio, ex Psal. nostro probatur. Cum enim dicat, *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam:* illam voluntatem appellat legem, subdit enim: *Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei.* Ubi autem est lex, est superior eam sanciens, et subditus qui tenetur obedire.

35. Cui legi Christus subiectus? Quæres secundo, cui legi subiectus fuit Christus? Respondeo primo, nullis humanis legibus fuisse subiectum, quia Christus in sua humanitate habuit dominium, et ius superioris ordinis super omnes homines, per potestatem excellentiæ. Resp. secundo, Christus non fuit subditus illis divinis legibus positivis, quæ pro universa Ecclesia, aut pro populo Israelitico datæ sunt: ita docet S. Thom. 3. p. q. 37. artic. 3. et 4. Soto etiam in 4. dist. 2. q. 1. art. 3. in fine: quia, inquit, Lex data est populo Iudæorum pro se, et sua posteritate, sub qua solum comprehenduntur posteri, qui via ordinaria, et per seminalem rationem a progenitoribus descendunt. Sicut præceptum datum Adæ pro se, et posteritate sua in illo, velut in capite contenta non comprehendit Christum, sicut nec transgressio eius: quia Christus non continebatur in Adamo secundum seminalem rationem, sed solum secundum corpulentam substantiam. Respond. tertio, Christus subditus erat legi Dei æternæ, et naturali, ut docet S. Thomas 1. 2. qu. 93. art. 4. ad 2. tenebatur enim Deum amare, non mentiri, et vitare ea omnia quæ intrinsece mala sunt. Resp. quarto, *legem*, de qua agitur in Psalmo, esse legem seu præceptum de morte subeunda, et hominibus redimendis. Habuit enim Christus verum et proprium præceptum redimendi genus humanum per passionem et mortem suam: ita docet S. Thomas 3. p. q. 47. art. 2. ubi declarat, quomodo fuerit traditus a Patre ad mortem. Et 1. p. quæst. 41. art. 6. ad 2. Ratio est, quia Christus ut homo fuit capax præcepti, et Scriptura dicit illi esse impositum. Ipse enim ait Ioan. 10. 18. *Hoc mandatum accepi a Patre meo.* Cap. 14. 31. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Cap. 15. 10. *Patris mei præcepta servavi*, quæ omnia proprie accipit S. Augustinus tract. 79. in Ioannem. Lib. 13. de Trinitate cap. 14. et quæst. 55. super Deuteronomium; quibus locis interdum vocat hoc mandatum *Patris voluntatem:* non quia proprium præceptum non sit, sed quia ita loqui solemus de superioris præcepto, dicentes hanc esse superioris voluntatem. Et eodem modo loquitur Christus, cum dicit cibum suum esse, *ut faciat voluntatem Patris*: id est, ut sanctificationem nostram operaretur, sicut sibi erat a Patre præscriptum, sicut exponit S. Gregor. Nyssen. libro de beatitudinibus, circa illud, *Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam:* ita Suar. tom. 1. in 3. p. disputat. 43. qui id confirmat principaliter ex loco S. Pauli Philipp. 2. 1. *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Non est autem propria obedientia, nisi ubi est præceptum, quod est veluti formale obiectum eius. Hinc autem non fuisse Christi libertatem imminutam docet Vasq. tom. 1. in 3. p. disput. 74. cap. 5. Nam substantia tantum actus erat imperata, et adhuc Christo liberum restabat, hoc vel illo affectu rem exequi, hoc vel illo actu in individuo, talis vel talis intentionis.

36. Vers. 9. 2. Pars. Quarto denique, obedientiam voluntatis habuit Christus: hoc est, voluntarie, libenter, non coacte, non repugnante voluntate Patri obedivit in Redemptione generis humani per passionem et mortem suam. Hoc ait v. 9. hic: A DEUS MEUS VOLUI, (supple facere voluntatem tuam) ET LEGEM TUAM IN MEDIO CORDIS MEI, supple, volui; ibi eam amavi, et tenui, atque colui, q. d. Omni studio legem tuam meditor, omni amore prosequor, omni cura exerceo, nihil mihi charius et optatius, nihil apud me firmius et certius: quia quod medium est in qualibet re, huiusmodi est, inquit Beda: ingero legem tamquam degustatum cibum vitalem et suavissimum, in intima. Christus cibum suum appellavit voluntatem Patris, Ioan. 4. v. 34. Desiderio desideravit manducare Pascha, Luc. 22. v. 15. in quo constitueret sacrificium novum incruente, mox idem perfecturus cruente: triumphus quem egit paucis diebus ante, Ioan. 12. vers. 12. Sitis quam se pati in cruce dixit, Ioan. 19. v. 28. coarctatio etiam ad ebibendum calicem mortis. Luc. 12. v. 50. ardorem eumdem indicabant: sicut et quod sponte processit et prodiit ad eos qui accedebant, ut in horto, in quem etiam locum bene illis notum se contulerat, ipsum comprehenderent, Ioannis 18. v. 4 Ita Lorinus, et bene. Vide dicta Psal. 53. B v. 8. *Voluntarie sacrificabo tibi.* Hebr. בנדבה *bindaba*, id est, cum munificentia, ut vertit Felix; in devotione, ut Arias; liberaliter, ut Campensis; omni cum studio, ut Lindanus. Isa. 53. vers. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Hebraice est, accessit, quia ipse respondit: Deo scilicet vocanti. Sic in Psalmo nostro habetur: *Tunc dixi: ecce venio.* Galat. 2. vers. 20. *Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* Ioan. 10. v. 18. *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam: nemo tollet eam a me, sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam.* S. Bernardus utrumque locum contemplans serm. 4. hebd. pœnosæ: *Fidelis sermo*, ait, *et omni acceptione dignus: quia enim voluit, oblatus est, non modo voluit, et oblatus est, sed quia voluit: solus nimirum potestatem habuit ponendi animam suam. Nemo enim abstrahit ab eo.* Tantoque ardore Christus ad Patris voluntatem explendam ferebatur, ut labores omnes pro deliciis computaret. Tertullian. lib. de patientia, cap. 3. *Saginari voluptate patientiæ discessurus volebat, despuitur, verberatur, irridetur, fœdis* C *vestitur, fœdioribus coronatur.* S. Cyrillus Alexandrinus lib. 10. in Ioannem cap. 21. Illa, inquit, opprobria delicias sibi esse putabat. S. Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 285. Ipse, ait, sponte ad patiendum se conferebat: ut et mortem extingueret, et diaboli nervos confringeret: eum autem qui laudibus ac plausu dignus erat, illæ fletu ac lacrymis prosequebantur: ita Isidorus. S. Petrum quem caput Ecclesiæ constituere volebat, et cæli clavigerum, vocat satanam, id est, adversarium, cum a passione toleranda vult revocare, Matth. 16. v. 23. *Vade post me satana, scandalum es mihi* (Syrus, offendiculo es mihi) *quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.* Luc. 12. v. 50. ait: *Baptismo habeo baptizari* (est græcismus: id est, baptizandus sum, baptismo scilicet sanguinis) *et quomodo coarctor usque dum perficiatur*, q. d. Ita desidero mori pro salute hominum, ut amor meus ad id impellens arctetur, et in angustias nimias constrictus exundare cupiat ex canali cordis plenissimo, et sese ad omnes homi- D nes mundandos extendere. Crucior ob ardens desiderium moriendi pro hominibus. Arabs vertit: Ego coarctor ad perficiendum. Theophylactus, premor donec perficiatur.

Christus habuit obedientiam voluntatis.

Nota, pro *in medio cordis mei*, Hebraice est, *in medio* מעי *meai*, id est, *viscerum meorum.* Pagninus, intestinorum meorum. Est synecdoche; totum enim ponitur pro parte: nempe viscera pro corde, quod est præcipuum ac veluti rex viscerum. Viscera enim sunt interiores pectoris partes ac ventris, ut cor, pulmo, iecur, lien: imo caro ipsa, quæ est inter ossa et cutem. Secundo, S. Hieronymus et Psalt. Ambr. habent, *in medio ventris mei.* Tertio, Camp. *in penetralibus pectoris mei.* Quarto denique, Septuag. Noster, Psalt. Æthiopicum, *in medio cordis mei.* Arabs, *intra cor meum.* Sit itaque tibi lex Dei, 1. intima, et in penetralibus fixa; 2. tenere et visceraliter amata; 3. sparsa per omnes pectoris, ipsiusque ventris partes, ut omnes in officio suo contineat. Obiter autem adverte, apud Hebræos ventrem sumi pro tota cavi-

tate, quæ est a collo ad inguina. Hæc etiam ad animum referri debent, ut facit S. Ambros. hic. Est, ait, venter et mentis, qui semina concipit sensuum, de quo Isaias cap. 26. 18. *In utero accepimus et parturivimus spiritum salutis.* Hoc utero parturivit et Paulus, Galat. 4. 19. *Filioli mei, quos ego parturio, donec formetur Christus in vobis:* ita Ambrosius.

37. Christus passus est ex obedientia.

Moral. nota, conveniens fuit Christum pati ex obedientia, ut docet S. Thom. 3. p. q. 57. art. 2. Primo quidem, ait, quia hoc conveniebat iustificationi humanæ: sicut per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ut dicitur Rom. 5. Secundo, hoc conveniens fuit reconciliationi Dei ad homines: unde dicitur Rom. 5. 10. *Reconciliati sumus Deo per mortem filii eius*, in quantum scilicet ipsa mors Christi fuit quoddam sacrificium acceptissimum Deo, secundum illud Ephes. 5. *Tradidit seipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* Obedientia vero omnibus sacrificiis antefertur, secundum illud 1. Reg. 15. 22. *Melior est obedientia quam victimæ.* Tertio, hoc conveniens fuit eius victoriæ, quæ de morte et auctore mortis triumphavit. Non enim miles vincere potest, nisi duci obediat, et ita homo Christus victoriam obtinuit pro hoc, quod Deo fuit obediens, secundum illud Prov. 21. 28. *Vir obediens loquetur victorias:* ita S. Thomas. Tu imitare ducem tuum, et quidem voluntarie. Lege S. Bernard. serm. 3. de purificatione Mariæ, et S. Ignatii epist. ad Romanos, ubi ardentissimum pro Christo patiendi desiderium declarat.

ARTICULUS III.

Christi prædicatio fuit admirabilis.

Christus exposita sua obedientia in tota incarnationis œconomia, aperit qua ratione gloriam patris sui concionibus per se suosque amplificaverit. Tria autem exponit, 1. modum concionandi; 2. materiam concionis; 3.
Vers. 10 locum. Dicit enim, v. 10. ANNUNTIAVI IUSTITIAM TUAM IN ECCLESIA MAGNA, ECCE LABIA MEA NON PROHIBEBO: DOMINE TU SCISTI.

Vers. 11. Et vers. 11. IUSTITIAM TUAM NON ABSCONDI IN CORDE MEO: VERITATEM TUAM ET SALUTARE TUUM DIXI. NON ABSCONDI MISERICORDIAM TUAM, ET VERITATEM TUAM A CONCILIO MULTO.

38. Septem virtutes Christi concionantis. 1. Prudentia.

Primo itaque modus declaratur. Christus enim per se, suosque concionatus est. Primo, cum prudentia et perspicuitate, *Annuntiavi.* S. Ambros. S. August. et Cassiodor. *bene nuntiavi.* Deus, magis attendit adverbia, quam verba. Non tam curat quid fiat, quam quomodo fiat.
2. Alacritas. Secundo, Christus concionatus est cum alacritate et lætitia, ob felix nuntium quod affert. Græce ευαγγελισαμην, Evangelium, id est bonum atque iucundum et prosperum nuntium attuli.
3. Humilitas. Tertio, cum humilitate declarans suam exinanitionem et humiliationem per incarnationem. Hebr. בִּשַּׂרְתִּי *bisarthi*, id est nuntiavi, sæpe ponitur quando prædicitur felix nuntium dandum per Verbum quod caro factum est, ut Ps. 95. 2. Isaiæ 40. 9. et aliis locis. Nam *basar* significat carnem. Vide Maldonatum in prolegom. cap. 1. et Barrad. tom. 1. lib. 1. cap. 17. ubi inter cætera dicit, forsitan a *basar;* id est carne, deduci verbum *bisser*, q. d. Mollia, carni placentia, et suavia nuntiare: sed melius hoc loco dixeris, significare, nuntio suavissimam et sanctificantem omnem carnem, Christi scilicet hominis Dei. Hinc בשור *besur* significat incarnationem: et בשורה *besora*, Evangelium. Item, sacrificium quod bono accepto nuntio offerebatur in gratiarum actionem. Præterea, mercedem vel donum quod afferenti bonum nuntium dari solet. Christus a nobis cor nostrum reposcit: tu illi ne denega, se totum tibi prodige donanti.
4. Spes. Quarto, Christus concionatur expectans fructum a te, et tibi necessaria offerens. Syr. habet שברת *sabbarth*, id est primo, nuntiavi, evangelizavi; secundo expectavi, speravi, confidi; tertio, iudicavi, opinatus sum, solers fui; quarto, portavi, sustentavi, alui. Christus est bonus agricola expectans fructum in patientia;
5. Charitas. quinto, concionatus est cum charitate; unde addit: *Ecce labia mea non prohibebo*, sunt labia distillantia myrrham primam, et illam distillare cupientia nisi prohibeantur: os Christi est fons semper patens domui David, id est Ecclesiæ et animæ fideli. Ioan. 15. v. 15. ait Apostolis: *Vos dixi amicos, quia omnia quæ audivi Patre meo, nota feci vobis;*
6. Audacia, et mentis fortitudo. sexto, concionatus est cum libertate. Hinc adiicit, v. 11. *Iustitiam tuam non abscondi in corde meo.* Caiphæ Pontifici ait Ioan. 18. 20. *In occulto locutus sum nihil;*
7. Constantia. septimo denique, concionatus est cum assiduitate et constantia. Hinc addit: *Non abscondi misericordiam tuam.* Hæc repetitio quintuplex, 1. annuntiavi; 2. labia non prohibebo; 3. non abscondi; 4. dixi; 5. non abscondi, denotat frequentiam et perseverantiam in concionibus. Item varietatem et multitudinem pagorum, urbium, provinciarum, regnorum, nationum: quibus et ipse Christus et Apostoli evangelizarunt. De ipso habes Matt. 4. 23. *Circuibat Iesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni,* (id est lætum nuntium de regno cælorum) *et sanans omnem languorem* (Græc. νοσον, id est ait Euthym. morbum iam habituatum atque radicatum, etiam insanabilem) *et omnem infirmitatem in populo*, tam corporalem quam spiritualem. Et cap. 9. 35. *Circuibat Iesus omnes civitates et castella* (id est arces et oppida) *docens in synagogis eorum.* Cor eius erat cælo latius, dignius et fœcundius, rorem divinum omnibus per os effundebat, ut omnes vivificaret. Apostolis ait Marc. 16. 15. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ*, id est omnibus hominibus. Est synecdoche. Genus enim dicitur de nobilissima specie, nempe creatura de homine. Adde, quod qui hominem per verbum Dei sanctificat, creaturam omnem lætificat, ornat et conservat, atque liberat ab incommodis, quæ ipsi oriuntur propter hominum peccata. Effectus concionum suarum varios declarat Christus Luc. 4. 18. *Evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, et cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, et diem retributionis.* Per Apostolos suos, qui iure eius labia vocantur, id etiamnum præstat. S. Gregorius Nyssen. oration. de occursu S. Paulum vocat, θεοληπτον νουν, mentem a Deo raptam. Et χριστοκινητον γλωσσαν: linguam quæ a Christo moveretur. Clem. Alexand. lib. 5. S. Thomas ait, concionatorem esse αγαλμα εμψυχον κυριυ, Dei animatam imaginem, ob symbolum, signumve potestatis: et, κατα το κηρυξεως ομοιωμα, ob similitudinem prædicationis. Hinc tam admiranda fiunt in conversionibus animarum, sicut cognitum est in obstinati Philosophi conversione per imperitum, sed sanctum, senem, cum prius eruditissimorum rationes elusisset. Rationem porro conversionis suæ Philosophus ipse hanc attulit, quod Deus in illo sene esset locutus. Ruffin. lib. 1. cap. 2. sic refert eius verba: *Audite, ait, o eruditi viri, donec verbis gesta res est, verba verbis opposui, et quæ dicebantur, dicendi arte subverti: ubi vero virtus ex ore dicentis processit, non potuerunt resistere verba virtuti, nec homo adversari potuit Deo. Et ideo si quis vestrum potuit in his quæ dicta sunt ea sentire quæ sensi, credat Christo, et sequatur hunc senem, in quo locutus est Deus.* Hinc collige, Primo, si aliorum es doctor, ut dignum te exhibeas, cuius ore loquatur Deus. Secundo, si auditor et discipulus es, in patre, superiore, concionatore, prælato loquentem Deum contemplare, eumque sequere. Cresol. lib. 3. Mystag. ait, difficile esse statuere, an potius dicendum sit, Deum in Ecclesiaste, an Ecclesiasten in Deo verba facere. S. Hieronymus in cap. 5. ad Galatas: Quid, ait, tam opus Dei quam Scripturas legere, in Ecclesia prædicare? S. Aug. serm. 24. de verbis Apostoli vocat Deum concionatorem mundi. Ierosolymis templum erat situm in monte Moria, ut Deus doctor ibi reddens sua oracula audiretur et coleretur. Moria enim deducitur a מורה *more*, id est docens et pluvia, et יה *iah*, id est Deus, q. d. Docens Deus: vel pluvia Dei; vel a מורה *mora*, id est timor, q. d. Timor Dei. Hæc doctrina Dei sublimis est, cælestis, illuminati-

va et splendoris plena. Moria volunt nonnulli significare excelsum. Unde Genes. 22. 2. ubi in Hebræo est, *vade in terram Moria*, verterunt Septuag. vade in terram excelsam. Noster Interpres, *in terram visionis*. Chald. in terram divini cultus. Ut bene Deum colas, opus est visione et contemplatione, quæ habetur per lucem Dei. S. Hier. ait, Moria significare illuminantem et lucentem: quia est ibi *Dabir*: id est oraculum Dei, et lex, et Spiritus sanctus, qui docet homines veritatem.

39. Materia concionum Christi. Secundo, materia concionum explicatur, 1. Iustitia Dei; 2. veritas; 3. salutare Dei; 4. misericordia. *Annuntiavi iustitiam tuam in Ecclesia magna: veritatem tuam et salutare tuum dixi. Non abscondi misericordiam tuam.* Hæc sunt illa quatuor in Ps. 84. 11. posita: *Misericordia et veritas obviaverunt sibi: iustitia et pax osculatæ sunt.* Vide illum locum. Ugo Cardin. in Ps. nostr. Prædicare, ait, debemus iustitiam, ut opere perficiatur: veritatem, ut credatur: salutare, ut diligatur: 1. respicit fidem; 2. spem; 3. charitatem. Iustitia prædicanda est iniustis, veritas ignorantibus, salutare desperantibus. Et in Ps. 17. in v. 13. *Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt, grando et carbones ignis;* idem Ugo ait: Apostolos esse nubes, de quibus Isaias 60. 8. *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* Earum fulgor orbem illuminat. Dan. 12. 3. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Modus prædicationis ibi declaratur quadruplex: Primo, aspere increpando, quod notatur eum dicitur *grando*. Secundo, ad amorem inflammando; unde dicit, *carbones ignis*. Ierem. 23. 29. *Numquid non verba mea sunt quasi ignis ardens*: ecce inflammatio: *Et sicut malleus conterens petras?* Ecce asperitas increpationis. Et Ps. 144. 6. *Virtutem terribilium tuorum dicent:* Ecce increpatio. *Memoriam suavitatis tuæ eructabunt:* Ecce accensio amoris. Tertio, consistit modus prædicationis Apostolorum in comminatione pœnarum æternarum, quod notatur cum subdit: *Et intonuit*, comminando, *de cælo*, id est de Apostolis, *Dominus*. Nam ait illis Matth. 10. 20. *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Tonitruo autem terribiliter comminatur. Ps. 103. 7. *A voce tonitrui tui formidabunt.* Ecclesiast. 43. 18. *Vox tonitrui eius verberavit terram*, id est, terrenos. Tonitru non fit ex igne solum: nec ex nube solum: quia oportet quod prædicatores habeant duo, 1. ignem, scilicet iram, per zelum; 2. nubem aquosam, id est compassionem. Ignis sine nube videtur potius indignatio aut odium, quam prædicatio. Nubes sine igne, remissio Unde S. Gregor. in Pastorali: *Curandum quippe est, ut rectorem subditis, et matrem pietas, et patrem exhibeat disciplina: atque inter hæc sollicita circumspectione providendum, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa. Nam misericordia aut disciplina multum destituitur, si una sine altera teneatur. Sed erga subditos inesse rectoribus debet, et iuste consulens misericordia, et pie sæviens disciplina. Hinc namque est quod docente veritate, per Samaritani studium semivivus in stabulum ducitur, et vinum atque oleum eius vulneribus adhibetur: ut per vinum scilicet mordeantur vulnera: per oleum foveatur.* Quarto, Apostolorum est leniter comminari et exhortari per exempla, rationes, auctoritates: unde dicit: Et Altissimus dedit vocem suam: ita Ugo, qui postea subdit: Admonitio consistit in tribus: Primo, Inscios bene instruere. Galat. ult. 1. *Instruite in spiritu lenitatis.* Secundo, deviantes leniter corripere. 2. Thessalon. 3. 15. *Nolite quæso inimicum illum existimare, sed corripite ut fratrem.* Tertio, desolatos pie consolari. Isa. 41. *Consolamini, consolamini populo meus, dicit Dominus vester.*

40. Concionator debet quatuor populo annuntiare. Hæc autem omnia fiunt proposita in concionibus Iustitia Dei, veritate, pietate, et misericordia: ea præsertim quam Christus in vita et morte exhibuit, et hominibus aperuit. Primo enim, summa Dei Iustitia apparet, qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Secundo, veritas, seu veracitas et fidelitas in promissis per Prophetas. Tertio, pietas parentis optimi erga filios captivos, eos a captivitate redimendo, et a morte salvando. Quarto denique, misericordia erga peccatores. Eam prædicat Deipara, Luc. 1. 50. et 54. ubi statim addit v. 55. veritatis in promissis servandis mentionem, dicens: *Sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham et semini eius in sæcula.* Zacharias item pater S. Ioannis Baptistæ fuse meminit misericordiæ et veritatis divino in suo cantico, quod cecinit nato filio suo præcursore Christi, Luc. 1. 46. Simeon vero Luc. 2. 34. iustitiæ et misericordiæ mentionem facit, cum ait Deiparæ de Christo loquens: *Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum, cui contradicetur.* Vide quæ dixi Ps. 100. 1. in illud: *Misericordiam et iudicium cantabo tibi Domine.*

Primo autem, concionator debet annuntiare Dei iustitiam, ut peccatores terræ affixos concutiat, et virgam vigilantem aspicere ac timere compellat. Hinc Christus ait, *Annuntiavi iustitiam tuam*, id est Evangelium tuum, vel misericordiam tuam. Ita Lorinus, sed non placet. Itaque iustitiam sumo in propria significatione. Hanc vero Christus nuntiavit terrens peccatores, eisque parata supplicia ostentans: Item consolans iustos, et mercedem illis paratam in memoriam revocans. Unde hic duplicis iustitiæ meminit: *Annuntiavi iustitiam tuam.* Item, *Non abscondi iustitiam tuam.* Annuntiavit iustitiam punientem sceleratos: non abscondit præparantem thesauros. De prima dicit 1. Pharisæis Luc. 11. 42. *Væ vobis Pharisæis;* 2. Scribis et Doctoribus, v. 52. *Væ vobis Legisperitis;* 3. Iudæis omnibus, Matth. cap. 21. v. 43. *Auferetur a vobis regnum Dei* (Ecclesia, quia in illa Deus regnat in fidelibus per fidem et gratiam) *et dabitur genti facienti fructus eius.* Hoc explicuerat illis per tres parabolas, seu similitudines, 1. de duobus filiis, uno obediente, altero inobediente; 2. de vinea, cuius coloni occiderunt servos et filium heri; 3. de lapide reprobato qui factus est in caput anguli. De secunda Dei iustitia, id est de ea qua mercedem dat iustis, ait statim initio prædicationis, Matth. 4. 17. *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum.* Quod erat Christi morte aperiendum. S. Chrysost. hom. 9. in epist. 2. ad Timotheum docet tria esse prædicationis officia: nempe arguere errantes, obsecrare iustos, increpare sceleratos. Et homilia quadam ad populum dicit, concionatores qui abiecte assentantur, aut iucunda cuique loquuntur, citharædis potius quam concionatoribus esse similes, eosque miseros, infelices, et proditores appellandos. Illis quidem maledicit Deus, Ezech. 13. 18. *Væ quæ consuunt pulvillos sub omni cubito manus: et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas.* S. Gregor. 18. Moral. 4. Quisquis, inquit, male agentibus adulatur, pulvillum sub capite, vel cubito iacentis ponit: ut qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter quiescat. S. Hieron. ad Eustoch. epist. 19. *Quoniam*, ait, *mel in Dei sacrificiis non offertur, nimia dulcedo arte mutata est; et quadam, ut ita dicam piperis austeritate condita. Apud Deum enim nihil voluptuosum, nihil tantum suave placet, nisi quod in se habet mordacis aliquid veritatis.* — I. Dei iustitiam.

Secundo, concionator debet annuntiare populo veritatem Dei in promissis servandis. Hinc adiungitur, vers. 11. VERITATEM (S. Hier. fidem, id est fidelitatem; Campens. constantiam in promissis) TUAM, ET SALUTARE TUUM DIXI. Deut. 7. 9. Deus vocatur fortis et fidelis, cogitationes eius vocantur fideles. Isaiæ 33. 16. testimonium Domini fidele. Ps. 18. 8. fidelia omnia mandata eius. Psal. 110. 6. Christus ipse vocatur testis fidelis. Apocal. 1. 5. et sacerdos fidelis, 1. Reg. 2. 35. *Suscitabo mihi sacerdotem fidelem.* De Samuele id accipit S. August. lib. 17. de Civitate Dei, cap. 4. et S. Hier. in 1. ad Corinth. 1. Sed Samuel non fuit Pontifex, sed tantum Iudex populi, eius enim tempore Pontifex erat Achias abnepos Heli. Secundo, ad litteram sacerdos fidelis fuit Sadoc, quem Salomon creavit Pontificem loco Abiathar, qui erat ex posteris Heli. Tertio, alleg. sacerdos fidelis fuit Christus; ita S. Aug. 17. de Civitate Dei, cap. 4. S. Gregor. et alii. — 41. Vers. 11. 2. Pars. II. Dei veritatem annunciet concionator.

Sunt qui veritatem hic sumant de veritate fidei et eorum quæ docuit Christus, qui ait Ioann. 18. 37. *Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhiberem veritati*: Id est, prædicem veritatem Evangelicam, quæ consistit, 1. in cognitione Dei; 2. in cognitione incarnationis Verbi; 3. in cognitione veræ beatitudinis. Menander dicebat: Veritas cæli civis est, et solo fruitur convictu Deorum. S. Aug. cum ait: Iesus veritati testimonium perhibet: ipse enim est veritas. Christus de se ait, Ioan. cap. 14. *Ego sum via, veritas, et vita.* Ubi idem sanctus Doctor: *Ambulare vis,* inquit, *Christus est via. Falli non vis, Christus est veritas. Mori non vis, Christus est vita. Illum quære, illum ama, illum posside.* S. Anselm. in cap. 1. Matth. Incarnatio Christi, ait, fuit nobis stella in mari, et lux in tenebris, per quam incarnationem natus est Iesus, qui ducet nos in terram repromissionis. Apocal. 1. 14. de Christo dicitur: *Et oculi eius flamma ignis:* Ut enim ait Richardus a S. Victore in eum locum: *Flamma ignis lucem et calorem tribuit, terrorem incutit et exurit. Oculi igitur eius flamma ignis sunt: quia electos respiciens illustrat luce sapientiæ, calefacit amore iustitiæ: reprobos autem respiciens terret ferocitate comminationis, et incorrectos exurit igne damnationis.*

Hæc veritas hominibus est annuntianda, his præsertim temporibus, ubi mendacium ita invaluit, et contenta voce inclamandum est cum Davide Ps. 4. 3. *Fili hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* Sed animus in cælum erigendus est, ubi Christus prima et summa veritas est, et in veritatis ac lucis regno dominatur. Michael Baudier in præfat. histor. Turc. refert, quosdam veteres, qui plures mundos constituerent, in eorum interstitio medio credidisse latam esse, vastamque planitiem velut commune omnium altare, eamque planitiem, et aream veritatis nuncupasse, quando omnia quæ in tanta mundorum multitudine gererentur, ibi innotescerent. Orbe excat oportet, qui veritatem nunc ne in fundis quidem puteorum extantem velit agnoscere: et in Christo uno abstrusam intueri. Iste est qui illuminat omnem hominem.

42. Vers. 11. 3. Pars. III. Dei pietatem. Tertio, concionator debet annuntiare populo pietatem Christi salvatoris, in redemptione generis humani: ET SALUTARE TUUM DIXI. *Salutare*, id est Salvatorem, hoc est me ipsum qui homines salvavi: ita Genebrardus et Raynerius; 2. salutare, id est salutem per me datam; ita Felix, Pagninus et alii. De Christo ait S. Paulus 1. Cor. 1. 30. *Factus est nobis sapientia a Deo, et iustitia et sanctificatio, et redemptio.* S. Bern. serm. 22. in Cantic. id sic explicat: *Christus factus est nobis sapientia in prædicatione, iustitia in absolutione peccatorum, sanctificatio in conversatione, quam habuit cum peccatoribus, redemptio in passione, quam sustinuit pro peccatoribus.* Lege cætera. S. Chrysost. homil. 2. in eamdem Epistolam ait, corpus Christi salutares emisisse fontes universo orbi terræ: unum quidem sanguinis, alterum vero aquæ. Theophyl. Alexandr. lib. 1. paschali dicit, Christum ideo esse incarnatum, ut perfectam cunctis hominibus *in se et per se largiretur salutem.*

Hanc salutem communicat Deus orbi per concionatores. Abdiæ, v. 21. *Ascendent Salvatores in montem Sion,* id est, Iudas Machabæus, Simon, Hircanus, Alexander, Aristobulus, et alii; 2. Christus et Apostoli, ut ait S. August. 18. de Civ. 31. Concionatoris officium S. Chrysostom. lib. 5. de sacerdotio ait esse, σωτηριας και πολλων προξενον αγαθων, rem salutis, et multorum conciliatricem bonorum. Alcuin. epist. 1. ad Cantuar. Episcop. Memor esto semper, ait, quod guttur tuum tuba Dei esse debet, et lingua tua omnibus præco salutis. S. Hilarius can. 5. vocat Apostolos rerum cælestium prædicatores, et *æternitatis veluti satores.* Sirmundus noster in suo Concionatore, quem suppresso nomine edidit, sub finem sic ait: Prædicationis Evangelii materia est homo Deus. Ut veri Evangelici concionatoris perfectam ideam paucis delineemus. Necesse esset cum esse hominem Deum. Qui scilicet eloquentiæ humanæ perfectiones omnibus numeris expletas haberet, sicque verus homo videretur; et eodem tempore, gratia atque sanctitate per quamdam communicationem Deum efficeret: Ita Sirmundus.

Quarto denique, concionator debet annuntiare populo misericordiam Dei, v. 11. NON ABSCONDI MISERICORDIAM 43. Vers. 11.
TUAM. Chald. bonitatem tuam. Arabs, gratiam tuam. Syr. 4. Pars. IV.
beneficium tuum. Malim sumere misericordiam in propria Dei misericordiam.
significatione, quæ est compassio alienæ miseriæ in corde, qua si possumus, subvenire compellimur, ut definit S. Thomas 1. p. q. 2. art. 3. et 2. 2. quæst. 30. art. 1. S. Gregor. Nyssen. orat. 2. de pauperibus ait Christum in hunc mundum venisse, ut attactu suo ægritudinibus mederetur. S. Cæsar. Arel. hom. 5. de Paschate: *Quia,* inquit, *nec nos habebamus unde viveremus, nec ille unde moreretur; naturam de nostra mortalitate suscepit, ut sua immortalitate collocata mori posset vita pro mortuis.* Hæc est summa misericordia et charitas, ut pro miseris et peccatoribus filius æterni Regis e throno descendat, et ad mortem condemnetur.

Tertio denique, Christus locum concionum suarum ait 44. Christus per se, suosque concionatur in Ecclesia.
esse Ecclesiam Dei magnam: ANNUNTIAVI IUSTITIAM TUAM IN ECCLESIA MAGNA: id est, in Ecclesia Catholica, seu universali, per totum orbem diffusa, et omnes gentes complectente. Ecclesia est vox Græca, significat evocatitium cœtum, a verbo καλεω, id est voco, evoco, convoco. In scriptis autem Christianorum vocatur Ecclesia, multitudo visibilis fidelium ad vitam æternam evocatorum. Hinc Paulus Romanis dicit cap. 1. 6. *In quibus estis et vos vocati Iesu Christi.* Vocati, id est, vocatitii, ait Cornelius, quasi famuli, vel filii Iesu Christi. Sic vers. sequ. *Vocatis sanctis,* id est vocatis ad sanctitatem, vocatis ad Christianismum, ut sint sancti.

Magna porro est illa Christi Ecclesia tripliciter, 1. dilatatione; 2. potestate; 3. dignitate: ita S. Thom. Ps. 21. 45. Ecclesia est magna, et quomodo?
v. 34. et hic. Possis dicere Ecclesiam esse magnam ob quatuor rationes: Primo, ob Principum, Regum, Imperatorum, Prælatorum, Ecclesiasticorum et Pontificum excellentiam et sublimitatem. Vide dicta Ps. 34. 18. *Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo gravi laudabo te.* Secundo, magna est Ecclesia, propter Urbium, Provinciarum, et Regnorum multitudinem. Isaiæ 54. v. 1. *Multi filii desertæ magis quam eius quæ habet virum.* Tertio, magna est Ecclesia ob locorum amplitudinem et diffusionem. Ps. 71. v. 8. *Dominabitur a mari usque ad mare: et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Quarto denique, magna est Ecclesia, ob credentium populorum varietatem. Isaiæ cap. 11. v. 6. *Habitabit lupus cum agno: et pardus cum hædo accubabit: vitulus et leo, et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit* (ducet) *eos.* S. Ambros. in Psalm. nostr. Quæ est, ait, magna Ecclesia, nisi de totius orbis terrarum partibus congregata? quando ab Oriente, et Occidente, Septemtrione, et Meridie, populi gentium sunt vocati. S. August. serm. 24. de verbis Apostoli vocat Deum, concionatorem mundi. Sic possis Christum vocare, qui per se et Apostolos fidei luce orbem universum illustravit. Lucæ 24. v. 46. *Oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis, et prædicari in nomine eius pœnitentiam, et remissionem peccatorum per omnes gentes.*

Hoc cum gaudio impletum videmus in Ecclesia Roma- 46. Ecclesia Romana est toto orbe diffusa.
na, quæ vere Apostolica et Catholica est. Ibi Christus est oleum longe lateque diffusum, sanans vulnera et misericordiam exercens. Unde dicit hic: *Non abscondi misericordiam tuam a concilio multo.* S. Hieron. et Felix, *in Ecclesia multa.* Sept. habent απο συναγωγης πολλης, id est a synagoga multa, ut legit Cassiodorus; a synagoga multorum, ut Psalt. Ambrosian. Ubi adverte priori loco Sept. posuisse nomen Ecclesiæ, in posteriori nomen synagogæ. Hæc duo autem sunt idem. Fortasse indicare voluerunt et gentium Ecclesiam et synagogam Iudæorum. Ut enim docet S. Thomas 3. part. q. 8. art. 3. ad 3. et in 4. dist. 47. quæst. 3. artic. 1. Una est Ecclesia omnium fidelium novi et veteris Testamenti. Nec synagoga fuit concubina, sed vera sponsa et uxor Christi. Græcum συναγωγη, id est

collectio, congregatio, cœtus, concilium, conventus, deducitur a συνάγω, hoc est colligo, congrego. Christus omnes in unum, id est in Deum, fideles colligit; vide ne schisma tuis moribus vel doctrina facias, ut sit grex unus sicut pastor unus: atque cor unum, et anima una; scilicet Christus omnes animans et vivificans. S. Irenæus lib. 1. cap. 2. adversus hæreses: *Ecclesia*, inquit, *per universum orbem usque ad fines terræ disseminata, et ab Apostolis et discipulis eorum accepit eam fidem*. Atque alibi: *Hanc*, inquit, *prædicationem cum acceperit, et hanc fidem Ecclesia, et quidem in universum orbem disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans, et similiter credit iis videlicet unam animam habens, et unum cor, et consonanter hæc prædicat, et docet, et tradit quasi unum possidens cor. Nam etsi in mundo loquelæ dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una et eadem est: et neque hæ quæ in Germania sunt Ecclesiæ aliter tradunt, neque hæ quæ in Iberis sunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Lybia, neque hæ quæ in medio mundi sunt constitutæ*. Vide dicta Ps. 21. 26. Adde, a paucis annis partes Americæ mediterraneas, quæ inter Brasiliam et Peruanum regnum interiacent, magna ex parte esse lustratas a Societatis nostræ Patribus, et ad Christi fidem adductas, ut patet ex Relatione missa ad Mutium Vitellesch. Soc. Præpositum Generalem, an. 1626. et 1627. Ubi inter cætera notabile est, quod dicitur, esse aliqua indicia, quod S. Thomas Apostolus ibi Evangelium prædicarit. Nam indigenæ referebant quoddam oraculum ab eo acceptum: fore scilicet tempus, quo homines quidam manu crucem gestantes, eamdem quam ipse fidem annuntiarent. Patres autem nostri, licet illius Apostolicæ Prophetiæ ignari, per immensos et incognitos illos terrarum tractus vagantes, et pene impervias sylvas, magnis cum laboribus et incommodis penetrantes, crucem manu ferebant, ut eo se aspectu ad patientiam et zelum animarum Christi sanguine redemptarum animarent. Nationum autem quanta multitudo ad fidem vocata sit et adducta, colligere possis ex variis Catechismis conscriptis ab hac una nostra minima Societate, sicut refert noster Alegambe in libro de Scriptoribus Societatis in Theologia catechetica, seu ubi ostendit Catechismos variis linguis esse scriptos. 1. Extat Achillis Gagliardi Catechismus Italice. 2. Ægidii Bavarii Maroniano carmine. 3. Alexandri Comulei, Illyrice. 4. Alexandri Valignani, Iaponice. 5. Alphonsi de Barzana, Guaranice, et aliis quatuor linguis Americanis. 6. Alphonsi Vagnonii, Sinice. 7. Ambrosii Weltheri, Estonice. 8. Andreæ Viti, Marilandice. 9. Christophori Ximenes, lingua Bisayana. 10. Emondi Augerii, Gallice. 11. Ertmanni Tolgsdorf, Livonice. 12. Francisci Costeri, Belgice. 13. Francisci Feruandii, Bengalanice. 14. Francisci Rozil, Malabarice. 15. Georgii Feri, Bohemice. 16. Georgii Mayr, Hebraice. 17. Georgii Vasarelli, Hungarice. 18. Henrici Garneti, Anglice. 19. Henrici Henriq. Malabarice et Maleanice. 20. Iacob Ledes, Hispanice. 21. Iacobi Baptistæ Romani, Arabice et Maronitice. 22. Ioannis Iachovvicz, Lithuanice. 23. Ioan. Plazæ, lingua Mexicana. 24. Ioan. Salisburil, Wallice, seu Cambrobritannice. 25. Ioan. Theodorici Macherentini, Germanice. 26. Ioan. Tsandeck, Carniolice. 27. Ioan. Unchalli, Polonice. 28. Iosephi Anchietæ, Brasilice. 29. Laurentii Iaponis, Iaponice. 30. Ludovici de Azevedo, Æthiopice. 31. Ludovici Valdiviæ, linguis Chilensi, Allentiacensi, Milcaiacensi. 32. Marci Georgii, Lusitanice. 33. Matthei Riccii, Sinice. 34. Petri de Anasco, linguis Tucumanicæ. 35. Petri Paes, Æthiopice. 36. Thomæ Stephani, Canarice et Indostanice. 37. Vincentii Castagnolæ, Græce vernacule. 38. Catechismi denique variis linguis, Aimarana, Badagra, Canarina, Cocincinensi, Tamulica, Slavonica; hæc et plura habet Alegambe.

A Igitur divinum verbum, veluti triumphali curru, per orbem a selectissimis heroibus circumlatum, donaria sua ubique per varias nationes spargit, et longe lateque stratis hostibus dominatur. Pulcherrime depingit Cresol. noster lib. 3. Mystag. cap. 45. Verbum, ait, divinum spargitur, et cælo ac terræ suspiciendus Logos, quem ut regem beantem animas et gloria coronatum omnes charites et divinæ mentis dona comitantur. Illum, ut empyreæ aulæ cerycem et caduceatorem, Divum hominumque parens mittit, ut novi mundi opificem demiurgum, ut Ianum divinum, qui aureas Olympi claves ferat, ut Imperatorem animarum, quas dictis suis moderetur, nec vacuum ad se redire vult, sed Amaltheæ cornu decorum, fructu undique redundantem. Et ut illius vim, potentiam, dignitatem intelligeremus, iussit Prophetas in arcanis suis picturis vario in emblemate Logon pingere. Quare hic gladium laureatum effigiat, tam acutum, ut ad divisionem usque animæ penetrare possit. Hic malleum claro ex adamante efformat, quo solidæ petræ conterantur. Alius fœcundum e nubibus imbrem, modo stillantem et suavissime labentem, modo fortius irruentem: ita Cresolius. Victoriam Apostolorum totum orbem verbo divino domantium optime describit Abdias Propheta, vers. 17. et sequent. *Et in monte Sion* (in Ecclesia, quæ in Sione incepit, et illa figuratur) *erit salvatio, et erit sanctus: et possidebit domus Iacob eos qui se possederant. Et erit domus Iacob* (ad litteram, duæ tribus) *ignis, et domus Ioseph* (decem tribus. Allieg. domus Iacob et Ioseph est Ecclesia, Iudæos atque Gentiles complectens) *flamma, et domus Esau stipula: et succendentur in eis, et devorabunt eos: et non erunt reliquiæ domus Esau* (id est, Idumæorum, hoc est, Paganorum et Ecclesiæ hostium infensissimorum) *quia Dominus locutus est* (per se et Apostolos. Habet in ore gladium Apocal. 19. 15. ut in eo percutiat gentes: ut occidat gentes et faciat Christianos). *Et hæreditabunt hi qui ad Austrum sunt* (Iudæi meridionales) *montem Esau* (Idumæos), *et qui in campestribus* (Iudæi qui campestria et late fusam planitiem, quæ Campania Iudaica dici possit, habitant, possidebunt) *Philisthiim: et possidebunt regionem Ephraim, et regionem Samariæ: et Beniamin possidebit Galaad* (regionem Galaaditidem sibi vicinam). *Et transmigratio exercitus huius filiorum Israel* (id est, Iudæi qui in Babylonem captivi demigrarunt) *omnia loca Chananæorum usque ad Sareptam* (urbem Sidoniorum. Hebræi, R. Salomon, R. David, Lyran. Clarius, Pagn. Arias, Vatabl. et alii per Sareptam intelligunt Franciam: forte ex eo ait Cornelius, quod hi Sareptani ex se Coloniam duxerunt in Galliam, sicut Tyrii duxerunt Carthaginem et Tartessum in Hispania, aut ex sylvis et officinis conflatoriis æris, ferri, laterum etc. quibus Gallia abundavit. Inde enim dictam volunt Sareptam Sidoniorum: Malim ex ingenio igneo et ardente Gallorum sic vocatam. Radix enim צרף *tsaraph* significat accendere, conflare. Vide ut in te cadat ignis Spiritus sancti per concionatores) *et transmigratio Ierusalem quæ in Bosphoro est* (Thracio, prope Constantinopolim: ita Hebræi; 2. in Bosphoro Cimmerio in introitu Mæotidis paludis: ita alii viri docti; 3. in Bosphoro Hispanico seu Gaditano, id est in freto Herculeo. Nam pro *bosphoro* Hebraice est ספרד *Sepharad*, per quam Syrus, Arab. Antiochenus et Alex. R. Salomon, Sa, Mariana, et alii multi, Hispaniam sumunt) *possidebit civitates Austri. Et ascendent Salvatores in montem Sion*. Hugo a S. Victore per septem illas gentes intelligit septem vitia capitalia, quæ Iacob, id est, fidelis luctator supplantat; 1. per Idumæos, intelligit iracundos; 2. per Philisthiim, gulosos; 3. per Ephraim, superbos; 4. per Samaritas, invidos; 5. per Galaaditas, pigros; 6. per Chananæos, avaros; 7. denique per civitates Austri, libidinosos.

47. Verbum Dei ubique triumphat.

SECTIO TERTIA ET ULTIMA.

48. *Tria Christus postulat. Primo, a doloribus passionis suæ liberari, vers. 12. Secundo, hostes suos confundi, vers. 15. Tertio denique, amicos suos et sectatores lætitia compleri, vers. 17.*

PARAPHRASIS.

12. *Tu autem Domine ne longe facias miserationes tuas a me: misericordia tua et veritas tua semper susceperunt me.*

12. Cum tuæ me obsequentissimum voluntati, tuoque cultui propagando addictissimum adverteris: ideoque in calamitatem hanc maximam et acerbissimos passionis cruciatus incidisse, quod iustitiam tuam, veritatem et misericordiam hominibus annuntiaverim: ne me his in angustiis positum paterna pietas tua deserat: cum præsertim hactenus misericordia tua et fidelitate adiutus, omnes hostium meorum conatus et furores feliciter eluserim.

13. *Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem.*

13. Nunc vel maxime celeri potentique præsidio opus est: undique enim velut facto agmine innumera contra me mala irruperunt. Omnia omnium hominum, quorum me sponsorem vademque præstiti, in me scelera irruunt, atque captivum astringunt, et hostilibus copiis mactandum tradunt: tantaque est illorum multitudo, ut singula videri non possint.

Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei: et cor meum dereliquit me.

Capillorum meorum numerum superant: ideoque tanta tamque dira obrutus multitudine animo deficio, totusque velut exanimis emarcesco.

14. *Complaceat tibi Domine ut eruas me: Domine, ad adiuvandum me respice.*

14. Dignare Domine, et pater amatissime, gratissimum tibi filium ex his tantis doloribus eruere. Vide cruore taboque aspersum corpus ac vulneribus lividum, ut ad auxilium præstandum accelleris, et resurrectionem meam acceleres.

15. *Confundantur et revereantur simul, qui quærunt animam meam, ut auferant eam.*

15. Confusi erubescant adversarii mei, cum resurgentem me viderint, et contremiscant qui vitæ meæ tanto ardore insidiantur, ut illam mihi eripiant.

Convertantur retrorsum, et revereantur qui volunt mihi mala.

Rubore suffusi pedem referant, et paveant tremendum iudicem, quem tam acerbis doloribus excruciare non sunt veriti.

16. *Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi: Euge, euge.*

16. Neque in longum tempus hæc iusta trahatur vindicta, brevi interiecto triduo, visa mea resurrectione confundantur et obmutescant, qui nunc veluti prædæ captæ victores insultant.

17. *Exultent et lætentur super te omnes quærentes te: et dicant semper: Magnificetur Dominus: qui diligunt salutare tuum.*

17. Qui autem tuo consecrati cultui unum te Dominum ambiunt et sequuntur, gaudio triumphent, cum me Redemptorem suum gloria et honore circumdatum, victorem e sepulcro exilire viderint. Et hoc viso auxilio mihi a te præstito discant non suis viribus, sed potentiæ tuæ bonitatique fidere, atque laudem omnem et gloriam felicitatis suæ in te bonorum omnium fontem refundere. Hos ego cupio esse sectatores meos omnes et amicos, qui mihi Christo tuo adhærebunt.

18. *Ego autem mendicus sum, et pauper: Dominus sollicitus est mei.*

18. Etenim cum ego opis omnis essem indigus, ab omnibusque humanis auxiliis destitutus, tu unus mei curam magno amore suscepisti.

Adiutor meus, et protector meus tu es: Deus meus ne tardaveris.

Nec dubito, quin præsenti hac in calamitate adiumento sis futurus, meque ab ingruentibus malis protecturus: sed festinatione opus est.

QUÆSTIO UNICA.

Quanti passionis Christi dolores et fructus.

49. In prima sectione huius Psalmi Christus in persona Patrum loquens aperuit, quanto ardore genus humanum Messiam expectaret ac postularet. In secunda vero, loquens in propria persona, mysterium suæ incarnationis mirabile et necessarium fuisse ostendit. Nunc in hac tertia, passionis declarat mysterium atque in eo misericordiam, veritatem et iustitiam Dei, quas prædicaturum se dixerat, elucere commonstrat.

Ac primo, misericordia Dei Patris emicuit, quod eum tam acerbis cruciatibus luctantem filium adiuverit. Hanc Christus postulat, v. 12. *Tu autem Domine, ne longe facias miserationes tuas a me.*

Rationem affert triplicem: Primam quidem a beneficiis ante præstitis, vers. eod. 12. *Misericordia tua et veritas tua semper susceperunt me.* Secundam a doloribus præsentibus, qui undique circumdant, ne evadat, vers. 13. *Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem:* et multitudine perturbant: *multiplicatæ sunt* [A] *super capillos capitis mei.* Tertiam rationem desumit a sua imbecillitate, vers. eod. 13. *Et cor meum dereliquit me.* Unde concludit, in uno Deo spes suas esse repositas, v. 14. *Complaceat tibi Domine, ut eruas me: Domine ad adiuvandum me respice.*

Secundo, fructum passionis suæ duplicem aperit: Primum quidem, delectionem hostium suorum. Secundum vero, remunerationem piorum.

Primo enim, hostes Christi puniuntur variis modis. Nam, 1. confusionem subeunt, præda sibi ex unguibus erepta, v. 15. *Confundantur;* 2. timent ne puniantur: *et revereantur simul, qui quærunt animam meam, ut auferant eam;* 3. fugiunt: *Convertantur retrorsum:* 4. in fuga quotidie maiori timore urgentur: *Et revereantur qui volunt mihi mala;* 5. denique capti et puniti summa et perpetua in confusione versantur, vers. 16. *Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi: Euge, euge.*

Secundo, Christi amici, et sectatores crucis eius ac passionis, promissa sibi præmia obtinent. Nam 1. corpore [B] exultant, v. 17. *Exultent;* 2. animo lætantur: *Et lætentur super te omnes quærentes te;* 3. ore Deum prædicant: *Et dicant semper: magnificetur Dominus qui diligunt salutare tuum.*

Tertio denique, ipse Christus veracem erga se fuisse Deum profitetur. Nam primo, fatetur se eius ope egere, v. 18. *Ego autem mendicus sum et pauper.* Secundo, se Deo fuisse curæ: *Dominus sollicitus est mei.* Tertio, se ab eo adiutum dextera, et protectum sinistra: *Adiutor et protector meus es tu: Deus meus ne tardaveris.*

ARTICULUS I.

Quanta peccati malitia, quod Christum crucifigat, et torqueat.

Hac de re iam egi Ps. 21. sect. 2. ubi ostendi Christum a peccatis nostris, velut a feris, in cruce discerptum fuisse: aliqua hic addam, cum clare dolorum suorum acerbitatem in peccata nostra refundat. Davidem seu Christum potius loquentem sequamur.

50. Vers. 13. Causam dolorum suorum et innumerabilium et gravissimorum ait esse peccata generis humani, vers. 13. CIRCUMDEDERUNT ME MALA, QUORUM NON EST NUMERUS: B COMPREHENDERUNT ME INIQUITATES MEÆ, ET NON POTUI UT VIDEREM. Est hebraismus. S. Hieron. dilucide vertit, *non potui videre*, ob multitudinem scilicet. Suas porro iniquitates vocat eas, pro quibus se persoluturum pœnam promiserat. Vide Psal. 21. 2. Quantæ porro sint hominum iniquitates, docet David Ps. 13. 3. *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Pindarus ode 7. Olymp. Circa hominum mentes, ἀμπλακίαι ἀναρίθμητοι κρέμανται, errores et peccata innumera pendent. Quod si de minutis et levibus peccatis sermo sit, de quibus capillos exponit S. Augustin. arenam in maris littore citius quis enumeret, quam illa omnia. *Minuta*, inquit, *videntur, sed multa sunt. Proiecisti molem, vide ne arena obruaris.* Hoc iniquitatum agmen immensum: Primo, arcem animæ nostræ velut obsidione circumcingit, et magnas in angustias redigit: *Circumdederunt me mala.* Sic Ps. 17. v. 5. ait: *Circumdederunt me dolores mortis.* Iob c. 13. v. 26. *Consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.* Septuag. C προσέθηκάς μοι νεότητος ἁμαρτίας, circumposuisti mihi iuventutis peccata. Secundo, peccata animam circumdatam capiunt. Prov. 5. 22. *Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur.* Deut. cap. 28. vers. 15. ait Moses populo Israel: *Venient super te omnes maledictiones istæ, et apprehendent te*, donec intereas; si nempe peccaveris. Tertio, peccata captam animam cruciant. S. Ambros. in Ps. 35. *Sine ulla intermissione Cain ipse sibi carnifex erat.* Michææ cap. 1. v. 12. *Infirmata est in bonum* (id est, privata est bonis naturæ et gratiæ) *quæ habitat in amaritudinibus*, id est in peccatis amaritudinem Deo, proximo, et animæ ipsi afferentibus. Hebr. *in Maroth*, quæ est urbs Iudææ, significans amaritudinem. Anima peccans est urbs Maroth, omnes eius incolæ, id est, potentiæ de fontibus amaris aquam hauriunt, cibos, fructus, aliaque plena amaritudine degustant.

51. Peccatorum exercitus in Christum irruit. Quæ ob peccata nostra merebamur, Christus in se suscepit. Thren. 4. 20. *Captus est in peccatis nostris.* Hinc D consequens est, ut cum multa essent instar serpentium venenatorum undequaque sibilantium, morsu et veneno sævientium, instar leonum rictu et unguibus, instar taurorum cornibus, instar canum rabidorum morsibus impetentium, ut Ps. 21. vidimus, acerbissimos dolores atque cruciatus ipsi capto, et in prædam obiecto intulerint. Hinc ab Isaia cap. 53. v. 3. vocatur *vir dolorum*, id est, maxime dolens, maximis doloribus oppressus. Exercitum integrum conflant hominum scelera in Salvatorem irruentia. Primo, dux eius est Adami et cæterorum superbia. Secundo, signifer Pharisæorum et hæreticorum invidia. Tertio, tubicen Caini et similium ira. Quarto, militum vicem explent cætera vitia. Petrus Abbas Cellensis, qui postea fuit Episcopus Carnotensis, qui floruit circa annum 1180. aliter hunc vitiorum exercitum in singulos irruentium ordinat lib. de panibus, cap. 13. *Habitans anima in corpore hostium circumvallatur multitudine. Aggreditur siquidem eam concupiscentia, scutum arripit ira, lanceam* A *luxuria, gladium invidia, clypeum temeritas, equum iactantia, calcaria impatientia, galeam superbia.* Idem de illis in Christum insilientibus dici potest.

S. Chrysost. hom. 26. in Matth. Iudæos ait esse venatores, qui ex omni parte in Iesum velut in prædam summa aviditate et crudelitate impetum faciant. Verba eius sunt: *Crudeles eorum mores in omnibus ostenduntur, quia* καθάπερ θήραμα εὑρόντες, *quasi venatores fera inventa, sic vinolentia et furore ferebantur festum agentes, et ingenti cum voluptate insilientes*: ita ipse. Melius Iudæos in ferarum figuram deformabis, et in hominem irruentes depinges. S. Leo serm. 3. de Passione id facit: *Instis*, inquit, *insanum cruentumque consilium tauri pingues, vituli multi, frementes bestiæ, canes rabidi, ut morti auctorem vitæ et Dominum gloriæ traderetis.* Hoc ipsum fecerunt peccata nostra, pro quibus Iesus passus est: ut nos morte sua a morte æterna liberaret, et a durissimo diabolicæ servitutis iugo eriperet.

Hoc autem in se fieri Christus permisit, ut videremus quantas strages peccata in mentibus nostris edant. Drogo Hostiensis Episcopus, qui floruit tempore S. Bernardi, serm. de Sacramento Dominicæ Passionis: *Fecisti mihi*, ait, *de corpore tuo speculum animæ meæ. Nesciebam contumelias et terrores, et colaphizantem me incessanter Satanam, nisi viderem artem medicinæ tuæ, similia similibus curantem, et appendentem in statera. Hinc calamitatem tuam, illinc iniquitatem meam. Dedisti corpus tuum percutientibus, et genas tuas vellentibus, faciem tuam non avertisti a conspuentibus in te, ut alapæ tuæ alapas meas removeant, et flagella flagellis expientur, et opprobria exprobrantium quæ ceciderunt super te, auferant a me opprobrium sempiternum.*

Quæres, quænam peccata singulis Passionis Christi administris figurari possint? Primo, Iudas proditor, ut ait Salmeron tom. 10. tract. 16. designat hæreticos, qui primum blande et osculis, deinde armis aggrediuntur Ecclesiam. Omnis siquidem hæresis, ut ait S. Augustinus libro contra Donatistas, vulpes quædam est inermis, et pacem simulans, ut devoret: deinde ubi incrementa sumpsit, fit leo rugiens publice invadens. Ita Salmeron, qui deinde addit: Iudas etiam significat mundum hunc, sive mundi dilectores, qui illis, cui sibi applaudunt, instar scorpii volunt nocere, de quibus Psal. 11. 3. *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum: labia dolosa in corde et corde locuti sunt.* Amores item carnales, et amplexus, et oscula adulteræ et meretricis, Iudæ sunt, et sumentes perdunt: suntque venenati cibi melle et saccharo contecti, qui dum placent gustui, exitium afferunt. 52. Peccata nostra delineantur in Christi hostibus. I. In Iuda hæresis.

Secundo, Herodes typus fuit eorum, qui beneficia dant indignis. Salmeron tract. 27. In aliena veste, inquit, Christum illudunt, qui officia et beneficia indignis, et minus idoneis conferunt, et qui pro eis apud illos intercedunt. II. In Herode, qui dant beneficia indignis.

Tertio, Pilatus fallaces tyrannos, et cum aliis conspirantes figurat Beda in Lucam cap. 93. Hoc, inquit, nefandissimum Herodis et Pilati fœdus, quod in occidendo Christo pepigerunt, hactenus eorum velut hæreditario iure successores custodiunt: quando Gentiles et Iudæi sicut genere et religione, ita etiam mente dissidentes, in Christum tamen credentes persequendo, Christique in eis fide interimenda consentiunt. III. In Pilato fallaces tyranni.

Quarto, ne in singulis immorer, mallem 1. superbos designare in Anna et Caipha; 2. avaros et perfidos in Iuda; 3. iracundos et crudeles in militibus; 4. luxuriosos in carnificibus, qui Christum denudent et irrideant; 5. invidos in Pharisæis, Scribis et Sacerdotibus; 6. temerarios et inconstantes in populo; 7. curiosos in Herode et aulicis; 8. denique, iudices, molles, effœminatos ac timidos in Pilato. IV. In variis varia peccata.

Quæres secundo, quænam peccata figurentur singulis instrumentis Passionis Christi? Primo, funes, quibus ligatus, et huc illuc tractus est Christus, sunt typus perversæ et inveteratæ consuetudinis, quæ nos ligat. Isaiæ 5. 18. *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum.* Chaldæus sic exponit, 53. Passionis instrumentis peccata delineata. I. Funibus, mala consuetudo.

q. d. Væ qui incipiunt pusillum peccare, trahentes peccata in funiculis vanitatis, augentur, et crescunt donec fortiora facta sunt, et quasi vinculum plaustri peccata.

II. Alapa, adulationes aulicorum. Secundo, alapa qua Christus a milite in domo Caiphæ percussus est, typus est peccatorum, quæ fiunt ab aulicis, ut suis principibus adulentur. Salmeron tractat. 20. sic ait: Gerit typum hic servus omnium illorum ministrorum, qui in aulis principum, ut dominis suis adulentur, Christum in pauperibus percutiunt: dum contra fas omne et ius pauperes spoliant et opprimunt, ut dominorum suorum loculos impleant. Ita Salmeron, qui deinde ad lectorem convertitur iustas iras concipientem in servi illius furibundi impudentiam: Oculos, ait, in teipsum converte, et agnosces te Dominum ligare, dum eius inspirationibus resistis, et manibus malorum operum cædis, non semel, sed pluries: non iam Christum ignotum, ut ille, sed notum Messiam, Deique filium, nostrique amantissimum Redemptorem: cædisque eum plerumque, non in gratiam Pontificis alicuius, sed vilissimæ meretricis, vel sordidi hominis, vel levissimi lucri causa.

III. Sputis, blasphemiæ, etc. Tertio, sputa et colaphi sunt blasphemiæ, fœdæ cogitationes et contraria fidei nostræ professioni vita. Salmeron tract. 22. Docet nos Christus, inquit, ne illi amplius, aut in te, aut in membris illudamus, ot ne conspuamus faciem eius blasphemiis, aut indigne percipiendo Eucharistiam, et conscientiam nostram, quæ est facies et imago sanctissimæ Trinitatis, fœdis cogitationibus polluimus, colaphis cædimus, qui ore quidem Christum confitemur, factis autem negamus.

IV. Flagellis, peccata carnis. Quarto, flagella sunt omnia peccata, quibus Christus in membris suis, ipsoque peccatore conscinditur. S. Augustinus in Ps. 130. Scriptum est, ait, in criniculis peccatorum unusquisque constringitur. Ergo quia de peccatis suis homines vapulant, ideo Dominus flagellum do resticula fecit, et inde expulit do templo omnes, qui sua quærebant: ita August. Flagella totum corpus conscindentia sunt peccata carnis, quibus totum corpus peccator enervat, consumit, exhaurit: item, aculeata flagella sunt aculei carnis.

V. Corona spinea, desiderium inanis gloriæ. Quinto, corona spinea est desiderium inanis gloriæ, et arrogantia ac ambitio, quæ honores sibi quantum potest, circumdat, sed spinas sentit: unde in acumen coronæ desinunt. Tertullianus lib. de corona militis: Ex spinis opinor et tribulis in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis; abstulit autem virtus crucis, omnes aculeos mortis in Dominici capitis tolerantia obtundens: ita ipse.

VI. Aceto, malitiæ. Sexto, aceto Christum potant malitiosi. S. Cæsarius Arelat. hom. 6. *Porrigitur*, ait, *acetum malitiæ: quia vinum sapientiæ, quod a Christo acceperant, peccando perdiderant. Potatur acerbitate malorum nostrorum, daturus dulcedinem bonorum suorum. Sed et nunc quotidie quando peccatis contristatur, exacerbatur, aceti quodammodo illi potus, et cibus fellis ingeritur.*

VII. Lancea, detractio. Septimo, lancea corpus Christi, hoc est, fideles transfodiunt, qui de aliis detrahunt. Thalassius centuria 3. *Obtrectatricis*, ait, *animæ lingua, hasta est tricuspis. Nam et se ipsam, et audientem, quandoque etiam eum, cui obloquitur, lædit.* S. Bern. ut alias retuli, dicit linguam detrahentem esse peiorem lancea latus Christi confodiente.

Ex his sequitur, nos etiamnum de Christo a nobis flagellato, coronato et crucifixo posse dicere cum S. Bern. serm. 4. hebdomadæ pœnosæ: *O novissimum*, ait, *o altissimum!* o *humilem*, *et sublimem!* o *opprobrium hominum*, *et gloriam Angelorum! Nemo illo sublimior*, *nemo humilior. Denique sputis illitus est*, *opprobriis saturatus*, etc.

ARTICULUS II.

Magnus Christi patientis cruciatus fuit, quod a corde suo sit derelictus: ubi agitur de cordis mobilitate, et de eius custodia.

MAGNUS quidem fuit Christi dolor, quod a tot hostibus impeteretur, et pro tot peccatis pœnam debitam deberet exsolvere; sed acerbissimus fuit dolor, quod a se 54.
ipso sit derelictus, v. 13. ET COR MEUM DERELIQUIT ME. Vers. 13. 2. Pars.
Arabs, respuit me cor meum. Chald. cogitatio mea dereliquit me. Petav. λειπεν δε με ενδοθι θυμος, id est, destituit me vero intus animus.

Sensus est, q. d. Vigor et robur mentis me reliquit, non habui sensibilem lætitiam et alacritatem cordis in mea passione; sed permisi tristitiæ, ut cor meum ita occuparet, ut pene perditum videretur. Hoc tunc accidit, primo, cum ait Christus Matth. cap. 26. v. 38. *Tristis est anima mea usque ad mortem*, q. d. Tanta est tristitia mea, ut capax sit inferendi mihi mortem; ut, si vel modicum augeatur, mortem sit allatura. Syrus vertit, ægritudo inest animæ meæ. Marc. cap. 14. 33. de eo dicit: *Cœpit pavere* (Græc. εκθαμβεισθαι, id est, obstupescere, pavere usque ad stuporem) *et tædere*, Græc. αδημονειν, id est gravissime angi et præ mœrore concidere animo, pene exanimari, ac deficere præ dolore. Secundo, cor, id est vigor et alacritas cordis, reliquit Christum, cum factus in agonia prolixius orabat, Luc. cap. 22. v. 44. *Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Gr. θρομβοι, id est, grumi, ut Syrus vertit; crassæ guttæ, ut legit S. Irenæus. Martyribus tantum animi vigorem et lætitiam affudit Christus, ut ad rotas, eculeos, cruces, velut ad rosas et coronas ac nuptias currerent, fæcem calicis ipse exhaurire voluit.

Symbolice, cor Christi est Pater æternus, qui cum vivi- 55.
ficat, animat, et spiritus vitales infundit, quemque vicis- Cor Christi est
sim qui tenerrimo amore prosequitur, ab eo relictus est. Pater æternus.
Unde dixit Ps. 21. v. 1. *Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* Vide ibi fuse dicta. Secundo, cor Christi sunt Apostoli, ut explicat Tuccius in Cantica. De illis habes Et Apostoli.
Matth. cap. 26. v. 56. *Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt;* quam fugam licet prudentem et inculpabilem aliqui dicant, quod nihil possent Christo prodesse, sed ei potius essent obfuturi, grave tamen erat ab omnibus deseri; sed præsertim gravissimum fuit, si, ut probabile est, peccabant Apostoli fugientes: fuga enim illa processisse videtur ex diffidentia Christi, quem non credebant tunc se posse tutari contra tantam hostium multitudinem. Venialis tamen culpa ob inconsiderationem, et subitam trepidationem.

Tropologice, magna est humani cordis instabilitas: fa- 56.
cile enim septa domus suæ perrumpit: modo in cælum, Tropol.
aquilæ instar, evolat: modo in mundi gurgites, merguli Cor humanum
more, sese immittit: modo in summis arborum cacumi- est instabile.
nibus, ad modum avis paradisi, puras auras captat: modo struthionis ritu, per terram reptat. Est avis erratica, quæ libero vagari campo gaudet, nec facile cavea clauditur. S. Augustinus multa paucis complexus est: *Nihil*, ait, *corde fugacius.* Quod pluribus dilatat S. Bernardus cap. 9. Meditat. quod totum est de instabilitate cordis: *Nihil est*, inquit, *in me corde meo fugacius, quod quoties me deserit, et per pravas cogitationes diffluit, toties Deum offendit. Cor meum, cor vagum, vanum et instabile, dum suo ducitur arbitrio, et divino caret consilio, in seipso non potest consistere: sed omni mobili mobilius per infinita distrahitur, et hac illac per innumera discurrit.* Comparat deinde molendino quod semper volvitur, et nihil respuit; sed quidquid imponitur, molit: si autem nihil apponitur, seipsum consumit. *Et sicut molendinum arena si imponatur exterminat, pix inquinat, palea occupat: sic cor meum cogitatio amara turbat, immunda maculat, vana inquietat et fatigat.* Et lib. de interiori domo cap. 62. eamdem cordis volubilitatem his verbis deplorat: *Facilius atomos mundi possem dinumerare, quam motus cordis mei. Velocitas animalium et volatilium meis motibus æquiparari non potest. Cogitationes meas non est, qui possit comprehendere. Dum corpore vaco, cogitationibus vagor.* S. Gregorius lib. 26. Moral. 29. id deplorat: *Quid*, ait, *vicinius nobis est corde nostro? quid vicinius nobis est ea re, quæ intra nos est? Et tamen cum per pravas cogitationes spargitur, a nobis cor nostrum longius evagatur:* ita Gregorius.

Quodque magis dolendum est, cum cor abiit, revocari

57. *Cor cum abiit a nobis, revocari non potest.* non potest. S. Bernardus lib. de interiori domo, cap. 25. *Non invenitur*, ait, *inter artes liberales ars ista præ aliis liberalis, qua tenetur cor, quod omni mobili mobilius est, quod omni lubrico lubricosius est. Mobilitate enim naturali instabile vel in puncto fixum, recusat consistere, cuius vita in motu est, et motus ei in vita. Movet molem totius corporis humani tantillus iste in corde vitalis motus: et qua coerceatur arte, ut alia movens ipse non moveatur.* S. Gregor. licet contemplationis dono excellens, de corde suo conqueritur lib. 1. epist. 5. ad Theoctistam sororem Imperatoris: *Undique*, inquit, *causarum fluctibus quatior, ac tempestatibus deprimor, ita ut recte dicam Ps. 68. v. 3. Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me. Redire post causas ad cor desidero, sed vanis ab eo cogitationum tumultibus exclusus redire non possum. Ex hoc ergo longe mihi factum est, quod intra me est: ita ut obedire nequeam propheticæ voci, qua dicitur Isaiæ cap. 46. v. 8. Redite prævaricatores ad cor; sed stultis pressus cogitationibus solummodo exclamare compellor: Cor meum dereliquit me.* S. Ambr. hanc miseriam in se aliisque explicat, lib. de fuga sæculi, cap. 1. *Non est*, inquit, *in potestate nostra cor nostrum, et nostræ cogitationes, quæ improviso effusæ mentem animumque confundunt, atque alio trahunt, quam tu proposueris. Ad sæcularia revocant, mundana inserunt, voluptuaria ingerunt, illecebrosa intexunt, ipsoque in tempore, quo elevari mentem paramus, insertis inanibus cogitationibus ad æterna plerumque deiicimur.* S. Gregorius loco citato comparat vitam contemplativam Racheli et Mariæ ad pedes Domini sedenti. Liæ autem lippæ, sed fœcundæ, ac Marthæ ministeriis domus distentæ, vitam activam, quæ plus habet curarum et agitationis. Si hoc viris sanctis accidit, quid fiet nobis? Ugo Cardinalis in illud Ps. 38. *Concaluit cor meum intra me*, sic ait: Multi sunt, qui non habent cor intra se, sed extra ad temporalia, ad mundana quæcumque.

Plerorumque mentibus id accidit, quod eorum corporibus. Cor et mens eorum semper in motu est. Plinius lib. 11. cap. 37. *Cor*, inquit, *palpitat, et quasi alterum movetur animal, intra præmolli firmoque opertum membranæ involucro, munitum costarum et pectoris muro, ut pariat præcipuam vitæ causam et originem.* Hinc apparet omni animali cor esse mobilius. Nullum est enim animal quod non quiescat aliquando, et quod quiete non recreetur: cor vero semper movetur et si quiescat, moritur. In bonis viris Angelus est, qui semper Deo vigilat: in malis, dæmon est, qui in flammis suis perpetuo volvitur.

58. *Quandonam cor nos relinquit?* Ex his colligitur primo, quod cor nostrum derelinquit nos, cum non cogitat utilia, ut ait S. Thomas. Secundo, cum non cognoscit seipsum, ut S. August. qui hoc probat exemplo Petri mira, sed non vera iactantis, cum Christus pergeret in Gethsemani, ibi passionem suam incepturus: *Numquid*, ait, *comprehendit corde suo cor suum Petrus, qui dixit Matth. cap. 26. v. 35. Tecum usque ad mortem eo. In corde erat præsumptio falsa, in corde latebat timor verus, ut non erat idoneum cor ad comprehendendum. Cor ægrotum latebat, sed medico patebat. Quod de illo latebat, pronuntiatum est, hoc impletum est. Noverat in illo Deus, quod ipse in se non noverat, quia cor eius dereliquerat eum. Cor eius latebat cordi eius, et cor meum dereliquit me.*

59. *Peccatores sunt excordes.* Secundo, hinc colligitur peccatorem omnem esse excordem et vecordem: caret enim corde. S. Hieron. in Ps. nostr. *Quando*, inquit, *homo peccat, cor non habet. Unde David dixit 2. Reg. 7. 27. Invenit servus tuus cor suum ut oraret te oratione hac.* Ubi adverte, quod ista ponuntur statim post interminationem Davidi factam a Deo per Nathan Prophetam, ob admissa scelera adulterii et homicidii. Hinc recte concludit S. Hieron. *Ergo quando antea peccavit, non habuit illud.* Si quæras in cuius potestate sit cor peccatorum, cum ab iis recedit, respondebit S. Gregorius, esse in potestate dæmonis: *Reprobi*, ait, *corda sua non habent, quia ea diabolus possidet. Unde et de proditore dicitur, Ioan. 13. v. 2. Cum diabolus iam misisset in cor, ut traderet eum Iudas Simonis Iscariotis. Si enim Iudas cor suum et non diabolus possideret, ipse potius in eo bonum, quam diabolus malum poneret. Contra electus vir loquitur, dicens Iob 13. vers. 14. Animam meam porto in manibus meis. Quid enim manus electi est, quam potestas internæ libertatis? Quid ergo eis est animam in manibus portare, nisi internæ libertatis gloriam in potestate retinere? quotiescumque ergo graviter delinquimus, cor nostrum nos non habemus. Quare et Ieremias Iudaico populo graviter delinquenti improperans ait: Audi popule stulte, et qui non habes cor.* Sic ipse lib. 2. in 1. Reg. cap. 1.

Tertio, hinc colligitur omnem peccatorem esse mortuum: est enim sine corde. Sine corde autem non vivit homo, neque animalia quæ sanguinem habent. Cæsari quidem Dictatori, ut ait Plinius lib. 11. cap. 37. quo die primum veste purpurea processit, atque in sella aurea sedit sacrificanti bis in extis defuit. Cicero etiam lib. 1. de divinatione refert, in victima paulo ante Cæsaris interitum cor defuisse: aitque per hoc vitæ et consilii defectum esse significatum. Fateor a Galeno asseri 2. de placitis, victimam avulso corde ambulasse: et 7. de anatom. administrat. ab eodem afferri exemplum Maruli Mimographi filii, qui denudato omnino corde vixerit. Sed hæc rarissima sunt, et in illis victimis facile fuit cor a dæmone subtrahi. Andreas Laurentius quæst. anatom. c. 18. ambulationem, aut clamorem animalis, cui avulsum sit cor, refert in spiritus vitales per corpus diffusos; sed hoc parum durat. 60. *Omnis peccator est mortuus.*

Quarto, hinc colligitur cor nostrum sedula custodia esse muniendum, ne a nobis exeat, et simul vitam auferat. Proverb. 4. v. 24. *Omni custodia* (Chaldæus, munitione. Syrus, cautione. Vatabl. cura. Abeneria et Rudolphus, præ omni custodia) *serva cor tuum* (Vatabl. et Tigurina, omni pectus tuum) *quia ex ipso vita procedit.* Fusissime hunc locum tractat Cornelius, cum tibi intactum relinquo. Auctor Eccles. 30. 24. sciebat cor facile dissipari et dissilire per varias et ineptas cogitationes: ideoque egere cura, ut in se colligatur. Unde ait: *Miserere animæ tuæ* (Græce, dilige te ipsum) *placens Deo, et contine: congrega cor tuum in sanctitate eius.* Virtus unita maior est seipsa dispersa, sed opus est Dei potenti manu ad illam congregationem. 61. *Cor nostrum est diligenter muniendum.*

Custodiendum porro est cor: Primo, velut navis periclitans in tempestate. Sacra anchora iacienda est, ut firmetur. Caussinus lib. 3. parab. histor. cap. 5. Exhibeatur, ait, cor æstuans anchorali fune revinctum, quod significat his verbis Synesius in encomio calvitii: *Patere*, inquit, *orationem: et retine, quod aiunt, cor anchorali fune, quemadmodum Ulysses ad pellacium mulierum improbitatem imperturbatus remansit. Divinæ legis et sapientiæ vinculis cor alliga, ut moneris a Salomone Prov. 5. 1. Fili mi, attende ad sapientiam meam, et prudentiæ meæ inclina aurem tuam, ut custodias cogitationes.* Septuag. cogitationem bonam. Symm. scientiam bonam. S. Greg. cogitationes tuas. Ut enim ait 3. part. Pastor. admonitione 15. *Nihil in nobis est corde fugacius, quod a nobis toties recedit, quoties per pravas cogitationes defluit. Cum ergo cogitatio per custodiam restringitur, cor quod fugere consuevit, invenitur.* Secundo, cor custodiendum est, velut arx virtutum. S. Bernard. serm. 2. in Assumptione Mariæ: *Est*, inquit, *vulgare proverbium, quod multorum in ore, magis autem in corde versatur. Bonum, inquiunt, servat castellum, qui custodierit corpus suum. Sapiens tamen non sic, sed magis inquit: Omni custodia serva cor tuum.* Tertio, cor custodiendum est, velut domicilium sapientiæ. Seneca epist. 1. *Primum*, ait, *argumentum compositæ mentis existimo posse consistere, et secum morari.* S. Ambros. lib. 3. offic. cap. 1. David Propheta docuit, nos tamquam in ampla domo deambulare in corde nostro: et conversari cum eo, tamquam cum bono contubernali. Quarto, cor nostrum custodiendum est, veluti aula et templum Dei. S. Gregor. Nyssen. de resurrectione Christi, cor nuncupat οἶκον τοῦ νοῦ, domicilium mentis: sed S. Basilius in Psal. 28. longe illi honoratius dat nomen,

1. Velut navis. *2. Velut arx virtutum.* *3. Velut domus sapientiæ et Dei.* *4. Velut templum Dei.*

cum vocat αυλην αγιαν θεου, aulam sanctam Dei. Cresolius noster lib. de select. virtut. cap. 5. Cor, ait, est numinis domicilium, cuius æditua ex Tertulliano sit pudicitia. Et cap. 3. sect. 2. Cor, inquit, est penus gratiarum, hegemonicon, arx mentis, et Dei domus; est cor prætorium sancti Spiritus ad omnem amœnitatem extructum, numinis palatium, Regia Dei augusta, præsidio Angelorum munita, in qua solet cum filiis hominum deliciari: Proverb. 8. *Et deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Ea de causa in Evangelio Christus illud modo cubiculum vocat, in quod oraturi ingrediantur. Matth. cap. 6. v. 6. modo atrium a forti armato custoditum. Luc. cap. 11. v. 21. aliquando mansionem divinitatis. Ioann. cap. 14. v. 23. *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Iob idem cap. 29. v. 4. nominavit tabernaculum: *Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo.* Paulo etiam post appellat nidum, in quo non modo cum numine sancto morari, sed etiam mori cupit, nec latum unguem ab illa Dei habitatione discedere:

5. Velut thesaurus.

In nidulo meo moriar. Quinto, cor nostrum custodiendum est, velut thesaurus sacer. S. Macarius homil. 43. *Vasculum quidem parvum est cor, sed in quo recipiuntur omnia: ibi Deus, ibi Angeli, ibi vita et regnum, ibi cœlestis urbes, ibi thesauri gratiæ.*

6. Velut Dei altare.

Sexto, cor nostrum custodiendum est, velut altare Dei; sive holocaustorum, in principio conversionis; sive thymiamatis, in progressu vitæ spiritualis. Remigius Altisiodor. qui floruit circa annum 890. in commentario Ps. 25. cor vocat aram Dei.

62. In corde nostro est habitandum.

Quinto, hinc colligitur in corde nostro habitandum esse, ut illud custodiamus, et in illo velut in arca Noe a Deo clausa, conservemur. S. Ambros. lib. de Noe, c. 11. illud expendens Gen. 7. *Ingredere tu, et omnis domus tua in arcam,* dicit: *Hoc dicit Dominus iusto; Intra tu, hoc est, intra te ipsum, intra tuam mentem, in tuæ animæ principale, ibi salus est, ibi animæ gubernaculum.* Ad illam habitationem in corde perseveranter retinendam requiritur bona conscientia, et pax animi: alioqui mulier iracunda, id est, concupiscentia tumultuans, erit instar fumi, virum, id est, cor etiam generosum, domo expellentis. S. August. in Ps. 100. hoc docet: *Qui,* ait, *non habet quietum cor, habitare in corde suo libenter non potest. Tales foras exeunt a seipsis animi intentione, et de his quæ foris sunt circa corpus delectantur, quietem in magnis, in spectaculis, in luxuriis, in omnibus malis quærunt.* Non advertunt, ut ait S. Ambros. mox citatus, foris esse diluvium, foris periculum.

63. Cor est proliciendum in cor Iesu.

Sexto denique, hinc colligitur, cor nostrum, ut bene et secure custodiatur, in loco et portu commodo esse continendum: nempe in corde Iesu, quod ipse aperit, optans in illud intrare et servari corda hominum omnium. S. Bernardus tract. de Passione Domini in illud Ioan. cap. 15. v. 1. *Ego sum vitis vera,* cap. 3. sic ait: *Quia semel venimus ad cor dulcissimum Iesu, et bonum est nos hic esse, ne sinamus nos facile avelli ab eo, de quo scriptum est: Recedentes a te in terra scribentur. O quam bonum et quam iucundum habitare in corde hoc. Bonus thesaurus, bona margarita, cor tuum bone Iesu, quam fosso agro tui corporis inveniemus. Quis hanc margaritam abiiciat? quin potius dabo omnia, omnes cogitationes et affectus mentis commutabo, et comparabo illam mihi, iactans omnem cogitatum meum in cor Domini Iesu, et sine fallacia illud me enutriet. Ad hoc templum, ad hæc sancta sanctorum, ad hanc arcam testamenti adorabo, et laudabo nomen Domini dicens cum Davide, 2. Reg. 7. Inveni cor meum, ut orem Deum meum. Et ego inveni cor regis, fratris, et amici benigni Iesu. Et numquid non adorabo? Orabo utique. Cor enim illius mecum est:* ita Bernard.

ARTICULUS III.

Confusio, timor, et casus inimicorum Christi crucifixi et patientis: exultatio vero amicorum eius.

Christus licet in cruce cum summis doloribus luctaretur, victoriam tamen prævidit, et prædixit de hostibus suis reportandam. Nam 1. ait fore ut confundantur; 64.
2. ut timeant: 3. ut corruant: v. 15. Confundantur et revereantur simul, qui quærunt animam meam, ut auferant eam Convertantur retrorsum, et revereantur qui volunt mihi mala. Vide dicta Psal. 69. integre. Vers. 15

Et vers. 16. Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi: Euge, euge. Hebr. האח האח *heach heach;* S. Hieron. vah, vah; Symmachus αα. Campensis oho, ohe. Hæ omnes voces sunt deridentium et subsannantium. Nota, Hebraice hæc omnia sunt in futuro. Unde Pagninus et Arias vertunt: *Pudore afficientur, et erubescent pariter,* etc. Itaque prophetia est, non maledictio, aut imprecatio. Licet nihil vetet obstinatos a Christo maledici. Est enim iudex et vindex. Vers. 16.

I. Hostes Christi confunduntur.

Primo igitur, Christus hostibus suis innocentem se torquentibus, confusionem interminatur, v. 15. *Confundantur.* Quomodo id acciderit Pilato, Herodi, Scribis, Pharisæis, aliisque, dixi Psal. 2. sect. 1. Tropol. confusionis tartareæ initium est conscientia peccatoris. S. Petrus Damiani lib. 2. epist. 5. *Reproba,* inquit, *cuiuslibet anima fit confusio tartari: et sancta, munda atque perfecta species paradisi.*

S. Hieron. in cap. 1. Lamentation. Ierem. dicit το *convertantur,* de vera conversione et commutatione in meliorem sententiam esse intelligendum: *confundantur,* de erubescentia peccati: *revereantur,* ut emendent se, colantque quem persequendum esse putaverant. Stephanus Cantuar. in allegor. Golfr. Tilman. ait, confusionem orituram, si Christum nobis patientem ob oculos ponamus. Accedat, inquit, et videat mulctatum morte, turpatum cruce, sputis illitum, plagis lividum, spinis coronatum, lancea perforatum, et esse adversarius erubescat. S. Bernardus serm. in feriam 4. pœnosam, agens de illis sanctis diebus, in quibus memoria Passionis Christi omnium animos ferit: *Quis,* ait, *tam irreligiosus qui non compungatur? quis tam insolens, ut non humilietur? quis tam iracundus, ut non indulgeat? quis tam deliciosus, ut non abstineat? quis tam flagitiosus, ut non contineat? quis tam malitiosus, ut non pœniteat his diebus?* Efficacitatem deinde Passionis Christi ostendit, cum subiicit: *Merito quidem: namque adest Passio Domini usque hodie terram movens, petras scindens, aperiens monumenta.*

Pœnitentia agenda in hebdomada ultima quadragesimæ.

II. Trepidant.

Secundo, trepidationem rubori coniunctam Christus hostibus suis intentat, v. eod. 15. *Et revereantur simul qui quærunt animam* (id est, vitam) *meam, ut auferant eam.* Confundantur, et revereantur, id est, confusi erubescant, ait Bellarm. qui quærunt animam meam, ut auferant eam: hoc est, qui quærunt vitam meam auferre, me occidendo, et penitus extinguendo: hoc enim erat votum Iudæorum, et hoc se assecutos crediderunt, cum Christum cruci affixum viderunt: sed paulo post cum eum resurrexisse audierunt, et signis ac prodigiis maximis resurrectionem eius confirmari, et a populis credi viderunt, confusione et erubescentia repleti sunt: sed multo maiore confusione et verecundia replebuntur in die novissimo, cum eum iudicem suum iustissimum esse videbunt, quem in concilio suo falsis testibus inductis, iudicare præsumpserant.

Tropol. Timor erubescentiæ mistus est comes peccati individuus, et illud semper sequitur S. Chrysost. hom. 8. ad populum: *Quod,* ait, *aliquis deambularet, sensit Adam. Unde vero cogitavit, quod Deus deambulabat. Talis est peccantium consuetudo, omnia suspecta habent, umbras et omnem strepitum timent, et quemcumque putant contra se venire.* Et hom. 3. de verbis Isaiæ: Quæ, ait, possit illic esse voluptas, ubi metus, ubi discrimen, ubi periculum, ubi tantorum malorum expectatio, ubi tribunalia, ubi accusationes, ubi iudicis ira, ubi gladius, ubi carnifex, ubi barathrum.

III. Corruunt.

Tertio denique, casum irreparabilem Iudæis crucifixoribus suis Christus prædicit, vers. eodem 15. *Convertantur retrorsum.* Pagn. revertentur retrorsum, id est, confusi recedent, cogentur hosti terga dare: vel, cadent non in faciem, ut videant ubi cadant, sed in dorsum ut sur-

gere non valcant: sicut accidit iis qui Christum ceperunt in horto Gethsemani, cum quærentibus ipsum ait: *Ego sum*, Ioan. 18. 5. Tropol. id explicat S. Greg. 31. Moral. 18. *In faciem, ait, cadere, est in hac vita suas quemque culpas agnoscere, easque pœnitendo deflere. Retro vero quo non videtur, cadere. est ex hac vita repente decedere, et ad quæ supplicia ducatur, ignorare.* Et homil. 9. in Ezech. adducit exemplum S. Pauli et Ezechielis in faciem cadentium, et superborum retro ruentium. Quærendum, ait, nobis est, cur Ezechiel et Paulus in faciem cadunt: et de ascensore equi, id est, de eo qui in huius mundi gloria elatus est, dicitur ut cadat ascensor eius retro? Rursumque de persecutoribus scriptum est: Abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram. Quid est, quod electi in faciem, reprobi retrorsus cadant? nisi quod omnis, qui post se cadit, ibi procul dubio cadit, ubi non videt: qui vero ante se ceciderit, ibi cadit ubi videt. Iniqui ergo quia invisibilibus cadunt, post se cadere dicuntur: quia ibi corruunt, ubi quid eos tunc sequatur, modo videre non possunt. Iusti vero, quia in istis visibilibus semetipsos sponte deiiciunt, ut in invisibilibus erigantur, quasi in faciem cadunt, quia timore compuncti videntes humiliantur: Ita Gregorius.

S. Augustinus pie quidem, sed non liberaliter hunc versum in bonam partem interpretatur, quasi Christus precetur inimicis suis conversionem a peccatis ad Deum: ut iam non amplius superbe præcedant, sed humiliter subsequantur Dominum suum: *Quare*, ait, *illos dicit ut retrorsum redeant? Quia qui ante superbi erant, ut caderent retro, humiles facti sunt ut resurgant. Quando enim ante sunt, præcedere volunt Dominum, meliores volunt esse, quam Dominus: si autem retro sunt, ipsum agnoscunt meliorem, ipsum priorem, se posteriores, ut ille præcedat, illi sequantur.*

65. Victis hostibus cum Salvatore triumphum agunt iusti,
Vers. 17. v. 17. EXULTENT ET LÆTENTUR SUPER TE OMNES QUÆRENTES TE, ET DICANT SEMPER, MAGNIFICETUR DOMINUS, QUI DILIGUNT SALUTARE TUUM. Nota, pro *super te*, S. Hieronymus legit, *in te*: ita etiam Pagninus, Felix, Camp. Flamin, lætare, sed in Christo, intra Christum crucifixum, in eius vulneribus habitans. Esto Christo concrucifixus, manus tuæ manibus ipsius iungantur, et pedes pedibus; sic super ipsum exultabis.

Crucis fructus suaves et utiles.

Christi crux est arbor vitæ, suavissimos fructus fundens. Christi crux est arbor myrrhæ, utilissimam stacten distillans. Crux est arbustum sinapi, sapidos dans fructus. S. Chrysologus serm. 58. *Christus*, inquit, *est regnum cœlorum, qui velut granum sinapis, in hortum virginei corporis missus orbe toto crucis in arborem crevit: ac tantum dedit fructus sui saporem, cum teritur passione, ut quidquid est vitale, suo saporaret et condiret attactu. Nam sicut in integritate grani sinapis virtus habetur occulta, apparet vero virtus eius, vehementissime si teratur: ita Christus corpore teri voluit, qui suam noluit latere virtutem.* Neque te sinapis acrimonia terreat, in dulcedinem convertetur. Drogo Hostiensis Episcopus serm. de sacramento Dominicæ Passionis: *In hac cruce*, inquit, *suspenditur anima a terra, et dulcia poma de ligno vitæ decerpit.*

S. Bernard. serm. 2. in Dominica Palmarum dicit, ideo mistam fuisse passionem processioni: ut discamus in nulla lætitia huius sæculi habere fiduciam, scientes quoniam extrema gaudii luctus occupat. Nos quoque non incongrue dixerimus, mistam quoque fuisse processionem passioni, ut in nulla pro Christo passione animo deficiamus: scientes quod extrema brevis mœroris gaudium æternum occupabit: atque ex ipsis Christi doloribus, et ipsi gloria, et nobis lætitia promanabit. Hoc advertunt multi in corona spinea capiti eius imposita: corona fuit, quia gloriosa: spinea, quia dolorosa. Deinde quia per virtutem passionis suæ de spinis, id est, de conversis peccatoribus, sibi coronam et gloriam texit. Lactantius lib. 4. de vera sapientia, cap. 26. *Corona*, inquit, *spinea capiti Christi imposita, id declarabat fore, ut divinam sibi plebem de nocentibus aggregaret. Corona enim dicitur circumstans in orbem populus. Nos autem qui ante cognitionem Dei fuimus iniusti, spinæ, id est mali, et nocentes eramus, ignorantes quid esset bonum, et a iustitiæ notione atque operibus alieni, omnia scelere ac libidine polluebamus. Electi ergo ex dumis et sentibus, sanctum Dei caput cingimus, quia convocati ab ipso, et circumfusi undique ad eum, magistro ac doctori Deo assistimus, regemque illum mundi, et omnium viventium Dominum coronamus.* S. Cyrill. Alexandrinus lib. 11. in Ioannem, cap. 15. Audivi aliquos, quibus valde placebat, per coronam de spinis multitudinem sculptilia colentium significari, quæ per fidem in diadema Christi suscepta est. Spinæ namque sunt steriles, quoniam nullum pietatis fructum producebant. Ita Cyrillus, qui censet hanc interpretationem non esse reiiciendam. Tunc capiti Christi impositi iusti, et cum coronantes exultant et lætantur *super eum*, et ipse vicissim in iis exultat, ac triumphat, et dicit quod Paulus de Philippens. cap. 4. v. 1. *Gaudium et corona mea.*

Nota, hæc lætitia, et cætera e cruce bona dimanantia 66.
non proveniunt, nisi Christum perfecte et ex animo, et in cruce fixum quærentibus: *Exultent et lætentur super te* (os manibus et pedibus tuis infigentes, teque complexantes) *omnes quærentes te.* Invenient enim, cum a cruce non discedas, sed expansis manibus, et capite inclinato accurrentes suscipias. Primo, ad iter crucis sanguine et vestigiis Christi signatum nos invitat Christus ipse, Matth. 16. 24. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* S. Chrysost. homil. 28. in epistolam ad Hebræos: *Discipulus es*, inquit, *magistrum imitare, hoc quippe est discipuli: si vero ipse per tribulationes perrexit, tu vero per requiem vis ire, non eamdem viam vis pergere, quam ille perrexit, sed aliam. Quomodo ergo sequeris non sequens? quomodo eris discipulus, non sectans magistri vestigia?* Secundo, Gillebertus serm. 18. in Cant. hortatur, ut nos totos in Christi patientis dolores immergamus, et viam crucis tinctam Christi cruore humiliter et amanter teneamus: *Non veniet*, ait, *tibi pes superbiæ, si humilem secteris ascensum, qui sponsi tui sacro cruore signatur: huic tu non modo pedem, sed etiam manum et caput intinge, ut tota purpurea, tota regalis, et passione Christi tota nobilitata ascendas.* Petro ipsi quietem petenti ante pugnam, non conceditur ut in monte Thabor cum Iesu maneat. Nam, ut ait S. Leo sermone de Transfiguratione, non quidem improbum, sed inordinatum est quod cupiebat, cum salvari mundus nisi Christi cruce non posset: et exemplo Domini in hoc laudaretur credentium fides, ut licet non oporteret de beatitudinis promissionibus dubitari, intelligeremus tamen inter tentationes huius vitæ prius nobis tolerantiam postulandam esse, quam gloriam, quia tempora patiendi non potest felicitas prævenire regnandi: ita Leo.

Crucis fructus non proveniunt nisi Deum quærentibus.

Hostes devicti et triumphati rursus caput erigunt, et in nos insiliunt, sed Deus adiuvat, v. 18. EGO AUTEM Vers. 18.
MENDICUS SUM, ET PAUPER: DOMINUS SOLLICITUS EST MEI. ADIUTOR ET PROTECTOR MEUS ES TU: DEUS MEUS NE TARDAVERIS. Hoc de se ipso dicit David, postulans et sperans celerem Verbi incarnationem: ita Euthymius. Præviderat 67.
Propheta, inquit, summas illas divitias, quæ a Dei gratia in Christianos erant effundendæ: cumque eas non mediocri desiderio concupisceret, demum velut is qui se novorat ab eo tempore procul esse, contristatus est, et miserum se ideo appellans ait: Ego autem mendicus sum, et pauper, qui huiusmodi divitiarum particeps esse nequeo; verumtamen Deus erit mei sollicitus: ut scilicet mihi pariter gloriam illam communicet, quam fideles in cælorum regno percepturi sunt. Siquidem et ab ipso Domino dictum legimus, quod David concupivit videre diem eius: qua ratione rogat nunc Deum Propheta noster, dicens ne tardaveris; tuam scilicet incarnationem. Sunt enim supplicantis verba ad Deum filium. Sic Euthym. Secundo, populum Israelem hic loqui censet S Athanasius, cumque se inopem ac pauperem dicere spemque sibi Deum suum proponere. Tertio, de tota Ecclesia exponit S. Basilius. Quarto, de toto humano genere S. Chrysost. *Men-*

Quis hic mendicus intelligitur?

dicus, inquit, et pauper homo est; cum enim esset dives et nobilis (Dei namque lege ditatus erat, et affinitatem cum ipso ob regiam imaginem contraxerat) eo tamen inopiæ redactus est, ut eius paupertate ad multas generationes pervadente, deinceps tamquam in paupertate nutritus, pauper nominaretur. Huius autem curam suscipit Deus, ut ait S. Ioan. c. 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quinto, hoc de uniuscuiusque fidelis persona dici potest, ut ait Euthymius: *Inopes enim,* inquit, *sunt Christiani omnes, veluti qui universa fortunæ bona dimiserunt; et pauperes, veluti qui propriis manibus necessaria sibi parant; πτωχος enim, qui latine inops ex etymologia Græci nominis a cadendo dictus est, veluti ab omnibus antiquis opibus deciderit, et nunc sit sine ope; πενης vero, qui latine pauper, a labore; quia nimirum proprio labore opportuna omnia sibi comparat.* Ita ille: πτωχος itaque dicitur quasi πεπτωκος, id est qui cecidit, e suis scilicet divitiis, a verbo πιπτω, id est cado: deduci potest etiam a πτοεω, id est terrefacio, exterreo, ut sit πτωχος ille, qui præ paupertate pavidus, et metu contractus, ac pudore suffusus stipem emendicat: πενης vero deducitur a πενομαι, id est, ago, facio, operor: unde derivatur πονος, id est labor. Debemus nos et emendicare a Deo gratias, quia non sumus sufficientes ex nobis cogitare aliquid boni, aut dicere Dominus Iesus: et operari, quantum possumus. Nam dicet Christus in die iudicii Matth. 20. 8. *Voca operarios, et redde illis mercedem.*

68. Christus fuit pauper. Sexto denique, et optime loquitur hic Christus, qui se mendicum dicit ac pauperem. Nam ut ait Paulus 2. Cor. 8. 9. *Propter vos egenus factus est,* ἐπτώχευσε, id est mendicavit, ut explicat Erasmus, *cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis:* divitiis scilicet spiritualibus et gratia Dei. Vide S. Gregor. Naz. orat. 1. in Pascha. Paupertas hæc Christi summa fuit. Primo enim natus est in stabulo, et quidem alieno. Luc. 2. 7. de Virgine dicitur: *Reclinavit eum in præsepio* (ligneo scilicet, quod, ut ait S. Cyprianus erat in stabulo domus rusticanæ: vel, ut S. Hieronymus et Beda melius, in spelunca excisa in rupe) *quia non erat ei locus in diversorio.* Secundo, tamquam pauper fabrilem artem cum Ioseplio patre suo exercuit. Matth. 13. *Nonne hic est fabri filius?* Marc. 6. 3. *Nonne hic est faber?* Fabrum fuisse ferrarium putant S. Hilarius et S. Ambros. 2. fuisse fabrum murarium, vel aurificem opinatur Ugo; 3. probabilius S. Iustin. S. Chrysost. S. Thom. dicunt, fuisse fabrum lignarium. Unde textus Arab. habet apud Matth. *Nonne hic est fabri lignarii filius?* Tertio, tempore prædicationis suæ plerumque non habuit propriam domum ubi quiesceret. Luc. 9. 58. et Matth. 8. 20. ait: *Vulpes foveas* (φωλεὰς, cavernas, speluncas) *habent: et volucres cæli nidos.* (S. Aug. lib. 22. in Faustum cap. 48. diversoria Græc. κατασκηνώσεις, umbracula ex ramis et frondibus arborum contexta) *Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Et tu amplas porticus, et ingentia tectorum spatia metiris? Hæreditatem expectans sæculi, Christi cohæres esse non poteris. Lege totam epistolam. Quarto, Christus toto tempore prædicationis ex eleemosynis piarum præsertim mulierum vixit. Luc. 8. 1. *Ipse iter faciebat per civitates et castella, prædicans et evangelizans regnum Dei: et duodecim cum illo, et mulieres aliquæ, quæ erant curatæ a spiritibus malignis, et infirmitatibus:* eas nominat, *Maria quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia* (septem vitia capitalia: ita S. Gregor. hom. 33. septem viri dæmones: ita S. Ambrosius et bene, libro de Salom. cap. 5.) *et Ioanna uxor Chusæ procuratoris* (Arab. thesaurarii: Syr. œconomi) *Herodis, et Susanna, et aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.* Quinto, Christus pauperum cibis utebatur, vivens pane hordeaceo, saltem aliquando: ut colligitur Ioannes 6. 8. Ibi enim dicitur, quod cum Iesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis (id est, quod etiam vocatur mare Tiberiadis, ab urbe Tiberiade vicina) vellet consulere quinque virorum millibus præter mulieres et parvulos, ait S. Andreas, esse ibi puerum unum, qui haberet quinque panes hordeaceos, et duos pisces. Eos porro panes censet S. Chrysostomus fuisse panes Apostolorum, alii putant fuisse venales. Sexto, in cruce rebus omnibus spoliatus pependit, Matth. 27. 35. Septimo, in sepulcro alieno sepeliri voluit. Matth. 28. 60. *Posuit illud* (Ioseph corpus Iesu) *in monumento suo novo.* Octavo denique, et huic loco maximo proprie, Christus natus annos duodecim emendicato pane vixit per triduum, quo remansit Ierosolymis, ut omnibus etiam pauperrimis exemplo et consolationi esset. 69. Et mendicus. Hoc negat Abulens. in Matthæi 17. quæst. 194. quia mendicare Iudæis erat vetitum, Deuter. 15. 4. *Mendicus non erit inter vos.* Sed affirmat S. Bonavent. S. Bern. homil. infra octavam Epiphaniæ, Alensis et alii. Verba autem illa Deuteronomii non sunt præceptum, sed sunt promissio abundantiæ, q. d. Ita eritis divites, ut nemo vestrum cogatur mendicare. Lege S. Thom. 2. 2. q. 187. artic. 5. ubi docet, licitum esse religiosis mendicare, et quæ dixi Psal. 36. v. 25. Christum quoque discipulos suos docuisse emendicare, ait Theophylactus in cap. 10. Lucæ, sicut cum S. Thomas citat in catena aurea.

Si Christum nudum et crucifixum sequeris pauper et mendicus, ne timeas; sed dic cum Christo: *Ego autem mendicus sum et pauper: Dominus sollicitus est mei.* S. August. et Cassiodor. *Dominus curam habet mei.* Si tui curam rex haberet, licet esses pauperrimus, non timeres; et Deo te vidente, amante, curante, trepidas et desperas. Matth. 6. 25. nimiam curam et anxietatem vetat Christus: *Ne solliciti sitis animæ vestræ* (id est vitæ, ait S. August.) *quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini.* Probat 1. quia Deus animam et corpus dedit, quæ sunt cibo et veste præstantiora; 2. quia aves cæli, id est aeris, non laborantes nutrit; 3. quia corpus auget; 4. lilia vestit; 5. quia nimia sollicitudo est quædam infidelitas; 6. Deus videt nostram indigentiam. S. Chrys. hom. 57. ad popul. *Deo pascente,* ait, *non est opus nos esse sollicitos.* S. Petr. epist. 1. cap. 5. 7. *Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Vide dicta Ps.* 54. 23. *Iacta super Dominum curam* (Vatabl. pondus, vel sarcinam) *tuam, et ipse te enutriet.* Hebr. sustentabit, perficiet, curabit.

Sed ut hæc tibi eveniant, quære regnum Dei et iustitiam eius; nempe Dei: quia in Greco est masculinum αὐτοῦ. Ugo Card. in Psal. nostr. notat ingeniose ea quæ necessaria sunt ex animo Christum sectanti. In hoc, ait, solo versu notantur tria bona. Primo, cordis: *exultent et lætentur.* Secundo, operis: *quærentes te.* Tertio, oris: *et dicant.* Undecim etiam tanguntur bona: 1. *exultent,* contra acediam; 2. *lætentur,* contra iram; 3. *super te,* contra cupiditatem: quasi non super aurum vel argentum; 4. *omnes,* contra singularitatem; 5. *quærentes,* contra pigritiam; 6. *et dicant,* contra taciturnitatem confessionis et laudis; 7. *semper,* contra interruptionem boni; 8. *magnificetur,* contra invidiam; 9. *Dominus,* contra superbiam; 10. *qui diligunt,* contra odium; 11. denique, *salutare,* contra infirmitatem spiritus: ita Ugo. Sic per virtutes Christo confixus eris cruci. Omnis enim virtus, quæ laborem annexum habet, crux quædam est. Drogo Hostiensis Episcopus, qui floruit tempore S. Bernardi, sermone de Sacramento Dominicæ Passionis, inter cruces recenset fidem, spem, et charitatem: *Crux tua,* inquit, *fides est, cuius latitudo charitas, longitudo longanimitas, altitudo spes, profundum timor. In hac cruce te invenit, quicumque te invenit: in hac cruce anima suspenditur a terra, et dulcia poma de ligno vitæ decerpit: in hac cruce Domino suo adhærens dulciter decantat: Ps. 3. v. 4. Susceptor meus es tu, gloria mea, et exaltans caput meum.* Et postea docet timorem Dei esse animæ crucem: *Membrorum mortificatio,* inquit, *crux carnis est. Crux animæ, timor Domini. Timor Domini configit animam, ut non respiciat ad dexteram, neque ad sinistram. Est et tertia crux spiritus, quæ est charitas: Galat.* 2. 19. *Christo confixus sum cruci, quis me separabit a charitate Christi?* Atque illa crux habet clavos suos, quibus crucifixos suos teneat, ne resiliant. Psal. 118. v. 120. *Confige timore tuo carnes meas: a iudiciis enim tuis timui.* 70. Per virtutes cruci Christi hæremus.

PSALMUS QUADRAGESIMUS.

1. In finem, Psalmus ipsi David.

2. Beatus qui intelligit super egenum, et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.
3. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra: et non tradat eum in animam inimicorum eius.
4. Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius: universum stratum eius versasti in infirmitate eius.
5. Ego dixi: Domine miserere mei: sana animam meam, quia peccavi tibi.
6. Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur, et peribit nomen eius?
7. Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur, cor eius congregavit iniquitatem sibi.
Egrediebatur foras, et loquebatur.
8. In idipsum.
Adversum me susurrabant omnes inimici mei: adversum me cogitabant mala mihi.
9. Verbum iniquum constituerunt adversum me: Numquid qui dormit non adiiciet ut resurgat?
10. Etenim homo pacis meæ, in quo speravi: qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.
11. Tu autem Domine miserere mei, et resuscita me: et retribuam eis.
12. In hoc cognovi quoniam voluisti me: quoniam non gaudebit inimicus meus super me.
13. Me autem propter innocentiam suscepisti: et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.
14. Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo, et usque in sæculum: fiat, fiat.

PSALMI QUADRAGESIMI ANALYSIS.

David Christum pauperem et patientem hic loquentem inducens ostendit,

- Compatientium ipsi præmia, 2.
  - In æternitate 2. in qua
    - Misericors erit beatus. 2.
    - Et a terribili die iudicii liberabitur. 2.
  - In hac vita, ubi
    - Conservatur corpus misericordis. 3.
    - Vivificatur anima. 3.
    - Augentur divitiæ, honores et deliciæ. 3.
    - Hostium insidiæ vitantur. 3.
  - In morte, 4. in qua
    - Deus illi opem fert cum ægrotat. 4.
    - Et dolores mitigat. 4.
- Patientis ipsius dolores, 5. inflictos
  - A peccatis omnium, 5. pro quibus
    - Misericordiam implorat. 5.
    - Et pœnas persolvit. 5.
  - A malitia Iudæorum, 6. qui
    - Odio in eum efferantur. 6.
    - Contumelia afficiunt. 6.
    - Crudelitate, mortem inferre optant. 6.
    - Hypocrisi, amicitiam simulant. 7.
    - Mendacio, insontem accusant. 7.
    - Invidia, malum eius desiderant. 7.
    - Impudentia, falsa venditant. 7.
    - Detractione, famam vellicant. 7.
    - Susurratione, mutuo se incitant. 8.
    - Obstinatione, perpetuo mala meditantur. 8.
    - Iniustitia, innocentem morti addicunt. 9.
    - Infidelitate, resurrecturum, non credunt. 9.
  - A Iudæ impietate 10. qui
    - Hypocrisi, amicum se fingebat. 10.
    - Perfidia, sibi confidentem prodidit. 10.
    - Ingratitudine, benefactorem morti destinavit. 10.
    - Crudelitate, magistrum calcavit. 10.
- Resurgentis gloriam ei datam, 11.
  - Misericordia Domini, erga afflictissimum servum. 11.
  - Charitate Patris, erga filium amantissimum, ad
    - Hostium
      - Punitionem. 12.
      - Et confusionem. 12.
    - Christi
      - Quietem in æternum stabilem. 13.
      - Et visionem beatificam. 13.
    - Dei ipsius
      - Laudem in ore fidelium continuam. 14.
      - Et in cælo semper duraturam. 14.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. In finem, Psalmus ipsi David.

1. Psalmus hic non est de Ezechia. Psalmum hunc de variis varii explicant. Primo, de Ezechia rege exponit Theodorus Mopsuestenus. Quæ, inquit, beato Ezechiæ evenerunt, in hoc Psalmo beatus David prædicit, quomodo, et qua de causa, et propter quod peccatum ægrotaverit, et quid in morbo suo ei contigerit ab amicis. Deinde docet eum propter susceptam pauperum curam pristinam sanitatem recuperasse: omnes demum ad huiusmodi pietatis officia adhortatur.

Nec de Salomone. Secundo, Hebræi exponunt de Salomone, qui opera Nathan Prophetæ ad regnum sit evectus: unde favore ac potentia plurium, Adoniæ partes sequentium, pene deiectus erat, 3. Reg. 1. quando David senio confectus calefieri non poterat.

Nec de Davide. Tertio, Iansenius de ipso Davide Psalmum exponit, quem, ut putat, composuit occasione corporalis morbi, in quem se ob peccata sua incidisse agnovit: quamquam sint qui sub nomine ægritudinis corporalis putent intelligendam esse calamitatem, quam sub Absalone perpessus est. Commendat autem primum, ac felices pronuntiat eos, qui afflictos et calamitosos miserantur: tum interposita prece, qua sanitatem animæ precatus fuit, queritur de inimicis suis, qui cum ipse æger admodum iaceret, mortem eius optabant, etsi aliquando tamquam amici illum inviserent. Inter quos unum fuisse queritur, qui cum amicissimus esse debebat, et sperabatur, perdere tamen magis ipsum studuerit. Postea canit, quomodo oranti sibi a morbo liberationem Deus opem tulerit, et sanitate reddita ipsum præstare fecerit, subtracta inimicis eius lætandi super interitu eius occasione, propter quod Dominum perpetua laude prosequendum concludit: ita Iansen.

Sed de Christo. Quarto denique, et optime S. Ambros. S. Hieronym. S. August. Bellarm. Valent. Theod. et alii, de Christo etiam ad litteram exponunt. Verba Theodoreti sunt: Nonnulli præsentem Psalmum ipsi David, alii Ezechiæ adscripserunt. Utrumque dictum divinum Evangelium accipiendum prohibet. Nam Dominus cum Apostolis collocutus hæc dixit Ioan. 13. 17. *Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea. Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum.* Cum igitur Dominus dicat, ut Scriptura impleatur, et præsentem Psalmum sibi, et non alii, congruere ostendat, *rem audacia et temeritate plenam iudico,* aliud argumentum huic Psalmo minime consonum effingere: ita Theodoretus. Passionem Christi, resurrectionem et ascensionem hic contineri, ait Apollinaris.

2. Christus in toto psalmo loquitur. Quæres, quis hic loquitur? Titelmannus censet tres primos versus a Christo non pronuntiari, sed ab ipso Propheta, qui in spiritu Christum contemplans, de eo loqui incipit, beatos illos pronuntians, et beatitudinem illorum declarans, qui in Christum egenum et pauperem venturum essent credituri. Postea vero censet Christum induci loquentem in propria persona.

Secundo, et melius, Christus ipse totum Psalmum pronuntiat in propria persona. Neque obstat quod dicat, *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem,* quasi de alio loquens. Hebræi enim sæpe de se in tertia persona loquuntur, quod diligenter notandum est in Psalmis.

3. Connexio cum Psalmo præcedente. Quæres secundo, quænam est connexio huius Psalmi cum præcedente? Respond. in ultimo versu præcedentis dixerat: *Ego autem mendicus sum et pauper.* In primo autem versu huius Psalmi ait beatum esse eum, qui intelligat super se egenum et pauperem. Secundo, ut ait S. Ambrosius: *Bono ordine, qui in superiore Psalmo dixit, Ecce venio: in hoc iam venit, et patitur: et ideo quadragesimus Psalmus inscribitur, quia quadraginta diebus ieiunavit Dominus Iesus, ut eo numero consummaret hominis qui perierat perfectionem. Sicut enim per appetentiam interdicti fructus amiserat gratiam, ita per ieiunium reparari eius virtutem oportuit: ut qui perierat in Adam, repararetur in Christo. Ideo ergo in finem, quia ipse finis est spei nostræ, ad ipsum studia nostra dirigimus, ad ipsum vota nostra conferimus; quia ipse est plenitudo, ipse est consummatio universorum, ipse omnium summa virtutum. Ideo ipsi David quasi ei, qui solus ex omnibus in sua carne nostra peccata suscepit, qui solus Dei agnus peccatum totius mundi abstulit, qui solus chirographum decreti sanguinis sui effusione delevit et tulit de medio, atque suffixit cruci quasi sapientia, sciens quomodo vetus peccatum mundi solveret: quasi redemptio, quomodo hominem renovaret a culpa, quasi sanctificatio, quomodo eum sanctificaret ad gratiam.*

DIVISIO TOTIUS PSALMI

4. Tria Christus complectitur. Primo, misericordiæ erga seipsum et pauperes fructum, vers. 2. Secundo, hostium suorum, et Iudæ malitiam et odium, vers. 5. Tertio denique, Dei, se a morte excitantis auxilium, vers. 11.

SECTIO PRIMA.

Duo continet. Primo, Christi pauperis et aliorum miseriam sublevandam docet, vers. 2. Secundo, misericordiæ illius utilitates explicat, vers. 2. et sequentibus.

PARAPHRASIS.

2. *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.*

2. Qui vera sinceraque charitate provide pauperum inopiæ succurrit, atque calamitati, ille felicissimus est. Si qua tempestas ingruerit, illico a syrtibus eum et scopulis quietum in portum Deus subducet: ac præsertim in die extremi iudicii, licet horroris plenissima, ab omni metu et periculo eximet. Sed potissimum illum adiuvabit, qui me pauperem et ab omnibus rebus in Passione et cruce spoliatum contemplabitur, amabit, colet, iuvabit.

3. *Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum fa-*

3. Dominus illæsum atque incolumem mediis in huius vitæ periculis conservabit: et si forte in aliquod vitæ discrimen inciderit, ipse e mortis faucibus eripiet, ut pri-

ciat eum in terra: et non tradat eum in animam inimicorum eius.

stinæ incolumitati restituat. Nec sanus modo ac vegetus perstabit: sed bonis omnibus circumfluens inter suos florebit, nec suorum in hostium manus incidet, licet illi vel maxime insidientur.

4. ***Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius: universum stratum eius versasti in infirmitate eius.***

4. Illudque divinum auxilium etiam in morbis, extremoque mortis discrimine sentiet, ibique sibi a Deo robur inditum ad dolores perferendos gaudebit. Nec medici vices tantum explet Deus, sed amantissimæ nutricis, quæ præ dolore vagientem pupulum suavibus canticis solatur, lectumque versans efficit, ut quiescat.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta eleemosynæ commoda.

5. Eleemosynæ varia commoda. Christus in Psalmo loquens, felicem prædicat eum, qui erga se aliosque pauperes opera misericordiæ exercet. Percenset autem utilitates, quas inde percipit in æternitate, in hac vita, in morte.

Ac primo, tota æternitate beatus erit misericors, v. 2. *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem.* In die iudicii terribilis liberabitur: *In die mala liberabit eum Dominus.*

Secundo, in hac vita Deus illum conservat, v. 3. *Dominus conservet eum;* 2. animam eius vivificat: *Et vivificet eum;* 3. divitias et honores ipsius auget: *Et beatum faciat eum in terra;* 4. hostium insidias amolitur: *Et non tradat eum in animam inimicorum eius.*

Tortio denique, in morte illi opem fert Deus, ut virtutes exerceat, v. 4. *Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius;* 2. dolores eius mitigat in morbo: *Universum stratum eius versasti in infirmitate eius.*

ARTICULUS I.

Ad felicitatem æternam consequendam utilissima est eleemosyna.

Cum de Christo paupere, qui etiam hic intelligitur, satis dixerim in Psalmi præcedentis ultimo versu, hoc loco dicendum est præsertim de aliis pauperibus, in quibus se ipse occultat. Duo porro videnda sunt: Primo, quales esse debeamus erga pauperes. Secundo, qualem se
6. Vers. 2. Ad eleemosynam perfecte dandam necessariæ sunt virtutes quatuor. Christus exhibeat erga misericordes: hic utrumque ponitur, vers. 2. Beatus qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. Hebraice, pro *qui intelligit*, est משכיל *maschil*, id est, intelligens, aspiciens; 2. curans, providentiam habens. Importat attentam et accuratam cogitationem, studium, sollicitudinem, benignam curam, providentiam, gnavam et consideratam operam. Multas virtutes, tum ex Hebraica hac voce, tum ex voce, *intelligit*, possis deducere.

I. Fides. Primo, fides assumenda est, ut quis *intelligat* super egenum et pauperem, sive per pauperem et egenum sumas Christum, sive alios pauperes. De Christo interpretatur S. Ambr. *Cum fide*, ait, *pretiosa misericordia: sine fide, nuda: sine fide, instabilis. Fides enim virtutum omnium stabile fundamentum est. Beatus ergo qui intelligit super Christi inopiam et paupertatem: qui propter nos pauper factus est, cum dives esset. Dives in regno, pauper in carne: quia suscepit hanc pauperum carnem. Pauperes enim facti sumus nimis, qui virtutum exuvias pretiosas fraude serpentis amisimus, exclusi de Paradiso, eiecti de patria, in exilium relegati, ipso quoque nudati corporis integumento: quod antea virtutum septa muniebant, postea delicta nudarunt. Si ergo egenus et pauper in carne, utique egenus et pauper in carnis istius passione. Non ergo in divitiis suis, sed in nostra passus est paupertate.* Lege S. August. in huius Psalmi præfatione, ubi de Christo etiam id explicat. 2. Ingeniose S. Chrysologus requirit perspicacem fidei oculum, ut in paupere Christus intelligatur. Neque enim est intelligens, id est intellectu agens, qui oculis tantum corporis videt inopiam et nuditatem pauperis: sed ille demum intelligit, qui intus legit, et sub vili cortice medullam videt: Christum scilicet amoris et misericordiæ Deum. Verba S. Chrysologi sunt serm. 14. *Quod ipse*, ait, *qui cælum tegit, sit nudus in paupere: quod in esurien*-

A *te esuriat saturitas rerum: quod sitiat in sitiente fons fontium, intelligere quomodo non magnum est? quomodo non beatum intelligere, quod ei sit ampla paupertas, cui angustum est cælum? qui ditat mundum, quod egeat in egente? quod frustum panis, quod aquæ calicem dator omnium petat? quod se Deus amore pauperis sic deponat, ut non adsit pauperi, sed ipse sit pauper? Hoc cui videre dederit Deus ipse videt. Sed quomodo aut in se transfuderit pauperem, aut se in pauperem fuderit, dicat ipse iam nobis: Matthæi cap.* 25. *vers.* 35. *Esurivi enim, et dedistis mihi manducare.* Si radiis divinitatis emicans Christus, et gloria sua illustris appareret in terris, ecquis fulgorem eius ferre possit? quis accedentem affari? delitescere voluit in pauperculis filiis suis, ut esset unde illi dona offerre possemus. S. Chrysost. hom. 20. in 2. epistola ad Corinth. *Cum*, ait, *vides pauperem, corpus Christi, aram Christi, videre te existima, et reverere, atque eleemosynæ sacrificium offer, unde gloria et gratiarum actio, quasi fumus, ascendat ad Deum.* Et hom. 33. ad populum: *Quamdiu*,
B ait, *nundinæ istæ perdurant, emamus eleemosynas: vel potius*, δια της ελεημοσυνης αγορασωμεν σωτηριαν, *per eleemosynam emamus salutem*; χριστον ενδυεις, πτωχον ενδυων, *Christum vestis, qui pauperem vestis.* Et homilia de eleemosyn. inde pauperum excellentiam colligit, quod Dei personam induat: *Proh!* inquit, *quanta paupertatis dignitas, Dei personam induit: in paupertate absconditur Deus: pauper manum extendit et accipit Deus.* In eamdem sententiam abiit universus Patrum Senatus. S. Chrysolog. sufficiet serm. 8. *Manus pauperis*, ait, *est gazophylacium Christi: quia quidquid pauper accipit, Christus acceptat.* Hinc sub pauperis figura aliquid a S. Martino, a S. Gregorio Magno, et ab aliis, accipere dignatus est. Hinc tam effusi in eleemosynas fuere Sancti, ut patet in vita S. Ioannis eleemosynarii Patriarchæ Alexandrini, qui nonnunquam diebus singulis septem pauperum millia suis sumptibus sustentabat.

Secundo, ut ait Lorinus, et Bellarminus, prudentia et discretio significatur in verbo *intelligendi*. Primo, ne, ut 7. II. Prudentia.
C S. Ambrosius monet, 2. de pœnitentia cap. 9. tuas simul effundas opes, ita ut postea pœniteat. Secundo, ut in largitione ordinem serves, de quo S. Hieron. epistola 150. quæst. 1. iubens præferri domesticos fidei; et inter hos, qui ob Christum sua omnia reliquerunt, aut per persecutiones perdiderunt: et, ut ratio potior habeatur bonorum, quam qui tanta iniquitate, quanta paupertate scatent, nisi spes affulgeat emendationis. Et in cap. 3. Isaiæ hunc Psalmi nostri locum sumit, non simpliciter de illo qui indiget eleemosyna, sed qui sit pauper spiritu. Et adversus Vigilantium ingeniose notat, talem esse, quem iubeamur amicum facere de mammona iniquitatis, ut recipiat nos in æterna tabernacula. Lucæ cap. 16. vers. 9. in vulgari paupere sustentando esse opus eleemosyna: in sancto, beatitudinis intelligentia, ut ei tribuamus qui erubescit accipere, et dum acceperit, dolet: metens carnalia, et seminans spiritualia, cum alius inter sordes et illuviem flagret libidine, nec præsentia possidens, nec futura. Videndum est, cui, quando, quantum tribuere debeas.

D Tertio, S. Thomas in voce intelligendi notat misericordiæ promptitudinem: *Non dicit*, inquit, *qui subvenit: quia debes esse misericors ad modum Dei. sed Deus non expectat quod semper petatur. Uno modo subvenit desiderio antequam petatur; et ideo ille est vere misericors, qui non solum petentibus subvenit: sed etiam indigenti subvenit, antequam petatur.* S. Leo serm. 4. de collect. ait, quibusvis inopiam celantibus præ verecundia, subveniendum esse: tales intelligendos esse ac sublevandos ab occulta III. Misericordiæ promptitudo.

necessitate, ut hoc ipso amplius gaudeant: cum et paupertati eorum fuerit consultum, et pudori. S. Ambrosius lib. 2. Offic. cap. 15. monet, ut his qui publice verecundantur, consulatur, et subveniatur. Abraham et Loth Angelos non potentes hospitio et convivio exceperunt.

IV. Cura sollicita. Quarto denique, vox Hebr. et Chald. *maschil*, denotat sollicitudinem et attentam curam. Apollin. vertit ολβιος ος πτωχȣ περικηδεται, beatus qui pauperem sollicite et ex omni parte curat, qui circumquaque prospicit quid illi desit. Arabs vertit, qui propitiatur pauperi et inopi. S. Ambros. in Psalmum nostrum, visceralem et paternam, seu maternam potius misericordiam et charitatem indicat, cum ait: *Beatus qui compatitur pauperi, qui haurit eius necessitates.* Cor misericordis, est uterus charitatis, vivificans fame, inopia, et mœrore tabescentes, eisque vitam novam tribuens.

8. Misericordi septem promitti hic putat Valentia. Quæres, in quo consistit beatitudo eius, qui intelligit super egenum et pauperem. Resp. primo; cum Valentia, cum septem sint opera misericordiæ, hoc loco septem ostendi promissa misericordibus. Primo, ait, Dominus liberabit eum in die mala, id est in die iudicii: quia dicet omnibus misericordibus: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum etc. quia esurivi, etc. Secundo, conservabit eum in gratia, ne cadat in peccatum. Tertio, vivificabit eum a peccato ad gratiam, si forte ceciderit in aliquod peccatum. Quarto, beatum faciet eum in terra viventium, id est in gloria. Quinto, liberabit eum ab inimicis visibilibus, et invisibilibus, et ab omni periculo. Sexto, adiuvabit eum in omnibus infirmitatibus et doloribus corporalibus. Septimo, dum fuerit infirmus ad mortem in lecto, versabit et mutabit stratum et lectum mortis eius in sanitatem, et vitam, et revocabit eum a morte corporali.

Et Ugo Cardin. Resp. secundo, cum Ugone hæc septem præmia, septem operibus misericordiæ posse sic adaptari: Dominus, ait, conservet eum, quia tegit; 2. vivificet, quia cibat et potat; 3. beatum faciat eum, quia visitat; 4. et non tradat eum in animam inimicorum eius, quia redimit; 5. opem ferat illi, quia colligit; 6. universum stratum eius versasti in infirmitate eius, dando sanitatem, quia condit. Vides sex præmia correspondentia septem operibus misericordiæ, quæ hoc versu comprehenduntur: *Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.*

9. Misericordia est via ad cælum. Resp. tertio, non minus commode posse dari divisionem, quam supra attuli: nempe quod misericordem Deus iuvet, 1. in æternitate; 2. in vita; 3. in morte.

Primo igitur, misericordia in cælis beatum facit, et hoc potest intelligi vers. 1. *Beatus;* in cælo scilicet, ubi vera beatitudo erit, *qui intelligit super egenum et pauperem.* Nam in die mala et terrifica extremi iudicii liberabit eum Dominus, et absolutum in cælo recipiet tota æternitate coronandum. Etenim misericordia, 1. est via in cælum; 2. est dux; 3. dat alas ad facilius viam decurrendam; 4. cælum velut regina ingreditur, et misericordia apertum tradit.

Et quidem primo, via cælorum est misericordia, et quidem compendiaria. Petrus Blesensis Archidiaconus Bathoniensis, cap. 42. *Eleemosynis propriæ manus scalam vobis, et ascensorium erigatis, ut ascendatis illam supernorum civium mansionem, in qua est pax æterna.* S. Augustinus de verbis Domini: *Fœcundus,* ait, *est ager pauperis, cito reddit donantibus fructum: via cæli est pauper, per quam venitur ad Patrem.* Solis licebat Thebanis mulieribus per Herculem, in ipsius templum ingredi, quod ei aquam poscenti liberaliter obtulissent: non tamquam Deo, cum ignotus esset: sed velut indigenti peregrino. Rabbini vero nonnulli in ea sunt opinione, Lothi uxorem in statuam salis esse conversam, quod Angelos, etsi fortasse non cognitos, parum humaniter tractavisset; sed Scriptura præcisam affert causam eius inobedientiam se retro convertendo versus civitatem Sodomam: illa vero Rabbinica incerta est.

10. Et dux. Secundo, eleemosyna est dux, ut per calles implicatos ac difficiles in cælum homines deducat. Hoc dixit Angelus Raphael seniori Tobiæ, eius uxori, et filio, Tob. 12. 8. *Bona* (melior) *est oratio cum ieiunio et eleemosyna, quam thesauros auri recondere; quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est quæ purgat peccata, et facit invenire vitam æternam.* Lege S. Cyprianum tractatu de opere et eleemosyna id expendentem. Hoc ex loco Theologi tria bonorum operum genera assignant: nempe orationem, ieiunium, et eleemosynam, ad quæ cætera revocentur. Nam oratio persolvit debitum Deo, ieiunium sibi, eleemosyna proximo.

Tertio, eleemosyna scandentem in cælum non solum ducit, sed etiam adiuvat, sublevat, et alas ei addit, ut citius, iucundius et securius ascendat sine timore lapsus. Dat etiam alas virtutibus eius comitibus: nempe orationi et ieiunio. Primo, id de oratione asseverat S. Chrysost. serm. 6. *Orationis ala,* inquit, *est eleemosyna; quousque animæ tuæ alam hanc non addis, non volat.* Quidam in scholiis ad grad. 18. scalæ S. Ioan. Climaci: πτερον ψυχης, ait, η ελεημοσυνη: *Precationis alæ sunt eleemosynæ: si precibus tuis alas non addideris, cælum petere non possunt: ubi vero fuerint alatæ, in cælum evolabunt.* Secundo, ieiunio alas a misericordia concedi docet S. Chrysostomus hom. 55. ad populum: μετανοια, inquit, εκτος ελεημοσυνης νεκρα εςι, και απτερος: *Pœnitentia sine misericordia mortua est, et sine plumis: nequit volare, pennas eleemosynæ non habens.* S. Chrysologus serm. 8. postquam asseruit, 1. ieiunium pietatis cibo pascendum; 2. deficere nisi illud eleemosynæ vellus tegat; 3. quod est terris ver, hoc misericordiam esse ieiunio; 4. instar verni flatus efficere, ut in cælestem messem ieiunii virtus fructificet; 5. quod oleum lucernæ, hoc esse ieiunio pietatem; 6. cognosci, quod diei sol est, hoc eleemosynam esse ieiunio; 7. denique, illud ipsum esse ieiunio liberalitatem, quod est anima corpori. Subdit ad rem præsentem: *Misericordia et pietas ieiunii sunt alæ, per quas tollitur et portatur ad cælum; sine quibus tacet et volutatur in terra.* Multa deinde affert, quibus confirmat ieiunio addendam esse comitem misericordiam.
Atque adiuvat.

11. Cælum ingreditur veluti proprium regnum. Quarto, eleemosyna cælum ingreditur, veluti proprium regnum, quod emit, atque ad Dei thronum pertingit, alumnos suos, nullo impediente deducens. S. Chrysost. hoc testatur in Matth. *Eleemosyna,* inquit, *amica Deo consistit, et semper ei propinqua est, pro quibuscumque voluerit facile munus gratiæ impetrat, vincula peccatorum ipsa dissolvit, fugat tenebras, extinguit ignem. Huic cum multa fiducia portæ cæli aperiuntur, et veluti regina, intrante nullus ianitorum, nullus custodum, qui assistunt, audent dicere: quæ tu es, vel unde? sed omnes eam e regione suscipiunt. Virgo est habens aulas aureas circumscripta per omnia venustate, sed succincta, vultum habens candidum atque mansuetum. Penna est, et levis, et semper ante solium regale consistit.* Nec timet, ne excludatur a regno illo cælesti: non enim gratis illi datum est, sed venditum. Venale enim exhibet Deus regnum cælorum. Matthæi cap. 10. v. 42. ait Christus: *Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli: Amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Ut accidit Cyrillo danti poculum aquæ frigidæ S. Anastasiæ virgini et martyri, sic enim obtinuit coronam martyrii. Ps. 111. 9. ait David de viro pio: *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi.* Vide ibi dicta S. Chrys. homil. 57. ad popul. etiam pauperrimis animos excitat: οσον εχεις, inquit, τοσουτον αγορασον: εχεις οβολον, αγορασον τον ουρανον: *Quanti potes, tanti eme: habes obulum, eme cælum: non quod vili pretio venale sit cælum, sed quod clemens sit Dominus. Non habes obolum, da calicem aquæ frigidæ.* Itaque nullus est, qui ad eam mercaturam aspirare non possit: quare infamia et pœna dignus est, qui ad eam non currit. Subdit postea idem sanctus Pater: εμπορεια και πραγματεια ο ουρανος, και ημεις αμελουμεν: δος αρτον, και λαβε παραδεισον: *Mercatura et negotiatio cælum est, atque ipsi pigritamur. Da panem, et accipe Paradisum: parva da, et magna suscipe: da mortalia, et immortalia accipe: da corruptibi-*
Non gratis datum sed emptum.

lia, et incorruptibilia accipe: Hoc ipsum asserit S. Chrysologus serm. 8. *Manus*, inquit, *pauperis, Abrahæ sinus est, ubi quidquid pauper accipit, mox reponit. Thesaurus cæli est manus pauperis: quod suscipit, ne in terra pereat, reponit in cælum. Manus pauperis, est gazophylacium Christi: quia quidquid pauper accipit, Christus acceptat.* Unde sapienter concludit, et ad dandam eleemosynam incitat: *Da ergo homo pauperi terram, ut accipias cælum. Da minimum, ut accipias regnum. Da micam, ut accipias totum. Da pauperi, ut det tibi: quia quidquid pauperi dederis, tu habebis; quod pauperi non dederis, habebit aliter.*

Troili mira avaritia.

Leontius in vita S. Ioannis Eleemosynarii refert, Episcopum quemdam nomine Troilum, tantæ fuisse tenacitatis, ut, cum invitante sancto illo viro triginta auri libras in pauperes distribuisset, in febrim inciderit: restituta per S. Ioannem, qui rem suboratus fuerat, pecunia, sanatus fuerit: vidisse deinde in somnis palatium summæ pulchritudinis, in cuius vestibulo scriptum esset: *Mansio æterna Troili Episcopi.* Cumque ad illum aspectum gaudio triumpharet, iussum esse ut hæc delerentur, statimque alteram epigraphen esse inscriptam: *Mansio æterna Ioannis Archiepiscopi Alexandrini empta triginta libris.* Ut intelligas cælum auro emi posse: et, si dives es, debere. Lege Binetum nostrum in tractatu de divite salvato per portam auream. S. Leo serm. 1. de collectis: Thesaurum suum, ait, condit in cælo, qui Christum pascit in paupere. S. Laur. Iustin. Nihil aliud, inquit, est facultates proprias tribuere, quam cumulare in cælo. Agapetus Papa epist. paræn. ad Iustinian. Imper. *Amoris*, ait, *in egenos qui induerit purpuram, regni cælestis compos efficietur.* Certitudo hæc tantum moralis est, non autem certissima, ut quidam docebant hæretici, de quibus S. Augustinus lib. 21. de civit. cap. 27.

Eleemosyna domum in cælo parat.

Hinc collige primo, cum promptitudine et alacritate esse dandam eleemosynam. S. Leo serm. 4. de collectis: *Faciles*, ait, *sint in alimento miserorum, qui cupiunt ad societatem pertingere felicium.* Secundo, dandam cum humilitate et reverentia, atque interna gratiarum actione, cum plus recipias quam des. S. Gregorius lib. 21. Moral. cap. 14. *Debemus cogitare*, inquit, *quod patronis potius nos recepturis in æterna tabernacula munera offerimus, quam egenis dona largimur.* S. Cæsarius Arelat. hom. 15. *Si*, ait, *pauper nullus esset, eleemosynam nemo daret, indulgentiam nemo reciperet. Nobis enim militat inopia pauperum. Das pauperi nummum, et a Christo recipis regnum.*

Secundo, ut ad regnum cæleste veniatur, terribile iudicium Dei subeundum est, ut pii ab impiis secernantur: in hoc quoque examine, quod vel purissimis mentibus terrorem incutit, misericordia Sanctos comitatur: v. 2. IN DIE MALA LIBERABIT EUM (qui intelligit super egenum et pauperem) DOMINUS.

Vers. 2. 2. Pars.

12. Quæres, quænam dies mala intelligitur? Resp. primo, intelligi totam hanc vitam. 1. Ioan. 5. 19. *Totus mundus in maligno positus est.* Græc. κειται, id est iacet, situs est. Salvian. lib. 4 de provid. legit: Sæculum totum in malo positum est. S. Ambros. in Psal. nostr. *In die mala*, inquit, *hoc est in tempore malo. Mundus enim in malo positus est, et ideo mali dies istius mundi, et abundat diei malitia sua. Non mediocre est, ut hic liberemur ab insidiis peccatoris. Qui fuerit hic liber a crimine, ibi erit liber a pœna, et severitatem iudicii subire non poterit.*

Dies mala est triplex.

I. Tota vita.

II. Dies afflictionis.

Secundo, et melius, *dies mala*, a qua liberat, misericordia liberales et beneficos, et dies calamitatis et afflictionis: ita Euthym. Euseb. Nicephor. Didymus et alii. Symmach. vertit: ημεραν κακωσεως, id est diem afflictionis. Syr. *In die calamitatis libertate donabit eum Dominus*, Felix, in die mali. Camp. in periculi tempore.

III. Dies iudicii.

Tertio et optime, de die extremi iudicii exponunt Euthym. Theodoret. Bellarm. S. Ambros. qui rationem reddit, cur dies illa nuncupetur dies mala: nempe quia plures ibi sunt condemnandi. Verba eius sunt: *In die mala liberabit eum Dominus: Quoniam amara videtur, quæ plures adiudicat pœnæ. Via enim virtutis angusta est, lata delicti. Ideo rariores in virtute ambulant, plures in flagitio versantur. Quo fit, ut inferior eorum sit numerus, qui præmia remunerationis accipient, quam qui ob pretium gravium peccatorum sortem adversam iudicii reportabunt. Quasi dolens igitur dixit malam iudicii diem. Nam si Angeli in unius peccatoris absolutione lætantur, quanto magis homines in tantorum condemnatione hominum macerabuntur? Et bene dolet pro ea ove, quam humeris suis ipse reportavit, et ad ovile suum revocavit errantem. Affectu nostro loquitur Dei filius; quia nobis dies iudicii acerba est, quam timemus. Omnibus mala videtur, quia plena terroris est, qua Deus non solum forensia hominis, sed etiam occulta diiudicat, qua cogitur unusquisque aperire quod fecit, aut quod sensit. Ideoque multi damnantur, pauci coronantur.* Vide illum lib. 1. Offic. cap. 14. S. Hieron. lib. 3. comment. in epist. ad Ephes. cap. 6. t. 6.

Quæres secundo, quid præstat eleemosyna in die iudicii? Respond. quinque præstare: 1. misericordem iudici sistit; 2. causam eius agit; 3. iudicem in suas partes trahit; 4. sententiam favorabilem obtinet; 5. victorem in cælum ducit. 13.

Misericordia in die iudicii quinque efficit.

Primo enim, misericordia olivam capite præferens, ac manu, alumnum suum iudici sistit, multitudine pauperum circumcinctum, quorum hic vestem sibi dono datam, ille pecuniam erogatam, aliaque præfert, quibus facilem, benignumque iudicem efficiat. Unde S. Gregor. Nazianz. orat. de cura pauperum ausus est asserere, quod nihil ita Dei benevolentiam conciliet, quam erga inopes charitas: *Nulla*, inquit, *omnino res est, quæ Dei benevolentiam sic conciliet ac misericordia, quæ liberalem præcedit ad iudicium.* I.

Pauperem iudici sistit.

Secundo, misericordia in die iudicii patronam sese exhibet. Ps. 111. 5. *Iucundus homo qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in iudicio, in æternum non commovebitur.* Vide ibi dicta. Non comparet misericors in Dei iudicio: quin habeat responsiones suas bene dispositas, et bonis advocatis datas, nempe pauperibus. S. Ephrem sermone in eos qui obdormierunt: *Bonum*, ait, *in illa hora tibi subveniet auxilium, si pauperibus atque mendicis hic compassus fueris, boni pro te apud Deum tunc erunt advocati, qui hic egeni a te enutriti, et misericordiam consecuti, protecti et conservati fuerint. Boni et præstantes pro te ibi consolatores aderunt fratres Christi, pauperes, orphani, atque pupilli, viduæ, advenæ, ac peregrini, inopes, debiles, claudi, cæci, captivi, derelicti. Magni hi tunc patroni tibi istic erunt, magni defensores, magni fautores atque auxiliatores, exhibentes tunc Christo, quæcumque ipsis tunc dederis.* Hinc S. Chrysologus sapienter concludit, diem iudicii, qui cæteris maius est, misericordi malum non esse. Sic autem loquitur serm. 10. *Non videbit diem malum, qui dies bonos habere pauperem fecit. Sine causa accusant peccata, quem pauper excusat; excusari non potest, quem fames pauperis accusarit. Videbit diem malum, qui diem iudicii sine advocatione paupertatis intrarit. Qui fœnerat pauperi, ipsum sibi iudicem præstitit debitorem.* S. Hilarius in Psal. 51. divitias pauperibus erogatas nuncupat, ambitiosas apud Deum legationes. II.

Patronam se illi præstat.

Tertio, misericordia in die iudicii iudicem auro corrumpit, ac suum efficit. S. Chrysost. hom. 55. ad populum: Illic, inquit, μεγαν κριτην, magnum iudicem ars nulla Rhetoris decipiet, et nullius potentia mitigatur, dignitati non condescendit, pecuniis non corrumpitur, non veneratur personam, αλλα φοβερα εϛι και αδυσωπητος η δικαιοκρισια, sed tremendum et implacabile iustum iudicium. Hic vero iudicem exorabimus, et placabimus, non pecunia: μαλλον δε, ει χρη ταληθη λεγειν πειθεται και χρημασιν ο φιλανθρωπος: *Magis autem (si verum dicere oportet) clemens ipse piusque pecunia suadetur: non ipse manu sua, sed per inopes accipiens. Da inopi pecuniam, et iudicem mitigaveris.* III.

Iudicem auro corrumpit.

Quarto, misericordia suaviter extorquet favorabilem sententiam, et in ea favoris causam, nempe quod quis misericors fuerit, exprimi curat. Nam hæc erit finalis IV.

Favorabilem sententiam elicit.

sententia, ut Christus ipse docet Matth. 25. 34. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi* (id est, a prima mundi creatione. Nam eo fine cælum creatum est, ut esset sedes beatorum) *Esurivi enim, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi potum.* Hoc expendens S. Chrysologus sermon. 14. *Quod,* ait, *Abel passus sit, quod servavit mundum Noe, quod Abraham fidem suscepit, quod Moses legem tulit, quod Petrus crucem resupinus ascendit, Deus tacet, et hoc clamat solum, quod comedit pauper. In cælo prima est esurientis annona, prima stipendia pauperis tractantur in cælo, erogatio pauperis prima divinis scribitur in diurnis.*

V. In cælum ducit. Quinto denique, post sententiam in die iudicii datam, misericordia liberalem triumphantem deducit in cælum, eique iubet a pauperibus ianuam aperire. Luc. 16. 9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis* (id est, de thesauro iniuste acquisito. Chald. enim Mammon et Mammona significat thesaurum absconditum) *ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* In morte deficimus, et omnia nobis desunt, sola opera nos sequuntur, et bona pauperibus erogata.

ARTICULUS II.

Misericordia iuvat in hac vita, et in morte.

Quatuor hic a Davide recensentur, quæ ad hanc vitam pertinere possunt: 1. enim conservat; 2. vivificat; 3. beatum facit; 4. ab hostibus liberat.

14. Vers. 3. 1. Pars. Misericordia in hac vita quatuor præstat. I. Liberalem conservat. Ac primo, misericordia liberalem conservat, v. 3. Dominus conservet eum. Quæ licet deprecationis tantummodo dicantur, promissionem tamen continent. *Optatio ista*, inquit, *promissio est.* Et quidem Hebr. Chald. Syr. Arab. verbum hoc loco, ot in sequentibus ponitur in futuro. Hoc autem sumi potest et de corpore et de anima. Primo enim misericordia alumni sui corpus servat. S. Thomas: Conservet, inquit, in bono naturæ, vivificet per gratiam, beatum faciat in bonis gloriæ. Lyranus: Conservet eum in corpore, et vivificet in mente, et beatum faciat eum in terra, scilicet viventium. S. Ambros. Conservet a periculis, vivificet tamquam in tenebris constitutum, beatum facere bonorum operum accessione dignetur. Secundo, misericordia conservat animam in gratia Dei. S. Chrysost. hom. 57. ad populum, expendens illud Matth. 25. ubi Virgines fatuæ prudentibus dicunt: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur*, sic ait: πυρ εστιν η παρθενια ουτω δε ελαιον εστιν η ελεημοσυνη: *Ignis est virginitas, oleum autem est eleemosyna. Nam sicut ignis, nisi habeat oleum distillans, perit: sic virginitas nisi habeat coniunctam eleemosynam, extinguitur.* Idem de aliis virtutibus dici potest, quas conservat misericordia. Spiritus enim sancti ignem et gratiam conservat in anima, et inferorum ignem extinguit. S. Chrysologus serm. 14. Conservet, inquit, ne rapiatur ad pœnam: vivificet, ut resurgat a mortuis, et recipiat vitam.

15. Vers. 3. 2. Pars. II. Liberalem vivificat. Secundo, misericordia liberalem vivificat, v. 3. Et vivificet eum. S. Hieron. et vivificabit eum. Chald. vitam præstabit ei. Arabs, ædificabit eum. Sensus est primo, misericordia vivificabit, id est servabit et liberabit, ait Lorin. Constitutus in angustia et afflictione mortuo similis est, ut cum ei succurritur, perinde videatur ac si denuo genitus esset ac revixisset, quod propter eamdem rationem *recreandi* verbo solet explicari. Sic Habac. c. 3. 2. orabat Dominum, ut opus suum vivificaret, nempe populum Hebræum, quem peculiariter Deus ipse Isai. 29. 23. nominat opus suum, ac manuum suarum. Vivere dicitur, qui sanus et lætus vivit. Unde quod Isaias cap. 38. 21. iussisse scribitur, ut tollerent de ficis, et cataplasmarent super vulnus Ezechiæ, et sanaretur, Hebr. est, et viveret. Secundo, *vivificet eum*, id est, vitam illi diuturnam et vegetam præstet, spiritus vitæ illi affundat, ita ut diu in vivis maneat, ac robusto sit corpore. Apollinaris vertit: φρουρον εχοι βασιληα βιου, και ανα κηδεμονηα, custodem habeat regem vitæ, et simul curatorem. Petavius reddit: εν ζωοισι φυλαττει, id est, inter vivos conservat.

A In anima et corpore. Hoc sumi potest, et de vita corporis, et de vita animæ. Primo enim, misericordia conservat vitam corporis. Act. 9. refertur, quod in Ioppe fuit quædam discipula, nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas, id est damula, caprea. Hæc cum esset mortua, discipuli duxerunt S. Petrum in cœnaculum, et circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, et ostendentes ei tunicas et vestes, quas faciebat illis, orabant ut eam a mortuis suscitaret. Non potuit non flecti vir misericors: Ideo eiectis omnibus foras, ponens genua oravit, et conversus ad corpus dixit: *Tabitha surge: At illa aperuit oculos*, quasi non esset mortua, sed tantum suaves somnos caperet. Misericors enim mortem ignorat. S. Cyprianus sermone de eleemosyna miraculum illud considerans, ait: *Quæ laborantibus viduis largita fuerat subsidia vivendi, meruit ad vitam viduarum petitione revocari.* S. Chrysostomus homilia 22. in Acta: *In Tabitha*, inquit, *vide quomodo eleemosyna a morte temporali liberat, et in Cornelio a morte æterna, hæc etiam ianuas cœli aperuit.* Secundo, in vita B animæ reddenda potens quoque misericordia est. Binetus in lib. de divite salvato per portam auream, id est per eleemosynam, ait: nihil esse conducibilius ad eripiendum obstinatum ex luto scelerum, quam si ad faciendas eleemosynas impellatur: tot enim fore tormentorum bellicorum tonitrua, quæ tandem murum illum aheneum perrumpent, et cor rupe durius emollient atque contérent. Tres reges a gentilium erroribus conversi sunt, Christum eum muneribus adorantes, ut paupertatem eius sublevarent, Matthæi cap. 2. Cornelius, centurio cohortis quæ dicebatur Italica, sic dicta, quod constaret Italis militibus, religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, vidit Angelum Dei introeuntem ad se, et dicentem Act. 10. 4. *Orationes tuæ, et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei:* nec sine fructu. Nam cum iussus esset mittere in Ioppen ad evocandum S. Petrum, is visione mirifica excitatus ad eum venit Cæsaream, concionem coram eius fa- C milia habuit, quæ priusquam finiretur, Spiritus sanctus cecidit super omnes qui audiebant verbum, etiam ante Baptismum. In domo misericordis, sibi complacet columba, afferens ramum olivæ in arcam Deo dignam. S. Chrysostomus dicit, eleemosynæ quæstuosissimam esse nundinationem, quæ pro panis fragmento dat sanctitatem. Sic enim hom. 55. ad populum: πανηγυρις ημιν προκειται θαυμαστη: *Nundinæ profecto nobis mirabiles sunt: harum nulla alia est professio, et negotiatori nulla alia intentio, quam parvo quidem emere, magno autem vendere, etc. Hic modo iustitia emitur pro panis fragmento, vili pro vestimento, pro calice aquæ frigidæ.* Tertio denique, misericordia vitam gratiæ in anima conservat. S. Chrys. hom. 22. in Acta: *Eleemosyna est*, inquit, *per quam planta charitatis nutritur.* Et hom. 42. in eadem Acta: *Non potest fieri*, ait, *summam animam non esse misericordem: et misericordem non esse summam.* S. Ephrem de amore pauperum: Oleum, inquit, pro lampadibus vendunt viduæ, orphani: D impotentes, debiles, claudi, cæci, leprosi, læsi, et quotquot præ foribus Ecclesiarum consident pauperes, hos foveamus, iuvemusque. Nam iudicem ipsi nobis conciliant. S. Augustinus homil. 29. eleemosynam vocat sacrificium Christianorum: quo scilicet moriuntur terræ, et toti vivunt Deo.

Tertio, misericordia beatum etiam in terris facit alumnum suum, v. 3. Et beatum faciat eum in terra. Arabs vertit, bonam in terra reddet memoriam eius. Syr. benefaciet illi in terra. Noster generalius et plenius, *beatum faciat.* Camp. et Flamin. *beatum faciet:* ut nihil omittatur, quod optare possit. Ubi adverto, terram esse duplicem: unam quidem morientium et miserorum: alteram vero, viventium et beatorum: in utraque beatus erit liberalis, et de utraque hic locus potest intelligi, sed melius de nostra hac misera terra, q. d. Etiam in hac valle miseriæ inter miseros erit beatus. 16. Vers. 3. 3. Pars. III. Misericordia liberalem beatificat.

Quæres, de qua beatitudine sit sermo? Respond. posse intelligi de beatitudine animi, corporis, et bonorum ex-

In anima et corpore, et bonis æternis. ternorum. Primo, de beatitudine quæ per virtutem habeatur. S. Ambrosius sic exponit: *Dominus conservet eum a periculis, vivificet tamquam in mortis tenebris constitutum, beatum facere bonorum accessione dignetur.* Unde addit ad textum nostrum, sicut etiam Arnob. Cassiodor. at Psalterium Romanum, *et emundet in terra vitam eius.* Secundo, de beatitudine corporis potest quis accipere, eum præcesserit, *et vivificet eum.* Tertio et melius, de beatitudine ob bona æterna intellige. Hinc Campens. vertit, Dominus curam geret illius, et vitæ pristinæ restituet, et divitem in terra faciet. Hoc pollicetur Salomon liberali, Proverb. 28.27. *Qui dat pauperi, non indigebit: qui despicit deprecantem, sustinebit pecuniam.* Hebr. habetur, et abscondenti oculos a paupere, multitudo maledictionum erit. Nempe maledictionum a Deo, Angelis, dæmonibus, et hominibus. Sept. qui avertit oculum suum, in multa erit penuria. Cap. 15.18. ait: *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis: et vicissitudinem suam reddet ei.* Chald. retributio bona retribuetur ei. Septuag. *secundum donum eius retribuet ei.* Ut sicut ille misertus est pauperis illique benefecit: sic illius misereatur Deus illique benefaciat, ait Aben-Ezra, atque illum sua benedictione cumulet: ut ad quodcumque manum extenderit, benedictionem rerumque copiam ei tribuat, ait R. Levi. Vide S. Basilium in Ps. 14. serm. 2. contra fœneratores, et hom. 8. in divites avaros, S. Chrysost. homil. 3. in Genes. S. Ambros. lib. de Tobia cap. 16. Unus nunc sufficiat Chrysostom. locus hom. 53. ad popul. ubi increpat divites avaros, qui cum sint lucri cupidissimi, Deo fœnus centuplicatum promittenti sua bona non credant, et ventri, vanitati, avaritiæ et intemperantiæ tradant, quæ ne sortem quidem reddant, sed temere omnia effundant ac perdant: *Quid,* ait, *nobis venter reddit, qui plurima consumit? stercus et corruptionem. Quid inanis gloria? livorem et invidiam. Quid avaritia? curam et sollicitudinem. Quid intemperantia? gehennam atque veneniferum vermem. Hi namque sunt divitum debitores; has sorti iungentes usuras, præsentia mala, pœnasque futuras. His ergo quæso ad tantam mutuabimus ultionem, et nostra Christo non credemus cælum prætendenti, æternam vitam et arcana bona?* Si dicas, Christum post diuturnum tempus usuras persolvere, subdit idem sanctus Doctor: *Hoc tibi talentum multiplicat: fœnus enim efficitur maius: nam in mutuando hoc facere videmus fœneratores, qui post multum temporis redimentibus libentius fœneratur: qui namque statim totum reddit: usuræ cursum interrumpit: qui vero diu retinet, maiorem facit et usuræ fructum, et quæstum.*

Non tot floribus hortus emicat, neque tot canalibus ex fontana concha dissiliunt aquæ, quot donariis munificum cumulat misericordia. Hoc docet Isaias cap. 58.10. *Cum effuderis esurienti animam tuam* (hoc est viscera misericordiæ, ait Cornel. puta intimos affectus compassionis, condolendo, miserendo, et miseriæ eius copiose succurrendo. Septuag. si dederis esurienti panem ex anima tua, id est ex sincero totoque affectu animæ. Ut enim ait S. Gregor. 22. Mor. 12. Deus non pensat datum, sed affectum) *et animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies. Et requiem tibi dabit Dominus semper, et implebit splendoribus animam tuam, et ossa tua liberabit:* (Vatab. ossa tua saginabit: id est, implebit medulla) *et eris quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum, cuius non deficient* (S. Basil. et Clem. lib. 3. Pædag. 7. non mentiuntur) *aquæ.* Hæc perennis scaturigo pietatis tanta copia exundat, ut illud sibi certissimum in omnibus rebus ærarium sancti crediderint, si in sinus pauperum bona sua obiicerent. S. Chrysolog. serm. 14. *Qui,* ait, *se novit per mala sæculi vitam ducere, eleemosynæ semper secum auxilium ducat, ad præsidium sibi turmas pauperum vocet. Deficere nescit, cui porrigit manum parcus acceptor: exhauriri thesaurus is non potest, de quo sufficit nummus.* Hinc factum est, ut, cum torrentis Carith fluenta siccarentur, hydria farinæ in domo viduæ Sareptanæ (id est ardentis, charitate scilicet) quæ Eliam nutriebat, non deficeret, 3. Reg.

A 18.16. quod eo est admirabilius, quod antequam eum reciperet domi, et aleret, vix quidquam in hydria restarat farinæ, et moriendum sibi cum filio vidua cerneret. Hoc admirans S. Hieron. epist. 10. ad Furiam: *Recordemur,* ait, *viduæ Sareptanæ, quæ et suæ et filiorum saluti Eliæ prætulit famem: ut in ipsa nocte moritura cum filio superstitem hospitem relinqueret, malens vitam perdere quam eleemosynam: et in pugillo farinæ seminarium sibi messis Dominicæ præparavit. Farina seritur, et olei capsaces* (vas olearium, ut etiam usurpat S. Cypr. lib. 2. epist.) *nascitur: in Iudæa frumenti est penuria: granum enim tritici ibi mortuum fuerat, et in gentium vidua olei fluenta manabant.* Et S. Euch. Facta est, inquit, manus viduæ *perenne torcular, et mola iugiter fundens.* Ecquid dico mulieris manum. In verbo Prophetæ tota domus viduæ cellarium facta est. Non ibi ros, non pluvia, non veris aura, non calidi soles, non nimbus necessarius, non aratrum, non agricola, non colonus, sed omnia et in omnibus sermo Prophetæ affatim viduæ ministrabat: ita Euch.

B Fortuna levibus pennis nec opinantes deserit, at Plutus divitiarum Deus ad antra sua defluit, quo magis stringitur: sed si aurum opesque in Dei manus immiseris, tum fixæ consistent. S. Chrys. hom. 7. de pœnit. Opes, ait, transfugæ sunt: quo tenebuntur? distributæ manent, custoditæ fugiunt. S. Cypr. de oper. et eleem. Patrimonium, inquit, Deo creditum non respublica eripit, non fiscus invadit, nec calumnia aliqua forensis evertit; *in tuto est hæreditas, quæ Deo custode servatur.*

Eam cogitationem alte mentibus suis impresserant, rebus terrenis altiores, qui detrimentum credebant, si qua sibi benefaciendi occasio effluxisset. Primo S. Hieronym. id de S. Paula testatur in eius epitaphio: Pauperes, ait, curiosissime tota urbe perquirens damnum putabat, si quisquam debilis et esuriens cibo sustentaretur alterius: spoliabat filios, et inter obiurgantes propinquos, *maiorem se ei hæreditatem, Christi misericordiam,* dimittere loquebatur. Secundo, S. Io. Patr. Alex. cognomento Eleemosynar. tanta fuit in Deum fiducia, ut diceret: *Et si totus orbis veniret Alexandriam, non arctaret nostram liberalitatem et opes.* Credebat scilicet ex illo inexhausto divitiarum oceano per incognitos quidem, sed semper apertos meatus, perennem nunquam beneficentiæ fontem defuturum. Frequenter dictitabat: *Quo plura erogo in pauperes, eo plura semper et maiora a Deo recipio.* Eleemosyna fons est aut puteus, si nihil inde extrahas, aqua putrescit et minuitur: si extrahas, limpida et salubris est aqua, atque abundat. Tertio, Tiberii quoque secundi Imperatoris Orientis, fides et charitas eluxit, qui cum regia Christianaque munificentia thesauros inopi turbæ erogaret, nec deessent aulæ sorices, qui mussitarent, voce hac aurea pavidos compescuit, ut refert Baronius anno 582. *Nihil deerit fisco nostro, tantum pauperes accipiant. Per pauperes congregemus in cælo, ut Dominus nobis opes dignetur dare in hoc sæculo.* Nec spes eum fefellit: duplicem enim thesaurum reperit, unum Narsetis in rupe occultatum, alterum in palatio sub cruce notatis lapidibus. Quarto, Erricius Senator liberaliter eleemosynas largiens, vocem cælestem audivit sibi dicentem: *Errici, non deficiet panis semini tuo in æternum, quia me in pauperibus pavisti,* ut refert S. Gregorius Turon. lib. 2. histor. Franc. cap. 4. Quinto, Masymas anachoreta erga hospites et pauperes effuse liberalis, ex duplici dolio, velut ex cornucopiæ inexhausto, frumentum et oleum multiplicatum iugiter hauriebat. Rem sic narrat Theodoretus in historia religiosa cap. 14. Hospitum, ait, et pauperum tam alacri animo curam gerebat, ut patefaceret portas omnibus qui aderant. Dicitur enim habuisse duo dolia: unum quidem frumenti, alterum vero olei. Ex his semper quidem suppeditabat omnibus egentibus: habebat autem ea *semper plena* benedictione, quæ data est viduæ Sareptanæ, et immissa fuerat in hæc dolia. Ipse enim Dominus *opes suas* effundit in omnes eos, qui ipsum invocant: et sicut illius hydriam, et guttam iussit scaturire, præbens manipulos seminum hospitalitatis: ita etiam huic viro admirabili

17. Liberalitate excelluerunt varii. — 1. S. Paula. — 2 Ioan. Patriarc. Alexandriæ. — 3. Tiberius secundus Imperator. — 4. Erricius senator. — 5 Masymas anachoreta.

exhibuit suppeditationem, quæ ex æquo respondebat eius animi alacritati: ita Theodoretus. Sexto, de S. Euthymio Abbate, vide præclara apud Sur. tom. 1. die 20. Ianuarii. Septimo, celebris est S. Lidwinæ bursa inexhausta, ex qua semper extrahebat pauperibus obviis.

Contra vero, avarus etiam in mediis divitiis est pauperrimus. Martinus Dumiensis Abbas, postea Bracarensis Episcop. qui præfuit concil. 2. Bracarensi Erabio, hoc est anno Domini 573. (incipit enim Era Hispanica annis 37. ante Christum) lib. de moribus, ait: *Quæ est maxima paupertas? avaritia.* S. Cyprian. sermone de eleemosyn. ait: *Quo locupletior sæculo fueris, pauperior Deo eris.* S. Chrysost. hom. in terræ motum, ait, dives, deinceps vero pauper: imo vero tum cum opibus abundabat, pauper erat. Quid enim prodest homini, si pecunias possideat, virtutem vero non possideat? Cur ea quæ sunt aliorum accipis, et tua perdis?

18. Vers. 3. 4. Pars. IV. Misericordia ab hoste liberat. Quarto, misericordia ab hostibus liberat, v. 3. ET NON TRADET EUM IN ANIMAM INIMICORUM EIUS. Tradere in animam, est tradere voluntati, aviditati, desiderio et cupiditati. Hæc enim omnia Hebr. נפש *nephes*, significat. Pagnin. vertit, *Ne tradas eum voluntati inimicorum eius.* Chald. vox רעוא *raava*, quæ hic ponitur, significat voluntatem, delectationem, desiderium, a radice, רעה *rea*, velle, desiderare, delectari. Unde reddit: *Ne tradas eum voluntati auctorum inimicitiæ eius.* Hostes iustorum velut infernales cerberos, depinge hianti fauce guttur expandentes, ut eos hauriant ac devorent, aut velut avernales harpyas et furias, quæ involare et unguibus, manibusque discerpere ardeant. Sed impedit furorem et rabiem Deus. S. Ambros. et S. August. habent, *non tradat eum in manu inimici eius.* S. Hieron. in comm. *in manu inimicorum eius.* Licet multi sint, imo innumeri, non illi nocebunt. Nam *iustorum animæ in manu Dei sunt,* Sap. 3. 1. ibi non tangit eos tormentum malitiæ: inde nemo rapiet illos. Si igitur ipse non tradat ipsos inimicis, nunquam damnum inferent. Hoc autem se non facturum pollicetur. Generatim loquitur auctor Ecclesiast. c. 29. 15. *Conclude eleemosynam in corde pauperis* (Gr. ἐν ταμείοις σου, id est in penetralibus tuis. Syr. in thesauro tuo. Divitum thesaurus optimus est cor, id est sinus vel venter aut stomachus pauperis. Vel cor sumes in propria significatione, q. d. Ita da in eius manu, ut cor consoleris) *et hæc pro te exorabit ab omni malo.* Nihil excipit.

I. A visibili. De inimicis visibilibus et invisibilibus id potest accipi. Primo quidem de visibilibus. S. Petr. Damiani epist. 13. ad Gothofredum ducem, eiusque uxorem Beatricem, in hanc rem adducit orationem Mosis iunctam elevationi manuum. Si enim victoriam speramus cordi et ori, quibus preces fundimus, manus quoque iungenda est, qua bona pauperibus largiamur. Sic autem ait: *Iosue dux in deserto pugnabat, et Moses in monte, manibus in cælum extensis orabat: Sed sicut Scriptura perhibet, cum remitteret manus Moses, superabat Amalech: cum vero manus erigeret, corruebat Amalech, et vincebat Israel. Hinc Propheta dicit Thren.* 3. 41. *Levate corda vestra cum manibus ad Deum. Cor quippe cum manibus ad Deum levat, qui dum orationum vota persolvit, ei quoque vel ad ornamenta Ecclesiarum, vel ad subsidia pauperum, rerum suarum dona transmittit. Induamus ergo nobis loricam bonorum operum, et iacula non timebimus impiorum.* Ecclesiastici 29. vers. 17. habes vim eleemosynæ maximam: *Eleemosyna super scutum potens, et super lanceam adversus inimicum tuum pugnabit.* Syr. vertit, Scutum roboris, et lancea et murus ad bellum, et contra multos ipsa requiem dabit tibi.

II. Ab invisibili. Secundo, eleemosyna hostes spirituales a nobis removet: nempe peccata et dæmones. Eccl. 3. 33. *Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis:* Arab. extenuat peccata. Syr. remittit peccata. S. Cyprian. tractatu de opere et eleemosyna, extinguit peccata. Græc. ἐξιλάσεται, expiabit. Hinc Daniel ait Nabuchodonosori cap. 4. 24. post explicatam illam arborem sublimem, et excisionem eius, in qua arbore Nabuchodonosor ipse figura-

A batur: *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Sic Zeno Imperator sibi paratam pœnam eleemosynis evasit. Ioan. Moscus id refert in prato spirituali, cap. 175. Narravit, inquit, nobis quidam Patrum de Zenone Imper. dicens, quod mulierem quamdam in filia ipsius iniuriose tractaverit. Hæc autem vacabat in templo Dominæ nostræ Sanctæ Dei genitricis, orans et deprecans, et cum lacrymis dicens: Vindica me de Zenone Imperatore. Cum ergo multis diebus hoc faceret, apparuit ei Sancta Dei genitrix, dicens: Crede mihi mulier, ultionem tuam sæpe facere volui, sed manus eius prohibet me. Erat enim valde misericors, et eleemosynas faciens: ita Moscus. Eleemosyna porro dupliciter liberat vivos a peccato mortali, præservando et disponendo ad gratiam, ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 154. art. 2. Tobias senior, moriturus, ut existimabat, filio suo Tobiæ iuniori auctor est, ut ex sua substantia eleemosynam faciat, causam addit cap. 4. v. 11. *Quoniam eleemosyna ab omni peccato, et a morte* (æterna semper, si bene fiat, et B a præsenti sæpe) *liberat; et non patietur animam ire in tenebras.* S. Ambros. serm. 15. Nullum, ait, tam grave delictum est, quod non purgetur abstinentia, eleemosynis extinguatur. Ait enim S. Propheta Eccli. 3. Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Magna ergo est eleemosyna, quæ ardentium criminum globos benevolentiæ suæ fonte refrigerat, et quodam irriguo largitatis obruit incendia delictorum: ut quamvis offensus Deus, quamvis criminibus provocatus cogatur liberare eleemosynis, quem disposuerat punire peccatis. Et serm. 30. qui totus est de eleemosynis, idem sanctus Doctor ait: *Dicit Scriptura Divina Eccli.* 3. 33. *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Magna plane, et cunctis ambienda sententia, quæ hominibus iam mortuis, et peccatorum suorum incendio arefactis, redivivum quoddam beneficium pollicetur, ut interveniente eleemosyna, sicut aqua intermortuis, succus refrigerium arescentibus infundatur: hoc est, ut miseri homines, qui in mortem peccatis aruerant, ad vitam eleemosynis reviviC scant: sitque illis misericordia fons salutis, quibus avaritia fuerat mortis incendium, ut flammas quas sibi peccando incenderant, largiendo restinguant, atque utiliore commercio qui pecuniam quondam dederat, ut adulterium perpetraret, nunc pecuniam eroget, ut adulter esse iam desinat, et emat sibi quodammodo innocentiam, qui sibi emerat aliquando peccatum. Dicit enim Dominus Lucæ cap.* 11. *v.* 41. *ad Discipulos suos: Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Et serm. 31. fontem illum salutis Baptismo æquiparat, imo præfert: *Eleemosyna,* inquit, *extinguit peccata, sicut aqua Baptismi gehennæ extinguit incendium. Ergo eleemosyna quodammodo animarum aliud est lavacrum, ut si quis forte post Baptismum humana fragilitate deliquerit, supersit ei ut iterum eleemosynis emundetur, sicut ait Dominus: Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. Nisi quod salva fide dixerim, indulgentior est eleemosyna quam lavacrum. Lavacrum enim semel datur, et semel veniam pollicetur; Eleemosynam autem quoties feceris, toties veniam promeD reris. Hi ergo duo misericordiarum fontes sunt, qui et vitam tribuunt, et peccata condonant. Qui utrumque custodierit, regni cælestis honore ditabitur. Qui autem maculato fonte vivo, ad misericordiæ se fluenta contulerit, et ipse misericordiam consequetur.* S. Cyprian. in eadem est mente, ait enim: Sicut lavacro aquæ salutaris, gehennæ ignis extinguitur: Ita eleemosynis atque operationibus iustis delictorum flamma sopitur. Et quia semel in Baptismo remissio peccatorum datur, assidua et iugis operatio, Baptismi instar, imitata, Dei rursus indulgentiam largitur: ita Cyprianus.

Zeno Imperator per eleemosynam liberatur.

Mirabile est dictum Salviani Episcopi Massiliensis qui fuit æqualis S. Eucherii Lugdunensis, qui floruit circa annum 460. Ait enim lib. 3. de providentia: *Reo homini nullum est adiutorium, nisi mens larga, et eleemosynæ copiosæ.* S. August. serm. 172. Sagina pauperum viscera, et anima tua muneribus sanctitatis pinguescet: vesti nu-

dum, et tua peccata contecta sunt S. Leo sermon. 5. de collectis: Eleemosynæ peccata delent, mortem perimunt, et pœnam perpetui ignis extinguunt.

19. Vers. 4. Misericordia in morte iuvat. Quinto denique, misericordia alumnum suum usque ad vitæ finem sequitur, eumque nec in morbo nec in morte deserit, v. 4. DOMINUS OPEM FERAT ILLI (S. Hieronym. et Felix, confortabit eum. Pagn. fulciat eum. Hebr. סעד *saad*, significat confortare, fulcire, confirmare, sustentare, roborare) SUPER LECTUM DOLORIS EIUS: (Chald. fusius, Verbum Domini adiuvabit eum in vita eius, et apparebit illi super lectum infirmitatis eius,) UNIVERSUM STRATUM (cubile, ut vertit Pagn. Fel. et Camp.) EIUS VERSASTI (Felix, convertisti; Wolfgangus, convertes) IN INFIRMITATE EIUS. Hieronym. in ægrotatione eius. Wolfgang. et Campensis, in morbo eius. Nota, mutat personam. Nam in tertia persona dixit, *Dominus opem ferat illi.* Deinde statim transit ad secundam personam. Resp. primo, Lorinus fieri ex abrupto apostrophen ad Deum. Resp. secundo, et verius esse Hebraismum. Solent enim Hebræi sæpe alioqui aliquem in tertia persona, veluti alteri loquendo, præsertim cum Deo, regi, principi, aut alicui magnati loquuntur, sicut etiam frequens est nobis et Italis, atque Germanis, aliisque populis. Itaque cum dicit, Dominus opem ferat illi, alloquitur Deum, q. d. Tu Domine opem fer illi: unde non est mirum si statim subdat, universum stratum eius versasti. Quod diligenter notandum est. Sæpe enim occurrit hæc mutatio in Psalmis et Prophetis.

20. Lectus doloris quis? Quæres primo, quis lectus doloris hic intelligitur? Resp. primo, S. Chrysostom. homil. 2. et Hesych. hic, per lectum doloris accipiunt diem mortis: Mors enim, ait Hesychius, propter iudicii metum peccatoribus dolorem affert, sed in tempore mortis pauperum amatori Deus opitulatur: iubet enim eum firmo esse animo, ut qui benignitatem Dei sit experturus. S. August. sermone 46. profitetur, nunquam legisse se, ullum mala morte periisse, qui esset operibus charitatis et misericordiæ deditus. Orlandin. lib. 12. histor. Societ. Iesu, num. 100. *Puellæ*, ait, *egentis ut pudori pudicitiæque consuleret Xaverius corrogare ei undique dotem cepit: et a Vellio homine pecuniosissimo vetere familiari mutuum petit argentum cum triplicato fœnore in cælo reddendum. Is cum alienæ domi sese latrunculis oblectaret, clavem arcæ nummariæ Xaverio tradidit, ut inde auri promeret, quantum vellet. Erant in arca aureorum condita facile triginta millia, sed Pater trecentos tantum abstulit, clavique reddita, Petro renuntiat quantum inde deprompserit. Tum Petrus: facies, inquit, iniuriam amicitiæ nostræ Xaveri, qui tam exiguam particulam abstulisti, multo minus sumpsisti, quam volui. At ego ubi tibi clavem tradidi, ita destinavi animo, ut illam auri summam partiremur ex æquo. Cuius pia liberalitate Xaverius magnopere delectatus: Et ego, inquit, Dei nomine tibi polliceor, atque confirmo, nullo loco eius tibi misericordiam, qui in alios fuisti misericors, defuturam: futurumque insuper ut extremum tuæ vitæ diem, quo paratior ad Deum abeas, eo præmonente cognoscas. Ex eo die Petrus vir alius evasit, præcipueque beneficentiæ pietatisque studiis ita se dedit, ut interiecto annorum aliquot spatio, dignus denique, idoneusque sit habitus, cui Deus diem sui obitus indicaret. Composita quippe re domestica, magnaque ex parte suis fortunis in egentes ac miseros erogatis ad ædem pergit, Parochumque hortatur, ut pro Petro Vellio funebre sacrificium ritu solemni faciat, cui interfuit ipse, se iam numerans inter mortuos. Inde amicis singulatim valere iussis, tamquam peregre discessurus, cum rogaretur, quo tandem discederet, respondit, in cælum. Iocari hominem lepidum, et cæteroqui facetum rebantur amici. Verum ubi in eo perseverare Vellium, remotoque ioco serio loqui censerunt, audierantque iam illum sacris funeribus rite animo procurato, præstolari domi abditum mortis adventum, insaniam illam interpretati, vel ægritudinem animi, domum eius coire frequentes, ut eum pro se quisque ab ea tristitia, ægritudineque deducerent. At ille gaudium animi, oris hilaritate contestans, Xaverii prænun-*

Vellii liberalitas in morte compensata.

A *tiationem amicis exponit, rogatque suo ut funeri eo ipso die mox obituri dent operam. Nec ita multo post affecta iam ætate hominem repentina mors abstulit: eodemque die ad ædem elato, amici tam inusitato mortis genere obstupefacti, funus et iusta curarunt.* Non possum sine scelere omittere, quod contigit Fundatori huius collegii Catalaunensis, Cosmo Clausse Episcopo et Comiti huius civitatis, ac Pari Franciæ. Cum enim adeo esset amans pauperum, ut sæpe diceret se bonorum suorum non esse dominum sed usurarium, eaque esse bona pauperum, omnia prorsus legavit pauperibus. In vestibulo Ecclesiæ Cathedralis, quæ S. Stephano Protomartyri sacra est, sepeliri voluit: tum quod locus esset a choro remotissimus et abiectissimus, tum ut pauperes ibi ad stipem emendicandam manentes eum pedibus tererent, et oculis semper intuerentur, eaque ratione sui in precibus essent memores. Ne vel unicum quidem cultrum petenti nobili et consanguineo dari voluit: cum diceret, non sua, sed pauperum esse bona B quæ possideret: ne vel obolum inde detrahi velle. Quam summam eius munificentiam Deus in morte cælestibus compensavit deliciis, et suavitatis insolitæ lacrymis, ita ut identidem exclamaret: *O bonitas! o bonitas! quid me tantis immeritum cumulas gaudiis!* Id omne liberalitati erga pauperes, et fundationi collegii nostri tribuebat, et prædestinationis suæ causam eam esse censebat. Eius sepulcro versiculus psalmi nostri est inscriptus: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem.* Obiit anno 1624. et nunc anno 1639. quo hæc scribo, videmus feliciter inchoatum seminarium pauperum, quod charitatis domum nuncupant, in quo iam multi pauperes datis a tanto Prælato redditibus vivunt.

Secundo, et melius ac plenius, *lectus doloris*, id est dolorifer, seu doloribus coniunctus, est non tantum dies mortis, sed totum tempus morbi, sive sit lethalis, sive non. Qui enim fuerit misericors aliis, in sua miseria sentiet Deum sibi benevolum et faventem. Quem non recreet et reficiat tam peritus et amans medicus et valetudinarius, cuius vel unicum verbum, sit saluberrima panacea, C et omnium morborum medicina? Centurio, id est, dux centum militum (subinde etiam plurium, ut docet Vegetius lib. 1. de re militari) nomine C. Cornelius natione Hispanus, ut ait L. Dexter in Chronico, dicit Christo, Matth. 7. v. 8. *Tantum dic verbo, et sanabitur puer meus*, id est servus, ut exprimit Lucas cap. 6. v. 3. L. Dexter putat, eius filium. C. Oppium pariter Centurionem Christo in cruce quasi satellitem et custodem astitisse, ac visis signis in cælo, sole, terra et petris, conversum esse ad Christum. Bononius arbitratur hunc Centurionem, qui Christo in cruce astitit fuisse Longinum, qui conversus reliquit militiam, et secedens in Cappadociam, ibique Deo vacans, a Iudæis occisus, Martyr occubuit, ut in vita habet Metaphr. die decima quinta Martii. 21. Misericordia in morbo iuvat.

Symbolice, *lectus doloris*, est primo amor rerum terrenarum, quæ mentem torquent: ita Ugo Cardin. 22. Symbol. Lectus doloris quadruplex.

Secundo, *lectus doloris*, est sepulcrum: ita S. Maximus hom. 1. in adventu Domini. Lectus quidem noster, inquit, communis est terræ huius amplissimum solum, in D quo corpora nostra deposita tutissima sede requiescunt. In hoc autem lectulo ille mollius dormit, quisquis durius in vita se gesserit: ita Maximus.

Tertio, et convenientius, *lectus doloris*, est conscientia seu anima afflicta et ægrotans: ita Ugo et Eusebius aliique.

Quarto, et optime, *lectus doloris*, est corpus morbis et infirmitatibus afflictum: ita S. Ambr. S. August. S. Maxim. S. Chrysolog. Ugo et alii, q. d. Deus iuvat misericordes in suis morbis. Vel certe gementem in corpore animam ob tentationes ex eo orientes sustentat, et confortat, atque ad virtutem sectandam rapit. S. Chrysologus sermone 14. *Quis est*, ait, *lectus doloris nostri, nisi corpus nostrum? in quo anima iacet, et iacet dolens, et dolet, quæ cælum repetere cupiens premitur corporis terra.* S. Ambrosius in Psalmo nostro: *Quis est*, ait, *lectus doloris, nisi caro infirmitatis? et bene lectus doloris: quia corpus* Corpus est lectus doloris.

est mortis, de quo se liberari deprecatur Apostolus Rom. 7. et tamquam de tumulo quodam possit assurgere, in quo ægra iacet anima, et quasi quodam decumbit in lectulo. Symmach. lectum miseriæ dixit: Aquila, grabatum miseriæ: expressius Septuaginta viri lectum doloris putaverunt esse dicendum. His ergo versiculis utendum est apud eos, qui diutius infirmitate corporis detinentur, ut habeant medicinam Dei, quo sani esse mereantur. Lectus ergo animæ, caro infirma est, cuius ægritudini anima nostra compatitur: quæ si habeat adiutorem Dominum, dicit ei, Luc. cap. 5. v. 24. Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Quo confortatus Dei verbo qui æger erat, surgit et tollit lectum suum in quo iacebat, et redit in statum pristinum sanitatis. Hoc est in domum suam regredi, ut habitet in domicilio robustissimæ valetudinis. Qui habitat regit: qui regit, virtutis habet sibi gratiam suffragantem.

23. *Versare stratum in infirmitate quid?* Quæres secundo, quid est versare stratum in infirmitate? Respond. primo, S. Hieron. S. August. Agellius, et aliqui alii. Sensum esse, *universum stratum versasti in infirmitate eius*, q. d. Eas res terrenas, in quibus etiam pii acquiescunt et delectantur, versasti et removisti Domine

I. Deus, ut pius peregrinus non diligat stabulum pro domo: sed ex amissione temporalium, quamvis licitarum consolationum discat in solo Deo delectari: illum unum quærere, ad illius visionem anhelare et suspirare. Hæc enim est causa, cur sancti homines non solum tribulationes aliunde advenientes amaverint, sed ipsi etiam eas sibi accersiverint, vigiliis, ieiuniis, humicubationibus, nuditate et flagellis carnem propriam atterendo: quoniam intelligebant, animum non omnino erigi posse ad quærendum Deum, dum aliquid habet in terra, quod amet: vel in quo delectetur ut quiescat.

II. *Et optime.* Secundo, et melius, S. Ambros. S. Maximus, S. Chrysologus, Ugo, et alii, censent versari stratum in infirmitate, esse mutari statum ægroti in statum sanitatis. Hoc autem primo de sanitate corporis intellige cum Iansenio, qui sensum vult esse, q. d. Si quando decubuerit in lecto, ob morbi dolorem, Dominus auxiliabitur ei, confirmans sua consolatione animam eius, ne morbo succumbat, aut ab ægritudine eum curans: tu Domine in infirmitate eius vertes et mutabis penitus stratum eius, in quo languidus iacet, reddens eum sanum; ut iam lectum ægritudinis relinquat, et pro eo quietis locum ascendat. Tu etiam in morbo ipsius sic te geres, quasi si totum eius lectum (ut fieri ad infirmorum consolationem solet) versares, angulis undique ventilatis: facies enim ut mollius cubet, leviusque ferat morbum. Secundo, de conversione animæ exponit S. Maximus hom. 1. de adventu: *Possumus* ait, *ipsa membra nostra lectulos proprios nostros nuncupare, in quibus animæ nostræ veluti in quodam stratu suavissime demorantur. Quod quidem sanctum Prophetam sensisse arbitror, cum dicit: Universum stratum eius versasti in infirmitate eius. Beatus enim est ille, cuius stratum Dominus in ipsius infirmitate convertit, ut qui fuerat paulo ante iracundus, adulter et petulans, et cunctorum scelerum infirmitatibus plenus, assuetum corpus eius malo versans Dominus, fiat castus, humilis, et modestus. De quo stratu spiritualiter ad Paralyticum dictum est a Domino, Lucæ cap. 5. v. 24. Surge, tolle lectum tuum, et ambula. Non enim tam in eo admirationis aliquid erat, ut confracti, velut animæ suæ necessarium lectulum Paralyticus ipse gestaret: et coram positis Iudæis propriis abiret pedibus, qui manibus allatus fuerat alienis. In hoc plane completa est Prophetica illa sententia, Versasti stratum eius in infirmitate eius: ut versa vice portaret lectum, in quo fuerat paulo ante portatus, et anima illius, quæ prius vasculo corporis ferebatur, postea corpus suum ipsa utilius circumferret.* Ita S. Maximus, aut S. Ambros. nam in huius etiam sermonibus hæc verba reperiuntur. S. Chrysologus serm. 14. *Caro est*, ait, *quæ versatur et versat: Ipsa est ergo quæ in adversis volvitur, in prosperis versat. Dominus ergo versat stratum nostrum, quando nobis adversa vertit in prospera: et quia in lecto doloris; hoc est, in lecto corporis animus volvebatur ægrotus, ipse qui volvebatur proclamat Psal. 40. 5. Ego dixi, Domine miserere mei: sana animam meam, quia peccavi tibi.*

Allegorice, imo etiam ad litteram, hoc exponi potest de Christo, de quo est totus Psalmus. Huius enim stratum, id est crucem vertit Deus, cum eam ignominiam patientis et morientis convertit in gloriam resurgentis et ascendentis. S. Ambros. in Psalmo nostro: Stratum omnem ait, versat Dominus in infirmitate languentis, cui adesse dignatur. Quod versatur, statum mutat, aut ex sanitate in ægritudinem, aut ex ægritudine in sanitatem. Hic ergo qui ægrotaverat, mutat se ad remedium sanitatis: *Sic ergo Dominus Iesus, etsi vulneratus est propter peccata nostra, tamen non in illa infirmitate permansit, sed se ipse versavit in melius ad universorum salutem. Itaque passione infirmitas est soluta, mors resurrectione. Sicut ergo se ipse versavit ad populorum redemptionem, nec sensit aculeum mortis, aut vulneris infirmitatem: sic eum qui in se credit, etsi graviter ægrotantem, ut a morte liberet, versat ad vitam. Omnem ergo stratum, hoc est universorum hominum infirmitatem in sua infirmitate versavit. Suscepit enim infirmitates omnium in sua carne, erexit se in crucem, et versavit omnium infirmitates in sui corporis infirmitate. Unde dicit Isaias cap. 53. Livore eius sanati sumus.* Simili deinde luctatoris rem explicat, sese enim nonnunquam inclinat et dimittit, ut adversarium prosternat: *Habent hoc*, ait, *luctatores, ut se subiiciant iis quibus congrediuntur atque luctantur; ut opprimi posse videantur: et subito cum existimantur elidi, quadam arte se versant, ut effundant superiorem. Cadit qui portabatur: et is qui portabat, superior invenitur, ut sternat urgentem. Spiritali itaque palæstra Dominus Iesus onera nostra suscipiens in illa se Passionis suæ congressione subiecit, et in infirmitatis specie, ut eum adversarius hominem parem cæteris iudicaret, quem facile posset opprimere: divinitatis arma deposuit, humanitatis tegmen assumpsit. Securus victoriæ propius tentator accessit: In costa eum telo militis voluit vulnerare, reputans et hunc sicut Adam per costam posse prosterni. Sed vulneratus latere Dominus Iesus, vitam produxit e vulnere, evacuavit omne peccatum, deiecit adversarium, cui mortem latronis eripuit: et in illa morte, in illa sui corporis sepultura cum existimaretur oppressus, elisus sua se virtute versavit, cecidit adversarius, Dominus resurrexit:* Ita Ambrosius.

24. *Allegor. Christus in cruce homines redimit.*

Et dæmon prosternit.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

Passionis Christi, causas exponit, vers. 5. Secundo, resurrectionis Christi fructus, vers. 11.

PARAPHRASIS.

5. *Ego dixi: Domine miserere mei: sana animam meam, quia peccavi tibi.*

5. Licet tanta pauperes respectanti et adiuvanti proposita sint præmia, ego tamen egenus et inops ab omnibus hominibus deseror: ad te itaque, Pater mi, oculos animumque erigens, opem et misericordiam imploro. Animam meam innumerorum dolorum vulnere sauciam, et tristem usque ad mortem ob hominum scelera, quæ exolvenda suscepi, pristinæ alacritati restitue.

6. *Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur, et peribit nomen eius?*

6. Ea fuit inimicorum meorum, Pharisæorum præsertim ac Sacerdotum, petulantia et crudelitas, ut mala mihi precarentur, crebrisque hæc usurparent sermonibus. Quandonam mortem funestam obibit, et collecta tot miraculis fama, ac nominis celebritas oblivione delebitur.

7. *Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur, cor eius congregavit iniquitatem sibi.*

Egrediebatur foras, et loquebatur in idipsum.

7. Et quidem si quis eorum ad me ventitaret, ut vel docenti aures adverteret, vel oculis ipsis prodigia inusitata cerneret, calumniis et mendaciis tenebras emicanti lumini offundere nitebatur. Vilis instar araneæ, malitiæ venenum inde sibi collegit, unde cæteri, velut Dei apiculæ, cæleste bonorum operum mel conficiebant.

Tum vero concepta impietate turgidus prodibat in publicum, virusque acerbitatis suæ in omnium aures animosque transfundere moliebatur.

8. *Adversum me susurrabant omnes inimici mei: adversum me cogitabant mala mihi.*

8. Mox incensos iam animos invidiæ furorisque flamma depascebatur, dentibusque singuli infrendentes contra me mussitabant, atque extremam mihi perniciem intentabant: certatimque iniurias et probra excogitabant, et varios cruciatus, quibus me lacesserent.

9. *Verbum iniquum constituerunt adversum me: Numquid qui dormit non adiiciet ut resurgat?*

9. Tandem eo recidit eorum furor, ut me crucis supplicio addicere statuerent, omnemque dictis meis, de resurrectione mea futura, fidem penitus abrogarent: nec crederent fieri posse, ut qui semel morte extinctus foret, iterum ad vitæ lucem rediret.

10. *Etenim homo pacis meæ in quo speravi: qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.*

10. Spem enim me capiendi illis facit Iudas, qui mecum pacifice, velut cum magistro discipulus versabatur, cui tantum fiduciæ ostenderam, illius ut fidei omnia crederem, quæ in victum ususque meos et meorum dabantur; qui denique velut domesticus et contubernalis, eadem mensa ciboque mecum utebatur. Hinc acerbiorem longe mihi passionem meam reddidit, mirifice me supplantans, ac veluti calce proterens, in hostium meorum manus traditum.

11. *Tu autem Domine miserere mei, et resuscita me: et retribuam eis.*

11. Infremant licet hostes mei et insultent, si tu solus misertus mei fueris, et me ad vitam suscitaveris, sicut futurum certo scio, his ego meritas pœnas referam, suis ut e sedibus extorres hac illac sine lege, sine rege, sine sacerdote, sine sacrificio, sine templo vagentur: et tandem nisi resipiscant, pœnas æternas exsolvant.

12. *In hoc cognovi quoniam voluisti me: quoniam non gaudebit inimicus meus super me.*

12. In hac mea per te suscitatione, cognovi tibi me gratum et acceptum esse: nec diu inimicos meos de morte mea triumphaturos, sed brevi eorum gaudium in amaritudinem vertendum esse.

13. *Me autem propter innocentiam suscepisti: et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.*

13. Sed me propter virtutem meam et innocentiam a te de sepulcro suscipiendum et exaltandum cognovi: ac tandem stabili in sede collocandum in cælis, ante conspectum tuum, tota æternitate leges Angelis, hominibusque positurum.

14. *Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo, et usque in sæculum: fiat, fiat.*

14. Tibi ob tanta beneficia laus sit et gloria, Domine Deus Israelis, ab hoc sæculo et usque in æternum. Hoc ut accidat toto animo exopto.

QUÆSTIO UNICA

QUANTA PATIENTIS CHRISTI AFFLICTIO, ET RESURGENTIS POTESTAS.

SECTIONE superiori Christus beatos esse illos dixit, qui sibi patienti tum in se, tum in membris suis, compassi fuerint: nunc Passionis suæ causas et resurrectionis fructus ostendit.

Ac primo, tres causas Passionis assignat: Primo, peccata omnium hominum pro quibus vadem se et sponsorem exhibuerat, vers. 5. *Ego dixi: Domine miserere mei: sana animam meam, quia peccavi tibi.* Vide dicta Psal. 21. 1. in illud, *Verba delictorum meorum.*

Iudæorum scelera duodecim: Secunda causa Passionis Christi fuerunt Iudæi scelerati, in quibus duodecim notat: Primo, odium in se, v. 6. *Inimici mei.* Secundo, contumeliam: *Dixerunt mala mihi:* 1. Odium in Christum. Arabs, de me. Symm. περι εμου. Noster signatius, *mihi:* quod est gravius et molestius. Quæ enim dicuntur in ab- 2. Contumelia. sentia nostra, non ita nos feriunt. Sunt tela e remoto venientia, ideoque languidiora. Contumelia est contra honorem et palam, sed detractio contra famam et occulte, susurratio vero contra amicitiam, derisio autem erubescere facit, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 73. art. 1. Gravius peccatum est contumelia quam detractio, et hæc quam 3. Crudelitas. furtum et rapina, ut habetur 2. 2. q. 73. art. 3. Tertio, in Iudæis contra Christum erat crudelitas: *Quando morietur, et peribit nomen eius:* Arabs, memoria eius. Quarto, 4. Hypocrisis. hypocrisis, v. 7. *Et si ingrediebatur, ut videret.* S. Hieron. et si venerit, ut visitet. Chald. et cum venerit, ut accipiat faciem: id est ut abblandiatur, ut applaudat, ut fingat se dicta et facta laudare et approbare. Est enallage numeri: ponitur enim singularis pro plurali, cum prius et statim post utatur plurali. Hoc frequens est apud Hæbreos, qui e numero ad numerum transvolant. De Iudæis id malim intelligere quam de Iuda: nam de illo postea. Ibi quoque posset notari curiositas cum Hugone a S. Victore c. 50. in Psalmos eam vocat magnum malum. S. Thomas fraudem hic vult designari: proponit, inquit, dolosum ingressum, fictum verbum, insidiosum animum. Quintum, 5. Mendacium. Iudæorum scelus in Christum est mendacium: *Vana loquebatur.* Pagn. Chald. Arab. mendacium. Hebr. שוא *sciav*, mendacium, vanitas. Nota multi iungunt hæc cum sequentibus. Pagn. enim vertit, mendacium loquetur cor eius. S. Hieronym. vana loquetur cor eius. Arab. Proferebant falsitatem in cordibus suis. Chald. mendacium loquetur in cogitatione sua. Noster vero melius dividit a sequentibus. Unde collige sextum Iudæorum scelus in 6. Invidia. Christum esse malignitatem seu invidiam: *Cor eius congregavit iniquitatem sibi.* Sic distinguit S. Aug. Euthym. Beda, Cassiodor. S. Ambros. qui eam distinctionem ait se reperisse in Græcis codicibus. Syrus vertit, in corde suo congerebant malum. Isti, ait S. Thom. non faciunt sicut apes, quæ congregant mel: sed sicut scarabæi, qui congregant stercus; item congregaverunt sibi iniquitatem Iudæi, quia eius pœna in eorum caput recidit, eversa per Titum Ierosolyma et templo. Vide Ps. 2. 1. in illud: *Meditati sunt inania*, et Psal. 7. 16. Septimum Iudæo- 7. Impudentia. rum scelus in Christum fuit impudentia, v. 8. *Egrediebatur foras.* Chald. egredietur in plateam. Syr. egrediebantur in plateam, et loquebantur. Non erat illis satis, in corde malitiam contrahere, non satis occulte detrahere, nisi etiam publice mendacia sua impudenter venditarent. Octavum Iudæorum scelus in Christum est detra- 8. Detractio. ctio: *Et loquebatur in idipsum*, id est simul. Unde Apolinar. reddit, μετα αγρομενοισιν ομιλει, id est cum congregatis sociis suis loquitur. Nota: το *in idipsum* sequentibus in Hebræo iungitur. Hinc S. Hieron. vertit, egrediens, fo-

ras detrahet. Sed, ut recte advertit Bellarmin. sequenda est distinctio antiqua Sept. interpretum qui maiori fide digni sunt, quam recentiores Rabbini, qui puncta et di-
25. stinctiones quae nunc habemus, Biblile addiderunt. No-
9. Susurratio. num Iudæorum scelus in Christum fuit susurratio, v. 8. *adversum me susurrabant* (S. Hieronym. murmurabant. Camp. conspirabant) *omnes inimici mei*. Susurratio est species quædam vitii linguæ damnata cum criminatione, Lev. 19. 16. maledicta cum lingua bilingui, Eccli. cap. 28. v. 15. nam coinquinat animam, ibidem cap. 21. 31. Susurratio differt a detractione, quod susurratio fit ad separationem amicitiæ, detractio vero ad denigrationem famæ. Ideo differunt fine, sed conveniunt in materia et forma, scilicet in occulta maledictione, ut ait S. Thomas 2. 2. quæst. 74. artic. 1. ubi docet artic. 2. susurrationem esse gravius peccatum detractione et contumelia: quia amicitia est melior quolibet alio bono exteriori. Susurrare est submissa voce loqui, lenem et submissum strepitum edere, quale est aut apum murmur, aut aquæ molliter defluentis, aut venti leniter spirantis. Cassiodor. ait, susurrationem esse parvissimum sonum sine aliqua vocis distinctione confusum, ducta ab avibus similitudine, quarum vox prolata susurrus est. Malignitatem et vafritiem susurratorum indicat Hebr. יתלחשו illachasciu, id est mussitabunt, sicut facere solent incantatores serpentis. Nam *loches* incantatorem significat, qui carminibus voce submissa immurmurans sopit et sistit, ut eo ad libitum abutatur, eumque occidat. Iudæi aspiciebant Iesum velut serpentem toti populo suo execrabilem et exitialem, eumque captum et incantatum proterere et conculcare
10. Obstinatio. cupiebant. Decimum Iudæorum scelus in Christum est obstinatio: *Adversum me cogitabant mala mihi;* quod dicitur obstinate mihi nocere ardebant, non desistebant a cogitando, et coagitando, versandoque in animo suo, qua
11. Iniustitia. ratione nocere mihi possent. Undecimum Iudæorum scelus in Christum est iniustitia, v. 9. *Verbum iniquum constituerunt*. S. Ambros. proposuerunt. S. August. disposuerunt. Arnobius, cogitant. Psalter. Ambrosian. statuerunt, *adversum me*. Nota, pro *verbum iniquum*, Hebraice est דבר בליעל *debar beliaal*, id est verbum impium, iniustum, diabolicum. Unde primo, Hieron. vertit: *Verbum diaboli infundebant sibi*, q. d. Insibilabant et insusurrabant sibi invicem verba diabolica contra Christum. Secundo, Pagn. verbum impium adhærebit ei. Tertio, Flamin. verbum iniquum diffusum est in isto. Quarto, Felix et Wolffgangus, verbum Belial effusum est in ipso. *Belial* deducitur a בלי *beli*, id est sine, et יעל *iaal*, id est utilitas, q. d. Sine utilitate. Vel a *beli*, id est sine, et עול *hol*, id est iugum, q. d. Sine iugo. *Verbum belial*, itaque Sept. recte verterunt λόγον παράνομον, verbum quod legi iugum excutit, quod est iniquum et iniustum. Quæres, quod sit illud verbum iniquum et diabolicum Iudæorum in Christum? Respond. esse deliberationem et statutum de Christo occidendo. Hoc præsertim factum et decretum est in eo concilio, in quo dixit Caiphas ut habetur Ioan. c. 11. v. 50. *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo. et non tota gens pereat*. Additur enim v. 53. *Ab illo die cogitaverunt ut interficerent eum*. De illis prædicitur Sap. 2. 20. ubi illud verbum et decretum refertur, *morte turpissima condemnemus eum*, id est morte crucis, quæ erat maxime ignominiosa et afflictiva ut ostendi Ps. 21. Verbum autem hoc erat verbum diaboli: sicut enim diabolus
26. misSerat in cor Iudæ, ut Christum traderet: ita et Iudæis,
12. Infidelitas. ut eum occiderent et crucifigerent. Duodecimum denique, scelus Iudæorum in Christum est infidelitas, non credentium eius resurrectionem, v. 9. *Numquid qui dormit non adiiciet ut resurgat?* Hoc erat verbum impium, quod loquebantur. Eum crucifigamus, cum mortuus fuerit non resurget, sicut mendaciter dixit. S. Hieron. vertit: *Qui dormivit non addet ut resurgat*. Si interrogatione utaris, sensus est: Nonne verum est, quod qui dormit, id est qui mortuus est, non adiiciet ut resurgat, hoc est a morte non resurget? omnino ita est, certi sumus quod non re-

A dibit ad vitam, non erit nobis amplius molestus. Christum hic loqui volunt S. Basil. S. Athanas. S. Chrysost. Theodoretus, Genebr. Bellarm. et alii, sensumque esse, q. d. Licet isti tam iniustum decretum fecerint, numquid mihi potestatem resurgendi auferent? Sed sensus prior magis arridet, ne tam crebra fiat mutatio personarum. Itaque arbitror illa verba, *numquid qui dormit*, etc. esse verba Iudæorum hostium Christi, eique insultantium et deridentium, ea quæ dixerat de futura corporis sui resurrectione. Nota porro, Christi mortem vocari somnum. Primo, quia ei fuit voluntaria, et cum voluit in cruce obdormivit. Isaiæ 53. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit*. Ioan. 10. 18. *Ego potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam*. Secundo, quia breve fuit tempus quo corpus eius iacuit in sepulcro Ps. 15. 10. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Vide illum locum. Tertio, quia sicut corpus dormientis destitutum videtur, et sine regimine, sic corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, in morte
B Christi destitutum videbatur. Zachar. 13. 7. *Percute pastorem, et dispergentur oves gregis*. Quarto, quia sicut per somnum melioratur corpus, sic Ecclesia per mortem Christi. Lucæ cap. 12. v. 50. *Baptismo habeo baptizari*, id est morte, *et quomodo coarctor usque dum perficiatur?* Propter hoc dicit S. August. dormit Adam, ut fiat Eva: moritur Christus, ut fiat Ecclesia. Dormienti Adæ fit Eva de latere, mortuo Christo percutitur latus lancea ut fluant Sacramenta, quibus fiat Ecclesia: ita Ugo. Quinto, ac præcipue mors Christi somnus est, quia facile fuit ipsi resurgere, et hoc fuit in eius positum potestate. Sicut enim facile est socium dormientem a somno excitare, ita facile fuit Verbo Dei carnem suam mortuam ad vitam revocare.

Tertia causa Passionis Christi fuit Iudas proditor. Unde additur vers. 10. ETENIM HOMO PACIS MEÆ IN QUO SPERAVI, QUI EDEBAT PANES MEOS, MAGNIFICAVIT SUPER ME SUPPLANTATIONEM. *To etenim* reddit rationem, cur quatuor. 27. Vers. 10. Iudæ scelera quatuor.
Iudæi verbum iniquum constituerint, et perfecerint con-
C tra Christum: eum scilicet morti tradentes. Hoc enim ut ad exitum perducerent, effecit Iudæ proditio. Nota hic verba singula augere crimen Iudæ. Quatuor eius scelera hinc colligo, 1. hypocrisim; 2. perfidiam; 3. ingratitudinem; 4. crudelitatem.

Primo enim hypocrisim eius denotant hæc verba, *homo pacis meæ*, id est qui pacem et benevolentiam simulabat, quod declaravit 1. in cœna ultima, cum enim dixisset Christus: *Unus vestrum me traditurus est*, ait Matth. cap. 26. v. 22. *Numquid ego sum Rabbi?* q. d. Non sum tam perfidus, ut cum te magistrum meum profitear, id velim præstare. Ubi adverte quod dicitur, quod alii Apostoli interrogabant, Numquid ego sum Dominus? ipse vero vocabat eum Rabbi, id est Domine mi, Magister mi, quod habet maiorem benevolentiæ et amoris testificationem. Secundo, et præcipue, hypocrita fuit, cum accedens in hortum Gethsemani ad eum prodendum satellitibus quos adducebat, ait, Matth. 26. 49. *Ave Rabbi, et osculatus est eum*. Unde S. August. serm. 1. de Passione. Oscu-
D laris, inquit, et insidiaris: amicum fingis, cum proditor sis. Figuratus est primo, in Ioab proditorie occidente Abnerem ducem exercitus Isboseth, 2. Reg. 3. 27. et Amasam principem nepotem Davidis, 2. Reg. 20. 10. Secundo, in Achitophelo, cuius consilium tanti erat apud Davidem, quasi si quis consuleret Deum, 2. Regum 17. 23. Tertio denique, in Absalone, qui significat Patris pacem, Davidem patrem e solio regio eiiciente, 2. Reg. 15. Symmachus hic vertit, qui pacifice agebat mecum. S. Hieronymus, homo pacificus meus. Syr. vir deprecans mihi salutem. Chald. homo qui quærere debet pacem meam. Mysticum est, quod S. Chrysost. et Hesych. dicunt Iudam vocari hominem pacis, quia Evangelium pacis prædicaverat.

Secundo, Iudæ proditoris perfidia denotatur, cum additur, *in quo speravi*. S. Hieron. In quo habui fiduciam. II. Perfidia
Campens. cui unice fidebam. Quæres, an vere Christus

fideret Iudæ, quem sciebat esse proditorem? Respond. primo, S. August. Ruffin. Cassiodor. ei Christum confidisse, quantum ad æstimationem aliorum, qui videbant ipsi concreditam pecuniam, ut totum Apostolorum collegium aleret, ut habetur Ioann. cap. 12. v. 6. Non enim officit perfectioni habere loculos in communi, ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 188. artic. 7. Itaque Christus habere voluit pecuniam a fidelibus oblatam, ut non semper obligarentur Apostoli mendicare, sicque nimis distraherentur et fatigarentur. Ne tamen esset ulla proprietas in particulari, unum procuratorem constituerat Iudam. Resp. tamen secundo, vere confidisse Christum Iudæ, dum erat in Dei gratia, et iustus. Barradius noster tom. 2. lib. 6. cap. 14. dicit, Iudam probum fuisse, cum ad Apostolatum electus est. Credendum enim esse, Christum neminem improbum ad tantam dignitatem elegisse. Theophylact. Ioan. 6. Non semper, inquit, erat Iudas malus, sed fuit etiam aliquando sanctæ voluntatis. S. Hieron. lib. 3. contra Pelagianos cap. 2. Interroga Christum, ait, cur Iudam elegit proditorem? cur ei loculos commiserit, quem furem esse non ignorabat? Vis audire rationem? Deus præsentia iudicat non futura: neque condemnat ex præscientia, quem noverit talem fore, qui sibi postea displiceat. Sed tantæ bonitatis est, et ineffabilis clementiæ, ut eligat eum, quem interim bonum cernit, et scit malum futurum, dans ei potestatem conversionis et pœnitentiæ: Ita Hieronym. Semper fuisse malum Iudam putat Abulensis, Matt. 10. q. 43.

III. Ingratitudo. Tertio, Ingratitudo Iudæ ostenditur vers. eod. 10. *Qui edebat panes meos.* S. Hieron. Pagn. Fel. Arabs, panem meum. Sept. Flamm. panes meos. Quæres, quos panes?

28. Panem Christus triplicem dedit Iudæ. Respondeo de triplici pane locum hunc posse accipi: Primo, et præcipue de pane communi et corporali. Sic Luc. 22. 21. *Ecce manus tradentis me mecum est in mensa.* Ioan. 13. 26. *Ille est cui intinctum panem porrexero.* Agit de suo

I. Panem communem. proditore. Panem hunc intinctum fuisse Eucharistiam quidam censent, sed iure id negat S. Aug. tract. 62. in Ioan. S. Thom. in cap. 13. Ioan. Concilium Braccarense 3. in suis decretis c. 7. fuit enim buccella panis, quam Christus post cœnam Agni Paschalis, cœnam communem, et cænam Eucharisticam, intinxit in embamma vel iusculum aliquod delicatius, quod adhuc erat in mensa. Hoc signo autem indicavit proditorem, 1. ut huius Psalmi prophetiam veram esse ostenderet; 2. ut denotaret panis oblatione, quæ est symbolum amicitiæ, modum proditionis per aliud amicitiæ signum, nempe per osculum; 3. ut hac intinctione fictionem eius et fraudem notaret, sicut vult S. August. Hac autem buccella accepta apertum scelus suum Iudas videns, penitus cor suum tradidit Satanæ, veluti desperans: et ideo statim introivit in eum Satanas videns cor illud esse obstinatum. S. Augustin. apte ad rem nostram, ingressum Satana in cor Iudæ, refert ad eius ingratitudinem.

II. Panem doctrinæ. Secundus panis, qui hic potest intelligi, est panis doctrinæ spiritualis: Ita S. Ambros. *Quid est, ait, quod addidit, panes meos? Potuit dicere, qui edebat panes mecum: nisi illam intelligas quæ specialis est Christi: hoc est, verbi cælestis alimoniam. Non enim in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei. Denique alibi dicit in Ps. 54. 15. Qui semper mecum dulces capiebas cibos. Quibus versiculis bene utimur adversus eos qui necandos esse crediderint, cum quibus videntur epulari. Gentiles hoc custodire memorantur, hostes plerumque, latrones etiam, ut parcant iis cum quibus recordentur se inisse convivium, feræ ipsæ pabulorum societate mitescunt. Unde propter huiusmodi affectum gratiæ convivalis, si verba consideremus, non otiose dulces cibos dixit. Quomodo enim dulces, qui cito corrumpuntur? Sed vide ne dulces cibos dixerit verba vitæ. Hos enim cibos nulla amaritudo corrumpit, nulla mortis corruptela contaminat. Vide, et semper, dixit. Non enim semper edere quis poterat. Semper autem verbo Dei possumus inhærere, et noctibus et diebus, si in lege Dei die et nocte meditemur:* Ita Ambr. paulo subtilius. Vide Ps. 118. 113. Figuratus est Christus in Aser filio Iacob, de quo ipse Iacob prædicit Gen. 49. 20. *Aser pinguis panis eius, et præbebit delicias regibus.*

Tertio denique, cum Christo Iudas edit panem Eucharistiæ, ut docet Suarez 3. p. q. 73. art. 5. disp. 41. sect. 3. et communiter sancti Patres August. Ambr. Leo. Cyprianus, Cyrill. Chrysost. et alii. Probatur primo, quia Matth. c. 26. v. 20. ait Christum discubuisse ad cœnam Agni et Eucharistiæ cum duodecim discipulis: ergo etiam cum Iuda: nam hic erat unus ex duodecim. Unde v. 21. sequitur: *Et edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est.* Secundo, quia Marcus cap. 14. v. 23. de calice Eucharistiæ ait: *Et biberunt ex illo omnes:* scilicet duodecim Apostoli, quos ad cœnam hanc cum Christo venisse paulo ante dixerat v. 17. Tertio, quia Lucas cap. 22. 21. ait, Christum post consecrationem calicis Eucharistiæ illico subiecisse: *Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa:* ergo aderat Iudas. Quarto, quia Ioan. cap. 13. narrans Christum ante Eucharistiam lavisse pedes Apostolorum, significat v. 10. ut sequenti etiam lavisse pedes Iudæ, dicendo: *Vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim, quisnam esset qui traderet eum.* Si Christus Iudæ lavit pedes, ergo eidem dedit Eucharistiam, quæ mox ab eo instituta est: ad hanc enim dirigebatur hæc lotio. Quinto, quia Christus post cœnam Eucharistiæ dixit, unum ex mensæ secum accumbentibus, puta Iudam, esse suum proditorem, ut patet Ioan. 13. 12. 18. et sequ. cumque Ioannes a Christo peteret, quisnam esset proditor, respondit Christus ibidem v. 26. *Ille est cui intinctum panem porrexero: et cum intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ,* ac subdit v. 30. *Cum ergo accepisset ille buccellam, exivit continuo,* ad prodendum Iudæis Christum: ita Corn. in Matth. ubi addit rationem a priori: quia, inquit, et si Christus licite posset peccatum et proditionem Iudæ Apostolis occultam detegere, ad divinitatis et charitatis suæ manifestationem, tum quia ipse erat Dominus famæ Iudæ, tum quia proditio Iudæ alibi, puta apud Principes et Seniores erat publica, atque apud Apostolos paulo post ipso facto, et proditionis executione erat evulganda, noluit tamen id facere Christus, ut perfectæ charitatis daret exemplum, utque per eam Iudam ad pœnitentiam alliceret. Denique ut doceret, occultos peccatores non esse prodendos, publice traducendos et infamandos: ideoque nec a sacra synaxi arcendos. Quare cum Christus instituendo Eucharistiam, Apostolos crearit Sacerdotes et Episcopos cum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem;* sequitur eum Iudam quoque qui præsens erat, creasse sacerdotem et Episcopum. Vide Psal. 108. v. 8.

III. Panem Eucharistiæ.

Quarto denique, crudelitas Iudæ innotescit, cum dicat Christus, *magnificavit super me supplantationem*, id est calcaneum supplantantem. Est abstractum pro concreto, ut sæpe Hebræi usurpant. Calcaneum vero seu calcem pedis pònit pro toto pede, sicque est synecdoche. Pars enim sumitur pro toto. Præterea est metaphora. Sensus enim est, q. d. Me contumeliose tractavit, me abiecit et perculit, mirum in modum me afflixit et deiecit hostibus tradendo. S. Hieron. *Levavit* (Tertullian. contra Marcion. cap. 4. levabit) *contra me plantam.* Camp. sublato pede velut calce petebat me. Pagninus, *magnificavit adversum me calcaneum:* τὸ magnificavit denotat magnam calcitrationem, et supplantationes: id est, graves insidias et ingentes fraudes. Similitudo autem a tribus rebus sumi potest: Primo, a iumento calcitrante etiam contra Dominum suum. Similes sunt peccatores bobus arcam ferentibus in tabernaculum a Davide extructum in monte Sion, cum Oza tangens arcam, ut eam a lapsu prohiberet, interfectus est, 2. Reg. 6. Secundo, similitudo potest peti ab eo qui hostem pede proterit, sicut solebant facere victores, ut patet Iosue 10. 24. facile crediderim a Iuda Christum fuisse pedibus protritum in horto, cum captus prostratus et ligatus est. Tertio denique, peti potest similitudo a luctatoribus, qui pedem pedi adversarii implicant, et cum deceptum deiiciunt. Syr. vertit, *vehementer*

IV. Iudæ scelus est crudelitas.

fraudavit me. S. Ambros. in ampliata et magnificata supplantatione, notat iactantiam et fraudem. Verba eius sunt: *Ego vidi aliquem puer athletam, cum elisisset adversarium, frontem ei percussisse calcaneo: quod signum fuit, quod insultaverit victo. Hoc est quod ait, Magnificavit super me supplantationem: Quo verbo insultantis iactantiam declaravit. Levavit ergo et Iudas contra Christum calcaneum suum, cum proderet eum, sed non levavit impune. Adhuc Adam calcaneum levat, quod a serpente est vulneratum. Et utique ei pedes laverat Christus. Audierat dicentem: Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Sed quod lavit gratia, inquinaverat perfidia.* Lege cætera fusissime, et pulcherrima.

29. *Christus ab amico prodi voluit ob sex rationes.*

Quæres, cur Christus ab Apostolo et domestico suo amico tradi voluit? Respond. primo, quia acerbior est hæc iniuria, quam ab alio prodi: eximium autem erga nos amorem ostendere voluit. Secundo, ut in omni statu securos nos esse non putaremus. Si enim Angelus in cælo cecidit, Adam in Paradiso terrestri, Iudas in domo Christi:
1.
quis securum se fore credet? Etenim ait S. Thomas in
2.
cap. 10. Matth. status dignitas non sanctificat hominem. Et ut S. Hieron. in cap. 20. Ezech. non statim qui eligitur tentari non potest, nec perire, sed suo potest vitio corruere, sicut evenit etiam in Saule: sive hoc fiat per liberam voluntatem, ut ait Euthymius in cap. 6. Ioannis: sive per negligentiam et pigritiam, ut S. Chrysostomus
3.
hom. 40. de pœnitentia. Tertio, ab Apostolo et domestico Christus prodi voluit, ut discamus improbitatem ferre maiorum, et cum illis vivere, ut ait S. August. in Ps. 34.
4.
et lib. 18. de civit. cap. 49. Quarto, ut ostenderet quod domestici sunt efficaciores ad nocendum. Matth. cap. 10. vers. 36. *Inimici hominis domestici eius.* S. Hieron. Nulla pestis efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus. S. Gregorius: Cum, ait, diabolus se propriis viribus nihil adversum nos proficere conspicit, per linguas nobis adhæ-
5.
rentium sævit. Unde quinto, ab amico, et domestico tradi voluit Christus, ut ab amicis et domesticis nobis caveamus. Eccli. 6. 13. *Ab inimicis tuis separare, et ab amicis tuis attende.* Micheæ 7. 5. *Ab ea quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui.* Et ibidem: *Nolite credere amico,*
6.
et nolite confidere in duce. Sexto, ut homo spem suam non ponat in homine, Ierem. 17. 5 *Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum.*

Secundum, quod erat de resurrectione Christi propositum in quæstione, expetendum est cum Davide, qui 1. petit ipsam substantiam resurrectionis; 2. fructus eius assignat; 3. causam illius meritoriam ponit; 4. denique, gratias de tanto beneficio agit.

30. *Vers. 11. Christus potuit seipsum resuscitare.*

Ac primo, desertus ab omnibus, clavisque confixus, ac morti certissimæ addictus Salvator, oculos in cælum erigens exclamat, et resurrectionem suam petit, v. 11. TU AUTEM DOMINE MISERERE MEI, ET RESUSCITA ME. Hebr. הקימני *hakimeni*, quod primo, S. Hieron. vertit, eleva me. Trevetus, subleva me, Felix, erige me. Secundo, Campensis, restitue me. Tertio, et melius, Septuag. Noster, S. Ambros. S. Aug. Flamin. et alii, resuscita me. Pagn. resuscitare fac me. Quod de propria et vera corporis Christi resurrectione a mortuis intellige, non vero de suscitatione Salomonis et erectione ad regnum, ut voluit Trevetus: neque de excitatione et sublevatione Davidis a morbo, ut explicari posset Chaldæus, qui vertit: Fac me surgere ab infirmitate mea. Notat autem sapienter S. Augustinus, licet petat Christus a Patre resurrectionem, potuisse tamen seipsum resuscitare: *Ne fratres,* inquit, *minus potentem Filium quam Patrem putetis, ex eo quia dixit, suscita me, quod ipse se suscitare non possit: hoc enim suscitavit, quod mori poterat: id est, caro mortua est, caro suscitata est. Ne tamen putetis quia Deus pater Christi potuit suscitare Christum, id est carnem Filii sui: et ipse Christus, cum Verbum sit Dei æquale Patri, non poterat carnem suam suscitare: audite ex Evangelio Ioan. 2. Solvite templum hoc, et in triduo suscitabo illud. Hoc autem Evangelista, ne etiam inde dubitaremus, dicebat, inquit, de templo corporis sui.* Vide dicta Psal. 117. 24. in illud, *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea.* Nunc sufficiat S. Gregor. Nyssen. serm. 1. in Christi resurrect. *Hæc dies mortis dolores dissolvit, hæc mortuorum primogenitum edidit, in hac ferreæ mortis portæ confractæ sunt. In hac æreï inferorum vectes comminuti. Nunc mortis carcer aperitur. Nunc captivis libertas denuntiatur. Nunc cæcis videndi facultas præbetur.* Re- 31.

Resurrectionis figuræ. 1. Eductio Iosephi e carcere.

surrectionis huius lætitia et splendor figuratur primo, in eductione Iosephi de carcere, in quo veluti sepultus iacebat, et unde eductus vestes ornatiores accepit, annulum, et torquem auream, et lingua Ægyptiaca vocatus est Salvator mundi, Gen. 41. Secundo, virga Aaronis amygdalina flores et fructus repente emittens, est symbolum resurrectionis Christi, qui in cruce et morte apparuit lignum aridum, in resurrectione autem florens et frondens ac fructus producens Ut enim dicit S. Bernard. hom. 2. super *Missus est*, et Rabanus: Christus a mortuis resurgens, est virga per potentiam, flos per fragrantiam, fructus per saporis dulcedinem, frondes per sedulam protectionem, qua suos ab æstu tentationum protegit et tuetur. Tertio, redditus sibi Christus per resurrectionem figuratur in virga Mosis in serpentem mutata, ac deinde in pristinam formam reducta. S. Cyrillus lib. de Incarnatione, cap. 14. Virga, inquit, est Christus, qui est potentia Patris, quique tenet virgam sive sceptrum regni et æquitatis. Hæc in serpentem versa est in incarnatione: humana enim natura per peccatum Adæ facta est maligna ut serpens: peccatoris autem naturam et similitudinem induit Christus: hinc serpens in deserto exaltatus, significat Christum in cruce exaltatum, ut dicitur Ioann. cap. 3. v. 14. Serpens hic per resurrectionem rursum factus est virga: id est Dominus, Rex, Iudex, triumphator, et princeps cæli et terræ. Quarto denique, Mosis manus in sinum missa, et leprosa facta, atque iterum in sinu posita, et sanitati reddita, est idem Christus natus et passus, ut S. Cyrillus etiam explicat loco citato cap. 15.

2. Virga Mosis suæ formæ reddita.

Facilitas autem qua Christus seipsum suscitavit, figuratur primo in Adamo e somno evigilante, postquam ex eius latere Eva typus Ecclesiæ educta est, Gen. 2. ex latere Christi dormientis in cruce formata est Ecclesia, deinde per resurrectionem evigilavit. Secundo, Christus seipsum suscitans, et portas inferi in resurrectione confringens, figuratus est in Samsone dormiente usque ad mediam noctem in urbe Gaza, et portante ambas fores portæ illius urbis usque ad verticem montis, qui respicit Hebron: lege S. Gregor. hom. 21. in Evangelia. Tertio, Christus in cruce nudatus, et in cruce veste gloriæ succinctus, atque Apostolos benedicens, Iudæos deiiciens, figuratus est in Noemo nudato in somno cum esset ebrius, et post excitationem benedicente Semum et Iaphetum filios suos, et maledicente Chanaan filium Chami, quia Chanaan primus viderat nudatum avum suum, et cum irriserat, atque ad patrem Chamum, qui ipsius petulantiam approbans, ad fratres suos eam retulit, ut illis quoque deridendum patrem ebrium proponeret, sed pallio eum texerunt. 32.

Resurrectionis facilitas figurata in somno Adami et Samsonis excussione.

Secundo, Christus proponit tres resurrectionis suæ fructus, 1. hostium suorum punitionem; 2. testificationem paterni amoris in ipsum; 3. Christi gloriam.

Primus itaque resurrectionis fructus, est potestas Christo data, ut hostes suos domaret, atque pro arbitrio puniret, v. 11. ET RETRIBUAM EIS, pœnas scilicet debitas ob scelera admissa in me torquendo et crucifigendo. S. August. et reddam eis. S. Hieron. et Syr. atque Arabs, ut reddam eis. Apollinar. ἵνα σφισιν ἄξια δοιην, ut ipsis digna dem. Primo, eversionem templi, sicut prædixit eis Christus Matthæi cap. 23. v. 38. *Ecce relinquetur domus vestra,* id est templum, ait S. Hieron. et Theophylact. *deserta.* Secundo, eversionem urbis. Luc. 19. 44. Christus alloquens Ierosolymam ait *Non relinquent in te lapidem super lapidem.* Tertio, eversionem totius regni. Matth. 21. v. 43. Christus ait Scribis, id est Doctoribus 33

Vers. 11. 2. Pars. Resurrectionis Christi tres fructus. 1. Hostium punitio.

legis: *Auferetur a vobis regnum Dei*, id est, Ecclesia, in qua Deus regnat per fidem et gratiam. Regnum etiam temporale diversnm est a Romanis, et Iudæi in exilium eiecti sunt, nec permissi habitare Ierosoiymis. S. August. in Psalmo nostro: *Resuscita me, et reddam illis. Occiderunt Christum Iudæi, ne perderent locum, eradicati a regno, dispersi sunt. Suscitatus reddidit illis retributionem, reddidit ad admonitionem, nondum ad damnationem. Civitas enim illa, in qua fremuit populus tamquam leo rapiens et rugiens, exclamans, crucifige, crucifige, eradicatis inde Iudæis Christianos habet, a Iudæo nullo inhabitatur. Plantata est ibi Ecclesia Christi, unde eradicatæ sunt spinæ synagogæ. Proinde vere ignis eorum exarsit sicut in spinis, Dominus autem tamquam lignum viride erat. Hoc ipse ait quando plangebant quædam mulieres veluti moriturum Christum, Nolite flere. etc.*

34. Vers. 12. II. Testificatio paterni amoris.

Secundus fructus resurrectionis Christi, est testificatio paterni amoris in ipsum, vers. 12. IN HOC (quod me resuscitabis) COGNOVI QUONIAM (id est, quod. Hoc sæpe significat כִּי *chi*) VOLUISTI ME, id est, amasti me, complacuisti tibi in me. Chaid. et Syr. quod gratus tibi fuerim. Resurrectio Christi maxime probat amorem, quo Pater æternus eum dilexit. Hinc Scribis et Pharisæis ab eo petentibus signum aliquod cæleste, ait Matth. cap. 12. v. 39. *Generatio mala et adultera* (infida et infidelis, quæ me sponsum suum deserit, adhærens dæmoni et vitiis; 2. adulterina atque degener) *signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ*, q. d. Hoc vel unicum sufficit ad probandam divinitatem: scilicet quod sicut fuit Ionas in ventre ceti, id est carchariæ piscis, tribus diebus et tribus noctibus; sic ipse futurus esset in corde, id est in medio terræ, tribus diebus et tribus noctibus, partialibus scilicet, et non integris, computando dies et noctes more Romanorum, et supponendo Christum resurrexisse sub auroram diei dominicæ.

III. Christi ipsius gloria.

Tertius fructus resurrectionis Christi est ipsius gloria, et securitas ab omni hoste, qui ad eius contemplationem contremiscet, v. eod. 12. QUONIAM NON GAUDEBIT INIMICUS MEUS SUPER ME. *To quoniam* hic est causale, q. d. Ratio cur noverim quod me amasti et exaudivisti, est mea exaltatio tanta, ut hostis mens gaudere non possit de mea passione et morte. Nota, *non gaudebit*, id est non invalescet, non roborabitur, ut vertit Chald. est metalepsis: ponitur enim subsequens pro antecedente: id est gaudium pro robore et potestate, ex quibus enascitur gaudium; 2. *non gaudebit*, id est non insultabit, ut reddit S. Hieronymus; 3. *non gaudebit*, id est maxime tristabitur videns gloriam resurrectionis meæ. Est miosis, minus enim dicitur, sed plus intelligitur. Hoc considerans S. Bernardus de gloria sui Redemptoris exultat, sermon. 1. in die Paschæ: *Vicit*, inquit, *Iudæorum blasphemias in patibulo, fortem armatum alligavit in atrio, et de ipso mortis imperio triumphavit. Ubi enim sunt opprobria tua Iudæe? Ubi sunt fabulæ vasa iniquitatis? Ubi est mors victoria tua? Confusus est calumniator; raptor spoliatus est. Novum genus potentiæ, hactenus victoriosa mors obstupescit.* Iudæi Christo insultantes eum dicteriis pungebant, rogabantque ut, si regem se Iudæorum credi vellet, de cruce descenderet; sed mansit, ut et regnum suum dilataret, mortem morte vincendo, et constantiam denotaret. S. Augustinus in Psalmo nostr. *Mansit in cruce illis insultantibus, fixus illis nutantibus. Ideo enim et caput agitabant, quia vero capiti non inhærebant. Vident modo in nomine ipsius converti genus humanum, modo insultent, modo caput agitent: imo iam caput figant, aut si agitant caput, stupendo et mirando agitent.*

35. Resurrectio Christi est iusti causa lætitiæ.

Contra vero, viri iusti lætantur et ob Christi gloriam, et ob suam utilitatem. Ipse enim instar Samsonis Leonem tartareum, nullo negotio prostravit, eumque nobis exhibet, ut ex eius ore et tentationibus, suavitatis et gloriæ mella colligamus. S. Athanasius hom. in S. Pascha: *χριστος εγερθεις εκ νεκρων ολην ανθρωπων ζωην εορτην απειργασατο μιαν*: *Christus excitatus a mortuis totam hominum vitam festum unum effecit.* Secunda causa lætandi iusto, est spes resurrectionis suæ, si ipse cum Christo moriatur. Rom. 8. 17. *Si filii* (Dei sumus) *et hæredes*: (etiam sumus Dei) *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, ut et conglorificemur.* 2. Timoth. 2. 11. *Fidelis* (id est certus) *sermo: Nam si commortui sumus, et convivemus: si sustinebimus, et conregnabimus.* S. Leo sermon. 2. de resurrectione Christi, nobis animos facit: *Vestram*, inquit, *in Christo redamate naturam: quoniam sicut ille paupertate divitias non amisit, gloriam humilitate non minuit, æternitatem morte non perdidit: ita et vos eisdem gradibus, eisdem vestigiis, ut cælestia apprehendatis, terrena despicite. Susceptio enim crucis est interfectio cupiditatum: occisio vitiorum, declinatio vanitatis, et abdicatio omnis erroris.*

Tertio, Christus proponit causam meritoriam suæ resurrectionis: nempe suam innocentiam, v. 13. ME AUTEM PROPTER INNOCENTIAM SUSCEPISTI, ET CONFIRMASTI ME IN CONSPECTU TUO IN ÆTERNUM. S. Augustinus: Vere innocentiam, ubi integritas sine peccato, redditio est sine debito, flagella sine merito: ita ipse. 36. Vers. 13. Resurrectionis causa meritoria est Christi innocentia.

Nota, pro *innocentiam* Hebr. est תֹּם *thom*, quam vocem S. Hieron. vertit, simplicitatem; 2. Arabs, mansuetudinem; 3. Chald. integritatem; 4. Pagn. perfectionem; 5. Septuag. Noster, Flamin. S. Ambros. S. August. innocentiam. Hæc Christi innocentia de tota vita eius est intelligenda. Est enim Agnus sine macula, qui non modo peccatum non fecit, sed ne facere quidem potuit. Sed præsertim est accipienda de ea innocentia, quæ in tota eius Passione, et in cruce apparuit, ipsis adversariis suo testimonio mendaces se et calumniatores esse ostendentibus. Ibi Agnus innocens immolatus perfectum holocaustum se exhibuit in odorem suavitatis, virtutum omnium suaveolentia ad cælestem Patrem ascendentis. S. Bern. serm. 1. in die Paschæ: *Patientiam*, ait, *magis exhibet* (Christus in cruce patiens) *humilitatem commendat, obedientiam implet, perficit charitatem. His namque virtutum gemmis quatuor cornua crucis ornantur: et est supereminentior charitas, a dextris obedientia, patientia a sinistris, radix virtutum humilitas in profundo. His ditavit trophæum crucis consumatio dominicæ Passionis, cum ad Iudæorum blasphemias humilis, ad vulnera patiens, intus linguis, exterius clavis pungeretur. Nam et charitas in eo perfecta est, quod pro amicis animam posuit: et obedientia consumata, cum inclinato capite tradidit spiritum, factus obediens usque ad mortem.* Hæ Christi virtutes eum prorsus innocentem vel hostibus ipsis Iudæis et Gentibus ostendebant, sicut Primo, in ipso Iuda proditore patuit, Matth. 27. v. 4. *Peccavi tradens sanguinem iustum.* Secundo, in Pilato, Lucæ cap. 23. v. 4. *Nihil invenio causæ in hoc homine.* Tertio, in uxore Pilati, Matthæi cap. 27. v. 19. scripsit marito: *Nihil tibi et iusto illi.* Quarto, in rege Herode, qui eum induit veste alba, Luc. 23. v. 11. Quinto, in centurione qui cruci astitit, Lucæ cap. 23. v. 47. *Vere hic homo iustus erat.* Sexto, in populo, Lucæ cap. 23. v. 48. *Omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.*

Nota secundo, pro *suscepti* Hebr. est תמכת *tamactha*, id est ut S. Hieron. vertit, sustentasti. Arabs, corroborasti. Chald. adiuvisti. Campensis, fulcivisti. Hæc porro susceptio et sustentatio atque corroboratio corporis Christi in resurrectione, æterna est. Christus enim resurgens iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Hoc denotatur, cum additur, *Et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.* Primo, per resurrectionem, in qua factus est impassibilis: ita Ugo. Confirmasti, ait, gloria impassibilitatis et immortalitatis. Secundo et præcipue, per exaltationem et assumptionem in cælum. Hebr. enim est, *statues me ante faciem tuam in perpetuum*, ut S. Hieron. vertit. Vel, constitues coram te in sempiternum, ut Campensis, qui etiam reddit, ut semper e regione tibi proxime adfuturus sim. S. Paulus 2. Cor. 5. 16. gloriam Chri-

sti resurgentis et in cælum ascendentis admirans ait: *Etsi cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non novimus.* Quod admirans S. Leo serm. 1. de resurrectione Domini: *Qualitas*, inquit, *transiit; non natura defecit, et factum est corpus impassibile, quod potuit crucifigi, factum est immortale, quod potuit occidi: factum est incorruptibile, quod potuit vulnerari: Et merito dicitur caro Christi in eo statu, quo fuerit nota, nesciri: quia nihil in ea passibile, nihil remansit in ea infirmum: ut et ipsa sit per essentiam, et non sit ipsa per gloriam.* Nobis quoque est enitendum, ut cum duce nostro patientes resurgamus, et mutati in viros alteros terream hanc molem convertamus in corpus quod a vitiis corrumpi non possit. S. Gregor. Nyssen. oration. 1. de Christi resurrectione ait, diem Paschatis, esse diem illam quam fecit Dominus, in qua cælum novum et terram novam, nempe cor Sanctorum effecit. *Ecquod cælum?* ait, *firmamentum eius, quæ est in Christo, fidei: ecquam terram? cor bonum. In hac creatione sol est vita munda: stellæ virtutes: aer, præclara conversatio: mare, altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ: herbæ et germina, bona doctrina, divinaque documenta, quæ populus pascuæ, hoc est, Dei grex capit, atque depascitur: arbores ferentes fructum, mandatorum observatio.* Ad hanc resurrectionem huius vitæ, per virtutes nos animet resurrectio futura in gloria. Tertullian. lib. de resurrectione carnis cap. 1. *Fiducia Christianorum*, ait, *resurrectio mortuorum.*

37. Tandem denique quarto, Christus gratias agit Deo Patri, eumque benedicit, ob resurrectionis beneficium, v. 14. BENEDICTUS (sit) DOMINUS DEUS ISRAEL A SÆCULO, ET USQUE IN SÆCULUM: (Chald. ex hoc sæculo usque ad sæculum venturum) FIAT, FIAT. Sic habent Septuag. γένοιτο, γένοιτο, q. d. Ita fiat, ut Deus semper benedicatur et laudetur in hac vita, et in tota æternitate. Arabs, sit, sit.

Amen est vox hebraica. Nota, pro *fiat, fiat*, Hebr. est אמן ואמן *amen veamen*, id est vere, vere. Aquila vertit, πεπιστωμένως, πεπιστωμένως, id est fideliter, fideliter. Amen enim primo, est nomen, et significat veritatem, fidelitatem, ut Isaiæ 65. 16. *Qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo amen: et qui iurat in terra, iurabit in Deo amen*, hoc est, in Deo veritatis: seu, ut vertunt Septuag. in Deo vero, q. d. Non benedicentur amplius, nec iurabunt per Iovem, Neptunum, Plutonem, et falsos deos, sed per Iesum, qui est verus Deus. Secundo, *Amen* est adverbium, atque significat, vere, ita est, ita fiat.

Est 1. assentientis. Est autem primo, assentientis, et ratum habentis, et sic sumitur Deuteron. 17. 15. ubi in fine maledictionum pronuntiatarum a Levitis in monte Hebal contra transgressores legis, populus omnis iubetur respondere Amen. 2. optantis. Secundo, est optantis ut hoc loco. Tertio, est affirmantis. 3 affirmantis. Sic sæpe a Christo usurpatur Matth. cap. 5. v. 18 et 6. 2. et 8. 10. atque alibi passim. Quarto denique, est de- 4. deprecantis. precantis, ut in fine orationis dominicæ ponitur, Matth. 6. 13. S. Hieron. Amen ait esse illius orationis signaculum. Et 1. Cor. 14. 16. habetur, idiotam, id est fidelem, simplicem et indoctum, respondere Amen. Passim Ecclesia orationes suas ea voce terminat, q. d. Opto, oro, et id quod petitum est fiat atque eveniat. Thalmudici asserunt duplex esse *Amen*, aliud quidem perfectum, aliud vero imperfectum, idque triplex. Primo, יתומה *iethoma*, id est *pupillum*, cum dicens *Amen*, orationem suam non intelligit, sed veluti pupillus a deprecante dirigi, et se et precem suam permittit. Secundo, חטופה *chatupha*, hoc est subreptitium, cum priusquam oratio finiatur, respondet. Tertio, קטומה *ketuma*, id est, sectile, cum oscitanter audiens, et aliud agens respondet, *Amen*. Caveant sibi Christiani, ne in hæc incurrant.

38. Amen in principio, medio et fine usurpatur. Adverte autem usurpari in principio, medio et fine orationis. Primo, Christus in principio ponit, Lucæ cap. 4. v. 24. *Amen dico vobis, nemo Propheta acceptus est in patria sua.* Secundo, Ioannes usurpat in medio. Apocal. 3. 14. *Hæc dicit, Amen* (id est Christus, qui est ipsa veritas) *testis fidelis et verus.* Tertio denique, Amen ponitur in fine. Sic Christus docuit terminandam esse orationem dominicam Matth. cap. 6. v. 13. Sic Ecclesia terminat salutationem Angelicam, et symbolum Apostolorum, sic Paulus concludit omnes suas Epistolas.

Nota secundo, iterationem illam *fiat, fiat:* sive *Amen, Amen*, denotare primo Deum esse benedicendum a Iudæis et Gentibus unam Ecclesiam facientibus: ita Bruno, Remig. et alii. Secundo, fore ut benedicatur ab ovibus quæ sunt his in terris, et ab ovibus quæ sunt in ovili cælesti: ita Beda. Tertio, benedicendum esse animo et ore, et sanctitatem fore animæ et corporis in Resurrectione: ita Caietanus. Quarto denique, arbitror per illam repetitionem, *fiat, fiat:* seu *Amen, Amen*, denotari vehementiam desiderii et affectus ad obtinenda ea, quæ dicta sunt in toto Psalmo, et ad benedicendum ac laudandum Deum. 39. Cur hoc loco iteratur. 1. 2. 3. 4.

Nota tertio, hic esse finem libri primi Psalmorum secundum Hebræos, qui Psalmorum quinque sectiones seu libros assignant, eosque terminant per eadem verba, *fiat, fiat*, excepto ultimo. S. Ambrosius in Psalmo nostr. *Iudicium*, ait, *est libri finiti, fiat, fiat. Nam in quinque libros divisum videtur esse Psalterium. Primus liber hoc Psalmo finitur, hoc est quadragesimo. Et pulchre usque ad Passionem Salvatoris quadragesimus Psalmus est comprehensus, qui finem libro daret; quoniam Passio Domini finis est quadragesimæ: ut secundus liber a mysteriis renovationis inciperet; qui liber utpote quadragesimæ, perfectiora Sacramenta complectitur. Nam et baptismatis prænuntiat sacramenta, cum dicit Ps. 41. Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, et requiem Sanctorum, qui ad tabernaculum cæleste pervenerint: et Spiritus sancti descensionem, quando effusa est gratia spiritalis in quadam voce cælestium cataractarum: quia virtute magna spiritus ferebatur, ut legimus in actibus Apostolorum: et ingressum renovati hominis ad altare, et Salvatoris ascensum, et sanctificationem propositi virginalis. Qui liber finitur in Ps. 71. quo regnum Christi pacificum toto orbe diffusum prophetico sermone annuntiatur, remissioque peccatorum: ubi cum benedictionem Domini præmisisset, subtexuit: Et replebitur maiestate eius omnis terra: fiat, fiat. Tertius quoque liber finitur Ps. 88. et ibi habet: Benedictus Dominus in æternum: fiat, fiat. Quartus liber finitur Ps. 105. et ibi habet: Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo, et usque in sæculum: et dicet omnis populus: fiat, fiat. Quintus liber usque ad finem est, ubi pro hoc verbo Propheta dicit: Omnis spiritus laudet Dominum.* 40. Psalmi in quinque libros dividuntur.

Dices, quomodo quinque libri Psalmorum dicuntur, cum sit unum Psalterium? Respondet S. Ambros. *Sed etiam Evangelium unum est, et quatuor libros esse negare non possumus.* Unum esse Evangelium probat ex c. 26. Matth. et ex epist. ad Galat. cap. 1. Item ex 1. Cor. 15. Sic quod unum corpus sit Psalmorum dicit Scriptura, quod autem sint plures libri, dicitur Ps. 70. in vasis Psalmorum. Deinde id ad mores deducit in hunc modum: *Pulchre quinque libri, et unum Psalterium: quoniam quinque sensibus homo exterior vivificatur, et rursus quinque spiritalibus sensibus ille absconditus cordis homo noster consumatur interior: qui solus ante Deum locuples Petri Apostoli testimonio reperitur. Qui habet, inquit, aures audiendi audiat. Habes unum sensum. Et sicut sunt qui oculos habent, et non vident: ita sunt qui oculis non videntibus plus videre creduntur. Unde et Prophetæ dicebantur videntes, etiam qui oculis non viderent. Bonus etiam ille odor, de quo Apostolus dixit 2. Cor. 2. 15. Bonus odor Christi sumus Deo: unde et Iob dicebat cap. 27. 3. Et spiritus divinus, qui est in naribus meis. Idem ergo odor Christi et Spiritus sancti est Deo: quia unus odor est Trinitatis. Est et interior cibus. Ioan. 4. 34. Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei qui in cælo est. Est et interior tactus, quo Christum tetigit illa in Evangelio quæ per duodecim annos sanguinem profluebat, nec a medicis acceperat sanitatem, sed accepit a Christo. Fidei tactus est, quo tangitur Christus. Denique eum homines non videbant, sed vidit Iesus, et se vidisse testatus est* 41. Unum tamen est Psalterium

dicens Matth. 6. Tetigit me aliquis. Nam et ego cognovi virtutem de me exisse. Cognitio Christi, collatio sanitatis est. Ergo quoniam decem sensus homini inesse manifestum est: ideo David, qui et foris et intus canebat, foris corpore, intus corde: dicit in Ps. 32. 1. In decachordo Psalterio psallam tibi. Psalterium ergo est homo, consumatus in Christo: in quo sicut arte concinentium fila chordarum, ita convenientium resonant opera canora virtutum ut possit dicere Ps. 70. 22. Psallam tibi Deus in cithara sanctus Israel; gaudebunt labia mea, cum cantavero tibi: et anima mea quam redemisti. Paulus ait de se 2. Cor. 7. 5. Foris pugnæ, intus timores. Hic et intus et foris gaudet: sed ille adhuc in certamine, iste in remissione, quia redemptionem animæ suæ se meruisse cognoverat. Hactenus Ambros. Si lætari in æternum volumus, hic fortiter et constanter pugnemus, ut coronati dicamus in medio Angelorum et Sanctorum consessu: *Benedictus Dominus Deus Israel*, id est, eius qui videt Deum, vel qui dominatur Deo, vel per Deum, *a sæculo, et usque in sæculum: fiat, fiat.*

PSALMUS QUADRAGESIMUS PRIMUS.

1. In finem, Intellectus filiis Core.

2. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.
3. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei?
4. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?
5. Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei:
In voce exultationis, et confessionis: sonus epulantis.
6. Quare tristis es anima mea? et quare conturbas me?
Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei,
7. Et Deus meus.
Ad meipsum anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra Iordanis, et Hermoniim a monte modico.
8. Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum.
Omnia excelsa tua, et fluctus tui super me transierunt.
9. In die mandavit Dominus misericordiam suam: et nocte canticum eius.
Apud me oratio Deo vitæ meæ.
10. Dicam Deo: Susceptor meus es.
Quare oblitus es mei? et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?
11. Dum confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi qui tribulant me inimici mei.
Dum dicunt mihi per singulos dies: Ubi est Deus tuus?
12. Quare tristis es anima mea? et quare conturbas me?
Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.

PSALMI QUADRAGESIMI PRIMI ANALYSIS.

David ad cælestem felicitatem aspirans, desiderio ardenti ad illam fertur, instar

- Cervi
  - Sitientis, 2.
    - Deum fontem, qui refrigeret. 2.
    - Deum fortem, qui reficiat. 3.
    - Immortalem, qui satiet. 3.
    - Pulcherrimum, qui delectet. 3.
  - Gementis, 4.
    - Ob absentiam Dei necdum visi. 4.
    - Et exprobrationem hostium insultantium. 4.
  - Sperantis, 5.
    - Transitum in tabernaculum admirabile. 5.
    - Et ad domum Dei. 5.
- Et nautæ
  - Fluctibus iactati, 6.
    - Internis.
      - Tristitiæ quæ fugatur.
        - Spe in Deum. 7.
        - Et illius amore. 7
      - Ac cæterarum passionum, 7. quæ
        - Memoria Dei superantur. 7.
        - Et amore virtutis. 7.
    - Infernis. 8.
      - Tentationum a dæmone immissarum. 8.
      - Et suppliciorum. 8.
    - Supernis.
      - Calamitatibus a Deo inflictis. 8.
      - Lucis subductione, 9. quæ revocatur
        - Oratione 10.
        - Et spe in Deum. 10.
      - Auxilii omnis ablatione. 10.
    - Collateralibus.
      - Ab hominibus affligentibus. 11.
      - Miserias exprobrantibus. 11.
      - Dei absentiam obtrudentibus. 11.
  - Et portum petentis, 12.
    - Spei remigio. 12.
    - Amoris divini velis. 12.
    - Dei gubernantis manu. 12.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. In finem, Intellectus filiis Core.

1. Core erat Mosis et Aaronis cognatus.

Core fuit cognatus Mosis et Aaronis, fuerunt enim illi tres fratrum duorum: nempe Amram et Isaar filii. Nam Caath filius Levi genuit Amram et Isaar: Amram vero genuit Mosem et Aaronem: Isaar genuit Core, ut constat ex cap. 6. Exod. v. 18. et Num. 16. 1. Hinc invidia exæstuans, quod ab eodem avo, nempe Caath, ducens originem, Aaroni postponeretur, seditionem in eum et in Mosem fratrem illi faventem excitavit, movitque alios proceres ut ad sacerdotii dignitatem aspirarent, ac Levitarum sorte contenti non essent. Ideo Deus terram aperuit, quæ ipsum Core, Dathan et Abiron vivos absorberet, et in inferos deiiceret tota æternitate cruciandos, ut censent S. Hieron. S. Epiph. et Beda.

2. Filii eius servati sunt ipso pereunte.

Filii autem Core, cum non consensissent seditioni parentis, magno miraculo servati sunt parente pereunte. Num. 26. 10. *Factum est grande miraculum, ut Core pereunte filii eius non perirent.* Dehiscente enim sub pedibus terra, et sceleratos devorante, ipsi in aere penduli tamdiu perstiterunt, donec hiatus ille terræ concluderetur, ipsa terra se coniungente sicut erat antea. Hinc familia Core veluti superstes, recensetur inter Levit. c. eod. 26. v. 58. Tres eius filios fuisse habemus Exod. 6. 24 ubi vocantur Aser, Elcana et Abiasaph; eos fuisse illustres doctrina, musica, et prophetiæ dono sit R. David: in familia Core perseverasse donum prophetiæ usque ad ætatem Davidis, censet Rabbi Salomon et Lyranus: sed id non habetur in Scripturis, ut probabile est.

Tempore Davidis erant Levitæ cantibus sacris occupati.

Posteri Core, qui hic filii eius vocantur, tempore Davidis viventes, inter Levitas numerantur, et sacris canticis præficiuntur ab ipso Davide, id est a Pontifice et Sacerdotibus Davidis iussu. Tres porro nominantur 1. Paralip. 25. 1. nempe Asaph, Heman et Idithum, quibus utpote cantorum magistris multos Psalmos ad cantandum esse traditos patet in Psalmorum titulis. Asaph saltem de posteris Core fuisse constat, cap. 26. v. 1. ubi habetur: *Divisiones autem Levitarum: de Coritis Meselemia, filius Core, de filiis Asaph.* Vide titulum Ps. 6. ubi quid de aliis dicendum sit facile iudicabis, et concludes non fuisse filios Core.

3. Psalmo huic præfigitur Intellectus, ob quatuor rationes.

Quæres, cur huic Psalmo præfigitur τὸ *intellectus*, seu *maschil?* Respond. primo, non pauca posse huc derivari ex Ps. 31. ubi in titulo sunt eædem voces, quas ibi explicui. Resp. secundo in hoc Psalmo poni, Primo ut indicetur, quod qui in captivitate Babylonica erant maiori præditi intelligentia, hæc aut huiusmodi verba ad Deum

I. clamabant: tales erant Dan. Ezech. ac tres pueri: ita Euthym.

II. Secundo, hic Psalmus vocatur *intellectus*, quia, ut ait Theodoretus, qui etiam de captivis Babylone detentis exponit, *prudentia maxime indigent, qui in calamitates incidunt.* Eusebius vero dicit Psalmum hunc non vocari canticum, nec aliquid huiusmodi, quia quæ hic continentur, dolentium et afflictorum verba sunt.

III. Tertio, hic Psalmus vocatur *intellectus*, quia ut ait Hesychius, Baptismum qui in fine post Iudaicas expiationes institutus est, ante demonstrat. Ad Baptismum vero accedere sapientia quædam est et eruditio. Siquidem ad Baptismum accedenti, lavacrum hoc redemptionis pretium fit, a peccatis sine labore partum et beatitudinis plenum: ita Hesychius.

IV. Et optime.

Quarto, hic Psalmus vocatur *intellectus:* quia ad spi- A ritualia, intellectualia, cælestia et divina, ac Deum ipsum tota æternitate possidendum nos rapit, et ad eum toto desiderio suspirat: ita S. Hieron. S. Chrysost. S. Augustin. et alii. Hoc in Psalmo latere thesaurum dicit Chrysost. et in eo magna contineri mysteria. Hic sensus est omnium optimus.

4. Argum. Psalmi huius.

Argumentum Psalmi hinc intelligitur. Primo, enim Theodoretus et Hesychius volunt captivos in captivitate detentos Babylonica desiderio patriæ suæ ac templi æstuantes hunc Psalmum dicere.

Secundo, Iansenius opinatur Davidem, sive a Saule, sive ab Absalone eiectum e populo Dei, optare redire in patriam, ac Dei domum.

Tertio, Hesychius, et S. Augustinus volunt hunc Psalmum convenire Catechumenis ad gratiam sancti lavacri festinantibus. Unde ait August. solemniter cantatur hic Psalmus, ut ita desiderent fontem remissionis peccatorum, quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum.

Christiani sunt filii Core. Christus cur vocetur Core.

Quarto denique, et optime, quilibet Christianus desi- B derio cælestis patriæ ardens, hunc Psalmum concinit, et est filius Core, id est Christi in monte calvariæ crucifixi: ita S. Aug. *Magni, sit, Sacramenti res est, ut Christiani appellentur filii Core. Unde filii Core? filii sponsi, filii Christi. Dicuntur enim Christiani, filii sponsi. Quare ergo Core Christus? Quia Core interpretatur Calvaria. Multo remotius est hoc. Quærebam quare Core Christus, intentius quæro quare Christus ad Calvariam pertinere videtur. Nonne iam occurrit in loco Calvariæ crucifixus? Occurrit omnino. Ergo filii sponsi, filii Passionis illius, filii redempti sanguine illius, filii crucis illius portantes in fronte quod inimici in loco Calvariæ fixerunt, appellantur filii Core, illis cantatur iste Psalmus. Intellectu itaque excitemur: et si nobis cantatur intelligamus. Quid intellecturi sumus? In quem intellectum Psalmus iste cantatur? Audeo dicere: Invisibilia enim eius a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellectu conspiciuntur. Eia fratres, aviditatem meam capite, desiderium hoc mecum communicate, simul amemus, simul in hac siti inardescamus, simul* C *ad fontem intelligendi curramus Desideremus ergo velut cervus fontem, excepto illo fonte, quem propter remissionem peccatorum desiderant baptizandi: et iam baptizati desideremus illum fontem, de quo Scriptura alia dicit Ps. 35. v. 10. Quoniam apud te est fons vitæ. Ipse enim fons et lumen est, quoniam in lumine tuo videbimus lumen. Si et fons est, et lumen est, merito et intellectus est: quia et satiat animam avidam scientia: et omnis qui intelligit luce quadam non corporali, non carnali, non exteriore, sed interiore illustratur. Est ergo, fratres quædam lux intus, quam non habent, qui non intelligunt. Unde iam eos qui desiderant hunc fontem vitæ, et inde aliquid carpunt, alloquitur Apostolus obsecrans, et dicit Eph. 4. Ut iam non ambuletis sicut gentes ambulant in vanitate mentis suæ, obscurati intelligentia, alienati a via Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum. Si ergo illi obscurati sunt intelligentia, id est quia non intelligunt, obscurantur: ergo qui intelligunt illuminantur. Curre ad fontes, desidera aquarum fontes. Apud Deum est fons vitæ, et inexsiccabilis* D *fons, in illius luce lumen inobscurabile. Lumen hoc desidera, quemdam fontem, quoddam lumen quale non noverunt oculi tui: cui lumini videndo oculus interior præparatur, cui fonti hauriendo sitis interior inardescit.*

DIVISIO TOTIUS PSALMI

DUO EXPONIT. PRIMO, CERVI SE INSTAR A CANIBUS AGITATI VERUM, PERENNEMQUE FONTEM DEUM SITIRE, UT EO IN ÆTERNUM FRUATUR, VERS. 2. SECUNDO, NAUTÆ INSTAR, TUM INTERNIS, TUM EXTERNIS FLUCTIBUS, GRAVI TEMPESTATE IACTATI, SECURUM SE PORTUM, DEUM IPSUM, OPTARE, ET SPERARE, VERS. 6.

SECTIO PRIMA.

Tria exequitur. Primo, asserit se Dei fruitionem ardentissime sitire, vers. 2. Secundo, lacrymis se totum ob tanti boni dilationem immaduisse, vers. 4. Tertio denique, sperare se, fore ut in domo Dei cum lætitia et suavitate tandem conquiescat, vers. 5.

PARAPHRASIS.

2. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.*

2. Quanta pernicitate atque aviditate cervus, vel viribus iam exhaustis ob cursum fatigatus, vel post esum serpentis siti æstuans, ad fontium et fluminum latices rapitur, ut vires reficiat et sitim restinguat: tanta animus meus tot venatorum instantium agmine fatigatus, et calamitatum varietate fractus, ad te fontem vivum anhelat, ut in te vera bonorum omnium scaturigine recreetur.

3. *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei?*

3. Valeant cætera terræ bona: hæc una me sitis urget, ut te Deo meo potentissimo et immortali perfruar: quandonam optata toties aderit dies, in qua his e vinculis evolabo, tuoque conspectui sistar tanto bono fruiturus?

4. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?*

4. Totus in lacrymas diu noctuque diffluo, illisque me velut cibo sustento, spretis omnibus mundi solatiis: dum mihi semper obtruditur, ubinam gentium Deus tuus commoratur? quandonam tibi se totum videndum concedet?

5. *Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei:*

In voce exultationis, et confessionis: sonus epulantis.

5. Iteratæ illæ voces cum subinde memoriæ recurrerent, mœrore constrictam coarctatamque animam ardenti rerum cælestium divinaque pulchritudinis contemplatione dilatavi, atque hoc angore liberatus cognovi fore ut his ex senticetis ad cæleste palatium Dei mei, omni divitiarum genere circumfluens, omnique ornatu circumfulgens, evolem.

Ibi sonus erit qualis solet esse epulantium cum magna exultatione, et laude tantorum Dei mirabilium.

QUÆSTIO UNICA.

QUAM ARDENTI DESIDERIO DEUM SITIRE DEBEMUS.

CUM David in præcedentibus Psalmis Passionem et resurrectionem Christi consideraverit, in hoc ardentissimum desiderium ostendit æternæ beatitudinis, in cælo iam existentem ipsum considerans, et ad eum ascendere exoptans.

5. Ordo Sectionis. Ac primo, desiderium suum esse summum declarat duplici similitudine, primo, cervi ad fontem currentis, v. 2. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus;* secundo, sitientis comparatione, vers. 3. *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum;* tertio, impatientiam quamdam ostendit, ob desiderii vehementiam: *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?*

Secundo, aperit dolorem tantum fuisse ob illam dilationem, ut corporeæ lacrymæ defluerent, v. 4. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?* Et animus in ferventissimas preces effunderetur, ne diutius beatitudo illa differretur, v. 5. *Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam.*

Tertio denique, spem concipit fore ut id fiat: *Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.* Modum ostendit, quo id futurum sit: *In voce exultationis et confessionis, sonus epulantis.*

ARTICULUS I.

Vir iustus, instar cervi ad Deum currit, et illum sitit, vitæ fontem.

6. DAVID rex venatione se exercens, et belliis assuetus, sæpe a venatione et armis comparationes ducit, nunc

A autem a cervi venatione, v. 2. QUEMADMODUM DESIDERAT CERVUS AD FONTES AQUARUM: ITA DESIDERAT ANIMA MEA AD TE DEUS. Pro *desiderat*, Hebr. est תַּעֲרֹג *thaarog*, id est clamabit, immugiet, glocitabit. Ubi vehementia desiderii denotatur. Sed de illa voce et re dicetur artic. 2. ubi agetur de desiderio et siti iustorum. Vers. 2. Christi et cervi parallela septem.

Quares hic primo, quænam sunt Christi et cervi parallela? Nota, allegorice Christus loquitur in toto Psalmo. Resp. itaque Christum in nativitate, vita, Passione, resurrectione, ascensione et Eucharistia, atque in extremo iudicio posse comparari cervis.

Primo quidem in nativitate, quod ad homines venire voluerit. Ut enim scribit Plinius lib. 8. cap. 32. Cervæ in pariendo semitas minus cavent humanis vestigiis tritas, quam secreta ac feris opportuna. Christus est φιλάνθρωπος, de illoque concinitur Cant. 2. 8. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles*, id est Angelorum omnes ordines prætervolans descendit in vallem, id est in uterum humilis Virginis, quæ dixit: Ecce ancilla Domini I. In nativitate.
B fiat mihi secundum verbum tuum, et statim Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, non in Angelis, sed minoratus ab illis. Ingeniose et pie S. Bernardus sermone 54. Gabrielem Archangelum alloquens, et eius verba: *Ave gratia plena, Dominus tecum*, expendens, ait: *Quid? quem modo reliquisti in cælo? in utero reperis? quonam modo? Volavit, et pervolavit super pennas ventorum. Victus es o Archangele, transiliit te, qui præmisit te.* Quod cervus iste sit vicissim amandus a nobis, habes! Proverb. cap. 5. v. 19. *Cerva charissima* (humanitas Christi) *et gratissimus hinnulus*. Symmach. et Theodotio, cervus gratiæ, id est gratiosus. Arab. hinnula gratiæ tuæ. Sept. *cervus amicitiæ* (Origenes hom. 3. in Cantic. amicitiarum: et de Christo explicat) *et pullus gratiarum conversetur tecum*, etc. Noster habet, *Ubera eius* (Vatablus, amores

eius) *inebrient te in omni tempore, in amore eius delectare iugiter.*

II. In vita. Secundo, Christus in vita cervo similis est: Primo, ob contemplationem sublimem in montibus mysteriorum inenarrabilium. Secundo, ob prædicationem humilem, cum dicatur Iobi cap. 39. v. 3. *Incurvantur ad fœtum, et pariunt, et rugitum emittunt*, cervæ scilicet. Tertio, ob zelum salutis proximorum, quam ardentissime sitiebat. Quarto denique, ob conculcationem vitiorum, cum esset innocentissimus. De cervo S. Basilius ait Ps. 28. *Cervus nullo veneno serpentis lædi potest, cui remedio est sive purgationi, si forte in id inciderit, vipera devorata.* Itaque Horus Apollo fallitur, qui hieroglyph. 83. ait, cervum visa vipera temere in fugam verti, sed rectius Gesnerus et alii, viperas a cervis capi et interimi dicunt.

III. In passione. Tertio, Christus in sua passione cervo comparatur. Iudæ enim adulatione captus est. S. Ambrosius lib. de interpellatione David, ait cervos se nonnunquam iungere equitibus, qui fugæ specie ac similitudine societatis inductos usque ad retia sua deducunt. Horus Apollo hierogl. 87. dicit, eum, qui assentatione capitur innui ab Ægyptiis per cervum cum tibicine. Is enim, inquit, dum suavissimum audiens modulatum, ingenti veluti demulcetur voluptate, facile in venatorum manus incidit. Adde, corona venatorum captum Christum summo in dolore ad mortem usque perstitisse, ut pro nobis satisfaceret. Cælius lib. 30. cap. 1. notat salsuginosas cervis esse lacrymas, at dulces sulbus, dum capiuntur. Scelerati a peccatis capti rident. Christus vero flagitiis humani generis circumseptus, in lacrymas amarissimas solvitur. Matth. cap. 26. vers. 38. *Tristis est anima mea usque ad mortem.*

IV. In resurrectione. Quarto, Christus in resurrectione similis est cervo ob renovationem. S. Epiphanius in Physiologo, cap. 5. docet in cervo triplicem esse vitæ reparationem, sed qualis sit non explicat: assignari autem potest Primo, reparatio roboris et vigoris, de qua Tertullianus lib. de pallio: *Taceo*, inquit, *cervum, quod et ipse ætatis suæ arbiter, serpente pastus languescit in iuventutem.* Christus renovatur devorato serpente per passionem, de qua Oseæ cap. 13. v. 14. *Ero mors tua o mors, morsus tuus o inferne.* Per resurrectionem scilicet. Vide dicta in titulo Ps. 22. Secundo, reparantur cervi in cornibus. Plin. lib. 8. c. 32. *Cervi*, ait, *soli animalium omnibus annis statim veris tempore cornua amittunt:* et paulo post subdit, *latent amissis velut inermes.* Christus in passione cornu suum, id est robur, amisit: latuit velut inermis in sepulcro: sed postea firmato cornu, in resurrectione victor exiliit, hostemque prostravit. Ps. 111. v. 9. *Cornu eius exaltabitur in gloria.* Luc. cap. 1. v. 69. *Et erexit cornu salutis nobis.* Tertio, cervus reparatur a quiete ad laborem. Iacobus de Valentia in Ps. 21. tradit cervam maxime tempestive inter cætera animalia latibulum petere ad somnum, sed summo mane præ cæteris surgere, et saltare in exitu e latibulo: ita Christum ante solis occasum in sepulcro repositum, ante solis ortum surrexisse, et matri aliisque apparuisse.

V. In ascensione. Quinto, Christus in ascensione sua est cervo similis, ob cælestis montis decursum. Cant. 2. 8. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum.* Ascendens enim in cælum, Sanctorum colles et Angelorum montes pertransiit, donec in Patris sinu quiesceret.

VI. In Eucharistia. Sexto, Christus in Eucharistia similis est cervis: sive ob lactis copiam, cerva enim lacte abundat præ cæteris animalibus, ut ait Iacobus de Valentia in Psal. 21. sive potius quod cervi caro febres impedit. Sicut enim docet Plin. lib. 8. cap. 32. *Febrium morbos non sentit hoc animal, quin et medetur huic timori*, aitque scire se quasdam fœminas, diebus omnibus matutinis carnem eam degustare solitas, longo ævo caruisse febribus; quod ita demum existimant ratum, si vulnere uno interierit. De Christi sacratissima carne dicitur Ioan. 6. vers. 55. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, ha-*

A *bet vitam æternam.* Cervus depictus vitam longissimam significat, ut dicit Horus Apollo hierogl. 20. Eucharistiæ proprium est vitam dare, ut ostendi Ps. 21. sect. 4. art. 3. Psalmum nostrum usurpat Ecclesia in Officio de sanctissimo Sacramento.

Septimo denique, Christus in die extremi iudicii cervo similis est. Cant. 2. vers. ult. *Revertere: similis esto, dilecte mi, capreæ hinnuloque cervorum super montes Bethel.* Quem in locum sic loquitur S. Gregorius. Per cervos, inquit, quid aliud quam Patres antiqui designantur, ex quorum carne Christus natus, quasi hinnulus cervorum mundo præsentatus? Bethel autem domus Dei interpretatur, quæ bene Ecclesia Dei dicitur, quia in ea Dominus habitat, dum per fidem corda nostra mundantur. Super montes ergo Bethel, similis capreæ hinnuloque cervorum apparebit: quia in ea humanitatis forma ad iudicium veniet, quam ab Ecclesia sumpsit, quando in hoc mundo ex Patrum progenie quasi hinnulus ex cervis humilis natus fuit. Qui vero et similis capreæ, et super montes Bethel apparebit: quia ex humanitate quidem similis Ecclesiæ erit, et tamen super ipsos summos, qui quasi montes excellunt, in Ecclesia sublimior eminebit; ita Gregor. VII. In die iudicii.

B

Quæres secundo, quænam sunt cervi et viri iusti parallela? Ugo Cardin. affert septemdecim. Primo, vir iustus alios iuvat vastum huius mundi oceanum traiicientes, ad quam charitatem Galatas hortatur Apostolus cap. 6. v. 2. *Alter alterius onera portate.* Cervos sibi mutuo in maris traiectu subvenire edocet Plinius lib. 8. cap. 32. testaturque id visum in iis qui a Cilicia in Cyprum insulam transeunt. Pierius vero lib. 7. ait, hoc notatum fuisse in iis, qui a Sicilia in Calabriam iuxta Rhegium veniunt. S. August. in Ps. nostr. generatim loquitur: *Traduntur cervi, et a quibusdam etiam visi sunt, vel quando in agmine suo ambulant, vel quando natando alias terrarum partes petunt, onera capitum suorum super se invicem ponere, ita ut unus præcedat, et sequantur qui supra eum capita* C *ponant, et supra illos alii consequentes, et deinde alii, donec agmen finiatur. Ille autem unus qui pondus capitis in primatu portabat, fatigatus redit ad posteriora, ut alius ei succedat qui portet quod ille portabat, atque ille fatigationem suam recreet posito capite sicut et cæteri ponebant. Ita vicissim portando quod grave est, et viam peragunt, et invicem se non deserunt. Nonne quosdam cervos alloquitur Apostolus dicens Galat. 6. Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi?* Secundo, vir iustus vorat hydros: id est peccata annihilat. Oseæ 4. 8. *Peccata populi mei comedent.* Tertio, cornua mutat, mores scilicet. Rom. cap. 6. v. 19. *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiæ in sanctificationem.* Isaiæ cap. 40. v. 31. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* Quarto, cor iusti ossescit, hoc est magis ac magis in bono solidatur. Durum enim fuit Apostoli cor, cum dixit Rom. cap. 8. v. 38. *Certus sum, quia* D *neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, etc. poterunt nos separare a charitate Christi.* Quinto, iustus salit ultra spinas divitiarum, et lutum vel foveam luxuriæ. Isaiæ cap. 35. v. 6. *Tunc saliet sicut cervus claudus.* Sexto, iuvenescit. Ephesios 4. *Renovamini spiritu mentis vestræ.* Coloss. cap. 3. vers. 9. *Expoliantes vos veterem hominem.* Ps. 102. 5. *Renovabitur ut aquilæ iuventus tua.* Septimo, iustus est sylvester, id est in montibus et excelsis habitans. Psalm. 103. 18. *Montes excelsi cervis, petra refugium herinaciis.* Octavo, est sapidus. Eccli. 49. 2. *In omni ore quasi mel dulcorabitur memoria eius.* Nono, vivax est, quia vita contemplativa hic incipit, et nunquam desinit. Sap. cap. 5. v. 16. *Iusti autem in perpetuum vivent.* Decimo, est velox. Eccli. 31. 27. *In omnibus operibus tuis esto velox.* Undecimo, est sine cauda: id est sine operculo peccatorum per hypocrisim. 1. Petr. 2. 16. *Neque velamentum habentes malitiæ libertatem.* Duodecimo, habet pedem durum, id est affectum solidum. Habacuc 3. 19. *Ponet pedes meos*

7. Cervi et viri iusti parallela septemdecim.

quasi cervorum. Decimotertio, est venatio diaboli et malorum hominum. Eccli. 13. 23. *Venatio leonis onager in eremo, sic et pascua divitum sunt pauperes.* Decimoquarto, multos habet fœtus: id est multa bona opera, quorum matres sunt virtutes. Iudic. 8. 30. *Habuit Ierobaal septuaginta filios: eo quod plures habuit uxores.* Decimoquinto, pugnat ob uxores, quia pro virtutibus. Eccli. 4. 33. *Pro iustitia agonizare, pro anima tua usque ad mortem, certa pro iustitia.* 2. Timoth. 2. 3. *Labora sicut bonus miles Christi.* Decimosexto, iustus fusa pinguedine, id est amissa devotione squallet. Ps. 101. 4. *Ossa mea sicut cremium aruerunt; percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.* Decimoseptimo denique, surdus est, cum aures dimittuntur ad temporalia: sed bene audit, cum eriguntur. Isaiæ 50. *Erigit mane, mane erigit mihi aurem.* Ps. 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*: ita Ugo: tu selige quæ placuerint. Quatuor maxime considerari velim, 1. mutuam charitatem in tranando huius sæculi mari; 2. agilitatem et promptitudinem in actionibus virtutum; 3. delectationem quam hauriunt, in excelsis contemplationis montibus; 4. et præcipue, cursum ad fontes.

8. Cur ad fontes currit cervus. Quæres tertio, cur ad fontes currit cervus? Resp. primo, ut se refrigeret. Secundo, ut vires reparet. Tertio, ut sitim levet, quæ sitis tres ob causas oritur; 1. ob cursum; 2. ob devoratos serpentes; 3. denique ob attemperationem humorum cervi.

Sitis cervi tres causæ: I. Cursus. Prima enim, et maxime obvia sitis cervorum causa, est cursus diuturnus, quando instante vi canum et equitum fatigati, anhelant, ardentque, fontesque ac fluvios perquirunt: hanc causam attigit hoc loco Titelm. Magn. et Petav. S. August. ait esse ambiguum, an lavandi, an bibendi causa, fluvios petat cervus. Et quidem fertur, cervum, ubi se fluvio obvio immerserit, vires novas resumere, et cœptos cursus alacrius absolvere. Eodem cursu ad Deum iustis est aspirandum, cum instantes stygios venatores sentit. S. August. *Quid est*, ait, *ut cervus curre? Non sit tarditas in currendo, impigre curre, impigre desidera fontem. Inveniemus enim insigne velocitatis in cervo.* Ad eum nos cursum hortatur S. Laur. Iustin. de vita solitaria cap. 1. docetque perfecta Dei notitia, rerumque cælestium, illius desiderium ingenerari: *Sitis hæc*, ait, *volatus est.* Ac deinde subdit: *Talis Dei est gustus, talis est cognitio cælestium, ut eo efficacius virtutes moveat, quo elucescit clarius dulciusque sentitur. Mentem quippe efficit in inquisitione sollicitam, sitibundam in gustu, in amore fervidam, in contemplatione cælestium erectam. Quærit namque, ut inveniat: concupiscit, ut teneat: diligit, ut crescat: elevatur, ut quiescat: huc usque dum pervenit, delectatione nimia circumfusa clamat, et dicit Ps. 131. 14. Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.* Sed ridentium pratorum amœnitas plerosque a cursu retardat, et voluptatis prædam efficit. S. Bernard. serm. 2. in vigilia Nativitatis Domini: *Viscus quidam, ait, pravi desiderii et delectationis terrenæ volare non patitur, et citius retrahit mentem, si forte aliquando sublevetur.*

II. Serpentium devoratio. Secunda sitis causa in cervo est serpentium interemptio et devoratio: ita Theodor. S. August. Iansen. et alii. Eo tempore potissimum ad fontes currit. S. Thom. notat serpentem a cervo comedi præsertim cum cervus de renovatione sua cogitat, in eamque rem cursu ferri ad fontes. Sumpsisse hoc videtur a S. Epiph. qui cap. 5. Physiologi sic ait: *Vivit cervus annos 50. nemorumque sylvas et montium valles, ut velocissimus cursor, contento gradu perlustrat, serpentumque cavernas odore indagat: et sicubi serpens delitescit, e vestigio subodoratur, statimque nares ad limen cavernæ admonet, halitumque trahit: prodiens igitur serpens, in fauces cervi se ingerit, ille obvium devorat:* δια τουτο ελαφος ονομαζεται, δια το ελκειν τους οφεις εκ του βαθους; unde dictus est ελαφος, quod ex imo serpentes ad se attrahat. Nota deinde rem mirabilem, et Psal. nostr. convenientissimam: *Postquam*, ait, *serpentem ex cavernis cepit, illico ad aquarum fontes decurrit. Quod si trium horarum spatio aqua se explere non potest, moritur. Sin autem aquæ potus obtingat, ad annos denuo quinquaginta vitam protrahit.* Qua ratione autem cervus serpentes attrahat, non satis constat. Græcorum Geoponicorum collector lib. 19. cap. 5. Xenophontem pro se allegans, ait cervi spiritu afflatum serpentem vertigine corripi, sicque attrahi. Ælian. vero lib. 2. cap. 9. docet, quod serpentem cervus spiritu suo, quasi amatorio quodam, alliciens extrahit, invitumque profert.

Sed quidquid sit de cervo, et modo quo serpentes ad se allicit, tu serpente, id est peccato, devorato ad fontes vitæ propera. S. Epiphanius citatus pergit: *Tu spiritualis homo tres habes restaurationes: Baptismum scilicet incorruptionis, filialis adoptionis gratiam, atque pœnitentiam. Si quando serpentem, id est peccatum intra cordis recessus deprehenderis, ad fontes aquarum, hoc est ad Scripturarum scaturigines statim confuge, sanctam videlicet gratiam hauri. Nam si pœnitentiam egeris, ab ea iterum deleto peccato reparaberis.* S. August. in Ps. nostr. Serpentes, ait, vitia tua sunt, consume serpentes iniquitatis, tunc amplius desiderabis fontem veritatis. Avaritia forte in te tenebrosum aliquid sibilat, et sibilat adversus verbum Dei, sibilat adversus præceptum Dei. Et quia tibi dicitur, contemne aliquid, ne facias iniquitatem: si mavis facere iniquitatem, quam aliquod commodum temporale contemnere, morderi magis eligis a serpente, quam perimere serpentem. Quomodo concupiscis fontem sapientiæ, cum adhuc laboras in veneno malitiæ? Interfice in te quidquid contrarium est veritati, etc. Ita August. Cursum hunc ad fontes docet S. Thomas convenire, primo Cathecumenis, secundo viris perfectis. Illis quidem, quia Baptismus lavat crimina: his vero, quia Deum sitiunt. Primo, de Baptismo sic loquitur Optatus Milevitanus Episcopus, qui floruit circa annum Christi 365. *Baptismus virtutum est vita, criminum mors, nativitas immortalis, cælestis regni comparatio, innocentiæ portus, peccatorum naufragium.* Secundo, de perfectis viris S. Climacus gradu 30. dicit: Post sublatas per animam velut cervam noxias feras, tunc anima desiderat Deum, και εκλειπει προς κυριον πυρι της αγαπης, ως απο του βαλλομενη, et deficit ad Dominum, igne amoris veluti iaculo percussa.

Tertia sitis in cervo causa, est cervi ipsius natura et complexio. Ita S. Chrysostom. Διψαλεον, ait, εστιν η ελαφος, και δια τουτο συχνως τρεχει επι τας πηγας των υδατων: Cervus est natura siticulosus, et ideo frequenter currit ad fontes aquarum. III. Cervi natura. Efficitur autem sitibundus, et a natura, et ex eo quod serpentes comedat, et illorum alatur corporibus. Hinc infert idem Sanctus Doctor, peccata esse conterenda et devoranda, ut Deum sitias. Tunc ait, δυνηση διψαν τον του Θεου ποτον: poteris sitire Dei desiderium, imo et ipsum Deum. Quod si peccata propria dudum protrivisti atque devorasti, Petro similis, aliorum scelera devorare disce: huic Apostolo ad Gentiles convertendos mittendo ostendit Deus cælum apertum, et descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, et serpentia terræ, et volatilia cæli. Et facta est vox ad eum: *Surge Petre* (iacentes non sunt apti ad convertendos peccatores) *occide et manduca.* Lege S. Gregorium, cap. 18. Moral. 20. Cervus veneno non læditur, ut ait S. Basilius in Ps. 28. sed omne veneni genus eiicit. Nicander docet ac Plinius lib. 8. vers. 32. Singulare remedium abigendis serpentibus esse suffitum cornu cervini. Christus ipso die resurrectionis, ut ait Cornel. aut die octavo post ipsam, ut Maldon. probabilius, recumbentibus undecim discipulis dixit Marc. cap. 16. vers. 15. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Magnum autem motivum ad credendum affert, v. 17. *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent: et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, et bene habebunt.* Serpentes tollunt, id est delent et occidunt, ait

Enthym. aut etiam in manibus absque periculo tenent, ut viperam S. Paul. in Melita insula.

9. Ad fontes quinque currit vir iustus.

Quæres quarto, quos ad fontes currit vir iustus, aut iustificari volens? Respond. fontes illi possunt intelligi, 1. baptismus; 2. pœnitentiæ lacrymæ; 3. gratiæ ubertas; 4. Christus ipse; 5. tota Trinitas. Nota, pro *fontes*, Hebr. est אפיקים *aphikim*, id est *rivos*, ut vertit Campensis: inundationes, ut Felix: torrentes, ut Pagnin. Fontes ad quos iustus currit sunt, 1. copiosi et uberes; 2. celeriter defluunt, nec diu desiderium remorantur; 3. exundant et dant aquas supra spem et necessitatem; 4. vehementes sunt, et fluunt cum impetu, secumque rapiunt etiam languentes ac segnes. R. David docet *aphik*, esse aquam fortem, vehementem et defluentem cum impetu. Fons noster altus est, et quos capit secum in alta deducit; salit enim in vitam æternam. De fonte baptismi dictum est Ps. 22. v. 2. de fonte pœnitentiæ, Ps. 6.7. De fonte gratiæ, Ps. 1. Nunc restat ut de Christo et sanctissima Trinitate pauca dicam.

10. Christus est fons vitæ.

Primo, Christus fons est vivus atque pellucidus, mentes alumnorum suorum irrigans et fœcundans. Ps. 35. v. 10. *Apud te est fons vitæ*, id est Filius Patri consubstantialis, ut S. Basilius, S. Cyrillus Ierosolymitanus, Euthym. Theodoretus, et alii exponunt; de Christo etiam, ut homo est, id accipiunt S. August. Ruffinus, et alii. Vide ibi dicta. Cervo magis placet aqua fontana, ac perenniter et leniter profluens: tu ad Christi fontem curre, semper tibi aquas fundet, quibus abluaris. S. Bernardus serm. 1. de Nativit. *Fons*, inquit, *nobis est Christus*, *unde lavemur*. *Apocal*. 1. *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris*. Ab hoc primario fonte quinque alii defluunt, qui terram

Ab eo quinque fontes procedunt.

animæ iustorum fœcundent: *Habemus*, ait, *de fonte misericordiæ ad diluendas culpas, aquas remissionis; 2. habemus de fonte sapientiæ ad potandam sitim nostram, aquas discretionis; 3. habemus de fonte gratiæ ad irrigandas plantas bonorum operum, aquas devotionis; 4. quæramus ad decoquendos cibos aquas ferventes, aquas æmulationis. Hæ nimirum condiunt et decoquunt affectiones nostras, et ebulliunt de fonte charitatis.* Et sub finem addit quintum fontem: *Quatuor fontes istos adhuc in carne viventibus nobis in semetipso Christus exhibet. Quintum qui est fons vitæ, post hoc sæculum repromittens, ad quem sitiebat Propheta cum diceret: Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum.* Sic ipse legit, atque hinc fortasse Christum viventem in quatuor locis esse vulneratum, quintum vulnus post mortem accepisse.

Fons hic Paradisum totum, id est Ecclesiam irrigat.

Fons hic sacer totam animam, velut Paradisum deliciarum irrigat, cum in eam semel influxerit. S. Ambros. lib. de Paradiso, cap. 3. *Erat fons*, ait, *qui irrigaret Paradisum. Qui fons, nisi Dominus Iesus Christus? fons vitæ æternæ, sicut et Pater, quia scriptum est Psal.* 35. *v.* 10. *Quoniam apud te est fons vitæ. Denique flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ: et fons et fluvius legitur, qui irrigat lignum fructuosum, quod ferat fructum in vitam æternam.* Zoroastres cum animum alatum esse diceret, interrogatus a discipulis, quo pacto volucres animos sortiri possent: Irrigate, inquit, alas aquis vitæ; interim sciscitantibus unde has aquas peterent, respondit per parabolam: *Quatuor amnibus Paradisus Dei alluitur et irrigatur, vobis salutares aquas inde haurietis.* Paradisus terrestris est humanitas Christi; inde fluunt omnes virtutes, ac præcipue cardinales, quæ sic appellantur, quod in iis tota vita moralis firmatur, sicut ostium firmatur in cardine, ut ait S. Thom. in 2. d. 33. q. 2. art. 1. nempe prudentia, iustitia, fortitudo et temperantia. Caussin. histor. parab. sic illas fluviis quatuor Paradisi adaptat. Ganges, ait, ramentis auri, prasino lapillo, et carbunculo nobilitatus prudentium inventa, virorem sive vivacitatem mentis et animæ facem significat. Secundo, Nilus qui Ægyptum alluit, temperantiam designat: qua deliciarum et voluptatum ardor restinguitur, et per hanc corporeæ Ægypto, virtutum rivi scaturiunt. Tertio, Tigris fluviorum omnium velocissimus, fortitudinem notat, quæ mirabili pernicitate, sonitu magno cursuque fertur et obstantia quæque demolitur. Quarto, Euphrates iustitiæ symbolum est non obscurum, ut cui fœcunditatem et fructuum exuberantiam tribuunt. Sed iustitia est, ex qua magna fructuum ubertas humanæ societati affluit. Lege S. Ambros. lib. de Paradiso cap. 3.

Fons hic patet omnibus.

Fons hic non a dracone servatur, sed licet omnibus ad eius concham rivosque pergere, et pleno ore hoc se nectare recreare. Zachar. cap. 13. v. 1. *In die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ.* Quem locum sugens S. Gregorius hom. 20. in Evangelia: *Fons occultus*, ait, *est Unigenitus Patris invisibilis Deus. Fons vero patens recte domus David dicitur: quia ex David genere noster ad nos Redemptor processit. Ierusalem vero visio pacis interpretatur.* Ex eo quot gratiarum rivi fluxere, dum vixit? Mirare eum cum S. Chrysost. epist. 1. ad Olympiadem, res miras efficientem, mortuos excitantem, leprosos mundantem, dæmones expellentem, αρτους πηναζοντα, panes fontis instar effundentem.

11. Vers. 3. 3. Pars. Sancta Trinitas est fons inexhaustus.

Secundo, tota Trinitas fons est inexhaustus et infinitus. Syr. legit, Quemadmodum cervus mugiens *ad fontem* aquarum. Hebr. vero, Chald. Arabs, Sept. Noster, et alii, *ad fontes*. Est enim unus Deus, et sic est unus fons: sed tres sunt personæ, igitur et tres fontes. Præterea v. 3. additur, Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum. Ita legit S. Thomas, S. Isidorus de conflictu vitiorum et virtutum, cap. ultim. S. Bernard. sermon. 1. de Nativitate Domini, et alii plurimi ex Latinis. Sed melius Septuag. verterunt, προς τον Θεον τον ισχυρον, τον ζωντα, id est, *ad Deum fortem vivum*, ut correcti codices habent in vulgata. Nota, Psalter. Rom. Ambros. Syr. Æthiop. Arab. habent tantum, *Sitivit anima mea Deum vivum*. S. August. *ad Deum vivum*: itaque omittunt vel *Elohim*, id est Deum, vel *El*, id est Deum, vel fortem. Sed verius est utrumque semper fuisse in Hebræo, ut nunc etiam habetur, et utrumque exprimunt S. Basilius, S. Ioann. Damascen. Epistola de trisagio, S. Gregor. Nyssen. tractatu de beatitudinibus. Chald. vertit, *ad Deum fortem vivum et permanentem*. Voluit declarare æternitatem indefectibilem illius fontis. Sanctissimæ Trinitatis tres personas facile hic reperies si Hebraicis insistas, cum Dei nomen ter reperire possis; nam 1. Deus Pater designatur his verbis, *ita desiderat anima mea ad te Deus;* 2. Filius ponitur, cum dicitur, *sitivit anima mea ad Deum;* 3. Spiritus sanctus, additur enim *Deum vivum*, est Spiritus vivus et vivificans, gratia enim sanctificante animas vivificat.

Trisagion ex Psalmo hoc est sumptum.

Quidam, ut ait Euthymius, ex hoc versiculo sumptum esse dicunt hymnum illum, quem Græci Trisagion vocant, quo laudare solemus Deum, dicentes: αγιος ο Θεος, sanctus Deus, αγιος ισχυρος, sanctus fortis, αγιος αθανατος, sanctus immortalis. Hic David vocat Deum, fortem, vivum. Dei autem vita est immortalis, per se enim et semper vivit. S. Ioannes Damascenus in epistola de trisagio f. 486. paulo aliter hinc Trinitatem deducit personarum et unitatem essentiæ. Cum, ait, David dixit Ps. 41. *Desiderat anima mea, ad te Deus,* unam divinitatem indicavit: cum autem mox subiecit, *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum*, personarum Trinitatem denotavit. Ac rursus ad naturæ unitatem rediit, *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* Deinde lib. 3. de orthodoxa fide cap. 10. in trisagio ait Patrem vocari sanctum, Filium fortem, Spiritum sanctum immobilem: *Nos*, inquit, *sanctus Deus de Patre accipimus: non quod ipsi soli divinitatis nomen assignemus; nam et Filium Deum, et Spiritum sanctum agnoscimus. Secundo, itidem istud, sanctus fortis, Filio tribuimus: non quod Patrem et Spiritum sanctum robore spoliemus. Tertio, ac denique illud, sanctus immortalis, Spiritui sancto adscribimus: non quod hac ratione Patrem et Filium ab immortalitate excludamus, sed quod in unaquaque persona omnia divinitatis vocabula simpliciter et absolute sumamus.* Nicephor. Callixt. l. 18. histor. Eccles. c. 51. arbitratur sanctum hunc hymnum, αγιος ο Θεος, αγιος ισχυρος, αγιος αθανατος, ελεησον ημας, sanctus

Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis, iam inde ab Apostolis ad sua tempora defluxisse, et ex Psalmo nostro esse sumptum: deinde rationem reddit, cur Deus vocetur sanctus, cur fortis, cur immortalis: *Deo*, ait, *addidit sanctus, nomen hoc idolis opponens, quæ abominationis omnis plena, et humanæ manus opera sunt. Sicuti et fortis posuit, propter simulacrorum imbecillitatem atque infirmitatem summam, quæ loco se movere prorsus non possit: atque itidem immortalis, ut statuarum truncos traduceret, qui vita carentes neque spirare possunt, neque sensu aut mente diriguntur.*

12. *Tria in Deo sunt amabilia.* Ex verbis Prophetæ nostri, *Deum fortem vivum*, acute et pie S. Chrysostomus deducit, Deum esse summopere amabilem: *Tria sunt*, ait, *quæ amorem apud nos efficere consueverunt, 1. forma corporis; 2. magnitudo beneficii; 3. quod ab aliquo amemur. Unumquodque enim eorum potest in nobis amorem procreare.* Quis porro in Deo ea tanta esse non intelligat, ut nullus sermone explicare valeat. Sed iuvat sanctum illum Patrem audire: Primo, inquit, pulchritudo illius beatæ et ab interitu alienæ naturæ, *αμηχανον εϛι, και αμαχον, και παντα υπερβαινον λογον, και πασαν εκφευγον διανοιαν, res est quædam infinita, ac nulla ratione superabilis, quæ omnem excedit rationem, et omnem effugit cogitationem.* Secundo, beneficia Dei erga nos quis enumeret? 2. Corinth. 9. 15. *Gratias Deo super inenarrabili dono eius.* Tertio, quænam oratio amorem eius erga nos explicet? Ioan. 3. 16 *Sic Deus dilexit mundum*, etc. Isaiæ 49. 15. *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.* Itaque pulchritudo denotatur, cum dicitur, *ad Deum*, quo nihil pulchrius atque præstantius. Beneficia, cum *fortem*, nihil enim illi difficile. Amor, cum *vivum*, non enim est instar idoli inanimati, et carentis corde: sed est vivens, operans, intelligens, amans. Fortis dicitur, ait Ruffinus, quia incorruptibilis: vivus, quia immortalis. Beda, fortis, inquit, quia ab eo robur nostrum est ad serpentes iniquitatis extinguendos: vivus, quia per illum vita. Hesychius denique, fortis, ait, in cruce Christus, vivus in resurrectione.

13. *Trinitatis singulæ personæ sunt fons.* Si personas singulas Trinitatis placet aspicere, singulas invenies esse fontes perennes et suavissimos. Primo, Pater æternus de se dicit Ierem. 2. 13. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ.* Secundo, de Filio habetur Ps. 35. 10. *Apud te* (Deus Pater) *est fons vitæ*, nempe Filius tuus. Baruch 3. 12. increpat Israeliticum populum, et ait, *Dereliquisti fontem sapientiæ*, id est Verbum Dei, qui est sapientia Patris. Tertio denique, de Spiritu sancto et eius gratia dicitur Ioan. 4. 14. *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* S. Chrysost. serm. 1. de Pentecoste in fine tom. 3. *Spiritus sanctus*, ait, *nostræ imaginis est reformatio, mentis perfectio, spiritalis mentalium oculorum nostrorum sol, interni nostri hominis lumen, lucifer in pectoris cælo: Spiritus sanctus est copula unionis nostræ in Christo, animarum exultatio, cordis tripudium, ignis fons rorulentus.* Lege cætera. Ad illos fontes vitæ deducit agnus, id est Christus, et innocentia, Apocal. 7. 17. Ibi non bibunt hædi. Ob multitudinem illorum fontium ait Propheta noster: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum.* Vel certe summum illud bonum ideo plurali fontium nomine exprimitur, quia ut ait Hugo a S. Victore cap. 51. in Psalmos: *Licet in se unum sit, omnium tamen origo bonorum in ipso continetur.* Vivus fons, quia vivificat. Vivus fons, quia indeficiens perseverat. S. Augustinus hic: *Apud Deum*, ait, *est fons vitæ, et insiccabilis fons.* Humani vero fontes citissime exarescunt. Plinius refert lib. 2. cap. 103. in Dodone Iovis fontem esse, qui meridio semper deficit, mox increscens ad medium noctis exuberat, ab eo rursus sensim deficit; 2. Padi fontem alium mediis diebus æstivis interquiescentem semper arere; 3. In Comensi agro fontem largum horis singulis semper intumescere ac residere; 4. in Delo insula alium cum Nilo crescere et minui; 5. Timavum amnem cum æstu maris minui et augeri; 6. in agro Pitinate Novanum omnibus solstitiis torrentem esse, bruma siccari; 7. in Sydonia insula alium vere tantum fluere. Humana non stant, Deus autem idem ipse est.

Fons in meridie deficiens.

Fons singulis horis intumescens et decrescens.

14. *Tribus modis explicatur ardor currendi ad fontes.* Quæres denique quinto, quanto ardore ad fontem Deum currere debemus? Respond. modum affectus, quo ad sacratissimum et vivificum illum fontem vir iustus rapitur, tripliciter a Propheta nostro explicari: Primo, per desiderium vehemens: *Quemadmodum desiderat*, etc. Secundo, per sitim: *Sitivit anima mea, etc.* Tertio denique, per sanctam quamdam impatientiam: *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei.*

I. *Per desiderium.* *1. Terræ aridæ appetentis pluviam.* Ac primo, duplex desiderium hic inveniri potest, Primo, terræ aridæ et pluviam optantis. Aquila vertit, *ως αυλων πεπρασιαϛαι, sicut vallis sitiet imbrem.* Sexta editio, *ον τροπον πεδιον πρασιασθη, sicut campus sitiet imbrem*, ut reddit auctor notationum in Bibliis regiis, nec male: cum enim *πρασια* teste Homero et Dioscoride significet areolam in horto quadratam, in qua herbæ serantur, recte *πρασιαζειν* sive *πρασιζειν*, sumetur per metalepsim pro *sitire*, quia areola præparata et semine gravida aquam exoptat, et sulci in campis. S. Hieron. a Treveto relatus, et apud Victoriam vertit, *sicut areola præparata ad irrigationes aquarum.* Audivimus itaque Deum Malach. 3. 12. *Eritis vos terra desiderabilis.* Septimo reddunt, eritis sicut terra, *θελητη*, voluntaria. Hebr. ad verbum habetur, Vos eritis terra חפץ *chaphets*, id est voluntatis, complacentiæ, desiderii, in qua sibi complacet Deus, quamque benedicit, et bonis omnibus cumulat. Dic cum Davide Ps. 142. 6. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* S. Hieron. quasi terra sitiens ad te. Chald. anima mea velut terra, quæ indiget aqua, respicit ad te. Apollin. animus meus cupit te, *ατε διψαδος αυλακες γης*, velut sitibundæ sulci terræ.

2. Et cervi ad aquam properantis. Secundo et melius, desiderium cervi hic a Davide exprimi censent Sept. Noster, Chald. Syrus, Arab. S. Augustin. et alii pene omnes, et sic ipse Hieronymus in Bibliis regiis, et in Psalterio sextuplici Coryphi habet, *sicut desiderat cervus ad fontes aquarum.* Nam איל *aial*, significat cervum et cervam. Verbum vero ערג *arag*, significat clamare, immugire. Vox est propria cervi. R. David in libro radicum exprimit per *zaac*, clamavit, et *hama*, sonuit, tumultum fecit. Sicut igitur Leo, *sciaag*, et *naham*, id est rugit; Ursus *sciacac*, uncat; Onager *naak*, glocitat: Lupus *tsaak*, ululat; Canis *nabah*, latrat, inde gallicum *abaier*: Equus *zahal*, hinnit; Bos *gaa*, mugit: Asinus *naar*, rudit; sic Cervus *zaac*, glocitat, mugit. Si S. Hier. vertit, *Sicut areola*, necesse est eum legisse non *arag*, ut nunc est, sed ערוגה *aruga*, id est sulcus, area certis lineis ac sulcis descripta. Nec ab hebræa voce *aruga* multum distat *area*, et *arrouser*.

15. *Desiderium est maxime necessarium ut curramus.* Nota, desiderium necessarium est, ut ad vitæ fontem properemus: sine desiderio enim languet anima et iacet, ab eo ducendum est perfectionis initium. Ut enim docet S. Thomas in 3. dist. 26. quæst. 2. artic. 3. desiderium est primus motus appetitus; et in 2. dist. 26. quæst. 1. art. 3. desiderium est motus appetitus in amabile, et inchoatio amoris; et in 3. dist. 27. quæst. 1. artic. 3. ad 1. desiderium sequitur amorem finis, et præcedit amorem eorum quæ sunt ad finem, id est mediorum. Ugo Cardin. in Ps. nostr. *Desiderium est primus motus charitatis.* Ignis ardens est, qui extingui non potest, nisi cor in hunc sacrum fontem immergamus. Scholiastes græcus ad grad. 3. S. Ioan. Climaci: *ποθος*, inquit, *εϛι ζεσις ενδιαθετος δια πυρος επιθυμιας φιλουμενου*, desiderium est fervor animi ex dilecti affectu, velut igne conceptus. Item: *ποθος εϛι φιλιας επεκτασις τῳ ερωμενῳ συνδυαζουσα*, desiderium est amicitiæ incrementum cum dilecto colludens. Qui cum hoc desiderio accurrerit, ad salubres illas aquas admittetur: nec enim filiorum clamorem amantissimus Pater reiicit. S. Augustin. in Ioan. Quod oculus non vidit, etc. desiderari potest, concupisci potest: *Desiderium sinus cordis est. Capiemus, si desiderium quantum possumus, extendamus;* et in Ps. 86. *Qui desiderat, etsi lingua taceat, corde cantat: qui autem non desiderat, quolibet amore, quolibet clamore aures hominum feriat, intus mutus*

est Deo. S. Greg. lib. 2. Mor. cap. 6. Animorum, inquit, clamor magnus, magnum desiderium est.

16. Debet esse magnum desiderium. Nota secundo, desiderium illud debet esse magnum: *Quemadmodum desiderat.* Hebr. תערג *thaarog*, mugit, clamat; Felix, quemadmodum cervus vociferat super inundationibus aquarum, sic anima mea vociferatur ad te Deus. Campens. quemadmodum cervus mugit ad rivos aquarum, sic clamat anima mea ad te Deus. Symmach. ως σπευδει η ελαφος, sicut festinavit cerva. Euthym. et Nicephorus, dicunt desiderare hic poni pro festinare: efficax enim debet esse clamor ac desiderium. Non debent, ut ait Lorinus, inania et otiosa esse desideria: imo nec, si talia sint, merentur nomen desideriorum. Surgendum est et properandum sponsæ Dei, Cant. 2. 10. et 13. sicut pergebat Maria cum festinatione ad obsequium charitatis, Luc. 1. 39. ac sponsus ut gigas exultavit ad currendam viam, Psal. 18. 6. properandum est invitatis ad aquas et ad argentum, Isaiæ 55. 1. festinandum ingredi in illam requiem, Hebr. 4. v. 1. sic currendum, ut comprehendamus, 1. Corint. 9. 24. cursus consumandus, 2. Timoth. 4. 7. per viam mandatorum Dei, Ps. 118. 32. odor bonus vitæ æternæ trahat nos, ut curramus, Cant. 1. 4. non subsistamus, donec comprehendamus, a quo et comprehensi sumus, Philipp. 3. 12. qui currit nullum videt ex omnibus, etiamsi ingrediatur per prata, etiamsi per loca arida et aspera: sed hoc unum advertit, ut currat, sicut ait S. Chrysost. hom. 28. in Genes. Abraham currit ad opus misericordiæ, uxor festinat, puer accelerat, Gen. 18. 6. 7. *Nullus piger est in domo sapientis,* ut ait Origen. hom. 4. in Genes. in omnibus bonis veloces nos esse iubet auctor Eccli. cap. 31. 27. Quam ardens debeat esse desiderium placendi Deo aperit S. Basil. regula 157. ex brevioribus: *Constitutionem animi*, ait, *bonam censeo esse,* επιθυμιαν προς θεον ευαρεστησεως σφοδραν, και ακορεστον, και πεπηγυιαν, και αμεταθετον, *vehemens desiderium placendi Deo, idque insatiabile, et stabile, et constans.* Debent esse viri iusti et Dei amantes, ut ait S. Chrysost. in Psal. nostr. προσδεδεμενοι ποθω θεου, και μηδεν αλλο ορωντες αλλ' η εκεινον μονον, και πανταχου αυτον φανταζομενοι, *alligati Dei desiderio, et nihil aliud cernant præterquam illum solum, et eum semper cogitent, et se esse omnibus beatiores putent; licet in paupertate, licet in ignominia, licet in vinculis,* etc. Hoc in S. Paulo, hoc in S. Ignatio martyre, et in Soc. Fundatore fervor eximius edocuit.

17. Christus est totus amabilis. Ratio autem a priori, cur Deus toto mentis desiderio sit appetendus, petitur a summa et infinita eius amabilitate. Sponsa dicit Cantic. cap. 5. v. 16. *Totus desiderabilis.* Septuag. totus desiderium. Hebr. adhuc significantius, totus ipse desideria, quasi dicatur, dignus est qui ab omnibus desideretur, tantæ est pulchritudinis et excellentiæ, ut solus omnium desideria explere possit. Sic Genes. cap. 49. v. 26. a Patriarcha Iacob morituro, et benedicente filium suum Iosephum, vocatur *desiderium collium æternorum*, id est Patriarcharum, Prophetarum et illustrium Sanctorum, qui cæteris hominibus sapientia, virtute, et sanctitate eminent, et in æternum in cælo eminebunt, sicut colles vallibus eminent, ut Rupertus, Lipom. et Caietanus exponunt. Aggæi cap. 2. v. 8. *Veniet desideratus cunctis gentibus.* Hebr. venient desideria cunctarum gentium, id est Christus, ut explicat Chald. S. Hieronym. Albert. Remig. R. Akiba et alii. Desiderabilis et amabilis est, tum propter humanitatem, tum propter divinitatem. Itaque totus est desiderabilis. Richard. a S. Victore in Cantic. *Desiderabilis humanitatis eius visio in terris, sed multum desiderabilior glorificata eius humanitas in cælis, desiderabilis vultu, quem desiderat universitas civium supernorum: desideratissima vero divinitatis eius contemplatio, cui omne quod desideratur non valet comparari.* S. Basil. 2. regula ex fusius disputatis, αρρητοι παντελως, ait, και ανεκδιηγητοι του θειου καλλους αι αστραπαι: *Inexplicabiles prorsus, nec ulli pro dignitate enarrabiles, quæ ex fulgurantissimo fonte illo divinæ pulchritudinis intermicant ac prosiliunt fulgetræ. Nulla eas oratio digne repræsentet, nullus percipiat auditus, licet Luciferi prænitidum iubar, licet lunæ splendorem, licet solis radiantissimam claritatem dicas, obscura ista sunt, si cum eius fulgore comparentur,* και πλεον απολειπομενα προς αληθινου φωτος συγκρισιν, η καθοσον βαθεια νυξ και ζοφωδη σκοτομηνη μεσημβριας καθαρωτατης, *plusque a vera luce distant, si cum ea conferantur, quam distet profunda nox, et cæcæ noctis tenebræ a clarissima luce meridiana. Ea si quando sanctorum virorum quempiam circumfulsit,* αφορητον ποθου κεντρον αυτοις εγκατελιπεν, *intolerabilem illorum in animis defixum desiderii aculeum reliquit.* Inductione hoc probari potest: Primo enim mundi deliciis et honoribus maior ad Deum unum anhelabat Ps. 26. 8. Ps. 119. 5. et præsertim Ps. 72. 26. *Quid mihi est in cælo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.* Secundo, Danielem Prophetam censet Methodius appellatum esse virum desideriorum, Daniel. 9. 23. quod ad beatam illam vitam inflammato studio raperetur. Tertio, Simeon senex viso Christo, et ulnis excepto nihil amplius videre cupiens dicit, Lucæ cap. 1. v. 29. *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace.* Quarto, S. Philippus Apostolus ait Christo Ioan. cap. 14. v. 8. *Ostende nobis patrem, et sufficit nobis*, quasi dicatur non aliud cupimus, ait S. Chrysost. Et vero, ut dicit S. Augustinus: Amas divitias? ipse Deus tibi erit divitiæ tuæ. Amas fontem bonum? quid præclarius illa sapientia? quid lucidius? Quidquid hic potest amari, pro omnibus tibi erit, qui fecit omnia. Tamquam adipe et pinguedine repleatur anima mea: ita Augustinus. Quinto, S. Paulus Philip. 1. 23. dicebat: *Desiderium habens dissolvi* (id est mori) *et esse cum Christo.* S. August. Qui, ait, desiderat dissolvi, et esse cum Christo, non patienter moritur, sed patienter vivit, et delectabiliter moritur. Sexto, S. Petr. cum ubertim fleret, atque causam rogaretur, ait: *Desiderio Domini*: molestum est in ergastulum compingi, et in medio mancipiorum ligari, atque a facie Domini sui separari, in quem desiderant Angeli prospicere. Septimo denique, cum Proconsul diceret S. Cypriano martyri morti proximo: Vicem tuam doleo, et vellem tibi consulere, læto vultu respondit: *Consultum mihi melius esse, non quæro, quam ut Deum meum adorans, ad ipsum tota mentis aviditate festinem: quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam.* Enitendum est, ut divinis illis heroibus nos adiungamus, eorumque in comitatu ad fontem illum inexhaustum admissi, cor integrum in amoris craterem immergamus. S. Bernard. lib. de conscientia, ad hoc nos incitat, cap. 2. *Omnes*, ait, *cordis distractiones, et mentis fluctuationes in unum, et in solo Deo totum desiderium tuum fige, ut ibi sit cor tuum, thesaurus tuus desiderabilis, multumque amabilis.* Cætera omnia si amantur, propter Deum ameutur, eoque tantum fine, ut Deus contentiori studio et inflammatiori ardore per illa desideretur. Hugo a S. Victore cap. 51. in Ps. *Qui*, ait, *dona Dei propter Deum non amant, ii quasi aquas, et non fontem desiderant.*

18. Desiderium Sanctorum ad Deum currentium: 1. Davidis. 2. Danielis. 3. Simeonis. 4. Philippi. 5. Pauli. 6. Petri. 7. Cypriani.

19. II. Per sitim. Sitis simili exprimitur desiderium magnum. Secundo, ardens desiderium fruendi Deo exprimitur a Propheta per sitis comparationem: *Sitivit in te anima mea.* Sitis potius quam famis nomine utitur, quia sitis magis agit quam fames, ut docet S. Thom. in 2. de cælo, lib. 22. textu 80. hoc in Psalmo autem per sitim ait denotari desiderium cum anxietate. Aristot. problem. sectione 28. num. 5. quærit, cur sitim minus quam famem tolerare possimus, et respondet Primo, vel quia sitis est magis anxia. Secundo, vel quia calor quo vivimus, humidum magis quam siccum desiderat. Tertio, vel quia sitis est libido potionis et cibi, fames unius tantum. Quarto, vel quia siti magis contristamur, quam fame. Hinc David ait: *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum*, quod dicitur crucior, donec Deo meo implear et in eum me immergam. Apollinar. vertit, cor meum sitivit, ζωον θεον καταβρωσειν, Deum vivum deglutire. S. Chrysost. in Psalm. nostrum ait, siti denotari, διακαες αγαπης και διηνεκες ερωτος, *ardorem amoris et eiusdem perpetuitatem:* et perinde esse ac si David diceret omnibus qui rebus huius vitæ inhiant: *Quid in corpora insanitis? quid corpora amatis?*

Cur sitis difficilius toleratur quam fames.

quid gloriam desideratis? quid concupiscitis voluptatem? Nihil eorum manet ac vivit perpetuo: sed diffluit et præterit: και σκιας εισιν ουδαμινωτερα, και ονειρων απατηλοτερα, και εαρινων ανθων ευφθαρτοτερα, *et est umbra vanius, et somnis fallacius, et citius quam verni flores corrumpitur, et interit.*

20. *Dei gloriam et virtutes sitire debemus.* Christus nos, salutemque nostram sitivit, neque sitis illa, nisi sanguinis totius effusione extingui potuit. Itaque in cruce exclamat, *sitio*, quod meditans S. Bernardus sermone de Passione Domini, cap. 13. ait his verbis eum ostendisse ardentissimam erga nos charitatem, et desiderium ardentissimum salutis nostræ sitivisse. Nos vicissim ipsum, ipsiusque gloriam, et ipsi charas virtutes sitiamus. Ut enim ipse promittit, Matthæi cap. 5. v. 6. *Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Quo in loco S. Hieronymus: *Non nobis,* inquit, *sufficit velle iustitiam, nisi iustitiæ patiamur famem.* Deus se ac dona sua dat sitientibus. Isaiæ cap. 44. v. 3. *Effundam aquas* (gratiæ et consolationis) *super sitientem:* Id est super gentilitatem aridam, et me desiderantem; 2. super iustum ad me suspirantem; cap. 55. v. 1. ait idem Propheta: *Omnes sitientes venite ad aquas.* Christus ipse Ioann. cap. 7. v. 37. dicit: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat.* Quod dicitur, ego sum fons, sed aquas non fundo nisi sitias. S. Gregorius Nazianzenus orat. 40. quæ est de Baptismo: Cupit, inquit, sitiri Dominus: et si tanto bono sine labore et facillime, scilicet accedendo tantum ad fontem, potiri possumus, cuius dementiæ est, tantum bonum differre? S. Ioannes Apocal. cap. 22. v. 17. *Et Spiritus, et sponsa dicunt: Veni. Et qui audit, dicat: Veni. Et qui sitit, veniat: et qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.* Vide quanta sit sitis eorum qui honores et voluptates amant. Richardus lib. 4. de contemplat. cap. 14. *Sitiunt,* ait, *unde possint gloriari, non autem ædificari,* sed tu Deum sitias, in quo sunt omnia bona et commoda. S. Augustinus eum sitiebat, cum dicebat, Soliloq. cap. 34. tom. 9. *O fons vitæ, vena aquarum viventium, quando veniam ad aquas dulcedinis tuæ? De terra deserta, invia et inaquosa, ut videam virtutem tuam, et gloriam tuam, et satiem ex aquis misericordiæ tuæ sitim meam? Sitio Domine, fons vitæ, satia me, sitio Domine: sitio te Deum vivum.* Vide Psal. 62. v. 1. Sitibunda erat S. Agatha, et instar cervæ ad fontem vitæ ferebatur, tormenta et mortem pro Christo contemnens: unde ait Quintiano omnes adhibenti artes et machinas, ut eam ad colenda idola permoveret, cui illa: *Ego extra Christum nec vitam, nec salutem, nec quid aliud opto aut desidero. Non est quod speres, o Quintiane, me tua sævitia percellere. Scito enim, non esse cervam, quantumvis anhelam et sitibundam, quæ ita desideret aquam limpidam, ut ego desidero et sitio tua tormenta, ut per ea Christo uniar, eumque amplectar. Ergo stringe si lubet in me ferrum, ecce collum meum: si flagella, ecce humeros: si ignem, en totum meum corpus, excrucia sicut mavis. Ure, seca, liga, stringe, distringe, lacera, transfige, macta: quanto in me crudelius sævies, tanto maius in me beneficium conferes, tanto gratior et gloriosior ero dulci meo sponso. Quid tardas? Quid moraris? Expedi flagra, gladios, cruces, catastas, ignes, leones. Sitienti animo omnis hora, et nimis longa est mora.* Dixit et præstitit. Torturam enim et præcisionem mammillæ, testas, ignes, ardentes laminas, et alia dira tormenta generose quasi ludibunda sustinuit, et moriens Martyr in cælum evolavit. S. Maria Oigniacensis ad Christum animæ suæ sponsum summo ardore anhelabat et suspirabat. Ut enim scribit Cardinalis de Vitriaco l. 2. vitæ eius cap. 10. propinquante ultimo vitæ suæ anno iam se amplius continere non valens anhelabat, suspirabat, præ desiderio clamabat, quasi moræ impatiens, cum *Dominum* (Christum, cum quo familiariter versabatur) *amplexaretur, Nolo Domine, ut sine me recedas: non cupio hic morari amplius, domum ire volo.* Et paulo post, cum narrasset illi revelatum esse suum transitum in cælum: *Non potuit,* inquit, *tunc præ spiritus ebrietate tacere, sed clamans dicebat: Audivi a Domino me ituram in Sancta sanctorum. O dulcissimum vocabulum! Dic mihi mea Clementia (sic enim eius ancilla vocabatur) quid est Sancta sanctorum? Ex famula volebat scire quid ex dictiones significarent, cum neutra id sciret. Sed, ut dixi, spiritu ebria id faciebat.* Et mox: *Audiebat etiam vocem Domini vocantis, et dicentis: Veni amica mea, sponsa mea, columba mea: iam coronaberis.* Instante autem morte, ut habetur cap. 11. et seq. cœpit clara voce et alta cantare, nec cessavit spatio dierum trium et noctium laudare Deum, hymni carmina suggerente ei angelo Seraphino, adventante autem hora ultima canebat: *Quam pulcher es Rex noster Domine? Alleluia.* S. Bern. credamus in form. honestæ vitæ: *Sit,* ait, *tibi Iesus semper in corde. Hic tibi sit cibus et potus, dulcedo et consolatio tua, mel tuum et desiderium tuum, dulcedo et meditatio tua, oratio et contemplatio tua: vita et mors, et resurrectio tua.*

Tertio denique, ardens videndi desiderium exponit David, cum impatienter moram ferens, ait v. 3. QUANDO VENIAM ET APPAREBO ANTE FACIEM DEI? Ut scilicet illam videam: Unde Syr. vertit, *Et videbo faciem Dei*, id est tuam: Deum enim alloquitur, sed Hebræi sæpe repetunt antecedens loco pronominis. Prius dixerat, *Desiderat anima mea ad te Deus*, ubi clare Deo loquitur in secunda persona, nunc in tertia per frequentem Hebræis personarum enallagen. 21.

Sensus est primo, quando veniam ad te in Ierusalem, et apparebo coram te, adorans nimirum, et colens te, seduloque tibi assistens, et alia faciens, quæ in templo tuo fieri decet: universo enim hoc solatio privamur, postquam hic in Babylone captivi degimus: ita Euthymius. *Apparere ante faciem Dei quid?*

Secundo, *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* id est, coram Filio, qui est imago Dei invisibilis, et character substantiæ eius. Ita Cyrillus, qui id exponit de Iudæis in fine mundi credituris Christo. Sed hoc est remotius et alienius.

Tertio, Hesychius id explicat de catechumenis Baptismum desiderantibus: Vides, ait, hæc ad animam nondum illuminatam, sed illuminari cupientem referri. At quem Deum ipsa sitiat? fortem scilicet vivum, qui in cruce fortitudinem, in resurrectione vitam ostendit, et tempus illud adesse desiderat, quo per lavacrum purgata coram Deo possit assistere. Ita Ipse, sed aliquid maius et augustius hic continetur.

Quarto itaque melius S. Augustinus, Glossa, Titelm. Bellarmin. Didymus, Eusebius, S. Gaudent. Brixiensis in Exod. *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* exponunt de desiderio visionis divinæ in cælis. Chald. vertit, quando ingrediar, et respiciam splendorem maiestatis Domini? Syr. clare, et videbo faciem tuam? id est, te præsentem et non amplius in ænigmate, neque per speculum, sed coram te intuebor.

Moral. Laudabilis est hæc impatientia animæ sanctæ Deum amantis, et præ amoris vehementia absentiam eius non ferentis. S. Hilarius in Psalm. 119. ait, charitatem eorum qui amant, impatientem esse debere. Hugo a S. Victor. cap. 15. in Psalmos: *Omnis mora,* inquit, *desideranti longa est.* S. Gregor. Nyssen. tract. 2. in Psalm. cap. 12. ait Davidem hic exclamare, quare tristis es anima mea, etc. quod exiguam dilationem, quæ bonorum cælestium communionem moratur, in damno ponat. Bellarm. Amor, ait, est igneæ naturæ, ac per hoc intus retineri non potest, sed per verba et suspiria foras erumpit. Buchananus, huc me raptat amor dulcis, et impotens ardor ferre moras. Hoc autem eo laudabilius fuit in Davide rege, quod in mediis opibus, honoribus atque deliciis difficile est mentem a terra abstrahere, et in cælum erigere, eiusque desiderio inflammari. Unde S. Chrysostom. id admirans ait: Τουτο μεγαλοψυχου τινος εστι διανοιας, τουτο φιλοσοφου ψυχης και προς τον ουρανιον επτερωμενης ερωτα: *Illud est animæ, quæ tenetur studio sapientiæ, et cælesti amore alata fertur.* Synesius Episcopus Ptolemaïdis, qui floruit circa annum 420. tempore Theodosii iunioris voluptatem vocat animæ fibulam, sed divinus amor omnia perrumpit, ut ad æternas delicias evolet. Eius verba sunt: *Deus* 22. *Sancta est impatientia quæ Dei visionem differri dolet.*

voluptatem animæ, fibulæ instar, inseruit: cuius beneficio diuturnam in corpore mansionem sustineret. Hanc abrumpit, qui maiora bona in cælo reposita contemplatur. Talis erat S. Augustin. qui Soliloq. cap. 34. *Gratias tibi ago lumen meum; ecce video, sed per speculum in ænigmate, sed quando facie ad faciem? Quando veniet dies lætitiæ et exultationis, in qua ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, ut videam videntem me facie ad faciem, et satietur desiderium meum? Quemadmodum desiderat cervus ad fontes, etc.* Paucis deinde interiectis subdit: *O quando veniam et apparebo ante faciem tuam? Putasne videbo diem illam, diem, inquam, iucunditatis et lætitiæ, diem quam fecit Dominus, ut exultemus et lætemur in ea? O dies præclara et pulchra! nesciens vesperum, non habens occasum, in qua audiam vocem laudis, vocem exultationis et confessionis, in qua audiam, Intra in gaudium Domini tui, intra in gaudium sempiternum, in domum Domini Dei tui, ubi sunt magna, et inscrutabilia, et mirabilia, quorum non est numerus. Intra in gaudium sine tristitia, quod continet æternam lætitiam, ubi erit omne bonum, et non erit aliquod malum: ubi erit quidquid voles, et non erit quidquid noles: ubi erit vita vitalis, dulcis et amabilis, semperque memorialis: ubi non erit hostis impugnans, nec illa illecebra, sed summa et certa securitas, secura tranquillitas, et tranquilla iucunditas, iucunda felicitas, felix æternitas, æterna beatitudo, et beata Trinitas, et Trinitatis unitas, et unitatis Deitas, et Deitatis beata visio, quæ est gaudium Domini Dei tui.* Deinde velut extra se raptus, et rerum omnium terrenarum tædio affectus exclamat: *O gaudium super gaudium, gaudium vincens omne gaudium, extra quod non est gaudium, quando intrabo in te, ut videam Deum meum qui habitat in te? Ibi et videbo visionem hanc grandem. Quid est quod me detinet? Heu me, quia incolatus meus prolongatus est: heu me, quamdiu dicetur mihi, Ubi est Deus tuus? Quamdiu dicetur mihi, expecta, reexpecta: Et nunc quæ est expectatio mea? Nonne Domine Deus meus? Salvatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratam corpori claritatis suæ. Expectamus Dominum, quando revertatur a nuptiis, ut inducat nos ad suas nuptias. Veni Domine, et noli tardare. Veni Domine Iesu Christe, veni visita nos in pace, veni et educ vinctos de carcere, ut lætemur coram te corde perfecto. Veni Salvator noster, veni desideratus cunctis gentibus, ostende faciem tuam, et salvi erimus. Veni lux mea, redemptor meus, educ de carcere animam meam, ad confitendum nomini sancto tuo. Quamdiu miser iactabor in fluctibus mortalitatis meæ, clamans ad te Domine, et non exaudis. Audi clamantem Domine de hoc mari magno, et adduc me ad portum felicitatis æternæ eorum, qui de periculo maris huius educti, ad te Deum portum tutissimum pervenire meruere. O vere felices qui de pelago ad littus, de exilio ad patriam, de carcere ad Palatium pervenerunt, optata iam quiete beati, qui bravium illud perpetuæ gloriæ, quod hic per multas tribulationes quæsierunt, iam felici iucunditate adepti, lætantur in perpetuum:* Ita Augustinus. Vide Ps. 119. 5. a me dicta in illud. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est,* et si talibus videndi Dei desideriis teneri cupis, ab omni te peccati macula custodi. Ut enim ait Euseb. Huiusmodi vocibus non utuntur, nisi omnino ab omni reprehensione et maculo, et omni angore conscientiæ purgati. Nam qui ob peccatum sordescit, fugit faciem Dei, supplexque precatur in oratione dicens, *Averte faciem tuam a peccatis meis.* Lege S. Ambrosium lib. de fuga sæculi cap. 19. tom. 1.

ARTICULUS II.

Lacrymæ iuges Deum videre desiderantis.

Viso procul fonte æternis e collibus desiliente, excitatoque desiderio illius aquas degustandi, Propheta noster abruptum iter cernens et ab hostibus impeditum, seque terrena mole degravari sentiens, totus in lacrymas

A defluit v. 4. FUERUNT MIHI LACRYMÆ MEÆ (Hebr. lacry- 23.
ma mea, quod dicitur, in fontem unum et continuum re- Vers. 4.
solvor) PANES DIE AC NOCTE: DUM DICITUR MIHI QUOTIDIE: UBI EST DEUS TUUS? Symmachus vertit, ὡς ἄρτος συντάξεώς μου, sicut panis constitutionis meæ, id est mihi constitutus, præfixus, et determinatus, quod dicitur, vix alio pane sustentor, mihi tantum placet flere, cum in memoriam redit Deus meus, a cuius aspectu nunc absum in misero exilio afflictatus. Lacrymæ sunt panes die ac nocte, hoc est toto vitæ tempore: vel certe, dum lucet prosperitas, et ærumnarum tenebræ caliginem inducunt. Nam nec pia mens delectationibus terrenis vult refici, nec deliciis cælestibus potest sine dolore privari. Hugo a S. Victore cap. 51. in Psalmos: *Flebo*, ait, *quia abest quod desidero: flebo, quia adest quod non amo. Non amo præsentem infelicitatem, desidero futuram beatitudinem. Irriguum superius, quia desiderat anima mea ad Deum fortem vivum: irriguum inferius, quia dicitur mihi, Ubi est Deus tuus?*

B Moral. nota. Vita hæc ad lacrymas damnata est. Psal. 24.
83. 7. vocatur vallis lacrymarum. Tertullianus lib. de anima, cap. 19. vitam lacrymabilem nuncupat. Plinius in l. 7. proœmio dubitat, natura parens melior homini, an tristior noverca fuerit. Causam assignat, quod cum omnia animalia ipsasque arbores vestiat, *hominem tantum nudum, et in nuda humo, natali die abiicit ad vagitus statim et ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lacrymas, et has statim vitæ principio. At hercule risus præcox ille et celerrimus, ante quadragesimum diem nulli datur.* Neque Rex noster ab hac communi lege immunis fuit, sed præterea multis calamitatibus exagitatus, a Saule, Absalone, Seba, aliisque impetitus varias flendi causas

Vita nostra est damnata ad lacrymas.

David varias ob causas flevit.

habuit. Unde Psal. 79. 6. ait. *Cibabis nos pane lacryma-* I.
rum, et potum dabis nobis in lacrymis in mensura? Se-
cundo, flevit miserias suorum. 1. Siceleg urbem expu- II.
gnatam et expilatam ab Amalecitis ex parte australi venientibus, atque combustam, et uxores suas Achinoam et C Abigail, atque uxores, filios et filias militum suorum in captivitatem duci, 1. Reg. 30. 4. Deinde Abneris, qui ipsi subiiciebat decem tribus, necem lacrymis prosecutus est, 2. Reg. 3. 31. Tum Amnonem primogenitum suum ab Absalone occisum, 2. Reg. 13. 36. Præterea Absalonem ipsum, tum rebellantem, cap. 15. v. 23. tum a Ioabo nepote Davidis, et duce exercitus tribus lanceæ ictibus confossum, cap. 18. v. 31. Tertio, flevit David peccata sua, III.
Ps. 118. 136. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Lacrymis per singulas noctes lectum lavabat, Ps. 6. 7. flevit filiolum infirmum, ex adulterio genitum, 2. Reg. 12. 21. Quarto, flevit Da- IV.
vid ut preces suas Deus audiret in variis occasionibus. Ps. 31. 13. *Auribus percipe lacrymas meas*, quæ scilicet instar torrentis fluunt, et strepitum edunt. Multas esse oportuit, ut audiri cadentes possent. Quinto denique, ac V.
præcipue, flebat desiderio felicitatis æternæ, et Dei videndi ac possidendi. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?* Deus D enim solus potest cor humanum implere: est formæ triquetræ, sola Trinitate impletur: mundus qui est orbicularis figuræ in eo semper aliquid vacui relinquit. Richardus in Ps. 18. *Quid est*, ait, *os interioris hominis, nisi desiderium cordis? sed hoc os omnes Ægypti deliciæ implere non possunt.* Os cordis semper dicit, Affer, affer donec habeat bonum, quod est super omne bonum, et sine quo nullum est bonum, et a quo sunt omnia bona. Hinc S. Paulinus Nolæ Episcopus Deo uni acquirendo intentus, bonis omnibus a Gothorum exercitu spoliatus, subinde repetebat: *Domine, ne excrucier propter aurum et argentum: Ubi enim sint omnia mea tu scis.* S. August. in Ps. nostr. omnes creaturas percurrit, earumque pulchritudinem, magnitudinem et præstantiam demiratur: verum in illis non vult consistere, sed in solo Deo: *Est*, inquit, *magna pulchritudo terrarum, sed habet artificem. Magna miracula sunt seminum atque gignentium, sed habent ista omnia creatorem. Ostendo magnitudinem circumfusi ma-*

ris, stupeo, miror, artificem quæro. Cælum suspicio, et pulchritudinem siderum, admiror splendorem solis, exercitio diei sufficientem, lunam nocturnas tenebras consolantem. Mira quidem laudanda, stupenda hæc esse non diffitetur, sed sapienter addit: *Nondum ibi stat sitis mea. Hæc miror, hæc laudo: sed eum qui fecit hæc, sitio.* Seipsum deinde contemplatur, et creatoris artificium suspicit, sed tandem ad ipsum creatorem revolat.

25. *Lacrymæ sunt panis animæ ob tres rationes.* Nota secundo, lacrymæ sunt cibus animæ. S. Bernardus serm. 30. in Cantic. ait, *lacrymas pœnitentium esse vinum Angelorum;* et serm. 68. deliciæ Angelorum lacrymæ meæ. Sunt præterea panis peccatorum et iustorum virorum, *fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.* Tres porro sunt huius panis proprietates; 1. est suavis; 2. impinguat; 3. vires dat.

I. *Ob suavitatem.* Primo enim, lacrymæ sponte fluentes et non extortæ, sed ad aspectum cælorum et Dei decidentes sunt melle, et nectare suaviores. S. Petr. Damian. Opusc. 13. de perfectione Monachorum cap. 12. *O lacrymæ,* ait, *deliciæ spirituales, super mel videlicet et favum, atque omni nectare dulciores, quæ mentes ad Deum certas iucunda saporis intimi suavitate reficitis, et arida ac tabescentia corda haustu supernæ gratiæ medullitus irrigatis.* Et vero terrenæ dapes extimam linguæ cutem oblectant, animæ autem viscera non permeant. *Sapor vero divinæ contemplationis omnia interiora nostra replet, vegetat, obdulcat.* Vel ipsæ lacrymæ a peccatore emissæ sunt suaves. Delent enim peccata et emundant animam. S. Chrysost. in Psal. 50. σπογγος εστι δακρυα, spongiæ instar sunt lacrymæ. Plora et peccata delaveris. Ita ipse. Incendia scelerum extinguunt. Idem sanctus Doctor homil. 4 de pœnitentia: *Rogos peccatorum*, ait, *non peccatis multis, sed parvis cum lacrymis extinguimus.* S. Eligius Novocomensis Episcopus, qui floruit circa annum 640. *Omnipotens Deus,* ait, *contritionem quærit, fletibus flectitur: lugentes lætificat, pœnitentibus præsto est. Magnus profectus est lacrymarum, plorando servus propitiatur Domino: filius lacrymis mitigat patrem, et asperam matrem plorans mulcet parvulus: ita ergo et peccator pro fusis fletibus removet iram Dei. Petrus namque trinam negationem lacrymis diluit*, etc. S. Ioannes Climacus grad. 7. lacrymas ipsi Baptismo præfert in hunc modum, μειζων βαπτισματος μεν το βαπτισμα η των δακρυων πηγη καθεστηκεν, post baptisma *potentior baptismate*, si ita fas loqui, fons est lacrymarum. Baptisma quippe tantum præteritas peccatorum sordes repurgat: Luctus autem noxas post Baptismum contractas diluit. Baptisma quo infantes tincti sumus, omnes postea inquinavimus: per fontem vero lacrymarum etiam Baptismum nitori suo restituimus: ita Climacus. Quis autem non gaudeat, cum se in oculis Dei mundum et purum esse videt? S. Augustinus vocat hic *panem suavem.*

II. *Ob impinguationem.* Secundo, lacrymarum panis animam impinguat et saginat. Scholiastes Græcus ad grad. 5. scalæ S. Ioan. Climaci, num. 11. Εισι τινα, inquit, των δακρυων καιοντα, και εισι δακρυα πιαινοντα: *Lacrymarum aliæ urunt corpus, aliæ saginant.* Illis sæpe corpus lædi experientia satis superque docet. Ταυτα δε εισι δακρυα προχεομενα εκ της συνεσεως α και ωραιζουσι, και πιαινουσι το σωμα: *Hæ vero proficiscuntur ex intelligentia, quibus efflorescit et pinguescit corpus, et sine vi sponte sua excidunt, et aspectum hominis immutant. Corde enim exhilarescente, vultus quoque serenatur.*

III. *Ob virium corroborationem.* Tertio denique, lacrymarum panis dat vires, ut iter ad cælum feliciter decurratur. S. Gregor. lib. 5. Moral. 7. *Luctu suo anima pascitur, cum ad superna gaudia flendo sublevatur, et intus quidem doloris sui gemitum tolerat, sed eo refectionis pabulum percipit, quo vis amoris lacrymas emittit. Unde eamdem vim lacrymarum adhuc Beatus Iob prosequitur, subdens: Et quasi inundantes aquæ, sic rugitus meus.* S. Laur. Iustin. tract. 13. de oratione cap. 9. lacrymas vocat cibum animarum, roborationem sensuum, et refectionem mentium: *Nemo,* ait, *ad Deum flens accessit, qui non, quod postulaverat, acceperit. O lacryma humilis, tua est potentia, tuum regnum, tribunal iudicis non vereris, amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis, non est qui te ad Deum accedere vetet. Si sola intras, vacua non redibis. Quid plura? Vincis invincibilem, ligas omnipotentem, inclinas filium Virginis, aperis cælum, fugas diabolum. Tu cibus animarum, roboratio sensuum, abolitio delictorum, vitiorum exterminium, virtutum prævia, gratiæ socia, refectio mentium, et lavacrum culparum, tu odor vitæ, sapor spiritus, gustus indulgentiæ, sanitas redeuntis innocentiæ, reconciliationis iucunditas, serenatæ conscientiæ suavitas, et electionis æternæ spes valida.*

Quæres, cur lacrymas panem vocat potius quam potum? 26. *Cur lacrymæ panis potius quam potus dicuntur.* Resp. cum S. August. Non dixit, Factæ sunt mihi lacrymæ meæ potus, ne ipsas desiderare videretur sicut fontes aquarum: sed servata illa siti qua rapior, servata illa siti qua inardesco ad fontes aquarum, panes mihi factæ sunt lacrymæ meæ, dum differor: et utique manducando lacrymas suas, sine dubio plus sitit ad fontes. Ita August. qui notat, quod cibum istum qui panis dicitur, die comedunt homines, nocte dormiunt: panis autem lacrymarum et die et nocte comeditur: sive totum tempus accipias diem et noctem: sive diem intelligas pro huius sæculi prosperitate, noctem vero pro huius sæculi adversitate. Nam huius sæculi prosperitas deceptoria est, fluxa, caduca, mortalis, temporalis, volatica, transitoria. Itaque plus habet deceptionis, quam delectationis. Unde etiam in ipsa fiunt lacrymæ panes. Siquidem et cum felicitas sæculi circumfulget, quamdiu sumus in corpore peregrinamur a Domino: et dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus?

ARTICULUS III.

Lætitia summa Deum videntis et possidentis.

Gaudia nonnunquam tristibus admiscet Deus, et quos procrastinatio in lacrymas solvit, spes consequendæ tandem beatitudinis consolatur. Id da sa David testatur, 27. *Vers. 5. 1. Pars.*
v. 5. HÆC RECORDATUS SUM, ET EFFUDI IN ME ANIMAM MEAM: QUONIAM TRANSIBO IN LOCUM TABERNACULI ADMIRABILIS, USQUE AD DOMUM DEI. *To hæc* ad tria referri potest: Primo, ad inimicorum opprobria, dicentium: *Ubi est Deus tuus:* ita Hesych. Secundo, ad *hæc recordatus sum*, nempe, sitire me Deum fortem vivum, et ad eum cervi instar anhelare. S. Augustin. vertit, hæc meditatus sum. Tertio, ad *quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis.*

Quæres, quid est, *effudi in me animam meam?* Resp. *Effundere animam tripliciter exponitur.* primo, sensum esse, quod dicitur, reduxi affectum et intellectum ad meipsum, revocavi ad me meditationes meas. Ita Caiet. q. d. Non passus sum animum extra se et foris vagari, sed eum in seipso retinui.

Secundo, *effudi in me animam meam*, quod dicitur die noctuque nulla me lugendi satietas capit, sed tamquam cibum lacrymas effundo, cum audio quæ mihi de te opprobria fuerunt. Nam me hostes derident, et providentiam curamque de me tuam tenuem et impotentem obiicientes, dicunt non posse eorum potentiam superare: idcirco hæc continenter mente versans, indefessum luctum habeo: ita Theodoretus.

Tertio denique, at melius, *effudi in me animam meam,* q. d. Effuse lætatus sum, effuse me exhilaravi: ita Genebrard. Ne his vocibus, aut quibusvis calamitatibus succumberem, ea frequenter mente revolvi quæ mihi promisisti, eorumque recordatione animam meam tribulationibus et dolore nimium angustatam et coarctatam, intra me effudi, dilatavi et relaxavi: ita Iansenius. Lætitia cor dilatat, et spiritus vitales per totum corpus diffundit, tristitia vero cor contrahit, atque arctat ob infrigidationem et defectum spirituum vitalium. Hugo a S. Victore c. 51. in Psalmos: *Sicut*, inquit, *angustia animum constringit, sic lætitia diffundit. Quisquis ergo in rebus transitoriis lætari appetit, extra se animam suam effundit. Qui vero terrena omnia vana esse considerat, securius in conscientia bona gaudium quærit, hic intra se animam suam effundit. Supra se autem anima effunditur, quando per contempla-*

tionis gaudium in amore conditoris dilatatur. Vide dicta Ps. 118. 32.

Nota, anima ferrea non liquefit nisi magno igne. Ierem. 6. 28. *Æs et ferrum universi corrupti sunt.* Sed anima aerea cito liquefit. Cant. 5. 6. *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.* Lapidea vero nunquam liquescit. Zachar. 7. 12. *Cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem:* ita Ugo Card. Lege de ea re Philippum Gerveum Cancellarium Parisiensem sermon. 89. integro in Psalmos.

28. Vers. 5. 2. Pars. Causam lætitiæ suæ magis aperit David, scilicet quod sciat se Deum quem sitit possessurum: QUONIAM TRANSIBO IN LOCUM TABERNACULI ADMIRABILIS, USQUE AD DOMUM DEI: IN VOCE EXULTATIONIS ET CONFESSIONIS SONUS EPULANTIS. Ubi tria habentur, 1. progressus sitientis Deum fontem; 2. locus, in quo Deus videbitur; 3. modus visionis et possessionis.

Mundus transiens est contemnendus. Ac primo, τὸ *transibo* indicat contemptum mundi et amorem cæli, q. d. Nolo manere in terra, nolo ibi habitare et sedem figere, sed volo ad ulteriora tendere. Ubi adverte, quod sancti terram in transitu tantum aspiciunt, eam calcant, et animo aversantur. S. Basil. 2. regula ex fusius disputatis: ὡς δεσμωτήριον, ait, τὴν ταύτην ζωὴν βαρυνόμενοι, *sancti vitam hanc, velut tetrum carcerem, abhorrebant.* Itaque transeundum inde est, neque in illo scelerum fœtore diutius hærendum. S. August. in Ps. 40. *Ne viator,* inquit, *tendens in patriam, stabulum amet pro domo sua.* Voluptas illectat, sed spernenda est: Latet anguis in herba. S. Gregor. hom. 14. in Evangelia: *Nulla nos*, ait, *prosperitas blandiens seducat: quia stultus viator est, qui in itinere amœna prata conspiciens, obliviscitur ire quo tendebat.*

29. Tabernaculum admirabile quodnam? Secundo, terminus transitus est admirabilis, et totam animam ad se rapit: *Transibo in locum tabernaculi admirabilis.* Quæres, quis ille locus? Resp. primo, Syr. tabernaculum illud esse Dei protectionem deducentem ad Dei domum. Vertit enim: Transibo sub protectione tua forti usque ad domum Dei. Chald. quoque habet: Transibo sub umbraculo, solus roborabor in castris iustorum, *usque ad domum sanctuarii Domini.*

1\.

2\. Secundo, Genebrardus ait locum tabernaculi admirabilis esse Ierusalem, in qua erat tabernaculum Dei admirabile, miri operis et mysterii, quoniam in eo opera Dei admiranda recolebantur, et ita erat extructum ut cælum referret.

3\. Tertio, Agellius, *locum tabernaculi admirabilis*, putat esse locum quemdam in templo, nempe partem templi exteriorem ad considendum exædificatam, porticibus tectam vel ramis, frondibusve: quod in historia regum lib. 4. 18. retenta voce Hebr. מוסך *musach*, vocat musach sabbati: ibidem vero 70. nuncupant θεμέλιον τῆς καθέδρας, fundamentum, seu basim cathedræ, quasi legerint *musad,* non *musac*: admirabilem porro dici eum locum, quod admirabili opere constructus esset, unde usque ad domum Dei transitus fieret. Arbitror ego *musach sabbati*, esse tentorium splendido conopæo tectum, in quo rex considebat in sabbatis atque festis, quod erat iuxta atrium sacerdotum honoratissimo loco, non tamen intra illud, sed in atrio laicorum mundorum, ut e propinquo videret sacrificia oblata in altari holocaustorum, atque perciperet hymnos decantatos a Sacerdotibus et Levitis in atrio suo. In atrium enim Sacerdotum seu Levitarum nemini patebat aditus, ne regi quidem, sed solis Levitis et sacerdotibus. David igitur hic dicit sperare se iterum in templo seu tabernaculo a se extructo in monte Sion oraturum, et quidem in loco suo regio.

4\. Quarto, *locum tabernaculi admirabilis*, putat Euthymius esse celeberrimum templum Salomonis: domum vero Dei, esse adyta ipsius templi.

5\. et optime. Quinto denique, et optime, *locum tabernaculi admirabilis* intellige cælestem Ierusalem, quæ est tabernaculum non manufactum, æternum in cælo, ubi est domus Dei, de qua dixit Ps. 26. 4. *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* S. Hieron. ex Hebr. vertit tacebo, pro eo quod nos habemus admirabilis. Sed Septuag. interpretes non legerunt אדדם *edaddem,* ut

A nunc habetur in codicibus hebraicis, quod significat *tacebo*, sed legerunt אדרת *addereth*, quod significat *admirabilis*, et differentia solum est in duabus litteris similibus, ut ex figura characterum intelligi potest. Facile autem fuit librariis mutare duas litteras in alias similes: et credendum est Septuag. interpretes habuisse codices Hebraicos meliores, quam nos habemus. Alioqui non potuissent vertere *admirabilis*, pro silebo, nisi imperitissimi fuissent: ita Bellarm. Tropolog. nota, silendum esse cum templa petis oraturus, et in illis moraris. S. Hieron. reddit: *Veniam ad umbraculum, tacebo usque ad domum Dei in voce laudis et confessionis multitudinis festa celebrantis.* Verere oculos multitudinis, et ne impedias musicam, ne vox tua discordet ab iis qui Deum laudant: alioqui de domo Dei forum et cauponam facies.

Ad locum illum admirabilis tabernaculi, id est cæli, aspirabat David, cum dicebat Ps. 83. 1. *Quam dilecta* (Pe- 30. Ad cælum suspirabat David.
tav. ἐράσμια, amabilia) *tabernacula tua Domine virtutum* (Pet. ἀρχὲ μὲν ἀναριθμῶν στρατιῶν, dux innumerabilium exer-
B citum) *concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.* Eorum typus erant tentoria et tabernacula exercitus populi Israelitici, de quibus Balaam (quem Eugubinus putat fuisse Prophetam Dei, sicut Sibyllas et Mercurium Trismegistum, licet inter gentiles versarentur. Alii aliter censent) ait Num. 24. 5. *Quam pulchra tabernacula tua Iacob, et tentoria tua Israel, ut valles nemorosæ, ut horti iuxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas.* Plato hæc cælestia tabernacula piis viris destinari agnovit. Constantinus Magnus in oratione ad sanctorum cœtum, cap. 9. eius verba miratur, quibus eos qui pie hic vixerint felices fore declarat: talia autem sunt: *Illis qui integre inviolateque vitam traduxerint, postquam e custodia corporis emigraverunt,* ἐν καλλίστοις οὐρανοῦ καθιδρύσθαι, *domicilia in pulcherrimis cæli locis consecrata esse.* S. August. ad ea suspirans lib. de Spiritu et anima (aut potius alius auctor Augustino recentior; nam c. 37. citat Boetium, qui floruit circa annum 520. id est centum
C circiter annis post Augustinum) cap. 62. ait: *O civitas sancta, civitas speciosa, de longinquo te saluto, ad te clamo, te requiro. Desidero enim videre te, et requiescere in te, sed non sinor carne retentus.* Ieremias Propheta locum illum cælestem summis votis esse exoptandum docet. Sic enim cap. 3. 19. *Tribuam tibi terram desiderabilem* (Hebr. terram desiderii. Chald. terram lætitiæ. Septuag. ἐκλεκτήν, electam. Pagninus concupiscibilem) *hæreditatem præclaram.* S. Thomas ait hæreditatem patriæ cælestis esse præclaram propter sex, 1. ob splendorem divinæ visionis. Psal. 35. 10. *In lumine tuo videbimus lumen;* 2. ob dulcedinem divini amoris. Psal. 22. 5. *Calix meus inebrians quam præclarus est;* 3. ob familiaritatem divinæ allocutionis. Sap. 8. 18. *Præclaritas in communicatione sermonum ipsius;* 4. ob magnificentiam operationis. Eccl. 43. 27. *Illic præclara opera et mirabilia:* 5. ob magnitudinem exultationis. Zachar. 8. 13. *Salvabo vos, et eritis benedictio;* 6. denique ob solatium societatis. Ezech. 31. 9. *Æmulata sunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant in*
D *Paradiso Dei*, etc.

Tertio denique, modus transitus et mansionis in illo 31. Vers. 5. 3. Pars.
cælesti termino, est suavissimus, v. eod. 5. IN VOCE EXULTATIONIS (Syr. Arabs, Aquila, laudis) ET CONFESSIONIS (Aquila, εὐχαριστίας, id est gratiarum actionis) SONUS EPULANTIS, supple, erit, quod dicitur, tanta et tam suaviter exultante voce transiens in cælum, te laudabo, quanta solent uti, qui festa solemnia celebrant, et in iis epulantur, atque post epulas chorum agunt saltando, et contentis vocibus cantando. Nota, pro *sonus epulantis*, S. Aug. habet In cælo est sonus epulantium, et qualis?
in genitivo, *soni festivitatem celebrantis:* unde Bellarmin. ait fieri posse, ut noster Interpres posuerit *sonus* pro *sonitus*, genitivi casus. Iansenius opinatur idem, sed hoc non est necessarium, ut patet. Græce est ἤχου ἑορτάζοντος, id est *soni festivi.* Hebr. חוגג *choghegh*, id est, tripudiantis, ut Flamin. et Felix vertunt; festa celebrantis, ut S. Hieron. Hinc Campens. evertit, proficiscar cum illis usque in domum Dei, tali cum gaudio, quali festus dies ce-

lebrari solet. S. Hieron. epist. 140. Psalt. Arab. et Æthiopicum habent, *sonitus festa celebrantium*, ut numerus pluralis maiorem sonum denotet. Noster Interpres declarare voluit quale et quam solemne iucundum sit futurum illud festum cæleste, cum vertit *epulantis;* quod dicitur, erit ibi festum convivii solemnis, quale est nuptiale, in quo multa adhibentur instrumenta musica, et cantica amatoria. Vel potius, alludit ad festa solemnia, in quibus post sacrificia in citharis, tubis, psalterio et organo celebrari solita, fiebant festivæ epulæ in ipso atrio tabernaculi, sicut cum Salomon templum dedicavit, et mactavit hostias pacificas, boum viginti duo millia, et ovium centum viginti millia. Pars cedebat Deo, pars sacerdoti, pars offerenti; Salomon autem dedit suam partem populo, faciens festivitatem celebrem coram Domino, septem diebus pro dedicatione templi, et septem diebus pro festo tabernaculorum, id est quatuordecim diebus. Ascensionis animæ sanctæ in cælum, et exultantis, atque festum agentis cum epulo figura est arcæ deductio in montem Sion, et Davidis ipsius exultatio, et symphonia, 2. Reg. 6. ubi v. 19. additur: *Partitus est David universæ multitudini Israel, tam viro quam mulieri, singulis collyridam panis unam*, id est, tortam panis, cui dulciaria erant mista, *assaturam bubulæ*, id est bovinæ, *carnis unam et similam frixam oleo*. R. Salomon, et R. Levi Levit. 23. notant solemnitates, præter diem expiationis, sanctificatas fuisse *bitphilla*, id est in oratione; 2. *miste*, id est convivio; 3. *kesuth, nekiia*, id est vestitu puro, et mundo; quibus αγαπαι, nostrorum in Ecclesia primitiva videntur correspondisse.

32. Triplex vox hic ponitur. Nota, triplex vox hic ostenditur, 1. vox exultationis; 2. vox confessionis; 3. vox epulantis.

I. Exultationis. Ac primo dicitur, *in voce exultationis*, cum scilicet exilit anima e corporis carcere liberata, et vinculis soluta vocem Dei audit, dicentis Matthæi cap. 25. v. 21. *Intra in gaudium Domini tui*. Tunc ipsa iucundum reddit echo, et cantat cum Davide, Ps. 15. 11. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo*. Vide ibi dicta. Hebr. est saturitas lætitiarum est cum vultu tuo. Syr. satiabor iucunditate vultus tui. Quo propius ad cælum accedit, eo vox exultationis auditur maior et suavior, et ipsa in maiorem admirationem et lætitiam abrepta fortius exclamat. Nam, ut ait David Ps. 106. 117. *Vox exultationis* (Arabs, glorificationis. Syr. gloriæ) *et salutis in tabernaculis iustorum*. Cum vero in ipsum cælum ventum fuerit, tunc lætitia illa explicari voce non poterit. Psal. 125. 1. *Facti sumus sicut consolati*, Hebr. sicut somniantes, quod dicitur, vix credidimus iis, quæ videbamus, et obstupefacti hærebamus, cum iubilo Deum laudantes, extra nos abrepti. Sincera et defæcata est hæc lætitia nullis permista doloribus. S. Gregorius Nyssenus orat. de mortuis: *Animi deliciæ*, ait, *non sunt graves, nec fruentium desiderio ullam unquam afferunt satietatem*.

Sancti lætantur in messe cælesti. Sancti in his terris ingemiscunt, et laborant in semento facienda, ibi lætantur in messe: hic in prælio sudant, ibi in victoria triumphant, et coronantur. Isa. cap. 61. v. 3. *Ut darem eis*, פאר *peer, coronam* (Pagn. gloriam) *pro* אפר *epher, cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris*. Hinc S. Ambros. lib. 8. epist. 59. scribens ad quosdam Sacerdotes, et ad omnem clerum Thessalonicensium de vita, virtutibus, et morte sancti viri Acholii, sic ait: *Abiit ergo, non obiit, et emigravit a nobis veteranus Christi Iesu cælo terræque istius solum mutans, et plaudens alis atque remigiis spiritualibus, dicit: Ecce elongavi fugiens. Est iam superiorum incola, possessor civitatis æternæ illius Ierusalem, quæ in cælo est. Vidit illic urbis eius mensuram immensam, purum aurum, lapidem pretiosum, lumen sine sole perpetuum, etc.*

Et in ipsa morte. In ipso transitu lætantur sancti. S. Gregor. Nazianz. orat. 11. agens de S. Gorgonia sorore sua: Πανηγυρικως, ait, ημεραν ποιησαμενη την τελευταιαν, κοιμαται: *Cum diem extremum, festum diem egisset, ita demum obdormiscit, plena non humanorum dierum, quos ne ipsa quidem exoptabat*, utpote quos sibi malos, και πολλα μετα του χοος και της πλανης, *et ut plurimum cum pulverea mole atque impostura coniunctos esse non ignoraret, sed dierum secundum Deum ita plena*, etc. Deinde subdit: *Sic illa solvitur, aut, ut melius loquar, assumitur, aut avolat, aut transmigrat, aut paulum ante corpus abscedit*. Sæpe comitantibus Angelis, et suavi concentu aerem complentibus; visi sunt viri iusti cælum scandere, ut S. Martin. Turon. Episcop. a S. Severino Episcop. Colon. Vide dicta Ps. 115. 15.

Secundo, vox confessionis est vox laudis et gratiarum actionis. Unde Aquila vertit, εν φωνη ευχαριστιας. Dionys. Carthus. et Ugo Cardin. censent vocem exultationis esse de beneficiis Dei, vocem vero confessionis esse de propriis peccatis. Sed hic sensus est accommodatitius. Secundo, melius iidem, et S. Hier. ac S. Thom. putant intelligi voces et cantiones in templum intrantium. Tertio et melius, S. August. ait hic sumi voces Deum laudantium in cælo. Verba eius sunt: *Festa cum hic homines celebrant suæ luxuriæ, consuetudinem habent constituere organa ante domos suas, aut ponere symphoniam, vel quæcumque musica ad luxuriam servientia, et illicientia, et ubi audita fuerint hæc, quid dicimus qui transimus? Quid hic agitur? Et respondetur nobis aliqua esse festa. Natalitia, inquit, celebrant, nuptiæ hic sunt: ut non videantur inepta illa cantica, sed excusatur festivitate luxuria. In domo Dei festivitas sempiterna est. Non enim aliquid ibi celebratur et transit. Festum sempiternum, chorus Angelorum, vultus præsens Dei, lætitia sine defectu. Et dies illic festus ita est, ut nec aperiatur initio, nec fine claudatur. De illa æterna et perpetua festivitate sonat nescio quid canorum et dulce auribus cordis, sed si non perstrepat mundus*. Pythagoras dicebat in cælis etiam materialibus esse suavissimam harmoniam, sed non audiri hic ob mundi strepitum et tumultum. 33. II. Vox confessionis, id est laudis est in cælo.

Tertio denique, vox sive sonus epulantium auditur in cælo. Ibi datur nectar et ambrosia sanctis a Deo ipso. Primo, ibi est cibus. Isaiæ 65. 13. *Servi mei comedent, et vos esurietis*. Apoc. 3. 20. *Ecce sto ad ostium et pulso: si quis aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum*. Ubi Rupert. Cœnabo tecum, ait, delectabor bonis conscientiæ tuæ: postea vero et tu cœnabis mecum: id est, post mortem in cælo æternis bonis, et deliciis meis perfrueris. Apoc. 22. 2. fit mentio ligni vitæ, quod affert fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum. Illud lignum, seu arbor vitæ est visio beatifica, ut recte ait Alcazar. Non est etiam improbabile, ut ait Cornel. fore in Paradiso res floridas, odoriferas, amœnas, quæ visum, odoratum, aliosque sensus pascant, et mira voluptate perfundant. S. Anselm. lib. de similitudinibus, cap. 57. *Oculi*, ait, *aures, nares, os, manus, guttur, iecur, pulmo, ossa, medullæ, etc. beatorum, mirabili delectationis, et dulcedinis sensu replebuntur*. Idem asserit S. Laurent. Iust. de discipl. monast. conv. cap. 23. Idem liquet ex visione quam refert S. Gregor. lib. 4. dial. cap. 36. Erunt enim beati in cælo empyreo, quasi in æthere suavissimo et felicissimo, quem proinde instar aeris nostri findi et scindi posse (ne beati in eo quasi in muro compacti sint) docet S. Thom. in 2 distinctione 2. q. 2. art. 2. Richard. in 4. dist. 49. q. 3. art. 4. imo S. Basil. S. Ambr. S. Ioann. Damascen. Sebastian. Barrad. tom. 3. lib. 20. cap. 3. et alii. Denique omnes sensus beatorum proprias et mirificas voluptates, et sua obiectamenta, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, in cælo habituros docent S. Thom. Scot. Sot. Henr. Maior et alii, quos citant et sequuntur Suar. 3. p. t. 2. disp. 47. sect. ult. et Ioan. Salas 12. q. 5. art. 5. tract. 2. disp. 14. sect. 14. Hoc est quod Psaltes suspirabat: *Credo videre bona Domini in terra viventium*. Quocirca fluvius a S. Ioanne in cælo visus, arbores et poma ad litteram ut sonant, accipi possunt. Quid enim obstat? nam si his in Paradiso terrestri fruitus est Adam, multo magis iisdem fruentur beati in Paradiso cælesti: huius enim specimen et imago fuit terrestris. Quocirca veras et naturales aquas esse supra cælos, ex Mose, S. Basil. S. Ambros. S. Chrysost. S. Hilar. S. August. et aliis, docui Ge- 34. III. Vox epulantis. An fructus materiales, et instrumenta musica sint in cælo.

nes. 1. 6. Sed per hæc mystice, et symbolice dotes beatificæ, ac bonorum et gaudiorum affluentia significatur et repræsentatur: ita Cornelius. Vide a me dicta Ps. 16. 15. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

Secundo, in cælo erit potus. Apoc. 21. 6. *Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis.* Ribera dicit sitientes vocari iustos, qui nihil nisi Deum cupiunt, idque vehementer et ardenter instar sitientium, atque eo frui in hac vita non possunt, ideoque semper eum sitiunt: qualis erat David Ps. 41. dicens: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Vide dicta Ps. 35. 9. in illud: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.* S. Gregor. Nyssen. orat. 4. de beatitudin. Qui, ait, Dominum gustavit, expletur eo quod et sitivit, et esurivit, iuxta promissionem eius qui dixit Ioann. 4. 23. Ego et Pater veniemus, et mansionem apud eum faciemus, videlicet Spiritu sancto prius inhabitante.

35. *Deliciæ terrenæ sunt contemnendæ.* Concludamus ad illa æterna gaudia aspirandum esse, quod fiet si terrenas et fallaces voluptates fugerimus. S. August. in Psalm. nostr. De illa et perpetua festivitate, inquit, sonat nescio quid canorum et dulce auribus cordis: sed si non perstrepat mundus. Hugo a S. Victore, cap. 33. in Psalmos, illud Psal. 24. anima eius in bonis demorabitur, expendens, sic ait: *Quidquid carnaliter dulce est, suæ quidem delectationis experientiam fruentibus præstat: sed diu cum eis morari non potest; quia dum gustu appetitum provocat, transitu desiderium fraudat. Spirituales autem deliciæ, quæ nec gustatæ transeunt, nec reficientes decrescunt, nec satiantes tædium pariunt, diu cum fruentibus permanere possunt.* Philo lib. quod deterius potiori insidiari soleat: *In solis, ait, animæ bonis pura et minime adulterina invenitur lætitia.* Isaac presbyter lib. 1. de mundi contemptu: *Charitas, ait, sufficiens est nutrire hominem pro cibo et potu, hoc est vinum quod lætificat cor hominis.* Contra vero deliciæ terrenæ venena sunt et mors. S. Laurent. Iust. lib. de Ligno vitæ cap. 1. Omnes, ait, mundi promissiones seductoriæ sunt, omnes blanditiæ, venena cuncta delectationis pocula mortalia, vitæque illius sempiterna mors. Richard. a S. Victor. tract. 1. de statu interior. hominis, cap. 10. Omnia, inquit, flumina in mare feruntur, et omnis aqua dulcis in amaram mutatur, quia oblectamentum in fastidium vertitur, et omnis delectatio carnis in amaritudine terminatur. S. August. in Psal. 95. illud Isaiæ 48. 22. *Non est pax impiis,* quod Septuag. verterunt, ουκ ἐστι χαίρειν τοῖς ἀσεβέσι, non est gaudere impiis, considerans dicit: Ubique videbat Isaias homines in potatione, in luxuria, in theatris, et in spectaculis, totum mundum luxuriari variis nugis, et tamen clamabat: Non est gaudere impiis, dicit Dominus. Si hoc non est gaudere, quale gaudium videbat, in cuius comparatione hoc non erat gaudium? *Tamquam si tu nosses solem, et alicui laudanti lucernam diceres, non est ista lux: aut si quis simiam miraretur, diceres, non est ista pulchritudo:* ita S. Augustinus. Oculos itaque in cælum tollamus, fontes divinos et æternos contemplemur, illos sitiamus spretis mundi lacunis, ad eos curramus quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, solum Deum desideret anima nostra, in quo reperiet omnia creaturarum bona, et alia infinita.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

36. *Tria proponit David. Primo, afflictiones internas tristitiæ et perturbationum animi; remedium quoque profert, spem in Deum, vers. 6. Secundo, proponit afflictiones a Deo aut permissas, aut immissas: et remedium idem, nempe spem in Deum, vers. 8. Tertio denique, afflictiones extrinsecas ab hominibus illatas: et remedium eiusdem spei in Deum, vers. 10.*

PARAPHRASIS.

6. *Quare tristis es anima mea? et quare conturbas me?*

6. Cum tanta te post hanc vitam maneant gaudia, quid anima vano mœrore contabescis, et alacriter ad Deum pergentem me interturbas.

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei,

Inanes hos dolores excute, spem omnem in Deum conilce: veniet aliquando tempus, cum illum præsens laudabo, eique gratias agam post tot vitatos scopulos syrtesque superatas. Ille lumen est salutare intellectus mei, quo illustratus, facie ad faciem intuebor infinitam et omnibus exundantem bonis divinam essentiam.

7. *Et Deus meus.*

7. Ille unus est Deus meus, quem solum venerabor.

Ad meipsum anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra Iordanis, et Hermoniim a monte modico.

Equidem variis ac vehementibus perturbationum fluctibus anima mea intus tunditur: ideo extra me contemplatione abreptus ad te Domine animam meam erigam, et cælesti tua in aula condam, quamdiu hic exul circa Iordanis flucnta, et exigui montis Hermonii cautes oberrabo.

8. *Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum.*

8. Calamitatibus subinde variis obruor, alia ex alia subnascente, meque omnem in partem versante: sicut horribili cum fragore per abrupta rupium iuga in planum torrentes proruunt, atque omnia late sata convolvunt et atterunt.

Omnia excelsa tua, et fluctus tui super me transierunt.

Nec velut in latus meum procella incumbit, sed ex alto præcipitata in caput meum devolvitur, immensisque aquarum nimbis iussu tuo labentibus ita immergit, ut extare non possit.

9. *In die mandavit Dominus misericordiam suam: et nocte canticum eius.*

9. Cum dies felicitatis affulsit, comitem mihi misericordiam tuam ac benignitatem adiunxisti, ut licet plagas commerito omnia ex voto fluerent: nocturnis vero tenebris obsepto tantum animi viriumque indidisti, ut laudes tuas vel in densa caligine atque horrore calamitatis concinerem.

Apud me oratio Deo vitæ meæ.

Etsi me humanum omne solatium deficiat, tamen in sinu meo conclusam orationem, qua ad te Deum vitæ meæ auctorem evolem, continebo.

10. *Dicam Deo: Susceptor meus es.*

10. Hanc ego orationem emittam, ut tutorem te ac patronum, firmissimumque mihi propugnaculum assumam.

Quare oblitus es mei? et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

Cur ita me deseris, quasi oblitus mei videaris? cur mediis in fluctibus mœrore consumor, cum naufragus nullum salutis portum intuear, dum cæco raptatum turbine hostis meus in cæca compingit vada?

11. *Dum confringuntur os-*

11. Cum propemodum omnibus animi corporisque viribus destituor, ita ut tem-

*

sa mea, exprobraverunt mihi qui tribulant me inimici mei.
Dum dicunt mihi per singulos dies: Ubi est Deus tuus?

pestatis vim ferre non possim, tunc cachinnis, probrosisque verbis afflicto insultant hostes mei, qui in hanc me calamitatem coniecerunt.

Et diu noctuque tristem auribus meis næniam insusurrant. Quo se recepit Deus tuus? quo in palatio tui oblitus versatur, quem tibi tu perennem adiutorem futurum clamitabas?

12. *Quare tristis es anima mea? et quare conturbas me?*
Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.

12. Quid mœroris tibi hæ voces, o anima, ingenerant? quid frustra concussum me atque agitatum emoves ac perturbas?

Neglectis hominum ludibriis, fiduciam tuam in uno Deo defige. Tandem enim ab his exemptus incommodis, omnique solutus cura, gratias illi agam, et debitas laudes rependam. Ille est salus mea, visione sua me beans, et Deus meus, cui vitam omniaque debeo, quemque mihi unum cæteris calcatis in præmium deposco.

QUÆSTIO UNICA

Quanta vis spei in Deum ad superandas omnes afflictiones, sive internas, sive externas.

Prima sectione David oculos in cælum, velut in portum optatum, erigens, et longe distantem videns, lacrymas emittit; deinde spem ad illum tandem perveniendi excitans, lætitiam concipit. In hac secunda, tempestate se iactari considerans varios fluctus enumerat, quibus tunditur, atque in omnes unicum spei in Deum remedium proponit.

Varii animæ fluctus.

Ac primo, dicit se agitatum fuisse internis tristitiæ motibus, v. 6. *Quare tristis es anima mea?* et aliarum mentis perturbationum: *Et quare conturbas me?* Remedium ait esse spem in Deum. Est enim firma anchora: *Spera in Deo.* Laus Dei et charitas est velum: *Quoniam adhuc confitebor illi.* Deus, navis gubernator: *Salutare vultus mei*, v. 7. *Et Deus meus.* Memoria Dei est ventus ad portum impellens: *Ad meipsum anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra Iordanis et Hermoniim a monte modico.*

Secundo, infernos fluctus exponit, iteratas scilicet dæmonis tentationes, v. 8. *Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum.*

Tertio, supernos fluctus aperit decurrentes nempe ex alto, et ab ipso Deo immissas clades: *Omnia excelsa tua, et fluctus tui super me transierunt.* Remedium profert spem in Deum ad utramque afflictionem; sive a Deo permissam, dæmone tentante: sive positive immissam, variis aliis cladibus intercurrentibus. Hæc autem spes, misericordia Dei proposita, 1. mentem recreat, vers. 9. *In die mandavit Dominus misericordiam suam: et nocte canticum eius:* 2. ad orationem fundendam impellit: *Apud me oratio Deo vitæ meæ,* 3. perfectam fiduciam ingenerat, v. 10. *Dicam Deo: Susceptor meus es tu.*

Quarto denique, collaterales fluctus circa nos, sunt adversantium hominum insultus, qui ventorum instar, moles aquarum undequaque agglomerant: *Quare oblitus es mei? et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?* Venti illi sæpe nos ad calamitatum scopulos allidunt, unde additur, v. 11. *Dum confringuntur ossa mea.* Hinc triste naufragium, et irrisio hostium: *Exprobraverunt mihi qui tribulant me inimici mei.* Cum a portu me exclusum credunt: *Dum dicunt mihi per singulos dies: Ubi est Deus tuus?*

Remedium idem proponit, spem scilicet in Deum, quæ tristitiam omnem eliminet, v. 12. *Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me?* Sed quomodo id fieri possit, subiicit, nempe sperando in Deum: *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.*

ARTICULUS I.

Internos tristitiæ et aliarum passionum fluctus spes in Deum compescit.

Tempestatem, qua iactatus est, descripturus David a molestissimis et periculosissimis fluctibus incipit: illis nempe, quos nobiscum semper circumferimus, quique in corpore nostro et animo tumultuantur.

Ac primo, tristitiæ commotionem ponit, quæ mentem absumit, et undis agitati maris perviam facit, v. 6. Quare tristis es anima mea? et quare conturbas me? 37.

Vers. 6. 1. Pars.

Nota, pro *tristis es,* Hebr. est תשתוחחי *thistochachi*, id est, te deiicis, teipsam deprimis et incurvas. Est enim in Hithpael, quæ coniugatio significat actionem eiusdem in se ipsum. S. Hieron. quare incurvaris? Pagnin. cur humiliasti te. Felix, cur deprimeris. Rad. שחה *sciacha*, cum scin in dextro cornu significat humiliari, incurvari, prosterni, deorsum inflecti, deiici. Hinc Gallicum *choir.* שחה *sacha* vero cum sin in cornu sinistro significat, natare. Tristitia est fluctus deiiciens et prosternens. Silius lib. 8. vocat undantes dolores. Catullus, magnis, ait, curarum fluctuat undis. Statius lib. 5. Thebaidos, vario sic turbidus æstu angitur. Ammian. lib. 15. in æstu mentis ancipiti. Chald. *quare* תתמככין *tithmacchechin, consterneris?* Rad. *mecach*, deprimi, submitti, humiliari, prosterni, conteri. Syr. *quare* מתהרפתי *metharapti*, id est contundis teipsam, turbaris, et stupore defigeris. Rad. *teraph*, allidi, contundi, abripi, auferri, stupore percelli, conturbari. Hæc omnia facit tristitia, quam Menander vocat μεγιστον κακον, maximum malum, et πολλων αιτιαν κακων, multorum malorum causam. Secundo, Philemon Poeta dicit per tristitiam duplo maiora fieri, quam revera sint mala. Tertio, Antiphanes vocat eam morbum, et μανιας μετοχον, maniæ seu insaniæ vicinam. Cleanetus Poeta, qui scripsit Argonautica, dicit, quod per tristitiam, μανια γινεται, fit insania et furor. Alexis Poeta, λυπη, ait, μανιας κοινωνιαν εχει τινα, tristitia aliquam habet cum insania affinitatem. Et vero nonne insanus esset nauta, qui ventos excitaret quibus submergeretur, et fluctus agitaret, quibus hauriretur? id facit tristis seipsum conturbans et deiiciens, navemque animæ in fluctus sponte immergens. Quarto, Auctor Eccl. 25 17. tristitiam nuncupat summam plagam: *Omnis plaga* (Tigurina, summa plaga) *tristitia cordis est.* Quinto, est causa mortis. Eccli. 30. 25. *Multos occidit tristitia, et non est utilitas in ea.* Sexto, occidit lenta morte et molesta. Prov. 17. 22. *Spiritus tristis exsiccat ossa.* Septimo, cor veluti navem, exedit atque consumit, unde aquis tribulationum impletum mergitur, est vermis arrodens. Prov. 25. 20. *Sicut tinea vestimento, et vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi.* S. Antioch. hom. 25. *Tristitia est vermis cordis, suammet exedens matrem, instar viperæ.* Octavo denique, tristitia est tempestas, quæ semel excitata sopiri vix potest, quin mentem absorbeat et perdat. S. Chrys. epist. 3. ad Olympiadem: η αθυμια, ait, ψυχων εστι βασανιστηριον χαλεπον, οδυνη τις αρρητος, και δικη δικης απασης, και τιμωριας πικροτερα: *Mœror grave animorum tormentum est, dolor omnem vim sermonis excedens, ac supplicium omni supplicio et cruciatu acerbius. Siquidem pestiferum vermem imitatur, non carnem dumtaxat, sed etiam animam perstringens. Ac tinea est non ossium tantum, sed etiam mentis,* και δημιος διηνεκης, *et perpetuus carnifex, non latus fodiens, verum vires animi labefactans, et perpetua nox, ac terræ tenebræ: et tempestas, et turbo ac procellæ, et obscura febris, quavis febre vehementius exurens, et bellum induciarum expers, et morbus rerum earum, quæ oculis cernuntur, prospectum magna ex parte impediens.* Ait deinde, noctem tristitiæ tenebris omnibus funestiorem esse, illam quovis tyranno crudeliorem, animamque quam occupavit, αδαμαντος στερροτερον, adamante fortius retinere. Et epist. 2. ad eamdem Olympiadem, hanc tristitiæ tempestatem docet a dæmone exci-

38. Tristitia est fluctus gravissimus.

Est insaniæ proxima.

Omnis plaga.

Vermis corrodens.

Animi grave tormentum.

lari, additque, περιττον, και ματαιον, και προς τουτοις σατανικον, και ψυχη ολεθριον, *supervacuum, et vanum est, imo satanicum atque exitiosum, pro alienis sceleribus animo frangi ac debilitari.* Imo pro peccatis etiam propriis immoderatus luctus a dæmone est, ut idem sanctus Pater docet: εστι σατανικον το αμετρως αλγειν, και της εκεινου παγιδος εργον, το σωτηριον φαρμακον τη αμετρια ποιουντος δηλητηριον: *Satanæ instinctum redolet, laqueique ipsius opus est, immodico dolore affici, ut qui scilicet salutare pharmacum, per immoderationem in venenum convertat. Nam in venenum degenerat, atque hominem satanæ tradit, cum modum excesserit.* Hoc a S. Paulo sumpsit 2. Cor. 2. 7. ubi veluti voraginem quamdam et Charybdim, Scyllamve, tristitiam proponit, cum agens de incestuoso quem excommunicaverat, et quem contritum absolvi iubet, ait: *Et consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui eiusmodi est.* Illa nimia tristitia absorbens contristat Spiritum sanctum, ut ait S. Athanas. Contra vero, Spiritus sanctus in anima læta sibi complacet, hilarem enim datorem diligit Deus. S. Bonaventura in Spec. discipl. part. 1. cap. 3. Maximum, inquit, inhabitantis gratiæ signum, est lætitia spiritualis. Synesius lib. de insomn. animam curis et mœrore vacuam in portu constituit, σχολαζουσαν του κατακλυσμου των αγοραιων αισθησεων, vacantem forensium curarum diluvio. Cassian. lib. 9. de institut. ait animam tristitiæ edacissimis morsibus devoratam esse inutilem vestimento Pontificali, quod unguentum Spiritus sancti de cælo descendens sancti David vaticinio suscipere perhibetur.

A dæmone immititur.

39. Lætitia est signum gratiæ in anima habitantis.

40\. Secundo, in tempestate mentis sunt fluctus variarum passionum, v. 6. Et quare conturbas me? 1. per tristitiam; 2. per alias perturbationes animi: nempe per iram, desperationem, odium, desiderium, etc. Hebr. תהמי *teemi*, id est, sonabis, perstrepes, tumultum et strepitum ac fragorem excitabis. Pagn. vertit, personuisti in me: passiones sunt veiut tubæ hostiles, aut venti insonantes. Felix, tumultuaberis adversum me. In anima passiones sunt veluti milites in ducem suum rebellantes. Chald. *regas*, significat tumultuari, strepitum edere, perstrepere, exclamare cum eiulatu, fremere, contremiscere, commoveri, tumultuose concurrere. רגישה *reghiscia*, ex usu Syro, et Rabbinico est sensus, mentis conceptus. In mente atque eius conceptibus magni sunt fremitus ac tumultus. Syr. *quare stupida es?* Verbum תמה *thama*, significat, admirari, demirari, obstupescere. Vis non conturbari, nihil admirare in hoc mundo, nihil in eo dignum est admiratione. Si multa admiraris, sæpe obstupesces ac stupidus fies.

Vers. 6. 2. Pars.

Quod dolendum est, a se ipsa mens nostra concutitur. David de se ipso dicit in hoc Psalmo, v. 7. *Ad me ipsum anima mea conturbata est.* Pro *ad me ipsum*, Hebraice est עלי *alai*, id est supra me; 2. contra me; 3. in me; 4. a me. Hinc Chaldaicæ paraphrasis Latinus interpres in Bibliis regiis vertit, *supra me anima mea deprimetur;* anima tristis et peccatrix est massa plumbea mentem et corpus ad infima deiiciens. Vide Ps. 4. 3. ubi de gravi corde dixi. Felix, super me anima mea depressa est. Secundo, Syriaci interpres reddit, adversum me anima mea conturbata est. Tertio, S. Hieron. in me ipso anima mea incurvatur. Pagnin. humiliabit se. Quarto denique, Psalt. Roman. a me ipso anima mea turbata est, ut rex a tumultuante populo.

Anima a seipsa turbatur per passiones.

Sic iactati miseri peccatores nunquam in portu versantur, sed perpetuis concussi turbinibus in alto periclitantur. S. Bernard. in cœna Domini serm. 6. *Mare,* inquit, *sunt illi qui diversis passionum ac vitiorum tumultibus quatiuntur. Qui semper in motu sunt, semperque vagi, nunquam stabiles, nunquam in eodem statu permanentes: nunc superbia intumescunt, nunc ira fervescunt, nunc tristes, nunc leves, nunc pressi silentio, nunc risu dissoluti transgrediuntur præcepta seniorum, et fratrum pacem turbant.* Quot passiones sunt, tot sunt fluctus decumani animam mergere valentes. S. Chrysost. homilia de patientia vocat, κυματα λογισμων, fluctus cogitationum. Oppian. l. 5. halieut. νοος, ait, δ'οι ηυτε κυμα ελειται, torquetur ei animus, tamquam fluctus. Apuleius de Deo Socratis, salo mentis ad omnes cogitationum æstus fluctuare. Herodianus de Commodo, κυμαινουσαν εχων τοσαυταις φροντισι την ψυχην, habens animum tantis curis fluctuantem.

Vix ulli vita tam secundis auris fluit, quin aliquando refluat. S. Basilius hom. 23. *Nullius hominis vita prorsus beata est,* το διαπαντος ευπραττειν, μονου θεου, *semper prospere agere solius Dei est. Nunc ploras? at prius ridebas. Nunc eges? at antea dives fuisti. Bibisti liquidum vitæ laticem, et turbidum iam toleranter bibi. Ne fluviorum quidem rivi ubique puri videntur.* Nec ipsa peccata facile omnino evitantur. S. Bernardus sermone de tribus ordinibus Ecclesiæ: Valde difficile est, ait, præsertim diebus istis, quibus malitia nimis invaluit, inter undas huius mundi, vitiorum voraginem et criminalium peccatorum foveas declinare. S. Gregor. lib. 22. Moral. cap. 22. fluctuationem hanc animi ob res temporales, et ob peccata et passiones recte describit: *Quia,* inquit, *aut non habita concupiscit, ut habeat, aut adepta metuit, ne amittat, et dum in adversis sperat prospera, in prosperis formidat adversa, huc illucque quasi quibusdam fluctibus volvitur, ac per modos varios rerum alternantium mutabilitate versatur.* S. Bern. serm. mox citato, ait mare magnum esse mundum, illud transiri a Noo, Daniele et Iob: id est, a prælatis, pœnitentibus et continentibus, atque a coniugibus, sed cum labore: *Hoc mare magnum,* inquit, *et spatiosum (in quo utique certum est, nihil aliud quam præsens sæculum amarum fluctuans designari) tribus hominum generibus suo cuique modo pervium est, ut transeant liberati. Tres enim sunt, Noe, Daniel, et Iob: quorum primus navi, secundus ponte, tertius vado transit. Porro tres homines, tres ordines Ecclesiæ signant. Noe quidem arcam rexit, ne periret diluvio, ubi protinus rectorum Ecclesiæ formam agnosco. Secundo, Daniel vir desideriorum abstinentiæ et castimoniæ deditus, ipse est soli Deo vacans, pœnitentium et continentium ordo. Tertio, Iob quoque substantiam huius mundi bene dispensans in coniugio, fidelem designat populum terrena licite possidentem.* 41.

Vix sine afflictione vita transigitur.

Remedium contra tristitiam et molestas mentis perturbationes est spes in Deum, Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi (quod est) salutare vultus mei, v. 7. Et Deus meus. Pro, *spera in Deo*, Hebr. est, *expecta Deum*, q. d. Sit spes tua longanimis et perseverans. S. August. Spera in Dominum. Si Dominus est, præstat id quod vult. S. August. hoc loco: Spes, ait, quæ videtur, non est spes. Persevera ergo ut pervenias, persevera donec veniat salus: ita ipse. Chald. אוריכי *orichi*, id est, diu expecta Deum: prolonga et extende spem tuam. Rad. *arach*, est prolongari, differri, expectare, extendere, protendere.

Vers. 7. 1. Pars.

Si spes in Deum sit firma, tristitiam excutiet. S. Chrysostom. in Genes. hom. 32. *Audi Christum dicentem: In mundo pressuram habebitis; sed confidite. Ut ne audita tristitia spe excidant, statim fiduciam eis affert, et suam pollicetur gratiam. Sed confidite, ego vici mundum. Habes, inquit, eum qui gravia alleviet, qui non permittet te submergi ab illatis tentationibus, qui eum tentatione et exitum præbet, et non permittet supra nostras vires inferri gravia. Quid tristaris? quid mœres? quare tam abiecto animo es? Si quæ nostra sunt attulerimus, patientiam dico, et fortitudinem, et mentis gratitudinem nos sinet despici? Num etsi desperatæ sint res, vincere possunt sapientiam Domini nostri?* In illum iaciendus est animus, ut ibi hærens non fluctuet. S. Bern. in Ps. 90. *Nec alius,* inquit, *ex sententia dicere potest: Quoniam tu es Domine spes mea, nisi cui intus persuasum sit a Spiritu, ut quemadmodum monet Propheta, iactet cogitatum suum in Domino, sciens quod enutriendus sit ab eo, iuxta illud quoque Petri Apostoli: Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum, ipsi enim cura est de vobis.* Displicet Deo timor nimius spem abiiciens. S. Laurent. Iustin. tract. de Ligno vitæ: Non funditus, ait, obruat spem metus; eo namque fit damnabilior, quo a soliditate spei animus fit longior.

Spes in Deum excutit tristitiam.

Vis sperare in Deo? vide ut non speres in creaturis, quæ sunt baculus arundineus Ægypti; quem si manu spei ceperis, eique innitaris, frangetur et te lædet. Spes et amor sunt duæ animæ manus; si terrena capiant, cælestia et Deum capere non possunt. Vide dicta Ps. 90.

Spes roborari debet oratione, quis enim ab homine aliquid speret, quod petere non dignatur? Deus orari vult. Ideo David addit: QUONIAM ADHUC CONFITEBOR ILLI (Heb. odas illi concinam. Campens. gratias agam. Arabs, manifestabo gratiarum actionem) SALUTARE VULTUS MEI,
Vers. 7. 2. Pars. ET DEUS MEUS, supple est. Vel confitebor ei, quod est salus mea, et Deus meus; id palam profitebor et prædicabo; de hoc eum laudabo. Chald. vertit, confitebor ei propter redemptionem, quæ est a conspectu eius. Syr. gratias agam salvatori vultus mei, et Deo meo.

42. Deus est salutare vultus, et quomodo. Quæres cur Deus dicatur salutare vultus? Resp. Primo, Euthym. et Genebr. sensum esse volunt, q. d. Salus mea. Sic per synecdochen sumitur vultus pro toto homine; sic facies Dei sæpe sumitur in Scripturis pro Deo. Facies enim est pars maxime spectabilis et veneranda, et in qua omnes affectiones sese ostendunt. Secundo, Deus est salutare vultus, id est animi nostri: ita Lindanus. Tertio, salutare vultus nostri est Christus, hoc est salutare similitudinis nostræ. Ita Hugo a S. Victor. qui addit ad spem nostram augendam apte: *Non est dubitandum quin mortalibus promissam æternitatem tribuat, quem pro salute mortalium assumpsisse mortalia constat; et qui pro nobis nostram mortem pati voluit, multo magis nobis vitam suam donabit. Quod potest facere, quia Deus est; ut nec de voluntate eius dubites, qui pro nobis homo factus est; nec de potestate, quia Deus est.* Christum quoque vultui nostro similem hic vocari salutare vultus volunt S. Thom. Ruff. Cassiod. Beda, Bruno, Remig. et alii. Quarto et melius, Iansenius *salutare vultus mei* sic explicat, q. d. Qui est salus vultus mei, quem erubescere non sinet, sed suæ præsentiæ contemplatione magnifice sublimabit et exhilarabit. Quinto et optime, *salutare vultus nostri* erit Deus in cælo, cum se ostendet sanctis clare videndum facie ad faciem: ita Euseb. Apollinar. Titelm. Bellarm. Magnet. *Tu es salus vultus mei*, ait Bellarm. *dum illuminas fulgore tuo vultum meum: et facis, ut videat facies mea faciem tuam; et cognoscam, sicut et cognitus sum.*

Symbolice, S. Cyrill. vultum, ait, hoc loco pro pulchritudine ponit. Nam in credentibus in Christum divinus decor elucet. Imprimitur enim illis per sanctificationem et continentiam decor ille, sicut infideles turpitudo et deformitas quædam sequitur: non enim divinam, et incorruptam, sibique consentaneam habent pulchritudinem. Hinc S. Paulus cum ad eos scriberet, qui accepta fide legis iustitiam etiam observabant, inquit Galat. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Itaque cum Christus in nobis formatur, vultus animæ, hoc est pulchritudinis ipsius salutem parit.

43. Deo navem animi regente secure navigamus. Moral. Deo gubernatore et nauclero navem animæ moderante securi navigamus. De eo dicit Propheta Ps. 94. 5. *Ipsius est mare.* S. Basil. Seleuciæ Episcop. orat. 1. Miratur, arena exigua frænari mare: ψαμμα, inquit, χαλινωσας, ως φοβω, την θαλατταν: Arenula, velut obiecto terrore, frænans mare: quod ita prompte obedit, perinde quasi, την του δεσποτου φωνην εν αιγιαλοις γεγραμμενην ορωσα, κυπτομενη τοις κυμασι προσκυνει νομοθετησαντα, Domini vocem littori inscriptam videns, inflectens se adorat legislatorem: ita Basilius. Non minus in passionum et agitationum mentis oceano summam suam potestatem aperit, cum agitatam et naufragio proximam navem cordis dirigit. S. Aug. conc. 4. in Psal. 103. versiculum hunc expendens, illuc naves pertransibunt, ad mentem nostram sic explicat: *Naves*, ait, *Ecclesias intelligimus, commeant inter tempestates, inter procellas tentationum, inter fluctus sæculi, inter animalia pusilla et magna. Gubernator est Christus in ligno crucis suæ. Illic naves commeabunt, non timeant naves, non valde attendant ubi natent, sed a quo gubernentur.* Deo freti sine timore navigemus. Ut enim ait Sen. epist 53. *Res magna habere imbecillitatem hominis, securitatem Dei.* Tunc vel maxima iuvat, cum perdita credimus omnia. S. Ambros. lib. de Ioseph. *Ibi plus est auxilii, ubi plus est periculi.* Hoc unum timendum est, ne peccatis nostris oculum eius et providam manum a nobis avertamus. S. Chrysost. epist. 1. ad Olympiad. εν μονον, ait, εστι φοβερον, εις πειρασμος, αμαρτια μονον: *Una dumtaxat res gravis est ac pertimescenda, una tentatio, nempe peccatum*: τα δε αλλα παντα μυθος, *reliqua autem omnia, mera fabula: sive insidias dixeris, sive inimicitias, sive fraudes, sive calumnias, sive maledicta, sive accusationes, sive bonorum proscriptiones, sive exilia, sive gladios præacutos, sive mare*, καν τον της οικουμενης απασης πολεμον (*sive totius terrarum orbis bellum.* Et postea subtexit: τι τα προσκαιρα δεδοικας τα ποταμιων ρευματων δικην καταρρεοντα: *Quid ea quæ temporaria sunt, ac fluminum instar fluunt, extimescis.* S. Xaverius interritum semper pectus et animum periculis obiecit. Sic autem loquitur in epist. ad S. Ignatium: Equidem cum Dei nutu atque imperio omnia gubernari certo sciam, *nihil omnino metuo præter ipsum Deum*, cum res cæteræ, quantumvis noxiæ, nonnisi quatenus illa sinit, nocere hominibus queant.

Quomodo spes oratione iuvetur, et eadem oratione tristitia fugetur, vide apud S. Antiochum homil. 25. quæ tota est de tristitia.

Memoria Dei at spem et orationem animat atque corroborat in omni calamitate et periculo. Ideo David eam sibi assumpsit, v. 7. AD MEIPSUM (S. Hieron. in meipso. Cassiodor. a meipso) ANIMA MEA CONTURBATA EST (Vide dicta v. 6. p. 2.): PROPTEREA MEMOR ERO TUI DE TERRA IORDANIS ET HERMONIIM A MONTE MODICO. S. Hier. de monte minimo: hoc est primo, a monte Segor urbi imminente, qui mons modicus dicebatur, quia Segor significat parvum, seu modicum: ita Agellius. Secundo, *mons modicus* est mons *mitsar*: ita R. David, R. Abraham, Gagnaius, Angelicus Bonriccius, Flam. Foleng. et alii, sed quis sit hic mons *mitsar*, nec dicunt, nec dicere possunt. Hebr. מצער *mitsar*, significat modicum. Tertio, *mons modicus* est mons Sinai. Ita Chald. qui vertit: Recordabuntur qui habitant ad ulteriorem ripam terræ Iordanis, et habitatores montis Hermonii, et populus qui acceperunt legem in monte Sinai, humili et parvo. Quarto, *mons modicus* est mons Horeb, qui erat pars montis Sinai: ita Caietanus. Quinto, *mons modicus*, est mons Hermon minor, iuxta quem baptizatus est Christus a Ioanne, et Apostoli a Christo. Sexto denique, et melius, *mons modicus* est ipse mons Hermoniim: ita Iansen. Titelm. Bellarm. et alii. Symm. vertit, ab Hermoniim monte modico. 44. Vers. 7. 3. Pars. Mons modicus quis. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

Quæres, quid erat Hermoniim? Primo, Petavius censet esse nomen populi. Sic enim vertit: Hinc Iordanis prope fluenta, et parvis Hermonæorum oberrans in rupibus. Idem sentit Bredembachius, et Hermonitas vocat. Hebr. *hermonim* potest id significare. Secundo, Genebrard. putat Harmonim esse duos montes altos in extremis terræ sanctæ: vel potius tractus montium circa Hermonem. Caietanus opinatur, esse nomen diversarum partium unius montis magni ad nationes diversas spectantium. S. Hieron. at Valerius, dicunt esse montes aut montana Hermon. Tertio et melius, Brocard. et Adrichomius distinguunt Hermonem montem maiorem, quatuor fere leucarum, contra mare Galilææ, ubi Iordanis egrediebatur ex mari Galilææ. Secundo, Hermonem minorem, in cuius latere Aquilonari sit civitas Naim. Tertio, Hermonium non distinctum a maiore Hermone: sed iugum humile, seu tumorem ab illo contra montem Thabor procedentem, ubi oppidum Endor: atque de hoc sermonem esse in isto Psalmo: de maiore in Ps. 88. 13. et 132. 3. Maiorem vocabant etiam Sanir et Sarion, ut habetur in Deuteron. 3. 9. testaturque S. Hieron. in Ezech. cap. 27. et contra Helvidium: qui addit Sanior: Præterea Baal, Hermon, et Sion per sin (alius enim est per tsade: nempe in Ierusalem). Vide Ps. 132. in illud, *Sicut ros Hermon qui descendit in montem Sion.* De eodem Hermon, qui alio nomine vocatur Sion, confirmatur Eccli. 24. 17. *quasi* 45. Hermoniim quid. 1. 2. 3.

cypressus in monte Sion, ubi Græce habetur, εν ορεσιν Αερμων, in montibus Ærmon. Fortassis editio Latina immediate facta est ex Hebræa, in qua Librum illum vidisse testatur S. Hieron. S. Gregor. Nyssen. hom. 8. in Cant. asserit Sannir et Hermon esse duos vertices brachiave montis unius, ex quibus Iordanis duo fontes effundantur. Sed fieri potest, ut idem mons prius nomine vario vocatus, deinde distincta nomina in distinctis partibus acceperit: sicut Danubius Isterque habitus aliquando est idem fluvius: postea pars ea Danubii nominata est Ister, quæ ad ostium eius tendit: item Taurus et Caucasus nomina sunt eiusdem montis; nec tamen eodem loco Taurus appellatur ubi Caucasus: eodem pacto Horeb, Sinai, Pharan sunt eiusdem montis colles. Placet mihi magis hoc ultimum, ut sit Hermoniim idem quod Hermonius, nomen collis. Id præ se fert modus scribendi quo usi sunt Septuag. ερμωνιιμ: scripsissent enim in fine per simplex iota ερμονιμ, si pluralem numerum designare voluissent, sicut χερουβιμ. Apollinaris quoque nominavit ερμωνιιμον, *hermoniimum* velut unum montem vocans: ita Lorin. cui assentior quod Hermoniim sit mons unus parvus ab Hermon

4. distinctus, cætera examinabo Ps. 132. Quarto denique, Bellarm. certius dicit, quis proprie sit mons Hermoniim, et an diversus sit a monte Hermon, non omnino liquet: tamen verisimile est, esse montes diversos, et in diversis locis sitos. Nam S. Hieron. in vita S. Paulæ distinguit hos duos montes, et constat montem Hermon esse montem amplissimum, et Hermoniim hoc loco dicitur esse modicus. Fortasse igitur Hermoniim erat mons aliquis in Galilæa non longe a Iordane, cum David hæc duo coniungat.

46. Prope Iordanem Psalmus hic est compositus.

Quæres secundo, cur ait se de terra Iordanis et Hermonii montis memorem fore Dei? Resp. quia tunc Iordanem et Hermoniim montem cernebat cervis abundantem, quando hunc Psalmum scribebat, aut mente versabat exul, ut vult Iansenius; aut venatione se exercens, cum esset rex pacatus. Unde utitur comparatione cervi ad fontes currentis. Nota, iuxta Iordanem est terra, quæ regio Iordanis vocatur, Gen. 13. 10. Matth. 3. 5.

47. Tria hic per Iordanem, et Hermoniim figurantur: 1. Baptismus.

Tropol. tria hic præsertim figurantur: 1. Baptismus; 2. Pœnitentia; 3. Humilitas.

Ac primo, memores sunt de terra Iordanis, qui statim a Baptismo suo Deum sequuntur, et immaculati in via ambulant in lege Domini. Iordanis enim est Baptismi viam cæli operientis et animam mundantis figura: Primo enim per illum fluvium populus omnis Israeliticus transivit, quam terram promissionis ingrederetur, Iosue 3. Deinde Elias evolaturus in cælum, id est in locum cælo supparem sibi a Deo destinatum, Iordanem cum Elisæo prætergreditur, 4. Reg. 2. Naaman leprosus in eo septies lavatur, et lepra omnis perfecte mundatur, 4. Reg. 5. Denique Ioannes Baptista Christi præcursor ibi baptizavit prope Ænon et Salim, Ioann. 3. 23. Christum ipsum baptizavit in Bethania seu in Bethabara, Ioan. 1. 28. Nam Bethania et Bethabara sunt idem locus, aut certe unus est alteri vicinus, vel in altera Iordanis ripa oppositus. Bethania significat domum, id est locum navis, Bethabara, domum transitus. Eo in loco erant naviculæ, ut viatores Iordanem traiicerent. In cælum pergens, non transibis nisi per Baptismum. Martha, Magdalena et Lazarus in alia Bethania manserunt. S. Ambros. lib. de interpellatione David: *Memor ero tui*, ait, *de terra Iordanis, et Hermoniim. Memor est de terra Iordanis, in quo gratia memoriam devotionis accumulat. In Iordanem Naaman Syrus ille descendit, et mundus a lepra factus est. In Iordane baptizatus est Christus, quando formam lavacri salutaris instituit. Hic fluvius exit de Ægypto, et dividit terram repromissionis:* ita Ambrosius, quod autem dicit Iordanem exire de Ægypto, est μνημονικον αμαρτημα. Nam Ægyptus est Iudææ a meridie, et Iordanis defluit a septemtrionali parte versus meridiem:

Iordanis unde oritur?

oritur in Libani montis radicibus ex fonte gemino: nempe ex fonte Dan a parte dextra, et ex fonte Ior a parte sinistra. Iosephus ortum illi assignat in Thrachonitidis lacu rotundo, nomine Phiala, propter figuram: inde ad antrum Panium ferri prope Dan, quæ a Philippo Tetrarcha

A ædificiis aucta et illustrata in gratiam Tiberii Cæsaris dicta est Cæsarea Philippi. Vide Salmeronem tom. 1. prolegom. 41. Toletum in cap. 3. Luc. annot. 8. Pererium in c. 13. Gen. n. 17. Adrichom. et alios terræ sanctæ descriptores. Secundo, Iordanis est figura pœnitentiæ: 1. quia populus Israel prius transierat mare rubrum, quod est typus Baptismi: itaque hic fluvius potest denotare secundum lavacrum, nempe pœnitentiam; 2. ob etymon; Iordanis enim est *rivus* sive *fluvius* iudicii. Hug. a S. Vict. c. 41. in Psalmos: *Baptizari iterum non possumus: et tamen vice baptismatis contra quotidiana peccata quotidianum fontem lacrymarum habemus: etsi sæpius baptizari prohibemur per aquam, nunquam prohibemur per pœnitentiam. Sequitur ergo nos gratia primi baptismatis in pœnitentia: sicut populum Israel per desertum gradientem aqua de petra: ut quotiens in huius vitæ deserto per peccatum arescimus, per pœnitentiam reficiamur. Quia igitur quotidie anima nostra ad nosmetipsos conturbatur, memores Dei simus de terra Iordanis, ut scilicet illam adhuc remissionem quæramus* B *in pœnitentia, quam olim accepimus in aqua: et tanto fiducialius, quanto apertius nos ipsius Sacramento signatos esse cognoscimus. Quid enim per Iordanem rectius accipitur quam baptisma? Et quid per terram Iordanis, nisi humana natura abluta fonte baptismatis? De terra ergo Iordanis memores Dei sumus, quando eamdem ablutionem quærimus in pœnitentia, quam iam olim meminimus nos ab eo accepisse in aqua.* Tertio denique, Iordanis est symbolum humilitatis: significat enim, descensio eorum. S. August. huic etymo insistit in Ps. nostr. Si, ait, interpretationes nominum quæras, Iordanis est descensio eorum. Descende ergo ut eleveris, noli extolli ne elidaris: ita August.

2. Pœnitentia. 3. Humilitas.

48. Tria per Hermoniim montem modicum significantur: 1. Baptismus.

Secundo, mons Hermoniim est symbolum: Primo Baptismi; significat enim *anathematizationem*, a rad. חרם *charam*, anathematizavit, devovit, occidit. In Baptismo autem anathematizamus dæmonem, mundum et carnem, atque peccata occidimus; 2. Hermoniim, ut explicat S. C Ambrosius citatus, significat *viam lucernæ*. Baptismus autem est, et vocatur a sanctis Patribus φωτισμος, id est illuminatio. Verba Ambrosii sunt: *Qui turbatur, si boni consulit ex Ægypto exit, et sequitur viam lucis. Hermonim etiam viam lucernæ interpretati sunt. Exi ergo prius ex Ægypto, si vis lumen Christi videre. Exivit Chananæa a finibus gentium, et Christum invenit, cui dicebat, Matthæi* 15. 22. *Miserere mei fili David. Exivit ergo Moses ex Ægypto, et Propheta factus est, et remissus ad populum, ut de terra afflictionis eorum animas liberaret. Lucerna autem in Christi corpore. Hæc tibi lucerna viam monstrat. Unde et sanctus ait Ps.* 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum. Lucerna quod illuminaverit animas universorum, et in tenebris viam monstraverit. Evangelium, via lucernæ est. In umbra lucet, id est in sæculo. Unde et alibi habes Ps.* 67. 15. *Nive dealbabuntur in Selmon, id est in umbratione.* Hæc belle, sed etymon alienum est. Secundo, Hermoniim est figura pœnitentiæ, in qua homo anathematizat D seipsum, et sibi displicet per contritionem, ut Deo placeat per gratiæ receptionem. Anathematizat etiam mundum renuntians pompis eius. Ugo Cardin. hic: Qui, ait, contemnit mundum, dicit, sicut dixit Iosue de Iericho Ios. 6. 17. *Sit civitas hæc anathema, et omnia quæ in ea sunt.* Iericho enim quod interpretatur luna, significat mundum deficientem. Iosue autem interpretatur Salvator, et significat Salvatorem nostrum qui anathematizat mundum, dicens Luc. 6. *Væ vobis divitibus;* et Matth. 18. 7. *Væ mundo a scandalis.* Tertio denique, Hermoniim, quia est mons modicus est typus humilitatis. S. Aug. *De terra Iordanis memoratus sum tui, et de monte parvo: non de monte magno, ut de monte parvo tu facias magnum: quoniam qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur.* Hugo a S. Vict. cap. 41. et Baptismum, et pœnitentiam, et humilitatem hoc loco vidit: *Hermonium*, ait, *interpretatur anathematizatio. In Baptismo autem diabolum cum omnibus operibus et pompis eius anathematizavimus: et Christo conformes facti a membris diaboli separati sumus.*

2. Pœnitentia. 3. Humilitas.

Homo igitur per Baptismum a diabolo separatus, fit Hermon mons per virtutem, modicus per humilitatem. Quando itaque per pœnitentiam a Deo virtutum dona per peccatum amissa requirimus, quasi de modico monte Hermonii, eius memores sumus: quia sic olim nos a diabolo separatos, et per virtutes exaltatos, et per virtutem conformitatis Christi temperatos, meminimus. De modico monte Hermonii eius memores sumus, quando precamur dona virtutum cum humilitate nobis restitui, quæ prius nos ab eo accepisse meminimus.

49. Memoria Dei ad virtutes utilis.

Memoria vero Dei ad hæc omnia rite facienda, virtutesque omnes acquirendas, et præsertim ad obtinendam lætitiam spiritualem iuvat. Ugo Cardin. hic: *Memor ero,* ait, *tui in præsepio vagientis, ad humiliandum: tui in cruce morientis, ad diligendum: tui in iudicium venientis, ad timendum: tui in cælo regnantis, ad sperandum.* Secundo, hæc Dei memoria tristitiam fugat. Unde David ait: Ad meipsum anima mea conturbata est, propterea memor ero tui. S. Gregor. in mor. *Magna,* inquit, *consolatio tribulationum est, auctoris nostri dona ad memoriam revocare.* Quanta igitur erit consolatio Dei ipsius recordari. Ps. 76. 4. *Memor fui Dei, et delectatus sum.* Vide ibi dicta.

ARTICULUS II.

Inferni fluctus timendi sunt, quamdiu vivimus.

Iam vidimus cor humanum iactari propriis fluctibus, internis scilicet passionibus: nunc docet vates, sensu saltem mystico, tentationes et pœnas ab inferis et in inferis

Vers. 8. 1. Pars. esse metuendas, v. 8. ABYSSUS ABYSSUM INVOCAT (Hebr. קורא *kore*, id est vocat. Camp. invitat. Flamin. advocat) IN VOCE (id est voce, sono, strepitu. Hebræi nomen instrumenti ponunt in ablativo cum præpositione. Camp. sono.

50. Cataractæ. Pagn. ad sonitum) CATARACTARUM TUARUM. Pagnin. et Arias, fistularum tuarum. Symm. a sono aquæductuum tuorum. Chald. in voce stillationum canalium. Vox Hebr. צנור *tsinnor*, ait R. David in lib. rad. significat fistulas seu canales, quibus aqua de tecto deiicitur, ut patet 2. Reg. 5. 9. Hoc autem in Psalmo per fistulas intelligit nubes, eo quod effundunt aquas sicut fistulæ: sed an sit verum infra videbitur. Vox græca καταρρακτης deducitur a καταρραττω, cum impetu decido, collido, confringo, et significat Primo locum abruptum et præcipitem in flumine, unde aqua ruit potius quam fluit. Plinius lib. 5, cap. 9. de Nilo flumine: Vectus, inquit, aquis properantibus ad locum Æthiopum, qui Catadupi vocantur, novissimo cataracte inter occursantes scopulos, non fluere immenso fragore creditur, sed ruere. Secundo, cataractæ in fluminibus sunt portæ quædam ex funibus aut catenis pendentes, quæ attolli et demitti possunt ad emittendam vel retinendam aquam. Tertio denique, ipsæmet ruentes aquæ et cum impetu se præcipitantes vocantur cataractæ. Hinc Catarrhactes vocatur Pamphyliæ fluvius post Olbiam, quod magno cum impetu defluat. Strabo lib. 12. Post Olbiam, ait, est qui Catarrhactes appellatur, amnis magnus et torrentis more rapidus ab alta petra descendens, adeo ut longissime strepitus audiatur.

51. Abyssus et cataracta variarum rerum sunt symbolum.

Quæres, quid hic per abyssos et cataractas intelligatur? Resp. primo, abyssus, id est infinita aquarum congeries quæ fundo caret, symbolum est: 1. calamitatis magnæ; 2. peccati; 3. inferni; 4. iustitiæ Dei; 5. misericordiæ Dei; 6. cordis humani; 7. Iudæorum et Gentilium in tenebris profundis positorum; 8. novi et veteris Testamenti. Resp. Secundo, cataractæ sunt: 1. minæ divinæ; 2. Prophetæ; 3. Apostoli; 4. Concionatores; 3. inspirationes internæ vehementes.

52. Abyssus abyssum invocat, novem modis explicatur:

Sensus itaque hic varius est; tenebrosa enim est hæc abyssus, et difficile est illam penetrare.

I. Et optime, calamitas calamitatem advocat.

Primo itaque, et optime, ac maxime ad litteram, sensus est, *abyssus abyssum invocat,* quasi dicatur, calamitas calamitatem vocat, adducit, accersit, trahit; quod dicitur sæpe, cum ex uno magno incommodo in aliud adhuc maius et molestius devolvimur. Hinc ille dicebat, finis unius mali, gradus est futuri. Similitudinem vero hanc censet Bellarm. sumi ab ingenti pluvia, quod dicitur, maxima aquarum inundatio et profunditas super me venit, et illa transeunte alia supervenit, quasi a priore vocata: venerunt autem istæ magnæ inundationes in voce cataractarum tuarum: id est in sonitu et strepitu apertionis cataractarum cælestium, unde aquarum inundatio descendebat: ita ipse. Vocem illarum cælestium cataractarum, id est nubium effractarum censet Lorinus esse tonitrua. Secundo, et melius, sumetur hæc comparatio a tempestate, ubi fluctus fluctum propellit, et modo in altum sublati nautæ, periculum adeunt: modo præcipites reiecti in profundum, hauriuntur fluctibus, et variæ se voragines aperiunt mortem intentantes. Tertio, et huic loco maxime proprie, arbitror similitudinem deduci a cataractis fluvialibus, ubi aquæ ex alto decidentes resonant et abyssum faciunt, terram enim profunde excavant: sed hæc abyssus et immensa aquarum congeries non diu ibi manet, sed infremens ac tumultuans, spumansque inde recedit, veluti vocans aquam semper novam, quæ cavitatem illam impleat, et continue ex alto devolvatur. Hinc, et ex principio Psalmi, videmus Davidem hunc Psalmum scripsisse prope Iordanem, et montem Hermonii, atque partim ex cervi refrigeratione, et potu, partim et lapsu aquæ ex abrupto aliquo loco pias affectiones hausisse, et mentem suam in Deum elevasse: In illis fluviorum cataractis naves periclitantur a fluctu superiori, inferiori, interiori, collaterali.

II. Abyssus peccati vocat aliud peccatum.

Secundo, *abyssus abyssum invocat,* id est peccatum advocat aliud peccatum: ita Ugo Card. sicque fit catena tartarea, qua miser trahatur in profundum. S. Greg. hom. 11. in Ezech. *Peccatum,* ait, *quod per pœnitentiam citius non deletur, aut peccatum est, aut causa peccati, simul et pœna peccati. Omne enim quod prius committitur, peccatum est. Sed si citius pœnitendo, non tergitur, iusto iudicio omnipotens Deus obligatam peccatis mentem etiam in culpam alteram permittit cadere, ut qui flendo et corrigendo noluit mundare quod fecit, peccatum incipiat peccato cumulare. Peccatum ergo quod pœnitentiæ lamento peccatum simul est et pœna peccati,* etc. Tandem concludit: *Ut quasi iam quædam sint in peccatore supplicia ipsa incrementa vitiorum.* Unum peccatum est causa alterius peccati, in quadruplici genere causarum: scilicet in genere causæ efficientis, materialis, finalis et formalis, ut docet S. Thomas 1. 2. q. 75. art. 4. et in 2. dist. 36. art. 1. peccatum non est pœna, nisi per accidens. Et hoc dupliciter: scilicet ratione antecedentis, quia deseritur a Deo; et ratione consequentis, quia perditur melius, ut habetur 1. 2. q. 87. art. 2. et. 2. 2. q. 36. art. 2. et in 1. dist. 46. art. 2. ad 4.

53. III. Pœna peccati vocat aliam pœnam.

Tertio, *abyssus abyssum invocat,* id est peccatum advocat et adducit pœnam peccati, et pœna una in novam pœnam præcipitat. S. August. in Ps. nostr. *De pœna,* ait, *in pœnam transeunt, et de tenebris ad tenebras, et de profunditate ad profunditatem, et de supplicio ad supplicium, et de ardore cupiditatis in flammas gehennarum.* Hugo a S. Vict. cap. 41. in Ps. Abyssus, inquit, id est iudicium damnationis, abyssum, id est iudicium mortalitatis invocat, quia hoc illud confirmat. Vel, iudicium ignis futurum, iudicium aquæ præteritum. S. August. lib. de contritione cordis, tom. 9. *Vere,* ait, *abyssus peccata mea sunt, quia incomprehensibilia sunt profunditate, et inæstimabilia sunt numero et immensitate. O abyssus abyssum invocans! o peccata mea, tormenta quibus me servatis abyssus sunt, quia infinita et omnino incomprehensibilia sunt: est et tertia abyssus, et est nimis terribilis, iudicia Dei abyssus multa, quia super omnem sensum occulta. Hæ omnes abyssi terribiles sunt mihi undique, quia timor super timorem, et dolor super dolorem. Nam abyssus abyssum in voce cataractarum tuarum invocat: quia peccati abyssus abyssum tormentorum meretur, quia iudicia Dei pronuntiat.* Deinde triplicem distinguit abyssum: nempe supra, infra et intra nos. *Abyssus ergo iudiciorum Dei super me, abyssus inferni subtus me, abyssus peccatorum meorum est intra me. Illam quæ super me est, timeo ne in me irruat, et me cum abysso mea in illam, quæ subtus me latet, obruat,*

ubi per tormenta peccata nunquam delebuntur, sed peccata tormenta super me tenebunt. Miser ego peccator, quo abii facto meo a factore meo, quo fugi a facie tua? Et certe si ego nequiter fugio, et abysso me damnabili abscondo, quo vado vides me, quis enim nisi tu ad renitendum movet animam meam? Bone Domine Iesu Christe, tu pulsasti et excitasti eam in abysso delictorum meorum velut in lecto dormientem, tu concussisti pigritantem, tu sollicitasti negligentem, tu fecisti pœnitentem unde lætabatur. Bone Domine omnia hæc fecisti in abysso. Exaudi ergo clamantem de abysso ad te benignissimum: peccata mea non abscondo, sed pando ea coram te: non defendo, sed ostendo: non excuso, sed accuso. Ego sum reus, ego ipse accusator meus. Non accuses me, qui fecisti me. Solus suffeci ad peccandum, solus sufficiam ad accusandum, solus ad pœnitendum.

54. IV. *Peccati immensitas vocat misericordiam Dei.* Quarto, *abyssus abyssum invocat*, id est peccatorum nostrorum immensitas invocat, et requirit immensitatem misericordiæ Dei: ita Euthym. Hoc fusius Drogo Episc. Ostiensis prosequitur lib. 1. de Sacramento Dominicæ Passionis: *Dicis*, inquit, *in Evangelio tuo, quia Pater meus usque modo operatur, et ego operor: quid, nisi novum cælum, et novam terram? De abyssis enim terram formas, et de terra cælos: peccator abyssus est: sed cum de tenebris facis lumen splendescere, ut abiiciant opera tenebrarum, et induantur arma lucis: novam terram et novum cælum creasse cognoscis: Ecce animadverto Domine, quia terra mentis meæ adhuc inanis et vacua est, et tenebræ super faciem abyssi: inanis est: quia fluitat misera inquietudine per inania nugarum, et phantasmatum suorum vacua bonorum operum fructibus. Vel, sicut habet alia translatio, invisibilis, et incomposita. Est enim velut quoddam chaos, confusione sua teterrimum et involutum, ignorans tam finem suum, quam principium, et naturæ suæ modum. Incomposita sane est, quæ virtutum decorem, et divinæ imaginis, cui assimilata est, speciem non servat, et tenebris illusionum suarum, facies illius obscuratur.* Lege cætera.

V. *Misericordia Dei vocat ad se miseriam humanam.* Quinto, *abyssus abyssum invocat*, id est misericordia Dei infinita miseriam nostram vocat ad se, et per gratias excitantes a peccato educit. S. Bern. serm. 4. de Assumptione: *Abyssus*, inquit, *abyssum invocat: abyssus luminis et misericordiæ, abyssum miseriæ et tenebrarum. Maior illius bonitas, quam iniquitas tua: et ubi peccatum abundat, superabundare gratiam facit.* Agit de Lazaro a Christo foras vocato, in quo peccatorem conversum significat. Et epist. 107. *Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum, cum in terrore iudiciorum suorum immensa illa æternitas, et æterna immensitas, cuius sapientiæ non est numerus, cor hominis pravum et inscrutabile, mira sua bonitate et patientia educit in admirabile lumen suum.*

55. VI. *Homo hominem lucratur Deo.* Sexto, *abyssus abyssum invocat*, id est homo hominem Deo lucratur. S. August. in Ps. nostr. *Si profunditas est abyssus, putamus quod cor hominis abyssus est? Quid enim est profundius hac abysso? loqui homines possunt, videri possunt per operationem membrorum, audiri in sermone, sed cuius cogitatio penetratur? cuius cor inspicitur? Quid intus gerat, quid intus possit: quid intus agat, quid intus disponat, quid intus velit, quid intus nolit, quis comprehendet? Puto non absurde intelligi abyssum hominem, de quo dictum est Ps. 73. 7. Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus. Si ergo homo abyssus est, quomodo abyssus invocat abyssum? Homo invocat hominem: invocat quasi quomodo Deus invocatur? Non: sed invocat dicitur ad se vocat. Nam dictum est de quodam, mortem invocat: id est, sic vivit, ut mortem ad se vocet. Nam nemo hominum est qui orationem faciat et invocet mortem, sed male vivendo homines mortem invocant; abyssus abyssum invocat, homo hominem.* Abyssus est homo sibi ipsi, neque enim intima cordis sui cognoscit, quod probat ex S. Petri nimia confidentia et lapsu, ac subdit: *Ergo omnis homo licet sanctus, licet iustus, licet in multis proficiens, abyssus est, et abyssum invocat, quando homini aliquid fidei, aliquid veritatis propter vitam æternam prædicat. Sed tunc est utilis abyssus abysso invocante, quando fit in voce cataractarum tuarum.* S. Bern. de interiori domo cap. 44. Conscientia hominis, ait, abyssus multa. Sicut enim abyssus exhauriri non potest: sic cor hominis evacuari a cogitationibus suis non potest: sed continua volubilitate in eo volvuntur: mare magnum et spatiosum manibus, illic reptilia quorum non est numerus. S. Greg. lib. 18. Mor. 27. illud expendens, Abyssus dicit, non est in me, sic ad propositam materiam ait: *Quid hoc loco abyssum, nisi corda hominum vocat? quæ et per lapsum fluida, et per duplicitatis sunt caliginem tenebrosa? Quæ nimirum abyssus non esse in se hanc sapientiam profitetur: quia iniqua mens, dum esse sapiens carnaliter appetit, stultam se ad spiritualia ostendit.* De hac abysso explicat symbolice illud Apoc. 20. 1. *Vidi Angelum descendentem de cælo, habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua, et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus et Satanas, et ligavit eum per annos mille, et misit eum in abyssum, et clausit, et signavit super illum, ut non seduceat amplius gentes, donec consumentur mille anni. Millenario*, ait, *numero non quantitatem temporis, sed universitatem, qua regnat Ecclesia, designavit. Antiquus autem serpens ligatus catena in abyssum mittitur: quia religatus a bonorum cordibus apud reproborum mentes reclusus eis atrocius dominatur. Qui paulo post quoque de puteo abyssi educi describitur: quia de iniquorum cordibus nunc occulte sævientibus, tunc accepta contra Ecclesiam potestate, in vim apertæ persecutionis erumpet.*

Septimo, *abyssus abyssum invocat*, id est Iudæus convertit Gentilem: ita Remig. Altisiodor. Profundus, ait, et magnus intellectus illorum de Iudæis, invocat abyssum, id est intellectum gentium ad conformationem suam, id est venientes de circumcisione, gentes ad fidem trahent. Anastasius Sinaita in Hexaemer. eodem modo exponit. Apostoli omnes fuerunt Iudæi, et orbem Christo subiecerunt. 56. VII. *Iudæus Gentilem convertit.*

Octavo, *abyssus abyssum invocat*, id est novum testamentum adducit vetus ad probationem mysteriorum. Ugo Cardin. Novum, ait, testamentum vetus invocat ad testimonium. Ioan. 5. 39. *Scrutamini Scripturas, illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Vel, vetus invocat novum, ad sui complementum. Matth. 5. *Nolite putare quoniam veni solvere legem, aut Prophetas: non veni solvere, sed adimplere.* Ita Ugo, qui rationibus quinque probat duo testamenta recte dici abyssos: Primo, quia sunt inscrutabilia. Eccl. 1. 2. *Altitudinem cæli, et latitudinem terræ, et profundum abyssi quis dimensus est? Sapientiam Dei præcedentem omnia quis investigabit?* Secundo, quia exhauriri non possunt. Eccl. 24. 39. *Amari abundavit cogitatio eius, et consilium eius in abysso magna.* Cogitatio referri potest ad vetus testamentum: consilium, ad novum. Tertio, quia omnes rivi scientiarum ab ipsis emanant. Gen. 7. 11. *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ.* Quarto, propter obscuritatem. Gen. 1. 2. *Tenebræ erant super faciem abyssi.* Ps. 17. 12. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris.* Quinto, omnes alias facultates recipit scientia duorum testamentorum. Eccl. 1. 7. *Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat.* Sæpe quoque in Scriptura abyssus abyssum invocat, cum post difficilem locum difficilior occurrit. VIII. *Duo testamenta se mutuo vocant.*

Nono denique, *abyssus abyssum invocat*, id est fides vocat et adducit claram Dei visionem: ita S. Aug. lib. 13. Conf. cap. 13. et 14. Et quidem cap. 14. ait: *Et ego dico, Deus meus ubi es? Respicio in te paululum, cum effundo super me animam meam, in voce exultationis et confessionis soni festivitatem celebrantis. Et adhuc tristis est, quia relabitur, et fit abyssus, vel potius sentit adhuc se esse abyssum. Dicit enim fides mea, quam accendisti in nocte ante pedes meos, Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me? Spera in Dominum, lucerna pedibus meis verbum eius. Spera et persevera, donec transeat nox mater iniquorum: donec transeat ira Domini, cuius filii et nos fuimus aliquando tenebræ, quarum residua trahimus in corpore propter peccatum mortuo, donec aspiret dies, et removeantur umbræ.* 57. IX. *Fides adducit claram visionem.*

ARTICULUS III.

Superni fluctus sunt pertimescendi in hac vita.

Fluctus internos a nobis oriri, infernos a dæmone, vidimus duobus primis articulis; nunc videndum est etiam a Deo, tum in pœnam, tum ad maiorem coronam
Vers. 8. 2. Pars. immitti: v. 8. Omnia (est hyperbole, id est multa) excelsa tua, et fluctus tui super me transierunt. Pro *excelsa*, Hebr. est מִשְׁבָּרִים *misbarim*, id est fractio-
58. Undæ comparatio hic ducitur: nes, confractiones, contritiones, quasi velit Propheta, ait Lorinus, significare tempestatum fragorem, quo se venti ac nubes in aere, in mari fluctus, et undæ colliduat et confringunt, atque naves etiam coaterant. Secundo, Bel-
1. larmin. alludi vult ad diluvium generale, in quo catara-
2. ctæ cæli apertæ suat: id est, tam iagens pluvia descendit, ac si cataractæ aliquæ in cælo apertæ fuissent, et inde tota illa aqua magno cum impetu descendisset: et ex ea inundatione facta est abyssus, id est, maxima aqua-
3. rum altitudo et profunditas. Tertio, Caietanus censet in priore membro contineri comparationem ex pluvia et impressionibus aeris: in hoc ex aquis inferioribus fontium, fluminum, torrentium, maris, etc. maxime vero maris. Quarto denique, et melius, excelsa et confractiones intelliguntur excelsi fluctus Iordanis prope montem Hermonium ad cautes allisi, et per illas ex alto decidentes per cataractas insonantes: unde supra dixit, abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum. Quod adhuc magis patet ex voce גַּלִּים *gallim, fluctus;* significat enim proprie revolutiones, rotationes, circuitiones, fluctus rotatos, circumflexos, et in se redeuntes. Hoc autem accidit in fluminibus sive per rupes, sive per obiectos aggeres cum impetu decidentibus, et se ex alto præcipitantibus: ibi enim sunt excelsa, et fluctus convoluti et in se reflexi: unde in illis locis est magnum periculum naufragii et submersionis.

59. Excelsa quid. Symbolice, excelsa sunt minæ Dei: fluctus, plagæ inflictæ; ita S. Augustin. qui legit primo loco, *Suspensiones.* Sic autem ait: *Fluctus in his quæ sentio, suspensuræ in his quæ minaris. Omnis perpessio mea, fluctus est tuus: omnis comminatio tua, suspensura tua est. Qui enim minatur, non premit, sed suspendit: sed quia liberas, hoc dixi animæ meæ: Spera in Dominum, quoniam confitebor illi, salutare vultus mei et Deus meus. Quia magis crebra sunt mala, dulcior erit misericordia tua.* Secundo, et simplicius ac solidius, excelsa et fluctus pro eodem sumuntur: nempe pro gravibus tentationibus, ut vult Titelm. sive pro adversitatibus pene absorbentibus, ut Iansenius, sive potius pro qualibet gravi et molesta calamitate, sive sit tentatio a Deo permissa, sive clades exterior positive immissa. Syr. vertit, *omnes fluctus tui et procellæ tuæ.* S. Hieron. omnes gurgites tui et fluctus tui. Felix, omnes undæ tuæ. Pagn. omnes inundationes. Campens. omnes nimbi tui et fluctus tui. Arabs, omnes fluctus tui, et timores tui.

60. Calamitas supra iustos transire dicitur, ob tres rationes Nota: excelsa et fluctus super viros iustos transire dicuntur, 1. quia sæpe ex improviso in eos veniunt; 2. quia cum impetu eos secum rapere moliuntur; 3. denique, quia non diu durant, sed in transitu tantum ac decursu eos impetunt. Hinc momentum afflictionis huius vitæ vocat S. Paulus 2. Cor. 4. 17. *Id quod in præsenti est, momentaneum et leve tribulationis nostræ* (ἐλαφρὸν, ait Erasmus, id est levitas, de afflictione dicitur, non quasi levis sit toleratu, sed quia leviter et cito transit) *supra modum in sublimitate* (καθ᾽ ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν, id est excellenter excellens) *æternum gloriæ pondus operatur in nobis,* q. d. Afflictio transit iusto, in iis stat et manet pondus gloriæ: afflictio est levis et alata, gloria est stabilis atque æterna. Alludit ad modum veterum, qui non numerabant sed ponderabant aurum et argentum, aut ad triumphantium coronam auream, quæ erat tanti ponderis, ut a triumphante non posset capite ferri, sed eam servus manibus supra eius caput sustentaret. Contra vero, deliciæ et honores impiorum transeunt, afflictio æterna est atque im-

A mobilis. Isaiæ 30. 31. dicitur: *A voce Domini* (in die iudicii) *pavebit Assur* (reprobi omnes) *virga percussus. Et erit transitus virgæ fundatus* (erit transitus, quia semper percutiet: erit fundatus, quia nunquam cessabit tota æternitate) *quam requiescere faciet Dominus super eum in tympanis et citharis: et in bellis præcipuis expugnabit eos.*

In ipsa afflictione iustis a Deo datur lætitia. Hoc de- 61.
clarat David, v. 9. In die mandavit (S. Hieron. per Vers. 9. 1. Pars.
diem mandabit) Dominus misericordiam suam, et nocte canticum eius, supple, erit. Aquila, et Ps. Ambr. addunt, *apud* me. Sed melius τὸ *apud me*, iungitur a Nostro interprete cum versu sequenti, ut videbitur infra. S. August. S. Gregor. 23. Mor. 18. Psalterium Æthiopicum et Arab. habent, *et nocte declarabit*, nempe misericordiam suam. Nam Deus etiam cum punit, pater est. Nota, mandare dicitur misericordiam, eique præcipere velut servo, et nuntio, ac legato, quem ad filios suos mittit, eis au-
B xilio futurum. Est prosopopeia. Sic Ps. 42. 3. ait: *Emitte lucem tuam et veritatem tuam.* Ps. 43. 5. *Qui mandas salutes Iacob.* Ps. 67. 29. *Manda Deus virtuti tuæ.* Ps. 132. 3. *Illic mandavit Dominus benedictionem et vitam usque in sæculum.*

Quæres, quid hic significent dies et nox? Resp. Alleg. 62.
dies est vita Christi: nox, est eius passio. Anagog. Hugo 1. Dies et nox est vita et mors Christi.
a S. Victore diem ait esse claritatem vitæ æternæ: noctem vero esse huius vitæ miseriam: *Mandavit,* inquit, *hoc est per nuntios suos, præcones scilicet veritatis promisit misericordiam suam: id est quod nos de miseria huius* 2. Vita hæc et vita cælestis.
vitæ liberaret: in die, id est cum claritas vitæ æternæ pulsis tenebris mortalitatis illucesceret. Et ideo interim in nocte vitæ huius, mandavit canticum eius, id est laudem suam: ut si in futuro die eius misericordiam percipere volumus, in præsenti adversitate ab eius laude non recedamus. Dignum est enim, ut si in gloria sua propitium eum habere volumus, in nostra hunc miseria iustum prædicemus. Quia igitur peccavimus, quia flagellum sustinemus, quia ereptionem expectamus: in peccato confiteamur no-
C *stram culpam, in flagello laudemus eius iustitiam, in ereptione speremus eius misericordiam.* Hæc Hugo.

Symbolice, diem pro gratia sumit Ruffinus, q. d. In 63.
tempore gratiæ acceptabili et in diebus salutis, misericordiam sic mandari, ut meminerimus tamen etiam pie viventes in Christo persecutionem pati, et in ea laudandum quoque Deum. Secundo, diem pro lege accipit S. Ambr. 3. Dies et nox sunt gratia et peccatum.
q. d. In luce legis et scripturarum promitti misericordiam: in nocte tribulationis manifestari. Tertio, diem pro vita, noctem pro morte accipere possis. Quarto denique, Ugo Cardin. sensu accommodatitio, ait: In die prosperitatis mandavit Dominus misericordiam suam, id est, sibi fieri, dando eleemosynas, secundum quod dicitur Tob. 4. 9. *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue.*

Ad litteram, Primo Ugo Cardin. In die, ait, mandavit 64.
Dominus misericordiam suam: id est, ut de die operibus 4. Dies et nox proprie hic sunt prosperitas et adversitas.
misericordiæ insistatur, et nocte canticum eius: id est, ut de nocte eius laudibus, et ei vacetur. Sic Dominus faciebat de die prædicans, et de nocte orationibus vacans.
D Unde dicitur Luc. 6. 12. *Exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione. Et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos, et descendens de monte cum illis, stetit in loco campestri.* Et tunc fecit sermonem illum magnum, incipiens sic: *Beati pauperes spiritu,* etc. Post sermonem sanavit ægros. Et sic implevit prius quod mandaturus erat. Cœpit enim primo facere, et postea docere, Act. 1.

Secundo, et melius, dies sumetur pro prosperitate, et nox pro adversitate: ita S. August. Bellarm. Iansen. Titelman. Genebr. Bruno, et alii. Verba Brunonis sunt: In die, id est in prosperis, præcepit Deus misericordiam suam intelligere, et aliis facere: et nocte præcepit canticum, id est exultationem: Unde Apostolus ait, in tribulationibus gaudentes; 2. in die prosperitatis docet eam, sed nocte tribulationis eam manifestat clarius: ita Bruno; 3. et commodius, in die prosperitatis Deus *mandavit*, id est, misit *misericordiam*, id est consolationem ac

visitationem: *et nocte canticum eius*, supple erit, quod dicitur, etiam in nocte tribulationis Deus dabit alacritatem spiritualem. Vel, etiam in afflictione Deus laudabitur, et ipsi gratiarum actio concinetur.

65. Afflictio Sanctos lætificat. Moral. in afflictionis nocte gaudent sancti. S. Iacobus in epistola sua canonica dicit cap. 1. 2. *Omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis.* Generoso animo unus hostis non sufficit, innumeros Pigmæos unus Hercules ludens suffocat. Christi autem asseclæ asperis gaudent. 1. Petr. 4. 13. *Communicantes Christi passionibus gaudete.* Etiam ante Christum sibi sancti in doloribus complacebant. Iob. 6. 10. *Hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcas.* Longe potius et ardentius post Christi mortem, ad crucem omnes evolant, ut in S. Andrea patet. S. Bern. serm. de illo, ait: *Crux habet exaltationem, ita est fratres mei, semper lignum crucis vitam germinat, fructificat iucunditatem, oleum lætitiæ stillat, balsamum sudat charismatum.* Hinc fit, ut Sancti non modo non fugiant crucem, sed illam quærant et optent. Thomas a Kempis lib. 2. de imitat. Christi, cap. 12. *In tantum confortantur ex affectu tribulationis et adversitatis ob amorem conformitatis crucis Christi, ut sine tribulatione et dolore esse non vellent.* S. Xaverius cum in graves calamitates incideret, Deo supplex fiebat, ne se ab illis eximeret, nisi graviores vellet accersere. S. Chrysost. homil. 16. ad populum, illud 1. ad Cor. 4. 17. *Momentaneum et leve tribulationis nostræ*, examinans et versans, in cruce delicias latere docet: *Non*, ait, *tutelæ nostræ causa tantum*, αλλα και ηδονης και παραμυθιας προτερον εταξεν ετι τα δεινα, *sed et voluptatis, et consolationis causa priora statuit esse molesta, ut futurorum spe relevati nullum præsentium capiamus sensum.* Mercator navigationis laborem non sentit spe allectus lucri, nec pugil capitis curat vulnera, cum coronam mente præcipit: quid nos tot propositis præmiis pericula formidemus? Quæ fluxa sunt, atque evanida, et, ut loquitur S. Chrysost. hom. 77. αραχνης αδρανεςερα, και ονειρων απατηλοτερα, *aranea imbecilliora, et somniis fallaciora*, plusne poterunt, quam æterna et vera? Quid nos amissio temporalium torquet, cum Deus pro suo iure ea repetere possit, cum ita visum fuerit. Hoc etiam vidit Epictet. Enchirid. cap. 14. *Nunquam te*, ait, *aliquid perdidisse dicas, sed reddidisse. Filiolus obiit? redditus est. Prædium est ereptum? an non id quoque redditum est? At improbus est qui eripuit: quid tua refert, per quem is qui dederat, repetierit? quamdiu concessit tamquam alienum, curato, ut cauponam viator.*

66. Vers 9. 2. Pars. Tristitia quatuor genera. Non gaudium modo internum, sed externum etiam canticum deposcit Propheta: Et nocte canticum eius. Dignus enim est Deus, qui etiam ore laudetur. Ps. 118. 54. *Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ*, id est, erant canticum ac solatium: proprium tristitiæ est taciturnum facere: atque hoc notavit Climac. scholiastes in epist. ad Pastor. c. 6. ubi quatuor tristitiæ genera distinguit: nempe αχος, αχθος, φθονον, ελεος. Est, ait αχος dolor seu tristitia, quæ vocem adimit dolenti, αχθος est molestia quæ deprimit et gravat animum de φθονω et ελεω, id est invidia et misericordia, sæpe dictum est. Psalmorum modulationem iuvare ad tristitiam pellendam ostendetur etiam suo loco. Sufficit nunc S. Gregor. Nyssen. qui tract. 1. in Psalmos cap. 3. ait, melodiam Psalmorum non perfectis tantum viris gratam esse, sed infantibus ipsis voluptatem parere, et mulieribus, senibusque baculi quietis loco obtingere, eum qui tristi est animo et male affecto ob eventum quempiam, propter se Scripturæ huius gratiam divinitus missam credere. Eos item qui iter seu terra, seu mari faciunt, et qui sedentarias artes exercent. Et, ut rem in pauca conferam, inquit: *Omnes tam viri, quam mulieres quodcumque vitæ genus sectentur, ægri simul ac firmi, damnum se pati arbitrentur, si non semper in ore sublimem hanc institutionem circumferant. Iam vero et convivia, et nuptiales hilaritates, Philosophiam hanc velut partem lætitiæ, suis iucunditatibus adsciscunt.*

67. Deo adhærens semper lætatur. Dei memoria, et gustus, amorque dat lætitiam; illi canendum est, illi uni adhærendum, si lætari volumus. S. August. tract. 24. in Ioan. *Vis*, inquit, *habere gaudium sempiternum, adhære illi qui sempiternus est.* Et S. Chrysostom. hom. 18. *Dum, ait, sicut oportet timens, et in ipso confidens, voluptatis radicem lucratus est, et omnem habet lætitiæ fontem, et sicut in mare immensum decidens exigua scintilla facile deletur; sic quantacumque Deum timenti illidantur, velut in vastum lætitiæ pelagus incidant, extinguuntur atque perduntur.* Baptista Sanchez celebris concionator Soc. Iesu, cum rationem conscientiæ superiori suo Balthasari Alvarez redderet, ait: Si omnes mundi deliciæ in unum confluerent, atque æternæ fierent, se illas non tanti esse æstimaturum, quanti vel unum horæ quadrantem cum Deo exactum. Tantas ille ex divino illo gaudiorum omnium fonte suavitates hauriebat. Et quidem S. Aug. lib. 8. de Trinit. cap. 3. vere et sapienter Deum vocat bonum omnis boni. Contra vero in mundo et mundanis omnia sunt tristitia et caliginosa. S. Bernard. serm. 75. in Cant. Habet mundus iste noctes suas, et non paucas. Quid dico, quia noctes habet mundus, cum pene totus ipse sit nox, et totus semper versetur in tenebris? Nox est Iudaica perfidia, nox ignorantia paganorum, nox hæretica pravitas, nox etiam Catholicorum carnalis, animalisve conversatio: ita Bernardus. Etiam in hac nocte Deo canticum dicamus, et faciet Deus de tenebris lucem splendescere.

Cum in tempestate vela fracta sunt, excussæ anchoræ, disiecta gubernacula; firmandus est animus, et oculi mentis per orationem ad Deum elevandi. Hoc se præstitisse David testatur, v. 9. Apud me oratio Deo vitæ meæ Vers. 9. 3. Pars.
(Chald. ad Deum qui custodit vitam meam. Campens. ad Deum omnipotentem, et vitæ auctorem) Dicam Deo. Susceptor meus es tu. Vers. 10.
Hebr. סלעי *salhi*, petra mea. Felix vertit, rupes mea. Deus enim est petra stabilis, immobilis, et infrangibilis.

68. Oratio cur dicatur esse apud nos? Nota, pro *apud me* est עמי *immi, id est mecum*, ut S. Hieron. Pagnin. et alii vertunt. Noster significantius reddit, *apud me*: quo denotatur 1. orationem esse in intimis animi medullis fixam; 2. esse in potestate orantis ob eius pietatem. De primo, ait S. August. in Psal. nostr. *Non enim ut supplicem Deo empturus sum de transmarinis locis, aut ut exaudiat me Deus meus navigabo, ut de longinquo afferam thura et aromata, aut de grege adducam vitulum vel arietem. Apud me oratio Deo vitæ meæ. Intus habeo victimam quam immolem, intus habeo thus quod imponam, intus habeo sacrificium quo flectam Deum meum. Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* S. Leo serm. de Martyrib. Nihil a te, inquit, extra te quæritur. De secundo, nempe quod in potestate nostra sit habenda oratio, sic ait Lorin. Oratio apud te est, si iugis ac perseverans et quasi immorans, si meditata et attenta, non foris vagans: si fructum percipias, sive Deus exaudiat concedendo quod petitur, sive non concedat: ita ut semper in sinum tuum convertatur, ut dictum est Ps. 34. 13. Sæpe quando oro, ait Ruffinus, mens mea vagatur exterius, non intelligo quid dico: tunc oratio mea non est apud me: neque ego ipse sum apud me, labiis honorans Deum, a quo cor est longe: quomodo attendit Deus orationi meæ, cui non intendo? Apud te oratio est, si eam in promptu habes, ac veluti ad manum, ita ut ores in omni loco, et in omni loco dominationis Dei benedicas ei, Ps. 102. 22. si duci te sinas a Deo in solitudinem, ut colloquaris cum loquente tibi ad cor, Oseæ 2. 14. si invenias cor tuum, ut ores, 2. Reg. 7. 27. Testatur S. Bonavent. in vita S. Francisci cap. 10. eum firmiter asseruisse, viro religioso orationis gratiam desiderandam esse super omnia, nullumque sine ipsa in Dei servitio prosperari, cum crederet modis quibus poterat fratres suos ad studium eius excitasse: ambulantem, sedentem, intus, foris, laborantem, vacantem, orationi adeo fuisse intentum, ut illi videretur non solum quidquid erat in eo cordis et corporis, sed etiam operis et temporis dedicasse. S. Ioann. Climac. grad. 28. excellentiam et vim orationis declarat: *Oratio*, ait, *si ipsius naturam seu qualitatem spectes, est familiaris conversatio et coniunctio hominis cum Deo: si autem illius*

1. 2. S. Franciscus orationem plurimi facit.

vim seu efficaciam consideres, oratio est κοσμου συστασις, *mundi conservatio, Dei reconciliatio, mater lacrymarum et iterum filia, propitiatio peccatorum, pons tentationum, propugnaculum adversus impetum afflictionum, oppressio et extinctio bellorum, officium Angelorum, omnium spirituum alimentum.* Quodque magis proprium est huius loci, dicit per orationem fugari tristitiam, et virtutes acquiri:
Orationis vis summa. *Oratio*, ait, *est* μελλουσα ευφροσυνη, *futura lætitia, actio sempiterna, virtutum scaturigo, gratiarum divinarum conciliatrix, profectus spiritualis, nutrimentum animæ, mentis illustratio, spei demonstratio,* λυπας λυσις, *tristitiæ solutio, divitiæ monachorum, thesaurus solitariorum, iræ diminutio, speculum religiosi profectus, dimensionum index, status declaratio, futurorum significatio, futuræ clementiæ indicium.*

ARTICULUS IV.

Collaterales fluctus ab hominibus exorti timendi sunt.

A nobis nonnunquam, a dæmone sæpius, a Deo aliquando, aliquando ab hominibus impetimur, aliquando autem ab omnibus simul affligimur. Nos fluctus intra excitamus, dæmon infra, supra Deus, homines a latere, nihil ut immune sit a clade. Hoc nunc deplorat David sibi
Vers. 10. accidisse, vers. 10. QUARE OBLITUS ES MEI, ET QUARE
2. Pars. CONTRISTATUS INCEDO, DUM AFFLIGIT ME INIMICUS?

69. Oblivio in Deum non cadit. Nota, oblivio in Deum non cadit; nam intelligere Dei est suum esse, et sua essentia, et ut docet S. Thom. 1. p. q. 14. art. 4. nihil intelligit per speciem aliam ab essentia sua, 1. p. q. 14. art. 2. et in 1. dist. 27. qu. 2. art. 1. intelligit tantum in actu, nihil autem in potentia, in 1. dist. 35. artic. 1. ad 3. opusc. 3. cap. 29. intelligit omnia simul, 1. p. q. 14. art. 7. et quidem unica cognitione 1. p. q. 19. artic. 2. ad 4. Dicitur autem oblivisci, cum non retribuit, ut ait idem sanctus Doctor in Isaiam. Tunc enim ita se gerit quasi oblivisceretur. Sic navi iactata dormit Christus, velut Apostolorum oblitus. Matth. 8. 24. *Ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus: ipse vero dormiebat.* Causam affert S. Chrysostomus, ut athletas orbis terrarum, tentationibus et timoribus exerceret; et hom. 4. ad populum generatim ait: *Paululum nos derelinquit, ut ita castigati ad ipsum studiosius redeamus.* Vita sine tentatione, est quasi mare mortuum, ait Seneca ep. 67. Tunc se magis probat naucleri peritia, cum vehementior est tempestas. S. Chrysol. serm. 20. Gubernatoris peritiam non probat temperies serena, sed procellosa tempestas: aura blandiente navim regit ultimus nauta, in confusione ventorum primi quæritur ars magistri. S. Cyprian. tract. de mortalitate: *Gubernator*, inquit, *in tempestate dignoscitur, in acie miles probatur. Adversa non avocant a fidei virtute, sed corroborant in dolore. Quanta sublimitas inter ruinas generis humani stare erectum.* Tunc pia mens dicit: *Quare oblitus es mei?* sic loquebatur Christo S. Antonius a dæmonibus toto corpore contusus: sic S. Catharina Senensis gravi et molesta tentatione carnis agitata, nec adiuta sensibili auxilio: sic S. Gertrudis, quæ per dies undecim velut in tenebris deserta est, quod tempus exilii sui vocabat: cum antea Dei sui præsentiam nunquam amisisset ab anno 5. ætatis suæ, in quo usum rationis acceperat, ut narratur in eius vita, cap. 3. 6. et 7. et cap. 22. lib. 2. divinarum insinuationum.

Tunc molestissimum est, nos a Deo deseri, cum hostes nos atterunt, et attritos irrident, vers. 11. DUM CONFRINGUNTUR OSSA MEA, EXPROBRAVERUNT MIHI QUI TRIBULANT ME INIMICI MEI: DUM DICUNT MIHI PER SINGULOS DIES: UBI EST DEUS TUUS? Confractionem ossium interpretatur, Primo, Bellarm. summam debilitatem et infirmitatem, ut tentationes vix iam ferre possit. Ossa enim mentis, ut ait Hugo a S. Victore sunt virtutes. Secundo, et melius, Iansenius tam de viribus corporis quam de viribus animi exponit, q. d. Dum vires animi et corporis mei nimiis malis me prementibus franguntur et debilitantur, id videntes inimici mei qui me tribulant, etiam exprobraverunt mihi, non sine blasphemia nominis tui: ita ipse. *Confringuntur*, sumitur in actu continuato, sed non perfecto: Deus enim servos suos sustentat auxilio invisibili et forti, licet oblivisci eorum videatur. S. Vincentius in quodam serm. *Duplicem aciem*, inquit, *producit mundus adversus milites Christi. Blanditur enim, ut decipiat: terret, ut frangat. Non nos teneat voluptas propria, non nos terreat crudelitas aliena, et victus est mundus. Ad utrosque aditus occurrit Christus, et non vincitur Christus.* 70. Vers. 11. Ossa confringi quid sit?

Nota, nihil est quod ita mentes hominum, præsertim nobilium, vulneret et cruentet, atque irrisio. Arnoldus Ferronus lib. 7. histor. Franc. refert memorabile effatum magni cuiusdam ducis. Cum enim Carolo VII. Francorum regi percarus esset, eique magno ardore et constantia semper adfuisset, rogatus a rege, quid illum ab hac fide abstrahere posset? *Contemptus*, inquit. Cumque id mirum videretur regi, subiecit: Nullæ me divitiæ, nulli honores aut dignitates ab hostibus oblatæ, a tuo latere divellent, nec reflantem tibi (quod absit) fortunam vereor. Stat tecum, o rex, et vivere et mori. Sed nihil est quod ita me commoturum sit, quam si vel semel a te irriderer. Adeo impotens est gloriæ cupiditas. Hinc David ingemens dicit: *Exprobraverunt mihi* (verbis iniuriosis, ait Raynerius) *qui tribulant me inimici mei.* Ex his collige, cavendum tibi esse ne cuiquam probrum aut contumeliam inferas, et pacifice ac tranquille vitam transiges. 71. Irrisio maxime lædit.

PSALMUS QUADRAGESIMUS SECUNDUS.

1. PSALMUS DAVID.

IUDICA me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo et doloso erue me.
2. Quia tu es Deus fortitudo mea: quare me repulisti? et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?
3. Emitte lucem tuam et veritatem tuam; ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.
4. Et introibo ad altare Dei: ad Deum, qui lætificat iuventutem meam.
Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus, meus.
5. Quare tristis es anima mea? et quare conturbas me?
Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.

PSALMI QUADRAGESIMI SECUNDI ANALYSIS.

David mente præsagiens altaris in lege Evangelica dignitatem, atque ad illud sacerdotes accessuros præparans, describit:

- Altaris gradus tres, 1.
  - Innocentiam morum, præ populari turba. 1.
  - Spem in Deum, quæ humanam infirmitatem roborat. 2.
  - Alacritatem spiritualem, quæ dæmonis impetus arceat. 2.
- Duces ad altare promoventes duos, 3.
  - Lucem, quæ radiis suis tenebras mentis discutiat. 3.
  - Veritatem, quæ promissionum certitudine ad gressum incitet. 3.
- Virtutes in altari exercendas sex, 3.
  - Contemplationem cælestium in monte sancto. 3.
  - Tranquillitatem mentis in tabernaculo Dei. 3.
  - Sacrificium sui ipsius in altare holocausti. 4.
  - Renovationem iuvenilis fervoris in Dei conspectu. 4.
  - Gratiarum actionem, cum musicis instrumentis, ob tantum donum. 5.
  - Unionem perfectam, et imperturbabilem ad summum bonum. 5.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. Psalmus David.

1. *Psalmus hic est velut epitome præcedentis.* Psalmus hic, ut recte ait Iansenius, eiusdem est cum superiori Psalmo argumenti, et secundum sensum litteralem, et secundum sensum spiritualem. Est enim velut continuatio materiæ præcedentis, ex qua non pauca repetuntur. Titulo caret apud Hebræos; apud Græcos et Latinos in titulo tantum est, *Psalmus David*, estque ut loquitur Bellarm. quasi appendix, vel potius epitome Psalmi superioris. S. Thomas, Aiguanus dictus olim Incognitus, Haymo, et Ugo Cardin. legunt *in finem Psalmus David.*

2. *Quis hic loquitur:* Quæres, quis hic loquatur? Primo, Iudæos in Babylone captivos loqui censet Theodoret. Psalmus hic, ait, habet eamdem cum præcedenti sententiam: siquidem qui supra

I. locuti sunt, iidem Deum obsecrant, ut Iudex sit inter ipsos et Babylonios, qui immanitate multa et iniqua mente in eos usi sunt. Ideo eos gentem non sanctam appellat: et eorum regem dolosum hominem vocat et iniquum.

II. Secundo, S. Athanasius opinatur Iudæos loqui Messiam expectantes. Qui ait, ex Israel erant, rursus accedunt, salutem per Christum petentes, ideo dicit: *Emitte lucem tuam et veritatem tuam.* Nam ipse eos introducturus erat in montem sanctum: hoc est, in cælum, et ad cælestes mansiones, quas etiam tabernacula nominat, et ad altare intellectuale, atque idem iuventutem eorum erat lætitia impleturus. *Iuventutem enim appellat animam eorum innovatam; quare et in cithara se illi gratias acturos pollicentur: sæpe autem diximus citharæ nomine corpus esse intelligendum:* ita Athanas.

III. Tertio, S. Cyrillus, Gentilem populum hic loqui putat. In præcedenti, ait, Psalmo Israelis persona introducta est agnoscentis futuram sui vocationem et conversionem in postremis temporibus, et optantis in posterum Deo per fidem in Christum servari, et cupientium præterea causam exquiri diligenter, propter quam lapsi sunt. Quæ fuit diaboli, et immundorum spirituum fera cupiditas; hos enim gentem non sanctam appellant, vel sane ministros impuritatis eorum Græcorum selectiores fabulatores, quos iniquos et dolosos vocant, tamquam deceptores et mendaces: ita Cyrillus.

IV. Quarto, et melius, Iansenius vult Davidem ipsum loqui. Precatur, inquit, secundum iustum Dei iudicium liberari ab iniquo viro, sive Saule, sive Absalone, et gente illi in malum confœderata, ut ab exilio, quod ab illis patiebatur, revocatus, laudes Dei in domo eius deprædicare possit, cuius aliquando consequendi certa spe concepta, animam suam interim dum affligitur, consolatur.

V. *Et optime.* Quinto, et optime, David in persona viri iusti ac sua loquitur, petitque ab hac misera vita, in qua a multis hostibus agitatur, deduci in montem sanctum Dei, et ad eius templum et altare: nempe ad æternam Dei visionem et possessionem in cælo.

3. *Qua occasione* Quæres secundo, qua occasione scriptus est hic Psalmus? Resp. scriptum esse sicut et præcedentem in venatione cervi, aut in recordatione illius venationis. Nam ut censet S. Athanas. Euseb. Apollin. Theodor. Titelm. Bellarm. et alii, Psalmus hic est eiusdem argumenti cum superiore. Superior autem Psalmus deducit manifeste comparationem a cervo sitiente, et ad fontes currente. Hic vero, ut arbitror, sumit comparationem a cervo cincto multis canibus et venatoribus, quos timens latet in obscuro antro vel nemore, ex quo luce prævia cupiat evadere in montes, ubi non timeat canes et venatores. *Psalmus hic compositus.*

Alleg. Primo, hic loquitur Christus: ita Origenes et Didymus, qui ait: Dominicæ personæ vox ista esse potest, quæ gentem non sanctam, Iudaicum populum: hominem vero iniquum et dolosum, Iudam intelligat. 4. *Allegor.*

Secundo, loquitur corpus Christi mysticum quod est Ecclesia, orando Deum contra pressuras huius sæculi: ita Ugo.

Tertio, loquitur sacerdos novæ legis ascendens ad altare, et petens contra hostes invisibiles auxilium, et iis pulsis alacritatem spiritualem. Hunc sensum præsertim dilatabo, ut hic commentarius sit utilior. Cælestinus Papa instituit, ut Psalmus noster recitaretur a sacerdote initio Missæ, ut opinatur Gulielmus Durandus Mimatensis Episcopus lib. 4. rationalis divinorum Officior. cap. 7. ubi sic habet: Priusquam sacerdos vel Episcopus gradus altaris ascendat, et antequam sacrum ordiatur officium, ad se ipsum revertens inclinat se ante altare, significans Christi exinanitionem, qui inclinavit cælos, et descendit, cum se formam servi accipiens exinanivit: et considerans, quod sicut dicit Salomon Proverb. 18. 17. *Iustus in principio sermonis accusator est sui, confisus etiam de illa prophetica consolatione.* Psal. 31. 5. *Dixi confitebor adversum me iniustitiam meam, et tu remisisti impietatem peccati mei.* Psalmum præmittit ex institutione Cælestini Papæ ad hoc convenientem: *Iudica me Deus*, etc. ut discretus a gente non sancta, et ab homine liberatus iniquo ad altare dignus introeat. Petit enim liberari a tentatione, et illuminari a gratia, ut patet in ipso Psalmo. Petit etiam a Deo, ut det ei quod offerat, scilicet Filium suum, quem nisi ei daret, prout Abrahæ dedit, non haberet, quid offerret: ita Durandus. Sed tantum constat Cælestinum præcepisse, ut Psalmi in Missa recitarentur, et probabile est ante illum Papam hunc Psalmum initio Missæ usurpatum esse. Nam S. Ambrosius lib. 4. de Sacrament. cap. 2. ait aperte suo sæculo diei solitum in principio Missæ: Introibo ad altare Dei, ex Psalmo nostro desumptum. Verba eius sunt: *Veniebas desiderans* (alludit ad cervum aquas sitientem) *ad altare, utpote qui tantam gratiam videras, veniebas desiderans ad altare, quo acciperes Sacramentum. Dicet anima tua: Introibo ad altare Dei mei, ad Deum qui lætificat iuventutem meam.* Vide infra illum versum. S. Greg. Nazianz. orat. 28. circa finem idem dicit.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

5. TRIA COMPREHENDIT. PRIMO, VIRTUTES TRES CONSTITUIT, QUIBUS VELUTI GRADIBUS ALTARE SACERDOS CONSCENDAT, VERS. 1. SECUNDO, DUCES DUOS ASSIGNAT, QUI ASCENDENTEM COMITENTUR, VERS. 3. TERTIO DENIQUE, VIRTUTES SEX OSTENDIT, IN IPSO ALTARI EXERCENDAS, VERS. 4.

PARAPHRASIS.

1. *Iudica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo et doloso erue me.*

1. Ad tuum ego augustissimum et iustissimum tribunal provoco, Deus meus, tu iustam pro me sententiam profer, atque a gente impia, quæ temere me impedit, innocentiam meam tuere. A perditis hominibus, et ex omni vafritie conflatis, libera me Domine.

2. *Quia tu es Deus fortitudo mea: quare me repulisti? et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?*

2. In te uno spes meas repositas habeo, cum sis unicum robur meum atque præsidium. Cur enm te mihi exhibes, quasi me prorsus abieceris? Quid est causæ, cur ita ab hostibus meis conterar, ut mœrore tabescam?

3. *Emitte lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.*

3. Sapientiæ tuæ lucem, promissamque veritatem emitte: his ego comitibus ac ducibus, spei plenus ad sanctum montem tuum, et in templum tibi consecratum perveniam.

4. *Et introibo ad altare Dei: ad Deum, qui lætificat iuventutem meam.*

4. Nec verebor ipsum altare divino cultui consecratum ascendere ad ipsa Sancta Sanctorum, ubi tu peculiari modo inhabitas, animo meo vires novas sufficiens, penetrabo.

Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus.

Tum in laudes tuas erumpam, vocisque modulationi suaves citharæ sonos adiungam, Deus meus.

5. *Quare tristis es anima mea? et quare conturbas me?*

5. Ad verum iustitiæ solem accedens anima mea, quid tristitiæ nebulis obscuratis? Quid frustra Deo unitum, ad inanes mundi fluctus atque commotiones retrahis?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.

Spem tuam a terrenis abstractam in Deum erige: illi enim stat uni cantus meos tota vita consecrare. Ille enim salus est mea, sacra sua luce mentem illuminans: ille Deus meus est, cui soli innitor.

QUÆSTIO UNICA.

QUÆ VIRTUTES NECESSARIA SACERDOTI SACRIFICANTI.

6. Virtutes exercendæ sacerdoti. PROPHETA noster declarat quænam virtutes exercendæ sint sacerdotibus ante accessum ad altare; 2. in ipso accessu; 3. cum in altari sacrum faciunt.

I. Antequam altare ascendat. Ac primo, gradus tres stabilit, quibus altare conscendant. Primo quidem, morum innocentiam, v. 1. *Iudica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo et doloso erue me.* Secundo, spem in Deum, v. 2. *Quia tu es fortitudo mea, quare me repulisti?* Tertio denique, optat alacritatem spiritualem exclusa tristitia: *Et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?*

II. Cum illud ascendit. Secundo, duces duos assignat, qui per gradus illos sacerdotem ascendentem iuvent: lucem scilicet atque veritatem, velut diaconum et subdiaconum, v. 3. *Emitte lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt et adduxerunt.*

III. In ipso altari. Tertio denique, virtutes sex in ipso altari necessarias commonstrat. Primo, divinorum mysteriorum contemplationem, v. 3. *In montem sanctum tuum.* Secundo, tranquillitatem mentis: *Et in tabernacula tua.* Tertio, sui ipsius perfectam oblationem et sacrificium, v. 4. *Et introibo ad altare Dei.* Quarto, fervorem per mentis renovationem: *Ad Deum qui lætificat iuventutem meam.* Quinto, laudem Dei, seu gratiarum actionem per tantum beneficium: *Confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus.* Sexto denique, unionem perfectam cum Deo, et imperturbabilem illi soli adhærentem, et omnia alia pro nihilo ducentem, v. 5. *Quare tristis est anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.*

ARTICULUS I.

Quibus gradibus altare est conscendendum.

7. Vers. 1. PRIMUS altaris gradus est innocentia, quam se habere testatur, cum pro se sententiam ferri petit, v. 1. Iu-

A DICA ME DEUS, ET DISCERNE CAUSAM MEAM DE GENTE NON SANCTA, AB HOMINE INIQUO ET DOLOSO ERUE ME. Sensus huius loci. Nota primo, pro *iudica me*, Symmach. Eusebius, et Theodoretus vertunt, κρινον μοι, hoc est, *iudica mihi*, id est, ad favorem meum. Arabs, *adiudica mihi*, hoc est favorabilem sententiam fer pro me. Lindanus exponit, defende me. Campensis, vindica me. Sensus est, quod dicitur, esto iudex mihi benignus et favens, iustus tamen, qui videas innocentiam meam; et ideo me non punias sicut impios, et sicut impii contra me litigantes optarent. Unde secundo additur, *discerne causam meam.* Hebraice est, ריבה ריבי *riba ribi*, id est, litiga litem meam, ut vertit Arias. Sic autem exponit Campensis, quod dicitur, litiga pro me contra gentem nihil minus quam sanctam. Lindanus quod dicitur, iudica causam quæ mihi est cum gente non sancta. Tertio, pro *non sancta*, Hebraice est,

B non misericordi. Est miosis, id est, crudelissima, immiti, barbara.

Ad litteram, de quolibet viro iusto tentationibus agitato exponi posse arbitror. De Davide sic explicat Bellarminus: Videtur, ait, David, oppressus fuisse, vel a rege Saule, vel tentatus graviter a dæmonibus, a quibus cum non possit refugium habere ad homines, Deum iudicem appellat; ait igitur: *Iudica me Deus*, id est, tu Deus esto iudex meus: non enim habeo ad quem pro iustitia confugiam, nisi ad te. In Græco habetur clarius, *iudica mihi*, id est sis mihi iudex: *Et discerne causam meam de gente non sancta.* In Hebræo et Græco est pulchra allusio nominis ad verbum: Hebraice enim habetur ריבה ריבי *riba ribi*, Græce autem δικασον την δικην, quo modo si nos diceremus, *litiga litem meam;* vel iudica iudicium meum: et quia verba sunt generalia, duplex sensus esse potest in his verbis: unus ut petat a Deo, ut non solum sit iudex, sed etiam patronus, quod dicitur: *Iudica me, et*

C *litiga litem meam:* alter, ut declaret quod dixit, *iudica me*, per verba sequentia, *discerne causam meam*, id est, cognosce causam, et iudica iudicium meum, proferens iustam sententiam ad meum favorem. Vocat autem, *gentem non sanctam,* homines iniquos, crudeles, et sine misericordia, ut vox Hebraica manifestat, quæ proprie signi-

ficat hominem sine misericordia, et patet etiam ex sequentibus: *Ab homine iniquo et doloso erue me*: id est, sic iudica causam meam, ut per hoc iudicium liberes me ab homine iniquo et doloso, id est, a quovis homine iniquo et doloso: vel certe ab aliquo certo homine iniquo et doloso, qui erat princeps gentis non sanctæ, a quo ipse affligebatur: ita Bellarminus.

8. Allegor. Loquitur hic Christus; 2. Ecclesia; 3. Sacerdos ad altare Dei accedens, ut dixi in titulo. Vide ibi dicta.

Allegor.

Sacerdos peccatorem se profiteatur altare conscensurus.

Nota, mos antiquus fuit in Ecclesia, ut iudici se Deo sacerdos sisteret ante altaris ascensum, aut certe initio liturgiæ id est, Missæ. Hoc patet primo in liturgia S. Iacobi fratris Domini, prope in principio, cum thus incenditur, hæc fit oratio: *Domine Iesu Christe Dei sermo, qui tua sponte te Deo et Patri* θυσιαν αμωμον, *victimam immaculatam in cruce obtulisti*, ο διφυης ανθραξ, *ille duplicis naturæ carbo, qui forcipe labia Prophetæ attigisti, et eius peccata abstulisti, tange et nostros, qui peccatores sumus, sensus, ac nos purga omni macula*, και παραστησον ημας αγνους τω αγιω σου θυσιαστηριω του προσενεγκαι σοι θυσιαν αινεσεως, *purosque nos siste sancto altari tuo, ut tibi laudis sacrificium offeramus*. Secundo, in liturgia S. Marci, postquam sacerdos verbulo populum admonuit, ut pacis memor orationi incumbat, sic incipit: Gratias agimus tibi, et plusquam gratias agimus, Domine Deus noster, Pater Domini, et Dei, et Salvatoris nostri Iesu Christi, propter omnia, et per omnia, et in omnibus, quia protexisti, adiuvisti, fovisti, et deduxisti nos anteactæ vitæ nostræ tempore, et adduxisti nos ad hanc usque horam, *dignatus denuo sistere coram te in loco sancto tuo, remissionem petentes peccatorum nostrorum, et propitiationem omni populo tuo*. Petit deinde omnia a se flagitia in totam vitam procul dispelli. Tertio denique, in liturgia S. Chrysost. sic incipit sacerdos: *Domine Deus noster, emitte manum tuam ex alto habitaculo tuo, et confirma me ad propositum ministerium tuum*, ινα ακατακριτως παραστας φοβερω σου βηματι την αναιμακτον ιερουργιαν επιτελεσω, *ut citra condemnationem stans ante tuum terribile tribunal, incruentum sacrificium peragam*.

Nota secundo, lex omnis præcipit, ut cum innocentia ad altare accedamus, præsertim sacerdotes: 1. lex naturæ; 2. lex Mosis; 3. lex Evangelica.

9. Ac primo, naturæ ipsa lex omnibus innata paganos ipsos edocuit, ad sacra cum puritate et innocentia esse veniendum. Lucianus de sacrif. tradit, in templis loco conspicuo positam esse inscriptionem, qua vetaretur templum intrare, οστις μη καθαρος εστι τας χειρας, qui puris non esset manibus. Seneca lib. 7. natural. qu. cap. 30. *Intramus*, ait, *templa compositi: ad sacrificium accessuri vultum submittimus, togam adducimus, in omne argumentum modestiæ fingimur*.

Cum innocentia ad altare est ascendendum.

I. Hoc docet lex naturæ.

II. Lex Mosaica.

Secundo, in lege Mosaica sæpe inculcatur, ut sacerdotes sancti sint, aut saltem sanctificentur, antequam Deo se sacrificaturi sistant. Exod. 19. 22. *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum* (orando et sacrificando velut mediatores inter Deum et populum) *sanctificentur, ne percutiat eos*. Non agit ibi de Aarone et filiis eius, qui necdum erant sacerdotes, sed de primogenitis familiarum, qui in lege naturæ erant sacerdotes, ut censet Caietanus. De Aarone et aliis sacerdotibus legis Mosaicæ, dicitur Levit. cap. 21. v. 6. *Sancti erunt Deo suo, et non pollueni nomen eius* (famam Dei, cuius sunt ministri): *incensum* (Sept. sacrificia) *enim Domini, et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt* (Hebr. ideo sanctitas erunt, quod dicitur, sanctissimi et purissimi erunt). *Scortum et vile prostibulum non ducent uxorem, nec eam quæ repudiata est a marito: quia consecrati sunt Deo suo, et panes propositionis offerunt. Sint ergo sancti, quia et ego sanctus sum: Dominus, qui sanctifico eos*. Familiam ipsam sacerdotis volebat Deus esse sanctam, unde iubet filiam eius fornicantem flammis exuri, cum nulla extet punitio fornicationis aliarum, nisi se venditassent postea ut virgines, et sic sponsum decepissent: tunc enim lapidabantur, ut habetur Deut. cap. 22. v. 11. Immunditias, et maculas, etiam corporales vult

A Deus abesse a sacerdotibus suis. Levit. 21. 17. imperatur: *Homo de semine suo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius: si cæcus fuerit, si claudus, etc.* Hæc ad mores transfert S. Gregor. 1. Pastoral. cap. ult. atque ex ipso Radulphus: Cæcus est, ait, qui tenebris præsentis vitæ pressus, quo gressum operis porrigat, nescit; 2. claudus, qui videt quidem, sed per infirmitatem mentis quæ videt, perfecte implere non valet; 3. naso est parvo, cui parva est discretio. Unde Cant. 7. dicitur: Nasus tuus sicut turris, quæ est in Libano: quia sancta Ecclesia, quæ ex singulis causis tentamenta prodeant, per discretionem conspicit, et ventura vitiorum bella ex alto deprehendit; 4. nasus grandis et tortus est discretionis subtilitas immoderata, quæ dum plusquam decet excreverit, actionis suæ rectitudinem ipsa confundit; 5. est fracto pede vel manu, qui bonorum operum exors vacat; 6. gibbosus est, quem terrena sollicitudo deprimit, ne unquam superna respiciat; 7. lippus est, cuius sensum et mentem natura exacuit, sed conversa-

B tionis pravitas confundit; 8. albuginem habet, qui candorem iustitiæ, vel sapientiæ sibi tribuens, a luce supernæ cognitionis se per arrogantiam excludit: iugem habet scabiem, cui carnis petulantia dominatur: impetiginem, cui avaritia: herniosus est, qui in abditis, id est, in mente pondus turpitudinis gestat: ita Gregorius. Sacerdotes omnes habebant femoralia linea, ut scirent castitatem unice in sacerdote requisitam; 2. habebant tunicam lineam strictam, id est, arctissime stringentem corpus. Apud ipsos Gentiles, præsertim Ægyptios, ait Cornelius, tunica byssina, seu linea erat religionis symbolum, eratque vestis sacerdotum. Unde Apuleius in Apologia de lineo textu: *Sacerdotalis*, ait, *est vestitus et amictus*. Et Herodotus lib. 2. num. 46. *Sacerdotes Ægyptii vestem tantum lineam gerunt, nec alias eis induere fas est*. Linum enim apte significat sanctimoniam sacerdotum. Nam primo est mundissimum: tum quia multo melius detergit sordes, quam lana: tum quia lavari sæpe potest; secundo, quia lanea

C et serica tingi et fucari possunt: at linum simplicitatis amans, tincturam omnem et fucum respuit. Est ergo symbolum animi simplicis et candidi, qui omnem fictionem reiicit: qualis debet esse in sacerdote; tertio, linum licet tenue, nervosum tamen est, et robustum, adeo ut apros in eius retia se induentes concidat: tale debet esse robur et nervi sacerdotis; quarto, *linum*, ait Plinius, *semper iniuria fit melius*; sic vera sanctitas sacerdotum adversis augetur: ita Cornelius; 3. sacerdotes omnes habebant zonam byssinam, seu lineam, quam Iosephus dicit latam fuisse quatuor digitos; 4. denique, sacerdotes omnes habebant tiaram byssinam, seu lineam. Sic et in cogitatione, et in operatione munditics illis commendabatur.

Tertio denique, lex Evangelica longe potiori iure puros III.
ab omnibus vel levissimis labeculis vult suos esse sacer- Lex Evangelica.
dotes. Hinc Christus iam mundos Apostolos abluit, priusquam in extrema cœna eos sacrificatores constitueret. Ioan cap. 13. ubi Petro pedes modeste subducenti, ne ab

D eo lavarentur, ait v. 8. *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, id est, non communicabis mecum in mensa Eucharistica, ut Toletus explicat, et S. Cyprian. tractatu de ablutione pedum. Eodem loco fecit eum sacerdotem et alios Apostolos, cum ait Matth. cap. 26. v. 26. *Hoc facite in meam commemorationem*. His enim verbis constituti et ordinati sunt sacerdotes et Episcopi, ut docet Concilium Trident. sess. 22. cap. 1. Secundo, daturus illis potestatem remittendi peccata, cum iam resurrexisset a mortuis, insufflavit, ut indicaret vel exiguum pulvisculum vitiorum esse excutiendum sacerdoti, ut alios expurgaret. Ioan. 20. 22. *Hæc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum*, id est, novam Spiritus sancti gratiam et charitatem, ut ait S. August. et S. Ambros. serm. 10. in Ps. 118. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. 10.

Deus qui offertur in altari est purissimus.

Ratio a priori, cur sacerdotes novæ legis debeant esse purissimi, petitur præsertim ab excellentia et puritate victimæ quam offerunt, nempe a Deo ipso, quem in hostia

contineri probavi Ps. 21. sect. ult. Deus autem, ut loquitur S. Gregorius Thaum. serm. 1. in Annuntiatione vocatur ἁγιασμου κυριος, sanctificationis Dominus, et της ἁγνειας πατηρ, pater castitatis et puritatis: eiusque sanctitas, ut ait S. Dionys. cap. 12. de divinis nominibus, est, παντος ἀγους ἐλευθερα και παντελης, a scelere omni libera, perfectaque, et ex omni parte incontaminata. Unde idem sanctus Pater de Eccles. Hierar. cap. 1. ait, nullum esse admittendum ad sacerdotium, qui non profiteatur, καθαρων καθαρως ἐφαπτεσθαι, se mundum et sanctum ad ea quæ sancta sunt et pura, tractanda venturum. S. Cyrill. Alexandr. in cap. ult. Sophoniæ, vocat Missam, σεπτην και ἀγιαγαστην λειτουργιαν, *venerandum et admirabile mysterium.* S. Chrysost. in Ps. 95. appellat, λειτουργιαν ἀγγελικην, *sacrificium Angelicum.* S. Hieronymus epist. 5. ait, puritatem servandam esse ei, qui de ara sacra tangenda cogitet. *Ita age*, inquit, *ut clericus esse merearis, ut adolescentiam tuam nulla sorde commacules, ut ad altare Christi, quasi de thalamo virgo procedas, et habeas de foris bonum testimonium.* S. Ambros. 1. ad Timoth. cap. 3. *Sacerdotes mundiores esse debent cæteris, quia actores Dei sunt.* Hoc S. Basilius lib. 2. de Baptismo probat ex comparatione sacerdotum Mosaicorum: Τοσουτον ἀσεβεστερος ἐστιν ὁ τολμων ἱερατευειν σωμα κυριου, tanto scelestiorem et impium magis esse eum, qui cum impurus sit, corpus Domini audet in sacrificium offerre, qui se ipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem bonæ fragrantiæ dedit: quanto magis unigenitus Filius Dei excellentior est arietibus et tauris. Nota præsentiam Christi in sacrificio ex mente Basilii. Idem ostendit S. Ambr. lib. 1. offic. cap. ultim. Castificabatur, inquit, populus per biduum, aut triduum, ut ad sacrificium purus accederet, ut in veteri testamento legimus, Exod. 9. 10. *Lavent vestimenta sua: Si in figura tanta observantia, quanta in veritate? Disce sacerdos atque levita, quid sit lavare vestimenta sua, ut mundum corpus celebrandis exhibeas Sacramentis. Si populus sine ablutione vestimentorum suorum prohibebatur accedere ad hostiam suam, tu illotus mente pariter et corpore audes pro aliis supplicare, audes pro aliis ministrare?*

Ideo sacerdotem vult esse purissimum.

Secundus altaris gradus, et illud firmans, est spes in Deum. Hinc David adiungit, vers. 2. QUIA TU ES DEUS FORTITUDO MEA (Hebraice מעוז *maoz*, id est, robur: Deus est nostra fortitudo et robur non formaliter, sed causaliter: unde S. Hieron. et Felix vertunt, Deus fortitudinis meæ, supple auctor) QUARE ME REPULISTI?

Vers. 2. 1. Pars.

11\. Nota primo, spes excitanda est, cum ad Deum accedimus. Oseæ 12. 6. *Appropinqua ad Deum semper*, ut est in Græco, ubi est ἐγγιζε, id est, appropinqua. Noster habet, *spera in Deo tuo semper.* Ex Hebræo vertit, ubi קוה *kave*, significat *spera.* Septuag. vero scientes spem esse pedem, quo ad Deum approximatur, vertunt ἐγγιζε, hoc est, prope accede, approxima, paternum sinum pandit, et ulnis excipit Deus eum, qui ad asylum sperans fugit. Sed vide ut sis discretus, et separatus a gente non sancta, per bonam vitam tuam. Ps. 4. 9. ait David: *Singulariter* (Septuag. μεταμονας seorsim. Alius reddit, των πονηρων χωρις, id est, seorsim ab improbis) *in spe constituisti me.* S. Hieron. specialiter securum habitare fecisti me. Felix, solus in spe locabis me. Alia omnia fluctuant et prosternunt.

Spes excitanda est ad Deum accedenti.

12\. Nota secundo, in templo magis, quam in ullo orbis loco, spes potest ac debet excitari, ac præsertim in altari. Primo enim, in templo peculiariter sibi aulam elegit Deus, ac thronum fixit misericordiæ. Arnobius lib. 1. contra gentes: *Hoc est proprium Dei veri, benignitatem suam negare nulli.* Unde S. Chrysost. hom. 24. templa nostra vocat λιμενας πνευματικους, portus spirituales. Secundo, altare locus templi est sacratissimus, ubi Christus immolatur, et vota totius Christiani populi suscipit: ex quo fit, ut ne vel summorum quidem virorum spem ad tantum mysterium sufficere censeat S. Chrysostom. sed maiorem adhuc requirat, lib. 6. de sacerdotio: Neque Mosis, inquit, neque Eliæ fiduciam fore unquam satis putaverim ad supplicationem eiusmodi peragendam, ὡσπερ του ἀπαντα κοσμου πεπιστευμενος, και αυτος ὠν ἀπαντων πατηρ ουτω προσεισι τω θεω: *Etenim quasi mundus illi universus concreditus, atque adeo omnium sit pater, sic ad Deum sacerdos accedit, deprecans quidquid ubique bellorum est, extingui, turbas solvi, atque in horum locum pacem, et felicem rerum statum succedere.* Christus in altari est fortitudo nostra, itaque illi cum Davide dicendum est: *Tu es Deus fortitudo mea.* S. Gregor. lib. 8. Moral. 9. *Christus fundamentum fundamentorum est: quia et origo est inchoantium, et constantia robustorum.* In liturgia S. Iacobi hoc exprimitur, in qua sacerdos accedens ad altare his verbis incipit: Peccatorum multitudine me inquinatum ne spreveris Domine Deus noster, ἰδου προσηλθον θειω τουτω και ἐπουρανιω μυστηριω σου: Ecce accedo ad divinum hoc et super cæleste mysterium tuum, et indignus quidem: sed de tua bonitate confisus emitto tibi vocem Deus: Propitius esto mihi peccatori; peccavi in cælum, et coram te. Proinde hanc orationem et gratiarum actionem tibi offero, ut mihi Spiritus tuus paracletus mittatur, ἐνισχυων και καταρτιζων με προς την λειτουργιαν ταυτην, *fortificans et instaurans me ad hanc Missam.* In Liturgia seu Missa S. Chrysostomi sacerdos accepto manipulo in manu dextera, sic dicit pene initio Liturgiæ: *Dextera tua Domine glorificata est in fortitudine: dextera tua Domine confregit inimicos, et multitudine gloriæ tuæ contrivisti adversarios. Dextera Domini fecit virtutem.*

Et in altari.

Tertius altaris gradus, est alacritas spiritualis, quæ tristitiam ab animo expellat; hanc optans sacerdos dicit, v. 2. ET QUARE TRISTIS INCEDO, DUM AFFLIGIT ME INIMICUS? 13.
Vide dicta Ps. 41. 6. ubi egi de malo tristitiæ, et Ps. 99. 1. ubi de bono lætitiæ. Tristitiam in hoc nostro Psalmo Chaldæus tenebras vocat, cum vertit: *Quare in tenebris incedo, dum affligit me auctor inimicitiæ*, diabolus scilicet, qui et seminat odia inter fratres, et per scelera nos Dei hostes constituit. Lætitia autem lux est animi, unde statim subdit: *Emitte lucem tuam.* Mens tristis ob scelera est domus Ægyptiorum in ipso meridie tenebris horrifica: at vero mens læta est domus Israelitarum suavi et serena luce recreans. S. August. lib. 9. Confess. *Est gaudium*, inquit, *quod non datur impiis, sed eis, qui te gratis colunt: quorum gaudium tu es: et ipsa est beata vita, gaudere de te propter te: ipsa est, et non est altera.* S. Bernard. in quodam serm. Verum, ait, gaudium non possidetur, nisi pax et iustitia teneatur. Prima enim est, et quasi radix iustitia, secunda pax, tertia gaudium. De iustitia nascitur pax, de pace gaudium generatur. Plutarchus in moralib. Sicut fonti, ait, non deest humor, semper ex eo scatens: sic probo viro semper adest gaudium, etiamsi res externæ mutentur.

Vers. 2. 2. Pars. Lætitia est lux, tristitia caligo.

Nota, accedendum est ad altare cum lætitia spirituali. 14.
S. Chysost. in Psal. 146. docet, in precibus necessariam esse σπουδην και προθυμιαν, curam et animi alacritatem. In mysterio Eucharistiæ præsertim, ubi Christus sumitur, qui, ut ait Zacharias cap. 9. 17. *Est frumentum electorum, et vinum germinans virgines.* Si Isis inventis frugibus exclamat, εὑρηκαμεν, συγχαιρομεν, invenimus, congaudeamus. Si Bacchus ob inventionem vini dicitur lætitiæ dator, quid in hoc convivio præstandum est? cum Ioann. 6. 56. dicat Salvator: *Caro mea vero est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Hanc lætitiam in sacrificio expressit S. Chrysostomus prope initio liturgiæ suæ, in qua Diaconus tunicam sumens dicit: *Exultabit anima mea in Domino, induit me veste salutaris*, και χιτωνα, ευφροσυνης περιεβαλε με, *et tunica lætitiæ circumdedit me, et tamquam sponso mitram mihi imposuit, et tamquam sponsum me ornamento circumdedit.* Ibi maxime sentitur, quod ait S. August. in Ps. nostr. Desuper in silentio sonat quiddam non auribus, sed menti: ut quicumque audit illud melos, tædio afficiatur ad strepitum corporalem: et tota ista vita humana tumultus ei quidam sit, impediens auditum superni cuiusdam soni nimium delectabilis et incomparabilis, et ineffabilis: ita Augustinus.

Ad altare est accedendum cum lætitia spirituali.

ARTICULUS II.

Quibus ducibus ad altare sacerdos debet conscendere.

GRADIBUS tribus in altari positis: innocentia scilicet,
15. Vers. 3. 1. Pars. spe in Deum, et lætitia spirituali, de quibus egi articulo præcedenti, Propheta noster duos assignat duces, qui a dexteris, et a sinistris, sacrum ad altare subeuntem sacerdotem comitentur et sustentent, v. 3. EMITTE LUCEM TUAM ET VERITATEM TUAM, IPSA ME DEDUXERUNT ET ADDUXERUNT IN MONTEM SANCTUM TUUM, ET IN TABERNACULA TUA. Nota, pro *deduxerunt et adduxerunt*, Hebraice est, deducent et adducent. Sensus itaque est, q. d. Emitte iam tandem e cæiis super me favorem tuum et opem, quæ pulsis his malorum tenebris me illuminet et recreet: Emitte quoque tuam in præstandis promissis fidelitatem, eam in me declarando. Lux enim et veritas tua me ab hoc exilio deducent, et tandem iutroducent in montem sanctum tuum, quem peculiariter inhabitas, et in tabernacula tua: ita Iansenius. Alludit David ad columnam, quæ illuminabat et protegebat a nimio calore castra Israelitarum, Exod. 13. 21. *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis: ut dux esset itineris utroque tempore. Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem, coram populo.* Lucis fit clare mentio hic, veritas est nubes nos protegens.

16. Lux et veritas pro eadem re
Quæres, quid hic per lucem et veritatem sit intelligendum? Resp. primo, cum S. Augustino, lucem et veritatem pro eadem re sumi, nempe pro Christo. Verba S. Augustini sunt: *Ipse est lux tua, et veritas tua. Hæc nomina duo, res una. Quid enim aliud lux Dei, nisi veritas Dei? Aut quid veritas Dei, nisi lux Dei? Et hoc utrumque unus Christus. Ego sum lux mundi, qui credit in me non ambulabit in tenebris. Ego sum via, veritas, et vita; Ipse lux, ipse veritas. Veniat ergo, et eruat nos discernentes modo causam nostram a gente non sancta, eruat ab homine iniquo et doloso. Separet frumentum a zizaniis: quia ipse mittet Angelos suos messis tempore, ut colligant de regno eius omnia scandala, et mittant in ignem ardentem, frumentum autem eius congregent in horreum.* Ita Augustin. qui, ut vides, emissionem intelligit in die iudicii futuram. De primo Christi adventu, mallem exponere cum Didymo, qui sic ait: Quoniam Salvator lux vera est, et ipse veritatem se esse dicit, qui ante adventum eius ex vaticinlis didicerunt fore ut lux, et veritas mundo affulgeret, orabant, ut lux et veritas per Incarnationem eius emitterentur: ut ipsis ducibus ad montem sanctum, hoc est, ad sublimiorem de Trinitate sermonem, et ad æterna tabernacula ducerentur. Cæterum lux substantia non est aliud a veritate, utraque enim est Filius Dei, sed opinione differunt; quatenus enim ab umbris et mendacio liberat, veritas est; quatenus autem ab errore et ignorantia, lux est: ita Didymus. Vide dicta Ps. 84. 11.

17. Lux et veritas pro diversis rebus.
Resp. secundo, lucem et veritatem melius hic sumi pro duabus rebus diversis: ita Hesychius, Ugo Cardinalis, Hugo a S. Victore, et alii. Et quidem primo Hesychius
I. per lucem intelligit Deum Verbum: per veritatem Spiritum sanctum. Sic reperire possis hic tres Trinitatis personas, 1. Patrem, *Emitte;* Pater enim misit Filium et Spiritum sanctum; 2. Filium, *lucem;* 3. Spiritum, *veritatem.* Vocatur Spiritus veritatis Ioan. 14. 17. et 15. 26. item dicitur cap. 16. 13. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

II. Secundo, Ugo Card. *Emitte lucem tuam*, ait, *et veritatem tuam* creatam, scilicet lucem gratiæ, contra tenebras ignorantiæ et culpæ. Veritatem triplicem, scilicet vitæ, doctrinæ, iustitiæ. Hæc est illa omnis veritas, de qua dicitur: *Docebit omnem veritatem.* De hac luce et veritate ait Ioan. cap. 1. 17. *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* Ipsa scilicet lux et veritas deduxerunt per viam, et adduxerunt ad patriam: ita Ugo.

III. Tertio, Hugo a S. Victore cap. 52. in Psalmos, lucem

A sumit pro fide: veritatem pro veritate Dei: *Per fidem*, ait, *illuminat: per veritatem, fidem remunerat: illuminando misericors, remunerando verax. Ipsa duo deduxerunt me a malis meis, et adduxerunt ad bona tua. Quæ bona? In montem, in tabernacula. In montem ductus sum per fidem: in tabernacula ductus sum per operationem. Introibo ad altare per dilectionem; in montem, ut alta crederem: in tabernacula, ut fortia facerem; ad altare, ut me immolem. Mons et tabernacula de præsenti: altare de futuro, ubi plena charitas.*

Symbolice S. Thomas lucem dicit esse veterem legem: 18.
veritatem, novum testamentum. Symbol.

Nota primo, lux prudentiæ et scientiæ necessaria est sacerdoti. Exod. 28. 30. *Pones autem in rationali iudicii* (divini, quo Deus oraculum et iudicium, id est, sententiam suam et voluntatem enuntiabat) *doctrinam et veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino.* Pro *doctrinam* Hebr. est ארים *urim*: pro *veritatem* Hebr. est תמים *thummim*. Urim Sept. vertunt δηλωσεις, alii δηλα, alii φωτισμους, hoc est, splendores, claritates, illuminationes. Et quidem אור *ur*, flammam, vel focum, in quo ignis lucet, significat. Unde collige, nec sacerdotis lucem debere esse sine flamma, nec flammam sine luce. Sit oportet lucerna ardens et lucens coram Deo, Angelis et hominibus. *Thummim* vero significat perfectiones, integritates. Mendacium vocatur peccatum, veritas virtus est atque perfectio. *Urim* porro et *thummim* nihil aliud erant quam duodecim gemmæ rationalis, sic vocatæ, quod per illas Deus perfecte illuminabat Pontificem, et eius voce populum, cui reddebat oracula: ita Abulensis et Lipomanus. Secundo, *urim et thummim* erant duæ gemmæ diversæ ab aliis duodecim in eodem rationali positis, in quibus scripta erant nomina duodecim tribuum: ita Arias. Tertio, *urim et thummim* erant adamas, qui, cum Pontifex ingrederetur in Sancta sanctorum, si populus peccato pollutus esset, nigresceret; si Deus illum punire decrevisset, sanguinei coloris efficeretur; si non peccasset, albesceret ut nix: ita Anastasius Nicen. quæst. 38. in S. Scripturam. Quarto, ad rem nostram maxime est opinio S. Cyrilli, qui cap. 24. Collectaneorum opinatur *urim et thummim* non fuisse aliquid arte factum, alioqui Scriptura diceret quomodo illa fuissent constructa: sed fuisse cognitionem spiritualem, quæ ingrediebatur cor sacerdotis, quando pectori suo imponebat rationale. Origenes eadem mente dixit: Quomodo fœmina aut textor potuit texere doctrinam et veritatem? Sapientia ergo est quæ utrumque facit. Quinto tamen puto, *urim et thummim* fuisse acu picta in rationali, litteris maiusculis inter duodecim gemmas insertis. Cum enim rationale esset quadratum in omni latere habens palmum maiorem seu spithamam, id est, duodecim digitos, spatium erat sufficiens ad illa, imo adhuc plura nomina inscribenda.

Scientia est necessaria sacerdoti.

Urim et Thummim.

B

C

Urim non erat oraculum, nulla enim vox egrediebatur ex rationali: sed erat index oraculi: Sacerdos enim indutus rationali, in quo erat *urim*, edocebatur a Deo de futuris rebus, et vice Dei responsa dabat populo: unde dicebatur Deus consuli, aut respondere per urim. Ubi adverte, quod tunc erat indutus Pontifex vestes omnes Pontificias, nempe fœminalia linea, tunicam lineam strictam, zonam lineam, quæ tunicam illam astringebat, tunicam hyacinthinam, id est, confectam ex lana hyacinthini seu cærulei coloris, zonam seu baltheum illius tunicæ, tiaram, et Ephod in quo erat rationale, et in rationali duodecim gemmæ cum nominibus *Urim et Thummim.*

Urim erat index oraculi.

D

In pectore Aaronis, qui montanum significat, et aliorum Pontificum Iudaicorum emicabat Urim: in sacerdote autem Evangelico, qui est cor Ecclesiæ, scientia effulgeat oportet. S. Cyrillus Alexandr. illud Isaiæ cap. 1. 5. *Omne caput languidum, et omne cor mærens*, considerans ait: *Cor nuncupare videtur sacrosanctam et selectam tribum, id est, leviticam, velut lege eruditam, et curam totius corporis agentem.* S. Chrysost. lib. 6. de Sacerdotio: Φωτος δικην, ait, την οικουμενην καταυγαζοντος, λαμπειν δει του ιερεως την ψυχην: *Luminis instar universum orbem illustrantis,*

Sacerdos est cor Ecclesiæ

Sacerdos debet esse lux.

sacerdotis animum splendescere oportet. S. Hilarius lib.8. de Trinitate dicit, summam omnium virtutum Episcopalium esse doctrinam. S. Gregor. Nyssen. orat. de S. Basilio, ait ipsum æque ac Mosem, δια τον λογον τον ϛυλον του πυρος δαδουχησας, propter eruditionem et sapientiam, ignis columnam splendoremque alte sustulisse ad populum dirigendum. Nam si Clemens Alexandrin. lib. 7. Stromat. agens de viro pio, vult illum esse splendentem lucem: ου μετουσια πυρος, ait, φωτεινος: αλλα ειναι ολος φως βουλεται: id est, *non ignis participatione lucidus, sed vult totus esse lux*: quanto magis hoc de sacerdotum ordine dicetur, cuius est ad lumen deducere? ut ait S. Dionysius Areopagita lib. de Eccl. Hierarch. cap. 5.

S. Gregorius Nazianz. orat. 38. vocat Angelos δευτερας λαμπροτητας, λειτουργους πρωτης λαμπροτητος, secundos splendores, primi splendoris administros. Et orat. 1. ait, Ecclesiæ præsides φωτιζειν πεπιϛευμενους, habere munus illuminandi alios sibi concreditos. Angelos scilicet alteros efficit, qui homines doctrina sacra illuminent. A S. Isidoro Pelusiota lib. 1. dicitur sacerdos, φως εκκλησιας, Ecclesiæ lumen; a S. Dionysio Areopag. epist. 10. S. Ioannes Evangelista appellatur ηλιος ευαγγελιου, sol Evangelii; a S. Gregor. Nazianz. orat. 23. S. Athanasius nuncupatur, της οικουμενης οφθαλμος αγιωτατος; a S. Leone serm. 4. in Natali Apostolorum Petri et Pauli, duo illi Apostoli dicuntur esse in Ecclesiæ corpore geminum lumen oculorum. S. Maximus de Eccles. mystagogia, cap. 5. sapientiam vocat πασης της κατα χριϛιανους θειοτατης φιλοσοφιας περας, totius divinissimæ Christianorum philosophiæ finem. In liturgia S. Chrysostomi, sacerdos et diaconus sæpe inclamant, ϛωμεν καλως, stemus honeste: item, ορθη σοφια, id est, recta sapientia. Hoc et ipsi sibi dictum putent: ut alios illuminent, lucidi sint oportet.

S. Ioannes dictus est sol Evangelii.

19. Levit. 21. 18. præcipitur, ne cæcus ad ministerium sacerdotale admittatur, v. 20. ne lippus, aut albuginem habens in oculo, quod S. Gregorius 1. part. Pastoralis cap. ultimo, sic ad mores traducit: Primo, *cæcus est, qui supernæ contemplationis lumen ignorat, qui præsentis vitæ tenebris pressus, dum venturam lucem nequaquam diligendo conspicit, quo gressus operis porrigat, nescit. Hinc enim prophetante Anna dicitur* 1. *Regum* 2. 9. *Pedes sanctorum suorum servabit, et impii in tenebris conticescent.* Secundo, qualis sit lippitudo explicat: *Lippus est, cuius quidem ingenium ad cognitionem veritatis emicat, sed tamen hoc carnalia opera obscurant. In lippis quippe oculis pupillæ sanæ sunt, sed humore defluente infirmatæ palpebræ grossescunt.* Tertio denique, *albuginem habet in oculo, qui veritatis lucem videre non sinitur: quia arrogantia sapientiæ et iustitiæ cæcatur. Pupilla namque oculi nigra videt: albuginem tolerans, nihil videt: quia videlicet sensus humanæ cogitationis, si stultum se peccatoremque intelligit, cognitionem intimæ claritatis apprehendit. Si autem candorem sibi iustitiæ, sive sapientiæ tribuit, a luce se supernæ cognitionis excludit. Roman.* 1. 22. *Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.*

Cæcus non admittebatur ad sacerdotium Mosaicum.

Nec lippus.

Nec albuginem habens in oculo.

20. Nota secundo, veritas necessaria est sacerdoti: *Emitte lucem tuam, et veritatem tuam.* Pythagoras dicebat, veritatem post Deum colendam esse: utpote quæ homines Deo proximos facit, ut ait S. Hieronymus contra Ruffinum. Episcopi, ut ait Clemens Alex. debent esse γνωμονες της αληθειας, perfecti gnomones et regulæ veritatis. Primo, Episcopi et alii sacerdotes debent habere veritatem doctrinæ. S. Hieron. in cap. 4. Amos: *Vir, ait, Ecclesiasticus veritatis simplicitate contentus hæreticorum supellectilem, et eloquentiæ fulgorem, argumentorumque divitias non requirit.* In fimbria tunicæ hyacinthinæ Pontificis ponebantur tintinnabula aurea, ut audiretur sonus quando ingrediebatur et egrediebatur sanctuarium in conspectu Domini, quod sic S. Hieronymus moraliter exposuit: *Tanta debet esse scientia et eruditio Pontificis Dei, ut et gressus eius, et motus, et universa vocalia sint. Veritatem mente concipiat, et toto eam habitu resonet et ornatu: ut quidquid agit, quidquid loquitur, doctrina sit populorum. Absque tintinnabulis enim, et diversis coloribus, et gemmis, floribusque virtutum, nec Sancta ingredi potest, nec nomen Antistitis possidere.*

Veritas est necessaria sacerdoti.

I. Veritas doctrinæ.

Secundo enim debet sacerdos habere veritatem vitæ. S. Chrysost. in epist. 2. ad Thessal. Sacerdos, inquit, magis debet esse doctor vitæ, quam sermonis. Et homil. 73. in Matth. Quemadmodum, ait, homo, ubicumque fuerit, cæteris animantibus præstat: ita doctorem decet, sive loquatur, sive sileat, sive in conviviis, sive alibi sit, cæteris hominibus præcellere: adeo ut incessu, et aspectu, et habitu, omnibusque simpliciter aliis in rebus præstantior esse videatur. Lege S. Ambros. epistol. 6. ad Irenæum. Tintinnabula aurea ponebantur in tunica hyacinthina Pontificis, quia prius debet esse vita cælestis, quam curetur doctrinæ sonus. S. Gregorius 2. part. Pastor. cap. 1. *In sacerdotis,* inquit, *habitu ante omnia aurum fulget, ut in eo intellectus sapientiæ principaliter emicet. Cui hyacinthus, qui aerio colore resplendet, adiungitur, ut per omne quod intelligendo penetrat, non ad favores intimos, sed ad amorem cælestium surgat.* Vide illum 1. p. cap. 3. II.

II. Veritas vitæ.

Nota tertio, lux et veritas a Deo petendæ sunt, ideo dicitur: *Emitte lucem tuam, et veritatem tuam*, quod dicitur, tua est lux et veritas, nostræ sunt tenebræ: tuam lucem et veritatem volo, non lucem fallacem mundi et carnis: sed necesse est ut illam emittas, qui ad eam enim assurgere non possum, veniat ad me, in me moretur, me illuminet. S. Dionysius tract. de divinis nominibus, cap. 4. Deum vocat ακτινα πηγαιαν, και υπερβλυζουσαν φωτοχυσιαν, lucem fontalem, et superfluentem luminis effusionem. Sacerdotes præsertim illuminat, ut monet Clemens Alexandrinus in Prophetico: Αγιος, ait, γινομαι μυουμενος, ιεροφαντει γαρ ο κυριος, και τον μυϛην σφραγιζεται φωταγωγων: Sanctus fio initiatus, sacrorum hierophanta et interpres Deus est, mystam obsignat illuminans. Hinc in liturgia S. Iacobi statim ut assistit sacerdos altari, dicitur: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto*, τριαδικω και ενιαιω φωτι θεοτητος, *trino et uni lumini divinitatis.* 21.

Lux et veritas a Deo peti debent.

ARTICULUS III.

Quænam virtutes in ipso altari sunt exercendæ.

GRADIBUS tribus in altari iam positis, assignatis ducibus duobus, qui sacerdotem ad illud ducant, restat ut virtutes consideremus, quæ illi comites esse debent in ipso altari, ut ex sacrificio fructum colligat. Sex autem hinc erui aliquatenus possunt, 1. contemplatio cælestium; 2. tranquillitas mentis; 3. immolatio sui; 4. fervor; 5. laus Dei; 6. denique, unio cum Deo.

Ac primo, necesse est, ut Sacerdos per contemplationem ascendat in montem, ut ibi Deum videat, eique se immolet, ac sua. v. 3. IPSA ME DEDUXERUNT ET ADDUXERUNT IN MONTEM SANCTUM TUUM. *Montem* sumit Didymus symbolice, pro sublimiori de Trinitate, serm. 2. S. Chrysostom. et Hesychius *montem* dicunt esse legem: nam Dei lege nihil est sublimius. Tertio, S. Cyrillus *montem* ait esse Ecclesiam, quatenus in sublimi positam: ut quæ mente percipitur, nec humile quidquam habet. Nam dignum est, ut credentium in Christum multitudo nihil terrenum sapiat, sed in cælestibus eius conversatio sit, licet in terris ambulet: ita Cyrillus. Quarto, *montem* Trevetus arbitratur hic vocari Iudæam montuosam. Quinto, et melius Lorinus *montem* hic intelligit montem Moria, qui erat pars montis Sion, in quo tempore Davidis nondum erat templum, sed tabernaculum cum arca: erat vero tempore, quo populus exulabat in Babylone: favet Chald. qui vertit, *in montem domus sanctuarii tui.* Sexto, et optime Bellarminus montem hic ait esse cælum, in quo est cælestis Ierusalem. Vide S. Ioannem Apocal. 21. 10. 22.

Vers. 3. 2. Pars. Mons sanctus Dei, qualis?

Nota, si templum est mons mysticus, montis vertex est altare in quo videndum se et palpandum, ac pro voluntate tractandum offert Deus. Cum Eleazarum Aaronis filium Pontificis vestibus Moses iubetur exornare, illi præcipitur, ut id faciat in monte Hor, id est demonstrante, ostendente. Hoc autem fecit in ipso montis supercilio, ubi statim 23.

Altare est mons altus.

Eleazar in monte induitur.

mortuus est Aaron, et ei successit in Pontificatu, quod esset filius eius natu maior. Num. 20. 28. *Cumque Aaron spoliasset vestibus suis, induit eis Eleazarum filium eius, illo mortuo in montis supercilio.* Quo denotatur et sacerdotii eminentia præ cæteris dignitatibus, et sacerdotis animum esse a terra subducendum. Immolaturus Isaac Abraham ascendit in montem Moria, id est, visionis, Genes. 21. qui sic dictus est, quod Deus, id est, Angelus legatus Dei, ibi conspectus est ab Abrahamo, et quod ipse vidit Abrahamum oculis misericordiæ et beneficentiæ. Isaacum, id est, risum æterni Patris, immolat sacerdos in altari, quod est mons visionis et contemplationis.

Isaac in monte erat immolandus.

24. Altare est cælum.

24. Si mons Psalmi nostri est cælum, ut Ugo, Bellarminus, et alii volunt, cælum empyreum est altare, cum ibi Deus ipse thronum suum fixerit, cum ibi trementes Angeli assistant, cum sacerdos ipse, velut alter Angelus et cælestis civis, sacris operetur. S. Ignatius epist. ad Trallian. *Quid est*, ait, *aliud Episcopus? Christi imitator. Quid cœtus presbyterorum sacer? Quid diaconi, quam imitatores Angelicarum virtutum, quæ purum et inculpatum ministerium Deo exhibent?* S. Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio, H. ἱερωσύνη, ait, τελεῖται μὲν ἐπὶ τῆς γῆς, τάξιν δὲ ἐπουρανίων ἔχει πραγμάτων: *Sacerdotium ipsum in terra quidem peragitur: sed in rerum cælestium classem ordinemque referendum est.*

25. Sacerdos Deo se uniat.

25. In id præcipue sacerdoti incumbendum est, ut in illo sacro altaris monte proximus Deo suo sit, et divino soli se totum expandat, atque in eum intentus cælestibus radiis totus colluceat. S. Antioch. homil. 122. *Sacri*, ait, *principatus scopus est, quantum humanæ vires ferunt, ut Deo se assimilet, atque uniat, Deum habens sacræ totius scientiæ et operatoriæ virtutis præceptorem.* S. Gregorius Nazianz. orat. 21. in illis quos vocat τοὺς τοῦ Θεοῦ, *homines Dei*, duo notat, ἀνάβασιν, *ascensum*, et θέωσιν, *deificationem:* atque orat. 42. docet, quod sequatur inde Θεὸς θεοῖς ἑνούμενος, *ut Deus diis uniatur.* S. Maxim. lib. de cæl. Hier. ait, sacerdotes frui iucundissimo ad Deum accessu, τοῦ Θεοῦ θεουργῷ, qui hominem Deum efficiat. S. Ignat. epistola ad Polycarpum, vocat οἰκονόμους καὶ παρέδρους Θεοῦ, divinorum bonorum œconomos, Deique assessores. Et S. Dionysius de Eccl. hier. cap. 1. appellat hierarchiam nostram θεουργικήν, deos efficientem. Clemens vero Romanus Constit. Apostol. lib. 2. cap. 26. nuncupat sacrorum præfectum, ἐπίγειον Θεόν, terrestrem Deum.

In Missa præsertim.

In Missa præsertim est hæc sacra unio cum Deo, ac veluti Deificatio: et quidem in liturgia S. Petri monemur, ut sursum corda elevemus; et in liturgia S. Iacobi dicitur, ἀνασχῶμεν τὸν νοῦν καὶ τὰς καρδίας, sursum habeamus mentem et corda. Quandoque etiam pedem inter orandum erigebant Christiani, ut se a terrenis abhorrere, et ad omnia promptos paratosque esse ostenderent, sicut testatur Clemens Alex. lib. 7. Strom. πόδας, inquit, ἐπεγείρομεν ἐνα μετάρσιον ποιησάμενοι τὴν ψυχήν, etc. pedes erigimus, ut sublimem facientes animam, etc. Sacerdos præsertim in Missa mentem elevet, necesse est. S. Chrysostomus: *Cum, ait, sacerdos Spiritum sanctum invocaverit*, καὶ φρικωδεστάτην ἐπιτελῇ θυσίαν, *et sacrificium illud horrore ac reverentia plenissimum fecerit, communi omnium Domino manibus pertractato: quæro ex te quoto illum in ordine collocabimus? quantam vero ab eo integritatem exigemus? quantam religionem? Considera enim quales manus hæc administrantes esse oporteat? qualem linguam, quæ verba illa effundat? qua denique re non puriorem, sanctioremve esse animam, quæ tantum illum, tamque dignum spiritum receperit?* Τότε καὶ ἄγγελοι παρεστήκασι τῷ ἱερεῖ, καὶ οὐρανίων δυνάμεων ἅπαν τάγμα βοᾷ, καὶ ὁ περὶ τὸ θυσιαστήριον, πληροῦται τόπος εἰς τιμὴν τοῦ κειμένου: *Per id tempus et Angeli sacerdoti assident, et cælestium potestatum universus ordo clamores excitat, et locus altari vicinus in illius honorem qui immolatur, Angelorum choris plenus est.*

Quare si licuit Clementi Alex. lib. 7. de viro pio orante dicere: μετ' ἀγγέλων εὔχεται ὡς ἂν ἤδη καὶ ἰσάγγελος: *Precatur cum Angelis, ut qui iam sit etiam æqualis Angelis, neque est unquam extra sanctam custodiam*, κἂν μόνος εὔχεται, τὸν τῶν ἁγίων χορὸν συνεστάμενον ἔχει: *Et licet solus oret, habet chorum Angelorum una assistentem.* Quid dicetur de sacerdote in Ecclesia pro toto populo orante? cum Ecclesia sit, ut loquitur S. Germanus Patriarcha Constantinopol. de rerum Eccles. contemplatione: ναὸς Θεοῦ, τέμενος ἅγιον, οἶκος προσευχῆς, *templum Dei, delubrum sanctum, domus orationis?*

Secunda virtus necessaria sacerdoti ad altare accedenti est animi tranquillitas, ex Dei Angelorumque sacro consortio et convictu enascens. Ideo additur, v. 3. Et in tabernacula tua. Domus enim Christi est altare, in quo dies noctesque demoratur. Ibi doctor est animæ tranquillæ, eamque arcana sua et selectissima mysteria docet. Chald. *Et in scholas domus maiestatis suæ.* Vers. 3. 3. Pars.

Tabernacula hic, ut ait Hesychius, sunt præcepta Dei: in ipsis enim iusti habitant, sed variis modis, dum quisque tabernacula virtutum sibi constituit: ita ille; sed hoc est symbolicum, sicut quod montem dicit esse legem Dei, ut supra vidimus.

Secundo, *tabernacula* sunt reliqua terræ sanctæ loca, in quibus Deus colebatur: ita Genebrardus, qui montem putat esse templum structum in monte Moria. 26.

Tabernacula Dei varia.

Tertio, *tabernacula* sunt loca circa templum orationi destinata, ait Lyranus.

Quarto, *tabernacula* possunt accipi pro uno tabernaculo, et pro ipso templo: ita S. Basilius et Theodoretus. Nam in uno tabernaculo sive Mosis, sive Davidis, et in templo Salomonis erant tres partes: nempe Sancta sanctorum, Sanctum, atque atria Levitarum et populi.

Quinto, ad literam optime, sicut per montem intelligitur cælum, ita per tabernacula sumitur domus ipsa Dei; ubi sunt multæ mansiones, et multa tabernacula pro electis: ita Eusebius, Bellarminus, et alii.

Nota, Sacerdos in altari tranquillam mentem habere debet, sicut in cælo. Si enim de populo fideli dicitur, Isai. 32. 18. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta;* quid fiet sacerdotibus, qui sunt domestici Dei? S. Gregor. 14. Moral. 21. in illud cap. 19. Iobi: *Inquilini domus meæ, et ancillæ, sicut alienum habuerunt me*, ait sacerdotes esse inquilinos domus Dei: ancillas vero, esse Levitas tabernaculo servientes. 27.

Sacerdos mente sit tranquilla.

In Dei conspectu Seraphim alas contrahunt, faciemque obvelant: at Deus sacerdotum se manibus tractari patitur, atque omnem in partem converti. Euthymius illum locum Ps. 23. 3. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius?* de sacerdotibus explicat, qui in monte, hoc est, in templo: et in loco sancto, id est, in altari assistunt Deo cum Angelis. S. Chrysostom. homil. de Seraphim, ad orationis ardorem nos hortatur, eo quod cum Principibus cælestibus voces iungamus. *Una*, inquit, *cum Seraphim canis, una cum Seraphim sta, cum illis alas extende, cum illis regium thronum circumvola.*

Sacerdos in templo versari debet, velut in cælo, divinorumque spiritum pacem et quietem æmulari. S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus de rerum Ecclesiasticarum contemplatione: ἐκκλησία, inquit, ἐστὶν ἐπίγειος οὐρανὸς ἐν ᾗ ὁ ἐπουράνιος Θεὸς ἐνοικεῖ, καὶ ἐμπεριπατεῖ: *Ecclesia est terrenum cælum, in quo supercælestis Deus inhabitat et inambulat, glorificata super tabernaculum Mosis, et in Patriarchis præfigurata, in qua propitiatorium est, et Sancta sanctorum, in Prophetis prænuntiata, in Hierarchis exornata, et in Martyribus consumata, et in throno sanctarum reliquiarum fundata.*

Tertia virtus necessaria sacerdoti in altari, est sui ipsius immolatio et oblatio in perfectum holocaustum, v. 4. Et introibo ad altare Dei (Chaldæus, *Et introibo ut offeram oblationem super altare Domini*) ad Deum qui lætificat iuventutem meam. Vers. 4. 1. Pars.

Quæres, quodnam altare hic intelligitur? Primo, S. Hieronymus et Hesychius sumunt altare crucis: *Hoc*, inquiunt, *est vere altare Dei.* In ipso enim Dei Verbi sacrificium, qui pro nobis mactatus est, peractum est: illic nostra iuventus lætitia afficitur; per crucem enim exuentes veterem hominem, novum Adam induti sumus, a quo nostræ 28.

Altare Dei varie expositum.

1.

substantiæ renovata iuventus iure lætatur: ita illi. Sed hoc alienius ab hoc loco.

II. Secundo, Theodoretus sumit altare materiale templi Ierosolymitani, ad quod aspirent captivi in Babylone.

III. Tertio, S. Thomas *altare Dei* sumit intransitive, id est, Deum ipsum. Ugo etiam Cardinalis sensum esse ait: *Introibo ad altare, quod est Deus, ad quem intrantes, sumuntur in holocaustum igne amoris succensi.* Bellarminus ab ea mente non multum recedit, cum ait sensum esse, q. d. Introibo ad altare Dei, nempe cælum, ingrediuntur, continuo sacerdotes fiunt, ut ex illis eorum verbis intelligi potest: *Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes,* Apocal. 5. de altari cælesti hic est mentio.

IV. Quarto, ad rem præsentem maxime est quod ait S. Cyrillus: Qui, ait, ex gentibus sunt, aiunt se in tempore vocationis ingressuros ad sanctissimum altare Dei, in quo hostiam incruentam facimus, et pro composito thymiamate quasi cithara utentes, laudes Deo offerimus, cuius fructus est lætitia iuventutis, quam Deus mentem renovando facit: Exuite enim, inquit, veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, et induite novum, qui secundum Deum creatus est in sanctitate et iustitia, de quo Propheta loquitur Ps. 102. *Renovabitur ut Aquilæ iuventus tua:* ita Cyrillus.

29. Introitus Missæ. Nota cum Stephano Duranto lib. 2. de ritibus Ecclesiæ, cap. 11. Introitus dicitur, quod a choro canitur, sacerdote ad altare introeunte, ut ait Rupertus lib. 1. de divinis officiis, cap. 28. Microlog. de Eccl. observation. cap. 1. Rabanus lib. 1. de Institutione Clericorum, cap. 33. Antiphona, quæ cantatur ad introitum, ait Radulph. Tungrens. lib. de can. observant. in Romano, Introitus appellatur; in Ambrosiano vero nomen Ingressus meruit habere. Conradus lib. 1. cærem. cap. 1. putat introitum dictum quasi proœmium. Rhenan. vero ad Tertullianum de corona militis, docet introitum appellari, quod dum conveniebant Christiani in templum, populo introeunte, Psalmus Davidis cantabatur. At verius est ab introitu sacerdotis ad altare, introitum, et nomen et originem sumpsisse. Introitus sacerdotis Missæ initio primum Christi adventum significat. Anastasius Episcopus Nicænus, in quæstion. in Scripturam, cap. cuiusnam typum et figuram habet Ecclesia. Sicut introitus sacerdotis adventum Christi designat, sic et Antiphona, quæ dicitur ad introitum, iubilo cantilenæ desiderium adventus eius notat. Multi Reges et Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et audire quæ auditis, Matth. 11. et Luc. 10. Chorus autem dilatat animam suam, et in iubilo cantat introitum, quoniam Prophetæ, Patriarchæ, reges et sacerdotes, omnesque fideles summo cum desiderio adventum Christi expectabant, clamantes: Emitte agnum Domine: veni Domine, et noli tardare: ita Rupert. Tuitiens. lib. 1. de divinis officiis, cap. 28. Ivo Carnot. opuscul. de convenientia veteris et novi sacrificii, Innocentius III. lib. 2. myst. Missæ, cap. 18. Hugo a S. Victore lib. 2. de Eccles. offic. cap. 14.

Moraliter. Sacerdos in altari seipsum immolet. S. Hieron. in Ps. nostr. *Introibo*, inquit, *ad altare Dei, ubi non iam vitulos et arietes, sed meipsum exhibeam hostiam vivam placentem illi.* Omnes quidem Deo immolare se debent, sed præcipue sacerdotes et quidem in Missa altari ferventius.

30. Christiani se immolent in altari cordis. Primo, Christianos omnes decet sacrificium in altari cordis. S. Gregorius 25. Moral. 7. *Altare Dei est cor nostrum, in quo iubetur ignis semper ardere, quia necesse est ex illo ad Dominum flammam charitatis indesinenter accendere. Cui per singulos dies sacerdos ligna subiiciat, ne extinguatur. Omnis enim Christi fide præditus, membrum utique summi sacerdotis effectus est.* Et S. Paulinus epist. 5. ad Severum, qui se terrenis omnibus bonis abdicarat: Quale, inquit, te sacrificium Deo exhibere video, in templo tui corporis, in sacrario tui cordis, in immolatione tuæ carnis, in oblatione tuæ animæ. Immolas taurum, cum pia humilitate depositus cervicem altam percussisti timore divino. Immolas hædum, cum omnia sinistræ partis opera, iustitiæ sectator interficis. Ovem iugulas, cum diligens operarius studiosusque meditator divinæ voluntatis et legis inertiam vitæ et ignaviam quasi pecus molle prosternis, et a te vitæ istius impedimenta, quasi vellera tondenti utilia, onerosa gestanti forcipe verbi cælestis recidis: ita Paulinus. Vide Ps. 25. 6.

Secundo, sacerdotibus præsertim necessaria est hæc immolatio. S. Cyril. Alexand. in Ioelem de ipsis loquens, μονον ουχι, ait, υπερ απαντων την ιδιαν Θεω καθιερουσι ζωην: Tantum, non pro omnium salute Deo vitam suam consecrant. Et in Oseam ait, ωσπερ μεσιτας εαυτους ιερουργειν, tamquam Mediatores se mactare Deo in holocaustum. S. Gregor. 2. part. Pastoral. cap. 3. *Sacerdoti*, ait, *in esu quoque pectusculum cum armo tribuitur: ut quod de sacrificio præcipitur sumere, hoc de semetipso auctori discat immolare: et non solum pectore quæ vera sunt cogitet, sed spectatores suos ad sublimia armo operis invitet, nulla prospera præsentis vitæ appetat, nulla adversa pertimescat. Blandimenta enim mundi respecto intimo terrore despiciat: terrores autem considerato internæ dulcedinis blandimento contemnat.* 31. Sacerdotes Deo se immolent.

In Ecclesia præsertim. Tertio, in Ecclesia præsertim hæc sui oblatio sacerdoti facienda est. Nam, ut ait S. Germanus de rerum Ecclesiasticarum contemplation. εκκλησια εστιν οικος θειος ενθα η μυστικη ζωοθυσια γεγονε: *Ecclesia est domus divina, ubi mysticum vitæ sacrificium celebratur, et interiora sacrarii, et sancta spelunca. ubi sepulcrum*, και τραπεζα η ψυχοτροφος, και ζωοποιος, *et mensa nutrix animarum, et vivifica.*

Et in altari. Quarto denique, in altari vel maxime oblatio sui sacerdoti facienda est. S. Germanus loco mox citato: θυσιαστηριον, ait, εστιν ιλαστηριον εν ω προσεφερετο περι της αμαρτιας: *Altare est propitiatorium, in quo offerebatur pro peccato iuxta sanctum monumentum Christi, in quo altari victimam se Christus obtulit Deo Patri per oblationem corporis sui, velut agnus immaculatus.* Hugo a S. Victore, cap. 52. in Psalm. In montem, inquit, ductus sum per operationem. Introibo ad altare per dilectionem. In montem, ut alta crederem: in tabernacula, ut fortia facerem: ad altare, ut me immolem.

32. Vers. 4. 2. Pars. Serviendum est Deo cum lætitia. Quarta virtus sacerdoti necessaria in altari, est fervor per renovationem mentis atque alacritatem, vers. 4. AD DEUM QUI LÆTIFICAT IUVENTUTEM MEAM. Hoc fiet per resurrectionem corporis, ac dotes gloriæ, quibus renovabitur sicut aquilæ iuventus nostra, ut habetur Ps. 102. 5. ubi plura de renovatione mentis et corporis dixi: in cælo, ut ait S. Paulus Ephesis cap. 4. v. 13. *Occurremus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Iacobus Iansonius recte advertit in hoc Psalmo omnia exprimi, quæ pertinent ad plenam beatitudinem. Nam 1. mons designat sublimitatem gloriæ; 2. tabernacula, societatem Sanctorum, diversasque mansiones in domo Patris; 3. altare, Christum, quod est beatitudinis obiectum secundarium, ut homo est: Deus obiectum primarium; 4. lætificatio iuventutis, resurrectionem; 5. confessio in cithara, iubilationem mentis, oris et gutturis in resurrectione, in quo erunt exaltationes Dei, et exultationes etiam vocales, ac veluti vox citharœdorum citharizantium in citharis suis, Apoc. 14. 2. Hanc exultationem in virginibus præsertim agnum sequentibus contemplans, ait lib. 2. de Virginibus: *Tunc Maria tympanum sumens choros virginales excitabit cantantes Domino, quod per mare sæculi sine sæcularibus fluctibus transierunt. Tunc unaquæque exultabit dicens: Introibo ad altare Dei mei, ad Deum qui lætificat iuventutem meam. Immolo Deo sacrificium laudis, et reddo Altissimo vota mea. Neque dubitaverim vobis patere altaria, quarum mentes altaria Dei confidenter dixerim, in quibus quotidie pro redemptione Christus immolatur. Nam si corpus virginis Dei templum est, animus quid est, qui tamquam membrorum cineribus excitatis, sacerdotes æterni redopertus manu vaporem divini ignis exhalat? Beatæ virgines, quæ tam immortali spiratis gratia, ut horti floribus, ut templa religione, ut altaria sacerdote.*

Nota, pro *iuventutem meam*, Hebraice est גילי *ghili*,

33. *Iuventus animi dat lætitiam.* id est, *exultationem meam*, ut S. Hieron. Felix, Flaminius, et alii Hebraizantes vertunt. Sed, ut recte ait Bellarminus, hoc vocabulum rarissime invenitur in Scripturis: et sicut ex auctoritate S. Hieronymi credere possumus significare exultationem: ita ex auctoritate Septuaginta interpretum possumus credere significare *iuventutem*. Quod autem habetur Daniel. 1. *ghilichem*, non significat ut quidam dixerunt, *iuventutem*, sed similitudinem ætatis. S. Hieronym. enim pro illa voce posuit, *coævis nostris*, et ex eius auctoritate S. Pagnin. in Dictionario suo docuit, *ghil*, significare multitudinem. Nemo igitur reprehendere potest Septem interpretes, vel editionem vulgatam: ita Bellarminus. Adde *exultationem* in abstracto, posse sumi more Hebræo pro *re* exultante: anima scilicet vel corpore iuvenescente et se renovante. Item, pro iuventute exultante.

Nota secundo, per *iuventutem*, S. Augustinus intelligit *novitatem*, quod de cælesti innovatione sic exponit: *Lætificat novitatem meam, qui contristavit vetustatem meam. Incedo enim modo tristis in vetustate, tunc autem stabo gaudens in novitate.*

34. *Renovatione opus est.* Ut ad hanc novitatem nunquam veterascentem veniatur, innovatio sæpe facienda est in hac vita. S. Leo sermone 6. de Quadragesima: *Semper*, inquit, *necessaria est omnibus contra rubiginem mortalitatis quotidiana renovatio, et inter profectuum gradus, nullus est qui non semper melior esse debeat.* Inde oritur lætitia vera et solida. Hugo a S. Victore, cap. 52. in Psalmos: *Si*, ait, *exterior homo noster vetus corrumpitur, interior homo ille noster de die in diem renovatur. Caro enim nostra, quæ per mortem dissolvitur, in præsenti vita non renovatur. Spiritus autem iuventutem suam in hac vita renovare incipit, quando per gratiam Dei virtutibus renovatis desideria vetusta deponit. Deus ergo non vetustatem nostram, sed iuventutem lætificat; quia quanto magis caro foris atteritur, tanto magis mens spiritali gaudio consolatur*: ita Hugo. S. Paulus Timotheum Episcopum Ephesinum hortatur, epistola 2. cap. 1. v. 6. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei*, quæ gratia veluti mortua iacet, cum operatio virtutum languescit. S. Ambrosius vertit, *ut recrees donum Dei*, dicitque illum invitari ad mentis alacritatem, sicut in novitate ordinationis gaudetur. Ubi vides cum iuvenili innovatione lætitiam, quæ duo David in Psalmo nostro iungit dicens: *Qui lætificat iuventutem meam.* Utrumque etiam coniungit Eliphaz Themanites cap. 22. Iobi v. 26. *Super omnipotentem deliciis affilues*, en lætitiam: *et elevabis ad Deum faciem tuam*, en reparationem animi per aspectum æterni Solis, et aversionem a terrenis.

35. *Sacerdos in altari fit homo novus.* Sacerdos in altari vestibus sacris effulgens apparet homo novus, et in Deo suo exultat renovatus. S. Ambros. id amplificat lib. 4. de Sacramentis cap. 2. *Sequitur*, inquit, *ut veniatis ad altare. Cœpistis venire, spectarunt Angeli, viderunt vos advenientes, et humanam conditionem illam, quæ ante peccatorum tenebroso squalore sordebat, aspexerunt subito refulgere. Ideoque dixerunt: Quæ est hæc quæ ascendit a deserto dealbata? Mirantur ergo et Angeli. Vis scire quia mirantur? Audi ergo Apostolum Paulum dicentem, ea nobis esse collata, quæ concupiscunt et Angeli videre. Et iterum* 1. *Corinth.* 2. 9. *Quod oculus non vidit, nec auris audivit quæ præparavit Deus diligentibus se. Deinde quid acceperis, recognosce. S. David Propheta hanc gratiam in figura vidit, et concupivit. Vis scire quia concupivit? iterum audi dicentem, Ps.* 50. *Asperges me hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor. Quare? Quia nix quamvis sit candida, cito aliqua sorde nigrescit, atque corrumpitur. Ita gratia, quam accepisti, si teneas quod accepisti, erit diuturna atque perpetua. Veniebas ergo desiderans ad altare, utpote* qui tantam gratiam videras, veniebas desiderans ad altare quo acciperes Sacramentum. Dicet anima tua, Ps. 42. *Introibo ad altare Dei mei, ad Deum qui lætificat iuventutem meam.* Deposuisti peccatorum senectutem, sumpsisti gratiæ iuventutem. Hoc præstiterunt tibi Sacramenta cælestia. Denique iterum audi dicentem David Ps.

A 102. *Renovabitur sicut aquilæ iuventus tua.* Bona aquila esse cœpisti, quæ cælum petis, terrena fastidis. Bonæ aquilæ circa altare. Ubi enim corpus, ibi et aquilæ. Forma corporis altare est, et corpus Christi in altari: aquilæ vos estis, renovatæ ablutione delicti.

Quinta virtus sacerdoti in altare necessaria, est laus Dei, seu gratiarum actio ob tantam benignitatem et charitatem erga homines in Sacramento, v. 4. CONFITEBOR TIBI (Chald. coram te) IN CITHARA (id est, cithara. Hebræi enim ponunt nomen instrumenti cum præpositione. Cithara porro ponitur pro omni instrumento musico. Est synecdoche: species scilicet pro genere) DEUS, DEUS MEUS. Id de hac et alia vita intelligi potest. In cælo citharas dat S. Ioannes Apocal. 5. 8. *Habentes singuli* (viginti quatuor seniores) *citharas et phialas aureas plenas odoramentorum.* Ubi Cornelius: Per citharas, ait, intellige instrumenta musica: puta organa, citharas, chelydes, tibias, etc. quibus Sancti in corpore glorioso psallunt, et laudant Deum: hæc enim in cælo fore insinuat hic Ioannes, sicut B cap. 14. v. 2. ubi e cælo audivit vocem, et symphoniam quasi citharœdorum citharizantium in citharis suis. Corpora enim aures Beatorum, uti et reliqui sensus, æque ac mens et spiritus, suam in cælo habebunt voluptatem, eamque summam. Maior autem et suavior est melodia instrumentorum, quam vocum: summa vero melodia est, planeque perfecta, cum vocibus organa, citharæ et chelydes consonant et concrepant. Si ergo hic in Ecclesiis laudamus Deum, non tantum vocibus, sed etiam organis aliisque instrumentis musicis, quidni et in cælo, ubi longe plenior et consonantior erit Dei laus et hymnodia? Porro citharæ illæ cælestes et organa longe nostris pretiosiores, sublimiores et resonantiores sunt. Hinc S. Anselmus in Elucidario: *O qualis*, ait, *voluptas auditus illorum, quibus incessanter sonant harmoniæ cælorum, et concentus Angelorum, dulcisona organa omnium Sanctorum!* S. Augustin. in Meditat. cap. 25. *Omne*, ait, *opus eorum laus Dei sine fine, sine defectione, sine labore. Fe-* C *lix ergo et vere in perpetuum felix, si post resolutionem huius corpusculi audire meruero illa cantica cælestis melodiæ, quæ cantantur ad laudem regis æterni ab illis supernæ patriæ civibus.* Et clarius cap. 26. in hymno paradisi: *Novas*, ait, *semper harmonias vox meloda concrepat; et in iubilum prolata mulcent aures organa; qui sunt victores regi dant præconia.* Denique in vitis Patrum legimus non raro, eos audisse musicam non tantum vocum, sed et instrumentorum cælestium, sicut de S. Francisco refert S. Bonaventura, quod cum averet audire cælestem musicam, Deo annuente audierit Angelum scitissime citharam pulsantem: ita Cornelius, qui addit, per citharas intelligi posse cum Andrea Cæsariensi et Areta, quamlibet modulationem et hymnodiam, qua ore consono omnes Sancti uniformiter laudant Deum: ut sit metalepsis, quod dicitur, expediti erant hi viginti quatuor seniores cum quatuor animalibus, parati, prompti et avidi ad modulandum hymnos Eucharisticos, et ad Dei, Agnique laudes personandum, idque concorditer et consonan- D ter, ac si omnes citharœdi essent. 36. *Vers. 4. 3. Pars. An citharæ materiales sint in cælo?*

37. *In psalterio et cithara cantandum est Deo.* Nota, pro *in cithara*, Symmachus vertit, εν ψαλτηριω. Sæpe enim unum et idem nomen Hebræum instrumentorum musicorum variis nominibus, tum Latinis, tum Græcis exponitur. Tropologice S. Augustinus distinguit, in cithara, et in Psalterio confiteri: *Quid est*, ait, *in cithara confiteri, et in Psalterio confiteri? Non enim semper in cithara, nec semper in Psalterio. Duo hæc organa musicorum habent inter se distinctam discretamque rationem: dignam consideratione, et commendatione memoriæ. Utrumque hoc manibus portatur et tangitur, et significat opera quædam nostra corporalia. Utrumque bonum, si quis norit psallere, si quis norit citharizare. Sed quia psalterium istud organum dicitur, quod ex superiore parte habet testudinem: illud scilicet tympanum et concavum lignum, cui chordæ innitentes resonant: cithara vero idipsum lignum cavum et sonorum ex inferiore parte habet: discernenda sunt opera nostra, quando in psalterio sint, quando*

in cithara: utraque tamen placita Deo et suavia eius auditui. Quando ergo ex præceptis Dei aliquid agimus, iussis eius obtemperantes, et obaudientes ob implenda præcepta eius, ubi facimus, et non patimur, psalterium est. Faciunt enim ita et Angeli, non enim aliquid patiuntur. Cum autem aliquid patimur tribulationum, tentationum, scandalorumque in hac terra, quia non patimur, nisi ex inferiore parte, id est, ex eo quod mortales sumus, ex eo quod primæ nostræ causæ quiddam tribulationum debemus, et quia patimur multa ab eis, qui non sunt desuper cithara est. Venit enim sonus suavis ex inferiore parte, patimur et psallimus, vel potius cantamus vel citharizamus. Quando dicebat Apostolus evangelizare se, et prædicare Evangelium toto orbe terrarum ex præcepto Dei, quia illud Evangelium se non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum accepisse dicebat, desuper sonabant chordæ. Cum vero dicebat Gal. 1. Gloriamur in tribulationibus, scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem: cithara sonabat ex inferiore quidem, sed tamen dulciter. Omnis enim patientia dulcis est Deo. Si autem in ipsis tribulationibus defeceris, citharam fregisti. Quare ergo modo dixit, confitebor tibi in cithara? Propter illud quod dixerat, ut quid tristis incedo dum affligit me inimicus? Patiebatur enim quiddam ex inferiore afflictione, et in eo ipso tamen volebat placere Deo, et gratias gestiebat agere Deo fortis in tribulationibus. Et quia sine tribulatione esse non poterat, patientiam Deo debebat. Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus, et rursus ad animam suam, ut ex inferiore illo sonoro ligno capiat sonum: Ut quid tristis es anima mea, ut quid conturbas me: ita Augustinus.

38. Nota secundo, proprium est sacerdotum in altari Deum laudare, eique gratias agere. Locum Apoc. 5. 8. iam citatum de 24. senioribus thronum Dei cingentibus, et habentibus citharas, exponit Alcazar noster de sacerdotibus in Missa. Adoratio agni, ait, referenda est ad Missæ sacrificium: illæ enim gratiæ Christo redemptori nostro præ cæteris placent, quæ illi in altaris sacrificio referuntur; quod idcirco nominatur Eucharistia, *id est*, gratiarum *actio*: et in eo gratiæ aguntur Christo, quod nos sanguine suo redemerit, et plurimis aliis beneficiis, quæ ex redemptione dimanarunt, cumulaverit. Hinc adorantes dicunt: *Quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo.* Putat autem illic auctor 24. seniores esse sacerdotes novi Testamenti, quorum proprium est sacrificare et offerre Missæ sacrificium: hæc enim est eorum adoratio et Eucharistia, id est gratiarum actio. Habent ergo citharas, easque pulsant, id est, exultant et gratias agunt Deo ob peccatorum conversionem. Agunt enim gratias Deo et Christo, quod hominibus duris suum spiritum communicarit, cum aperuit eis librum signatum, id est, cum eos luce suæ doctrinæ et Evangelii illustravit, ut fecit Saulo, cum eum effecit Paulum. Citharæ enim significant gaudium, ac lætitiæ voluptatem. Phialæ aureæ sunt calices aurei, quibus sacrificium Missæ offerunt. Hi enim calices spiritualiter præstant idem quod phialæ sive prunaria, in quibus odores incenduntur. Nam sacerdos in calice Missæ offerunt thymiama, id est, contritionem et orationes eorum, qui ad Dei cognitionem et amorem sunt traducti. Unde in calicis oblatione dicitur: *Offerimus tibi Domine calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam, ut in conspectu divinæ maiestatis tuæ, pro nostra et totius mundi salute ascendat.* Hæc subtiliter sed parum ad litteram.

Sacerdotes in altari Deum laudent.

39. S. Germanus sacerdotes Seraphinis pares facit Deum laudantibus, diaconos vero Angelis. De sacerdotibus quidem dicit tract. de Eccl. rerum contemplatione: πρεσβυτεροι κατα μιμησιν των Σεραφικων δυναμεων εισι, ταις μεν στολαις δικην πτερυγων κατακεκαλυμμενοι: *Presbyteri ad imitationem sunt Seraphicarum potestatum, stolis vice alarum contecti*, ταις δε δυσι πτερυξι των χειλεων υμνον βοωντες, *duabus alis labiorum, hymnum illum voce cantantes*, και νοι-

Sacerdotes sunt Seraphini.

A τον αντρακα χριστον, *et tenentes divinum et spiritalem carbonem Christum in altari prehensione manus manifesto gestantur.* De diaconis vero subtexit: Οι δε διακονοι εις τυπον των αγγελικων δυναμεων, λεπταις λεπτων ωραριων πτερυξι: *Diaconi vero ad typum Angelicarum potestatum, tenuibus tenuium orationum alis, velut administratorii spiritus in ministerium missi. Ac primum tunica, quæ alba est, divinitatis splendorem indicat et sacerdotis splendidam conversationem.*

Diaconi sunt Angeli.

S. Chrysostomus homil. 1. de verbis Isaiæ, docet cantum in Ecclesia esse imitationem της αγγελικης χοροστασιας, Angelicorum ordinum stationis et chori. Et sic admirans exclamat: O mira Christi dona! in supernis Angelorum exercitus canunt gloriam, in terris homines, εν εκκλησιαις χοροστατουντες, in Ecclesiis choros agentes, ad illorum exemplum eamdem canunt gloriam, ita communis cælestium et terrestrium festivus conventus et panegyris coalescit. Hæc Chrysostomus. Ideo fit ardentius, quo propius ad Deum acceditur: id autem contingit maxime in B altari, ubi sacerdos Christum manibus tangit, ore osculatur, pectore accipit. Hinc mirabundus Nicolaus Cabasilas in expositione liturgiæ: *Protinus*, ait, *ad Deum accedentes, inaccessibilem eius gloriam, et potentiam, et magnitudinem mente cogitamus*, ω θαυμα, και εκπληξις, και τα τοιαυτα ακολουθει, *quod quidem admiratio et obstupefactio, et quæ sunt eiusmodi, consequuntur.*

Sexta denique virtus sacerdoti in altari necessaria, est unio perfecta cum Deo, et terrenorum omnium contemptus, vers. 5. QUARE TRISTIS ES ANIMA MEA, ET QUARE CONTURBAS ME? SPERA IN DEO, QUONIAM ADHUC CONFITEBOR ILLI, SALUTARE VULTUS MEI, ET DEUS MEUS. Hoc Eusebius explicat de Deo viso facie ad faciem. Ille aspectus omnem fugabit tristitiam. In hac etiam vita excludi debet tristitia, quæ ob res terrenas et perituras oritur. Ut enim ait Bruno in Psalm. nostr. *Frequenter David admonet tristitiam fugiendam istius sæculi, quoniam bonis rebus semper adversa est. Per hanc enim robur patientiæ frangitur, charitatis lumen extinguitur, spei desi-* C *derium viriusque mollescit, et omnis vita confunditur. Tristitia vero de peccatis amplectenda est, quoniam ad perpetuam sospitatem dirigit.* S. Augustinus hic monet, loqui non carni animam, quia tristitia animæ est dolor carnis: non carnem animæ, quia absurdum esset ut inferior alloqueretur superiorem: sed intellectum ipsi animæ: *Intellectus noster*, inquit, *alloquitur animam nostram: ista in tribulationibus marcida est, fessa in angoribus, contracta in tentationibus, ægra in laboribus. Erigit eam mens desuper capiens veritatem.* 40.

Vers. 5. Tristitia est fons malorum.

Nota, Christus in altari est salutare nostrum, et Deus noster. Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædagog. cap. 2. docet, eos qui Eucharistiæ sunt participes, αγιαζεσθαι και σωμα και ψυχην, et anima et corpore sanctificari. Ibi nos corroborat, et arrham dat vitæ atque illuminationis et lætitiæ perennis. Nicolaus Cabasilas in expositione liturgiæ, ait, Christum pro pane et vino oblatis reddere, αρτον ζωντα, και ποτηριον ζωης αιωνιου, panem viventem, et calicem vitæ æternæ: corpus scilicet suum et sanguinem. 41.

Christus in altari est salutare nostrum.

D Concludamus, et ista quidem sacerdotibus propria esse fateamur: non tamen sic a cæteris excludenda, ut in eorum participationem venire non debeant. S. Ambr. lib. 5. in Lucam, explicans cur David panes propositionis comedisset, rationem hanc mysticam reddit. Primo, quod David figura Christi extiterit. Secundo, *ut per illam demonstraret figuram, sacerdotalem cibum ad usum transiturum esse populorum. Sive quod omnes vitam sacerdotalem debemus imitari: sive quia omnes filii Ecclesiæ sacerdotes sunt. Ungimur enim in sacerdotium sanctum, offerentes nosmetipsos Deo hostias spiritales.* Hostias itaque cum semper in promptu habeamus, et altare cordis in nostra potestate sit, holocaustum Deo perpetuum immolemus, ut toti divini effecti Deum totum tota anima possideamus, et spiritali communione in eum transformemur.

PSALMUS QUADRAGESIMUS TERTIUS.

1. In finem, Filiis Core ad intellectum.

2. Deus auribus nostris audivimus: patres nostri annuntiaverunt nobis.
Opus, quod operatus es in diebus eorum: et in diebus antiquis.
3. Manus tua gentes disperdidit, et plantasti eos: afflixisti populos, et expulisti eos:
4. Nec enim in gladio suo possederunt terram, et brachium eorum non salvavit eos:
Sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui: quoniam complacuisti in eis.
5. Tu es ipse rex meus et Deus meus: qui mandas salutes Iacob.
6. In te inimicos nostros ventilabimus cornu, et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.
7. Non enim in arcu meo sperabo: et gladius meus non salvabit me.
8. Salvasti enim nos de affligentibus nos: et odientes nos confudisti.
9. In Deo laudabimur tota die: et in nomine tuo confitebimur in sæculum.
10. Nunc autem repulisti et confudisti nos: et non egredieris Deus in virtutibus nostris.
11. Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros: et qui oderunt nos, diripiebant sibi.
12. Dedisti nos tamquam oves escarum: et in gentibus dispersisti nos.
13. Vendidisti populum tuum sine pretio: et non fuit multitudo in commutationibus eorum.
14. Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem et derisum his, qui sunt in circuitu nostro.
15. Posuisti nos in similitudinem gentibus: commotionem capitis in populis.
16. Tota die verecundia mea contra me est, et confusio faciei meæ cooperuit me.
17. A voce exprobrantis, et obloquentis: a facie inimici, et persequentis.
18. Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te: et inique non egimus in testamento tuo.
19. Et non recessit retro cor nostrum: et declinasti semitas nostras a via tua:
20. Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, et cooperuit nos umbra mortis.
21. Si obliti sumus nomen Dei nostri, et si expandimus manus nostras ad deum alienum:
22. Nonne Deus requiret ista? ipse enim novit abscondita cordis.
Quoniam propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oves occisionis.
23. Exurge, quare obdormis Domine? exurge, et ne repellas in finem.
24. Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiæ nostræ et tribulationis nostræ?
25. Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra: conglutinatus est in terra venter noster.
26. Exurge Domine, adiuva nos: et redime nos propter nomen tuum.

PSALMI QUADRAGESIMI TERTII ANALYSIS.

Martyres in hoc Psalmo loquentes duo diversissima Ecclesiæ tempora ostendunt: nempe

- Pacis, 2. in qua
  - Apostoli 2.
    - Dei virtutem prædicant. 2.
    - Idololatriam destruunt. 3.
    - Veram fidem plantant. 3.
  - Deus 4.
    - Potentia iuvat. 4.
    - Sapientia illuminat. 4.
    - Benignitate recreat. 4.
- Et belli, 5. in quo
  - Martyres
    - Agunt
      - Fide, qua
        - Deum regem suum et salvatorem profitentur
        - Et hostes Ecclesiæ superant. 5.
      - Spe, 7. qua
        - De suis viribus diffidunt Deo solo freti. 7.
        - Et victoriam reportant Deo pugnante. 8.
      - Charitate, 9. qua
        - Triumphi sacri pæana Deo canunt. 9.
        - Et in eius bonis gloriantur. 9.
    - Patiuntur
      - In animæ bonis, per
        - Subtractionem auxilii sensibilis. 11.
        - Et suppliciorum metu ad fugam incitantem. 11.
      - In bonis fortunæ, per
        - Divitiarum amissionem. 11. 12.
        - Patriæ iacturam. 12.
        - Libertatis privationem. 13.
        - Famæ deperditionem. 14. usque ad 18.
        - Etiam sine culpa. 18. 19.
      - In bonis corporis, per
        - Vitæ amissionem, 20. cum timore divini iudicii. 21. 22.
        - Et dirissimam lanienam. 22.
  - Deus 23.
    - Afflictos nonnunquam videtur deserere. 23. 24. 25.
    - Orandus ut exurgat pro Martyribus vindex. 23.
    - Vultus splendore pugnantes recreet. 24.
    - Manu in terra iacentes erigat. 25.
    - Tortoribus traditos iuvet ac liberet. 26.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. In finem, filiis Core ad intellectum.

1. De titulo Psalmi. Titulus huius Psalmi, ut recte ait Bellarminus, nihil differt a titulo Ps. 41. nisi quod in eo vox *intellectus*, præponebatur, hic postponitur. Ibi erat intellectus filiis Core: hic est filiis Core intellectus, ut est in Hebræo: vel ad intellectum, ut est in Græco et Latino. Et fortasse nullum est in hac transpositione mysterium. Fortasse etiam vox *intellectus*, præposita significat in eo Psalmo deplorari calamitates præteritas, vel presentes: in hoc autem postponitur, quia deplorantur calamitates futuræ, longe post tempora Davidis: conveniunt enim sancti Patres hunc Psalmum continere prædictionem rerum, quæ post tempora Davidis contigerunt: ita Bellarminus.

2. Psalmus hic non est de Iudæis victis a Tito, et nunc deiectis. Quæres, de quibus sit hic Psalmus? Primo, Iudæi explicant de præsenti sua captivitate facta per Romanos. Sed merito id relieiunt Lyranus, Iansenius, et alii, 1. quia non contigit sine eorum culpa; 2. quia finem nunquam est habitura: non sunt enim unquam redituri in patriam suam, ut dicitur Luc. 21. 24. *Cadent in ore gladii, et captivi ducentur in omnes gentes, et Ierusalem a gentibus calcabitur, donec impleantur tempora nationum*, id est, usque ad finem mundi.

Sed de captivis in Babylone. Secundo, S. Cyrillus, Origenes, Eusebius censent hic loqui eos, qui in captivitatem Babylonicam ducti sunt. Quod non male dicitur. Licet enim ob scelera populi ea captivitas contigerit, multi tamen erant viri iusti, qui in hoc Psalmo contenta dicere poterant. Tales erant Daniel, Ezechiel, Ananias, Azarias, Misael, et alii multi.

Aut de Machabæis Martyribus. Tertio, et melius, S. Basil. S. Chrysost. S. Ambros. Euth. Aiguan. Valentia, Iansenius, Lyranus, ac Theodoretus volunt hic agi de Martyribus, qui tempore Machabæorum passi sunt sub Antiocho Epiphane, de cuius crudelitate dicam sect. 3.

Aut de Martyribus primitivæ Ecclesiæ. Quarto, et adhuc verius, S. Ambr. S. August. S. Hier. Iansenius, et alii plurimi, sumunt Psalmum nostrum de Martyribus, qui post Christi mortem dirissimas persecutiones passi sunt a Romanis Imperatoribus. Ideo S. Aug. filios Core vocat filios passionis. Vide dicta Psalmi 41. in explicatione tituli.

Aut potius de omnibus Martyribus. Quinto denique et optime ac plenissime, Psalmus hic est primo de Martyribus, qui passi sunt in captivitate Assyriaca sub Sennacherib, cum eos Tobias senior magna charitate sepeliebat anno mundi 3326. Secundo, de Martyribus, qui passi sunt sub Antiocho Epiphane, cum ab Ægypto expulsus iussu Romani Senatus venit Ierosolymam, ubi omnia cædibus complevit anno mundi 3887. ante Christum 166. imperii Græc. 145. Urbis conditæ 586. ac deinde per suos præfectos cogere voluit Iudæos ad idolorum culturam. Tertio, ad Martyres qui in primitiva Ecclesia passi sunt, Psalmus præcipue pertinet. Quarto denique, ad omnes pertinet, qui in Francia, Anglia, Scotia, Germania, Transylvania, Iaponia, aliisque provinciis hoc nostro sæculo ac superiori vitam pro Christo posuerunt, et ad omnes, qui quocumque tempore exstiterunt, aut existent Martyres, in gravi præsertim ac generali persecutione.

Quæres secundo, cur huic Psalmo præfigitur titulus, *ad intellectum*, sive *intellectus?* *3. Cur Psalmo præfigitur, ad intellectum?*

Resp. primo, ut intelligamus mala nostra, si toleranter ferantur, cessare, dum Deus ipse ad ferendam nobis opem excitatur: ita Hesychius. Secundo, ut solum Deum appetamus: ita Ugo. In tribulatione enim datur intellectus æternorum bonorum, ut ait S. August. *Si*, ait, *semper Deus in istis prosperitatibus faveret nobis, ut omnia nobis abundarent, nullamque in tempore isto mortalitatis nostræ tribulationem, nullas pressuras angustiasque pateremur, non diceremus, nisi ista esse summa bona quæ præstat Deus servis suis, et maiora ab illo non desideraremus. Ideo autem huic vitæ male dulci miscet amaritudines tribulationum: ut alia quæ salubriter dulcis est, requiratur, hoc est intellectus filiis Core.*

Tertio denique, ut intelligamus in hac vita esse laborandum et luctandum: ita S. Ambros. *Luctandum*, inquit, *adversus carnis huius illecebras, et fervorem sanguinis. Luctandum est adversus nequitias spiritales. Nemo gravior domestico adversario, nemo nocentior hoste eo, qui cælestis substantiæ potentia suffragatur. Certemus ergo usque ad finem, ut evacuatis omnibus, quæ adversum Iesu Domini voluntatem in nostro ante corpore militabant, vere exercitiis virtutis intenti, soli Deo nostro et Domino serviamus. Hinc enim finis, ut scriptum est 1. Corinth. 15. primitiæ Christus, deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem, ut mors novissima destruatur: et incipiamus Deo esse subiecti, regnum in nobis cæleste servantes, ubi erat ante colluvio peccatorum.* Deinde subdit, ad hæc percipienda opus esse intellectu. *Merito*, ait, *in finem filiis Core Psalmus intellectus inscribitur, ut in eo cognoscendo non vulgaris auditus, sed intellectus spiritalis operetur. Denique Aquila Psalmum disciplinæ posuit. Et ideo tibi dicit Scriptura: Da in disciplinam cor tuum: aures autem tuas præpara sermonibus intellectus. Et alibi: Dilige sapientiam et disciplinam. Sapientia est quæ sensus scaturit. Disciplina in habitudinem quamdam naturæ coalita forma virtutum, et mentis confirmata sententia scientiæ disciplinis. Sapientia semper quasi mater fœcunda parturit, disciplina quasi severior magistra distringit.*

DIVISIO TOTIUS PSALMI

4. Martyres hic loquentes quatuor faciunt. Primo, felices fidei victorias Dei virtute partas prædicant, vers. 2. Secundo, suos triumphos Deo subnixi præsagiunt, vers. 5. Tertio, pugnas suas et vulnera describunt, vers. 10. Quarto denique,, opem Dei exercituum implorant, vers. 23.

SECTIO PRIMA.

Tria asserunt Martyres. Primo, certitudinem rei, quam narrant, nempe destructionis idololatriæ et plantationis fidei, v. 2. Secundo, illius magnitudinem et excellentiam, ibid. Tertio denique, illius auctorem Deum, v. 3.

PARAPHRASIS.

2. *Deus auribus nostris audivimus: patres nostri annuntiaverunt nobis.*

2. O intemerata et inexhausta parentis optimi bonitas, non incerto vulgi rumore, sed a patribus nostris audivimus.

Opus, quod operatus es in

Innumera stupendaque opera, quæ cum ipsi viverent, effecisti: quæque in maio-

diebus eorum: et in diebus antiquis. — rum suorum gratiam præstita, nobis narraverunt, ut eorum contemplatione excitati, supremam potentiam tuam, et paternam erga eos bonitatem miraremur.

3. *Manus tua gentes disperdidit, et plantasti eos: afflixisti populos, et expulisti eos:* — 3. Inter quæ opera illud eminet, quod gentes fortissimas et numerosissimas e terra Chananitide expulisti: iisque eliminatis et funditus excisis, in earum locum patres nostros statuisti, ut regiones illas optimas incolerent. Lumini tuo rebelles illos barbaros iteratis cladibus affecisti, ac tandem e finibus iis populo tuo destinatis exterminasti.

4. *Nec enim in gladio suo possederunt terram, et brachium eorum non salvavit eos.* — 4. Tibi hæc uni debita est victoria: quis enim non videat maiores nostros armorum suorum vi terram illam urbibus munitis refertissimam, militibusque exundantem non subiugasse? nec artibus suis ac robore insidias insultusque tot hostium declinasse?

Sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui: quoniam complacuisti in eis. — Sed potenti manu tua ac robore, benignoque favore hæc tam prospera illis obtigisse? quoniam tu illos peculiari amore præ cæteris populis prosecutus es?

QUÆSTIO UNICA.

QUANTA VICTORIA DEI, ET APOSTOLICORUM VIRORUM, IN GENTIUM BARBARARUM CONVERSIONE.

5. MARTYRES expositari gravissima sua tormenta et persecutiones, prius ostendunt summam Dei erga maiores suos benignitatem: sive in ingressu terræ promissionis, sive in dilatatione fidei: sive potius in utroque, ut dicetur infra.

Ac primo, certitudinem rei ponunt, v. 2. *Deus auribus nostris audivimus, patres nostri narraverunt nobis.* Secundo, tempus assignant: *Opus quod operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis.* Tertio, magnitudinem victoriæ celebrant, cum hostes fuerint funditus deleti, v. 3. *Manus tua gentes disperdidit.* Ipsi vero firmiter stabiliti: *Et plantasti eos.* Quarto, modum victoriæ declarant: *Afflixisti populos, et expulisti eos.* Quinto denique, auctorem victoriæ Deum extollunt. Non enim humano robore hæc accidisse dicunt, v. 4. *Nec enim in gladio suo possederunt terram: et brachium eorum non salvabit eos*, sed divina virtute; unde subdunt: *Sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui: quoniam complacuisti in eis.*

ARTICULUS I.

Christus idololatriam et vitia mirabiliter debellavit.

6. Vers. 2. OPERA Dei omnia magna sunt, sed præcipua quædam mentem rapiunt et commovent: tale est illud, quod referunt Martyres, v. 2. DEUS AURIBUS (Hebraice, in auribus) NOSTRIS AUDIVIMUS: PATRES NOSTRI ANNUNTIAVERUNT NOBIS OPUS, QUOD OPERATUS ES IN DIEBUS EORUM, ET IN DIEBUS ANTIQUIS. Nota, *auribus audivimus*, est Hebraismus: sæpe enim Hebræi iungunt verbum cum nomine inde deducto, ut vita vivere, morte mori. Secundo, auribus audire denotat 1. certitudinem auditionis; 2. attentionem; 3. delectationem in audiendo. Ugo Cardinalis tria hic denotanda dicit, quæ necessaria sunt ad hoc, ut aliquis bene doceatur: *Primum, ait, est intentio et attentio eius, qui docetur, quod notatur ibi: Auribus nostris audivimus. Matth. 13. et Apoc. 3. Qui habet aures audiendi audiat. Ezech. 23. Nasum tuum, et aures tuas præcident. Secundum, est auctoritas et scientia eius qui docet, quod notatur ibi, Patres. Iob 12. 12. In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia. 1. Corinth. 4. 15. Et si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos Patres. Tertium est, ut is qui docet, et qui docetur, invicem se diligant, quod notatur cum dicit, Patres nostri. Et quid annuntiaverunt? Opera Domini:* ita Ugo.

Auribus audire.

7. Nota secundo, S. Ambros. Didymus et Hesychius vim faciunt in eo quod dicatur, *auribus nostris;* id est, Primo ait Hesychius, auribus animæ, quibus occlusis nihil nobis exteriores prosunt: cum plerumque vocibus ac verborum sonis perculsi nullum dictorum sensum habemus, cum alio conversas mentis aures teneamus: per Patres autem Prophetas intelligit, ut Mosen, et eos qui deinceps secuti sunt: ita ille. Secundo, Dydimus, de auribus humanis

Auribus nostris audire.

A dicit sermonem esse, quæ quidem cum ratione et mentis attentione audiunt. S. Ambrosius expressius expendit τὸ *nostris;* ait enim: *Si satis non esset audivimus, certe hoc placuerat, auribus audivimus, plenum erat. Cur ergo additum est, nostris? Quid sibi hoc vult? nisi ut intelligas illa esse nostra, quæ mentis sunt, et ea esse meliora, quam quæ istius corporis. Et ideo quasi de alio dicit hic ipse Propheta Ps. 55. 5. Non timebo quid mihi faciat caro. Et alibi Ps. 76. Voce mea ad Dominum clamavi, et vox mea ad Dominum, et respexit me. Illa vox mea quæ auditur a Christo, non quæ resultat in publico. Non vult igitur suum esse, quod corruptibile atque terrenum est, qui ad imaginem Dei et similitudinem meminit se creatum. Denique Scriptura nos edocet, prius ad imaginem Dei hominem esse formatum, postea de luto factum. Quasi superior ergo (superior enim, qui antiquior) et gubernator, et rector huius corporis animæ vigor dicit: Auribus nostris audivimus. Quis iste est, nisi cui dicitur: Qui habet aures audiendi, audiat. Sunt enim qui aures habent, et audire* B *mysteria non possunt: de quibus dicit Iesus in Revelatione Ioannis cap. 22. 5. Foris canes, et veneficos, et impudicos, quibus flagitiorum cupiditas, et ærugo pecuniæ aurem obstruit audiendi.*

Quæres, quos Patres intelligit? Resp. intelligi Patriarchas, Prophetas, Apostolos, sanctos viros, a quibus spiritaliter geniti sunt qui loquuntur. Item, patres ipsos ot avos carnales, qui mirabilia Dei opera filiis ac nepotibus narrarunt, sicut præcipitur Exod. 13. 8. Cum filiis Chore inscribatur hic Psalmus, S. Ambros. Patres spiritales tantum accipit, quia Chore, Dathan et Abiron terræ hiatu in deserto vorati sunt; deinde adiungit: *Qui sunt isti Patres? Vide ne illi, de quibus dictum est, Deut. 32. 7. Interroga Patrem tuum, ipse tibi dicet. Interroga quando legis Paulum: vel si non legis, et movet te aliquid, in ipso require. Ipse enim est bonus Pater, qui potest docere et formare in nobis Dominum Iesum; sicut ipse testatus est dicens, Galat. 4. 19. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Ostendit tibi hos Patres Evangelista* C *Ioannes, qui ait 1. epist. 2. Dico vobis Patres, qui cognovisti quod est ab initio. Isti sunt Patres, quorum senectus vita immaculata est. Ideo in conventu seniorum appone digitum ori tuo, ut audias quod tibi prosit, et vitæ æternæ sacramenta cognoscas.* Ita Ambros. recte de Patribus spiritualibus: sed non sunt excludendi Patres carnales: licet enim Chore, Dathan, et Abiron sint absorpti a terra, tamen filii Chore, qui servati sunt miraculose, ut dixi in Psalmo præcedenti, habuerunt multos posteros usque ad tempora Machabæorum, et Martyrum in primitiva Ecclesia. Chore enim a terra absorptus est anno mundi 2547. exitus ab Ægypto et datæ legis 4. ante Christum 1506. Antioch. vero Epiph. Ierosolymam cepit, et horrendis cædibus deformavit, anno mundi 3885. ante Christum 168.

8. *Quinam Patres intelliguntur in hoc Psalmo?*

Nota, in suis concionibus Machabæi sæpe ob oculos ponunt Patrum virtutem, et singularem Dei erga ipsos providentiam. Sic Primo, Mathathias pater Machabæorum suos filios, aliosque, præsertim Assidæos (qui erant milites belli sacri, et pro lege et synagoga nomen dabant militiæ sacræ) adhortans ad resistendum fortiter hostibus

9. *Machabæi sæpe faciunt Patrum mentionem.*

Dei, et suis, ait 1. Machab. 2. 51. *Mementote operum Patrum, quæ fecerunt in generationibus suis: et accipietis gloriam magnam, et nomen æternum.* Ponit deinde illis ante oculos Abrahamum, Iosephum, Phineem filium Eleazari filii Aaron: et eum vocat Patrem, unde patet Machabæos fuisse de tribu Levi: Iosue, Caleb, Davidem, Eliam, Ananiam, Azariam, Misaelem, Danielem, qui in eo sperantes, non sunt infirmati. Secundo Iudas Machabæus pugnaturus contra Gorgiam ducem Antiochi Epiphanis, habens in exercitu suo tantum tria millia militum, qui tegumenta et gladios non habebant, ait 1. lib. 4. 8. *Ne timueritis multitudinem eorum, et impetum eorum ne formidetis. Mementote qualiter salvi facti sunt Patres nostri in mari rubro, cum sequeretur eos Pharao cum exercitu multo. Et nunc clamemus in cælum, et miserebitur nostri Dominus, et memor erit testamenti* (pacti) *patrum nostrorum, et conteret exercitum istum ante faciem nostram hodie.* Id accidit; cæsa enim sunt tria millia de exercitu Gorgiæ, cætera fusa et fugata. Tertio, Iudas idem pugnaturus contra Nicanorem ducem Antiochi regis, suis in memoriam revocat cæsum ab Angelo ex Sennacheribi regis Assyriorum militibus centum octoginta quinque millia. Commissa pugna Nicanor primus est occisus, et totus exercitus ad internecionem deletus, ne uno quidem relicto superstite. Horum cognitio et commemoratio utilis est. Livius lib. 1. *Est præcipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta illustri posita monumento intueri: inde tibi, tuæque Reipubl. quod imitere, capere posse; inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites.* Philo lib. de sacrificiis Abelis et Caini: Historiarum, ait, lectio prodest ad parandam perfectam virtutem, et ad curam Reipublicæ. Demetrius Phalereus Ptolemæum regem Ægypti adhortari solebat, ut sibi pararet libros de regno, deque militari imperio gerendo tractantes, eosque evolveret: propterea quod ea, de quibus amici non audent admonere reges, in libris scripta habeantur, ut ait Laertius lib. 5. cap. 5. Adde præstantiam cognitionis et fœditatem ignorantiæ. Tullius enim vere ait, in Oratore, nescire quid antequam natus sis, acciderit, id est semper esse puerum. Præterea gesta veterum legere vel audire iucundum est Alphonsus rex adversa valetudine laborans Capuæ, medicis multa medicamenta adhibentibus, in gravissimo morbo Quinti Curtii historias de Alexandri Magni rebus gestis descriptas legere cœpit, cuius lectione delectatus, cum omnem morbi improbitatem superasset, sanitati restitutus, valeat, inquit, Avicenna, valeat Hippocrates, et alii medici, et vivat Curtius, restitutor sanitatis meæ, ut refert Antonius Panormitanus de rebus gestis Alphonsi, atque Æneas Sylvius de eius dictis. Denique utile est gesta veterum præsertim Sanctorum legere, vel audire. S. Basilius orat. in S. Gord. *Sicut,* inquit, *ex igne naturaliter emicat splendor, ex unguento quoque præstanti diffunditur odor: ita e Sanctorum commemoratione gestorum ad omnes provenit utilitas.*

10. *Opus Dei quale hic intelligitur?* Quæres, de quo opere hic loquitur David, cum ait: *Opus quod operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis?* Nota perperam Bredembachius ait, τὸ *et* per errorem irrepsisse, esseque eosdem, dies eorum et dies antiquos. Fateor in Hebræo non esse illam coniunctionem, sed subintelligitur, ut præ cæteris linguis in Hebraica est frequentissimum, sicut patet passim in Scripturis.

I. Resp. itaque primo, opus illud Dei factum in diebus antiquis esse opera Dei facta initio mundi, cum creavit et ornavit cælum et terram: opus vero quod factum est in diebus Patrum, esse liberationem ab Ægypto: ita Ugo Card.

II. Secundo, *opus quod operatus es in diebus eorum,* id est, patrum nostrorum, sunt opera recentiora, quæ Machabæorum pater Mathathias, et avi eorum ac maiores viderant: opus vero dierum antiquorum est liberatio ex Ægypto, deductio per desertum, introductio in terram promissionis, et similia.

III. Tertio, S. Chrysost. opus illud intelligit de operibus divinæ gratiæ, quod per eam in cælum sublimati simus, quod regno digni habiti, quod Deus homo factus, quod solvit intermediam sepis maceriam. S. Ambrosius opus in die factum, ait esse Christi resurrectionem, ex qua secuta est orbis illuminatio per gratiam. Verba eius sunt: *Dies alii peccatorum sunt. Hic ergo est dies, quem illuminavit sol ille iustitiæ. Nam et ipse ortus suos et occasus habere consuevit. Unde et scriptum est Ps. 71. 7. Orietur in diebus eius iustitia. Sunt ergo dies Christi, quibus orta iustitia est, et pacis abundantia: sunt dies Christi, quibus orta sapientia est. Audi quomodo exoriatur sapientia 1. Cor. 3. 18. Si quis videtur sapiens esse inter vos in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens. Ideo dicit, sapientia quæ stulta huius mundi elegit: Dominus creavit me principium viarum suarum in opera sua. Sicut enim in diebus Oziæ regis, in diebus Nabuchodonosor exorta perfidia est, dominata captivitas: sic in diebus Domini Iesu exorta est fides, quæ splendorem suæ claritatis et luminis toto orbe diffudit. Qui enim meliores dies, quam quibus refulsit nobis visio Dei? sicut dixit Iacob. Sic enim scriptum est Genes. 32. 30. Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea. Et continuo exortus est ei sol. Quis est iste sol? nisi qui dies fecit fulgere iustitiæ, quibus in terra natus est Christus ex Virgine. In specie vidit Iacob, et Deum vidisse se dixit. In veritate viderunt Iudæi, et non crediderunt: ideo illis breviati sunt dies, nobis illuminati: quoniam illis deficiebat dies, nobis appropinquabat.*

Quarto, opus Christi, Ugo Card. dicit esse opus nostræ IV.
redemptionis, quod operatus est in cruce moriendo. Ps. 73. 12. *Operatus est salutem in medio terræ.* Habac. 3. 2. *Domine audivi auditionem tuam* (oraculum tuum; est metonymia) *et timui: Domine opus tuum in medio annorum* (id est, inter annos a te præfixos; vel, in medio temporum, ut tantum temporis sit ab Incarnatione usque ad finem mundi, quantum fuit ab initio mundi usque ad Incarnationem) *vivifica illud.* Opus Incarnationis est proprie opus Dei, omnia enim alia superat sua admirabilitate, et magis Deum ipsum attingit, quam ulla alia. S. Bern. serm. 3. in Vigilia Nativitatis: *Tria opera,* inquit, *tres misturas fecit omnipotens illa maiestas in assumptione nostræ carnis, ita singulariter mirabilia, et mirabiliter singularia, ut talia nec facta sint, nec facienda sint amplius super terram. Coniuncta quippe sunt ad invicem Deus et homo, mater et virgo, fides et cor humanum. Admirabiles istæ misturæ, et omni miraculo mirabilius, quomodo tam diversa, tamque divisa ab invicem potuerint coniungi.* Et postea: *Contraxit se maiestas, ut quod melius habebat, videlicet seipsum, limo nostro coniungeret, et in persona una sibi invicem unirentur Deus et limus, maiestas et infirmitas, tanta vilitas et sublimitas tanta. Et attende, sicut in illa singulari divinitate trinitas est in personis, unitas in substantia: sic in ista speciali commistione trinitas est in substantiis, in persona unitas. Verbum enim, et anima, et caro, in unam convenere personam: et hæc tria unum: et hoc unum tria, non confusione substantiæ, sed unitate personæ.*

Quinto denique, opus Dei, de quo hic fit mentio, arbitror esse liberationem ab Ægypto, et omnia mirabilia facta in deserto, et in terra Chanaan. Allegorice vero intelligi conversionem nationum, et miracula stupenda in illa conversione perpetrata. Unde explicans subdit: V. *Et optime.*

Gentes a Deo fuisse debellatas, et fideles fuisse plantatos, v. 3. MANUS TUA GENTES DISPERDIDIT, ET PLANTASTI EOS: AFFLIXISTI POPULOS, ET EXPULISTI EOS, ex terra promissionis. Chananæos scilicet, ut explicat Chald. *Tu in manu fortitudinis tuæ populos Chananæos eiecisti, et plantasti eos in domum Israel in terra eorum.* *Vers. 3. 1. Pars.*

Quæres, quot gentes disperdidit Deus in Chananitide? 11. *Quot gentes in Chanaan devictæ?*
Resp. primo, quod Genes. 15. 19. numerantur decem gentes illius terræ, quibus si addas Hevæos, habebis gentes undecim, iuxta numerum filiorum Chanaan recensitos, Genes. 10. 5. illas pollicetur Deus se daturum Abrahami posteris, a fluvio Ægypti (qui est rivus Nili inter Rinocoluram et Pelusium influens in mare mediterraneum) usque ad fluvium magnum Euphratem, quas omnes gentes non possederunt Hebræi ob sua scelera, nisi tempore Davidis et Salomonis. Resp. secundo, septem præcipuas

gentes numerari Deuteron. 7. 1. atque illas fuisse partim funditus deletas, partim subiugatas per Iosue, ut ex eius libro constat. Illas mox enumerabo.

12. Allegor. Allegor. Hesychius de conversione gentilium, sic exponit. Nos, ait, gentes, quæ recenter ad Christum accessere, dicimus in hac prophetia intelligi: prius enim ob idolorum cultum eiectæ, rursus ad vitam per fidem in Christum vitæ auctorem plantatæ sunt. Nam Patris manus Unigenitus dicitur, qui per crucem simulacris inservientes extirpavit, quos Pater ad vitam conversos inseruit. Nam commune Patris, et Filii, et Spiritus sancti opus est mutatio gentium: ita ille. Hoc opus manus Dei esse docet Isai. cap. 49. 22. *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce levabo ad gentes manum meam, et ad populos exaltabo signum meum*, id est, vexillum crucis: ubi loquitur Deus quasi dux belli sacri, ait S. Cyrill. et S. Hier. Dei proprium est bellare et vincere. Cresolius lib. 1. mystag. cap. 1. Sanctum, inquit, adorandumque numen appellari voluit, *Deus Sabaoth*, hoc est, exercituum, quod esse unum de præcipuis Dei nominibus ait S. Hieron. epist. ad Marcellam. David in hoc classico obstupefactus et reverens, eumdem vocat *Dominum virtutum*, in Græco est δυνάμεων, id est, copiarum bellatricum. Aquila vertit, Dominum militiarum. Habacuc c. 3. Deum describit equitem, velut Cyllaro vectum Castorem, splendido curriculo volantem, vim ferentem atque victoriam, et equitatio eius salus. Ab Isaia cap. 3. dicitur κύριος στρατιῶν, Dominus agminum bellicorum, quibus intelligi ait S. Chrysost. in Isaiam pag. 697. Angelos, Archangelos, et supernas Virtutes. Recte quidem, nam in Genes. 35. dicuntur Angeli *castra Dei*, et alias, *militia* Dei vocantur, ut notavit S. August. q. in Genes. cap. 101. Hi currum Dei militarem cingunt Doryphori præcellentes, verissimi Carethi et Phelethi magnanimi, Davidis latus cingentes, quos S. Hieron. in quæst. Hebr. interpretatur occidentes et vivificantes; et alio loco, exterminatores et admirabiles. Hi supra Melephoros Persarum ornati, supra πῶλους Antiochi formosi, supra Alexandri Argyraspidas fortes et invicti, iam inde ab initio satanam impia audacia ferocientem, et inexpiabili scelere furiosum, et velut infamem Briareum regiam cælestem minis appetentem fregerunt, et cum sua desperata cohorte in æternos ignium globos egere præcipitem. Neque Angeli tantum bella Domini perficiunt, sed Apostoli et Apostolorum gratiæ successores. S. Isidor. Pelus. lib. 2. epist. 5. ἀπόστολοι, inquit, οἷον ὕπαρχοί τινες ἦσαν περὶ τὸν βασιλέα: Apostoli, velut præfecti erant circa regem. De cæteris Ecclesiæ ministris audi S. August. qui epist. 76. militiam clericatus vocat; 2. Sidonium Apollinarem, qui lib. 4. epist. 4. militiam clericalem; 3. Ennodium, qui pag. 566. militem altaris nuncupat diaconum, et in Epiphanii vita, Episcopum appellat ducem Christianum; 4. Tertullianum in matriculas sacerdotum relatum, qui exhort. ad cast. cap 12. *Nos milites*, ait, *sumus, eo quidem maioris disciplinæ, quo et tanti Imperatoris.*

13. Tropol. Septem gentes Chananææ sunt septem vitia capitalia. Tropologice, septem gentium extirpatio ex terra populi Dei, est extirpatio septem vitiorum capitalium ex anima iusti. Gentes illæ iubentur ad internecionem deleri, id est, ita ut nihil remaneat. Deuteron. 7. 1. ubi sic ait Moses: *Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam possessurus ingredieris, et deleverit gentes multas coram te, Ethæum, et Gergezæum, et Amorrhæum, Chananæum, et Pherezæum, et Hevæum, et Iebusæum, percuties eas ad internecionem. Non inibis cum eis fœdus.* Singulas videamus.

I. Gergezæi sunt symbolum superborum. Primo, Gergezæus est typus superbiæ. Nam 1. exponi potest colonum excidens. Rad. גר *gher*, peregrinus, advena, proselytus, et גזז *gazaz*, succidere, excidere: sic itaque verti poterit, peregrinum excidens. Secundo, *gazaz* significat germen excisum. Gergezæus erit, *peregrinus excisus*. Tertio, *gaz* est lana tonsa ab ovibus: tunc Gergezæus significabit, *peregrinum vellere suo spoliatum*. Quarto denique, si sumas etymon a גרר *garar*, excidere, succidere, et a גזז *gazaz*, quod eiusdem est significationis, Gergezæus idem erit, quod *excisione excisus*, et hoc

A etymon mihi magis arridet. Per Gergezæum, ait Ugo Cardinalis in Psal. nostro qui interpretatur colonum eiiciens: vel, advena appropinquans, significatur superbia, quæ diabolum eiecit e cælo, et Adam de paradiso: et ita dicitur colonum eiiciens. Dicitur etiam advena appropinquans: quia quanto magis homo vult per superbiam Deo appropinquare, id est, exaltari, tanto magis alienatur a Deo. Unde Isaiæ 14. 13. dicitur: *Dicebas in corde tuo, ascendam in cælum, similis ero Altissimo: verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.* Iob 20. 6. ait Sophar Naamathites de impio et hypocrita: *Si ascenderit usque ad cælum superbia eius, et caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur: et qui eum viderant, dicent: Ubi est? Velut somnium avolans non invenietur, transiet sicut visio nocturna.*

Secundo, avaritia figuratur in Chananæo, qui interpretatur negotiator, mercator. His temporibus avarus et mercator sunt pene synonima. Secundo, Chananæus significat humiliatum, depressum, deiectum, abiectum. Rad. II. Chananæi avarorum.
B כנע *cana*, deiicere, humiliare. Avaritiæ proprium est, 1. nullas sordes fugere, ut densum lutum possit acervare, eoque sese involvere; 2. cor in tristitiam absorbentem devolvere. Apocal. 18. 11. *Negotiatores terræ flebunt;* 3. in ultiorum barathrum præcipitare. Eccl. cap. 10. v. 10. *Nihil est iniquius, quam amare peccuniam.*

Tertio, luxuriam repræsentat Pherezæus, qui primo, ut ait Ugo, significat disseminantem; luxuria autem non curat ubi semen spargat. Ezech. cap. 23. v. 20. *Insanivit libidine super concubitum eorum, quorum carnes sunt ut carnes asinorum, et sicut fluxus equorum fluxus eorum.* Ierem. cap. 5. v. 8. *Equi amatores in fœmina, et emissarii facti sunt, unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.* Hæc ille. Non satis video unde eam etymologiam sumat. Secundo itaque melius Pherezæus exponetur, *hic iuvencus*. Nam פר *par*, est iuvencus: זה *ze*, hic. Talis est luxuriosus, qui in herbis vitulatur, et nullum præterit pratum, quod non pertranseat luxuria eius. Tertio denique, Pherezæus deduci potest a פרז *paraz*, id est, muro carere: III. Pherezæi luxuriosorum.
C unde *perazim* sunt orbes absque munitione et muro: sic Pherezæus idem est atque, *hic pagus absque muro*: quod maxime proprium est luxuriæ, quæ dæmonis, mundi, et carnis corruptioni semper patet.

Quarto, iræ symbolum est Hevæus: quia, si credimus Ugoni, significat lapides colligentem. Videat qui lapides iacit, ne in eum recidant. Eccl. 10. 9. *Qui transfert lapides, affligetur in illis.* Proverb. 26. 27. *Qui volvit lapidem, revertetur ad eum.* Etymon Ugonis non placet: nam Hevæus deducitur ab חוה *chava*, id est, indicavit, annuntiavit. Recte itaque Hevæum vertes, annuntians, nuntius, index, quod est proprium iræ, quæ velut vigil omnes animi et corporis facultates ad arma concitat, hostemque instare commonet. S. Isidor. Pelus. iram vocat epist. 218. lib. 1. βοηθὸν τῇ ψυχῇ, adiutricem animæ; et lib. 3. epist. 338. λογισμοῦ ὑπερασπιστὴν, rationis armigerum. IV. Hevæi iratorum.

Quinto, in Hethæo invidiam possis intueri. Idem enim V. Hethæi invidorum.
D est atque confractus; 2. formidans; 3. stupens, a Rad. חתת *hathat*, confringere, formidare, stupere, consternari; de mentis et corporis dicitur robore, utrumque invidia conterit. Iob cap. 5. v. 2. *Parvulum occidit invidia;* parvus est, qui alienæ magnitudini invidet. Amos 4. 6. *Dedi vobis stuporem dentium in cunctis urbibus vestris,* frondent scilicet invidi admirantes et dolentes omnia pro voto fluere aliis, non sibi. Unde Seneca dicit: Utinam invidi ubique oculos haberent, ut omnium felicitate torquerentur.

Sexto, per Iebusæum, ait Ugo, qui interpretatur præsepe, significatur gula: quæ semper vult esse ad mensam, quasi animalia bruta ad præsepe. Isaiæ 5. *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam.* Deducit illud etymon ab אבוס *ebus*, id est, præsepe; sed melius deduces a בוס *bus*, hoc est, spernere, conculcare, polluere, inquinare, prædari: quasi Iebusæus sit idem atque contemptibilis, pollutus, concul- VI. Iebusæi gulosorum.

candus, inquinatus, deprædans, quæ omnia gulæ quadrant, quæ est abiectissima, et abiectissimos facit; 2. cibos ut fera devorat; 3. prædas ubique captat, ut ventrem impleat.

VII. Amorrhæi pigrorum. Septimo denique, Amorrhæus est symbolum pigritiæ. Nam significat amaricantem. Rad. מרר *marar*, id est, amarus fuit. Pigritiæ fructus sunt amarissimi: fructus vero laboris assidui sunt suavissimi, atque succi pleni. Proverb. cap. 24. v. 30. *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti: et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem eius spicæ.* S. Ignatius epist. 7. Tarsenses hortatur, ut a pigritia sibi caveant, quod sit μητηρ ενδειας, mater indigentiæ et inopiæ. Lege S. Ambros. in Ps. nostr. et Cassianum collat. 5. cap. 16. et sequ. hæc septem gentium a populo Dei debellatarum nomina aliter applicantes. S. Ambrosius ait esse vetera vocabula, sed mysteria nova.

14. Vers. 3. 2. Pars. Non sufficit eradicare mala germina, nisi bona plantentur. Itaque additur v. 3. Et plantasti eos, id est, Chananæos in terra Chanaan, ut ait Caietanus, sed perperam. Secundo, *plantasti eos*, id est, patres nostros Israelitas, qui ex Ægypto transplantati sunt in terram promissam. Chald. *Et plantasti eos in domum Israel in terra eorum.* David eos comparat vineæ transplantatæ, Psal. 79. 5. et seq. vide ibi dicta. Viri iusti conferuntur arbori plantatæ secus decursus aquarum, illum etiam locum consule. Locum plantationis assignat Moses Exod. 15. 17. *Introduces eos, et plantabis in monte hæreditatis tuæ* (in monte Moria, ubi erit templum futurum domus et hæreditas Dei) *firmissimo habitaculo tuo quod operatus es Domine: sanctuarium tuum Domine* (supple est, vel erit) *quod firmaverunt manus tuæ.* A Salomone enim usque ad Titum, qui cepit Ierusalem, et templum evertit, non amplius extruendum, fluxerunt anni.

15. Plantatio populi Dei quinque notat. Nota, plantatio denotat suavem introductionem in terram; 2. stabilem et firmam sedem; 3. sollicitam Dei curam, ut illa plantatio solidetur et crescat; 4. spem fructus inde habendi; 5. iucunditatem omnium incolarum germinantium flores, frondes ac fructus fundentium. Isa. 35. 1. *Lætabitur deserta, et invia, et exultabit solitudo, et florebit quasi lilium, germinans germinabit, et exultabit lætabunda et laudans.* S. Ambrosius ad mores spectans ait in Psal. nostr. Præclare Moses in Exodi cantico ait: Inducens plantabo eos in montem hæreditatis tuæ, in præparatum habitaculum tuum: petens ut induceret Dominus populum suum *in illa præcelsæ virtutis sapientiæque plantaria*, ibique plantaret in opera sua, et institueret præceptorum cælestium disciplinis, atque in eo præpararet sibi suæ sanctificationis habitaculum: quod utique non hæreditario iure, nec nostrorum contemplatione meritorum, sed pro sua gratia Dominus conferre dignatur. Quomodo enim, ubi manere non potuimus, eo rediro possemus, nisi privilegio fulti redemptionis æternæ? Et ideo pulchre dixit Propheta: *Quoniam non in gladio suo possederunt terram*, etc.

Non humanæ, sed divinæ virtutis esse debellationem idolorum, et propagationem fidei monet Propheta, cum

Vers. 4. subdit v. 4. Nec enim in gladio suo (gladio, id est, armis suis. Est synecdoche) possederunt terram, et brachium eorum (Chald. et Arabs, fortitudo brachii eorum) non salvavit eos. Quid igitur eos salvavit? subdit: Sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio (S. Hieronymus, lux) vultus tui (id est, favor tuus) quoniam complacuisti in eis, id est, qui tibi placuerunt, tibi grati et accepti fuerunt. Romanum Psalterium, S. Ambrosius et Cassiodorus clare habent, *complacuisti tibi in illis.*

16. Deus debellat hostes populi sui. 1. Ægyptios. 2. Amalecitas. Nota, Deus voluit manifeste apparere omnibus a se oriri debellationem hostium populi sui. Primo, in exitu ab Ægypto cum Pharaone exercitum suum contra inermes et pavidos educente, currus et equites in mare deiecti sunt, et Deus e nube pugnavit fulgura deiiciens, Exodi 15. 21. Secundo, cum Iosue pugnavit contra Amalecitas anno mundi 2544. exitus ab Ægypto anni 1. non gladiis militum, sed orationi Mosis, et elevationi manuum victoriam annexuit. Exod. 17. 11. Tertio, statim 3. Chananæos.
post ingressum in terram promissam, anno mundi 2581. exitus et datæ legis 41. Iosue 94. eversa est Iericho urbs munita, non gladiis, sed tubis sonantibus, per septem dies, cum arca, in qua specialiter residebat et colebatur Deus, circa urbem duceretur, Iosue 6. 20. Quarto, tempore Iudicum, anno mundi 2768. ingressus in terram 4. Madianitas.
promissam, 185. ante Christum, 1285. Gedeonem Deus armavit vasis figlinis, facibus et tubis, quibus territi hostes cæsi sunt ad centum triginta quinque millia. Ubi adverte, quod miles in castris hostium videns quasi subcinericium panem ex hordeo volvi, et in castra Madian descendere, atque tabernaculum principis ac ducis, et cæterorum percutere atque evertere, exclamavit: *Non est hoc aliud nisi gladius Gedeonis filii Ioas viri Israelitæ.* At vero milites Gedeonis, cum per gyrum castrorum in tribus personarent locis, et hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, et dextris sonantes tubas, clamaverunt: *Gladius Domini et Gedeonis.* Primum Deo gloriam dant, deinde cooperationem requiri notant. Quinto, Regum tempore, anno mundi 2964. Saulis regis 5. Philisthæos.
3. ante Christum 1089. cum Saul esset in Gabaa Beniamin, et Philisthinorum exercitus numerosus in Machmas, sexcenti tantum milites reperti sunt cum Saule, et quidem sine gladio et hasta, excepto ipso rege, et filio eius Ionatha, egregiam tamen victoriam dedit illis Deus, 1. Reg. 13. atque 14. Sexto, post Regum tempora, et post 6. Assyrios.
captivitatem Babylonicam tempore Ioacim filii Iesu, rege Xerxe in Perside, Iudith Holophernem ducem Nabuchodonosoris regis Ninives et Assyriorum non suo, sed eius gladio supra omnem spem in suis castris occidit, Bethuliam urbem suam et universam Iudæam liberavit, fuso fugatoque toto illo numerosissimo exercitu, centum saltem viginti millium peditum, et duodecim millium equitum, Iudith 13. Generatim Holopherni sapienter Achior dux Ammonitarum cap. 5. 16. de Israelitis dixerat: *Ubicumque ingressi sunt sine arcu et sagitta, et absque scuto et gladio, Deus eorum pugnavit pro eis, et vicit.* Hinc Deus modo afflixit, modo iuvit Israeliticum populum, ne sibi victoriam tribueret. Moses id eum monet cap. 8. 17. *Ne diceres in corde tuo: Fortitudo mea, et robur manus meæ, hæc mihi omnia præstiterunt. Sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit, ut impleret pactum suum, super quo iuravit patribus tuis:* id est, Abrahamo, Isaaco, et Iacobo.

Hæc Dei potestas et auxilium speciale longe magis patuit in propagatione fidei, ad quam requiritur gratia, quæ 17. In fidei propagatione elucet potestas Dei.
vires totius naturæ superat. Opem pollicetur Christus in cælum ascensurus. Cum enim dixisset Apostolis, docete omnes gentes, ne diffiderent, adiunxit, Matth. 28. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi*, q. d. ait S. Prosper lib. 2. de vocatione gentium cap. 1. *Nolite de vestra infirmitate trepidare, sed de mea potestate confidite, qui vos in hoc opere non derelinquam, non ad hoc ut nihil patiamini, sed quod multo maius est præstiturus, ut nulla sævientium crudelitate superemini.* Dicebat Apostolus Corinth. 1. epist. 3. 6. *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit.* Ephes. 1. 11. *Operatur omnia in omnibus secundum propositum voluntatis suæ.* Efficaces efficit esse sermones et adhortationes concionatorum. Christus dicit Apostolis suis, Luc. 21. 15. *Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.* Symbolice, in Psalmo nostro Hesychius dicit Christum aperte indicari, cumque dexteram Dei et brachium, atque illuminationem vultus eius appellari: ab Isaia cap. 53. 1. appellari brachium Domini: a S. Ioanne cap. 1. 9. lucem veram, quæ illuminat omnem hominem. *Vultum Patris*, ait S. Cyrillus, *Filium vocat. Est enim imago illius per omnia illi similis, et character substantiæ eius. Illuminatio autem ab eo in mentem et in cor immissa eorum,*

qui ad redemptionem vocantur, intellectus est, qui per seipsum, per Spiritum sanctum illuminatos, ad Deum ducit. Lege Aiguanum, vulgo dictum Incognitum, fuse hæc tria Christo applicantem.

18.
Non gladio, sed mansuetudine hostes Dei superantur.

Nota, non in gladio, sed in mansuetudine et patientia vult Christus a nobis possideri animas nostras, et animas aliorum. S. Ambros. in Ps. nostr. *Fides Ecclesiæ,* ait, *neque in gladio suo feras expulit gentes, et non certamine bellico turmas fugavit hostiles, sed mansuetudine ac fide terras inimicorum sine ullo cruore possedit. Fides enim sola pugnavit, et ideo triumphos meruit, quos non revocaret perfidia, sed augeret: quia persecutionibus suis non vincitur Ecclesia, sed augetur.* Moses et Iosue debellatores hostium populi Dei fuerunt typus Apostolorum et concionatorum idololatriam et vitia evertentium. De primo ait Barradius noster lib. 2. Itinerarii, cap. 2. num. 6. Quemadmodum Deus Mosen et Aaronem misit, ut Israelitas e potestate eriperent Pharaonis: sic Concionatores, Confessarios, Ecclesiæque gubernatores mittit, ut homines eripiant e potestate satanæ: ita ille. Moses autem erat mansuetissimus hominum. De secundo, nempe de Iosue, sacerdotalibus tubis evertente Ierichuntem urbem dicit Origenes homil. 7. in Iosue: *Iericho formam præsentis sæculi obtinet, cuius robur et munimenta sacerdotalibus tubis videbimus esse destructa: firmitas namque et munimenta, quibus velut muris mundus nitebatur, idolorum cultus erat, divinationum fallacia arte dæmonum ministrata, augurum atque auspicum, et magorum commenta.* Mosi S.

19.
S. Petrus Mosi, S. Paulus Iosue est comparandus.

Petrum, Iosue S. Paulum, quorum festum heri celebrabatur, iure possis conferre. Nam, Primo, Moses eduxit populum ex Ægypto: S. Petrus in die Pentecostes, primus Apostolorum, multos convertit Iudæos: primus deinde iussus est concionari gentibus, eosque in Ecclesiam admittere. Secundo, Moses dedit legem: S. Petri est et successorum eius leges populis ferre. S. Paulus comparabitur Iosue ob multitudinem et celebritatem victoriarum. Nam Iosue superavit reges triginta unum. S. Paulus de seipso ait Roman. 15. 19. *Ab Ierusalem per circuitum usque ad Illyrium replevi Evangelium,* id est, plene annuntiavi ubique: deinde in Italiam, Galliam et Hispaniam, aliasque regiones fidem protendit. In uno Petro nunc hæreamus, qui tres mundi partes, Asiam scilicet, Africam, et Europam suis triumphis illustravit per se, et alios a se missos.

20.
S. Petrus multos Deo lucratus est.

Primo enim, in Iudæa plurimos Deo lucratus est. Nam ipso die Pentecostes plenus Spiritu sancto convertit tria hominum millia una concione, Actor. 2. 41. Paucis post diebus quinque millia, Actor. 4. v. 4. Deinde aperto ad

I.
In Asia.

gentiles fidei ostio Antiochiæ sedit, sicut S. Ignatius testatur, cui præfecit postea Evodium, ut docet Eusebius: unde toti Orienti præerat Patriarcha Antiochenus, ut scribit S. Hieronymus adversus Ioannem Ierosolymitanum, et Theodoretus in sua historia. Tertio, Cæsareæ quoque Episcopum constituit Cornelium Centurionem, eique sedes Ierosolymitana suberat, sicut tradit idem S. Hieronymus. Quarto denique, in Asia etiam minore late a S. Petro propagatum constat Evangelium ex eius epistola missa ad Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ et Bithyniæ incolas, cum Romæ scribens versaretur, et Metaphrastes variis locis, ab eo constitutos Episcopos recenset.

II.
In Africa.

Secundo, in Africa sedem Alexandrinam per S. Marcum constituit, quæ secunda olim erat a Romana: eique Ægyptus, Æthiopia, Libya, Cyrenensis tractus, et Arabia parebant. Reliqua Africa suberat Episcopo Carthaginensi, ubi a Petro constitutus est Episcopus Crescens, sicut docet Metaphrastes: alii eo etiam Petrum navigasse volunt tempore persecutionis: neque est improbabile.

III.
In Europa.

Tertio denique, in Europa velut eximius bellator caput idololatriæ Romam aggressus est, atque vicit. S. Leo sermon. 1. in Natali Apostolorum Petri et Pauli: *Nec ut dubius,* ait, *de provectu operis, aut de spatio tuæ ignarus ætatis? trophæum crucis Christi Romanis arcibus inferebas, quo te divinis prærdinationibus anteibant et honor potestatis, et gloria passionis: ut, quemadmodum prius dixe-*

A *rat, lux veritatis se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet.* Hinc duces suos in omnes Europæ tractus emisit, qui dæmonis castra everterent, arcesque occuparent. Primo quidem in Hispaniam, Ioanne Vasæo teste, Episcopos misit Cæcilium ad Eliberitanos, Euphrasium ad Illurgitanos. Secundum ad Abilenses, Indaletiensium ad Urticanos, Ctesiphontem ad Abderitanos, Hesichium ad Carthesanos. In Navarræ ditionem misisse etiam fertur Saturninum postea Tolosæ Episcopum, qui septem dierum spatio quadraginta hominum millia ad Christum perduxit. Secundo, in Galliam varios Episcopos misit, Saturninum Tolosam, Adventinum, Savinianum et Potentianum ad Carnutenses, Sixtum ad Rhemenses, Memmium ad Catalaunenses, aliosque ad alias urbes. Tertio, in Germaniam misit Maternum, Eucherium, Valerium, Menuium, qui Trevirenses, Colonienses, Aquisgranenses, Tungros, Hasbanos, Traiectenses ad Mosam, Eburonenses seu Leodinenses, Namurcensesque fidei lumine illustrarunt. Quarto, in Britanniam navigasse ipsum quidam volunt. B Quinto denique, ab ipso in Græcia variis in locis Episcopos esse constitutos, patet ex eius actis, quæ refert Metaphrastes, et quidem Dionysius Episcopus Corinthiorum scriptor vetustissimus testatur a Petro et Paulo Ecclesiam illam esse fundatam. Hæc de S. Petro sufficiant. Adiice S. Thomam Apostolum, qui quatuor orbis terræ partes solus censetur decurrisse, S. Vincentium Ferrerium, S. Xaverium, innumerosque alios, qui tot regna et populos ad Christi fidem adiunxerunt, aut a sceleribus repurgarunt.

21.
Conversio orbis ad veram fidem est opus dexteræ Dei.

Hæc sunt opera non digiti tantum, aut cuiuslibet manus, sed dexteræ, sed brachii, sed faciei coruscantis. Unde ait David: *Sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui.* Ugo Cardinalis per dexteram intelligit Patrem; per brachium Filium; per illuminationem vultus, Spiritum sanctum. Sic Ps. 17. 1 ubi dicitur: *Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?* per illuminationem, sumit Spiritum sanctum; per salutem, Filium; per protectionem, Patrem. Aptius, brachio Pater, dextera, C Filius figurabitur; a brachio enim oritur manus, quæ a manando nomen accepit, quod scilicet manat a brachio.

Christi dextera totum orbem sustentavit, et iacentem erexit, melius quam erectæ Mosis manus populum Israel. S. Ambrosius in Psalm. nostr. *Docuit nos Moses,* inquit, *levare ad Dominum manus, pii cultus instituens disciplinam. Docuit quemadmodum Amalech versutia vinceretur, ut si mores nostros et opera levaremus ad Christum, sic destitui posse perfidiam. Sin vero disceremus animam, inclinaremus affectum, et a continentiæ studio averteremus ingenium, ut persuasio nos vana superaret, nullum remedium futurum, nisi Iesus depressa iam brachia Mosi, tamquam infirmitatem legis attolleret, et sua misericordia sustineret.* Et postea potestatem manuum Christi declarat: *Iesus se inclinavit usque ad mortem, mortem autem crucis, in qua expandens manus suas, totum orbem, qui erat periturus, erexit, levavit iacentes, atque omnium ad se fidem traxit, dicens homini, Luc. 23. 43. Hodie mecum eris in Paradiso:* ita Ambrosius.

D Hæc dextera pugnantes Apostolos aliosque adiuvit. Audi quid de S. Petro, de quo egi supra, dicat Eusebius Cæsariensis lib. 2. histor. cap. 13. Sub ipso, ait, Claudii Imperio, benigna et propitia Dei totius, huius universitatis rectoris erga humanum genus providentia fortem ac præpotentem, et reliquorum omnium Apostolorum propter virtutis amplitudinem facile principem Petrum Romam versus ad eiusmodi pestiferam vitæ humanæ corruptelam delendam: χειραγωγει *quasi manuducit,* ος οια τις γενναιος του θεου στρατηγος θειοις οπλοις φραξαμενος πολυτιμητον εμπορειαν νοητου φωτος εξ ανατολων κατα δυσιν, etc. *qui quidem ut strenuus et generosus dux divinis armis obtectus munitusque, eximiam et pretiosam mercaturam veri luminis mente sola comprehensi ab oriente ad occasum usque deportavit, ipsamque regni cælorum prædicationem, cælestem scilicet lucem, et salutarem animorum doctrinam palam divulgavit.*

Nostro quoque sæculo et præcedenti, dexteræ illius divinæ summam vim in conversione populorum advertimus. Nam ab anno 1482. quo America a Columbo reperta est ad hunc usque annum 1647. fides magis propagata est, quam a tempore Apostolorum usque ad illum ann. 1482. Nam antea religio non protendebatur ultra Canarias, seu Fortunatas insulas ab occasu, et usque ad sinum Gangeticum ab ortu, qui terrarum tractus est gradnum 120. nunc vero cum per universum orbis ambitum fides nostra sit propagata, duplo maior est Christiani cultus amplitudo, quam prioribus sæculis fuerit. Nam si a gradibus 360. su- A stuleris gradus 120. per quos olim fides dilatata erat, restabunt 240. qui numerus est duplo auctior. Deinde antiquitus fides vix æquinoctialem lineam egrediebatur, nunc fere usque ad polum Antarcticum protenditur, a quo fretum Magaliani decem tantum gradibus distat, et a linea æquinoctiali abest gradibus 55. Neque dixeris in mediterranea non esse penetratum. Constat enim ex relatione Patrum Societatis Iesu anno 1622. et 1627. maximam partem in America ipsa esse lustratam, et iam plurimos ex illis barbaris fieri Christianos.

SECTIO SECUNDA.

22. *Tria exequitur. Primo, Martyres fidem suam constantem proponunt, vers. 5. Secundo, spem felicem, vers. 7. Tertio denique, charitatem ferventem et alacrem, vers. 9.*

PARAPHRASIS.

5. *Tu es ipse rex meus et Deus meus: qui mandas salutes Iacob.*

5. Unum ego te eumdemque Deum ac Dominum esse certo scio, qui olim maiores nostros populum tuum Israel ex tot periculis salvos et incolumes eduxisti: tu nunc idem ipse es, nec disparem habes bonitatem, sapientiam, et potestatem.

6. *In te inimicos nostros ventilabimus cornu, et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.*

6. Ductante te, hostes nostros pari facilitate hac illac disiiciemus, qua fœneam pilam ferociens taurus in auras dispergit. Et vel nomine tuo invocato, tuaque virtute adiuvante, invictissimos in fugam vertemus, atque fortissimos proteremus.

7. *Non enim in arcu meo sperabo: et gladius meus non salvabit me.*

7. Nec enim in armorum nostrorum aut virium præstantia spem nostram collocatam habemus: sive eminus, sive cominus pugnandum sit, a nostro robore non pendet victoria.

8. *Salvasti enim nos de affligentibus nos: et odientes nos confudisti.*

8. Tibi palma, tibi corona, tibi triumphus decernatur, qui circumstantium castris vallatos, telisque obrutos in apertum campum victores eduxisti: et spe sua elusos hostes pudore suffudisti.

9. *In Deo laudabimur tota die: et in nomine tuo confitebimur in sæculum.*

9. Quare non in nobis, sed in te Deo nostro, dies noctesque gloriabimur, tibique uni triumphorum nostrorum decus debitum prædicabimus, et ad nominis tui laudem hymnos perennes succinemus.

QUÆSTIO UNICA

Quanta Martyrum fides, spes et charitas.

23. *Martyrum fides, spes, et charitas.* Cum Propheta noster præcedenti sectione felicia pacis tempora, quibus fideles floruerunt extirpatis idololatriæ et vitiorum monstris, aperuit: nunc turbulenta describere aggressurus, robur infractum Martyrum et virtutes præmittit.

Tres autem præsertim virtutes heroum illorum divinorum describit, nempe fidem, spem et charitatem: aliasque attexit, ex his velut sacris fontibus profluentes.

Ac primo, fidem illorum notat, qui spretis vanis diis, Deo vero, vivoque, et rerum omnium Domino hæreant, v. 6. *Tu es ipse rex meus, et Deus meus, qui mandas salutes Iacob.* Fortitudinem vero ex fide, velut cælestem surculum, enatam adiicit, v. 6. *In te inimicos nostros ventilabimus cornu, et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.*

Secundo, spem illorum clare aperit, non humanis, sed divinis nixam præsidiis, v. 7. *Non enim in arcu meo sperabo, et gladius meus non salvabit me.* Felicitatem spei comitem adiungit, v. 8. *Salvasti enim nos de affligentibus nos, et odientes nos confudisti.*

Tertio denique, charitatem ipsorum adumbrat, in Deo uno amorem suum et gloriam constituentium, vers. 9. *In Deo laudabimur tota die.* Hinc efficitur, ut ex amore laus Dei oriatur: *Et in nomine tuo confitebimur in sæcula.*

ARTICULUS I.

Quanta Martyrum fides et fortitudo.

24. Fidem, velut firmissimum fundamentum, cui tota virtutum moles in martyrio collectarum incumbat, hic B constituit Propheta, v. 5. Tu es ipse (tu idem es, tu ille ipse es) rex meus et Deus meus, qui mandas salutes Iacob, id est qui salvasti Iacob, hoc est, Israelitas, qui erant filii Iacob Patriarchæ; 2. *Iacob*, id est, populum Christianum, qui Iacobi fidem imitatur; 3. *Iacob*, hoc est, luctatores et supplantatores idolorum, hæresum et vitiorum. *Vers. 5.*

Nota, mandat, id est, præcipit, ac mittit salutem Deus populo suo, 1. per Prophetas eam annuntiando; 2. per Angelos et homines salvatores, eam dando; 3. denique, se ipso salutem immediate conferendo, eique imperando ut adesset populo suo velut custos pervigil, et dux fortis. Est prosopopœia: sic dicitur Deus mandare misericordiam, Ps. 41. 9. Vide ibi dicta. *Mandat Deus salutem tribus modis.*

Nota secundo, Christiani omnes sunt Iacob, sed præsertim sancti selectiores et martyres. Sex eorum parallela considerare possis. Primo, Iacob non pilosus ut Esau, sed lenis fuit, ideoque matri percharus, a patre benedictionem accepit, Genes. 28. 3. Viri iusti non sunt aspe- C ratis moribus sicut barbari: sed benignis ac mitibus, ideoque a Deo benedicuntur. Matth. cap. 5. v. 4. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* 25. *Christianorum et Iacobi parallela sex.* I.

Secundo, fratrem suum Esau fugit magnus ille Patriarcha, parentumque domum relinquens in Mesopotamiam perrexit, Gen. 28. 5. Martyres carnem suam sibi hærentem, parentesque et consanguineos præ Deo neglexerunt. Galat. 5. 24. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* II.

Tertio, Iacob ex Lia lippa plurimos, ex Rachele pulcherrima duos suscepit liberos, Genes. 29. 30. et seqq. Viri iusti tum activæ, tum contemplativæ vitæ se dedunt. Genes. 28. 12. *Vidit Iacob in somnis scalam* (typum vitæ nostræ) *stantem super terram* (ut luvet proximum) *et cacumen illius tangens cælum* (ut ad Deum pergat) *An-* III.

gelos quoque Dei ascendentes (per Dei contemplationem) *et descendentes per eam* (ad proximo subveniendum) *et Dominum innixum scalæ*, ut iuvet in omnibus.

IV. Quarto, Iacob oves suas et patrui Laban pavit, Gen. 29. Viri iusti ac Dei amantes, tum mentis suæ potentias, corporisque sensus pascunt, tum cæteros fideles omnes, velut Dei oves, adiuvant, et in fide atque virtutibus crescere faciunt illos lactando sacra doctrina. 1. Corinth. cap. 3. v. 2. ait Apostolus: *Lac vobis potum dedi.*

V. Quinto, Iacob fuga se tandem a domo soceri sui perpetuas fraudes texentis subduxit, Gen. 31. Typus mundi est Laban, qui album significat. Mundus est foris dealbatus, intus plenus est ossibus mortuorum, ac fœtore vitiorum. Matth. 23. 27. *Similes estis sepulcris dealbatis.* Mundus per antiphrasim dictus est quasi minime mundus et purus: sicut bellum, quasi minime bellum, id est, pulchrum.

VI. Sexto denique, Iacob cum Angelo luctatus est, neque prius illum abire est passus, quam ab eo benedictionem percepisset. Viri sancti cum Deo ipso luctantur in oratione, brachiis humilitatis et charitatis eum stringentes, quo volunt eum pertrahunt. Cantic. 3. 4. ait sponsa, id est anima iusta: *Paululum cum pertransissem eos* (sapientes mundi, ait Iustus Orgelitanus) *inveni quem diligit anima mea.* Ad Martyres nostros apte referemus, quod ait S. Ambrosius lib. de Isaac et anima, cap. 5. *Multi*, ait, *in otio quærunt Christum, et non inveniunt: et quærunt eum in persecutionibus, et cito inveniunt. Et ideo quasi post tentationes, quia in periculis suorum adest. Quam modicum, inquit, cum transivi ab eis, inveni eum, tenui eum, et non dimisi eum. Omnis enim qui quærit, invenit, et qui invenerit adhærere debet, ne possit amittere.*

26. *Christi quinque excellentiæ.* Nota tertio, multos fidei actus hoc in Psalmi loco contemplari possis. Nam, ut ait Ugo Cardinal. commendatur hic Christus, primo ab excellentia essentiæ: *Tu es.* Sic Exod. 2. 14. ait Deus Mosi: *Ego sum qui sum;* et ibidem iubet ut dicat Israelitis in Ægypto servientibus et vexatis: *Qui est, misit me ad vos.* Secundo, commendatur Christus ab immutabilitate essentiæ: *ipse.* Tertio, ab officio doctrinæ et regiminis: *rex meus;* quia regit, instruit, providet, protegit, pascit, punit, remunerat. Et ideo bene dicit, *Rex*, non tyrannus. Isai. 33. 22. *Dominus iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster.* Ioannes Apocal. 19. 12. *In capite eius diademata multa:* nec sine causa, quia legitime certavit. 2. Timoth. 2. 5. *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* Quarto, Christus commendatur a dignitate naturæ: *et Deus meus.* Quinto, a liberalitate: *qui mandas salutes Iacob*, id est, populo antiquo salutes corporales: ita Ugo: mallem loco liberalitatis poni benignitatem, providentiam et charitatem.

27. *Fidei magnæ est subire martyrium.* Nota denique quarto, Martyrum fides maximam vim habuit, ut pro bonis sub oculos non cadentibus vitam omniaque bona sua exponerent. Hebr. 11. 35. *Per fidem alii distenti sunt* (Græc. ετυμπανισθησαν in tympano, quod erat genus tormenti, rigide extensi velut in eculeo, et ibi pulsati sicut pelles in tympano) *non suscipientes redemptionem* (nolentes a suppliciis liberari) *ut meliorem invenirent resurrectionem*, in vita æterna. Lege cætera. Hoc patuit in Machabæis Martyribus, de quibus multi hunc Psalmum explicant. Generatim loquitur S. Valerianus Episcopus Cemeliensis, quæ est civitas provinciæ Alpium maritimarum; ait enim homil. 16. *Perfectæ fidei est lucrativis locum dare suppliciis.* S. Cyprianus libro de laude martyrii docet robur fidei in martyrio ostendi: Omnis, inquit, consumatio et status vitæ in martyrio est collocatus. Hoc fundamentum vitæ et fidei, hoc præsidium salutis, hoc vinculum libertatis et honoris: et quamvis sint et alia, per quæ adipisci lux possit, tamen ad proximitatem muneris, pœnis melius patrocinantibus, pervenitur. Et paulo post subdit: *Tunc omne fidei robur extinguitur.*

28. *Fides ad ferenda tormenta animat.* Quod fides ad toleranda supplicia animet, patet legenti Acta Martyrum. Hoc in S. Droside notat S. Chrysostom. tom. 5. serm. 57. Fuit, inquit, S. Drosidi corpus imbecillum, et obnoxius sexus iniuriæ, et iunior ætas: verumtamen horum omnium imbecillitatem adveniens gratia occultavit, ubi generosam animi alacritatem ostendit, και πιστιν αδιακριτον, *et constantem fidem*, et animum ad subeunda pericula præparatum, ου'γαρ εστιν, ουκ εστιν ουδεν δυνατωτερον του μεν σπουδης πολλης φοβον Θεου εχοντος ερριζωμενον: *Nihil enim, nihil potentius est eo, qui magno cum studio Dei timorem habeat in mente defixum:* sed quamvis ignes, quamvis ferrum, quamvis bestias, quamvis aliud quidvis minentur hostes, omnia nullo negotio contemnit: ita Chrysostomus. Secundo, S. Tharacus, Probus, et socii, tormenta oculo fidei aspicientes, ea velut cælestes rosas amabant et optabant, de illa una re solliciti, ut oculos fidei non amitterent. Maximus præses cum dixisset, pungite oculos Probi, ut non videns minutatim e lumine isto discedat. Probus respondit: *Ecce oculos corporis mei abstulisti, sed nunquam dabitur tibi, ut oculos fidei vivos possis tollere.* Hi scilicet emori non possunt, nec cæcutire. Vide Acta S. Tharaci apud Metaph. mense Octobris die 12.

Effectum hunc fidei, nempe fortitudinem, Martyres ipsi qui in Psalmo loquuntur, declarant, v. 6. IN TE INIMICOS NOSTROS VENTILABIMUS CORNU, ET IN NOMINE TUO SPERNEMUS INSURGENTES IN NOBIS, id est, in nos, ut legit S. Ambrosius, et S. Augustinus. Pro *ventilabimus cornu*, Hebr. נגח *neghach*, hoc est, cornu petere, Exod. 21. 28. atque cornibus ventilare, Cant. 8. 4. Sic Græc. κερατουν, est petere cornu, sive ventilando, sive non. Pagnin. vertit, cornu petemus. Felix, percutiemus. Sed melius Noster, et S. Hieronymus, ventilabimus cornu. Nam ventilatio denotat irruentis impetum; 2. robur; 3. alacritatem, et delectationem, ac veluti ludum; 4. impetiti ostendit levitatem, imbecillitatem, periculum, contumeliam, deiectionem. Primum in Martyribus, quartum in tyrannis perspectum est, Arabs vertit: *Per te humiliabimus inimicos nostros.* Syrus: Per te impellemus hostes nostros. Similitudo ventilationis per cornu petitur a tauro irato, et impetum faciente in fœneam aliquam statuam, et eam in varias partes disiectante, aut sibi imparem hostem ad ludibrium huc illuc versante. Sic expressit Magnetius: 29. *Vers. 6. Ventilare.*

Ira velut irruit ardens
Taurus in imbelles catulos, cornuque per auras
Ventilat: haud aliter (duce te) iactabimus hostes,
Fundemusque metu pavidos, et calce teremus.

30. *Martyrum cornu est gratia fortitudinis.* Quæres, quodnam sit illud Martyrum cornu? Resp. ad litteram esse gratiam illis a Deo infusam, et robur inditum. Luc. 21. 16. ait Christus discipulis: *Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.* Hoc in una S. Lucia virgine Syracusana consideremus, de qua apud Surium 13. Decembr. cum a Paschasio Præfecto iuberetur diis immolare, idque constanter recusaret, Præfectus ait: Cessabunt verba, cum ventum fuerit ad verbera. Tum virgo: *Dei servis verba deesse non possunt, quibus a Christo Domino dictum est: Cum steteritis ante reges et præsides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus sanctus qui loquitur in vobis.* Cum instaret Paschasius: Estne in te Spiritus sanctus? dixit: *Caste et pie viventes templum sunt Spiritus sancti.* At ille: Iubebo te ad lupanar duci, ut te Spiritus sanctus deserat. Cui virgo: *Si invitam iusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* Quare Paschasius ira inflammatus, Luciam eo trahi iussit, ubi eius virginitas violaretur: sed divinitus factum est, ut firma Virgo ita consisteret, ut nulla vi de loco dimoveri posset. Ventilarunt cornu tyrannos et carnifices generosi athletæ, cum patientia sua vires eorum fregerunt. Nonne constantia Martyrum deiecti sunt Diocletianus et Maximianus, qui videntes sanguinem Martyrum esse semen Christianorum, fidemque eo latius propagari, quo ferocius sæviebant, imperium et sceptrum abiecerunt, ac misere perierunt. Vide dicta Ps. 33. 22.

31. *Martyrum cornu est Christus.* Mystice, cornu Sanctorum Christus est. S. Ambrosius in Psalm. nostr. *Dedit*, ait, *Dominus cornua plurimis animantibus, ut possint se a ferarum incursione defendere: Sed homo cornua non habet. Quomodo ergo ventilat? Cor-*

nu nostrum es Domine Iesu, habet fides cornua sua, quæ mutuatur a Christo. Et postea ex Deuteron. 33. afferens illud: *Cornua unicornui, cornua ipsius:* in ipsis gentes ventilabit, sic ait: *Noli timere, quia ventilat. Dixit enim Deuteron.* 32. 39. *Percutiam, et sanabo. Bona cornua, quibus inclusit orbem terrarum. Bona cornua, quibus leonem illum nostrum adversarium ventilavit. Bona cornua, quibus fecit, ut cornua adversarii timere nequeamus, quia et satanas habet cornua sua, sicut testificatur Daniel dicens cap.7. Videbam et cornu illud, quod faciebat pugnam cum sanctis, et invalescebat eis, donec venit antiquus dierum.* Et lib. de benedict. Patriarch. cap. 11. docet, per illud Christi cornu idololatriam esse eversam, et qui eo usus fuerit, accipere robur. Sic autem inter cætera dicit: Qui cornu Christi exaltaverit, confessus eius gloriam, ipse quoque accipiet cornua. Unde etiam Sancti unicornui dicti sunt in Psalmi versiculo: Et dilectus quemadmodum filius unicornuorum. Etenim sicut animal huiusmodi, cum ei oriuntur cornua, processum significat plenioris ætatis: ita cum e capite quædam animæ nostræ cornua pullulare cœperint, processum videntur perfectioris significare virtutis, et tamdiu crescunt, quamdiu compleantur. Hoc cornu Dominus Iesus comminuit gentes, ut superstitionem obtereret, salutem redderet, sicut ipse ait: Percutiam, et sanabo. Ideoque tamquam imitator tauri huius Propheta dicit: In te inimicos nostros ventilabimus cornu, id est, altitudinem omnem elevantem se adversus Dei scientiam destruemus. Ita Ambrosius, qui ait etiam Ioseph typum fuisse Christi; unde a Mose tribu Ioseph dicitur, dum eam moriturus benedicit, Deuteron. 33. 17. *Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua rhinocerotis, cornua illius: in ipsis ventilabit gentes usque ad terminos terræ. Hæ sunt multitudines Ephraim, et hæc millia Manasse.* Martyres sunt Manasse, id est, obliti, bonorum scilicet suorum, et sui: sunt etiam Ephraim, id est fructificantes, frugiferi, quia sanguis Martyrum est semen Christianorum.

32. Cornua crucis. Symbolice, Hesychius cornua Sanctorum, ait, esse cornua crucis: Proprias, inquit, non habemus vires, quibus cum invisibilibus hostibus decertemus, sed adversus huiusmodi hostes cornua crucis accepimus, de quibus Habacuc cap. 3. *Cornua in manibus eius.*

33. Mens pura cornu est animæ. Tropol. Euseb. *Animæ cornu*, ait, *mens pura est, quæ hostes recte agendo, et quotquot in eam insurgunt, et spiritali contemplationi adversantur, scientia atque cognitione quasi cornu petit.* Idem pene dicit Origenes.

Vel solum Iesu nomen cornu salutis est Martyribus, ideo ipsi addunt, v. 6. ET IN NOMINE TUO (per nomen tuum, sicut supra, *in te*, id est, per te. Nomen sumit Cyrillus pro gloria Dei. S. Ambros. pro cognitione proprietatis ac naturæ divinæ. Campens. pro potentia; ego, pro
Nomen Iesu est cornu Martyrum. nomine Iesu) SPERNEMUS INSURGENTES IN NOBIS, hoc est in nos. Pro *spernemus*, Hebr. נבוס *nabus*, id est, conculcabimus, ut vertit S. Hieron. Felix, Flamin. Pagnin. in nihilum redigemus, ut Lindan. Chald. נכבוש *nicbos*, subiugabimus, subigemus, domabimus. Theodoretus id fieri per nomen Iesu sic profitetur in Psalm. nostr. *Animalia cornuta*, inquit, *arma cornu a natura acceperunt: nos vero cornua salutis, victriciaque arma, tuum nomen habemus: et hoc utentes, hostes superabimus.* S. Chrysost. αρκει του Θεου η προσηγορια μονη μυριους καταλυσαι πολεμους: *Sufficit Dei vel sola appellatio ad profliganda bella innumerabilia.* Hesychius hoc signantius declarat: *In nomine Christi*, ait, *dæmones parvi facimus, et usque adeo contemnimus, ut cum illi nos aggredi tentaverint, modo Iesum Nazarenum nominemus, illi tamquam ab igne et flagris fugientes discedunt, et contremiscunt.* Nomen etiam pro potentia accipe cum Campensi et aliis.

34. Fortitudo insignis Martyrum. Nota, magna enituit fortitudo in Martyribus, præsertim quando Iesu nomine se armabant. De primo, S. Gregorius Nazianz. orat. 3. Præclari pugiles, ait, qui cum igne et ferro, et belluis et tyrannis, et præsentibus malis, et denuntiatis, alacri animo, ωσπερ εν αλλοτριοις σωμασιν η ασωματοι: *Velut in alienis corporibus, imo quasi corporum expertes,* dimicarunt. S. Basilius hom. 19. fuse describit S. Gordii martyris ardorem, et patiendi desiderium: atque inter cæteras eius voces generosas in tormentis, hanc refert tyranno dictam: ζημιουμαι μη δυναμενος υπερ χριστου πολλακις αποθανειν, damnum facere videor, cum non possim sæpius mori pro Christo. Et homil. 20. de quadraginta Martyribus, dicit: Phalanx militaris, συστημα δυσκαταγωνιστον, cuneus insuperabilis, æque et in bellis inexpugnabilis, et in laudibus inenarrabilis. Et infra, vocat eos invictos et generosos Christi milites. De matre Machabæorum martyrum, qui erant diversi a Machabæis ducibus populi, ait S. Gregor. Nazianzenus orat. 2. pag. 400. ω ψυχης ανδρειας εν γυναικειω σωματι! *O virilem animum in muliebri corpore! o præclarum et admirandum munus!* ω της Αβρααμιαιου θυσιας και μειζων, o *sacrificium Abrahæ sacrificio maius atque præstantius!* S. Chrysost. tom. 6. serm. 14. in quo agit de gloria in tribulationibus, cuiusdam Martyris invictam mentem extollit: Ingrediebatur, inquit, virgo tenera et innupta, κηρου μαλακωτερον εχουσα σωμα, cera quavis mollius habens corpus, tum affixa eculeo, derasis lapidibus perfodiebatur, et sanguine tota perfusa erat, et καθαπερ νυμφευομενη μαλλον και εν παστάδι καθημενη, quasi sponsa esset potius, et in thalamo sederet, ita libenter ea quæ fiebant, ob regnum cælorum perferebat. Marcus Eremita, qui vixit circa annum Christi 906. generaliter loquitur: *Martyres*, ait, *pro divitiis amplectabantur paupertatem: pro gloria honorum contemptum: pro voluptate ærumnas. Unde etiam pro ira dilectionem: et quæ suavia sunt in hac vita, odio habentes, illos vehementius diligebant, qui hæc eriperent, tamquam adiuvarentur ab illis in scopo assequendo, bonum a malo non discernentes. Neque enim bonos repellebant, nec accusabant improbos, illos omnes, a* αποκρισιαριους δεσποτικης οικονομιας ηγουμενοι, *legatos administrationis dominicæ existimantes.*

De secundo, nempe quod Martyres sint fortes, præsertim cum Iesu nomine armantur, planum est in S. Ignatio martyre. Iesum amantium. Nam cum in pectore inscriptum litteris aureis Iesu nomen haberet, illudque in ore tam sæpe haberet, ut ipsi tortores mirarentur, admirabilem fervorem et martyrii tolerandi cupiditatem ostendit. Lege epist. eius ad Roman.

35. Martyrum Iaponiorum fortitudo. Ut nova veteribus iungamus, iucundum erit Iaponiorum Martyrum fortitudinem considerare, apud nostrum Petrum Morin. in hist. Martyr. Iapon.

I. Primo, refert. lib. 3. cap. 11. nobilem quemdam in Bungensi regno, Principi ad idolorum cultum recipiendum invitanti, fortiter restitisse. Cum enim venientem in ædes suas Principem videret, obvius occurrit, et se Christianum contenta voce testatus, vestes abiicit, et pectus nudat, mortem expectans: statim filius *novem annorum* advolat, Principem provocat ad sui necem, collum nudum offert. Illos mater et avia consequuntur, et collo nudo mortem expectant. Sed Princeps aversa facie in lacrymas solvitur, pedem refert, irrito conatu domum abit.

II. Secundo, mirabilis extitit fervor cuiusdam iuvenis ad mortem sponte properantis. Nam cum Christiani septuaginta et unus, partim ex urbe Meaco, partim ex Ozaca in exilium ducerentur: atque in via subreptus quidam puer esset a parentibus, visoque equo vacuo soliciti inquirerent ductores quis abesset, adolescens ille divino amore percitus, exclamavit, ne essent anxii, neminem deesse, et statim in equum insiliit, turmæque se divinæ comitem, nec quæsitus, nec condemnatus adiunxit, l. 3. c. 7.

III. Tertio, quis dignis laudibus prædicet Thomæ *pueri sex annorum* ardorem, qui interrogatus a parentibus quid facturus esset post eorum mortem pro Christo perpessam? *Ego*, ait, *vobiscum moriar*. Cum martyrium esse perdifficile parentes subiicerent, (nam aut cruce, aut igne esse pereundum) adderentque: *Si tu ferrum candens manu attrectare non potes, qui fiet, ut ignes subeas?* accurrit puer ad forcipes ferreos, quos in ignem immisit, et candentes versasset manu, nisi parentes obstitissent: neque impeditus est a lacrymis, donec a parentibus audiret, satis animi ad martyrium se habere, lib. 3. cap. 6.

IV. Quarto, quid mirandum magis, quam quod in regno Arimæ accidit, in quo damnatis ad ignem octo Martyribus, *viginti millia Christianorum* confluxerunt ex omnibus pagis, ut eamdem palmam obtinerent: tantoque ardore ad necem pro Christo subeundam rapiebantur, ut ne vel unus quidem de cibariis ferendis cogitaret, vel mortem paratam ac certam rati, vel in Deum absorpti, de terrenis non erant solliciti. Nihil tamen Arimæ Christianorum charitas illis deesse passa est. Hæc tanta multitudo, præter Iaponiæ morem, in agro prope castellum tres dies noctesque permansit, ut coronam martyrii obtineret, lib. 2. cap. 14. Cum vero supplicii dies adfuit, pulcherrimo ordine seni supplicationem cereos manibus vel rosaria gestantes, ad locum sacris victimis destinatum instituerunt. Inter illos octo Martyres puer erat Iacobus *annorum tantum undecim*, qui pedes iter emetiri cupiebat, Christi exemplo ad mortem euntis: et Christianorum aliquorum perspectis lacrymis, clara voce admonuit, ne felicem sortem suam deflerent, cum in suo vultu lætitiam cordi affusam legere possent. Cumque medio in rogo solutus iam esset vinculis, per medias flammas ad matrem accurrit, ac *Iesum Mariamque* ter inclamans, matris in sinu feliciter expiravit, lib. 2. cap. 25.

V. Quinto, *puella sex annorum* matrem conspiciens vestes ad crucem ferendam, si usus foret, accommodatas præparantem, institit, sibi quoque ut pararentur. Cum mater id iam præstitum esse respondisset pro ipsa et parvulo fratre, statim ad fratrem natu maiorem advolans, ac veluti insultans ait: *Tibi uni vestis ad martyrium parata non est, sed vide, ne post mortem nostram Christum abiures*, lib. 3. cap. 23.

VI. Sexto denique, cruces sibi parabant alii: ne si res posceret, tempus martyrii differretur, lib. 1. cap. 17. Stipites alii pro foribus suis proponebant, ut ignem sibi in votis esse declararent, lib. 3. cap. 4. Vestibus candidis et pulcherrimis ad martyrium utebantur, lætitiæ suæ indicibus, ut passim in tota apparet historia. Alii candente ferro crucem fronti imprimebant, ad declarandum omnibus se esse Christianos, crucisque appetentes, lib. 3. cap. 16. Alii si forte abfuissent, cum in catalogum referebantur proscribendi, sponte se tyrannis non quærentibus offerebant, eiusdem ut coronæ essent participes, l. 1. c. 8.

36. *Martyres dæmonem ventilant.* Nota secundo, etiam post mortem Martyres hostem suum dæmonem ventilant. S. Chrysost. tom. 5. serm. 27. κονιν μαρτυρων δεδοικασιν δαιμονες, και ταφους φευγουσι, pulverem Martyrum pertimescunt dæmones, et tumulos fugiunt. Ac tom. 6. serm. 53. μαρτυρων η αρχη κατ'εκαστην ζα την ημεραν και ενεργει δαιμονας απελαυνουσα: Martyrum magistratus ac principatus quotidie vivit et operatur, dum dæmones abigit, et morbos in fugam convertit, dum integras urbes excitat.

37. *Imitandi sunt Martyres.* Nota tertio, debere te ac posse contemplari et imitari Martyres. De primo, nempe quod id facere debeas, quia exempla magis movent quam verba, et turpe est tibi, si Christum cruce onustum sequi recuses, cum tot myriades virorum, mulierum, puerorum, puellarum, senum omnis conditionis, ordinis, atque nationum, eum sint tam alacriter consecuti. S. Valer. hom. 17. quæ est tota de laude martyrii: *Cito*, ait, *sedet animis, quod docetur exemplis*. Clem. Alexandr. lib. 2. Strom. exempla Martyrum plurimum posse edocet: *Pulchre*, ait, *de Indis dicebat Zeno:* ενα Ινδον παραπτωμενον εθελειν ιδειν η πασας περι πονου αποδειξεις μαθειν: *Se unum malle Indum videre qui torreatur, quam omnes de laboris perpessione discere probationes.* Et paulo post subdit: ημιν αφθονοι μαρτυρων πηγαι εκαστης ημερας εν οφθαλμοις ημων θεωρουμεναι: Nobis sunt quotidie redundantes Martyrum fontes, qui nostris spectantur oculis, qui torrentur, torquentur, et capite truncantur. S. Bernard. serm. de S. Benedicto: *Prudentiam*, inquit, *Apostoli sancti seminaverunt. Martyres, manifestum est fortitudinem seminasse, Confessores seminaverunt iustitiam.*

De secundo, nempe quod possis imitari Martyres, audi Clementem Alexandrium lib. 4. Strom. Si quæ, ait, est apud Deum confessio, est martyrium seu testimonium, quæcumque anima se pure et sincere gessit cum cognitione Dei, et quæ præceptis paruit, μαρτυρ εστι και βιω και λογω, *et vita et sermone est martyr*, id est, testis, quomocumque liberetur a corpore: Οιον αιμα πιστιν ανα βιον απαντα, προς δε και την εξοδον προχεουσα, fidem, tamquam sanguinem, per totam vitam etiam in ipso exitu profundens. Et pag. 358. Οσοι τας εντολας του σωτηρος επιτελουσιν, καθ'εκαστην πραξιν μαρτυρουσι: Qui Servatoris mandata exequuntur, in unaquaque actione sunt Martyres: ita Clemens. Sed præcipue Martyres sunt, qui patienti animo corporis morbos, angores mentis, iniurias, contumelias, calumnias, bonorum iacturas, et alia patiuntur.

ARTICULUS II.

Quanta spes Martyrum.

Spes fidem consequitur, ideo cum prius de fide sua egerint Martyres hic loquentes, de spe sua addunt, v. 7. NON ENIM IN ARCU MEO SPERABO, (S. Hieron. confidam) ET GLADIUS MEUS NON SALVABIT ME. Vers. 7.

Et vers. 8. SALVASTI (S. Ambrosius, liberasti. Chaldæus, redemisti) ENIM NOS DE AFFLIGENTIBUS NOS, ET ODIENTES NOS CONFUDISTI, id est, confundes, salvabis, ait S. Augustinus, qui præterita illa sumit pro futuro, sicut frequens est in Prophetis et Psalmis. Hoc autem fit ob certitudinem futuritionis tam in Deo revelante, quam in Prophetis, quibus hæc revelantur, et veluti iam facta ostenduntur. Vers. 8.

Nota, aliquando arcus, aliquando gladius, aliquando arcus et gladius sumuntur pro armis omnibus. Est synecdoche. Sperare igitur in arcu et gladio suo est sperare in suo robore, sapientia et industria. Arcum a gladio sic distinguit Remigius: *Non in arcu meo sperabo, id est, in mediocribus meritis meis vel occulta virtute. Et gladius meus, id est, maiora merita, vel manifesta virtus, non salvabit me, vel meos, a conformatione malorum.* Arcus e loco remoto et minori certitudine emittitur, gladius vero e propinquo et certius configit: in neutro tamen sperandum est, sed in solo Deo. Id faciebat S. Augustinus, qui libro unico Soliloq. tom. 9. ait: *Et tu quidem Dominus Deus noster, nos lutum et vermiculi non valemus in tuas æternitates intrare, nisi tu induxeris, qui de nihilo cuncta creasti. Ego autem opus manuum tuarum confitebor tibi in timore tuo: quia non in arcu meo sperabo, et gladius meus non salvabit me, sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui, alioquin desperarem: quoniam spes mea tu es, qui creasti me, quoniam non derelinquis sperantes in te. Tu quippe es Dominus Deus noster suavis et patiens in misericordia disponens omnia. Nam si peccaverimus, tui sumus: si non peccaverimus, tui sumus, quoniam apud te sumus computati. Nos enim folium universi, et vanitas est omnis homo vivens, et ventus est vita nostra super terram.* Atque post nonnulla interiecta subdit: *Iam tibi confessus sum, laus vitæ meæ Domine Deus meus, virtus salutis meæ. Sperabam aliquando in virtute mea, quæ tamen non erat virtus. Et cum sic volui currere, ubi magis stare debebam ibi magis cecidi, factusque sum magis retro et non ante: et quod credebam consequi, magis elongatum est a me. Sic per multa similia vires meas probans, cognosco nunc quia illuminasti me, quoniam quod magis credidi posse, per me minus semper potui. Dicebam enim, hoc faciam, illud perficiam: nec hoc, nec illud faciebam. Aderat voluntas, non erat facultas. Aderat facultas, non aderat voluntas: quoniam de meis viribus confidebam. Nunc autem confiteor tibi, Domine Deus meus, Pater cæli et terræ, quia non in fortitudine sua roborabitur vir, ut glorietur ante te stulta præsumptio omnis carnis. Non est enim hominis velle quod possit, aut posse quod velit, vel scire quod velit et possit: sed potius a te gressus hominis diriguntur: illorum, inquam, qui non a se, sed a te dirigi se confitentur*: ita Augustinus. Si in arcu sperandum est, ait S. Ambros. in Psal. nostr. in Dei certe arcu spe- 38. *Arcus et gladius pro armis omnibus.*

randum est, quem posuit in nube, ut a diluvio genus humanum timere desineret. Isto enim arcu nos protegit, quo et iaculatur sagittas, quibus percutiat inimicos et adversarios nostros. Unde et ait: Liberasti enim nos ex affligentibus nos: et eos qui oderunt nos, confudisti. Cassianus lib. 12. de iustit. renuntiant. cap. 13. et 14. ait: Patrum sententiam fuisse, non posse ad parum quemplam carnalibus vitiis emundari, nisi universum laborem suum et conatum ad tantæ perfectionis finem intellexerit, non posse sufficere: laborantibus tantum ac desudantibus gratiam conferri, sicque poni adiutorium in potente, Ps. 88. 20. opera manuum nostrarum dirige super nos, Ps. 89. 17. confirmari opus a Deo, quod operatur in nobis, Ps. 67. 19. Auctor libri Sapientiæ (sive Salomon, ut placet Rugerio, Sixto Senensi, Gonsalvo Cervanti, et aliis, sive Iesus filius Sirach, sicut visum est S. Augustino, sive Philo Hebræus, qui vixit tempore Caligulæ, ut vult Galatin. Dionysius et Lyran. sive potius incertus auctor, qui vixit sub tempore Alexandri Magni) de se ait cap. 8. 21. *Scivi, quoniam aliter non possem esse* (Gr. aliter non ero) *continens, nisi Deus det: et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum.* Hoc considerans S. Aug. epist. 89. quæst. 2. docet, continentiam non esse virium liberi arbitrii, sed gratiæ Dei. Cum scirem, ait, quod nemo esse potest continens, nisi Deus det. Iubet ergo Deus continentiam, et dat continentiam. Iubet per legem, dat per gratiam. Iubet per litteram, dat per spiritum: ita ibi. Ubi adverte, quod continens non modo castum, sed etiam a vitio quolibet abstinentem significat. Syrus vertit: Cognovi quod non possem domare animam meam, nisi Deus det. Serapion apud Cassianum, Collat. 5. cap. 14. dicebat, impossibile esse de qualibet passione, tentatione, vitioque triumphum quempiam promereri, priusquam intellexerit industria vel labore proprio victoriam certaminis semet obtinere non posse. Vide Cassian. Collat. 7. cap. 2. ubi loquitur de Abbate Sereno per orationes castitatem obtinente.

39. Spem in Deo Martyres collocarunt. Nota secundo, non est sistendum in sui ipsius diffidentia, sed assurgendum est ad spem in Deum, licet res sit ardua et difficilis. Spes enim est tantum de arduo, sed desiderium et concupiscentia de bono absolute, ut docet S. Thomas 1. 2. qu. 25. art. 1. et q. 40. art. 1. et in 3. dist. 26. q. 1. art. 3. Spes est principium fortitudinis et omnium operationum, quæ ad arduum sunt, et fides omnium quæ ad cognitionem pertinent; charitas vero omnium quæ ad bonum tendunt, in 3. dist. 26. quæst. 2. art. 2. ad 2. et dist. 27. quæst. 2. art. 4. Rationes multas, quibus persuadeamur ad habendam spem in Deo, refert hic sanctus Doctor opusc. 3. cap. 250. Tria præsertim ad id movent, nempe providentia, misericordia, et potestas Dei, ut docet in Ps. 20. et in Ps. 50. Martyres in uno Deo spem suam ponebant: de S. Gordio id ostendit S. Basilius hom. 19. *Sanctus*, inquit, *Gordius Martyr in cælum attollens oculos dicebat ex Psal.* 117. *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Et rursus ex Psal.* 22. *Non timebo mala, quoniam tu mecum es. Tum ardenti animo tortores urgebat: Quid tardatis? quid statis? corripite corpus, membra frustatim cædantur. Denique quodcumque de me supplicium volueritis, sumite,* μη μοι βασκανητε μακαριας ελπιδος, *nolite mihi beatam spem invidere. Quanto enim magis tormenta augebitis, tanto maius mihi præmium comparabitis;* συναλλαγματα ημιν εστι ταυτα προς τον δεσποτην. *Commercia sunt ista cum Domino atque contractus: pro vibicibus in corpore eminentibus, in resurrectione splendido induemur amictu. Pro contumelia atque ignominia palmas coronasque assequemur. Pro vinculis et carcere, perampla paradisi spatia late vagabimur. Pro accusatione demum, atque iniqua condemnatione gloriam ex Deo et Angelis referemus.* S. Cyprianus de laude martyrii: Totum, ait, gloria passionis illuminat, in qua spes futuri temporis cernitur, in qua Christus operatur. Cum Iacobus puer undecim annorum in Iaponia pro Christo cum matre ureretur, dicebat illi generosa Amazon: *Fili mi, cælum aspice, fili mi,* ut refert Morin. in histor. Mart. Iapon. lib. 2. cap. 15. Sciebat scilicet a vivo fonte refrigerationem in flammis quærendam esse.

1 S Gordius.

2. Mater Iacobi pueri in Iaponia.

In eadem Iaponia mirabilis extitit Thecla, quæ veluti phœnix inter olores, sic inter filios Deo se mediis in ignibus consecravit, eosque his verbis allocuta est: *Ite, o filii, ad rogum quasi ad regnum. Ambulabimus inter prunas, ut inter gemmas: recumbemus inter flammas, ut inter plumas: quiescemus inter accensas pyras, ut inter maternas ulnas: spiritus oris nostri Christus Dominus. Cum noster a nobis spiritus recesserit, Christus subibit. Ille reget melius nostras animas, quam ipsæ nostros artus animabant. Macte animo, o filii: pro Christo, qui est vita vestra vestram libentes vitam profundite. Hic rogus vobis uterus erit non maternus, sed divinus, ex quo non in hanc vitam morti similem, sed in veram et æternam exeatis. Pergite gaudium meum, et corona mea. Vestra me tormenta exhilarant, vestra incendia coronant. Quidquid lactis ex me suxistis, mihi abunde compensabitis, si vestrum pro Christo sanguinem profundatis. Generosam me appello vitem, quam tam generosi pampini circumdant. Pergite filii ad tormentum quasi ad trophæum.* 3. Thecla.

Spem suam in Deum adhuc apertius declararunt Machabæi martyres, qui passi sunt anno mundi 3887. imperii Græcorum 145. Antiochi Epiphanis 9. ante Christum 166. Tertius quidem linguam postulatus cito protulit, et manus constanter extendit, et cum fiducia ait l. 2. Machab. 7. 11. *E cælo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero:* ita ut rex Antiochus, et qui cum ipso erant, mirarentur adolescentis animum, quod tamquam nihilum duceret cruciatus. Quartus morti proximus ait, v. 14. *Potius est ab hominibus morti datos spem expectare a Deo, iterum ab ipso resuscitandos.* Supra modum autem mater mirabilis (quam S. Thomas vocat Machabæam, Iosephus modo Abraam, modo Salomonam. Calendarium Græcorum Salomem. Genebrardus Annam, id est gratiam: erat enim supra naturam ex gratia conflata) et bonorum memoria digna, pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens bono animo ferebat, *propter spem quam in Deum habebat,* v. 20. lege totum caput, et Iosephum hæc fuse enarrantem lib. . . ac S. Ambrosium lib. 2. de Iacob et vita beata, cap. 11. 4 Machabæi.

Nota tertio, Deus per martyrium salvat. Unde hoc in loco dicunt Martyres: *Salvasti enim nos.* S. Cyprianus de laude martyrii: Quid est, ait, martyrium? Delictorum finis, periculi terminus, *dux salutis*, patientiæ magister, domus vitæ. S. Bern. serm. de Maria Magdalena: *Lictores*, ait, *non persequuntur Martyres, sed coronant.* Cum quibus verbis iunge factum memorabile Magdalenæ martyris in Iaponia, quæ cum medio in rogo pro fide ureretur, iam funibus igne absumptis, prunas ambabus manibus intrepida accepit, et capiti diadematis instar imposuit, ac feliciter ad cælestem quietem transiit, ut habet Petrus Morin. lib. 2. cap. 15. histor. Mart. Iaponiæ. Et quidem universalis absolutio fit in perceptione Baptismi, et in martyrio. Propter quod dicitur, quod in martyrio omnia sacramenta Baptismi complentur, in virtute passionis Christi, scilicet quantum ad plenam liberationem a culpa, et a pœna, ut docet S. Thomas 3. p. quæst. 68. art. 2. ad 2. et quæst. 87. artic. 1. ad 2. et in 4. dist. 4. quæst. 3. art. 3. 40. Martyrium dat salutem.

Spes itaque Martyrum eos non deludit. Sapient. 3. 4. *Spes illorum immortalitate plena est.* S. Valer. Episcop. Cimel. homil. 15. *Voluntarium*, ait, *militem in conflictu pugnæ cito protegit corona victoriæ.* S. Cyprianus: *Mors integriorem facit vitam. Mors magis deducit ad gloriam: sic quotiescumque latentia in stipulis, distenta imbribus frumenta turgescunt, fœcundæ messes coquuntur æstate. Sic quoties ferro vitis abscinditur, erumpentibus pampinis melius uva vestitur.* Lege S. Ephrem encomio in omnes Martyres.

ARTICULUS III.

Quanta charitas Martyrum.

Post fidem et spem sequitur charitas, quæ in Marty-
ribus ita eluxit, ut unius Dei a se amati laudem et
gloriam quærerent, et ob quam vicissim eos Deus gloria
Vers. 9. cumulavit, v. 9. In Deo laudabimur tota die, et in
nomine tuo (nomini tuo, ut reddit S. Hieron. et Pagn.
nomen tuum, ut Felix) confitebimur in sæculum, con-
fessione laudis, et gratiarum actionis. Camp. vertit, et
maiestati tuæ in æternum gratias agemus. Felix, nomen
tuum in æternum celebrabimus.

41. Quid est in Deo laudari? Quæres, quid est in Deo laudari? Respond. primo, Bel-
larminus: In Deo laudabimur tota die: id est, non in no-
bis, sed in Deo gloriabimur omni tempore, quo de hostium
I. manibus liberabimur, et nomine Domini invocato, ipsi
confitebimur laudem et gloriam usque in æternum. Qui-
bus verbis confirmat quod demonstrare volebat, populum
esse eumdem, qui antea fuerat, id est, confidentem in Dei
auxilio, non in suis viribus, ut populus antiquus non in
viribus suis, sed in adiutorio Domini confidebat. Illud,
laudabimur, phrasis est Hebraica, significans gloriari,
non proprie laudari. Similis est phrasis Italica, quando
dicimus: *Mi lodo del tale*, et habetur hæc phrasis in aliis
locis multis, ut in Ps. 33. *In Domino laudabitur anima
mea*. Ps. 104. *Laudamini in nomine sancto eius*, et alibi
sæpe. Hæc Bellarmin. et bene. Aquila vertit, in Domino
gloriabimur.

42. Secundo tamen melius, *in Deo laudabimur*, id est, per
II. Et melius. Martyrum varia encomia. Dei opem roborabimur, generose nos geremus, tormenta
fortiter patiemur, ita ut ab omnibus laudemur. Est me-
talepsis, ponitur enim consequens pro antecedente. Ma-
xime enim laudati sunt Martyres ab omnibus ob robur
eorum invincibile: sed ipsi et robur suum, et laudem in
Deum refundunt; unde additur, *et in nomine tuo confite-*
1. *bimur in sæculum*. Laudem sumi in Scripturis pro virtu-
te, probat Martinus de Roa lib. 4. singularium, cap. 13.
eum consule. Sancti Patres toti sunt in laude Martyrii.
S. Chrysost. Martyres vocat currus Dei. Sic enim sermo-
ne 65. ψυχαι των αγιων μαρτυρων αρμα εισι του Θεου: *Marty-*
2. *rum sanctorum animæ Dei currus sunt*. Secundo, Bruno
in Psal. 79. ait esse cedros Dei: Martyres, ait, cedri Dei,
qui in Ecclesia inter altissima cacumina constituti sunt.
3. Tertio, Eusebius lib. 8. cap. 4. vocat Χριστου βασιλεως στρα-
τιωτας, Christi regis milites. S. Chrysost. serm. 35. γεν-
4. ναιους της ευσεβειας αθλητας, strenuos pietatis athletas. Quar-
to, S. Gregor. Nazianz. orat. 6. θεωσεως, inquit, οι μαρτυ-
ρες μεσιτευουσι, divinitatis consequendæ mediatores sunt
5. Martyres. Quinto, S. Basilius hom. 19. nuncupat, ουρανια
6. ανθη, cælestes flores. Sexto, S. Gregor. Nazianz. vincula
orbis terræ. Sic enim orat. 9. πασαν διειληφασι την οικουμε-
νην, ωσπερ τινες κοινοι συνδεσμοι: Universum terrarum or-
bem complexi sunt, velut communes quidam nodi ac vin-
7. cula. Septimo, Martyrium appellat Tertullianus lib. de
patientia, secundam intinctionem, id est, secundum Ba-
8. ptismum, ut recte annotat Pamelius. Octavo, S. Valeria-
nus hom. 15. quæ est prima de bono martyrii, dicit mar-
9. tyrium esse eximiæ virtutis indicium. Nono, corpora ipsa
Martyrum sunt veluti fontes gratiarum, et sacra myro-
thecia. S. Chrysost. tom. 5. serm. 67. σωματα, inquit, χα-
ρισμασι βρυοντα πνευματικοις, corpora donis spiritualibus
affluentia; et serm. 35. reliquias eorum vocat μαργαριτας,
10. id est, gemmas. Decimo, festa eorum sunt securi anima-
rum portus. S. Chrysost. tom. 5. sermon. 20. pag. 290.
πνευματικους, ait, λιμενας εχομεν συνεχως διαδεχομενους ημας,
αγιων μαρτυρων λεγω πανηγυρεις: *Crebros habemus spiritua-
les portus qui nos excipiant; festos, inquam, sanctorum
11. Martyrum dies*. Undecimo, S. Cyprian. lib. de laude Mart.
12. dicit martyrium esse domum vitæ. Duodecimo denique,
Clemens Alexandr. lib. 4. Strom. ait, martyrium est τε-
λειον εργον αγαπης, *perfectum opus charitatis*. Martyrium
quoad actum, potest esse sine charitate, non autem sine
magna charitate, quoad modum, scilicet prompte et dele-

A ctabiliter patiendo, ut docet S. Thomas. Quodlib. 4. 19. 20. quod sit meritorium, habet ex charitate, sine qua nihil valet, 2. 2. quæst. 124. art. 2. ad 2. Est actus maximæ perfectionis, non quidem secundum se, sed ut imperatur a charitate, et ut eam ostendit, 2. 2. quæst. 124. art. 3. Est martyrium actus virtutum quatuor: 1. fortitudinis, ut elicientis principaliter; 2. patientiæ, ut elicientis consequenter; 3. charitatis, ut imperantis; 4. fidei, ut finis, 2. 2. qu. 124. artic. 1. Christus dicit Ioan. 15. 13. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Syrus et Arabs, charitas ista maior nulla est, qua quis animam suam ponat pro amicis suis. Anima ibi pro vita, sicut alias sæpe ponitur.

Nota, pro *in Deo laudabimur*, nunc Hebr. est *in Deo* הללנו *hillalnu*, id est *laudavimus*, ut reddit Arias; *laudamus*, ut Pagnin. *laudabimus*, ut Lindan. et Felix. In Deo laudare, est Deum laudare, est Hebraismus: Symm. clare vertit, τον Θεον υμνησομεν, Deo hymnum dicemus.

Martyres Deum laudabant. Primo, ipsa sua perpessione 43. Deum laudabant Martyres.
B et fortitudine. Laus enim magna Domini est, ut tam fideles habeat servos, ut pro eo vitam dare velint, atque omnia præ illo contemnant. S. Gregor. Nyss. orat. 2. de quadraginta Martyribus: *Unus*, inquit, *eis metus erat, ne a Christo seiungerentur, unum bonum esse cum Christo solo; cætera vero omnia risus et umbra, nugasque, et somniorum* I. Ipsa sua passione.
visis similia sentiebant. S. Laurent. Iust. serm. in festo S. Georgii Martyris ait: Georgius ut Christi martyr efficeretur egregius, facultates quas habebat dispersit pauperibus, ut divitias perennes possideret in cælo. Repererat pretiosam margaritam latitantem in agro, per quod distractis omnibus mercatus est eam. O beata mens Martyris, quæ nec tribulatione, nec angustia, nec plagis, nec laboribus, nec præsentibus, neque futuris a Christo valuit separari. Vivebat in carne, et corde cum Christo iam pendebat in cruce: Ita ibi. Velut extra se rapti Martyres mediis in tormentis, et velut ασωματοι, ut ait S. Chrysost. de uno Deo cogitabant. Tertullianus lib. ad Martyr. *Nihil*, inquit,
C *crus sentit in nervo, cum animus in cælo est. Totum hominem animus circumfert: et quo velit, transfert*. Hæc fortitudo heroica a charitate erga Deum excellenti oritur. S. Gregorius illud Cant. 8. 7. examinans: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*, sic loquitur: *Charitate Martyres sancti vivaciter ardebant: quia in Dei et proximi dilectione mirabiliter flagrabant. Hanc charitatem aquæ multæ extinguere non poterant, quia quantæcumque tribulationes ei fierent, ad odium eos transmutare non valebant*. Et paulo post: *Flumina maximas tribulationes accipimus, quæ dum per totum orbem super Martyres ebullierunt, ad extinguendum charitatis ignem grandi impetu confluxerunt. Sed quia inter flumina adeo charitatis vigor vixit, ut potius flumina consumeret, quam se ab illis extingui permitteret; ideo multi etiam persecutorum ad eamdem charitatem se convertebant, ita ut dimitterent quidquid in mundo possidebant, et seipsos morti darent, quam prius patientibus crudeliter inferebant*. S. Genesius martyr sub Diocletiano hanc charitatem osten-
D dit; cum enim in eculeo torqueretur ferreis ungulis, et facibus ureretur, aiebat: Non est Deus præter Christum, pro quo si millies occidar, *ipsum mihi de ore, ipsum mihi de corde* auferre non poteris. S. Hesterina virgo et martyr Bergomas dicebat Præsidi: En cervix mea præsto est, in hanc sævito: hanc pro Christi Domini mei fide libenti animo trado. S. Quirinus martyr Aureliano Comiti ait: Si vis occidere, si fustibus cædere, si ignibus concremare, fac quod libet: omnes enim ad mortem pro Christo subeundam, *non secus ac famelici ad panem*, parati sumus.

Secundo, Martyres in ipsis tormentis Deum ore lauda- II. Ore et canticis.
bant, eique cantica concinebant, ut patuit in Anania, Azaria, Misaele Deum laudantibus in fornace Babylonica, Daniel. 3. 51. Hoc etiam in novi testamenti Martyribus sæpe contigit, ut in S. Polycarpo, S. Agnete, aliisque, qui in flammis Deum laudabant. Hinc quidam in Biblioth. Patr. Græc. ait: Δυο των καλλινικων οι χοροι μαρτυρων, duplex triumphantium Martyrum chorus est. Alter enim ad novum te-

stamentum, alter ad vetus pertinet: qui quidem in patroni ac regis omnium Dei honorem alterna invicem huius hymmi modulatione respondent: Probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. S. Bernard. serm. 61. in Cant. alacritatem illam Martyrum sic depingit: *Stat Martyr tripudians et triumphans, toto licet lacero corpore: et rimante latera ferro, non modo fert fortiter, sed alacriter sacrum e carne sua circumspicit ebullire sanguinem. Ubi ergo tunc anima Martyris? nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Iesu.* Martyrum alacritatem certatim ad supplicium ruentium vide apud Euseb. lib. 8. Eccl. histor. cap. 8. et apud Baronium passim tom. 2. Annalium. Voces vero gratiarum actionis et laudis vide in variis actis Martyrum apud Surium, item apud S. Chrysost. tom. 6. pag. 973. serm. 65. et apud Petrum Morin. de Iaponensib. Martyr. agentem.

44. Sancti, præsertim Martyres, in cælo laudantur.

Anagog. In Deo laudantur Sancti in cælo per totam diem æternitatis, qui in luce virtutum ambulaverunt in hac vita, non in nocte vitiorum. S. Ambros. in Ps. nostr. *Opulentus*, inquit, *in divitiis laudatur, luxuriosus in conviviis, scortator in nocte, potens in hac vita, quæ habet noctes. Sanctus autem non in hac vita, sed in Deo laudabitur: qui Domino per omnia placere gestivit, qui potest dicere Ps.* 117. *Fortitudo et laudatio mea Dominus. Laudabitur tota die, quia honeste egit, et opera sua non abscondit et crimina, sed regi patefecit æterno, in die ambulans, non in tenebris et occultis. Unde Apostolus Rom.* 13. *Sicut in die honeste ambulemus, hoc est,* non in ganeis atque gurgustiis, etc.

Hoc de Martyribus præsertim verum est, qui ne peccarent, mortem oppetere voluerunt. Clemens Alexand. lib.2. Strom. eos laudans ait: *τουτους παντας ο παρα νομον φοβος εις Χριςον παιδαγωγησας, συνησκησε το ευλαβες, και δι αιματων ενδεικνυται*: Eos omnes legis metus, qui veluti pædagogus ad Christum deduxit, exercuit, ut pietatem vel per sanguinem ostenderent. Idem Auctor lib. 4. dicit eos qui in morbo sine ulla tyrannorum sævitia moriuntur, *ου καθαραν απολευειν ψυχην, αλλ' ωσπερ μολυβδιδας τας επιθυμιας μεθ' εαυτης φερομενην*, neque puram emittunt animam, sed quæ veluti notas plumbeas secum effert cupiditates, nisi fuerint eorum aliqui docti, et ex virtute circumspecti: ita Clemens; quo indicat per martyrium culpam et pœnam tolli omnino, sicut in Baptismo, ut docent Theologi, et recta in cælum animam duci. Tertullianus in Scorpiaco, martyrium vocat lavacrum sanguinis, ac subdit: Proprie enim Martyribus nihil iam reputari potest, quibus in lavacro isto vita deponitur. Sic dilectio operit multitudinem delictorum, qui Deum scilicet diligens ex totis viribus suis, quibus in martyrio decertat: ex tota anima sua, quam pro Deo ponit, hominem martyrem excudit: ita Ipse. S. Basilius ait S. Mamantem martyrem esse fontem virtutum. Sic enim ait hom. 20. Ipse ex seipso virtutem quasi scaturigine quadam producit. Non habet ut torrens, qui ex alieno confluxu gloriosus apparet, sed *πηγη εςιν απο των οικειων λαγονων προχεουσα το καλλος*, *fons est, decorem suum ex propriis venis effundens.*

Cælum est patria Martyrum. S. Basil. hom. 20. agens 45. Cælum est patria Martyrum.
de quadraginta Mart. *πολις μαρτυρων*, ait, *η πολις εςι του Θεου*: *Patria Martyrum est civitas Dei, cuius auctor atque conditor ipse Deus. Hæc est superna Ierusalem, quæ libera est, quæ est mater Pauli, et omnium ei similium.* Ad eam patriam cor eorum rapitur, ideo non respiciunt retro ad terrena, sicut uxor Loth ad Sodomam, sed ad cælestem montem currunt. S. Ambrosius in Ps. nostr. Uxor Loth, inquit, quæ retro respexit, ad verticem montis, hoc est, ad superiora pervenire non potuit, sed in salem conversa est, quæ species cito solvitur, nec potest usum habere diuturnum. Sic sunt qui temporalia sequuntur, et non sequuntur æterna: et hic infatuantur a stultitia sua, et futuram gratiam habere non possunt. Uxor Loth decepta est, quia post se habebat luxuriam Sodomitanorum, et regionis illius illecebras: *Qui Christum sequitur, post se non respicit, id est, ad luxurias atque illecebras peccatorum. Rapiebantur Apostoli, cædebantur virgis, in carcerem trudebantur, separabantur a se, et tamen cum Christo manebant: imo hoc ipso quod rapiebantur a perfidis, eorum merita crescebant, et gratia in cælestibus augebatur.*

SECTIO TERTIA.

Tria complectitur. Primo, Martyrum afflictionem in animi bonis, vers. 10. Secundo, in bonis fortunæ, vers. 12. Tertio denique, in bonis corporis, vers. 19.

PARAPHRASIS.

10. *Nunc autem repulisti et confudisti nos: et non egredieris Deus in virtutibus nostris.*

10. Nunc vero potentem illam manum tuam, qua maiores nostros protegebas, subtraxisti, et velut abiectos a providentia tua hostium ludibrio nos obiecisti: neque, ut solebas, comitem te, ac ducem exercituum nostrorum exhibes, ut te pugnante vincamus.

11. *Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros: et qui oderunt nos, diripiebant sibi.*

11. Gladiis hostilibus terga vertere trepidantes nos coegisti: atque spoliis nostris osores tui nominis et tibi consecratorum militum impune potiuntur.

12. *Dedisti nos tamquam oves escarum: et in gentibus dispersisti nos.*

12. Si vero placet cum hoste manum conferre, ovium instar iugulamur, ac discerpimur: et proscripti barbaras, ignotasque in nationes vagi et inopes dispergimur.

13. *Vendidisti populum tuum sine pretio: et non fuit multitudo in commutationibus eorum.*

13. Quibus in nationibus vilium instar pecudum, sub hasta dirissimæ servituti mancipati vendimur: tantoque numero cladem hanc miseram subimus, atque adeo in contemptum Gentilium venimus, ut pauci sint, qui vel vili pretio nos emant.

14. *Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem et derisum his, qui sunt in circuitu nostro.*

14. In tantam vero nos calamitatem coniecisti, ut probris nos onerent, sannis et cachinnis insultent omnes, qui circumquaque finibus nostris sunt contermini.

15. *Posuisti nos in similitudinem gentibus: commotionem capitis in populis.*

15. Fabulam nos et lugubre Gentilium proverbium effecisti, ut miserrimi similes nobis dicantur: et concusso capite, velut terræ quisquilias et orbis reiectamenta contemnant et proculcent.

16. *Tota die verecundia mea contra me est, et confusio faciei meæ cooperuit me.*

16. Dies noctesque occurrit oculis animoque calamitas nostra pudenda et probrosa. Confusi rubore suffundimur, cum undique nos malis cinctos, atque omnium obiectos ludibrio cernimus.

17. *A voce exprobrantis, et obloquentis: a facie inimici, et persequentis.*

17. Hinc enim conviciatores auribus insonant, inde subsannatores feriunt oculos.

18. *Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te: et inique non egimus in testamento tuo.*

18. His malorum inundationibus obruti sumus, quæ tamen memoriam tui non extinxerunt. Neque tecum sanctum fœdus ulla impietate fregimus.

19. *Et non recessit retro cor nostrum: et declinasti semitas nostras a via tua:*

19. Neque semel initam virtutis ad te possidendum viam cor nostrum deseruit: et tamen tramitem, quem terebamus, tam densis dumetis ac sentibus obsepsisti, ut viam tuam difficilem molestamque redderent.

20. *Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis: et cooperuit nos umbra mortis.*

20. Etenim in hac vita afflicta et misera, in carceribus ac theatris nos depressisti, soloque allisisti: et neci a tyrannis adiudicatos pallore lethali deformasti, præ trepidatione et inauditorum suppliciorum horrore.

21. *Si obliti sumus nomen Dei nostri, et si expandimus manus nostras ad deum alienum:*

21. Sacro deinde iudiciorum tuorum terrore mentem concutis. Si enim vel in acerbissimis tormentis, nominis tui ac maiestatis memoria exciderit: et vel solas manus timore coacti ad falsorum deorum idola erexerimus.

22. *Nonne Deus requiret ista? ipse enim novit abscondita cordis.*

22. Statim tu severus vindex exurgis, et admissum nefas æternis flammis addicis: vel abditissima mentis penetralia rimaris et dignoscis, ita ut undequaque nobis terror intentetur.

Quoniam propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oves occisionis.

Hoc enim pateris, singulis ut diebus nulla quiete concessa morti destinemur ad nominis tui defensionem et gloriam: oviumque iugulandarum ritu glomeratim ad aras mactemur.

QUÆSTIO UNICA.

Quam terrifica Martyrum tormenta, et incommoda.

Prima sectione felicem fidei propagationem Martyres prædicarunt: in secunda, fidem suam, spem, charitatem, aliasque virtutes modeste recitarunt. Nunc in hac tertia, calamitates suas in bonis animi, fortunæ et corporis fuse percensent.

46. Martyres afflicti: I. In animæ bonis. Primo, in animi bonis duo præsertim passos se esse conqueruntur. Primo, subtractionem auxilii sensibilis, vers. 10. *Nunc autem repulisti, et confudisti nos: et non egredieris Deus in virtutibus nostris.* Secundo, timorem suppliciorum ob quem sibi fuga consuluerunt, vers. 11. *Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros.*

II. In bonis fortunæ. Secundo, in fortunæ bonis multa tolerasse se ostendunt. Primo, divitiarum amissionem, v. 11. *Et qui oderunt nos, diripiebant sibi.* Secundo, patriæ iacturam per exilium, v. 12. *Dedisti nos tamquam oves escarum, et in gentibus dispersisti nos.* Oves enim comedendæ spoliantur, minutatim conciduntur, et varias in domos asportantur. Tertio, libertatis privationem, v. 13. *Vendidisti populum tuum sine pretio, et non fuit multitudo in commutationibus eorum.* Quarto, famæ deperditionem, tum apud vicinos populos, vers. 14. *Posuisti nos opprobrium vicinis nostris: subsannationem et derisum his, qui sunt in circuitu nostro.* Tum apud remotos, v. 15. *Posuisti nos in similitudinem gentibus: commotionem capitis in populis.* Unde fit, ut 1. animo verecundemur, v. 16. *Tota die verecundia mea contra me est;* 2. facies rubore suffundatur: *Et confusio faciei meæ cooperuit me;* 3. aures dicteriis iugibus vulnerentur, v. 17. *A voce exprobrantis et obloquentis;* 4. oculi denique arrogantia hostium et sannis lædantur: *A facie inimici et persequentis.*

Quæ eo graviora et admirabiliora fuisse, sancti Martyres dicunt, quod in tot cladibus a Deo non sint aversi, nec cogitatione, vers. 18. *Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te;* nec actione: *Et inique non egimus in testamento tuo:* nec affectione, v. 19. *Et non recessit retro cor nostrum.*

III. In bonis corporis. Tertio denique, in corpore dirissima se perpessos asserunt: et tanta quidem, ut in periculo, tum lapsus in hac vita, tum damnationis in alia extiterint.

Primo quidem tentationi abnegationis fidei abiectos se esse conqueruntur, vers. 19. *Et declinasti semitas nostras a via tua.* Rationem afferunt supplicia tolerata, vers. 20. *Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis;* et mortem acerbissimam, quæ aspectu horrorem ingeneraret, ac tenebras menti iniiceret: *Et cooperuit nos umbra mortis.*

Secundo, periculum se æternæ damnationis incurrisse,

A a querula voce asserunt. Deus enim omne scelus ulciscitur, etiam cogitationis, v. 21. *Si obliti sumus nomen Dei nostri.* Et actionis: *Et si expandimus manus nostras ad Deum alienum.* Atque ut puniat, exquirit, et examinat ea quæ facta sunt, v. 22. *Nonne Deus requiret ista?* Et cogitata: *Ipse enim novit abscondita cordis.*

Tertio denique, omne periculum suum ortum dicunt a diuturnis suppliciis in carcere, theatro, aliisque locis, v. 22. *Quoniam propter te mortificamur tota die.* Atque ab ipso mortis genere crudeli et barbaro: *Æstimati sumus sicut oves occisionis.*

ARTICULUS I.

Afflictio Martyrum in animi bonis.

B Duplicem in animo dolorem Martyres nonnunquam senserunt. Primo, ob subtractionem auxilii sensibilis. Secundo, ob naturalem timorem tormentorum. Utrumque attingit Propheta.

Ac primo, summus erat Martyrum dolor, cum terram ferream, et cælum æneum experiebantur, luce et gratia 47.
sensibili subtracta. Hoc deplorant vers. 10. Nunc autem Vers. 10.
(q.d. Non agis nobiscum sicut olim, cum in te laudabamur tota die. Hebr. אַךְ *ach*, id est, verum, ut vertit Hieron. verumtamen, ut Felix) repulisti et confudisti nos: et non egredieris Deus in (cum Hebr. *beth* pro omni pene præpositione sumitur) virtutibus nostris. Hebraice est clare, exercitibus nostris. Itaque virtutes ibi non ponuntur pro animi habitibus aut actibus, sed pro robore et potentia. Populi autem robur sunt exercitus, qui sunt veluti propugnacula regnorum et urbium.

Nota, alludit ad egressum ex Ægypto, cum Deus, id est, Deus præest exercitui Israelitarum.
C Angelus, vices Dei gerens, et in columna nubis et ignis latens, ducebat populum Israel castra prælens, 1. præscribebat illis stationes recumbens supra tabernaculum, cum erat quiescendum; 2. elevans se et columnam movens cum erat ambulandum; 3. illum protegebat ab æstu diurno, et recreabat tollens tenebras nocturnas; 4. contra hostes tutabatur, sicut accidit in transitu maris rubri, cum ex illa nube Angelus deiecit fulmina in Pharaonem, et in eius exercitum.

Secundo, alludit ad Angelum apparentem Iosue statim in ingressu terræ promissæ, et se offerentem in ducem exercitus, Iosue 5. 13. *Cum esset Iosue in agro urbis Iericho, levavit oculos, et vidit virum stantem contra se, evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, et ait: Noster es, an adversariorum? Qui respondit: Nequaquam: sed sum princeps exercitus Domini, et nunc venio,* ut te adiuvem et populum tuum, sicut antea adfui, quamdiu in co-

lumna delitui. Hunc Angelum ducem populi Dei eppellant Mitraton Cabbelici; 2. R. Moses Mahmanides vocat Angelum fœderis, sive testamenti, de quo Exod. 23. et 32. et Malach. 3. 1. sed melius 3. R. Abraham, et Lyrenus censent fuisse Michaelem, qui Daniel 10. 21. vocetur princeps gentis Iudæorum, et pugnat cum Angelo regni Persarum, ut fideles Iudæos e captivitate Babylonis eruat. De Angelis, ducibus et propugnatoribus exercituum vide Ps. 33. 8.

Eos vult deserere. Tertio, ac præsertim cum dicet, *repulisti nos, et non egredieris in virtutibus nostris*, alludit ad iram Dei, cum post adorationem vituli aurei voluit deserere populum Israel, et cum eo amplius non ambulare, Exod. 33. 3. *Non ascendam tecum, quia populus duræ cervicis es.* Secundo, cum post reditum exploratorum, et post murmur populi nolentis ire in terram Chanaan, sed redire in Ægyptum, ac deinde visa nece exploratorum, et auditis Dei minis, volentis pugnare in Amalecitas, victus, fusus, fugatusque est exercitus ab illis, quia Deus cum iis non erat egressus in prælium. Num. 14. 44. *Arca testamenti* (continens testamentum, hoc est legem, quæ erat conditio pacti, fœderis, seu testamenti) *Domini et Moses non recesserunt de castris* (prioribus). *Descenditque Amalecites et Chananæus, qui habitabat in monte: et percutiens eos atque concidens, persecutus est eos usque Horma.*

48. Quæres, cur servos suos nonnunquam Deus dereliquit? Respond. primo, ut eorum fides sit generosior. Se-
Cur servos suos Deus deserit?
cundo, ut spes sit robustior. Tertio, ut charitas fiat ardentior. Quarto, ut meritum crescat. Quinto, ne vana
1. gloria irrepat in gustu et alacritate sensibili. Sexto, ut
2. maiori in admiratione sit eorum virtus. Septimo, ut in
3. virtute debiliores, et tentationibus initio conversionis
4. agitati habeant consolationem. Octavo, ut victoria uni
5. Deo tribuatur. Nono denique, ut ferventiores ad Deum
6. preces Martyr emittat. S. Ambros. in Psal. nostr. duas,
7. tresve rationes attingit: *Quando Iesus Nave ducem mili-*
8. *tiæ cælestis adoravit: et ideo sine ferro vicit, et sine ulla*
9. *obsidione destruxit urbem Iericho, quæ habebat validissimos muros. Quando enim progressus est in virtutibus servorum suorum Deus, victoria consecuta est. Nam progressus est Angelus ad Ezechiæ preces, et stravit innumeras copias Assyriorum. Sed interdum et quos vult in certamine coronari Dominus, derelinquit ad tempus, ut fide vincant, nec rebus secundis et prosperis devotio remittatur. Denique sæpe qui prosperorum cursu, et secundorum usurpatione ceciderunt, corriguntur adversis. Ideo frequenter invenimus Iudæos post victoriam lapsos, post servitium correctos.* Adde, Martyres aliquando privari sensibili consolatione, ut Christo fiant similiores, qui dicit se fuisse a Patre suo derelictum, Psalm. 21. 1. Vide ibi dicta. Quomodo iuverit Martyres Deus, dicam sect. ult. huius Psal.

49. Hanc derelictionem suam exaggerant Martyres, v. 11.

Vers. 11. AVERTISTI NOS RETRORSUM POST INIMICOS NOSTROS: ET QUI ODERUNT DIRIPIEBANT SIBI, id est, ad usus suos spolia et nos ipsos rapiebant, sicut fecit Antiochus Epiphanes, de quo hic Martyres conqueruntur. De illo enim l. 1. Mac. 1. 21. *Antiochus percussit Ægyptum in centesimo et quadragesimo tertio anno* (regni Græcorum: mundi autem 3885. ante Christum 168.) *et ascendit ad Israel, et ascendit Ierosolymam in multitudine gravi, et intravit in sanctificationem* (in sanctuarium seu templum) *cum superbia, et accepit altare aureum, et candelabrum luminis, et universa vasa eius, et mensam propositionis, et libatoria, et phialas, et mortariola aurea, et velum, et coronas, et ornamentum aureum, quod in facie templi erat: et comminuit omnia. Et accepit argentum, et aurum, et vasa concupiscibilia: et accepit thesauros occultos, quos invenit: et sublatis omnibus, abiit in terram suam. Et fecit cædem hominum.* Nimirum octoginta millium, ut dicitur 2. Machab. 5. 12. Vendidit autem quadraginta millia, quod proprie est diripere fideles sibi ad suos usus.

50. Quæres, quid sit averti retrorsum post inimicos suos? Duplex sensus esse potest. Primus quidem, quod dicitur poni in loco postremo eos qui erant in primo: ita ut veluti captivi teneantur sequi hostes suos: ita Bellarminus, cui favet Symmachus, qui vertit: εταξας ημας εσχατους παντος εναντιου: *Ordinasti nos ultimos præ omni adversario.* Secundus vero sensus est, quod dicitur fugari ab hoste, sic *post*, non denotabit situm, sed deiectionem et inferioritatem. S. Hieronymus clare vertit: *Vertisti terga nostra hosti.* Hebr. fecisti redire nos retrorsum ab hoste. Chald. fecisti ut verteremus cervicem coram hoste. Arabs, reiecisti nos super calcaneos nostros ab inimicis nostris. Hoc dici potest primo de Mathathia et filiis eius Machabæis, qui fugerunt furorem Antiochi, et aliorum Regum sæpe. De Mathathia lib. 1. Machab. 2. 1. dicitur: *Surrexit Mathathias filius Ioannis filii Simonis sacerdos ex filiis Ioarib ab Ierusalem, et consedit in monte Modin.* Inde postea fugit ipse et filii eius in montes, et reliquerunt quæcumque habebant in civitate, quæ hostes diripuerunt sibi. Secundo, ad eos fugit synagoga Assidæorum fortis viribus, et omnes qui fugiebant a malis. Assidæi autem erant Esseni, ut placet Saliano, Serario, Torniello et Genebrardo. Aut potius, ut ait Cornelius, Assidæi erant milites belli sacri, qui scilicet pro lege et synagoga nomen debant militiæ sacræ, quales postea fuere milites templi, et nunc sunt ordines militares equitum Melitensium, S. Ioannis, S. Stephani, Teutonicorum, et similium, qui pro Ecclesia Dei contra Turcas, Saracenos, et Hæreticos generose depugnant. Cum enim Antiochus satageret evertere Dei legem, templum et synagogam, Deus excitavit Assidæos, qui se militiæ sacræ devoverent, ac pro templi legisque tutela pugnarent, seque omnibus belli periculis ultro offerrent. Dicuntur eam ob rem חסידים *chasidim*, id est, sancti, pii, et religiosi. Tertio, Martyres, et Apostoli, Apostolicique viri sæpe coacti sunt fugere furorem persequentium. Christus quidem ait Apostolis, Matth. 10. 16. *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* Ovis lupos fugit; ideo adiungit, v. 2. *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* Non timendo passionem, inquit Beda, sed declinando, ut tribulationis occasio seminarium fieret Evangelii, vel ut aliqui in speluncis toti vacerent uni Deo, ut contigit S. Paulo primo Eremitæ, qui fugiens Decii persecutionem, totos sexaginta annos contemplationi dedit in eremo Ægypti, ubi S. Antonius eum reperit, et brevi post sepelivit. Elias fugiens Iezabelem usque ad montem Dei Horeb, ibi audit Deum loquentem, 3. Regum 19. S. Athanasius prudenter fugiens rabiem hostium suorum fortiter per quadraginta sex annos restitit Imperatoribus Arrianis Constantio ac Valenti, et idololatræ Iuliano. Hebr. 11. 38. *Quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, et speluncis, et in cavernis terræ.*

Averti retrorsum post inimicos. **Fugere hostes suos.** **Assidæi.**

Quod autem timor in fugam compellens sit magnum animi malum nemo dubitat, cum plerique sint timore solo mortui: nonnullos ad aliqua morte ipsa turpiora timor adegerit, ut Heliogabalum Imp. qui militari tumultu exterritus, non obtulit se irato militi, sed cum matre fœtidam cloacam petiit, ubi multis vulneribus confossus, turpem vitam turpissima morte finivit. Sæpe metus est ipsa re quæ timetur, magis incommodus. Seneca epist. 13. ad Lucil. *Plura sunt quæ nos terrent, quam quæ premunt: et sæpius opinione laboramus, quam re. Cito accedimus opinioni, et sic vertimus terga, quemadmodum aliquos pulvis motus fuga pecorum exuit castris, aut quos aliqua fabula sine auctore conterruit: nescio quomodo vana perturbant. Vera enim modum suum habent.* Et epist. 79. Quemadmodum, ait, perniciosior est hostis fugientibus: sic omne fortuitum incommodum magis instat timenti et averso. Plinius lib. 8. cap. 25. id illustrat crocodili exemplo: Crocodilus, inquit, terribilis est in fugaces, fugax contra insequentes: ita quidem si concedas ac metuas, tum ferociunt: si strenue contemnes et obsistas, statim concedunt. Vide dicta Psalm. 13. 5. 51.

Timor, magnum malum.

ARTICULUS II.

Calamitas Martyrum in bonis fortunæ.

In caducis fortunæ bonis varia passi sunt Martyres: 1. enim aurum suum ac supellectilem amiserunt; 2. immobiles etiam possessiones, agros et domos; 3. libertatem; 4. famam ipsam.

Ac primo, tyranni divitiis Martyrum inhiantes, eos auro, argento, gemmis, aliisque spoliabant, v. 11. *Et qui*
52. *oderunt nos diripiebant sibi.* Vide dicta art. præcedenti.
Vers. 12. Et v. 12. DEDISTI NOS TAMQUAM OVES ESCARUM, ET IN GENTIBUS DISPERSISTI NOS. *Oves escarum,* id est, oves devorandas. Est Hebraismus. Oves autem quæ in cibum destinantur, 1. pelle sua et lana spoliantur; 2. in varias partes dividuntur; 3. in macello expositæ a variis emuntur, et in diversas domos deferuntur. Ita Martyribus Primo opes rapiebantur. Secundo, illis nudati vendebantur, et in varias regiones dispergebantur.

Martyres spernunt divitias. Aviditas tyrannorum ad aurum argentumque corradendum patuit, cum S. Laurentius facta thesaurorum mentione statim captus est, sed egregio commento satellites ac Decium elusit, sicut referunt eius acta apud Surium die 10. Augusti. Quantas opes pro Christo contempserint
S. Hermetis 1250. servi. Martyres, ex uno S. Hermete Præfecto urbis Romæ colligo, qui a S. Alexandro Pontifice baptizatus servos mille ducentos et quinquaginta libertate donavit, eorumque uxores et filios. In vincula coniectus Aureliani iussu, hæc omnia terræ bona pro nihilo duxit. Cumque illi Quirinus Tribunus, apud quem habebatur in vinculis, diceret: Quæ ratio est, vir illustris, et vice sacra iudicans, non solum ad istam iniuriam te redigi velis, verum etiam Præfecturæ honore abdicato, vinculis tamquam privatum onerari æquanimiter feras. S. Hermetes ait: *Ego præfecturam non amisi, sed mutavi. Nam terrena dignitas a terrenis hominibus tollitur et mutatur; dignitas vero cælestis æterna sublimitate subsistit.* Cum Quirinus hac virtute, et S. Alexandri oratione et miraculis cum cæteris captivis baptizatus esset, rogavit S. Hermetem et Alexandrum, ut e carcere discederent, sed noluerunt, et mortem gloriose oppetierunt. Multi dicunt illud Horatii lib. 1. epist. 1. Virtus post nummos. Et 2. serm. sat. 3. ait: Omnis enim res, virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris divitiis parent. Propertius: *Auro pulsa fides*, auro venalia iura. Ovidius lib. 1. Metam. opes vocat irritamenta malorum, ferroque nocentius aurum. A Iacobo Philomuso dicitur aurum destructor vitæ princepsque malorum. Sed crede Horatio lib. 1. epist. 1. *Vilius argentum est auro, virtutibus aurum;* et S. Augustino serm. 12. de diversis; *Quid prodest arca plena bonis, si inanis sit conscientia?*

53. Martyres ovibus comparati, ob sex rationes. Martyres iure compares ovibus. Primo, ob fœcunditatem, multos enim Christo pariunt. Cant. 4. 2. *Omnes gemellis fœtibus*, charitate scilicet erga Deum et erga proximum. S. Alexander Papa captivos omnes in carcere convertit, ut habetur in vita eius 3. Maii num. 6. et 7. qui iussu Aureliani alligatis collo saxis deiecti sunt in mare.
I. S. Catharina virgo Alexandrina in carcere convertit uxorem Maximin. in disput. Philos.

II. Secundo, ovis pelle iuvat, Martyres sua maceratione et excoriatione. Malach. 3. v. 3. *Comederunt carnem populi mei, et pellem eorum desuper excoriaverunt.*

III. Tertio, ovis fructuosa est suo vellere: Martyribus sua est utilitas in exteriori conversatione. Iob de se ait cap. 31. 20. *De velleribus ovium mearum calefactus est pauper.* De Elia, Elisæo et aliis dicitur Hebr. 11. 37. *Circuierunt in melotis*, id est, in vestibus factis ex pilo camelorum, aut ex pelle taxi, ait S. Thomas, aut melius, ex pelle ovis; μῆλον enim Græce significat ovem. Pelle ovium tectos Martyres tyranni feris nonnunquam exponebant, ut ardentius in eos irruerent, ut dixi Ps. 21.

IV. Quarto, ovis lac offert, sanguis Martyrum est lac Christianorum: magna enim est consolatio afflictis, cum cernunt amicos Dei passos esse, et vim tantam ab eius gratia habuisse, ut mortem ipsam et tormenta generose vi-

A cerint. Lac pro sanguine fudit S. Paulus, S. Catharina, et quidam alii. Verba quoque Martyrum gustata sunt magnum in ærumnis solatium. Cantic. 4. 10. ait Christus sponsæ coronandæ de cubilibus leonum, et de cubilibus pardorum, id est, animæ sanctæ martyrii corona decorandæ: *Mel et lac sub lingua tua.*

Quinto, ovis pastorem suum agnoscit et sequitur quocumque pergit, Martyres Christi vocem audiunt dicentis, V.
Matth. 16. 24. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* S. Gregorius homil. 32. *Minus est*, ait, *abnegare quod habet, valde autem multum est abnegare quod est, id est, non sufficit nostra relinquere, nisi relinquamus et nos.* Hoc nemo perfectius facit Martyribus.

Sexto, ovis cum tondetur, et ad lanienam ducitur, tacet; Isaiæ 53. 7. de Martyrum rege et duce dicitur: *Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum.* Ubi patientiæ exempla affert Cornelius, 1. in S. Spiridione Episco- VI.
B po; 2. in S. Stephano Abbate; 3. in Libertino Monacho; 54. Exilia Sanctorum utilia dilatatione fidei.
4. in Constantino Imperatore; 5. in S. Ioanne Eleemosynario, Patriarcha Alexandrino; 6. in Philippo duce Hollandiæ; 7. in S. Dominico Ord. Prædicator. Fundatore; 8. in S. Elisabetha Turingiæ principe; 9. in S. Lidwina Holland. virgine, et in aliis. Deinde profert Martyres, 1. S. Iacobum fratrem S. Ioannis Apostolum; 2. S. Ignatium Patriarch. Antioch. 3. S. Edmundum Angliæ regem; 4. Ioannem Fischerum Episcopum Roffensem; 5. Henricum Guardianum Franciscanorum Cantuariensem; 6. varios Martyres Gallos et Batavos.

Secundo, Martyres in exilium eiecti, agros suos, domos, parentes, uxores, liberos, amicos, Deo et fidei suæ posthabuerunt, v. 12. ET IN GENTIBUS DISPERSISTI NOS. Pro *dispersisti* Hebr. est זריתנו *sirita*, id est, *ventilasti*, veluti granum hordei, tritici, etc. Sic sumitur Ruth 3. 2. ubi de Booz dicitur: *Hac nocte aream hordei ventilat.* Hebr. est זרה *zore.* Aquila et Symmachus in Psalm.
C nostr. vertunt: *In gentibus*, aut, *inter gentes ventilasti nos.* Sparguntur itaque et ventilantur sancti Apostoli et Martyres. Sparguntur, ut fructum faciant: ventilantur, ut purgatiores sint. Ventilare enim est ventilabro seu vanno frumenta aut legumina post trituram sursum eiaculari, ut ventorum flatu a paleis repurgentur. S. Ambros. de Apostol. dispersione ad fructificandum in agro Domini sic explicat: *Missi sunt sancti Apostoli ad gentes, et dispersi sunt inter gentes: sicut et Prophetæ sancti, ut illa dispersione fructus plurimi nascerentur. Ut enim Dominus noster Iesus Christus sicut granum cecidit in terram, et mortuus est, ut multum fructum afferret: ita etiam dispersi sunt Apostoli sancti, ut bonum inter gentes semen afferrent, quoad eorum similitudinem fructus gentium pullularet. Denique Scriptura hoc dicit dixisse Dominum, Ioan. 15. 8. Quia propterea vos misi, ut vos eatis, et fructum plurimum afferatis, et fructus vester maneat. Factus est ergo Dominus sicut semen, secundum quod dictum est ad Abraham, Gal. 3. 16. Et semini tuo quod est Christus.*
D *Semen ergo omnium Christus. Et ideo se cadere passus est et spargi, ut conforme corpori suo transfiguraret corpus humilitatis nostræ. Hoc ergo semen salutare omnibus hominibus pullulavit, et ex illo ad eius imaginem figurati, quasi semina Apostoli sancti missi sunt per diversos, atque dispersi, ut in agrum Ecclesiæ gentes congregatæ diversis fructibus refulgerent toto orbe terrarum. Istæ ergo dispersiones dicuntur, sicut etiam in posterioribus idem David dicit Ps. 146. 2. Ædificans Ierusalem Dominus, et dispersiones Israel congregans. Dispersi sunt enim ut novos fructus facerent, et postea veluti triticum novum Ecclesiæ horreis inveherentur. Hæc autem dispersio non inferioribus fit, hoc est, non in terra, sed in cælo.* Ventilantur quoque Martyres, et vento persecutionis in varias terras rapiuntur, ut ibi fructificent iis in locis, in quæ vix Evangelii nomen ob barbariem incolarum, vel sterilitatem terræ pervenisset: sicut patet in exilio Clementis Papæ, qui relegatus iussu Traiani in desertam civitatem ultra mare

et Pontum, sitam prope Chersonem, tam multos ad fidem convertit, ut quotidie quingenti et plures baptizati recederent. Intra unum vero annum facti sunt illic a fidelibus septuaginta quinque Ecclesiæ: et confracta sunt omnia simulacra, omnia templa regionis quæ erant circumcirca, sunt diruta: omnes luci qui erant ad trecenta milliaria, omnino in orbem sunt concisi et confracti, ut habetur in Actis a S. Simeone Metaphraste relatis 23. Novemb. In varias nationes dispersi Iudæi ante Christum ad eas cognitionem veri Dei detulerunt, ut patet in captivitate Babylonica, ubi Nabuchodonosor, Balthasar, Darius rex, aliique a Daniele edocti potentiam et maiestatem Dei cæli suspexerunt. Tempore etiam Machabæorum multos extra patriam eiectos esse constat lib. 2. Machab. 5. 14.

55. *Exilia Sanctorum aspera.* Quam grave fuerit S. Chrysost. Patriarchæ Constantinop. exilium habes in eius epist. ad Olymp. t. 4. Quam acerbum S. Athanasii, sæpius iteratum docet Baron. t. 3. et 4. annal. Quam luctuosum militum Traiani Imper. refert idem auctor. tom. 2. ann. 108. Traianus, inquit, Imp. Iberos, Saurom. Hosdroenos, Arabas, Bosphoranos, Colchos in fœdus accepit, Seleuciam, Ctesiphontem, Babylonem occupavit et tenuit. Tunc more maiorum lustrans exercitum, invenit in eo *undecim mille* Christianos, qui sacra diis facere recusassent, a cæteris segregatos in Armeniam relegavit. Coniectura ducimur hos illos ipsos esse *decem mille* præstantissimos Martyres, qui in sylvis montis Ararat in Armenia sunt crucifixi: ita Baronius. Acta quidem habent sub Adriano passos, sed fortasse usque ad eius imperium vixeruut, atque ex undecim mille iam morte ordinaria mille erant extincti.

In Iaponia præsertim. Crudelissimum exilium habes decretum a rege Arimæ in Iaponia adversus quinque nobiles familias. Nam primo, pater, mater, filii proscripti sunt, servis vetitum ne illis comites se præberent: deinde nihil asportari permissum præter vestes, quibus tum temporis tecti erant: præterea omni hominum colloquio, et urbium pagorumque commercio privabantur: tum omnibus erat prohibitum, ne ullo humanitatis officio calamitatem eorum sublevarent. Denique ut omni humano subsidio cæterorum etiam regnorum et provinciarum privarentur, regni Arimæ exitus illis erat occlusus, terra marique dispositis custodibus, qui illos egressu prohiberent, ut Petrus Mor. refert in histor. Martyr. Iapon. lib. 1. cap. 13. Nonne vel ipsa morte hæc pœna illis erat dirior?

Tertio, Martyres libertate privati sunt, et venditi in abVers. 13. lecta mancipia. Unde adduut vers. 13. VENDIDISTI POPULUM TUUM SINE PRETIO: ET NON FUIT MULTITUDO IN COMMUTATIONIBUS EORUM, id est non fuerunt multi qui eos aliis mercibus vellent permutare.

56. *Vendere sine pretio, tribus modis explicatum.* *Vendere sine pretio*, est primo vendere gratis, id est, dare nullo pretio postulato. Ita S. Augustinus sumi docet aliquando vendere pro simpliciter donare. Vide illum q. in lib. Iudicum 9. 17. Secundo, *vendere sine pretio*, est vendere pretio vilissimo, et pro voluntate emptoris. In rebus enim vilissimis dicimus, pro ea re da quod voles: de pretio certo non convenitur inter venditorem et emptorem. Hic optimus est explicandi modus. Tertio denique, *vendere sine pretio*, est vendere sine pecunia, sed tantum permutatione aliarum rerum, v. g. equorum, canum, pannorum, et similium. Unde additur, *Et non fuit multitudo in commutationibus eorum*, q. d. Non modo nemo pro illis volebat dare pecuniam, sed ne res quidem alias cum iis permutare, q. d. Præ aliis omnibus rebus contemnebantur ob numerum ingentem. Hoc apte conveniet Iudæis ab Antiocho Epiphane venditis, cum ex Ægypto redux cepit Ierosolymam, et sacra profanaque omnia diripuit et polluit, lib. 2. Mach. 5. 14. *Erant toto triduo octoginta millia interfecti, quadraginta millia vincti, non minus autem venumdati.* Pollux lib. 7. c. 2. meminit antiqui proverbii Græci, ἁλώνητον ἀνδράποδον, sale emptum mancipium: Thraces enim nullius pretii servum

57. *Vili pretio venditi servi et filii.* sale permutabant. Apud Indos frequens est liberos vendere, cum plures sunt. Singuli non emuntur plusquam octodecim assibus, nonnunquam decem aut duodecim. Mahumetani plurimos emebant in mancipia. Patres Societatis Iesu illos emunt, ut vera fide imbuant, Petrus du Larric lib. 2. hist. Ind. cap. 16. pag. 484. In Africa in regno Congensi una in provincia Bemba, unico in mercatu aliquando quinque millia servorum venduntur, lib. 3. cap. 1. pag. 8. In regno Angolæ pro unico cane viginti quinque mancipia nonnunquam dantur: quia carnem canis in deliciis habent, et omni carni præferunt, lib. 3. cap. 6. pag. 76. Miseriam servorum deplorat Innocentius tract. de vilit. conditionis humanæ: *O extrema*, inquit, *conditio servitutis! natura liberos genuit, sed fortuna servos constituit: servus cogitur pati, et nemo sinitur compati: dolere compellitur, et nemo condolere permittitur. Sic ipse servus est, ut nemo sit sibi: miseri qui castra sequuntur: et miserum est aliena vivere quadra.* *Pretio canis, et minori, venditi in Africa.*

Hac vili servitutis infamia nobilissimos quosque mulctabant tyranni, et ad vilissima opera damnabant in M. SS. Actis S. Gordiani legitur. Iulianus impiissimus iracundia inflammatus, iussit in scriptis damnari S. Ianuarium presbyterum, et S. Gordianum tradi in publicam custodiam, et uxorem eius Marinam in pago quodam, quem Aquas Salvias vocant, rusticorum servituti addici præcepit, ut ea servitute opprimeretur. 58. *Martyres nobiles facti servi.*

S. Marcellus Pontifex Maximus vilium iumentorum servitio deputatur. Hoc refertur in Martyrologio Romano die 16. Ianuarii: *Romæ via Salaria natalis S. Marcelli Papæ et Martyris, qui ob Catholicæ fidei confessionem, iubente Maxentio tyranno, primo fustibus cæsus, deinde ad servitium animalium cum custodia publica deputatus, ibidem serviendo amictu indutus cilicino, defunctus est.* Idem traditur in lib. Romanorum Pontificum, in Marcello. *Marcellus Papa in stabulo servit iumentis.*

Nota, pro *in commutationibus*, quod significat Græcum ἐν ἀλλάγμασι, Psalterium vetus, Psalterium Æthiopicum, S. Augustinus habent, *in iubilationibus*, et aliqui Codices Græci, ut Complut. Aldini, Regii, ἐν ἀλαλάγμασι, hoc est, in iubilationibus. Sensus esset, q. d. Non remanserunt multi in Ecclesiis, qui Domino iubilarent in officiis divinis celebrandis: ita Augustinus. Sed Codices Græci emendatiores habent, ἐν ἀλλάγμασι, et hoc exigunt Hebraica, et sequuntur Chaldæus, Syrus, S. Ambros. S. Hieron. et alii, ac sensus est longe melior et planior.

Quarto denique, famam Martyrum et gloriam deturpare moliuntur tyranni, eosque infames omnibus reddere, 59. ac ludibrio exponere. Ideo pergunt v. 14. POSUISTI NOS Vers. 14. OPPROBRIUM (S. Augustinus, in opprobrium) VICINIS NOSTRIS (id est, finitimis populis: nempe Ammonitis, Moabitis, Idumæis, Philisthæis, Chananæis, Galilæis, Arabibus, et similibus. E propiori loco sagitta emissa magis ferit) SUBSANNATIONEM ET DERISUM HIS QUI SUNT IN CIRCUITU NOSTRO, ut in nulla parte sit quies et consolatio. Sumus veluti centrum malorum, in quod omnes omnium lanceæ a toto circulo confluunt, ut ibi in nostris miseriis quiescant et triumphent.

Vers. 15. POSUISTI NOS IN SIMILITUDINEM (S. Ambr. in Psal. 118. Octon. 15. *in proverbium*) GENTIBUS, COMMOTIONEM CAPITIS IN POPULIS. Vers. 15.

Vers. 16. TOTA DIE VERECUNDIA (S. Hieron. confusio) MEA CONTRA ME EST, ET CONFUSIO (S. Hieronym. ignominia) FACIEI MEÆ COOPERUIT ME. Vers. 16.

Vers. 17. A VOCE (Pagnin. propter vocem) EXPROBRANTIS ET OBLOQUENTIS, A FACIE INIMICI ET PERSEQUENTIS. Vers. 17.

Nota, undecim hic poni quæ passi sunt Martyres ab hostibus suis, 1. opprobrium; 2. subsannationem; 3. derisum; 4. dicteria proverbialia; 5. gestus plenos contemptus; 6. verecundiam; 7. confusionem; 8. exprobrationem; 9. obloctionem; 10. odia; 11. persecutionem. Ubi adverte, aliqua censeri posse synonima, si tamen accuratius expendatur esse nonnullam inter ea differentiam. 60. *Undecim mala ab hostibus passi Martyres.*

Primo enim, *opprobrium* significat infamiam, dedecus, q. d. Obiectum probrum. Est autem probrum infamia quæ ex scelere sequitur: ita Tullius lib. 4. epist. ad Atticum, et Livius lib. 2. usurpant. Christiani a Gentibus æstimati sunt primo impostores. S. Hieron. epist. 10. ad I. *Opprobrium.*

Furiam: *Ubicumque viderint Christianum, usurpant statim illud de trivio*, ω γραικος επιθετης, scilicet, o *Græculum impostorem!* et ad Marcel. *Si tunica non canduerit, statim illud e trivio: Impostor et Græcus est.* Græcos enim, ait Baronius ann. 56. ex Tertulliano, Ethnici appellabant Christianos ea de causa, quod cum Christianam amplecterentur religionem, abiecta toga, pallium quod erat Philosophorum indumentum, supervestiebant. Infamati sunt Christiani ex factis Gnosticorum et aliorum hæreticorum. Nominati sunt perturbatores Reipublicæ. Rei censebantur immanissimi criminis, nempe impietatis. Rei maiestatis habiti. Dicti sunt hostes Imperatorum. A gentilibus habiti infames. Ut magi exagitati. Ipsum nomen Christianorum crimini vertebatur.

II. Subsannationem. Secundo, *subsannatio* seu *sanna*, ut ait S. Hieronymus, est irrisio, quæ ab occipitio distorto ore, et labiis contractis fit, anteriorum dentium ostentatione. De variis generibus sannarum dixi alias. Martyres his obiecti per Neronem, qui primam persecutionem in Christianos excitavit. Nam, ut ait Tacitus: *Pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi: atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, et Circense ludicrum edebat, habitu aurigæ permistus plebi, vel circulo insistens.* Ut scilicet subsannans illuderet morientibus.

III. Irrisionem. Tertio, *derisus* seu irrisio est, cum quis ludibrio habetur, ut vanus et contemnendus. Critias apud Lucianum in Philopatro sic Christianos irridet: *Phy, phy, phy, nugas illas. Heu, heu, heu, heu, consultationes malas. Væ, væ, væ, væ, spei inani.* Quod autem Scriptura Gentilibus Christianam fidem capessentibus, summam gloriam, felicitatem, et bonorum omnium affluentiam pollicerentur, cum tamen ipsi inopes essent ac pauperrimi, idem Critias irridens ait, iactantes homines advenisse, qui vias auro essent inundaturi, cum tamen ipsi pannosi essent, et carerent obolo.

61. IV. Proverbialem contemptum. Quarto, Christiani positi erant *in similitudinem*, id est, in Proverbium, ut Felix, Pagn. Flam. et Arias vertunt; *in parabolam*, ut S. Hieron. epist. 135. *in fabulam*, ut Campensis, qui reddit: Fecisti nos fabulam Ethnicis. De Iudæis sic exponit Lorinus: Poni, ait, in similitudinem Gentibus Iudæos, est idem quod in parabolam, proverbium, adagium, fabulam, iocum, ludibrium, exemplum, argumentum sermonis vulgi, ut sive commemorare velint insignem aliquam calamitatem, sive quippiam aliquid atrocius imprecari, statim proferant illos in medium, tamquam execratissimos et calamitosissimos, et his quibus male ominantur precanturque, similes esse concupiscant, ac ut sint, verbis exprimant: aut si quem alium describere sit opus, ærumnarum plenum, cum Iudæo comparent, vel Iudæum cognominent, sicut pauperiorem Iro, et Codro, et Hecale, dicunt eum qui sit pauperrimus: ditiorem Crœso et Crasso eum, qui sit ditissimus: Mysorum ultimum, qui sit contemptissimus: ita ille. Sic etiam Plato καρικον ανθρωπιον, id est, Caricum homuncionem vocat eum, qui vilis sit atque abiectus. Achilles iratus Agamemnoni apud Homerum dicit: τιω δε μιν εν καρος αισῃ, id est, mihi Caris loco habetur, hoc est, nihili illum facio, vilissimi mancipii loco illum habeo. Nam Cares Bœotiæ populi, Phriges, Getæ, Thraces, Arcádes, et alii contemnebantur, et in proverbium abibant. Synesius ad Enoptium: εις Σωσιας, και Τιβιους απεδοτο, inter Sosias et Tibios retulit, hoc est, inter servos venalitios. Sosiæ in comœdiis erant serviles personæ; Tibii vero, ut ait Phylarchus, populi in Ponto. Lacedæmonii dicebant, δουλοτερος μεσσηνης, servilior Messenia: quod, ut refert Pausan. et Iustin. rebellantes sæpius Messenios in servitutem redegissent, et durius cæteris servis haberent. Αρκαδιον βλαστημα, id est, Arcadicum germen in stupidos quadrat: quod Arcades primi recipere noluissent musicam et artes liberales. Βοιωτον ους, Bœotica auris, pro pingui et crassa, quod essent incultiores et rudiores Bœoti: Abderitica mens, id est stupida: et sic de cæteris.

A Christiani quoque in fabulam et proverbium abiere, dum viguerunt persecutiones. Tertullianus ait dici solitos: Primo, semissios et sarmentarios: quod ad stipitem dimidii assis revincti sarmentis additis cremarentur, sic irrisorie vocabantur. S. Augustin. et Eusebius illius tormenti meminere. Secundo, dicebantur Asinarii, quod crederentur caput asini pro Deo adorare. Tertull. in Apologet. cap. 16. refert Carthagine ridiculam picturam esse propositam cum eiusmodi inscriptione: *Deus Christianorum Ononychites. Is erat auribus asininis, altero pede ungulatus, librum gestans, et togatus. Risimus et nomen et formam.* Mirare, et ama Dei charitatem et benignitatem, qui cum servis suis rideri vult, ut ipsi irrisiones generosius et suavius ferant.

Quinto, *commotio capitis* in Christianos denotat iram et indignationem contra ipsos subsannationi iunctam. Vide dicta Psalm. 21. 8. Hæc lætitia hostium affert dolorem. Iulius Cæsar a Piratis captus dicebat non se tam ægre ferre quod captus esset, quam quod inde gaudio affi- V. Commotionem capitis.
B ciendus esset M. Crassus. Vidi ego ducem exercitus, qui in pugna collatis signis commissa et amissa dixerat, se præsertim dolere, quod aliorum exercituum duces inde gaudium essent percepturi, et hoc accepi ab eo qui dixerat. Ad rem est aptius, quod de Iaponia refert Petrus Morin. lib. 3. hist. Mart. Iapon. cap. 5. Martyres scilicet risui omnium expositos fuisse, saccis inclusos, ex quibus caput tantum extabat, atque ad celebres urbis pontes, transeuntium sannis et dicteriis obiectos; cap. 4. ait, aeris incommodis fuisse expositos diu noctuque; cap. 11. quod unus supra alium coniiciebantur; adeo ut nonnunquam pondere oppressi morerentur; lib. 4. cap. 14. quod saccis inclusi in deserta loca aliquando pellebantur, et feris exponebantur, sicut accidit novem Martyribus in regno Bungensi: per dies enim quatuor, et quinque noctes, sine cibo prorsus ac potu expositi summa constantia perdurarunt: atque inter eos puer, qui necdum quartum ætatis annum attigerat, et tamen voce cæteris ani-
C mos addebat, ut verum appareret Prophetæ dictum, Psal. 8. *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem:* ita Morin.

Sexto, *verecundia* Martyribus fuit, cum passi sunt opprobria, resque alias indignas, quas reiicere ac repellere non poterant. Verecundia autem contra illos erat, cum non poterant connivere, oculosve a dedecore suo avertere: sed versabatur semper ante oculos eorum, nec evitare poterant exprobratores et derisores. Hoc præsertim accidebat sacris virginibus, cum ad lupanar trahebantur, aut nudæ oculis protervorum exponebantur illudendæ: quæ pœna illis erat ipsa morte gravior: maluissentque ad leonem, quam ad lenonem mitti. Sed Deus crebris miraculis eas servabat: modo eas immobiles reddens, ut S. Luciam: modo per Angelum protegens, ut S. Agnetem: modo per militem educens, ut S. Antoninam: modo per leonem, ut S. Dariam: nunc veste cælitus missa nuditatem tegens: nunc capillos per totum corpus dimittens: nunc carnifices excæcans: nunc lumine circumdans. VI. Verecundationem.

D Septimo, *confusio* fuit Martyribus. Primo, cum cingulum, quod erat decus militiæ, illis tollebatur. In actis S. Mauritii et sociorum habetur. Tunc Maximianus Imperator valde iratus, iussit auferri a sanctis septuaginta militibus habitum militiæ, et eis abscindi zonas: et deinde sic eos adduci ad ipsum cum magna ignominia. Cumque hæc magna celeritate effecissent satellites, dixit eis tyrannus: *Videte a quali gloria et honore excidistis, et quale vobis obtigerit dedecus et contemptio propter vestram inobedientiam.* Sancti dixerunt tyranno: *Etiamsi tu, ut existimas, exuisti nos habitu militiæ, et abscidisti zonas nostras: est Deus noster in cælis, quem colimus, qui nos induet vestibus et zonis incorruptæ et æternæ eius gloriæ, quam ipse non es dignus videre, aut audire, propter satanam patrem tuum, qui in te loquitur et operatur.* Georgius Codinus de officiis aulæ Constantinop. Quod nunc, ait, vocatur diadema, olim cingulum militare dicebatur, honoris insigne: unde etiam tyranni cingulum et torquem aufe- VII. Confusionem.

rebant a Martyribus honoratioribus Christum confitentibus: sic privatos tradebant tortoribus: ita ipse. Hoc fit in Equitibus S. Spiritus in Francia: illis enim torquis eripitur, cum quid gravius deliquerint. Secundo, et præcipue, *confusio faciei* cooperiebat Martyres, cum luto sordibusque facies eorum et vestes a tortoribus fœdabantur: quin etiam nonnunquam lotio eos perfundebant, veluti magos, ut maleficiis suis nihil possent efficere. In Actis S. Iuliani Martyris ait Martianus Præses: *Ne hoc* (oculi scilicet restitutionem) *exerceas, lotio te perfundi iubeo, per quod maleficia profligantur*. Sed oculum amico Præsidis sanavit S. Martyr: et lotium instar balsami fragrantissimum odorem exhalavit.

62. VIII. Exprobrationem. Octavo, *exprobrare*, est proprie improperare beneficia alii præstita, et eius ingratitudinem, quod sæpe faciebant Martyribus Imperatores, reges, principes, nobiles, parentes, amici, et alii; 2. *exprobratio* etiam est qualiscumque culpæ obiectio. Varias autem oblecere gentiles Christianis. Primo, Nero illis obiecit Romæ incendium, quod ipse excitarat anno 66. a Christi nativitate, Pontificatus S. Petri 22. Imperii sui 10. Secundo, cum anno Christi 243. Fabiani Papæ 5. Gordiani Imper. 3. fuisset terræ motus adeo gravis, ut civitates etiam terræ hiatu cum populis deperirent, hoc evenire ob Christianos dicebant Ethnici, ut tradit Origen. lib. 3. contra Celsum. Scribendi argumentum unde sumpserit Arnobius, lib. 1. in principio declarat. *Quoniam, ait, comperi nonnullos, qui se plurimum sapere suis persuasionibus credunt, insanire, bacchari, et velut quiddam promptum ex oraculo dicere: Postquam esse in mundo Christiana gens cepit, terrarum orbem periisse, multiformibus malis affectum esse genus humanum, ipsos etiam cælites, derelictis curis solemnibus, quibus quondam solebant invisere res nostras, terrarum ab regionibus exterminatos: statui pro captu et mediocritate sermonis contraire invidiæ, et calumniosas dissolvere criminationes.* Si Tiberis inundabat, si Nilus suo se alveo continebat, si terræ tremebant, si aer fulminibus, nimbis, grandine erat obnoxius, si quid mali uspiam accidisset, hoc totum in Christianos refundebatur.

IX. Oblocutionem. Nono, *oblocutio* in Christianos erat continua per contumelias, calumnias, blasphemias. Pro *obloquentis* est מגדף *megadeph*, id est, 1. blasphemantis, ut S. Hier. et Felix atque Aquila vertunt; 2. contumeliis afficientis; 3. conviciantis, ut Campensis; 4. calumniantis, ut Chaldæus. Ob impietates et scelera Gnosticorum gravissimæ calumniæ in Christianos coniectæ sunt, ut iam dixi, et testatur S. Epiphanius hær. 27. S. Irenæus lib. 1. cap. 24. et Origines lib. 6. contra Celsum, ubi ait: *Iudæi in ipsis Christianæ religionis et veræ disciplinæ primordiis ad nostræ doctrinæ notam et infamiam illud disseminabant, quod Christianis puerum aliquem immolandi mos esset, cuius et carnem singuli degustarent. Insuper et id mendacio effingebant, quemadmodum qui ex Christiana hac essent disciplina, cum ea quæ in operto fiunt, facere vellent extinctis luminibus, ei quam quisque nactus esset, admiscerentur. Quæ infamia olim temere edita plurimos occupabat, qui essent a fide hac alieni, persuasumque haberent istiusmodi iam esse Christianos, et ad id temporis sic fallit nonnullos præsumpta hæc et prava opinio, ut ea de causa Christianos aversentur, ne vel simplicia cum eis ineant verba.*

X. Odia. Decimo, *inimici* et hostes Christianorum fuerunt innumeri. Christus Matth. 10. 22. id prædicit Apostolis: *Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* Tacitus agens de incendio urbis Romæ tempore Neronis, et de suppliciis Christianorum ait: Haud perinde in crimine incendii, quam *odio humani generis* convicti sunt.

XI. Persecutiones. Undecimo denique, *persecutiones* sævissimæ in omnibus prope regnis, provinciis et urbibus excitatæ sunt, quibus innumerabiles Martyres perierunt, ut dicetur art. sequenti. Persecutiones decem præcipue extiterunt, quas alibi percensui. Quod Christiani violentæ mortis sententiæ obnoxii essent, ab Ethnicis ignominiæ causa vocabantur Biothanati, q. d. Morte violenta percuntes, a βιαιω θανατω, hoc est, violenta morte. S. Paulus 1. Cor. 4. 9. *Deus nos*

A *Apostolos novissimos ostendit, tamquam morti destinatos*, Gr. ως επιθανατιους. Tertull. legit, *velut bestiarios*, id est bestiis in theatro exponendos; unde subdit: *Spectaculum* (θεατρον, id est, theatrum, ut legit S. Hieron. in epitaphio S. Paulæ) *facti sumus mundo, et Angelis, et hominibus.* Et 2. Cor. 4. 10. *Semper nos qui vivimus in mortem tradimur propter Iesum.*

Ex his collige Primo, Christi potentiam, qui fidem toti orbi indidit per tot afflictiones et persecutiones, quibus si solam naturam spectes, interire debebat. Secundo, fortitudinem, patientiam, et charitatem Martyrum. Tertio denique, si affligeris, non esse desperandum, signum est et arrha amoris erga te divini, et spem fructus facit granum in terra mortuum.

Post explicatas calamitates suas, exponunt Martyres 63.
suam gratitudinem, fidelitatem, charitatem et patientiam. Vers. 18.
Primo quidem, gratitudinem, v. 18. Hæc omnia venerunt super nos, (velut pondus grave) nec obliti sumus te. Secundo, fidelitatem in servandis promissis in B Baptismo et susceptione fidei: Et inique non egimus in testamento tuo, hoc est in, seu contra testamentum, seu pactum et fœdus tecum initum. Hebraice, *nec* שקרנו *scikarnu, mentiti sumus in pacto tuo.* Quoties peccat fidelis, mentitur, et fit infidelis. Hebræi mendacium vocant און *aven*, quæ vox etiam peccatum significat. Campensis vertit, fœdus tuum non violamus.

Tertio, amorem suum et charitatem constantem declarant Deo, v. 19. Et non recessit retro cor nostrum. Vers. 19.
S. Hieron. non est conversum retro. Chald. non est aversum et divisum elationibus. *Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei*, Luc. 9. 6. Apostolus quæ retro sunt obliviscens, ad ea, quæ sunt priora extendebat seipsum. Gr. επεκτεινομενος, id est, manus et corpus protendens ad scopum, ut eum apprehenderet antequam pedibus eum attingeret: sicut faciunt qui in stadio currunt: meta et corona nostra est Deus: ad eum extendendi sunt oculi per contemplationem, ut non C aberremus: pedes per affectionem, ut non deficiamus: manus per operationem, ut possideamus: totum corpus per mortificationem, ut illi adhæreamus.

Quarto denique, patientiam humilem sibi necessariam 64.
fuisse ostendunt: Et (tamen) declinasti semitas nostras (nos ambulantes in arctis semitis, id est in laboriosa vita. Est metonymia et metaphora) a via tua, id est a via quam tenuisti, et quæ ad te ducit, q. d. Licet forti animo et ardenti charitate hæc sustineremus, videbaris tamen nos contemnere, et a te reiicere, atque peccandi periculo exponere. Chald. vertit: *Tu inclinasti gressus nostros a rectitudine viæ tuæ:* ita explicant S. Basilius, S. Athanasius, S. Cyrillus, S. Chrysost. et alii. Hic sensus est optimus, et ei quem subiicio, præferendus.

Secundo, aliqui negationem interserunt, q. d. *Et non declinasti semitas nostras a via tua.* q. d. Effecisti ut in tam atrocibus tormentis et molestis cladibus, nec fidem perderemus, nec ab exercitio bonorum operum cessaremus: ita S. Thom. Euseb. Apollin. Bruno, Haymo, Nice- D phorus. Iam exempla attuli, unum addo, pueri duodennis, de quo Thomas Bozius lib. 11. de signis Ecclesiæ, cap. 1. Anno, inquit, 1576. captus est a Malavaribus Indicis in ora Comorinensi puer annorum duodecim, cui nomen Ioannes, natione Hispanus, patria Medina campi: cumque formosa ac liberali specie foret, dono datus est cuidam regulo, qui eximia pueri indole delectatus, nihil non egit, ut a Christi cultu illum deduceret: inter cætera illi pollicitus est in matrimonio collocaturum filiam, quam pulcherrime ornatam iussit in medium procedere, ut eius aspectu blanditiisque deliniretur. Ubi vero post multa tentata se nihil ille proficere vidit, furore succensus atrocissimum supplicium mandat apparari. Nihil eo consternatus impubes, petito temporis spatio, quo supplicaret Deo ad extremum se nihili omnia facere est professus. Itaque summos primo digitos, deinde manus in plura frusta paulatim secuerunt, idemque brachiis ambobus fecere: mox ad pedes et crura venerunt minutatim illa conciderunt: cum-

que sæpius ab ipso immanissimi tortores, carnificesque exigerent, ut Christo nuntium remitteret, invictus, hilarisque respondebat, se nunquam id facturum, et ad adstantes conversus, in quibus multi erant captivi Christiani, ad eadem perferenda hortabatur; affirmans se nunquam tantum lætitiæ cœpisse, nunquam gustasse tantum suavitatis: qui cum perorasset animo ardentissimo, ad superos evolavit: ita Bozius. Sequero pugnantem, ut assequaris victorem.

ARTICULUS III.

Quam multa mala passi sint Martyres in bonis corporis.

Primo articulo vidimus passos esse in bonis animi: articulo secundo in bonis fortunæ: nunc agendum est

65. Vers. 20. de bonis corporis, in quibus dirissima, et omnes humanas vires superantia tolerarunt, v. 20. QUONIAM HUMILIASTI NOS (Hebr. דכיתנו *dicchitanu*, contrivisti nos, ut vertit Arias et Felix. Proprie *daca*, est minutatim dividere et conterere, in pulveres vehementer contundere) IN LOCO AFFLICTIONIS, ET COOPERUIT NOS UMBRA MORTIS, id est umbra mortifera, in carceribus scilicet, ex quibus ad mortem educimur, et in quibus torquemur.

Locus draconum. Nota, pro *in loco afflictionis*, Hebr. est, in loco תנים *thannim*, id est, *draconis*, ut reddit Felix; *draconum*, ut S. Hier. 2. *sirenum*, ut S. Chrysost. Hebraica vox *thannim* significat dracones et sirenes: itaque sensum, non verba expresserunt Septuag. Interpretes. De umbra mortis vide Ps. 22. 4. Locus afflictionis est, 1. locus captivitatis; 2. carcer; 3. denique, locus carnificinæ.

Sensus itaque est, q. d. O Domine Deus humiliasti, deiecisti, contrivisti nos instar pulveris in captivitate nostra, carcere ac tormentis, ubi inter tyrannos ac carnifices versamur draconibus diriores, et sirenis fallaciores, atque crudeliores qui nos vehementer affligunt. Tanta est autem calamitatis caligo, ut mortis imaginem terrificam præ se ferat, et mortem semper veluti præsentem obtendat.

Vita est locus afflictionis, et draconum ac sirenum. Tropolog. Hæc vita est Primo locus afflictionis, ob varias ærumnas, quæ nos humi deiiciunt. Secundo, hæc vita est locus draconum, ob venena et sibilum detractionum, susurrationum, calumniarum, aliorumque vitiorum. Tertio, hæc vita est locus sirenum, ob fallacias, cautus amatorios, cupiditatem devorandi, et discerpendi. Quarto, hæc vita est *umbra*, quia nihil ibi est solidum, sed vanum et inane. Quinto denique, est umbra mortis, quia sub ea mors latet: omnes enim vivendo morimur singulis diebus et momentis. 2. est umbra mortis, non vera mors: umbra afflictionis, non vera afflictio: omnia vitæ mala sunt terriculamenta puerorum: vera mors et afflictio in inferis est, ubi est mors secunda. S. August. in Ps. nostr. *Operuit nos umbra mortis. Hæc enim mortalitas, umbra mortis est. Vera mors, est damnatio cum diabolo.*

66. Causam passionum suarum declarant Martyres, v. 22.

Vers. 22. QUONIAM PROPTER TE MORTIFICAMUR (Hebr. הורגנו *horaghnu*, occisi fuimus; Arias et S. Cyprianus de exhort. ad Martyr. cap. 6. occidimur. Camp. trucidamur. Psalt. Roman. et Arnob. morte afficimur. Hebræi sæpe præteritum sumunt pro præsenti,) TOTA DIE: ÆSTIMATI SUMUS SICUT OVES OCCISIONIS, id est, occidendæ, iugulandæ, mactandæ. Est hebraismus. Denotatur primo, contemptus. Tyranni enim Martyres non plus, imo minus æstimabant quam pecudes. Secundo, potestas tyrannorum, quibus Martyres non magis resistere poterant quam oves, quæ nec dente, nec ungue, nec cauda, nec cornibus, nec cursu, nec cute, nec mole corporis, nec voce terrifica, nec astutia tueri valebant. Tertio, notatur crudelitas tyrannorum, qui Martyres iugulabant, excoriabant, in frusta concidebant, sicut oves in macello exponendas et devorandas. Quarto, notatur patientia Martyrum qui non magis resistebant tortoribus, quam oves laniis. Quinto denique, notatur multitudo Martyrum, qui gregatim ad lanienam ducebantur. De potestate et contemptu tyrannorum, et de patientia Martyrum dixi supra. Restat ut aliquid addam de multitudine Martyrum, ac de crudelitate tyrannorum. De martyrio incruento per mortificationem dicam sect. ult. in fino.

Ac primo, innumeri pene Martyres pro Christo passi sunt. S. Gregorius hom. 17. in Evangelia: *Totum*, ait, *mundum fratres aspicite, Martyribus plenus est: iam pene tot, qui videamus, non sumus, quot veritatis testes habemus. Deo ergo innumerabiles, nobis super arenam multiplicati sunt: quia quanti sint, a nobis comprehendi non possunt.* Placet mecum illustrem gradationem facere. 67. Pene innumeri fuere Martyres.

Primo, centum Martyres passi sunt in Perside sub Saporo rege, cum Simeone Episcopo Seleuciæ et Ctesiphontis, quorum agonem describit Sozomenus lib. 2. histor. cap. 8. Cassiod. lib. 3. cap. 2. Nicephorus lib. 8. cap. 36. I. Centum passi in Perside.

Secundo, ducenti Carigii interioris Americæ, qui ex Paragao amne quem accolunt, Baptismi gratia Brasiliam sexcentis passuum millibus distantem petentes, a Tupinaquinis barbaræ crudelitatis Ethnicis trucidati sunt, ut refert Nicolaus Orland. lib. 14. hist. Soc. Iesu, num. 129. et ducenti viginti in Africa, ut legitur in veteri Roman. Martyrologio. II. Ducenti in America.

Tertio, trecenti apud Coloniam Agrippinam mactati in Maximiani persecutione, de quibus Beda, Usuardus, Ado, et Gregorius Turon. de gloria Martyrum, cap. 62. licet numero ab invicem dissideant. III. Trecenti Coloniæ.

Quarto, quadringenti et quatuor Martyres cum S. Cyriaco coronati sunt 14. Maii, in Appendice ad Martyrol. Adonis. IV. Quadringenti cum S. Cyriaco.

Quinto, quingenti quatuor cum B. Arcta martyre Romæ passi 1. Octobris, ut est in Martyrologio Romano, et Adonis. Par numerus Monachorum cum Porcario Abbate monasterii Lirinensis martyrio coronatus est 12. Augusti. V. Quingenti Romæ.

Sexto, mille et quingenti, ac viginti quinque in Decii Imper. persecutione, sub Antiocho Præfecto, in Umbria ad mortem usque decertarunt: de his agitur in Actis martyrii S. Venantii. VI. Mille in Umbria.

Septimo, duo millia quingenti nonaginta septem cum S. Andrea martyre, ut ait Ado in Martyrol. 19. Augusti. VII. Duo millia cum S. Andrea.

Octavo, tria millia mortem tolerarunt cum sexcentis viginti octo, 4. die Septembris, ut habetur in Martyrologio Gallico impresso Lugduni anno 1625. VIII. Tria millia.

Nono, quatuor millia nongenti sexaginta sex in Africa persequentibus Vandalis sub Hunnerico rege Arriano triumpharunt, partim Episcopi, partim diaconi, partim plebei. Horum plurimi dum crudeliter a Mauris ducerentur, hastilium cuspidibus ad currendum impulsi, et lapidibus contusi, alii ligatis pedibus velut cadavera per dura et aspera loca tracti, et singulis membris discerpti sunt. Eorum cruciatus fusius enarrat Victor lib. 2. de persecut. Vandal. et summatim Constitutio Iustiniani Imperatoris, Cod. de Præfect. Prætor. Africæ. IX. Quatuor millia in Africa.

Decimo, quinque millia in Ægypto cum S. Iuliano Alexandriæ Episcopo, qui primo anno Commodi Imper. sedere cœpit, palam obtinuerunt in persecutione Diocletiani sub Marciano Præside, ut docet Menolog. Gr. 21. Iunii. X. Quinque millia in Ægypto.

Undecimo, decem millia et ducenti tres Romæ ad Guttam iugiter manantem cum S. Zenone, ut tradunt Beda et Usuardus die nona Iulii. XI. Decem millia Romæ.

Duodecimo, undecim millium Virginum corona cunctis nota est historia, licet sit satis implexa, de qua Mombritius tom. 2. Claudius Rota cap. 154. Bonfinius de rebus Hungaricis decad. 1. l. 5. et omnium probabilissime Gaufridus Episc. Asaphensis in tractatu de rebus Britannicis. XII. Undecim millia in Germania.

Decimotertio, decem et septem millia uno mense pro fide Christi cæsa referuntur in Diocletiani persecutione 26. Aprilis in Rom. Martyrologio. XIII. Decem et septem millia.

Decimoquarto, viginti millia Nicomediæ passa sunt in Diocletiana persecutione, cum Eunucho, Domna, Agape, et Theophila virginibus, ut habet Martyrologium Gall. Acta eorum scripsit Metaphrastes, et de his meminit Nicephorus lib. 4. cap. 6. XIV. Viginti millia.

Decimoquinto, trecenta millia Martyrum una civitas Romana numerat. Thomam Bozium lib. de signis Ecclesiæ, cap. 5. audiamus: *Roma una*, inquit, *plures Martyres Ecclesiæ dedit priscis illis temporibus, quam quilibet vel* XV. Trecenta millia.

hæreticorum, vel quorumvis cœtus. Numerantur enim plura in urbe quam trecenta millia Martyrum. Quid? Num satis hoc? Coeant in unum greges omnes hæreticorum omnium, coeant cunctæ gentes ab orbis exordio, pseudomartyres eorum non poterunt unius urbis æquare summam. Quod profecto fidei nostræ veritatem et præstantiam aperte significat, pro qua tot veritatis assertores occubuerunt.

XVI. Innumeri. Decimosexto, innumeri mortui dicuntur, 2. Ianuarii, 5. et 6. et 28. Item 11. Febr. 4. Octobr. 27. Novembr. et alibi.

XVII. Undecim milliones in tota Ecclesia. Decimoseptimo denique, summam omnium Martyrum ad undecim milliones, et amplius, excrescere docet Caussinus noster tom. 1. Aulæ sanctæ.

68. Omnis conditiones Martyres passi. Nota. Omnis conditionis Martyres passi sunt; 2. omnis ætatis et sexus; 3. parentes cum multis liberis suis; 4. ab omnibus etiam affinibus atque consanguineis passi sunt.

Primo quidem, omnis conditionis homines divitias suas, delicias, honores et dignitates pro Christo contempserunt.

I. Milites. Primo, milites decem mille crucifixos in Armenia fuisse supra diximus. Thebæorum legio, cui præerat S. Mauritius, aliaque militum agmina, variis in regnis pro fide fortiter occumbere maluerunt, quam thuris oblatione et idolorum cultu amicitiam sibi Regum et Imperatorum conciliare.

II. Medici. Secundo, inter medicos habes martyrem S. Pantaleonem, sive Panteleemonem 28. Iulii, S. Æmilianum 6. Decembr. S. Alex. 2. Iunii.

III. Senatores. Tertio, Senatores passi sunt, S. Apollonius 18. Aprilis, S. Asterius 3. Mart. et alii plurimi.

IV. Nobiles. Quarto, nobiles fuere S. Sebastianus, Mauritius, Eustathius, Attalus, Audifax, cæterique prope infiniti.

V. Principes. Quinto, Principes caput gladio et corpus tormentis obiicere, ut fidem non negarent. S. Abdon subregulus moritur pro fide, die 30. Iulii. Palmatius Consul cum uxore et filiis decollatur 10. Maii. Gallicanus vir Consularis et triumphalis, atque Constantino Magno percarus, spretis omnibus, hospitalitati, et infirmorum servitio, totum se dedit: a Iuliano Apostata in exilium est missus, ubi sacrificare nolens capite truncatus est; ut habet Martyrologium Roman. 25. Iunii.

VI. Regum filii. Sexto, Regum filii Martyrium subierunt. Hispali in Hispania S. Hermenigildus filius Leuvigildi regis Wisigothorum Arriani, ob Catholicæ fidei confessionem in carcerem coniectus, cum in solemnitate Paschali communionem ab Episcopo Arriano accipere noluisset, iussu perfidi Patris securi percussus, regnum cæleste pro terreno, rex et Martyr intravit, ut habet Martyrologium Roman. 13. Aprilis. Illius martyrium vide apud S. Gregorium lib. 3. dial. cap. 31.

VII. Regum filiæ. Septimo, filiæ Regum non sunt veritæ gladios carnificum. S. Dympna filia regis Hiberniæ a proprio Patre iussa est decollari, ut dicetur infra.

VIII. Reges. Octavo, rex Olaus in Norvegia Martyrio coronatus est, de illo agit Saxo Grammaticus lib. 10. histor. Danicæ, et Ioannes Olaus lib. 17. histor. Goth. cap. 21. et seqq. ac lib. 18. cap. 1.

IX. Reginæ. Nono, S. Serena Imperatoris Diocletiani uxor, illius iussu pro fide interfecta est, ut habetur in Actis S. Susannæ martyris, et in rebus gestis S. Marcelli Papæ. Maria Scotiæ regina iussu Elisabethæ reginæ Angliæ martyrio affecta est, post multorum annorum carcerem. Vide Florimund. Remundum lib. 6. de hæres. exortu et progressu cap. 17. ac seqq.

X. Pontifices. Decimo denique, Pontifices Romani viginti septem, ut ait Bozius, fidem suo sanguine consignarunt: unde concludit lib. 7. de signis Eccl. cap. 5. *Una sedes Ecclesiæ Romanæ plures Episcoporum martyres dedit, quam conciliabula universa hæreticorum, si de summis eorum præsulibus agatur.* Petrus Morinus in origin. et progressu supremi dominii temporalis Pontific. part. 3. non male martyrium atque persecutiones vocat patrimonium summorum Pontificum ante tempora Constantini.

69. Secundo, omnis ætatis et sexus Martyres habet Ecclesia. Primo, pueros pro Christo passos esse ostendi sectione 2. huius Psalmi artic. 1. Addo Cononis filium an. 12. qui apud Iconium Isauriæ civitatem sub Aureliano Imperatore craticulæ prunis suppositis, et oleo superinfuso, suspensionis in equuleo, atque ignis pœnam constanter passus, malleo ad extremum ligneo manibus contritis spiritum emisit, ut est in Rom. Martyrolog. 29. Maii. Eius passionis Acta refert Petrus in Catalogo lib. 5. cap. 62. Adde si placet Venantium martyrem 15. ann. qui in Umbria caput gladio subiecit, Dec. Imper. et Antioch. Præside, ut patet ex eius Actis, quæ extant in Eccl. Camerin. Omnis ætatis et sexus Martyres habet Ecclesia. I. Pueros ipsos.

Secundo, puellæ desunt. Admirationemque quidem omnium sæculorum meretur S. Eulalia virgo, quæ Emeritæ in Hispania sub Maximiano Imper. cum esset annorum 12. iussu Daciani Præsidis pro confessione Christi plurima tormenta perpessa est: novissimo in equuleo suspensa, et exungulata, facibus ardentibus ex utroque latere appositis, hausto igne, spiritum reddidit, ut est in Romano Martyrolog. 10. Decembris. Prudentius hymno Peristeph. eius Acta cecinit, et hymno 4. illam laudat. Secundo Bibli in Palæstina, Aquilina annos 12. nata, sub Diocletiano Imperatore et Volusiano iudice, ob fidei confessionem colaphis et verberibus cæsa, et subulis candentibus perforata, demum percussa gladio est, ut habent eius acta apud Lipoman. tom. 7. desumpta ex Metaphraste. Tertio, Nicomediæ celebratur Passio S. Basilissæ virginis et martyris, quæ annos novem nata, cum in persecutione Diocletiani sub Alexandro Præside, verbera, ignes, ac bestias divina virtute superasset, in oratione spiritum Deo reddidit, ut legitur in Martyrol. Rom. 3. Septembr. et habetur in Græc. Menolog. eodem die. II. Puellas.

Tertio, senes effœtæ prorsus ac decrepitæ ætatis martyrium subierunt. Primo, Tyri S. Dorothæus Presbyter sub Diocletiano multa passus, et usque ad Iuliani tempora superstes, sub eo annum agens septimum supra centesimum, venerandam senectam martyrio honestavit: ita Martyr. Romanum die 5. Iunii. Eusebius lib. 7. cap. 26. Nicephor. lib. 6. cap. 37. Secundo, Antiochiæ S. Eusignius miles annum agens centesimum decimum, cum Constantini Magni fidem, sub quo militaverat, Iuliano Apostatæ exprobraret, eumque, ut patriæ pietatis desertorem redargueret, ab eodem iussus est capite cædi. De illo agunt Græci in Menol. die 5. Augusti. Tertio, Ierosolymis natalis est Beati Simeonis Episcopi et Martyris, qui filius Cleophæ et propinquus Salvatoris secundum carnem fuisse traditur. Hic Ierosolymorum Episcopus post Iacobum fratrem Domini ordinatus, in persecutione Traiani multis suppliciis affectus, martyrio consummatus est: omnibus qui aderant, et iudice ipso, mirantibus, ut *centum viginti annorum* senex, crucis supplicium fortiter constanterque pertulisset: ita Martyrolog. Romanum die 18. Februarii. Martyrium illius refert Eusebius lib. 3. cap. 26. ex Hegesippo. III. Senes.

Tertio, crudeliter necati sunt parentes cum liberis multis. Primo, S. Theodotam cum tribus liberis trucidari præcepit Nicetius Consularis, ut habes in Actis istorum martyrum, quæ refert Mombritius tom. 2. Secundo, Machab. martyrum matrem cum septem filiis dirissimis suppliciis excarnificavit Antiochus Epiphanes, id est illustris, Syriæ rex, lib. 2. Machab. cap. 7. S. Chrysost. in eorum laudem scripsit homil. et S. Gregorius Nazianz. Tertio, Tiburre in Italia S. Simphorosa cum septem filiis suis Crescente, Iuliano, Nemesio, Primitivo, Iustino, Stacteo et Eugenio, sub Adriano Imper. ob insuperabilem constantiam primo palmis diu cæsa, deinde crinibus suspensa, novissime saxo alligata, in flumen præcipitata est: filii autem stipitibus ad trochleas extensi, diverso mortis exitu martyrium compleverunt. Eorum Acta scripsit Africanus nobilis ille antiquus scriptor, qui vixit temporibus Decii Imperatoris. Quarto, S. Felicitatem et septem eius filios decollari præcepit Publius urbis Romæ præfectus. Acta refert Mombrit. tom. 1. In eius laudem scripsit S. Chrysogonus serm. 134. et S. Gregor. homil. 3. in Evangel. Filii erant Ianuarius, Felix, Philippus, Sylvanus, Alexan. Vitalis et Martialis, ut docet Ado 10. Iulii. Id contigit 70. Parentes necati cum liberis.

tempore Marci Antonini Imper. eiusque iussu, sicut est in Roman. Martyr. 23. Novembris. Quinto denique, S. Bonifacius, et S. Thecla, atque duodecim eorum liberi, iussu Maximiani aut Valeriani sunt occisi. Acta habes carmine heroico scripta ab Alfano Episcopo Salernitano.

71. Filii a parentibus trucidati. Quarto denique, filii a parentibus ipsis trucidati sunt, sponsæ a sponsis, magistri a discipulis: omnia denique naturæ iura eversa sunt. Futurum id prædixit Christus Matth. 10. 21: *Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium, et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient.*

Primo, Filii a parentibus cruciati et occisi sunt. Primo, Tyri in Thuscia apud Lacum Vulsinium S. Christina virgo et martyr in Christum credens, cum patris idola aurea et argentea comminuisset, ac pauperibus erogasset, eius iussu verberibus dilaniata, aliisque suppliciis dirissime cruciata, et cum magno saxi pondere in lacum proiecta, sed ab Angelo liberata: deinde sub alio iudice patris sui successore acerbiora tormenta constanter perferens, novissime a Iuliano Præside post fornacem ardentem, ubi quinque diebus illæsa permansit: post serpentes Christi virtute superatos, abscissione linguæ et sagittarum infixione, martyrii sui cursum complevit: ita Romanum Martyrol. 24. Iulii. De illa agit Vincentius lib. 12. cap. 86. et S. Antoninus part. 1. tit. 8. Secundo, in Brabantia celebratur festum S. Dympnæ virginis et martyris, filiæ regis Hiberniæ, quæ pro fide Christi et virginitate servanda, a patre suo iussa est capite truncari. Acta eius scripsit Petrus Cameracensis, et de illa agit Molanus pluribus in Ind. Sanctorum Belgii.

Parentes a filiis. Secundo, parentes quoque a propriis filiis proditi et torti sunt. S. Luciam martyrem proprius filius Euprepius de Christiana fide accusavit: martyrio affecta est a iudice die 16. Septembris, anno Christi 303.

Fratres a fratribus. Tertio, S. Wanceslaum principem Bohemiæ, Boleslaus frater et Drahomira mater infideles, proditorie perimi imperarunt.

Cognati a cognatis. Quarto, cognati sibi invicem insidiati sunt. A Domitiano Imp. Flavius Clemens Consul Romanus patrualis eius, et Flavia Domitilla cognata eius, ob fidem Christianam interfecti sunt: A Maxim. Imp. Artemia soror eius Christiana: a Diocletiano Caius Pontifex eius frater, Gabinius cum filia Susanna, cognati eius, ob fidem Christi occisi sunt.

Sponsæ a sponsis. Quinto, a sponso suo S. Thecla accusata est, ut ait S. Ambr. lib. 2. de virginibus: a Diocletiano Serena uxor ad necem condemnata.

Magistri a discipulis. Sexto denique, discipulorum suorum graphiis confossus est S. Cassianus in foro Syllæ. Cum enim idola adorare recusasset, vocatis pueris, data est facultas eum perimendi: alii enim tabulis ac buxis feriebant, alii stylis pungebant: ita Ado 13. Augusti.

72. Omnes pene creaturæ sunt adhibitæ ad Martyres torquendos. Secundum ex propositis initio articuli erat crudelitatem tyrannorum erga Martyres maximam fuisse: eos enim instar ovium balantium iugularunt, excoriarunt, conciderunt: unde dicunt in Psalmo nostro: *Facti sumus sicut oves occisionis.* Chald. sicut oves quæ traduntur occisioni. Syrus, velut agni ad mactationem. Duplici modo crudelitatem illam ob oculos poni posse arbitror. Primo, si breviter ostendero omnes prorsus creaturas in Martyres a tyrannis armatas esse. Secundo, omnia illorum membra esse excruciata, idque in omni mundi plaga.

I. Aliqui sunt transfixi sagittis. Primo quidem nihil non est adhibitum contra sanctos Martyres, ut torquerentur, et perirent.

Primo enim sagittis confossi sunt: S. Sebast. Romæ 12. Ianuarii: de eo Sur. t. 1. Ducenti sexaginta Martyres item Romæ sub Claudio die 1. Martii: de illis Sur. 14. Febr.

II. Lancea. Secundo, lancea percussus est in Sardinia S. Simplicius Episcopus 15. Martii: de eo meminit Phara lib. 1. de rebus Sardois, Socrates et Dionysius 19. Aprilis, et Menol. Græc. Romæ via Ardeatina S. Marcus et Marcellianus fratres in persecutione Diocletiani a iudice Fabiano tenti, et ad stipitem alligati, in pedibus clavos acutos acceperunt: cumque non cessarent laudare Christum, lanceis per latera transfixi, cum gloria martyrii ad cælestia regna migrarunt, 18. Iunii, ut est in Mart. Roman. Mos hic in Iaponia viget, ut crucifixi lancea terebrentur et occidantur, sicut constat ex relationibus Patrum Soc. Iesu.

Tertio, lapidibus obrutus est S. Stephanus, Act. 7. 58. Sisinnius Diaconus, Diocletius, Florentius, discipuli S. Anthimi presbyteri sub Diocletiano Auximi in Piceno, 11. Maii. De illis agitur in Actis S. Anthimi. Gangræ in Paphlagonia Hypatius Episcopus a Novatianis 14. Novembris, in Menol. Græc. Romæ Onesimus Episcopus Ephesi sub Traiano Imper. et Tertullo urbis Præfecto: laudatur ab Apostolo in epistola ad Philemonem, atque ab Ignatio epist. 14. ad Ephesios: de illo agit Beda et Usuardus. III. Lapidibus obruti.

Quarto, fustibus Romæ contusus est Iulius Senator iubente Commodo Imp. Acta eius recitat Mombritius t. 2. et Vincentius lib. 11. cap. 119. Passus est 19. Augusti, ut tradit Rom. Mart. Romæ item via Nomentana Papias et Maurus milites fustibus cæsi, et plumbatis percussi, donec expirarent, iussu Laodicii Urbis Præfecti, tempore Diocletiani Imper. 29. Ianuarii in Martyr. Roman. Thessalonicæ, S. Matrona ancilla: de ea in Menol. 27. Mart. IV. Fustibus contusi.

Quinto, flagellis ad mortem cæsi sunt innumeri. Inter Sinas ille mos invaluit, ut sontes plerumque, ad necem usque flagellis contundant, quod supplicium unus e Soc. nostra perpessus est, cum ad eos penetrasset fidem propagaturus. V. Flagellis cæsi.

Elementa omnia in cruciatus Martyrum conversa sunt: aqua scilicet, aer, terra et ignis.

Sexto enim, Ferentini in Hernicis S. Ambr. Centurio in persecutione Diocletiani variis modis cruciatus, per ignem illæsus transiens, demersus in aquam, eductus est in refrigerium: ita Rom. Martyrol. 16. Augusti. Secundo, *in aqua gelida* cruciati sunt quadraginta Martyres apud Sebastem Armeniæ, tempore Licinii Imp. sub Præside Agricolao, ac demum crurifragio necati, 9. Martii. S. Gregorius Nyssenus in eorum laudem duas orationes scripsit. Tertio, *in aquis calidis* dira passi sunt Iapones, quæ illis paulatim infundebantur summo cum cruciatu, ut constat ex litteris annuis Patrum Soc. nostræ. Quarto, *in puteum* coniectus est S. Isidorus Martyr, eius putei aqua varios morbos sanat, 15. Martii. Vide S. Gregorium Turonensem lib. de gloria Martyrum cap. 102. S. Anthusa item iunior 27. Augusti in Rom. Martyr. Quinto, *in fluvium* Hermopoli in Ægypto coniectus est Sabinus Martyr in persecutione Diocletiani sub Arriano Præfecto 13. Martii. Acta recitat Simeon Metaphrastes. Lauriaci in Norico Ripensi in eadem persecutione sub Aquilino Præside Florianus Martyr ligato ad collum saxo in flumen Anisum præcipitatus est. Acta eius refert Surius tom. 3. Romæ S. Sabas ductor militum accusatus est, quod Christianos in carcere detentos visitaret, coram iudice Christum libere confessus est: a quo facibus adustus, in lebetem picis ferventis iniectus, cum evasisset illæsus, eo miraculo septuaginta viros ad Christum convertit: qui omnes in confessione fidei firmiter permanentes gladio cæsi sunt, postremo ipse demersus in flumen, martyrium consummavit: ita Martyrol. Rom. 24. Aprilis. Hoc evenisse sub Aureliano Imper. tradunt Græci in Menol. Sexto, *in paludem* urbis Ceæ demersa est S. Antonina Martyr, in vase quodam inclusa, cum Deos gentilium irrisisset Diocletiano Imper. ut Menol. Græc. habet 1. Martii. Septimo denique, *in mare* Tomis in Ponto Marcellinus puer sub Licinio Imper. demersus est, 2. Ianuarii. Martyrol. Rom. Alexandriæ Bassus, Antonius et Protolicus eadem morte extincti, 14. Februarii. De his agit Petrus in Catalogo lib. 3. cap. 124. Thessalonicæ Agathopus Diaconus, et Theodulus lector, alligato ad saxum collo in mare coniecti sub Maximiano Imper. et Faustino Præside, eorum Acta edidit Metaphrast. illa refert Lipoma tom. 7. 73. Elementa omnia in Martyrum cruciatus versa. I. Aqua.

Septimo, in aere suspensi, cruciati, et crucifixi sunt innumeri. Unum aut alterum refero. 1. S. Strato ad duas arbores alligatus et discerptus est, die 9. Septembris Menolog. Gr. 2. S. Zoam martyrem uxorem S. Nicostrati etiam martyris, Romæ collo et capillis in aere suspensam, adhibito subter horribili fumo, in confessione Domini emisisse II. Aer.

Spiritum, habetur in Martyr. Rom. 5. Iulii. Acta eius habes intexta martyrio S. Sebastiani apud Sur. tom. 1.

III. Terra. Octavo, in terra passi plurimi. Primo, ad metalla damnabantur etiam nobiles et Senatores. S. Cyprianus consolatoriam dedit epistolam ad eos, qui illis temporibus ad fodinas relegati erant. In Actis S. Clem. evidens est magnam multitudinem ad eruenda metalla missam esse, cum ad duo Christianorum millia ad illas Ponti solitudines relegata esse narret Metaphrastes in eius gestis. Secundo, terra obruti sunt Romæ Chrysantus et Daria eius uxor sub Celerino Præfecto iussu Numeriani seu Valeriani, ut est in Rom. Martyrol. 26. Octobr. Eorum Acta habet Sur. tom. 5. Denique in terra quidam defossi perierunt. Cabilone enim in Gallia S. Marcellinus sub Antonino Imper. cum a Prisco Præside ad profanum convivium fuisset invitatus, et huiusmodi epulas execrans, omnes qui aderant, cur idolis deservirent, libera increpatione corriperet, ab eodem Præside, inusitato crudelitatis genere, cingulo tenus defossus est in terra: sicque triduo in laudibus Dei perseverans, incontaminatum Spiritum Deo reddidit: ita Mart. Rom. 4. Sept. eius Acta habet Sur tom. 5.

74. IV. Ignis præsertim in supplicia martyrum adhibitus est, cum inhumana prorsus barbarie.

Ignis præsertim: nam Nono enim, Carthagine trecenti martyres tempore Valeriani et Gallieni, cum Præses *fornacem calcariam* accendi iussisset, et in præsentia eius prunas cum thure exhiberi, atque illis dixisset: Eligite e duobus unum: aut thura super his carbonibus exhibete Iovi, aut in calcem demergimini: fide armati, Christum Dei filium confitentes, ictu rapidissimo se iniecerunt in ignem, et inter vapores calcis in pulverem sunt redacti: ex quo candidatus iste beatorum exercitus *Massa candida* meruit appellari: ita Rom. Martyr. 24. Augusti. De his martyribus S. Aug. sermonem habuit 112. de diversis, et eorum meminit sermon. 115. et in Psalm. 49. (Alii passi in fornace calcaria.)

Alii velut faces succensi. Decimo, Nero Imper. incendium urbis Romæ, ut dixi, falsis testimoniis in Christianos retorsit, et alios ferarum tergis contectos laniatibus canum exposuit, alios crucibus affixit, alios incendio tradidit: ut ubi dies defecisset, in usum nocturni luminis deservirent: ita Rom. Martyrol. 24. Iunii: pice scilicet, resina et sulphure illiti erant.

Alii cratibus ignitis impositi. Undecimo, *cratibus ignitis*, impositi sunt martyres. Meri enim in Phrygia Macedonius, Theodulus et Tatianus sub Iuliano Apostata ab Almachio Præside post alia tormenta super crates ferreas ignitas positi, exultantes martyrium compleverunt: ita Martyrolog. Rom. 12. Sept. Mitto S. Laur. S. Gorgon. et alios.

Alii in cathedra ferrea cruciati. Duodecimo, *in cathedra ferrea ignita*, et flammante sedere coactus est Lugduni S. Attalus, et tandem capite truncatus: ita Martyr. Gall. antea citatum.

Alii in lecto ferreo. Decimotertio, *in stratum ferreum ignitum* coniectus est S. Orestes qui in Armenia migravit ad Dominum, ut est in Mart. Rom. 13. Dec. et habet Lipoman. tom. 5.

Alii laminibus ardentibus exusti. Decimoquarto, *laminis ferri candentibus* toto corpore adusti in Africa S. Papinianus Episcopus Uticensis, et S. Mansuet. Episcop. Uricit. tempore Vandalicæ persecutionis, sub Geiser rege Arriano, pro fidei Catholicæ defensione, gloriosum agonem consummarunt: ita Rom. Martyrol. 28. Novembris.

Alii in bovem æneum coniecti. Decimoquinto, Romæ S. Eusth. et Theopiste uxor eius cum duobus filiis Agapito et Theopisto, sub Adriano Imper. damnati sunt ad bestias: sed Dei ope ab iis non læsi *in bovem æneum candentem* inclusi, martyrium consummarunt: ita Metaphrastes in Actis eorum, Nicephorus lib. 3. et 19. S. Ioannes Damascenus orat. 3. de imag. Tarsi S. Pelagia virgo sub Diocletiano in bovem æneum candentem inclusa, martyrium complevit: ita Mart. Rom. 4. Maii, et Sur. tom. 3. ex Metaph.

Alii ferventi oleo succensi. Decimosexto, Zephyrii in Cilicia S. Dulas martyr sub Maximo Præside ob Christi nomen virgis cæsus, in craticula positus, *ferventi oleo* incensus; aliaque passus, martyrii palmam victor accepit: ita Mart. Rom. 15. Iunii. Sur. tom. 3. Lipom. tom. 7. ex Metaph.

Alii liquata pice perfusi. Decimoseptimo, Romæ S. Cyriacus Diaconus, *liquata pice* perfusus, et in catasta extensus, attractus etiam nervis, et fustibus cæsus, capite est diminutus, iubente Maximiano. Acta eius iuncta rebus S. Marcelli Papæ apud Surium 16. Ianuarii referuntur. Alexandriæ Potamiena, cum hero morem gerere nollet ad scelus invitanti, in dolium picis ferventis coniecta, Martyrium virginitati adiecit: ita Mart. Gallic. 15. Februarii. In persecutione Diocletiani S. Papias martyr flagris cæsus, et in lebetem oleo et pice ferventi plenum coniectus est, ac tandem capite truncatus: ita Menol. Græc. die 28. Iunii.

Alii ferventi plumbo. Decimoctavo, apud Silarum flumen, Vitus, Modestus, atque Crescentia sub Diocletiano Imper. e Sicilia illuc devecti, ibidem *post ollam ferventis plumbi*, post bestias et catastas divina virtute superatas, cursum gloriosi certaminis peregerunt: ita Mart. Roman. 15. Iunii. Mombritius tom. 2.

75. Martyres varii bestiis obiecti sunt. Decimonono denique, maxime ad Psalmum nostrum facit damnatio ad bestias. Qui enim Martyres illis devorandi obiiciebantur verissime dicebant: *Æstimati sumus sicut oves occisionis.* Et rursum: *Dedisti nos tamquam oves escarum.* Nonnullos referamus. Primo, Smyrnæ Germanicus, cum primævæ ætatis venustate floreret sub Marco Antonio et Lucio Aurelio, sponte præparatam sibi bestiam damnatus a iudice provocavit: cuius dentibus comminutus, vero pani Domino nostro Iesu Christo pro ipso moriens, meruit incorporari: ita Mart. Rom. 19. Ianuarii, nobile ipsius certamen scripsit Eusebius lib. 4. hist. cap. 14. Secundo, Emessæ in Phœnicia S. Sylvanus Episcopus, qui, cum 40. annos eidem Ecclesiæ præfuisset sub Maximino Imper. una cum duobus aliis, feris obiectus est, membratimque discerptus. De illo agit Eusebius lib. 8. cap. 25. et lib. 9. cap. 5. ac Nicephorus lib. 9. cap. 46. et 27. Tertio, Cæsareæ in Palestina Priscus, Malchus et Alexander, in persecutione Valeriani, divino fidei calore succensi, ultro iudicem adeuntes, cur adeo in Christianos desæviret, obiurgant: quos ille continuo pro Christi nomine bestiis tradit devorandos. De his Beda, Usuardus, et Ado 28 Martii. Eusebius histor. lib. 7. cap. 11. Nicephorus lib. 6. cap. 11. Quarto, Augustoduni S. Flocellus puer sub Antonino Imper. et Valeriano Præside a feris discerptus est. Illius acta refert Mombritius tom. 1. et Petrus in Catalogo lib. 8. cap. 92. Quinto, Anazarbi in Cilicia Iulianus sub Marciano Præside diu cruciatus, demum in sacco cum serpentibus inclusus in mare demersus fuit: ita Rom. Mart. 3. April. Culeus erat saccus ex corio factus, quo cum cane, gallo, serpente, et simia, inclusus parricida mergebatur in mare, ex præscripto legis Rom. quam tulit Pompeius in suo Consulatu, de qua Modestinus, ff. ad legem Pompeiam de parricidis. Usus tamen culei erat ante Pompeium, ut constat ex Dionysio Halicarn. lib. 4.

76. In singulis membris corporis passi sunt Martyres. Secundo, gravissima passi sunt Martyres in singulis corporis membris. Singula decurramus.

I. In capite clavis fixo. Primo, caput Philomeni martyris in persecutione Aureliani Imperatoris, sub Felice Præside clavis confixum est Ancyræ, ut refert Menologium Græc. 29. Novembris. In pedibus etiam et manibus est clavis terebratus. Secundo, prunæ vertici S. Probi sunt impositæ, ut in eius actis legitur, sic enim habent: Iubet ei tonderi comam et carbones ignitos immitti in tempora, et linguam extrahi, ut amputaretur. Tertio, corona spinea caput cinctum est. Et quidem in actis decem millium Martyrum describitur: *Ad suos satellites impios, impius Maximinus dicebat: Nostis, filii mei, quomodo Christianorum Deus spinea coronatus dicitur corona, latusque eius lancea apertum. Iubeo igitur, ut et hi cultores sui, et in huiusmodi fiant eius sequaces: talem namque regem tales decent milites, qui a regalibus ipsius insigniis non discrepent: ne qui eos viderint ipsos ad eum pertinere fortasse non putent. Verum protulit tyrannus de conformitate passionis sanctorum militum ad passionem Christi sententiam, quamvis non secundum debitam intentionem: id siquidem quod ipse proferebat irrisorie, verissimum est Christianæ religionis verissima assensione, etc. Acquiescunt repente crudelissimi carnifices*

præcepto crudelioris tyranni, spinas acutissimas, quarum in iis locis facile invenitur copia, colligunt: serta quasi victis, et fatuis regibus imponunt. Insuper lanceolis præacutis vulnerantur eorum latera. Deinde alacritas Martyrum ibi explicatur, quod digni habiti essent pro nomine Iesu tanta pati. Quarto, cutis capitis detracta est S. Gudeliæ, quæ multos ad fidem convertit, ac solem et ignem adorare noluit in Perside sub Sapore rege, ligno deinde affixa triumphum obtinuit: ita Menol. Græc. 29. Septembris. Quinto, in varias partes caput sectum est quibusdam in Galliis in territorio Vivariensi. Andeolus Subdiaconus, quem S. Polycarpus ab Oriente in Galliam miserat, sub Severo Imperatore spinosis fustibus cæsus, demum ense ligneo capite in quatuor partes in modum crucis conscisso martyrium consummavit: ita Martyrol. Roman. 1. Maii. De illo agit Beda et Usuardus. Sexto denique, contusum fuit caput plerisque. Romæ enim via salaria Getulius, clarissimus et doctissimus vir, Cerealis, Amantius, et Primitivus iussu Adriani Imperatoris a Licinio Consulari, traditi sunt incendio: eumque ab igne non læderentur, fustibus contuso capite martyrium compleverunt: ita Surius tom 3.

In cerebro comminuto. Secundo, cerebrum nonnunquam comminutum est. Carthagine in Africa Liberatus Abbas, Bonifacius Diaconus, Servus, et Rusticus Subdiaconi, Regulus et Septimus monachi, et Maximus puer in persecutione Vandalica sub Hunnerico rege pro confessione Catholicæ fidei, et unici baptismatis defensione, variis et inauditis suppliciis exagitati, demum super ligna, quibus concremandi erant, clavis confixi, cum ignis sæpius accensus fuisset, ac divinitus semper extinctus, eius iussu remorum vectibus percussi, et comminutis cerebris enecati, speciosum cursum certaminis sui coronante Domino, perfecerunt: ita Martyrologium Romanum 17. Augusti.

In fronte notis inscripta. Tertio, frons S. Flaviani Expræfecti certis notis inscripta est, sub Iuliano Apostata, Romæ via Lavicana, inde in exilium missus ad aquas Taurinas, illic orans spiritum Deo reddidit: ita Martyrol. Gall. die 22. Decembris.

In temporibus clavo transfixis. Quarto, tempora clavis transfixa sunt aliquando. Ambiani Victoricus et Fuscianus sub Maximiano cruciati sunt, in eorum nares et aures Rictiovarus iussit immitti tarinehas (sudes ferreas legit Mombritius tomo 1. vit. Sanctorum) et clavis ardentibus tempora transfigi, deinde oculos evelli, ac postmodum eorum corpora iaculari: ita Martyrologium Romanum 11. Decembr.

In oculis excæcatis. Quinto, oculi multis eruti, compuncti et excæcati sunt. Metaphrast. in Actis S. Victoris. Cum, ait, Dux liberam eius orationem non ferret, illius oculos compungi iussit. Cui dixit Victor: *Cum corporis mei visum excæcaveris, tunc interiori animæ sensu acutius videbo: corporei enim oculi mundi huius vanitatem aspiciunt: at cordis acies veram illam intuetur lucem.* Aigulpho Abbati Lirinensi, et sociis monachis, linguæ sunt præcisæ atque oculi effossi, ac tandem caput præcisum: ita Surius tom. 5.

Palpebris evulsis. Sexto, palpebræ laceratæ. In Actis S. Macrinæ legitur, quod Imperator sanctæ Virginis faciem iussit alapis cædi, et uncis ferreis palpebras lacerari.

Facie laniata. Septimo, facies laniata. Alexandriæ Metranus sub Decio Imperatore, cum ad iussionem paganorum nollet impia verba proferre, illi totum eius corpus fustibus colliserunt, vultumque et oculos præacutis calamis terebrantes, ipsum extra urbem lapidibus oppressum interemerunt. Eius certamen scripsit S. Dionysius Alex. cuius extat epistola de ea scripta apud Eusebium lib. 6. cap. 34. et Nicephorus lib. 5. cap. 30.

Naribus oppletis fœdo odore. Octavo, nares fœdis odoribus aliisque rebus cruciatæ. In Actis S. Tharaci habetur, aceto cum sale nares eius perfusas: cumque sibi acetum illud dulce fuisse, et sal infatuatum diceret, Maximus Præses ait: Miscete sinapi cum aceto, et perfundite nares eius. Tharac. subiecit: *Te fallunt ministri, Præses, et mel mihi infuderunt.* 2. Nasus multis præcisus. Adrianopoli in Thracia, Maximo Theodulo, et Asclepiodoro pedes, manus, et nasus truncati sunt: ita Martyr. Gall. 16. Septembr.

Auribus amputatis. Nono, aures amputatæ. Cordubæ in Hispania Faustus, Ianuarius et Martialis, qui primo eculei pœna cruciati, deinde superciliis rasis, dentibus evulsis, auribus quoque et naribus præcisis, ignis passione martyrium consummarunt: ita Martyrologium Roman. 13. Octobr. Ambrosius Morales in Appendice ad Eulogium de S. Cordub. Vasæus in Chronico, et Flos sanctorum Hispan. Secundo, ignitæ subulæ nonnunquam in aures Martyrum immissæ sunt. In Actis S. Aquilæ Virginis et Martyris apud S. Metaphr. Volusianus dixit: accendantur subulæ, ita ut ignitæ sint, et per eius aures transmittantur. Cum fecissent carnifices quod iussi fuerant, et subulas ardentes in aures puellæ eo usque transmisissent, quoad vel solus ignis vapor eius cerebrum combureret, et per nares effunderet, etc. Tertio denique, fervens plumbum in aures S. Moniati militis infusum est, ut patet ex eius Actis.

Ore contuso. Decimo, os contusum Martyribus. S. Polychronius Episcopus Babylonis in persecutione Decii, ore lapidibus cæso, manibus extensis, oculos ad cælum elevans, emisit spiritum in Perside: ita Martyrologium Roman. 17. Februarii. De illo etiam agit Wandelbertus, et alii. Eius acta ante vitam S. Laurentii apud Surium leguntur t. 4. die 10. Augusti, sed multum ambigua; 2. Sutrii in Thuscia Felicis Presbyteri os tamdiu iussit Turcius Præfectus lapide contundi, donec emitteret spiritum. De illo Petrus in catalogo lib. 5. cap. ult. et Usuardus die 25. Iunii.

Dentibus evulsis. Undecimo, dentes evulsi. S. Charitina virgo sub Diocletiano Imperat. et Domitio Consulari ignibus cruciata, et in mare proiecta, cum inde incolumis evasisset, manibus et pedibus abscissis, ac dentibus convulsis, in oratione posita spiritum emisit, ut ait Metaph.

Maxillis fractis. Duodecimo, maxillæ fractæ. Nicomediæ S. Zeno miles, cum Diocletianum Cereri immolantem derisisset, maxillis confractis, dentibusque excussis, capite truncatus est: ita Lipoman. in Actis tom. 5. ex Metaph.

Linguis resectis. Decimo tertio, linguæ resectæ. Romæ Basilissa et Anastasia nobiles fœminæ, cum essent Apostolorum discipulæ, et constantes in fidei confessione persisterent, sub Nerone Imper. lingua pedibusque præcisis, gladio sunt percussæ: ita Menol. Gr. 15. April.

Barba pice illita. Decimo quarto, Barba pice illita. Constantinopoli S. Hypatius Episcopus in Asia, et Andreas Presbyter, quod tempore Leonis Iconomachi Imperat. imagines honorassent, damnati sunt, ac primo illis *barba pice illita est*, et exusta, cutis deinde capitis extracta, denique strangulati sunt: ita Menol. Græc. et Mart. Gall. 21. Septembr.

Collo gladiis cæso. Decimo quinto, collum gladio cæsum, quod in plerisque accidit, cum enim vel dirissima supplicia Deus sæpe in rosas verteret ac delicias, vix unquam a gladii percussione collum servavit, quod id genus mortis non tantum horroris iniiceret; 2. sæpe pugnis et fustibus collum contusum est, ut in S. Benigno dicetur infra; 3. lapides molares collo appensi, ut in S. Clemente Episc. Ancyrano, et Agathangelo contigit, sicut refert Metaphrastes.

Pectore vestito ærea tunica. Decimo sexto, pectus S. Erasmi tunica ærea flammante vestitum est iussu Maximiani Imperatoris.

Mammillis cruciatis. Decimo septimo, mammillæ S. Platoni graviter cruciatæ. Acta illius audiamus. Tunc, inquit, Agrippinus multa ira repletus iubet sphæras accendi ferreas, et poni in eius mammillis. Ministri autem Satanæ cito fecerunt ea quæ iubebantur. Sphærarum autem ignis fuit tanta vehementia, ut non solum apparerent eius latera, sed etiam corrumperetur interna eius viscerum structura, ut per nares eius et cerebrum, emissus fuerit fumus ex calore ei per sphæras accenso; 2. abscissæ sunt mammæ S. Agathæ, Theodosiæ, Calliopæ, Heleoni, et aliis plurimis, cum summo dolore; 3. S. Charitinæ ferreis et candentibus obeliscis infixæ et exustæ sunt: ita Acta earum.

Corde avulso. Decimo octavo, cor Martyribus in Anglia suspensis, et adhuc spirantibus, avellitur, ut patet in epitome virorum illustrium Soc. Iesu, ubi referuntur Martyres ibi passi.

Iecore devorato. Decimo nono, iecur S. Cyrilli Diaconi, quem crudeli-

ter occiderant, Heliopolitani degustarunt, ventre inciso. Quicumque autem tanti piaculi participes fuere, dentes, linguam, et pelatum, per sævam putredinem, et oculos ipsos amiserunt, ut ait Nicephorus Callistus lib. 10. c. 9. tom. 2. Theodoretus lib. 3. cap. 6. et Suidas.

Stomacho varie torto.

Vigesimo, stomachus infuso oleo bullienti, aqua, plumbo, aliisque cruciatus est.

Ventre lampadibus adusto.

Vigesimo primo, venter varie tortus est. Aquileiæ quidem, Felix, et Fortunatus fratres, in persecutione Diocletiani et Maximiani eculeo suspensi, et ardentibus lampadibus circa eorum latera appositis, et mox divina virtute extinctis, per ventrem ferventi oleo sunt perfusi, et tandem capite truncati, ut est in Martyrolog. Rom. 11. Iunii. Acta eorum habet Mombritius tom. 2. et Petrus in catal. lib. 5. cap. 167. S. Adriano venter a quatuor carnificibus tamdiu verberatus est, ut intestina extarent. Ribadeneira 8. Septembr.

Visceribus cruciatis.

Vigesimo secundo, viscera cruciatu suo non caruerunt. Nicomediæ Dorotheus et Gorgonius apud Diocletianum honores amplissimos consecuti, cum persecutionem, quam ille Christianis inferebat, detestarentur, præsente eo iussi sunt primo appendi, et flagris toto corpore laniari, deinde visceribus pelle nudatis, aceto et sale perfundi, sicque in craticula assari, atque ad ultimum laqueo necari: ita Martyrologium Roman. 9. Septembris. Acta eorum refert Eusebius lib. 8. cap. 1. et 6. Nicephorus lib. 7. cap. 2. et 5.

Partibus aliis afflictis.

Vigesimo tertio, refugit animus et calamus ea referre, quæ impuritas Ethnicorum et Hæreticorum admisit in iis partibus, quas ne nominari quidem verecundia patitur. Ut tamen impietas et spurcities illorum innotescat, dicam tantum quod recitat Nicephorus lib. 10. cap. 9. Heliopolitani tempore Iuliani Apostatæ virgines porcis obiecerunt, immissa in vas naturale avena, ut porci avenam et intestina devorarent. Idque ideo videntur fecisse, quod patrium eis institutum fuerit, ut virgines prius prostituerent, et a quolibet vitiari curarent, priusquam nuberent. Hæretici in eamdem corpori spartem iniecerunt pulverem tormentarium, ut igne iniecto ad intima cum ingenti cruciatu penetraret flamma, easque perimeret.

Digitis subula perforatis.

Vigesimo quarto, digiti subulis sunt perforati. De S. Benigno sic ait Ado 1. Novembris in castro Divione, ait, natale S. Benigni Presbyteri. Qui cum Andochio Compresbytero, et Thyrso Diacono, missus est in Galliam ab Oriente a S. Polycarpo Episcopo. Cuius prædicatione Comes Terentius comperta, vinctum eum et cæsum ad se adduci præcepit. Et rursus audita sermonum eius constantia, nervis durissimis cædi iussit. Post hæc ad trochleas extensus et cæsus, ac rursum carceri mancipatus, mane idola orando destruxit, et reductus est in carcerem, cui *subulas calentes in manibus infixerunt*, et cum plumbo remisso pedes in lapide perforato fixerunt, et canes duodecim feroces cum eo incluserunt per sex dies: et attulit ei Angelus panem cælestem, et subulas abstulit, et eum de plumbo ac ferro eripuit. Ad ultimum collum eius vecte ferreo tundi, et corpus lancea forari iubetur. Quo facto, columba nivea de carcere, Christianis aspicientibus, ad cælos ascendit, et odor suavissimus quasi Paradisi secutus est.

Unguibus effossis.

Vigesimo quinto, ungues effossi sunt S. Dioscoro in Ægypto, latera lampadibus inflammata, corpus laminis ardentibus adustum: ita Petrus in Catal. lib. 5. cap. 11. In Perside S. Beniamin Diaconus sub Isdegerde rege in unguibus arundinibus acutis confixus, et spinosa sudo per alvum transmissa martyrium consummavit: ita Martyr. Rom. die 31. Martii.

Manibus exustis.

Vigesimo sexto, manus exustæ martyribus. Cyrene in Libya, S. Cyrilla in persecutione Diocletiani ardentes carbones cum thure super manum posito diu tenuit, ne prunas excutiendo thus obtulisse videretur, deinde sævissime laniata, proprio sanguine decorata migravit ad sponsum: ita Mart. Roman. et Menol. Gr. 5. Iunii. Abscissæ sunt manus Sanctorum Marii et Marthæ coniugum, et filiorum Audifacis, et Abachum nobilium Persarum, qui postea decollati sunt: ita Sur. tom. 1. die 14. Februarii, refert eorum acta Mombrit. tom. 2.

Brachiis fractis.

Vigesimo septimo, brachia et crura fustibus fracta sunt Ss. Vito, Modesto, et Crescentiæ: ita Martyr. Gall. 15. Iunii.

Humeris flagellatis.

Vigesimo octavo, humeri flagellis, scuticis plumbatis cæsi et contusi pene omnibus præsertim iis qui erant crucifigendi.

Et virgis ferreis attritis.

Vigesimo nono, in Ægypto Lycarion laniatus est, virgis ferreis ignitis cæsus, ac tandem gladio percussus: ita Menolog. Græc. die 7. Iunii.

Dorso lacerato.

Trigesimo, dorsum scorpionibus laceratum Basilidi, Cyrino, Nabori, et Nazario in persecutione Diocletiani et Maximiani sub Aurelio Præfecto. Quid sit scorpio docet S. Isidorus lib. 5. origin. cum ait: Virga si est nodosa et aculeata, scorpio recentissimo nomine vocatur, quia arcuato vulnere in corpus infigitur.

Lateribus exustis.

Trigesimo primo, latera Marcello et Exuperantio exusta sunt, postquam fustibus graviter mactati, et ungulis abrasi fuerant: ita Mart. Rom. 2. Decembris.

Cruribus terebratis.

Trigesimo secundo, crura S. Tharaci et sociorum ferreis obeliscis terebrata, ut patet in eius actis. Nicomediæ S. Adriano præcisa sunt crura, S. Natalia eius uxore summa cum constantia pedes tenente, et ad maiorem coronam adhortante, ut manum resecandam porrigeret, quod præstitit, in eoque supplicio extinctus est: ita Ribad. 8. Septembr.

Pedibus compunctis.

Trigesimo tertio, pedes clavatis calceis compuncti martyribus. In Lycaonia sanctus Papias ob Christi fidem verberibus cæsus, ungulis ferreis laceratus, clavatis calceis incedere iussus est, deinde arbori alligatus, migrans ad Dominum, eamdem arborem ex sterili reddidit fructuosam: ita Martyrologium Roman. 16. Martii, et Menolog. Græcorum. Secundo, Comanæ in Ponto S. Basiliscus illius civitatis Episcopus, ut scribit Pallad. in dialogo de rebus gestis S. Chrysostomi sub Maximiano Imperat. et Agrippa Præside, ferreas crepidas clavis confixas calceatus, capite truncatus est, et in flumen proiectus. De illo agit Theodoretus lib. 5. cap. 34. Niceph. lib. 13. cap. 37. Georg. Alex. et alii. Tertio, apud Antinoum Ægypti urbem S. Philemon et Apollonius diaconi, cum constanter idolis sacrificare renuissent, perforatis calcaneis per civitatem horribiliter tracti, deinde gladio cæsi sunt. Metaphrast. scripsit eorum acta, quæ Sur. refert tom. 6.

Cute inuncta et detracta.

Trigesimo quarto, cutis totius corporis melle inuncta est, Martyri cuidam in Thebaide, qui deinde ligatis ad arborem manibus, ardori solis, apibus, fucis, ac vespis est expositus: ita Mart. Gall. 3. Novembr. S. Zeno detracta cute pice illitus in ignem coniectus est: ita Mart. Rom. et Menol. Gr. 5. April.

Carne excruciata.

Trigesimo quinto, caro incisa, et varie excarnificata est. In Perside S. Iacobus cognomento intercisus, cum tempore Theodosii iunioris in gratiam Isdergerdis regis Christum negasset, ideoque mater eius et uxor ab illius se consuetudine retraxissent, in se reversus, pro Christi confessione regem adiit, a quo irato membratim iussus est concidi, et capite truncari: ita Sur. tom. 6. Mombritius tom. 2. Petrus a Natalibus catal. lib. 10. cap. 112.

Ossibus contritis.

Trigesimo sexto, ossa contrita Martyribus. Massiliæ S. Victor cum esset miles, et nec militare, nec idolis sacrificare vellet, primo in carcerem trusus, ibique ab Angelo visitatus, deinde variis cruciatibus punitus, novissime *contritus in mola pistoria*, martyrium consummavit. De eo agit Beda, S. Gregorius Turon. lib. de gloria Martyrum cap. 77. Petrus in catal. lib. 6. cap. 122.

Corpore serra diviso.

Trigesimo septimo, corpus totum serra divisum est Tarbulæ sorori S. Simeonis Episcopi, et illius pedissequæ: ita Martyr. Rom. 22. Aprilis.

Trigesimo octavo, pulvis ipse in aquas, vel ventum, sparsus est, quod hæretici in Francia S. Martino Episcopo Turon. et S. Germano Episcopo Altisiodor. fecerunt; ut post mortem martyrium quodammodo paterentur, qui placide in Christo obdormierant. Iulianus Apostata ossa

Elisæi Prophetæ et S. Ioannis Baptistæ mista ossibus animalium combussit, et in aerem disiecit, ut ait Niceph. lib. 10. cap. 13.

Vere itaque S. Paulus Hebr. 11. 13. *Alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem. Alii vero ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti.* Et S. Dorotheus doctrina 23. μαρτυρες ιερεια εμψυχα ολοκαυτωματα: *Martyres sunt sacrificia viventia, holocaustomata rationabilia. Sancti enim Martyres viventes conciderunt carnes suas, excoriati, secti, cruciati, multis laboribus et tormentis afflicti. Quorum aliis tortores manus absciderunt, aliis linguam extraxerunt, aliis oculos effoderunt, aliis latera dissuerunt*, etc.

SECTIO QUARTA ET ULTIMA.

77. *Tria præstat. Primo, auxilium a Deo postulat, vers. 23. Secundo, propter auxilium diu dilatum modeste queritur, vers. 26. Tertio denique, necessitatem prompti illius auxilii ostendit, vers. 25.*

PARAPHRASIS.

23. *Exurge, quare obdormis Domine? exurge, et ne repellas in finem.*

23. Cum tanta tyrannorum in nos nihil commeritos rabies exasperetur, in auxilium advola: quid tamdiu cladibus innumeris contritos tacitus et quietus despicis? Exurge hostium vindex, tibique supplicum adiutor et columen: neque nos, qui in te spem omnem fiximus, semper deseras, finem tandem ærumnis statue.

24. *Quare faciem tuam avertis? oblivisceris inopiæ nostræ et tribulationis nostræ?*

24. Cur velut indignabundus, divinos tuos illos oculos, faciemque ac favorem a nobis avertis? Ac veluti oblitus calamitatis nostræ, in qua omni ope destituimur humana, tu ipse potentem manum subtrahis, ut tantis turbinibus emoti prosternamur.

25. *Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra: conglutinatus est in terra venter noster.*

25. Etenim tam vehemens calamitas in nos incubuit, ut solo prorsus afflixerit: ibique hostium pedibus protriti misere iaceamus, nec vires ad emergendum suppetant.

26. *Exurge Domine, adiuva nos: et redime nos propter nomen tuum.*

26. Tu itaque, qui omnium Dominus es, exurge, ut impios fastu tumidos atteras, nos vero stratos humi erigas: et suppliciis mortique additos ab his angustiis vindices, ad nominis tui, quod perversi contemptui habent, gloriam.

QUÆSTIO UNICA.

Quam benigna potentique manu Deus Martyres iuvat.

Cum sectione prima Martyres ostenderint auxilium a Deo præstitum maioribus suis: in secunda, virtutes suas modeste exposuerint: in tertia, labores suos et cruciatus. Restat ut in hac quarta, divinum auxilium, aliis olim concessum, sibi postulent; quod etiam faciunt.

Ac primo, auxilium illud petunt a Deo præstari humano more. Primo, surgendo e throno, v. 23. *Exurge.* Secundo, soporem excutiendo: *Quare obdormis Domine?* Tertio, terminum calamitatibus imponendo: *Et ne repellas in finem.* Quarto, benignum et faventem vultum ostendendo, v. 24. *Quare faciem tuam avertis?* Quinto denique, in memoriam revocando afflictiones: *Oblivisceris inopiæ nostræ.*

Secundo, Martyres rationem duplicem, ut iuventur a Deo, colligunt in epilogo, bonorum Oratorum sapienti methodo, qui diffuse tractata strictim attingunt in extrema clausula. Primam rationem a seipsis petunt, ostendendo auxilii necessitatem ob summam miseriam, v. 25. *Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra: conglutinatus est in terra venter noster.* Hoc sectione 3. iam fuse declaraverant. Secundam denique rationem desumunt a Dei gloria oritura ex auxilio sibi data, vers. ult. *Exurge Domine, adiuva nos: et redime nos propter nomen tuum*: id est, gloriam, et famam, ut tua sapientia, bonitas et potentia appareant, cum possis et velis servos tuos iuvare. Vide dicta sect. 1.

78. *Christus per se iuvit martyres.* Nota, Martyres Deus partim per se, partim per Angelos e variis suppliciis eripuit, præsertim ab igne et feris.

Primo enim Christus S. Pantaleoni apparuit dum lampadibus ureretur, et eum adiuvit: ita Martyrologium Romanum 27. Iulii. Lipom. tom. 6. S. Theodoro Martyri sudorem abstersit in tormentis, et aquam frigidam infudit, quæ doloris ardorem temperaret: Nicephorus lib. 10. c. 28.

Et per Angelos. Secundo, S. Anthimus Presbyter in Tiberim præcipitatus, ab Angelo inde ereptus est: Surius tom. 3. Eustathius martyr. Ancyræ in Galatia in flumen demersus est, sed ab Angelo servatus, et columba e cælis adveniente ad præmia æterna vocatus, ut est in Menol. Græc. 28. Iulii.

Tertio, S. Callistratus in mare coniectus insutus culeo, divina virtute evasit incolumis: ita Mart. Gal. 27. Septembris. S. Quod vult Deus Episcop. Carthag. una cum clero a Genserico rege Arriano eiectus, in navibus fractis absque remigiis et velis impositus, præter spem Neapolim appulit. Corpora Sanctorum Arriani Præsidis, Theotici, et aliorum trium, quos iudex submersos in mare necaverat, ad litus delata sunt Delphinorum obsequio: ita Rom. Mart. 8. Mart. 79. *A mari servati sunt.*

Quarto, S. Basilius et Emmelia eius uxor, S. Basilii magni parentes, in desertis Ponti, ab ipsis feris enutriti sunt, ut refert S. Gregorius Nazianzenus in oratione funebri de S. Basilio. *A feris.*

Quinto, venenum S. Iosepho, qui cognominatus est iustus, nihil nocuit: Eusebius lib. 3. cap. 33. *A veneno.*

Sexto, S. Fausta Cyzici in Propontide serra secari non potuit, capite terebrata, clavisque toto corpore confixa et sartagini ignitæ imposita, voce de cælo vocata est ad regna cælestia, ut ibi præmia perciperet. *A serra.*

Septimo, S. Victricus Episcopus Rothomagensis, cum adhuc miles esset, sub Iuliano capitis damnatus carnifice, qui ad eum cædendum missus fuerat, cæcitate percusso, liber abiit, ut habet Martyr. Rom. 7. Augusti. *A gladio.*

Admiror præsertim Dei potentiam et bonitatem, in protectione servorum contra ignem et feras.

80. *Ab igne mirabiliter servati Martyres.* Octavo enim mirabilis Deus in flammis extitit. Luciliano enim, et quatuor pueris, Claudio, Hypatio, Paulo, et Dionysio in fornacem coniectis flamma imbre extincta est, ut est in Menolog. Græc. 3. Iunii: id accidit Constantinopoli. Secundo, in Campania S. Benedictus monachus a Gothis in ardenti clibano inclusus, sequenti die inventus est illæsus, ut refert S. Gregor. lib. 3. dialog. cap. 18. et Sigebert in Chron. ann. 538. Tertio, ignis extinctus est Agnete in ipsum immissa, ut ait Ado 21. Ianuarii. Quar-

to, S. Polycarpo in ignem coniecto ignis fornicis seu cameræ præbuit speciem, qui quasi velum navigii vento inflatum, corpus omne circumdedit Martyris. Præterea vero odor suavis seu thuris alteriusve pretiosi aromatis fragrantis ad nos est perlatus. Ad extremum, cum viderent ignem nullam habere vim, cuspide illum confodi iusserunt: ita Nicephorus lib. 3. histor. cap. 35. Quinto, Romæ Iustus miles a Magnetio Præfecto verberari nervis, galea ignita contegi, et in rogum immitti iussus, nec in capillo quidem læsus est: ita Menolog. Græc. 15. Iulii. Sexto, fervens plumbum, et valde candens, in nudum S. Thyrsi tergum effusum est. Plumbum vero in superficie tantum, et leviter id attingebat, nihil omnino cum offendens, sicut in eius actis legitur. Septimo, S. Victor martyr Mediolani iubente Maximiano graviter fustibus cæsus, sed Deo protegente doloris expers, deinde liquenti plumbo perfusus, sed nihil penitus læsus, capite truncatus est: ita Martyr. Roman. 8. Maii. Octavo, S. Marinus ordinis Senatorii sub Carino Imperatore et Marciano Præfecto Romæ, equuleo et ungulis servili more punitus, in sartaginem deinde coniectus, sed igne in rorem converso liberatus, feris quoque obiectus, et ab illis servatus est illæsus, ut habetur in Martyr. Roman. 26. Decembris, Momb. tom. 2. Vincentio lib. 13. cap. 38. et 40. Nono, S. Eulampius et Eulampia eius soror in ollam ferventis olei coniecti, nulla ex parte læsi sunt. Decimo, S. Restituta virgo et martyr Valeriano Imperatore a Proculo Iudice in Africa varie torta, et in navicula pice et stupa referta, ut in mari combureretur, imposita, immisso igne, cum contra incensores flamma converteretur, ipsa in oratione spiritum Deo reddidit: ita Mart. Rom. 17. Maii. Undecimo, in Campania S. Erasmus sub Diocletiano Imper. primum plumbatis cæsus, deinde fustibus graviter mactatus, post resina, sulphure, plumbo, pice, cera oleoque perfusus, illæsus apparuit: ita Mombrit. tom. 1. vitæ Sanctorum.

81. *A ferarum furore servati Martyres.* Nono denique, mirabilem se Deus exhibuit in ferarum contra Martyres immissarum mitigatione. Primo enim feræ mitescunt ad aspectum S. Dominicæ in Campania sub Diocletiano Imp. De ea Maurolycus et Galesinius agunt. Secundo, Iconii in Lycaonia idem accidit S. Theclæ a Paulo Apostolo conversæ sub Nerone Imper. De ea sic S. Ambr. lib. 2. de virginitate: *Thecla*, inquit, *naturam bestiarum virginitatis veneratione mutavit.* Tertio, idem S. Agapito puero quindecim annorum contigit sub Aureliano Imper. cum enim nervis crudelissime cæsus esset, ac leonibus obiectus, ab iis non est læsus: ita Mombrit. t. 1. et Petrus in catal. lib. 7. cap. 74. Quarto, a serpente in eam immisso liberata est S. Anatolia, in civitate Thora, ut ait Sur. tom. 4. Quinto, Chalcedone S. Euphemia virgo et martyr sub Diocletiano Imper. et Prisco Proconsule tormenta, carceres, verbera, argumenta rotarum, ignes, pondera lapidum, bestias, plagas virgarum, serras acutas, sartagines ignitas pro Christo superavit: sed rursus in theatrum ad bestias ducta cum orasset ad Dominum, ut iam spiritum suum susciperet, una ex iis morsum sancto corpori infigente, cæteris pedes eius lambentibus, immaculatum spiritum Deo reddidit: ita Martyr. Rom. 16. Septembr. Metaphr. apud Lipom. tom. 6. et Sur. tom. 5. Sexto denique, Chalcedone in Thracia quadraginta novem Martyres post S. Euphemiæ mortem bestiis obiecti sunt, sed cum ab iis nihil paterentur gladio sunt percussi: ita Mart. Gall. 24. Sept.

82. *Martyrium incruentum mortificationis.* Adde toti huic psalmo corollarium; nempe, esse aliquod martyrium incruentum: 1. in vita religiosa; 2. in statu coniugali; 3. in omni alio statu. Hinc dicebat S. Paul. 1. Corint. 15. 31. *Quotidie morior.* Et viri iusti in Psal. nostr. v. 22. *Propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oves occisionis.* Quem locum de quotidiana mortificatione multi exponunt. Duo genera martyrii agnovit S. Gregor. hom. 35. in Evang. *Duo*, ait, *sunt martyrii genera: unum in mente, aliud in mente simul et actione. Itaque esse Martyres possumus, etiamsi nullo percutientium ferro trucidemur. Mori quippe a persequente, martyrium in aperto opere est. Ferre vero contumelias, odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione. Nam quia duo sunt martyrii genera, unum in occulto opere, aliud in publico, testatur veritas quæ Zebedæi filios requirit, dicens: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Cui cum protinus responderent, possumus: illico Dominus respondit, dicens, Calicem quidem meum bibetis. Quid enim per calicem, nisi dolorem passionis accipimus? De quo alias dicit: Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste. Et Zebedæi filii, id est Iacobus et Ioannes, non uterque per martyrium occubuit: et tamen quod uterque calicem biberet, audivit: Ioannes namque nequaquam per martyrium vitam finivit, sed tamen martyr extitit: quia passionem, quam non suscepit in corpore, servavit in mente. Et nos ergo hoc exemplo sine ferro esse possumus martyres, si patientiam veraciter in animo custodiamus.* Deinde Stephanum Abbatem, ob insignem patientiam in tribulatione, martyribus annumerat.

Primo igitur, religiosi viri sunt martyres. Nam religiosa vita est mors pro Christo perpessa; 2. est mors violenta; 3. est mors ipsis tortorum suppliciis acerbior. 83.

Primo enim qui vota religiosa emittit, est mundo mortuus, et perinde atque mortuus nihil in hoc mundo habet, et omnis possessionis acquirendæ est incapax, si vota eius sint solemnia. S. Athanas. in vita S. Antonii, cap. 23. dicit post persecutionem Maximiani rediisse ad monasterium, ut mereretur *quotidianum fidei et conscientiæ martyrium.* S. Hilar. in panegirico S. Honorati primi Abbatis Lirinensis dicit cum Lirini consumptum esse cruce quotidiana. S. Hieronym. epist. 27. agens de S. Paula in monasterio mortua, dicit: *Secura esto Eustochium, magna hæreditate ditata es. Pars tua Dominus, et quo magis gaudeas, mater tua longo martyrio coronata est. Non solum enim effusio sanguinis in confessione reputatur, sed devota quoque mentis servitus immaculata quotidianum martyrium est. Illa de rosis et violis plectitur, ista de liliis. Unde et in Cantico scribitur Canticorum cap. 5. 10. Fratruelis meus candidus et rubicundus; et in pace et in bello eadem præmia vincentibus tribuens.* S. Bernard. petiit a Theobaldo Campaniæ Comite latronem qui ad supplicium ducebatur: cum Comes diceret, esse hominem sceleratissimum, et multiplici morte dignum: tum vir sanctus; ideo, inquit, eum deposco, ut quod una morte sufficienter expiari non potest, pluribus et per singulos dies inferendis, in religioso statu exolvat. Hoc latro præstitit religioso vivendo per triginta annos in Ordine Cisterciensi, et quotidie sibi moriens. Quam acerba sit hæc quotidiana mors declaravit S. Paphnutius, qui ab Arriano Ægypti Præside ad sacrificandum idolis invitatus, ostensis equuleis, sartaginibus, securibus, scorpionibus, aliisque feralibus instrumentis generoso ait, Putasne tua hæc tormenta adeo mihi horribilia videri, ut propterea Deum verum negandum putem? Quinimo hoc scito, nostras monasticas constitutiones, multo plura in se tormenta continere, quoniam in multis exercitationibus quotidie tentamur: sed Salvator noster ita nos corroborat, ut omnia perferre, et superare possimus. Quare idem etiam nunc corroborabit ad tuam hanc sævitiam superandam. *Religiosa vita est martyrium.*

Secundo, obedientia religiosa (quæ, ut ait S. Thomas 2. 2. quæst. 186. artic. 7. est præcipuum votum religionis) est martyrium. Ibi mors intervenit, et quidem violenta. Nam, ut ait S. Gregorius lib. 35. Moral. 10. Per victimas aliena caro, per obedientiam voluntas propria mactatur. S. Antioch. hom. 39. dicit, hominem per obedientiam transire in numerum martyrum: ac deinde ait: *Voluntatem propriam a te excindere, perinde est ac si proprium fundas sanguinem.* Abbas Plamon apud Cassianum. collation. 18. cap. 7. ait Religiosos, qui in ea quam semel arripuerunt professione perdurant, ut nunquam suas expleant voluntates, crucifixos huic mundo quotidie, *vivosque martyres esse.* Cum ad Abbatem Pambonem magnæ sanctitatis et auctoritatis virum quatuor monachi venissent, quorum unus ieiuniorum rigore, alter paupertate ac nuditate, tertius charitate in proximos excellebat, quartus denique, qui iam duos et viginti annos in præ- 84. I. *Per obedientiam.*

positorum obedientia transegerat, non dubitavit ille postremum hunc aliis omnibus præferre: quoniam alii virtutem quam haberent, propria voluntate retinuissent: ille autem suam omnino abiiciens alienæ se voluntatis servum effecisset: quod cum diceret, illud etiam adiunxit: qui hoc facerent, *Martyres esse*, si ad finem usque in eo virtutis cursu perstiterint. Thom. a Kemp. religiosum obedientem comparat Abrahamo Isaacum suum immolanti. Sic enim serm. 11. ad Novitios ait: *O dilecti fratres, qui in religione sub obedientia statis: si fideliter impletis quod vovistis, martyres estis, aut adhuc quotidie patiendo fieri potestis. Nam toties novas coronas, et margaritas pretiosas pro certamine vestro accipietis, quoties singula membra vestri corporis quotidianis laboribus pro Christo exponitis. Et si proprias voluntates relinquitis, et sensualitati vestræ fortiter resistitis, magnam a Deo intus consolationem percipietis. Omnis religiosus in obedientia vivens, paratus suam voluntatem frangere, atque prælato suo humiliter nitens obedire, iste veraciter in spiritu martyr efficitur, quamvis materiali gladio in collo non feriatur. Et quicumque perfecte mortificationi, tota die, id est per totum tempus vitæ suæ, se tradit simplici ex corde obediendo, exemplum Abrahæ imitatur, qui unicum dilectum filium suum Isaac in holocaustum offerre, ligare, et occidere non recusavit.* Ac post aliquot interiecta subdit: Quando aliquis vestrum audit, præceptum sibi contrarium a Prælato imponi, et tamen paratus est obedire, si tunc etiam vim sibi ipsi inferre conatur, atque murmurationem insurgentem compescit et necat, tunc *gratissimum Deo sacrificium in ara cordis immolat, et cum martyribus, de hoste victor sui ipsius factus strenue triumphat.*

II. Per paupertatem. Tertio, paupertas religiosa martyrium est. Mortem enim, et quidem violentam, infert tollendo divitias, quæ sunt hominum sanguis et anima. Artemidorus lib. 1. de interpret. somn. cap. 35. Sanguinem, ait, vomere multum, et boni coloris, et non corruptum, bonum est pauperi: acquisitionem enim significat, et abundantiam pecuniarum. Eadem enim ratio sanguinis et argenti est, velut etiam veteres prodiderunt: ita ille. Hesiodus vero in carm. quod Opera inscripsit: Pecuniæ, ait, anima sunt miseris hominibus. Religiosis hunc sanguinem et animam tollit votum paupertatis. S. Bernard. serm. 1. in festo omnium Sanctorum annumerat pauperes voluntarios martyribus: *Quid sibi vult*, inquit, *quod eadem promissio facta est pauperibus et martyribus? nisi quia vere martyrii genus paupertas voluntaria est? Quid mirabilius, aut quod martyrium gravius est, quam inter epulas esurire, inter vestes multas et pretiosas algere, paupertate premi inter divitias, quas affert mundus, quas ostendit malignus, quas desiderat noster iste appetitus? An non merito coronabitur qui sic certaverit, mundum abiiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, et quod gloriosius est, de ipso triumphans, et crucifigens concupiscentiam prurientem? Denique propterea pauperibus pariter, et martyribus regnum cælorum promittitur: quia paupertate quidem emitur: sed in passione pro Christo absque omni dilatione percipitur.* S. Franciscus collatione 8. quæ est de discretione in corpore alendo, ait quidem fratri corpori cum discretione providendum esse, ne ab eo tempestas acediæ commoveatur, sed Paulo post subdit: *Si propter inopiam et paupertatem frater corpus necessitates suas in sanitate et infirmitate habere non potest: dum honeste petierit et humiliter a Prælato suo amore Dei, et sibi non datur, sustineat amore Domini patienter, qui etiam sustinuit quærens qui eum consolaretur, et non invenit. Et hæc necessitas sibi a Domino imputatur pro martyrio. Et quia fecit quod suum est, id est, quod petiit humiliter suam necessitatem, excusatur a peccato, etiamsi corpus inde gravius infirmetur.*

III. Per castitatem. Quarto, castitas religiosa martyrium est. Sicut enim per obedientiam religiosus animo suo moritur, ita per castitatem oportet corpori suo moriatur, quæ mors violenta est atque continua. S. Ambr. lib. 1. de virginibus: *Non ideo, ait, laudabilis virginitas, quia in martyribus reperitur, sed quia ipsa martyres faciat.* S. Bern. in sententiis: *Martyrium*, inquit, *sine sanguine triplex est, parcitas in ubertate, quam habuit David et Iob: largitas in paupertate, quam exercuit Tobias et vidua: castitas in iuventute, qua usus est Ioseph in Ægypto.* Quem Iosephum Sancti Patres comparant tribus pueris in fornace Babylonica non combustis. S. Chrysost. in orat. de S. Thecla vocat virginitatem magnum martyrium. S. August. serm. 250. de tempore rationem ostendit: *Inter omnia*, inquit, *Christianorum certamina, sola duriora sunt prælia castitatis: ubi quotidiana est pugna, et rara victoria. Gravem castitas sortita est inimicum, qui quotidie vincitur et timetur.* S. Chrysostom. in orat. de S. Barlaam: *Non obiectas prunas conspicis, at cupiditatis conspicis flammam accensam. Martyres prunas calcarunt: tu naturæ pyram calca. Ignis est cupiditas naturæ, ignis inextinctus ac perennis; canis est rabidus et insanus: licet millies eum propellas, millies impetum facit, nec absistit. Sæva quidem prunarum est flamma, verum hac vehementior est flamma cupiditatis.* Hinc sapienter monet ab aspectu parum pudico esse cavendum. Sicut enim, inquit, fieri nequit, ut qui tangit ignem non uratur, ita formosorum vultuum aspectus igne celerius lascive intuentem animam corripit. Lege illum lib. de virginitat. cap. 27. Hi Martyres candidati sequuntur quocumque ierit, et visi sunt in equis albis Zachar. 1. sequentes ducem suum, id est Christum, inter myrteta equitantem.

Quinto, in vita religiosa obedientiam, castitatem ac paupertatem comitari et custodire, atque augere debet continua mentis et corporis mortificatio, quæ alterum est martyrium. A morte enim nomen accepit: et hæc mors est violenta, nam contra corruptæ naturæ propensionem fertur mortificatio. David dicit: *Propter te mortificamur tota die*, quod exponens S. Chrysostom. ait: *Quando quidem fieri minime poterat, ut qui homines essent, ii infinitas mortes tolerarent, ostendit, ne hac quidem ratione præmia esse imminuta. Nam ut natura sortiti id sumus, semel tantum ut moriamur: tamen voluntate id quotidie perpeti, si id in animum induxerimus, dedit Deus. Unde liquet fore, ut cum tot hinc coronis decedamus, quot dies hic vixerimus, imo vero multo pluribus; licet enim die uno, et semel, et bis, et sæpe mori. Qui igitur ad hoc comparatus fuerit, is semper mercedem absolutam recipit. Hoc igitur et Propheta significans, dixit: Tota die. Quapropter et illum Apostolus introduxit:* ita Chrysost. in cap. 8. epist. ad Rom. ubi citat Apostolus hunc locum Psalmi nostri. Sed fusius et eloquentius in orat. de S. Barlaam: Quomodo, inquit, fieri potest, ut Martyres imitemur: non enim persecutionis est tempus. Equidem id etiam scio, persecutionis quidem tempus non est: at martyrii tempus est: luctarum eiusmodi tempus non est, at coronarum est tempus. Non persequuntur homines, at persequuntur dæmones. Non vexat tyrannus, at vexat diabolus, tyrannorum omnium sævissimus. Non obiectas prunas conspicis, at cupiditatis conspicis flammam accensam. Illi prunas calcarunt, tu naturæ pyram calca: illi cum bestiis pugnarunt, tu iram, immitem et indomitam belluam fræna: illi adversus intolerabiles dolores steterunt, tu absurdas pravasque cogitationes, quæ in corde tuo pullulant: ita Martyres imitaberis. Nunc enim nobis non est colluctatio adversus carnem et sanguinem: sed adversus principes, adversus potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ. Ignis est cupiditas naturæ, etc. S. Leo hom. de Machabæis: Toties, ait, peccatis morimur, quoties in nobis peccata moriuntur, et pretiosa in conspectu Domini, etiam ista mors Sanctorum eius: ubi homo occiditur mundo, non terminatione sensuum, sed fine vitiorum: ita ipse. De ieiuniis, ciliciis, flagellationibus dixi Ps. 34. IV. Per mortificationem continuam.

Secundo, etiam coniugatis sua martyria non desunt. Sixtus Pont. lib. de castitate (seu potius alius auctor, quia ibi sunt errores Pelagianorum, Sixtus autem tertius, cum adhuc esset Presbyter, primus damnavit Pelagium) *Quid boni, ait, iam nuptiis remaneat nescio, quando etiam in* 85. Coniugatis non desunt martyria.

illa substantia tribulantur, in qua sola videbantur habere lætitiam. Nempe in carne, in qua dicit Apostolus 1. Cor. 7. 28. fore ut tribulationem habeant. Raynaud. noster, qui hæc erudite tractat. lib. de martyrio per pestem, vocat coniugium, dolorum officinam.

[1. Uxori.] Primo, uxoris dolores varios acervat. S. Chrysost. orat. de S. Thecla: Fornicantem, inquit, sponsum tolerare, suspiciones falsas sustinere, procedendi sæpe utiliter in publicum potestate privari, de alimentis inquirere; ornatam, zelotypiæ obnoxiam esse: despicatui duci priusquam pepererit, quasi quæ nondum uxor facta sit: ubi pepererit, ob pignora in crimina incurrere. Partu edita est fœmina? quod natus non sit masculus, tetricum maritus vultum gerit. Adiectus est et masculus? Partu editus est fœtus qui non formosus. Eleganti forma est uterque? Tamquam de pulchris acerbior cura incessit. Depulsi sunt a lacte? Rursus anxietas educationis succedit. Cum sani fuerint, metus ne ægrotent. Cum ægrotaverint, formido ne moriantur. Cum mortui fuerint, metus ne deinceps tamquam prole carens contemnatur: cum mortui non fuerint, ut de viventibus, gravior sollicitudo incumbit: unde liberis ad institutionem sumptus suppeditabuntur: unde coniugalis fœderis apparatus: unde vestimentorum decor: unde famulorum unicuique distributio: quænam ex bonis maiori attribuet: quo pacto minoris invidiam mitigabit: ita Chrysost.

[2. Marito] Secundo, in coniugio varii sunt dolores mariti: eius enim est uxorem regere ac tueri, filios alere et educare, providere toti familiæ. Petr. Bles. Archidiac. Bathoniensis, qui vixit circa ann. 1177. Non est, inquit, sine plurima incommoditate copula coniugalis, vixque posse obtineri creditur pax animi, cum uxore. Refert Valer. Max. quod Socrates, a quodam adolescentulo interrogatus, utrum uxorem duceret, an a nuptiis abstineret, respondit ei quodcumque eorum faceret, pœnitere. Hinc te, inquit solitudo, hinc orbitas, hinc generis interitus, hinc hæres alienus excipiet. Illinc perpetua sollicitudo, contextus querelarum, dotis exprobratio, affinium importunitas, garrula socrus lingua, subsessoria alieni matrimonii, incertus liberorum eventus. Phoronæus rex ille nominatissimus in thesauris distributis potius quam retentis, die qua decessit, legitur dixisse fratri suo Leontio nihil sibi defuisse ad plenam felicitatem, si defuisset uxor. Leontio autem quærenti causam, respondit: Sciunt hoc omnes mariti. Teste Hieron. Aureol. Theophr. in lib. de nuptiis quærit, an vir sapiens ducat uxorem. Et cum definisset, si pulchra esset, si bene morata, si honestis parentibus, si ipse sanus ac dives, si sapiens, posse ducere: statim infert: hæc autem in nuptiis rarissime concurrunt universa. Multa sunt, inquit, quæ matronarum usibus necessaria sint, ut pretiosæ vestes, aurum, gemmæ, sumptus, ancillæ, supellex varia, lecticæ, et esseda deaurata. Deinde per noctes totas querulæ conquestiones: illa ornatior procedit in publicum: hæc honoratur ab omnibus, ego in conspectu fœminarum misella despicior. Cur aspiciebas vicinam? Quid cum ancillula loquebaris? De foro veniens quid attulisti? Non amicum habere possumus, non sodalem. Alterius amorem, suum odium suspicatur, pauperem alere difficile est: divitem ferre, tormentum: ita Bles. qui alia multa congerit. Adde zelotypiæ morbum, qui, ut ait S. Chrysost. orat. de S. Berenice et Prosdoce, est ignis quidam et indomita flamma, cuius tyrannica et inevitabilis vis est.

[3. Utrique.] Tertio, et marito, et uxori est occasio martyrii ob liberos. S. Greg. Nyssen. lib. de virginit. cap. 3. Multiplex, ait, et varia est copia malorum quæ a nuptiis existunt. Dolorem enim liberi nati, æque important, ac non nati. Et rursus tam vivi quam mortui. Hic enim liberorum multitudine gaudet, cum non satis habeat unde alat. Ille vero hærede caret facultatum suarum, in quibus maxime elaboravit. Atque unius quidem bona fortuna alterius calamitatem efficit, cum sibi uterque illud evenire velit, quo alterum cruciari videt. At huic mortuus est simillimus puer: illi vero in vita est filius perditus, uterque saue commiseratione dignus. Unus quidem filii mortem, alter vero vitam luget: ita Nyss. Rem suo tempore

A in tota Italia vulgatam refert Volateran. Cardin. lib. 3. Philol. Franciscus, inquit, Bufalus civis Romanus, nobilis ac prædives, prolem sustulit ex uxore lectissima numerosam, masculam et fœmineam. Ex eo numero duos filios mutuis se vulneribus petentes vidit: duos ob seditionem securi percussos: alium novercam interficientem: filiam vero apud virum sese veneno necantem. Quanta miseri parentis in tot tragœdiis martyria? Sed videant qui sunt eiusmodi, ut non sint martyres solius sæculi, aut etiam diaboli.

Tertio, omnibus prorsus hominibus pie vivere volentibus occasio est martyrii. 86. [Martyres sunt qui pie vivunt.] S. Thomas docet 2. 2. q. 124. art. 5. et in 4. d. 49. q. 5. art. 3. quod moriens pro quocumque opere bono propter Deum est martyr Dei: quia causa cuiuscumque martyrii, est veritas fidei, ut est per dilectionem operans. Moritur autem sæpius qui pie vivit. 2. Timoth. 3. 12. *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* Unde recte concludit S. Leo serm. 9. de quadrages. *Ideo nunquam deest tribula-* B *tio persecutionis, si nunquam desit observantia pietatis. Sicut ergo totius est corporis pie vivere, ita totius est temporis crucem ferre.* S. Chrysost. in eum Apostoli locum: *Impossibile est*, ait, *ut qui malis bellum indixerit, pressuris careat: nefas est pugilem Dei vacare deliciis, non licet epulari luctantem; luctamen enim sunt præsentia omnia, certamen, bellum, pressura, angustia, stadium: aliud est quietis tempus, hoc ærumnis deputatum est atque sudoribus; nullus ubi ad certamen se exuit, unctusque est, requiem quærit. Si enim requiem quæris, cur te exuisti? cur libidinibus et naturæ bellum indixisti?* Lege S. Ambros. in illud Psalm. 118. *Multi qui persequuntur me.*

I. [Primo a diabolo affliguntur.] Primo ergo viri pii a diabolo infestantur, et per victoriam tentationum fiunt martyres. S. Augustin. serm. 44. de diversis: *Martyr hinc exies, si omnes tentationes diaboli superaveris.* S. Ambros. mox citatus: Ut multæ persecutiones, ait, ita multa martyria. Quotidie testis es Christi. Tentatus es spiritu fornicationis, sed veritus Christi futurum iudicium, temerandam mentis et corporis ca- C stimoniam non putasti? martyr es Christi. Tentatus es spiritu avaritiæ, ut possessionem minoris invaderes, indefensæ viduæ iura temerares, et in contemplatione cælestium præceptorum opem magis ferendam quam inferendam iniuriam iudicasti? testis es Christi. Denique tales vult testes Christus assistere, secundum quod scriptum est: Iudicate pupillo, et iustificate viduam, et venite disputemus, dicit Dominus. Tentatus es spiritu superbiæ, sed videns inopem atque egenum, pia mente compassus es: humilitatem magis quam arrogautiam dilexisti? testis es Christi; et quod est amplius, non sermonis tantummodo, sed etiam operis testimonium perhibuisti. Testis es Christi: quis enim locupletior testis est, quam qui confitetur Dominum Iesum in carne venisse, cum Evangelii præcepta custodit? Nam qui audit, et non facit, negat Christum: et si verbo fatetur, operibus negat: ita Ambr.

II. [A Deo.] Secundo, viri pii a Deo affliguntur morbis et aliis cala- D mitatibus. In his quoque Martyres esse possunt. Primo in morbo. S. Chrysost. in Psalm. 127. Cum te, o dilecte, sæpe vel morbus, vel febres, vel dolores invadunt, cogente te cruciatu dicere aliquid blasphemum, si te retinueris, et Deum gloria atque honore affeceris, *mercedem Martyrii accipies.* Fer ergo forti et generoso animo quæ accidunt: *Hoc enim est tibi martyrium.* Iobum adducit in exemplum, qui fuit patientiæ martyr in gravissimis morbis. Lege vitam S. Lydwinæ virginis Hollandicæ, quæ per annos 38. in continuis pene et molestissimis morbis transegit summa patientia, et in morbis Martyres esse non negabis. Extat apud Sur. in appendice t. 7. p. 279. scripta a Ioann. Brugmanno, et tom. 2. April. 14. Secundo, in aliis etiam cladibus vir patiens fit martyr. S. Chrys. hom. 25. ad popul. vel hom. 1. in 2. ad Corinth. Cui, ait, Martyri dignus non sit Iob comparari? Innumeris equidem. Etenim per omnia pugnabat, et per omnia coronabatur, per pecunias, per filios, per corpus, per uxorem, per amicos, per inimicos, per servos (nam hi in faciem eius spue-

bant) per famem, per cibos, per dolores, per fœtorem: per hæc, inquam, non uni vel duobus, vel tribus, *sed infinitis erat Martyribus comparabilis*. Idem sanctus Pater hom. 8. in Epist. ad Coloss. dicit eum, qui in calamitate gratias agit, habere linguam non inferiorem lingua Martyrum, et pariter coronari. Matrem præsertim quæ filio ægrotante gratias agit fieri filiam Abrahæ Deo filium suum immolantis.

III. A seipsis. Tertio, viri pii a seipsis affliguntur ieiuniis, ciliciis, flagellationibus, et aliis afflictationibus quibus carnem crucifigunt cum suis concupiscentiis. Galat. 5. 24. *Qui sunt Christi, carnem suam* (corpus corruptum: ita Anselmus; concupiscentiam in carne residentem: ita Cornel.) *crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis*. Ergo sunt Martyres. Secundo, per compassionem alienæ miseriæ vir misericors se martyrem facit. Richard. a S. Victor. in Cant. Martyrium, ait, compassionis obtinet, dum affligitur pro peccantibus, dum compatitur infirmantibus, dum condescendit quacumque necessitate laborantibus: ita Richardus. Ratio autem, quia compati est simul pati, et in se dolorem alienum transferre. Misericordia est proprii cordis miseria et afflictio contracta ob afflictionem et miseriam alterius. S. Gregor. homil. 32. in Evangelia, in ea Christi verba Matth. 16. 24. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam*, ait: *Duobus modis crux tollitur, cum aut per abstinentiam afficitur corpus, aut per compassionem proximi affligitur animus. Pensemus qualiter utroque modo Paulus crucem suam tulerat, qui dicebat: Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar. Ecce in afflictione corporis audivimus crucem carnis. Audiamus nunc in compassione proximi crucem mentis. Ait enim* 2. *Cor.* 11. *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? Perfectus quippe prædicator ut exemplum daret abstinentiæ, crucem portabat in corpore. Et quia in se trahebat damna infirmitatis alienæ crucem portabat in corde*. Tertio, per humilitatem fiunt Martyres. S. Birgitta lib. 4. revelation. cap. 17. Martyrii, ait, genus est, delicias habere, et deliciis non uti; in honore esse, et honorem contemnere; magnum esse apud homines, et minima sentire de seipso. Quarto, eleemosyna Martyres facit. Nam effundit opes, quæ sunt hominis substantia et vita: unde Luc. 15. de patre filiis opes dividento dicitur: *Divisit illis substantiam*. Græce est, διεῖλεν αὐτοῖς βίον, *divisit illis vitam*. Per plerasque alias virtutes possis excurrere; sicut enim ex quocumque motivo sive charitatis, sive religionis, sive fortitudinis, aut alterius cuiuscumque virtutis, mors acceptata facit martyrem proprie dictum: ita in omni virtute contentio generosa difficultates exhauriens et superans martyrio late sumpto homines Deo se consecrantes coronat.

87. Motiva ad martyrium mortificationis incitantia sunt: Motiva ad illud mentis martyrium et corporis incitantia sunt primo, Christus sicut ovis ad occisionem ductus, Isaiæ 53. 7. et ad crucem nos invitans Matth. 10. 38. et 16. 24. Marc. 8. 34. Luc. 9. 23. et 14. 27. Secundo, Martyres tanto numero in tot tamque acerbis suppliciis præeuntes, et gratiæ Dei vim inclamantes. Vide sect. præced. Tertio, Martyrum diaboli mira patientia et afflictio. Ioann. Gerson. p. 4. alphab. 23. littera O, sive serm. 1. in Dominic. 4. Advent. ait: *Mercator et stultus amator, Martyres sunt diaboli*. Mercatores avaros intellige. Primo igitur avari multa et acerbissima patiuntur. S. Aug. serm. 100. de diversis cap. 6. *Quid*, ait, *miramini fratres, si amatores Dei martyres tanta pertulerunt, ut acquirerent Deum? Amatores auri videte quanta patiantur. Hyemalibus asperitatibus se navigando committunt: sic fervet avaritia, ut nulla formident frigora. Iactantur ventis, suspenduntur et deprimuntur fluctibus, ineffabilibus periculis usque ad mortem agitantur. Dicant et ipsi auro, propter te mortificamur tota die. Dicant Martyres Christo, propter te mortificamur tota die. Uxor quidem est similis, sed causa est valde dissimilis. Ecce utrique dixerunt, isti Christo, illi auro: propter te mortificamur tota die*. Secundo, ambitiosi sunt Martyres diaboli, et nullum laborem recusant, ut ad vota perveniant. Tertull. lib. de pœnitent. *Illos*, ait, *qui ambitu abeunt, capessendi magistratus, neque pudet, neque piget incommodis animæ et corporis: nec incommodis tantum, verum et contumeliis omnibus eniti in causa votorum suorum. Quas non ignobilitates vestium affectant? Quæ non atria nocturnis et crudis salutationibus occupant? ad omnem occursum maioris cuiusque personæ, decrescentes, nullius conviviis celebres, nullis comessationibus congreges, sed exules a libertatis et lætitiæ felicitate, idque totum propter unius anni volaticum gaudium*. Tertio, de aulicorum ærumnis lege Guev. et Sarisber. De illis ait Petr. Bles. epist. 14. Pro vanissima vanitate militant curiales in labore et ærumna, in vigiliis multis, in periculis magnis: Periculis maris, periculis fluminum, periculis pontium, periculis montium, periculis in falsis fratribus. In mortibus frequenter, in confractione et lassitudine corporis, atque in aliis vitæ discriminibus, in quibus gloriam martyrii mererentur, si hæc pro Christi nomine sustinerent. Nunc autem sunt *Martyres sæculi*, mundi professores, disciplui curiæ, milites Herlinini. Per multas siquidem tribulationes intrant iusti in regnum cælorum, hi autem per multas tribulationes, promerentur infernum: ita Bles. Quarto denique, voluptatum sectatores asperrima tolerant, ut suis deliciis fruantur, quæ statim in fel et absynthium illis vertuntur.

1. Christus. 2. Martyres Christi. 3. Martyres diaboli. Id est, avari. Ambitiosi. Aulici gravissima patientes.

Dicamus etiam nos cum Apostolo Rom. 8. 35. *Quis nos separabit a charitate Christi?* (qua nos Christus diligit: ita Toletus. 2. et melius, qua Christum diligimus: ita S. Chrysost.) *tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis*. (Tertull. in Scorpiaco cap. 13. deputati sumus ut pecora iugulationis) *Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, etc. poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Iesu*. Lege S. Bern. sermon. 79. in Cant. et S. Chrys. hom. 2. de laudib. Pauli, et dic cum eodem Paulo Philip. 4. 13. *Omnia possum in eo qui me confortat*. Gr. ἐνδυναμοῦντι, hoc est, qui me intus corroborat. Tibi gratia non deerit, si tu gratiæ non desis. 88. Deo hærendum est in ipsis tormentis.

PSALMUS QUADRAGESIMUS QUARTUS.

1. In finem, pro iis qui commutabuntur, filiis Core, ad intellectum, Canticum pro dilecto.

2. Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi.
Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis.
3. Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.
4. Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.
5. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna.
Propter veritatem et mansuetudinem, et iustitiam: et deducet te mirabiliter dextera tua.
6. Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorum regis.
7. Sedes tua Deus in sæculum sæculi: virga directionis virga regni tui.
8. Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

9. Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis: ex quibus delectaverunt te,
10. Filiæ regum in honore tuo.
Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato: circumdata varietate.
11. Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam: et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.
12. Et concupiscet rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.
13. Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur, omnes divites plebis.
14. Omnis gloria eius filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis.
15. Circumamicta varietates.
Adducentur regi virgines post eam: proximæ eius afferentur tibi.
16. Afferentur in lætitia et exultatione: adducentur in templum regis.
17. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos principes super omnem terram.
18. Memores erunt nominis tui in omni generatione et generationem.
Propterea populi confitebuntur tibi in æternum: et in sæculum sæculi.

PSALMI QUADRAGESIMI QUARTI ANALYSIS.

David Epithalamium carmen Christo et Ecclesiæ concinens, commendat

- Prophetiam suam, 2.
  - A plenitudine sapientiæ: *Eructavit.* 2.
  - Ab interiori sapore: *Cor meum.*
  - A sanctitate rerum dicendarum: *Verbum bonum.*
  - A conformitate operis et sermonis: *Dico ego opera mea.*
  - A bona et recta intentione: *Regi.*
  - A Spiritus sancti inspiratione: *Lingua mea calamus scribæ.*
  - A facilitate illam tradendi: *Velociter scribentis.*
- Christum, 3. a
  - Corporis
    - Pulchritudine in oculis et vultu. 3.
    - Venustate oris et sermonis. 3.
    - Ornatu gladii ex humero pendentis. 4.
    - Brachiorum robore in arcus extensione. 5.
    - Totius corporis incessu regio. 5.
  - Animæ
    - Virtutibus.
      - Veracitate. 5.
      - Mansuetudine. 5.
      - Iustitia. 5.
      - Fortitudine. 5.
    - Et solertia.
      - In præliando. 6.
      - Et vincendo. 6.
  - Regni
    - Æternitate in throno. 7.
    - Excellentia in sceptro. 7.
      - Firmante Iustitiam. 8.
      - Evertente iniquitatem. 8.
    - Præstantia in divina unctione. 8.
    - Deliciis in vestibus et aromatibus. 9.
    - Magnificentia in palatiis. 9.
    - Liberalitate in subditis. 9.
    - Maiestate in regina. 10.
- Ecclesiam.
  - Reginam. 10.
    - Cuius thronus Christo proximus, 10.
    - Et ornatus regius. 10.
  - Sponsam,
    - Ductam ad sponsum cælesti curru, 11.
      - Obedientiæ. 11.
      - Prudentiæ. 11.
      - Humilitatis. 11.
      - Mortificationis. 11.
    - Receptam cum amore a Sponso
      - Rege. 12.
      - Et Domino. 12.
    - Honoratam a subditis,
      - Plebeis. 13.
      - Et nobilibus. 13.
    - Ornatam a Patre æterno,
      - Donis internis gratiæ. 14.
      - Et ornamentis exteriorum virtutum. 14.
    - Cinctam choro virginum,
      - Cum humilitate adductarum. 15.
      - Cum lætitia accurrentium. 16.
      - In intimam familiaritatem admissarum. 16.
  - Matrem, 17.
    - Filiorum plurimorum. 17.
    - Maiestate regia præstantium. 17.
    - Imperiii amplitudine illustrium. 17.
    - Pietate insignium. 18.
    - In virtute constantium. 19.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. **In finem, pro iis qui commutabuntur, filiis Core, ad intellectum, Canticum pro dilecto.**

1. *Sensus tituli.* Sensus Tituli est, q. d. Canticum datum filiis Core cantoribus et præfectis cantorum, ad intellectum, id est, ad intelligenter et sapienter cantandum usque in finem: materia autem huius cantici est pro iis qui commutabuntur, et pro dilecto.

David in hoc Psalmo loquitur. Quæres primo, quis hic loquitur? Primo, Eusebius censet eosdem loqui, qui in Psalmo præcedenti locuti sunt: nempe Prophetas (sic enim censuit eos loqui in alio Psalmo) qui e sermonibus querulis et mœstitia plenis ad lætius carmen immutationem fecerunt. Secundo, Valentia arbitratur Patrem æternum loqui, eius enim est eructare verbum, id est filium suum. Tertio, et melius, David hic loquitur, qui fuit pater Christi secundum carnem, et qui accepta hac revelatione, et videns diem Christi, et ipsum Christum, exultat, atque canticum hoc illi concinit. Neque commode diceret Pater æternus, ligua mea calamus scribæ. Reiiciendus est quoque Syrus, qui in titulo ponit: Psalmus scriptus a filiis Core, tempore Mosis.

Quæres secundo, de quo est hic Psalmus. Primo, quidam apud Lyranum agi volunt de Assuero rege et de regina Esthere, atque de statu prospero Iudæorum illo tempore. Secundo, alii explicant de rege Salomone et de filia Pharaonis eius uxore. Tertio, alii de Salomone et regina Saba quæ dedit ei centum viginti talenta auri, et aromata multa nimis, et gemmas pretiosas, ut habetur 3. Reg. 10. Quarto, alii exponunt de rege David et Bethsabee, ex quibus descenderunt multi reges boni et iusti, ut Ezechias et Iosias, ac plures alii, qui per rosas vel lilia designantur. Sed hæc omnia facile confutantur: quia nec de Assuero, nec de Salomone, nec de Davide verum esse potest: *Sedes tua Deus in sæculum sæculi.*

2. *Argum. Psalmi* Quinto itaque, de Christo explicant omnes Patres, et multi Hebræi, ut R. Ionathas, Abenhuziel, R. Hillel, R. David, R. Salomon, R. Aben Ezra. Non reiicio tamen Iansenium, qui ait Psalmum hunc de Messia seu Christo exponendum esse, et de sponsa eius Ecclesia, non quidem absolute, ac sine omni respectu: sed prout Christus per Salomonem, Ecclesia vero ex gentibus collecta, per filiam Pharaonis, inter multas Salomonis uxores præcipuam, et unice dilectam, præfigurata est. Sub qua figura, etiam liber, qui Cantica canticorum inscribitur, descriptus est. Itaque Psalmus hic, carmen est epithalamium ac nuptiale, explicans honorem Messiæ veri Salomonis, verique Iedidiæ: hoc est, dilecti sponsi et eorum, qui per eum commutandi erant ab infidelitate ad cultum veri Dei: hoc est, sponsæ eius Ecclesiæ Gentium. In quo quidem Psalmo Psaltes præfatione præposita, qua propositum suum declarat, primum sponsum alloquitur, commendans eum a formæ elegantia, sermonis eloquentia, pugnandi fortitudine, felici regni successu ob mansuetudinem eius et iustitiam: tum a regni eius stabilitate et æquitate, a vestimentorum suaveolentia, ab uxoris charissimæ præstantia et splendore. Deinde et ad sponsam sermonem convertens admonet eam, ut oblita paternæ domus, pristinæque religionis, regi sedula intendat et auscultet: futurum hoc modo, ut pulchritudo eius regi placeat, et summi cum ipso honoris particeps etiam ab alienigenis colatur cum mulieribus. Rursum autem ad sponsum sermone verso, sponsæ eius pulchritudinem canit, multasque ad decorem eius pedissequas regi adducendas, tum et felicitatem liberorum, eorumque dignitatem, qui ex hac nascentur ei, futuri totius orbis Principes. Postremo, Psalmum conclusurus, sive sub sua, sive sub Ecclesiæ sponsæ Christi persona, promittit se per omnes generationes sponsi huius memoriam celebraturum, atque ob id omnes populos illum laudaturos in perpetuum: ita Iansenius.

3. Canticum itaque *pro dilecto* est canticum pro, seu de A Christo, qui est dilectus, imo dilectissimus. Primo, Patri suo æterno. *Christus est dilectus. I. Patri æterno.* Ita S. Basilius: *Dilectus Patri*, inquit, *quasi unigenitus, creaturæ autem omni*, ὡς πατὴρ φιλάνθρωπος καὶ ἀγαθὸς προστάτης, *quasi pater humanus et bonus præses.* Sic dicit Pater amans et amabilis, post Christi baptismum. Matth. 3. 17. *Hic est filius* (Græc. ὁ υἱός, ille filius: qui scilicet omnes superat infinito intervallo, et mihi est consubstantialis) *meus dilectus* (Syr. dilectissimus. Græc. ὁ ἀγαπητός, ille dilectus, q. d. Qui summe et unice diligitur, et per quem cæteri diliguntur) *in quo mihi complacui.* q. d. In quo, et per quem mihi omnia placent, et in quo nihil mihi displicet. Lege S. Leonem serm. de transfiguratione. David noster Psal. 28. 6. ait: *Dilectus quemadmodum filius unicornium*, ob unicum cornu, quia scilicet unico et singulari modo, ut Deus genitus est absque matre, atque ut homo genitus est sine patre, sicut Euth. et alii exponunt. Psal. 67. 19. vocatur *Rex virtutum dilecti dilecti*, id est, dilectissimi. S. Hieron. in Psalmo nostro vertit, *Canticum amantissimi;* et in cap. 62. Isaiæ B *canticum charissimi.* Aquila ᾆσμα τῆς φιλίας, *canticum amoris.* Flam. et Pagn. canticum amorum. Flamin. dilectionum, q. d. Canticum amatorium, nuptiale. Hebr. est ידידות *iedidoth*, id est, 1. amorum; 2. amantium; 3. amantibus: unde quidam apud S. Chrys. vertit, ἠγαπημένοις.

Secundo, Christus est *dilectus* et diligendus a Sanctis: 4. *II. Sanctis.* ita S. Basil. *Idem, ait, natura est, et dilectum et bonum.* Ideo quidam recte definierunt bonum esse, οὗ πάντα ἐφίεται, *quod omnia appetunt.* Monet tamen non posse diligi Christum, ut oportet, nisi ab iis qui immutantur, et in novos homines transformantur: *Non est cuiusvis*, inquit, *ad charitatis usque perfectionem progredi posse ac provehi, et cum posse agnoscere qui vere est dilectus, sed eius qui veterem hominem contaminatum concupiscentiis fallacibus et subdolis exutus, novum fuerit indutus, renovatum ad agnitionem, secundum creatoris imaginem. Quoniam qui pecuniam amat, et circa corruptivam et deciduam corporis pulchritudinem stupore corripitur, et præsentem gloriolam* C *tanti adeo æstimat, simul et potentia dilecti ad ea quæ nihil minus conveniebat, insumpta, is plane cæcutit ad istius verissime dilecti contemplationem. Ideo dicitur Deuter.* 6. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima, et ex omni mente tua. Hoc autem quod ex omni, dicit, divisionem in alia nullam admittit. Quantum enim dilectionis in hæc inferiora insumpseris, tantum necesse est ut ei adimas quod totum est:* ἀπὸ τοῦ ὅλου: *ideoque pauci ex omnibus amici Dei appellati sunt, quemadmodum scriptum est, Mosem fuisse amicum; Exod.* 33. 11. *Et ut Ioannes* 3. 29. *Amicus sponsi, ait, stans gaudio gaudet: hoc est qui* στάσιμον ἔχει καὶ ἀμετακίνητον, *stabilem atque immobilem in Christum charitatem retinet, hic dignus est ipsius amicitia. Ideo discipulis iam perfectis Dominus ait Ioann.* 15. 15. *Non iam dico vos servos, sed amicos, quia servus nescit quid faciat Dominus eius. Viri igitur perfecti est cum nosse, qui vere est dilectus. Re enim vera soli amici Dei et inter se mutuo sunt sancti. Nemo enim improborum et stultorum amicus est. Nam amicitiæ* D *probitas in pravum nequaquam cadit affectum: quoniam nihil turpe aut inconcinnum in amicitiæ concordiam venire potest. Malum enim non solum bono est repugnans et contrarium, sed et ipsum sibi.*

Sponsæ solius est dicere Cantic. 2. 16. *Dilectus meus mihi, et ego illi.* *Præsertim selectis.* Ille mihi, ait S. Bernardus, quia benignus et misericors est: ego illi, quia non sum ingrata. Ille mihi gratiam ex gratia, ego illi gratiam pro gratia. Ille meæ liberationi, ego illius honori. Ille saluti meæ, ego illius voluntati. Ille mihi, et non alteri: quoniam una sum columba eius: ego illi, et non alteri. S. Gregor. 18.

Mor. cap. 27. illud Cantic. 3. 4. *Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea*, considerans, ait: Illum invenire non posset, si istos transire noluisset: ita ille Iesus vult solus quæri et amari, cætera transeunda sunt. S. Bern. serm. 83. in Cantic. vim amoris sic declarat: Amor sibi abundat, amor ubi venerit, cæteros in se omnes traducit et captivat affectus. Propterea quæ amat, amat, et aliud novit nihil. Ipse qui honori merito, merito stupori et miraculo est, amari tamen plus amat. Sponsus et sponsa sunt: Quam quæris aliam ipsos inter sponsos necessitudinem, vel connexionem, præter amari et amare: ita Bern. Et postea subdit: *Exigit Deus timeri ut Dominus, honorari ut Pater, ut Sponsus amari. Ipse amor meritum, ipse præmium sibi est: amor præter se non requirit causam, non fructum fructus eius, usus eius. Amo quia amo, amo ut amem. Magna res amor, si tamen ad suum recurrat principium, si suæ origini redditus, si refusus suo fonti, semper ex suo sumat unde iugiter fluat. Solus est amor ex omnibus animæ motibus, sensibus, atque affectibus, in quo potest creatura, etsi non ex æquo, respondere auctori, vel de simili mutuam rependere vicem.*

5. *Psalmus hic est carmen nuptiale de Christo et Ecclesia.* Nota, hoc canticum pro dilecto seu Christo, est carmen epithalamium, ut dixi, id est carmen nuptiale concini solitum super thalamo seu lecto in die nuptiarum. Christus enim esse voluit non tantum amicus, sed etiam sponsus Ecclesiæ et animæ sanctæ, tam per Incarnationem quam per gratiam. Psalm. 18. 6. *Tamquam sponsus procedens de thalamo suo.* Vide illum locum. Hanc benignitatem extollit Theodoretus in Cantic. *Hoc est*, ait, *bonorum caput, divinæ benignitatis summa, ineffabilis bonitas, incredibilis misericordia, immensa clementia, inenarrabilis charitas, quod auctor ipse, et effector, et procreator, et Dominus, et Deus, et princeps, atque idem semper, luteum hoc animal mortale, et corruptibile, et ingratum, atque inutile, a morte et servitute diabolica eripuerit; atque ita libertatem largitus sit: ut non solum liberos nos constituerit, sed in filios adoptarit: nec solum tribuerit adoptionis munus, verum etiam sponsam et vocarit et fecerit, eodemque numero sponsum habuerit, atque innumerabilia dona sponsalia dederit, et cubile, et thalamum adornarit, et nudam induerit, et denique factus ipse sit sponsæ et amicus, et panis, et potus, et via, et ostium, et vita, et lux, et resurrectio.* S. Laurentius Iustinianus tract. integrum scripsit de connubio Verbi et animæ. S. Bernard. sermon. 83. in Cantic. docet, connubium istud exerceri præsertim per charitatem, et conformitatem voluntatis, cum est idem velle et idem nolle. Talis conformitas, inquit, maritat animam verbo: cum cui similis est per naturam, similem nihilominus ipsi se exhibet per voluntatem, diligens, sicut dilecta est. Ergo si perfecte diligit, nupsit. Quid hac conformitate incundius? quid optabilius charitate? qua fit, ut humano magisterio non contenta, per temet, o anima, fiducialiter accedens ad Verbum, Verbo constanter inhæreas: Verbum familiariter percuncteris, consultesque de omni re: quantum intellectu capax, tantum audax desiderio. Vere spiritualis sanctique connubii contractus est iste. Parum dixi, contractus: Complexus est. Complexus plane, ubi idem velle et nolle idem, unum facit spiritum de duobus: ita Bernard. Sponsa Christi, improprie dicitur humanitas eius, quia habet aliquem actum sponsæ, quia inseparabiliter iungitur, Inferior est, et regitur a verbo. Non autem proprie, quia deest triplex conditio necessaria: scilicet conformitas naturæ, distinctio personarum, et præexistens separatio: ita S. Thom. in 4. dist. 49. q. 4. art. 3.

6. *Quinam sunt qui commutantur?* Quæres denique tertio, quinam sunt illi *qui immutabuntur?* Resp. primo, cum S. Basilio esse homines omnes.

I. Homo enim semper mutatur, et nunquam in eodem statu permanet. Nos, inquit, præter omnes creaturas rationis participes, maxime alterationibus ac mutationibus, singulis fere horis obnoxii sumus. Neque enim corpore, neque mente iidem continuo similesque nobis existimus. Sed corpus quidem nostrum, αει ρεον και σκεδαννυμενον, semper fluxum ac deciduum, ex assidua redditur motione et immutatione. Aut enim a pumilla et exili statura provehitur ad maiorem, aut a perfecta iam ad minorem contrahitur. Non enim idem est puer ad ludum præceptoremque iens, et probe ad percipiendas artes et disciplinas habens, ac ille, qui nuper est natus infans. Alius rursus ab hoc sine controversia est ephebus, qui iuvenilibus aptari iam potest. Respectu item huius alius vir factus, et magnitudine et robore corporis, et rationis complemento. Cum vero ad summum ætatis vigorem statumque pervenerit, rursus paulatim incipit se subtrahere ad id quod est minutius, habitu corporis sensim nobis defluente, ac eiusdem nervis sese contrahentibus, donec per senectutem incurvatus ultimam virium subtractionem sustineat. Nos ergo ii sumus qui mutamur. Et profecto sapienter nos homines hic Psalmus per hanc vocem insinuavit. Non enim Angeli mutationem patiuntur. Nullus enim apud illos puer, neque adolescens, neque senex, sed in quo ab initio creati sunt statu, in hoc perpetuo remanent, servata simplici et eadem immutabili propriæ naturæ substantia. Nos autem mutamur, quod quidem secundum corpus ostendimus, secundum vero animam et interiorem hominem continuo etiam, una cum accidentariis rerum eventibus sententias mutamus. Alii namque sumus lætitia et gaudio perfusi, dumque res cunctæ ad vitam hanc expetendæ proveniunt secundiore flatu. Alii calamitatis tempore, et si quid contra nostrum acciderit votum. Mutamur item in iracundia, statum quemdam ferinum sumentes. Mutamur et in concupiscentiis instar brutorum per vitæ voluptatem effecti. Equi insanientes in fœminas facti sunt, inquit, erga uxorem proximi insaniendo. Vir dolosus vulpeculæ similis redditur, quemadmodum Herodes. Impudens vero canis appellatur, sicut Nabal Carmelius. Viden quam variegata sit ac multiformis nostra immutatio? ita Basilius. Hoc versio quæ habet *pro liliis*, indicat, ut infra dicetur.

Secundo, *ii qui commutabuntur* sunt, qui a tristitia in lætitiam convertentur, et a priore calamitate ad feliciorem, ac iucundiorem statum: donec dilectus Filius Dei ex ipsis secundum carnem proficiscatur, et novam in Gentibus mutationem faciat, et iubeat oblivisci populi sui, ac domus populi sui, et filia Tyri ad egregiam hanc mutationem invitetur: virgines atque filii quidam pro patribus populique confitentes Deo, hac eadem mutatione digni habeantur: ita Euseb. Theodoret. et alii. II.

Tertio, *ii qui commutantur* sunt ii, qui ab infidelitatis tenebris ac cæcitate ad intellectum fidei mutantur: ita S. Athanas. Theodoret. S. Cyrill. Psalm. hic est, ut ait Remig. pro commutatis ad intellectum recipiendum. Hinc fortasse in titulo ponitur ad intellectum. Niceph. Immutandos, ait, intelligit Christianos, qui per regenerationem divini baptismatis mutabuntur. III.

Quarto, *ii qui commutantur* sunt ii, qui a vitiis ad virtutem convertuntur: ita S. Aug. Unusquisque nostrum, ait, ex vetere homine in novum mutatur, ex infideli fidelis fit, ex raptore largitor, castus ex adultero, beneficus ex malefico. Ergo cantetur nobis pro iis qui commutabuntur. IV.

Quinto, *ii qui commutantur* sunt illi, qui a minore virtute ad maiorem procedunt. Illi enim sponsæ sunt selectæ, et cum regina admittuntur in templum et intimum conclave regis: ita S. Basil. *Pro his*, ait, *qui immutabuntur, iis scilicet, qui sui ipsorum sedulo curam gerunt, quique per exercitia religionis, maiore semper incremento virtutum promovent. Hæc ipsa est longe optima immutatio, quam nobis prærogat ac largitur dextera Domini, qua beatus quoque David cohonestatus est, quando degustatis virtutum bonis ad interiora se extendit. Quid enim inquit? Hæc est mutatio dexteræ Altissimi*, ο προκοπτων εις αρετην ουκ εστιν οτε ουκ αλλοιουται. Quare is qui ad virtutis complexum proficit nunquam non immutatur. *Quando enim*, *inquit, eram parvulus, loquebar ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quæ* V.

erant parvuli. Et iterum cum vir factus esset, non constitit in certa aliqua operatione. sed oblitus eorum quæ a tergo erant, et ad anteriora se extendens, ad destinatum scopum persecutus est, ad bravium supernæ vocationis Dei. Mutatio igitur vera et propria, interioris est hominis, qui de die in diem renovatur. Hic sensus mihi optimus, et huic Psalmo convenientissimus videtur.

VI. Sexto denique, *ii qui commutantur* sunt ii qui mutantur a tristitia mundi ad gaudia æterna: Ita Bruno. Consideremus, ait S. Basilius, ne forte resurrectionis nobis rationem modumque innuat, in qua mutatio nobis dabitur: mutatio inquam in melius, ut quæ spiritualis erit. Seminatur, ait Apostolus 1. Cor. 15. 42. In corruptione, surget in incorruptione. Vides immutationem? Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Videsne mutationem hanc? Ea porro fiet, cum omnis nobiscum immutabitur corporalis creatura. Etenim cæli quoque ipsi ut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabit eos Deus, et mutabuntur. Tunc et Sol erit septuplo maior, ut ait Isaias, et luna tanta erit, qua nunc est sol amplitudine.

Pro liliis. Nota, pro *iis qui commutabuntur* Hebr. est nunc *al scioscianim:* sed probabile est Sept. legisse, *al* ששנים *scescianim*, quod proprie significat, pro iis qui commutantur seu commutabuntur: nam *sciana* est mutare, alterare: mutari, alterari. Porro inter *scioscianim et scescianim* est tantum permutatio punctorum iisdem litteris, id est consonantibus manentibus. Tempore autem Sept. Interpretum qui Biblia in Ægypto verterunt ann. mundi 3775. Regni Græcorum 31. Ptolemæi 8. ante Christum 278. puncta necdum erant inventa ad significandas vocales. Unde existit varietas lectionum. Punctorum autem inventio maxime probabiliter censetur facta circa annum a nativitate Christi 500.

7. Nota secundo, ששנים *scioscianim* esse nomen instru-
Scioscianim quid? menti musici putant Nebiensis, Eugubinus, Peregrinus Herus, Placidus Parmensis et alii. Hine Pagn. et Arias
I. vertunt: *Victori super scioscianním filiis Corach intellectus, canticum amorum.* Et Felix: *Vincenti super lilia filiorum Chore eruditivum canticum dilectionum.* Illud autem instrumentum vocabatur lilium, quia liliis insculptis erat ornatum, sicut nunc in corpore lyrarum nostrarum insculpuntur lilia, rosæ, vel violæ, aliique flores. Habemus etiam instrumentum musicum, quod viola nominatur. Sed hæc sententia nullo nititur certo fundamento.

II. Secundo, Tretuetus hic et Tuccius in Cant. volunt *scioscianim* significare rosas.

III. Tertio, et melius, alii pene omnes opinantur *scioscia-*
Et genuinæ. *nim* esse lilia. S. Hier. vertit: *Victori pro liliis filiorum Core, eruditionis canticum amantissimi.* Flamin. *Victori super liliis filiorum Core erudiens canticum amorum.* Ubi adverte Hebr. esse לנצח *lanetsach*, quod Sept. reddunt εις τελος, id est in finem. S. Hier. et plurimi reddunt victori seu vincenti. Vide titulum Psalm. 4. Si autem vis esse victor et victor in finem, id est in Christum, et in totam æternitatem, canta canticum sed pro liliis, de liliis, super liliis, sit tibi puritas in mente, in voluntate et in ore. Ama Iesum lilium, et tu ipse esto lilium corporis et animi candore et odore. Aquila vertit, pro liliis. Symm. υπερ των ανθων, id est *pro floribus:* putavit scilicet esse synecdochen, et speciem sumi pro genere. Sed melius lilia simpliciter sumenda sunt pro singulari florum specie: ita ut sit sensus, q. d. Canticum datum a Davide filiis, id est posteris Core ad intelligenter et sapienter canendum usque in finem, pro liliis, id est pro fidelibus immaculatis qui sunt Ecclesia sponsa Christi dilecti.

8. Nota tertio, lilii et animæ sanctæ, seu Ecclesiæ sunt
Septem parallela lilii et Ecclesiæ, atque animæ sanctæ. septem parallela. Primo, omnium florum celsissimus est lilium. Plin. lib. 21. cap. 5. *Nec ulli florum excelsitas maior, interdum cubitorum trium.* Anima sancta a terra se segregans et expurgans usque ad ipsum Trinitatis sinum ascendit, cælis et omnibus sublunaribus excelsior.
I. Vere dicens, quod ille; maior sum, et ad maiora nata

A sum. Lilium ob excelsitatem vocatur flos regius. Sis terra celsior, et rex eris.

Secundo, lilium est candore suo pulcherrimum. Fingunt Poetæ lilium ex lacte Iunonis esse generatum: cum II.
enim subiecto clam Herculi ubera admovisset, cognitaque fraude se retraxisset, dicunt lactis guttas aliquot in terram cecidisse, ex quibus mox lilia succreverint: unde ab iis vocatur flos Iunonius. Candor lilii, Primo sponsi ipsius Christi innocentiam designat. Ut enim ait Honorius in Cant. Candidus est in humanitate, aureus in Deitate. Cant. 2. 1. dicit: *Ego flos campi, et lilium convallium.* Secundo, candor lilii denotat sponsæ præcipuæ, id est Deiparæ virginitatem. S. Epiphan. serm. de Deipara eam vocat κρινον απιλον, id est lilium immaculatum. Erat lilium inter spinas. Ut enim dicit Dionys. Carth. in cap. 2. Cant. Deipara virgo ab omni culpa fuit prorsus immunis; fuit fomes in ea plene extinctus, et tam intonsa castitate erat repleta, quod intuentium corda sic penetravit sua
B inæstimabili castitate virginea, quod a nullo potuit concupisci, imo potius extinxit ad horam illorum libidinem: ita Dionys. Tertio denique, candor lilii signat sanctarum animarum. Primo, puritatem fidei. S. Greg. Nyss. hom. 14. in Cantic. Lilii splendor, inquit, quasi quodam ænigmate puritatem ac veritatem eorum quæ dicuntur, significat. Veritatem porro appellat λαμπραν και φωτεινην, splendidam et luminosam. Secundo, candor lilii notat puritatem intentionis, quæ ut docet S. Thom. 1. 2. q. 1. 2. art. 1. est actus voluntatis, secundum quod in ea est vis intellectus ordinantis. Tertio, candor lilii denotat puritatem corporis. Quarto, puritatem totalem et mentis et corporis. S. Gregor. illud Cant. 2. v. 2 *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias,* meditans, ait: *Bene sicut lilium inter spinas, sponsa inter filias esse perhibetur: quia cum multi sint in Ecclesia, qui solis verbis Christum confitentur, operibus vero nihil nisi humanas sollicitudines sectantur: dum sola illa anima in lilii dignitate computatur, quæ a mortalitatis radice ad cælestem pulchritudinem as-*
C *surgit, et munditiæ candorem corde et corpore sibi ipsi custodit, et proximos quosque bonæ opinionis odore reficit.* Quinto denique, candor lilii in erecto flore vestem immortalis gloriæ in anima terris maiore denotat. S. Norbertus eadem die qua sepultus est religioso cuidam mortem eius ignoranti apparuit in propria effigie, stans coram eo. Sed mox effigies hominis Dei, *mutabatur in florem miri candoris instar lilii,* quem Angeli suscipientes deferebant ad æthera. Evigilans igitur frater ille, summo diluculo cucurrit ad Priorem suum, copiam petiturus Missam celebrandi, Deoque per eam pii Patris Norberti animam commendandi. Cumque Prior quæreret, quid sibi vellet tam subita contestatione, exposuit ille ordinem rei. Cui Prior præcepit, ut diem illum memoria retineret. Est itaque inventus dies ille, dies sepulturæ hominis Dei: ita auctor vitæ eius apud Sur. tom. 3. die 6. Iunii. Et vero quis aptius in lilium commutatus esset, quam Fundator candidissimi Ordinis Præmonstratensis. Est de iis qui commutati sunt,
D ut patet ex eius mirabili conversione, per quam mutatus est *in simplicem et mansuetam columbam*, cap. 2. vitæ. Nullum ei peccatum potest improperare dæmon in energumena scelera detegens aliorum, c. 29. Vestem ei candidam assumendam esse monet Deipara, ut habet 1. Petr. Camus Episc. de Belley in eius vita, p. 104. Eadem die et hora qua mortuus est, vidit eum quidam frater *in veste candida,* et forma venusta ramum olivæ tenentem in manu sua. Qui cum quæreret ab eo, unde veniret, vel quo festinaret, respondit: De Paradiso missus sum, unde hunc ramum olivæ florentem tuli, ut in loco paupertatis meæ, id est in Præmonstratensi Ecclesia, transplantem illum. Christianis Francorum regibus florem lilii pro insigni datum de cælo multi volunt; in summis coronarum verticibus ponitur in variis populis. Spei est symbolum. Pierius Valerian. lib. 55. cap. 9. Sciendum, ait, unumquemque florem, ac præsertim lilium, hieroglyphicum esse spei. Nam si spes, ut Speusippus Platonicus fi-

nit, est expectatio boni: velut e converso metus, animi concussio in expectatione mali: sicque floribus inspectis, usum inde fructuum sperare solemus, nulli dubium erit, quin flos sit futuri boni prænuntius, et frugem paulo post succrescentem polliceatur. Nam et Themistius ait per florem ubi prævius apparuerit, in frugis inde nos spem surrigi. Sed quamvis sit hæc florum omnium prærogativa, ut nos bene sperare iubeant, unus tamen præcipuus quippe lilium, uno omnium consensu hieroglyphici huius primas obtinet. Hic in antiquorum monumentis cum inscriptione SPEI, lilii potius figuram, quam alterius cuiusquam floris speciem ostentat. Nam in numo Imp. Alexandri Pii Aug. ab altera facie Dea lilium dextera prætendit, cuius inscriptio est, SPES PUBLICA. Eadem inscriptio cum lilio manu Deæ prætento in Imper. Æmiliani numis habetur. Nusquam vero frequentius neque manifestius hæc lilii facies pro spe ponitur, quam in Imper. Claudii P. T. August. numis, quorum vis magna proximis annis in Bellunensi agro effossa est, in quibus Dea ipsa pallam lævam sustinet, dexteram lilium prætendit, cum inscriptione, SPES PUBLICA. Et in Tiberii Claudii numis eodem gestu Dea, palla quippe sublata, lilioque dextera porrecto, cum litteris, SPES AUGUSTA. Eodem statu habituque in Adriani numo Dea lilium prætendit cum inscriptione: SPES P. R. ita ille. Lilium nobis suo candore est symbolum spei, quia ut dicitur Psal. 118. 1. *Beati immaculati.* Quod non est coinquinatum, intrat in regnum cælorum. Virgines sequuntur Agnum in vestibus albis: lilium iis appinge manu gestatum, ut S. Xaverio, B. Aloysio, et aliis fieri assolet.

III. Tertio, lilium in suis floribus exterius candidum, intus aureum denotat innocentiæ iungendam esse charitatem. Ad hoc fortasse allusit sponsa, cum dixit Cant. 5. 10. *Dilectus meus candidus et rubicundus.* Tales vult sibi sponsas. Se nigram esse sponsa dicit, sed eam dealbat Christus, qui ait cap. 2. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias,* illæ spinæ eam pungunt, sicque cruentem rubore suffundunt. Sed suavior est rubor charitatis,

A cap. 2. 4. *Ordinavit in me charitatem.*

Quarto, odor lilii suavissimus est, odorem bonæ famæ secum fert virtus. IV.

Quinto, lilium est fœcundissimum. Plinius lib. 21. cap. 5. Lilio, inquit, nihil est fœcundius, una radice quinquagenos sæpe emittente bulbos. Vide quantum se S. Basilii, S. August. S. Benedicti, S. Francisci, S. Ignatii, et aliorum virtus propagarit. De Apostolis vide Ps. 18. 1. et seq. V.

Sexto, bulbus lilii est specie et figura cordis. Cor in viro pio est radix omnium actionum. VI.

Septimo denique, lilium etiam denotat infirmitatem naturæ nostræ. Primo, quia, ut ait Plin. lib. 21. c. 5. *Languido semper collo est, et non sufficiente oneri.* Egemus Dei gratia, ut nobis dona collata sustineamus, atque in terram non inclinemur. Potest etiam illa inclinatio esse symbolum humilitatis et condescendentiæ ad proximum. Dona ipsa Dei quo maiora sunt eo magis humilem et benignum faciunt. Quo magis oneratur seges aut arbor, eo demissius se inclinat. Secundo, lilium citissime deflorescit. Lilium VII.

B agreste ac marinum vocatur ημεροκαλλες, q. d. Uno die pulchrum. Dioscorides vocat εφημερον, q. d. Uno die durans: quoniam, ut ait Theophrastus, νυκτος φυτον αμα ηλιω αιθοντι θαλλει, noctu enatum sole oriente floret. Hebr. שושנים *scioscianim,* deduci potest a שנה *sciana*, id est mutare et mutari, q. d. *Scescianim*, quæ facile mutantur ac deflorescunt. Sedula sit igitur mentis ac virtutum acquisitarum custodia, ne multis parta laboribus cito excidant. Plin. lib. 21. cap. 1 generatim de omnibus floribus dicit: *Natura reliqua usus alimentique gratia genuit: ideoque sæcula annosque tribuit iis: flores odoresque in diem gignit. Magna, ut palam est, admonitione hominum, quæ spectatissime florent, celerrime marcescere.* Sed si Deo roboremur illa virtutum pulchritudo æterna erit cum lætitia nunquam desitura, ut prædixit Isaias c. 35. v. 1. *Lætabitur deserta, et invia, et exultabit solitudo, et florebit quasi lilium: germinans germinabit, et exultabit lætabunda et laudans.*

DIVISIO TOTIUS PSALMI

9. TRIA FACIT DAVID. PRIMO, PROMITTIT SE LAUDATURUM DEUM, ET EA QUÆ DICTURUS EST A DEO SE ACCEPISSE, VERS. 2. SECUNDO, CHRISTI SPONSI ECCLESIÆ LAUDES PROSEQUITUR, VERS. 3. TERTIO DENIQUE, LAUDAT SPONSAM EIUS ECCLESIAM, ET ILLAM INSTRUIT, VERS. 10.

SECTIO PRIMA.

Tria dicit. Primo, se locutum esse verbum bonum, vers. 2. Secundo, se illud locutum esse in honorem Christi. Tertio, a Deo se inspiratum locutum esse. Ibid.

PARAPHRASIS.

2. *Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi.*

Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.

2. Cor meum præ ubertate Spiritus sancti exundans in hoc sacrum canticum Christi, et Ecclesiæ epithalamium erupit. Huic ego Christo meo regi id carmen concino, et consecro.

Neque hoc humana nixus industria, sed cælesti afflatus spiritu cano: linguam illi meam, velut calamum, quo ad nutum utatur, præbeo: ideo magna celeritate, facilitate, et alacritate Psalmum hunc modulor ipso dictante.

QUÆSTIO UNICA.

QUALES DECET ESSE VERBI DEI PRÆCONES.

10. Quod Propheta noster de huius cantici prophetia dicit, ad Concionatores, velut alteros novi testamenti Prophetas et Patriarchas derivari potest.

Commendat autem prophetiam suam: 1. a plenitudine sapientiæ, v. 2. *Eructavit;* 2. ab interiori sapore: *Cor meum;* 3. a sanctitate rerum dicendarum: *Verbum bonum;*

C 4. a conformitate operis et sermonis: *Dico ego opera mea;* 5. a bona et erecta intentione: *Regi;* 6. a Spiritus sancti inspiratione: *Lingua mea calamus scribæ;* 7. denique, a celeritate illam tradendi: *Velociter scribentis.*

ARTICULUS I.

Ex pleno corde est eructandum verbum bonum.

David nuptiale carmen cantaturus, ut sponsum Christum et sponsam Ecclesiam laudet, præfationem præ-

11. mittit qua indicet se a Deo edoctum loqui. Sic autem incipit v. 2. ERUCTAVIT COR MEUM VERBUM BONUM (Arabs, effudit cor meum sermonem optimum) DICO EGO OPERA MEA REGI, id est Christo sponso. Nota, eructatio denotat 1. abundantiam. Ex plenitudine enim ciborum fit ructus, id est, ut ait Hieron. epist. 140. concoctarum escarum in ventum efflatio. Ex abundantia etiam cordis os loquitur; 2. eructatio dicit facilitatem in loquendo; 3. necessitatem quamdam ob impulsum internum; 4. ex mentis penetralibus et sinu oriri debere verba nostra, non extremis tantum in labiis sine affectu atque interiori motu esse habenda. Symmach. vertit, εκινηθη η καρδια μου λογω αγαθω, commotum est cor meum verbo bono. Mutuos sibi affectus reddunt os et cor. Ieremias Propheta cap. 20. 9. sermonem propheticum corde conclusum igni æstuanti comparat. Sic enim ait: *Factus est in corde meo quasi ignis æstuans, claususque in ossibus meis: et defeci ferre non sustinens;* 2. aptius ad rem nostram Eliu filius Barachel Buzites sermonem animo clausum confert musto bullienti, Iob. 32. 18. *Plenus sum sermonibus, et coarctat me spiritus uteri mei. En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit.* Et Salomon Prov. 30. 1. de seipso dicit: *Verba congregantis* (doctrinam et sapientiam) *filii Vomentis* (id est filii Davidis, qui eructavit verbum bonum; 2. filii Vomentis, id est abundantis vomitu, hoc est revelationibus, quas in alios effundat) *Visio quam locutus est vir, cum quo est Deus, et qui Deo secum morante confortatus, ait,* etc.

Vers. 2. Ex plenitudine gratiæ eructandum.

12. Quæres, quodnam *verbum bonum* hic eructatur: Primo, qui censent Patrem æternum loqui, dicunt illud Verbum bonum esse Filium Dei ab æterno genitum. Eructatio porro denotat Primo generationem verbi esse naturalem et necessariam. Secundo, fieri ex plenitudine essentiæ divinæ, quæ infinita est, et consequenter infinite communicabilis. Tertio, fieri ex ipso sinu Patris, et utero, atque corde. Quarto, fieri sine proiectione, divisione, sectione, diminutione, aut alia eiusmodi ratione, cuiusmodi cernitur in aliorum viventium generationibus. Quinto denique, Verbum esse consubstantiale: ita Euseb. lib. 4. de demonstrat. S. Athanas. orat. 3. contra Arrianos, S. Isidor. serm. de Nativ. Domini S. Gregor. Naz. orat. 49. et alii Patres in Psalm. nostr. Iosephi benedictionem explicans S. Ambrosius lib. de benedict. Patriar. ait cap. 11. *Iesus ante sæcula est generatus ex Patre. Unde et Pater ait Ps. 44. Eructavit cor meum verbum: eo quod ex illa intima et incomprehensibili Patris processit substantia, et in ipso est semper. Unde et Evangelista ait Ioann.* 1. 18. *Deum nemo vidit unquam, nisi unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Sicut ergo sinus Patris spiritalis intelligitur intimum quoddam paternæ charitatis, naturæque secretum, in quo semper est Filius; ita etiam Patris spiritalis est vulva, interioris arcanum, de quo tamquam ex genitali alvo processit Filius. Denique diverse legimus, nunc vulvam Patris, nunc cor eius quo eructavit, nunc os eius ex quo iustitia processit, ex quo prodivit sapientia, sicut ipse ait Eccles.* 24. 5. *Ex ore altissimi prodivi:* ita Ambros.

Verbum bonum est primo Filius Dei.

Nota, Filius Dei non est verbum vocale, non enim extra Patrem producitur, sed est verbum internum mentis divinæ. Producitur enim per actionem intellectus immanentem et consubstantialem.

13. Quæres secundo, quænam similitudines et dissimilitudines verbi mentis nostræ et verbi divini? Primo, quemadmodum homo verbum suum mente et cogitatione parit: ita Pater suum Verbum per intellectum gignit: gignit, inquam, perfectissima immensaque intellectione semetipsum comprehendens, quæ tum essentiam divinam, tum creaturas omnes complectitur. Secundo, sicut verbum mentis absque motu, immaterialiter, atque intellectualiter, ita Verbum divinum producitur. Tertio, sicut verbum hominis productum, in eadem manet mente a qua producitur: sic Verbum divinum in ipso Patre manet, a quo gignitur: unde illud Ioann. 1. 18. *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris.* Quarto, sicut verbum hominis est imago rei, quæ

Verbi mentis et Verbi divini, variæ similitudines.

A intelligitur: sic Verbum Patris est imago Patris, quam semetipsum intellectione infinita comprehendens, producit. Quinto, sicut verbum, sive conceptus, in mente artificis principium est fabricandi: ita Verbum divinum in mente Patris, principium est operandi. Omnia enim per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Sexto, sicut verbum mentis per vocem ostenditur, sic Verbum divinum per humanitatem hominibus est demonstratum. Septimo, sicut verbum mentis potest esse, licet opus non sequatur, et non potest esse opus, nisi præcedat verbum, sic et Verbum Dei potuit esse nulla existente creatura: creatura vero nulla esse potest, nisi per ipsum, per quod facta sunt omnia. Octavo, sicut conceptus noster tamdiu durat, quamdiu durat intellectio, sic divinum Verbum. In sempiternum autem permanet Patris intellectio æterna, atque indivisibilis, in sempiternum quoque permanet Verbum, quod per illam producitur. Quia vero intellectio Patris, perpetuo est in actu, Verbi quoque generatio perpetuo est in actu. Quocirca vera est hæc enuntiatio: Verbum semper
B gignitur, sive producitur. Hinc illud Micheæ 5. *Egressus,* Hebr. egressiones *eius, ab initio, a diebus æternitatis.* Utitur enim vates numero multitudinis, eo quod Verbi generatio sempiterna est, coexistitque multis durationibus nostris. Nono denique, sicut verbum nostrum repræsentat res quæ intelliguntur, sic divinum Verbum. Quia vero Pater producit Verbum intelligendo essentiam, personas divinas, et creaturas omnes, efficitur ut Verbum divinum, divinam essentiam, personas, creaturasque omnes repræsentet; atque adeo essentiæ personarum, creaturarumque omnium sit speculum clarissimum: ita Barradius t. 1. lib. 4. cap. 2. Confirmatur id dicto S. Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 10. *Quisquis,* inquit, *potest intelligere verbum, non solum antequam sonet, verum etiam antequam sonorum eius imagines cogitatione volvantur, iam potest videre per hoc speculum, atque in hoc ænigmate aliquam Verbi illius similitudinem, de quo dictum est, Ioan.* 1. *In principio erat Verbum.* Dissimilitudines vero
C etiam multæ sunt. 1. Verbum nostrum habet initium temporis; 2. est posterius mente nostra; 3. natura differt a producente; 4. est accidens; 5. per se efficere nihil potest; 6. vita caret; 7. est multiplex; 8. effluit ac dilabitur; 9. denique non est filius noster. Contraria autem sunt in divino Verbo, quod 1. est æternum; 2. coæternum Patri; 3. consubstantiale; 4. substantia per se subsistens; 5. omnipotens; 6. vitam æternam habet; 7. unicum est; 8. in æternum durat; 9. denique est filius Patris.

Quæres tertio, cur David dicit, eructavit cor meum verbum, cum verbum non procedat ex corde, id est ex voluntate Patris, sed ex intellectu? Respond. per cor accipi mentem et intellectum. Sic Psalm. 7. 10. sumitur: *Scrutans corda et renes Deus.* Et Psalm. 25. 2. *Ure renes et cor meum:* id est, affectiones, et cogitationes. Cur dicatur Verbum ex utero genitum, vide Psalm. 109.

Cor pro intellectu.

Secundo, et melius, cum David ipse loquatur in hoc Psalmo, *verbum bonum* est carmen ipsum epithalamium et nuptiale, quod concinit in honorem Christi sponsi, et
D in honorem Ecclesiæ eius sponsæ. Incipit autem illud carmen seu canticum ab his verbis v. 3. *Speciosus forma,* etc. 14.

II. Et genuine verbum bonum est carmen nuptiale.

Quod autem ait, *dico ego opera mea regi,* sensum hunc efficit primo, q. d. Dico, seu loquor (est enim Hebr. אמר *omer,* loquens, dicens) opera, id est cantica mea regi, id est de rege: huius excellentiam sumo pro materia meæ cantionis; 2. *regi,* id est, præsente ipso rege et audiente, eum mihi ob oculos ponens; 3. *rege,* id est, in honorem regis, nempe Christi: illum unum præ omnibus amans et propter eum omnia negligens, Ille est anima, finis et scopus mei huius Cantici atque operum aliorum. Itaque *regi,* hoc est tibi. Nam Christum toto Psalmo alloquitur.

Dico opera regi, quem sensum efficit?

Moral. Nota quinque ex hoc loco utilia concionatoribus et sacris cantoribus deduci possunt. Primo, concionator seu cantor debet repleri sapientia, unde eructet verba bona sine difficultate, et sine propria iactura. Ex plenitudine enim oritur eructatio. Ubi adverte, quod sapientia est animæ cibus. R. Moses Ægyptius lib. 1. ductoris 15.

Concionator debet repleri sapientia.

*

dubitationum cap. 29. *Sapientes*, inquit, *utuntur hac similitudine comedendi in sapientia; et dixerunt: Omnis cibus, vel potus, qui ponitur in hoc libro non est nisi sapientia.* Agit de sacra Sciptura: de illa dicit S. Ambros. serm. 35. de ieiunio Domini in deserto: Ipsa est, inquit, refectio, quæ saginat animam, quæ impinguat viscera, cum de divinis Scripturis cibum perennis eloquii accipimus. Ipsa est esca quæ vitam æternam tribuit, et insidias nobis diabolicæ tentationis excludit. Richard. a S. Vict. in alleg. an. et n. fœderis, dicit, mensa panum propositionis figurari Scripturam, plenam cælesti cibo: *Altare exterius*, inquit, *est afflictio corporis, altare interius contritio mentis, candelabrum gratia discretionis, mensa doctrina sacræ lectionis.* Per arcam fœderis intellige gratiam contemplationis. Potui quoque sapientia confertur: unde Sponsa Cantic. 1. 3. gustato hoc nectare exultat, et dicit: *Introduxit me rex in cellaria sua*: quod contemplans S. Gregor. dicit: *Quid per huius Sponsi, qui rex est, cellaria intelligimus, nisi sancta contemplationis mysteria, quorum deliciis si reficimur, mox convalescimus.*

16. Eamque aliis elargiri. Et hac cibi plenitudine eructandum est, et aliis eadem gratia communicanda, ut et in nobis conservetur, et in aliis amplificetur. S. Chrysost. hom. de habenda cura salutis proximi: *Sicut*, inquit, *stomachus, si cibum solus continuerit, et reliquum corpus fame corrumpit, et seipsum inexplebili improbitate perdit. Ita et tu nunc, si ea, quæ a nobis audis, detinueris, aliisque non communicaveris, et illum incommodabis, et teipsum iam corrupisti, quia ignaviæ et invidiæ gravissimos morbos foves: contra, si citra invidiam, et ad alios transmiseris alimoniam, tibi ipsi et aliis profuturus es.* Impellit ad hoc præstandum Spiritus sanctus, et quodammodo cogit reluctantes. S. Chrysost. in Psal. nostr. Quoniam, ait, eorum quæ dicebantur nihil erat humanum, sed cælestia ac spiritualia erat narraturus, eaque non ex propria inventione, sed ex divina operatione, eructationis nomine id significat. Eructamus enim non quando volumus. S. Chrysolog. serm. 86. Sic, inquit, sacerdotis sermo exuberat, quando dat Deus, non cum perorat sacerdos: ita ipse. Itaque non est connitendum, ut propriæ fidentes industriæ vilis instar araneæ nos exenteremus: id enim captandis tantum muscis est accommodatum: sed mel divinæ sapientiæ cælitus demissum instar sacræ apiculæ colligendum, ut in alios effundas, et opera tua altaribus deserviant.

17. Interiori gustu sapientia est percipienda, ob sex rationes. Secundo, contendendum est, ut interiori gustu sacros illos cibos sapientiæ percipias, sic facilius aliis communicabis. Unde Propheta dicit, ERUCTAVIT COR MEUM. *Ex abundantia enim cordis os loquitur*, Matth. 12. S. Greg. quodam loco vere: *Illi soli*, ait, *de Deo suaviter loqui noverunt, qui eum totis cordis visceribus amare didicerunt.* Cum verba oriuntur ex solis labiis, sunt indigesta et non

I. concocta, atque sine succo et spiritibus vitalibus

II. Secundo, alacrius dat, qui suavitate plenus est atque lætitia orta ex cælestis cibi dulcedine, cui nulla terrestris dulcedo potest conferri. Damasus ad S. Hier. agens de Scripturarum mutua collocatione: Quo, inquit, animæ pabulo omnia mella superantur. S. Aug. in Ps. 80. Mel sapientia est, primatum dulcoris tenens in escis cordis. S. Greg. lib. 16. Mor. c. 3. Mel invenire est sancti intellectus dulcedinem degustare, quod tunc sufficienter editur, quando nostra intelligentia iuxta mensuram sensus sub moderamine tenetur. S. Petr. Damiani Opusc. 13. cap. 12. Terrenarum dapum sapores atque dulcedines superficie quidem palati gustantes oblectant; viscera autem interiora non penetrant: sapor vero divinæ contemplationis omnia interiora nostra replet, vegetat, obdulcat.

III. Tertio, diuturnius aliis prodest, qui prius sibi consulit. Cito arescit canalis, concha fontis aquam semper offert accedenti. Unde S. Bernard. serm. 18. in Cant. *Si sapis, concham te exhibebis, non canalem. Implere prius, et sic curato effundere. Benigna prudensque charitas affluere consuevit, non effluere.*

IV. Quarto, fructuosius sua aliis communicat qui iis seipsum nutrit. Stomachus non prodest corpori, nisi cibos retineat et illis se sustentet, ut postea quod sibi est superfluum cæteris membris distribuat, ut fidelis coquus. S. Bernard. serm. cod. 18. in Cant. Dedit, ait, nobis panem de cælo et cibaria in abundantia: quorum utinam ego fidelis coquus, utinam anima mea coquina utilis videatur: siquidem ad præparanda fercula vestra tota hac nocte concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exarsit ignis, ille sine dubio quem Dominus Iesus misit in terram, et voluit vehementer accendi. Nam spiritualem cibum, et coquinam, et ignem habere necesse est spiritualem. Superest iam ut distribuam quæ paravi. Vos autem considerate potius dantem Dominum, quam ministrum distribuentem: ita Bern.

Quinto, perfectiores fœtus Deo parit, qui eos intra se V.
gerit, Deo offerens, et eius ope efformans. Idem S. Bern. serm. 8. ex parvis comparat sapienter concionatores matri: *Quid est*, ait, *quod Maria portat Iesum in utero, Ioseph in humero, in Ægyptum scilicet iens et rediens, Simeon portat in brachiis? Significant isti tres, tres electorum ordines: Maria prædicatores, Ioseph pœnitentes, Simeon bonos operatores. Qui enim aliis evangelizat, quasi Iesum in utero portat, ut eum aliis, vel potius alios ei pariat.* De talibus erat B. Paulus qui dicebat Galat. 4. 19. *Filioli mei quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis.* Per Iosephum illos designat, qui mala ab aliis allata perferunt, ut ipse ab Herode. Per Simeonem vero eos qui opera misericordiæ exercent, ut ipse erga Christum quem ulnis excipit. Prov. 22. 18. dicitur: *Cum servaveris sapientiam in ventre tuo* (id est, animo tuo) *redundabit in labiis tuis.*

Sexto, suavius pueri gustant cibum a matre concoctum, VI.
et in lac conversum. Paulus dicebat Corinth. 1. epist. 32. *Lac vobis potum dedi, non escam.* S. Agnes teste Ambr. serm. 9. exultans inclamabat: Lac et mel ex ore eius suscepi, Christus lac nobis Evangelii et gratiæ largitur. Haymo illud Cant. 1. v. 1. *Meliora sunt ubera tua vino*, considerans, ait: Per ubera Christi, dulcedo Evangelii intelligitur, qua velut lacte nutritur infantia credentium. Vinum quippe austeritatem legis significat: sed ubera Christi meliora sunt vino, quia dulcedo Evangelii meliur est austeritate legis: ita ille. Philo autem Carpathiorum Episcop. utrumque testamentum duabus mammis confert in hunc modum: Ut duo, inquit, ubera duæque mammæ hinc inde pectori affixæ cor ambiunt: ita et duo testamenta ex Spiritu sancto spiritalem nobis potionem divini lactis instar effundunt, nosque super delectationes omnes humanas sanctissime lætificant atque tuentur.

18. Concionator dicat ea quæ pietatem iuvant. Tertio, videndum est concionatori, ut ad pietatem dicat conducentia, et quæ bona sunt atque utilia. Hinc addit David: *Eructavit cor meum verbum bonum.* S. Cypr. et Tert. sermonem optimum. Ratio a priori est, quia concionator est Dei legatus, debet non nugas et fabulas mundi referre, sed mandata Domini ac regis sui. S. Paulus dicebat 1. Cor. 2. 4. *Sermo meus, et prædicatio mea* (sermo privatus et prædicatio publica. Hæ sunt duæ mammæ concionatoris) *non in persuasibilibus* (persuasoriis) *humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis.* S. Martinus aiebat, Regnum Dei non in eloquentia, sed in fide constat. Ps. 67. 12. ait David: *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa.* S. Hieron. epistol. 2. ad Nepotianum: *Docente te*, inquit, *in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitetur: lacrymæ auditorum laudes tuæ sunt.* Et lib. 3. in epist. ad Gal. sui temporis oratores reprehendit qui orationem suam, veluti meretricem, fucis inficerent. Iam, ait, in Ecclesiis omissa Apostolicorum simplicitate et puritate verborum, quasi ad Athenæum et ad auditoria convenitur, ut plausus circumstantium suscitentur: ut oratio Rhetoricæ artis fucata mendacio, quasi quædam meretricula procedat in publicum, non tam eruditura populos, quam favorem populi quæsitura: et in modum Psalterii et tibiæ dulce canentis, sensus demulceat audientium: ita Hieronym. Populus quoque non delectationem, sed utilitatem in concionibus quærat, ne pereat, sicut Ierosolymitæ qui a

Chaldæis eversi sunt, quod verba Ieremiæ ad pœnitentiam hortantis, ad praxim non redegerint. Ierem 6. 19. *Ecce ego adducam mala super populum istum, fructum cogitationum eius: quia verba mea non audierunt, et legem meam proiecerunt.* Etiam in ipsa captivitate Babylonica pruriebant auribus et a veritate auditum avertentes, atque ad fabulas convertentes delectationem solam quærebant in verbis Ezechielis Prophetæ, qui cum eis exulabat: unde Deus gemeus dicit cap. 33: 32. *Es eis quasi carmen musicum* (Sept. quasi vox Psalterii. Chald. quasi canticum organorum. Vatabl. velut canticum amorum) *quod suavi dulcique sono canitur: et audiunt verba tua, et non faciunt ea.* Concionator itaque hoc dictum Alcuini epist. 1. semper in mente habeat: Memor esto semper, quod guttur tuum *tuba Dei* debet esse, et lingua tua omnibus *præco salutis.* Valentinian. et Valens in epist. ad Asianam diœcesim scribentes vocant Episcopos, προκηρυκας σωτηριου λογου, *præcones salutaris verbi.* Quærant igitur salutem animarum, non plausum sciolorum.

19. Concionator iungat verbis opera.

Quarto, concionator debet iungere verbis suis opera. Unde David attexit: DICO EGO OPERA MEA, id est hoc opus meum, hoc meum canticum. Ut bonus sit sermo, sit opus: frustra seritur, nisi seges exurgat, bonum semen est virtus quæ in virorem verborum prodit, ut fructus multiplex succrescat. De Christo ait Lucas, Act. 1. v. 1. *Cœpit Iesus facere et docere.* Ubi S. Chrys. Considera, inquit, quo pacto Christus dictis suis per opera fidem conciliarit. Ad mansuetudinem hortatus est, dicens Matth. 11. *Discite a me quod mitis sum et humilis corde:* docuit nos paupertatem, et utrumque factis demonstravit. Siquidem filius hominis, inquit, non habet ubi caput suum reclinet. Rursum præcepit, ut diligeremus inimicos. Exhibuit hoc in cruce, deprecans pro crucifigentibus. Dixit, volenti trahere in ius ut tunicam eripiat, permitte ut et pallium auferat. Ipse vero non vestimenta tantum, sed sanguinem quoque suum dedit. Idem ut facerent et Discipulis præcepit. Unde et Paulus dixit: sicut habetis formam ex nobis. Nihil enim Doctore frigidius, qui verbis dumtaxat philosophatur: neque enim hoc Doctoris est, sed histrionis et hypocritæ. Ideoque Apostoli prius vitæ exemplis docebant, deinde verbis: quin potius ne verbis quidem erat opus, cum clamarent opera: ita Chrysost. Secundo, de S. Ioanne Bapt. dicitur ab ipso Christo: *Ille erat lucerna* (ο λυχνος, illa lucerna q. d. eximia et singularis) *ardens et lucens.* S. Bern. serm. de S. Ioan. Bapt. recte notat prius ardoris quam lucis fieri mentionem: Non ait, inquit, lucens et ardens: quia Ioannis ex fervore splendor, non fervor prodiit ex splendore: sunt enim qui non ex eo lucent quia fervent, sed magis fervent ut luceant. At isti plene non fervent charitatis spiritu, sed studio vanitatis: ita Bernard. Tertio, S. Paulus monet S. Timotheum Episc. Ephesi ut prius sit operarius bonus, deinde recto tractet quæ doctrinam spectant. Sic enim ait 2. epistol. 2. 15. *Sollicite cura teipsum probabilem* (δοκιμον, probum, probatum) *exhibere Deo, operarium inconfusibilem*, ανεπαισχυντον, qui non possit pudore affici ob malam vitam) *recte tractantem verbum Dei.* Gr. ορθοτομουντα, id est recte dividentem ac secantem. Metaphora ducta, 1. a coriariis: ita S. Chrysost. 2. ab agricolis sulcos rectos ducentibus: ita Theodoretus; 3. et melius a mensarum præfectis, qui Modimperatores vel Symposiarchæ vocabantur: eorum enim est carnes secare ac cibos. Male secat, qui aliis omnia, sibi nihil reservat, et sic se risui exponit. Sis igitur operarius inconfusibilis ut bene tractes verbum veritatis. S. Hieron. epist. 2. ad Nepotianum: *Non confundant*, inquit, *opera tua sermonem tuum: ne cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat: Cur ergo hæc quæ dicis ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de ieiuniis disputat. Accusare avaritiam et latro potest. Sacerdotis Christi os, mens manusque concordent.* Et ep. 83. Perdit, inquit, auctoritatem docendi, cuius sermo opere destruitur. Eum qui utrumque faciat appellat S. Isidor. Pelus. lib. 2. epist. 75. πασης φιλοσοφιας αγαλμα, totius Philosophiæ simulacrum. Gedeon. cum trecentis viris fudit et contrivit trecenta et triginta quinque millia Madianitarum: ratio est, quia *dedit tubas in manibus eorum*, Iud. 7. 16. accipe tubam manu, ut bene resonet: iunge manus, id est opera, sono prædicationis, ut sit efficax. S. Chrysost. hom. 2. de Davide: Habeat, inquit, vita tua claram vocem eadem quæ facis docentem. S. Bernard. epistola 20. ad Balduinum Abbatem Reatini monasterii: Memento, ait, voci tuæ dare *vocem virtutis.* Quid illud, inquis. Ut opera tua verbis concinant, imo verba operibus, ut cures videlicet prius facere quam docere. Ita Bernard. qui pulcherrimum et saluberrimum ordinem dicit esse, ut onera quæ aliis imponis, prior ipse portes, et sic ex te discas quanta prudentia et charitate cæterorum pondus modereris. Ne ad Pharisæos amanderis oneribus gravantes aliorum humeros, quæ ne digito quidem tangere velint, tum subdit: *Sermo vivus et efficax* exemplum est operis: facile faciens suadibile quod dicitur, dum monstrat factibile quod suadetur. Ergo in his duobus mandatis, verbi scilicet atque exempli summam tui officii ac conscientiæ securitatem pendere intellige. Tu tamen si sapis iunges et tertium studium, videlicet orationis: ad complementum utique trinæ illius repetitionis in Evangelio de pascendis ovibus, Ioan. 21. In hoc noveris illius Trinitatis sacramentum in nullo frustratum esse, si pascas verbo, pascas exemplo, pascas et sanctarum fructu orationum. Manent itaque tria hæc: verbum, exemplum, oratio: maior autem his est oratio. Hæc ipse.

Quinto, Dei unius gloria concionatori quærenda est, et conandum ut solus regnet in cordibus omnium: DICO OPERA MEA REGI. Gr. τω βασιλει, ubi S. Chrysostom. advertit, adiectione articuli peculiarem denominationem ostendi: veri scilicet Regis Dei, qui Rex regum est, et Dominus dominantium. Christum regem simpliciter David nominat, ait Lorinus, quasi cum Homero dicas, υπατον κρειοντων, supremum imperantium: cum Callimacho, αει μεγαν αει ανακτα, semper magnum semper regem: cum Sibylla, ηγητειρα Θεων, ducem Deorum: cum Orpheo κοσμοιο ανακτα, mundi regem: ut μεγαν βασιλεα, magnum regem: cum Philone υπαρχον, magistratum ac principem. Huic uni conciones suas dicebat Paulus 2. Corinth. 2. 17. *Non enim sumus sicut plurimi adulterantes* (καπηλευοντες, id est cauponantes, cauponum instar ad quæstum nostrum referentes) *Verbum Dei: sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo* (id est pro Christo, ut vult S. Hieron.) *loquimur.* S. Ambr. in 1. ad Corinth. 1. eos reprehendit qui sacra tractant, non ut illa, sed ipsi laudentur. Christus dicit sponsæ suæ, id est Ecclesiæ, Cant. 4. 3. *Sicut vitta coccinea labia tua.* Per labia Ecclesiæ Concionatores et Doctores eius intelligit S. Gregor. et Aponius. Debent esse sicut vitta, quia eorum sermo non debet vagari sine modo et ordine, sed prudentia constringi: debent labia esse sicut vitta coccinea, quia debent tingi verba eius in Christi sanguine, quotidie illum in Missa sumendo, et sæpe de crucifixo mentionem inferendo, ac charitatem ferventem habendo erga Deum, cuius unius gloriæ serviatur, et erga proximum cuius salus quæratur. 20. Concionator gloriam Dei unius quærat.

ARTICULUS II.

Dei spiritu moveri Concionatorem necesse est, ut auditori prosit.

SEXTO denique, Deo se totum eiusque inspirationi permittat, ut ab eo ad nutum moveatur instar calami, 21. Vers. 2. 2. Pars.
seu pennæ scribentis pro voluntate et motu ac ductu scriptoris. Ideo David ait: LINGUA MEA CALAMUS SCRIBÆ VELOCITER SCRIBENTIS. Hebr. pro *velociter scribentis* est מהיר *mahir*, id est velocis, ut vertit S. Hier. Pagn. Fel. Et quia scriptor: qui scribit facile et velociter, scriptor est peritus et exercitatus; ideo Campensis vertit, lingua mea non minus prompte excipit, quæ illi suggerit animus, quam scribit calamo is qui scribendi peritissimus. S. Cypr. lib. 2. testimonior. cap. 29. reddit, scriptoris acute scribentis. Chald. רגיל *raghil*, id est assueti, exercitati, ex-

peditl, prompti. Deducitur a *reghel,* id est pes. Syr. et Arabs retinent *mahir*, interpretes tamen vertunt, *periti.*

Calamus.

Nota, pro *calamus* Hebr. est עט *et*, id est stylus, ut vertit S. Hieronym. et Felix, hoc est graphium, quo in albo, hoc est in ceratis tabulis, scribebatur. Ieremiæ 17. 1. peccatum Iuda dicitur scriptum stylo ferreo. Iob. 19. 24. mentionem etiam facit styli ferrei. In Psalm. nostr. Symmach. γραφειον, graphium, id est stylum, penicillum. Aquila, σχοινον, hoc est iuncum, calamum, arundinem. Calamus porro est arundo minuta habens internodia longa et recta, ex qua sagittæ apud diversas gentes fiebant. Unde Plin. lib. 16. ait, Calamis populi orientis bella conficiunt. Calamis quoque scribebant, nam primi calami ex arundine conficiebantur et ad scriptiones aptabantur. Hinc transfertur ad pennas et alterius materiæ stylos. Ubi obiter adverte, calamos Concionatoris et Doctoris esse eius tela, et sæpe profundius vulnus infligitur a calamo quam a sagitta.

22. Scribæ erant Doctores Hebræi.

Nota secundo, per *Scribam* non intelligitur simplex scriptor, sed Doctor. Hebræi enim suos Doctores non tantum Rabbinos, sed etiam Scribas vocabant, ut ex Evangelio colligitur. Hebr. סופרים *sopherim*, q. d. Qui libros volvunt, a *sepher*, id est liber. De illis ita Mercerus in thesauro linguæ sanctæ: Appellati sunt, ait, hoc nomine ii, quorum erat Scripturas interpretari, et in rebus dubiis ac perplexis legis consulebantur, et de illis iudicabant, ac tribuum genealogias maxime regiæ, consignabant. Talis fuit Esdras scriba expeditus in lege Mosis, Esdræ 7. et post eum alii multi, quorum collegium ad Christum usque durasse constat, res Ecclesiasticas curabant, et conscribebant: nomen ipsum sonat viros litteratos et eruditione insignes: unde et qui γραμματεις fere dicuntur, interdum invenias dici in Evangelio νομικους, id est legis peritos: etsi temere quidam putent eo nomine intelligi מחקקים *mechokekim*, quorum erat gradus superior, qui leges præscribunt, quod ego ad politiam proprie refero. At priores erant legis divinæ DD. Etsi ad eosdem sæpe utraque gubernatio pertinebat. Nam et quidam existimant eos ex numero eorum fuisse, quos corrupta Greca voce סנהדרין *sanhedrin*, appellarunt, id est ex συνεδρω et iudicio magno. Et sane magna fuit eorum potestas: ita Mercerus.

23. Scriba hic sumitur pro Notario.

Secundo et melius, per סופר *sopher*, id est Scribam, intellige Notarium. Hi enim velociter scribebant. *Sopherim* specialiter vocabantur Scribæ seu notarii, qui res gestas Principum, acta publica, et census reditus conscribebant. Hi erant publici Scribæ seu Notarii, penes quos, ut ait Megasthenes, erat publica fides annalium, temporum, et regum gesta. Raderus noster in lib. 14. Martialis epigr. 169. A notis, inquit, vox Notarii deducitur, ut Hammon. sensit, et Paul. de testamento militari. *L. Titius Notario suo testamentum scribendum notis dictavit.*

Notarii unde dicti?

Dicti sunt igitur Notarii primum, qui excipientes verba dictantis, per notas et compendia scribebant tam celeriter et expedite, ut linguam dicentis, vel dictantis etiam antevertcrent. Hos Græci σημειογραφους, aut ταχυγραφους nominant, a signis nempe seu notis, quod δια σημειων προς ταχος scribebant. S. Basil. in epistol. οι λογοι, inquit, την φυσιν υποπτερων εχουσι: δια τουτο σημειων γραφουσιν: ινα ιπταμενων αυτων λαβη το ταχος ο γραφων. Eleganter eosdem laudavit Manil. lib. 4. Astronom. ubi Notarios ait sub virgine nasci. *Hic et Scriptor erit felix cui littera verbum est.* Aut litteræ, aut imagines quædam rerum, et σημεια, ut Plutarch. in Cicer vocat, Quintil. lib. 11. cap. 2. imagines. Solinus ita per compendia scriptam Homeri Iliadem in nucis putamine tradit. En compendia scribendi, cum litteræ singulæ singula prope verba significant. Adiungit Manilius:

Quumque notis linguam superet, cursumque loquentis,
Excipiens longas nova per compendia voces.

Eadem scribendi compendia, notat Seneca ad Lucil. *Quid verborum notas? quibus quamvis citata excipitur oratio, et celeritatem linguæ manus sequitur: vilissimorum mancipiorum ista commenta sunt.* Sed longe venusto dimetro disertissime prædicat suum præpetem notarum ministrum Ausonius: *Tu me*, ait, *loquentem prævenis. Quis quæso, quis me prodidit? Quis ista iam dixit tibi, quæ cogitabam dicere,* etc. Epigr. 136. vel 137. Sidon. epist. 9. lib. 9. *Tribuit et quoddam dictare celeranti Scribarum sequacitas saltuosa compendium, qui comprehendebant signis, quod litteris non tenebant.* Erant autem ii, qui singulis scribebant, Notarii Imper. Iustiniano σιγγλαι dicti. Græcis enim duplex, ut Scaliger ad Ausonium notat, genus Scriptorum erat, quos aut τους γραφοντας εις καλλος, nos antiquarios, aut τους γραφοντας εις ταχος vocabant, quos posteriores nos appellamus Notarios. Sunt horum libri quinque Anthol. anathemat. Auctores non pauci, separant omnino litteras singulas, sive quæ uno verbo singulæ appellantur notis, ita ut notæ non sint litteræ. Singula autem sunt litteræ singulariæ, ut Gel. lib. 17. loquitur, sine coagmentis syllabarum: ita notas separat Manilius, cui littera verbum est. Quique notis linguam superet, exempla proponit Cuiac. lib. 12. Observat cap. ultim. Notarii ergo dicuntur qui nobis scribunt: Singularii, qui singulis. Multa et Savato ad lib. 9. Sidon epist. 9. Bernart. ad 1. Sil. Statii p. 14. Brisson. lib. 12. de verb. signif. Iuret. ad epist. Symmach. 37. lib. 5. in eam rem habent.

De auctore harum notarum quæritur. Plutarc. hanc laudem in vita Caton. Uticensis tribuit Ciceroni. Eusebii Chronicon tribuit Tironi Ciceronis liberto. Seneca servis quibusdam, forte Ciceronis aut Mœcenatis: Mœcenas enim auctore Dione primus excogitavit, σημεια τινα γραμματων προς ταχος, multosque eadem docuit per Aquilam libertum suum. Extant hodie libri bene magni de hoc et alio genere notarum et compendiorum. Diaconi de notis. In quo L. Annæus Seneca laudatur velut is, qui hanc artem scribendi compendiariam, illustrarit, digesserit, auxeritque, ut quinque millia notarum, seu των σημειων, contraxerit. Cæterum multis annis ante Ciceronem Iudæa notarum videtur artem invenisse, captata ex Dan. divinissimi vatis interpretatione huius compendii occasione. Dan. enim illa cælesti digito exarata verba, *Mane, Thekel, Phares*, sic est interpretatus, ut singula verba singulas observarent orationis sententias. Magistri ergo et divinarum litterarum interpretes, genus inde interpretandi novum invenerunt, quod cabalisticum appellarunt, quo non tantum sententias et integras divinæ Scripturæ orationes explanant, sed etiam syllabas et singulas quasque litteras separatim expendentes, quasi lateat in singulis aliquid mysterii exculiunt, et variis tam historicis quam mysticis sensibus interpretantur. Plura de hoc Perer. lib. 6. ad cap. 5. Dan. Sixt. Sen. in lib. 3. Bibliothecæ sanctæ. Et coniectura est, hinc a Iudæis manasse rationem, hac methodo non interpretandi tantum, sed etiam scribendi. Refert Hier. Osor. lib. 3. de reb. gest. Emmanuelis regis Lusitan. inventas esse litteras in arcu crucis, repertæ Malipuræ seu Meliapore, ut Maff. appellat, nunc S. Th. colonia est, quarum singulæ notæ vel 10. vel 15. vel 20. litterarum officio fungerentur. Quæ scribendi legendique scientia an ab Indis, vel Iudæis propagata sit, nihil affirmaverim. Inclinat animus Iudæis eam transcribere, quod Osor. referat duas item tabulas æneas in eadem urbe litteris incisis repertas, quas Iudæus legerit, quamquam alias illas in arcu crucis Brachmanem referat intellexisse: ita Rader. De notis Cicer. alias etiam egi. Vide Thritem. et Grutter, qui ipsas figuras seu notas profert. Abbreviationes hebraicas plurimas refert et explicat Guido Fabritius Boderianus in suo dictionario syrochaldaico, quod adiecit Bibliis regiis Plantinus. 24.

Notarum in scribendo auctor.

Quæres primo, quæ lingua, quis calamus hic intelligitur? Primo, S. Cyrillus qui ut dixi, censet Patrem æternum loqui in hoc Psalmo, opinatur per linguam et calamum intelligi Christum. Sic autem loquitur: *Variis modis Deus Pater, Verbum ex sua ipsius substantia nobis ostendit. Linguam enim propriam ipsum appellat, quippe quod nihil aliud loquatur præter ea, quæ in ipso sunt. Nam et hoc idem lingua in nobis facit, cum ea quæ in mente et corde resident, externis proferat. Ipsum præter-*

Christus est lingua et calamus.

ea calamum velociter scribentis esse dicit. Calamus namque velocis Scriptoris quam celerrime in libellis aliorum voces obsignat. Unigenitum vero verbum Dei hoc ipsum plane in cordibus fidelium præstat, spiritaliter illis imprimens magnam, et sapientem, et veram Patris voluntatem. Quæ autem sit voluntas Patris ipse in Evangelio perspicuum facit, dicens Ioan. 6. 39. Ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. Atque alio modo. Inscribit enim in nobis bonam Patris voluntatem placitam, atque perfectam. Velox quippe est Patris calamus. Lex enim quæ per Mosen longo ambitu, ac multo circa litteram involucro, obscure, ac vix oracula manifestavit. At Salvator et Dominus omnium de universa vivendi ratione breviter nobis sensum et voluntatem Patris revelavit. Est enim magni consilii Angelus. Dixit præterea per Prophetam quemdam sanctum de iis qui ad fidem vocati sunt. In diebus illis dicit Dominus, dabo leges meas in mentem eorum, et in corda eorum inscribam eas. Ad eos quoque sapientissimus Paulus scribit 2. *Cor.* 3. 2. *Epistola nostra vos estis scripta in cordibus nostris, quæ intelligitur, et legitur ab omnibus hominibus, manifestati quod Epistola estis Christi, ministrata a nobis, et scripta non atramento, sed spiritu Dei viventis: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus:* ita Cyrillus. Græc. est σαρκιναις, carneis, q.d. In corde molli, flexili et docili: non in corde lapideo, ferreo vel æreo. Ubi adverte quod Paulus vocat σαρκικον carnalem, qui carnis vitiis est corruptus: σαρκινον vero eum qui carne constat, seu est naturali carnis conditione et teneritudine.

25. *Lingua Davidis hic intelligitur.* Secundo, et melius, qui Davidem in hoc Psalmo loqui volunt, hoc loco linguam ipsius Davidis canticum nuptiale concinentis sumunt, quæ lingua sit instar calami subservientis Spiritui sancto, qui est Scriba velociter scribens: ita S. Basil. Iansen. Bellarm. hic S. Gregor. Nyssen. in oration. de occursu, S. Hier. in cap. 40. Ezech. S. Hilar. in Psalm. 118. sub finem, et alii. Verba S. Basilii sunt: *Scriba Spiritus sanctus, quoniam sapiens est, et omnes docens, velociter scribens. Velox enim mentis motus est. Inscribit autem nobis Spiritus sanctus, non in tabulis lapideis, sed tabulis cordis nostri carneis.* Si vis ut in te scribat, noli esse lapis et obstinatus. In lege enim gratiæ et charitatis vivimus.

26. *Spiritus sanctus est Scriba.* Nota, Spiritus sanctus est Scriba מהיר *mahir*, id est Primo, velox, velociter scribens. Primo, quia nihil illi resistit, spirat enim ubi vult. Ioan. 3. v. 8. *Spiritus,* (ventus, ait S. Chrysostom. 2. Spiritus sanctus, ait S. Ambrosius et quidem melius) *ubi vult spirat, et vocem eius* (efficaciam: ita Ammonius; 2. prædicationem: ita S. August.) *audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat.* Ignoras quænam dispositiones bonitatem illius promoverint, ut in tuam animam veniret, et ad quantam perfectionem te velit adducere. Secundo, Spiritus sanctus est Scriba velox, quia brevissimo tempore, imo unico momento, multa scribit in anima eorum quos convertit, atque edocet: sicut apparuit in S. Paulo, S. Neania, seu Procopio, Alberto Magno, Hermanno contracto, S. Bernardo, S. Francisco, S. Ignatio, et aliis, quos internis illustrationibus supra mundi Doctores, et Sapientes extuiit. Scribit ille divinus Scriba per notas et compendia, una enim voce multa significat, brevi sententia Evangelii Antonios, Simeones Stylitas, Franciscos Assisinates convertit, paucis Pauli verbis Augustinum orbis universi futurum Doctorem. Tertio, Spiritus sanctus est Scriba velox, quia amor est essentialis, amor autem ignis est, et velox est in agendo. Hinc Spiritus ille divinus descendit in Apostolos in specie linguarum ignearum, Act. 2. 3. Ignis autem est maxime activus. Ibi etiam dicitur venisse Spiritum sanctum prævio repentino sono, tamquam advenientis Spiritus πνοης, id est venti, vehementis βιαιας, id est violenti. S. Gregor. homil. 30. in Evangelia illam agendi celeritatem sic extollit: *O qualis artifex est iste Spiritus, nulla ad discendum mora agitur in omne quod voluerit. Mox enim ut tetigerit mentem docet, solumque tetigisse, docuisse est. Nam humanum animum subito, ut illustrat, immutat: abnegat hoc repente quod erat, exhibet repente quod non erat.* Hoc in Apostolis clare patuit illa die Pentecostes. S. Leo id admiratur sermone primo de Pentecostes: *O quam velox, ait, est sermo Sapientiæ! et ubi Deus magister est, quam cito discitur quod docetur.*

Et quidem peritissimus. Secundo, Spiritus sanctus est Scriba peritus et exercitatus, ut Chald. et alii verterunt, sicut dixi supra. S. Chrysost. hom. 2. in die Pentec. *Spiritus sanctus,* inquit, *nostræ imaginis est reformatio, mentis perfectio, spiritalis mentalium oculorum nostrorum sol. interni nostri hominis lumen, lucifer inspectoris e cælo. Spiritus sanctus est copula unionis nostræ in Christo, animarum exultatio, cordis tripudium, ignis fons rorulentus. Spiritus sanctus lugentium consolatio, mœstitudinis depositio. mentis requies, sapientiæ communicatio, prudentiæ inventio, præsentiæ illustratio. Hoc Prophetæ illustrantur, reges inunguntur, sacerdotes ordinantur, Doctores declarantur,* etc. Lege etiam homil. 1. in fine tom. 3.

27. *Spiritus sanctus tria scribit in corde auditorum.* Quæres secundo, quid scribit Spiritus sanctus in mente auditorum? Primo, inscribit cognitionem et amorem legis Dei: ita Didymus, qui tamen Scribam ait esse Dei verbum, et calamum humanitatem. Sed melius dixeris Spiritum sanctum esse Scribam: est enim digitus Dei altissimi, qui calamum tenet, movet ac regit. Innoc. Papa III. serm. 2. in Conc. Later. *Scriptor egregius,* ait, *et supremus Spiritus sanctus est digitus Dei, quo scriptæ fuerunt duæ tabulæ testamenti. De quo dicit Psalm. Lingua mea calamus Scribæ velociter scribentis. Huius Scriptoris atramentarium est donum scientiæ, de quo per calamum linguæ atramentum doctrinæ profertur, et in cordis superscribitur pergameno.* Ier. 31. 33. dicit Deus: *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam.* I.

Secundo, Spiritus sanctus in mente auditorum inscribit fidem, et alias virtutes. Bruno in Psalm. nostr. Scriba, inquit, ipse Christus est, qui scripsit fidem, spem et charitatem, in cordibus Sanctorum. II.

Tertio, Spiritus sanctus inscribit crucem et amorem crucis in corde auditorum. S. Germanus Patr. Constantinop. de rerum Ecclesiast. contemplatione: *Spiritus sanctus,* ait, *velut lingua Dei Patris, et calamus Scribæ velociter scribentis, sculpit in significationem Christi non per atramentum et chartam, sed per unguenti lituram, et velut in libro novo tabulis cordis fidelium crucem Christi insculpens.* Hoc enituit in Apostolis, qui cum ad vocem ancillulæ et lixarum tremuissent, accepto Spiritu statim foras prodierunt sine ullo Pharisæorum, Scribarum, Pontificum et aliorum metu, in ipsis etiam flagellis et ignominia exultantes. Act. 5. 41. *Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* S. Paulus eumdem spiritum acceperat, et eumdem patiendi ardorem: unde dicebat Galat. 6. 14. *Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* S. Saturninus martyr in asperrimis tormentis dicebat: Breviter patior, gratias ago, nec agere sufficio. Christe da sufferentiam. Tibi laus, tibi decus. Lege dicta Psal. 143. 1. etiam stylum ferreum non refugit, qui Iesu stigmata per Spiritum sanctum recipit. III.

Nota, quod Spiritus scribit secundum dispositionem quam reperit in charta cordis. S. Basilius: Κατα την αναλογιαν του πλατους της καρδιας, πλειονα η ελαττονα εγγραφει ταις καρδιαις το πνευμα: *Iuxta proportionem latitudinis cordis plura vel pauciora inscribit cordibus sanctus ille Spiritus, aut manifesta omnibus, vel certo obscuriora pro modulo apparatus, quo quisque expurgavit cordis domicilium.*

28. *Lingua concionatoris cur dicatur calamus?* Quæres tertio, cur lingua Prophetæ vel concionatoris vocatur calamus? Resp. Primo, ut appareat eos esse tantum instrumenta Dei, et quidem instrumenta separata: ita Euseb. Titelm. Genebr. Bellar. Verba Eusebii sunt: *Propheta linguam suam non manum periti scribæ, non scribam, sed calamum scribæ velociter scribentis nuncupat, ostendens propheticam linguam instrumentum alterius esse, nempe Spiritus sancti utentis ea, quæ sane Scriba fuit, cuius stylus calamus erat lingua Prophetarum: ita ut alius sit Scribæ velociter scribens, nempe Spiritus sanctus: alius* I.

Propheta, et tertium prophetica lingua, quæ calami ac styli locum obtinuit, cum sit instrumentum Spiritus sancti utentis ea. S. Bern. serm. 77. in Cant. illustri elogio vocat concionatores coadiutores Dei. Clem. Alex. lib. 5. Strom. dicit eos esse, αγαλμα εμψυχον κυριου, animatam imaginem Dei. S. Cypr. Alex. hom. 7. de festo Paschali ait Sacerdotes, ιεραν επι γλωσσης φορειν σαλπιγγα, sacram in lingua gestare tubam. S. Basil. in Psalm. nostr. Sicut, inquit, calamus instrumentum est delineandæ scripturæ accommodum, ipsum manu viri periti promovente, ad eorum quæ scribenda sunt characteres exprimendos. Sic et lingua iusti Spiritu sancto eam movente, cordibus credentium verba inscribit vitæ æternæ, βαπτομενη ου μελανι αλλα πνευματι Θεου, tincta non atramento, sed spiritu Dei viventis.

II. Secundo, lingua Prophetæ vel concionatoris est calamus, quia eam ducit Spiritus sanctus quo vult, et per eam scribit quæcumque cupit: ita Ugo et Iansen. Matth. 10. 20. ait Christus Apostolis: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Calamus nec scit, nec intelligit quæ scribit. S. Aug. lib. 4. de doctrina Christiana cap. 15. docet concionatori antequam conscendat pulpitum esse opus oratione et studio: *Ad horam ipsius dictionis illud potius bonæ menti cogitet convenire, quod Dominus ait: Nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini; non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Hinc tot conversiones factæ a S. Petro die Pentecostes, Act. 2. 41. et cap. 4. v. 4. Hinc S. Paul. a Ierosolymis usque ad Illyricum replevit Evangelium Roman. 15. 16. et illud postea magis dilatavit, instar calami seu pennæ volans, et legem in cordibus scribens, atque instar fulguris omnia penetrans. S. Greg. Nyss. orat. de Occursu Domini: *Qui, ait, cælestium rerum sensu, sapientia atque intellectu sublimis est, ac terrenarum rerum despectu atque contemptu excelsus ille Paulus,* θεοληπτος νους χριστοκινητος γλωττα, *illa divinitus rapi solita mens, illa a Christo moveri consueta lingua, pulcherrimus ille velociter atque celeriter exarantis Scribæ calamus, qui eleganter Ecclesiæ conscripsit placita atque decreta veritatis, in manu potentis a Deo confectum illud telum, qui in corpore principis mundi tenebrarum lethale ac mortiferum vulnus inflixit: fulgur illud quod ab Hierosolymis, et circumiacentibus regionibus usque ad Illyricum, imo vero ad extremos usque terræ terminos luxit: illa divini tonitrui in mystica Evangelii rota, quæ per omnem orbem terræ volvebatur, clarissima maximeque sonora vox: is inquam loquens, etc.* In his omnibus comparationibus cæleste quid in Paulo concionante fuisse advertis.

III. Tertio, lingua Prophetæ vel concionatoris vocatur calamus, quia verba Dei non transeunt, sed manent in cordibus conversorum. S. Aug. in Psal. nostr. *Lingua mea,* inquit, *calamus scribæ: quia quod lingua dicitur, sonat et transit: quod scribitur, manet.* Sed hoc transfert ad generationem Verbi divini in hunc modum. Cum ergo dicat Deus Verbum, et Verbum quod dicitur non sonet et transeat: sed et dicatur et maneat, scriptis hoc maluit Deus comparare, quam verbis. Bellarm. vero ad mentem meam accommodate: Significare David voluit, inquit, prophetiam hanc non abituram in ventum, ut quæ ore pronuntiantur: sed perpetuo mansuram, ut quæ calamo exarantur.

29. *Prophetæ fuerunt liberi in Prophetiis suis.* Quæres quarto, an Prophetæ fuerint liberi in suis prophetiis: si enim sunt instar calami, non suo sed alieno ductu moventur? Resp. Prophetas fuisse liberos in prophetando: ut enim ait S. Thom. Hebr. lect. 1. ad veram prophetiam quinque requiruntur: 1. revelatio divinorum; 2. revelatorum intelligentia; 3. oculus ad figuras revelatorum; 4. cum certitudine quasi per demonstrationem revelatorum perceptio; 5. voluntas revelata annuntiandi. Nam primo Deus agit cum hominibus humano modo: secundo, si liberi non essent Prophetæ cum prophetant, non haberent meritum.

Ex his collige: 1. excellentiam Prophetarum; 2. auctoritatem et præstantiam Scripturæ sanctæ; 3. diligentiam quam adhibere debent concionatores, ut se dignum Deo instrumentum præbeant. Pierius lib. 3. dicit, lingua cui suberat oculus, designatam esse eloquentiam. Vide dicta de Concionatoribus Psalm. 46. 18. Concionatores debent esse Prophetæ, et videntes. S. Bern. serm. 60. ex parvis, illud 4. Reg. 4. 38. expendens: *Erat fames in terra, et filii Prophetarum habitabant coram Elisæo, quibus fecit apponi pulmentum,* sic loquitur: *Fames in terra, penuria verbi Dei in mente humana: filii Prophetarum, filii prædicatorum. Propheta interpretatur videns. Et sancti prædicatores non abs re Prophetæ appellantur: qui et arcana mysteriorum Dei contemplantur, et prout vident mores hominum, adhibent modos curationum. Elisæus salus Domini interpretatur: quo nomine quivis Prælatus et Doctor Ecclesiæ decenter censetur: cuius salubri persuasione Domini salus omnibus populis annuntiatur, et annuntiando impertitur.*

Quæres denique quinto, quidnam impediat aut iuvet linguam prædicatoris? Respondet Ugo Card. festive: Notandum, ait, quod multa sunt quæ impediunt ne fiat scriptura. Primum est defectus atramenti, hoc est gratiæ Spiritus sancti. S. Gregor. *Frustra exterius laborat lingua prædicatoris, nisi intus adsit gratia Salvatoris.* Secundum, si calamus sit nimis subtilis vel crassus. S. Greg. in Pastorali. *Pro qualitate,* inquit, *audientium formari debet sermo Doctorum, ut vox sua singulis congruat, et tamen a communis ædificationis arte nunquam recedat.* Tertium est, si calamus non tenetur manu, sed tantum ore. 2. Thessalon. 3. 17. *Salutatio mea manu Pauli: quod est signum in omni epistola.* Multi salutant ore, qui prædicant salutem gentibus, sed non salutant manu sua, quia opera salutis non faciunt. Quartum, si Scriptor sit cæcus: id est, Prædicator indoctus. Isaiæ 56. 10. *Speculatores eius cæci omnes.* Quintum ex parte pergameni si sit pilosum, si humidum, si nigrum, si nimis tenue. Pilus est avaritia: humiditas, luxuria: nigredo, superbia et ira: tenuitas, inanis gloria. Pergamenum est cor hominis. Proverb. 37. *Scribe illam in tabulis cordis tui.* Legem scilicet. 30. *Iuvamina vel impedientia linguam concionatoris.*

Hoc pergamenum sic debet aptari. Primo, debet separari a carne per abrenuntiationem carnalium desideriorum. Rom. 8. 8. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.* Eccli. 47. 1. *Surrexit Nathan Propheta, quasi adeps separatus a carne.* Secundo, debet poni in conspectu per contritionem et dolorem. Ierem. 31. 21. *Pone tibi amaritudines: dirige cor tuum in viam rectam.* Tertio, debet depilari per confessionem. Ezech. 5. 2. *Sume tibi gladium acutum radentem pilos, et assumes eum, et duces per caput tuum, et per barbam tuam, et assumes tibi stateram ponderis, et divides eos.* Gladius ille confessio est peccatorum. Quarto, debet extendi in latum per charitatem, et in longum per futurorum expectationem. De primo 2. Cor. 6. 11. *Cor nostrum dilatatum est.* De secundo, ad Philippenses 3. 13. *Posteriorum oblitus, ad anteriora me extendo.* Psalm. 103. 2. *Extendens cælum sicut pellem.* Quinto, debet exsiccari ab humore carnalis delectationis per ardorem tribulationis. Oseæ 13. 15. *Adducet Dominus ventum urentem, et siccabit venas mortis.* Sexto, debet radi per satisfactionem. Psalm. 107. 2. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Septimo, debet pumicari per mansuetudinem. Iacobi 1. 21. *In mansuetudine suscipite insitum verbum.* Octavo, regulari debet per exemplorum Sanctorum considerationem. Isaiæ 38. 8. *Sol descendit in horologio Achaz per decem lineas.* Sol, id est cognitio Dei per has regulas descendit. Nono, superscribitur per tenacem memoriæ impressionem Eccli. 21. 17. *Cor fatui quasi vas confractum, et omnem sapientiam non tenebit.* Decimo denique, corrigitur per discussionem, atque malorum suorum detestationem. Psalm. 96. 2. *Iustitia et iudicium correctio sedis tuæ.*

Notandum quoque multa esse necessaria linguæ prædicatoris, ut sit calamus scribæ. Primo, debet crescere in aqua doctrinæ. Psalm. 1. 3. *Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum.* Secundo, debet

esse vacuus per humilitatem. Tuba enim, per quam prædicator designatur non resonat nisi sit vacua. Num. 10. 2. *Fac tibi tubas argenteas ductiles*, etc. Tertio, debet acui per subtilitatem. 1. Reg. 13.20. *Descendebat omnis Israel ad Philisthiim, ut exacueret unusquisque vomerem suum*, etc. Quarto, scindi debet distincte, et aperte prædicans. 1. Cor. 14. *Nisi distinctionem sonituum dederint, quomodo scietur id quod canitur?* Quinto, debet repleri atramento, id est gratia. 2. Cor. 3. 3. *Vos estis epistola* A *Christi ministrata a nobis et scripta, non atramento, sed spiritu Dei vivi.* Sexto denique, sicut scriptor a sinistra parte ducit lineam suam in dexteram, sic prædicator prædicationem suam. Et omnia quæ in hac vita sinistra facit, debet dirigere ad dexteram vitæ æternæ. Ioann. ult. 6. *Mittite in dexteram navigii, et invenietis*, scilicet in futuro. Hæc Ugo ingeniose: aliqua tamen ibi sunt minutiora, tu selige.

SECTIO SECUNDA.

31. *Tria complectitur. Primo, corporis Christi pulchritudinem et ornatum describit, vers. 3. Secundo, animæ illius virtutes ostendit, vers. 5. Tertio denique, regni illius stabilitatem, æquitatem, et delicias, vers. 7.*

PARAPHRASIS.

3. *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.*	3. O Christe amantissime Ecclesiæ sponse, tu omnes homines, quorum naturam assumere dignatus es, pulchritudine etiam corporea superas. Tu eloquentia excellis, verborumque tuorum suavitate omnes ad te pellicis. Eo quod Deus Pater a primo Incarnationis tuæ puncto tibi totam in æternitatem benedixit.
4. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.*	4. Nec pulchritudine modo, sed robore excellis, quare humero usque ad femur defluentem gladium appende: potentia tua in hostes armare, qua eos velut bicipiti gladio, cum res feret, dividas.
5. *Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede et regna.*	5. Arcum quoque cum decore et venustate solerter intende, et sagittas intorque: medios in hostium cuneos stricto gladio formidabilis, et fortitudine tua victor procede, viam aperi, et triumpho nobilis toti orbi impera.
Propter veritatem et mansuetudinem, et iustitiam: et deducet te mirabiliter dextera tua.	Regem te omnes populi appetent, quod verax, mansuetus, et iustus sis, ac fortitudo tua miras de hostibus tuis victorias referet.
6. *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorum regis.*	6. Ipsum inimicorum tuorum cor sagittæ tuæ acutissimæ penetrabunt, tuisque genibus victæ nationes omnes accident, cum Apostolos tuos, telo omni velociores et efficaciores per universas mundi plagas dimiseris.
7. *Sedes tua Deus in sæculum sæculi: virga directionis virga regni tui.*	7. Regnum autem tuum non terrenis erit simile, quæ cito defluunt et marcescunt: sed omnia vincet sæcula, sua æterna duratione. Sceptrum tuum, sceptrum est iustitiæ in nullam partem deflectentis.
8. *Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem: propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.*	8. Et animus tuus iustitiæ exercendæ est cupidissimus, omnemque iniustitiam aversatur. Ideo Deus in omnium te regem populorum unxit: Humanitatem tuam unione hypostatica Verbo suo coniungendo, qua unione cæteris hominibus prælatus es, et lætitia uberi circumfusus.
9. *Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis: ex quibus delectaverunt te,*	9. Myrrham, stacten, et casiam omnisque generis aromata redolent vestes tuæ, atque omne tuum palatium: quam tibi myrrham aliosque odores
10. *Filiæ regum in honore tuo.*	10. Filiæ Regum obtulerunt in munus cum Ecclesiam tibi despondisti.

QUÆSTIO UNICA.

QUAM PRÆCLARÆ DOTES CORPORIS ET ANIMÆ CHRISTI.

32. Christi corpus excellens. PROPHETA carmen Epithalamium concinens Christi regis corpus et animum laudat, regiamque dignitatem. Corpus quidem, primo a vultus pulchritudine, v. 3. *Speciosus forma præ filiis hominum.* Secundo, ab oris venustate et eloquentia: *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Tertio, ab humerorum ornatu et lateris, v. 4. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.* Quarto, a brachiorum robore et dexteritate, v. 5. *Specie tua et pulcritudine tua intende*, arcum scilicet. Quinto, a pedum, et totius corporis incessu, ac maiestate: *Prospere procede et regna.*

Et animus. Secundo, animæ virtutes quatuor enumerat, velut quadrigam sacram, qua bellator Christus medios per hostes invehatur; et pacificus præsentia sua subiectos sibi populos recreet, vers. eod. 5. *Propter veritatem et mansuetudinem, et iustitiam: et deducet te mirabiliter dextera tua.* Virtutes tres clare ibi positas habes, et fortitudinem satis indicatam.

Ex his virtutibus felicitas exoritur, v. 6. *Sagittæ tuæ* B *acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorum regis.*

Tertio denique, fortunæ bona amplificat, et præsertim Regiam maiestatem, et ea quæ illam consequuntur. Primo, throni perennitatem, v. 7. *Sedes tua Deus in sæculum sæculi.* Secundo, sceptri excellentiam: *Virga directionis, virga regni tui.* Tertio, regalis unctionis præstantiam, v. 8. *Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Quarto, vestium fragrantiam, v. 9. *Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis.* Quinto, palatii dignitatem et ornatum: *A domibus eburneis.* Sexto denique, subditorum liberalitatem: *Ex quibus delectaverunt te filiæ Regum in honore tuo.* Atque maiestas regia.

ARTICULUS I.

Christi pulchritudo et eloquentia.

SPONSUM nobis Christum læto penicillo descripturus, Propheta incipit a pulchritudine, quam in Sponso suspiciunt omnes, v. 3. SPECIOSUS FORMA PRÆ FILIIS HOMINUM (Aquila, καλλει εκαλλωπισθης παρα τους υιους των ανθρωπων, pulchritudine eximia ornatus es præ filiis homi- Vers 3.

num. Symm. pulchritudine pulcher es præ filiis hominum) DIFFUSA EST GRATIA IN LABIIS TUIS.

33. De triplici pulchritudine sermo hic esse potest: nempe de pulchritudine divinitatis, animæ et corporis.

Christus habet triplicem pulchritudinem.

Primo, de divinitate id explicat S. Basilius, S. Vigilius Episc. et Martyr contra Eutychetem et alii. Secundum illam dicitur Sap. 7. 26. *Candor lucis æternæ, et speculum sine macula Dei maiestatis, et imago bonitatis illius.* Pro *candor* Græce habetur ἀπαύγασμα, id est splendor, fulgor. Deus Pater est lux, Filius est lux lucis. Plato in Alcibiad. dicit: Sicut specula evidentiora sunt quam oculi pupilla, et puriora; sic quoque Deus optima animæ nostræ parte purius quidpiam ac splendidius est. Philo lib. 1. de Monarchia: Sicut lux a nullo illustratur, sed seipsa ostendit: sic Deus qui nullis hominum operibus illustrari potest, divina sua essentia solus seipsum illustrat. De Filio ait speciatim S. Basil. lib. 2. contra Eunomium: *Totum Patrem in seipso Filius habet ut imago genita, et splendor maiestatis Dei ex tota eius maiestate resplendens: et absurdum est maiestatem Dei non habere splendorem, et non una eum Deo semper fuisse.* Vide in symbolo Concilii Nicæni dicitur, *lumen de lumine.*

I. *Divinitatis.*

II. *Animæ.* Secundo, *speciosus forma præ filiis hominum* est Christus ob pulchritudinem animæ eius: ita S. Basil. Euth. Euseb. Theodoret. Apollin. Origenes, et aliqui alii. Qualis illa fuerit vide apud S. Thomas 3. part. quæst. 7. usque ad 14. ubi agit de Christi gratia, virtutibus, scientia et potentia. Candor animæ iustificatæ superat omnem corporis pulchritudinem, ut ait idem sanctus Doctor in Psal. 50.

III. *Corporis.* Tertio, *speciosus forma præ filiis hominum* est Christus, ob pulchritudinem corporis: ita S. August. Cassiodor. S. Bern. serm. 1. de omnibus sanctis, S. Chrysost. hom 18. in Matth. qui sic ait: *Sicut insignis perficiendis miraculis fuit, ita visu gratiosissimus fuisse dicitur.* S. Hieron. tom. 2. epistola ad Principiam: *Absque passionibus corporis, universis pulchrior est, virgo de Virgine, qui non ex sanguinibus, sed ex Deo natus est.* Ubi etiam habet: *Nisi habuisset Christus, et in vultu quiddam sidereum, nunquam statim eum secuti fuissent Apostoli, nec qui, ad eum comprehendendum venerant, statim corruissent.*

Probatur ratione: quia ut S. Thomas docet 1. p. q. 39. art. 8 et. 1. 2. q. 145. art. 2. ex Dionys. cap. 4. de divinis nominibus, et S. August. 22. de Civitat. cap. 19. pulchritudo ex tribus consurgit: Primo, ex omnium membrorum integritate, quam fuisse in corpore Christi Domini certissimum est: non enim accepit corpus mutilum aut monstrosum, sed in naturali sua integritate: sic enim docent Patres assumpsisse omnia, quæ in nostra natura plantavit. Secundo, ex eorumdem membrorum debita proportione; et hanc fuisse etiam in corpore Christi facile persuaderi potest, tum quia tale corpus debebatur perfectissimæ animæ eius: tum etiam, quia oportuit ut corpus illud esset aptissimum ad omnia opera vitæ exercenda, quæ aptitudo multum ex dicta proportione pendet. Tertio, requiritur ad pulchritudinem conveniens color nativus, qui oritur ex optimo temperamento et complexione: sicut ergo hæc fuit optima in Christi corpore, ita illi erat connaturalis perfectus color, et ad pulchritudinem corporis humani maxime accommodatus. Et confirmatur primo, quia corpus Christi Domini Spiritus sancti virtute fabricatum est, sed opera quæ Deus per seipsum facit, sunt pulcherrima et perfecta, ergo. Confirmatur secundo, quia Adam, eo quod ab ipso Deo immediate effectus est, fuit pulcherrimus et optime dispositus, multo ergo magis Christus. Confirmatur tertio, quia corpus Christi futurum est velut obiectum beatitudinis corporis nostri, ut docent S. Aug. S. Cypr. et alii: est etiam futurum exemplum pulchritudinis omnium corporum beatorum, ergo est ipsum pulcherrimum. Tandem confirmatur, quia nec per se fuit expetibile, ut Christus hac perfectione careret: nec defectus illius nostræ deserviebat redemptioni: ita Suar. 3. p. q. 14. disp. 32. Adde Isaiam c. 63. 1. *Iste formosus in*

Pulchritudo ex tribus consurgit.

A *stola sua* (in veste sua, puta militari chlamyde) *gradiens in multitudine virtutis suæ,* hoc est, ait Cornelius, incedens gradu imperatorio, valido, potenti, et magnifico, ipsoque gressu, habitu, forma et gestu præ se ferens vires validas, spiritus ingentes, animosque heroicos. Sed hic locus est de Christo resurgente et ascendente. Nicephorus lib. 1. hist cap. 40. effigiem in terra degentis Christi depingit, prout se a veteribus accepisse profitetur: *Christus egregio vividoque vultu fuit. Corporis statura ad palmos prorsus septem. Cæsariem habuit subflavam, ac non admodum densam, leniter quodammodo ad crispos declinantem: supercilia nigra non perinde inflexa. Ex oculis fulvis et subflaveseentibus mirifica prominebat gratia. Acres ii erant oculi, et nasus longior. Barbæ capillus flavus nec admodum demissus. Capitis porro capillos tulit prolixiores. Novacula enim in eaput eius non ascendit, neque manus aliqua hominis, præterquam matris, in tenera dumtaxat eius ætate. Collum fuit sensim declive, ita ut non arduo et extento nimium corporis statu esset. Porro tritici* B *referens eolorem, non rotundam aut acutam habuit faciem, sed qualis matris eius erat, paulum deorsum versum vergentem, ac modice rubicundam, gravitatem atque prudentiam cum levitate coniunctam, placabilitatemque iracundiæ expertem præ se ferentem. Persimilis denique per omnia fuit divinæ, et immaculatæ suæ genitrici.* Non absimilem descriptionem affert lib. 2. cap. 23. ex Epiphanio presbytero Constantinopolitano.

Dices, Isaiæ 53. 2. habetur: *Non est species ei neque decor.* Resp. hoc esse intelligendum de tempore passionis, ita exponit Orig. in cap. 10. ad Rom. et S. Aug. tom. 10. hom. 36. ac S. Bern. serm. 28. in Cant. *Speciosus,* inquit, *forma præ filiis hominum, pro filiis hominum illuminandis obscuretur in passione, turpetur in cruce, palleat in morte, ex toto non sit ei species, neque decor, ut sibi speciosam atque decoram acquirat sponsam Ecclesiam sine macula et sine ruga.* 34.

Pulchritudo Christi appetenda.

C Dices secundo, pulchritudo corpis non est appetenda, cum sæpe sit multorum ruina. Hinc infames extiterunt Adonis, Atys, Cyparissus, Crocus, Aranthus, Amaracus, Ganymedes, Hyppolitus, Hylas, Narcissus, Nisus, Patis: item Venus, Helena, Atalanta, Ariadna, Antiopa, et aliæ plurimæ: deformes licet, tamen ob virtutem laudantur Æsopus, Crates, Damon, Hipponactes, Socrates, Agesilaus, Gellias, Philopoemen, aliique. Respond. primo, ex aspectu Christi ortas esse castas cogitationes, et incitationes ad virtutem. Resp. secundo, licet deformes ob virtutem sint commendandi, tamen pulchritudinem virtuti adiunctam facere illam commendabiliorem et amabiliorem, præsertim in rege, qualis hic Christus describitur, quia est Rex hominum et Angelorum. Martinus de Roa lib. 3. singularium cap. 3. pulchrum pro optimo poni docet, aitque Æneam appellatum a Virgilio pulcherrimum, quod rex esset, quem maxime forma commendat. Aristoteles lib. 1. de Rep. scribit, si qui reperiantur ea pulchritudine quam in Deorum statuis cernimus, nemini dubium futurum, quin ii aliis imperare deberent. Et lib. 4. et 6. D Æthiopes ait, et Indos in mandandis imperiis, proceritatis ac pulchritudinis habere rationem: quo illa Lucretii spectant ex lib. 5. de rerum natura. Nam facies multum valuit, viresque vigebant. Xenophon præterea in Symposio, pulchritudinem ait esse quiddam regium natura. Plautus regiam formam dixit mutuatus ab Homero, apud quem Ulysses Antinoum ita alloquitur. Quoniam regia forma te decorat regi similem. Notum est mulctatum a Lacedemoniis Archidamum regem, quod pusillam duxisset uxorem, perinde quasi non reges ex ea, sed regulos esset suscepturus. Præclare Plinus ad Traianum, in Panegyr. *Iam proceritas corporis, iam honor capitis, et dignitas oris, longe, lateque Principem ostentant.* Latinus Pacatus in Panegyr. ad Theodosium: *Virtus tua meruit imperium, sed virtuti addidit forma suffragium: illa præstitit, ut oporteret te principem fieri: hæc ut deceret.*

Quarto, *speciosus forma præ filiis hominum* Christus, 35.

In animo et corpore speciosus Christus præ omnibus.

tum ob pulchritudinem animæ, tum ob pulchritudinem corporis: ita Iansenius, Genebr. Titelm. qui utrumque hic includi volunt. Pulchrum pro forti, deforme pro imbelli et fracto a veteribus usurpari probat noster Martinus de Roa lib. 3. cap. 4. Sic apud Virgilium dicitur: *Satus Hercule pulchro pulcher Aventinus.* Lucianus in Charidemo cum heroas in cælum ob pulchritudinem receptos dixisset, Herculem nominat: *Et ille quidem,* ait, *fortitudinis causa honorem hunc consecutus esse dicitur.* Hercules insigni corporis magnitudine et proceritate fuit, ut scribit Heraclides Ponticus; et Ion Chius refert igneum splendorem ex oculis effudisse, ac tres dentium ordines habuisse. Fortem pro pulchro usurpavit Plautus cum in Pyrgo de muliere Polynice dicit: *Quidnam fortis?* id est pulchra. Contra vero, deformis apud Iustinum pro imbelli et fracto ponitur: *Cum interim,* inquit, *Darius rex Persarum, turpi a Scythia fuga summotus, ne ubique deformis* (id est imbellis et fractus) *militiæ damnis haberetur, mittit cum parte copiarum Megabazum ad subigendam Traciam.* Virtutem cum pulchritudine iunxit Tullius in partitionibus. *Postea,* inquit, *de corporis bonis dicendum, in quibus quidem quæ virtutem maxime significat, facillime forma laudatur.* Ps. 9. 1. *Dominus regnavit, decorem induit, induit Dominus fortitudinem, et præcinxit se virtute.* Gr. καλὸν, pulchrum, et egregium, præstansque significat. Hebr. טוב *tob*, et pulchrum, et bonum. Belgæ et Germani eadem voce utramque vim complectuntur, ut ait Goropius in Hermatenis. Hispani item pulchrum pro robusto usurpant, ut hermosa bestia, id est pulchra et robusta. Hinc idem Roa supra citatus cap. 5. explicans locum Psalmi nostri, *Speciosus,* inquit, *forma præ filiis hominum:* Quod non tam ad coloris bonitatem et venustatem oris, quam ad dignitatem et magnitudinem animi atque virtutem (quæ, ut aiebat Poeta, gratior est cum pulchro e corpore venit) referendum videtur. Pulchrum autem corpus intelligo bene a natura constitutum et appositum ad gravitatem, quæ viros maxime decet, eos præsertim, qui duces in prælio futuri sunt. Hic autem regius Vates Christum ducem instruit, atque Imperatorem sese accingentem in prælium, tanto ardore animi, ut in vultus alacritate et oris spiritu cerneretur. Adeo ut præ illo cæteri, quos populo suo præfecerat duces, non duces, non reges, non imperatores, sed muta quædam sint et inania ducum, regum, aut imperatorum simulacra, umbræ quædam ad solis conspectum evanescentes; hypocritæ quales in scena regum personas agunt, merito videantur: ita ille. Quod in Psalmo nostro sequitur, v. 5. *Specie tua et pulchritudine tua intende,* ita Bruno interpretatur, ut de innocentia et de perfectione bonorum operum sit sermo. Richardus Pampolitan. de sanctitate et iustitia, atque charitate. S. Thom. 1. p. q. 5 art. 4. ad 1. et 1. 2. q. 27. art. 1. ad 3. et 2. 2. q. 145. art. 2. ad 1. dicit quod pulchrum est cuius apprehensio placet, bonum vero quod placet: ideo sunt idem re, sed differunt ratione. Christus in Cant. 1. 13. dicitur a sponsa: *Botrus cypri in vineis Engaddi:* κυπρος idem est quod pulcher, seu pulchritudo. Engaddi est oculus felicitatis.

36. Quinto denique et melius, *Speciosus forma præ filiis hominum* est Christus: 1. ob divinitatem; 2. ob animam; 3. ob corpus: ita Bellarminus. Vere, ait, Christus supra homines formosus est. Nam si respicias divinitatem, infinita pulchritudine præditum videbis: si respicias spiritalem animæ pulchritudinem, speciosus Christus est præ omnibus spiritibus creatis: si respicias splendorem corporis eius glorificati, pulchrior sole est, et pulchritudinem eius sol et luna mirantur. S. Thomas in Isaiam: Christus, inquit, est pulcher seu formosus quadrupliciter: scilicet splendore deitatis, figura unionis, colore virtutum, et ornatu conversationis. In Psal. vero nostrum ait, quod pulchritudo Christi excedens omnem aliam pulchritudinem est quadruplex: scilicet, Deitatis, iustitiæ et veritatis, sanctæ conversationis et corporis eius.

Sed præcipue in divinitate.

Sponsa dicit Cant. 1. 15. *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus.* S. Bern. id de divinitate et humanitate sic exponit: Quam pulcher es Angelis Domine Iesu in forma Dei, in die æternitatis tuæ, in splendoribus Sanctorum ante Luciferum genitus, splendor et figura substantiæ Patris, et quidem perpetuus, minimeque fucatus candor vitæ æternæ. Quam mihi decorus es, Domine mi, in ipsa tui huius positione decoris! Etenim ubi te exinanivisti, ubi naturalibus radiis lumen indeficiens exuisti, ibi pietas magis emicuit: ibi charitas plus effulsit: ibi amplius gratia radiavit. Quam clara mihi oreris *stella* ex Iacob, quam lucidus *flos* de radice Iesse egrederis, quam iucundum *lumen* in tenebris visitasti me oriens ex alto? Quam spectabilis et stupendus etiam in virtutibus supernis, in conceptu de Spiritu, in ortu de Virgine, in vitæ innocentia, in doctrinæ fluentis, in coruscationibus miraculorum, in revelationibus Sacramentorum! Quam denique rutilans post occasum sol iustitiæ de corde terræ resurgis, quam formosus in stola tua! Demum rex gloriæ in alta cælorum te recipis. Quomodo non pro his omnibus omnia ossa mea dicent: Domine quis similis tibi? Ita Bernardus. In Psalmum vero nostrum sic ait S. Augustinus: *Nobis iam credentibus ubique sponsus pulcher occurrat. Pulcher Deus Verbum apud Deum, pulcher in utero Virginis, ubi non amisit divinitatem, et sumpsit humanitatem. Pulcher natus infans Verbum, quia et cum esset infans, cum sugeret, cum manibus portaretur, cæli locuti sunt, Angeli laudes dixerunt, Magos stella direxit, adoratus est in præsepi, cibaria mansuetorum. Pulcher ergo in cælo, pulcher in terra, pulcher in utero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher invitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher deponens animam, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in sepulcro, pulcher in cælo, pulcher in intellectu.*

Sponsus ipse, id est Christus, comparat se lilio Cant. 2. 1. *Ego flos campi, et lilium convallium.* Ibi *et* ponitur pro *id est.* Syr. pro flos campi, habet lilium loci fertilissimi. Ubi Aponius: Flos campi fuit Christus ante Incarnationem, quia in toto cælorum campo coruscans cælestibus spiritibus extitit admirandus: post Incarnationem vero effectus est lilium convallium, cum descendit in vallem lacrymarum, et tria attulit, abolitionem peccati, abstersionem mendacii, et refrigerium concupiscentiæ: æque ac lilium tria ex se exhibet, candorem, odorem, et ad quæque adusta ignibus medicinam. Et Rupertus: *Flos campi est Christus, quia est decus mundi.* S. Eucherius lib. 3. in lib. Reg. *Christus lilium, propter gloriam resurrectionis: foris candidum, propter gloriam corporis: intus vero aureum, propter fulgorem animæ.*

Specialius, et ad Ps. nostrum apte, dicit Sponsa Cant. 5. 10. *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus,* id est inter omnia millia, præ cæteris millibus. Hoc illud est quod ait David hoc loco, *præ filiis hominum.* S. Ambr. lib. de fide resurrectionis: *Rubicundus,* inquit, *Christus ex Incarnatione: candidus autem ex divinitate.* Lege totum caput illud Cantici, ubi sponsi caput dicitur esse aurum, sive ob cæsariem flavam, sive ob coronam auream: comæ sicut elatæ palmarum, id est elatæ seu excelsæ palmæ, seu rami palmæ et involucra villorum, florum, et dactylorum, ob prolixam comam, et a capite in humeros defluentem: oculi, etc. Vide dicta Ps. 92. 1. in illud *Dominus regnavit, decorem indutus est.*

Post laudem Sponsi Christi ob pulchritudinem, ponit laudem eius ob suavitatem sermonis, et eloquentiam, v. 3. Vers. 3. 2. Pars.
DIFFUSA EST GRATIA IN LABIIS TUIS, PROPTEREA BENEDIXIT TE DEUS IN ÆTERNUM. Nota, το *propterea* sumi potest primo pro *propterea quod,* ita ut sit causæ redditio cur sit speciosus et habeat diffusam gratiam in labiis: secundo, *propterea* sumi potest in propria significatione, ita ut denotet effectum.

Sensus itaque duplex, et quidem commodus erit. Primus, q. d. Speciosus es præ filiis hominum, et diffusa est gratia in labiis tuis, propterea quod benedixit te Deus in æternum, q. d. Benedictio Dei æterna causa est tantæ pulchritudinis et tantæ gratiæ: ita Bellarminus, Valentia et alii. 37.

Gratia diffusa in labiis Christi.

Secundus sensus et melior est, q. d. Quia amabilis et

gratiosus es præ omnibus, ideo te Deus præ omnibus dilexit, et benedixit in æternum: ita S. Chrysost. Iansen. Genebr. Lindanus, Titelm. Camp. et alii. Benedixit porro Deus Pater Christum primo, quia eum fecit semper omnibus laudabilem: ita Lindanus: secundo, quia eum a mortuis suscitavit, in æternum regnaturum: Ita Raynerius: tertio, quia eum divinis muneribus ornatissimum reddidit, quæ nunquam auferentur ab eo: ita Campensis; dans ei, ait Iansenius, perpetuam omnium quæ in cælis et in terra sunt potestatem, atque in dexteram suam eum sublevans, atque per hæc ab omnibus semper benedicendum et laudandum constituens. Ubi adverte non bene hinc inferri, Christum non fuisse amatum et benedictum a Patre, antequam appareret eius pulchritudo et gratia sermonis: sed hæc fuisse meritum, sive titulum novum amoris: sicut dicitur Ioan. 10. 17. *Propterea diligit me Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam.* Et Philip. 2. 8. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen.*

Et quidem sextuplex.

Quæres, quænam gratia diffusa est in labiis Christi? Nota, labia hic poni pro sermonibus: ita Didymus; est metonymia. Resp. itaque in labiis, id est sermonibus Christi gratiam, sextuplicem hic laudari, 1. in familiari collocutione et conversatione; 2. in consolationibus dandis; 3. in promissis faciendis, vitæ præsertim æternæ; 4. in faciendis miraculis; 5. in docendo, et eloquendo; 6. denique, in oratione erga Patrem, a quo semper audiebatur. Chald. addere videtur septimam gratiam, nempe Prophetiam; vertit enim: *Datus est spiritus Prophetiæ in labiis tuis.* Sed Prophetia sæpe in Scripturis sumitur pro scientia et vi res obscuras interpretandi, quæ pertinet ad gratiam sermonis, quam Paulus 1. Cor. 12. 10. vocat interpretationem sermonum. Nam Prophetia videtur apud Hebræos eo loco fuisse, quo apud Persas Magia, Philosophia apud Græcos, nunc apud nos Theologia.

38. Christus est suavis in collocutione privata.

Arbitror de duplici præsertim gratia labiorum agi hoc loco. Primo, de suavitate sermonum in conversatione cum sponsa, id est Ecclesia et anima sancta. Secundo, de suavitate in concionibus publicis.

Ac primo, Sponsa loqui sibi in particulari et secreto optat Sponsum, id est Christum, cum ait Cantic. 1. v. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* Ubi S. Gregorius ait: *Os Sponsi, inspiratio Christi: osculum oris, dulcis amor inspirationis. Dicit ergo Sponsa desiderio æstuans, et in amplexum sponsi sui inardescens: Osculetur me osculo oris sui, ac si diceret: Ille quem super omnia, imo solum diligo, veniat qui dulcedine suæ inspirationis me tangat: quia cum eius osculum sentio, subita mutatione me derelinquo, et in eius similitudinem illico liquefacta transformor. Fastidit quippe sancta mens omnia quæ per corpus sentit, et in illa spiritalia tota transmutari concupiscit: et dum ista obstrepunt, in illa fugit: seque abscondere, ne hæc sentiat, appetit, ideoque osculum Sponsi quærit: quia si ille gratissimi amoris vinculo hanc non trahit, hæc vi suæ molestissimæ gravedinis detenta, quomodo se ad illum conferat, omnino non invenit. Sed pius Sponsus anxietatem eius sentiens, amorem diligens, votum exaudiens, osculum porrigit: et ne desiderio lassescat, gustu suæ suavitatis lenit, et dum suam præsentiam exhibet, eam ad maius dilectionis osculum accendit.*

Efficaciam illius locutionis declarat eadem Sponsa, id est Ecclesia, seu anima sancta Cantic. 5. 6. *Anima mea liquefacta est, ut dilectus meus locutus est.* Hebr. et Arabs vertunt: Anima mea egressa est in sermone eius. Est metalepsis. Sicut enim, ait Cornelius, cera igne liquefacta a seipsa quasi exit, id est effluit, et diffluit. Sic et anima calore Verbi Dei succensa amore quasi liquescit, solvitur et diffluit, ut a se exire, et in Sponsum quem diligit transire et effluere videatur. S. Gregorius ibi: Liquefactam, ait, se dicit Sponsa: quia dum Christus se per Spiritum suum animæ desideranti infundit, omnem duritiem cordis mox dissolvit, et aliquando mentem in tantas lacrymas liquefacit, ut vix capere possit hoc, quod se capere intra se exultat: et intus miretur quid fuerit, et quid factam subito seipsam videat. Quem liquorem dum sentit, perfectius apprehendere concupiscit: et aliquando dum hoc ipsum cogitat, hoc quod modo sentiebat, iam non sentit: unde sollicitatur ad quærendum, ut hoc idem inveniat: sed aliquando cum etiam diu fatigetur non invenit, quod modo tam præsens tenebat: ita Gregorius, quem lege etiam lib. 4. mor. cap. 30.

Decorem sermonum Christi aperit eadem Sponsa eum describens custodibus civitatis, id est Angelis, ait S. Gregorius Nyssenus, vel principibus et regibus se exagitantibus, ait Luysius Angelomus, Iustus, et alii, Cantic. 5. 13. *Labia eius lilia distillantia myrrham primam.* Sept. plenam. Aquila, electam. Hebr. עובר *ober,* id est transeuntem, quæ scilicet per omnium manus et ora transit: quia ut prima, et probatissima ab omnibus laudatur, expetitur, et comparatur. Arabicus, rorem plenum myrrha. Syrus, myrrham et nardum. Almonacius per lilia intelligit flores, qui vulgo irides vocantur, ob similitudinem iridis, id est arcus cælestis quoad varietatem colorum. Veteres enim iridem ponebant Deam eloquentiæ. Verum alii flores sunt lilia, alii irides. Labia porro Sponsi comparat liliis. Primo, ob decorem, quia elegantia sunt ut lilia. Unde lilium est insigne regum Franciæ, atque olim dicabatur Iunoni, dicebaturque flos Iunonis, æque ac Nymphis. Unde Propert. *Sæpe tulit blandis argentea lilia nymphis.* Secundo, ob formam, quia leviter repanda sunt ut lilia. Tertio, ob colorem: nam exterius candida, interius rubra et splendida sunt ut lilia: quia in Syria lilia purpurea cæteris excellunt, teste Plinio lib. 21. cap. 5. et Dioscorides lib. 3. cap. 99. Quarto, ob odorem, quia odorata sunt ut lilia, ac suavissimum oris anhelitum expirant. Quinto, ob subtilitatem, quia tenuia et mollia sunt, ut lilia, quod magnanimitatis et eloquentiæ est indicium, cum labia crassa labeonum hebetudinem, et tarditatem iudicandi, dicendique significent. Unde Moses Exod. 6. 12. vocat se incircumcisum labiis, id est crassiloquum et tardiloquum. Hinc et Sidonius suo Theodorico tribuit labia subtilia, nec dilatatis oris angulis ampliata. Sexto denique, lilium sua venustate omnes in sui amorem allicit: sic et labia venusta, quæ speciem habent liliorum miram habent vim persuadendi. Unde Homerus ait, Troianorum legatos eloquentissimos comedisse lilia: et de eloquente et blandiloquo vulgo dicitur: *Rosas loquitur et lilia.* Adde lilia suavem labiis et ori dant anhelitum, pelluntque venena: idem faciunt labia diserti peritique oratoris: ita Cornelius a Lapide. Has quinque dotes facile est Christo applicare, qui se lilium vocat convallium, Cant. cap. 2. vers. 1. quia cum simplicibus et humilibus est sermocinatio eius.

Secundo, in exhortationibus, et concionibus publicis gratia diffusa erat in labiis Christi, et ex illis ad alios defluebat. S. Thomas ait sermonis gratiam in tribus consistere: 1. ut quis loquatur, quæ placeant et utilia sint; 2. ut loquatur ordinato modo ac ferventer; 3. ut persuadeat efficaciter. Hæc tria in Christo fuerunt. Nam primo placuit in sermone. Lucæ cap. 11. v. 27. quædam mulier, sive Martha, ut quidam volunt, sive Marcella eius ancilla, sive quæpiam alia, audita concione exclamavit: *Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti.* Notabilius est quod accidit satellitibus, quos Pontifices (id est ii qui præerant viginti quatuor classibus, in quas David distribuerat omnes sacerdotes, ita ut unus singulis præficeretur) et Pharisæi miserant ad eum capiendum. Eius enim concione ita capti sunt, ut ne verbo quidem læsum, liberum relinquerent, dicerentque heris suis causam quærentibus, Ioan. 7. 46. *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo,* q. d. Divina eloquentia est præditus. Glossa dicit eos dimisso modo infidelitatis transisse ad fidem. S. Cyrillus in Manuscr. putat ipsos credidisse, vel suspicatos fuisse Christum esse Deum. Secundo, Christus prudenter et ordinate locutus est. Luc. 2. 47. *Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentia et responsis eius.* Si cum adhuc esset puer duodennis in templo ipsos Doctores in 39.

Et in concionibus publicis.

admirationem rapiebat, quid fecit ætate provectior? Luc. 4. 22. dicitur: *Omnes mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore eius.* Verba gratiæ sunt verba gratiosa, venusta, iucunda, plena sapientiæ et eloquentiæ. Est orbis magister, qui clare et dilucide instruit. Clemens Alex. lib. 2. pædag. cap. 11. *Manifestum est,* inquit, *unum solum, verum, bonum, iustum ad imaginem et similitudinem Patris Filium Iesum Verbum Dei,* παιδαγωγον ημων ειναι, *esse nostrum pædagogum.* Tertio denique, Christus fuit efficax in persuadendo. Iosephus id testatur lib. 18. Antiquit. cap. 4. *Eodem tempore fuit Iesus,* σοφος ανηρ, ειγε αυτον ανδρα λεγειν χρη, *sapiens vir, si tamen virum fas est dicere. Erat enim mirabilium operum patrator, et doctor eorum qui libenter vera suscipiunt, plurimosque tam de Iudæis, quam de Gentilibus sectatores habuit.* Ugo Cardin. dicit, quod sermonis venustate et suavitate homines pertrahebat, *ut magnes ferrum:* ita ipse in cap. 5. Lucæ; *sicut succinum paleas,* ut ait S. Hieronymus ibidem; *velut lynx quædam cæteras feras,* ut loquitur Origenes lib. 2. contra Celsum. Dulcior melle erat Christi oratio, quod de Nestore ait Homerus, in eius pectore atque ore apes mellificarant, ut de S. Ambrosio, Origene, et Pericle dicitur. Orpheus, Amphion, Orion, Timotheus musicus cithara sua feras domuerunt, iram excitarunt et domuerunt, dæmonem expulerunt. Hercules Gallicus vinculis aureis, id est aurea eloquentia, omnes ad se rapiebat, sibique amore et benevolentia illigabat. Quid faciet Christus, qui ab Isaia vocatur os Domini? Sic enim c. 58. 14. *Os Domini locutum est,* quod de Christo explicans S. Gregor. 27. Mor. 13. dicit: *Os Domini est Christus.* Illi aures sunt aperiendæ, cæteris claudendæ. S. Bernard. serm. 2. in Cant. *Osculetur,* inquit, *me osculo oris sui. Senserat nimirum in spiritu quisquis tunc spiritualis esse poterat, quanta foret gratia diffusa in labiis illis: propterea loquens in desiderio animæ aiebat: Osculetur me osculo oris sui; nimirum omnimodis cupiens tantæ suavitatis participio non fraudari. Dicebat enim perfectus quisque: Quo mihi ora hæc seminiverbia Prophetarum? Ipse potius speciosus forma præ filiis hominum, ipse me osculetur osculo oris sui. Non audio iam Mosen: impeditioris siquidem linguæ factus est mihi. Isaiæ labia immunda sunt. Ieremias nescit loqui, qui puer est: et Prophetæ omnes elingues sunt. Ipse quem loquuntur, ipse loquatur, ipse me osculetur osculo oris sui. Non in eis iam aut per eos loquatur mihi, quoniam tenebrosa aqua in nubibus aeris: sed ipse me osculetur osculo oris sui, cuius gratiosa præsentia, et admirandæ fluenta doctrinæ fiunt in me fons aquæ salientis in vitam æternam. Quem unxit pater oleo lætitiæ præ consortibus suis, numquid non ex ipso mihi uberior infunditur gratia, si tamen dignetur me osculari osculo oris sui? Cuius utique sermo vivus et efficax osculum mihi est, non quidem coniunctio labiorum, quæ interdum pacem mentitur animarum, sed plane infusio gaudiorum, revelatio secretorum, mira quædam et quodammodo indiscreta commistio superni luminis et illuminatæ mentis.*

40. *Christus loquebatur, quasi potestatem habens.* Christi eloquentia non erat inanis, sed loquebatur tamquam potestatem habens, os suum aperiebat Apostolis, et turbis, velut fontem gratiæ sitientibus campis: unde ut dixi, *mirabantur omnes in verbis gratiæ* (id est plenis gratia, et dantibus gratiam, et peccatores convertentibus) *quæ procedebant de ore eius* De gratia stricte sumpta et supernaturali locum Ps. nostr. explicat S. Aug. *Diffusa est,* inquit, *gratia in labiis tuis. Lex per Mosen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est. Diffusa est gratia in labiis tuis. Merito mihi subventum est, quia condelector legi Dei secundum interiorem hominem. Sed alia lex in membris meis repugnat legi mentis meæ, et captivum me ducit in lege peccati, quæ est in membris meis. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Diffusa est ergo gratia in labiis tuis. Venit nobis cum verbo gratiæ, cum osculo gratiæ. Quid ista gratia dulcius? quo pertinet gratia ista? Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Si severus iudex veniret, nec afferret istam gratiam diffusam in labiis suis, quis de salute aliquid speraret? Quis non sibi hoc timeret, quod peccatori debebatur? Ille veniens cum gratia, non exegit quod debebatur, solvit quod non debebat. Num enim non peccator debebat mortem? Aut vero tibi peccatori quid debebatur, nisi supplicium? Debita tua dimisit, et indebita sua exsolvit. Magna gratia. Quare gratia? Quia gratis. Propterea tibi gratias agere licet, referre non licet: non enim potes.*

Venit ad nos verbum Patris, ut nobis gratiam loqueretur, eamque infunderet, ut de plenitudine eius omnes effunderent. Ioan. cap. 1. v. 14. *Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus* (εθεασαμεθα, velut in theatro spectavimus) *gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum* (verbum scilicet) *gratiæ et veritatis.* Non enim, ut ait S. Bernardus serm. 6. in vigilia Nativitatis, gloriam potestatis, aut claritatis vidimus, sed gloriam paternæ pietatis. Ephes. cap. 4. v. 7. ait S. Paulus: *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Ioannis autem cap. 3. 34. habetur, *Filio autem non ad mensuram Deus dedit Spiritum.* Tostat. Num. 23. quæst. 9. Christi, ait, charitas, quam sine mensura recepit, ut habetur Ioan. 3. præponderat toti charitati Ecclesiæ simul sumptæ, quia de eius plenitudine omnes accepimus. Dionys. Carthus. in Evangelium Ioannis: Quemadmodum, inquit, humanitas Christi incomparabiliter præ cæteris omnibus vicinius unita est Verbo: sic gratia eius omnium electorum gratiam incomparabiliter pene, non tamen simpliciter infinite excedit: ita Dionys. Cum sit plenus hic fons gratiæ exundat. S. Bernard. serm. 13. in Cant. *Origo fontium et fluminum mare est, virtutum et scientiarum est Christus.* S. Chrysost. homil. 13. in Ioannem. *Christus fons est et radix omnium bonorum, non in seipso bonorum divitias continens, sed in universum diffundens.* Illa vero diffusione eum fontem non minui sic ostendit: *Constituamus nobis igneum fontem, a quo innumeræ accendantur lucernæ, et totidem, et item totidem: nonne fons eiusmodi ita plenus est igne, sicut antequam quidquam ex eo sumeretur? Quod si in corporibus quæ in partes dividi possunt, aliquod huiusmodi invenitur, ut post sui communicationem, nullam diminutionem accipiat, quanto magis in corporea et immortali illa potentia hoc contigerit?* Idem Sanctus Pater in Ps. nostr. Quantum terræ, ait, sol respicit, tantum pervasit hæc gratia, et hæc gutta ac stilla Spiritus implevit universum orbem terrarum, scientia. Et S. Hieron. ad Principiam: *Noe, ait, invenit gratiam coram Domino in diebus suis, et Moses, et reliqui Prophetarum. Sed omnis gratiæ multitudo in labiis Salvatoris effusa est, quæ in brevi totum implevit orbem.*

Symbolice, labia Christi Apostoli fuerunt. In ipsis enim Evangelica gratia personuit. Super hos affluens uberrime Spiritus gratia effusa est, quando apparuerunt ipsis dispertitæ linguæ, sicut ignis: ita ipse. S. Ioannes Evangelista pectori Christi sua labia appresserat, ideo erant suaviora, et gratiam uberius diffundebant, ut patet in eius Evangelio, Apocalypsi et Epistolis. S. Petr. Damiani serm. 63. *Quia,* inquit, *in pectore Iesu sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, ex illo cælesti gazophylacio summam Ioannes traxit, unde nostræ paupertatis inopiam copiosa liberalitate ditavit. Ex illo, inquam, ærario divitiarum copias attulit, et in communem totius mundi salutem bene prodigus erogavit.* Diffusio gratiæ in Christo notat eius ubertatem, ut ait Eusebius. Apostolici etiam viri et prædicatores sint primo in sermone suaves et benigni. Secundo, in moribus mites. Tertio, enitantur non ut scientiam aut eloquentiam ostentent populo, sed ut illi dent gratiam. In labiis etiam regum, qualis hic describitur Christus, gratia et suavitas diffundatur, ut populi cor ad se rapiant, et eum ad voluntatem suam flectant. 41. *Apostoli sunt labia Christi.*

ARTICULUS II.

Christi arma, potestas, victoria, et currus triumphalis.

Articulo primo Christum sponsum pulchrum et gratia plenum vidimus, nunc fortem et generosum ostendit: sicut enim in Sulamite eius sponsa choros castrorum vidit Salomon, ita ipsum sponsum armatum contemplatur
Vers. 4. David, v. 4. ACCINGERE GLADIO TUO SUPER FEMUR (S. Cyprian lib. 2. cap. 29. ad femur. Tertullian. contra Iudæos cap. 9. Psalter. Rom. ad Ambr. circa femur) TUUM, POTENTISSIME. S. Hieronym. fortissime. Hebr. Syr. Arab. Chald. est גבור *ghibbor*, id est fortis; 2. Gigas: unde Titelm. reddit, o Gigas fortissime. Origenes hom. 9. in lib. Iudic. Christum vocat, principem militiæ nostræ. Habacuc cap. 3. 11. illi dat lucidas sagittas et fulgurantem hastam. S. Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 5. ait, Apostolos esse velut Christi tribunos, qui eius exercitum ducant. Gladium illi assignat David, Ps. 7. 13. vocat eum Gigantem, Ps. 18. 6. Vide illum locum.

42. Gladius Christi est eius pulchritudo. I. Quæres primo, quis gladius Christi hic intelligitur? Primo, S. Chrysost. Bellarminus, S. Basilius intelligunt ipsam sponsi pulchritudinem: dicitur enim, inquit, *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime, specie tua et pulchritudine tua.* Et sententiam illam iuvat interpunctio Hebraica: ibi enim ponitur accentus soph pasuk, qui solet poni in fine periodi vel sententiæ. Deinde, summa vis est pulchritudinis, cum vel unus sponsæ oculus, et unus crinis seu cincinnus vulneret cor sponsi. Cantic. 4. 9. dicit enim: *Vulnerasti cor meum* (Vatabl. abstulisti mihi cor) *in uno oculorum tuorum, in uno* (Symmach. per unum) *crine colli tui.* Arabs vertit, propter pulchritudinem oculorum tuorum. Cum quædam religiosa oculorum pulchritudine ita cor principis vulnerasset, ut omni eam modo sibi tradi vellet, illa evulsos oculos ad eum misit, his adiectis verbis: *Ecce sagittæ, quæ cor tuum sauciarunt*, ut refert Iacobus de Vitriaco Cardinalis. Pulchritudinis summam esse tyrannidem dicebat Socrates apud Platonem, quia per vim rapiat quæcumque velit, absque vi. Carneades aiebat esse regnum, sine satellitio. Xenophon enim in convivio docet, in eo differre pulchros a robustis, quod robustum necesse sit laborare, si velit bona acquirere: fortem periculis se obiicere: sapientem oratione uti: at pulchrum, vel in summo otio omnia conficere. Monet autem lib. 5. de Cyroped. a pulchris oculos esse avertendos, quod ignis quidem urat homines qui se tractant: et formosi eos etiam accendant, qui se procul spectant, ut propter amorem æstuent: ita ipse. Tu si pulchritudinem amas, oculos in eum conlice, qui est speciosus præ filiis hominum, quem cum amaveris, castus eris; cum tetigeris, mundus eris, ut dicebat de se S. Agnes apud S. Ambrosium.

43. II. Eius potentia. Secundo, gladius Christi est eius potentia, tum in faciendis miraculis, ut ait Valentia: tum in hoste, nempe dæmone debellando et puniendo, ut Nicephor. tum in domandis et proterendis tyrannis, ut Chald. qui vertit, *Accinge ensem tuum super femur tuum, sicut fortis: quo interficias reges cum potentibus*, tum in convertendis et terendis peccatoribus, et protegendis iustis. S. Basilius in Psalmum nostrum: *Quemadmodum*, inquit, *vita, et via, et panis, et vitis, et vera lux, et aliis eiusmodi sexcentis Dominus noster Iesus Christus nominatur:* ουτω και μαχαιρα διατεμνουσα, το παθητικον μερος της ψυχης, και νεκρουσα, τα προς επιθυμιαν κινηματα: *sic et, gladius dividens partem animæ affectibus servientem, et motus concupiscentiæ mortificans.* Tales decet esse Prælatos, qui vitia subditorum occidant, personas servent. S. Hildegardis ad Pontificem Adrianum scribens: *Hoc*, inquit, *grave pondus magisterii, quod portas, non est in indignatione Dei, ubi etiam mores ursorum et pardorum, et interdum venenum aspidum tibi et subsequentibus occurrent, sed gladius Dei occidet illos, ita ut dum bonus dux inter illos surgit.* Nota, est index supremæ potestatis, hinc ante reges Franciæ nudatum gladium fert Connestabilis; et Protostrator ante
A Constant. Imper. solebat spatham præferre, ut refert Curopalata lib. de offic. aulæ Constant. Porriguntur etiam nunc in inauguratione gladii regi Franciæ, regi Romanorum, regi Polonorum, et variorum populorum, ab Episcopis, a quibus consecrantur. Svetonius c. 8. dicit Iulii Cæsaris strictum gladium, detractum e delubro Martis, in prima gratulatione porrectum fuisse Vitellio Imperatori. Christus de se ait Matth. 28. 18. *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra.* Iure itaque gladium, quo ius vitæ et necis habere declares, illi attribues. Eius figura fuit Iudas Machabæus, cui Ieremias Propheta gladium e cælis attulit, dicens 2. Machab. 14. 16. *Accipe sanctum gladium, munus a Deo, in quo deiicies adversarios populi mei Israel.* Gladius ille est aureus, quia tanta est charitate, ut etiam puniens misericordiæ recordetur.

44. III. Verbum eius. Tertio, gladius Christi est verbum eius, tum in Scripturis contentum, tum ore proprio, vel Apostolorum atque concionatorum prolatum: ita S. Aug. Tertull. Bruno, Remig. Glossa, Lyran. et alii. Apostolus clare Ephes.
B 6. 17. *Galeam salutis assumite, et gladium spiritus* (spiritalem) *quod est verbum Dei.* Et ad rem nostram aptissime Hebr. 4. 12. *Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior* (τομωτερος, acutior, magis incidens) *omni gladio ancipiti*, διστομω, id est habenti duo ora, hoc est duas acies. Sermonem hunc seu verbum ait Cornel. esse ipsum Filium Dei, qui magnam vim habet penetrandi, tum per cognitionem, qua videt abscondita cordium: tum per activitatem, qua potest punire, damnare, occidere et dissecare. Itaque habet oculos et manus penetrantes. Secundo, S. Aug. 20. de civit. cap. 12. sermonem Dei penetrantem, ait esse verbum Dei scriptum, quod est anceps gladius habens duplicem aciem, nempe aciem duorum testamentorum: novi scilicet atque veteris. Apocal. 1. Christus apparet S. Ioanni in medio septem candelabrorum aureorum canitie venerandus, oculis flammantibus, pedibus similibus aurichalcho, stellas septem manu tenens, *et de ore eius gladius utraque parte acutus exibat;* hunc gladium esse verbum Dei censent Ticonius, Aretas, Cri-
C masius, et alii; in eo pugnat cum Nicolaitis hæreticis cap. 2. 6. In eo percutit gentes cap. 19. 15. Ioannes Bohemus de ritib. gent. scribit, in Asia principem esse, qui cum primum inauguratur, dicit: *Oris mei sermo, de cætero gladius meus erit.* Vim verbi Dei declarat fuse S. Augustinus in Psalmum nostrum: *Accingere*, inquit, *gladium tuum circa femur tuum potentissime. Gladium tuum, quid nisi verbum tuum? Isto gladio stravit inimicos, illo gladio divisit filium a Patre, filium a matre, nurum a socru. Legimus hæc in Evangelio, Matth. 10. 34. Non veni pacem mittere sed gladium. Et erunt in una domo quinque divisi adversum se, duo adversus tres, et tres adversus duos erunt divisi: id est, filius adversus patrem, filia adversus matrem, nurus adversus socrum suam. Divisio hæc quo gladio facta est, nisi quem Christus attulit? Et revera, fratres, etiam quotidianis exemplis videmus hæc. Placet iuveni alicui, Deo servire, displicet patri: divisi sunt adversus*
D *se. Ille promittit terrenam hæreditatem, ille amat cælestem. Aliud iste pollicetur, aliud ille eligit. Non sibi putet pater factam iniuriam, Deus solus illi præfertur, et tamen litigat cum filio volente servire Deo. Sed fortior est ille gladius spiritalis separans, quam copulans natura carnalis. Fit hoc et de filia adversus matrem, multo magis et de nuru adversus socrum. Nam aliquando in una domo nurus et socrus inveniuntur hæretica et Catholica*, etc.

Quæres secundo, cur dicitur Christus accingi gladio 45.
Veteres Romani gladios gestabant super dexterum femur, et cur? super femur? Nota, Polybius tradit veteres Romanos gestasse gladios super dextrum femur. Sic enim ait: *Una cum scuto gladium imperant, quem* περι δεξιον φερει μηρον, *fert ad dextrum femur: vocant Hispaniensem, habetque*, κεντημα διαφορον, *mucronem eximium, et ictum utrinque validum: quoniam lamina eius firma est et stabilis.* In columna Traiani plerique militum cincti sunt pro prisco ritu, ita ut gladius in partem dextram pendeat. Quo etiam modo gladios ferebant Galli, ut Diodorus Siculus et Strabo docent. Hoc fiebat ut clypeum liberius et commo-

dius in omnem partem flecterent. Hic mos tamen videtur variasse. Nam Iosephus, qui tempore Vespasiani vivebat, ait lib. 3. belli Iudaici Romanos pedites utrinque gladium gestasse: longiorem quidem, ad sinistrum latus: breviorem vero, palmi longioris, sive duodecim digitorum mensura ad dextrum. Et in columna Traiani, atque in columna Antonini Imperator ipse et Tribuni gladios habent fere sinistros. Parazonium vocabatur gladius etiam longior, quia pendebat a zona seu baltheo: paramerium vero, quia descendebat in femur: μηρος enim Græcis est femur. Nunc etiam aliqui gladios breviores ex humero pendentes in femur sinistrum deiiciunt. Populi Orientales pene omnes id faciunt, ac Turcæ: Arma ab armis, id est, humeris, dicta esse vult Festus, qui ab his pendent, ut gladius.

Christus super femur accingitur ob Incarnationem. Respond. porro ad quæsitum, accingi gladio super femur, dicitur Christus ob mysterium Incarnationis: femur enim est symbolum generationis: ita S. Hieron. S. Basil. S. August. Bruno, Remig. Titelm. Glossa, et alii. Sensus est, ait Hieronym. q. d. *Tu Christe indue carnem, pugna contra diabolum, et libera genus humanum de inferno. Accingere gladio, verbo prædicationis, qui divisit filium a patre, filiam a matre, nurum a soeru. Circa femur tuum, super carnem assumptam. Potentissime, non segniter, neque leniter, sed viriliter.* Ubi vides, quod potentissime sumit adverbialiter: sed est nomen, ut patet ex Hebræo et Græco.

46. Incarnatio est maximum operum Dei. Nota, potentiam adiungi femori, quia Incarnatio est maximum operum Dei. S. Basilius: *Quoniam*, inquit, *Deus verbum carnis debilitati sese coniuncturus erat, pulchre additur, potentissime:* διοτι μεγιστης αποδειξιν δυναμεως εχει το δυνηναι Θεον εν ανθρωπου φυσει γενεσθαι, *quoniam maximæ potentiæ demonstrationem habet, posse Deum in natura esse humana. Nam cæli et terræ constitutio, maris, et aeris, et maximorum elementorum generatio, et si quid supra mundum intelligitur, et si quid subtus terras reperitur uspiam, non hæc usque adeo evidenter exprimunt divini verbi potentiam, quantum dispensatio assumptæ carnis, et ad humilitatem usque debilitatemque nostram suscipiendam condescensio.* Divinitas est gladius, humanitas est vagina aurea, in qua reconditur. Humanitas ipsa est etiam gladius.

Symbolice, gladium crucem vocat: hac enim tamquam gladio usus duos hostes, diabolum et mortem interfecit. Accingere ergo cruce in carne, quæ vere hostes nostros superare potuit: ita Hesychius.

47. Tropol. Mortificatio est necessaria ad servandam castitatem. Tropolog. gladius accingendus est super femur, id est mortificatione caro et concupiscentia est coercenda. S. Laurent. Novariens. Episcop. hom. de eleemosyn. dicit: *Femur te fœdavit? femur te reformet atque recuperet. Accingere, inquit, gladio circa femur potentissime. Te corripit sermo propheticus, quia peccasti. Fuisti profusus in libidine? Esto potentissimus in virtute. Laxasti membra tua in luxuria? Restringe vivacitate armorum. Arma lumbos cordis tui, arma femur animæ tuæ: ut corporei femoris eximas fœditatem, evellasque de visceribus tuis plagas. Accingere gladio super femur tuum potentissime.* Ugo Cardin. triplici vinculo sive habena gladium nostrum circa renes nostros ligari debere admonet: quia funiculus triplex difficile rumpitur, ut dicitur Eccl. 4. Prima habena, inquit, est pudor sæculi. Secunda, timor supplicii. Tertia, amor Dei: primo, accingitur homo potenter; secundo, potentius; tertio, potentissime: quia amor vincit omnia. Unde Cant. 8. 6. *Fortis est ut mors dilectio.* Cant. 3. 7. dicitur: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes* (Vatab. heroes; Syrus, gigantes) *ambiunt ex fortissimis Israel. Omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi, uniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.* S. Greg. ibi ait, Quid per ensem nisi rigorem conversationis, et quid per femur nisi carnis appetitum accipimus? Electi ergo quique, qui iam ad perfectionem vitæ provecti sunt, semper ensem super femur suum ferunt, quia rigore conversationis appetitum semper carnis assidue frangunt: ne hostis quem in nocte huius mundi timent, repente veniens mollem aditum inveniat, et per voluptatis mollitiem eo facilius, quo voluptuosiores invenerit, ad graviora peccata perducat: ita Gregor. *Ut scias*, ait S. Hieron. epist. 140. ad Principiam, *semper virginitatem gladium habere pudicitiæ, per quem truncat opera carnis et superat voluptates, gentilis quoque error deas virgines finxit armatas: Accinxit et Petrus lumbos suos, et lucernam habuit in manibus suis.*

Arcum gladio iungit David, v. 5. SPECIE TUA, ET PULCHRITUDINE TUA INTENDE, PROSPERE PROCEDE, ET REGNA, PROPTER VERITATEM, ET MANSUETUDINEM, ET IUSTITIAM, ET DEDUCET TE MIRABILITER DEXTERA TUA. Vers. 5. 1. Pars. Nota, τo *specie tua et pulchritudine tua* potest referri, vel ad versum antecedentem, vel ad hunc versum. Primo itaque sensus erit, q. d. Accingere gladio tuo, nempe specie atque pulchritudine tua. Itaque erit appositio. Pulchritudo enim est gladius, et quidem celeriter et profunde, ac periculose vulnerans, ut dixi supra. Secundo, si referas ad posteriora, sensus erit, q. d. Specie tua et pulchritudine tua, id est 1. per speciem; 2. propter speciem; 3. cum specie tua intende, arcum scilicet, q. d. Per, et propter gloriam tuam et decus, atque gloriosam pulchritudinem ac dignitatem contende vires, arcum ac sagittas, ut hostem deiicias et transfigas, hæc omnia intende speciose et pulchre.

Nota secundo, pro *intende*, legerant Septuag. הדרך 48. *hadrech*, id est contende, seu intende arcum, a Rad. דרך Intende. *darach*, arcum tendere. Adhortatio est ad pugnam. Per arcum enim et gladium omnia arma intelliguntur. Nunc legitur *hadarecha*, id est decore tuo, ut vertit S. Hieron. Sed hærendum est Sept. Interpretibus, qui habebant codices meliores, et in lingua sua erant peritiores. Christus porro specie sua ac pulchritudine radios veluti sagittas vibrabat, quibus formidabiles prius hostes tartarei et tenebrosi fugabantur. Martinus de Roa lib. 3. Singularium, cap. 5. Ad eius, ait, conspectum in genua provolventur, sese dedent, et supplicum more humum fronte ferient: Potentissimus specie et fortissimus decore et gloria dicitur, quia vultus eius formidabilis est, ut sol ardens, ira nimirum atque furore adversus hostes: oculi eius, ut flamma ignis, et ex ore eius gladius emicat ex utraque parte acutus, ut in ipso percutiat gentes, Apocal. 19. Spiritu oris sui interficiet impium, 2. Thessalon. 2. 8.

Dices, quid ad Epithalamium pertinent prælia, gladius, 49. animi magnitudo: ac non potius sponso venustas, atque Quid lepos accommodabitur? Resp. hoc Epithalamium esse vi- commune armis ri bellatoris, ac Domini exercituum: quique sponsam sibi et carmini nunon blanditiis, non cantiunculis, non verborum lenociniis, ptiali. aut cæteris amatoriis artificiis, sed rebus præclare gestis, pulchris facinoribus, ac sibi suo cruore coemit: *La gano por su lanza.* Quod in Iacob et Rachelis, in Davidis et Micholis, imagine significatum accepimus: quodque apud veteres in more positum sæpe animadvertimus. Ita Roa, qui affert in exemplum procorum pro Penelope Regina contentionem, apud Homerum in Odyssea. Et pro Hippodamia Œnomai Arcadis filia, quam Pelops aurigandi certamine superior, ex pactione soceri sui sibi comparavit, ut refert Lucian. in Charidemo. Huc etiam spectat illud Turni apud Virgil. in 12

Nostro dirimatur sanguine bellum,
Illo quæratur coniux Lavinia campo.

Sponsus sanguinum est nobis Iesus, qui nos in cruce sibi desponsavit rivalem diabolum interficiens et affigens cruci: sic amati cor vulneratum amoris tanti sagittis illi despondeamus et consecremus.

Quæres, quid per speciem et pulchritudinem Christi in- 50. telligas? Resp. Primo, quod species pertinet ad eius hu- Quomodo manitatem: pulchritudo, ad divinitatem: ita Bruno. Se- species cundo, e converso species de divinitate dici potest, pul- et pulchritudo chritudo de humanitate: ita Ugo Cardin. Tertio, per spe- Christi ciem et pulchritudinem accipe fortitudinem et iustitiam: hic intelita Iansenius; aut melius, iustitiam et sapientiam: ita Bel- ligitur? larm. qui sic dicit: Considerandum est, pulchritudinem veram et summam, ut S. August. loquitur, esse pulchri-

tudinem spiritualem, quæ nunquam marcescit, et quæ placet oculis, non hominum solum, sed etiam Angelorum, et ipsius Dei, qui falli non possunt. Potest autem pulchritudo spiritualis cognosci ex pulchritudine corporali. Sicut enim corporum pulchritudo consistit in proportione membrorum et suavitate coloris: ita pulchritudo spiritualis consistit in iustitia, quæ est proportio quædam: et in sapientia, quæ splendet instar lucis; vel potius, ut Sapiens loquitur, luci comparata invenitur prior. Illa igitur est anima pulcherrima, quæ habet in voluntate iustitiam, in intellectu sapientiam. Hæc autem duo, et pulchram reddunt animam, ac per hoc amabilem Deo: et simul arma sunt potentissima, quibus Christus diabolum superavit: pugnavit enim cum diabolo Christus, non sua omnipotentia, ut poterat; sed sapientia et iustitia: sapientia, vincens astutiam: et iustitia vincens malitiam. Diabolus enim astutia sua primum hominem impulit, ut per inobedientiam Deum irritaret: et Deo quidem honorem, sibi autem, et toti humano generi vitam beatam detraheret: cum hac autem astutia, malitia, sive invidia coniuncta fuit; id enim fecit diabolus, quia torquebatur invidia, quod homo ad cælum aliquando ascensurus videretur, unde ipse deciderat. Sed Christi sapientia vicit astutiam, quoniam per obedientiam suam in natura humana Deo exhibitam, reddidit honorem Deo multo maiorem, quam per inobedientiam Adami amiserat: et simul per eamdem obedientiam exaltavit genus humanum ad gloriam multo sublimiorem, quam ea futura esset, ex qua exciderat Christus. Christus præterea charitate sua, quæ est vera, et perfecta iustitia, vicit invidiam, et malitiam diaboli: quoniam inimicos dilexit, et in ipsa cruce pro persecutoribus oravit, et pati ac mori voluit; ut inimicos suos Deo reconciliaret, et ex inimicis amicos, et fratres, et cohæredes suos efficeret. Hoc est igitur quod nunc dicit: *Specie tua, et pulchritudine tua*, id est decore tuo, qui in specie sapientiæ, et pulchritudine iustitiæ consistit, quasi gladio et arcu accinctus et instructus, *intende, prospere procede, et regna:* id est dirige cursum tuum ad prælium contra diabolum, prosperaro in prælio, et devicto ac debellato Principe huius mundi, acquire tibi regnum, ut tu deinceps in cordibus hominum per fidem et charitatem regnes: Ita Bellarminus, et bene. Quarto denique, *specie et pulchritudine*, pro eadem re ponitur. Est hendiadys, q. d. Speciosa pulchritudine. Per eam autem intelligit S. August. iustitiam: *Iustitiam*, ait, *accipe, qua semper speciosus est ac pulcher*. Romig. sumit abundantiam virtutum.

51. Equitatio est regni symbolum, et cur? Nota tertio, pro *regna*, Hebr. est רכב *recab*, id est *equita*, ut Arias, Pagn. Felix, et Flam. reddunt: vel, ascende curruum. S. Hieronym. vertit simpliciter, *ascende*, equum scilicet, vel currum. Equitatio autem vel ascensio currus est hieroglyphicum regni: Primo, quod reges ac
1. principes curru, aut mulo, vel alio iumento veherentur. Est metalepsis: ex consequente enim intelligitur antecedens. Persarum reges nunquam procedebant pedites, sed semper aut equo, aut curru vehebantur. In Iaponia supremus sacrorum Antistes nunquam pedes prodit in publicum, si ex equo vel curru descendens terram tangeret, et dignitate sua excideret. Exod. 15. 1. Pharao rex Ægypti vocatur ascensor equi. Isa. 21. 7. Cyrus rex Persarum vocatur ascensor asini, Darius eius avunculus rex Medorum dicitur ascensor cameli; *Et vidit currum duorum equitum, et ascensorem asini, et ascensorem cameli.* Cyrus et Darius unitis copiis ceperunt Babylonem, ideo illis assignatur tantum unus currus, id est unus totalis exercitus. Asino comparantur Persæ, quia tunc erant viles et ignobiles, sed valde laboriosi. Medi vero conferuntur camelo, quia erant belli-
2. cosi et potentes, camelisque abundabant. Secundo, *equita* sumitur pro *regna*. per metaphoram: quia sicut eques habenis et fræno regit equum: ita rex et princeps providentia et legibus subiectum sibi populum. Unde Ps. 65. 12. ubi habemus, *Imposuisti homines super capita nostra.* Hebr. est, Equitare fecisti hominem super caput nostrum. Camp. reddit, Imponis, velut iumento, homines capitibus nostris. Ps. 72. 22. dicit David Deo, *Ut iumentum factus sum apud te.* Apocal. 6. 2. Christus videtur sedens in equo albo et dominans: *Et vidi: et ecce equus albus, et qui sedebat super illum habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret.* Nonne hoc est prospere procedere per felices victorias, et regnare cum gloria et corona? illustrior adhuc est currus Ezechelis, in quo stipatus Cherubinis procedit ad Ierusalem, Ezech. 1. 26. Dicitur Ps. 17. 11. ascendere super Cherubim, et volare. Deut. 33. 26. Vocatur a Mose, *ascensor cæli*. Hebr. qui cælis inequitat. Cæli enim, ait Corn. totusque mundus, sunt quasi equus sessoris Dei, qui eum habenis providentiæ suæ regit et gyrat quo vult. Ergo hic mundi auriga et rector est. Sponsa nova, id est synagoga Iudæorum ad Christum se convertens in fine mundi, inducitur dicens Cant. 6. 11. *Nescivi: anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab*, id est tuas, qui es Aminadab, id est populi mei princeps. S. Ambros. lib. de virgin. *Christus*, inquit, *verus Aminadab, animam iusti veluti currum agitat, ascendens verbi habenis gubernat, ne violentorum equorum furore in abrupta rapiatur. Sunt enim eius veluti quatuor equi, quatuor affectiones: ira, cupiditas, voluptas, et timor, quibus furentibus cum ceperit agi, nequaquam seipsam cognoscit. Corruptibile enim corpus animam gravat, et tamquam irrationabilium animalium cursus invitam rapit, volventibus curis veluti quodam impetu proruentem, donec memoratæ corporis passiones verbi virtute mitescant.* Cant. 3. v. 9. et 10. describitur ferculum Salomonis, id est currus eius et thronus triumphalis, ut ait S. Gregor. Nyss. et Theodor. Ferculum illud est anima sancta Christum in se portans, et ad alios transferens, ut in omnibus dominetur: unde S. Ignat. Episcop. Antiochenus et Martyr appellatus est θεοφόρος, id est Deum ferens, et χριστοφόρος, id est Christum ferens. Hugo a S. Victore l. 1. Miscell. cap. 60. Ferculum Salomonis, inquit, cor exercitatum, in studio virtutis. Ferculum, sapientiæ verbum, inde portatur ab ore ad aurem. Lectulus, mens contemplativa: Ferculum hoc primum de lignis Libani esse debet per puritatem et incorruptionem veritatis, de argento in præceptis et promissis. In candore argenti munda conversatio, in sonoritate dulcis promissio. Habet aurum per sapientiam cælestem, quod non æruginat in charitate. Habet purpuram quando prædicat passionem: Ascensum ad glorificationem. In medio charitas sternitur propter filias Ierusalem, quæ teneris et infirmis proposita est ad obtinendam salutem. Quis tam tener, ut amare non possit? Nam si cætera non potes, amare tamen potes, ut ad ferculum Salomonis pertineas: ita Hugo. Tale ferculum erat Paulus, qui portabat Christum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel. In eo et per eum intendebat arcum, gladium stringebat, prospere procedebat, et regnabat.

Currus illius divini quatuor rotas assignat David: 1. veritatem; 2. mansuetudinem; 3. Iustitiam; 4. fortitudinem, 52. Vers. 5.

v. 5. PROPTER VERITATEM ET MANSUETUDINEM, ET IUSTITIAM: ET DEDUCET TE MIRABILITER DEXTERA TUA. Nota, τὸ *propter* posse denotare causam moventem, ob quam Christus prospere procedat et regnet: ita ut sensus sit, q. d. Regna, quia habes has virtutes quæ vere sunt regiæ: ita Iansenius et Bellarminus. Secundo, *propter* denotare potest causam finalem: ita ut sensus sit, q. d. Prospere procede et regna, et veritatem impleas, mansuetudinem exhibeas, et iustitiam exerceas: ita Ugo Cardin. *Veritas*, inquit, *impleta est in promissis datis. Mansuetudinem exhibuit, ferendo malos: unde cum publicanis et peccatoribus manducabat, Matth. 9. 11. et adulteræ dixit. Nec ego te condemnabo. Ioan. 8. 10. atque pro inimicis oravit, Luc. 23. dicens: Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt. Iustitiam exercuit, in dispersione Iudæorum per Titum et Vespasianum, et in eorum excæcatione, ut plenitudo gentium intraret, sicut dicit Apostolus, Rom. 11. 25. Possunt etiam hæc tria reddi tribus præcedentibus, singula singulis, ut sic dicat. Intende, propter veritatem inserendam in nobis. Procede, propter mansuetudinem dandam nobis.*

2. Pars. Christi currus habet pro nobis virtutes quatuor. Propter, varias causas designat.

Regna, propter iustitiam faciendam pro nobis: ita Ego, et bene: nisi quod *intende* sumit pro *respice*, quod non patitur vox Hebr. *hadrech*, de qua supra. Tertio, *propter* potest denotare causam formalem, q. d. Regna: per ipsam veritatem, mansuetudinem, et iustitiam: sis, aut potius es, rex iustus, mansuetus et verax: Itaque optamus, ut in nobis regnes, et in toto orbe. Quarto, *propter* denotat causam efficientem, q. d. Veritate, mansuetudine, et iustitia vinces diabolum, et triumphabis de eo: ita Valentia. Quinto denique, τὸ *propter* denotat causam materialem, q. d. Equita, insida in verbo veritatis, regna super verbum veritatis, mansuetudinis et iustitiæ. Est autem periphrasis Evangelii, quo vera Dei cognitio, misericordia, et iustitia revelatur: ita Genebrard. Per veritatem, mansuetudinem et iustitiam intelligit S. Cyrillus Evangelium. Sic enim loquitur: *Propter veritatem, et mansuetudinem, et iustitiam nihil aliud opinor intelligitur, quam Evangelicum præconium, quo Christo subiecti sumus: nam propter illud regnavit in terris. Est autem veritas, quoniam figuras et umbras legis antecellit, et nuda Christi mysteria nullis integumentis docet. Est etiam mansuetudine plenum Evangelium, expers enim est legis severitatis. Nam Paulus ita inquit Hebr.* 10. *Si quis irritam fecerit legem Mosis, sine ulla miseratione sub duobus vel tribus testibus moritur. Sed et alio modo Evangelium mansuetudine refertum est. Mansuetos enim in Christum credentes beat: non ultores et iracundos, nec eos qui oculum pro oculo, pedem pro pede, manum pro manu repetunt. Sed percutienti dexteram maxillam alteram præbent, sequentes eum qui dixit, Matth.* 11. 29. *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.* Pagn. et Felix vertunt, Equita super verbum veritatis, et mansuetudinis, at iustitiæ. Campensis vero, Inscende et vehere his rebus velut quadriga, veritate, fide, mansuetudine, et iustitia, q. d. His virtutibus iu altum extolleris, hæ erunt materia tuæ gloriæ et potentiæ, atque obiectum amoris et reverentiæ populorum erga te.

53. Nota, Christus attulit veritatem in hunc mundum plenum ignorantia et mendacio, prospere processit et regnavit in via lucis. Est enim via et veritas, Ioann. 14. v. 6. Hoc explicans S. Bernardus serm. 7. in cœna Domini: Ego, inquit, sum via per quam est eundum, et veritas ad quam veniendum: et vita in qua permanendum. Ego sum via sine errore, veritas sine falsitate, vita sine morte. Ego sum via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio. Ego sum via habilis, veritas irrevocabilis, vita interminabilis. Ego sum via lata et spatiosa, veritas potens et copiosa, vita delectabilis et gloriosa. S. Hilar. hinc recte concludit lib. 7. de Trinitate: Non nos seducit, qui via est: nec allicit per falsa qui veritas est: nec in mortis relinquit horrore, qui vita est. S. Augustinus tract. 33. in Ioan. ad Psalm. nostr. aptius: *Attulit,* ait, *veritatem ut doctor, mansuetudinem ut liberator, iustitiam ut cognitor.* Labia eius sunt lilia distillantia myrrham primam. *Bonum lilium veritas,* ait S. Bernar. serm. 70. in Cant. *candore conspicuum, odore præcipuum.* Veritatem in Christo multiplicem ingeniose aperit Iulianus Episcopus Toletanus in Nahum: *Veritatem,* ait, *semper tenuit in prædicatione, mansuetudinem in passione, iustitiam in operatione. Verax fuit prædicando nova, mansuetus patiendo humana, iustus faciendo divina. Veritatem docuit scientiæ, mansuetudinem pœnitentiæ, opera iustitiæ. Veritatem in confessione, mansuetudinem in interpretatione, iustitiam in dilectione. Primo, ut dicas iniquitates tuas, et iustificeris. Secundo, ut æquanimiter et mansuete disciplinam patris suscipias cum proberis. Tertio, ut iuste diligenda diligas, iuxta illud: Iuste quod iustum est, exequeris. Legis naturalis veritatem: scriptæ legis iustitiam: Evangelii mansuetudinem. Veritatem docuit, qua quisque congnosceret se ipsum: mansuetudinem, qua sustineret proximum: iustitiam, qua coleret Deum. Veritatem docuit suæ divinitatis, iustitiam secundæ utriusque proprietatis. Aliter, veritatem exhibuit in omnium generali examinatione: mansuetudinem in electorum felici consolatione: iustitiam in reproborum iustissima damnatione. Aliter veritatem suæ divinitatis in iudicio ostendendo: mansuetudinem sui laboris, impiis imperando: iustitiam, singulis propria reddendo. Propter hæc ergo tria, mirabiliter eum deduxit dextera sua.*

Christus attulit veritatem in mundum.

Nota secundo, veritas est virtus regia: ideo dicitur, *Regna propter veritatem.* Seneca in Octavio, ferrum tuetur principem, melius fides: id est fidelitas, veracitas. Alphonsus rex Aragonum dictitabat, tantum valere ad fidem debere unicum principis viri verbum, quantum privatorum iusiurandum. Veritas enim licet omnibus conveniat, principum tamen præcipuum debet esse ornamentum, ut ait Anton. Panormit. lib. de rebus gestis Alphonsi. Pythagoras dicebat, hæc duo divinitus hominibus data esse longe pulcherrima, veritatem amplecti, et beneficiis operam dare: addebatque, teste Æliano lib. 2. var. histor. utrumque eum Deorum immortalium operibus comparari posse. Cum peteretur a Demosthene, quid Deo simile facerent homines, respondit: Benigne facere, et veritatem amare. 54.

Veritas est virtus regia.

Contra vero, principem maxime dedecet mendacium, Prov. 17. 7. *Non decent stultum verba composita, nec principem labium mentiens.* Rationes quatuor affert noster Cornelius. Primo, quia princeps maiestatem suam ac seipsum lædit, si mentiatur. Nam, ut sapienter ait S. Cypr. lib. 1. epist 3. *Hæc est vera dementia, non cogitare, nec scire, quod mendacia non diu fallunt: noctem tamdiu esse, quamdiu non illucescat dies: clarificato autem die, et sole oborto, luci tenebras et caliginem cedere, et quæ grassabantur per noctem latrocinia cessare.* Secundo, quia populus et Respond. nititur et regitur verbo principis: quod si illud mendax et fallax deprehendat, omnem ei fidem et fiduciam, æque ac auctoritatem et obedientiam derogabit. Tertio, quia princeps, quod semel dixit, sanxit, promisit, dedit, hoc honeste et iusto retractare nequit: imo si mentiatur et fallat, sæpe iniuriam et damnum grave subditis irrogabit. Hinc Græcorum Imperatores in sua inauguratione solemniter iurabant, se remota fallacia dicturos veritatem, ut testatur Curopolata de Officio Palat. Debet enim princeps veritatis non tantum esse assecla, sed et tutor et patronus. Recte Aspar Leonem Imper. quod promissis non stetisset, veste prehensum obiurgavit, dicens quod nefas esset purpura amictum mentiri, ut ait Zonaras tom. 3. Quarto denique, quia *mendacium est vitium servorum*, ut dicit Aristot. Ergo dedecet ingenuos, præsertim principes, qui sunt vicarii Dei: ac Deum, qui est prima veritas ipsaque fidelitas, in terra repræsentant. Quocirca S. Thomas Opuscul. de Principum eruditione multis probat, principi amandam esse veritatem, et abominandum mendacium tamquam venenum. Agesilaus rex Spartæ adeo horrebat mendacium, ut rogatus audire quemdam, qui Philomelæ melodiam mentiebatur, noluerit: ne mendaci etiam cantioni assentiri videretur.

Mendacium reges non decet, ob quatuor rationes.

Secunda rota currus Christi, est mansuetudo: unde sequitur: Et mansuetudinem. Syr. et humilitatem. Neque ab humilitate mansuetudo, neque a mansuetudine humilitas seiungi potest. Unde Christus utramque coniunxit, Matth. 11. 29. *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde*, id est ut ait S. Bernardus sermon. 42. in Cantic. cordis affectu et voluntate. Et sermon. 2. in illud Apocal. 12. *Signum magnum: Sicut*, inquit, *mater præsumptionis est elatio: sic mansuetudo vera non nisi ex vera humilitate procedit.* S. Climacus grad. 24. auroræ comparat mansuetudinem, soli autem humilitatem. Solem, ait, matutina lux auroræ præcurrit, humilitatem mansuetudo præcedit. Itaque lucem Christum prius audiamus, qui eas ita per gradum disponit. Mansuetudo est immutabilis animi status, qui in omni fortuna honorum et contumeliarum æqualem animi habitum conservat. Mansuetudo est, pro aliis to perturbantibus sine perturbatione syncere et ex animo precari. Mansuetudo est prominens adversus iram maris rupes, quæ omnes illisos fluctus dissolvit et frangit, nec ipsa interim movetur aut frangitur. Mansuetudo est stabilimentum patientiæ, cha- 55.

Vers. 5. 3. Pars. Currus Christi secunda rota est mansuetudo.

Mansuetudinis elogia.

ritatis ianua, imo vero parens, prudentiæ argumentum. Docebit enim, inquit, Dominus mites vias suas: procuratrix veniæ, peccatorum fiducia in precibus, Spiritus sancti domicilium: super quos enim respiciam, nisi super mansuetum et quietum? ita Climacus, qui addit etiam ad rem nostram quod mansuetudo est Χριςου μιμημα αγγελων ιδιωμα, και πικριας θυρεος, εν καρδιαις πραεων εναναπαυσεται κυριος, *imitatio Christi, Angelorum idioma, et loquendi agendique ratio, contra amaritiem cordis clypeus: in cordibus mansuetorum requiescet Dominus.* Itaque ibi regnat et prospere procedit in molli gestatorio et ferculo Salomonis, id est animæ pacificæ. Ghislerius in Cantic. paucis verbis denotat quantum placeat Deo misericordia. Cor Christi, ait, et cor Dei est ipsa eius misericordia.

56. Mansuetudo est virtus regia. Nota, mansuetudo est virtus regia. Prov. 20. 18. *Misericordia et veritas custodiunt regem* (a dextris stat fulgens veritas, misericordia compatiens aliorum malis, stat a sinistris) *et roborabitur clementia thronus eius.* Tull. lib. 2. Officiorum: Malus, inquit, diuturnitatis custos est metus, contraque benevolentia fidelis est, vel ad perpetuitatem. Etenim qui se metui volent, a quibus metuuntur, eosdem metuant necesse est.

Deus reges Hebræorum oleo in symbolum misericordiæ, mansuetudinis, benignitatis et clementiæ inungi voluit. De Saule dicitur 1. Reg. 10. 1. *Tulit Samuel lenticulam* (vasculum lentis figura, qualem habet cornu: unde cornu appellatur) *olei, et effudit super caput eius,* scilicet Saulis. De Davido uncto ab eodem Samuele habetur ibid. cap. 16. 13. S. Chrysostom. homil. 4. in epistol. ad Philipp. Oleum, inquit, pro symbolo Dei misericordiæ habebant. Reges oleo inungebantur. *Et si quis principem laudet, nihil quod æque ipsum deceat afferet ac misericordiam. Principatus enim proprium est misereri.* S. Thomas lib. 1. de erud. Principis cap. 15. Ignis zeli, ait, ardere debet in oleo misericordiæ: deficiente autem hoc oleo, ignis zeli destruit principes, sicut ignis, si desit oleum materiale, lampadem extinguit. Marcus Antonin. Pius Faustinæ uxori suæ vindictam spiranti scripsit in hæc verba: Nihil est quod Imperatorem Romanum melius commendet gentibus, quam clementia. Hæc Cæsarem Deum fecit, hæc Augustum consecravit.

57. Et divina. Dei imaginem reges exprimunt in se, præsertim per mansuetudinem. Theod. in illud Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram,* sic loquitur: Sicut Deus longanimis est, ita homo longanimis habet se ad imaginem Dei, Iustus et sanctus est Dominus condolens et misericors. Igitur qui amat iustitiam et sanctitatem, peragit, atque observat præceptum istud Salvatoris Luc. 6. 36. *Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester cælestis misericors est:* et Matth. 5. 48. *Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est:* fit imago Dei per omnia: ita Theod. Divinum mansuetudinis et clementiæ decus ipsi Ethnici perspexerunt. Themist. orat. 16. *Par est verum regem non iniuriam iniuria rependentem, sed beneficiis certantem, qui ipsum offenderat superare. Virtutis hæc nempe victoria: vindicta, potentiæ est: neque per iracundiam, sed magnitudine animi se magnum reddere oportet. Hæc enim magnitudo divina est: illa contra, pusilla atque humana: redditque qui se submittunt, non qui resistunt, excelsiores.* Et Sen. lib. 1. de clem. cap. 5. *Magnam,* ait, *fortunam, magnus animus decet, qui nisi se ad illam extulit, et altior stetit, illam quoque infra ad terram deducit. Magni autem animi est proprium, placidum esse tranquillumque, et iniurias et offensiones superne despicere.* Cum Alex. victor a Poro Indiæ rege debellato captoque inquireret, quo modo tractari vellet: *Regio,* inquit: quo audito, perhumaniter cum eo egit, et ipsi regnum suum reliquit.

58. Vers. 5. 4. Pars. Tertia rota currus Christi est iustitia. Tertia rota currus Christi est iustitia: ideo additur: ET IUSTITIAM. Hæc virtus est maxime regia. Ratio est, quia unicuique reddit, quod suum est: sicque totam communitatem in officio continet, atque regem omnibus amabilem et venerabilem efficit, eliminatisque sceleratis regnum stabilit. Proverb. 16. 12. *Iustitia firmatur solium.*

A Hinc thronus Salom. eburneus gradatim a 12. leonibus ex auro elaboratis sustentabatur, 3. Reg. 10. fortitudinis enim et iustitiæ hieroglyphicum sunt leones. Et certe Salom. regnum suum stabilivit cæsis initio Ioab, Semei, Adon. et aliis. Prov. 25. 5. *Aufer impietatem de vultu regis, et firmabitur iustitia thronus eius.* Diot. Pyth. lib. de regn. Tria, inquit, sunt regis officia, imperare, iudicare, Deos colere. Idcirco in rege perfecto, ut bonus sit Imperator, iudex, et sacerdos requiritur: gubernatoris enim opus est servare navem; aurigæ, currum: medici, ægrotantes: regis autem et Imperatoris in bello periclitantes: ita ille.

Iustitiam regna et provincias locupletantem comparat S. Ambr. Euphrati fluvio suis aquis Mesopotamiam fœcundanti. Sic enim lib. de Parad. cap. 3. *Quartus est fluvius Euphrates, qui latine fœcunditas atque abundantia fructuum nuncupatur, præferens quoddam insigne iustitiæ, quæ omnem pascit animam. Nulla enim abundantiores* Iustitia Euphrati comparanda.
B *videtur habere fructus virtus, quam æquitas atque iustitia, quæ magis aliis, quam sibi prodest, utilitates suas negligit, communia emolumenta præponens. Plerique Euphratem* απο του ευφραινεσθαι *dictum putant, hoc est a lætando: eo quod hominum genus nullo magis quam iustitia et æquitate lætetur. Causam autem cur cæteri qua commeant fluvii, describuntur regiones locorum: qua Euphrates commeat, non describatur, illam accipimus, quia aqua eius vitalis asseritur, et quæ foveat atque augeat. Unde Auxen eum Hebræorum et Assyriorum prudentes dixerunt: contra autem fertur esse aqua aliorum. Deinde quia ubi prudentia, ibi et malitia: ubi fortitudo, ibi iracundia: ubi temperantia, ibi intemperantia plerumque est, aut alia vitia sunt. Ubi autem iustitia, ibi concordia virtutum est cæterarum: ideo non ex locis qua fluit, hoc est, non ex parte cognoscitur. Non enim pars est iustitia, sed quasi mater est omnium.*

Contra vero, iniustitia instar furiæ avernalis, omnia funestat quocumque pedem intulerit. S. Petr. Dam. Opus. 57. *Ubi,* ait, *penitus disciplina postponitur, ubi districta* Iniustitia est instar furiæ.
C *legitimi vigoris censura reprimitur, necesse est ut prona semper ad malum fragilitatis humanæ conditio ad illicita relaxetur. In eum procul dubio tota subiectorum culpa redundat, qui eos ne præcipitanter excederent, sub disciplinæ loco cohibere debuerat: inordinata nempe pietas principis, quid est aliud quam confusio plebis?* In eam rem Lycurg. altiore præditus sapientia sanxit, ne quis ullam e veteribus legibus refringeret, cuius decreti causam rogatus Pausan. ait: leges hominum, non homines legum dominos esse oportere. Quod cum diutissime servatum esset Spartæ, Resp. illa toto orbe inclaruit: ubi vero se vis illa legum remisit, omnia funditus concidere.

Iustitiæ zelum in Christo fuisse et eiecti de templo mercatores, et excuntes Scribæ et Pharisæi e templo cum in terra scriberet, et in horto montis olivarum prostratus, Iudas atque satellites, aliaque declarant. De eo dicit Ierem. cap. 23. 5. *Suscitabo David* (Hebr. *le David,* id est Davidi) *germen iustum* (nempe Christum, ait Chald. et S. Hier.) *et regnabit rex, et sapiens erit: et faciet iudicium*
D *et iustitiam* (id est iudicium iustum, est hendiadys) *in terra.* Dicitur Christus germen iustum, tum quia est causa omnis iustitiæ nostræ, et finalis, et meritoria, et exemplaris: ita S. Hieron. et Rabanus, tum quia exercuit et exercebit iustum iudicium in omnes pios et sceleratos: his supplicia, illis gloriam reddens.

Nota pro, *et mansuetudinem, et iustitiam,* Hebr. est, *et mansuetudinem iustitiæ.* Unde duo collige. Primo, bigam hic tantum Christo dari in Hebr. habetur enim ibi interprete S. Hier. *Decore tuo prospere ascende* (currum scilicet bellicum et triumphalem) *propter verbum veritatis et mansuetudinem iustitiæ.* Ex quibus verbis ait Bellarm. docemur duo esse necessaria regi: ut sit verax sive fidelis in verbis suis: et iustus in operibus suis: quod etiam de Deo summo rege dicitur in Psal. *Fidelis Deus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.* Secundo, hic collige iungendam esse iustitiæ mansuetudinem et clementiam, sicut facit Deus, de quo Habac. 3. 2. *Cum* 59. Iustitiæ iungenda mansuetudo.

iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Et Ps. 74. 9. *Calix in manu Domini vini meri plenus misto.* Vel ipsum vinum merum iustitiæ habet aliquam mistionem misericordiæ S. Ambr. eum locum expendens: *Ad terrendum,* inquit, *plenus est calix, ad feriendum non est exinanitus. Plenus erat calix, cum mors per triduum mandaretur; sed occurrit misericordia Dei, tenuit manum Angeli priusquam calicem istum exinaniret: Severitas legum insolentem restringat audaciam, misericordia principum reos subtrahat pœnæ.* Hoc ait Lorinus, salubre temperamentum iustitiæ, et misericordiæ designat vini permistio cum oleo, quo curata sunt vulnera eius, qui inciderat in latrones, Luc. 10. 30. in eodem hoc nostro rege Christo candidus color cum rubicundo, Cant. 5. 10. capilli quos Ioannes vidit, instar lanæ atque nivis candidos cum flammeis acribusque oculis, Apocal. 1. 14. votum desideriumque Prophetarum, ut emitteret Dominus Agnum dominatorem terræ, Isaiæ 16. 1. summi duces Moses ac David, fortes simul mitesque, simplicitas et rectitudo. Iob. cap. 1. v. 1. et 8. ut animadvertit S. Gregor. 1. Mor. 5. confirmans exemplo Christi, in iudicio de adultera, in quo mansuetudinis simplicitatem ostenderit, dicendo Ioan. 8. 7. *Qui sine peccato est vestrum:* zelum iustitiæ, addendo, *primus in illam lapidem mittat.* Iam prior S. Aug. tract. 33 in Ioan. id ipsum observaverat, tractans eamdem historiam de adultera: *Attulit,* ait, *veritatem ut Doctor, mansuetudinem ut liberator, iustitiam ut cognitor. Cum loqueretur, veritas agnoscebatur: cum adversus inimicos non moveretur, mansuetudo laudabatur: de iustitia calumnia quærebatur.* Propter veritatem, ait Hesychius, Christus arguebat Iudæorum hypocrisim: propter mansuetudinem, cum tentaretur, tolerabat: iustitiam ostendit servando peccatores, et diabolum condemnando.

S. Greg. hanc iustitiæ et mansuetudinis temperationem ait esse repræsentatam in asservatione virgæ et mannæ in templo prope arcam, quæ erat in Sancto sanctorum, id est in loco templi sanctissimo. Sic enim dicit lib. 20. Moral. 6. *Miscenda est lenitas cum severitate, faciendumque quoddam ex utroque temperamentum: ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca significat, in qua cum tabulis virga simul ac manna est, quia cum Scripturæ sacræ scientia est in boni rectoris pectore, si est virga districtionis, sit et manna dulcedinis.* Christus vocatur Agnus Dei, Ioan. 1. 29. ovis, Isai. 53. 7. et leo de tribu Iuda, Apoc. 5. 5. Dictus est pax nostra, Eph. 2. 14. germen iustitiæ, Ier. 33. 15. In eius adventu in terras iustitia et pax osculatæ sunt, Ps. 84. 11. rex iustitiæ, et rex Salem, id est pacificus vocatur, Hebr. 7. 2. ipse enim est verus Melchisedech. Mansuetudinem severitati iungendam esse figurabant Ægyptii pingendo sceptrum cum superiore ciconiæ imagine, et inferiore hippopotami. Ciconia benignitatem denotat ob charitatem erga pullos: hippopotamus severitatem: erat enim hippopotamus in fluvio Nilo ferox bellua, de qua sic Plin. lib. 8. cap. 25. Crocodilo maior altitudine in eodem Nilo bellua hippopotamus editur: ungulis bifidis, quales bubus, dorso equi et iuba. et hinnitu, rostro resimo, cauda et dentibus aprorum, aduncis, sed minus noxiis: tergoris ad scuta, galeasque impenetrabiliis, præterquam si humore madeat.

60. Vers. 5. 5 Pars. Quarta currus Christi rota est fortitudo.

Quarta rota currus Christi est fortitudo. Hinc additur vers. eod. 5. ET DEDUCET TE MIRABILITER DEXTERA TUA. Prima itaque rota, sive equus, est veritas; 2. mansuetudo; 3. iustitia; 4. fortitudo. Si placet biga, habes veritatem, et iustitiam, ut dixi supra. Si vis trigam, id est currum a tribus equis tractum, hic reperis veritatem, mansuetudinem, et iustitiam. Earum vero ductrix erit generosa prudentia: *Et deducet te mirabiliter dextera tua.*

Nota enim pro *deducet,* Hebr. est תורך *thorecha*, id est, Primo illuminabit, seu docebit te dextera tua, quæ non tantum fortis est, sed exercitata et luminosa: tenet gladium flammeum et versatilem, qui et ostendat hostes et fuget. S. Hieron. vertit, et Pagnin. et Felix, docebit te terribilia dextera tua. Chald. docebit te Dominus operari

A timenda, manu dextera tua. Secundo, *thorecha*, id est iaculari te faciet dextera tua. Non potest esse otiosus arcus in manu Christi, qui exit vincens ut vincat. Neque irrita et inanis est eius iaculatio plures ipsosque reges usque ad intimum cor et medullas pervadit, ut dicitur vers. seq. *Sagittæ*, etc.

Nota secundo, Sept. maluerunt vertere ὁδηγήσει, id est deducet in via, quam illuminabit aut docebit: quia mavult Deus opera, quam verba, aut illustrationes mentis. Non vult lucem, quæ non accendat spiritus animales et vitales, atque ad motum incitet. Ps. 42. 3. *Emitte lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt et adduxerunt.* Secundo, ὁδηγήσει significat etiam præibit viam docendo, ostendet viam, atque per eam ducet. Sic Ioan. 16. 13. ubi habemus: *Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem,* Gr. est, ὁδηγήσει, id est inducet vos in omnem veritatem, ut S. Aug. legit. Non ducit Deus sine luce, cum sit lux vera, nec dat tantum lucem, præit ipse cum luce, ut patet in columna nubis et ignis ducente Israelitas.

B Nota tertio, Christus mirabiliter deducitur. Primo, per miracula quæ fecit plurima et maxima. Secundo, per cædes hostium et innumerorum, et fortissimorum, et in generis humani exitium paratissimorum.

Nota denique quarto, Christum deduxit dextera eius non dextera aliena. S. Basil. Non columna nubis, inquit, non ignis illustratio, sed ipsa tua dextera. S. Cyrill. Non enim, inquit, consultore tibi opus est ad procurandum orbis salutem. Satis enim est ad hoc præstandum dextera, id est potentia tua. Ratio a priori est, quia Christus habet eandem potentiam et naturam quam habet Pater: id S. August. sic meditatur hic: *Nos dextera ipsius, ipsum deducit dextera sua. Ille enim Deus, nos homines. Dextera sua deductus est: id est, potentia sua. Etenim potentiam quam Pater habet, habet et ipse, et divinitatem Patris habet et ipse. immortalitatem Patris habet et ipse, æternitatem Patris habet, virtutem Patris habet. Deducet enim eum mirabiliter dextera eius faciens divina, patiens humana, malitias hominum sternens bonitate sua:* ita August. Mirabilia illa in modo ipso fuisse docet S. Chrys. Per mortem, ait, mors deleta est: per maledictum, maledictum sublatum est, et data benedictio: per esum nuper eiecti fueramus, per esum rursus introducti fuimus. Christus non eget aliena dextera.

C Tali virtutum curru invectus Christus non est inermis,
sed arcum manu teneus sagittas in hostes intorquet, eos- 61.
quo transfigit, v. 6. SAGITTÆ TUÆ ACUTÆ (additur Gr. δυνατέ, id est potens. S. Aug. et S. Greg. 34. Mor. 5. aliique habent, potentissime) POPULI SUB TE CADENT, IN CORDA INIMICORUM REGIS, id est tuorum. Hebræi enim solent aliquem, præsertim potentem, alloqui in tertia persona, et statim redire ad secundam personam, ut Ps. 3. 9. *Domini est salus: et super populum benedictio tua.* Vers. 6.

Nota, τὸ *populi sub te cadent*, includendum est parenthesi, et tunc sensus erit perspicuus, q. d. Sagittæ tuæ in corda inimicorum tuorum venient, ideoque populi totius orbis ad tuos pedes procident. Primo, ut veniam petant de præteritis peccatis. Secundo, ut te regem et victorem

D agnoscant atque venerentur. Tertio, ut obedientiam in totam suam vitam spondeant.

Quæres, quænam sunt hæ sagittæ? Primo Orig. et Euseb. Sagittas Christi dicunt esse eius virtutes. Nam, ut aiunt, iustitia Christus iniustum ferit, prudentia imprudentem, temperantia intemperantem, castitate mœchum, fortitudine timidum, mansuetudine iracundum, et fide infidelem. Emittitur autem ante omnes fidei sagitta: oportet enim primum credere, quod Deus est: ita ipsi. Sagittæ Christi sunt: I. Virtutes.

Secundo, sagittæ Christi sunt Apostoli per orbem universum dispersi, et illum amore eius vulnerantes: ita S. Athanas. S. Basil. S. Hieron. et alii. De S. Paulo ait Hieronym. *Paulus sagitta fuit Domini, qui postquam ab Hierosolymis usque ad Illyricum missus arcu Domini, huc, illucque volitavit, ad Hispanias ire festinat: ut velox sagitta sub pedibus Domini sui, Orientem, Occidentemque prosternat.* Sic ipse epist. 140. ad Principiam. Vide dicta Ps. 119. 4. et 126. 4. II. Apostoli.

III. Eius verba. Tertio, præcise et optime, sagittæ Christi sunt eius verba, quibus cor omnium percutit, tum per se, tum per Apostolos: ita S. Hier. S. Basil. Didym. et alii. Christus ipse vocatur sagitta electa, Isaiæ 49. 2. Lorinus notat, quod Iovem, Apollinem, Cupidinem, fere cunctæ gentes armaverunt arcu et sagittis, quæ feriunt eminus, quod videtur proprium Dei: Iovi arma illa dederunt ob facultatem puniendi: Apollini propter vim persuadendi: Cupidini propter vim ad amorem impellendi. Christus longe excellentius hæc omnia præstitit. Optimi sagittarii fuerunt. Primo, Alcon Cretensis, cuius filium cum rapuisset draco, ille draconem illæso filio immissa sagitta confecit, ut refert Manilius, et Valerius Flaccus in Argonauticis. Secundo, Cambyses Persarum rex, qui Prexaspis filio in vestibulo regiæ constituto, medium cor sagitta transfixit, ut ait Herodotus. Tertio, Domitian. Imper. qui in pueri procul stantis expansam dexteræ manus palmam, sagittas tanta arte direxit, ut omnes per intervalla digitorum innocuæ evaderent, teste Svetonio. Quarto, Commodus Imp. qui volantes grues telo configebat, centum ictibus in arena totidem feras stravit, tam validis ictibus, ut multas conficeret uno ictu. Adeo certa fuit ei manus, ut quidquid oculo destinasset, iaculo, aut sagitta contingeret. Sermo Dei longe certior, acutior, et penetrantior, de quo dicit Paul. Hebr. 4. 12. *Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti*, διστόμῳ, id est habenti duo ora, hoc est duas acies, utrinque acuto et secanti) *et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis.* Hoc verbi Dei gladio et sagittis vulnus amoris accepit Sponsa, quæ tam ardenter post dilectum currit, et præ amore languet. S. Greg. Nyss. hom. 4. in Cant. vocat, præclarum vulnus, dulcem plagam, per quam vita ad interiora penetrat. S. Aug. in Ps. 119. in ea verba, Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis, sic ait: *Sagittæ potentis acutæ verba Dei sunt. Ecce iaciuntur et transfigunt corda: sed cum transfixa fuerint corda, sagittis verbi Dei, amor excitatur, non interitus comparatur. Novit Dominus sagittare ad amorem: et nemo pulchrius sagittat ad amorem, quam qui vere verbo sagittat: imo sagittat cor amantis, ut adiuvet amantem, sagittat ut faciat amantem.*

Nota secundo, pro *in corda*, S. Hier. S. Aug. Cassiod. Beda, Bruno et alii legunt, *in corde*, qua lectione significant sagittas Christi ubi semel in cor inciderint, in eo perseverare. Cadunt porro in corda inimicorum, ut ex inimicis amicos faciant. S. August. sic explicat: *Inimici erant*, inquit, *acceperunt sagittas tuas, ceciderunt ante te. Ex inimicis amici facti sunt: inimici mortui sunt, amici vivunt. Hoc est, pro his qui commutabuntur.* Est hic Psalmi titulus. Prius vocaverat verba cor transfigentia, amorem excitantia: unde dicitur in Canticis canticorum cap. 2. et 4. *Quia vulnerata charitate ego sum:* ita ipse. S. Hieron. in epist. 140. ad Principiam, Christum vocat *Patris iaculum.* Illo vulnerat, sed ad salutem, ipse est verus Elisæus, id est Dei salus, mittens in Syriam *sagittas salutis Domini*, 4. Regum 13. 17.

ARTICULUS III.

Christi thronus, et sceptrum regium.

Postquam David laudavit pulchritudinem Christi, velut Sponsi, eius fortitudinem et felicitatem, velut ducis suos hostes prosternentis, laudat eum veluti regem præ-
Vers. 7. stantissimum, v. 7. Sedes tua (S. Hieron. *thronus tuus:* sedes late patet, thronus est regum) Deus in sæculum sæculi: virga directionis, virga regni tui.

Sedem hanc de iudiciaria Dei potestate exponunt S. Thom. et Cass. qui ait dici æternam: quia quidquid in iudicio Christus constituerit, nulla poterit temporis successione dissolvi. Secundo et melius, de regia eius dignitate id explicant Bellarm. Titelm. S. August. et alii. Est metonymia. Et vero exercitium iudiciariæ potestatis cessabit post finem mundi huius, et sententiam latam pro Sanctis et contra reprobos. Vide de utroque nostrum Spinell. in libr. de Maria Deipara, seu de throno Dei cap. 1. in principio.

Nota, *sedere* notat regiam dignitatem in Scriptura. Sic 62. Sedere denotat regiam dignitatem.
Ps. 131. 11. Davidi promittitur: *De fructu ventris tui* (filium Salomonem; 2. Messiam) *ponam super sedem tuam*, id est, regem post te constituam: quod Angelus clare exponit Deiparæ Luc. 1. 32. *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob* (in Ecclesia, ait Beda) *in æternum, et regni eius non erit finis.*

Nota secundo, ex hoc loco aperte probatur Christi divi- 63. Christus est Deus.
nitas: Deus enim vocatur: ita S. Cyrill. Alex. lib. 2. in Ioann. cap. 15. qui plurimum momenti statuit in hoc testimonio. S. Athanas. orat. 2. contra Arrianos, Euseb. lib. 4. de demonst. Evang. cap. 15. qui τὸ *Deus* in vocativo casu esse ait, et in eo vim facit. Et quidem Aquila et Symm. vertunt, ὦ Θεός. Hinc collige Erasm. temere dicere *Deus* hoc loco esse nominativi casus, q. d. Ipse Deus est tibi thronus in sæculum sæculi. Sed si hic sensus valeret, non bene probaret Paul. ex hoc loco excellentiam Christi præ Angelis, ut facit Hebr. 1. 8. Ab æterno extitisse Filium Dei, hinc deducit Concil. Antioch. ep. missa ad Paulum Samosat. antequam deponeretur: *Qui*, ait, *contradicit Filium Dei non esse Deum ante constitutionem mundi: dicitque credere et confiteri duos prædicari deos, si Filius Dei prædicetur Deus: hunc alienum esse ab Ecclesiastica regula arbitramur: et omnes Ecclesiæ Catholicæ nobiscum consentiunt. De hoc enim scriptum est: Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi.*

Nota tertio, hic dicitur regnum Christi fore æternum. 64. Christi regnum est æternum.
Nam licet τὸ *in sæculum*, non semper denotet absolutam æternitatem, eam tamen semper significat, cum ponitur geminatio, et dicitur *in sæculum sæculi*: vel *in sæcula sæculorum*, ut hic vertit S. Aug. Clare S. Irenæus, qui latine scripsisse existimatur, *in æternum*. S. Hier. *in sæculum et in æternum*. Hebr. enim est לעולם ועד *leholam vaed*, quod Aquila ad verbum reddit, εἰς αἰῶνα καὶ ἔτι, in æternum et ultra: quod ponitur amplificationis gratia, q. d. Si quid esset ultra æternitatem, adhuc eo tempore Christus regnaret, quo loquendi modo denotatur certitudo æternitatis regni eius. De illo eximie Daniel cap. 2. post explicatam statuæ illius ingentis visæ a Nabuchodonosor rege Babylonis aureum caput, pectus et brachia argentea, ventrem et femora ærea, tibias ferreas, pedes æreos et fictiles, exponens lapillum hæc omnia conterentem, ait v. 44. *In diebus regnorum illorum* (id est post regna et imperia Assyriorum, Chaldæorum, Græcorum et Romanorum per hæc figurata) *suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem, et consumet universa regna hæc: et ipsum stabit in æternum.* Idem Propheta Daniel vidit quatuor bestias, nempe Leænam alas Aquilæ habentem, Ursum cui tres ordines dentium, Pardum cui erant alæ avis, et bestiam terribilem, quæ dentes ferreos habebat, ascendebant illæ de mari, et quatuor prædicta Imperia significabant peritura. Deinde pulcherrimam refert visionem, in qua oblatus est ei Deus Pater sedens in throno flammeo, et ad eum accedens, tum subditur cap. 7. 14. *Et dedit ei potestatem et honorem, et regnum: et omnes populi, tribus et linguæ ipsi servient: potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur: et regnum eius quod non corrumpetur.* Vide dicta Ps. 2.

Illam perennitatem regni Christi profitetur David Ps. 144. 13. *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum, et dominatio tua in omni generatione et generationem:* id est per omnes generationes, hoc est per omnia sæcula, quod duobus illustribus symbolis solis et lunæ explicat Ps. 88. 38. *Thronus eius sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum.* S. Hieron. sicut luna stabilietur in sempiternum. Vidi ibi dicta. 65.

Symbolice, thronus Dei æternus est Deipara. 1. Andreas Cretens. orat. 2. de dormit. Virg. eam vocat thro- Deipara est thronus Dei.

num excelsum; 2. Georgius Nicomediensis orat. de obiat. Deipar. thronnm gioriosum; 3. Bruno serm. de Annuntiat. thronum Dei; 4. August. serm. de Assumpt. thronum Dei, et aulam regis æterni; 5. S. Ephrem. serm. de laudib. Virg. thronum Cherubicum; 6. ad rem nostram maxime est dictum S. Bonaventuræ in speculo B. Virg. cap. 8. *Tu es*, inquit, *thronus ille indeficiens, thronus in æternum, thronus Filii Dei, de quo Pater per Prophetam ait: Thronus tuus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum, et vere in æternum.* Figuratus est ille thronus, Primo, in throno viso ab Isaia cap. 6. ubi Dominus sedebat, et ea quæ sub ipso erant replebant templum, et Seraphim sex alarum cantabant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. S. Bernardin. t. 3. concion. serm. 11. sic expouit: *Hæc exaltatio Virginis prævisa fuit Isaiæ 6. 1. Vidi Dominum sedentem super solium: quia immobiliter requievit super Virginem gloriosam Mariam, excelsum quidem et elevatum ratione dignitatis latissimæ.* Secundo, figuratur in throno sapphirino viso ab Ezech. cap. 1. Sic enim ait S. Bonavent. in spec. B. Virgin. cap. 11. *Ipsa est thronus ille sapphirinus, qui sicut in Ezechiele legitur, super firmamentum Angelicum exaltatus est.* Tertio, Deipara est thronus ille a S. Ioanna visus Apoc. 4. de quo S. Bern. in serm. quodam, qui habetur tom. 2. operum: *Ioannes in Apocalypsi de throno ait, scilicet de Maria, procedebant fulgura, et voces, et tonitrua: quia mater Filii Iesu Christi parabolas, ænigmata, legalia, mirifica gesta, dicta, opera avidius ebibit, fidelius credidit, sincerius, luculentiusque aliis edidit.* Quarto denique, figuratur in throno Salomonis eburneo, de quo 3. Reg. 10. 18. De hoc throno eximium sermonem fecit S. Petr. Damiani serm. in Nativit. B. Virgin. *Fecit*, inquit, *thronum, uterum videlicet intemeratæ Virginis, in quo sedit illa Maiestas. Hanc sessionem Filii et probavit, et cognovit Pater, ipso dicente. Psal.* 138. *Tu cognovisti sessionem meam. Et Ps.* 44. 7. *Thronus tuus Deus in sæculum sæculi. Et Ps.* 88. 37. *Thronus iste sicut sol in conspectù tuo.* Lege cætera.

66. **Anima sancta est thronus Dei.** Tropol. Thronus Dei æternus est anima sancta, et in sua pietate constans. S. August. in illud Ps. 121. 5. sederunt sedes in iudicio, sic ait: *Dictum est alio loco, anima iusti sedes sapientiæ: id est, in anima iusti sedet sapientia tamquam in sella sua, tamquam in throno suo, et inde iudicat quidquid iudicat.* Sapientiæ cap. 7. citat. ubi enim habetur in editione vulgata, in animas sanctas se transfert, alia littera habet, *anima iusti thronus*, seu sedes, *sapientiæ*.

67. **Vers. 7. 2. Pars. Virga directionis dupliciter sumpta.** In throno sedens Christus sceptrum manu tenet. Ideo post mentionem throni subdit sceptrum, vers. 7. VIRGA DIRECTIONIS, VIRGA REGNI TUI. *Virga directionis* potest sumi dupliciter: scilicet transitive et intransitive. Deus enim est in se rectus, et alios rectos efficit. Primo itaque,

I. Intransitive. *virga directionis*, id est virga rectissima. Est Hebraismus; sicut vocatur 1. Regum 2. 3. *Deus scientiarum*, hoc est scientissimus. Hinc Psalt. Romanum, et Gallican. atque Arab. et Cassiodorus habent, *virga recta est virga regni tui.* Chald. sceptrum rectum (Syr. protensum) sceptrum regni tui. Sceptrum porro seu virga sumitur metonymice pro gubernatione. Deus est essentialis rectitudo. Rectitudo autem in Scripturis, ut ait S. Athanasius, iustitiam significat. Unde Ps. 18. 9. dicitur: *Iustitiæ Domini rectæ.* Ps. 118. 37. *Rectum iudicium tuum.* Boethius lib. de Trinitate: *Neque*, ait, *aliud est, quod est: aliud est, quod iustus est, sed idem est esse Deo, quod iustus.* Psal. 96. 2. habetur: *Iustitia est iudicium correctio sedis* (S. Hieron. firmamentum solii) *eius.*

II. Transitive. Secundo, *virga directionis* est virga seu potestas et gubernatio alios dirigens, et a pravitate in viam et rectitudinem revocans. S. Bruno: *Virga*, inquit, *regulam significat divinæ æquitatis: ista enim virga iustos regit, impios percutit: quæ veraciter recta dicitur, quia nulla pravitate curvatur.* S. Hieron. vocat virgam correctionis, pro malis scilicet. S. August. magis directionem spectat: *Directionis virga est*, inquit, *quæ dirigit homines: curvi erant, distorti erant, sibi regnare cupiebant, se amabant, facta sua mala diligebant: non voluntatem Deo subdebant, sed voluntatem Dei ad suas concupiscentias flectere volebant. Irascitur enim peccator, et iniquus plerumque Deo, quia non pluit, et non vult sibi Deum irasci, quia fluit. Et ad hoc propemodum sedent quotidie homines, ut disputent contra Deum: hoc facere debuit, hoc non bene fecit. Tu videlicet vides quid facias, ille nescit. Distortus tu es, ille rectus est. Distortum ad rectum quando coniungis? Collineari non potest, tamquam si in pavimento æquali ponas lignum curvum, non adiungitur, non cohæret, non coaptatur pavimento. Pavimentum ubique æquale est, sed illud curvum est, non coaptatur æquali. Ergo voluntas Dei æqualis est, tua curva est. Propterea tibi curva videtur illa, quia tu illi coaptari non potes. Dirigere ad illam, tene illam: nam si illam velis curvare ad te, quia non potes, frustra conaris, illa semper directa est. Vis illi hærere? Corrigere. Erit virga ipsius qui te regit, virga directionis. Inde et rex a regendo dicitur; non autem regit qui non corrigit. Ad hoc est rex noster rectorum rex. Quomodo et sacerdos a sanctificando nos, ita et rex a regendo nos. Sed quid ait alio loco? Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris, et cum electo electus eris, et cum perverso perversus eris: non quia perversus Deus, sed quia perversi perversum eum putant. Placet tibi bonum, bonus est Deus: displicet tibi, quasi pravus est Deus. Curvus est ad te Deus, tua curvatura facit hoc, nam illius rectitudo semper manet.* Vide dicta fuse Ps. 2. 9. in illud *reges eos in virga ferrea.* Et in Psal. 22. 4. *Virga tua, et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.*

Ut probet David virgam seu sceptrum, id est gubernationem Christi esse rectam, duo dicit: 1. quod amat virtutem; 2. quod odit vitium, v. 8. DILEXISTI IUSTITIAM, ET ODISTI INIQUITATEM: PROPTEREA UNXIT TE, DEUS, DEUS TUUS OLEO LÆTITIÆ PRÆ CONSORTIBUS TUIS. **Vers. 8. 1. Pars.** *Iustitia* hic sumi potest, vel pro iustitia stricte sumpta, quæ est particularis virtus a cæteris distincta: vel pro complexione omnium virtutum. **68.** **Iustitia reges decet: tum stricte sumpta.** Primo enim iustitia specialis virtus reges maxime decet, qualis hoc in Psalmo describitur Messias, de quo habes Ps. 71. 2. *Deus iudicium tuum regi da, et iustitiam tuam filio regis*, id est filio Davidis secundum corpus, ait S. Gregor. Nyss. vel melius, filio tuo o Pater æterne. De eo etiam ait Ioan. 5. 22. *Omne iudicium dedit Filio.* Chald. Paraphr. vertit in Psal. 71. Deus sententiam iudiciorum tuorum regi Christo dato, et iustitiam filio Davidis. Quam necessaria sit iustitia docet S. August. lib. 4. de civit. cap. 4. *Remota iustitia*, inquit, *quid sunt regna, nisi magna latrocinia? quia et ipsa latrocinia quid sunt, nisi parva regna?* Prov. 29. 4. dicitur: *Rex iustus erigit* (Chald. stabilem facit) *terram;* Septuag. et Syr. vir iniquus) *destruit eam.* Aristot. lib. 5. Ethic. Iustitia, inquit, perfecta virtus est, et præclarissima virtutum; et neque est Hesperus ita, neque Lucifer admirabilis. Agapetus Diaconus in Parænesi ad Iustin. Imper. ait principem solis instar debere lumine veritatis iniquitatis occulta coarguere; et Plutarch. in Moral. *Quemadmodum*, ait, *Deus in cælo pulcherrimum, ac iucundissimum sui simulacrum constituit solem, sic in republica principem, qui prudentia, iustitia, benignitate se erga omnes repræsentet.* Hinc S. Ludovicus, at Carolus Magnus Franciæ reges, Iustinianus Imperat. Orientis, imo etiam Ethnici Imperatores Augustus, Vespasianus, Traianus, Antoninus, Severus iura populis per se reddebant. Et quidem Augustus apud Senecam in Ludo dicit, pietate et iustitia principes Dii fiunt. Aristot. lib. 5. Politic. cap. 10. Rex ait, debet, et vult esse custos, ut nec opulenti iniustum aliquid patiantur, nec plebs contumeliam accipiat. Cicero in Paradoxis, Ius et equitas vincula sunt civitatum. Vide dicta Ps. 2. 10. De Christo speciatim ait Isaias cap. 11. 5. *Et erit iustitia cingulum lumborum eius* (et veluti baltheus et ensis e baltheo dependens) *et fides cinctorium renum eius.* Hebræi per cingulum significant adhærentiam et coniunctionem; 2. robur et vires: unde dissolvi cingulum lumborum, est vires amittere, Dan. 5. 6.

et accingere lumbos fortitudine, est strenuo et virili animo aliquid aggredi et facere, Proverb. 31.17. - 3. alacritatem et expeditionem, q. d. Christus erit accinctus ad iustitiam et veritatem tuendam super terram; 4. pretium et amorem: sicut enim virgini fascia pectoralis, ita viro baltheus est in deliciis, q. d. Christo regi iustitia et fides erunt chara et nunquam deponentur, ac si essent eius baltheus: ita Sanchez; 5. iustitiam et fidem Christo fore propriam, perpetuam et immutabilem: tale enim suum cuique est cingulum.

69. *Tum late pro complexione omnium virtutum.* Secundo, *iustitia* hic sumi potest in ampla significatione, scilicet pro virtutum omnium complexione. Michææ 6. 8. dicitur: *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te? utique facere iudicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Lege S. August. serm. 135. de tempore, et quæ dixi Ps. 39. 27. Reges præsertim virtuti studere debent. Hinc Basilius Imper. exhort. ad Leonem filium, cap. 10. *Cave,* inquit, *ne regni malus custos, degeneris aliquid et indigni committas: sed, sicuti cæteris prælatus es, ut omnibus imperares: ita contende, ut virtute quoque cæteris antecellas: virtus enim omni principatu, et omni auctoritate præstantior est. Si ergo dignitate quidem reliquis præstas omnibus: virtute autem ab alio præcelleris: Imperator es in eo, quod minoris excellentiæ est: in eo vero, quod præclarius est, Imperator non es, imo alterius imperio subes. Ne sis ergo veluti supposititius, atque adulterinus Dominus, cum te alius præstantior reperiatur: sed verus Imperator, cum cæteris omnibus virtute antecedas.* De Deo dixi Ps. 5. v. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es,* neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos. Consule illum locum. Ad hunc Psalmum apte S. Bern. lib. 5. de Consider. ad Eugenium: Quid est Deus, inquit, voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo, creans mentes ad se participandum, vivificans ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, iustificans ad promerendum, accendens ad zelum, fœcundans ad fructum, dirigens ad æquitatem, formans ad benevolentiam, moderans ad sapientiam, roborans ad virtutem, visitans ad consolationem, illuminans ad cognitionem, perpetuans ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circumdans ad securitatem. *Quid est Deus? Non minus pœna perversorum, quam humilium gloria: Est enim rationabilis quædam æquitatis directio, inconvertibilis atque indeclinabilis, quippe attingens ubique, cui illisa omnis pravitas, conturbetur necesse est.* De Dei bonitate fuse agit S. Dionysius cap. 4. de divin. nomin. de ea dicam Ps. 105. 1.

ARTICULUS IV.

Christi et Christianorum unctio regia.

70. *Vers. 8. 2. Pars.* De throno et sceptro Christi diximus artic. præced. sequitur eius unctio, qua Rex æternus designetur, et omnibus honorandus proponatur, v. 8. Propterea unxit te Deus (S. August. legerat ω Θεος, ideo ait το *Deus* esse in vocativo casu, q. d. O tu Deus, unxit te Deus tuus: quo sensu denutatur Christum esse Deum; 2. S. Athan. sumit in nominativo casu, et ait nomen geminatum *Deus Deus* designare personam Patris et Spiritus sancti, a quibus dicatur unctus Christus, qui simul homo, simul Filius Dei ac Deus est. Et quidem Græce nunc est ο Θεος) Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis, id est præ iis qui sunt eiusdem sortis et conditionis atque tu, sive in natura sive in gratia; plusquam omnes, qui de tua natura et gratia participant. S. Hieron. et Pagn. *præ participibus tuis.* Camp. et Arias, *præ sodalibus tuis.* Chald. *abundantius quam consortes tuos.*

Consortes Christi quinam? 1. Quæres primo, qui sint illi consortes Christi? Primo, Nicephor. intelligit reges, sacerdotes, et Prophetas, qui cum ungerentur etiam vocabantur Christi. *Deus,* ait, *unxit te Deitate, qui natura Deus tuus est, ut omnia prædicta facias. Unxit autem te præ participibus tuis: id est cum quibus aliquid commune est, Christo autem in nomine omnes reges communicant, qui omnes Christi id est uncti appellantur: nec reges tantum, sed sacerdotes et prophetæ: nam cui ex illis Deus secundum hypostasim unitus est.* Apoc. 19. 16. vocatur Rex regum et Dominus dominantium.

II. Secundo, consortes Christi in natura sunt omnes homines, qui etiam in gratia illi communicant, si velint: *Participes,* ait S. Hieron. epist. 140. ad Principiam, *Apostolos credentesque significat: quibus unctionis suæ vocabulum tribuit, ut ab uncto vocentur uncti, id est, a Christo Christiani.* Præ omnibus autem hominibus unctus est Christus, ut patebit infra.

III. Tertio denique, consortes et participes Christi in gratia sunt Angeli: ita Ugo, Agell. Eugubin. Præ illis autem unctus est, quia est caput non solum hominum, sed etiam Angelorum, ut docet S. Thom. 3. p. qu. 8. art. 4. quia, ut ait, propinquius se habet ad Deum, et perfectius participat dona ipsius, non solum quam homines, sed etiam quam Angeli: et de eius influentia non solum homines recipiunt, sed etiam Angeli: dicitur enim Ephes. 1. 21. quod constituit eum, scilicet Christum, Deus Pater ad dexteram suam in cælestibus supra omnem potestatem, et principatum, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro, et omnia subiecit sub pedibus eius. Et ideo Christus non solum est caput hominum, sed etiam Angelorum: unde et Matth. 4. legitur, quod *accesserunt Angeli, et ministrabant ei:* ita S. Thomas. Christus itaque in candelabro aureo Ecclesiæ est lampas magna in supremo eius posita, ex qua oleum in alias lucernas, id est in fideles defluit. Zach. 4. 2. *Vidi, et ecce candelabrum aureum totum, et lampas* (Hebr. גולה *gulla,* id est vas rotundum et concavum, et in formam lenticulæ formatum. Tig. vertit, discus rotundus. Vatabl. lenticula) *eius super caput ipsius, et septem lucernæ eius super illud: et septem infusoria lucernis, quæ erant super caput eius,* ut per illa infusoria seu calamos arcuatim ex fundo lampadis prodeuntes, oleum e lampade in singulas lucernas deflueret: *Et duæ olivæ super,* id est iuxta, *illud: una a dextris lampadis, et una a sinistris eius.* Hæ olivæ sunt natura Angelica, et natura humana. Angeli et homines sunt filii olei, id est oleo uncti.

Quæres, quodnam est oleum lætitiæ, quo unctus est 71. *Oleum lætitiæ quo unctus est Christus quale?*
Christus præ consortibus suis? Nota, Hebr. שמן *scemen,* oleum, et unguentum significat. Unde Campensis vertit: *Unxit te, Deus, Deus tuus unguento lætitiæ præ sodalibus tuis.* Nota secundo, quod oleum non solum ex olivis, sed ex omnibus floribus, herbis, aromatibus exprimitur, ita ut tota rei substantia, succus, pinguedo et vis exugatur. Medici quintam essentiam appellant. Nota tertio, oleum est hieroglyphicum, Primo, roboris, quia, ut ait Plin. lib. 23. cap. 4. Omni oleo mollitur corpus, vigorem et robur accipit, venena omnia hebetat. *Oleum varia denotat.* Secundo, oleum, seu potius olea est symbolum victoriæ. Plin. l. 15. c. 4. Oleæ, inquit, honorem Romana maiestas magnum præbuit, turmas equitum Idibus Iuliis ex ea coronando: ita minoribus triumphis ovantes, Athenæ quoque victores olea coronabant. Aristotel. ait, et alii omnes, oleastro fuisse coronatos Olympionicas. Olea vocatur φιλοςεργανος. Tertio, oleum est symbolum pinguedinis et ubertatis. Arist. lib. 8. hist. animal. cap. 10. *Opimat,* inquit, *pecus olea.* dicit etiam, quod apes gaudent olea, ut mellificent. Quarto, gratiæ mansuetudinis, benignitatis, misericordiæ. Græc. ελαιον, oleum: et ελεος, misericordia, habent inter se affinitatem. Quinto, oleum est symbolum lætitiæ. Qui enim se ungunt, sunt nitidi, læti ac lucidi. Vide Ps. 103. 16. *Ut exhilaret faciem in oleo,* id est oleo: hinc Christus dicit Matth. 6. 17. *Cum ieiunas, unge caput tuum.* Ubi S. Hieron. Iuxta ritum Palæstinæ loquitur, ait, ubi diebus festis solent ungere capita. Præcipit igitur, ut quando ieiunamus lætos et festivos nos esse monstremus. His positis:

72. *Oleum lætitiæ est divina natura.* Resp. primo, Eusebius, *oleum lætitiæ,* quo unctus est Christus esse naturam divinam, quam a Patre æterno ac-

cepit. Sic enim lib. 4. Demonstr. Evangel. cap. 15. *Supremæ*, ait, *atque ingenitæ divinæ essentiæ virtutem illam, quæ omnia valet, omne bonum præstat, omnem pulchritudinem subministrat, divinus Spiritus proprio et convenienti exemplo conferens atque accommodans, Dei oleum appellat. Quare et Christum, et unctum eum qui illius particeps est, vocat.* Et postea subdit: *Eum qui solo hoc toto oleo unctus est: quique divinæ, atque eius quæ cum nullis aliis communicatur, paternæ fragrantiæ princeps factus, et qui solo ex illo genitus, Deus Verbum, communicatione gignentis ingeniti, Deus de Deo est declaratus, Christum atque unctum vocavit.*

73. Humanitas Christi uncta est. Secundo, et melius, Christus unctus dicitur, secundum quod homo est: hoc autem varii varie explicant.

I. Primo, *unxit te Deus oleo lætitiæ*, etc. Sensus est, ait Iansen. q. d. Tibi soli summam omnium quæ in cælis et in terra sunt potestatem tribuit, regem te omnium constituens, et in dexteram suam te extollens: ita ille. Sic oleum lætitiæ erit regia potestas et dominium Christi super omnes consortes suos: homines scilicet atque Angelos.

II. Gratia sanctificante. Secundo, *oleum lætitiæ*, est gratia sanctificans, qua Christus unctus est ab initio conceptionis, qua omnes prorsus creaturas superavit: ita Ugo Cardin. S. Basil. S. Athanas. orat. 2. contra Arrianos, et alii. Act. 10. 38. ait S. Petrus instruens Cornelium Centurionem, et eius familiam, in Cæsarea urbe, ubi primum ad Gentiles prædicatio et Baptismus transiit: *Iesum a Nazareth unxit Deus Spiritu sancto* (id est gratia Spiritus sancti) *et virtute.* Quod autem ea gratia unctus sit præ participibus probatur ex S. Thoma, qui 3. p. q. 7. art. 10. ait plenitudinem gratiæ esse propriam Christi ex parte ipsius gratiæ. Hæc enim plenitudo gratiæ ex eo est, quod aliquis pertingit ad summum gratiæ, et quantum ad essentiam, et quantum ad virtutem: quia scilicet habet gratiam et in maxima excellentia, qua potest haberi, et in maxima extensione ad omnes gratiæ effectus. Id autem soli Christo convenit. Art. 12. idem sanctus Doctor probat Christi gratiam non potuisse augeri.

III. Unione hypostatica. Tertio, *oleum lætitiæ*, quo unctus est Christus, est unio hypostatica, ad quam nullus hominum aut Angelorum pertingit: ita S. August. S. Athanas. S. Cyrill. S. Greg. Nazianz. et alii. Verba S. August. sunt: *Unctus est Deus a Deo. Quo oleo, nisi spiritali? Oleum enim visibile in signo est, oleum invisibile in Sacramento est. Oleum spiritale intus est, oleum visibile exterius est. Unctus est nobis Deus, et missus est nobis: et ipse Deus ut ungeretur, homo erat: sed ita homo erat, ut Deus esset: ita Deus erat, ut homo esse non dedignaretur. Verus homo, verus Deus, in nullo fallax, in nullo falsus: quia ubique verax, ubique veritas. Deus ergo homo, et ideo unctus Deus, quia homo Deus, et factus est Christus.* Figuratum id ait fuisse in lapide, quem Iacob unxit post visionem illam mirabilem scalæ ad cælum pertingentis. *Expressum est mysterium*, ait, *videte lapidem. Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Et quia caput viri Christus, propterea lapis ad caput. Attendite magnum Sacramentum. Lapis Christus. Lapidem vivum, ait Petrus 1. epist. 2. ab hominibus reprobatum, a Deo autem electum. Et lapis ad caput, quia caput viri Christus: et unctus lapis, quia a chrismate dictus est Christus.* Christum esse caput totius Ecclesiæ docet S. Thom. 3. p. quæst. 8. art. 1. Pergit vero S. August. explicare, cur angeli visi sint ascendentes et descendentes in scala Iacob. *Amen*, inquit, *dico vobis, videbitis cælum apertum, et angelos Dei ascendentes et descendentes super Filium hominis. Angeli Dei ascendant, et descendant per scalas illas, fiat hoc in Ecclesia. Angeli Dei annuntiatores sunt veritatis, ascendant et videant. In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Descendant et videant, quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Ascendant et erigant magnos: descendant, ut nutriant parvos. Vide ascendentem Paulum 2. Cor. 5. 13. Sive mente excedimus, Deo. Vide descendentem, sive temperantes sumus, vobis. Vide ascendentem, Sapientiam loquimur inter perfectos. Vide descendentem, lac vobis potum dedi, non escam.* Hæc porro unio hypostatica licet sit aliquid creatum (nempe relatio existens in natura humana realiter, in Deo autem secundum rationem tantum, 3. p. q. 2. art. 7.) tamen est maxima unionum, art. 8.

74. IV. Gloria beatifica. Quarto denique, plene et adæquate, *oleum lætitiæ*, quo unctus est Christus est unio hypostatica, et omnia dona gratiæ et gloriæ ex ea consequentia. Quod ut intelligatur, sciendum est, quod, ut docet S. Thom. 3. p. q. 7. art. 13. unio humanæ naturæ ad divinam personam præcedit gratiam habitualem in Christo: non ordine temporis, sed naturæ et intellectus. Et hoc triplici ratione: Primo quidem secundum ordinem principiorum utriusque. Principium enim unionis est persona Filii, assumens humanam naturam, quæ secundum hoc dicitur missa esse in mundum, quod humanam naturam assumpsit. Principium autem gratiæ habitualis, quæ cum charitate datur, est Spiritus sanctus, qui secundum hoc dicitur mitti, quod per charitatem mentem inhabitat. Missio autem Filii secundum ordinem naturæ, prior est missione Spiritus sancti, sicut ordine naturæ Spiritus sanctus procedit a Filio, et a sapientia dilectio. Unde et unio personalis, secundum quam intelligitur missio filii, est prior ordine naturæ, habituali gratia, secundum quam intelligitur missio Spiritus sancti. Secundo, accipitur ratio huius ordinis ex habitudine gratiæ ad suam causam. Gratia enim causatur in homine ex præsentia divinitatis, sicut lumen in aere ex præsentia solis. Unde dicitur Ezech. 43. Gloria Dei Israel ingrediebatur per viam Orientalem, et terra splendebat a maiestate eius. Præsentia autem Dei in Christo intelligitur secundum unionem humanæ naturæ ad divinam personam: unde gratia habitualis Christi intelligitur, ut consequens unionem, sicut splendor solem. Tertio denique, ratio huius ordinis sumi potest ex fine gratiæ: ordinatur enim ad bene agendum. Actiones autem sunt suppositorum et individuorum. Unde actio, et per consequens gratia ad ipsam ordinans, præsupponit hypostasim operantem. Hypostasis autem non præsupponitur in humana natura ante unionem: ita S. Thomas. Itaque unio hypostatica est veluti fons lucis, gratia et alia dona sunt radii inde defluentes. Vel certe, fons est olei Christum totum inungens, velut caput nostrum, et inde in cætera membra decurrens. Cant. 1. 2. dicit illi Sponsa: *Oleum effusum nomen tuum.* Hoc oleum est oleum lætitiæ, seu ut in Psalmo nostro habet S. Hieronym. oleum exultationis. S. Bern. Iesus mel in ore, melos in aure, iubilus in corde. Nil canitur suavius, nil auditur iucundius, nil cogitatur dulcius, quam Iesus Dei filius. Iesu dulcedo cordium, fons vivus, lumen mentium, excedens omne gaudium, et omne desiderium. Lege illum serm. 15. in Cantica. Sapientia incarnata, id est Christus, de se ait Eccli. 24. 19. *Quasi oliva speciosa in campis.* Græc. ευπρεπης, hoc est decora. Est olea quam columba nobis attulit viridantibus ramis, non tantum ad significandum divinam misericordiam in cessatione diluvii, et pacem cum hominibus factam, Gen. 8. 11. sed ad illam pacem et misericordiam dandam. Conceptus est Christus de Spiritu sancto, qui Virginem, arcam salutis obumbravit, Luc. 1. loquens Ps. 51. 10. ait: *Ego autem, sicut oliva fructifera.* Debet inseri oleastris, id est nobis, qui sumus arbores agrestes si fructum suavem, et oleum lætificans ferre volumus. Illi uniamur, ut membra capiti: tunc unguentum quod est in capite descendet in barbam et in oram vestimenti. Vide Psalm. 132. vers. 2.

75. Quæres secundo, quomodo hæc inter se recte coniunguntur: *Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus?* Ratio dubitandi est, quia unio hypostatica et gratia habitualis caderent sub meritum, si ideo illæ datæ essent Christo, quia dilexit iustitiam et odit iniquitatem. Nota, quod *propterea* duo potest significare, 1. eam ob causam; 2. sumitur causaliter, id est pro *quia*, seu *propterea quod*, et sic accipitur hoc loco.

Christus semper fuit impeccabilis. Sensus itaque est, q. d. Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem: idque fecisti, quia unxit te Deus oleo lætitiæ

præ omnibus hominibus et Angelis: dilexisti enim virtutem et odisti iniquitatem; ita ut sis prorsus impeccabilis, et amara vitium, vel odisse probitatem non possis. Christus enim in omni statu est ab intrinseco impeccabilis: quia ab intrinseco habet totum illud auxilium necessarium ad hunc effectum pro ratione status: ita ut non possit illo carere, ut docet Suar. 3. p. disp. 18. sect. 4. et alii Theologi cum Magistro in 3. distinct. 12. S. Thom. ibi, q. 1. art. 2. S. Bonavent. et Richard. art. 2. q. 1. et 2. Capreolo q. 1. Aimayno dist. 1. quæst. 2. Paludan. q. 2. Psalmi nostri loco ad hoc probandum utitur S. Athanasius serm. 2. contra Apollinarem, et lib. de Incarn. citatur in 6. Synodo. act. 17. S. Greg. Nazianz. in oration. 36. num. 46. ubi ait, voluntatem humanam Christi ita fuisse deificatam per unionem ad Verbum, ut non posset divinæ repugnare. Origenes rem illustrat egregio simili; sic enim lib. 2. Periarchon. cap. 6. *Ferrum*, ait, *natura sua capax est caloris et frigoris, si tamen semper intra fornacem ignis contineatur, dici potest incapax frigoris: sic beatissima Christi anima in Deo semper existens, quidquid agit, quidquid intelligit, Deus est: et ideo inconvertibilis est, et immutabilis, quæ inconvertibilitatem ex Dei Verbi unione indeficienter ignita possedit.* Ratio est, quia si Christus peccaret per humilitatem, Deus ipse peccaret, quod est impossibile. Est enim personæ divinæ regere humanitatem sibi unitam: sicut voluntatis nostræ est regere appetitus inferiores et membra corporis; itaque sicut nostræ voluntati tribuitur defectus moralis, qui est in potentiis inferioribus, quas non regit, licet id facere teneatur; ita etiam persona ipsa peccare diceretur, si humanitatem quam assumpsit non regeret, atque a peccato non impediret. S. Thom. in 3. dist. 12. q. 2. art. 1. dicit, quod Christus peccare non potuit, quia anima et corpus eius fuerunt quasi organum deitatis, et deitas regebat animam, et anima corpus. Suar. tom. 1. 3. p. q. 34. sect. 2. ait, contrariam sententiam, neque sine temeritate, neque sine quadam impiatatis specie defendi posse.

76. Quæres tertio, an Christus mereri potuerit unionem suam hypostaticam, et gratiam sanctificantem, cum dicatur: *Dilexisti iustitiam*, etc. *propterea unxit te Deus?* Dico primo, quod unionem hypostaticam Christus mereri non potuit, quia anima Christi non est capax meriti, nisi ut subsistens: non fuit autem subsistens antequam uniretur Verbo. Dico secundo, quod de potentia absoluta potuit Christus beatus existens a primo instanti Incarnationis suæ, beatitudinem animæ, et cætera dona gratiæ et scientiæ sibi mereri: quia non est necesse, ut meritum tempore antecedat præmium, sed solum natura: ita in 3. dist. 18. Albertus Magnus art. 4. et 7. Guilielm. de Rubio. q. 1. Francisc. de Mairone q. 1. Dico tertio, Christus de facto hæc dona animæ suæ non meruit: ita S. Thom. q. 19. art. S. Bonavent. in 3. dist. 18. art. 2. q. 1. Durand. q. 3. n. 6. Marsil. q. 12. art. 1. conclus. 3. Suar. tom. 1. disp. 40. sect. 2. Ratio est, quia actus supernaturalis, qui est prior natura suo habitu, non elicitur ab illo: quia repugnat propriam causam efficientem esse effectum sui effectus in genere causæ materialis, vel alio simili. At vero anima Christi nunquam operata est actus supernaturales, etiam in primo instanti, nisi ex habitu quia semper operata est perfecto et connaturali modo: unde ad eliciendum primum actum scientiæ infusæ, præintelliguntur illi esse indita lumen et species; et primus charitatis actus intelligitur supponere habitum, a quo elicitur. Ergo Christus non obtinuit hos habitus per meritum horum actuum ordine naturæ antecedens: ita Suarez, qui deinde idem probat de beatitudine animæ. S. Basil. in Ps. nostr. clare est in eadem sententia: *Reliqui homines*, inquit, *labore, et exercitatione, et attentione sæpe assequuntur amorem honesti ac probitatis, et malitiæ totius detestationem;* σοι δε φυσικη τις εστι προς το αγαθον η οικειωσις, *tibi autem naturalis est ad boni prosecutionem proprietas, et ad iniquitatis fugam perquam familiaris alienatio.*

Non potuit mereri unionem hypostaticam.

77. Nota cum dicatur Christus unctus præ consortibus suis, necesse est dicere, consortes eius etiam unctos fuisse: homines scilicet atque angelos. De angelis vide Suar. tom. 1. 3. p. q. 8. disp. 22. sect. 2. ubi docet, Christum esse eorum caput, et gratiam in illos ob eius merita derivari. De hominibus nunc agendum est, qui sunt magis consortes Christi ob participationem eiusdem naturæ. Nam Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et fratres suos appellavit Apostolos, Matth. 28.10. In similitudinem hominum factus est, et habitu inventus ut homo, Philipp. 2.7. Christus est oliva speciosa et fructifera, ut dixi supra. Christiani sunt *novellæ olivarum*, Ps. 127. 3. id est novæ et teneræ olivæ. Christus est αγιος των αγιων, Sanctus sanctorum, ut ait Clemens Alex. lib. 1. Strom. αλειμμα βασιλικον, id est *Regalis unctio*, sicut idem loquitur lib. 2. pædag. cap. 8. *unguenti substantia*, ut eum vocat Origenes lib. 2. περι αρχων, id est de principiis, cap. 6. Christiani da illo fonte participant. S. Gregor. in Cant. *Nomen sponsi*, ait, *Christus est: sed nomen sponsi quasi oleum effunditur: quia quicumque nomine Christiano in veritate censentur, charitate sancta affluunt: qui molliuntur, ut flammas exemplorum emittant, eadem charitate continue suffunduntur.*

Christiani etiam unguntur.

Unguntur autem omnes Christiani, 1. in Baptismo; 2. in Confirmatione; 3. in extrema Unctione: scilicet in principio, progressu et fine vitæ spiritualis et corporalis: idque ob quinque præcipuas causas.

In sacramentis.

78. I. Primo, ungimur ante Baptismum et in Baptismo, ut gratiæ in animam infusio denotetur. S. Cyrill. Alex. in cap. 55. Isaiæ: Unguentum, ait, quo in Baptismo ungimur, est symbolum Spiritus sancti. Rupertus lib. 5. de divinis officiis cap. 16. Chrisma, inquit, Spiritus sancti signum est, cuius et virtutem continet. S. Clemens Papa lib. 7. Constitut. Apostol. cap. 23. *Unges eum* (catechumenum) *prius oleo sancto, deinde baptizabis aqua, postremo signabis unguento chrismatis, ut sit oleum unctionis participatio spiritus, aqua symbolum mortis, unguentum chrismatis sigillum pactionum.* Rabanus Maurus Abbas Fuldensis, et postea Episcopus Moguntinus, qui vixit tempore Ludovici Pii Imperat. circa ann. 835. lib. 1. institut. cap. 28. ait, sapienter post Baptismum fieri unctionem: quia Spiritus sanctus, qui per illud chrisma suæ virtutis admistione signat credentes, baptizato Iesu statim super illum in columbæ specie descendit; eiusque typum dicit fuisse columbam, quæ ad arcam ramum olivæ virentibus foliis tulit: eoque ait significari quod Spiritus sanctus per chrismatis unctionem in Baptismate vigorem confert fidelibus cælestis gratiæ. S. Chrysost. hom. de Spiritu sancto plures unctionis sacræ effectus recenset, qui venerationem illius augere possint: *Spiritu sancto*, ait, *reges inunguntur, sacerdotes ordinantur, Doctores declarantur, Ecclesiæ sanctificantur, altaria fundantur, unguentum consecratur, aquæ purgantur, dæmones abiguntur.*

Ante Baptismum et in Baptismo. I. Ut gratia donati.

II. Secundo, ungimur, ut membra cum capite conveniant. S. Iustinus Martyr, qui floruit tempore Antonini Pii, Marci Aurelii, et L. Veri circa annum 150. sic ait, q. 137. si tamen Iustini est illud opus: *Oleo inungimur, ut Christi et uncti fiamus.* Theophilus Antiochiæ Episcopus, qui vixit circa annum 170. lib. 1. ad Autolicum: Certo, inquit, nulla alia ex re Christianorum nomen traximus, nisi οτι χριομεθα ελαιον Θεου, quia divino oleo perungimur. S. Cyrillus Ierosolymitanus catech. 2. Mystag. Illud, inquit, exorcizatum oleum symbolum est pinguedinis Christi nobiscum communicatæ, et quod omne vestigium diabolicæ operationis in nobis deletum sit. Guibertus Tornacensis de Officio Episcoporum cap. 42. in veteri lege, ait, soli reges et Pontifices, seu Prophetæ, illo sacro oleo ungebantur: nunc universaliter omnis Ecclesia ungitur, ut non discordet corpus a capite, neque re, neque nomine.

Ut membra Christi.

III. Tertio, ungimur, sicut athletæ. Ut enim S. Paulus Ephes. 6. 12. *Non est nobis colluctatio* (Græc. παλη, lucta) *adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum.* Unctione itaque egemus, ne ab his adversariis deiiciamur.

Ut athletæ.

S. Petr. Damiani sermon. de cœna Domini: Hodie, inquit, sacrum chrisma conficitur, per quod in nobis omnium cœlestium charismatum significatio designatur. Hoc videlicet illud sacrosanctum esse chrisma cognoscitur, quod non solum sacerdotes, reges, atque Prophetas in veteri testamento unxit: sed etiam sanctos Apostolos, Martyres, et Confessores sanctificavit in novo. Hodie nos oleo divinæ virtutis inungimur, ut in spiritualis palestræ certamine colluctantes, de subactis atque convictis hostibus triumphemus. S. Ambros. lib. 1. de Sacramentis, cap. 2. *Unctus es*, ait, *quasi athleta Christi, quasi luctamen sæculi huius luctaturus: professus es luctaminis tui certamina: qui luctabitur, habet quod speret: ubi certamen, ibi corona.*

IV. Ut reges. Quarto, ungimur in reges. S. Isidor Hispal. lib. 2. de Ecclesiasticis officiis cap. 25. *Quia*, inquit, *genus regale et sacerdotale sumus: ideo post lavacrum ungimur, ut Christi nomine censeamur.* Ieremias Patriarcha Constantinop. resp. 2. cap. 4. Chrismate, inquit, inungimur, ut chrismatis regii fiamus participes. Prudentius in Psychomachia, unguentum baptismi vocat unguentum regale. S. German. Patr. Constant. *Ungi oleo baptizatos*, ἐστι κατα το ελαιον ω εχριοντο οι βασιλεις και ιερεις. και οι προφηται, *est instar olei, quo reges, et sacerdotes, et Prophetæ ungebantur, sicut etiam Christus unctus est, tamquam Rex et Sacerdos, ratione incarnationis.* David ter inunctus est, 1. in domo patris, quando designatus est rex Saulis successurus; 2. inunctus est in Hebron, quando mortuo Saule fuit rex super tribum Iuda, Isbosetho filio Saulis per septem annos regnante super alias undecim; 3. denique, occiso Isbosetho inunctus est iterum, et constitutus rex omnium tribuum Israel. Ita et nos primo in Baptismo ungimur, et in signum futuri regni accipimus pignus Spiritus. Eph. 1. 13. *Credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ;* 2. ungimur in confirmatione, ubi datur augmentum gratiæ, et tunc veluti super unam tribum regnamus, corroborati virtute Spiritus sancti; 3. denique ungimur in Extrema unctione, iam ad cæleste regnum evolaturi.

V. Ad varias virtutes amandas. Quinto denique, ungimur, ut ad varias virtutes nobis necessarias acquirendas incitemur: earum enim symbolum est oleum.

I. Misericordiam. Primo enim, oleum quo inungimur, misericordiam esse amandam, et sectandam nos admonet S. Eucher. Episc. Lugdun. Dominic. 4. post Pentecost. *Quemcumque*, ait, *liquorem in oleum infundas, oleum semper desuper natat, oleo Baptismus sanctificatur, oleo Ecclesia consecratur. Nos quoque ideo toties oleo sumus inuncti, ut semper misericordiæ memores simus, et nunquam pietatis et misericordiæ obliviscamur.* Optatus Milevitan. Episcop. qui floruit circa ann. 365. ait lib. 7. contra Donatistas, oleum consecratum vocari chrisma, in quo est suavitas, quæ cutem conscientiæ mollit, exclusa duritia peccatorum: quæ animum innovat levem, quæ sedem Spiritui sancto parat, ut invitatus illic, asperitate fugata, libenter inhabitare dignetur.

II. Innocentiam et puritatem. Secundo, oleo ungimur, ut nitorem conscientiæ conservandem esse cognoscamus. Innocentius tertius Extravag. lib. 1. tit. 15. de sacra unctione, cap. 1. *Per oleum*, ait, *nitor conscientiæ designatur; per balsamum, odor famæ exprimitur.* Idem habetur in Florentino, ubi agitur de confirmatione. Nicolaus de Nyse, 2. p. destructorii, tract. 2. Chrisma, inquit, confectum est ex oleo et balsamo sanctificato: oleum nitorem habet, ideo signat castitatem vel munditiam. Idem supereminet liquidis, et est materia inflammabilis: ideo signat charitatem: balsamum autem, quod habet bonum odorem, signat bonam famam.

III. Diligentiam. Tertio denique ungimur, ut laborandum sciamus. Theophylact. in cap. 6. Marci, ubi agit de oleo Extremæ unctionis: *Est oleum*, inquit, *et ad labores utile, et lucis fomentum, et hilaritatis effectivum, significatque misericordiam Dei, atque gratiam spiritus, per quam a labore liberamur, et lucem, et gaudium, hilaritatemque spiritualem accipimus.* Victor Antiochen. in idem caput Marci pene eadem habet: Oleum, ait, inter alia, et laborum molestias mitigat, et lumen fovet, et hilaritatem conciliat. Oleum igitur, quod in sacra unctione adhibetur, et Dei misericordiam, et morbi sanationem, et cordis illuminationem denotat. S. Cyprianus multa conglobat de unctione Chrismatis, et aliis Sacramentis. Ex huius, ait, unctionis beneficio, et sapientia nobis, et intellectus divinitus datur, consilium et fortitudo cælitus illabitur, scientia et pietas, et timor inspirationibus supernis infunditur. Hoc oleo innocti cum spiritalibus nequitiis colluctamur, nec fœtoribus spuriis imbui possumus: ita Cyprianus.

79. **In omnibus corporis partibus ungimur.** Hæc omnia clarius apparebunt, si spectemus pene in omnibus corporis partibus, ubi sensus vigent, omnes Christianos ungi, vel in Baptismo, vel in Confirmatione, vel in Extrema unctione, ut nihil sit non munitum.

I. Ante Baptismum. Primo, quidem ante Baptismum bis fidelis inungitur. Primo, in pectore, ut, sicut monet Innocentius III. Extrav. lib. 1. tit. 15. de sacra unctione, cap. 1. per sancti Spiritus donum abiiciat errorem et ignorantiam, et suscipiat fidem rectam. S. Ivo Carnot. Episcop. de Sacrament. neophytorum: Tamquam, ait, munietur adversus hostem invisibilem, ne ei immunda et noxia persuadeat desideria. S. Cyrillus catech. 3. mystag. Ut, inquit, induti thoracem iustitiæ, fortiter adversus insultus diaboli consistatis. Ioann. Gerson in summa Theolog. ut dulci, ait, corde Deus diligatur. Secundo, ante Baptismum ungimur inter scapulas, ut sicut docet idem Innocentius citatus, per Spiritus sancti gratiam excutiat negligentiam, et torporem, et bonam operationem exerceat. S. Ivo, ut, ait, accipiet fortitudinem ad portandum pondus diei et æstus, sicut bonus athleta. Ioann. Gerson, ut iugum Christi suavius portetur. Smaragdus in epistol. sabbati Pentecostes; ut, inquit, contra omnia prospera, sive adversa sint circumspecti. S. Thomas part. 3. Summæ, quæst. 66. art. 10. Baptizandus, inquit, ungitur oleo sancto, et in pectore, et in scapulis, quasi athleta Dei.

II. In Baptismo. Secundo, iam baptizatus Christianus bis etiam inungitur. Primo, in vertice, ut, sicut dicit Innocentius, sit paratus omni petenti de fide reddere rationem: quia per caput intelligitur mens. S. Ambr. lib. 3. de Sacrament. cap. 1. Accipis, inquit, mysterium: hoc est, unguentum supra caput, quare supra caput? quia sensus sapientis in capite eius. S. Ivo sermon. de Sacrament. dedicationis: Oleo sancto, ait, uncti fuistis in capite, ut charitas quæ per Spiritum sanctum datur, semper abundet in corde, secundum illud verbum sapientiæ: Oleum de capite tuo nunquam deficiat. Et de Sacrament. Neophyt. ungi dicit baptizatum in vertice, ut cognoscat se promotum esse in regium genus et sacerdotale. Ioann. Gerson, ut agenda subtilius ab eo intelligentur. Procop. Gazæus in Exodum ait, unctionem capitis indicare spei alacrem hilaritatem. Secundo, in fronte quoque ungitur baptizatus, ut sicut docet Innocentius libere confiteatur quod credit. S. Cyrill. catech. 3. mystag. ut eum abstergat pudorem, quem primus homo transgressor perpetuo circumferebat: simulque efficiat, ut possit vultu non velato gloriam Dei intueri.

Varii ritus in unctione baptismali. Varios fuisse huius unctionis baptismalis ritus, pro varietate Ecclesiarum colligi potest ex sanctis Patribus. Primo enim aures inunctas fuisse tradit S. Cyrillus mox citatus, ut, inquit, ad audiendum divina mysteria aures accipiant. Secundo, nares etiam post Baptismum inungi solitas, docet idem S. Cyrillus, ut divinum accipientes unguentum, dicatis: Christi gratus odor est Deo in his qui salvantur. Tertio, os aliquando ungebatur. Synodus prima Constantinopol. Cautic. 7. ait, hæreticorum ad Ecclesiam redeuntium ungi frontem, oculos, nares, os et aures: dicique cum signantur, σφραγις δωρεας αγιου πνευματος, signaculum doni Spiritus sancti: idem definitur in Synodo 6. Constant. Cant. 95. Quarto, apud Æthiopes ungebantur etiam manus. Sicut enim habetur in ordine Baptismi apud ipsos, ungebant frontem eorum qui baptizandi erant, scapulas, ulnas, pectus, interiorem et exteriorem partem manuum, et summitatem digitorum, hac

forma: *Ungo te in nomine unicæ Ecclesiæ, quæ est Concilium seu congregatio Apostolorum Domini, oleum hoc deleat omne opus inimici, quod adversatur.* Quinto denique, membra omnia ungebantur aliquando. Severus Alexand. de Baptismo: Tunc, ait, signat oleo olivæ Sacerdos eum, qui baptizatur, tribus crucibus super frontem eius factis, atque in hunc modum dicit: *Signetur N. oleo lætitiæ* (alludit ad Psalmum nostr.) *adversus omnem efficaciam inimicam, et ungit omnia illorum membra, manus, et pedes, et nares eorum, tum demum induuntur vestimentis.* S. Cyrill. Ierosol. catech. 2. mystag. *A summis*, ait, *capillis ad infimos usque pedes peruncti estis, et participes effecti*
III. In Extrema unctione. *fructiferæ illius oleæ Iesu Christi.* In Extrema unctione membra omnia, in quibus præcipue sensus vigent, unguntur secundum ritum Ecclesiæ Romanæ: nempe oculi, aures, nares, os, pectus, renes, manus.

ARTICULUS V.

Christi vestes odoratæ, et palatium eburneum.

Regem Christum inunctum gratia unionis hypostaticæ, gratia sanctificante, et omnibus donis Spiritus sancti.
80. David paludamento regio et chlamyde suavem astantibus
Vers. 9. odorem afflante exornat, v. 9. MYRRHA, ET GUTTA, ET CASIA A VESTIMENTIS TUIS, A DOMIBUS EBURNEIS: EX QUIBUS DELECTAVERUNT TE FILIÆ REGUM IN HONORE TUO.
Sensus huius loci difficilis. Hic versiculus ait Bellarmin. obscurissimus est: explicemus igitur primum vocabula, deinde sententiam. Myrrha succus est notus, amarus, et odoratus: gutta nomen est genericum, sed in Græco habetur ϛακτη, quæ apud S. Basilium in explicatione huius loci, est gutta distillata ex myrrha: ita ut sit quasi flos myrrhæ, id est pars subtilissima myrrhæ. Sed non videtur verisimile Prophetam dicere voluisse, myrrha et gutta myrrhæ subtilissima: In Hebræo est אהלות *ahaloth*, quam aloe Latine dicimus. Est autem aloe succus item amarus, et odoratus, sed specie distinctus a myrrha: unde in Evangelio legimus, ad Christi sepulturam emissa Nicodemum myrrhæ et aloes quasi libras centum. Quod igitur noster interpres dixit, *guttam*, intelligere debemus, guttam esse aloes, ut S. Hieronym. scribit in epist. 140. ad Principiam: vel myrrhæ distillatæ, ut S. Basilius in commentario docet. *Casia* denique frutex est, unde cortex odoratus desumitur, et inter aromata numeratur, quemadmodum et cinnamomum. Per *domos eburneas* intelliguntur palatia, sive templa sumptuosa, quorum parietes tecti sint ebore: nam in Hebr. non est בית *baith*, quæ proprie domum significat, sed היכל *hechal*, quod palatium, basilicam, et templum significat. Nomen etiam Græcum βαρεις magna palatia significat, ut dicit S. Basilius. Itaque improbabile est, quod aliqui volunt, domos eburneas essa cellas aromatum: et magis improbabila quod alii volunt, esse thecas sive arcas, in quibus vestimenta, vel aromata conservantur. At, inquiunt, thecæ fiunt ex ebore, non autem palatia: verum est, sed non dicuntur hoc loco domus eburneæ, quasi totæ sint ex ebore, sed quod tectæ sint ebore: quomodo domus Neronis dicebatur domus aurea, et porta Constantinopolis, porta aurea, quod essent deauratæ, vel auri laminis coopertæ, non quod totæ essent aureæ: et sic intelligimus illud 3. Reg. 22. *Domus eburnea, quam ædificavit Achab;* et Amos 3. *Peribunt domus eburneæ.* S. Greg. lib. 3. Mor. 13. legit a gradibus eburneis: sed id natum esse ex ambiguitate vocabuli, colligitur ex S. Hieron. in epist. ad Principiam. Scribit enim Græcam vocem βαριων, ambiguam esse, et significare posse gradibus, et palatiis, sive domibus: inde aliquos Latinorum hac ambiguitate deceptos, vertisse a gradibus eburneis: sed quia hoc nihil significat, credibile est, mutatum fuisse, et scriptum, a gradibus eburneis: ita Bellarmin. Æoles unguenta vocabant μυρρα et σμυρνα, quia multa conficiebant ex myrrha. Itaque hic per myrrham, guttam, et casiam omnia unguenta et aromata intelliguntur. Est synecdoche.
81. Quæres primo, quænam vestimenta Christi hic intelli-

A guntur, quid myrrha, gutta, et casia? Respond. vestem Vestis Christi est eius humanitas.
Christi esse eius humanitatem, qua divinitas, cui est unita, velatur et cingitur: ita S. August. S. Basil. Nicephor. Iansen. myrrha autem et reliqua aromata denotant varias eius virtutes et mysteria. S. Basilius: *Christi*, ait, *suave fragrans odor myrrham ob passionem spirat. Guttam vero, quod non immobilis nec otiosus, aut inefficax in sepulcro permanserit tribus illis diebus ac noctibus: sed in infernum descenderit, gratia dispensationis circa resurrectionem absolvendæ, ut quæ de seipso erant oracula Prophetarum, universa expleret. Casiam demum spirat, quæ cortex tenuissimus est et odoratus, ligneum oblendens calamum. An verius passionem crucis susceptam in beneficium omnis creaturæ, altius nobis, ac sapienter hic sermo per casiæ nomen innuit? Habes ergo myrrham ob sepulturam, guttam ob descensionem in infernum, quod omnis gutta ad inferiora dilabitur. Casiam vero ob carnis circa lignum dispensationem.* Magis dilucide et apte Bellarminus: Quoniam, ait, in passione sua Christus præcipue
B spiravit maximos odores virtutum, præcipue fortis patientiæ, humilis obedientiæ, et ardentis charitatis, ideo nominavit myrrham amaram, sed odoratam, quæ convenit patientiæ: aloem quoque similiter amarum, at odoratum, qui convenit humilitati obedientiæ, de qua beatus Paulus: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem.* Philip. 2. denique, casiam calidam et odoratam, quæ convenit ardentissimæ charitati, qua etiam pro crucifixoribus oravit.

Symbolice, Christi vestimenta, ait S. Athanasius, in- 82.
telligo potentiam eius, magnificentiam, et gloriam, iuxta Symbol. Christi vestes sunt eius potentia, magnificentia, gloria.
illud Ps. cap. 92. v. 1. *Dominus regnavit, decorem indutus est: Dominus fortitudinem, et præcinxit se.* Ipsa vero gloria et magnificentia nobis suavissimi fuit odoris, tamquam genus omne odoramenti et thymiamatis, iuxta illud Cantic. 1. 3. *Unguentum effusum nomen tuum.* Et illud, *in odorem unguentorum tuorum currimus:* ita Athanas.

Secundo, Christi vestis est universa fidelium Ecclesia Christi vestis est Ecclesia.
C eum circumdans, et ornans: ita S. August. et Ugo. Myrrha, gutta et casia inde defluentes sunt virtutes, et bona fama. Verba S. Aug. sunt: *Myrrha, gutta, et casia a vestimentis tuis. Odores boni a vestimentis tuis. Vestimenta eius sunt Sancti eius, electi eius, tota Ecclesia eius, quam sibi sicut vestem exhibet, sine macula et ruga. Propter maculam abluens in sanguine, propter rugam extendens in cruce. Inde bonus odor qui significatur nominatis quibusdam aromatibus. Audi Paulum illum minimam fimbriam de vestimento, quod tetigit mulier in fluxu sanguinis, et sanata est. Audi illum dicentem, 2. Cor. 2. Christi bonus odor sumus in omni loco, et in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt.* Ugo Cardinalis, myrrham ait esse mortificationem carnis: guttam, humilitatem: casiam, fidem. Valentia dicit, Martyres sequi Christum in odorem myrrhæ: alios, in odorem guttæ: quæ denotat sanctitatem vitæ: Doctores denique, in odorem casiæ, quæ indicat suavitatem doctrinæ.

Quæres secundo, quid sint domus eburneæ, quid filiæ 83.
D regum? Primo Bellarminus, per domos eburneas, intelligit eamdem humanitatem Christi, quæ erat templum sive Domus eburnea est humanitas Christi.
palatium candidissimum ob puritatem, in quo divinitas habitabat. Neque mirum videri debet, si res eadem, vestis et domus dicatur: nam et apostolus 2. Cor. 5. hæc duo simul coniungit, cum sic loquitur: *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam, æternam in cælis: nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cælo est, superindui cupientes: nam qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur, quod mortale est a gloria.* Ubi vides corpus mortale dici domum, et tabernaculum, et simul vestimentum, quo nolumus expoliari, sed supervestiri: et similiter domum cælestem dici vestem, et habitationem. Sic Christi humanitas, unde suavissimi odores virtutum spirabant, vestimentum dici potest, et domus eburnea: nisi quis ve-

lit vestimentum referri ad animam, domum eburneam ad corpus, quod ipse Christus Ioann. 2. *templum* vocavit, cum ait: *Solvite templum hoc, ego in triduo reædificabo illud.* Neque movere debet, quod in numero multitudinis dicat Propheta, a domibus eburneis: nam domus magna est una, et multæ propter multitudinem cubiculorum et cellarum: unde etiam de domo una dicimus in numero multitudinis, ædes nostræ. Sequitur, ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo: id est, ex quibus aromatibus, quæ a vestimentis et domibus eburneis humanitatis tuæ spirant, *filiæ regum*, sive animæ regiæ et excelsæ, sive multitudines populorum ex variis regnis, delectaverunt te, dum currunt in odorem unguentorum tuorum. Valde enim delectatur Christus, cum videt multitudines Sanctorum excitatas, et tractas ab odore suo, currere post eum odorem. Et vere qui spirituali sensu odoratus sentire incipit suavissimum odorem, qui spirat ex patientia, humilitate et charitate Christi, non potest non currere post eum, et quælibet tormenta pati potius, quam se ab illo separari patiatur: dicit enim cum Apostolo: *Quis nos separabit a charitate Christi?* Roman. 8. Sed ideo potissimum Christum delectant, filiæ regum currentes post odorem unguentorum ipsius: quia id faciunt in honore eius: id est, ex pura intentione glorificandi Deum. Martyres enim passione sua currentes post Christum, Deum valde glorificabant: unde dicit Ioannes cap. 21. de passione S. Petri a Christo illi prædicta: *Significans,* inquit, *qua morte clarificaturus esset Deum:* ita ille. Malim tamen per vestem accipere Christi humanitatem, ut dixi supra; per myrrham et alia aromata, virtutes eius: per domos eburneas, varia mysteria, et veluti mansiones Christi: nempe Incarnationem, et uterum Virginis: nativitatem, et speluncam: oblationem in templo, et templum ipsum: fugam et moram in Ægypto: obedientiam in domo Iosephi, et ipsam domum: patientiam et mysterium crucis, atque ipsam crucem: glorificationem præsertim in cælis, et ipsos cælos. Hæc videntur convenientiora, quam si pro eadem re sumamus vestem et domum.

84. Filiæ regis sunt virgines. Et omnes animæ sanctæ.

Per filias regum possunt primo sumi Virgines, quæ vere fuerunt filiæ regum et principum temporalium, ut S. Catharina, S. Dympna, et aliæ. Secundo, et plenius, aliæ omnes Virgines. Tertio, et adæquate, omnes animæ sanctæ, quæ sunt filiæ regum, id est Apostolorum, ab iis Christo genitæ. Ita S. Athanas. et Origenes, qui sic ait: *Sancti discipuli,* inquit, *regnum cælorum accipientes, facti sunt reges: quare animæ ab ipsis secundum virtutem formatæ, dicuntur filiæ regum. Omnes vero animæ ipsæ fidei et virtute informatæ, unam reginam facientes, ei astiterunt a dextris Christi Dei: et nunc manet Ecclesia Dei aurea vestimenta induta, ex parte cognoscens, et ex parte prophetans: cum autem venerit, quod perfectum est, et evacuabitur, quod ex parte est, tunc tota aurea vestimenta habebit. Naturæ autem rationalis vestimentum est multiplex sapientia Dei.*

85. Symbol. Domus eburneæ sunt animæ castæ, et corpora pura.

Symbol. domus eburneæ sunt, Primo, sermonis nitor: ita Remig. Secundo, pudicitia: ita idem Remig. Cassiodor. S. Thomas, ita ut, sicut loquitur Arnobius, in domo corporis casti, tinea non faciat ullam libidinem peccati. Ebur porro est symbolum pudicitiæ, 1. ob candorem; 2. ob frigus, quia est dens elephantis, qui est castissimus. Hinc Cantic. 5. 14. de Sponso dicitur: *Venter eius eburneus distinctus saphiris.* Ubi adverte per ventrem intelligi totum pectus cum visceribus. Hoc enim בטן *beten* Hebraicum significat. Tertio denique, domus eburneæ sunt clari in Ecclesia viri: ita Eusebius; et præsertim Apostoli: ita S. Athanas. S. Thom. S. Hier. Ruffin. et alii. *Vis,* ait S. Aug. *domos eburneas spiritaliter accipere magnas domos et magna tabernacula Dei? Corda Sanctorum, ipsosque reges regentes carnem, subiugantes sibi turbas humanarum affectionum, castigantes corpus, et servituti subiicientes, accipe, quia inde delectaverunt cum filiæ regum. Etenim omnes animæ quæ illis prædicantibus et evangelizantibus natæ sunt, filiæ regum sunt. Ille est enim Rex regum. Illi autem reges, de quibus dictum est, Matth. 19. 28. Sedebitis super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israel: prædicaverunt verbum veritatis, et genuerunt Ecclesias non sibi sed illi. Ad hoc Sacramentum pertinet quod scriptum est in lege Deuteron. 25. 5. Si mortuus fuerit frater, accipiat uxorem eius frater eius, et suscitet semen fratri suo. Dixit Christus Matth. 28. 10. Dic fratribus meis. Dixit et in alio Psalmo: Narrabo nomen tuum fratribus meis. Mortuus est Christus, resurrexit, ascendit, absentavit se corpore, susceperunt fratres eius uxorem eius, prædicatione Evangelii generaturi filios, non per semetipsos, sed per Evangelium, propter nomen fratris. In Christo enim Iesu, inquit, per Evangelium propter nomen fratris ego vos genui. Itaque suscitantes propter nomen fratris semen fratri suo, quotquot genuerunt, non Paulianos, aut Petrianos, sed Christianos vocaverunt.* Et paulo post addit: *Ex quibus te delectaverunt filiæ regum in honore tuo. Filiæ quidem regum, filiæ Apostolorum tuorum: sed in honore tuo, quia semen illud suscitaverunt fratri. Ideo ipsos quos suscitaverat fratri suo Paulus, cum videret currere ad nomen suum exclamavit: Numquid Paulus crucifixus est pro nobis? Tene te, serva te in honore tuo, hoc est habere vestem nuptialem, illius honorem, illius gloriam quærere.*

86. Virginitas et castitas amanda.

Ex his collige, amandam esse virginitatem et pudicitiam, cum sit templum purissimum castissimi sponsi. Arnobii verba sunt in Ps. nostr. *Eburnea domus est corpus castum, in quo tinea non facit ullam libidinem peccati.* S. Athanas. de Virgin. appellat virginitatem, ναον Θεου, templum Dei. Tertull. de cultu fœmin. cap. 8. *Ubi Deus,* inquit, *ibi pudicitia.* Possis etiam e converso dicere, Ubi pudicitia, ibi Deus. Et quidem Tertull. eodem loco cap. 1. sic loquitur: Cum omnes templum simus Dei, illato in nos et consecrato Spiritu sancto, *eius templi æditua et antistes pudicitia est,* quæ nihil immundum, nec profanum inferri sinat. Et S. Ignatius Patriarcha Antiochen. qui sedere cœpit anno Christi 71. post S. Petrum Apostolum et S. Evodium, epist. 10. ait: *Te castum et purum conserva, ut domum Dei, templum Christi, organum Spiritus sancti.* S. Ambros. scribens ad Virgines: Beatæ, inquit, virgines, quæ tam immortali spiritalis gratia, ut horti floribus, *ut templa religione, ut altaria sacerdotio.* Diogenis dictum non incommode ad hunc locum, et ad Psalmum nostrum proferemus, qui elegantem forma adolescentem fœda garrientem audiens: *Non te pudet,* inquit, *ex eburnea vagina plumbeum gladium exerere.* Ubi obiter adverte, dici vaginam eburneam corpus pulchrum, quia eburneum pro pulchro nonnunquam usurpabant veteres. Theocritus certe, ut ait Laertius lib. 4. vocabat pulchritudinem, eburneum detrimentum: Festus lib. 14. Fabium nominat eburneum ob eius candorem. Cant. 7. 4. collum sponsæ, id est Ecclesiæ aut animæ sanctæ confertur turri eburneæ. Maro lib. 10. Æn. comparat ebori nitorem et pulchritudinem Ascanii filii Æneæ.

Ratio autem cur Christus animarum sponsus amet virginitatem, petitur ab eius purissima puritate. S. Cyrill. Ierosol. catech. 12. eum appellat, *Deum castitatis, et purissimum puritatis Doctorem.* S. Ambros. lib. 5. epist 35. παρθενικον λογον, verbum virginale. S. Gregor. Nyss. de virginitate cap. 2. πηγην αφθαρσιας, fontem illibatæ virginitatis. S. Chrysost. in cap. 1. Isaiæ eum docet venisse in hunc mundum, ως αγγελων κατα φυτευειν πολιτειαν, ut semina vitæ Angelicæ hominum mentibus insereret. Hinc sapienter S. Leo serm. 1. in Epiphania concludit: *Diligite castimoniæ puritatem, quia Christus virginitatis est filius.* Et S. Cyprianus, lib. de bono pudicitiæ, ait nihil nos debere carni, renatos ex aqua et pudicitia.

SECTIO TERTIA ET ULTIMA.

87. *Tria de Ecclesia continet. Primo, eam esse reginam orbis ornatissimam, vers. 10. Secundo, sponsam regis fortissimam, vers. 11. Tertio denique, matrem principum fœcundissimam.*

PARAPHRASIS.

10. *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato: circumdata varietate.*	10. Ecclesia ex Iudæis et Gentibus collecta, totius orbis regina per te constituta, in throno ad dexteram tuam posito consedit, auro gemmisque interlucentibus vestibus coruscans.
11. *Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam: et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.*	11. Cum te, regina, in sponsam suam Christus Rex omnium, tum hominum, tum Angelorum velit assumere, quam benigne te has ad sacras nuptias invitet, attende, et honorem tibi paratum contemplare, atque magna cum promptitudine illius voluntati obtempera. Inanes idololatrarum superstitiones, et Pharisæorum errores obliviscere: ab hac te caligine veram in lucem educit Deus.
12. *Et concupiscet rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.*	12. Has si nugas et mendacia contempseris, tum Rex Christus sponsus tuus amore tuo capietur. Quidni vero hæc contemnas, cum hoc postulet is, qui et Deus, et Dominus tuus est, cuique supplices cuncti terrarum populi accident.
13. *Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur, omnes divites plebis.*	13. Eius tu in potestatis participationem per hæc sponsalia veniens, cernes nationes ipsas Gentilium ad te cum muneribus accurrentes et venerabundas: et omnes Iudæi divinis olim ditati divitiis te quoque reginam suam donis honestabunt, et reverebuntur.
14. *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis.*	14. Neque, o Christe amantissime Ecclesiæ sponse, hic splendor confluentium undequaque populorum maxima eius est gloria, in penitissimo mentis recessu virtutum ornatus tantus est, ut reliqua si eum illo conferantur, pro nihilo sint computanda.
15. *Circumamicta varietatibus.*	15. Ibi intertexta variis virtutibus charitas mira iucunditate oculos tuos sua luce recreabit.
Adducentur regi virgines post eam: proximæ eius afferentur tibi.	Hanc unicam tuam sponsam Ecclesiam, et omnium provinciarum reginam, comitabuntur, velut domesticus famulatus, illæ animæ, quæ Deo virginitatem consecrarunt: tibi devotæ erunt præsertim, quæ sponsæ tuæ proximæ semper ob illibatum hunc pudoris florem assistent.
16. *Afferentur in lætitia et exultatione: adducentur in templum regis.*	16. Plaudentibus hominum, et beatarum mentium choris adducentur. Hic virginum chorus tibi agno immaculato comes semper assistet, atque intimum tuum palatium inhabitabit, cæteris omnibus tibi propinquior.
17. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos principes super omnem terram.*	17. Neque hæ steriles, castissimæ licet nuptiæ, extiterunt. Tibi enim, o Christe, pro Patriarchis et Prophetis nati sunt filii Apostoli, et eorum successores. Illos tu orbis universi principes constitues, data illis ligandi et solvendi animas omnimoda potestate.
18. *Memores erunt nominis tui in omni generatione et generationem.*	18. Fidem illi tuam illibatam, et integram usque ad finem mundi conservabunt, tibique perennem laudem concinent.
19. *Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, et in sæculum sæculi.*	19. Et populi eorum ditioni subiecti te per totam æternitatem laudabunt, tua gratia ad æternam gloriam perducti.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta Ecclesiæ sponsæ Christi maiestas et dignitas.

88. *Ecclesia est regina.* Post explicatam Christi Sponsi et regis maiestatem et ornatum regium, Propheta dignitatem Ecclesiæ et apparatum magnificum delineat.

Ad tria revocari potest hæc descriptio: quod nimirum Ecclesia sit regina orbis, sponsa Christi, et mater omnium fidelium.

Primo, reginam illam esse aperte testatur, v. 10. *Astitit Regina.* Thronum eius Christo proximum, et præ cæteris honoratissimum assignat, *a dextris tuis.* Vestium magnificentiam, *in vestitu deaurato, circumdata varietate.*

Sponsa. Secundo, sponsam regis Christi describit: Primo, currum illi quatuor virtutibus constantem adaptat, quo ad sponsum vehatur: 1. ponit obedientiam, v. 11. *Audi filia,* 2. prudentiam, *et vide;* 3. humilitatem, *et inclina aurem tuam;* 4. contemptum mundi et cæterorum omnium præ sponso, *et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.* Secundo, amorem sponsi declarat erga ipsam, v. 12. *Et concupiscet rex decorem tuum.* Tertio, excellentiam illius matrimonii: *quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.* Quarto, liberalitatem subditorum sponsi erga ipsam, v. 13. *Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.* Quinto, liberalitatem sponsi, v. 14. *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus.* Christi enim sponsi est sponsam ornare. Sexto denique, comitatum sponsæ, v. 15. *Adducentur regi virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi.* Modum aperit, quo comitatus hic sponsæ aderit, v. 16. *Afferentur in lætitia et exultatione:* locum etiam in quem introducetur: *Adducentur in templum regis,* hoc est, in intimum conclave, in locum ornatissimum et secretissimum.

Tertio denique, matrem omnium populorum fidelium, *Et mater.* et præsertim Apostolorum asserit futuram Ecclesiam, v. 17. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii.* Declarat deinde Apostolorum et succedentium ipsis: Primo, maiestatem et dignitatem regiam, *constitues eos principes.* Secundo, potentiam eorum, et regni amplitudinem, *super omnem terram.* Tertio pietatem, v. 18. *Memores erunt nominis tui Domine.* Quarto, durationem et perseverantiam in pietate, *in omni generatione et generationem.* Quinto denique, gratitudinem, v. 19. *Propterea confitebuntur tibi in æternum, et in sæculum sæculi.*

ARTICULUS I.

Ecclesia Catholica, Apostolica et Romana est regina.

89. Vers. 10. POST explicatam Christi sponsi, et regis maiestatem aggreditur David depingere sponsæ eius dignitatem et ornatum, v. 10. ASTITIT REGINA A DEXTRIS TUIS IN VESTITU DEAURATO, CIRCUMDATA VARIETATE. Sensus hic potest esse quadruplex. Primus est grammaticalis de filia Pharaonis regis Ægypti, quæ fuit uxor primaria Salomonis, et absolute regina vocabatur, licet haberet uxores quasi reginas septingentas et trecentas concubinas, ut habetur 3. Reg. 11. 3. Sic Darius Codomannus ultimus Persarum rex ab Alexandro devictus habebat trecentas sexaginta concubinas, et tamen una erat et dicebatur regina. Et, ut ait Athenens lib. 13. illæ omnes concubinæ reginam submisse venerabantur.

Sensus quadruplex.

I.

II. Secundus sensus est partialis, scilicet de anima sancta, de qua hunc Psalmum exponunt Origen. S. Basil. et alii.

III. Tertius sensus est principalis: nempe de B. Virgine, quæ licet secundum corpus sit mater Christi, secundum Spiritum tamen est ipsius Sponsa, magis quam ulla alia creatura. De ipsa explicatur hic locus a S. Athanas. in Evangel. de sanctissima Deipara, a Chrysippo serm. de laudibus Virginis Mariæ, a S. Bernardo super Missus est, hom. 3. a S. Ildephonso Archiep. Toletano lib. de Virginitate S. Mariæ, et ab aliis ut infra videbitur art. 8. ubi fuse hæc omnia usque ad finem Psalmi applicabo Deiparæ.

IV. Est adæquatus. Probatur Ecclesiam esse reginam. Quartus denique, et adæquatus sensus, est de Ecclesia Catholica seu universali, quæ et regina est, et unica. S. Cyrill. in Psalm. nostr. *Cunctas*, inquit, *orbis terrarum Ecclesias unam hic vocat, propterea quod unus est Dominus, una in illis fides, et unus itidem Baptismus salutaris: non enim dissensione dividuntur; ita ut innumerabiles sint, sed una tantum sit, et nominetur.* Unitas est una ex præcipuis Ecclesiæ veræ notis, de qua vide Bellarm. t. 2. Controv. lib. 4. cap. 10. Thomam Bozium de signis Eccl. lib. 3. cap. 5. De illa in Canticis dicitur cap. 6. 7. *Sexaginta sunt reginæ, et octoginta concubinæ, et adolescentularum non est numerus. Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitrici suæ.* Reginæ, id est Ecclesiæ patriarchales, primates, et metropolitanæ sunt sexaginta, id est multæ: concubinæ, id est Ecclesiæ Episcopales sunt octoginta, id est plures: adolescentularum, id est Ecclesiarum parochialium et cæterarum non est numerus: plurimæ enim sunt et quasi innumerabiles: at supra has eminet cathedra S. Petri, puta Ecclesia Romana, inquit Cosmas Damianus, quæ reginarum est regina, totiusque Ecclesiæ caput et princeps, quæ cæteras omnes moderatur at regit, ne a recta fide et pietate aberrent: et cum aberrant, eas corrigit et reformat: quare hæc est una columba, id est una sponsa Christi unice ab eo dilecta, perfecta in fide et religione, unica matri suæ: id est unice pariter dilecta primitivæ Ecclesiæ Hierosolymitanæ, ait S. Anselm. Hæc enim ceu mater Romanam genuit, dum S. Petrum, Paulum, aliosque primos credentes Romam misit, ut eam converterent, et caput Ecclesiæ constituerent: ita Cornelius. De Ecclesiæ toto orbe diffusa, hunc Cantici locum exponunt S. Cypr. tract. de unitate Eccl. S. August. tract. 5. in Ioan. S. Gregor. in Cantica, ubi ait gratiam Spiritus sancti esse matrem fidelium, quæ eos efficiat unam columbam: *Mater nostra*, inquit, *est regeneratrix gratia, apud quam una columba eligitur, quia illos solos colligit, qui in simplicitate permanent, et ab unitate non scinduntur. Multi quippe fideles, dum in idipsum intendunt, dum uno desiderio Christi se invicem nutriunt, dum habentes cor unum, et animam unam in charitate se uniunt, ex multis membris unum corpus efficiunt: omnesque in unitatis simplicitate et unitate viventes, una columba existunt: quæ sola perfecta et electa genitrici suæ dicitur, quia extra hanc quam dicimus Ecclesiam, nemo ad perfectionem, nemo ad vitam, nisi per hanc solam gratia fovente nutritur.* De Ecclesia Psalmum nostrum explicant S. August. hic, et lib. de unitate

A Ecclesiæ, S. Eucherius homil. in Natal. Eccles. S. Cyrillus, S. Basilius, et alii pene omnes interpretes.

Quæres, de qua Ecclesia est hic sermo? Theodoretus 90.
ait id esse sumendum de Ecclesia Gentium, et nullo modo de synagoga Iudæorum, qui de maiorum suorum cultu et pietate gloriantur, qui per eos plurima beneficia consecuti sunt. Nam eis præcipit, ut parentum pietatem sequantur: et minime hortatur, ut maiorum suorum obliviscantur. Sed quia Gentium Ecclesia parentes ac maiores idolorum cultores habuit: ideo consulit, ne ullum paternæ consuetudinis vestigium in mente relinquat. Ita ipse: sed argumentum hoc non est efficax, ut suo loco infra apparebit. Itaque puto Ecclesiam hic intelligi et omnibus terræ locis, et omnibus temporibus diffusam, prout Iudæos et Gentiles complectitur; et fit una sponsa Christi.

De Ecclesia gentium præsertim agitur.

Sed ulterius inquires, estne hic sermo de Ecclesia militante, an de triumphante? Primo, de Ecclesia in cælis triumphante intelligit S. Cæsar. Episc. Arelat. homil. 1.
B et Euseb. hic magis proprie, ait, dixeris per hæc verba cælestem Ecclesiam significari, quæ mater est Sanctorum hominum, qui sunt in terra. Hoc enim docuit B. Paulus Galat. 4. 26. *Ierusalem autem quæ sursum est, libera est, quæ est mater nostra;* ipsam quoque vocat Hebr. 12. 22. *Civitatem Dei viventis, Ierusalem cælestem, et multorum millium Angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cælis.* Hæc vero perfecta Christi sponsa esse potest, cuius filiam si dixeris esse Ecclesiam, quæ est in terris, non errabis. Ita Eusebius, sed non bene aliam dicit esse filiam, et aliam sponsam, ut infra videbitur, et patet ex paraphrasi. Secundo, Lindanus, atque alii intelligunt hic Ecclesiam militantem. Tertio, plene et adæquate, hæc sume tam de militante in terris, quam de triumphante in cælis, licet quædam uni magis, alia alteri conveniant. Huic opinioni non refragatur Eusebius.

Quæres secundo, quare Ecclesia sponsa dicitur adsta- 91.
C re? Nota, stare et adstare sumi possunt non pro certa positione situs, sed pro perseveranti et stabili commoratione. Hinc Campensis vertit: *Constat regina ad dexteram tuam in mundo auri nobilissimi.* Vel, statuetur tibi ad dexteram coniux ornata auro Ophir optimo. Illa stabilitas melius declaratur ab Aquila, qui vertit ἐστήλωθε, id est instar columnæ stetit. Ecclesia vocatur a S. Paulo Gal. 1. Timoth. 3. 15. *Columna et firmamentum veritatis,* ubi alludit ad duas columnas quas posuit Salomon in ingressu Sancti, id est primæ partis templi a se extructi: primam a dextris vocavit *Iachin*, q. d. Directionem, stabilitatem: secundam vero *Booz*, q. d. Fortitudinem. S. Ambros. epist. 82. ad Vercellens. Eccles. dicit: *Utrumque ad Mosen a Domino dictum est, Exod. 3. 5. ubi stas, terra sancta est. Et: Tu hic sta mecum: hoc est mecum stas, si stas in Ecclesia. Ipse enim locus est sanctus, ipsa terra fœcunda sanctitatis, et opima virtutum messibus. Sta ergo in Ecclesia, sta ubi tibi apparui, ibi ego tecum sum. Ubi est Ecclesia, ibi firmissima statio tuæ mentis est: ibi*
D *fundamentum animi tui, ubi tibi de rubo apparui.*

Ecclesia est sponsa.

Primo itaque, adstare sponso suo Christi dicitur Ecclesia, ut indicet fidei firmitatem et immobilitatem. Matth. 16. 15. *Portæ inferi* (id est civitas inferorum, est synecdoche) *non prævalebunt adversus eam.* Ecclesiam in seipso primario fundamento stabilivit Christus, deinde in Petro qui est petra solidissima, et bonum ac firmum fundamentum. S. Augustinus, ser. 16. de Sanctis: *Dignus,* inquit, *qui ædificandis Dei populis petra esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad regnum.* Secundo, *astitit*, quia erecta per spem: ita Ugo. Tertio, quia læta et amans non sentit laborem, et lateri sponsi semper hærere ardet. Quarto, *astitit*, parata ad minimum sponsi nutum, ut illi serviat, atque obsequatur, et alias iuvet, prout ipse iusserit. Quinto, quia describitur Ecclesia militans. Sexto, quia describitur ut ingressura domum, cui rex sponsus occurrat extra in atrio: ita Caiet. Septimo, ut Deum semper in oculis et mente habeat. O-

Per fidem astat.

Per spem et alias virtutes.

clavo, ut coram eo se omnia facere cogitet, atque ad illa decentius et ardentius feratur. Nono, quia non respicit temporalia, sed spiritualia tantum atque æterna. Decimo, ut pro filiis suis obsecret. Undecimo, *astitit*, quia coniugium eius cum Christo est indissolubile, non timet nec admittit libellum repudii. Duodecimo denique, *astitit*, quia ut ait S. Chrysost. sedere convenit æquali, et ideo Filius sedet ad dexteram Patris ut æqualis. Ecclesia autem, ut inferior, astitit cum cælestibus potestatibus, quæ assistere dicuntur Deo.

92. Ecclesia adstat a dextris, et cur? Quæres tertio, cur dicitur Ecclesia sponsa adstare *a dextris?* Respond. quia sedet in honoratissimo solio et loco post ipsum sponsum; τo enim *a dextris tuis*, non significat, ut recte advertit Bellarminus, sponsam ita esse a dextris sponsi, ut sponsus intelligatur esse a sinistris: sed sponsum collocat in medio, et solio altiore; a dextris eius reginam, a sinistris autem alios principes. Et fortasse voluit Spiritus sanctus per has voces significare incredibilem dignitatem Ecclesiæ, quæ non solum admittitur ad regnum cælorum, et ut assistat cum angelis ante thronum Dei: sed etiam præcedat angelos, ita ut ipsa Ecclesia ex hominibus sit a dextris, cætus autem angelorum a sinistris. Nam etiamsi intermisti sint homines sancti angelis sanctis, et unam civitatem faciant: tamen multi sancti homines multos angelos in regno cælorum præcedent: et est in Ecclesia hominum beata Virgo, quæ omnes angelos præcedit: et caput hominum et angelorum Christus est, qui non angelus sed homo est. Hinc autem recte monet S. Ioannes Chrysostomus ut cogitent homines, quam ingrati sint tantæ Dei benevolentiæ, cum peccant. Deus enim genus humanum, et præcipue Ecclesiam ex gentilitate, et idololatria assumptam, ex profundo peccatorum, et vere ex luto fœcis, exaltavit ad summam dignitatem, ut cum angelis in regno cælorum assistat, et sponsæ Dei nomen obtineat. Idque totum ex sola charitate Sponsi cælestis, qui dilexit eam, et tradidit semetipsum pro ea, ut eam sanctificaret, et mundaret, et exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam neque rugam, ut scribit Apostolus ad Eph. 5.

93. Ecclesia cur dicitur regina? Quæres quarto, cur Ecclesia vocatur regina? Respond. Primo quia sponsa est regis Christi. Secundo, quia promissum est illi regnum cælorum. Tertio, quia bene se regit in actionibus. Quarto, non superatur a passionibus, sed eas domat. Quinto, domat et subigit hæreticos, schismaticos, et paganos. Sexto denique, portæ inferi contra eam non prævalent, sed ipsa conterit caput serpentis, et draconem vincit eam sequentem in desertum.

Nota, pro *regina*, Hebr. est שגל *scegal*, id est coniux, ut S. Hieronym. Pagn. et Camp. vertunt. Sic vocatur ab ipso actu coniugali: nam *sciagal*, significat actum coniugii exercere. Hæc autem unio Ecclesiæ cum Christo facit eam castiorem et puriorem, pascitur enim inter lilia. Dicebat beata Agnes, sicut canit Ecclesia in eius festo 21. Ianuarii: *Amo Christum, in cuius thalamum introibo, cuius mater Virgo est, cuius pater fœminam nescit, cuius mihi organa modulatis vocibus cantant. Quem cum amavero, casta sum: cum tetigero, munda sum: cum accepero, virgo sum.* De S. Basilissa, id est regina, dicetur infra in illud, *Adducentur regi virgines post eam.* In versu nostro Sept. Theodotio, et VI. editio habent, βασιλισσα. Aquila συγκοιτης, id est concubina. Symmach. παλλακη pellex; quæ vox etiam usurpatur de vera et legitima, sed secundaria, uxore, sicut concubina.

34. Ecclesia Romana est regina. Nota secundo, nomen reginæ convenit specialiter Ecclesiæ Romanæ: toti enim orbi dominatur. S. Leo ser. 1. in natali Apostolorum, dicit, Romanam Ecclesiam per sacram B. Petri sedem, caput orbis effectam. S. Cypr. epistol. 45. nuncupat radicem et matricem Ecclesiæ Catholicæ, et epist. 55. Ecclesiam principalem. S. August. epistol. 162. *In qua*, inquit, *semper Apostolicæ cathedræ viguit principatus.* Iam huic rei supra applicavi illud Cant. 6. 7. *Sexaginta reginæ*, etc. *Una est columba mea*, etc. Iam Romam ethnicam vocavit Horatius ode 4. lib. 4. dominam Romam. Nemesian. Ecl. 2. dominam urbem. S.

A Basil. lib. 8. Hexaem. βασιλιδα πολιν, urbem regnantem. Eunapius in vita Proæresii, βασιλευουσαν Ρωμην, regnantem Romam. S. Basil. lib. 1. de S. Thecla ait esse μεγιστην Ρωμην και βασιλιζουσαν, maximam Romam et regnantem. Dionys. Afer, μεγαν οικον ανακτων, magnam domum regum. Plin. l. 3. cap. 5. mundi caput. Nazarius in Panegyrico Constantini, arcem gentium, terrarum reginam. Corippus, altricem imperii. Sidonius lib. 1. epist. 6. verticem mundi. Si hæc de Roma profana dicuntur, longe potius id dici debet de sacra. Profana enim magnis licet, certis tamen ac definitis terminis claudebatur, sacræ vero Romæ imperium universus orbis agnoscit. Hinc S. Leo dixit ser. 1. in festo sanctorum Apostolorum Petri et Pauli: *Isti sunt, qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut gens sancta, populus electus, civitas sacerdotalis et regia, per sacram beati Petri sedem caput orbis effecta, latius præsideres religione divina, quam dominatione.*

Hanc regiam dignitatem Ecclesia Romana, ut dixi, sumit a Christo sponso, qui Pontifices vicarios suos Prore- 95. S. Petrus princeps Ecclesiæ.
B ges ibi constituit. Primo quidem sanctum Petrum, quem S. Theodorus Studita epistol. ad Leonem vocat, των ολων κεφαλων κεφαλην, omnium capitum caput. S. Dionys. Areopag. cap. 3. de divinis nominibus, κορυφαιαν και πρεσβυτατην θεολογων ακροτητα, supremum et maxime venerandum Theologorum verticem. S. Ioann. Chrysost. in Psal. 50. κεφαλην του χορου των αποστολων, chori Apostolorum caput. S. Chrysolog. serm. 154. *Qui Apostolici chori tenet principatum.*

Secundo, regiam quoque in spiritualibus dignitatem Et Pontifex eius successor. acceperunt omnes Pontifices, Christi et Petri successores. 1. Papa vocatur a S. Theodoro Studita epistol. ad Leonem iam citata αρχιποιμην της υπ' ουρανον εκκλησιας, universæ, quæ sub cælo est Ecclesiæ, princeps pastor; 2. a Theodosio Imperatore in Novell. 24. princeps Episcopalis coronæ; 3. a Valentiniano Imperatore Novell. 3. rector universitatis; 4. a S. Ioanne Damasceno orat. de Transfiguratione, universæ Ecclesiæ dux et moderator; 5. a
C S. Maximo in cap. 3. Eccles. Hier. αρχων εκκλησιας επισκοπος; Episcopus Ecclesiæ princeps.

Exercitium illius potestatis regiæ et monarchiæ, est 96. Probatur ille principatus. I. Primo, quod Concilia Œcumenica pro voluntate sua convocat, dirigit, approbat. Africæ tria Concilia hoc sua auctoritate ratum esse voluerunt, quæ datis ad Damasum Papam litteris sic scribunt: *Antiquis regulis sancitum est, ut quidquid horum, quamquam in remotis, vel in longinquo positis ageretur provinciis, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ sedis vestræ fuisset deductum, ut eius auctoritate, iuxta quod fuisset pronuntiatum, firmaretur.* Concilia Œcumen. sæpe supremam in omnibus Ecclesiasticis rebus Papæ auctoritatem extollunt. Turrianus quidem ex codice Arabico Alexandria allato, refert canonem Nicænum, in quo sic habetur: *Ille, qui tenet sedem Romæ, caput est et princeps omnium Patriarcharum.* In Concilio etiam Chalcedonensi id fatentur Patres. Expendimus, inquiunt, omnem primatum, et honorem præcipuum secundum canones antiquæ Romæ Dei
D amantissimo Archiepiscopo conservari.

Secundo, ex ea suprema potestate factum est, ut Pontifex Romanus ad concilia Legatos mitteret, qui præsiderent sicut in Nicæno, aliisque manifestum est. II.

Tertio, ut ad eum Episcopi electi fidei suæ formulam statim post electionem suam mitterent, illam, ut confirmaret vel reiiceret, quod S. Cypr. lib. 2. epist. 10. asserit, fuisse divinæ traditionis et Apostolicæ institutionis. III.

Quarto denique, Romanus Pontifex omnem fidem quæ in dubium vocata est ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio, aut confirmavit, aut reprobavit, eique omnes confirmari necesse est. S. Irenæus Episcopus Lugdunensis, qui floruit circa annum 180. de ea re sic loquitur lib. 3. adversus hæreses, cap. 3. *Ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam: hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.* IV.

Hic cum S. Chrysostomo mirari convenit, quod Ecclesia, quæ olim idolis serviebat, et vitiis erat polluta, et ad infima deiecta, nunc stet a dextris Dei gloria coronata. Sic enim ait in Psal. nostr. *Vidisti insignem honorem? vidisti summam dignitatem? quæ conculcata, et quæ in infimum locum deturbata fuerat, in quantam extulerit altitudinem, ut ei assisteret? Cognovisti, quæ erat captiva, alienata, meretrix, scelerata et execranda, ad quantam dignitatem ascenderit, cum ministratoriis potestatibus astitit? Filius enim, ut sit honore æqualis, sedet a dextris, ipsa vero stetit.* Sed cum firmitate et stabilitate, ut supra monui. Aquila vertit, εστηλωθη, id est erecta stetit, stabilita est, instar columnæ stetit. Vere enim idem S. Chrysost. ait, homil. 4. de verbis Isaiæ, εκκλησια ουρανου μαλλον ερριζωθη: *Ecclesia firmioribus, quam cælum ipsum radicibus firmata est.* Innititur enim sponso suo dilecto per desertum huius vitæ ambulans. Dixit enim Matt. 28. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Et Ioann. 14. 16. *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum spiritum veritatis.* Unde hactenus Romana Ecclesia, cui præfuit S. Petrus Apostolorum caput, nullam hæresim docuit, sed omnes condemnavit.

97. Vestis Ecclesiæ quam ornata? Quæres quinto, qualis est vestis Ecclesiæ? Respondet David noster: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Pro his omnibus verbis in Hebræo textu tantum habemus, בכתם אופיר *bechethem ophir.* quod varii varie vertunt. Variæ versiones. Primo, Felix, *cum massa auri Ophir.* Arias, In massa auri Ophir. Aquila, εν βαμματι ωφειρ, in tinctura Ophir. S. Hieron. epistol. 140. ad Principiam: Ophir, inquit, genus auri est, vel a loco Indiæ, vel a colore nomine indito. Genebrardus, et Vatablus putant Ophir esse regionem Peruanam in India Occidentali. Iosephus Acosta lib. 1. de natura novi orbis, cap. 13. et 14. Gaspar. Vorerius lib. de Ophir, Sanchez in lib. Regum, censent probabilius Ophir fuisse in India Orientali, et plures regiones complecti: nempe auream Chersonesum, sic vocatam propter auri abundantiam, Sumatram et Taprobanam, Pegu, Ceylam, aliasque Indiæ regiones feraces auri.

Secundo, *bechethem ophir* Campens. vertit, *in mundo auri nobilissimi.* Aurum enim Ophir erat optimum: unde aurum præstantissimum vocatur obryzum, q. d. Ophirisum, id est ex Ophir advectum: alii volunt dici aurum purissimum obryzum, quasi αβρυζον, hoc est syncerum et delicatum: quod sæpe igne candefactum et exustum est, donec nihil habeat alterius metalli admistum. Plinius lib. 33. cap. 3. *Auri experimento, ait, ignis est, ut simili colore rubeat, quo ignis: atque ipsum obryzum vocant.*

Tertio, *bechethem ophir* S. Hieron. reddit, *in diademate aureo.* Theodotio, εν διαδηματι χρυσω εκ σουφειρ, in diademate aureo de Suphir: sic ipse Ophir appellat R. Salomon in Ps. 16. ait etiam *chetem*, esse *atara*, id est coronam, diadema.

Quarto, R. Ionas censet *chethem* significare margaritas: et R. Emmanuel hic explicat cum margaritis optimis, quæ veniunt de Ophir, ubi sunt cæteris meliores.

Quinto, R. David vult *chethem* esse aurum optimum. Mercerus, esse massam, grumam, seu portionem, aut frustum auri optimi et purissimi, quale est Indicum vel Arabicum: ideo iungi cum nomine Ophir. Chald. etiam vertit, in obrizo Ophir.

Sexto denique, et hoc in loco optime, *chethem*, sumitur pro ornamento aureo: ita R. Salomon. Itaque non est tantum aurum, sed ipsa res, v. g. vestis, cum auro. Unde etiam, ut dixi supra, Camp. reddit, in mundo auri. Septuaginta itaque interpretes suæ linguæ Hebraicæ peritissimi, exponere cupientes quid involveretur in illa generali voce *chethem*, recte posuerunt esse vestem pretiosam, et cætera omnia sponsæ ornamenta, quæ pro membrorum di-
98. versitate sunt diversa: nempe diadema, monile, cingulum, calcei, et alia huiusmodi.

Vestis Ecclesiæ sextuplex. Quæres denique sexto, quid mystice significat hæc vestis Ecclesiæ? Primo S. Athan. et Didym. vestem Ecclesiæ aiunt esse Christum. Verba S. Athanasii sunt: *Regina est Ecclesia tamquam facta Regis magni sponsa: collocatio autem a dextris, honorem significat, quam in futuro sæculo mira eum iucunditate consequetur. Vestitus vero varius, fides, spes, charitas. Sed et aliam quamdam splendidiorem vestem habet, nempe Christum ipsum. Quicumque enim, inquit Paulus Galat. 3. 27. in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Didymus vero sic loquitur: Anima quæ Regi Christo vere copulata est, vel Ecclesia regina dicta est, et quia sponsa Regis est, assistit a dextris eius: statum vero a dextris habere, est in virtute ac fide domicilium et firmitatem collocasse. Ipsa præterea vestes habet auratas, cum Christum induta est. Circumamicta vero et variata dicitur ob varium sapientiæ Dei ornatum, et cultum: ita Didymus. I. Christus.

Secundo, Euthym. per vestem Ecclesiæ accipit Spiritum sanctum. Et vero dixit Apostolis Christus in cælum ascensurus Luc. 24. 49. *Vos autem sedete in civitate* (Ierosolymitana) *quoadusque induamini virtute* (δυναμει, vi et robore: hoc est ipso Spiritu sancto) *ex alto.* Nonne induit Apostolos Spiritus, cum in eos cecidit et implevit totam domum, Act. 2. Cum quis iustificatur, datur ei ipse Spiritus sanctus, ut alias ostendi. II. Spiritus sanctus.

Tertio, vestis Ecclesiæ sunt Sancti omnes. Bruno, Aurum, ait, ad charitatem debemus aptare. Ornatur vero Ecclesia varietate: quia auro Apostolorum, argento Prophetarum, gemmis Virginum, cocco Martyrum, purpura pœnitentium. Id sumpsit a Cassiodoro. In vestitu deaurato, ait Remigius, id est in membris solidis, non crepantibus in tribulatione. Haymo varietatem vestis spectat in variis gradibus et statibus clericorum et coniugatorum. Quis non miretur varietatem Religiosorum ordinum in Ecclesia, et ex ea varietate atque sapienti ordinatione pulchritudinem Ecclesiæ? Possis etiam dicere, Christum esse regiam atque auream Ecclesiæ chlamydem: ornamentum aureum esse concionatores, qui sunt murenulæ vermiculatæ argento. Cant. 1. 10. cingulum, esse arctioris vitæ observatores: calceos, eos qui religiosas peregrinationes obeunt: armillas, eos qui faciunt miracula: coronam, eos qui præsunt, Pontifices scilicet, Episcopos et presbyteros. Varietatem personarum et graduum in Ecclesia refert Paulus Ephes. 4. 11. III. Sancti omnes.

Quarto, vestis Ecclesiæ est doctrina Evangelica: ita S. Basil. S. August. Didym. Hesych. et alii. *Vestitus reginæ huius quis est? ait S. August. Et pretiosus est, et varius est. Sacramenta doctrinæ in linguis omnibus variis. Alia lingua Africa, alia Syra, alia Græca, alia Hebræa, alia illa et illa. Faciunt istæ linguæ varietatem vestis reginæ huius. Quomodo autem omnis varietas vestis in unitate concordat, sic et omnes linguæ ad unam fidem. In veste ista varietas sit, scissura non sit. Ecce varietatem intelleximus de diversitate linguarum, et vestem intelleximus propter unitatem. In ipsa autem varietate aurum quod est? Ipsa sapientia. Qualibet sit varietas linguarum, unum aurum prædicatur, non diversum aurum, sed varietas de auro. Eamdem quippe sapientiam, eamdem doctrinam et disciplinam omnes linguæ prædicant. Varietas in linguis, aurum in sententiis.* Epistol. 86. Varietatem admiratur in diversitate cæremoniarum S. Basil. hic. In varietate dogmatum spirituali intelligentia subtextorum, et variegatis floribus interstinctorum Andreas de Petr. Archiepiscopus Colossensis in Concilio Basileensi: *Astitit*, ait, *regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Varietatem autem non illam intelligo, qua ex ebore, auro, varioque coloris genere parietes in regiis principum ornari solent: sed Apostolorum doctrinam, Confessorum, Martyrum, puritatem Virginum, lamenta pœnitentium.* IV. Doctrina Evangelica.

Quinto, vestis Ecclesiæ circumdata varietate est ornamentum omnium gratiarum et virtutum. De gratia Baptismi exponit Euthym. ad alia etiam Sacramenta transfert. S. Hieron. et S. Chrysost. per vestem auream accipiunt gratiam iustificationis: per varietatem, varias virtutes: fidem scilicet, spem, charitatem, humilitatem, et alias. Apoc. 19. 8. de uxore Agni, id est de Ecclesia sponsa V. Gratiæ omnes et virtutes.

Christi dicitur: *Datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti* (καθαρῷ, hoc est mundo) *et candido. Byssinum enim iustificationes sunt Sanctorum*, id est opera iusta et sancta, eorum merita. Arabs, byssus est iustitia Sanctorum. Proverb. 31. 22. proponitur Ecclesia sub typo mulieris fortis, et dicitur: *Stragulatam vestem fecit sibi, byssus, et purpura indumentum eius.* Ubi Salonius S. Eucherii filius et Salviani discipulus, qui floruit circa annum 470. sic ait: Per stragulatam vestem significantur fortia opera sanctæ Ecclesiæ, et diversa virtutum ornamenta, de quibus Propheta dicit: *Astitit Regina*, etc. Beda autem considerans byssum per varias exercitationes ad decorem vestis perduci: purpuram vero, esse regalem habitum, ait bysso indui Ecclesiam, cum castigantur corpora et subiiciuntur servituti: purpura autem, cum id fit, non ob favorem vulgi, sed ad acquirendam beatitudinem regni cælestis. S. Prosper Aquitanicus, Episcopus Regiensis in Gallia, qui fuit S. Hilarii æqualis, et floruit circa annum 445. variegaturam vestis Ecclesiæ sic declarat in epist. ad Demetriadem: *Cum Ecclesia Dei, quæ est corpus Christi, ita sit multimoda varietate contexta, ut in unum decorem etiam quæ non sunt paria concurrant: et de omni genere hominum, et de omni gradu officiorum, de omni mensura operum, de omni qualitate virtutum fiat totius ædificationis inseparabilis connexio, et indifferens pulchritudo: nec desit soliditati, quod non defuerit portioni: tantaque ibi sit pax, tantaque concordia, ut non possit esse nisi omnium quod est etiam singulorum: indubitanter apparet, copulatricem quamdam esse virtutem, qua sibi confœderatur, et concinit multiplex Sanctorum unitas, et speciosa diversitas. Hæc autem virtus vera humilitas est, quæ inter quoslibet meritorum gradus nunquam sui potest esse dissimilis.* S. Petrus 1. epist. 4. 10. vocat multiformem gratiam Dei, Gr. ποικίλην, id est variam, variegatam. Syr. divisam et distinctam. Gratia est similis aquæ pluviæ et cælestis quæ candet in liliis, purpurascit in rosis, flavescit in calthis, omnia est in omnibus. Has divisiones gratiarum percenset Paul. Roman. 12. 6. Per Ecclesiam innotescere ait ipsis Angelis multiformem sapientiam Dei. Gr. πολυποίκιλον, id est multipliciter variam. Sancti varii in Ecclesia sunt variæ stellæ in cælo Christi. *Stella autem*, ut habetur 1. Corinth. 15. *differt a stella in claritate.* Alia est claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum. Valentia in Psalm. nostr. varietatem vestis Ecclesiæ sic variis modis considerat: *Ipsa*, inquit, *adstat tibi in vestitu deaurato, pallore charitatis: et circumdata et amicta varietate vestimentorum et colorum: scilicet alba per fidem et puritatem, cærulea per spem, rubicunda per martyrium, pallida per pœnitentiam, splendens veritate doctrinæ. Item est circumdata et vestita varietate Sacramentorum: scilicet Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Extremæ unctionis. Item est circumdata varietate statuum: scilicet virginum, viduarum, continentium, coniugatorum, Eremitarum, Apostolorum, Doctorum, Evangelistarum, Prædicatorum, et varietate religionum, ac diversitate linguarum: quia iam credunt Græci, Latini, Scythæ, Indi, Æthiopes, Chaldæi. Item varietate moris et consuetudinum in cultu: sed omnibus est una fides, unum baptisma.*

VI. Gloria. Sexto denique, vestis Ecclesiæ triumphantis est immortalitas et splendor corporum beatorum in cælo, et gloriæ lumen in anima. Euseb. Regina dicitur, ait, quod iam cum sponso suo regnat: ideo a dextris regis assistere dicta est, tamquam sponsa illius existens, quæ susceptis ab eo seminibus concipiat, et *claro incorruptionis amictu*, qui plane spiritalis est, induitur, cælestibus Angelicis potentiis circumdata: ita ille. Est autem varietas præmiorum pro varietate virtutum. Ioan. cap. 14. v. 2. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Hæc varietas tamen omnes delectabit ob vim amoris, quæ omnes in illa pace sociat.

99. Symbol. regina est charitas. Symbolice, Regina illa circumdata varietate est charitas in medio virtutum cœtu irradians, iisque veluti gemmis ornata: ita Richardus a S. Victore annotat. in Psal. 44. *Regina virtutum charitas*, inquit, *a sinistris Dei sunt bona temporalia; a dextris autem, bona æterna. A dextris stare charitas dicitur: quia bonis æternis, non temporalibus innititur. In solis namque illis charitas regnat, quos amor æternorum inflammat*: ita ipse. Charitatem comitatur multitudo virtutum. 1. Corinth. 13. 4. *Charitas patiens est, benigna est*, etc. Multi in vestitu deaurato considerant charitatem. Hesiodus primos heroes vocat, ανδρας χρυσειους, viros aureos. Synes. epist. 47. nuncupat Heliodorum, χρυσην ψυχην, aureum animum. De Christo sponso dicit sponsa Cantic. 5. 11. *Caput eius aurum optimum.* Quinta editio, insigne auro. Christi cogitationes et affectiones omnes dirigit charitas. Philo Carpath. Episcopus, dicit caput Ecclesiæ esse Patriarchas et Doctores, qui velut aurum sapientiæ, in fornace tribulationis excocti resplenduerunt, ac præsertim S. Petrum, qui post Christum fuit caput Ecclesiæ. S. Paulin. epist. 4. ad Severum: Hoc aurum, ait, forma Sanctorum est, qui in capite corporis ut lumina micant, et sunt aurum ignitum Deo.

Tropolog. Anima sancta est regina virtutum varietate circumdata. Iob de se ait cap. 29. v. 14. *Iustitia indutus sum, et vestivi me sicut vestimento et diademate iudicio meo.* Coloss. 3. 12. ait, *Induite vos sicut electi Dei* (quasi dicat, in hoc probate quod estis electi) *sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, modestiam, patientiam: super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Sic eritis electi et beati. Apocal. 16. 15. *Beatus qui vigilat et custodit vestimenta sua ne nudus ambulet.* 100. Tropol. Anima est regina virtutum ornata varietate.

Hæ vestes Ecclesiæ, et animæ sanctæ figurantur in tunica polymita Iosephi, et in veste Aaronis Pontificis. De prima dicitur Genes. cap. 37. v. 3. *Israel* (Iacob sic etiam vocatur) *autem diligebat Ioseph super omnes filios, eo quod in senectute genuisset eum: fecitque ei tunicam polymitam.* Gr. ποικίλον, variam seu variegatam. Israel (hoc est vir videns Deum: vel, princeps Dei, potens in Deum, dominans Deo) est Iesus, qui in senectute sua, id est in cruce, genuit Ioseph, qui significat augmentum, id est Ecclesiam, quæ multitudine populorum in dies augetur: fecitque illi tunicam polymitam, hoc est, ornatam virtutum omnium. S. Gregor. lib. 1. Mor. cap. ult. tunicam illam talarem Iosephi vult esse perseverantiam. Philo lib. de Ioseph, multiformem prudentiam principis: sed Rupertus melius, variegaturam virtutum.

De secunda, nempe de veste Aaronis cum superhumerali, seu ephod, et cum rationali confectis ex auro et hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, et bysso, lege cap. 28 Exodi, et hæc omnia ad varias virtutes transfer.

Has Ecclesiæ vestes variegatas describit Deus Ezech. 16. 9. et sequent. *Lavi te aqua* (doctrinæ, ait Orig. gratiæ, Vatablus: baptismi, Prado) *et emundavi sanguinem tuum ex te, et unxi te oleo* (recreavi te a labore; 2. per unctionem mihi consecravi sacerdotes) *vestivi te discoloribus* (Hebr. recamatis, variegatis opere phrygionico) *et calceavi te ianthino* (id est calceo hyacinthini seu violacei coloris) *et cinxi te bysso* (fascia ex lino mollissimo et candidissimo in cingulum dato) *et indui te subtilibus* (Hebr. veste bombycina, sive serica) *et ornavi te ornamento* (quod sequitur) *et dedi armillas in manibus tuis, et torquem circa collum tuum, et dedi inaurem super os tuum, et circulos auribus tuis, et coronam decoris in capite tuo. Et ornata es auro, et argento, et vestita es bysso, et polymito, et multi coloribus.*

ARTICULUS II.

Ecclesiæ sponsæ Christi virtutes præcipuæ.

David veluti sacer paranymphus describit ea, quæ antecedunt sacra sponsalia, quæ comitantur, et quæ consequuntur. Hoc in articulo expendamus ea quæ antecedunt, de aliis agetur postea. 101. Vers. 11. Ecclesia sponsa ad Christum curru ducitur, in quo:

Antecedant oportet virtutes quatuor, ad quas Ecclesiam hortatur, v. 11. AUDI FILIA, ET VIDE, ET INCLINA AUREM TUAM, ET OBLIVISCERE POPULUM TUUM, ET DO-

MUM PATRIS TUI. Quibus verbis obedientia, prudentia, humilitas, et contemptus terrenorum omnium satis aperte includuntur. His autem virtutibus veluti cælestis currus conficitur, quo sponsa illa divina, ad Deum sponsum ducatur.

I. Rota est obedientia.

I. Prima itaque currus rota est obedientia, quæ a Propheta prima ponitur: *Audi filia,* quod Chald. clare explicans synagogæ vertit: *Audi congregatio Israel legem oris mei.* Filia vocatur Ecclesia, quia David loquitur hic in persona Dei Patris: ita S. Hieronym. 2. quia erat Christus futurus eius filius, et consequenter uxor eius Ecclesia, filia dici potest; 3. et melius, quia eam considerat veluti sponsam et iam primum ad sponsi thalamum admissam, ac veluti adhuc adolescentulam.

Obedientiam in Baptismo docetur Christianus.

Obedientiam Christiano esse necessariam admouemur in ipso Baptismo. Primo enim dantur Susceptores seu Patrini, ut nullus sit Christianorum, qui pædagogo careat quem audiat, et a quo instruatur. Nam tenetur Susceptor docere baptizatum, si necesse sit. Unde Elias Cretensis in responsis ad Dionysium monachum lib. 3. *Susceptores si nossent, quæ a magno Dionysio definita sunt, et quatenus,* μεριμναν και φυλακην απαιτουνται, *curam et sollicitudinem habere debent eius, qui per spirituale lavacrum regeneratur, atque ab illis suscipitur, vix quidem ad Susceptorum munus prodirent etiam ardentius invitati.* Secundo, sacerdos digito tangit aures accedentis ad Baptismum, sputoque illinit, atque nares eius, dicens ad aurem dexteram, *eppheta,* quod est, *adaperire;* a rad. פתח *phatach,* aperuit. Ad aurem vero sinistram, *tu effugare diabole.* Ad nares, *in odorem suavitatis,* sicut in Sacram. S. Gregorii habetur. Vetustissimam esse hanc in Ecclesia cæremoniam docet S. Ambrosius de iis qui initiatur mysteriis, cap. 1. *Aperite,* inquit, *aures, et bonum odorem vitæ æternæ in illato vobis munere Sacramentorum capite, quod vobis significamus, cum apertionis celebrantes mysterium, dicimus eppheta, quod est adaperire.* Et lib. 1. de Sacram. cap. 1. Ergo, ait, quid egimus sabbato? nempe apertionem. Quæ mysteria celebrata sunt? apertionis. Quando tibi aures tetigit sacerdos et nares, quod significat in Evangelio Dominus, cum ei oblatus esset mutus et surdus, et tetigit aures eius, et os eius. Aures, quia surdus erat. Os, quia mutus: ita Ambr. Ingredienti itaque in Ecclesiam primo aures sunt aperiendæ.

Obedientia in Ecclesia semper viguit.

Obedientiam in Ecclesia Dei semper viguisse docet Thomas Bozius lib. 10. de signis Ecclesiæ cap. 4. Ipsosque Romanos Pontifices decretis Conciliorum et præcedentium Pontificum summo studio obsequentes fuisse. Miracula duo obedientiæ profert, quibus eam probet Deo placuisse. *Thomas,* inquit, *Florentinus ex ordine S. Francisci, dicto Ioannis Capistrani audiens prunas ardentes manibus similiter illæsis contrectavit: et Petrus Igneus iussu S. Ioan. Gualberti per medias flammas incolumis pertransiit.* Aliqua exempla refert S. Ignatius in aurea de obedientia epistola, quam scripsit ad Patres et Fratres Soc. Iesu in Portu Gallia degentes. Maurus, inquit, S. Benedicti discipulus, mandato superioris lacum ingressus non mersus est: alius quidam a superiore iussus, leænam ad se ducere, illam cepit, atque perduxit, etc.

102.
II. Rota est prudentia.

Secunda currus Ecclesiæ rota est prudentia, quæ cum obedientia æquali passu debet pergere, ne cæco impetu in abrupta præceps feratur. Unde additur, **ET VIDE.** Arabs et intellige. S. Ambros. ad Virginem lapsam, cap. 5. *Aspice filia, et intuere.* Primo et secundo loco prudentiam ponit, quæ est dux et comes cæterarum virtutum.

Monemur in baptismo prudentiam esse necessariam.

Prudentiam quoque suis alumnis insinuat Ecclesia in ipso Baptismo, cum præcipit salem benedictum in os baptizandi immitti: quo significat, ut ait Beda in Esdram lib. 2. cap. 9. *Catechumenos initiari sale sapientiæ.* Catechumenis item adultis in die Paschæ loco Eucharistiæ sal consecratum dabatur, can. 5. Concil. 3. Carthagin. cui S. August. interfuit: ad significandum, eos nondum capaces esse Eucharistiæ, sed adhuc debere in sapientia proficere.

103. In tota Ecclesia ipsam prudentiam politicam floruisse docet ac probat Thomas Bozius, lib. 8. cap. 1. et seqq. per inductionem regnorum variorum.

In tota Ecclesia prudentia floruit.

Primo, inquit, Lusitania nunquam bella civilia excitavit adversus reges suos communi decreto constitutos: plura maria transmisit, et plures longe dissitas terras obivit, quam ulla alia gens: Colonias plures deduxit, et in pluribus oris inter se maxime distantibus sedes fixit, quam ulla alia. I. In Lusitania.

Secundo, de Hispania primum illud sit. Nullus unquam populus, aut rex ab orbis fabricatione tantum terrarum tenuit, ut Hispanicus qui nunc terrarum tertiam partem imperio coercet. 2. Nulli unquam contigit aliquo temporis decursu, ut orbem terrarum circumdederit imperio, quod Hispanis evenit. 3. Nulla unquam gens, ex quo Adamus liberos habuit, tot nationes moribus ac ritibus dissimiles ad unius religionis cultum, vel earumdem legum studium perduxit, ut Hispana. 4. Addi posset hanc illi felicitatem contigisse post domitos Mauros fidei hostes a Ferdinando rege, qui dictus est Catholicus: antea vero Hispanos sub iugo barbarorum diu servivisse. Sed adde pariter non videri verum, Hispanis subesse tertiam orbis partem: si recte expenderis, reperies, ne decimam quidem, ne quid amplius dicam illis subesse. II. In Hispania.

Tertio, Galliam lustrat idem Bozius: *Nulla natio,* inquit, *cuius gesta scriptis aut Græcis, aut Latinis consignata sit, tot reges, tot orbis partibus tamdiu regnantes dedit quot Gallica. Hinc enim prodiere reges, Ludovicus, qui Germaniæ: Henricus, qui Poloniæ imperarunt: Henricus alter, qui Lusitaniæ: Bernardus, qui Italiæ: Imperatores Constantinopolitani, Balduinus, etc. reges Ierosolymitani et Syriaci, Gothofredus, etc. Cypri reges Lusignani, origine Pictones. Siciliæ rex Carolus fuit frater S. Ludovici, Hungariæ regnum alter Carolus obtinuit, ex illius Caroli liberis, cuius progenies Ludovicus non Hungariæ modo, sed et Poloniæ rex fuit.* 2. Nulla natio ab orbis exordio tot reges habuit, quorum nemo fuerit ab hoste occisus, quot Gallica. 3. Nulla huc usque gens ab ortu Christi, et lege Christiana disseminata, Præsulum sacrorum, summique ipsorum antistitis, qui est Pontifex Romanus, studiosior fuit, quam Gallica et Gallici reges. III. In Gallia.

Quarto, in Angliam navigat, de qua illud est præclarum, quod nulla gens protulerit tot reges sanctimonia, et miraculis illustres atque Anglia. 2. Ex eo tempore quo unus in Anglia rex imperare cœpit, nunquam vel diu insigni ex parte est illud regnum discerptum. IV. In Anglia.

Quinto, in Scotia illud prædicandum. Nulla gens, cuius res vel Græcis vel Latinis sint scriptis illustratæ, e tanto tempore semper indigenas habuit reges, ut Scotia. 2. Nulla gens e borealibus tamdiu perstitit in unanimi religionis unius consensu, ut Scotica. V. In Scotia.

Sexto, in Germania Occidentale imperium diutius mansit, quam in ulla alia provincia. 2. Neque in Occidentali, neque in Orientali imperio contigit, ut semper fuerint Imperatores indigenæ, quod huc usque ab Othone magno ad nostra tempora fuit in Germania: cui datum est, ut alibi nati nunquam fuerint in ea Imperatores. 3. Neque Occidentali, neque Orientali Imperio contigit, ut ex eadem familia tot habuerit Imperatores, ut Germania ex una familia Austriaca. VI. In Germania.

Septimo, de Bohemia illud est mirabile. Ex quo Bohemi nomen Christo dederunt, nunquam nationes barbaræ in Bohemiam fecere irruptionem. 2. Agitur, inquit Bozius, annus 577. ex quo Geysa Hungarorum rex Christo nomen dedit: ab eo tempore nemo ex eorum regibus a suis est occisus præter Andream fratrem Belæ. Ab eo tempore quo scribebat ille, annos computa. Scribebat circa annum 1590. VII. In Bohemia.

Octavo, Polonia a Tartaris vinci non potuit, nec tributo subiici: quod mirum satis, cum maximæ factæ sint irruptiones, quæ incœperunt anno 1162. et occuparunt per multos annorum decursus regna Turcarum, Sinarum, Indorum, Persarum, Medorum, Armenorum, Assyriorum, Cappadocum, et Ponti in Asia, in Europa autem Russorum et Bulgarorum, ut tradunt Marcus Polus, Haito Armenus, Ioan. Villaneus, Nicephorus, Gregoras, Ioannes VIII. In Polonia.

Gonzalez. 2. Illud maxime insigne Polonici regni est, ut ex quo Christo se devovit, illius aut duces, aut reges nunquam deflexerint a pietate Catholica, quod etiam certum est de Galliæ regibus, si præsertim de iis agatur, qui illi toti imperarunt.

IX. In Veneta Republica. Nono, de Venetorum Rep. hoc notandum est: quod nulli principatui, qui fuerit paulo celebrior, aut saltem qualis Venetus, adhuc contigit ab orbe condito, ut tanto tempore steterit, neque in exterorum potestatem venerit, neque libertatis suæ sit passus iacturam, neque bellis civilibus exarserit, cum tamen mille et centum annos, atque amplius durarit.

X. In ditione Pontificis. Decimo, in Pontificia potestate illud est admirandum. Nullam sedem Præsulum reperiri ab orbe condito, quæ tot Martyres protulerit: qui pro ea, quam profitebantur doctrina pietatis aut iustitiæ, vitam posuerint. Viginti enim et septem numerantur. 2. E nulla sede tot prodierunt Antistites, quibus eximiæ spectatæque sanctitatis testimonium dederit universitas omnis, quot e Romana. Nam usque ad Gregorium primum numerantur sexaginta Pontifices, Sanctorum numero adscripti, quorum notissima omnibus extitit admirabilis integritas. Post hos fuere et alii multi. 3. Nulli sedi contigit, ut tot nationes tam varias, tam barbaras, per suos ministros, vel ad Christi cultum, vel ad eiusdem religionis iura adduxerit sicut Romana sedes. 4. Nulla tamdiu perstitit et tot tantosque impugnatores habuit. 5. Nulla magis obstitit scelestorum regum, Imperatorum nationumque malis conatibus. 6. Nulla tot ac tantos reges ac principes sui tam studiosos et cultores habuit. 7. Nulla successores adeo unanimes in decretis, quibus æternorum veritas sancitur. 8. Nulli sedi contigit, ut illi subiecti reges Imper. et resp. sic floruerint, sicut Romanæ. 9. Nullus pastor et princeps extitit ab orbe condito, qui tanta cura et studio, regum suæ fidei commissorum sit imperia tutatus, eorumque pacem et concordiam, amplificationemque procurarit, sicut Pontifex Romanus. Hæc et alia Bozius lib. 8. de signis Eccles. cap. 1. ubi dicta fuse probat. Floruit circa finem sæculi præcedentis.

104. III. Currus rota est humilitas. Tertia currus Ecclesiæ rota, qua ad sponsum deducitur, est humilitas, de qua subdit David: ET INCLINA AUREM TUAM. Syr. porrige aurem tuam. Sed significantius Sept. et Noster *inclina*, quo denotatur Primo, aviditas audiendi: ita Didymus. Susceptis, inquit, sermonibus meis, o filia, audi, et considera sensum illorum, illis utique credens. Nam adhuc magis et magis cuples aures tuas inclinare ad eos excipiendos; et accuratius audire, et optare, animum intendens. Secundo, *inclina*, denotat humilitatem in audiendo: ita S. August. cuius hæc sunt verba: *Audi, ut mundes cor fide, sicut Apostolus ait in actibus Apostolorum cap. 15. Fide mundans corda eorum. Ad hoc enim audimus, ut credamus, antequam videamus: ut credendo cor mundemus, unde videre possimus. Audi et credas, munda cor fide. Et cum cor mundavero, quid videbo? Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt. Audi filia et vide, et inclina aurem tuam. Parum est, audi, humiliter audi, inclina aurem tuam.* S. Basil. καμπτον, ait, αυτης αλαζονειας υψηλον τραχηλον, flectens collum iactantiæ fastu sublatum, inclina aurem tuam, ne curras ad externas fabulas. Quin suscipe potius vocis humilitatem, quæ in Evangelico conspicitur esse sermone: ita ipse. Non potest auris inclinari, quin collum incurvetur. Collum autem flexibile et in terram se domittens est symbolum humilitatis. Hinc dicitur Cantic. 1. 9. *Collum tuum sicut monilia*: murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas (Hebr. punctatas) *argento*. Syr. cum laminis argenti. Multi volunt murenulas esse ornamenta aurium, alii esse ornamenta colli. De monilibus vero sic dicunt apud Theodoretum tres Patres, id est, S. Gregor. Nyssen. S. Nilus S. Chrysost. discipulus, et S. Maximus, qui fuerunt Theodoreto coævi. Collum, ait, pulchrum effectum est sicut monilia. Neque enim tibi ferreum est collum, ut propter superbiam flecti nequeat, sed propter modestiam facile flecti possit, ut monilia ex auro elaborata: cuius quidem auri probitatem ac puritatem, humilitas tua simplicitate non ficta imitatur. Quod si minime simulatam humilitatem monile significat, ut dictum est sponsæ Christi, collum tamquam monilia commendatum, et virtutum indicat multitudinem, et implicitam in singulis virtutibus humilitatem. Quemadmodum enim monile recta figura prius ab artifice conflatur, deinde in circulum accommodate ad usum circumflectitur: sic homo virtute perfectus cum absoluta vitæ moderatione rectus fit, cæteris compatiendo per humilitatem flectitur atque demittitur. Ita Patres, qui subiungunt collum esse rationem: *At collum*, inquiunt, *humilitate circumdatum, est animi ratio, quæ ut collum reliquo corpori caput coniungit, sic ipsa mentem cum sensibus connectit, dum ex virtutum habitu mentem per actiones sensibus applicat, sensusque rursum ex virtutum præscripto ad mentem reducit. Flectitur item per humilitatem, dum non ex propria extollitur dignitate, sed ex pulveris ac materiæ abiectione demittitur.*

Murenulæ aureæ.

Hæc inclinatio auris et colli, id est humiliatio, necessaria est ad Deum aspiranti. Ps. 84. 9. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Et quidem si Deus se inclinat usque ad me, quomodo fieri poterit ut me non inclinem ad verba eius; quæ sunt extra vel supra nos ne curemus, sed ad ea quæ sunt intra nos, attendamus? Claudius Aquaviva Soc. Iesu Præpositus Generalis V. qui hunc Ps. 44. explicuit, humilem promptitudinem ad interiorem Dei locutionem notat in inclinatione auris: *Inclinare aurem*, inquit, *aliquid addit, ad id quod dixerat, audi. Nam et obedientiam significat, et humilem promptitudinem ad secretiora audienda. Ipse enim sponsus erigit mane aurem, ut audiamus quasi magistrum: ipse bonæ attentæque auri, quæ audit cum omni concupiscentia sapientiam, instillat sublimiora, ut purgata auris suscipiat quasi furtive venas susurri eius. Venas autem superni susurri auris cordis furtive suscipit, ait S. Gregorius, quia subtilitatem locutionis intime afflata mens, et raptim, et occulte cognoscit. Nisi enim se ab exterioribus abscondat, interna non penetrat. Occultatur autem ut audiat, et audit ut occultetur: quia et subtracta visibilibus invisibilia conspicit, et repleta invisibilibus, visibilia perfecte contemnit.* Hæc Greg. qui et affert locutionem hanc intimam sciri non posse, nisi a quo haberi potest. Ex quo manifestum est, quæ in hac inclinatione auris interius a Sponso audiuntur, nec narrari, nec intelligi posse, nisi experientia doceat. Nam et de quibusdam discipulis, qui manserunt apud Dominum, ut audirent eum, ait S. August. tract. 7. in Ioan. Quam beatum diem dixerunt, quam beatam noctem? Quis explicet nobis, quæ audierint illi a Domino? Ædificemus nosmetipsi in corde nostro, et faciamus domum, quo veniat ille, et doceat nos, et colloquatur nobis. Et Sapiens Eccli 6. 34. *Si inclinaveris*, inquit, *aurem tuam, excipies doctrinam.* Et rursus Prov. 22. 17. *Inclina aurem tuam, et audi verba sapientum: appone autem cor ad doctrinam meam.* Ostendit autem a gustu, et experientia melius cognosci pulchritudinem eius, subdens: *Quæ pulchra erit tibi, cum servaveris eam in ventre tuo*, id est corde, *et visceribus eius, et redundabit in labiis tuis.* Ex abundantia enim cordis os loquitur. Vides quid faciat inclinatio auris. Quæ profecto necessaria est, ut populum et domum patris nostri obliviscamur: 1. enim præcedit auditus; 2. meditatio et visus; 3. inclinatio auris. Primum necessarium est ad alterum, et hoc deinceps ad tertium. Tertium ad reliqua: ita Aquaviva. 105. Inclinatio auris et colli.

Ecclesia in ipso Baptismi ritu hanc inclinationem auris nos edocet, atque humilem subiectionem potestati Dei, atque Prælatorum cum sacerdos capiti baptizandi manus imponit. Id fieri solitum iam inde ab Apostolorum temporibus tradit S. Dionysius de Eccl. hierarchia: *Sciscitatur sacerdos, ait, an ita velit deinceps vivere: quod ubi ille pollicitus fuerit, imponit capiti eius manum: consignansque illum sacerdotibus mandat, ut virum susceptoremque describant.* Susceptor seu Patrinus est instar pædagogi quem docentem audire debeat baptizatus. Vincentius quoque a Thibari in Concilio Carthagin. cui S. Cyprianus interfuit, sentent. 37. *Habemus*, inquit, *regulam virtutis*, 106. In Baptismo humilitatem edocemur.

quam Dominus præcepto divino mandavit Apostolis dicens: In nomine meo manum imponite, dæmonia expellite.

Humilitas est in Ecclesia I. Hanc humilitatem et inclinationem auris esse in Ecclesia Catholica patet: Primo, ex subiectione intellectus ad veritates omnes fidei, ita ut nemo proprio iudicio ducatur, sed captivet intellectum in obsequium fidei. Nam neque ipse summus Pontifex potest pro veris habere, quæ inciderint ipsi in animum, sed tenetur stare illis, quæ universitas Ecclesiæ Catholicæ pro indubitatis habet, vel antiqua et priora Concilia universalia statuerunt, aut etiam summi Pontifices ante ipsum decreverunt in iis quæ sunt æternæ veritatis, ac sui natura variari non possunt.

II. Secundo, omnibus Christianis est obligatio peccata sacerdotibus aperiendi etiam occultissima: a qua lege ne ipse quidem Ecclesiæ totius moderator eximitur.

III. Tertio, principum Christianorum humilitas mirabilis est, qui contemptis regnis religiosam animi demissionem professi sunt. Hoc fecit Lotharius Imper. Ludovici Pii filius. 2. Hugo Provinciæ rex. 3. Rachis Longobardorum. 4. Sigismundus Burgundiæ. 5. Bamba Hispaniæ. 6. Veremundus Castellæ. 7. Ramirus Aragoniæ. 8. Sigibertus Northumbriæ. 9. Sebbis Angliæ. 10. Ethelredus et Cheneredus Merciæ. 11. Alfridus etiam Northumbriæ. 12. Offa et Ina Angliæ. 13. Ceolulfus et Egbertius Northumbriæ. 14. Henricus Quartus Daniæ. 15. Carolomannus Alemanniæ. 16. Trebellius Bulgariæ. 17. Casimirus Poloniæ, qui deinde Romani Pontificis iussu, et suorum victus precibus regni gubernacula recepit. 18. Carolus V. Imp. et Hispaniæ rex. 19. Suantocopius rex Moraviæ. 20. Salomon Hungariæ. 21. Imperatores Orientis varii, nempe Anastasius secundus, Theodosius tertius, Michael Rangabls, Michael quartus, Isaacius Comnenus, Emmanuel Palæologus. 22. Ne omnes numerando percenseam, et de aliis ordinibus ex una Benedictinorum familia fiat coniectura, refert Benedictus a S. Ioanne, ex hoc uno Ordine fuisse viginti et unum Imperatores, viginti septem Imperatrices, quadraginta quatuor reges, quinquaginta quatuor reginas. Atque in illis viginti duas in Anglia reginas, et octo reges numerari tradit Edovardus Maihew. in Trophæis Congregationis Anglicanæ Ordinis S. Benedicti.

107. IV. Humilitas regum Christianorum et principum. Quarto, humilitas principum, regum, et Imperatorum Christianorum apparet, quod imperatas a sacerdotibus pœnitentias cum summa mentis demissione exolverunt. Primo, de Philippo Imperat. quem cum filio Christianum fuisse Acta Pontii Martyris declarant, et plurimi censent auctores, aliis tamen de ea re dubitantibus: de Philippo, 1. Philip. Imperat. inquam, sic ait Euseb. lib. 6. hist cap. 27. *Fama est Philippum Imperatorem (Christianus namque erat) una cum multitudine participem fieri volentem, non prius ab Episcopo, qui tum Ecclesiæ præerat, permissum esse intrare quam se confessus fuisset, et inter eos, qui peccatorum vinculis adhuc tenebantur astricti, locumque pœnitentiam agentibus præstitutum occupabant, se sua sponte collocavisset: et Episcopum dixisse, eum non alia conditione, nisi istud faceret, propter multa delicta, quæ ab illo ferebantur admissa, aliquando ab ipso in Ecclesia receptum fore. Imperatorem autem alacri animo et lubenti Episcopo morem gessisse, et ingenuam modestiam, ac religiosam piamque affectionem Dei timore incitatam reipsa declarasse memorant.* Vide Baronium tom. 2. anno 246. Secundo, de 2. Theod. Imper. Theodosii Senioris pœnitentia, et virili animo S. Ambrosii 3. Othon Imper. consule eumdem Baronium tom. 4. Annal. anno 390. Tertio, mira est Othonis Imperatoris tertii humilitas, qui cum Gregorium V. Pontificem Sedi Romanæ restituisset, ob fidam non servatam Crescentio Patricio, qui turbarum omnium et eiectionis Pontificis causa erat, a S. Romualdo gravissima pœna est mulctatus, quam libenter et pacate suscepit. Rem narrat S. Petrus Damiani, qui iisdem temporibus vixit. Sic autem ait in vita S. Romualdi, cap. 25. *Crescentius Senator Romanus indignationem regis Othonis incurrens, in montem qui dicitur Sancti Angeli, confugium petiit: et quia munitio inexpugnabilis est, obsidente rege ad defendendum se fiducialiter præparavit. Cui Tammus ex præcepto regis iusiurandum securitatis* A *præstitit, et ita ille deceptus, adnitente Papa, qui ipsi inimicus erat, quasi reus maiestatis capitalem sententiam subiit. Cuius uxorem postea Imperator in concubinam accepit.* Postquam deinde narravit Tammum fraudis conscium Beati Romualdi iussu sæculum reliquisse, idque ab Othone permissum, licet illi esset maxima amicitia coniunctus, subdit: *Ipse autem rex ex eodem crimine beato viro Romualdo confessus, pœnitentiæ causa nudis pedibus de Romana urbe progrediens, sic usque in Garganum montem ad S. Michaelis perrexit Ecclesiam. Per totam quadragesimam in Classensi monasterio B. Apollinaris, paucis sibi adhærentibus, mansit. Ubi ieiunio et psalmodiæ, prout volebat, intentus, cilicio ad carnem indutus, aurata desuper purpura tegebatur. Lecto etiam fulgentibus palliis strato ipse in storea de papiris confecta, tenera delicati corporis membra terebat. Promisit itaque B. Romualdo, quod imperium relinquens monachicum susciperet habitum, et cui innumeri mortales erant obnoxii, iam ipse pauperculo subiectus cœpit esse debitor sui.* Quarto, quis non obstu- 4 Henrici regis Angliæ. B pescat ob humilem, et publicam Henrici Secundi Anglorum regis pœnitentiam, propter occisum ab eius satellitibus S. Thomam Archiepiscop. Cantuariensem? Herebertum audiamus lib. 3. Quadripartitæ historiæ: *Coram Martyris,* inquit, *sepultura, sancto et venerabili fratrum cœtu convocato a singulis virgæ disciplinalis percussiones singulas, velut quasdam secundas quadragenas Apostolicas, imo regias novas: et, sicut arbitror, usque tunc inauditas accepit.* Eduardus in S. Thomæ vita explicatius: *Veste,* ait, *se nudans, caput in tumuli fenestram magna humilitate submisit, ita ut omnes eo spectaculo ad lacrymas moverentur. Primoque ab Episcopis quinquies cæsus est, deinde a monachis amplius octoginta, ternos accepit ictus.* Eam humilitatem Deus compensavit. Nam eodem die quo rex venit Cantuariam pro suis in martyrem peccatis satisfacturus, Comes Flandriæ, qui cum immenso exercitu in Angliam traiicere statuerat, mutata illico sententia recessit. Altero die rex Scotiæ Angliam vastaturus, in acie comprehensus C est, et brevi omnes conticuere hostes, et rediit tranquillitas.

Quarta denique currus Ecclesiæ rota est contemptus 108. terrenorum. Ideo adiungitur: ET OBLIVISCERE POPULUM Vers. 11. TUUM, ET DOMUM PATRIS TUI. Quæres, quis hic populus, 4. Pars. IV. quis Pater? Nota, præsertim hic agitur de Ecclesia Gen- Currus tium ad Christum traducta, ipsique desponsata per Aposto- Ecclesiæ los. Resp. itaque primo Bruno: *Inclina aurem,* id est hono- rota. rabiliter verba Prophetæ percipe. *Obliviscere,* id est desere conventicula Paganorum. *Domum,* Babyloniam dicit, id est mundum. *Patrem,* diabolum, qui revera illam domum confusionis possidebat: ita ille. Secundo, Bellarmin. per populum et domum, intelligit mundum. Ut facilius ait, sponso servias, obliviscere mundum, et quæ in mundo sunt: nam ex mundo electa est Ecclesia, et ex mundo exivit: et quamvis adhuc in mundo sit, tamen de mundo esse non debet, sicut et sponsus de mundo non est: mundus autem recte dicitur populus eorum, qui diligunt mundana bona, et idem mundus est domus patris nostri veteris Adami, qui de Paradiso eiectus fuit in hunc mundum. D Tertio denique, S. Basil. S. Augustin. Euseb. Nicephor. et alii, per patrem sumunt diabolum: per populum et domum, ritus Ethnicos et impios. Verba S. Basilii sunt: Omnis qui facit peccatum, ex diabolo natus est. Eiice mihi dæmonum doctrinas: obliviscere sacrificiorum, choreæ nocturnæ, fabularum ad scortationem, at omnem petulantiam inflammantium: propterea te filiam meam appellavi, ut patrem, qui te prius ad interitum genuit, odio haberas: ita Basilius.

Tropolog. conversationes malæ et terrenæ divitiæ ne- 109. Tropol. gligendæ sunt, atque amor nimius parentum, si Dei sponsa esse vis. Cant. 4. 8. ait sponsus: *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Ubi S. Gregorius *De cubilibus,* ait, *leonum et de montibus pardorum Ecclesia coronatur: quia dum per eius prædicationem, et crudeles ad pietatem, et hypocritæ ad vitæ humilis unitatem convertuntur, pro his*

omnibus præmium percipiet quod meretur. A leonibus et pardis ad Christum agnum, qui tollit, id est aufert peccata mundi, fugiendum est: et ad agnos et oves, id est ad pios, et mansuetos.

Neglectum rerum mundanarum et vitiorum postulat Ecclesia ab eo, qui Baptismo initiari vult. S. Dionys. de Eccles. Hier. *Deinde Occidentem versus illum* (baptizandum) *statuens intendentem, manusque moventem, ad eamdem regionem conversus, insufflare illum ter Satanam iubet, et præterea abrenuntiationem profiteri.* Et S. Ambr. lib. 1. de Sacrament. cap. 2. *Quomodo*, inquit, *te interrogavit sacerdos: Abrenuntias diabolo, et operibus eius, quid respondisti? Abrenuntio. Memor esto sermonis tui, et nunquam tibi excidat tuæ series cautionis. Si chirographum homini dederis, teneris obnoxius, ut pecuniam eius accipias. Ubi promiseris considera, vel quibus promiseris. Levitam vidisti, sed minister est Christi. Vidisti illum ante altaria ministrare, ergo chirographum tuum tenetur, non in terra, sed in cælo.* De illo ritu loquitur Tertull. lib. de corona militis cap. 4. Origen. homil. 10. in Numeros, S. Gregor. Nazianz. orat. 32. in præsentia 150. Episcoporum. S. Chrysost. hom. 21. ad popul. Antioch. S. Hieronymus lib. 1. comment. in cap. 5. Matth.

ARTICULUS III.

Christi sponsi amor erga Ecclesiam sponsam suam.

CUM dicitur sponsæ, obliviscere populum tuum, et domum patris tui, dolet atque trepidat: sed cum adiun-
110. gitur, rex te in sponsam assumet, tunc evolat. In eam rem
Vers. 12. David adiungit v. 12. ET CONCUPISCET (Syr. ut concupiscat. S. August. quoniam concupivit) REX DECOREM TUUM: Firmilianus, speciem tuam: QUONIAM IPSE EST DOMINUS DEUS (τo *Deus* non est hic Hebr. nec Chald. nec Syr. nec apud Sept. legitur in Psalter. Arabico et Æthiopico, apud S. August. et Latinos Patres) TUUS, ET ADORABUNT EUM. In Hebraico et Græco textu nunc habetur, *et adorabis eum:* sed in sensu, ut notat Bellarminus, non est discrepantia: Deum enim adorare debent omnes creaturæ; proinde ipsa etiam sponsa debet adorare: neque ista lectio, *adorabunt eum*, recens est: nam invenitur apud S. August. S. Basil. S. Chrysostom. et alios: imo S. Hieron. in epist. 140. ad Principiam dicit, Sept. vertisse, *et adorabunt eum.* Proinde lectio Græca, quæ nunc habet, *et adorabis eum*, non est ex editione Septuag. interpretum, vel corrupta est. Et quia ut sæpe diximus, Sept. interpretes habuerunt optimos codices Hebraicos, credendum est lectionem hebraicam ab eo tempore Librariorum errore fuisse mutatam, quod facillime fieri potuit, cum voces hebraicæ, *adorabunt* et *adorabis,* non differant nisi in ultima littera, quæ facile variari potuit, propter summam inter eas similitudinem. Ita Bellarminus, et bene, si Græca spectes: habetur enim προσκυνησεις αυτω, id est, *adorabis eum:* sed Hebraice est, ישתחוי לו *histachavi lo*, id est, adora eum, ut etiam S. Hieron. habet in Paraphrasi; incurva te ei, ut Pagninus.

111. Ex his, quatuor adverte, 1. sponsam Christi Ecclesiam esse pulchram; 2. eam pulchritudinem amari a Christo; 3. eam oriri a conversione ipsius sponsæ ad Christum; 4. denique, sponsam licet pulchram et amatam a sponso, debere tamen cum eo versari reverenter, tamquam cum domino.

Ecclesia est sponsa pulchra.

Primo enim, Ecclesia est sponsa pulchra non habens maculam neque rugam. Ephes. 5. 27. *Ut exhiberet* (Syr. ut statueret. Gr. παραστηση) *ipse sibi gloriosam* (ενδοξον decore et gloria fulgentem) *Ecclesiam non habentem maculam aut rugam* (peccati maculam, rugam vetustatis) *aut aliquid eiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* Hanc pulchritudinem ipse sponsus agnoscit, cuius oculi sunt puriores et splendidiores ipso sole. Cant. 1. 15. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es.* Bis pulchra dicitur Ecclesia, quia et in præsenti et in futuro sæculo speciosa est, ut explicat Origen. hom. 3. et 4. in Cant. 2. quia pulchra in actione et contemplatione, ut tres Patres apud Theodoretum; 3. pulchra decore intrinseco et extrinseco, ut Philo Carpathius; 4. pulchra perfectione operis, et munditia cogitationis, ut Cassiodor. 5. dilectione Dei et proximi, ut S. Gregor. 6. pulchra ob innocentiam servatam, et ob humilitatem, ut S. Bernard. serm. 45. in Cant. Hoc de synagoga explicat more suo R. Ioseph Cæcus, qui est auctor Chald. paraphrasis in Cant. sicut R. Aquila, qui Chald. dicitur Onkelos, in Pentateuchum, et R. Ionathan in Prophetas. Sic porro vertit paraphrastice: *Quando faciebant filii Israel voluntatem regis sui, ipse in verbo suo laudabat eos in concistorio angelorum sanctorum, et dicebat: Quam pulchra sunt opera tua, filia mea, dilecta mea, congregatio Israel in tempore, quo facis voluntatem meam, et laboras in verbis legis meæ?* Hæc ille. Sed potissimum hæc de Ecclesia gentium dicuntur, quæ longe est pulchrior synagoga Iudæorum.

Hinc fit ut dicat ipsa confidenter Cantic. 1. 5. *Nigra* (Hebr. subnigra. S. Ambros. in apolog. David, fusca) *sum, sed formosa, filiæ Ierusalem, sicut tabernacula* (Arab. sicut habitationes) *Cedar* (id est Arabum) *sicut pelles* (Aquila, tentoria) *Salomonis.* Nigra erat, ut ait S. Athanasius, quia non trahebat originem ex Sanctis Patriarchis, et erat incircumcisa; 2. nigra erat quia Idolis serviebat, ut ait Theodoretus; 3. nigra et formosa, quia constat ex bonis et malis, ut explicat S. Augustin. lib. 3. de doctrina Christiana; 4. se nigram dicit ob peccati fomitem; decoram, per sanctificationem, ut S. Gregorius Nyssen. hom. 2. in Cantica; 5. nigra erat ob peccata præterita: formosa, per Baptismum, Pœnitentiam, et gratiam, ut S. Chrysostom. hom. 1. de virtute; 6. *Nigra*, ait S. Ambros. lib. de iis qui initiantur mysteriis, cap. 7. *per fragilitatem conditionis humanæ, decora per gratiam: Nigra, quia ex peccatoribus: decora, fidei Sacramento;* 7. denique, Hug. a S. Victore lib. 1. institut. monast. serm. 84. tom. 2. S. Bernard. serm. 25. in Cantic. nigram dicunt esse Ecclesiam propter ærumnas, et tribulationes, ac pugnas: formosam vero, propter virtutes, in quibus per illas proficit, et per coronas. Quod vero additur, *sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Per obscuritatem designatam nomine Cedar, conversos ex obscura et tenebrosa gentilitate intelligit Philo Carpathius. Cedar enim fuit filius Ismaelis, et pater Arabum, seu Nomadum, in solitudine Saracenorum habitantium in tentoriis: per pelles vero Salomonis, conversos ex populo Israel. Ex his autem duobus populis conflatur Ecclesia.

Secundo, hanc Ecclesiæ sponsæ pulchritudinem amat 112.
Christus sponsus: *Et concupiscet rex decorem tuum.* Paulus Ephes. 5. 25. testis est illius amoris. *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea: ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ* (id est Sacramento Baptismi) *in verbo vitæ*, id est in verbo vitali et vivifico, hoc est per formam vivificam verborum Baptismi, quæ dant gratiam et vitam animæ. Figuratus fuit hic amor Christi in amore Iacobi, qui cum esset castissimus et annos totos septuaginta septem cælebs vixisset, ita captus est Rachelis pulchritudine, ut dicatur Gen. 29. 20. *Servivit ergo Iacob pro Rachel septem annis: et videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Addidit deinde alios septem annos ob fraudem Laban, qui loco Rachelis ei Liam maiorem natu substituerat. Christus vero per triginta quatuor annos pro sponsa sua laboravit, ac tandem pro illa mortuus est. Unde Paulus loco citato Christi amorem proponit maritis, veluti normam sui erga uxores amoris. *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea.* q. d. Ita diligite, ut sitis parati pro illis mori.

Ecclesiæ sponsæ pulchritudinem amat Christus.

Hunc amorem in Cantico sæpissime sponsus et sponsa declarant: Sponsa quidem ait Cantic. 2. 10. *En dilectus meus loquitur mihi. Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, et veni.* Chald. vertit: Et in tempore matutino respondit dilectus meus, et dixit mihi: Surge tibi synagoga Israel, dilecta mea ab initio, et pulchra operibus, vade, egredere de subiectione Ægyptiorum. Et Cant. 5. 2. *Vox dilecti mei pulsantis. Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Chald. de synagoga etiam

exponit. Et vox, ait, Spiritus sancti admonebat eos per manus Prophetarum, et excitabat eos de somno cordis eorum. Respondit dominator totius sæculi: Convertere ad pœnitentiam, aperi os tuum, et exulta, et lauda me soror mea, dilecta mea synagoga Israel, quæ comparata es columbæ in perfectione operum tuorum: ita Chald. Ex amore hæc aliaque procedere sciebat, cum dicat cap. 2. 16. *Dilectus meus mihi, et ego illi.* Hinc dilecti nomine plusquam tricies Sponsum appellat in Cantico, vixque alia voce utitur.

113. Ecclesiæ sponsæ pulchritudo oritur a conversione ad sponsum. Tertio, pulchritudo sponsæ oritur a conversione eius ad sponsum, velut ad solem, cuius imaginem in seipsa tamquam in speculo exprimat, nullam aliam speciem, nisi sponsi, in se admittens. *Obliviscere populum tuum*, etc. *et concupiscet rex decorem tuum.* q. d. Non prius eris decora, nec amabilis et desiderabilis sponso, quam oblita fueris populum tuum, et domum patris tui. Non modo solus vult habere voluntatem, sed etiam memoriam et intellectum: diligi vult et exprimi toto corde et anima, sic se totum imprimit animæ et eam lucidam efficit. S. Macarius hom. 1. *Anima*, inquit, *quæ illustrata est a decore inenarrabilis gloriæ eius, cum præparaverit eam sibi in sedem et domicilium, tota lumen evadit, tota facies, tota oculus.* Et nonnullis interiectis post allatam solis et lunæ similitudinem, subiicit: *Sic et anima, quæ plene illustrata est ab illa ineffabili pulchritudine gloriæ luminis vultus Christi, et Spiritu sancto repleta, ac digna quæ fieret domicilium, et thronus Dei, tota oculus, tota lumen, tota facies, tota gloria, et tota spiritus evadit.* Et ad præsentem Psalm. adhuc commodius ait Psellus in Cantica: Quoniam expulso a tergo vitio expurgata a Verbo anima, solis circulum in se suscepit, et simul reluxit cum luce, quæ in ipsa apparuit, propterea ei dicit verbum: Pulchra facta es, quæ meæ luci appropinquasti, per appropinquationem attrahens dispensationem pulchritudinis. Ecce es, inquit, pulchra propinqua mea. Deinde cum se cohibuisset, et eam veluti in quadam accessione contemplatus esset pulchritudinis, rursus eamdem repetit orationem. Ecce tu pulchra es: sed prius quidem eam nominavit propinquam: ita Psellus.

114. Ecclesia sponsa cum sponso reverenter se gerat. Quarto denique, amata licet sponsa debet cum sponso versari reverenter et humiliter, quia est Dominus et Deus eius: QUONIAM IPSE EST DOMINUS DEUS TUUS. Nota, τὸ *quoniam* non refertur ad τὸ *concupiscet*, sed ad τὸ *obliviscere*, q. d. Est dignus, ut pro ipso obliviscaris omnia: est enim Dominus tuus, ac Deus: tuus esse vult, si modo velis esse eius solius cæteris spretis: sin minus, si ignoras te et illum, o pulcherrima, vade post greges sodalium tuorum, quære tua et tuos, ille alias sibi sponsas reperiet.

Hinc collige benignitatem sponsi, qui cum sit Dominus omnium, voluit esse sponsus singularum animarum. S. Bernard. serm. 64. in Cantica: *O suavitatem*, ait, o *gratiam, o amoris vim! Itane summus omnium, unus factus est omnium? Quis hoc fecit? Amor dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor. Quid tamen non tam violentum? amor est. Quæ ista vis, quæso, tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam? Denique semetipsum exinanivit, ut scias amoris fuisse quod plenitudo effusa, quod altitudo adæquata est, quod singularitas associata est.*

Secundo, hinc collige sponsæ dignitatem. S. Basillus in Psalm. nostr. *Anima*, ait, νυμφικῷ λόγῳ καθηρμοσμένη, *sponsali verbo copulata, nullius iam peccati tyrannide oppressa, sed in partem admissa regni Christi.* Dotem habet optimam et pretiosissimam, nempe Christi sanguinem. S. Ignatius Martyr, sponsa Domini Ecclesia, inquit, pro qua dotis nomine sanguinem suum fudit, ut eam redimeret.

Tertio denique, S. Augustin. hoc loco sapienter colligit, pro Deo etiam nobis charissima esse relinquenda: *Ipse est*, ait, *Dominus Deus tuus. Iam vide, si non debes dimittere Patrem illum tuum, et populum tuum illum, et venire ad regem istum Deum tuum. Deus tuus est. Rex tuus est. Rex tuus, et ipse est sponsus tuus. Regi nubis Deo, ab illo dotata, ab illo decorata, ab illo redempta, ab illo sanata. Quidquid habes unde illi placeas, ab illo habes.*

ARTICULUS IV.

Liberalitas subditorum sponsi erga sponsam eius Ecclesiam.

AMOR Christi sponsi erga Ecclesiam non in futili verborum inanium profusione situs est, sed in munerum 115.
regiorum collatione: omnibus enim provinciis suis edicit, ut ad thronum evectam Reginam, coronaque regia et potestate donatam venerentur, donisque venerationem suam testentur, v. 13. ET FILIÆ TYRI IN MUNERIBUS VULTUM Vers. 13.
TUUM DEPRECABUNTUR, OMNES DIVITES PLEBIS. Apollinaris vertit, ἄφθονοι χθονός, divites terræ. Psalt. Æthiopicum, omnes divites plebis terræ.

Variæ versiones. Nota, S. Hieron. Aug. Gregor. Psalterium Vaticanum et Ambrosianum tollunt τὸ *et*, atque præcedentibus annectunt, *Et adorabunt eum filiæ Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.* Potest quoque τὸ *et* relinqui, ac sumi pro *etiam*, sic erit sensus adhuc magis emphaticus, q.d. Et adorabunt etiam filiæ Tyri, vel adorabunt etiam in, seu cum, muneribus. Secundo, pro *filiæ Tyri*, in textu Hebræo, Syr. et Æthiopico est in singulari *filia Tyri*, sed collective sumitur pro *filiæ*. Arabs habet in plurali, filiæ Tyri. Sensus est idem. Tertio, S. Hier. sumit צר *tsor* quasi nomen appellativum, non vero ut nomen proprium: vertit enim, *filia fortis*. Et in epist. 140. ad Principiam dicit in Hebræo esse, *o filia fortissimi*, id est Dei. Symm. vertit, κρατίστη, id est, *fortissima*. Sed melius Sept. Aquila, Theodotio, V. editio, Noster interpres, imo et S. Hieron. in ea epistola reddunt, filia seu filiæ Tyri.

Quæres primo, quænam sunt filiæ Tyri? Primo, si legas 116.
filia Tyri, ipsam urbem et insulam Tyrum intellige: sic Quid dicitur filia Sion, id est Sion, filia Babylon, sive filia Ba- sunt filiæ bylonis, id est Babylon: quod urbes velut puellæ depin- Tyri?
guntur. Secundo, cum legamus *filiæ Tyri*, intellige omnes puellas et fœminas Tyri, quæ potius nominantur quam viri, quia ad sponsam veniunt; 2. per filias illas synecdochice intellige omnes cives Tyri. Ita Chald. qui vertit: *Habitatores arcis Tyri cum munere venturi sunt; 3. filiæ Tyri* sunt villæ et oppida Tyro subiecta, velut metropoli, id est, matri urbi: Hebr. etiam urbem, quam metropolem vocamus, appellant אם *em*, id est matrem: igitur aliæ sunt filiæ; 4. *filiæ Tyri* sunt Coloniæ ab ea urbe deductæ, quæ plurimæ erant. Plinius aliquot refert lib. 5. cap. 19. *Tyrus*, inquit, *quondam insula, præalto mari septingentis passibus divisa, nunc vero Alexandri oppugnantis operibus continens. Olim partu clara urbibus genitis, Lepti, Utica, et illa Romani Imperii æmula, terrarum orbis avida, Carthagine, etiam Gadibus extra orbem conditis;* 5. denique, per illas urbes Tyro subditas, et ab ea prodeuntes intelligit per synecdochen omnes urbes, regiones, populos, regna et imperia idololatrarum, quæ venient, et munera offerent Ecclesiæ. Sic Amos 9. 7. Iudæi dicuntur filii Æthiopum. Ezech. 16. 3. habetur, *Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Gethæa.* Isaiæ 1. 10. *Principes Sodomorum, populus Gomorrhæ.*

Urgebis, cur potius Tyri quam alterius urbis David meminit? Resp. primo ob vicinitatem. Secundo ob impietatem et propensionem ad idola colenda. Tertio, ob celeritatem, divitias, et multitudinem Coloniarum toto orbe sparsarum, ut enim dicunt Guilelm. Tyrius lib. 13. belli sacri cap. 1. Berosus, Curtius lib. 4. Iosephus in antiq. Iud. Tyrus erat metropolis totius Phœniciæ, domina et regina maris, emporium totius orbis celeberrimum, præsertim ob purpuram, quæ regum atque principum vestis est: navigatione regiones omnes percurrens: ita florens, ait Corn. in Isaiam, ut ei Venetiæ, Parisii, Antuerpia comparari non possint: adeo ut si Tyri negotiationem spectes, mundi totius forum fuerit: si munitionem, arx magis dicenda, quam urbs: si magnificentiam et gloriam, regina fuerit

urbium. Unde Isaiæ 23.8. dicitur coronata; et Ezech. 28. 14. regem eius Angeli Cherubini comparat gloriæ, et superbiæ consequenter, et cladi, ac pœnæ. Si opes, fastum et luxum spectes, orbis potius quam urbis videbatur, adeo ut S. Hieronymus in Isaiam de Tyro dici affirmet, quod legatus Pyrrhi de Roma dixit: *Vidi civitatem regum,* quot vidi Romæ in curia Senatores, tot vidi reges. Denique si antiquitatem quæras, docent Annales et Berosus, Tyrum paulo post diluvium initium et nomen sumpsisse a Tyras, qui septimus fuit filiorum Iaphet: unde dicitur gloriata in sua antiquitate. Quarto denique, hic fit mentio Tyri, quia cum Tyrus a Chananæis habitata fuisset, attributa fuerat a Iosue tribui Aser, Iosue 19.29. ubi vocatur civitas munitissima: Aseritæ, tamen nunquam illam expugnare, et occupare potuerunt. Hoc loco itaque David gloriam Ecclesiæ extollens eam ostendit magis dilatandam esse, quam synagogam, quod ipsa Tyrus quæ a Iudæis occupari non potuerat, ei se esset subiectura, et munera sponte allatura, eamque veneratura. Hoc in Chananæa patuit, quæ maxima instantia et humilitate a partibus Tyri et Sidonis veniens, obtinuit sanitatem filiæ a dæmone possessæ. Matth. 15. Syrophœnissam fuisse ait Marcus cap. 7.26. Arabs, ex Phœnicia Syriæ. Erant enim Phœnices extra Syriam, ut Libyophœnices, et Pœni sive Afri, qui erant oriundi ex Phœnicibus Syriæ conterminis: unde lingua Punica qua utebantur, erat Hebraicæ vicina, sicut ait S. Hieron. Addi posset, alludi etiam ad etymon Tyri; Hebr. enim צר *tsor*, significat angustiam, oppressionem, afflictionem: a rad. צור *tsor*, sive *tsur*, obsidere, coarctare, angustiis afficere: ut indicetur filias Tyri, hoc est omnes gentes idololatras, quæ Ecclesiam afflixerant, fore illi supplices, et ipsas illas nationes, prius a diabolo et vitiis oppressas, vindicandas in libertatem filiorum Dei.

117. Quid sunt divites plebis. Quæres secundo, quinam sint *divites plebis?* Primo, possis sumere Iudæos apud quos erat Dei notitia, lex, templum, sacrificia, prophetiæ. Secundo, urbes orbis præcipuas ac regiones. Tertio et melius, *divites plebis* sunt magnates, principes, reges, Imperatores, qui Ecclesiam ubique venerati sunt. Tyrii in Africa condiderant Carthaginem, in Europa Thebas, et ut quidam putant, Venetias, in Asia Tripolim, et multas alias: illæ omnes urbes et earum principes fidem Christi susceperunt, et longe felicius crescens Ecclesia totum orbem occupavit.

118. Quænam munera offerunt sponsæ? Quæres tertio, quænam sunt munera, quæ deferunt *divites plebis?* Primo sunt eleemosynæ, quas dant pauperibus, qui sunt veluti pedes Ecclesiæ. S. Augustin. in Psalmo nostr. *Quid est in muneribus? Nolite vobis condere thesauros in terra, ubi tinea et rubigo exterminant, et ubi fures effodiunt et furantur; sed thesaurizate vobis thesauros in cælo, ubi neque fur, neque tinea corrumpit. Ubi enim fuerit thesaurus tuus, illic erit et cor tuum. Venite cum muneribus, date eleemosynas, et omnia munda sunt vobis. Venite cum muneribus ad eum, qui dicit, misericordiam volo magis quam sacrificium. Ad illud templum quod erat ante umbra et figura futuri, veniebatur cum tauris et arietibus, cum hircis, cum diversis quibusque animalibus aptis ad sacrificium, ut in illo sanguine aliud fieret, aliud significaretur. Modo iam ipse sanguis, quem figurabant illa omnia, venit. Venit Rex ipse, et ipse munera vult. Quæ munera? Eleemosynas. Ipse est enim iudicaturus, et ipse munera imputabit quibusdam. Venite, inquit, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab initio mundi. Quare? Esurivi, et dedistis mihi manducare.* Aliquot deinde interiectis adhortans divites plebis, dicit. Divites sint in operibus bonis, facile tribuant, communicent, adorent in muneribus, sed non perdant. Securi ponant, ubi semper inveniant. Thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum: ita Augustinus.

I. Eleemosynas pauperum.

II. Dona facta templis. Secundo, munera illa filiarum Tyri, id est nationum omnium conversarum, sunt omnia quæ fideles largiuntur Ecclesiis, Prælatis, sacerdotibus, religiosis et quibuscumque. Ælian. lib. 1. var. hist. ait, nefas fuisse regi Persarum se sistere sine munere. 3. Reg. 10. v. 10. dicitur, reginam Saba venientem ad Salomonem dedisse illi centum viginti talenta auri, et aromata multa nimis, et gemmas pretiosas. Baronius et Suarez existimant eam fuisse reginam Saba, quæ est in Arabia Felice. S. Hieron. et S. August. verius dicunt, extitisse reginam Æthiopiæ, quæ est Abyssinorum, et hoc firmatur constanti et continua traditione illius regni.

Munera hæc afferenda Ecclesiæ dicit Deus ipse Isaiæ 49. 23. *Et erunt reges nutritii tui, et reginæ nutrices tuæ:* et cap. 60. 16. *Suges lac gentium* (Chald. satiaberis divitiis populorum,) *et mamilla regum lactaberis.* Sept. divitias regum comedes. In ipsis Ecclesiæ incunabulis Christiani omnia sua ad pedes Apostolorum ponebant, Act. 4. 35. Hugo, et Glossa putant, ipsos flexis genibus bona sua obtulisse Apostolis. S. Domna illustrissima fœmina ad Christum conversa, gemmas, thesauros, et vestes pretiosas ad Cyrilli Nicomediensis Episcopi pedes abiecit, ut in pauperes erogaret. Iam tempore S. Cypriani divitem fuisse Ecclesiam oportet, cum in epistola ad Episcopos Numidiæ scribat, se ad eos mittere centum millia sestertium ad redimendos captivos. Ita liberalis fuit Constantinus Magnus Imperator, ut eam ob causam contabescens Zosimus Ethnicus scribat lib. 5. Monachos ætate sua (vivebat autem quinto sæculo) magnam ad se terræ partem transtulisse, atque omnes prope ad inopiam redigisse. S. Gregorius in epistolis suis satis ostendit suo tempore maxima fuisse Ecclesiæ patrimonia in Africa, Campania, Neapoli, Dalmatia, Gallia, Sicilia, et in aliis locis alia. *Quis,* ait Bozius de signis Ecclesiæ, lib. 20. cap. 6. *Francorum regum dona in Ecclesiam collata enumerare possit, quis monasteria ab illis ædificata, et immensas opes eis attributas? Qua in re cum multi ex illis præstiterint, cunctos Dagobertus e Merovingis videtur superasse, ut e Buschio et Nauclero liquet, Carolus cæteros e Pipini stirpe, S. Ludovicus alios ex Hugonis genere. Ausim dicere cunctas fere totius Germaniæ terras a Francorum regibus monachorum cœtibus et clericorum concessas. Id ex illo constat, quod omnes fere Germaniæ civitates prope monasteria conditæ sunt.* Reges Hispaniæ Alphonsus primus, Alphonsus Castus, Alphonsus Magnus, Ramirus et alii plurima ædificarunt, ornaruntque templa; adeo ut Alphonsus Magnus thesaurum totum paternum in templa et pauperes erogarit, ædem S. Iacobi quadrato lapide construxerit, ac plurimis reditibus et ornamentis ditarit. In Hungaria Stephanus rex, Ladislaus et Ludovicus ita liberales fuerunt in Ecclesiam, ut scribat Bonfinius tertiam Hungariæ partem pertinere ad sacerdotes. In Polonia Casimirus Magnus duodecim templa ædificavit, ut ait Cromerus, monasteria sex, eaque dotavit. Idem fecit in Lithuania Ladislaus Iagello. Reges Angliæ totam Angliam Romanæ Ecclesiæ tributariam fecerunt. Orbem integrum Christianum possis decurrere, ubique regum et principum liberalitatem erga Ecclesiam miraberis. Francorum regum liberalitas.

Oculos in omnibus pene urbibus et oppidis coniice in tot Ecclesias Patriarchales, Metropolitanas Cathedrales, Collegiatas. Aspice tot pauperum, leprosorum, seminaristarum et aliorum domos. Intuere tot familias religiosorum, quæ aut eleemosynis quotidianis, aut reditibus datis vivunt.

In uno Benedictinorum Ordine pedem figo. Miræus refert viginti tres Congregationes in illo Ordine extitisse: et quidem in Cluniacensi plusquam bis mille monasteria fuisse, non numeratis infinitis Prioratibus, quos Cellas vocabant. In Congregatione autem Cisterciensi, sive S. Bernardi, fuisse quater mille monasteria Religiosorum, et sex mille monasteria Monialium. Trithemius asserit in solo Archiepiscopatu Moguntino, fuisse suo tempore centum viginti quatuor Abbatias S. Benedicti, præter decem eversas. Ab uno Edgaro rege Angliæ asserit Edovardus Mathew in Trophæis Congregationis Anglicanæ, vel ædificata, vel reparata plusquam quadraginta monasteria Benedictinorum, cum singulis annis saltem unum extrueret. Surius refert Viennæ in Francia sexaginta fuisse huius ordinis monasteria tam numerosa, ut in quibusdam ad 119. De Benedictinorum Ordine admiranda.

quingentos, in aliis ad sexcentos monachos viverent. In Hispania Albocassense monasterium aluit mille religiosos. In Francia Gemetiense sub S. Aicardo nongentos. Lugduni S. Salaberga habuit religiosas trecentas, totidem Parisiis S. Flora. In Germania, Fuldæ scholastici quadringenti alebantur, præter alios religiosos innumeros. In Hibernia monasterium Bencorense, ut ait S. Bernardus, religiosorum tria millia continebat, qui per septem turmas divisi perennes laudes Deo canebant. S. Amandus Abbas Lirinensis prope Massiliam tribus monachorum millibus præsidebat. S. Ebrulfus quindecim extruxit monasteria, in quorum singulis centum viverent religiosi. Quantæ porro fuerint horum monasteriorum divitiæ ex uno collige. Andreas de Yepe in chronicis Ordinis S. Benedicti, asserit, sub Cassinensis monasterii iurisdictione olim quatuor Episcopatus fuisse, duos Principatus, duos Ducatus, viginti Comitatus, viginti quinque urbes muratas, quadringenta quadraginta quatuor oppida, ducenta quinquaginta castella, viginti tres maris portus, triginta tres insulas, mille sexcentas sexaginta Ecclesias, et in annuis reditibus habuisse trecenta aureorum millia, quæ summa primis illis temporibus erat prorsus admiranda: neque enim erat tanta auri argentique copia, quod necdum pateret America.

120. *Vultum tuum, id est te.* Quæres denique quarto, quis est Ecclesiæ vultus quem deprecaturæ sunt filiæ Tyri, et divites plebis? Primo, et maxime litteraliter, *vultum tuum deprecabuntur*, id est te; 1. quia orantes vultum regis, principis, aut alterius respiciunt, ut videant, num annuat postulatis, aut renuat; 2. quia vultus est pars corporis spectatissima, et in qua omnes animi motus apparent. Hinc dicitur Ps. 94. v. 2. *Præoccupemus faciem eius in confessione;* et Psal. 118. v. 58. *Deprecatus sum faciem tuam.* Secundo,

121. *Symbol Vultus Ecclesiæ sunt sacerdotes.* symbolice vultus Ecclesiæ est ipse Christus: quia caput est corporis. Ipsum enim Paulus ait Ephes. 1. 22. esse caput super omnem Ecclesiam: ita Theodoretus, sed hic sensus alienus est. Nam prius egit David de Christo velut Ecclesiæ sponso. Tertio itaque melius idem Theodoretus: *Est*, inquit, *sacerdotum ordo tamquam Ecclesiæ facies, veluti maiore dignitate insignitus.*

Honorandi sunt. Manifestum vero est honores Ecclesiæ exhiberi, præsertim in persona sacerdotum, Episcoporum maxime et Pontificum, qui sunt pars eius nobilissima. Sacerdotium quidem vocat S. Chrysostom. in Ps. 117. υπερεχουσαν ιερωσυνην, supereminentem sacerdotii dignitatem. S. Isidor. Pelus. lib. 2. epist. 52. appellat, θειον χρημα, divinum quiddam. S. Greg. Nyss. orat. de Baptismo Christi ait, sacerdotem consecratione reddi σεμνον και τιμιον, augustum et venerandum. S. Gregor. 23. Mor. cap. 12. vocat, sublimitatis culmen.

Præsertim Episcopi. Episcoporum longe amplior est dignitas, quam sacerdotum, et consequenter iis honor maior debetur. Constantinopoli quidem est institutum, ut ait Procop. de ædif. Iustiniani, ut in eodem templo reges et Episcopi sepelirentur. Nicephor. lib. 8. cap. 55. rationem affert: *Perinde*, ait, *atque imperatoriæ dignitati par honor esset bene et sincere obitus Episcopatus.* De illis præsertim intelligendum est, quod habet Isaias cap. 60. v. 10. *Reges eorum ministrabunt tibi:* vertunt Septuaginta adstabunt tibi, quo adstandi verbo Procopius in Isaiam vult intelligi υπακοην, obedientiam regum: et probat Alexandri Magni exemplo, qui ut Pontificem Iudæorum aspexit, θυμον μετεβαλεν εις προσκυνησιν, iram conceptam subito in adorationem convertit. Valentinianus Imp. apud Theodoretum lib. 4. cap. 5. dicit, Imperatores sacerdoti, ειλικρινως υποκλινειν κεφαλας, sincere atque ex animo cervicem inclinare.

Et Pontifex. Pontifici autem maximo quantus honor debebitur, qui est, atque ab omnibus nuncupatur, Ecclesiæ caput. Theodorus Studita eum vocat, ολων κεφαλων κεφαλην, omnium capitum caput. Concil. Ephes. cap. 15. totius fidei caput. Tertull. de pudicitia cap. 1. Episcopum Episcoporum. Theodos. Novell. 24. Principem Episcopalis coronæ. S. Maximus in cap. 3. Eccles. Hierach. αρχοντα εκκλησιας επισκοπον, Episcopum Ecclesiæ principem. Sophronius in epist. synod. ad Honorium Papam, ποιμεναρχην, pastorum ducem, primum pastorem. Concil. Florent. Sess. 25. et in litteris unionis, Doctorem omnium Christianorum, et Patrem.

Plebem enim Episcopo occurrere solitam, et ad pedes osculandos se prosternere, tradit S. Hieronym. hocque S. Epiphanio factum asserit. Principes et exercituum Duces ad Episcoporum pedes accidisse, eorumque precibus plurimum tribuisse, vel in solo Gaina patet, qui cum furens Thraciam universam devastaret, quod resistente S. Chrysostomo, templum sibi, sectariisque suis Arrianis Constantinopoli ab Imperatore Arcadio obtinere non potuisset, cidom S. Prælato ad exercitum eius procedenti obvius occurrit, arma eius monitis posuit, ab eo cum filiis benedici voluit. Consule Baronium, et Theodoretum in Hist. atque Simeonem Metaphrastem die 27. Ianuarii in eius vita. 122. *Honores redditi Episcopis.*

Reges Hispaniæ cum adirent Episcoporum synodum, procumbere solitos toto corpore ante ipsos Episcopos, terram osculari, neque prius humo se attollere, quam e suis sedibus illi surgerent, et reges eorum pedibus circumfusos brachiis attollerent, atque in sella regia pro dignitate collocarent, tradit Leo a Castro in commentariis ad Isaiam, aitque hoc se legisse in vetustissimo codice monasterii Ordinis S. Benedicti. *A regibus Hispaniæ.*

In Francia habemus Clotarium Francorum regem ad pedes S. Lupi Episcopi Senonensis supplicem accidisse. *Franciæ.*

Regem Longobardorum Luitprandum e regia sella descendisse, et ad pedes S. Corbiani Episcopi se advolvisse scribit Aribo quartus Episcopus Frisingensis in eius historia. Hinc S. Ambros. de dignit. sacerd. cap. 2. ait, *Regum colla et principum submittuntur genibus sacerdotum, et exosculatis eorum dexteris, orationibus eorum se credunt communiri.* *Lombardiæ.*

Imperatorem Theodosium post victoriam de Eugenio tyranno relatam, pedibus S. Ambrosii provolutum gratias egisse, quasi victoriam illi acceptam ferret, Paulinus scribit. Theodosium eumdem ad pedes S. Amphilochii Episcopi procubuisse, et veniam precatum esse refert Nicephorus lib. 12. Honorem sibi debitum a regibus et Imperatoribus exegerunt sancti Patres. Suidas quidem ait Leontium Episcopum Constantii Imperator. uxorem Eusebiam sic allocutum fuisse: *Si me vis ad te venire, servato mihi reverentiam Episcopis convenientem: ut ingrediar quidem ego, tu autem mox e celso tuo solio descendens cum pudore mihi occurras: deinde sedeam quidem ego, tu autem stes reverenter: nec sedeas, donec signo iubeam: si his parere vis, visam te: sin minus, scito te non obtenturum, ut nos honorem Episcopis debitum prodamus, et in divinum sacerdotum ius simus iniurii.* *Ab Imperatoribus.*

Innumeri principes proferri possent, qui Pontificem Maximum honore prosecuti sunt; sed ut omittam Constantinum Imp. Iustin. Iustinian. aliosque, duos tresve Franciæ nostræ reges contemplemur. Primo enim, Pipinus rex honores maximos exhibuit Stephano II. Pontifici in Franciam venienti, ut memorat Anastasius Bibliothecarius his verbis: *Audiens rex beatissimi Pontificis adventum, nimis festinanter in eius advenit occursum, una cum coniuge, filiis etiam et primatibus. Pro quo et centum millia filium suum nomine Carolum in occursum ipsius coangelici Papæ direxit cum aliquibus ex suis optimatibus. Ipseque egressus e palatio suo, in loco qui vocatur Pontigone, ad fere trium millium spatium, descendens de equo suo, cum magna humilitate terræ prostratus una cum coniuge et filiis, et optimatibus, eumdem sanctissimum Papam suscepit. Cui et vice stratoris usque ad aliquantum locum iuxta eius sellarem properavit.* Tum prædictus Almificus vir cum omnibus suis extensa voce gloriam et incessabiles laudes Deo referens cum hymnis et canticis spiritualibus usque ad præfatum palatium pariter cum rege profectus est: ita Anastasius. Secundo, Carolus Magnus maximam quoque venerationem erga Pontifices exhibuit, ut idem Anastasius testatur ex auctore antiquo: Cum, ait, Carolus appropinquaret uno fere milliario a Romana urbe, direxit Adrianus universas scholas 123. *Pontifex honoratus.* *1. A Pipino rege Franciæ.* *2. A Carolo Magno.*

militiæ una cum patronis, simulque et pueris, qui ad discendas litteras pergebant, portantes omnes ramos olivarum, laudesque omnes canentes, cum acclamationum earumdem laudum vocibus, ipsum Francorum susceperunt regem: obviam illi eius sanctitas dirigens venerandas cruces: id est signa, sicut mos est, Exarcharum, aut Patriciorum Romanorum. Qua hora easdem sanctissimas cruces, ac signa sibi obviam advenisse conspexit, descendens de equo in quo sedebat, ita cum suis iudicibus ad B. Petrum pedestris properare studuit. Pontificem deinde processisse ait ad S. Petri, ut regem susciperet, et Carolum omnes gradus sigillatim eiusdem sanctissimæ B. Petri Ecclesiæ deosculatum esse: et ita ad Pontificem pervenisse, qui in atrio super gradus iuxta fores Ecclesiæ
3. A Ludovico Pio Imp. assistebat, sicque Ecclesiam simul ingressos. Tertio, Ludovicus Pius Imper. Caroli Magni filius pari honore Pontifices coluit. Theganus Trevirensis Chorepiscopus de gestis Ludovici, cap. 16. et seqq. Stephani V. adventum narrans, inter cætera hæc ait: *Perrexit post Missum Dominus Ludovicus obviam Pontifici, obvians ei in campo magno Rhemensium. Descendit uterque de equo suo: et princeps se prosternens omni corpore in terram tribus vicibus ante pedes tanti Pontificis, et tertia vice erectus salutavit Pontificem istis verbis: Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, et illuxit nobis. Et respondit Pontifex: Benedictus sit Dominus Deus noster, qui tribuit oculis nostris secundum David regem videre.*
4. Ab aliis regibus. Quarto denique, Ludovicus etiam alter Franciæ rex, et Henricus rex Angliæ, cum scirent Alexandrum III. ad se venire, obviam progressi sunt stratorum functi officio, dextra, lævaque frænum equi tenuerunt, atque ad hospitium paratum comitati sunt ipsum.

Adde si placet Fridericum I. Imperat. Germaniæ, qui Venetiis ante fores ædium S. Marci ad conspectum Pontificis ipsum ex composito expectantis accessit, et chlamyde posita se prosternens, osculum eius pedibus infixit: hoc deinde imitati sunt cæteri reges et Imperatores.

ARTICULUS V.

Liberalitas sponsi, ut sponsam suam exornet.

Sponsus delectatus subditorum suorum muneribus, coronidem operi imponit, et regificum ipse munus offert,
124. Vers. 14 ornatuque interno et externo sponsam condecorat, v. 14. Omnis gloria eius, (τo *eius* non est in Hebr. nec in Psalterio Gallicano, nec apud S. Hieron. nec in aliquibus codicibus Græcis. Est tamen in emendatis Græcis, et apud S. Aug. S. Greg. lib. 6. in 1. Reg. cap. 15. et apud alios) filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta
Cur Ecclesia vocatur filia regis? varietatibus. Quæres, cur hic sponsa vocatur filia regis, et cuius regis? Primo, Claudius Aquaviva censet vocari filiam quasi adhuc in amore imperfectam, quæ facta perfectior sit sponsa. Nunc, inquit, filia dicitur, ut adoptionem
I. agnoscas: et sponsa, ut sublimitatem intuearis. Mihi vero id videtur hæc distincte innuere, ut intelligamus prius ut filiam de ignobilitate terrena ad cælestem provectam esse dignitatem per illius ineffabilem misericordiam, ut ait S. Leo, qui nos ut in sua proveheret, in nostra descendit: deinde paulatim virtutibus procedentibus assumptam in sponsam: non quod, quæ desponsata est in fide, misericordia, et miserationibus, sponsa dici non possit: sed quia virtutum processus, et arctior cum Deo coniunctio, quasi occulte indicantur. Sunt enim, ut ait S. Bern. serm. 83. in Cant. in amore gradus, sed sponsa in summo stat. Amant enim et filii, sed de hæreditate cogitant. Suspectus est amor, cui aliud quid adipiscendi spes suffragari videtur. Purus amor de spe vires non sumit, nec tamen diffidentiæ damna sentit. Sponsæ res et spes unus est amor. Ad filios clamat, si ego Pater, ubi est honor meus? verum id Pater. Sed si Sponsum exhibeat, puto quia mutabit vocem, et dicet: Si ego Sponsus, ubi est amor meus? Nam et antea ita locutus est: Si ego Dominus, ubi est timor meus? Exigit ergo timeri ut Dominus, honorari ut Pater, ut Sponsus amari. Quid in his præstat, quid eminet? nempe amor: ita Aquaviva.

Secundo tamen, et melius, dixeris filiam regis vocari, II.
id est Patris æterni, quia est sponsa Filii eius, nempe Et melius.
Christi: itaque esse filiam regis non est quid antecedens dignitatem sponsæ, sed quid consequens hoc loco, et explicans quam gloriosa, et augusta sit hæc desponsatio, per quam fit regina Ecclesia, et filia regis, hoc est Dei Patris.

Quæres secundo, cur gloria filiæ regis dicitur esse ab in- 125.
tus? Primo, *ab intus*, id est de thesauris sponsi, q. d. Glo- Cur gloria filiæ regis ab intus.
ria et ornatus sponsæ est pretiosissimus, in eum quæ sita sunt et donata, quæ erant maxime ob pretium et splendorem abscondita. Iob. 28. 18. *Trahitur sapientia de occul-* I.
tis, hoc est de thesauris, ac veluti mineris profundis Dei: sicut aurum ex imis terræ visceribus, et gemmæ de profundo maris. In Hebræo est, *attractio sapientiæ præ margaritis*, ut Arias vertit: *pretiosior est sapientia margaritis*, ut Pagninus.

Secundo, gloria sponsæ est *ab intus*, id est domi ubi se II.
continet, et placere sponso suo soli appetit, et uni se exornat. Cant. 4. 12. Sponsa vocatur hortus conclusus et fons signatus: *Hortus conclusus* (Hebr. נעול *naul*, id est clausus sera vel pessulo) *soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus*. Arab. sigillatus, seu sigillo obsignatus. Hebræi puellam nuncupant עלמה *alma*, id est occultam, la- Mulieres domi maneant.
tentem, absconditam, a rad. עלם *alam* latuit, occultavit. Hinc etiam quidam derivat אלמנה *almana, viduam*: sed melius derivatur ab אלם *alam*, cum aleph, id est obmutuit, quod viro defuncto sileat lugens, et a canticis et lætis vociferationibus abstinens: sicut χηρα per antiphrasin dicitur vidua, παρα το χαιρειν, q. d. Non gaudens, deliciis et gaudio privata. Inter Sinas pedes distorquentur puellis recens natis, ut huc illuc cursitare non possint. De ea re sic habet Trigantius noster lib. 1. de Christiana expeditione apud Sinas cap. 8. pag. 86. *Mulieres omnes sunt humilioris staturæ, et magnam partem muliebris elegantiæ statuunt in pedum parvitate: qua ex causa in prima pueritia pedes arctissime fasciis obvolvunt, ne succrescant libere, atque ideo in incessu truncas pene iudicaris, has fascias per universam vitam adhibent. Id videtur sapientis alicuius inventum, ut eas domi contineret.* Aromata abscondita melius odorem suum conservant, et mulieres famam ac virtutem si domi lateant. Xenophon in Œconomico ait, a natura factam mulierem molliorem viro et pulchriorem, ne prodiret in aerem foras, et illius læderetur iniuriis. Galenus de usu partium dicit, ideo mulieres carere barba, quæ virum cui egrediendum est domo, arcet a frigore. Romani sponsam curru ad domum sponsi deducebant, et axem ante fores comburebant, ut intelligeret sibi ex ea domo sine necessitate non esse exeundum. Ægyptii mulieribus usum calceorum negabant, ne sibi existimarent efferendos domo pedes, ut refert Plutarch. de præcept. connubial. Phidias pedibus Veneris a se depictæ supposuit testitudinem, ut indicaret tardum et rarum debere esse mulierum incessum. Claudiæ sepulcro est inscriptum: Casta vixit, lanam fecit, domum servavit.

Tertio, gloria sponsæ est *ab intus*, id est in intima et se- III.
cretissima domus parte, q. d. ait Iansenius: Huius filiæ regis erit in interiore regia omnis gloria. Versabitur enim cum rege assidue in interiore parte domus, regis societate semper perfruens, ac secretissimorum eius conscia. Cant. 1. 4. dicit ipsa: *Introduxit me rex in cellaria sua.*

Quarto denique, omnis *gloria*, id est gloriosus, splen- 126.
didus et illustris ornatus filiæ regis et sponsæ Christi, IV.
hoc est Ecclesiæ et animæ sanctæ est *ab intus*, id est de- Et genesione.
intus, intrinsecus, in eius animo, et intimo mentis et cordis conclavi; ibi se ornat, ubi a sponso maxime consideratur: ita S. Patres. S. Augustin. *Quæ sunt*, ait, *interiora pulchritudinis? Conscientia. Ibi videt Christus, ibi amat Christus, ibi alloquitur Christus, ibi punit Christus, ibi coronat Christus. Sit ergo talis eleemosyna tua in occulto, quia omnis gloria eius filiæ regis intrinsecus.* De eleemosyna explicuerat versum præcedentem, *Adorabunt* Interior pulchritudo sponsæ est in anima eius.

eam filiæ Tyri in muneribus, ubi inter cætera dixerat ad rem præsentem apte: *Sufficiat tibi qui videt: ille videt, qui retribuet. Intus amat, qui intus videt, intus amat, ut intus ametur, qui interiorem facit, et ipsam pulchritudinem.* S. Hieronymus notat pro ἔσωθεν, hoc est intus, legi in quibusdam exemplaribus ἐξ ἐννοιῶν, id est, ex cogitationibus: ipsas intimas cogitationes vult sponsus esse puras et castas. Didymus: *Rex*, ait, *cogitationum iustorum est Dominus; et gloria filiæ Tyri quæ laudatur, non aliunde nascitur, quam a rege cogitationum.* Refert versionem aliam, *Omnis gloria filiæ regis Hesebon*, quam vocem etiam retinuit Sixtus in editione Septuaginta, et habet Psalterium Æthiopicum. In intellectu fulgente per sanctitatem, velut in sole ponit sibi tabernaculum Christus, qui est Rex Hesebon, id est cogitationis, ratiocinationis, meditationis, solertiæ, industriæ, acuminis, considerationis, æstimationis. Rad. חשב *chaseiab*, cogitavit, etc. Didymus deinde nostram versionem: *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus*, agnoscit, aitque: *Christus non exterius, sed interius secundum interiorem hominem regnat, unde Salvator ait Ioan.* B 18. *Regnum meum non est ex hoc mundo: non enim sensibus, sed spiritu regnat: intus vero dicuntur cogitationes, quia videri nequeunt:* ita ipse.

127. Moral. Corporis pulchritudo est fons vitiorum. Moral. Corporis pulchritudo plerumque fons est ac parens vitiorum: et cum mentem venenatis aculeis perfoderit, evolat, nihilque præter cruorem et plagas relinquit. S. Basil. hom. 24. vocat eam, aculeum voluptatis. S. Gregorius Nazianz. orat. 43. pag. 700. γλυκὺ δέλεαρ, τιμώμενον φάρμακον, dulcem illecebram, charum venenum. Plato, φλόγα σωμάτων ἀπορρέουσαν, flammam fulgoremque e corporibus dimanantem. Socrates apud Laertium in Aristotele, tyrannidem. Pindarus Nemæor. Ode 8. κάρυκα ἀφροδίτας ἀμβροσίαν φιλοτάτων, præconem Veneris dulcium amorum. S. Gregorius Nazian. orat. 31. temporis ac morbi ludibrium. Si te species delectat, finem respice: putredinem scilicet atque vermes. Pulchritudo corporis sola est nix alba super fimum male olentem; vide quid sit abintus, et horrebis quod deperis, et quod te perdit.

128. Pulchritudo animæ est ornatus cælestis. Animæ autem pulchritudo sponsæ cælestis ornatus est, Angelorum gaudium, Christi sponsi thalamus, virtutis sedes, hominum sanctorum deliciæ. S. Bernard. lib. de ordine vitæ et morum institutione: *Illi*, ait, *qui sanos habent oculos, solam animi pulchritudinem in homine diligunt, et reverentur. Qualis autem est ista pulchritudo, quam levis febricula perdit, et rugosa senectus ita dissolvit, ut nec fuisse putetur.* Clemens Alexandrinus lib. 2. pædag. cap. 11. præclarum effatum Platonis refert: O Dii, ait, date mihi, ut sim pulcher in iis quæ sunt intrinsecus. Extrinsecus autem quæcumque sint mihi, amica iis quæ sunt intrinsecus. Exod. 26. 7. iussit Deus fieri saga cilicina undecim ad tegendum tabernaculum, quod totum erat auro effulgens. Arca etiam non efferebatur nisi tecta similibus sagis.

129. Virtus dat animæ ornamenta regia. Sed quænam est hæc animæ pulchritudo? Est gratia Dei, dona omnia infusa, et virtutes: hæc omnia reginam et filiam regis ornatu regio exornant. Sunt enim corona, purpura, sceptrum, et regius omnis decor.

I. Coronam. Primo enim virtus est corona tot gemmis, quot affectionibus, et cogitationibus, atque operibus effulgens. Agapetus Diaconus in capitulis parænetis ad Iustinianum Imper. ὑπὲρ πάντα, inquit, βασιλείας ἔνδοξα ἡ εὐσεβείας στέμμα βασιλέα κοσμεῖ: *Super omnia præclara et gloriosa quæ regnum habet, pietatis, cultusque divini corona Regem exornat. Divitiæ namque evanescunt, et vulgi favor atque aura transit. Sola vitæ Deo placentis gloria immortalibus sæculis coextenditur, et trans oblivionis tenebras collocat possidentem.*

II. Purpuream chlamydem. Secundo, virtus est purpurea reginarum chlamys et regum. Agapetus eodem loco, ait, Iustiniano: βασιλέα σε κατ' ἀλήθειαν ὁρίζομαι, *te revera Imperatorem asserimus: quippe qui et imperare ac dominari voluptatibus vales, et tum*, στέφανον σωφροσύνης ἀναδησάμενον, *corona castitatis revinctus, tum* πορφύραν δικαιοσύνης ἀμφιεσάμενον, *purpuram iustitiæ indutus incedis. Aliis namque potestatibus mors ipsa suc-* A *cedit.* Basilius Imperator Constantino filio c. 63. ait: *Purpura bene vestieris, si temperantia omnibus et dictis et factis tuis efflorebit.*

III. Sceptrum. Tertio, sceptrum est virtus: qui enim sibi ipsi imperat, illo demum vere imperat. Philo lib. de creatione principis, sic loquentem apud se principem inducit: *Cum illi regis sceptro utantur pro gestamine, mihi pro sceptro erit hoc legum compendium, hoc insigni gloriabor, hoc me invictum reddet et inculpabilem, summique regis imitatorem.*

IV. Omnem ornatum. Quarto denique, virtus est omnis ornatus. Ps. 18. 11. *Iudicia* (id est lex) *Domini desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum.* Vide ibi dicta. Cant. 7. fuse describitur ornatus sponsæ.

130. Improbitas animam facit deformem. Contra vero, improbitas velut furia avernalis ex erebi lacunis fumum eructans, animam teterrima tingit fuligine. Clemens Alexandr. lib. 3. Pædag. cap. 1. Cum, ait, anima sit triplex genere: Intelligentia, quæ ratiocinandi facultas appellatur, internus homo est qui huic homini, qui videtur, imperat: eum autem ipsum alloqui Deus agit. Illa pars quam iræ tribuunt, quæ est fera et immanis, haud ita procul a furore habitat. Ita Clemens, qui deinde fusius deformationem animæ impiæ depingit, eam Proteo comparans, πολύμορφον τὸ ἐπιθυμητικόν, ait, in varias formas se mutans est cupiditas, quæ plusquam Proteus marinus, dæmon varius nunc hanc, nunc aliam figuram suscipit, et ad libidines, stupra, et adulteria allicit: Ἤτοι μὲν πρώτιστα λέων γένετ' ἠϋγένειος: *Efficitur leo primum, cui maxima barba est. Cultum et ornatum adhuc retinens, virum esse barbæ pili ostendunt:* αὐτὰρ ἔπειτα δράκων, ἠδὲ πάρδαλις, ἠδὲ μέγας σῦς: *Sed post illa draco, vel pardus, sus quoque magnus. Iam prolapsum esse vides nimium cultus studium ad intemperantiam. Non amplius forti feræ similis esse homo videtur*, γίγνετο δ' ὕδωρ, καὶ δένδρον ὑψιπέτηλον: *Humida lympha fluit, ramos exporrigit arbor. Effunduntur affectus, erumpunt aquæ instar, voluptates:* μαραίνεται τὸ κάλλος, καὶ θᾶττον ἀποπίπτει πετάλων χαμαί: *Flaccescit pulchritudo, et citius quam folia humi decidit, quando* C *amatoriæ eius libidinis procellæ expiraverint; et priusquam venerit autumnus, marcescit et interit*, πάντα γὰρ ἡ ἐπιθυμία γίνεται: *Omnia enim fit cupiditas, et omnia effingit, et vult fucum facere, ut occultet hominem:* ita Clemens: ubi vides semper in deterius prolabi, et deformiorem ac viliorem fieri eum, qui concupiscentiam sequatur ducem.

131. In fimbriis vestis septem notanda. Quæres tertio, quid sint fimbriæ aureæ circumamictæ varietatibus? Nota, in fimbriis septem adverti possunt, 1. quod vesti attextæ sunt; 2. quod extremæ vesti; 3. quod sunt inter se divisæ; 4. quod minutæ; 5. quod variegatæ; 6. aureæ; 7. quod exterius apparent, et vestem maxime exornant. Hinc variæ mysticæ significationes sumi possunt.

I. Quod vestiat texuntur. Primo, S. Basilius dicit, texturam vestis denotare doctrinæ consentientem vitam. Nam sicut pallium tegendo corpori tunc detexitur, dum sub tegmen innectitur stamini: sic ubi verbum primas in ordiendo obtinuerit, si D mox actiones verbo consentaneæ attexentur, σεμνοτάτη γένοιτο περιβολὴ ψυχῆς, tunc exornandæ animæ decentissimus, et plurimum habens honestatis amictus, confici possit. Ita Basil. qui addit, fimbrias aureas a veste pendentes, innuere redundantem doctrinam ad actionem.

II. Quod extremæ vesti. Secundo, fimbriæ extremæ vesti additæ sunt symbolum perseverantiæ in virtute, præsertim in charitate: ita Bruno, Haymo, Beda, Remig. *Aureæ dictæ sunt*, ait Bruno, *quia in fine tota perfectio est, ubi charitas plenissima velut aurea reperitur.* Prius dictum erat in vestitu deaurato, quia dum iusti in terris sunt, non est virtus omnibus numeris absoluta, sed in fine purum et solidum aurum est.

III. Quod inter se divisæ. Tertio, fimbriæ sunt inter se divisæ, et gratiarum divisiones significant, ut ait Theodoretus. Ut enim docet Paulus 1. Cor. 12. 4. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus. Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. Et divisiones operum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.*

IV. Quod minutæ. Quarto, fimbriæ minutæ sunt, unde minora denotant

præcepta, ut censet S. Hieron. in cap. 14. Matth. quæ tamen observanda sunt: Nam, ut edicit Christus Matth. 5. 19. *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur* (et erit) *in regno cælorum.*

V. Quod variegatæ. Quinto, fimbriæ variegatæ virtutum varietatem designant; 2. varietatem linguarum; 3. donorum; 4. statuum et conditionum. Iansen. Circumamicta erit, inquit, vestibus variegatis simul cum fimbriis aureis. Decorabitur enim multiplici, tum spiritualium gratiarum, tum virtutum varietate, in operibus eius omnibus conspicua: quæ virtutum varietas ita charitati erit intertexta, quomodo in pretiosis vestibus diversos colores filis aureis intertextos videmus: ita quoque a charitate omnes virtutes continente claudetur, terminabitur, et ornabitur, quomodo fimbriæ vestem terminant, et ornant.

VI. Quod aureæ. Sexto enim fimbriæ aureæ sunt symbolum, 1. charitatis: ita Michael Ghislerius in Cantica: Fimbriæ, inquit, illius vestis ipsa est charitas, quæ totius legis finis est, et totius pulchritudinis perfectio; 2. virginitatis. S. Gregorius in 1. Reg. cap. 15. *Quid est,* inquit, *vestitus aureus, nisi decor et honor corporis virginalis? Vestitus quidem dicitur, quia foris fulget in corpore: aureus autem, quia præcellit dignitate. Omnis autem metalli species inferior est. Sic nimirum omnis pudicitia alia, decori virgineo comparari non potest.* Ita Gregorius, qui addit, fimbrias illius vestis esse claritates a mente nunquam deficientes: hæ enim a virginitate maxime prodeunt, et sponsus purissimus lucem mundis præsertim impertitur. S. Ambros. lib. 1. de virginibus ad Marcellinam sororem suam scribens, affert locum Psalmi nostri: *Astitit regina*, etc. *Audi filia*, etc. atque ait: *Adverte, quantum tibi Spiritus sanctus Scripturæ divinæ testificatione detulerit. Regnum, aurum, pulchritudinem. Regnum, vel quia sponsa es regis æterni, vel quia invictum animum gerens, ab illecebris voluptatum non captiva haberis, sed quasi regina dominaris. Aurum, quia sicut illa materies examinata igne pretiosior est: ita corporis species virginalis spiritu consecrata divino formæ suæ acquirit augmentum. Pulchritudinem vero quis potest maiorem existimare decore eius, quæ amatur a Rege, probatur a Iudice, dicatur Domino, consecratur Deo semper sponsa, semper innupta; ut nec amor finem habeat, nec damnum pudor? Hæc profecto vera pulchritudo est, cui nihil deest, quæ sola meretur audire a Domino, Cant. 4. 7. Tota es formosa proxima mea, et reprehensio non est in te. Veni huc a Libano, veni huc a Libano, transibis et pertransibis a principio fidei, a capite Sanir et Hermon, a latibulis leonum, a montibus pardorum. Quibus indiciis ostenditur perfecta et irreprehensibilis virginalis animæ pulchritudo, altaribus consecrata divinis, inter occursus et latibula spiritualium bestiarum non inflexa mortalibus, sed intenta mysteriis Dei meruisse dilectum, cuius ubera plena lætitiæ. Vinum enim lætificat cor hominis. Et odor, inquit Cantic. 4. vestimentorum tuorum super omnia aromata. Et infra, v. 11. Et odor vestimentorum tuorum sicut odor Libani. Vide quem non tribuas virgo processum. Primus enim odor tuus super omnia aromata, quæ in Salvatoris missa sunt sepulturam: et mortuos corporis motus, membrorumque redolet obiisse delicias. Secundus odor tuus, sicut odor Libani Dominici corporis integritatem, virgineæ florem castitatis exhalat.*

VII. Quod exterius exornant. Septimo denique, fimbriæ exterius apparent, et denotant opera exteriora hominibus apparentia. De veste Aaronis Pontificis dicitur Exod. 28. 33. *Deorsum vero ad pedes eiusdem tunicæ, per circuitum quasi mala punica facies, ex hyacintho* (id est ex lana hyacinthini seu violacei coloris) *et purpura, et cocco bis tincto, mistis in medio tintinnabulis.* Ubi S. Hieron. Tanta, inquit, debet esse scientia et eruditio Pontificis Dei, ut et gressus eius, et motus, et universa vocalia sint. Veritatem mente concipiat, et totam eam habitu resonet et ornatu: ut quidquid agit, quidquid loquitur, doctrina sit populorum: absque tintinnabulis enim et diversis coloribus, et gemmis floribusque virtutum, nec Sancta ingredi potest, nec nomen Antistitis possidere: ita Hieron. Tu quoque fimbriis ornatus incede, non Pharisaicis ac dilatatis, sed ad Dei gloriam, et proximi tui exemplum fulgentibus, ut omnes glorificent Patrem tuum, qui est in cælis, et inde hac te luce circumfundit.

Nota pro *In fimbriis aureis circumamicta varietatibus*, 132. Variæ versiones. Pagninus ex Hebr. vertit, polymitis aureis induta, cum vestibus phrygionicis; 2. Felix, intersertionibus deauratis indumentum eius, vestibus phrygianis; 3. Arias, ex ocella thuris auri vestimentum eius, in recamatis; 4. Flamin. ex intertexto auro vestimentum eius, in vestibus acu pictis; 5. S. Hieron. fasciis aureis vestita est, et in scutulatis. Vestis scutulata dicitur, quæ quibusdam orbibus seu circulis, quasi scutulis est distincta ad aranearum similitudinem accedentibus. In ipso ornatu habet sponsa Christi ocellaturas contemplationis, et scuta fortitudinis; 6. Arabs, amictæ auro purissimo. Syriac. exornatus est vestitus eius auro optimo. Ex his collige non esse penitus improbabile per vestitum deauratum cum varietate significari telam auream totam, ex qua sponsæ paludamentum totum, seu chlamys constaret: hic vero fimbrias aureas et varietatem esse opus phrygionicum, *de la broderie*, dictæ telæ superinductum. Aut, vestitum deauratum cum varietate, denotare diversa sponsæ monilia ex auro: hic autem fimbrias aureas, atque varietatem esse vestem vario opere materiaque confectam. Melius tamen explica de fimbriis positis in extremitate vestis, *des franges*. Solebant enim Iudæi fimbrias addere suis vestibus. Nam Numer. 15. v. 38. ait Deus ad Mosen: *Dices ad filios Israel, ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum:* ubi iubentur Hebræi, ait Cornelius, fimbrias filatim assuere, vel attexere, ut extent eo modo, quo videmus fimbrias, vel fila reliqua extare in extremitatibus telarum. Hinc Pharisæi, teste Christo Matth. 23. v. 5. ut viderentur religiosiores aliis, magnificabant hasce fimbrias; ut patet Luc. 8. v. 44. ubi mulier hæmorroissa tetigisse dicitur fimbriam vestimenti Christi, et continuo sanata esse: super has fimbrias inducebant Iudæi, et extendebant circumcirca filum, vel tæniam, seu vittam hyacinthinam: idque tum distinctionis causa, ut hoc signo a Gentilibus dignoscerentur, tum pietatis ergo, ut scilicet hoc esset quasi mnemosynon, mandatorum Dei. Porro, erant hæ fimbriæ ianthini, id est violacei et cælestis coloris, ut per hoc significaretur, Iudæorum conversationem, et spem debere esse in cælo, ut cogitationem habentes apud Deum, Dei timorem et præsentiam semper ob oculos haberent, hoc enim est quod sequitur: *Quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini.* Sponsa itaque fimbrias vesti suæ attextas habuit, ut sponsi sui semper memor esset, atque de cælo semper cogitaret.

ARTICULUS VI.

Comitatus præcipuus, et maxime illustris sponsæ sunt virgines.

Throno sponsæ, veste, ornatuque exposito, et amore ac liberalitate subditorum, nunc exponit eius comitatum, v. 15. Adducentur regi (id est tibi, o Christe sponse: hunc enim toto Psalmo alloquitur) virgines post eam: proximæ (amicæ, cognatæ, sodales) eius afferentur tibi. Vers. 15.

Ac v. 16. Afferentur in lætitia et exultatione: adducentur in templum regis, hoc est tuum. Vers. 16.

133. Nota, pro *adducentur* nunc est in Hebræo numerus singularis תובל *thubal*, id est, ducetur, adducetur, quasi de sponsa hoc dicatur. Ubi adverte multos id iungere cum superioribus: unde S. Hieronymus vertit: *In scutulatis ducetur ad regem, virgines sequentur eam amicæ eius, ducentur illuc.* Arias, *in recamatis adducetur regi.* Pagninus, cum vestibus phrygionicis adducetur regi. Melius tamen Septuaginta, Noster, Chaldæus, S. Augustinus, et alii hæc de comitantibus sponsam exponunt, crediderim in Hebræo fuisse *tubalna*, sicut est in vers. seqq. Chaldæus vertit: *In vestibus acu pictis offerent oblationes suas coram rege orbis, et reliqui socii eius, qui dispersi sunt in-*

ter gentes, ducentur in lætitia ad te Ierusalem. Syrus habet, Cum muneribus adibit regem, et adducent virgines socias eius post eam, ibuntque cum lætitia et delectatione.

134. *Virgines et proximæ quænam sint?* I. Nota secundo cum Euthymio, quidam per sponsam et filiam omnem animam intelligunt, quæ summa benevolentia ac familiaritate Christo coniuncta sit, ac maiori prædita perfectione. Per virginem vero illam, quæ ab affectibus quidem carnis munda sit, sed integram perfectionem nondum consecuta: atque ideo hæc post sponsam et filiam: hoc est, post perfectionem, Deo adducitur: proximæ autem illæ, quæ moribus et sapientia proximæ sunt, quæque a sponsa regis filia non longo separantur intervallo.

II. *Et melius.* Secundo tamen, arbitror per virgines et proximas intelligi easdem animas selectas, quæ Deo virginitatem suam consecrarunt; 2. omnes Ecclesias particulares, quæ Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ et Romanæ adhærent. De illis dicitur Canticorum 6. v. 7. *Sexaginta sunt reginæ, et octoginta concubinæ, et adolescentularum non est numerus. Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ, et beatissimam prædicaverunt: Reginæ et concubinæ, et laudaverunt eam.* Reginæ sunt Ecclesiæ Patriarchalæ: concubinæ, Ecclesiæ Episcopales: adolescentulæ Ecclesiæ Parochiales et cæteræ: supra omnes autem eminet Cathedra S. Petri, nempe Ecclesia Romana, quæ regina est reginarum, et orbis totius Domina. *Omnes Ecclesiæ honorant Romanam ut reginam.* Deus dicit Ecclesiæ, Isaiæ 43. v. 5. *Noli timere, quia ego tecum sum ab Oriente: adducam semen tuum, et ab Occidente congregabo te: dicam Aquiloni, da: et Austro, noli prohibere: Affer filios meos de longinquo, et filias meas ab extremis terræ.* Ieremiæ 3. v. 17. etiam dicitur sub typo Ierusalem: *In tempore illo vocabunt Ierusalem solium Domini, et congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Ierusalem, et non ambulabunt post pravitates cordis sui pessimi.*

135. *Deducebantur sponsæ ad sponsum.* Nota tertio, in τῷ *adducentur*, et in τῷ *afferentur* in lætitia, indicari ritum nuptialem, ut etiam denotetur illas virgines fore sponsas Christi: Nam apud Hebræos et Gentiles cum lampadibus, choreis, et canticis deducebantur novæ nuptæ in domum sponsi. Hinc Hesiodus in scuto Herculis dicit: *Alii siquidem rotundo in curru ducebant viro uxorem, multusque Hymenæus excitabatur, et procul ab ardentibus facibus fulgor resplendebat in manibus famulorum. Mulieres autem venustate florentes præibant, quas chori ludentes sequebantur. Atque hi quidem canoris tibiis emittebant cantum: illæ autem ad modulationem ducebant chorum amabilem:* apud Romanos pueri patrimi, et matrimi prælucebant. Catullus in nuptiis Iuliæ, et Manlii ait: *Tollite o pueri faces:* puellæ in prælucendo adhibitæ apud Homerum, in regia Alcinoi: tædas enim manibus præferentes Ulyssem cubitum euntem comitantur. Odyss. 7. Romani præferebant quinque faces, vel tædas, quæ iugales, legitimæ, geniales, et festæ dicuntur a Poetis. Hebræos existimo eumdem numerum habuisse solemnem. Ita noster Martinus de Roa lib. 2. singularium, cap. 21. ubi illustrat parabolam de decem virginibus, quarum quinque erant fatuæ, et quinque prudentes. Hinc vir dicebatur ducere uxorem, quod eam in domum suam duceret cum amicis. Machab. lib. 1. 9. 37. et seq. *Renuntiatum est Ionathæ, et Simoni fratri eius, quia filii Iambri faciunt nuptias magnas, et ducunt sponsam ex Madaba, filiam unius de magnis principibus Chanaan, cum ambitione magna. Et recordati sunt sanguinis Ioannis fratris sui, et ascenderunt et absconderunt se sub tegumento montis, et elevaverunt oculos suos et viderunt: et ecce tumultus et apparatus multus: et sponsus processit et amici eius, et fratres eius obviam illis cum tympanis et Musicis.*

Nota denique quarto, pro in templum, Hebr. בהיכל *behechal.* Est autem *hechal* Primo Basilica, regia, aula, atrium, palatium, in quo rex vel princeps aliquis prævalet ac residet. Hinc Arias, ingredientur in palatium regis. Campensis, adducuntur in regiam tuam. Vel, penetrabunt usque in intimum palatium regis. Secundo, *hechal* vocabatur pars exterior templi, eo quod instar palatii præsta-

A ret magnitudine, sic etiam dicebatur templum ipsum, quod ibi tamquam in Basilica sua maiestatem suam et potentiam Deus populo suo demonstraret: deducitur a יכל *iachol*, id est, potuit. Septuaginta, Noster, Felix, S. Augustinus et alii habent, *in templum regis.* Tertio, *hechal* sumit S. Hieronymus pro cubiculo eximio in aula regis, in quod sponsa cum universo comitatu deducatur. Vertit enim, *ingredientur thalamum regis.* Thalamus est commune utriusque coniugis cubiculum: unde pro ipsis nuptiis et connubii iure usurpatur: in hoc autem psalmo canitur epithalamium Christi sponsi, atque Ecclesiæ sponsæ.

Moraliter. Primo virginitas sponsas Christi efficit. S. Cyprianus lib. de bono pudicitiæ: *Pudicitiæ*, inquit, *est honor corporum, ornamentum morum, sanctitas sexuum, vinculum pudoris, fons castitatis, pax domus, concordiæ caput. Pudicitia nihil ornamentorum quærit, decus suum ipsa est. Hæc nos commendat Domino, connectit Christo: hæc expugnat omnia de membris illicita desideriorum prælia. pacem nostris corporibus inducit. beata ipsa et beatos efficiens.* 136. *Virginitas efficit sponsas Christi.* B Nunquam sibi Christus desponsavit nisi virgines, ut S. Catharinam Alexandrinam, S. Edmundum Archiepiscopum Cantuariensem, S. Catharinam Senensem et similes. Ad virgines ipse descendit, ut in virginitatis proposito confirmaret, sicut accidit S. Iuliano, et S. Basilissæ uxori eius prima nuptiarum nocte, qua in eorum cubiculum cum beata Virgine et multis angelis venit. Metaphrastes 9. Ianuarii, sic refert in vita S. Iuliani num. 8. Maximum, inquit, et divinum spectaculum in cubiculo illo tunc erat. Ex una parte æternus ille Rex Christus sedebat, cum innumerabili quorumdam candidas vestes habentium multitudine. Ex altera parte innumerabilium Virginum cœtus, quarum primas tenebat gloriosa Mater et Virgo illa Maria. Ex æterni regis parte summis vocibus illud canebatur: Vicisti Iuliane, vicisti: Quæ vero cum Virgine illa Regina Maria erant, clamabant: Beata es Basilissa virgo, quæ salutaribus admonitionibus obtemperasti, et mundi fallacias respuens, ad sempiternam gloriam percipiendam te ipsam præparasti. Rursus ex æterni C Regis parte clamabatur: Milites mei, qui veteris serpentis voluptatem expugnarunt, surgant e terra, et attento corde librum æternæ vitæ recitent. Liber autem ipse propositus erat in cubiculo ipsis præparato. Hac voce audita, qui erant ex utraque parte sedentes, responderunt Amen. Venerunt autem duo quidam viri candidis vestibus induti, quorum pectora zonis aureis cincta erant: et singuli singulas coronas in manibus gestantes, illosque erigentes: Surgite, inquiunt, quoniam vicistis, et nostro numero adscripti estis. Videte quod in præparato vobis cubiculo propositum est, legite et cognoscite. Quoniam fidelis est Dominus in verbis suis. Cumque illorum manus tenerent, eas coniunxerunt. Erat autem illic positus quidam liber argento septies purgato splendidior, aureis litteris conscriptus. Circa cubile vero quatuor senes erant, qui habebant in manibus phialas aureas plenas aromatibus variis, multi odoris suavitatem emittentibus, e quibus senibus unus dixit: Ecce in his quatuor phialis continetur perfe- D ctio vestra: Ex his enim quotidie ante faciem Dei odoris suavitas ascendit. Quamobrem beati estis qui plurimas huius sæculi voluptates devicistis, ad illas properantes, quas neque oculus vidit, neque auris audivit, quæque in cor hominis non ascenderunt. Abi nunc Iuliane, et lege quod una sancta Trinitas iubet. Accessit multa cum fide Iulianus, et cœpit legere, quæ in hanc sententiam scripta erant. Quisquis mei desiderio detentus mundum hunc contempserit, in eorum numero erit, qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Basilissa vero, quæ animo sincero atque intacto est, in ordine virginum numerabitur, quarum vera mater Domini Iesu Christi Maria primas partes obtinet. Hæc cum dixisset, librum complicuit, et rursus multa ista millia dixerunt, Amen: et multa illa alia millia eamdem dictionem una voce repetentes, hilaritatem simul præ se tulerunt. Rursus ad illos senes dixit: In hoc libro ut videtis, scripti sunt casti homines, sobrii, veraces, misericordes, humiles, mites, qui non fictam charitatem ha-

buerunt, qui res adversas atque acerbas sustinuerunt, qui calamitates et ærumnas perpessi sunt, qui denique suæ in Christum charitati nihil prætulerunt, non patrem, non matrem, non uxorem, non filios, non agros, non divitias, non reliqua omnia, quæ in hoc sæculo humanos animos impediunt. Illi denique in hoc libro sunt scripti, qui ne suas quidem animas Christi causa in mortem tradere cunctati sunt, e quorum numero vos esse digni habiti estis. His dictis, statim visio ab illorum oculis ablata est. Tunc beati virgines, Christi visione gaudentes, reliquum noctis spatium vigilantes, in hymnis et canticis transegerunt: ita Metaphrastes.

137. Deipara amat Virgines. Secundo, virgines ducuntur ad Christum Sponsum cum lætitia et exultatione totius cæli et terræ. Primo, Deipara applaudit virginibus. Hoc declaravit Ledesmæ Societatis nostræ insigni Theologo, qui cum initio conversionis dubitaret de perseverantia in custodia castitatis, ei apparuit Brixiæ pulchrior et fulgidior ipso sole, illam comitabantur S. Maria Magdalena, S. Catharina Alexandrina, et S. Catharina Senensis, et donum castitatis per omnem vitam promisit. Dum vero in cælum rediret, tres eius comites hoc carmen summa melodia concinebant: *O quantum est donum castitatis, quod Deus confert pietatis*, teste Francisco Sacchino part. 2. histor. Societatis Iesu lib. 1. num. 65. Eadem Deipara donum castitatis contulit S. Ignatio Societatis eiusdem Fundatori, et quidem adeo perfectum, ut ex eo tempore nullos concupiscentiæ motus senserit, ut refert Ribadeneira in eius vita.

138. Et angeli. Secundo, angeli amant virgines. S. Thomæ Doctoris Angelici infamem mulierculam ardenti titione abigentis renes stringunt zona castitatis. Ut enim ait S. Ioannes Damascenus lib. 4. de fide cap. 24. virginitas est, αγγελων πολιτευμα, πασης ασωματου φυσεως ιδιωμα, *Angelorum munus, et peculiaris omnis incorporeæ naturæ nota.* Ac deinde subdit: Quanto angelus est homine superior et præstantior, tanto virginitas nuptiis est honorabilior. S. Bernardus epist. 42. ad Henricum Senonensem Archiepiscopum: Quid, ait, castitate magis decorum, quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, angelum denique de homine facit? Differunt quidem inter se homo pudicus et angelus, sed felicitate, non virtute; sed etsi illius castitatis felicior, huius tamen fortior esse cognoscitur. Sola est castitas, quæ in hoc mortalitatis loco et tempore, statum quemdam immortalis gloriæ repræsentat. Sola inter nuptiarum solemnia, morem beatæ illius vindicat regionis, in qua neque nubunt, neque nubuntur, præbens quodammodo terris cælestis iam illius conversationis experientiam: ita Bernardus.

139. Ac Deus ipse. Tertio, Deus ipse applaudit virginibus, et ad se venientes allicit, et gratia sua portat. Est enim virginitas ενθεος, id est divina, ut ait S. Isidor. lib. 3. epist. 351. eique prima et selectissima præmia dat Deus, ut dicit S. Cyrillus Ierosolymitanus Cathec. 15. πρωτεια, inquit, στεφανον εν αναγραφαις εχει παρθενια και αγνεια: *Primam coronam habet in Scripturis virginitas et castitas, cuius gratia lucebit sicut angelus.* Itaque proximas hic sponsæ suæ sistit Christus, velut aulæ lumen et delicias. In earum consessu sibi placet, cum pascatur inter lilia, Cantic. 2. v. 16. Ubi S. Gregorius: Quid, ait, per lilia, nisi mundæ animæ designantur? quæ dum castitatis candorem retinent, per bonæ famæ opinionem proximis, quibusque suaviter olent. Inter lilia sponsus ergo pascitur, quia procul dubio animarum castitate delectatur, quæ et in sa munditiam carnis conservant, et per nitidas cogitationes coram eo placent, et exempla proximis quasi odoris suavitatem donant. Symmachus vertit, flores. Chaldæus, rosas. Tertullianus de pudicitia cap. 1. Pudicitia, inquit, *flos morum*, honor corporum, decor sexuum, integritas sanguinis, fides generis, fundamentum sanctitatis, præiudicium omnis bonæ mentis: quamquam rara, nec facile perfecta, vixque perpetua, tamen aliquatenus in sæculo morabitur, si natura præstruxerit, si disciplina persuaserit, si censura compresserit. Cum S. Iulianus virginitatem servans, et ad eam servandam S. Basilissam uxorem incitare cupiens thalamum nuptialem intrasset, tantus *liliorum et rosarum* odor emissus est, ut Basilissa eo in loco sibi esse videretur, qui verno tempore variis et suaveolentibus floribus abundaret. Quid rei esset quærenti ait Iulianus: Suavissimus odor iste, quem sentis, non temporis, sed ipsius Christi *castitatem amantis* opus est, qui corporis castitatem intactam servantibus æternam vitam largitur. His aliisque virginitatem ei persuasit: tum adfuit Christus cum Deipara variisque angelis et sanctis, ut dixi supra.

Quarto, sancti applaudunt virginibus, easque laudant. 140. Et sancti omnes.
S. Paschasius in Psalm. nostr. virgines alloquens, ait: *Vos estis quæ secundum nobilitatem flores estis Ecclesiæ, quæ virore pudicitiæ, et splendore castæ dilectionis, sponso serta componitis, et coronam spineam mutatis quotidie in gloriam triumphantis.* Secundo, S. Cyrillus lib. 4. Apolog. Moral. cap. 8. virginitatem comparat lilio, rosæ, magneti, sapphiro, smaragdo: Fructus, inquit, est dulcissimus, decor præstantissimus, odor suavissimus, valor totus. Nimirum ipsa est naturæ ac virtutis clarissima gemma, summa temperantia, perfecta victoria, spiritus germen, gloria tota. Ut rosa igitur fragrans, et lilium rutilans est sancta virginitas, flos et fructus ad cuius quidem fragrantiam unicornis attractus suaviter currit, cuius dulcedine ferocitas eius mansuescit, cuius puritate validissima eius potestas delectata, quasi victa in nitido gremio virginali reverentialiter prostrata recumbit. O virtus magnetica virginitatis, ad se trahens naturam! o sapphirus mirabilis castitatis, omnem fugans et destruens famam venenosam! o smaragdus rutilans perpetuæ viriditatis, puritas inviolatæ integritatis amatrix, fœtidam veneris nullatenus patiens corruptelam! ita Cyrillus. Adde, tertio, S. Athanasium tractatu de virginitate: *Magna*, inquit, *virtus continentia, magna gloria castitas, magna sunt virginitatis præconia. O virginitatis divitiæ incomprehensibiles! O virginitas corona immarcescibilis. O virginitas templum Dei, et sancti Spiritus domicilium. O virginitas margarita pretiosa apud multos latens, a paucis vero vix invenitur. O continentia amica Dei, et apud Sanctos laudata. O continentia vulgo invisa, sed iis qui te digni sunt nota. O continentia mortem et inferos effugiens, et immortalitati adhærens. O continentia gaudium. Prophetarum, Apostolorum gloria. O continentia Angelorum vita, et sanctorum hominum corona. Beatus qui te tenet, beatus qui per patientiam tibi constanter adhæret: quoniam postquam paululum laboraverit, multa recipiet munera in te. Beatus qui per totum hoc tempus ieiunarit, quia in æterna Hierosolyma habitabit, cumque Angelis choreas ducet, cumque sanctis Prophetis et Apostoli requiem habebit.* Quarto, S. Ignatius epist. 13. ad Heronem virgines vocat, pretiosa Christi monilia.

His aliisque canticis excitati innumeri catervatim in 141. Virginitatem servaverunt.
lætitia et exultatione currunt ad Christum albis induti, lilium manibus gestantes. Chorum unum efficiunt ipsi reges et principes, chorum alterum reginæ et fœminæ nobiles.

Primo, inter reges præcipue emicant, 1. S. Henricus, I. Reges.
secundus Germaniæ Imperator, de quo Surius die 25. Augusti, in vita S. Cunegundis; 2. S. Eduardus rex Angliæ, qui una cum coniuge sua perpetuam virginitatem servavit; 3. S. Venceslaus item Bohemiæ dux, de quo agit Dubravius. 4. S. Casimirus rex Poloniæ, qui cum sanari posse crederetur usu matrimonii, virgo mori voluit.

Secundo, inter principes eminet S. Emericus S. Ste- II. Principes viri.
phani regis Hungariæ filius, cuius virginitas quam grata Deo extiterit patet ex miraculo, quod refertur in eius vita apud Surium 4. Novembris, cap. ult. Conradus quidam ob enormia scelera iussus erat a Pontifice loricam ferream ad nudum corpus astringere, adiuncta charta, in qua eius crimina scripta erant, ac varia Sanctorum sepulcra visere, donec lorica solveretur, et scriptura oblitteraretur. Cum diversa invisisset frustra, venit tandem ad sepulcrum S. Stephani, ubi orans ab eo his verbis est monitus: Surge amice, et Emerici filii mei monumen-

tum, quod iuxta est, adito. Ille quod carnis servanda integritate præcipuam apud Deum gratiam promeruerit, facinorum tuorum veniam tibi impetrabit. Ex eorum enim numero est, qui non inquinaverunt vestimenta sua, sequunturque Agnum quocumque ierit, et ante thronum Dei cantant canticum novum. Evigilat homo, illico ad S. Emerici sacellum se confert, fundit preces, atque opinione celerius dissiliunt ferrei nexus, charta resignata nullum habet litteræ vestigium. Id audiens Ladislaus Hungariæ rex, honorifice elevari curavit corpus S. Emerici, eumque Sanctorum catalogo adscribi. Mirabile est magis, quod de S. Casimiro Casimiri III. Poloniæ regis filio refertur. Cum Medici assererent eo morbo, quo laborabat, liberari non posse nisi uxorem duceret, ad idque pater et regni proceres eum urgerent: ipse constanter respondit: Malo mori virgo, quam vivere non virgo. Sapienter scilicet sentiebat, satius esse mori quam fœdari: unde *cadit mirus*, in cælo resurgens gloriosus, et in oculis hominum relucens *quasi iris* thaumantias, id est admirabilis et filia admirationis, sive admirantis. Notabilis quoque est inter nobiles S. Elzearius Comes Arriani simul cum uxore sua S. Delphina, cum qua virgo usque ad mortem perstitit. Ideo S. Mablina nobilitate et pietate illustris, vidit in Spiritu sanctum iuvenem splendide indutum, per amplam planitiem manibus ferentem vexillum candidum et illustre, cuius elegantia et splendor totum aerem et planitiem illam illuminaret. Sequebatur autem eum innumera multitudo hominum cuiusvis ætatis, sexus, et ordinis. Cumque illa visionis explicationem a Deo posceret, audivit: Hæc est virginitas et sanctitas Elzearii, quem totus orbis venerabitur, et multi eum sequentur, ut est apud Surium tom. 5. die 27. Septembris, cap. 16.

III. Reginæ et ducissæ. Tertio, inter Chorum reginarum et supremarum principum emicat S. Cunegundis uxor S. Henrici secundi Imperatoris Germaniæ, de qua Surius die 25. Augusti, hæc nuda planta vomeres ignitos calcavit, ut virginitatem suam probaret. 2. S. Margareta Scotiæ regina, de qua Surius die 10. Iunii. 3. S. Hedvigis Poloniæ ducissa, Surius die 29. Octobris. 4. S. Ludmilla Bohemiæ ducissa et Martyr, Sur. 16. Septembr.

IV. Filiæ regum et nobiles aliæ. Quarto, inter chorum principum et nobilium S. Elisabetha filia regis Hungariæ, de qua Surius die 19. Novembris, Ediiberga et Edildrudis filiæ Annæ regis Orientalium Anglorum, Irmina et Atheia filiæ regis Dagoberti, Mathildis soror Henrici Imperatoris primi.

142. Adducuntur virgines in templum, id est: 1. In cælum. Tertio denique, virgines adducentur *in templum regis*, id est 1. In cælum, ut explicat Ruffinus. 2. In intimum regis Christi palatium et conclave, hoc est in intimam familiaritatem.

Ac primo, de cælo dicitur Isaiæ 56. v. 5. *Dabo eis* (eunuchis, hoc est virginibus) *in domo mea, et in muris meis locum.* Et Sapientiæ, 3. v. 14. *Dabitur illi* (spadoni seu eunucho) *sors in templo Dei acceptissima.* Et c. 4. v. 1. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate* (Græc. cum virtute. S. Bernardus epist. 42. cum charitate) *immortalis est enim memoria illius.* In cælo virgines sunt citharœdi Agni. Apocal. 14. v. 3. *Cantabant quasi canticum novum, ante sedem, et ante quatuor animalia, et seniores: et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit.* Quanta cum lætitia et exultatione id fiat, optime expressit S. Augustin. lib. de sancta Virginitate, cap. 27. *Quo putamus,* inquit, *hunc Agnum ire? in quos saltus et prata? ubi credo sunt gramina gaudia, non gaudia sæculi huius vana, insaniæ mendaces: nec gaudia qualia in ipso regno Dei cæteris non virginibus erunt: sed a cæterorum omnium gaudiorum sorte distincta. Gaudium virginum Christi de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum. Nam sunt aliis alia, sed nullis talia.* S. Agnes post mortem laureata visa est a propriis parentibus Agnum sequens cum numeroso virginum fulgentium, et fimbriis aureis, ac vestibus circumamictarum exercitu. S. Ambrosius serm. 90. sic refert: *Dum parentes beatæ Agnetis assiduis pernoctationibus vigilarent ad tumulum eius, vident in medio noctis silentio exercitum virginum, quæ omnes auro textis cycladibus indutæ, cum ingenti lumine præteribant. Inter quas vident beatissimam Agnetem simili veste fulgentem, et ad dextram eius Agnum nive candidiorem. Hæc itaque dum viderent parentes eius, et qui simul erant, stuporem mentis incurrunt. Sed beata Agnes rogat sanctas Virgines parumper gradum figere. Et stans parentibus suis dixit: Videte ne me quasi mortuam lugeatis, sed congaudete mihi et congratulamini, quia cum his omnibus lucidas sedes accepi. Et illi sum iuncta in cælis, quem in terris posita tota animi intentione dilexi. Et his dictis pertransiit.*

Secundo, virgines adducuntur *in templum*, velut res sacra. Primo enim sunt, et a S. Ignatio epist. ad Tarsenses vocantur ἱερεῖς Χριστοῦ, sacerdotes Christi. Didymus, vel Eusebius in Psalmum nostrum: *Templum*, inquit, *domus Dei est, quoniam ergo domus et thalamus regis templum est, aperte ostenditur, quod Deus Rex est: quare virgines, quæ ad illum ducentur, in eius templum introducentur, ut eidem tamquam Deo, sacerdotes, tamquam Regi, sponsæ sint.* Secundo, virgines sunt altare Dei, in quo Christus requiescit, et seipsum immolat Patri. S. Ignatius mox citatus eas nuncupat θυσιαστήριον, altare. S. Hieron. epist. 8. ad Demetriadem, altare Dei. S. Ambrosius ad Virgines: *Neque*, ait, *dubitaverim vobis patere altaria, quarum mentes fidenter altaria Dei dixerim.* Rationem profert S. Paulinus epist. 35. *Anima quanto castior membris, tanto vivacior sensibus: et quanto mundior corde, tanto capacior Christi est.* Tertio, S. Hieron. epist. 22. ad Eustochium ait, virgines esse similes vasis templi, et sacrario Domini, et arcæ, et propitiatorio, atque in illis quasi super Cherubim sedere Dominum velle. S. Basilius in Psalmum nostrum: *Sequuntur*, inquit, *sponsam Domini animæ quædam, quæ semen alienorum dogmatum minime susceperunt, et hæ quidem regi adducentur sponsam sectantes. Audiant hæc quæ virginitatem Domino voverunt, quod virgines regi adducentur: virgines plane quæ proximæ sunt Ecclesiæ, nempe pone ipsam affectantes, nusquam aberrantes ab Ecclesiastica disciplina. Hæ porro virgines in lætitia et exultatione adducentur, ducentur in templum regis, non quæ virginitatis voto se substraverunt vi adactæ, non item quæ ex tristitia aut necessitate vitæ virginalis sanctimoniam susceperunt: sed quæ in lætitia et exultatione gaudent, et se exhilarant tali officio perficiendæ virtutis addictæ: hæ demum adducentur regi, et adducentur, non in unum plebeium et vulgarem locum, sed in templum regis,* τὰ γὰρ ἱερατικὰ σκεύη, *vasa namque sacerdotalia, quæ humanus usus non commaculavit, in Sancta sanctorum adducentur, et ad adyta accedendi potestatem habebunt, ubi contaminati pedes non ambulabunt.* Quantæ autem sit prærogativæ in templum regis adduci, Propheta pro seipso orans ostendit Psal. 26. v. 4. *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: ut videam voluptatem Domini, et visitem templum eius.* Quarto, virgines sunt thymiama offerendum in altari aureo. Clemens Papa lib. 2. Constitut. Apostolic. refert, Apostolos præcepisse virgines honorari, quod thuribulum et odoratum thymiama repræsentent. Quinto denique, virgines sunt imagines sanctitatis, quibus templum exornetur. S. Auxentius quasdam alloquens virgines, ut ait Metaphrastes in eius vita die 15. Februarii, sub finem: *Dei imagines*, ait, *sunt virgines. Virgo purpura est, quam nulli alii licet induere, quam Regi et Domino universorum.* Virgo unitur Christo, et Christus virgini, ut sponsus sponsæ, et seipsis mutuo vestiuntur. S. Amphilochius Episcopus Iconii, qui circa annum 380. floruit, S. Gregorii Nazianzeni æqualis, homilia de occursu Domini: *Virginitas*, inquit, *est admirabilis, ut cum angelis simul consita, ut superarum virtutum conversationis particeps, ut incorporearum naturarum comes, ut sanctæ Ecclesiæ facem præferens,* ὡς κοινωνὸς νι-

[Right margin notes: 143. II. In locum sacrum. — 1. Virgines sunt templa. — 2. Altaria. — 3. Vasa sacra. — 4. Thymiama. — 5. Imagines sacræ.]

κωσα, *ut mundi victrix, ut affectuum conculcatrix, ut appetituum refrænatrix, ut cum Eva communionem non habens, ut doloris expers, ut a gemitibus immunis. Est ergo virginitas admirabilis, utpote servituti non obnoxia res, ut liberum domicilium, ut virtutis studii, et mentis exercitationis ornamentum, ut humano habitu superior, ut necessario veniens cum sponso Christo in thalamum regni cælorum.*

144. III. In Ecclesiam. Sacerdotes oportet esse purissimos. Tertio denique, inductio virginum in templum regis, id est, in Ecclesiam ad litteram nunc impletur in sacerdotibus et præsulibus Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ et Romanæ, in qua qui sacris Altaribus ministrant, aut virgines, aut saltem a coniugii vinculo et exercitio liberati esse debent. Concilium Carthaginense canone 3. et canone 28. considerans ordinationem sacerdotum vocat eam συνδεσμον αγνειας, vinculum puritatis: decernitque, ut Episcopi, Presbyteri, et Diaconi, συνδεσμω τινι αγνειας δια καθιερωσεως συμπεπλεγμενοι εν πασιν εγκρατεις εισι, vinculo castitatis per consecrationem implicati, in omnibus continentes sint. Quod et sacrarum rerum administrationem docere affirmant, et fuisse, δια των αποςολων παραδοθεν, ab ipsis Apostolis traditum, atque in Ecclesiæ usu et more semper conservatum. Huic concilio interfuit S. Augustinus. Puritatem illam valde inculcat S. Chrysostom. in libris de sacerdotio. Et quidem lib. 3. ait: χρη τον ιερωμενον, ωσπερ εν αυτοις ες'ωτα ουρανοις, μεταξυ δυναμεων εκεινων, ουτως ειναι καθαρον: *Necesse est sacerdotem perinde purum esse, atque si in ipsis cælis collocatus esset inter cælestium virtutum choros.* Et lib. 6. cap. 2. ακτινων αυτων καθαρωτεραν ιερει ψυχην ειναι δει: *sacerdotis animum ipsis solaribus radiis puriorem esse oportet.* Hoc adeo Clemens Alexandrinus mente imbiberat, ut dicat lib. 4. Stromatum, μονοι οι καθαρως βιουντες, ιερεις οντως Θεου: *Soli qui puram agunt vitam, vere sunt Dei sacerdotes.* Quod intelligendum est non de potestate, sed de convenientia: indecens enim est atque horrendum, ut sacerdotes agni sint hirci et sues. Dicant præcipue sacerdotes, quod de aliis etiam ait Tertullianus lib. de cultu fœminarum, cap. 1. *Cum omnes templum simus Dei, illato in nos et consecrato Spiritu sancto, eius templi antistes et æditua pudicitia est, quæ nihil immundum, nec profanum inferri sinat, ne Deus ille, qui inhabitat, inquinatam sedem offensus derelinquat.*

ARTICULUS VII.

Quam excellentes Christi, et Ecclesiæ filii.

Coniugii fructus et flores sunt liberi, his virgo simul et mater Ecclesia Christo virgini et parenti coniuncta
145. Vers. 17. abundat, v. 17. PRO PATRIBUS TUIS NATI SUNT TIBI FILII: CONSTITUES EOS PRINCIPES SUPER OMNEM TERRAM.
Vers. 18. Et vers. 18. MEMORES ERUNT NOMINIS TUI IN OMNI GENERATIONE ET GENERATIONEM: PROPTEREA POPULI CONFITEBUNTUR TIBI IN ÆTERNUM, ET IN SÆCULUM SÆCULI.

Quæres primo, quem alloquitur David? Primo, Euthymius prima verba, *pro patribus nati sunt tibi filii*, ad Ecclesiam refert: sequentia vero, *constitues eos principes super omnem terram*, ad Christum. Sed hæc explicatio difficilis est, et improbabilis, non apparet enim in contextu transitus ab una persona ad aliam.

Secundo, S. Cyrill. Didym. et Lorinus omnia ad Christum sponsum dirigi putant: quia, inquit Didymus, ad Christum fere omnia huius Psalmi verba referunt; 2. ait Lorinus, quia Hebræus textus affixis pronominibus masculini generis, prorsus indicat orationem totam esse de sponso Christo.

Tertio tamen, ac melius, S. Basilius, S. Chrysostom. S. Hieron. S. Augustin. Lindanus, Campensis, Bellarminus, et alii, hæc omnia ad Ecclesiam sponsam referunt, cui cum prius dictum esset: *Audi filia, et vide, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui;* hic pro patre pollicetur David liberos, qui sunt fructus matrimonii, et ita recreant matres, ut facile obliviscantur populi sui et parentum, si præsertim pulchros, sanos, probos, atque solertes, ingeniosos et industrios nactæ sint filios. Unde hoc loco eorum nobilitas, potestas, pietas ponitur.

Quæres secundo, quinam sunt illi patres, qui filii? 1. 146. Quinam Patres hic intelliguntur?
Ugo Cardinalis patres esse dicit idololatras; 2. Lindanus impios Iudæos; 3. et melius, S. Cyrillus, Theodoretus, item Ugo, Patriarchas et Prophetas; 4. S. Augustinus, Apostolos; 5. plene et adæquate, Patres interpretor esse Patriarchas et Prophetas, quorum respectu filii dicantur Apostoli: eosdem tamen Apostolos esse Patres, qui Episcopos successores, veluti filios suos habebant, q. d. O Ecclesia Christi sponsa, tuum matrimonium erit felix, fœcundum et diuturnum: non dabitur tibi libellus repudii sicut synagogæ, sed loco Patriarcharum et Prophetarum habebis filios Apostolos, qui tamen futuri sunt patres Episcoporum, qui sibi invicem succedent, toti orbi et omnibus temporibus usque ad finem mundi dominantes. Nota, pro τω *pro patribus nati sunt tibi filii*, Symmachus legit, *pro patribus facti sunt filii tui*, q. d. Filii tui facti sunt patres, in patres evaserunt, filios alios generarunt: sic dicit Paulus Apostolus Corinthiis 1. epist. 4. 15. *In Christo Iesu per Evangelium ego vos genui.*

Nota, matrem iam se olim profana Roma venditabat, 147. Roma est mater.
quam Dionysius in Periegesi vocat, μητερα πασων πολεων, matrem omnium urbium. Cassiodor. lib. 1. cap. 3. matrem omnium dignitatum. Claudianus panegyr. 3. Stiliconis, armorum legumque parentem. Longe verius Clemens Alexandrinus lib. 1. pædag. Ecclesiam vocat matrem et virginem, quod mirabilius et illustrius est. *Unus quidem est universorum pater, unum est etiam Verbum universorum, et Spiritus sanctus unus, et ipse est ubique. Una autem sola mater virgo, mihi autem placet eam vocare Ecclesiam. Lac non habuit mater hæc sola, quoniam sola non fuit mulier. Virgo est autem simul et mater: integra quidem et inviolata, ut virgo; amans autem ut mater, et suos accersens infantulos sancto lacte, et infantili verbo enutrit.* Præcipue post fidem veram susceptam.

Nota primo, Pater noster qui est in cælis Christus, nos 148. Deus est Pater universorum.
in terris per Sacramenta sua regenerat, et adoptivos filios constituit. Vocatur ab Isaia cap. 9. vers. 6. *Pater futuri sæculi.* Vatablus vertit, Pater æternitatis; ita etiam Arias reddit: quia novus homo Christus nos gignit cælo semper victuros, quos vetus Adam genuit terris brevi morituros. Deinde, ut Sanchez exponit, Christus est Pater futuri sæculi, quia futurum sæculum, id est, futuros Christianos, ad novam et Evangelicam vitam, atque ad sanctitatem futuri sæculi instituit. Apostolis autem et Prælatis atque doctoribus, et concionatoribus filios spirituales generandi facultatem concessit, et patres appellari permisit. 149. Apostoli sunt patres.

Primo enim Pontifex appellatur κατ'ἐξοχὴν Papa, id est Pater. Græci et Latini in Concilio Florentino congregati sessione 25. et in litteris unionis, communi consensu Pontificem Romanum nuncupant Doctorem omnium Christianorum et Patrem. Gregorius VII. vero decrevit, ut Papæ nomen quod olim multis Episcopis tribuebatur, uni daretur Romano Pontifici. Est enim, ut loquitur Nicolaus I. in epistola ad Episcopos Galliæ, apex Episcopatus. Vocatur etiam Pontifex, Pater patrum, sanctus Pater. Et Pontifex.

Secundo, Episcopi augusto Patrum nomine appellantur, cum sint Apostolorum successores. S. Gregorius Nazianzenus oratione 11. Gregorium patrem suum Episcopum vocat, πατερα πολλων εθνων, patrem multarum gentium. Alludit ad Abrahamum, cuius nomen id significat. Nicephorus lib. 14. cap. 43. refert Theodosium Imperatorem S. Ioanni Chrysostomo iam mortuo scribentem, eum appellare patrem patrum. S. Ignatius ad Trallianos: *Episcopus*, ait, *est forma patris omnium: presbyteri vero sicut consessus Dei, et coniunctio Apostolorum Christi: sine ipsis enim Ecclesia non est electa, neque collectio Sanctorum, neque congregatio sancta.* Lege epistolam pulcherrimam Theodosii Imperatoris apud Nicephorum mox citatum. Quod autem successores Apostolorum sint Episcopi, docet Anacletus primus epistola 2. quæ est de ordinatione Episcoporum: *Apostoli*, inquit, *iubente Domino, in toto orbe dispersi Evangelium prædicarunt. Ipsis* Episcopus.

quoque decedentibus, in locum eorum successerunt Episcopi, quorum ordinatio prætacto fieri debet ordine, et modo: quos qui recipit, et verba eorum, Deum recipit: qui autem eos spernit, eum a quo missi sunt, et cuius funguntur legatione, spernit, et ipse indubitanter spernetur a Domino. Videntes autem ipsi Apostoli messem esse multam, et operarios paucos, rogaverunt Dominum messis, ut mitteret operarios in messem suam. Inde electi sunt ab eis septuaginta duo discipuli, quorum typum gerunt presbyteri, atque in eorum locum sunt constituti in Ecclesia. Episcopi porro dicuntur esse Apostolorum successores, non eo modo proprie, quo Episcopus Episcopo, rex regi succedit: sed duplici alia ratione; 1. ratione sacri Episcopalis ordinis; 2. per quamdam similitudinem et proportionem: quia nimirum, sicut Christo in terris viventi, primi sub Christo erant Apostoli duodecim, deinde septuaginta duo discipuli: ita nunc primi sub Romano Pontifice sunt Episcopi, post eos presbyteri, deinde diaconi, et sic de cæteris.

Ac sacerdotes. Tertio, sacerdotes ipsi, Patres appellari possunt. S. Hieron. epistola 9. *Pro officio*, inquit, *sacerdotii omnes Christianos filiorum loco diligimus, et profectus eorum nostra est gloria.* Eam appellationem sortiuntur, quod eorum sit per Evangelium et Sacramenta filios gignere. Clemens Alexand. lib. 1. Stromat. αὐτίκα πατέρας τοὺς κατηχήσαντας φαμέν: iam patres eos dicimus, qui nos catechesi instituerant.

Quarto denique, filiorum Ecclesiæ multitudinem per Apostolos, Episcopos, et sacerdotes gignendorum prævidebat Isaias cum dicebat, Sionem alloquens cap. 49. v. 19. id est, Ecclesiam: *Deserta tua, et solitudines tuæ* (regiones et cœtus Gentilium) *et terra ruinæ tuæ*, (id est, Iudæi apostatantes) *nunc angusta erunt præ habitatoribus, et longe fugabuntur qui absorbebant te* (id est, qui te absorbere nitebantur). *Adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis tuæ* (id est Gentiles: in his enim ante Christum sterilis erat Ecclesia): *Angustus est mihi locus, fac spatium mihi ut habitem. Et dices in corde tuo: Quis genuit mihi istos? ego sterilis et non pariens: transmigrata et captiva: et istos quis enutrivit? ego destituta et sola: et isti ubi erant?* Eamdem Ecclesiæ filiorum multiplicationem prædicit cap. 54. v. 1. et cap. ult. v. 8. Sigillatim hoc amplificat S. Hier. epist. ad Lætam: *Regum purpuras*, ait, *et ardentes diadematum gemmas, patibuli salutaris pictura condecorat. Iam et Ægyptius Serapis Christianus factus est. Marnas Saxæ luget inclusus, et eversionem templi iugiter prætermisit. De India, Perside, Æthiopia, Monachorum quotidie turmas suscipimus. Deposuit pharetras Armenius: Hunni discunt Psalterium: Scythiæ frigora fervent calore fidei, Getarum rutilus et flavus exercitus Ecclesiarum circumfert tentoria.*

150. Quæres tertio, quales hi Ecclesiæ filii, et quam excellentes? David hic nobis declarat, 1. eorum potestatem et maiestatem, principes enim vocat; 2. pietatem, dum memores Dei semper fore dicit; 3. denique, felicitatem, ob laudem Deo datam per eorum labores et prædicationes.

Ac primo, principatum ac dominatum amplissimam illis tribuit, v. 17. CONSTITUES EOS PRINCIPES SUPER OMNEM TERRAM. *Vers. 17 2. Pars.* Hoc de singulis Apostolis vere dici potest, quorum par fuit in universum orbem iurisdictio: itaque in omni loco poterant Sacramenta omnia ministrare, et aliquo modo æquales erant Petro in Ecclesiastica potestate, ut S. Cyprianus docet in tractatu de simplicitate Prælatorum: *Apostoli singuli in totum orbem habuerunt iurisdictionem.* Omnes enim Apostoli acceperunt a Christo immediate suam iurisdictionem, ut docet Bellarminus de Romano Pontifice lib. 4. cap. 23. et probat ex eo loco Ioan. 20. v. 21. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Quem locum sic exponunt Patres S. Chrysost. et Theophylactus, ut aperte dicant, factos esse his verbis Apostolos Christi vicarios, imo ipsum Christi officium et auctoritatem accepisse. Addit S. Cyrillus in hunc locum, his verbis proprie Apostolos creatos esse Apostolos, et orbis totius Doctores, et ut intelligeremus in Apostolica auctoritate contineri omnem potestatem Ecclesiasticam: ideo adiecisse Christum: *Sicut misit me Pater*: Siquidem Pater Filium misit summa potestate præditum. S. Cyprianus lib. de unitate Ecclesiæ: *Loquitur*, ait, *Dominus ad Petrum: Tibi dabo claves regni cælorum: et eidem post resurrectionem suam dicit: Pasce oves meas. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, et dicat: Sicut misit me Pater, et ego mitto vos: tamen ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit.* S. Paulus Gal. 1. v. 1. clare dicit se esse Apostolum non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum et Deum Patrem. Dices, ergo nullus fuit S. Petri primatus super alios Apostolos. Resp. hoc negando, erat enim 151. eorum caput et princeps, qui eos dirigere poterat, et cui alii obtemperare tenebantur: Ecclesiæ enim imperium est monarchicum, quæ ratio gubernandi est perfectissima. *S. Petrus tamen habuit primatum.* Deinde soli Petro dictum est Matt. 16. v. 18. *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Item, *dabo tibi claves regni cælorum.* Soli præterea Petro dictum est Ioan. 21. *Pasce oves meas.* Patrum auctoritate primatus hic super Apostolos confirmatur. 1. S. August. lib. 2. de Baptismo cap. 1. *In Apostolo Petro primatus Apostolorum tam excellenti gratia præeminet.* 2. S. Hieron. lib. 1. in Iovinian. adhuc apertius: *Inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tolleretur occasio. Sed cur non Ioannes electus est virgo? ætati delatum est, quia Petrus senior erat, ne adhuc adolescens, ac pene puer progressæ ætatis hominibus præferretur.* Optatus lib. 2. contra Parmen. *Cathedra*, inquit, *una est*, *et negare non audes, scire te Petro primum in urbe Roma Cathedram esse collatam, ubi sederit omnium Apostolorum caput Petrus, inde Cephas appellatus, in quo uno Cathedræ unitas ab omnibus servaretur: nec cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut iam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem Cathedram, alteram collocaret. Ergo Cathedra una est, quæ est prima de dotibus. In ea sedit primus Petrus, succedit Linus, Lino Clemens, etc.* S. Leo sermone 3. de assumptione sua ad Pontificatum: De toto mundo, ait, unus eligitur Petrus, qui et universarum Gentium vocationi, et omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur, ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores; omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus: ita Leo. Et a paucis mensibus ab Innocentio X. nunc hoc anno 1647. in Cathedra Petri sedente damnata est ut hæresis illa propositio: Petrus et Paulus sunt unum Ecclesiæ caput. Item illa: Petrus et Paulus sunt æqualis in Ecclesia potestatis.

De omnibus Apostolis dicitur Ps. 46. v. 10. *Principes* 152. *populorum congregati sunt cum Deo Abraham.* Ps. 67. 28. *Principes Iuda duces eorum. Principes Zabulon Principes Nephtalim.* Ps. 118. v. 17. *Nimis confortatus est principatus eorum.* *Apostoli fuerunt principes.* Regibus eos præfert S. Chrysost. primo, ob durationem; secundo, ob amplitudinem imperii. Sic enim ait in Psalm. nostr. Ἀπόστολοι πάντων ἀρχόντων ἄρχοντες ἐγένοντο κυριώτεροι, βασιλέων δυνατώτεροι: Apostoli præ omnibus principibus fuerunt magis proprie principes, regibus potentiores. Reges enim dum vivunt, obtinent dominatum: iis autem mortuis intercidit dominatus. Et regum quidem leges ratæ sunt et validæ intra eorum fines. Iussa autem piscatorum per universum terrarum orbem extensa sunt. Imperator Romanorum Persis non posset ferre leges, nec rex Persarum posset ferre leges Romanis. Hi autem Palæstini, et Persis, et Romanis, et Thracibus, et Scytis, et Indis, et Mauris, et universo denique orbi terrarum leges dederunt. Nec solum dum ii viverent, firmæ et ratæ fuerunt: sed his etiam mortuis confirmatæ sunt, et qui eas leges acceperunt, malunt animam millies profundere, quam ab illis desciscere: ita Chrysost.

Secundo, Apostolorum successores Episcopi in eorum 153. quoque principatum successerunt, modo supra explicato: non accipiunt tamen immediate potestatem iurisdictionis a Christo, sed a Papa qui est eius vicarius, alioqui eam illis auferre non posset, sicut nec eam Petrus a cæteris Apostolis auferre poterat, nec Papa ipse a sacerdotibus potestatem ordinis. *Et successores Apostolorum, nempe Episcopi* Episcopi appellantur fratres Pontificis, et Principes Ecclesiæ. S. Ivo Episcopus Carnotensis

epist. 22. vocat Episcopi dignitatem, solium principum. S. Ignatius epist. 7. ad Smyrnenses dicit, nihil esse honorabilius Episcopo in Ecclesia, et addit primum honorem deberi Deo, secundum Episcopo, tertium regi. Et epistola ad Philadelphios: *Subditi*, inquit, *estote Cæsari, milites principibus, Diaconi Presbyteris, et sacrorum administratoribus: Presbyteri vero, et Diaconi, atque omnis Clerus simul cum omni populo, et militibus, atque principibus, sed et Cæsares obediant Episcopo.* Hinc Constantinus Imperator in Concilio Nicæno tantam reverentiam Episcopis exhibuit, de qua dixi alias. Adde quod teste Rufino lib. 1. cap. 2. ait Episcopis: *Deus vos constituit sacerdotes, et potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi: et ideo nos a vobis recte iudicamur: vos autem non potestis ab hominibus iudicari.* Theodor. lib. 5. histor. cap. 17. refert, quod S. Ambros. Episcopus Mediolanensis Theodosium seniorem Imperatorem ab Ecclesiæ liminibus expulit, et pœnitentiam publicam subire coegit: ac deinde cum Imperator in Ecclesia ad loca sacerdotum ascendere, atque ibidem sedere vellet, iussit eum Ambrosius descendere, et cum plebe consistere: quod ipse libenter fecit. Sulpitius in vita S. Martini refert honores ei exhibitos a Maximo Imperat. et præsertim ab eius uxore.

154. *Sacerdotes ipsis regibus sunt potentiores.* Tertio, Inferiores quidem Episcopis sunt sacerdotes, sed tamen regibus omnibus maiorem potestatem obtinuerunt; consecrandi scilicet corporis Christi, at absolvendi peccata. Illis etiam convenit dictum Matth. 18. v. 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælis: et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælis.* Aristoteles lib. 3. politic. cap. 10. tradit Ægyptios censuisse eiusdem esse μοναρχειν και ιερατευειν, regnare et sacerdotio fungi. Putiphar Ægyptius dicitur Gen. 41. v. 45. sacerdos Heliopoleos. Chaldæus vertit, princeps Heliopoleos. Hebræi eodem nomine כהן *cohen*, et sacerdotem, et principem appellant. Cum in convivio sederet Maximus Imperator, assidente S. Martino, Pincerna primum calicem Imperatori, ut omnium nobilissimo obtulit, ille ad Martinum Episcopum misit, qui non recusavit, sed primus bibit, et postea non Imperatori, sed Presbytero suo calicem tradidit, nullum scilicet existimans digniorem, qui post se biberet: nec integrum sibi fore: si aut regem, aut eos, qui a rege erant proximi, Presbytero prætulisset. Vide Ps. 42. v. 1. ubi multa de sacerdotio. Consule etiam Baronium de corona sacerdotali tom. 1. Annalium Eccles. anno 34.

S. Martinus anteponit Imper. sacerdotem.

155. *In Papa est principatus Ecclesiæ præcipuus.* Quarto denique, principatus Ecclesiæ præcipue residet in Romano Pontifice, qui est, et vocatur a Theodosio Imp. Novell. 24. Princeps Episcopalis coronæ; a S. Clemente lib. 8. Apostol. Constitut. προκριτος λοιπων επισκοπων, princeps inter reliquos Episcopos; a Nicæno Concilio can. 39. Princeps omnium Patriarcharum. Præfiguratum hoc in summo Iudæorum Pontifice, de quo S. Hieronymus epist. 128. *Pontifex habet Cidarim, et nomen Dei portat in fronte, diademate ornatus est regio.* Iosephus lib. 3. Antiquit. cap. 8. hoc diadema vocat coronam auream. Septuaginta, μεγαλοσυνην, magnificentiam Dei. Hebr. et Chald. coronam sanctitatis. Clemens Alex. lib. 5. Stromatum, πιλον χρυσουν, pileum aureum, seu tiaram: aitque significasse, εξουσιαν βασιλικην, regalem potestatem. De Aarone dicitur Eccli. 45. 14. *Corona aurea super mitram eius, expresso signo sanctitatis* (quasi sigillata his verbis, sanctum Domino) *et gloria honoris* (id est gloriosa et honorifica) *opus virtutis* (id est gloriæ et maiestatis) *et desideria oculorum ornata*, id est quam desiderant oculi videre propter ornatum: est metonymia; ponitur enim actus pro obiecto. Corona porro illa aurea, erat lamina aurea, quæ instar dimidiæ coronæ seu semicirculi, tegebat et decorabat frontem Pontificis, et ad utramque aurem protendebatur, ubi vitta hyacinthina pileo capitis alligabatur. De illa cidari, seu mitra Summi Pontificis Iudæorum Iosephus lib. 3. Antiquit. cap. 8. sic ait: Pileo, quali cæteri sacerdotes utebatur, super quem extabat alius consutilis ex hyacintho variatus: *hunc aurea corona triplici ordine circumdabat.* Pontifex Romanus tiaram triplici corona illustrem habet, ut eius potestas omnium regum potestate maior appareat.

In eius principatu multo sunt egregia, et singularia. 156. *In principatu Papæ undecim eximia.* Primo, quod illi non tribuitur potestas ab Apostolis, nec a Concilio generali, nec a Cardinalibus, nec ab Imperatoribus, sed immediate a Christo. Secundo, omnes alii Patriarchæ, Primates, Episcopi ab eo accipiunt immediate potestatem iurisdictionis, quam potest augere, vel minuere pro rerum exigentia. Tertio, succedit S. Petro, ut Pastori ordinario in Ecclesiastica monarchia. Quarto, a nemine potest iudicari, nec deponi, nisi in causa hæresis, si tamen in eam potest incidere; probabile enim est, summum Pontificem, non modo ut Pontificem errare non posse, sed etiam ut particularem personam hæreticum esse non posse, falsum aliquid contra fidem pertinaciter credendo, ut docet Bellar. tom. 1. de Romano Pontifice, lib. 4. cap. 6. Quinto, docens de cathedra, id est, cum plenitudine potestatis decernens, errare non potest in rebus fidei, neque in præceptis morum, quæ toti Ecclesiæ præscribuntur, et quæ in necessariis rebus ad salutem, vel in iis, quæ per se bona, vel mala sunt, versantur. Sexto, eius potestas per totum orbem extenditur, et ad eum ex toto orbe appellatur ab aliorum omnium sententiis. Septimo, maior est omnibus regibus, et Imperatoribus, in quorum depositione quid fecerit, aut possit alii disputent: quæ enim supra nos, nihil ad nos. Pontificem Iudæorum ipsis eorum regibus fuisse maiorem, docet Theodor. q. 1. in Levit. Procop. in cap. 4. et Philo lib. de victimis. Colligitur id primo ex cap. 27. Numer. v. 21. ubi Iosue iubetur agere secundum ductum Eleazari Pontificis. Sic enim præcipit Deus Mosi: *Pro hoc* (Iosue Principe) *si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum* (Hebr. interrogabit pro eo in iudicio Urim coram Domino, id est, indutus Ephod et Rationali, in quo erant sculptæ hæ duæ voces, Urim et Tummim) *Ad verbum eius* (Eleazari) *egredietur et ingredietur ipse* (id est, aget quod erit agendum) *et omnes filii Israel;* secundo, potestas et dignitas maior Pontificis quam regis etiam in lege veteri, colligitur ex maiori victima. Nam pro peccato Pontificis offertur vitulus; pro peccato autem regis, seu principis, hircus de capris, seu hircus caprarum, ut est in Hebræo: id est, hircus novellus, et adhuc sequens matrem. Octavo, Pontificis est Concilia convocare, iis præsidere, illa approbare, vel improbare. Nono, iudex est omnium controversiarum, quæ in Ecclesia oriuntur. Decimo, potest quoslibet fideles incorrigibiles excommunicare, hoc est, a cœtu fidelium reiicere. Undecimo, Imperium a Græcis ad Francos, nempe ad Carolum Magnum iure suo transtulit Leo III. Pontifex: nullo enim alio iure Carolus fuit Imperator. Ea de re lege Bellarminum tom. 1. tract. de translatione Imperii Romani, lib. 1. cap. 12.

Amplitudo præsertim imperii est admirabilis, SUPER OMNEM TERRAM, 1. id fuit in Apostolis singulis, ut dixi supra; 2. in Episcopis omnibus simul sumptis; 3. denique, in solo Pontifice: qui ideo solus vocatur Apostolicus, œcumenicus, seu universalis Ecclesiæ Papa, id est pater, item Pater patrum. Non est tamen dominus totius orbis, quia non subsunt illi infideles, solas enim oves suas ei Christus commendavit, Ioan. ult. Non est etiam dominus temporalis totius orbis Christiani. Ut enim recte dicit Hugo a S. Victore lib. 2. de Sacramentis, p. 2. cap. 4. *Terrena potestas caput habet regem, spiritualis potestas habet summum Pontificem.* 157. *Pontifex toti orbi imperat, et quatenus?*

Romam profanam orbis dominam plerique prædicaverunt, ut ostendit noster Ludovicus de la Cerda in 6. Æneid. ubi dicitur: Imperium terris, animos æquabit olympo. Cedrenus eam vocat, πασαν δουλωσαμενην την οικουμενην, quæ adigit in servitutem totum orbem. Ammian. Marcellin. lib. 4. Per omnes, ait, quotquot sunt partes terrarum, ut domina suspiceris et regina. Philo de legatione ad Caium: Per terram, per maria usque ad extremos orbis terminos. Dionys. Halicarn. πρωτη και μονη των εκ του παντος αιωνος μνημονευμενων ανατολας και δυσεις ορους ποιησαμενη της δυναστειας: Prima et sola ab omni ævi memoria terminos *Romæ profanæ elogia.*

sibi potentiæ fecit Orientem et Occasum. Aristides: *Cursus*, ait, *solis æqualis est vestro Imperio*, *vestram urbem sol peragrat:* quod dicit perinde quasi totus orbis, instar unius urbis, esset Romanis subditus. Alludit ad municipia, et varias urbes ac personas, quæ habebant ius civitatis Romanæ, ut Tarsenses in Asia, ex qua urbe ortus S. Paulus civem se Romanum vocat. Minutius Felix: *Roma imperium suum ultra solis vias propagavit.* Pleraque ex his dicta sunt hyperbolice. Nam tertiam tantum circiter ad summum mediam Europæ partem profana Roma obtinuit, Rheno et Danubio, atque Albi fluviis potestate eius ut plurimum terminata. In Asia vix unquam ultra Tigrim progressa. In Africa, præter Ægyptum, et Mauritaniæ tractum vix quidquam possedit. In America vero, quæ est novus orbis, omnino nihil habuit.

Et sacræ. Romanam itaque Ecclesiam, longe verius Catholicam, id est, universalem, Patres nuncupaverunt, et Pontificem illius dixit Valentinianus Imper. Novell. 3. Rectorem universitatis. S. Ioannes Damasc. orat. de Transfigur. ἐκκλησίας πανκοσμίου κοσμήτορα, universæ Ecclesiæ ducem et moderatorem. De illo Hincmarus epist. 6. cap. 4. et 5. Cui sollicitudo et prælatio omnium Ecclesiarum, in primatu est S. Petri collata.

Amplitudinem hanc Imperii promiserat Deus Ecclesiæ, Isa. 54. 2. ubi eam alloquens dicit: *Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende. ne parcas: longos fac funiculos tuos, et clavos tuos consolida. Ad dexteram enim et ad lævam penetrabis, et semen tuum gentes hæreditabit.* Patres hoc argumento sæpe fideles hortantur, ut in vera fide constantes maneant, cum sit fides totius orbis. S. Basilius epist. 72. *State in fide*, inquit, *ipsum orbem inspicite, et videte quam modica sit ea portio*, *quæ hoc morbo laborat: reliqua vero universa Ecclesia, quæ ab orbis finibus usque ad fines Evangelium recipit, sanam hanc et rectam doctrinam sectetur, a cuius communione ne excidatis, petimus.* S. Irenæus lib. 3. adversus hæreses, cap. 3. Hanc, inquit, prædicationem cum acceperit, et hanc fidem Ecclesia, et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit, et similiter credit iis: videlicet quasi unam habens animam, et unum cor, ei consonanter hoc prædicat, et docet, et tradit, quasi unum possidens cor: ita Irenæus.

158. Vers. 18. Versionum varietas. Secunda filiorum Ecclesiæ excellentia est eorum pietas, quam David exprimit, v. 18. MEMORES ERUNT NOMINIS TUI DOMINE IN OMNI GENERATIONE ET GENERATIONEM, id est, usque ad mundi finem per omnes hominum sibi invicem succedentium generationes. Nota, pro *memores erunt*, in Hebræis et Græcis codicibus habetur, *memor ero*, et ita habent Græci Patres, et Ludolphus, Bruno, Richelius, Remigius, Pelbartus, Harentalensis, Flaminius, Lindanus, Felix, et alii. S. Hieron. recordabor. Campensis, memorabo nomen tuum universæ posteritati. Pagninus, memorare faciam nominis tui. Qui sic legunt, Ecclesiam vel Davidem loqui putant, qui tot beneficiis Dei erga Ecclesiam eiusque filios permotus se promittat Deo laudes dicturum, eiusque potentiam celebraturum. Versionem nostram sequuntur Psalterium Vaticanum, Ambrosianum, Arabicum, Æthiopicum S. August. S. Gregor. in 1. Reg. lib. 1. cap. 2. et alii. Non est in sensu diversitas, David enim solus non poterat Deum laudare in omni generatione et generationem, nisi per alios. Si Ecclesia loquitur, sensus uterque adhuc facilius conveniet. Nam Ecclesia una est, sed habet multa membra, per quæ Deum laudet.

159. Hinc colligere notas varias Ecclesiæ. Hinc, et ex sequenti hemistichio: PROPTEREA CONFITEBUNTUR TIBI IN ÆTERNUM, ET IN SÆCULUM SÆCULI, id est, in sæculum longissimum et interminabile. Est Hebraismus. Sicut dicitur Canticum Canticorum, id est Canticum nobilissimum, Sanctum sanctorum, id est locus templi sanctissimus. Hinc, inquam, variæ Ecclesiæ notæ colligi possunt.

I. Multitudinem credentium. Primo quidem amplitudo, sive multitudo et varietas credentium. Ecclesia enim Catholica seu universalis omnia loca, omnes nationes, omnia hominum genera complecti debet. Hoc potest significare τὸ *in omni generatione et generationem*, id est, in omni natione, in omni hominum genere. Vide dicta Ps. 2. 8. Ps. 71. 8.

II. Durationem diuturnam. Secundo, et expressius colligitur ex dictis duratio diuturna, neque unquam interrupta. Ecclesia enim est regnum, quod in æternum non dissipabitur. Daniel. 6. 26. Christus dixit S. Petro Matth. 16. 18. *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, ut eam Ecclesiam evertant. S. Chrys. t. 5. in oratione de non contemnenda Ecclesia: *Quid*, ait, *Ecclesia Dei potentius esse potest? Mænia barbari destruunt: Ecclesiam vero ne dæmones quidem superant. Cum oppugnatur, vincit: cum appetitur insidiis, superat.* Romam profanam vocat Tibull. lib. 2. eleg. 5. æternam urbem. Nonus lib. 3. Dionysicorum, imperium indissolubile. Claudianus de illa cecinit in bello Getico:

Urbs æquæva polo, tum demum ferrea sumet
Ius in te Lachesis, cum sic mutaverit axem
Fœderibus natura novis, ut flumine verso
Irriget Ægyptum Tanais, Mæotida Nilus,
Eurus ab occasu, Zephyrus se promat ab Indis.

Sacra Roma longe verius durabit *in omni generatione et generationem*, id est, omni tempore. Hæreses vero illi contrariæ torrentis instar defluunt. S. August. Ps. 57. in illud: *Ad nihilum devenient tamquam aqua decurrens*, sic ait: *Non vos terreant fratres, quidam fluvii, qui dicuntur torrentes, decurrens aqua ad tempus perstrepit, mox cessabit, diu stare non possunt. Multæ hæreses iam emortuæ sunt, cucurrerunt in rivis suis quantum potuerunt, decurrerunt, siccati sunt rivi, vix eorum memoria reperitur, vel quia fuerint.*

III. Successionem Pontificum a Christi tempore. Tertio, colligi potest successio Episcoporum, qui pro Patribus, id est, Patriarchis nati sunt, et sunt memores Dei in omni generatione et generationem. Hoc in Romana Ecclesia est admirabile, a S. Petro series continua Pontificum ostenditur, quorum nullus hæresim ullam docuit. Ps. 88. 36. *Semel* (irrevocabiliter) *iuravi in sancto meo* (id est, per sanctitatem meam) *si David mentiar* (quod Christo non mentiar: *si* enim ponitur pro particula negativa) *semen eius in æternum manebit*, id est, filii ab eo spiritualiter geniti. *Et thronus eius* (Ecclesia Romana) *sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum.* S. August. lib. contra epistolam fundamenti, cap. 4. *Tenet me*, inquit, *in Ecclesia ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum sacerdotum successio.* Contra vero, hæretici nullam possunt ostendere doctorum suorum successionem, quod illis improperat Tertullianus in lib. de præscript.

IV. Sanctitatem doctrinæ. Quarto, colligi potest sanctitas doctrinæ. Vera enim Ecclesia debet esse sancta, id est, nihil continens falsum quoad doctrinam. Spiritus enim sanctus, qui eam dirigit, est Spiritus veritatis, et falsa docere non potest. Vide dicta Ps. 18. 8. Præclare et vere S. August. lib. 2. de civit. Dei, cap 28. *Nihil in Christianis Ecclesiis turpe et flagitiosum spectandum imitandumque proponitur, ubi veri Dei aut præcepta insinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulantur.* Christus dixit S. Petro, Luc. 22. 32. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Ubi duo privilegia pro ipso petiit: 1. personale: ut scilicet ipse a fide non deficeret; 2. commune ipsi cum successoribus, ut a fide nunquam recederent ea ratione, ut hæresim vel errorem docerent. Et quidem S. Cyprian. lib. 3. epist. 3. dicit: *Ad Romanam sedem perfidia non habet accessum* Romana enim cathedra nunquam est ab hæreticis occupata: quod eo est mirabilius, quod tribus aliis sedibus Patriarchalibus id non contigit. Nam Constantinopoli præfuit Macedon. hæresiarcha, Nestor. Paul. Monothelita, Anast. Iconomach. et alii plurimi. Alexandriæ Georg. Cappad Sergius, Lucius, Dioscor. Timoth. et alii. Antiochiæ denique, Paul. Samosat. Eulalius, Eunoius, Petrus, Gnapheus, Macarius, et similes hæretici. Ex quo factum est, ut nunc sub

Turcica servitute ingemant etiamnum ab hæreticis et schismaticis occupatæ. De Romana autem Sede ait Concilium Ephesin. eam esse totius fidei caput. Carolus Calvus scribens ad Ioan. Pontif. ait: *A Romana sede fidei sumpsisse initium, et quotidie sumere augmentum*. Salvius Iulianus Cod. de vet. iur. en. lib. 1. dicit, debere omnes civitates consuetudinem Romæ sequi, et leges, quæ caput est orbis terrarum. S. Bern. lib. 2. de Consideratione ad Eugenium Papam: *Tu es*, inquit, *sacerdos magnus, tu summus Pontifex, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es, cui claves traditæ, etc.*

V. Sanctitatem primorum Patrum. Quinto denique, colligi potest sanctitas vitæ Auctorum sive primorum patrum nostræ Religionis. Nam τo *memores erunt nominis tui*; item, *confitebuntur tibi*, tam ad doctrinam, quam ad vitam referri potest. S. August. agens de Doctoribus Catholicis lib. 2. in Iulianum dicit: *Isti sunt Episcopi, et Pastores docti, graves, sancti, veritatis acerrimi defensores, qui Catholicam fidem in lacte suxerunt, in cibo sumpserunt, cuius lac et cibum parvis magnisque ministraverunt. Talibus post Apostolos plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit.* Singula sæcula possis decurrere, et seriem Sanctorum in singulis intueri cum Thoma Bozio lib. 7. de signis Ecclesiæ. Undecim saltem milliones Martyrum, qui suo sanguine fidei Romanæ veritatem testati sunt, fuisse asserit Caussinus noster tom. 1. Curiæ sanctæ. S. Paulinus epist. 36. dicit, *Romam esse portum salutis Ecclesiæ: et recte Græcia teste, Romam esse nomen virtutis*: ρωμη enim significat fortitudinem, et invictum robur. S. Hier. in fine lib. 2. adversus Iovin. *Roma*, inquit, *aut fortitudinis nomen est apud Græcos, aut sublimitatis iuxta Hebræos*. Deducitur a radice רום *rum*, hoc est extollere.

ARTICULUS VIII.

Quanta Deiparæ Reginæ orbis, sponsæ Dei, matris fidelium dignitas, et maiestas.

160. HACTENUS Ecclesiam veram esse Reginam sponsam, et matrem ostendi, et de illa peculiariter Davidis locum intelligi: nunc restat ut de B. Virgine locum Psalmi nostri etiam explicemus. De illa eum exponunt Ugo Card. hic, S. Gregor. Neocæsariensis, vulgo Thaumaturgus appellatus, serm. 1. de Annunt. Chrysippus serm. 2. de Deipara, S. Bern. homil. 3. super Missus est, S. Athanasius epist. de Interpretat. Psalmorum, Arnold. tract. de laud. Virg. tom. 4. Alphonsus serm. 1. de Assumpt. alique, et maxime festo Assumptionis adaptari hic locus potest.

Maria est Regina totius orbis. Ac primo, Reginam vocat David, v. 10. ASTITIT REGINA A DEXTRIS TUIS IN VESTITU DEAURATO: CIRCUMDATA VARIETATE. In eamdem mentem omnes conspirarunt, eiusque maiestatem regiam sunt venerati. Primo enim S. Gertrudis lib. 4. revelat. cap. 49. appellat regalem virginem. Secundo, S. Ephrem. orat. de B. Virgine, Reginam omnium, perquam benedictam dominarum dominam purissimam, Reginam ac dominam cunctis sublimiorem, reginam supernorum civium, et Dominam angelorum. Tertio, canit Ecclesia, Ave Regina cælorum, ave domina angelorum. Quarto, S. German. Patriarch. Constantinopol. qui floruit circa annum 720. Leonis Isaurici Imp. hæretici tempore, unde multa passus est pro defensione sacrarum imaginum, vocat Virginem, καλλους διαδημα, και του γενους βασιλισσαν, βασιλικοις επωραιζομενην παντοθεν προτερημασι, pulchritudinis diadema, et generis Reginam, regiisque ubique ornatam prærogativis. S. Damasc. orat. 1. de Na-
161. tivitat. αγγελων δεσποζουσαν.

I. Quia omnium fuit humillima. Rationes variæ afferri possunt. Primo, quia fuit omnium humillima, cum igitur qui se humiliat, exaltetur, decuit maxime se humiliantem omnibus præferri. S. Bernard. serm. Signum magnum: *Merito*, ait, *facta est novissima prima, quæ cum prima esset omnium sese novissimam faciebat: merito facta est omnium domina, quæ omnium se exhibebat ancillam: merito denique super Angelos exaltata est, quæ et infra viduas et pœnitentes, ineffabili sese mansuetudine inclinabat.*

Secundo, facta est Maria domina orbis, et Regina hominum, atque angelorum: decet enim in regno Dei sanctissimos regnare. S. Bernard. Senens. t. 2. concion. serm. 51. art. 3. cap. 1. *Virgo Beata*, inquit, *in conceptionis filii Dei consensu plus meruit, quam omnes creaturæ, tam angeli, quam homines in cunctis actibus, motibus, ac cogitationibus suis: nempe omnes, qui meruerunt, nihil aliud potuerunt mereri, nisi secundum varios status et gradus, gloriam sempiternam: hæc autem Virgo in illo admirando consensu, meruit totalem fomitis extinctionem, dominium et primatum totius orbis, plenitudinem omnium gratiarum, omnium virtutum, omnium donorum, omnium beatitudinum, omnium fructuum spiritus, cunctarum scientiarum, interpretationes sermonum, spiritus Prophetiæ, discretiones spirituum, operationes virtutum: meruit fœcunditatem in virginitate, maternitatem filii Dei: meruit quod sit stella maris, porta cæli, et super omnia, quod Regina misericordiæ nuncupetur, ac talis nominis consequatur effectum. Unde merito Prov. ult. de ipsa B. Virgine Salomon ait: Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* II. Quia omnium sanctissima.

Tertio denique, et præcipue, Maria est domina orbis, et Regina hominum, atque angelorum, quia est Dei mater. S. Athanas. serm. de Virg. Quia, ait, ipse Christus Rex est, et Dominus: mater quæ eum genuit, et regina, et domina vere censetur. Et serm. in Annuntiat. Deiparæ: Sicut, inquit, cum ad Christum respicimus, βασιλεα κυριον και Θεον, regem, Dominum, et Deum appellamus: ita quoque cum oculos ad Mariam reiicimus, βασιλισσαν, κυριαν τε, και θεοτοκον, Reginam, Dominam, et Deiparam esse animadvertimus. S. Bern. Sen. tom. 1. concion. 51. art. 1. cap 12. *Quod Deus*, ait, *generet Deum, nulla requirebatur in Deo dispositio, cum ei ex natura conveniret, ut per viam naturæ intellectus produceret Verbum per omnia sibi æquale. Sed quod fœmina conciperet et pareret Deum est, et fuit miraculum: oportuit enim, ut sic dicam, fœminam elevari ad quamdam æqualitatem divinam, per quamdam quasi infinitatem perfectionum, et gratiarum*. S. Thom. 1. part. q. 25. art. 8. quærit, an Deus possit meliora facere ea quæcumque facit? et respondet posse: exceptis tamen tribus, nempe Christo, B. Virgine, et nostra beatitudine. Nam humanitas Christi, inquit, ex hoc quod est unita Deo: et beatitudo creata, ex hoc quod est fruitio Dei: et B. Virgo ex hoc, quod est mater Dei, *habent quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus: et ex hac parte non potest fieri aliquid melius eis, sicut non potest aliquid melius esse Deo.* III. Et præcipue, quia Dei mater.

Primo, Deipara est signum illud magnum Apocal. S. Ioanni ostensum, cap. 12. 1. *Et signum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim. Et in utero habens, clamabat parturiens, et cruciabatur ut pariat* (ob desiderium ardens salutis hominum) *et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes Gentes in virga ferrea.* Hæc fuse, et erudite de B. Virgine exponit noster Blas. Vieg. comm. in Apoc. a p. 562. ad 732. quem tibi relinquo. Corona capiti imposita Reginam esse ostendit, in duodecim stellis notat duodecim prærogativas gratiarum, S. Bernard. serm. de B. Virg. in eadem verba: Signum magnum apparuit, etc. Cant. 4. 8. Corona illi promittitur. *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni* (trina invitatio Trinitatem denotat invitantem) *coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum*. Coronam triplicem Virginis significari etiam puta triplici invitatione. Nam Deipara habet aureolam virginitatis, doctoratus et martyrii. Rupert. lib. 3. in Cant. vim facit in vocibus Amana, Sanir, et Hermon, et Libani: *Unde coronaberis?* ait, *de ca-* 162. Symbol. Repræsentatur in muliere amicta sole.

pite Amana, quod interpretatur nocturna avis: de vertice Sanir, quod interpretatur dens vigiliarum: et Hermon, quod interpretatur anathema. Venies de Libano, quod interpretatur candidati, id est migrabis de corpore isto, corpore candido, corpore virgineo, et coronaberis de omnibus his: id est de corpore vel membris illius, qui nominibus illis recte denotatur, de regnis mundi huius. Regina namque mundi huius quædam capita, vel quidam vertices recte dicuntur nocturnæ avis, et dentis vigiliarum, et vere anathematizati diaboli a Deo separati: qui cum sit princeps tenebrarum, et tamquam leo rugiens circumeat quærens, quem devoret, recte et nocturna avis, et dens dicitur vigiliarum. Amana verius significat veritatem, fidem, et nutricem. Idem auctor leones et pardos ait esse reges Babyloniorum, Persarum, Medorum et Græcorum, quos gloriæ et coronæ Virginis in sua conversione servire dicit. Reges hi, ait, credant in me Christum fructum ventris tui, *et eorum credentium salus, corona tua erit. Ita coronaberis, ut et in cœlis regina Sanctorum, et in terris regina sis regnorum.* Ubicumque enim prædicatum fuerit illud de dilecto dictum: *Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum:* prædicabitur et de te, quod sis o dilecta, et mater huius coronati, ac proinde Regina cælorum, totum iure possidens filii regnum: atque hoc intuitu reges, atque Imperatores coronis suis te coronabunt, palatia sua nomini meo sacrabunt, honori tuo dedicabunt, ut desinant esse quod fuerant montes pardorum, cubilia leonum: ita Rupert. Secundo, luna sub pedibus est signum subiectionis. S. Anton. 4. p. tit. 15. c. 20. de Maria illud interpretatur Eccli. 24. *Et in Ierusalem* (hoc est in Ecclesia) *potestas mea*, et addit: Quoniam luna, quæ Ecclesiam significat Apoc. 12. sub pedibus est Virginis, non tantum sub eius patrocinio: verum etiam sub eius symbolum, sol enim est rex astrorum. S. Bern. serm. de B. Virgine circa hunc locum Apoc. *In te*, ait, *manet sol Christus, et tu in eo: et vestis eum, et vestiris ab eo. Vestis eum substantia carnis, et vestit ille te gloria suæ maiestatis. Vestis solem nube, et sole ipsa vestiris.* Quarto denique, Deipara est signum, id est miraculum magnum ob potestatem sibi datam. S. Petr. Damian. sermon. de Nativitate: *Fecit*, inquit, *in te magna qui potens est, et data est tibi omnis potestas in cælo et in terra.*

163. Figuratur in Sara. Secundo, Deipara est figurata in Sara matre Isaaci, quæ cum prius vocata esset Sarai; id est domina mea, statim facta promissione de Isaac nascituro iubetur appellari Sara, id est Domina, sine ulla restrictione, sicut Abraham cum prius vocaretur Abram, id est Pater excelsus, ab eo tempore dictus est Abraham, id est pater multarum gentium. S. Bonav. in speculo cap. 3. *Virgo*, ait, *revera est Domina cælestium, terrestrium, et infernorum.*

Et Esthere. Tertio, Deipara figurata est in Esther regina, quam ad Assuerum pergentem comitabantur duæ famulæ. Hoc S. Bonav. in spec. loco citato exponit de natura angelica, et humana famulantibus Virgini. Ioan. Gerson. Cancellarius Academiæ Parisiensis tract. 4. super Magnificat, loquens de Assumptione Virgin. illud quod rex Assuerus obtulit Esther cap. 5. 3. *Quid vis Esther regina, quæ est petitio tua? Etiamsi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi.* Dicit completum fuisse in Virgine, cui nimirum Deus dedit dimidium regni sui. Regnum quippe Dei duobus ait contineri, potentia et misericordia, iuxta illud Ps. 61. 12. *Hæc duo hæc audivi, quia potestas Dei est, et tibi Domine misericordia.* Potestate igitur Deo remanente cessisse quodammodo misericordiam Dei matri, sponsæque regnanti. Itaque Virginem divisum habere cum Deo imperium, et idcirco Ecclesiam appellare Virginem matrem, ac Reginam misericordiæ. Gloriabatur ante, ait Gerson, se introductam in cellaria regis, Cant. 2. quæ quasi sub clavi custodiebantur: modo ei tamquam reginæ patent omnia. S. Hier. S. Thom. opuscul. 8. Arnold. Carnotens. Abbas Bonæ Vallis, S. Bern. discipulus et amicus, Mariam dicunt Syriace significare dominam, et hoc verum est. Verba Arnoldi sunt tract. de laud. Virginis Mariæ matris Dei: *Maria*, inquit, *lingua Syriaca Domina dicitur, Christus Dominus, Maria Domina: et licet ipsa se Christi profiteatur ancillam, hoc servitutis genus omni regno sublimius esse intelligit. Constituta quippe est super omnem creaturam, et quicumque Iesu curvat genu, matri quoque pronus supplicat: et filii gloriam cum matre non tam communem iudico, quam eamdem.* S. Ioan. Damasc. Ingeniose lib. 4. de fide cap. 15. Gratia, inquit, (nam hoc sonat Annæ vocabulum) Dominam parit: hoc enim Mariæ nomine significatur: vere enim rerum omnium conditarum Domina effecta est, cum Creatoris mater extitit.

Reginæ thronus sublimis debetur: itaque post agnitam Virginis maiestatem, ei thronum assignat regi Christo proximum David noster: *Astitit regina a dextris tuis:* exaltatam super choros angelorum ad cælestia regna cantatur in Ecclesia. S. Damasc. orat. 1. de Nativitate Mariæ: *Ipsa*, inquit, *Cherubinos superans, ac supra Seraphinos evecta*, πλησιον Θεου εχρηματισεν, *propinqua Deo extitit.* Ac deinde subtexit, ω θαυμα παντων θαυματων καινοτατον: *O miraculum omnium miraculorum maxime novum, mulier Seraphinis sublimior effecta est: Deus visus est paulominus ab angelis minoratus.* S. Epiph. or. de laudib. Deipar. η τον χερουβικον θρονον της θεοτητος εξαστραπτουσα, quæ Cherubicum thronum fulgore divinitatis superas. Ferme idem ait S. Ildephons. serm. 2. de Assumpt. Breviter et nervose Andr. Cretens. omnia absolvit serm. de dormit. Virgin. *Excepto*, ait, *Deo solo es omnibus altior*. S. Damasc. eam præfert Eliæ abrepto in cælum curru igneo, et Paulo rapto usque ad tertium cælum. Eam excelsitatem variis similitudinibus illustrat auctor Eccli. cap. 34. 17. *Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion, quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Iericho, quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum iuxta aquas in plateis.* 164. Mariæ Reginæ thronus supra omnes puras creaturas.

Tres rationes occurrunt, cur thronus Virginis sit supra omnes homines et angelos. Primo, quia virtutibus omnibus omnes superat. S. Bonav. in speculo, c. 2. Mariæ, inquit, Deus præparaverat magnam gloriam in cælo, *ut sicut fuit grandis in merito, ita etiam grandis esset in præmio: unde ipsa est thronus ille grandis, de quo dicitur 3. Reg. 10. 18. Fecit rex Salomon thronum de ebore grandem. Thronus vero Salomonis est Maria grandis omnino in gratia, et in gloria.* Et postea subdit: Mariæ Deus præparaverat non solum magnitudinem, sed multitudinem bonorum in cælo: ita ut nullus angelus, nullus sanctorum ei æquari possit in multitudine et congregatione bonorum cælestium, iuxta illud Prov. 31. 29. *Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu supergressa es universas.* Si filias istas intelligamus animas sanctas, vel intelligentias angelicas: numquid non supergressa est divitias omnium, cum ipsa sit primitiva Virginum, speculum Confessorum, rosa Martyrum, registrum Apostolorum, oraculum Prophetarum, filia Patriarcharum, regina Angelorum? Quid enim de divitiis omnium bonorum defuit? Hieronymus enim ait: Mariam si diligentius aspicias, nihil virtutis est, nihil speciositatis, nihil candoris et gloriæ, quod in ea non resplendeat: ita Bonav. Arcæ elevatione super aquas hoc symbolice declarat S. Bernardin. tom. 3. serm. 11. art. 1. cap. 1. quod dicitur Gen. 7. *Multiplicatæ sunt aquæ, et elevaverunt Arcam in sublime a terra;* sic B. Virgini adaptat. Multiplicatio aquarum in Arca denotat gratiarum plenitudinem in Maria, quæ elevaverunt Arcam, in qua salvatum est universum semen generationis erectæ in sublime a terra: id est, ab omni terrenitate, et amore infecto: dixit autem, in sublime; quia ad hanc puritatem et munditiam nulla pura creatura ascendit, nec angeli, nec virgines. Nam angeli habent munditiam tantum in carne: virgines in mente, et carne: sed gloriosa Virgo Maria cum quadam utriusque perfectione super omnem creaturam est elevata in sublime: ita Bernardinus. 165. 1. Quia virtute omnes superavit. II. Quia amata maxime a Christo filio suo.

Secunda ratio, cur thronus Virginis sit a dextris Filii, petitur ab amore mutuo matris in filium, et filii in ma-

trem. Amor enim est magnes, qui eo arctius unit amantes, quo est maior. S. Bernardin. tom. 3. serm. 11. art. 3. mirabilem comparationem affert: *Sicut*, inquit, *benedictus Iesus sedet a dextris Patris, id est in potioribus bonis paternis: sic ista Virgo gloriosa in potioribus bonis filii sui Iesu iuxta ipsum in throno sublimata consedit.* Si Salomon matrem suam Bethsabee ad dexteram suam in throno collocavit, quidni hoc faciat Iesus longe meliori matri? 3. Reg. 2. 19. dicitur: *Venit ergo Bethsabee ad regem Salomonem, ut loqueretur ei pro Adonia: et surrexit rex in occursum eius, adoravitque eam, et sedit super thronum suum: positusque est thronus matri regis, quæ sedit ad dexteram eius:* quod Deiparæ applicans idem sanctus Pater ait, 2. sic ait: Contemplare mirificam salutationem, quia surrexit Salomon in occursum matris suæ: mirificam adorationem, quia adoravit eam: altissimam sublimationem, quia positus est thronus matri regis: immediatissimam coniunctionem, quia sedit ad dexteram eius. De amore Deiparæ erga Iesum amantissimum filium sic loquitur S. Ildeph. qui factus est Episcop. Tolet. anno Domini 658. serm. 1. de Assumpt. *Beatam Mariam velut ignis ferrum, Spiritus sanctus totam decoxit, incanduit, et ignivit: ita ut in ea Spiritus sancti flamma videatur, nec sentiatur nisi tantum ignis amoris Dei.*

III. *Quia mater Dei.* Tertia ratio, cur thronus Virginis sit a dextris Filii, præcise petitur ex eo, quod sit eius mater. S. Bernardin. Senensis tom. 3. serm. 1. de nomine Mariæ, art. 2. cap. 1. *Si corum*, inquit, *quorum eadem est natura, idem est locus: ipsius autem et filii eadem est natura, ergo idem locus erit. Quapropter et merito, et loco vicinissima erit filio suo, non secus ac stella polaris polo suo.* Par enim ratio videbatur, ut, quæ præstantissimo in throno filium in terras venientem susceperat, ab ipso in sede maxime sublimi, et ornata locaretur. Hoc vidit S. Bernard. serm. 1. de Assumpt. cum ait: *Nec in terris locus dignior uteri virginalis templo, in quo filium Dei Maria suscepit: nec in cælis regali solio, in quo Mariam hodie Mariæ filius sublimavit. Felix nimirum utraque susceptio, ineffabilis utraque, quia utraque inexcogitabilis est.* Deipara fuit in Incarnatione ουρανος και θρονος, cælum, et thronus, ut loquitur S. Epiphan. orat. de laud. Deipar. θρονος χερουβικος σταυροειδης, ουρανιος: thronus Cherubicus, cruciformis, cælestis, ut ait eodem loco; ουρανος εμψυχος, cælum animatum, ut S. Ioan. Damasc. orat. 1. in Nativ. Virgin. Quid non rependet matri optimæ filius perquam optimus? Hinc concludit S. Laur. Iustin. de casto connubio Verbi et animæ cap. 8. *Merito quidquid honoris, quidquid felicitatis habebatur in singulis, totum abundat in Maria.* Et S. Anselm. de excell. Virg. cap. 8. Immensitatem gratiæ, et gloriæ, et felicitatis tuæ considerare cupienti, o Virgo, sensus deficit, lingua fatiscit.

IV. *Quia mater omnium electorum.* Quarta denique ratio, cur thronus Virginis sit supra omnes homines et angelos, petitur ex eo quod sit mater omnium electorum, et Regina angelorum. Apud Persas filiis coram matre sedere non erat permissum, nisi illa annueret. Hinc Alexander Magnus Sisigambim Darii regis a se victi matrem, quam instar matris venerabatur, sic alloquitur lib. 5. Curtii: Quoties ad te veni, donec ut considerem annueres, restiti. S. Bernardin. tom. 3. serm. 11. art. 2. cap. 3. ubi tractat de Assumpt. Virgin. *Tota*, inquit, *Trinitas uniformi, et concordi voluntate hanc inæstimabilem Virginem ostendit esse suam sponsam incommunicabilis charitatis; cæli Reginam inattingibilis dignitatis, mundi dominam imparticipabilis potestatis, electorum omnium genitricem piam inexsiccabilis pietatis, omnium Dei hostium conculcatricem triumphalissimam insuperabilis strenuitatis, omnium cælestium thesaurorum dispensatricem largifluam pro suæ complacentia voluntatis.*

166. *Maria sola facit chorum separatum.* Quæres, an Deipara in cælo faciat chorum separatum? Respondeo affirmative, quia cum sit mater Dei, maior est distantia inter ipsam, et Seraphinos, quam sit inter Seraphinos, et Cherubinos, aliosque angelos, a quibus distinctum chorum et hierarchiam faciunt. Ut enim ait S. Ioan. Damasc. orat. 1. de dormit. Virg. *Dei matris et servorum Dei infinitum est discrimen.* Et S. Antonin. Archiepisc. Florent. 4. part. tit. 15. cap. 20. Plus, inquit, distat Virgo a Seraphim in dignitate, et gloria: quam Seraphim a Cherubim: sed Seraphim per excellentiam dignitatis ordinem habent superiorem ad Cherubim, ergo Virgo erit super hierarchiam angelorum. Item, plus improportionabiliter differt Dominus a servo, quam servus a servo: sed omnes angeli sunt administratorii spiritus, id est servi; et tamen inter eos diversi ordines sunt: sed B. Virgo est domina angelorum: ergo et improportionabiliter est supra Seraphim, et supra omnem hierarchiam angelorum exaltata: ita Antonin. Vide S. Bernardin. tom. 3. serm. 1. de gloria nominis Mariæ art. 2. cap. 1. et Suar. tom. 2. in 3. part. disp. 22. sect. 4. num. ult.

Vestium regiarum splendor throno par. IN VESTITU DEAURATO: CIRCUMDATA VARIETATE. Vestitus ille aureus, et effulgens sunt dotes corporis gloriosi Deiparæ, quæ supra omnes homines, et angelos emicat. Sic exponit S. Athanas. serm. in Annuntiat. *Maria*, inquit, *nunc ut Regina assistens a dextris Filii ubique regnantis*, εν ιματισμω διαχρυσω αφθαρσιας και αθανασιας, *in vestitu deaurato incorruptionis, et immortalitatis.* In dotibus autem illis eo est gloriosior, quo in gratia, et in gloria essentiali, et in dignitate matris omnes antecellit. Suar. mox citatus ex Bonav. in speculo B. Virginis cap. 6. Ob singularem, inquit, filii generationem, castissimam, atque purissimam, existimo habere in corpore singularem aliquem et admirabilem splendorem, vel aliquid aliud, quod sit veluti insigne regiæ dignitatis, et divinæ maternitatis, ac principatus, et dominii in omnes Sanctos: ita ibi. Nam, ut ait Paul. 1. Cor. 15. 41. *Alia claritas solis*, nempe Christi: *alia claritas lunæ*, id est Deiparæ: *et alia claritas stellarum*, hoc est Sanctorum, qui ut stellæ fulgent in perpetuas æternitates. De luna dicitur Eccli. 43. 9. *Vas castrorum* (id est instrumentum bellicum, et castrense Dei effulgens præ stellis, quæ sunt militia, et castra Dei) *in excelsis resplendens gloriose.* Rabanus, resplendens gloriosa: hoc de Virgine longe est verius, de qua Cant. 6. 9. adolescentulæ, id est animæ sanctæ dicunt: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol.* S. Bernard. serm. 1. de Assumpt. has voces tribuit angelis Deiparam admirantibus, ob fulgorem. Gloriosa Virgo, inquit, lampas ardentissima, ipsis quoque angelis lucis miraculo fuit, ut dicerent: *Quæ est ista*, etc. Idem sanctus Pater considerans in serm. Signum magnum, illud Apoc. *Mulier amicta sole*, sic ait: *Quam familiaris ei es Domina, quam proxima, imo quam intima fieri meruisti! quantam invenisti gratiam apud Deum! in te manet, et tu in eo, et vestis eum, et vestiris ab eo: vestis eum substantia carnis, et vestit ille te gloria suæ maiestatis: vestis solem, et sole ipsa vestiris.* S. Antonin. 4. p. tit. 15. c. 20. hinc colligit excellentissimam gloriam Virginis: Ut enim nihil est propinquius corpori, quam vestitus eius: ita nihil propinquius gloriæ Christi, quam gloria Virginis matris. Itaque *eam*, ut loquitur, *vestivit sole excellentissimæ gloriæ.* 167. *Corpus Mariæ habet dotes gloriæ præ cæteris eminentes.*

I. *Quia mater Dei.* Rationem deducit S. Bonav. in spec. cap. 6. ex eius virtutibus. Si omnium, ait, Beatorum corpora quatuor gloriæ dotibus Deus glorificavit: quanto magis corpus Mariæ, quod ipsum glorificatorem omnium genuit, quæ in hac vita ornata extitit iis virtutibus, quæ cum dotibus corporis similitudinem habent: fuit enim clarissima per sanctitatem, subtilissima per humilitatem, agilissima per pietatem, impassibilis per patientiam: ita Bonav.

II. *Quia Regina omnium electorum.* Secundam rationem desume a reginæ dignitate, ornatior enim, et fulgidior debet esse, quam omnes eius subditi. Idem S. Bonav. loco citato, id illustrat figura Estheris reginæ, de qua Esth. 2. 16. habetur: *Ducta est itaque ad cubiculum regis Assueri, et adamavit eam rex plus quam omnes mulieres, habuitque gratiam, et misericordiam coram eo super omnes mulieres: et posuit diadema regni in capite eius.* Quod ad rem nostram sic exponit:

Ista Esther, inquit, Regina, B. Maria ducta est in cubiculum Regis æterni in Assumptione, in cubiculum quietis æternæ, gratiam veri Regis habens super omnes mulieres: id est, super omnes intelligentias angelicas, et super omnes beatas animas, ut sit in Maria gratia super gratiam omnium Beatorum. *Nam revera in capite eius Rex regum diadema regni posuit tam impretiabile, tam delectabile, tam mirabile, quod hoc omni linguæ inenarrabile, omni ingenio inscrutabile est.* Ita ibi S. Bern. serm. de Assumpt. eamdem comparationem affert. Esther Chald. significat hilaritatem: Persice vero, myrtum, quæ est lætitiæ, et hilaritatis hierogiyphicum. Serarius dicit Esther idem esse quod pulchra ut luna. unde ab Esther diei ἀστὴρ, id est stella. Prius ab Hebræis dicebatur Hadasa, sive Edissa, hoc est myrtus, vel myrtea: ob eximiam scilicet pulchritudinem corporis et suavitatem morum: myrtus enim inter arbores pulchritudine excellit: itaque erat Veneri dedicata; et Plin. lib. 15. cap. 29. Aram dicit fuisse Romæ Veneris Myrteæ, quæ postea dicta sit Murtia.

ARTICULUS IX.

Maria est sponsa totius Trinitatis.

168. Maria est sponsa totius Trinitatis. Non regina tantum orbis constituta est Deipara, sed in sponsam quoque amantissimam a Deo electa. Quamvis enim Patris æterni sit filia, Filii mater, Spiritus sancti sponsa communiter dicatur: potest tamen totius Trinitatis sponsa nuncupari. S. Bernardin. t. 3. serm. 11. art. 2. cap. 3. Tota, inquit, Trinitas uniformi, et concordi voluntate hanc inæstimabilem Virginem ostendit esse suam sponsam incommunicabilis charitatis: cæli reginam inattingibilis dignitatis: mundi dominam imparticipabilis potestatis. Primo, Patris æterni sponsa est, ut docet Chrysip. serm. de laud. Mariæ: αὐτὸς inquit, ἑαυτῷ νυμφεύσει σε ὁ πατήρ: *Pater ipse sibi ipsi te desponsabit:* Spiritus sanctus coefficiat ea, quæ ad desponsationem pertinent, et Filius ipsum templi tui decorem assumet. Secundo, etiam Verbi æterni sponsa est. S. Epiphan. serm. de laud. Deipar. *O sponsi*, ait, *desiderium summæ puritatis. Propriam ancillam sponsam, et matrem sibi despondet.* Gabriel conciliator effectus Virginis, οὐρανοῦ καὶ γῆς συνάπτον τὸ θυμίαμα, cæli et terræ incensum una copulans, et postea subiungit, ἡ παρθένος οὐράνιος εὑρίσκεται νύμφη, ὁμοῦ τε καὶ μήτηρ: Virgo invenitur esse cælestis sponsa et mater, quæ donorum antenuptialium nomine, Spiritum sanctum accepit: dotis vero gratia, cælum una cum Paradiso. Tertio denique, Spiritus sancti sponsa est. S. Ioannes Damasc. orat. 1. de Nativ. Virg. ἐν θαλάμῳ, ait, πνεύματος θυγάτριον πολιτευσάμενον, καὶ τηρηθὲν ἄμωμον εἰς νύμφην Θεοῦ: In thalamo Spiritus versata es, atque immaculata conservata in Dei sponsam. Methodius orat. in Hypapant. vocat eam Spiritus sancti umbraculum.

169. Maria ad Deum ducta est quatuor virtutibus. Currum quo ad sponsum vehatur, quatuor rotis constantem, illi Propheta noster exornat, v. 11. AUDI FILIA, ET VIDE, ET INCLINA AUREM TUAM, ET OBLIVISCERE POPULUM TUUM, ET DOMUM PATRIS TUI. Primæ duæ rotæ sunt obedientia et prudentia: duæ posteriores, humilitas et mortificatio.

I. Obedientia. Ac primo, obedientiam ponit, *audi filia.* Hoc de Virgine Deipara exponit Chrysippus Ierosol. sermon. de laud. Virginis Mariæ: *Audi*, ait, *filia*, *sermo meus ad te*. τῷ βασιλεῖ μέλλουσα μεγάλῳ νυμφεύεσθαι, *quæ desponsata es Regi magno. Et vide, adeo diligenter ausculta, ut etiam ipsis notitiæ oculis intuearis effectum. Et inclina aurem tuam. Hoc enim faustum nuntium est de redemptione mundi. Et obliviscere populum tuum. Populus enim, a quo cognationem contraxisti, nequam est, ignominiam tibi affert.*

Obedientiæ studiosissimam se declarat, cum Mater Dei vocata, et consequenter Domina orbis, se ancillam nuncupat. Luc. 1. 48. loquens Elisabethæ cognatæ, et Deum benedicens: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Quod Rutil. Benz. examinans ait, ideo non matris, sed ancillæ

A nomine usam esse, *ut ostenderet se magis gloriari in obedientia, et paratissimo consensu, quem sine mora exhibuit Deo, quam in titulo maternitatis.* Iam prius dixerat angelo Incarnationem nuntianti, Luc. 1. 38. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Æthiopicus et Persicus textus habet, sit mihi iuxta verbum tuum. Ioannes Tauler. serm. de Nativ. Virg. ait, in Virgine nos habere obedientiæ perfectissimum exemplum. Imitanda est hæc obedientia. Nam ut ait S. August. in Ps. 70. conc. 2. Nihil tam expedit animæ, quam obedire.

David porro Virginem vocat filiam, quia erat de tribu Iuda, et ab ipso Davide ortum ducebat. S. Ioannes Damascen. orat. 2. de Nativit. Surculus, ait, Davidicus, radix Iesse, ac Iudæ germen perpetuo flore præditum, ἀειθαλὲς τοῦ Ἰούδα βλαστός. Inde etiam regina dici potest, non modo quia erat ex sanguine regio, sed etiam, quia, ut aliqui putant, ius regni Iudææ devenerat ad Iosephum eius maritum, quod colligitur probabiliter ex serie genealogiæ positæ a S. Matth. cap. 1. Vide Franc. Lucam in Matth.

B Secunda rota currus Cherubici, tota plena oculis, qua II.
Deipara ad Sponsum suum, nempe Deum ducitur, est 170. Prudentia.
prudentia: ET VIDE. S. Ephrem serm. de Deip. eam vocat, principem omnium prudentissimam, et sagacissimam. S. Germ. orat. de Nativit. Virg. appellat δήλων λογίων, manifestorum rationale. Est domus sapientiæ, de qua Prov. 9. est sapientiæ thesaurus, et fons. S. Damascen. orat. 1. de dormit. Virg. dicit esse *sapientiæ thesaurum*, qua incautam Evæ, nimirum verbis serpentis creduiæ, simplicitatem emendavit, dum angelo prudenter respondit: *Quomodo fiet istud?* Typus eius fuit Abigail uxor Nabal, quæ prudentia suæ domus exeidium impedivit, cum iusta ira succensus David ad omnia evertenda advolaret, 1. Reg. 25. ac deinde mortuo Nabal facta est uxor Davidis. De Virgine ait S. Bonav. opusc. de medit. Christi, cap. 3. Omnis sermo Mariæ ita erat gratia plenus, *ut Deus cognosceretur in lingua eius.* S. Bern. serm. in Apocal. 12. sole ipsam vestiri vult, ut indicetur radiis æternæ C sapientiæ fuisse illustratam. *Iure*, inquit, *Maria sole perhibetur amicta, quæ profundissimam divinæ sapientiæ, ultra quam credi valeat, penetravit abyssum, ut quantum sine personali unione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa.* Est fons qui crevit in fluvium, et in lucem solemque conversus est, Esth. 10.

Tertia currus Cherubici rota, est humilitas: ET INCLI- 171. III. Humilitate.
NA AUREM TUAM. In hac virtute perfectissimam se Virgo exhibuit. S. Birgitta in suis revelationibus, inter omnes angelos et homines humillimam vocat. S. Bern. in tom. 2. serm. 51. art. 1. cap. 3. Mentem eius, ait, in abysso humilitatis fundavit Deus. S. Mechtildis lib. 1. suarum Revelat. *Prima virtus*, inquit, *in qua Virgo nata, et infans se singulariter exercuit, fuit humilitas, qua ita de se modeste sentiebat, ut cum tot gratias haberet, nulli creaturæ se prætulerit.* S. Bern. serm. de Aquæductu, miratur quod iam mater Dei effecta, visitaverit Elisabetham cognatam suam, et illi servierit: *In Virgine*, inquit, *quæ montana conscendit, tamquam funiculus triplex, fervebat* D *in quærenda gratia charitas, splendebat in carne virginitas, humilitas in obsequio eminebat. Quid hac humilitate sublimius? venisse matrem Domini sui ad se mirabatur Elisabeth: sed iam magis miretur quod instar filii, ipsa non ministrari venerit, sed et ministrare.*

Hæc humilitas Virginis duo effecit. Primo, Verbum e cælis in terras deduxit, et in eius utero incarnavit, ut ipsa testatur, Luc. 1. 48. *Quia respexit humilitatem*, id est, vilitatem, abiectionem: ita Tolet. et Maldon. 2. virtutem humilitatis: ita S. August. et S. Bernard. Audiamus S. August. serm. 35 de Sanctis, ubi iliam vocat scalam cæli: *O vere*, inquit, *gloriosa Mariæ humilitas, quæ porta paradisi efficitur, scala cæli constituitur. Facta est certe humilitas Mariæ scala cælestis, per quam Deus descendit ad terras.* Et sermon. 2. de Assumpt. O vera humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cælos innovavit, mundum purificavit, paradisum aperuit,

et hominum animas liberavit. Secundo, humilitas ipsam Deiparam in cælum sublimavit. S. Bonaventura in Speculo, cap. 6. *Nunquam*, ait, *Virgo super choros angelorum sublimata ascendisset, nisi prius infra homines humiliata descendisset.* S. Ildephonsus serm. 3. de Assumpt. Ideo, ait, Christus humilis ad humilem Virginem venit, quam elegit, ut de tam profunda humilitate triumphum erigeret salutis, et exaltaret eam, ut cantavimus, etiam super choros angelicos.

IV. 172. Contemptu rerum terrenarum.
Quarta denique, currus Cherubici rota, est contemptus rerum omnium terrenarum: ET OBLIVISCERE POPULUM TUUM, ET DOMUM PATRIS TUI. Hoc 1. fecit trimula in templum ascendens, et ibi Deo vacans; 2. ibi votum virginitatis emittens; 3. pergens in Bethlehem in spelunca paritura; 4. secedens in Ægyptum, cum posset impetrare alium latendi modum; 5. tota vita colens paupertatem. S. Bern. hom. 3. super Missus est, aliqua attingit: *Audivit*, inquit, *et vidit; non ut quidam, qui audientes non audiunt, et videntes non intelligunt: sed audivit, et credidit, vidit, et intellexit; et inclinavit aurem suam ad obedientiam, et cor suum ad disciplinam, et oblita est populum suum et domum patris sui: quia nec populum suum augere prolis successione, nec domum patris sui relinquere curavit hæredem. Sed quidquid honoris in populo, quidquid de paterna domo rerum terrenarum habere potuisset, omnia arbitrata est ut stercora, ut Christum lucrifaceret.*

173. Maria fuit pulcherrima.
Hoc virtutum curru ad sponsum adducta Deipara ei placet. ET CONCUPISCET REX (Spiritus sanctus; 2. tota Trinitas) DECOREM TUUM. Pulchram fuisse Deiparam omnes Scripturæ testantur. Cant. 1. 8. vocatur *pulcherrima inter mulieres*, vers. 10. *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis: collum tuum sicut monilia*; v. 14. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es: oculi tui columbarum.* Ne multa congeram, Cant. 4. 7. dicitur: *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te.* Ubi obiter adverte, totum Canticum esse in sensu primario atque adæquato de Ecclesia: in sensu principali, de Virgine: in sensu partiali, de anima sancta et perfecta. Secundo, ad exprimendam illam pulchritudinem Virginis, assumuntur pulcherrima. Cantic. 6. 9. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol.* Comparatur paradiso terrestri arborem vitæ ferenti, a S. Damasceno orat. 2. de dormit. Virg. Ipsi ligno vitæ, a S. Ephrem. orat. de Deip. Arcæ auro intus et foris contectæ, a S. Ioanne Damasc. orat. 1. de Nativ. Ferculo Salomonis cuius columnæ argenteæ, reclinatorium aureum, ascensus purpureus, ab Andrea Cretensi orat. 2. de dorm. Virgin. Throno denique eburneo Salomonis, a S. Petro Damiani serm. in Nativ. B. Virg. Tertio, figura eius fuerunt mulieres pulcherrimæ, Sara, Gen. 12. Rebecca, Gen. 24. 16. Rachel, Gen. 29. Abigail, 1. Reg 25. Iudith, cap 8. 7. Esther, cap. 2. 15. Iobi filiæ, cap. 42. Iob. Sed hoc singulare fuit, quod non Sara Pharaonem, Iudith Holophernem, aliæ alios ad concupiscentiam carnalem incitabant, sed ad pudicitiam, ut docet S. Thom. 3. dist. 3. q. 1. art. 2. quæstiunc. 1. ad 4. S. Ambr. lib. de inst. Virg. cap. 7. Quarto, Patres omnes docent corpus B. Virginis in sua specie et sexu fuisse omnium perfectissimum, et Suarez tom. 2. in 3. p. ait hoc sine temeritate negari non posse; cum nulla auctoritas vel ratio obstet, et per sese decens, ac mystero Incarnationis maxime consentaneum sit. Gregorius Nicomed. orat. de oblat. sic ait Virginem ipsam alloquens: *O pulcherrima pulchritudo omnium virtutum! o Dei Genitrix pulchrorum omnium ornamentum!* Andr. Cret. orat. de dormit. Virg. *Eximia pulchritudo, a Deo sculpta statua, recte descripta, vivi archetypi imago.*

(Comparatur lunæ, et auroræ, ac soli. Arbori vitæ. Arcæ auratæ. Ferculo Salomonis. Mulieribus pulcherrimis.)

174. Probatur pulchritudo Mariæ.

I. Quia ex eius corpore formandum erat Christi corpus.
Prima ratio huius pulchritudinis corporeæ in Virgine inde petitur, quod ex eius corpore erat formandum corpus Christi: ad divinam ergo providentiam pertinuit, ait Suarez accommodare medium fini, et materiam effectui aptam præparare. Dionysius Carth. lib. 1. de laudibus Virg. art. 3. *Quemadmodum*, ait, *corpus Christi quod Deus supernaturaliter per se ipsum formavit, est perfectissimum atque pulcherrimum in natura, quod fieri potuit secundum statum viæ: sic corpus Virginis ad hoc immediate ordinatum, fuit pulcherrimum secundum statum viæ, quod natura per se operans facere potest; ideo dicimus: quod sicut Christus fuit speciosus forma præ filiis hominum, sic Virgo pulcherrima fuit inter filias hominum: et quod ipsa habuit summum et perfectissimum quod potuit esse in mortali corpore fœmineo secundum statum viæ, operante natura.*

II. Decebat matrem et filium esse similes.
Secundo, conveniens fuit, ut Christus et Virgo essent quam simillimi etiam corpore, ut ex fructu arbor cognosceretur, et maior amor inter utrumque intercederet. Christus est fructus arboris pulcherrimæ. S. Bonaventura in Spec. cap. 44. *Arbor pulcherrima*, inquit, *est Maria: pulchra in foliis oris, pulchrior autem in floribus cordis, pulcherrima vero in pulcherrimo fructu ventris.*

III. Ut venerationem sui ingeneraret.
Tertio, conveniens fuit, ut Virgo excelleret pulchritudine etiam corporea, ut maiorem sui venerationem ingeneraret omnibus, velut ad parentem et dominam accedentibus. Dionys. Carth. in 1. sent. dist. 16. q. 2. *In opusculo*, ait, *quod de laudibus electissimæ Mariæ edidimus, e scripturis fide dignis retuli, et probavi, quod divus Dionysius quadam vice terram sanctam intravit, et Ioannem accessit Apostolum rogans, ut eum ad sanctissimæ Virginis Christiferæ præsentiam et conspectum introducere dignaretur: quo facto illustrissima et honestissima Virgo in tanto splendore, sublimitate et gloria ostensa fuit Magno Dionysio, quod præ stupore ruens in terram defecit; et reversus ad se dixit: Nisi ex ratione et fide cognoscerem invisibilem Deum, non aliam putarem deitatem, quam Virginem hanc sublimem.* Descriptionem eius habet Nicephor. lib. 2. cap. 23. ex Epiphanio Presbytero Constant. Erat, inquit, honesta et gravis, ολιγα και αναγκαια λαλουσα, ταχεια προς υπακοην και ευπροσηγορος, pauca admodum, eaque necessaria loquens et perquam affabilis, honorem suum et venerationem omnibus exhibens, statura mediocri, quamvis sint qui eam aliquantulum mediocrem longitudinem excessisse dicant. Decenti dicendi libertate adversus homines usa est πορρω γελωτος, εξωτε ταραχης, και αοργητος μαλιστα: sine risu, sine perturbatione, et sine iracundia maxime. Colore fuit triticum referente, flavo capillo, oculis acribus, subflavas, et tamquam oleæ colore pupillas in eis habens. Supercilia ei erant inflexa, et decenter nigra: nasus longior, labia florida, et verborum suavitate plena: facies non rotunda, et acuta, sed aliquanto longior, manus simul et digiti longiores. Erat denique fastus omnis expers, simplex, minimeque vultum fingens, nihil mollitiei secum trahens, sed humilitatem præcellentem colens: vestimenta quæ ipsa gestavit, coloris nativi fuere: id quod etiamnum sanctum capitis eius velamen ostendit: ita Niceph. Intellige porro Virginem habuisse colorem tritici, cum maturescit: tunc enim quamdam rubedinem habet admixtam.

(S. Dionysius Areopagita ad conspectum Virginis obstupescit.)

Throno sublimem Deiparam omnes homines, angeli venerantur. Unde additur v. 13. ET FILIÆ TYRI IN MUNERIBUS VULTUM TUUM DEPRECABUNTUR, OMNES DIVITES PLEBIS. Per filias Tyri intellige primo, omnes Ecclesias particulares. Est synecdoche. Secundo, omnes homines, præsertim afflictos, aut per mortificationem se affligentes. Nam צור *tsur*, significat in angustias redigere, affligere. Tertio, filiæ Tyri sunt illi, qui in activa vita occupantur, et laborant. 175.

Per divites plebis accipe, 1. Angelos; 2. Sanctos omnes excellentes, præsertim contemplativos; 3. reges, et principes, ac magnates.

Deipara est honoranda ob tres rationes.
Nota, Deipara est adoranda, id est honoranda atque veneranda propter tres rationes: 1. est extrinseca, quæ in reliquiis, ut in cruce, vel clavis Christi reperitur: sicut enim crux, et Christum tetigit, et instrumentum fuit nostræ redemptionis, ita multo perfectius beatissima Virgo, 1.
et Christum tetigit, et ad nostram redemptionem est cooperata; 2. ratio adorationis eius est intrinseca sanctitas 2. 3.
quam habet; 3. est dignitas matris Dei. Hæc enim dignitas est distincta a dignitate gratiæ, et altioris quodammodo rationis, quam illa. Est autem propria et intrinseca

ipsius Virginis: sive in ea intelligatur esse physice propter relationem realem ad Christum, quæ est in Virgine, sive moraliter: sicut dignitas regis est in rege, quod satis est ad absolutam, et propriam adorationem. Est ergo adorabilis Virgo proptor banc dignitatem, sicut ipsa dixit Luc. 1. 49. *Quia fecit mihi magna qui potens est. Et quia respexit humilitatem ancillæ suæ: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes:* ita Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 22. sect. 2. qui docet sect. 3. si beata Virgo propter sanctitatem gratiæ et gloriæ adoretur, talem adorationem essentialiter eiusdem speciei esse cum adoratione aliorum sanctorum, et ab eadem virtute proficisci: quia excellentia in qua nititur eiusdem speciei est, et eodem modo essentiali Virginem perfecit. Quamquam, quia hæc dignitas excellentior est in Virgine, quam in aliis sanctis; adoratio etiam illi respondens perfectior in eadem specie, magisque illi debita est. Ad quam excellentiam explicandam Theologi hanc Virginis adorationem non simpliciter *duliam*, sed *hyperduliam* vocarunt, quæ vox excellentem duliam significat. Adoratio autem illa, quæ tribuitur Virgini propter specialem matris Dei dignitatem, licet lato modo vocari possit hyperdulia: tamen videtur esse diversæ naturæ, ac speciei a dulia, seu superdulia, quæ in dignitate gratiæ fundatur.

176. *Mariam angeli adorant ut Reginam suam.* His positis, dico primo, Virginem ab angelis adorari tamquam reginam eorum, tamquam in gratia, et gloria excellentissimam, et præcipue tamquam Dei matrem. S. Epiphan. oration. de laudibus Deiparæ: βλεπω ταυτην, inquit, απο αγγελων προσκυνουμενην: *Video illam ab angelis adorari.* Repræsentatum hoc symbolica in throno Dei, ante quem se prosternebant angeli. Apocalyp. 7. 11. *Et omnes angeli stabant in circuitu throni, et seniorum, et quatuor animalium, et ceciderunt in conspectu throni in facies suas: et adoraverunt Deum dicentes, Amen.* Virgo est ille thronus in quo Deus sedem sibi fixit: a S. Ephrem. serm. de laud. Virgin. vocatur thronus Creatoris, a S. Epiph. dicitur thronus Cherubicus, ut supra dixi. Franc. Mayr Scoti discipulus, qui dictus est ob eminentem scientiam Doctor illuminatus, in serm. de creatione animæ Beatæ Virginis, explicans, quomodo sit stella maris, ait circa stellam polarem septem stellas notabiles volvi: ita et matrem Domini dicit habere septem angelos notabiles, qui assistunt eius throno, inter quos est B. Raphael.

Primo, angeli Beati Virginem adoraverunt statim initio suæ creationis, cum illis Christus est propositus adorandus ex ea nasciturus. Secundo, S. Gabriel eam adoravit ferens Incarnationis nuntium. Tertio, eam angeli sæpe visitabant, varia illi obsequia præstabant, et in templo commoranti cibum cælitus afferebant. Quarto, cum corpus Virginis in sepulcrum deferretur, illud hymnis cælestibus honorarunt, et ibi custodierunt. Quinto, in cælum ascendentem comitati sunt. Sexto denique, nunc in cælo eam venerantur. Vide Spinellum nostrum tract. de Maria Deipara, cap. 26. S. Bonavent. in Cantico: *Te*, inquit, *matrem Dei laudamus. Tibi omnes Angeli, et Archangeli, tibi et Throni, et Principatus fideliter deserviunt, tibi omnes Potestates, et omnes Virtutes cæli cælorum, et universæ Dominationes obediunt, tibi omnes Chori, tibi Cherubim et Seraphim existentes assistunt, tibi omnis angelica creatura incessabili voce proclamat, Sancta, Sancta, Sancta Maria Dei genitrix, mater, et virgo.*

177. *Et sancti omnes.* Secundo, speciali amore, et cultu Deiparam prosecuti sunt omnes sancti, de iis locum Psalmi nostri: *Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis*, explicant S. Athanas. ser. de Deipara, et S. Ioann. Damasc. orat. 1. de Nativ. Primo, S. Iacobus Hispaniæ Apostolus, Virgini adhuc viventi sacellum excitaudum curavit. Secundo, S. Ignatius Patr. Antiochen. eam vocat, cæleste prodigium, et sacratissimum spectaculum. Tertio, S. Nicolaus Myræ Episcopus ita coluit Virginem, ut ea illi pallium Archiepiscopale imposuerit, paulo antequam consecraretur. Quarto, S. Edmundus Cant. Archiepisc. coram eius imagine virginitatem vovit, illamque sibi in sponsam delegit, atque annulum, in quo inscripta erat salutatio angelica, digito eius infixit: unde dona singularia obtinuit. Quinto, S. Bernard. serm. de Aquæductu dicit: Filioli hæc peccatorum scala, *hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ:* dicitur lacte eius esse potatus: unde tanta suavitate libros suos aspersit.

Tertio, religionum Fundatores, et ipsi Religiosi Ordines Deiparam coluerunt. De S. Bernard. iam dictum est. Secundo, Carthus. in eius honorem quotidie officium ipsius recitant, præclara visione admoniti, ut est in vita S. Brun. Tertio, S. Domin. Salutationem angelicam ita amabat, ut eam fore semper in ore haberet. Instituit illam præcandi formulam, quæ 15. salutationum angelicarum decadibus constat, id est, 100. et 50. Ave Maria, ideoque Psalter. Virgin. vocatur a pari Psalmorum numero, et Rosarium, quod odorem suavitatis hæc præcatio orantibus, Virgini ac Deo adspiret. Auctor vitæ eius l. 6. c. 6. appellat Ordinem Prædicatorum, *Florigerum hortum manu Virginis plantatum;* lib. 2. cap. 12. asserit, habitum, quo totus Ordo utitur illi datum a Deipara, cum prius uteretur cum fratribus veste Canonicorum Regularium. Et cap. 13. ait, a S. Dominico visam aliquando innumeram Fratrum sui Ordinis multitudinem sub pallio Virginis. Quarto, de S. Francisco dicit S. Bonav. cap. 9. vitæ, indicibili matrem Domini complectebatur amore, eo quod Dominum maiestatis fratrem nobis effecerit, et per eam simus misericordiam consecuti. In ipsa post Christum præcipue fidens, eam sui, ac suorum Advocatam constituit, et in eius honorem a festo Apostolorum Petri, et Pauli, usque ad festum Assumptionis devotissime ieiunabat. Ordo Minorum primo, diligenter in concionibus, et colloquiis propagavit eam precandi formulam, quam Coronam vocant, quæ 63. Salutationibus angelicis constat, interiecta ordine quodam septies oratione Dominica; secundo, acerrime propugnavit immaculatam Virginis Conceptionem. Quinto, S. Ignatius Soc. Iesu fundator a prima sua in Deum conversione Deiparam sibi in peculiarem patronam delegit; 2. ad Montem Ferratum pergens perpetuo castitatis voto sese obligavit, et illud votum Virgini nuncupavit; 3. in Virginis æde, quæ est in Monte Ferrato totam noctem in precibus egit ante aram eius, et ibi arma militiæ sæcularis appendit, vesteque deposita talari, tunicam e rudi sacco induit more pauperis peregrini; 4. Lutetiæ in sanctissimæ matris æde suburbana, quæ est in Monte Martyrum, una cum primis sociis novem, implorato eius auxilio, vota emisit paupertatis servandæ, animarum salutis procurandæ, et Ierosolymam proficiscendi. Societas quoque universa Virgini est devota, quod ostendit præsertim erectione sodalitatum, propugnatione Conceptionis immaculatæ, scriptione librorum in eius honorem, adhortationibus ad eius cultum. 178. *Præcipuo Religiosi.*

Quarto, reges, principes, duces, nationes integræ pietatem suam erga Deiparam multis argumentis ostenderunt. S. Germ. serm. in dorm. Virgin. *Sol, et luna,* inquit, *unius axem circuli illuminant; sed omnis domus, omnis civitas, et regio, tuum ex filii tui lumine lumen exornat.* S. Ioann. Damasc. orat. 1. de Nativ. Virgin. Adeste, inquit, gentes omnes, omne hominum genus, omnes cuiusvis linguæ, ætatis, et dignitatis, πανκοσμιον ευφροσυνης γενεθλιον εορταζωμεν, Orbis universi lætitiæ natalem diem lætis animis celebremus. Generatim loquitur S. Germ. in encomio sanctissimæ Deiparæ: Vos, inquit, sacer Dei populus, sacerdotes inquam, et principes in mundo degentes, solitariam vitam agentes, servi et liberi, opifices et agricolæ, plantarum satores et piscatores, iuvenes et senes, viri, atque mulieres, venite, alacriter Deiparam adeamus. Amplissime loquitur S. Bern. Senens. tom. 1. conc. 61. artic. 1. cap. 6. *Tot creaturæ*, inquit, *serviunt gloriosæ Virgini Mariæ, quot serviunt Trinitati.* S. Bonav. ulterius progreditur: ait enim omnes creaturas possibiles, si actu ponerentur, debituras reverentiam Deiparæ. Verba eius sunt in 1. sententiarum, distinct. 4. *Tanta est*, inquit, *matris Dei dignitas, ut omnes creatu-* 179. *Reges ipsi, ac nationes omnes.*

ræ quantumcumque ascenderent in gradibus nobilitatis, si essent præsentes, omnes deberent reverentiam matri Dei. Cursim orbem lustremus.

180. I. Italia. Primo, Italia Romam urbium omnium reginam offert de qua Andr. Fulv. l. de antiquitatibus urbis Romæ ait, quod in ea urbe, eiusque suburbiis tria millia templorum extitere, in quibus quadraginta essent Deiparæ dicata.

II. Hispania. Secundo, Hispania legatum pro se ad Virginem destinat Iacobum regem Aragonum, qui duo millia templorum, et sacellorum, vel a fundamentis extruxit, vel in illius honorem reparavit, sicut tradit Sauvage in funebri oratione Henrici 2. Lotharingiæ ducis, et Mariana in Hist. Hispaniæ.

III. Lusitania. Tertio, Lusitania pulcherrimas ab omni retro memoria navigationes in ultimas usque orbis partes susceptura, spes omnes suas Imperatricis nostræ ad pedes abiicit, eamque sibi ducem, et præsidem adoptat. Ut enim loquitur Maffæus noster lib. 2. hist. Ind. *Patefacta iam India primum omnium Emmanuel toto Regno supplicationes indixit: dein Mariæ Virgini eius navigationis præsidi exstructam ab Henrico principe ædiculam in ipso aditu portus Olissiponensis miram in amplitudinem extulit, auxitque. Ad eius templi custodiam, et cæremonias, et navalis præsertim turbæ, ducumque animos rite expiandos, eximia sanctitate Monachi acciti e Hieronymiana familia: locus desumpto a Christi incunabulis nomine Bethlehem dictus, in primis totius Hispaniæ, tum structura, tum religione visendus.* Henricus ille fuit Ioannis Lusitaniæ regis filius, qui cælesti monito per quietem sibi facto incitatus anno a Christi nativitate 1410. aliquot instructis, et adornatis navibus aggredi cepit, cæli reginam precatus, ut volens, ac propitia cœptis adesset. Itaque ipsius iussu Navarchi in singulos annos ad remotiora Africæ littora navigantes, oras illas, atque regiones antea ignotas legentes usque ad leænam promontorium singulari Dei beneficio pervenerunt, et viam Evangelio munierunt.

IV. Gallia. Quarto, Francia Clodovæum regum omnium suorum primum, qui fidem suscepit, ad regni sui patronam allegat: Lutetiam ille Metropolim totius regni illi consecrat, unde factum arbitror, ut in tantam amplitudinem excreverit. Ludovicum XIII. vero regem nostrum, non pietate minus quam virtute bellica potentem adiicit, qui non Lutetiam modo, sed regnum etiam universum, subditos omnes, seque ipsum, et Delphinum summo ipsius Deiparæ beneficio sibi datum, eius clientelæ subiiciat: et in perennem eius rei memoriam supplicationes in omnibus urbibus, et pagis institui velit, quod magno animi sensu a populis omnibus præstari cernimus, die Assumptæ in cælum Virginis. Curavit etiam hanc orationem in Missa eo die recitari: *Deus regum, ac regnorum Rex, moderator, et custos, qui unigenitum Filium tuum beatissimæ Virginis Mariæ filium, et ei subiectum esse voluisti, famuli tui Christianissimi Francorum regis, fidelis populi, et totius regni sui vota secundo favore prosequere, ut qui eiusdem se Virginis imperio mancipant, et ipsius servituti devota sponsione consecrant, perennis in vita tranquillitatis, ac pacis, et æternæ libertatis in cælo præmia consequantur.*

V. Germania. Quinto, Germania S. Henricum Imper. et S. Cunegundem eius uxorem offert, qui perpetuam virginitatem ope Deiparæ illæsam conservarent. Cum calumniam passa S. Cuneguudis gemeret, vocem cælitus missam audivit, ne timeret: fore enim, ut illi Deipara adesset: qua voce animata candens ferrum nudis plantis illæsa calcavit, seque incorruptam probavit, ut ait Ribad. in eius vita, 3. dic Mart. Nauclerus rem notabilem refert de S. Henrico, generation. 31. Fertur, inquit, quod semper primam noctem ingrediens urbem Romam solitus fuerit in Ecclesia S. Mariæ Maioris manere. Contigit autem semel, quod dum solitarius oraret, visus sit sibi Christus pontificalibus indutus procedere, missamque celebraturus: quem sequebatur S. Laurentius, et loco subdiaconi Vincentius: post hos Virgo Dei genitrix cum multitudine virginum, et angelorum: dehinc Ioannes Baptista cum Patriarchis, et Prophetis: post hos Petrus, et Ioannes cum cæteris Apostolis, et Evangelistis: S. Stephanus cum Martyribus, S. Martinus cum Confessoribus. Angeli incœperunt introitum: *Suscepimus Deus misericordiam tuam.* Et dum cantaretur: *Dextera tua plena est iustitia,* omnes Christum, et Beatam Virginem imitantes, extenderunt digitos in Henricum: post Evangelium indicibili iubilo angelus librum deosculatum a Christo, præsentavit B. Mariæ, et post eam omnibus per ordinem deosculandum: demum innuit B. Virgo angelo, ut porrigeret librum etiam Henrico ad osculandum, dicens: Præbe ei pacis osculum, cuius mihi virginitas placet: et cum præ nimio gaudio raptus, nesciret ad plenum intendere: Angelus ipsum in nervo tangens, dicit: Hoc tibi erit signum dilectionis Dei propter tuam castitatem, et iustitiam, et exinde usque ad mortem claudicabat: ex quo eventu vocatus est Henricus Claudus.

VI. Hungaria. Sexto, Hungariæ nomine S. Stephan. se, provinciamque universam oblaturus, ad reginam nostram iter intendit. De illo hæc refert Antonius Bonfinius rerum Hungar. decad. 2. lib. 1. *Assiduis D. Virginem precibus exoravit, ut se suumque regnum perpetuo magna mater patrocinio tueretur, cuius tutelæ ac potestati se Hungarosque omnes addixerat, omniaque suorum studia fortunasque dicaverat. Quin etiam illud solemne promulgavit edictum, ut omnes diem B. Virginis, quo inter divos relata fuit, inter celebratissimos haberent, Dominæque diem appellarent, ac cætera eius festa ieiuniis, et singulari solemnitate transigerent. Hanc demum peculiarem sibi pientissimam patronam in cælo, terrisque ducerent. Quin etiam ut eius numen semper Hungaris æquissimum redderet celeberrimam in Alba regali basilicam dicavit, ubi regum corpora reconduntur, ibique ex instituto creati reges diadema suscipiunt. Opus est mirabili sumptu, incrustationibus marmoreis renitens, ubi pavimenta tessellata cernere est, magnificas columnas, aras* etc. Totum regnum suum familiam S. Mariæ dici volebat. S. Gerardus eius suasu factus est Episcopus Canadiensis in Hungaria, is auctor fuit Hungaris, ut nomen ipsum matris Dei non pronuntiarent: sed Dominam vocarent: quod si pronuntiarent illius nomen, statim flexis genibus, et demissis in terram capitibus sese inclinarent. (Notabile edictum S. Stephani regis.)

VII. Græcia. Septimo denique, Græcia Constantinum Imperatorem præclaro cum munere ad Mariam orbis Imperatricem suo nomine venerabundum mittit. Constantinopolim enim, in quam pulcherrimarum urbium, et provinciarum decora contulerat, illi dedicavit, ut ait Nicephor. lib. 8. cap. 26. Iucundissimum est relatu, quod Nicetas Choniata recitat de Ioanne Comneno Imperat. qui de Scythis, aliisque reportata victoria Virgini gloriam omnem attribuit, ipsum audiamus: *Byzantium,* ait, *reversus triumphum indicit, et currum argento interpunctum compingi iubet, opus admirabile, et gemmis alicubi pretiosissimis ornatum: cum dies supplicationis adesset, omnis generis tapetes auro, et purpura intertexti vicos exornabant, nec deerant Christi, et Sanctorum effigies in iis ad vivum expressæ: quadrigæ a quatuor equis nive candidioribus trahebantur: Imperator vero non conscendit, sed Dei genitricis imaginem eo collocavit, ob quam lætitia exultabat, et animo pene linquebatur, cui victorias, et collegæ imperii invictæ acceptas ferebat.* Manuel Comnenus postea hoc ipsum præstitit, ut refert idem Nicetas: Imperator, inquit, tanta victoria lætus, et exultans, Deo gratiis actis post dies aliquot Constantinopolim ingressus, triumphum ducit ab Orientali porta, quæ ad arcem patet, eumque ob insignem, et incruentam victoriam, quam splendidissime, et magnificentissime adornat. Expansæ sunt omnes purpureæ, et auratæ vestes et cives alii aliunde ad pompam confluentes instar torrentis ex monte decurrentis fora, templa, ædes, officinas, et loca alia urbis amplissimæ deseruerunt, sunt et captivi in triumphum ducti: Imperatorem quadrigæ argenteæ, et deauratæ cum equis nive candidioribus præ- (Illustris Mariæ triumphus.)

cedebant, quibus imposita erat imago invictæ adiutricis, et insuperabilis commilitonis matris Dei: ita Nicetas. De variis festis institutis in honorem Deiparæ, vide Suar. t. 2. in 3. part. disputation. 22. sect. 1.

181. Non exterior tantum pulchritudo est in Virgine, sed præcipue interior, ob quam præsertim veneranda est: v. 14. OMNIS GLORIA EIUS FILIÆ REGIS AB INTUS, IN FIMBRIIS AUREIS CIRCUMAMICTA VARIETATIBUS. Hæc dici possunt, Primo, de gloria essentialis beatitudinis Deiparæ, in qua superat omnes angelos, et homines. Hæc propositio est de fide. S. Anselm. de excellentia Virginis cap. 4. *Tota*, inquit, *Christianitas novit, quæ illam super omnes cælos exaltatam, et angelicis choris prælatam, certissime credit.* S. Bernard. sermon. 1. de Assumption. *Quantum gratiæ in terris adepta est præ cæteris, tantum obtinuit in cælo gloriæ singularis.* Suar. mox citatus disput. 21. sect. 3. docet Deiparam videre in Verbo quidquid omnes angeli, et puri homines vident, et quidem omnibus perfectius. Et postea, probabile esse dicit, videre ipsam in Verbo quidquid Deus videt scientia visionis, iis solum exceptis, quæ singulariter ad Christum, et ad interiores animæ eius cogitationes pertinent. S. Bernard. in serm. Signum magnum, tractans illa verba Apocal. 12. *Et mulier amicta sole*, et per illam intelligens Deiparam cum Augustino lib. 4. de symbolo ad Cathecumenos, cap. 1. *Iure*, inquit, *sole perhibetur amicta, quæ profundissimam divinæ sapientiæ, ultra quam dici potest, penetravit abyssum: ut quantum creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur unita.* Probatur id ratione, quia verisimile est, totam multitudinem Beatorum inferiorum Virgine videre omnia, quæ habitura sunt esse in aliqua differentia temporis: his exceptis, quæ ad Christum et Virginis personas spectant. Non quod singuli omnia videant, sed quod dum hi quædam vident, alii alia, tota Beatorum collectio totam rerum collectionem exhauriat: quia revera omnia sunt propter electos: ita ut peccatorum, et reproborum permissio ad bonum prædestinatorum ordinetur. Cum ergo unusquisque videat, quæ ad se spectant, et omnia sint propter illos, omnes videbunt omnia. Sed B. Virgo videt omnia, quæ omnes, et singuli vident; et præterea videt omnia quæ sibi sunt propria. Omnia enim supernaturalia quodam modo per Virginem, et propter Virginem facta sunt, ut Sancti loquuntur. Quia per illam facta est Incarnatio, per quam, seu propter quam facta sunt cætera omnia bona.

Gloria essentialis in Maria maior, quam in ullo alio.

Videt omnia quæ Deus videt scientia visionis.

182. Secundo, gloria interna Virginis, et fimbriæ aureæ circumamictæ varietatibus, intelligi possunt de gloria accidentali: nempe de variis revelationibus, quæ fiunt extra Verbum, de gaudiis, impetrationibus aliquorum effectuum, et aliis eiusmodi quæ Virgo habet perfectius quam omnes angeli, et sancti homines. Item, de aureola Virginitatis, Doctoratus, et Martyrii.

Gloria accidentalis in Maria fuit maxima.

Tertio denique, gloria interna Virginis etiam accipienda est de gratia et ornatu virtutum. Sic explicat S. Ioan. Damasc. serm. 1. de Nativ. *Hæc, ait, fœmina summo regi Deo, tanquam fimbriis aureis circumamictam, virtutum elegantiam offert, Spiritus sancti gratia coronatam, cuius gloria ab intus. Dei enim Genitricis gloria interna est, nimirum fructus ventris.* S. German. in encomio sanctissimæ Deiparæ, ait, in fasciis, seu fimbriis aureis significari, περιτεθεῖσαν αὐτῇ θεόθεν κάλλους εὐπρέπειαν, circumpositum ipsi pulchritudinis decorem per varia Spiritus dona. Eodem in loco vocaverat prius ἀμώμητον νύμφην, sponsam sine macula, sicut Sap. 7. nuncupatur speculum sine macula; et S. Ambros. in eo speculo virtutes omnes considerat, lib. 2. de Virginibus: De qua, inquit, velut in speculo, refulget species sanctitatis et forma virtutis. Andr. Ierosol. Archiepisc. Cretæ, unde Andreas Cretens. sæpe nuncupatur, serm. de salut. Angel. Deiparam vocat, θησαυρὸν ἀκήρατον ζωῆς, thesaurum vitæ immarcescibilis. S. Damascen. lib. 4. de fide cap. 15. virtutum omnium domicilium. S. Petr. Damian. sermon. de Assumpt. Sanctam sanctarum. S. Bern. ind. rationem affert tom. 3. serm. 11. art. 3. cap. 1. *Sicut*, inquit, *filius Mariæ est Sanctus sanctorum: ita constat, quod mater, quæ ipsum portavit, est Sancta sanctorum, in qua ille pretiosus thesaurus, tabernaculum Dei, thronus Dei, atque thalamus Dei.* Rupert. omnia quæ de corporea sponsæ, id est, Deiparæ, pulchritudine dicuntur in Canticis, refert ad Virginis animum. Et lib. 3. in Cantic. advertit septem præsertim in ea laudari: oculos scilicet, capillos, dentes, labia, genas, collum, et ubera. Tum ad rem nostram subtexit: *Laudetur in oculis simplicitas: in capillis, cogitationum munditia: in dentibus, innocentia: in labiis, doctrina: in genis, verecundia: in collo, humilitas: in uberibus tuis admiranda cum fœcunditate virginitas.* Tanta est autem illa mentis pulchritudo, ut S. Epiphan. dicat orat. de laud. Virgin. *Formosior es ipsis Cherubim, et omni exercitu angelico.*

Et gratia, ac virtutes.

183. Fimbrias aureas in charitate considera, in qua Deipara plurimum excelluit. S. Bernardin. t. 2. serm. 51. art. 3. cap. 2. Mens Virginis, ait, in ardore dilectionis continue tenebatur. Method. orat. in Hypapantem, ipsam vocat dilectionis Dei thesaurum. Hug. a S. Vict. apud S. Bonav. in Speculo: Quia, inquit, in corde eius amor Spiritus sancti singulariter ardebat, ideo in carne eius virtus Spiritus sancti mirabilia faciebat: ita ille. Iure eam compares arcæ intus et foris deauratæ, et urnæ aureæ continenti manna. Andreas Ierosol. seu Cretens. sermon. in salut. Angel. χαῖρε στάμνος χρυσῆ: *Salve vena aurea, quæ eum fers, qui dulce manna reddit, et mel a petra ingrato Israeli elicuit.* S. Germ. Patr. orat. in Nativ. Virg. *Salve*, inquit, *vera scala Iacob, mons fumigans, arca Sanctuarii, et undique abscondita aureo, et illustrante Spiritu, ex auro confecta urna Christum manna cæleste producens, et incorruptum universitatis cibum.* Columba est pennis deargentatis et inauratis.

Charitas Virgin. summa.

184. Circumdata est, et circumamicta varietatibus virtutum omnium. Geometra hym. 3. vocat ipsam, virtutum exemplar viridum, et eximium. S. Ioan. Damasc. orat. 1. in Nativ. Virg. Ὅλη, ait πάσης πνεύματος, χαρισμάτων κοινά: Tota Spiritus thalamus, gratiarum pelagus. Et orat. 2. de dormit. Virg. Pretiosus, ait, thesaurus, qui vitam suscepit, et abyssus gratiæ. Idiota lib. contempl. de B. Virg. c. 3. pulchritudinem Mariæ explicat per pulchritudinem olivæ, de qua Eccli 24. columbæ, Cantic. 2. Libani, Cant. 5. cæli, Eccl. 43. ignis operientis tabernaculum, Num. 9. arcus cælestis, Eccl. 43. solis, Sap. 7. Primo igitur olivæ virorem notat in fide sincera. Secundo, columbæ simplicitatem, pulchritudinem oculorum, colorum mutationem, et varietatem circa collum, in humilitate, pulchritudine sanctarum cogitationum, et doctrinæ varietate. Tertio, Libani virgultorum fœcunditatem, et florum candorem, in puritate virginitatis. Quarto, cæli speciem in visione gloriæ, et contemplationis sublimitate. Quinto, ignis ardorem, et splendorem in charitate ardente, et splendente. Sexto, arcus colores in Incarnatione. Septimo denique, solis radios in longa effusione gratiarum in omnes. Sophron. serm. de Assumpt. *Beatam*, inquit, *Dei genitricem, si diligentius inspicias, nihil virtutis est, nihil speciositatis, nihil candoris, gloriæque quod ex ea non resplendeat, et ideo bene circumdant eam flores rosarum, et lilia convallium, ut virtutes virtutibus fulciantur, et formositas decore castitatis augeatur.* S Antonin. 4. p. tit. 15. cap. 17. Beata Maria, inquit, habuit cum angelis virtutes inamissibiles: cum sanctis viatoribus, meritorias: et sic etiam excellentias cunctis habuit. Gerson. serm. de Concept. Virg. *Virtutes*, inquit, *fecerunt, atque formarunt corpus, et animam personæ sanctæ.*

Symbolis variis expressæ eius virtutes.

185. Si virtutes aliquot placet decurrere. Primo, fidem excellentem habuit. S. Cyrill. Alexand. hom. 6. contra Nestorium vocat ipsam, rectæ fidei sceptrum, et normam. S. Ildelph. Toletan. signaculum fidei. Abulensis parad. 1. cap. 3. caput omnium credentium. Secundo, habuit spem eminentem. Eccli. 24. v. 24. dicitur mater pulchræ dilectionis, et sanctæ spei. Tertio, de eius charitate mox dictum est. Quarto, orationis dono excelluit. Unde a S. Ephrem vocatur thuribulum aureum, a S. Germ. Patr. Const. orat. in Nativ. Virg. thalamus nuptialis, domus Dei, templum sanctum, alterum tabernaculum, sacra

Mariæ fides, spes et aliæ virtutes.

mensa, altare, propitiatorium, thuribulum aureum, Sancta sanctorum, Cherubim gloriæ, urna aurea, etc. Quinto, patientia est eximia. Richard. lib. 3. de laudib. Virgin. Sicut, inquit, appellatur Virgo virginum, ita et Matyr martyrum debet appellari. Sexto, de eius temperantia dicit S. Chrysostom. homil. in Hypap. Maria ultra omnem humanæ naturæ modum, modestiam, atque temperantiam excoluit. Proclus orat. 6. αὕτη, ait, ἐγκρατείας ἔνδυμα, ipsa est indumentum temperantiæ. Septimo, a S. Bonav. in speculo 8. dicitur, Maria mansuetissima fuit per lenitatem, patientissima contra omnem adversitatem. Octavo denique, silentium studiose coluit. Dionys. Carth. serm. 2. de Concep. Mariæ. Raro, inquit, ac parcissime loquebatur.

Conclude igitur cum Sponso Cantic. 4. 1. *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet.* Et vers. 3. ait genas eius esse sicut fragmen mali punici, absque eo quod intrinsecus latet.

Deipara se sola est pulcherrima, et ornatissima, maiestatem tamen eius regiam non parum exornat comitatus, qui illi adiungitur: v. 15. ADDUCENTUR REGI VIRGINES POST EAM: PROXIMÆ EIUS AFFERENTUR TIBI.

186. Maria gaudet comitatu virginum. Et v. 16. AFFERENTUR IN LÆTITIA, ET EXULTATIONE, ADDUCENTUR IN TEMPLUM REGIS. Ubi tria declarantur: primo, quinam sint in eo comitatu; secundo, modus, quo ad sponsum pergunt cum sua regina; tertio, locus in quem admittuntur.

I. Quia scit eas placere Filio suo. Ac primo, virginum comitatu gaudet primo, quia scit eas placere filio suo, qui *pascitur inter lilia*. Cant. 2. 16. ubi S. Gregor. Quid per lilia, inquit, nisi mundæ animæ designantur? quæ dum castitatis candorem retinent, per bonæ famæ opinionem proximis quibusque suaviter olent. Inter lilia sponsus ergo pascitur, quia procul dubio animarum castitate delectatur, quæ et in se munditiam carnis conservant, et per nitidas cogitationes coram eo placent, et exempla proximis, quasi odoris suavitatem donant: ita Gregor. inter lilia Christus pascitur, quia Agnus est immaculatus. Virgines autem qui cum mulieribus non sunt coinquinati sequuntur Agnum, Apoc. 14. 4. S. Aug. lib. de S. Virginitate cap. 27. Sequimini Agnum, ait, quia et Agni caro utique virgo. Hoc enim in se retinuit auctus, quod matri non abstulit conceptus, et natus. Lege S. Bern. ad sororem de modo bene vivendi serm. 12. et quæ supra attuli art. 6.

II. Quia est Virgo, et regina virginum. Secundo, virginum comitatu gaudet Deipara, quia ipsa est Virgo, et omnium virginum exemplar, gloria, et regina. S. Iacobus in Liturgia eam vocat, virginum gloriam. 2. S. Ambros. lib. 2. de Virginibus, imaginem virginitatis, et speculum castitatis; atque lib. de institut. Virg. cap. 6. magistram virginitatis. 3. S. Epiph. hær. 78. Principem virginitatis. 4. S. Cyrill. Alex. hom. 6. contra Nestorium, virginitatis coronam. 5. S. Ildelph. serm. 1. de Assumpt. fastigium omnium virginum, serm. 3. exemplar perfectæ virginitatis, serm. 4. caput virginum. 6. S. Chrysolog. sermon. 143. Reginam totius castitatis. 7. S. Ephrem, serm. de laud. Dei genitr. coronam virginum, sanctorumque omnium. 8. Idiota cap. 6. contemplation. Mariæ, virginitatis primipilam. 9. S. Anselm. de excellentia Virg. cap. ult. matrem virginitatis. 10 S. Bernard. homil. 2. super. Missus est, Reginam virginum; et serm. Signum magnum, virginitatis primiceriam; et tract. de passione Domini cap. 31. virginum primiceriam. 11. Albert. Magn. super Missus est cap. 82. virginum matrem. 12. S. Bonaventura in Litaniis B. Virg. virginum signiferam, florem, et decus virginitatis. Et in speculo, cap. 2. primitivam virginum. 13. Alanus in Cant. 4. sigillum virginitatis. 14. S. German. orat in Nativitat. Θεοτόκον παρθενίας θησαύρισμα, thesaurum virginitatis Deum capientem. 15. Palladius serm. in salut. Angel. virginitatis decus. Gratissimum, ait, virginitatis decus veluti rosam suaveolentem ex loco spinoso sibi omnipotens elegit. Sic S. Ildelph. de Virginitate Mariæ, subiungit virginitatem maternitati. Sic enim cap. 10. sanctificationis vas, æternitas virginitatis, mater Dei, sacrarium Spiritus sancti. Et

A S. Anselm. de Concept. Virg. cap. 18. *Decens erat*, inquit, *ut ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret.* Sancti Patres docent ipsa Incarnatione decus virginitatis in ea auctum fuisse. B. Amedeus hom. 4. de laud. Virgin. *In Conceptione*, ait, *virginior, et in partu extitit sanior.* S. Chrysol. serm. 147. *Magis*, ait, *pariendo integritatis argumenta suscepit.* Et S. Fulgent. de laud. Mariæ: *Crevit partu virginitas.* Unde S. Damascen. orat. 1. de dormition. Virgin. dicit illam esse miraculorum abyssum, et officinam.

Tertio, virginum comitatu gaudet Deipara, ut in illis, III.
et per illas virginitatis amorem ingeneret, et illam magis Quia virginitatis amorem vult augere.
ac magis perficiat. Ipso enim aspectu desiderium virginitatis inspirabat, et ad eam servandam vires impetrabat. S. Ambros. in lib. de Institut. Virg. cap. 7. *Tanta erat eius gratia, ut non solum in se virginitatis gratiam servaret, sed etiam his quos viseret, integritatis insigne conferret. Visitavit Ioannem Baptistam: nec immerito integer* B *mansit corpore, quem in tribus mensibus oleo quodam suæ præsentiæ, et integritatis unguento Domini mater exercuit.* Ioannes etiam Apostolus datus est matri in filium, ut cum ea in virtutibus omnibus, et præsertim in puritate cresceret. Guarricus Abbas serm. 4. de Assumpt. *Decebat*, inquit, *ut nonnisi Virgo virgini deserviret, quatenus et Virgo beata divino languens præ amore floribus fulciretur castitatis, et virginitas adolescentis id interim præciperet remunerationis, ut de contubernio proficeret tantæ sanctitatis.* Non tantum cum viveret in terris, sed longe magis, cum regnat in cælis, gaudet propagatione castitatis. S. Ioan. Damascen. orat. 1. de. Nativit. Virgin. Σύ, inquit, ἱερέων καύχημα, χριστιανῶν ἐλπίς, παρθενίας πολύφορον φυτεῦμα: *Tu sacerdotum gloria, tu Christianorum spes, virginitatis feracissima planta. Per te enim virginitatis pulchritudo latissime sese diffudit.* E castissimis enim filii viridariis egressa, late fusas imperii sui provincias Regina virgo, eburneo subvecta curru, cornucopiæ sinistra præferens decurrit, floresque illibatos in circumstantium, et undequaque affluentium populorum sinum effundit: et quocumque infert vestigia, ibi purissima lilia, ibi candidissimi narcis- C si, atque albicantes rosæ, violæ subnascuntur, quæ suavi fragrantia aerem omnem repleant, et recreent. S. Bonav. in speculo, cap. 7. *Odor Mariæ fuit sicut cinnamomum, in cortice conversationis: sicut balsamum interius, in unctione devotionis: sicut myrrha, in amaricatione castigationis: fuit quoque odor Mariæ, sicut cinnamomum in actione, sicut balsamum in contemplatione, sicut myrrha in passione.* Tam grato odore illecti populi ad eam sese aggregant. Sophron. serm. de Assumpt. *Fuit*, inquit, *plena charitate et dilectione: ideo sequitur eam purpuratorum exercitus, et candidatorum grex.*

Quarto denique, virginum comitatu gaudet sponsa, ut IV.
eas adducat ad Regem, et regnum. Collectos enim candi- Quia virgines cupit ad Christum ducere.
dissimarum virginum choros filio suo sistit, neque ab eo divelli patitur, a quo neque ipsa discedit. Sequuntur Agnum, sed post eam: neque enim est ulla, quæ lunæ illi purissimæ candore puritatis æquiparari possit. S. Bern. ad Psalm. nostr. alludens serm. Signum magnum: *Offe-* D *rentur*, ait, *seu adducentur regi virgines, sed post eam: nam primatum sola sibi vendicat.* Albertus super Missus est, cap. 8. Beata Virgo, inquit, est mater omnium in virginitate: quia prima sine præcepto, consilio, vel exemplo virginitatis munus Deo obtulit, per quod omnes virgines per imitationem genuit. Richard. a S. Laurent. lib. 4. de laud. Mariæ: Maria, inquit, dicitur Virgo virginum: quia sicut dicunt Sancti: prima inter cæteras virginitatem vovit: ideo virginitatis signifera, et exemplar. 187.

Modus quo virgines ad sponsum ducit Deipara suavis- Virgines ad Christum eunt cum lætitia.
simus est: *Afferentur in lætitia, et exultatione.* Hæc lætitia oritur primo ex desiderio, et amore sponsi et spe illo fruendi: et ex gratia ab eo effusa in ipsas. Est enim Chri- I.
stus virginum amor, et sponsus fons omnis lætitiæ, a S. Ob amorem sponsi.
Epiphan. oration. de laudib. Mariæ vocatur, Cherubinorum cithara, et exultatio.

Secundo, hæc lætitia et alacritas oritur ab ipsa Deipa- II.

Ob comitatum Deiparæ. ra, quæ ab Andrea Cret. serm. in salut. Angel. vocatur, ἀκατάληπτον χαρᾶς γεννήτρια, indeficientis gaudii mater, a S. German. orat. de Nativ. χαρᾶς προοίμιον, καὶ ἀρᾶς συμπέρασμα, gaudii initium, et execrationis terminus, a Chrysippo Presbyt. Hierosol. Gratia plena, inquit, quia tecum est, χαρᾶς ὅλος ὁ θησαυρός, universus lætitiæ thesaurus, a S. Ephrem de laudib. Deipar. fons totius consolationis, a Ruperto lib. 1. in Cantic. inundatio gaudii, vis amoris, torrens voluptatis, a Richard. a S. Laurentio, vinum lætificans cor hominis. Sic enim lib. 5. *Maria prius aqua purissima, in Spiritus sancti superventione, et Filii Dei Conceptione, quasi conversa est in vinum super omnia post Christum lætificans cor hominis.* Itineris longitudinem, et difficultatem levat suavi cantu, et modulatione: ibi non sentitur labor, ubi nihil est nisi amor et tripudium. Figuratum hoc in Maria sorore Mosis post transitum maris rubri, ac mersum in eo Pharaonem choros ducente, et tympanum pulsante. S. Ambr. lib. de Virginibus: *Tunc,* inquit, *Maria tympanum sumens choros virginales excitabat canentes Domino, quod per mare sæculi sine sæcularibus fluctibus transierant.* Andreas Cretensis illam vocat, χαρᾶς ὄργανον, lætitiæ organum.

III. Ob virginitatis ipsius decus. Tertio denique, ipsa virginitas lætos, et alacres facit euntes ad Christum. Hinc Ioan. Apostol. ad sepulcrum currens antevertit Petrum, quia virgo erat. S. Hieronym. hanc rationem affert lib. 15. in Isaiam, cap. 46. *Qui,* ait, *Petro tardius ambulante, elatus virginitatis alis cucurrit ad Dominum.* Sine sollicitudine sunt virgines, Deum unum quærentes, et amantes, cætera negligentes. Unde Corinthiis ait Paulus 1. epist. 7. 32. *Volo autem vos sine sollicitudine esse: Qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.*

188. Virgines in cælum evolant. Locus denique designatur, in quem virgines ducuntur a Deipara. *Adducentur in templum regis,* hoc est in cælum. S. Cyprian. lib. de discipl. et habitu virginum: *Nuptiæ,* inquit, *replent terram, continentia cælum.* S Chrysostom lib. de virgin. cap. 41. virginitatem ipsam cælum esse ait. Virginitas, inquit, tanto nuptiis præstat, quanto cælum terræ, quanto hominibus angeli antecellunt. S. Hieron. epist. 22. ad Eustochium, virgines ait esse angelos, itaque illis cælum debetur. Sic autem loquitur: Statim ut filius Dei ingressus est super terram, novam sibi familiam constituit, ut qui ab angelis adorabatur in cælo, haberet angelos in terris. S. August. lib. de sancta virginitate, cap. 13. Virginalis integritas, angelica portio est, et in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio.

Secunda ratio, quod in templum regis, id est in cælum, et quidem in augustissimum eius locum virgines deducantur, petitur ex eo quod in terris templum Deo seipsas consecrarunt. S. Athan. lib. de virginit. sub finem: O virginitas, inquit, opulentia indeficiens, corona immarcescibilis, *templum Dei,* domicilium Spiritus sancti, margarita pretiosa, mortis, et inferni profligatrix, angelorum vita, corona sanctorum, etc. Speciatim Deiparam ipsam S. Germ. vocat, orat. in Nativit. ἱερόθεον τέμενος Χριστοῦ, sacrum Christi delubrum. S. Basil. Seleuciæ Episc. orat. 39. Templum vere Deo dignum castitatis aromatibus bene conditum. S. Ambr. lib. de Instit. Virg. cap. 5. templum pudoris, honestatis, puritatis. Andr. Cret. serm. in salut. Angel. κεκαλλισμένον θείας δόξης ἀνάκτορον, ἱεροπρεπὲς βασιλέως παλάτιον, magnificum divinæ gloriæ templum, consecratum regis palatium: thalamum, in quo Christi humanitas desponsata est.

ARTICULUS X.

Maria est mater omnium Christianorum.

189. Ex tribus propositis iam ostendi Deiparam esse Reginam orbis, et sponsam totius Trinitatis, superest ut demonstrem eam esse matrem Christianorum. Nam additur v. 17. PRO PATRIBUS TUIS NATI SUNT TIBI FILII: CONSTITUES EOS PRINCIPES SUPER OMNEM TERRAM.

Et v. 18. MEMORES ERUNT NOMINIS TUI IN OMNI GENERATIONE ET GENERATIONEM.

Maria est mater omnium fidelium ob tres rationes. I. Quia est mater Christi. Primo, Deipara mater nostra est, quia primo mater est Christi, ex quo omnis vita nostra defluxit. S. Athan. serm. de Deipara: Decet, inquit, te matrem regeneratricem, dominam, et heram cognominare: eo quod ex te prodiit Rex Dominus, ac Deus noster. Et S. August. lib. de sancta Virginit. cap. 6. Illa una fœmina spiritu plane mater est membrorum Salvatoris, quod nos sumus: quia cooperata est charitate, ut fideles in Ecclesia nascerentur, qui illius capitis membra sunt, corpore mater est ipsius capitis: ita Augustinus. Sic mater totius populi Israel, tum carnalis, tum spiritalis dicta est, licet unum Isaacum pepererit. Richard. a S. Laur. lib. 2. p. 1. Mater nostra Maria, quæ licet nonnisi unicum filium carnalem genuerit, in eo tamen spiritualis mater effecta est magnæ multitudinis filiorum, quorum primogenitus Christus. Et lib. 6. *Sicut Eva dicta est mater omnium viventium vita naturæ, Gen. 3. sic Maria mater omnium viventium vita gratiæ. Ipsa etiam propter hoc figurata est per Saram, quæ licet nonnisi unicum filium carnaliter pepererit Abrahæ, tamen mater dicta est totius populi Israelitici: unde Isaiæ 53. dicitur Iudæis: Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram, quæ peperit vos.*

II. Quia omnes fideles adoptavit. Secundo, Deipara mater nostra est, quia nos sibi a Christo commendatos, et traditos adoptavit in filios. Christus in cruce moriens, dicit matri suæ Ioannem commonstrans, Ioan. 19. 26. *Ecce filius tuus.* Ac deinde Ioanni: *Ecce mater tua.* In persona Ioannis etiam alios omnes voluit esse matris suæ filios.

III. Quia tenero amore eos amat. Tertio denique, mater nostra est, quia erga nos materna habet viscera pietatis, et misericordiæ. Veluti gallina congregavit pullos suos, post Christi mortem Christianos fovit, aluit, a milvis protexit. Hanc benignitatem, et misericordiam semper conservavit omnibus sæculis. S. Bern. serm. 4. de Assumpt. *Sileat,* inquit, *misericordiam tuam Virgo beata, si quis est, qui invocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse.* Et serm. 2. in die Pentecostes: *Merito,* ait, *in te respiciunt oculi totius creaturæ: quia in te, et per te, et de te, benigna manus omnipotentis, quidquid creavit, recreavit.*

190. Maria Filios suos facit principes. Quæres, quales efficit filios suos Deipara? Resp. eos efficere 1. principes, et reges; 2. memores filii sui primogeniti, nempe Domini Iesu, et eum ore et corde confitentes.

Ac primo, constituit eos principes super omnem terram, et terrenis altiores. S. August. serm. de Nat. Virg. *Facta est,* inquit, *Maria laus Martyrum, norma principum, iustitia regum,* sibi scilicet, ac passionibus suis imperantium. Item, regum, et principum temporalium. Vide dicta art. 7.

Et Christi memores. Secundo, Deipara efficit filios suos memores nominis Iesu, et illi similes. Guarricus Abbas serm. 2. de Nativit. *O mater incorrupta,* inquit, *virgo fœcunda: filius qui datus est tibi, filios tibi dedit, ut sint omnes conformes imaginis eius, et sit ipse primogenitus in multis fratribus. Dilata itaque locum tentorii tui ab ortu ad occasum: quia ad dexteram, et lævam penetrabis, et semen tuum gentes hæreditabit.* Et serm. 1. de Assump. illud 1. Cor. 4. *Filioli mei quos iterum parturio,* considerans ait: Si servus Christi, ait, filios suos iterum, atque iterum parturit cura, atque desiderio pietatis, donec formetur in eis Christus, quanto magis mater Christi? Et Paulus quidem genuit eos verbo veritatis, quo generati sunt prædicando: Maria autem longe divinius atque sanctius Verbum ipsum generando. Laudo quidem in Paulo prædicationis ministerium, sed plus miror, ac veneror in Maria generationis mysterium: ita Guarricus Abbas Igniacensis, S. Bernardi discipulus, qui floruit circa annum Domini 1180.

191. Maria est ab omnibus laudanda. Non tantum nominis Iesu, sed etiam nominis Mariæ memores sint boni eius filii, et confiteantur illi in æter-

num, et in sæculum sæculi. Dicamus illi cum angelo Luc. 1. 27. *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Dicamus cum S. Elisabetha Luc. 1. 42. *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.* Dicamus cum S. Germ. Patr. Const. serm. de dormit. Virgin. Quis te non admiretur, cum sis nobis, ἀμετάθετος ἐλπίς, spes immutabilis, firma protectio, inconcussum perfugium, vigilans tutela, salus perennis, auxilium stabile, patrocinium indubitatum, murus inexpugnabilis, thesaurus voluptatum, hortus non deficiens, arx tuta, vallum undique munitum, valida auxilii turris, portus tempestate iactatorum, malacia perturbatorum, pro peccatoribus fideiubens, desperabundis facilis aditus, ab exilio revocatio, alienatorum reconciliatio, damnatorum restitutio, maledictorum benedictio, ros siccitatis animi, irrigatio marcescentis herbæ: ita Germanus. Prædixit Deipara ipsa fore, ut benedicatur ab omnibus generationibus Luc. 1. 48. Unde Guarricus Abbas sermon. 3. de Assumpt. *De benedictionibus,* inquit, *suis Maria metat, et quæ benedictionem omnium gentium seminavit, benedictionem omnium gentium singulariter accipiat. Beatam me dicent, inquit, omnes generationes. Parum est hoc, Beatam te dicent omnes beatorum spirituum ordines.* Duobus illis divinis choris voces nostras, et animum adiungamus, et Dei Virginem, ac matrem nostram debito amore, atque veneratione prosequamur, ut ab ipsa amemur, et protegamur velut filii.

PSALMUS QUADRAGESIMUS QUINTUS.

1. IN FINEM, FILIIS CORE PRO ARCANIS, PSALMUS.

2. DEUS noster refugium, et virtus: adiutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.
3. Propterea non timebimus dum turbabitur terra: et transferentur montes in cor maris.
4. Sonuerunt, et turbatæ sunt aquæ eorum: conturbati sunt montes in fortitudine eius.
5. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.
6. Deus, in medio eius, non commovebitur: adiuvabit eam Deus mane diluculo.
7. Conturbatæ sunt gentes, et inclinata sunt regna: dedit vocem suam, mota est terra.
8. Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Iacob.
9. Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram:
10. Auferens bella usque ad finem terræ.
Arcum conteret, et confringet arma: et scuta comburet igni.
11. Vacate, et videte quoniam ego sum Deus: exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra.
12. Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Iacob.

PSALMI QUADRAGESIMI QUINTI ANALYSIS.

Propheta noster describit felicitatem Sanctorum.

- In absentia malorum, 2.
  - In hac vita, exultatis tribulationibus, 2.
    - Deo præbente refugium. 2.
    - Robur. 2.
    - Et auxilium. 2.
  - In die iudicii exclusο timore, 2.
    - Cum terra quatietur, et terreni homines. 3.
    - Montes dissilient, et superbi humiliabuntur. 3.
    - Mare infremet, et deliciis dediti ingemiscent. 4.
- Et affluentia bonorum, 5.
  - Gloriæ abundantis in cælo: *Fluminis impetus.* 5.
  - Lætitiæ perennis: *Lætificat.* 5.
  - Concordiæ perfectæ: *Civitatem Dei.* 5.
  - Sanctitatis absolutissimæ: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* 5.
  - Præsentiæ Dei: *Deus in medio eius.* 6.
  - Imperturbabilitatis æternæ: *Non commovebitur.* 6.
  - Auxilii continui: *Adiuvabit eam Deus mane diluculo.* 6.
  - Triumphi de hostibus: *Conturbatæ sunt gentes.* 7.
  - Amoris Dei erga ipsos: *Dominus virtutum nobiscum.* 8.
  - Pacis securissimæ: *Venite,* etc. 9. *Auferens bella. Arcum conteret.* 10.
  - Visionis Dei: *Vacate, et videte: quoniam ego sum Deus.* 11.
  - Amoris et admirationis Dei perfectionem: *Exaltabor in gentibus,* etc. 11.
  - Laudis perennis Dei beneficiorum et excellentiæ: *Dominus virtutum,* etc. 12.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. IN FINEM, FILIIS CORE PRO ARCANIS, PSALMUS.

1. Qua occasione hic Psalmus compositus?

PRÆSENS Psalmus, ait Iansenius, compositus putatur occasione victoriæ Davidi concessæ de omnibus suis circumquaque inimicis regno eius infestis. Aut occasione eius liberationis, qua tempore Ezechiæ regis populum Iudæ, et civitatem Ierusalem Dominus liberavit ab obsidione Assyriorum, plaga magna illos cædens, et suis pacem præbens. Est itaque gratulatio pro insigni aliquo auxilio Israeli, et sanctæ Civitati Ierusalem divinitus collato, propter quod ab ipsis experimento comprobatum auxilium etiam in maximis periculis securos se fore canunt, alias-

que gentes ad considerationem divinæ potentiæ in ipsis declaratæ invitant. Secundum sensum mysticum, Psalmus hic, vox est Ecclesiæ fidelium exultantium in Deo, eo quod illis a persecutione et oppugnatione infidelium iam tandem liberatis pacem universalem præstiterit, Evangelicæ prædicationis voce iniquos, ac superbos dæmones conturbans, et prosternens, gentesque armis contra Ecclesiam depositis, fidei subiiciens. Ita ille, nec improbabiliter: licet S. Ambros. Hieron. August. Basil. Chrysostom. tantum dicant hic agi de liberatione Ecclesiæ a persecutionibus infidelium. Non enim excludunt typum, seu figuram, qua id repræsentetur.

2. Mysticus sensus est de Ecclesia in cælo triumphante.

Nota, hic Psalmus recte præcedenti subiungitur: quia in illo actu erat de Ecclesiæ, et Christi desponsatione: nunc agitur de liberatione a persecutionibus, et exaltatione ad gloriam æternam.

3. Varietas versionum.

Nota secundo, in titulo habent Septuaginta interpretes, υπερ των κρυφιων, id est, *pro occultis*, ut legit S. Augustinus: *pro arcanis*, ut Noster. Et quidem vox עלמות *alamoth*, quæ est in Hebræo, deducitur ab עלם *alam*, id est occultavit; itaque potest significare occulta; 2. Aquila vertit, υπερ νεανιοτητων, id est *pro iuventutibus*, ut reddit S. Hieronymus; 3. alius apud S. Chrysost. habet, υπερ νεοτητον, id est, *pro iuvenculis*, ut vertit Flamin. *pro virginibus*, ut Bredembachius. Vox enim Hebr. *alma* est virgo adhuc occulta viro, quæ in paterna domo adhuc clausa teneatur; 4. Symmach. reddit. υπερ αιωνιων, hoc est pro æternis. Sumpsit *alamoth* ab עולם *olam*, id est sæculum, æternitas.

4. Arcana varia hic sumi possunt.

Quæres, quænam sunt hæc arcana, seu occulta? Resp. primo, Ugo multa proferens: Arcana sunt, inquit, quod Deus homo sit, cum dicat Oseæ 11. 9. *Ego Deus, et non homo;* 2. quod salus promissa utrique populo, cum tamen

I. dicat Matth. 15. 24. *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel;* 3. quod Apostoli transierunt ad gentes, cum tamen dictum sit eis Matth. 10. 5. *In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis;* 4. quod pax fuit in terra tempore Nativitatis Christi, cum tamen dicat Matth. 10. 34. *Non veni mittere pacem sed gladium:* hæc Ugo: quæ postea in Psalmo reperire conatur, sed subtilius.

II. Secundo, *pro arcanis*, id est, pro occulto auxilio dando in tribulationibus Ecclesiæ: ita S. Ambros. ait enim: *Dicitur in tribulatione invocasti me, et liberavi te, et exaudivi te in abscondito tempestatis, probavi te in aqua contradictionis. Est enim quædam in tribulationibus interna peccatorum sæva tempestas: quando foris pugnæ, intus timores. Est aqua contradictionis, quando velut quodam maritimi salis æstu fluctuant nostræ cogitationes, nec ulla in profundo mentium definitionis stabilitate placidantur. Tunc tempestas in abscondito, tunc aqua contradictionis, quæ solo potest Christi sermone sedari, quo peccata nobis nostra dimittit, secundum quod ipse dignatus est dicere: Ioan. 15. 3. Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. Loquere Domine Iesu: verbum tuum medicina est, verbum tuum lumen est, verbum tuum nostræ colluvionis ablutio est, verbum tuum fons est. Tu loqueris et culpa lavatur. Et quia de abscondito tempestatis, et de aqua contradictionis ductus est sermo, omnia nobis factum est Dei verbum: Caro factum est, ut carnem servaret. Aqua factum est, ut aquam contradictionis sua gratia temperaret, et amaritudinem impietatis auferret. Ideoque scriptum est Prov. 18. 4. Aqua alta verbum in corde viri. Hoc verbum sit in occultis, ubi diabolus insidiatur: intret verbum, exeat diabolus.*

III. Tertio, *pro arcanis*, id est, pro occulta Dei sapientia percipienda, et mysteriis dignoscendis. S. Ambros. *Quærent me mali,* ait, *et non invenient. Ideo Abraham puteum fodit, ut aquam qui quæreret, inveniret. Ideo puteum fodit Isaac. Ideo Dominus Iesus sedebat ad puteum: erat autem ibi fons Iacob. Sedebat ad puteum, ut quæreret. Fons ibi est, ubi Christus est. Fons est, ut aquæ superfluant requirentibus: quo et universæ carnis vel flagitia diluantur, vel restinguantur incendia. Hæc ergo est altitudo sapientiæ et scientiæ Dei, ut mali eam non inveniant, boni atque in eius acquirendæ studio, et meditatione versentur. Vis scire quam verum sit? Audi sapientiæ ipsius verba, Luc. 11. Petite, et dabitur: quærite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis. Pulsa ergo ianuam, quia Christus est ianua. Pulsa ostium verbi, ut aperiatur tibi ad eloquendum mysterium Christi, et absconditos in Christo sapientiæ possis invenire thesauros. In ipso nobis sapientia, in ipso vita nostra abscondita est; sicut Paulus asseruit, qui usque ad tertium raptus est cælum, ut audiret ea quæ homini non licet loqui. Quanta occultorum est disciplina? licet scire homini, et non licet loqui:* ita Ambros. Hinc in Psalmo nostro dicitur, *Vacate, et videte*, q. d. Nisi vacetis, non videbitis.

Quarto denique plene, et adæquate, *pro arcanis*, id est pro mysteriis vocationis Gentium, spiritualium, et corporalium inimicorum electione, atque in abyssum depressione, et proborum exaltatione et recreatione in Paradiso, ubi fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Hæc autem omnia erant arcana Iudæis qui gentes abominabantur, et a salute reiiciebant. Deinde nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ Deus revelavit diligentibus se. IV. Et optime.

Nota. Deus voluit mysteria sua esse occulta, 1. quia sunt supra captum hominis, ideo scrutator maiestatis opprimetur a gloria; 2. quia occultatio venerationem auget, atque cognoscendi desiderium; 3. quia sic gratiora, et suaviora sunt iis, quibus revelantur, velut amicis; 4. quia illa revelatio est præmium perfectioris virtutis. Sola sponsa admittitur in cellaria sponsi, id est, in mysteria Incarnationis, Passionis, Crucis, et Resurrectionis, ut explicat S. Ambros. serm. 1. in Ps. 118. ad v. 7. et 8. *Introduxit eam,* inquit, *Rex in omnia interiora mysteria, dedit ei claves, ut aperiret sibi thesauros scientiæ Sacramentorum, clausas antea fores panderet, cognosceret quiescentis gratiam, defuncti somnum, virtutem resurgentis.* Et in Psalm. nostr. notat. Mosi, et Iosue solis in Sinai patuisse ascensum, et solis Petro, Iacobo, et Ioanni in montem Thabor, ut ibi perciperent divina mysteria. In occultis, ait, cordis nostri occulta sapientiæ recondamus, non temere aliquibus divulgemus, nisi Sacramentorum consortibus, quos Dominus vocavit ad gratiam suam, qui se in abscondito vult rogari, quoniam solus est, qui abscondita et occulta cognoscat. Denique ipse Dominus Iesus ad percipiendam legem solum Mosem, non absque Iesu tamen, in montem voluit ascendere. In Evangelio quoque Petro, Ioanni, et Iacobo solis ex omni numero discipulorum resurrectionis suæ gloriam revelavit. Ita occultum suum voluit esse mysterium: et admonebat frequenter, ne cui facile quæ viderant, annuntiarent, ne offendiculum quisquam subiret infirmior, qui vim Sacramentorum fluctuanti ingenio haurire non posset. Denique ipse Petrus nesciebat, quid diceret, qui tria tabernacula Domino, et servulis crederet esse facienda. Deinde fulgorem gloriæ Domini transfigurantis se sustinere non potuit: sed in terram cecidit, ceciderunt et filii tonitrui Iacob, et Ioan. et nubes operuit eos: nec potuerunt surgere, nisi postquam Iesus venit, et tetigit eos, et iussit ut surgerent, et formidinem sequestrarent. Introierunt ergo in nubem, ut abdita et occulta cognoscerent: atque ibi audirent vocem Dei. Hactenus Ambros. Vide a me dicta in tit. Ps. 9. qui sic habet, *In finem pro occultis filii.*

5. Deus voluit mysteria sua esse occulta, et cur?

DIVISIO TOTIUS PSALMI

Duo continet hic Psalmus. Primo, docet Ecclesiam ope Dei a tribulationibus huius vitæ ereptam, securam fore in tremendo die extremi iudicii, vers. 2. Secundo, ubertatem gaudiorum ab eadem Ecclesia in cælo percipiendorum declarat, vers. 5.

SECTIO PRIMA.

6. *Tria præstat. Primo, ait Deum esse refugium, virtutem, et adiutorem Ecclesiæ in tribulationibus, vers. 2. Secundo, Ecclesiam, seu congregationem Sanctorum futuram sine metu in die iudicii, vers. 3. Tertio denique, impios in eodem die iudicii summo terrore esse concutiendos, vers. 3. et 4.*

PARAPHRASIS.

2. *Deus noster refugium, et virtus: adiutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.*

2. Asylum nobis tutissimum est Deus, quem adoramus: est etiam infractum robur, ut fortiter, atque alacriter pugnemus: cingente nos, atque undique premente tribulationum agmine, adiutor est: ut ab illis nos expediat, et post multos sudores victoribus coronas largiatur.

3. *Propterea non timebimus dum turbabitur terra: et transferentur montes in cor maris.*

3. Propter illud auxilium cæleste imperterriti erimus, si vel ab imis sedibus terra convellatur, et crebris concussibus intremat, quod in die iudicii continget: et subsultante terra hac illac disiecti montes in maris abyssos dissilient, ut concava hæc antra repleant terra.

4. *Sonuerunt, et turbatæ sunt aquæ eorum: conturbati sunt montes in fortitudine eius.*

4. Adveniente Iudice, qui hominem orbis dominum excutiat, undæ montibus præsertim vicinæ terribili murmure immugient, et ad cautes allisæ turbabuntur: vel firmissimis innixi radicibus, et durissimis rupibus obfirmati montes, diffringentur, et loco movebuntur: mari vehementer illos quatiente.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta securitas iustorum, et perturbatio impiorum in die iudicii.

7. Cum finis huius Psalmi sit ostendere felicitatem sanctorum in cælo, prius ait eos fore securos in die iudicii, et in tribulationibus huius vitæ.

Primo enim, Deus piis est arx tuta, v. 2. *Deus noster refugium;* 2. robur contra insultantes: *et virtus;* 3. auxiliator contra oppressores: *adiutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis.*

Secundo, hinc sequitur securitas piorum, v. 3. *Propterea non timebimus.* Etiam in die iudicii, cum omnia conturbabuntur. Primo, terra per agitationes, et concussiones terrificas: *dum turbabitur terra.* Secundo, montes loco emoti: *et transferentur montes in cor maris.*

Tertio deinque mare commotum, quod 1. infremet, v. 4. *Sonuerunt;* 2. conturbabitur, et spumabit: *et turbatæ sunt aquæ;* 3. denique montes disiiciet: *conturbati sunt montes in fortitudine eius.*

ARTICULUS I.

Iustus Deo adiutore fretus non timet.

Multi sunt hostes iustorum, sed unus Deus in omnes sufficit. Ecclesia itaque, id est multitudo, et congre-
Vers. 2. gatio fidelium, de victoria secura exclamat, v.2. Deus noster (hinc patet plures loqui) refugium et virtus: adiutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis.

8. Nota primo, pro *refugium* Hebr. est מחסה *machse*, id est primo spes. Hinc S. Hieron. vertit, *Deus nostra spes.* Camp. Deus fiduciam nobis suppeditat. Secundo, *machse* est tegmen, receptaculum, refugium, hospitium: unde Sept. vertunt, καταφυγη, id est locus, ad quem in fuga quis tutus sit. Noster Flamin. Felix et alii, *refugium.* Rad. *chasa*, sperare, tegere, hospitio excipere. Magnet. reddit, nos Deus excepit profugos. Chald. רוחצנא *rochetsana* significat fiduciam, confidentiam, a rad. *rechas* speravit, con- A fisus est, fiduciam collocavit. Syr. בית גוסן *beth gausan*, id est domus refugii. Rad. *ghevas*, id est fugit, confugit: bona domus et civitas refugii est Deus, latus et manus aperiens. Adverte porro Syr. et Arab. iungere refugium cum sequentibus. Arab. enim habet, *Deus tu es refugium nostrum munitum.* Syr. *Deus noster refugium nostrum* עצינא *atsina, forte*, robustum, munitum. Petavius reddit, φυξιμον εσθ'ημων ειλαρ Θεος, tutum est munimentum nostrum Deus. Sic erit hendiadys, refugium, et virtus, id est refugium virtuosum, bene munitum. Salomon ait Proverb. 18. 10. *Turris fortissima nomen Domini, id est Dominus* ipse. S. Chrysost. in Psal. nostr. præ illo refugio sapienter omnia alia reiicit: *Ne mihi*, inquit, *dixeris arma, muros, fossas, nec pecuniæ copiam, nec rei militaris scientiam, nec æquorum multitudinem, nec arcus, sagittas et loricas, nec sociorum vires, neque militum phalanges, neque robur corporis, et hostium experientiam,* παντα ταυτα αραχνης και σκιας αδρανεστερα, *sunt hæc omnia araneæ tela et umbra imbecilliora. Sed si velis videre* αμαχον δυναμιν, B *copias inexpugnabiles, refugium insuperabile, præsidium quod non potest diripi, turrim quæ labefactari non potest, ad Deum fuge, vires illas attrahe.* S. Basil. iuste arguit meticulosos, et remediis humanis nimis servientes, qui cum tribulatione aliqua conflictantur, ad omnia potius quam ad ipsum Deum nostrum accurrunt. Ille solus nos ex omni parte munire potest. Est, ut hic Apollinaris vertit, ερκος εμον, *septum meum*, quod scilicet undique nos vallat, et circumcingit. Nos sumus oves pascuæ eius.

Nota secundo, pro *virtus* Hebr. est עז *oz*, id est fortitudo, 9.
robur. Hoc etiam significat Chald. עושנא *utsna*. Non erat Et forte.
satis dixisse Deum esse refugium, nisi additum esset robur quoque et fortitudinem esse. Ut enim hoc loco ait S. August. *Sane quædam refugia, ubi non est virtus, quo quisque cum fugerit, magis infirmatur, quam confirmetur. Confugis verbi gratia ad aliquem in sæculo magnum, facias tibi potentem amicum, refugium tibi videtur, tanta tamen huius sæculi incerta sunt, et ita potentum ruinæ quotidianæ crebrescunt; ut cum ad tale refugium confugeris, plus ibi timere incipias.* Baculus sunt arundines Æ- C gypti, cui qui innixus fuerit manum suam cruentabit il-

lius fractione, et in terram concidet; unde subdit idem sanctus Pater: *Antea causæ tuæ tantum timebas: cum vero ad talem refugeris, et de illo tibi timebis. Multi enim cum ad talia refugia confugissent, cadentibus illis ad quos confugerunt, et ipsi quæsiti sunt: quos nemo quæreret, si non ad talia confugissent. Non est refugium nostrum tale, sed refugium nostrum virtus est: cum illuc fugerimus, firmi erimus.* Ad foramina petræ hericiis fugiendum est, ad Christi vulnera Christianis: ibi asylum, ibi virtus. 1. Corinth. 1. 23. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum: Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Iudæis, atque Græcis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam. Tanta est humanæ imbecillitatis* tenuitas, ut bracteola venti indice sit ad flatum omnem mutabilior, flexibilior arundine, vitreis testis fragilior: neque vel levissimum hostis insultum firmo, et stante vestigio possit sustinere: si ad magnates veluti rupes, instar polypi quis adhæserit, rupe dislecta in fluctus revolvitur, Deo opus est ad stabilitatem, et immobilitatem, eo iuvante nihil timendum est. S. Chrysostomus in v. 8. Psalmi nostri, illud expendens, *Dominus virtutum nobiscum*, ait: μη ταραττεσθε εχοντες αμαχον δεσποτην: *Ne conturbemini, cum habeatis Dominum inexpugnabilem.* In ipso die Iudicii fortitudinem illam suam pro iustis Christus exeret, sicut Ioel prædixit cap. 3. v. 15. *Sol,* inquit, *et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum, et Dominus de Sion rugiet, et de Ierusalem dabit vocem suam, et movebuntur cæli, et terra: et Dominus spes,* (id est complens spem) *populi sui, et fortitudo filiorum Israel.* Sap. 5. 1. *Tunc stabunt iusti in magna constantia* (Syr. et Arab. cum magna fiducia. Dionys. explicat, cum magna securitate, et insuperabili fortitudine) *adversus eos, qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt* (auferre voluerunt. Græce αθετουντων, id est qui pro nihilo duxerunt) *labores eorum,* credentes eos carituros mercede.

10\. *Deus iuvat in tribulatione.* Nota tertio, pro *adiutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis*, nunc in Hebr. est נמצא מאד *nimtsa meod*, id est, inventus nimis, ubi adverte το *nimis* posse ad duo referri. Primo ad το *adiutor*, q. d. Deum in tribulationibus omnium esse tam sedulum, et potentem adiutorem, ut supra quam necesse sit, auxilium ferat, ut illud det superabundanter, et superfluenter. Hinc S. Hieronym. vertit: *Auxilium in tribulationibus inventus es validum.* Felix, inventus es valde. Camp. Auxilium indicibile in tribulatione repertus es. S. Chrysost. illud nimis, inquit, aut valde: attribuendum est ei, quod est adiutor. Neque enim leve, sed insigne fert auxilium, plus præbens solatii ex ope lata, quam sit suscepta molestia ex afflictionibus. Secundo tamen, et melius, το *nimis* refertur ad το *invenerunt*, q. d. Deus adiuvat etiam in vehementissimis, et frequentissimis, quæ nos nimis inveniunt, et premunt.

11\. *Vita hominis est miserrima.* Nota quarto, το *invenerunt* denotare 1. quod tribulationes nos quærunt; 2. quod velut ex improviso non cogitantes, et latere se putantes, aut saltem optantes invadunt; 3. το *nimis* denotat varietatem, et gravitatem tribulationum, deinde virium nostrarum imbecillitatem. S. August. exponit de afflictionibus, tum externis, tum præcipue internis, afferam aliqua eius verba art. seq. Sophocles, ait hominum genus esse ταλαιπωρον ærumnosum, ac miserum. Homo enim quilibet est πληον πωρον, ferens calamitates luctuosas. *1. Enim, nemo caret miseriis.* Primo, nemo est sine afflictione. Simonides ait, ne heroas quidem, et semideos Deorum filios vitam vixisse sine labore. Hoc patet in Hercule, Theseo, Achille, et cæteris. Batho in Æthlolo, dicit esse τερας, id est miraculum, si quis ευτυχει δια βιου in vita omni felix est. Euripides in Thyeste: Si, ait, absque laboribus, et molestiis mortalis natus, te victurum putas, μωρος ει, *stultus es.* Sophocles in Mysis, asserit nullum absque labore vivere: felicissimum autem esse, cui minimum obtigit. *2. Plures sunt miseriæ quam felicitates.* Secundo, ut monet Philemon, paucioribus gaudiis fruimur, quam dolore et molestia. *3. Sunt gravissimæ.* Tertio, calamitates, quæ nos premunt, sunt gravissimæ. Menander vocat hominum vitam τυφλον και δυστενον, cæcam, et infelicem. Simonides dicit, esse infinitas mortalium sortes, et ανεπιφραστους δυας, inexplicabiles calamitates. Sophocles, hominis vitam omni tempore transmutari per malorum, ποικιλομητιδας ατας, varias et versutas afflictiones. Homerus inclamat, nihil esse miserius homine. Palladas in Epigr. vitam hominum nuncupat σκηνην και παιγνιον, scenam, et ludicrum. Ibi enim quotidianæ cernuntur tragœdiæ. Antiphon, sive Antiphanes, vitam comparat, φρουρα εφημερω, carceri unius diei. Quarto, non tantum graves, sed continuæ etiam sunt hominum calamitates. *4. Pene continuæ.* Clitomachus, nihil, inquit, in rebus humanis stabile est, sed omnia feruntur, φορα τινι παραλογω, temerario quodam motu. Hermolaus, ait, incertam esse totam vitam, nihil fidum, et stabile continere, errare in fortuitis eventibus, spem tamen fovere animum. Quemlibet hominem iure conferes naviganti, qui, ut dicebat Bias, neque inter mortuos est, neque inter vivos. Nam vita nostra semper in dubio, et incerto est. Philemon in Ephebo, se infeliciorem ait esse eo, qui tempestate iactatur. Non enim, inquit, per unam diem tempestate agor, sed per totam vitam: et magis magisque semper molestiæ crescunt. Hippodamus Pythagoricus, in lib. de republica: Omnia mortalia, inquit, propter necessitatem naturæ, εν μεταβολαις κυλινδειται, in mutationibus volvuntur. Palladas in Epigrammat. Græcis, πλους, ait, σφαλερος το ζην: *Vita est navigatio periculosa, tempestatibus enim oppressi in ipsa sæpe miserabilius ipsis naufragiis afficimur. Fortunam vero gubernatricem habentes vitæ, tamquam in pelago dubii navigamus.* Quinto, calamitates nulli hominum ætati parcunt. *5. In omni ætate.* Teles. lib. de vita, seu in tractatu, quod voluptas non sit finis: Sic ait, ex maiora voluptatum numero felix vita appellanda est; nullus, ut dicit Crates, felix fuerit. Sed si quis omnes vitæ ætates per se consideret, longe plus dolorum inveniet. Primum enim totius temporis dimidium, quo somnus capitur, indifferens est: deinde quantumcumque temporis circa infantiam insumitur, laboriosum est. Esurit infans, a Nutrice sopitur: sitit, lavatur: dormire vult, Nutrix quatit crepitaculum. Ubi iam Nutricem effugit, assumit ipsum pædagogus, pædotriba, Ludimagister, Musicus, Pictor. Adultior fit, accedit Arithmeticus, Geometra, equitandi Magister: ab omnibus istis cæditur, diluculo excitatur, nullum otii tempus habet. Ephebus est factus, rursus moderatorem metuit, pædotribam, hoplomachum, gymnasiarcham: ab istis omnibus flagris afficitur, observatur, cruciatur. Ex ephebis excessit, et annos iam natus est viginti, adhuc metuit et observat. Excubare sicubi oportet, illi excubant: custodiendum aut vigilandum est, illi custodiunt: in naves intrandum, iidem intrant. Virilem deinde ætatem et vigorem assecutus, militat, legationes obit nomine civitatis, exercitum ducit, præest choro, certaminibus et præmiis constituendis præficitur, interim vero laudibus extollit vitam suæ pueritiæ. O grata mihi iuventus! το δε γηρας βαρυτερον Αιτνης, senectus vero est onus Ætna gravius. Itaque non video, quomodo quisquam felicem ætatem vivere possit, si pro voluptatum abundante numero metienda sit: ita Teles. Lege Platonem in Axiocho hæc amplificantem. Sexto, calamitates in omni loco occurrunt, et reperiunt, quos quærunt. *6. In omni loco.* Posidippus, sive Crates, Cynicus: In foro, inquit, sunt lites, et actiones molestæ: in ædibus autem curæ: ruri labores nimii: at in mari, timor est: in peregrinatione, si quid habes, metuendum: si nihil, molestum est. Septimo denique, nullum est vitæ genus, quod homines a calamitate eximat: *7. In omni statu.* idem Iosidippus, seu Crates: Nuptus es, ait, non sine curis eris: non ducis uxorem, eo magis solitariam vitam agis. Liberi pariunt dolorem: orbitas, vita est sine liberis iniucunda: iuventus stolida est, senectus vero infirma. Sotades dicit, quemlibet bonum, ingeniosum, iustum, fortunatum, invidiæ portionem aliquam φθονου μεριδα, accipere oportere, et reprehensionem incurrere. Prædives est quispiam, inquit, aliquo laborat affectu. Pius est, paupertatem patitur. Bonus est artifex, mundus ipsum reddit infortunatum. Etsi vel maxime iustus iudex aliquis fuerit, oportet tamen i-

psum a natura superatum appellari iniustum. Dives est, magnam ruinam metuit. Robustus, morbum experiri timet. Unius certe diei indolentia, magnum lucrum est: ita ille. Hinc conclude primo cum Menandro, homo, satis magna ad calamitates causa. Diphilus ait: Homo sum. Id ipsum autem vitæ maximam dolendi causam fert. Simonides dicit, hominem esse ζωον ἀθλιωτατον, miserrimum animal, quod plerisque tandem frustratur, et semper laborat. Secundo, hinc Sotades vocat mortem, μεροπων λιμενα, mortalium portum: indicans vitam esse mare agitatum. Causiani nascentes lugent, mortuos autem beatos reputant. Herodot. in Terpsicore refert, quod apud Trausos edito puero, propinqui eum circumsidentes cum ploratione prosequuntur, recensentes quascumque necesse est illi, quod vitam ingressus sit, perpeti humanas calamitates. Hominem mortuum, παιζοντες και χαιρομενοι, *ludentes et læti* terræ demandant, referentes quod malis liberatus, in omni sit felicitate.

12. Vers. 3. Omnibus turbatis vir pius non turbatur. Ex hoc Dei adiutorio est consequens, ut vir iustus non timeat, v. 3. PROPTEREA NON TIMEBIMUS, DUM TURBABITUR TERRA, ET TRANSFERENTUR MONTES IN COR MARIS. De turbatione terræ, montium et maris dicetur art. seq. de securitate viri iusti ob præsens auxilium Dei, vide dicta Psalm. 22. 4.

S. Chrysostom. sensum esse vult, q. d. Etiamsi creaturæ omnes inter se collidantur, et universus orbis confundatur, solus tamen vir pius non timebit: *Terram autem hic*, ait, *et montes*, *et cor maris*, *non dicit elementa*, *sed eorum nomine intolerabilia pericula significat. Etsi omnia, inquit, videamus confusa, etiam si perturbationem plane intolerabilem, etsi ea omnia evenire quæ nunquam facta fuerunt; etiamsi ipsam, ut ita dicam, creaturam cum seipsa collidi, et ipsius naturæ terminos moveri, et omnia ex ipsis convelli fundamentis, et prima elementa confundi, et omnium denique rerum maximam fieri perturbationem, non modo non vincemur, sed ne timebimus quidem. In causa autem est quod omnium horum Dominus opem fert, manum porrigit, et assistit. Si vero vel his evenientibus minime cederemus, nec molles, aut ignavi redderemur: multo magis si nos inimici invadant, et in nos aciem dirigant.* In agitatione maris non timebit iustus. Ps. 54. 23. *Non dabit in æternum fluctuationem iusto.* Neque in concussione terræ. Hoc Christus promittit, ubi narratis bellis, commotionibus terræ, obtenebratione solis, lunæ et stellarum, signisque aliis iudicium præcessuris, subdit: *His fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra*, Lucæ c. 21. v. 28.

13. Vita est concordia. Vita nostra plena est tribulationum, et tragœdiarum, ut vidimus, sed vir Deo roboratus, omnia contemnit. Synesius eam comparat comœdiæ, ubi persona sua cuique recte agenda est. Verba eius sunt lib. 1. de providentia: *Sicut in cœna tragœdus quamcumque ei personam fabulæ choragus imponit, hanc eum belle agere postulat, ita Deus nobis, et fortuna diversa vitæ genera, quasi personas quasdam in hac ingenti mundi fabula induit: neque unius conditio, quam alterius quidquam est vel melior, vel deterior. Eam unusquisque gerit ut potest. Potest autem vir bonus omni loco se recte gerere, sive mendicum ille, sive regem agat. Neque de persona altercari solet. Nam in tragœdo ridiculum fuerit, hanc illum refugere, aut alteram eligere. In aniculæ enim persona, si placeat, corollas et præconia consequitur: contra vero, si in regia se turpiter det, explo-ditur et exsibilatur: nonnunquam etiam lapidibus petitur.*

Et ludus tesserarum. A Platone vita nostra, præsertim adolescentia iam libera, confertur ludo tesserarum, seu ludo aleæ, ubi iaciendum est, quod sit commodum, et iactu quod cecidit recte usurpandum: et iacere quidem hanc aleam non esse in nostra potestate, sed Dei, fati aut fortunæ. Si autem recte sapimus, penes nos esse, quæ fortuna obtulit convenienter accipere, et suo quoque disponere loco, ubi et propria maxime conducant, et quæ præter voluntatem eveniunt, minime offendant.

14. S. Gregor. lib. 12. Mor. cap. 21. virtutem ait esse arcem fortitudinis, ubi vir pius nihil timeat: *Nil*, ait, *simplici corde felicius, quia quod innocentiam erga alios exhibet, nihil est quod pati ab aliis formidet. Habet enim quasi arcem fortitudinis, simplicitatem suam. Nec suspectus est pati, quod se fecisse non meminit. Unde bene per Salomonem dicitur: In timore Domini fiducia fortitudinis. Qui et rursum ait: Secura mens quasi iuge convivium. Quasi enim continuatio refectionis est, ipsa tranquillitas securitatis.* Et S. Ambros. in Ps. 39. Quis, ait, puritate pectoris dulcior fructus? Quis cibus suavior, quam is, quem animus bene sibi conscii, et mens innocentis epulatur? Hinc illud: Secura mens quasi iuge convivium. Simplicitas est interrita.

Tropolog. S. Ambros. etiam in Psalm. nostr. per terram intelligit corpus, et eius passiones, quas Deo fretus vir bonus non timet: *Plerumque fit*, inquit, *ut in gravioribus, et asperioribus certaminibus coronemur: quia lacrymis, et gemitibus, et orationibus frequentioribus æternæ opem nobis divinitatis adsciscimus: quo fit, ut non timeamus, cum terra nostra turbatur, et transferuntur montes: quia si tu pro nobis, quis contra nos? Timere non possumus fragilitates istius carnis, quæ timore, ac metu frangitur, inflammatur cupiditatibus, luxuria mollitur, deliciis enervatur, vaporatur febribus, dolore vexatur, examinatur angustiis.* 15. Carnis fragilitas non est timenda.

ARTICULUS II.

Quanta perturbatio impiorum, præsertim in die iudicii.

MAGNUM est, quod vir iustus non timeat, sed longe maius, quod non timeat omnibus aliis trepidantibus. De primo actum est præcedenti articulo, de secundo addit David v. 3. NON TIMEBIMUS, DUM TURBABITUR TERRA, ET TRANSFERENTUR MONTES IN COR MARIS. Vers. 3. 2. Pars.

Et v. 4. SONUERUNT ET TURBATÆ SUNT AQUÆ EORUM: CONTURBATI SUNT MONTES IN FORTITUDINE EIUS, supple maris, vel Dei. Vers. 4.

Terra, montes, et aquæ dupliciter hic sumi possunt. Primo, in propria significatione: ita ut sensus sit, q. d. Vir pius non timebit, licet totus orbis susdeque vertatur. Est synecdoche. Ubi adverte, quod ante diem iudicii, et in ipso die totus mundus et omnia elementa, ipsique cæli commovebuntur. Hæc autem omnia terrorem maximum inicient sceleratis. Luc. 21. 25. *Et erunt signa in sole, et luna et stellis* (Matth. 24. 29. *Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cælo:* id est Cometæ; 2. ut ait S. Chrys. stellæ proprie dictæ: quod accipe de minimis, et quæ nunc non sunt visibiles) *et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris, et fluctuum, arescentibus hominibus præ timore* (Gr. ἀποψυχοντων, id est exanimatis) *et expectatione, qui supervenient universo orbi. Nam virtutes cælorum* (angeli cælos moventes: ita Suar. 3. p. quæst. 59. disp. 56. sed melius, sidera ipsa, et vim influendi accipe, aut ipsos polos, et cardines cæli) *movebuntur*, ita ut omnia ruitura videantur. Similia habentur Matth. 24. Marc. 13. Isaiæ 34. Ioel 3. Armandam omnem creaturam contra insensatos dicit auctor Sapientiæ cap. 5. 18. Et Iesus Sirach Eccli. 16. 18. *Ecce cælum* (id est aer: ita Cornel.) *et cæli cælorum* (hoc est cæli siderei, et cæteri. Est Hebraismus, q. d. Cæli excellentissimi) *abyssus* (Tigurina, profundum mare) *et universa terra, quæ in eis sunt in conspectu illius commovebuntur. Montes simul, et colles, et fundamenta terræ* (imæ partes terræ, ipsumque centrum) *cum conspexerit illa Deus tremore concutientur.* 16. Ante diem iudicii totus mundus concutietur.

De terra speciatim ait Isaias cap. 28. 18. Concutientur fundamenta terræ, confractione confringetur terra, commotione commovebitur terra, agitatione agitabitur terra sicut ebrius, et auferetur quasi tabernaculum unius noctis, et gravabit eam iniquitas sua. De montibus dicitur Ps. 96. 5. *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini.* Apocalyp. 6. 12. *Vidi cum aperuisset* (Agnus) *sigillum sextum: et ecce terræmotus factus est magnus, et sol factus*

est niger tamquam saccus cilicinus, et luna tota facta est sicut sanguis. Stellæ de cælo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cum a vento magno movetur, et cælum recessit, sicut liber involutus, et omnis mons, et insulæ de locis suis motæ sunt. Tertio denique, de mari agitando ante diem Iudicii habes Luc. 21. loco iam citato.

17. Peccatores trepidabunt in die iudicii.

Secundo, symbolice per terram, montes, et aquas, intellige omnes peccatores, specialiter avari terra sunt: superbi, montes: luxuriosi, aquæ fluitantes et spumosæ. Hi omnes Christo iudice adventante trepidabunt. Zach. 12. 11. *In die illa magnus erit planctus in Ierusalem, sicut planctus Adadremmon* (id est ingens planctus, qualis fuit in morte Adad civis Remmon: ita a Castro aut in morte Achab, et Iosiæ: ita; Chald. est proverbium) *in campo Mageddon: et planget terra, familiæ, et familiæ seorsum: familiæ domus David seorsum, et mulieres eorum seorsum, familiæ domus Nathan seorsum, et mulieres eorum seorsum: familiæ domus Levi seorsum, et mulieres eorum seorsum. Omnes familiæ reliquæ, familiæ et familiæ seorsum, et mulieres eorum seorsum.* Hoc de die iudicii ad litteram exponi volunt S. Augustinus lib. 20. de Civit. Dei, cap. 30. Suar. 3. p. tom. 2. disputat. 57. Tolet. in Ioan. 19. Lyran. et Remig. in Zachar.

Maiorem adhuc terrorem aperit Isaias cap. 2. v. 19. *Intrabunt in speluncas petrarum, et in voragines terræ a facie formidinis Domini, et a gloria maiestatis eius, cum surrexerit percutere terram.* Ad litteram hæc dicuntur de vastatione Ierusalem per Chaldæos, nempe per Nabuchodonosoris exercitum: anagogice autem de vastatione orbis per Christum iudicem: unde concludit totum caput illud: *Quiescite ergo ab homine* (a Christo, ait S. Hieronym. et Origen.) *cuius spiritus in naribus eius est* (Chald. cum factus fuerit terribilis, cuius spiraculum in naribus eius est) *quia excelsus reputatus est ipse.*

Et cap. 13. agens de clade Babyloniorum per Cyrum, et Persas, sub eorum typo depingit calamitatem perversorum in iudicio. Sic enim v. 6. *Ululate* (sunt lupi omnes impii) *quia prope est dies Domini* (erant adhuc centum quinquaginta anni: sed ante Deum mille anni sunt tamquam dies hesterna quæ præteriit) *quasi vastitas a Domino veniet. Propter hoc omnes manus dissolventur, et omne cor hominis contabescet. et conteretur. Torsiones. et dolores tenebunt: quasi parturiens, dolebunt: unusquisque ad proximum suum stupebit, facies combustæ vultus eorum,* etc. Vide Sophon cap. 1. Apocal. cap. 6.

18. Cor pro medio positum

Nota, *cor maris*, id est profundum, et medium maris. Sic Ezech. 27. v. 3. *O Tyre, tu dixisti: Perfecti decoris ego sum, et in corde maris sita,* hoc est in medio mari. Ionas in ventre piscis Carchariæ, seu Canis, qui solidum hominem aliquando devorat, orationem fundens dicit, Ion. 2. 4. *Proiecisti me in profundum, in corde maris.* Matth. 12. 40. Christus ait, fore ut Filius hominis, id est ipse, sit in corde terræ, hoc est in Limbo, qui est prope centrum terræ, tribus diebus, et tribus noctibus, non quidem integris sed inchoatis.

19. Montes in mare transferentur in die iudicii.

Quæres, ante iudicii diem, aut in ipso die iudicii, transferenturne montes in cor maris? Resp. fore, ut ob terræmotus frequentes et vehementes multi montes partim in insulis, partim in maris littoribus, huc illuc disiiciantur in mare, eoque absorbeantur, et nunquam amplius appareant. Nam implendæ sunt illæ cavitates maris, ut terra reponatur in eo statu, in quo creata est, nempe perfecte rotundo. Concavitates enim fluviorum, fontium, et maris factæ sunt die tertio creationis, cum apparuit arida, id est, ab aquis liberata terra, et herbas, atque arbores produxit.

Nota secundo, *Turbatæ sunt aquæ eorum.* Bellarm. τὸ *eorum* refert ad τὸ *maris*. Verba eius sunt. Dicit autem *eorum*, id est marium: quia ubi nos habemus, *in cor maris*, in textu Hebraico et Græco est, *in cor marium*: noster autem Interpres, mutavit singularem numerum multitudinis in pronomine *eorum*: et inde nata est obscuritas: ita ille. S. Hieron. Pagn. Felix, et alii favent, qui vertunt, *eius*. Secundo tamen simplicius, et Interpreti nostro conformius, τὸ *eorum* refert ad montes, q. d. Aquæ montibus proximæ resonabunt, et turbabuntur: licet enim totum mare agitatum infremat, vehementius tamen, atque horribilius montibus undæ propinquæ murmur edunt, ab iis repercussæ.

Hæc omnia multi explicant de primo Christi adventu: 20. Conversio peccatorum.

Tunc enim primo turbata est terra, id est terreni peccatores: montes, id est, superbi, translati sunt in cor maris, hoc est in amaritudinem pœnitentiæ: aquæ, id est luxuriosi, sonuerunt, et turbati sunt per confessionem, et detestationem scelerum, sicut accidit in Magdalena plorante. Paulo subtilius S. Augustin. per terram intelligit Iudæam: per montes, Christum et Apostolos: per maria, Gentiles: *Futurum erat,* inquit, *ut turbaretur terra: id est illa ipsa gens Iudæa: et transferentur montes in cor maris: id est, primo ipse mons magnus paratus in cacumine montium. Deseruit enim gentem Iudæam, et factus est in gentibus, translatus est de terra ad mare. Transferentibus quibus? Apostolis, quibus dixerat: Si habueritis fidem in vobis tamquam granum sinapis, dicetis monti huic, tollere, et mittere in mare, et fiet: id est, per fidelissimam vestram prædicationem fiet, ut mons iste, hoc est ego ipse prædicer in gentibus, glorificer in gentibus, agnoscar in gentibus, et fiat quod de me prædictum est, Populus, quem non cognovi, servivit mihi.*

Moral. Peccator semper est in tumultu, et agitatione 21. Impius est in continuo mentis tumultu.

mentis. S. Augustinus in v. 1. Psalmi nostri: *Charissimi,* ait, *inter omnes tribulationes humanæ animæ, nulla est maior tribulatio quam conscientia delictorum. Namque si ibi vulnus non sit, sanumque sit intus hominis, quod conscientia vocatur, ubicumque alibi passus fuerit tribulationes, illuc confugiet, et ibi inveniet Deum. Si autem ibi requies non est, quid facturus est homo? Quo confugiet, cum cœperit pati tribulationes? Fugiet ab agro ad civitatem, a publico ad domum, a domo in cubiculum, et sequitur tribulatio. A cubiculo iam quo fugiat* non habet, *nisi interius ad cubile suum. Porro si ibi tumultus est, si fumus iniquitatis, si flamma sceleris, non illud potest confugere. Pellitur enim inde, et cum inde pellitur, a se ipso pellitur. Et ecce hostem suum invenit, quo confugerat: se ipsum quo fugiturus est? Quocumque fugerit, se talem trahit post se: et quocumque talem traxerit se, cruciat se. Sed a seipso sunt tribulationes, quæ inveniunt hominem nimis: acerbiores enim non sunt, tanto sunt acerbiores, quanto sunt interiores.* Exemplum deinde optimum sumit ad hoc declarandum: nempe quod tunc lignum sanum et utile censetur, cum interiora sunt integra, licet exteriora sint putrefacta, et contra: *Videte charissimi,* ait, *cum ligna dedolantur a fabris, et probantur, aliquando in superficie videntur quasi læsa, et putrida. Faber autem inspicit iamquam medullam interiorem ligni, et si sana interius ligna cognoverit, promittit ea in ædificio duratura, nec valde erit de superficie læsa sollicitus, quando id, quod interius est sanum renuntiat. Porro hominis interius conscientia non invenitur. Quid igitur prodest, si quod est exterius, sanum est, et putrefacta est medulla conscientiæ. Aretæ istæ, et vehementes omnino, et sicut Psalmus ipse ait, nimiæ tribulationes sunt.* Et in Ps. 36. concion. 2. Quisquis, inquit, malus est, male secum est, torqueatur necesse est, sibi ipsi tormentum est: ipse enim est pœna sua quem torquet conscientia sua. Fugit ab inimico quo potuerit, a se quo fugiet?

S. Ambros. lib. 1. offic. cap. 12. *Peccator.* inquit, *quamvis foris abundet, et deliciis diffluat. odoribus fragret, in amaritudine animæ vitam exigit. Vita facinorosi, ut somnium; aperuit oculos, transivit requies eius, evanuit delectatio, licet ipsa quæ videtur, etiam dum vivunt, impiorum requies in inferno sit: viventes enim in inferna descendunt. Vides convivium peccatoris? interroga conscientiam eius, nonne gravius fœtet omnibus sepulcris? Intueris lætitiam eius, opum abundantiam? introspice ulcera, et vibices animæ eius, cordisque mæstitudinem,* etc. Lege S.

Chrysost. hom. 1. de Lazaro, ubi divitis epulonis miseram conscientiam describit. Et Abrahamum nostrum in rebus sacris, et profanis versatissimum, section. 99. oration. contra Pisonem, ubi ea verba explicat, quidquid increpuisset pertimescentem. Et præcipue sect. 63. in oration. pro Milone, ubi hæc habentur: Magna vis est conscien-

A tiæ, et magna in utramque partem: ut neque timeant, qui nihil commiserint: pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccarint. Vide etiam quæ dixi Ps. 13. 5. in ea verba, *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor,* id est obiectum timoris. Est metonymia. Actus enim ponitur pro obiecto.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

22. *Tria exequitur. Primo, civitatis cælestis lætitiam, sanctitatem, et securitatem aperit, vers. 5. Secundo, perturbationem, et eversionem regnorum terrenorum ostendit, et divinæ Sanctorum mansionis æternam pacem, vers. 7. Tertio denique, concludit vacandum esse a curis inutilibus et peccatis, ut hæc beatorum bona, et Dei erga ipsos benignitatem videamus.*

PARAPHRASIS.

5. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.*

5. Læto, perennique fluxu ex sacro Dei throno decurrentes gratiarum et donorum cælestium rivi, beatam Sanctorum civitatem recreant. In ea civitate tabernaculum sibi, templumque delegit, in quo maneret, quodque omni sanctitate decoraret.

6. *Deus in medio eius, non commovebitur: adiuvabit eam Deus mane diluculo.*

6. Itaque cum Deus in medio civitatis illius beatæ maneat, nullo hostili incursu quassabitur. Statim enim, ut dies felicitatis æternæ ei allucere cepit, Deum protectorem habuit, cui non est, qui molestiam possit facessere.

7. *Conturbatæ sunt gentes, et inclinata sunt regna: dedit vocem suam, mota est terra.*

7. Gentes, quæ Dei legem contempserunt, in die iusti iudicii terrore concussæ sunt: omnia earum regna, divitiæ, potestas atque deliciæ in nihilum reciderunt. Deus æquissimus Iudex sententiam damnationis in impios protulit, et terra dehiscens ad eius vocem omnes absorpsit, terrenosque illos homines desperatione inutili commotos æternis tortoribus reliquit.

8. *Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Iacob.*

8. Deus qui summo robore illos sceleratos percutit, et angelorum exercitibus præest, nobiscum est adiutor, et Salvator, qui nos in cælestia sua palatia recipiat, sicut Iacob patrem nostrum semper promovit, et in omnes hostes tutatus est.

9. *Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram:*

9. Huc igitur accedite, et contemplamini opera Dei usque ad miraculum stupenda in cælesti terra Sanctorum.

10. *Auferens bella usque ad finem terræ.*

10. Ubi pax æterna sine ullo futurorum bellorum metu vigebit, nullo adversario eam perturbante.

Arcum conteret, et confringet arma: et scuta comburet igni.

Hominum, dæmonumque in sanctos insurgentium arcum comminuet, sagittas, et lanceas confringet, ac scuta æterno igni damnata comburet.

11. *Vacate, et videte quoniam ego sum Deus: exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra.*

11. Vos itaque, quibus cordi est virtus, mentem a curis mordacibus avertite, vobis et Deo vacate, atque summam eius erga sanctos benignitatem, et potentiam considerate. Magna eius potestas emicat adversus gentiles et impios, quos æternis addicit suppliciis: et magna liberalitas erga iustos, quos perennibus cælestis terræ bonis cumulat, et beat.

12. *Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Iacob.*

12. Deus omnipotens nobiscum est, se nobis manifestans: ille nos in aulam suam e miseriis terrenis venientes excepit, ibique nos fovet ac tuetur, quem Iacob, a quo proseminati sumus, coluit, ac protectorem est expertus.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta civitatis cælestis lætitia, sanctitas, securitas, et pax.

23. Duplicem Ecclesiæ triumphantis felicitatem Propheta noster hoc in Psalmo describit. Primo quidem eam, quæ sita est in exemptione malorum, et periculorum: de illa actum est sect. præcedenti. Secundo vero, eam, quæ consistit in acquisitione bonorum: de illa nunc agendum est.

Decem eximia in Paradiso. Decem eximia in illa Dei civitate David annotat. Primo, donorum cælestium maximam ubertatem, v. 5. *Fluminis impetus.* Secundo, lætitiam perennem: *lætificat.* Tertio, concordiam perfectam: *civitatem Dei.* Quarto, sanctitatem absolutissimam: *Sanctificavit tabernaculum suum altissimus.* Quinto, præsentiam Dei, v. 6. *Deus in medio eius.* Sexto, imperturbabilitatem: *non commovebitur.* Septimo, auxilium Dei continuum: *Adiuvabit eam Deus mane diluculo.* Octavo, triumphum de prostratis hostibus, v. 7. *Conturbatæ sunt gentes, et inclinata sunt regna: dedit vocem suam, mota est terra.* Nono, amorem Dei erga ipsos,

B v. 8. *Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Iacob.* Decimo, pacem mirabilem, et perpetuam, v. 9. *Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram: auferens bella usque ad finem terræ.* Et v. 10. *Arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni.* Concludit denique omnes advocans Deus, ut tanta præmia Sanctis parata contemplentur, v. 11. *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus: exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra.* Deo autem exultantes responsant Beati, et omnes ad beatitudinem aspirantes, v. 12. *Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob.* Ubi obiter adverte, Psalmum hunc esse dramaticum; in eo enim Deus, et Sancti loquuntur.

ARTICULUS I.

Civitatis cælestis summa amœnitas, et iucunditas.

C Sectione superiori Propheta noster, ut ostenderet miseriam impiorum in die Iudicii, ostendit terræ, montium, et maris turbationem et agitationem. Nunc ut o-

stendat piorum felicitatem, in cælum digitos intendit, cuius delicias aperit, v. 5. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Vers. 5. 1. Pars.

24. Civitas quid?

Nota civitas duo significat, 1. urbem, id est ipsa ædificia; 2. et proprie civitas est ipsa collectorum in unum hominum multitudo, ad vivendum eodem iure. Nam civitas est quasi civium unitas. Hinc Cicero de somn. Scipionis: *Nihil est*, inquit, *illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat acceptius, quam consilia, cœtusque hominum iure sociati, quæ civitates appellantur.* Hebræi unica voce עיר *ir*, et urbem, et civitatem exprimunt. Deducitur ab עור *ur*, id est evigilare, excitare, suscitare: quod, ut ait Mercerus, sit excitata muris, turribus, et domibus: item hominum operis et actionibus. Cælum est vere *ir*, id est civitas vigilans, eo enim non pervenit somnus, neque nox. Tu esto *ir*, hoc est vigil, et Angelus, ut ad eam nunquam dormientem civitatem pervenias, a qua excluduntur dormientes virgines stultæ, Matth. 25. 11.

25. Urbs est in cælo, ubi Beati habitant

Quæres, estne aliqua urbs in cælo, quam Beati incolant, et qualis? Resp. probabile esse in cælo Empyreo certum quemdam esse locum, in quo Sancti simul habitent, et ordinatissimam, pulcherrimam et felicissimam civitatem efficiant, sicut eam describit S. Ioannes, Apocalyp. 21. Nihil enim videtur obstare, imo esse convenientissimum, ut uno in loco iunctis vocibus Deum laudent. Secundo, ut mutuis colloquiis, et conversatione recreentur. Tertio, ad perfectissimam charitatem declarandam, et fovendam. Quarto, ut omnibus in unum collectis magis appareat copiosa Christi redemptio. Non nego tamen aliqua esse symbolica in descriptione illa S. Ioannis, expressit enim ut potuit quæ non licet homini loqui, imo ne cogitare quidem, ut rei magnitudo exigeret. Quinto, collectis in unum locum sanctis melius elucet distinctio meritorum, et præmiorum. Sexto, Christi regis gloria hoc exigit, vult enim servos suos esse ubi ipse est, et eorum splendor in eius decus redundat. Possunt tamen libere per totum cælum Empyreum, imo per totum orbem, angeli, et sancti pro voluntate deambulare, Deo illis annuente.

26. In illa quam vidit Ioannes possunt contineri omnes.

Dices, non posset tantus electorum numerus contineri in tam parva civitate, qualem describit Ioann. Resp. id negando: ait enim cap. 21. 16. *Civitas in quadro posita est, et longitudo eius tanta est, quanta et latitudo; et mensus est civitatem de arundine aurea per stadia duodecim millia.* Cornel. a Lapide putat intelligi civitatem, id est totum eius ambitum et quadratum: eo enim dimenso censetur tota civitas dimensa. Alludit S. Ioan. ad urbis Ierosolymæ ambitum: hic enim complectebatur 50. stadia, quæ si in quatuor partes, et latera dividas, habebis pro quolibet latere duodecim stadia cum dimidio. Hunc numerum Ioan. per mille multiplicavit: ait enim, quodlibet civitatis huius cælestis latus continere duodecim millia stadia, ut ostenderet Ecclesiam Christi, præsertim triumphantem, longe superare veterem Ierusalem. Ita ex Ioseph. et Hecar. Villalp. in Apparatu urbis, et templi p. 1. lib. 2. cap. 20. Cum ergo civitas hæc duodecim in sui ambitu haberet portas, sequitur ab una porta usque ad aliam fuisse spatium mille stadiorum: ita enim ex spatio duodecim portarum conflabis duodecim millia stadiorum ambitus urbis. Est hic ambitus ingens, ut designet ingentem cælestis Ierusalem capacitatem, quæ capiet tot milliones hominum, quot conflabuntur ex omnibus electis, qui quovis sæculo ab Adam usque ad finem mundi fuerunt, sunt, vel erunt in qualibet orbis plaga. Octo stadia faciunt milliare Italicum: ambitus ergo civitatis, continens duodecim millia stadiorum, continet 1500 milliaria Italica. Iam cum quadrata et æquilatera sit hæc civitas, sequitur quodlibet eius latus tam longitudinis, quam latitudinis, habuisse quartam huius numeri, et horum milliarium 1500 partem, nimirum 375. Ergo hæc civitas longa erat 375. milliaria, et totidem lata. Est itaque tam longa, quam longum est iter, et distantia Neapoli Mediolanum circiter, par est eius latitudo. Immanis hæc est civitas, quæ tot provinciarum spatium ambitu suo complectitur. Quocirca qui hæc ad litteram ut sonant, accipiunt, dicunt tantum prorsus esse spatium civitatis, sive loci Beatorum, quem ipsi inter se per varias stationes distributi occupant in cælo Empyreo; nec enim totum Empyreum occupare possunt: essent enim inter se nimis disiuncti. Illud enim vastissimum est, et terræ totius globum non millies, nec centies millies, sed plusquam decies centies millies continet, ut colligere est ex iis quæ docui de cælorum magnitudine, et terræ parvitate, Gen. 1. v. 7. Sicut ergo ex cap. 14. v. 20. censent, inferni capacitatem quaquaversum extendi ad 1600. stadia, id est, ad milliaria Italica ducenda: ita pariter docent locum Beatorum in cælo Empyreo extendi quaquaversum ad 375. milliaria Italica. Longe ergo maior est locus Beatorum loco damnatorum, præsertim cum Beati sint pauci, damnati plurimi: ita Cornelius.

Secundo, probabilius Alcaz. spatium civitatis a Ioanne descriptæ auget in quadruplum. Censet enim Angelum metiri civitatem: id est civitatis longitudinem tantum, est enim æquilatera: itaque satis est unum latus mensurare, aut saltem unius lateris longitudinem supputare. Ergo longitudo civitatis huius est duodecim mille stadiorum integrorum: id est 1500. milliarium Italicorum. Eadem est eius latitudo. Tam ergo longa est hæc civitas, quam longa est via, et distantia ab urbe Hispali usque Neapolim. Beati enim in cælo vim visivam habent acutissimam, ut ea quæ hoc spatio fiunt, tam commode, et clara videant, quam nos videmus ea, quæ in uno cubiculo fiunt. Hoc est quod ait Baruch. cap. 3. 24. *O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis eius.* Ad urbem tantæ magnitudinis ait Alcaz. quanta in Apocal. describitur cælestis Ierusalem incolendam, requiri videtur maior civium multitudo, quam quæ occupare possit vicies centena millia urbium, Hispalim magnitudine adæquantium. Innumeri enim parvuli, etiam inter hæreticos et schismaticos salvantur: atque ex adultis plures quam multi opinantur. Curat enim Christus, qui suum sanguinem pro animabus fudit, ut illæ, quas tantopere amat, salventur, ne sanguis pro eis incassum sit effusus. Quocirca si mundus staret per sex millia annorum, ut multi opinati sunt (licet plura fore opinetur Alcazar, cui assentior, ut alias ostendi Psal. 1.) quibuslibet mille annis tot salvarentur, quot incolere possent trecenta triginta tria millia urbium Hispalim adæquantium, quolibet autem die pene tot, quot incolere possent Hispalim.

Quæres secundo, cur vocatur civitas Dei? Resp. primo, quia illam solus Deus exædificavit. Psalm. 86. 5. *Fundavit eam Altissimus.* Pleræque urbes magni nominis, aut Deos sibi conditores affinxerunt, aut heroes filios Deorum, ut plus venerationis apud posteros haberent. Atheniensibus quidem parum fuit ad Cecropem originem suam revocare, nisi etiam Minervæ tribuerent civitatis suæ originem, ut ducet Iulius Firmicus de errore prophan. religion. Unde Euripides: Θεοδ'μητες Ἀθηνας, a Deo conditas Athenas appellavit. Quintus Calaber lib. 8. vocat Minervæ ἱερον πεδον, sacrum campum. Contentionem quoque fuisse fabulabantur inter Neptunum et Minervam, ab utro nomen sortirentur, quod fuse refert Apollodorus lib. 3. et Constantinus lib. 9. Geopon. cap. 1. Sed hæc ad fabulas ableganda sunt. Gallienus Imperat. civis adscribi desiderabat Athenis, ut ait Trebellius in Gallienis, nos ad civitatem cæli non aspiremus? cui minus Athenæ comparandæ sunt, quam talpæ cavernula obscura et fœtens fulgenti cælo, et soli. Illius comparatione ait Cresol. de selectis virtutibus, nec Babylon dicetur, ut olim, ἐνδοξος gloriosa, sicut S. Basilius meminit in Isaiam. Nec Byzantium ἐργαστηριον μεγαλοπρεπειας, magnificentiæ officina, ut vocat Themistius, orat. 6. Neque Ecbatana, θεων οικησεις, deorum habitatio, quod rex Persarum Apollonio Tyaneo venditabat apud Philostratum, lib. 1. cap. 24. Neque Roma virtutum omnium latissimum templum, ut Cassiodorus loquitur lib. 4. epistol. 6. Et Athenis sua laus obsolescet, qua in urbe dicit orator Aristides, pag. 147. ἀγαθην ἱδρου-

1 Quis est eius fundator.

Est pulcherrima.

*

Triocala. ευθαι τυχειν, bonam fortunam triumphare. Quin et pulchra Siciliæ urbs nomen amittet suum, quæ Triocala dicta fuit, quod τρια καλα, tria quædam pulchra, pulcherrimaque in ea inesseat: aquarum in primis scaturigines dulcitudine præstantes; vineta culturæ idonea, rupes inexpugnabiles. Sed hæc cam Paradiso ne conferri quidem possunt. Possis cam Davide nostro illa τρια καλα reperire, 1. aquarum ubertatem: *Fluminis impetus*; 2. vinum suave sanctitatis, et devotionis: *sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*; 3. rupem divinæ protectionis: *Deus, in medio eius, non commovebitur.*

27. II. Quia Deus ibi perfecte regnat. Secundo, Paradisus vocatur civitas Dei, quia Deus ibi solus, et perfectæ regnat, gloriamque suam aperit electis suis, et thesauros suos in eos effundit. Apocal. 21. 23. *Civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna eius est Agnus.* Hinc tanto ardore Martyres pædorem carceris, et acerbitatem tormentorum ferebant ad cam sanctam civitatem aspirantes. S. Cæcilia videns satellites flentes, quod tam locuples, nobilis et prudens puella ad mortem damnata esset, et alacri vultu ad eam pergeret, sicque florem iuventutis perderet: *Hoc*, inquit, *non est iuventutem perdere, sed mutare: hoc est dare lutum, et accipere aurum: dare habitaculum vile, et parvum, et accipere palatium amplissimum ex lapidibus pretiosis, et auro constructum: dare angulum brevem et obscurum, et accipere forum lucidum margaritis cælestibus coruscans: dare rem perituram, et accipere rem, quæ finem nescit, et mortem ignorat: dare lapidem vilem, qui pedibus conculcatur, et accipere lapidem pretiosum, qui in diademate Regio, vibranti resplendet aspectu.*

28. In civitate cælesti sunt variæ domus. Quæres tertio, an sint in ea civitate Dei palatia aut domus? Respondet noster Sebastian Barradius tom. 3. comment. in concordantiam, et historiam Evangelicam, lib. 10. cap. 3. In cælo non fore quidem necessaria palatia, aut domos, ad propulsandas aeris molestias, sed tamen videri concedendum, decorem cælestis civitatis, palatia, magnificaque postulare ædificia. Numquid nihil in cælo, præter cæli immensam illam latitudinem, longitudinemque apparebit? Numquid Beati in cælo, velut in agro oves, erunt simul in eodem loco omnes? Numquid immensi cæli loca quamplurima vacua erunt, et deserta? Non videtur hoc decorum. Crediderim ergo ampla, admirabiliaque esse in ipso cælo palatia, amplaque alia ædificia ex incorruptibili materia, ipsisque margaritis pretiosiore fabricata. Forte etiam prata amœnissima, nemora, similiaque alia, quæ Beatorum oculis afferant ipsa varietate oblectationem, et civitatem illam cælestem exornent. Habebunt Beati mansiones, ut ex Evangelio constat: Cur non palatia alia aliis superiora, quibus non concludantur (erunt enim translucida) sed decorentur, et alii ab aliis separentur, pro dignitate, ac distinguantur, iuxta illud Ioannis 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Huius opinionis fuit olim primarius Doctor Academiæ Eborensis et sapientia, et virtute præclarus, Ferdinandus Perez. Favet illi Scotus qui in 4. dist. 49. quæst. 4. art. 7. concedit Beatos a Beatis visitari, et per aliorum mansiones discurrere. Favet et S. Anselm. imo huius forsitan fuit opinionis auctor in lib. de simili. cap. 44. *In superna Ierusalem*, inquit, *locus est amœnus, et magna dulcedine refertus: domus paratæ, ædificia ampla, diversi generis mansiones*, etc. Favet item Caietan. 3. p. q. 57. art. 5. cum sic ait: *Divina sapientia disposuit cæli Empyrei unam partem, quasi solium: et reliquas in ordine ad illam, superiores, vel inferiores. Et sic Christus secundum corpus, in parte illa solii stans in suprema parte, supremoque loco residere dicitur. Et reliquæ creaturæ beatæ, hinc, et inde inferiores partes tenent*, etc. Lege etiam S. Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 36.

29. Intra cælum Empyreum sancti habitant. Habitabunt autem in cælo Beati, non eo modo, quo habitamus in terra. Habitamus nos in superficie terræ, supra quam est aer: at Beati non habitabunt in superficie externa cæli Empyrei: neque enim par est credere habitaturos in vacuo. Locus illorum erit intra ipsum cælum

A

Empyreum, quod plurima leucarum millia habet, conditumque a Deo est, accommodate ad hominum habitationem: ita ut in eo habere sedes, et ambulare facile possint, sive penetrando ipsum cælum, sive scindendo. Nam scindi posse cælum Empyreum sentit S. Thom. in 2. dist. 2. q. 2. art. 4. Neque vero corrumpitur scissionibus. Huiusmodi corruptiunculas non est absurdum in cælo illo cum tanto magistro S. Thom. concedere, quod ad habitationem hominum conditum est. Intra ipsum vero cælum Empyreum, ad convexum usque, Beatorum palatia, admirabiliter summi artificis manu constructa sunt, ordineque ita disposita, ut alia sint inferiora, alia superiora, et alia aliis sint pulchriora ac pretiosiora in celsissimo cæli loco, palatium summi Regis Christi est, quod omnem superat admirationem. Eo inferius Deiparæ Virginis palatium alterum quale tantæ Reginæ dignitas poscit. Ordine sequuntur alia pene infinita, tam angelis quam hominibus attributa. Habent enim angeli quoque peculiares sedes, atque palatia, quibus alii ab aliis seiungantur loco. Sunt namque etiam in loco, si non circumscriptive, certe definitive.

B

Ita Barrad. qui censet omnia illa Palatia fabricata esse, cum cælum ipsum conditum est, et angeli in eo collocati. Sed liberum est unicuique de ea re pro arbitrio philosophari: arbitror certe probabilissimum esse talia palatia in Paradiso reperiri: hoc enim petit ornatus, et ordinatio illius sanctæ civitatis, quæ posita est in terra viventium. De materia illorum palatiorum lege cap. 21. Apocal. 9.

Quæres quarto, an sit aliquis fluvius in Paradiso, et qualis? Resp. fluvium a Davide poni in ea civitate, cum ait: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*; et a S. Ioanne Apocal. 22. v. 1. *Et ostendit mihi fluvium aquæ vitæ, splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni. In medio plateæ eius, et ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem gentium.* Cum hæc omnia ad literam ut sonant, explicari possint, magna saltem ex parte, non video cur id negemus? Cornelius in cap. 21. Apocal. v. 19. sic ait: Corpora, et oculi sanctorum suas habebunt opes, et obiecta pulcherrima, et præstantissima, quibus se pascant, et oblectent. Oculi autem non sola luce pascuntur, sed et varietate colorum, ut virore vario camporum, arborum, florum, fructuum: item fluviis, et fontibus pellucidis instar vitri, ac præsertim gemmis fulgentibus. Ergo in cælis hæc non deerunt: alioqui feliciores fuissent in terra, quam erunt in cælo: ita ipse. Terram quoque ibi esse docet in illud Matth. 5. 4. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Sic enim ait: Cum S. Hieron. S. Nyssen. lib. de beatitud. orat. 2. S. Basil. in Ps. 33. S. Cyrill. in cap. 58. Isaiæ, per terram accipe cælum, quæ viventium est terra, cum hæc nostra sit morientium, iuxta illud Ps. 26. *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Et Ps. 141. 6. *Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.* Et Isaiæ 38. 11. *Non videbo Dominum Deum in terra viventium.* In cælo ergo terra quædam est, at non crassa, opaca, et terrestris, sed subtilis, lucida, et cælestis. Ibi enim est Paradisus rosarum, liliorum, gemmarum, omniumque deliciarum: at non terrestrium, sed cælestium, quæ mire oculos, sensusque Beatorum oblectant: alioquin enim corpora, sensusque Beatorum, quæ tam dura, imo martyria atrocia passa sunt in hac vita, carerent meritis suis oblectamentis, solæque animæ et mentes eorum essent beatæ, quod est absurdum. Unde S. Ioannes vidit Apocal. 21. et 22. civitatem cælestem in quadro positam, et fundamenta eius constructa ex Iaspide, omnique lapide pretioso. Hinc et Pythagorici, ait Clem. Alex. lib. 5. Strom. cælum vocant αντιχθονα, id est, terram ex adverso sitam, vel oppositam terræ nostræ. Taceo nonnullos Philosophos censuisse lunam, et stellas inhabitari: in luna enim esse opacas civitates, vastasque regiones, et terras, quas incolant homines a luna lunares dicti, teste Macrobio lib. 1. in somnium Scipionis, ideoque lunam vocari æthereram, terram vero cælum terrestre, quod Plato quoque recenset in Convivio.

30. Probabile est ibi esse fluvios, et fontes. (marginal note to the paragraph "Quæres quarto")

C

D

31. Mystice. Quæres quinto, quid sit symbolice ille fluvius? Nota, hæc

quæ de civitate Dei hic dicuntur posse intelligi, tum de Ecclesia militante, tum de triumphante.

Fluvius Ecclesiam rigans est Deus. Primo enim, fluvius utramque Ecclesiam irrigans est SS. Trinitas; nam Pater æternus immensus fluvius est. S. Ambr. lib. 1. de Spiritu sancto: *Sicut*, inquit, *flumen dicitur Spiritus, ita et Pater dixit, Isaiæ* 66. 12. *Ecce ego*
1. Pater. *decurram in vos, sicut fluvius pacis, et sicut torrens inundans gloriam gentium*. Sic legit Ambrosius, nunc vero habetur: *Ecce ego declinabo super Ierusalem quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis*. Hebraica utramque patiuntur expositionem.
2 Filius. Secundo, Filius Dei est fluvius: idem S. Doctor loco citato. Quis, ait dubitet flumen esse Dei Filium, de quo æternæ vitæ flumina profluebant? Bona ergo aqua spiritalis gratia. Quis hunc fontem dabit pectori meo? in me saliat, in me fluat vitæ largitor æternæ. Superfluat in nobis fons iste, non effluat. Dicit enim Sapientia, Prov. 5. Bibe aquam de tuis vasis, et de puteorum tuorum fontibus,
3. Spiritus sanctus. inque plateis tuis superfluant aquæ tuæ. Tertio, Spiritus sanctus est fluvius, ut eodem loco habetur. Flumen, inquit, est Spiritus sanctus, et flumen maximum, quod secundum Hebræos de Iesu fluxit in terris, ut ore Isaiæ sæpe accepimus prophetatum: *Magnum hoc flumen, quod fluit semper, et nunquam deficit*. Nec solum flumen, sed profusi impetus, et magnitudinis redundantis, sicut etiam David dixit: quia fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Neque enim Civitas Dei illa Ierusalem meatu alicuius fluvii terrestris abluitur, sed ille ex vitæ fonte procedens Spiritus sanctus, cuius nos brevi satiamur haustu, in illis cælestibus Thronis, Dominationibus, et Potestatibus, Angelis, et Archangelis, redundantius videtur effluere pleno septem virtutum spiritalium fervens meatu. Si enim ei fluvius riparum editis superfusus exundat, quanto magis Spiritus omnem supereminens creaturam, cum reliqua tamquam inferiora nostræ mentis arva perstringat, cælestem illam creaturarum naturam effusiore quadam spiritus ubertate lætificat: ita Ambr. Vide dicta Ps. 35. 10.

32. Illius fluvii sex rivi. Secundo, fluminis illius impetus (seu, ut est in Hebr. פלגיו *phelagau*, id est rivi, ut vertit Campens. et Pagn. rivuli, ut Felix: divisiones, ut S. Hieron.) sunt in hac vita.
1. Primus, fons Baptismi: ita Dionysius Carthusianus. Secun-
2. dus, auxilium Dei: ita Vatablus: vis gratiæ, ita Procopius in
3. c. 55. Isai. Tertius, Evangelica prædicatio: ita Theodoret. *Sicut*, inquit, *Paradisi fons in quatuor flumina divisus est: eodem modo hic Dei fluvius infinitos habuit, et innumerabiles rivos, qui percurrerunt omnes hominum gentes. Hic enim cucurrit ad Indos, hic vero ad Hispanos, ille vero Ægyptum, hic Græciam occupavit, et aliis quidem commissum fuit, ut Iudæam irrigarent, alii autem Syriam, et Ciliciam, nonnullis vero aliarum gentium cultura mandata est: et hoc quidem beatus prædixit Habacuc. Fluvios enim, inquit, scindes terræ: hoc est dividetur per rivos terræ, recipiens magni fluvios fluxus. Nam huius divisiones fluvios appellavit*.
4. Quartus, fluminis illius impetus est scientia Scripturarum, quæ scientia tanto fluat impetu procedens de Libano, hoc est, de dealbatione Baptismi, ut electos, dum tangit ab huius vitæ amore submoveat, et ad æterna gaudia vi impetus sui quosque adhærentes traiiciat, et per donum Spiritus sancti fortiter inundans ex Sapientia sanctam Ecclesiam, vel cuiuslibet capientis mentem infusio-
5. ne sua exhilaret: ita Gregor. in Cantica. Quintus et melius, fluminis impetus, id est aquæ cum impetu fluentes, sunt dona Spiritus sancti ubertim data Ecclesiæ. S. Greg. illud Iob 20. 17. explicans: *Non videat rivulos fluminis torrentis mellis et butyri*, sic ait: *Rivuli sunt fluminis, dona Spiritus sancti: rivulus fluminis est charitas, rivulus est fluminis fides: rivulus est fluminis spes. Fluminis autem torrens, est ipsa inundatio Spiritus sancti, quæ in contemplantis animum exuberanti infusione colligitur, cum mens, plusquam intelligere sufficit, repletur*. Strabo lib. 15. refert, Calanum Indorum Philosophum, Alexandri legatis dixisse: Omnia olim fuisse plena triticeæ, at bordeaceæ farinæ, ut nunc pulveris: fontes alios lacte, alios aqua, nonnullos melle, alios vino, quosdam oleo fluxisse, sed ob

A scelera hominum dulcia hæc fluenta exaruisse. Per gratiam Spiritus sancti hæc innocentiæ tempora redeunt, non fabulosa, sed vera lactis, vini, ambrosiæ, nectaris, et aromatum effusione. Sextus, hic impetus est visio beatifica. 6.
Vide Ps. 35. 9.

Quæres sexto, cur dicatur hic fluvius fluere cum impe- 33.
tu? Primo, ut ostendatur aquas illas esse vivas. Vide dicta Ps. 1. Secundo, ut affectus Dei liberaliter et alacriter dantis ostendatur. Philostrat. lib. 5. cap. 10. refert Vespasianum Imp. dixisse Ægyptiis, αρυσασθε ως Νειλου, εξ εμου: *Ex me perinde, atque ex Nilo, quæcumque vultis, haurite*. Christus vero longe sincerius ait Ioan. 7. 37. *Si quis sitit, veniat ad* 1.
me, et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumi- 2.
na de ventre eius fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes. Tertio, *impetus* 3.
indicat ubertatem gratiæ, et gloriæ. Manuel Comnen. Imp. vocatur a Niceta, θαλασσα φιλοδωριας, ελεους αβυσσος, τω προσηνει του ηθους ευεντευκτον, και την βασιλειον αρετην απαραμιλλον, mare magnificentiæ, abyssus misericordiæ, morum

Fluvius hic cum impetu fieri dicitur, ob quinque rationes,

B suavitate, congressuque facilis, sed regia virtute inimitabilis. Deus vero, cum sit natura bonitas, est immensus, et infinitus gratiæ et gloriæ Oceanus. Quarto, Impetus de- 4.
notat efficacitatem gratiæ electis datam. Cassiodor. Nihil palustre, ait, nihil morosum cursus eius sustinet, cui se potentia divinitatis infuderit. S. Ambros. in Psalm. nostr. Est, inquit, fluvius, qui de Eden exit, et circuit universam terram, verbum Dei, quo Paradisus intelligibilis irrigatur, et omnis anima vocatur ad gratiam Christi, dicente ipso Dei verbo: *Si quis sitit* etc. Ex illo enim unico Dei verbo quatuor fluviorum, prudentiæ, et fortitudinis, temperantiæ quoque et iustitiæ fluenta manarunt. Alii enim per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii fides in eodem Spiritu: alii gratia curationum in uno Spiritu, alii operatio virtutum. Hæc enim operatur omnia unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. Hi sunt impetus fluminis, cum se in gratiam ministeriorum operationis, atque virtutis spontanea divisione transfundit: ita

C Ambr. Ugo autem Card. Spiritum sanctum fluvio comparat, propter sex: 1. quia ima petit, et vacua replet, scilicet humiles. Isaiæ ult. *Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem, et quietum?* 2. cor fœcundum reddit. Ps. 64. 10. *Visitasti terram, et inebriasti eam;* 3. terrenitatem corrodit, et consumit in corde hominis. Iob. 14. 19. *Alluvione paulatim terra consumitur*. Et S. Greg. gustato spiritu, desipit omnis caro; 4. sitim peccati extinguit. Ioan. 4. 13. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum;* 5. submergit illos, qui profunda quærunt, et intrant. Prov. 25. 27. *Quis scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria;* 6. denique, locum sibi adiacentem reddit munitum. Nahum ult. 8. *Aquæ in circuitu eius, aquæ mu-*
ri eius. Quinto, denique *impetus* exultantis æque denotat 5.
lætitiam illius mentis, quam gratia et gloria copiosa pervadit. Hinc dicitur: *Fluminis impetus lætificat*. Sic Ps. 86. 7. agens de Civitate cælesti dicit David noster: *Sicut lætantium omnium habitatio est in te*. Hebr. 2. habetur, *Cantores sicut tibicines, omnes fontes mei in te*. S. Dorothea

D virgo et Martyr, cum in eculeo torqueretur, alacri vultu ait Tyranno: Quid moraris? exerce in me omnia tua tormenta: fac illico quod facere cogitas, ut per ea perveniam ad sponsum meum, pro cuius amore non timeo te, imo desidero tua tormenta. Sponsus enim meus me invitat: imus enim per hasce pœnas breves, et exiles ad Paradisum deliciarum, ubi sunt poma miræ pulchritudinis, rosæ, lilia, et flores innumeri, qui nunquam marcescunt, *ubi sunt fontes aquæ vivæ, qui nunquam siccantur, quibus animæ sanctorum fruuntur, et exultant in Christo*. Cumque Theophilus assessor Præsidis irridens (erat enim hyems, nempe 6. die Februar.) diceret: Mitte mihi poma e Paradiso sponsi tui, cum eo perveneris. Mittam, inquit illa, idque præstitit. Misit enim ad eum angelum specie pueri elegantissimi, cum pomis, et rosis speciosissimis. Quo miraculo conversus Theophilus, Christum confessus, Martyrii lauream pariter adeptus est. Hoc refert Sur. die 6. Febr. In finibus Meropum, ut ait Ælian. lib. 3. cap. 10. Locus

est ἀνοδος, id est irremeabilis. In eo duo sunt fluvii, alter voluptatis, alter tristitiæ: et ad utrumque arbores sitæ sunt, magnitudine Platani. Quæ ad flumen sunt tristitiæ, tales fructus producunt, ut si quis iis vescatur, assidue et ubertim lacrymetur per omnem vitam, ac fletibus luctibusque diffluat, et sic vitam finiat. Quæ autem prope fluvium voluptatis nascuntur, fructum contrarium producunt. Qui enim eum gustat, ab omnibus pristinis cupiditatibus abducitur, et si quem amavit, eius obliviscitur, sensimque fit iunior, atque transactam ætatem retroagit, et resumit, ut ex senectute ad vigorem et florem ætatis revertatur. His symbolice repræsentatur tristitia damnatorum, et lætitia sanctorum in cælo. S. Clemens Papa viso fonte per miraculum erumpente in terra arida, ad quam relegatus erat, exclamavit: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei:* sic enim Christianorum ibi in mineris laborantium afflictio multum est imminuta: sed longe magis id fiet in terra viventium, quæ est terra lætitiæ. Ier. 3. 19. ait Deus Ierusalem, id est Ecclesiæ: *Tribuam tibi terram desiderabilem, hæreditatem præclaram.* Pagn. hæreditatem elegantiæ. Chald. *hæreditatem lætitiæ.* Lege pulcherrima in eam rem apud S. Anselmum in Prolog. cap. 25.

ARTICULUS II.

Civitatis cælestis summa sanctitas et securitas.

Lætitia mundi ut plurimum vitiis scatet, lætitia vero
34. Beatorum a sanctitate oritur: Hinc addit David v. 5.
Vers. 5. 2 Pars. Descriptio Paradisi. SANCTIFICAVIT TABERNACULUM SUUM ALTISSIMUS.

Quæres, quid, et quale hoc tabernaculum? Primo, est templum illius beatæ civitatis. Sic enim potest vocari speciale Christi palatium, vel locus, in quo particularius sancta Trinitas se manifestat, ac veluti domicilium gloriæ suæ splendidius exhibet. Sic cælum cum templo describit S. Bonifac. Cum enim S. Astion martyrio coronatus esset, in somnis apparuit Vigilantio, rogans eum, ut adiret parentes suos, eosque adhuc Gentiles ad Christum converteret, et illis suam mortem, et martyrium enarraret. Paruit Vigilantius, atque ut parentum dolorem de filii morte leniret, initio rem dissimulavit, dixitque Astionem adhuc vivere. Roganti matri, in qua regione et urbe, qua ratione, et modo viveret, respondit: Regio robustorum seu fortium virorum est. Plures ibi, et valde nobiles degunt, quorum possessio Paradisus dicitur: quorum *tabernacula* ex lumine sunt constructa, quorum vita Deus est, et conversatio immortalis existit: quorum vestes sanguine sunt respersæ, et in capite coronæ ex auro purissimo cum gemmis variis fabricatæ. Rex eorum potentissimus, cuius nomen Deus deorum, et Dominus dominantium: cuius nuntii angeli dicuntur iustitiæ, quorum vestis una est omnibus, et tactus eorum igni assimilatur urenti. Senatus huius Imperatoris valde clarus habetur: media pars Prophetæ nuncupantur, alii vero Apostoli pronuntiantur, civitas valde præclara, nomenque eius Christopolis, cuius murus ex auro purissimo, habens portas duodecim, et in ipsis singulæ dependent margaritæ, atque singuli ex Senatoribus per singulas sedent. Prima porta dicitur Petri, secunda Pauli, tertia Andreæ, quarta Ioannis, quinta Iacobi, sexta Philippi, septima Bartholomæi, octava Thomæ, nona Matthæi, decima Thadæi, undecima Simonis, duodecima Mathiæ. Ad rem vero nostram est magis quod subdit: *Sed et templum mirificum est in ea, habens Sancta sanctorum, et altare aureum, ante cuius conspectum vir quidam astat mirificus, tenens decem chordarum psalterium, ac iugiter ibidem degentes ad laudem Regis illius cohortatur, dicens: Laudate Dominum de cælis, laudate eum omnes angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius. Huius itaque nomen David filius Iesse pronuntiatur*, etc.

35. Vocatur tabernaculum. Secundo tamen verius, per *tabernaculum Dei* hic intellige totam civitatem cælestem, in qua S. Ioan. dicit se non vidisse templum: quia Dominus Deus omnipotens templum illius est, et Agnus. Ut enim dicunt Primasius et

A Richard. a S. Victore. In hac vita mortali tantum est locus oblationis sacrificii, et orationis, et consequenter templorum, quæ ad hoc solum destinantur. In cælo autem post plenam resurrectionem, locus est facialis præsentiæ, et fruitionis Dei, ubi videlicet sancti Deum facie ad faciem semper contemplantur, adorant, et laudant, atque in ipso quasi in templo divino, et increato, divinam et beatam obtinent mansionem: ita ut Deus eis sit templum, et præses templi, et omnia in omnibus. Agnus quoque, id est Christus, est templum Beatorum: tum quia, ut ait Cornel. Christus, qua Verbum, est Deus, Deoque Patri æqualis: tum quia, qua homo, sua gloria animæ, et corporis mire recreat Beatos, ab eisque quasi Salvator colitur, et adoratur. Secundo, templum speciale non est in cælo: quia, ut ait Viegas, Deus clare visus non eget templi alicuius externi amplitudine, ut maiestatem præferat, sed ipse per se satis gloriosum se Beatis demonstrat. Itaque ipsemet templum est sibi, quia et in se ipso videtur, et in se ipso maiestatem omnem templi continet. Alcazar recte compa-
B rat Christum hominem *Sancto*, id est, primæ parti, et quasi navi templi: Deum autem *Sancto sanctorum*, id est parti sanctissimæ eius, ubi erat arca.

Eadem tabernaculi voce usus est David Ps. 83. v. 1. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.* Figurata sunt illa tabernacula cælestia in tabernaculis populi Israel, prope terram promissionis consistentis, quæ admirans Balaam ait, Num. 24. 5. *Quam pulchra* (Chald. bona) *tabernacula tua Iacob, et tentoria tua Israel!* S. Ambr. vertit, speciosa habitacula. Sept. καλους οικους, id est, pulchras domos. Plato ipse apud Euseb. in orat. quam habuit ad sanctorum cœtum, id est ad Patres in synodo Nicæna congregatos dicit: Eos qui integre, inviolateque vitam traduxerint (animos nimirum piorum, et bonorum virorum) postquam e corporis custodia emigraverunt, domicilia in pulcherrimis cæli locis tamquam consecrata incolere, εν τοις καλλιστοις ουρανου καθιερωσθαι.

C Quæres secundo, cur cælestis Civitas vocetur tabernaculum? Resp. primo, ut eius sanctitas denotetur, cum tota 36. Ob duas rationes.
sit veluti templum Salomonis, et tabernaculum Mosaicum, in quo Deus laudetur, et honoretur. Hinc dicitur, *sanctificavit tabernaculum suum*. S. Bern. ser. 5. ad milites templi, salutans Ierusalem terrenam: *Salve*, ait, *civitas sancta, quam ipse sanctificavit sibi tabernaculum suum Altissimus, quo tanta in te, et per te generatio salvaretur. Salve civitas Regis magni, ex qua nova et iucunda mundo miracula nullis temporibus defuere ab initio.* Salve Domina gentium, Princeps provinciarum, Patriarcharum possessio, Prophetarum mater, et Apostolorum, imitatrix fidei, gloria populi Christiani, quam Deus semper a principio passus est oppugnari: ut viris fortibus, sicut virtutis, ita foret et occasio salutis. Salve terra promissionis, quæ olim fluens lac et mel tuis dumtaxat habitatoribus, nunc universo orbi remedia salutis, vitæ porrigis alimenta. Ita Bernardus, sed longe hæc veriora de cælesti Ierusalem, in qua Ioan. Apoc. 22. 1. *Vidit fluvium splendidum, tam-*
D *quam crystallum*: splendor crystalli, puritatem denotat. Pausanias in Atticis refert, Selemnum amnem, συμφορον ειναι και ανδρασιν, και γυναιξιν, ες ερωτος ιασιν, remedium amoris esse, et viris, et mulieribus. Plin. lib. 1. c. 103. dicit, in Falisco omnem aquam epotam candidos boves facere: in Bœotia amnem Melam oves nigras. Strabo lib. 10. Oves, inquit, quæ bibunt Cereum, λευκα γινεται, fiunt albæ: quæ Nileum μελαινα, nigræ. In cælo candor est, et virtus, ac sanctitas omnimoda.

Secundo, Alcazar noster censet civitatem cælestem vocari tabernaculum, ut denotetur summa sanctorum unio et communio, quod non in domo laxa et capaci, sed in tabernaculo degant, in quo unus ab alio abstrahi, aut celari nequit, sed omnes sese invicem vident, et perfruuntur, atque cælestem Regem inter ipsos placidissime degentem, ipsosque beantem, et omnibus bonis, donisque cumulantem præsentem habent: ita ille in Apocalypsim.

Secundo, securitas est in cælo, sciunt enim sancti bo-

na sua fore sempiterna, quæ nullus hostis eripere pos-
37. sit. Causam addit, quia Deus ibi est in medio eorum,
Vers. 6. v. 6. DEUS, IN MEDIO EIUS, NON COMMOVEBITUR: ADIUVABIT EAM DEUS MANE DILUCULO. Tria sunt hic consideranda. Primo, quod Deus sit in medio Ierusalem cælestis. Secundo, quod eam adiuvet mane diluculo. Tertio, quod inde sit consequens, ut civitas illa non commoveatur.

Deus est in medio Paradisi, et quomodo? Ac primo, *Deus in medio eius*, tamquam Pastor in medio gregis, tamquam Doctor in medio discipulorum, tamquam Pater in medio filiorum, tamquam Rex in medio populi sui, tamquam sol in medio stellarum, tamquam anima in medio cordis, ut inde vitam in omnia membra dispertiat, seque omnibus communicet. Apoc. 21. 3. *Audivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. Et ipsi populus eius erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* hoc est, speciali ratione eis providebit, et sua bona communicabit. Erit eis Deus, id est pater, provisor, protector, et glorificator. Deum se esse illis sua liberalitate, et benignitate declarabit. Ubi adverte, *in medio* dici, quia ad eum, velut ad centrum suum omnes Beati confluunt, et ad eum unum omnia sua referunt; 2. quia in eo omnes inter se uniuntur; 3. quia ad omnes splendorem suum extendit, non recedit in angulum, ut aliquibus se communicet, aliis lumen, ac radios suos occultet; 4. quia ex eo sine difficultate, velut ex fonte publico, licet haurire omnia bona. S. Basil. *In medio*, inquit, *civitatis est Deus*, ισας πανταχοθεν επι περατα κυκλου της εαυτου προνοιας τας ακτινας εκπεμπων, *æquales undequaque emittens radios suæ providentiæ ad fines usque orbis universi. Sic enim Dei iustitia conservatur, dum in omnibus eamdem bonitatis suæ dispersit mensuram.* Quod de Ecclesia militante accipit. Sed de triumphante præsertim sermo est, in medio illius specialius est Deus. Cælum, ait Cresol. lib. 1. Mystag. cap. 13. est Zotheca princeps, et velut in aula Imperatoris regale secretum, ad cuius portam quot fulgentes astrorum orbes, tot lucida vela pendent, quæ levanda videantur, ut ad illius maiestatem accedamus. Ipse Deus clare cælum vocat sedem suam, apud Isaiam cap. 66. *Cælum mihi sedes est.* Salomon, *regales sede*, Sap. 9. *et sedem magnitudinis Dei.* Sap. 18. Moses, Deuter. 26. *excelsum habitaculum.* David, *sanctuarium, sacrarium, Sancta sanctorum.* Sic enim canit Psal. 67. *Mirabilis Deus in sanctis suis.* Ubi non de sanctis hominibus loquitur: sed de loco, quem Septuaginta numero multitudinis dixere αγια, sancta. Hinc simpliciter επουρανιος, Cælestis nominatur in divinis litteris Deus: *Dum discernit cælestis reges super eam.*

38. Secundo, adiuvat Deus mane diluculo, id est summo
Deus iuvat mane diluculo, quod quatuor modis explicatur. mane. Quod 1. explicat Iansen. de auxilio promptissimo, q. d. Si quando opus fuerit, Deus ipse opem afferet quam celerrime, etiam ante ipsam auroram summo mane; 2. S. Basil. exponit de auxilio gratiæ initio boni operis: *Sol iste sensibilis*, ait, *matutinum tempus apud nos facit, quando supra nostrum horizontem eminuerit illustris, et con-*
1. *spicuus: matutinum autem in anima iustitiæ sol perficit in ortu lucis spiritalis, edens diem apud eum qui ipsum recepit. In nocte autem nos homines sumus tantisper, dum ignorantiæ tenebris obvolvimur. Postquam autem exerta mente, et adaperta, gloriæ splendorem exceperimus, et luce illa nunquam occasura circumfusi fuerimus, atque illustrati: tunc adiuvabit eam Deus mane diluculo. Postquam filii lucis facti erimus, et nox a nobis recesserit, dies appropinquaverit, tunc demum Dei auxilio digni erimus.*
2. Secundo, per *mane diluculo*, intelligit primum Christi exortum. Ecce enim, ait Propheta, oriens nomen eius. Lux venit in mundum, ut qui in ipsa ambulat, non offendat.
3. Tertio, adiuvat Christus *mane diluculo*, quia, ut ait idem Doctor, summo mane resurrexit. Tunc enim victor de morte triumphavit, et vim passionis suæ ostendit Eccle-
4. siam suam docens, confortans, et roborans. Quarto, et rectius Bellarm. το *mane diluculo*, exponit de initio felicitatis æternæ. Deus, ait, adiuvabit eam civitatem cælestem in exortu diei, id est, incipiente die felicitatis æternæ. Scriptura enim comparat infidelitatis tempus tenebris noctis, tempus fidei auroræ, visionem Dei claritati diei. B. Paul. ad Rom. 13. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* Et S. Petr. in 2. epist. cap. 1. *Habetis firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris.* Et Sponsa in Cant. cap. 2. *Donec aspiret dies, et inclinentur umbræ.* Et Propheta Malach. c. 4. *Vobis timentibus nomen meum orietur Sol iustitiæ.* Et cum hac sententia satis apte cohæret antiqua lectio, quam habet S. August. et cuius meminit S. Ambros. et quam amplectitur Ecclesia in officio Ecclesiastico: *Adiuvabit eam Deus vultu suo*, id est, adiuvabit eam adiutorio omnium maximo, et potentissimo, quando ostendet ei vultum suum, quod tunc erit, quando Sol iustitiæ manifeste se illi ostendet, et inchoabit diem illum ab initio mundi a sanctis omnibus desideratum et expectatum: de quo dicit Apostolus, 2. Timoth. 1. 12. *Scio cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem.*

Tertio denique, ex illa Dei præsentia in medio civitatis 39.
cælestis, et ex adiutorio illi dato, sequitur ut sit stabilis, *Civitas Dei non commovetur.*
et secura. Hinc dicitur Deus *in medio eius* (ideo) *non commovebitur*, illa civitas. Est tamquam in medio animalis illud conservans, vel tamquam columna in medio ædificii illud sustentans. Itaque, ut ait S. Basil. το ασαλευτον χαριζεται αυτη, eam stabilitate donat. Hoc de Ecclesiæ militantis immobilitate sic explicat Epiphan. Diacon. in Concil. Chalced. Expedit igitur, ait, in his plorare hæreticorum errorem, qui hæc taliter contempserunt, qui tam manifestis dogmatibus obiurgantur, et tam Deo decibiles irritas promissiones Ecclesiæ Catholicæ faciunt, his impie derogantes. Nullatenus enim hæc a tradita sibi commota est fide: *Mansit autem sicut virgo casta, sicut scriptum est, Christi sponsi sui arrham inviolabilem servans: id est, datam in se Spiritus gratiam. Cuius rei gratia et divinus David multis prius gentibus immobilitatem fidei ab illa exhibitæ prædicans asserebat, Deus in medio eius non commovebitur*: diabolicis videlicet impugnata machinamentis. Nam etsi firmamentum Evangelicæ prædicationis, quæ in eam data est, quidam antiquorum, vel instantium hæreticorum concutere voluerunt, illis tamen quod meditati sunt, in opus reputatum est. Huic autem soli immobilitas in æternum servata est iuxta repromissionem illius, qui non mentitur, dicens Isaiæ 49. 15. *Si oblita fuerit mulier pueri sui, ut non misereatur sobolis ventris sui?* Quod si et oblita fuerit huius mulier, sed ego non obliviscar tui, dixit Dominus: ita Epiphan. qui post aliquot interiecta, ostendit fidem Catholicam stare, errores vero gentilium intercidisse: *Ubi est*, inquit, *perniciosa dæmoniorum acies? Ubi inanes et execrandæ idolorum immolationes? Ubi falsi numinis deorum deceptoriæ, animarumque corruptrices divinationes? Ubi debacchationes Veneris, et sacra mysteria Cereris, atque Dianæ hospitalicidia? Ubi Dionysii vesanæ festivitates cum illicita virorum vesania, et nuncupati Mithræ iusta imbutio? Ubi subtus terram, et supra terram facta et aeria homicidia vocatorum deorum taliter delectantium? Nonne omnia unigeniti Filii Dei adventu perierunt, et finem profanissimum susceperunt? Nonne pulchre quondam dedicata eorum templa nunc Imperatoriis elisa iussis, et ad terram prostrata sunt? Nonne memoriæ ipsorum ab omnium corde Christianorum disparuerunt?* Vides conturbatas gentes, et inclinata regna dæmoniorum, et ad Dei vocem motam esse terram, sicut Propheta noster dicit.

Tropolog. Anima illa non commovetur, cuius in medio 40.
est Christus, quæ eum non reiicit in angulum, sed omni- *Anima in cuius medio est Deus, non commovebitur.*
bus præfert, et in se dominari perfecte exoptat, ita ut nihil sit, quod se abscondat a calore eius, aut eius oculis se subducat. Isaias dicit animæ Deum contemplanti, cap. 12. 6. *Exulta, et lauda habitatio Sion* (speculam significat) *quia magnus in medio tui Sanctus Israel*, id est Deus Israelis. Israel potest significare virum, qui videt Deum. S. Cyrill. Alex. lib. 3. in Ioann. cap. 24. vim divinæ præsentiæ sic exponit: *Non dubitemus multo maiora quam*

speravimus, præstantioraque bona ex Christi præsentia nos consecuturos: et qui absente ipso laboramus, præsente eo sine opera nostra quiescemus. Sic enim omnium periculorum Christus solutio est. S. Bern. epist. 24. ad Henric. Archiep. Ipsam, ait, si necesse est, intret gehennam securus, medias penetrans flammas læta decautet conscientia: *Etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*, Ps. 22. 4. quem locum consule.

41. Martyrum alacritas in tormentis. Hinc tanta alacritas Martyrum in mediis tormentis. Unum exemplum affero. S. Processus, et Martin. custodes carceris, videntes cælestem vitam, et doctrinam Apostolorum Petri, et Pauli, quos custodiebant, conversi sunt ad Christum: cumque aqua deesset, S. Petrus facto in saxo Tarpeio signo crucis, fontem elicuit, quem etiamnum fluentem peregrini mirantur, et gustant, indeque eos baptizavit. Qui mox tanta gratia, robore, et iubilo dotati sunt, ut cum Paulin. Præfectus saxo os eorum, maxillas, et dentes contundi iuberet, illi oculis in cælum fixis canerent: *Gloria in excelsis Deo*. Rursum cum eculeo, candentibus laminis, scorpionibus, aliisque diris tormentis cruciarentur, non aliud resonabant, quam: *Benedictum sit nomen tuum Domine in sæcula.* Tandem securi percussi via Aurelia læti, et exultantes martyrium obierunt, ut est in eorum vita apud Surium tom. 4. 2. Iulii. De illa firma, et solida mentis pace in externis afflictionibus dicit Hugo a S. Victore cap. 56. in Psalmos: *Beata civitas quæ regem habet Deum: quia cum foris bella patitur, pax eius intus non conturbatur. Felix ille qui talem habet animam, ita in amore Dei solidatam, ut quæcumque foris molestiæ perstrepant, tamen usque ad silentium internæ quietis non perrumpant: quia Deus qui pacis amator est, cor turbatum inhabitare non potest.*

Non modo sancti, et electi Dei non commoventur, sed victores exultant, cum cernunt hostes suos ita attritos, ut per totam æternitatem in eos insurgere non possint.

42. Vers. 7. v. 7. CONTURBATÆ (quidam apud S. Chrysost. συνεχύθησαν, id est, *congregatæ*, cum pavore scilicet ac tumultu, sicut oves trepidæ, et ad macellum ducendæ) SUNT GENTES, ET INCLINATA (S. Hieron. concussa. Aquila, prolapsa. Sym. eversa) SUNT REGNA: DEDIT VOCEM SUAM (S. August. S. Ambros. Psalt. Rom. atque Æthiop. addunt *Altissimus*, ideo vox est terribilior) MOTA (S. Hieron. prostrata) EST TERRA.

Vox Dei multiplex. I. Quæres, quænam hæc vox Dei? Primo, Iansen. ait esse tonitruum, aut alium quemvis modum, quo iram suam maximam declarat pugnans in hostes Davidis, vel Ezechiæ. Censet enim hunc Psalmum esse compositum occasione victoriæ Davidi divinitus concessæ de omnibus suis circumquaque inimicis, regno eius infestis. Aut occasione eius liberationis, qua tempore Ezechiæ regis populum Iudæ, et civitatem Ierusalem Dominus liberavit ab obsidione Assyriorum, plaga magna illos cædens, et suis pacem præbens.

II. Secundo, vocem Dei quidam explicant de clangore tubarum a sacerdotibus facto iussu Dei, ad quem corruerunt muri Iericho, ut habetur Iosue 6. 5.

III. Tertio, Chald. exponit de voce Dei legem dantis in monte Sina. Sic enim vertit: *Deus et maiestas eius in medio eius, non commovebitur: adiuvabit eam Dominus in tempore matutino, quando dabat legem populo suo, conturbatæ sunt gentes: tremuerunt regna: quando exaltavit vocem suam, dissoluti sunt habitatores terræ.*

IV. Quarto, vocem Dei pro eius imperio sumit S. Chrysost. *Non enim*, inquit, *vincit Deus voce et clamore, sed solo nutu et voluntate.*

V. Quinto, S. Ambros. S. August. S. Basil. *vocem Dei* hic interpretantur vocem Christi cum hominibus conversantis, et regnum peccati destruentis. Sic autem loquitur S. Ambros. *Regnum peccati, mortis est regnum, quod diu toto orbe prævaluit. Unde et Apostolus ait Rom. 5. Sed regnavit mors ab Adam usque ad Mosen, etiam in eos, qui non peccaverunt, in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri. Venit veritas, figura cessavit. Venit vita, regnum mortis evanuit. Venit remissio peccatorum,*

A *et peccati vincula resoluta sunt. Ante etiam leviora delicta mortis nexibus stringebantur, post adventum autem Domini salutaris etiam graviora flagitia sunt remissa. Inclinata sunt ergo regna spiritualium nequitiarum, quæ sunt in cælestibus, quia cultus simulacrorum, et illecebra peccati cœpit imminui Evangelicæ prædicatione doctrinæ. Inclinata est perfidia, posteaquam cœpit fides in nationum regnare pectoribus. Inclinantur regna peccati, cum legitur Rom. 6. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Inclinavit omnia regna perfidia voce sua Dominus, dicens, Matt. 11. 28. Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis: et ego reficiam vos. Hanc vocem dedit Altissimus, et omnes eum secuti sunt populi nationum, dura peccati regna fugientes, et perpetuæ mortis atrocitatem, atque intolerabilem flagitiorum omnium servitutem, cum polliceretur fessis requiem, captivis remissionem, servientibus libertatem, et decurso iugo ferreo Babylonii regis, iugum suum suave cervicibus fidelium subrogaret, ne vacua colla gen-* B *tilium rursus inimicus catenis suæ iniquitatis adstringeret. Christus enim quos alligat, liberat: et quos adstringit, absolvit. Denique, qui servus vocatus a Domino est, libertus est Domini; et qui liber vocatus, servus Christi est. Ideoque in suis vinculis Paulus gloriatur, dicens Ephes. 3. 1. Paulus vinctus Iesu. Quod sub aliis contumelia est, sub Christo gloria est:* ita Ambros. qui addit: Christum dedisse vocem suam in passione, et universa elementa tremuisse, omnem terram commotam esse, ut ritus ille gentium solveretur, fieret terra Domini, et plenitudo eius, ut scriptum est, cessarent auguria perfidorum: et sacrificium impietatis, cognitio fidei, et studium devotionis abolerent.

Sexto, *vocem Dei*, hic ait esse tubæ Evangelicæ sonum. VI.
Raynerius verba eius sunt: Conturbatæ salubri commotione sunt gentes, per prædicationem Apostolorum, et miraculorum operationem, et inclinata, atque humiliata sunt regna gentium sub iugo fidei ad Christum adorandum: et Dominus dedit vocem, declaravit voluntatem suam per ora Apostolorum, et mota est terra, atque conversa sunt C corda terrena, ab infidelitate ad fidem, a vitiis ad virtutes: ita ille. Vide Ps. 18. 5. et Ps. 28. pene integrum.

Septimo denique, *vox Dei* conturbans gentes, et dissiliens regna, atque commovens terram, est præcipue vox Christi in die iudicii. Ibi se Altissimum esse demonstrabit, et impios esse vilem et abiectum pulverem, et cinerem. Vocem illam terrificam variis emblematis exprimunt Prophetæ, quæcumque sunt in natura rationali, animata, et inanimata, terroris plena illi comparantes. Primo, Isaias furentis militis clamori confert, cap. 42. 13. *Dominus sicut fortis* (Forerius, sicut gigas) *egredietur* (ad bellum, et prælium) *sicut vir præliator* (Arias, vir bellorum. Pagnin. vir bellicosus) *suscitabit zelum: vociferabitur et clamabit, super inimicos suos confortabitur* (et dicet) *Tacui semper, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar: dissipabo, et absorbebo simul desertos faciam montes*, etc. S. Augustin in Ps. 82. et S. Cyprian. lib. de bono patientiæ hæc exponunt de extremo iudicio. VII. 43. Christus in iudicio comparatur militi furenti.

D Secundo, iudicem Deum Ieremias comparat leoni, horrisono strepitu sylvas, et montes exterrenti: ne quis speret humanæ participem naturæ inflectendum esse misericordia, ob humanam calamitatem. Sic autem ait cap. 25. 30. *Dominus de excelso rugiet, et de habitaculo sancto suo dabit vocem suam: rugiens rugiet super decorem suum: celeusma* (clamorem lætum, ac iubilum nautarum, et remigum ad remigandum, et prællandum) *quasi calcantium concinetur adversus omnes habitatores terræ. Pervenit sonitus usque ad extrema terræ: quia iudicium Domino cum gentibus: iudicatur* (disceptat) *ipse cum omni carne* (cum omni homine) *impios tradidi gladio, dicit Dominus* S. Hieron. hæc explicat de die iudicii. Cum Propheta Amos dicamus, cap. 3. 8. *Leo rugiet, quis non timebit?* Oseas cap. 11. 10. ait: *Quasi leo rugiet: quia ipse rugiet, et formidabunt filii maris:* id est 1. insulani, q. d. Homines marini; 2. filii Occidentis: quia mediterraneum est Iudææ ad Occidentem; 3. populi toto mare divisi, et qui per so- II. Leoni frementi.

lum mare adeuntur, ut sunt Americani omnes; 4. filii maris, id est filii huius sæculi, quod est mare salsum, et tempestuosum.

III. *Igni devoranti.* Tertio denique, Christum iudicem igni devoranti, et torrenti inundanti comparat Isaias cap. 30. 27. *Ecce nomen* (maiestas, et potentia) *Domini venit de longinquo, ardens furor eius, et gravis ad portandum: labia eius repleta sunt indignatione, et lingua eius quasi ignis devorans: spiritus* (halitus qui efflabatur ab ore irati) *eius velut torrens inundans usque ad medium colli ad perdendas gentes in nihilum, et frænum erroris* (potestatem dæmonis decipientis) *quod erat in maxillis populorum.* Id referunt ad diem iudicii S. Hieronym. et S. Thomas, atque evidens fit ex sequentibus.

44. *Deus animæ terrenæ terrorem incutit.* Tropolog. Deus animæ peccatrici, ac terrenæ interius loquitur, et illam commovet. S. Ambr. Dat, inquit, Deus vocem suam quotidio, et resultat in cordibus singulorum, ut terrenum omne decidat eius, qui bene credit, utque omnes interiorum sensus animorum ab errore, a corruptione luxuriæ, et dissolutione ad cognitionem cælestium Sacramentorum, et studium castitatis, a nequitia ad virtutem pia confessione moveantur.

ARTICULUS III.

Civitatis cælestis æterna pax.

45. *Vers. 8. Exercitus Dei sunt:* DIXERAT David Deum esse in medio populi sui, indeque esse consequens, ut non commoveatur, et hostes eius turbentur, hic assignat causam illorum effectuum duplicem: nempe potentiam Dei, et bonitatem, v. 8. DOMINUS VIRTUTUM NOBISCUM, SUSCEPTOR NOSTER DEUS IACOB.

I. *Angeli.* Pro *virtutum*, Hebr. est צבאות *tsebaoth*, id est exercituum, ubi potentiam vides Dei, veluti Ducis potentissimi. Sed quinam illi exercitus? Primo, angeli: *ita* S. Chrys. Vide, ait, *quomodo* a terra tollit orationem, *ad infinitos populos angelorum,* ad gentes archangelorum, ad supernas potestates. Quid enim mihi dicis castra, et barbaros et homines qui pereunt? Considera Dei vires. In regno, quod in cælis obtinet, quot invisibilium potestatum exercitus sub se habet instructos? Recte autem eos appellavit virtutes, vires eorum ostendens. Sed etiam dicit Ps. 148. 8. *Valentes viribus facientes verbum eius.* Nam unus angelus cum aliquando esset egressus, centum octoginta quinque millia sustulit: *ita* ille. Iacob fugiens Esau fratrem suum, obviam habuit multitudinem angelorum a quibus invaretur: unde dixit Gen. 32. *Castra Dei sunt hæc:* et locum vocavit *Mahanaim*, q. d. Duo castra: est enim vox illa dualis numeri. Duæ enim acies, seu turmæ illi occurrerant. Uni quidem præerat angelus præses Mesopotamiæ, qui cum sibi subditis angelis eum deduxerat usque ad fines sibi commissæ regionis; alteri præerat præses Chananææ, qui eum excipiebat in primo ingressu suæ ditionis, ut eum ab Esau tutaretur. In Iacobo erat figuratus Christus, in cuius nativitate præsto fuit multitudo militiæ cælestis laudantium Deum, Luc. 2. 13. Ubi rex, ibi principes: ubi dux, ibi milites.

II. *Stellæ.* Secundo, exercitus Dei sunt stellæ, et astra omnia: nempe sol, luna, et alia. Isaiæ 40. 26. *Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc: qui educit in numero* (in numerosa dispositione et ordine) *militiam eorum, et omnes ex nomine vocat,* qua phrasi notatur perfecta Dei cognitio et cura de illis, atque eorum prompta ad nutum obedientia.

III. *Homines virtute præditi.* Tertio, virtutes seu exercitus Dei sunt homines virtute præditi: ita S. Hieron. Dominus, ait, virtutum nobiscum. Per assumptionem carnis, particeps factus est nobis. Ideo et Emmanuel, id est, nobiscum Deus, Dominus virtutum, angelorum et hominum: ita Hier. Militiam cæli, ait Forerius Isaiæ 22. esse ministros templi, id est, Sacerdotes: quia sicut angeli in cælo, ita ipsi in templo semper assistunt et ministrant Deo: longe melius dicetur hoc de sanctis in cælo Deum semper laudantibus, et ad eius unius voluntatem attentis.

A Nota, Deus speciali modo nobiscum est cum iuvat, vel novo beneficio afficit: sicque Beati dicunt hic, *Dominus virtutum nobiscum.* Sic sacerdos in Missa dicit adstantibus, *Dominus vobiscum*, supple sit: vos scilicet adiuvans, vota precesque exaudiens. Ioan. Stephan. Durant. de ritib. Eccles. Cathol. lib. 2. cap. 15. Salutatio, ait, sacerdotis ad populum per hæc verba, Dominus vobiscum, vetustissima est, eamque a traditione Apostolica fluxisse testatur Concil. Bracar. Can. 21. ibi. Sicut ab ipsis Apostolis traditum, omnis retinet Oriens. Huius meminit S. Dionys. de Eccl. Hier. his verbis: *Divinissima autem salutatio sancte peragitur, et hagiographarum tabularum mystica, et supra mundana recitatio.* Sic Booz salutat Messores suos, Ruth. cap. 2. 4. Propheta item missus a Deo salutat iisdem verbis Aza regem Iuda, 2. Paralip. 15. 2. angelus Gedeoni principi futuro populi Israel ait, Iudicum 6. 12. *Dominus tecum;* et Gabriel archangelus Deiparæ, Luc. 1. 28. Sacerdos etiam cum unus tantum adest in Missa potest, et debet dicere: *Dominus vobiscum:* quia, B ut ait Innoc. pie credendum est, et sacris auctoribus comprobatur, quod angeli Dei adstant orantibus, deinde quilibet habet angelum suæ custodiæ deputatum, præterea angelus est custos Ecclesiæ, et altaris, et multi angeli intersunt Sacrificio. Alexandr. de Ales, dicit salutari Ecclesiam cum dicitur, Dominus vobiscum, et Orate pro me. Obiter adverte, quod hæc salutatio, Dominus vobiscum, sacerdotum est. Præsules vero prima vice dicere solent, *Pax vobis.* Apostolorum successores, id est Ecclesiarum Præsules, ait Alcuinus de divinis officiis cap. de celebratione Missæ, hac salutatione utuntur, Pax vobis: quam ideo Episcopalem salutationem Petr. Damian. appellat: eaque recens non est, nec a S. Gregor. aut alio recentiore instituta. Ea formula usos fuisse S. Iacobum et Basilium ex eorum liturgiis apparet. S. Ambros. de dignitate Episcopali cap. 5. Pronuntiat, inquit, Episcopus huiusmodi ad populum, dicens: Pax vobis. S. Chrysost. hom. 3. ad Coloss. Mox, ut Præsul Ecclesiæ ingreditur, dicit: Pax C omnibus. Quando concionatur: Pax omnibus: quando benedicit: Pax omnibus: quando salutem optare iubet: Pax omnibus: quando sacrificium absolvitur: Pax omnibus: ita ipse. Quam amanter Christus pacem apprecabitur Beatis in cælo? 46. *De formula, Dominus vobiscum.*

Quod ad bonitatem Dei spectat, addit David: *Susceptor noster Deus Iacob,* id est Iacobi Patriarchæ, a quo omnes Iudæi sunt prognati. Vide dicta Psalm. 19. 2. *Deus susceptor noster est.* Primo, quia naturam nostram suscepit per incarnationem: ita S. Thom. Cassiod. Ruffin. Beda, et Turrecremata. Secundo, susceptor noster, quia nos tuendos suscepit: ita Bellarmin. velut clientes patronus: clientes enim Iurisconsulti *susceptos* vocant: illos enim, et eorum bona tuenda et defendenda patroni suscipiunt; 2. sicut medicus ægrotos. *Quantacumque sit infirmitas tua,* ait S. Aug. *vide quis te suscipiat. Ægrotat nescio quis: adhibetur medicus, susceptum suum dicit medicus ægrotum. Quis eum suscepit? Ille. Magna spes salutis, magnus* D *medicus eum suscepit. Quis medicus? Omnis medicus præter illum homo est. Omnis medicus qui venit ad infirmum, alia die infirmari potest, præter illum. Susceptor noster Deus Iacob.* Tertio, suscepit nos sicut pater filios. Pergit S. August. Fac te infantem parvulum omnino, quales a parentibus suscipiuntur. Qui enim non suscipiuntur, exponuntur: qui suscipiuntur, nutriuntur. Putasne sic te suscipit Deus, quomodo infantem te suscepit mater tua? Non sic, sed in æternum. Tua enim vox est in isto Psalmo: *Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me:* ita ipse. Quarto, itaque suscipit nos Deus manum extendens, ut in cælum ascendentes Civitatem beatam subeamus: et sinum expandens, ut o certamine venientes victores amplectamur. Pro *susceptor* Hebr. est משגב *misgab*, id est exaltatio, refugium, locus altus, et hostibus inaccessus: sic arx dicitur ab arcendo hoste: item *misgab*, est exaltator, refugium præbens, protector, susceptor. S. Hieron. vertit, *Protector noster Deus Iacob.* Felix, *protectio nobis.* Pagn. elevatio

47. *Suscipit nos Deus quatuor modis.* 1. 2. 3. 4.

nobis. Camp. refugium nostrum. Syr. et Arabs, adiutor noster. Chald. fortitudo nostra. Nam תקוף *thekoph*, significat robur, fortitudinem, firmitatem, munimentum. Rad. *thekaph*, est augeri, crescere, multiplicari, validum, ac potentem esse, roborari, confirmari.

Plenam pacem, divina ope partam Beatis, admirans David, ad eam contemplandam omnes invitat, v. 9. VENITE, ET VIDETE OPERA, QUÆ (opera scilicet) POSUIT PRODIGIA SUPER TERRAM, id est, in terra, ut vertit S. Hieron. et Felix.

Vers. 9.

48. Prodigia Dei quinque.

Quæres, quæ prodigia? Primo, de primo Christi in terras adventu sic exponit Raynerius, q. d. Venite, credito, et videte lumine fidei opera Domini nostri Salvatoris, quæ magnalia posuit, et inssueta prodigia super terram tempore suæ nativitatis, quando Virgo suscepit, stella Magis apparuit: auferens etiam bella omnia usque ad finem terræ, quia tunc templum Iani ab Augusto Cæsare clausum est: ita ille.

Secundo, *prodigia* illa Christi explicat Lind. de Christi inauditis orbi miraculis, quibus fiet celeberrimus, unde pii facile sibi Deum esse persuadeant. Arabs vertit, *Venite, et videte signa Dei, miracula quæ fecit in terra.* Syr. *Venite, et videte opera Dei facientis mirabilia in terra.*

Tertio, *prodigia* illa Euthymius explicat de mirabilibus, quæ contigerunt in conversione orbis per Evangelium, omnia enim tunc supra naturam acciderunt. Nam piscatores vicerunt philosophos, et pauci homines totum orbem: et qui nudi erant, divites: et qui pauperes, ipsos reges: qui etiam mortales erant, et visibiles, immortales et invisibiles dæmones superarunt: ita Euthymius.

Quarto, *prodigia* illa Chald. S. Hieronym. Pagn. et Felix exponunt de destructione impiorum. Chald. enim vertit, Ambulate, videte opera Dei, qui posuit vastationes in impios terræ. Quod exponi potest in bonam partem de eorum conversione, tunc enim destruitur impietas, et in malam partem de ipsorum perditione.

Quinto denique, et melius, *prodigia* illa Dei sunt opera quæ sequuntur: nempe quod auferet bella usque ad finem terræ, et pacem æternam dabit suis electis, quos ita attriverat mundus, et dæmonum multitudo. Nonne prodigium est videre Lazarum in sinu Abrahæ, qui, ut ait S. Aug. lib. 4. de anima, est locus quietis, et divitem epulonem sepultum in inferno inter flammas et dæmones? Hinc fit ut velut prodigio exterriti impii exclament, Sap. 5. 4. *Nos insensati vitam illorum æstimabimus insaniam, et finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est?*

Nota pro *prodigia*, Hebr. est שמות *sciammoth*, quod significat primo desolationes et vastationes; secundo, admirationes, et res admirandas. Inde orta est versionum varietas.

Vers. 10

Quam perfecta sit ea pax ostenditur v. 10. AUFERENS BELLA USQUE AD FINEM TERRÆ. ARCUM CONTERET, ET CONFRINGET ARMA: ET SCUTA COMBURET IGNI. Ubi tria dicuntur, 1. quod omnia bella auferuntur; 2. quod auferuntur usque ad finem terræ; 3. quod omnia belli instrumenta confringuntur.

49. Christus in terras veniens attulit pacem.

Primo quidem, adveniens Christus in terras pacem attulit, ut habes Ezech. 39 9. Isaiæ 2. 4. Michææ 4. 3. Zachariæ 9. 9. Psalm. 84. 11. sed longe perfectiorem dat in cælo, unde bellum exulat relegatum in inferos. Est enim furia ipsa Tisiphone dirior, pax vero, ut loquitur Euripides in Ctesiphonte est, κάλλιστα μακάρων θεῶν, pulcherrima felicium Dearum. In cælo proprio auferuntur bella usque ad fines terræ, id est usque ad extremum terræ, ut vertit S. Hieron. In cælum enim non intrant, ex quo debellatus Lucifer a S. Michaele decidit ex illo palatio. Pax Deo est gratissima, ut canit Baptista Mantuanus his versibus:

Pax plenum virtutis opus, pax summa laborum,
Pax belli exacti pretium est, pretiumque pericli.
Sidera pace vigent, consistunt terrea pace:
Nil placitum est sine pace Deo.

50. Pax in cælo est quadruplex?

Nota, in cælo est pax quadruplex: 1. inter Deum et sanctos; 2. inter angelos et eosdem sanctos; 3. inter ipsos homines sanctos; 4. In unoquoque sancto pax partis superioris cum inferiore. Hæc est vera et perfecta abundantia pacis per Christum parta. Ugo Cardinal dicit Christum in terras venientem quadruplex bellum abstulisse: 1. enim, inquit, bellum inter Deum et homines, propter peccati transgressionem; 2. inter angelos et homines, propter Adæ et Evæ eiectionem; 3. inter homines et homines, propter diversarum legum æmulationem; 4. denique, inter carnem et spiritum, propter mutuam altercationem. Venit ergo Filius Dei, et satisfecit Patri pro homine, Philipp. 2. *Factus obediens usque ad mortem.* Et sic facta est pax inter Deum et homines, de qua Isaiæ 27. *Faciet mihi pacem, pacem faciet mihi.* Sicque dicitur mediator Dei et hominum, 1. Timoth. 2. Bellum vero inter homines et angelos terminavit, cum de hominibus reparavit ruinam angelorum, ut dicitur Ps. 50. *Benigne fac in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Ierusalem.* Isaiæ 57. *Veniat pax, requiescat in cubili suo: vos autem accedite huc*, id est in cælum, *filii auguratricis*, id est homines. Bellum deinde inter homines et homines pacificavit: quia omnes in unam Ecclesiam, et unitatem fidei convocavit. Ioan. 10. *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et fiet unum ovile et unus Pastor.* Ephes. 2. *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* Lapis est angularis omne ædificium simul colligans. Bellum denique inter carnem et spiritum in seipso pacificavit, utrumque concorditer in se assumens et pacifice gerens. Ps. 75. *Factus est in pace locus eius.* Hoc in nobis compescit, non tamen omnino aufert. Iudic. 3. *Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem.* Bella aufert Deus usque ad fines terræ, quia ad omnes se extendit ista pax, qui eam volunt recipere. Luc. 2. *In terra pax hominibus bonæ voluntatis:* ita Ugo. Si tanta fecit in terris Christus, quid facit in cælo, ubi est regnum et ditio pacis?

Secundo, omnia belli instrumenta auferuntur e cælo: *Arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni.* Non erunt ibi necessaria arma offensiva, neque defensiva. Nota, pro *arma*, Hebr. est חנית *chanit*, id est, 1. hasta, lancea. Unde S. Hieronymus et Pagn. concidet hastam. Syr. et Arabs, comminuet hastas; 2. *anith* quælibet arma significat: hinc Sept. vertunt ὅπλον; Noster, et Flamin. *arma*. Et sic redditur etiam Ps. 56. 5. Deducitur a חנה *chana*, castrametari. Nota secundo, pro *scuta*, Hebr. est עגלות *agaloth*, quod S. Hieronym. Felix, et Pagn. vertunt plaustra. Camp. quadrigas. Sed vox illa *agaloth* proprie significat rotunditates: quia igitur etiam scuta erant rotunda; melius Sept. vertunt θυρεούς, id est scuta. Et Chald. scuta rotunda. Melius enim illa cum arcubus et hastis conveniunt quam plaustra. Est autem synecdoche: per illa enim tria intelliguntur arma cætera.

Quæres, quid symbolice denotat fractio, et combustio arcuum, hastarum, et scutorum? Contritio arcus, ait Lorinus, et confractio armorum, est annihilatio versutiarum, et machinationum diaboli: scutorum combustio, emollitio cordium durorum per ignem: bellorum ablatio, pacificatio intus et extra, secundum Hugonem a S. Victore annot. in Ps. 57. Secundo, idem fere tradunt enarratores de arcu insidiarum, de armis publicæ impugnationis, de scutis vanæ præsumptionis, excusationis, perfidiæ: de igne Spiritus sancti. Hoc modo præsertim ii, qui nomen gestant Ruffini, et Hieronymi. Tertio, S. Ambros. Cassiod. S. Thom. Ugo Cardinalis, et alii, in arcu insidias diaboli: in armis, bona temporalia: in scutis, defensiones peccatorum considerat, per excusationem verecundiam, imminutionem, comparationem. Ait opera Prædicatorum arcum conteri, qui non ignorant cogitationes diaboli: arma confringi contemptu divitiarum, ad quem Christus provocat, Luc. 14. 33. scuta comburi amore ignis divini, ut etiam qui benefecerunt servos se nominent inutiles, Luc. 17. 10. Quarto, Valentia docet designari per arcum potestatem tyrannorum: per arma omnia genera peccatorum, in quibus confidebat diabolus: per scuta, inanem philosophiam ritumque superstitiosum Gentilium, vel sacerdotium Iudæorum, et regnum eorum, et muros Ieru-

51. Symbol. Confractio arcus, hastæ, et scuti quid?

salem, quæ opera Romanorum Deus contrivit, confregit, combussit. Quinto, Cassiodorus arcui insidiarum infidelium opponit virtutem conterentem: armis superstitionis gentilitiæ, certamina fidelium: scutis defensionum perfidorum, ignem cælestem. Sexto denique, S. Gregor. 33. Moral. cap. 29. paulo aliter explicat, arcum conteri, cum occulta insidiantium machinamenta dissolvuntur: arma confringi, cum ea quæ contra Deum eriguntur, patrocinia humana comminuuntur: scuta igni comburi, cum peccantium mentes obstinata se duritie defendentes ad pœnitentiæ et confessionis ardorem sancti Spiritus calore succenduntur.

52. Vers. 11. Duo sunt necessaria ut videamus. Restat, ut tanta Electis parata bona contemplemur. Hinc subdit David v. 11. Vacate, et videte quoniam (quod) ego sum Deus, exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra. Nota, ut videamus, duo sunt necessaria. Primo, veniendum est ad Deum: *Venite et videte.* Secundo, vacandum: *Vacate, et videte.*

I. Veniendum est ad Deum duobus pedibus. 1. Fidei. Primum autem fit pedibus fidei, et spei, ac præsertim alis charitatis. Primo, fides est pes noster. 2. Cor 5. 7. *Per fidem ambulamus.* S. Augustin. in Psalm. nostr. *Si non venis, non vides: si non vides, non credis: si non credis, longe stas. Si credis, venis: si credis, vides. Quomodo enim venitur ad montem istum? numquid pedibus? numquid navibus? numquid pennis? numquid equis? Quantum attinet ad locorum spatia, ne satagas, ne conturberis, ipse ad te venit. Etenim ex lapide parvo crevit, et factus est mons magnus, ita ut impleret universam faciem terræ. Quid vis ergo ad eum per terras venire, qui terras implevit? Ecce iam venit, evigilas credendo, evigilantes pulsat: si tamen non tantus in eis somnus est, quo etiam contra montem venientem obdurescant, sed audiant. Ephes.* 5.14. *Surge qui dormis, et exurge a mortuis: et illuminabit te Christus. Multum enim erat Iudæis videre lapidem. Lapis enim ille adhuc parvus erat: merito et parvum contempserunt, contemnendo offenderunt, et offendendo quassati sunt, restat ut et conterantur.* Lege cætera, ubi Iudæos ostendit esse admodum cæcos, qui ob incredulitatem non videant montem, qui implevit totum orbem, id est Christum, cu-
2. Spei. ius fides est dilatata ubique. Secundo, spes est pes sinister ad Deum deducens, et ab Ægypto extrahens. Psalm. 77. v. 53. *Deduxit eos in spe.* S. Hieronym. eduxit eos cum fiducia. Psalt. Illyricum spem veluti currum facit
3. Alis charitatis. quod habet: Imposuit eos super spem. Tertio denique, charitatis alæ requiruntur, ut in Deo quiescamus illum contemplantes. Ps. 54. 7. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* Charitas illa operetur oportet, ut Deum videndum exhibeat. S. Basil. in Psalm. nostr. Quemadmodum, ait, corporis oculis accidit, ut semotiora intervalla eorum quæ se conspicua offerunt, apprehensionem reddat obscuram, et vix apparentem: contra vero propior accessio speculantis agnitionem rerum visibilium exhibeat tanto expressiorem. Sic et in omnimoda mentis contemplatione, qui δια των εργων, per bona opera sese Deo familiarem, et propinquum non reddit, ipsius Dei opera puris mentis oculis videre neutiquam potest: ita Basilius.

53. Vacandum est ut cælestia videamus. Secundum necessarium, ut videamus, est vacare. Parum enim est ad aliquem venisse, si cum veneris ad alia omnia quam ad ipsum oculos et animum applices. *Vacate, et videte.* Nota pro *vacate* Hebr. est הרפו *harpu*, id est primo cessate, desinite, remisse et lente agite. Rad. est רפה *rapha*, per he. Secundo, curamini, curate vos a superfluis scilicet mundi sollicitudinibus et anxietatibus. Rad. רפא *rapha*, quod est de quiescentibus lamed aleph, id est cuius tertia littera, hoc est consonans, est aleph. Neque dicas aleph non esse in *harpu;* nam sæpe excidit. Melius tamen Sept. sumentes in prima significatione verterunt, feriamini, vacui estote a negotiis, in otio estote. S. August. lib. de vera religione, cap. 35. vertit, *agite otium et agnoscetis.* S. Hieron. cessate, et cognoscite. Quidam apud S. Chrysostom. reddit ιασθητε curamini, et agnoscite.

54. Moral. Deus animo vacuo se videndum offert. Eccli. 38.

A 15. *Sapientia Scribæ* (id est Doctoris) *in tempore vacuitatis.* Pleraque Biblia habent, sapientiam scribæ in tempore vacuitatis. Græce, εν ευκαιρια σχολης, in opportunitate otii. Idem auctor Eccli. cap. 11. 10. ait: *Fili ne in multis;* masculine et neutre: id est, in multis hominibus et negotiis. Luc. 10. 42. Christus Martham reprehendens ait: *Martha Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Deus animo vacuo se offert videndum ob tres rationes.

Ratio a priori peti potest, tum ab ipsius animæ natura, tum a Deo, tum a rebus ipsis.

Primo enim, natura animæ finita est, et quo magis uni rei intendit, eo minus virium ad alias habet. Hinc illud tritum: Pluribus intentus minor est ad singula sensus. Quidam festive dixit: *Nulli matri plus filiorum, quam lactis: Nulli prudenti plus negotiorum, quam virium esse debet.* Oculus noster simul terram, et cælum respicere non potest, idem est de intellectu qui est oculus mentis. S. Gregor. lib. 26. Moral. *Locus,* inquit, *humani cordis* B *est delectatio vitæ præsentis, sed cum divina aspiratione tangitur, locus nostri cordis fit amor æternitatis: consideratione igitur æternæ patriæ de loco suo animus movetur: quia derelictis infimis in supernis cogitationibus ponitur: prius enim quæ essent æterna nesciebat, in præsentium delectatione torpuerat, simulque ipse transiens amore transeuntium tenebatur: sed postquam quæ essent æterna cognovit: postquam supernæ lucis radios raptim contemplando contigit: admiratione summorum sese ab infimis suscitatus elevavit: ut nulla iam ei nisi quæ æterna sunt, libeant, et despectis transeuntibus sola quæ permanent, requirat.* I.

Secundo, Deus infinitæ perfectionis cum sit, totum mentis oculum iure suo requirit. Hinc videndum se ostendit Mosi in monte Sinai, Apostolis Petro, Iacobo, Ioanni in monte Thabor, Eliæ se communicat in monte Horeb. Vult populum Israel sibi sacrificare in deserto, ait enim Mosi Exod. 3.18. *Ingredieris tu, et seniores Israel, ad regem Ægypti, et dices ad eum: Dominus Deus Hebræorum voca-* C *vit nos: ibimus viam trium dierum in solitudinem, ut immolemus Domino Deo nostro.* Dicebat S. Arsenius, non posse se cum Deo simul, et hominibus habitare. S. Cyprianus ad Donatum: *Una,* inquit, *placida et fida tranquillitas, una solida, et perpetua securitas est, si quis ab inquietantis sæculi turbinibus extractus, Deo suo mente proximus, quidquid apud cæteros in rebus humanis sublime, ac magnum videtur, infra suam iacere conscientiam glorietur. Nihil appetere iam, nihil desiderare de sæculo potest, qui sæculo maior est.* II.

Tertio denique, res terrenæ oculum mentis cruciant intra eum positæ; 2. obscurant; 3. degravant et sursum se erigere non sinunt; 4. claudunt; 5. conglutinant, ut aperiri non possit. S. August. epist. 113 ad Romanianum: *Laxatis,* ait, *curis mutabilium rerum, bona stabilia, et certa quæramus, supervolemus terrenis operibus nostris. Nam in mellis copia non frustra pennas habet apicula, necctit* (alii legunt necat) *enim hærentem.* S. Gregor. lib. 5. Moral. Nequaquam, ait, mens ad superna attollitur, si D curarum tumultibus continue in infimis occupatur. Quid enim de Deo occupata obtineat, quæ de illo apprehendere aliquid etiam vacans laborat? Bene autem per Psalmistam dicitur: *Vacate, et videte quoniam ego sum Deus.* Quia, qui vacare Deo negligit, suo sibi iudicio lumen eius visionis abscondit. Hinc etiam per Mosem dicitur, ut pisces qui pennulas non habent non edantur. Pisces namque qui habent pennulas, saltus dare super aquas solent. Soli ergo in electorum corpore quasi pisces transeunt, qui in eo quod imis deserviunt, aliquando ad superna conscendere mentis saltibus sciunt, ne semper in profundis curarum lateant: et nulla eos amoris summi quasi liberi aeris aura contingat: ita Gregorius. Lege eum lib. 1. Dialog. cap. 1. suam miseriam deplorantem ob curas, quibus iam Papa revocabatur e Dei contemplatione. III. 55.

In cælo præsertim dicet Deus Beatis: *Vacate, et videte quoniam ego sum Deus.* Nihil enim aliud curabunt, aut amabunt sancti. S. August. lib. 22. de civit. Dei, cap. 30. Soli Deo videndo vacabunt sancti in cælo.

agens de æterna felicitate civitatis Dei, et sabbato eius perpetuo dicit: *Ibi perficietur. Vacate, et videte, quoniam ego sum Deus. Quod erit ibi vere maximum sabbatum non habens vesperam. Quod commendavit Dominus in primis operibus mundi, ubi legitur Gen. 2. 2. Et requievit Deus die septimo ab omnibus operibus suis, quæ inchoavit Deus facere. Dies enim septimus etiam nos ipsi erimus, quando eius fuerimus benedictione, et sanctificatione pleni atque refecti. Ibi vacantes videbimus, quoniam ipse est Deus, quod nobis nos ipsi esse voluimus, quando ab illo cecidimus;* deinde postquam ostendit ibi futurum perfectum sabbatum, id est requiem, in septima ætate, subdit: *Ibi vacabimus, et videbimus: videbimus, et amabimus: amabimus, et laudabimus. Ecce quod erit in fine sine fine. Nam quis alius noster est finis, nisi pervenire ad regnum, cuius nullus est finis.*

ARTICULUS IV.

Quam abundanti gratiarum fluxu Deipara irrigatur a Deo, et vicissim ipsa Ecclesiam irrigat?

De Ecclesia triumphante locum Prophetæ nostri: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*, etc. explicuimus. Nunc sensum mysticum De Beata Virgine explicemus. Dupliciter autem id fieri potest. Primo ut dicamus eam esse fluvium, qui irrigat civitatem Dei. Secundo, ut ostendamus eam esse civitatem, quam irrigat Deus suis gratiis, velut fluvius immensus donorum æternorum.

56. Deipara est fluvius gratiarum. Ac primo, Deipara est fluvius gratiis abundans. Ipsa dicit Eccli. 24. 41. *Ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio*, (id est sicut aliquis fluvius fossilis, et ab alio deductus. Syr. Ego sicut fluvius qui irrigat) *ego quasi fluvii Dioryx* (id est alveus, rivus, fossa; alii vertunt, ego quasi fluvius Dorix, vel Dorax, vel Dioryx, et putant esse Araxim, sed male) *et sicut aquæductus* (sicut fluvii Phison, Geon, Tigris, et Euphrates) *exivi de Paradiso*. Aliqua vetusta exemplaria sic habent, Ego quasi fluvius vorax, quod ut ait Salazar in Prov. cap. 31. in Virginem aptissime quadrat, quæ gratiarum omnium fluenta, ut ita dicam, hausit, ac perbibit, et quidem de ea dicit S. Bonavent. in Speculo cap. 3. Omnia charismata intrant in Mariam, flumen enim gratiæ Angelorum intrat in Mariam, flumen gratiæ Patriarcharum et Prophetarum intrat in Mariam, flumen gratiæ Apostolorum intrat in Mariam, flumen gratiæ Martyrum, Confessorum, Virginum, Doctorum intrat in Mariam: omnia denique flumina intrant in Mariam. Sed quid mirum si omnis gratia in Mariam confluxit, per quam tanta gratia ad omnes defluxit? ita Bonaventura. Lege S. Bernard. serm. de Nativitate B. Mariæ. Eam vocat nubem Chrysipp. serm. de S. Maria: νεφέλας, ait, υετου ψυχας οσιων ποτιζοντος, nubes pluviæ potum animis sanctorum exhibentis. Rorem nuncupat S. Germ. Patr. Constant. sermon. de virginis dormitione: δροσος, inquit, ψυχικης αυχμηριας, ros est siccitatis animi. Et in encomio eiusdem: μονη εν εμοι καυσωνος η θεια δροσος: *Sola in me existentis æstus divinus ros* Et postea, ξηρανθεισης μου καρδιας η θεορρυτος ρανις, cordis mei exarescentis guttæ divinitus fluentes. Puteus aquarum viventium vocatur a Richardo de S. Laurentio lib. 9. Fons est, fluvius est, mare est. Eccli 24. 43. *Ecce factus est mihi trames abundans* (Syr. Ecce etiam fuit mihi torrens) *et fluvius meus appropinquavit ad mare*, id est, fuit instar maris immensus. Non unum tantum mare, sed omnia maria gratiarum est Maria, quæ per septuaginta duos vitæ annos semper gratias recipiens, et nihil ex illis perdens prope habuit gratiam infinitam, sicut infinita est dignitas matris Dei. Hinc S. Ioannes Damasc. orat. 2. de Assumptione eam nominat gratiæ abyssum. S. Epiphan. orat. de laudib. Virg. *Gratia*, inquit, *sanctæ Virginis est immensa*. Ac postea ait esse, *mare spirituale, cui prædicando, neque hominum, neque angelorum lingua sufficit.*

57. Non sibi tantum, sed etiam nobis abundat Maria; est A enim mater nostra, et totius Ecclesiæ, quam irrigat et irrigando lætificat. *Fluminis impetus* (dat gratiarum abundantiam) *lætificat civitatem Dei*, id est, Ecclesiam. S. Bernardin. Senensis tom. 1. serm. 52. art. 1. cap. 2. *A tempore, ait, quo concepit Virgo Deum in utero suo quamdam, ut sic dicam iurisdictionem, seu auctoritatem habet in omni temporali missione Spiritus sancti, quia non vult ipse Spiritus sanctus nisi per eam communicari: sicut et Filius, a quo Spiritus sanctus procedit, per ipsam datus est nobis.* Unde comparat eam fonti Paradisi terrestris, qui irrigabat universam superficiem terræ. *Figurata*, inquit, *fuit Virgo in fonte illo, de quo Gen. 2. qui de terra ascendens irrigabat universam superficiem terræ. Et iterum Ps. 45. ait: Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: id est Ecclesiam militantem*, imo et triumphantem; nec rigat tantum superficiem terræ, sed intimas eius venas et penetralia. S. Bonavent. in Psalterio: Misericordia tua, inquit, Virgo, rigat universum. S. Hieronym. serm. 1. de Assumpt. Gratia plena est, inquit, ex qua multi de- B ducti rivi omnem irrigant terram deliciarum, et infundunt hortum voluptatis. Richardus a S. Laurentio lib. 9. *Maria*, inquit, *fons qui non congelatur sicut cæteræ aquæ, sed iugiter fluunt miserationes eius*. Et S. Anselmus lib. orat. *O fœmina*, inquit, *plena et superplena, de cuius plenitudinis abundantia resperia sic reviresci omnis creatura*. In illis fluentis, mors submergitur. S. Gregor. Thaumat. serm. 3. de Annuntiatione: In utero tuo, ait, matris Evæ mortem demersisti.

Etiam a-lliis abundans.

Lætificatur civitas Dei, id est Ecclesia, vel familia religiosa, vel anima sancta illa irrigatione. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*. Hinc Hesychius homil. 1. de Deipara dicit, αθυμιας διεσκεδασε νεφος, omnem tristitiæ nubem discussit. S. Germ. in encomio de sanctissima Deipara, illam vocat, δακρυων αναιρεσιν, lacrymarum ablationem, στεναγμων καταπαυσιν, gemituum, cessationem, παντου χαραν και φαιδραν θυμηδιαν, omnium lætitiam et plenam animi oblectationem, atque Oration. in sanctam Nativitatem, C χαρας προοιμιον, και αρας το συμπερασμα, gaudii principium, et exsecrationis finem. Andreas Cretensi serm. in salutation. Angel. Hinc, ait, humana natura, χαρας προοιμια δεχεται, gaudii præludia percipit. Et postea vocat, χαρας οργανον, lætitiæ instrumentum, ac deinde ακαταληπτου χαρας γεννητριαν, immensi gaudii genitricem. Miram lætitiam ostentat S. Ioann. Damasc. orat. 1. de Nativ. Mariæ: χορευω, inquit, και κομπαζω, και γεγηθα. Tripudio et me effero, voluptateque exilio, et ad miraculorum fontem revertor, ac lætitiæ fluentis ingurgitans citharam rursus ferio et natalitium hymnum concino. 58. Et Ecclesiam lætificans.

Civitatem Dei, hoc est Ecclesiam, integram, non viculum illius tantum fluvius hic sacer lætificat. Proculus orat. 6. sic ait, αυτης εκκλησιας διαδημα, *ipsa est Ecclesia diadema*. In cælis ipsis triumphans Ecclesia totam se, ac dona sua illi debet. Richard. a S. Laur. lib. 1. de laudib. Virgin. cap. 1. Triumphantem, ait, Ecclesiam reparavit. 59. Tam hominum.

Primo, homines gaudio cumulat, et gloria. Nam, ut ait S. Andreas ordinis Eremitarum M. S. de laudib. Vir- D gin. *Sanctorum corona*, iure nuncupatur: et ab Hesychio hom. 2. de laudib. Virgin. dicitur, σεμνον ημετερας φυσεως εγκαλλωπισμα, præclarum naturæ nostræ ornamentum. Andreas Cret. in encom. de Virg. dormit. Ex quo, ait, translata es a terra, te universus mundus continet commune propitiatorium. Alludit ad propitiatorium, quod erat supra arcam in Sancto sanctorum, unde Deus reddebat oracula, et ibi sedens gratias suas populo Israel concedebat.

Secundo, angelis ipsis fons et origo lætitiæ est Deipara. Ut enim ait Albert. Magnus super Missus est. Etiam angelorum dicitur mater, quia ipsa mediante eorum restaurata est ruina; 2. etiam eos lætificat et eorum gloriam accidentaliter auget. Guilielmus in cap. 4. Cantic. *Est*, ait, *fons hortorum, rigando eos, puteus aquarum viventium, continendo eos. Continet sibi abyssos vitæ, et immortalium gaudiorum: sed non ita continet sibi, ut non effundat et aliis. Effundit angelis, et hominibus participationem pro captu singulorum: angelis quidem torrentem* Quam angelorum.

voluptatis: hominibus vero in hac peregrinatione rivulos sanctitatis, et sanitatis: donec et cives effecti inebrientur ab ubertate domus eius, et torrente voluptatis eius potentur. Sic tamen effundit, ut non minus contineat.

Secundo, Maria est civitas quam Deus veluti fluvius infinitus gratiis suis irrigat: Imo est etiam sanctissimus civitatis locus, in quo Deus inhabitat.

60. Maria est civitas Dei. Primo quidem, Deipara est civitas, quam omnes gratiæ alluunt, et ingrediuntur, ac Dominus ipse gratiarum in ea se inclusit cum dæmone pugnaturus, et nos ab eo circumcinctos protecturus. Ps. 30. 22. *Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam* (Christum) *mihi in civitate munita.* Symm. εν πολει περιπεφραγμενη, in civitate circummunita. S. Augustin. in civitate circumstantiæ. Nullus aditus hosti patet. De Ierusalem exponit Trevetus, de Hebron Arias, de Ceila R. Salomon. Mystice de Ecclesia S. August. de B. Virgine Thomas angelicus. Vide ibi dicta. Ad eam civitatem hoste urgente fugiamus, ut monet Ieremias cap. 8. 14. *Convenite, et ingrediamur civitatem munitam* (Ierusalem advenientibus Chaldæis) *et sileamus ibi*, id est nihil moliamur, non provocemus hostem: ita Lyran. moriamur, et pereamus: ita a Castro; quiescamus a tantis malis: ita alii: et hoc de Virgine verum est, quæ est Ierusalem, id est visio et ostensio pacis, quæ non timet Chaldæos, hoc est quasi dæmones.

61. In ea Christus est Pontifex et Rex. In hac civitate considerari potest Pontifex, Rex, muri, templum, curia, academia, plateæ, forum, divitiæ, fluvius. Primo, Pontifex est Christus. Hebr. 9. 11. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum*, Secundo, est etiam Rex, Apocal. 19. 16. *Rex regum, et Dominus dominantium.* In Virginis mente, et omnibus potentiis ac sensibus perfectissime regnabat, et continuas victimas per mortificationem, et varias virtutes Deo iugiter offerebat. Quinam muri. Tertio muris cingitur fortissimis, nempe protectione divina et angelica, fossæ ibi humilitatis altissimæ, turres fortitudinis permunitæ. Ipsa dicit Cant. 8. 10. *Ego murus, et ubera mea sicut turris, ex quo facta sum quasi pacem reperiens*, id est Christum. Sic enim Guilielmus cognomento Parvus, re maximus exponit: pacem, hoc est hostiam pacis, cui immolatio hostiæ plena pax. Syr. vertit, tunc eram in oculis eius salutem inveniens. Iesus est Salvator, et salus ipsa. Sponsus vero dicit Cant. 4. v. 4. *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea.* Ubi Hailgrinus: Collum Virginis, ait, est eminentia sublimitatis eius, et est sicut turris David, hoc est, a Christo vero David fabricata, ut peccatoribus esset refugium, et munimen. Propugnacula huius turris sunt virtutes, gratiæ et prærogativæ, quibus peccatores protegit, et inimicum expugnat: ita Hailgrinus. Quarto, templum illius civitatis Deus est ipse. Templum. Apoc. 21. 22. *Dominus Deus omnipotens templum illius est*, cælestis civitatis. Quinto, curia suprema tota misericor- Curia. diam spirat, ad quam qui accesserint, nunquam condemnantur, sed noxarum quarumlibet veniam impetrant. Prov. ult. *Lex clementiæ in lingua eius*, mulieris fortis, id est Virginis. Chald. et S. Ambros. vertunt, lex gratiæ. S. Damascen. orat. 1. de Nativ. Sermo eius, ait, iucundus ex leni anima progrediens. S. Ildelphons. Episcop. Toletan. qui obiit anno 667. sic ait: Beatam Mariam velut ignis ferrum, Spiritus sanctus totam decoxit, incanduit, et ignivit, ita ut in ea Spiritus sanctus flamma videatur, nec sentiatur, nisi tantum ignis amoris Dei. Ecclesia concinit Deiparæ: O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria. Sexto, academia virtutum omnium floret. Luc. 2. 19. *Maria conservabat omnia verba hæc* (dicta et visa a pastoribus: Hebræi verba usurpant pro rebus) *conferens in corde suo.* Ea scilicet, quæ humilia erant et abiecta cum sublimibus et divinis, stabulum cum cælesti palatio, animalia cum angelis comparans. Septimo, plateæ civitatis pulcherrimæ, quarum in medio fons limpidissimus exilit, et vicos recreat. Gen. 2. 6. *Fons ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terræ.* Ad eum omnes confluunt. Zachar. 8. 5. *Plateæ civitatis implebuntur infan-* A *tibus, et puellis ludentibus.* Octavo, forum rerum venalium ibi est, in quo nullo pretio, quæcumque velis, emere possis. Prov. 31. 24. *Sindonem fecit, et vendidit, et cingulum tradidit Chananæo*, id est mercatori, ut vertit Vatablus. Hoc enim significat Chananæus. Et prius, v. 18. dixerat: *Vidit quia bona est negotiatio eius.* Nono, divitiæ omnes in ea civitate abundant. Prov. 31. 29. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Decimo, fluvius gratiarum eam civitatem lætificat. Ipse Pater, Filius, et Spiritus sanctus, qui sunt fluvius immensus, ut ostendi art. 1. in Virginem fluxit, præsertim in incarnatione. Lucæ 1. 35. *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quæ meditans S. Amedæus hom. 3. de laud. Virg. ait, Spiritus sanctus superveniet in te, ut a tactu eius venter tuus contremiscat, venter intumescat, gaudeat animus, floreat alvus. Et hom. 5. Spiritus sanctus superveniet in te, superveniet in ubertate, *in affluentia*, in plenitudine, et in effusione carnis, et animæ: cumque repleverit te, erit adhuc B super te, et super aquas tuas feretur, facturus in te quoddam melius et mirabilius, quam cum ferebatur super aquas a principio, ut materiam creationis in distinctionem, formamque produceret.

Forum. Divitiæ. Fluvius.

Non civitas tantum, sed etiam templum est Deipara. 62. Maria est templum Dei.
Unde additur: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* Eam itaque possis comparare tabernaculo Mosaico, vel templo Salomonis. Methodius orat. in Hypapante, id est in occursu Simeonis, et Virginis, illam vocat, *Sanctissimum, et augustissimum Dei tabernaculum.* Andreas Cretens. orat. de Virg. dormitione, *Sanctitatis sanctissimum thesaurum*, et longe maximum Dei gratiarum tabernaculum. Et serm. in salutationem angelicam κεκαλλωπισμενον θειας δοξης ανακτορον, magnificum divinæ gloriæ templum, consecratum Regis palatium. S. Ambr. lib. de institut. Virg. cap. 5. Templum pudoris, honestatis, puritatis. S. Damasc. or. 1. de Nat. Virg. εμψυχον σκηνην και λογικην Θεου vivum, et ratione præditum Dei tabernaculum. Ibi tota C Trinitas requiescit. S. Bonav. in speculo, vocat illam, totius Trinitatis requiem. Richard. a S. Laurentio lib. 10. de laud. Virg. Mariæ, nominat nidum columbæ: hoc est, receptaculum Spiritus sancti.

Templum hoc Primo est amplissimum, cum ambitu suo 1. Amplissimum.
Deum comprehendat, cælo, soloque excelsiorem, et latiorem. Qua de causa Hesychius eam nominat, ναον ουρανου μειζονα, templum cælo maius. S. Greg. Thaumat. serm. 3. de Annuntiatione ait: Ave animatum Dei templum, ave cælo et terræ aquivalens, dignumque domicilium. Secundo, templum illud est pulcherrimum. Decorem eius facile 2. Pulcherrimum. coniicere licet, quod illud Pater æternus amantissimo Filio præparavit, et adventu suo Filius exornavit. R. Haccados in lib. revelation. Arcanorum ad petition. 3. Deiparæ pulchritudinem extollit his verbis: *Mater Messiæ, inquit, futura est sedes Dei, quam Deus construxit, ut in ea sederet rex Messias ad augendam maiestatis suæ gloriam cunctis mortalibus.* S. Germanus Patr. Constant. nuncupat, αχειροποιητον σκηνην και θεοτευκτον, non manufactum taberna- D culum, atque a Deo conditum, in quod semel in consummatione sæculi solus Deus, ac summus Pontifex introivit, occulte in se rem faciens divinam, sanctorum alterum velamen, in quo elegans propitiatorium, et Cherubim. Tertio, præsertim sanctissimum est illud tabernaculum: 3. Sanctissimum. *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* Salomonis in templo figurata est Deipara, de illo templo habetur 2. Paralip. 7. 16. *Elegi, et sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, et permaneant oculi mei, et cor meum ibi cunctis diebus.* S. Ildephonsus Archiepiscopus Tolet. lib. de Virg. Mariæ cap. 10. *Hæc*, inquit, *fœmina sanctificationis vas est, æternitas virginitatis est, mater Dei est, sacrarium sancti Spiritus est, templum singulariter unicum factoris sui est.*

63. Virtutes omnes Mariam, veluti templum exornant. Virtutes omnes certatim templum illud exornant, et singulas illius partes condecorant. Primo, facies Virginis aspirabat sanctitatem per verecundiam. Hoc prædicatur

1. Faciem ornat verecundia.

a Sponso Cant. 6. 7. *Sicut fragmen mali punici, sic genæ tuæ.* Quem corticem considerans, et aperiens Rupertus lib. 3. in Cant. in eo virginalem pudorem veneratur. Fragmen, inquit, mali punici et rubet, et amplius quam integrum malum redolet: sic tu et singulariter verecunda es, et multis per bonam opinionem in bono exemplo proficis.

2. Oculorum modestia.

Secundo, oculi mirificam Virginis modestiam probant. Galatinus enim lib. 7. cap. 5. ait: Virginis oculi uihil iuhonesti, aut illiciti unquam aspexerunt: imo nunquam oculos elevavit, sicut cæteri homines facere solent, sed semper humi defixos tenuit.

3. Aures obedientia.

Tertio, in auribus eius formandis obedientia elaboravit. S. Iren. lib. 3. c. 33. Evæ inobedientiæ nodus solutionem accepit per obedientiam Mariæ dicentis, Luc. 1. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*

4. Os mansuetudo.

Quarto, in ore mansuetudo enitebat, si tempus loquendi esset: cum vero tacendum erat, miro modo eminebat silentium. Melleos Mariæ sermones suspicit S. Bonavent. in Speculo lect. 11. In ore, inquit Mariæ, non fuit fel, et venenum diaboli, sed mel, et lac Spiritus sancti, iuxta illud Cantic. 4. *Favus distillans labia tua Sponsa, mel et lac sub lingua tua.* S. Gregor. Thaum. de eius silentio dicit: Quietem atque silentium amplectebatur, ut continentiæ, atque castitatis matrem.

5. Ubera pietas.

Quinto, pietas ubera Deiparæ fœcundavit, ut et Filio, et nobis omnibus divinam Ambrosiam suppeditaret. Cant. 7. v. 7. racemis comparantur: *Statura tua assimilata est palmæ, et ubera tua botris.* Quod sugens Hailgrinus in Cantica, censet Virginem matrem fusione lactis superasse meritum Martyrum sanguinem fundentium. Ubera, inquit, botris assimilata sunt, in quo mirabili prærogativa merendi monstratur in Virgine, quæ non minus meruit fundendo lac de uberibus suis ad filii nutrimentum, quam Martyres (qui per botros figurantur) meruerunt fundendo sanguinem suum in martyrio. Omnium enim operum merces secundum radicem charitatis pensatur: ita Hailgrinus.

6. Cor patientia.

Sexto, in corde sedem sibi fixit patientia, quæ innumeros hinc inde se inferentes dolores sustinuit. Idiota de Virgine Maria cap. 6. Fuerunt, ait, in tua mente devotio humilitatis, reverentia pudoris, magnitudo credulitatis, et martyrium cordis.

7. Viscera misericordia.

Septimo, viscera parentis optimæ misericordia inhabitat, ut ad nos iuvandos moveatur. Richard. a S. Laurentio, lib. 4. Cum ait, Maria misericordiam genuerit, quid aliud est eius uterus, quam ipse misericordiarum thesaurus? Dionys. Carthus. in Conception. Virgin. Virgo, ait, est humani generis advocata, pietatis regina, cui Deus regnum misericordiæ dicitur commisisse.

8. Manus liberalitas.

Octavo, liberalitas manus Virginis et matris decorat. Dionys. Carth. de laude vitæ solitariæ Deiparam sic alloquitur: In manibus tuis sunt omnes thesauri miserationum Dei.

9. Pedes diligentia.

Nono, in pedibus Virginis erat diligentia. S. Amedæus hom. 5. de laud. Virg. Currit, inquit, post Iesum non tantum in odore unguentorum, sed in multitudine dolorum: non solum in gaudio consolationum, verum et in abundantia passionum. Decimo, per totum corpus fusa est virginitas. S. Ioan. Damasc. orat. 1. de Nativit. vocat Mariam, παρθενιας κειμηλιον, virginitatis thesaurum. Andreas Cret. orat. in salut. angel. παρθενιας θεοχαριτατον καλλος, καθαπερ ροδον εξ ακανθωμενης χωρας, gratiosissimum virginitatis decus, velut rosam suaveolentem ex regione spinis referta sibi omnipotens elegit. Undecimo, in Deiparæ intellectu contemplatio irradiat. S. Ambros. lib. 2. de Virg. Cum, inquit, quiesceret corpus eius, vigilabat animus, qui frequenter in somnis, aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat. Richard. a S. Laur. lib. 4. de laud. Virg. Maria, inquit, virtute contemplandi quodammodo patriæ donata est; unde de ea dictum est Sapient. 18. *Cælum attingebat stans in terra.* Duodecimo denique, in Deiparæ voluntate regina sedet charitas, quæ virtutes omnes ad opus animat. S. Amedæus lib. 6. de laud. Virg. O Phœnix, inquit, aromatizans gratius cinnamomo, et balsamo, et nardo suavius regem in aspectu tuo delectas. Phœnix congregans omnes species, et igne circumfusa superessentiali, ut cælum cælorum, et cæli potestates angelicas mirifico repleas suavitatis incenso.

Causam cur sanctum sit tabernaculum Virgo, aperit David, v. 6. *Deus in medio eius non commovebitur: adiuvabit eam Deus mane diluculo.* Ubi tria vides oriri ex præsentia Dei in Virgine, 1. quod sit sancta; 2. quod non commoveatur; 3. quod a Deo adiuvetur.

64. Deus fuit in medio Mariæ variis modis: 1. Velut in Paradiso.

Ac primo, sanctitatem habuit, quia Deus in medio eius, velut Adam in medio Paradisi cum excolens, velut Rex in throno, Sponsus in lectulo, Sacerdos in templo, Filius in matre. Nam hæc omnia aliaque plurima Virgo extitit. Primo, Paradisus fuit, et quidem veteri illo terrestri longe vernantior. Rupert. lib. 2. in Cantica: Ille est, ait, Paradisus antiquus, Paradisus terrenus: iste est Paradisus novus, Paradisus cælestis. In illo posuit Dominus Deus hominem quem formaverat, in isto formavit hominem, qui apud ipsum in principio erat. Hoc est illud ipsum quod in principio erat Verbum. A Chrysippo sermon. de S. Maria Deipara dicitur κηπος πατρος hortus Patris.

2. Velut in throno.

Secundo, thronus est Deipara, in qua Deus consedit. S. Epiphan. orat. de laudib. Virg. eam appellat thronum divinitatis. Hesych. hom. 2. de Deipara: καθεδραν χερουβινων καθεδρας ουκ ελαττονα, cathedram non inferiorem cathedra Cherubica.

3. Velut in lectulo.

Tertio, lectulus est selectissimis Paradisi flosculis aspersus. Cant. 1. 15. *Lectulus noster floridus.* Richard. a S. Laur. de laudib. Virgin. Lectulus Salomonis, ait, id est veri pacifici, beata Virgo dicitur, in qua deitatis inclinato capite Dei filius requievit, velut in lectulo. Unde et ipsa dicit Eccli. 24. *Et qui creavit me requievit in tabernaculo meo.* Andreas Creteus. serm. in sal. angel. χαιρε νυμφων, ait, εν ω Χριστος ενυμφευσατο την ανθρωποτητα: Salve thalame, in quo Christi humanitas desponsata est.

4. Velut sol in cælo.

Quarto, cælum est, cuius in medio Sol Christus. Idem Andreas loco citato, χαιροις ουρανε ηλιου δοξης υπερουρανιον οικημα: Salve cælum, solis gloriæ cæleste tabernaculum. S. Ioann. Damasc. orat. 1. in Nativit. ουρανος εκεινου ουρανου πολυ θειοτερος, cælum cælo illo longe divinius. Nam qui in illo solem effecerat, hoc iustitiæ sol ortus est. S. Epiph. orat. de laud. Virg. ουρανος, και ναος, και θρονος θεοτητος, η τον εξαστραπτοντα εν ουρανω, και επι γης ηλιον εχουσα Χριστον: Cælum, templum, et thronus divinitatis, quæ coruscantem in cælo, et in terra solem habes Christum. S. Chrysost. in Hypapante: Magnum, ait, revera Virgo hæc mundi miraculum est. Sola hæc cælum et terram amplitudine superavit.

5. Velut Pontifex in templo.

Quinto, Deipara templum est, ut mox ostendi, in quo Summus Pontifex Christus simul et hostia, se ipsum obtulit Patri æterno in pretiosissimam victimam. S. Basil. Seleuciæ apud Isauros Episcopus, qui floruit circa annum Christi 450. sic Deiparam alloquitur orat. 39. *Dominus tecum, quia templum es vere Deo dignum, castitatis aromatibus bene conditum.* In templum illud tota Trinitas descendit, sicut admonet Hesychius, homil. 2. de laud. Virg. Quia, inquit, ναον αφθαρτον, *templum incorruptum*, et tabernaculum ab omni sorde liberum conservasti, et Pater hospitatur apud te, atque Spiritus sanctus obumbrat, et carne assumpta unigenitus ex te nascitur.

6. Velut filius in matre.

Sexto denique, mater est, filium utero et ulnis gestans, quæ dignitas omnes amplectitur et superat. S. Anselm. lib. de excellentia Virg. cap. 2. Hoc solum, inquit, de sancta Virgine prædicari, quod Dei mater sit, excedit omnem altitudinem, quæ post Deum dici, vel cogitari potest.

65. Maria fuit in gratia confirmata.

Secundo, ex eo quod Deus erat in medio Virginis, est consequens, *non commovebitur.* Humanam quidem naturam habebat Deipara, sed in bono confirmatam. Bernardin. de Bustis eam comparat cælo crystallino quod ex aquis constat, sed solidis. Sic enim serm. 3. de Nativitate B. Mariæ: Beata, inquit, Virgo cælum crystallinum, quod factum est de aquis, quæ super cælos sunt, in modum crystalli solidæ. Aquæ enim sunt cogitationes, et affectiones humanæ, quæ in nobis sunt fluxibiles: sed in Virgine fuerunt solidæ: id est, in bono confirmatæ.

Est cælum crystallinum.

Secundo, Deipara est domus sapientiæ incarnatæ, supra columnas septem fundata, hoc est Spiritus sancti septem donis firmata.

Domus sapientiæ.

Prov. 9. 1. *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit* (Chald. statuit. Syr. erexit. S. Athanas. in disput. contra Arrium, stabilivit) *columnas septem*. Arab. fecit eam inniti septem columnis. Lege S. Bern. serm. 9. inter parvos, et S. Chrysolog. serm. 141. Tertio, Deipara est rupes, ex qua verus Moses rivos gratiarum effundit. Richard. a S. Laur. lib. 1. Loquimini, ait, ad Petram, id est ad B. Virginem, duram contra tribulationem, gravem contra instabilitatem, et dabit vobis aquas. Quarto denique, Deipara est castrum fortissimum, in quo Christus innumeris legionibus angelorum cingitur, et arma parat suis militibus. S. Zeno Episc. Veron. et martyr, qui sub Gallieno Imp. passus est, serm. 4. de Nativit. Christi: Dei Filius, ait, ab æterna sede profectus in prædestinatæ Virginis templum sibimet castrametatur. Proclus orat. 1. in laudem Dei Genitricis: O uterum, ait, in quo confectus est communis nostræ libertatis libellus! o ventrem, in quo adversus mortem fabricata sunt arma!

Rupes ex qua aquæ gratiarum fluunt.

Castrum fortissimum.

A

Tertio denique, ex eo quod Deus futurus erat in medio Virginis, sequitur eam a peccato originali fuisse præservatam. Unde additur, *Adiuvabit eam Deus mane diluculo*, id est in primo conceptionis instanti. B. Thesiphon, discipulus S. Iacobi Maioris Apostoli in libris nuper repertis ait: *Illa Virgo, illa Maria, illa Sancta præservata fuit a peccato originali in primo instanti conceptionis suæ, et libera ab omni culpa, et qui ita non senserit, non consequetur salutem æternam*. Hæc censura est paulo severior, expectanda est Ecclesiæ determinatio. Deipara est nubes lucida, nullis tenebris obscurata, quæ nos ad lucis fontes deducat. Figurata est in illa nube Israelitarum duce in deserto, de qua Ps. 76. 18. *Deduxit eos in nube diei*. Semper enim nubes radiis veri solis obiecta extitit in luce, in caligine vero nunquam. Ad hanc curramus, eam ducem sequamur, ut eius umbra nos a Tartari ardore liberet, et radii ad veram lucem, Deum scilicet, perducant

66. Fuit a peccato originis præservata.

PSALMUS QUADRAGESIMUS SEXTUS.

1. In finem, pro filiis Core, Psalmus.

2. Omnes gentes plaudite manibus: iubilate Deo in voce exultationis.
3. Quoniam Dominus excelsus, terribilis: Rex magnus super omnem terram.
4. Subiecit populos nobis, et gentes sub pedibus nostris.
5. Elegit nobis hæreditatem suam, speciem Iacob, quam dilexit.
6. Ascendit Deus in iubilo, et Dominus in voce tubæ.
7. Psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psallite.
8. Quoniam rex omnis terræ Deus: psallite sapienter.
9. Regnabit Deus super gentes: Deus sedet super sedem sanctam suam.
10. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham: quoniam dii fortes terræ, vehementer elevati sunt.

PSALMI QUADRAGESIMI SEXTI ANALYSIS.

Propheta Apostolos inducit in ascensionis mysterio docentes:
- Lætitiæ humanæ modum, 2.
  - Manuum plausu. 2.
  - Vocis iubilatione. 2.
- Ascensionis Christi causas, 3. propter Divinitatem eius, qua
  - Excelsus, ob naturam incomprehensibilem. 3.
  - Terribilis, ob potentiam. 3.
  - Rex magnus, ob gubernationem. 3.
- Modum ascensionis, 6.
  - Et humanitatem, qua
    - In terra, Apostolis Iudæos et Gentiles subiecit. 4.
    - In cælo, electis hæreditatem præclaram reliquit. 5.
  - Cum sanctorum iubilatione, 6.
  - Cum angelorum laude, 6.
  - Cum utrorumque psalmodia,
    - Alacri, ut Deo et regi cælorum. 7.
    - Sapienti, ut Regi omnis terræ. 8.
- Ac fructum, 9.
  - Christi respectu, 9. cui
    - Regni possessio in omnem terram tunc collata. 9.
    - Et thronus in cælo datus augustissimus. 9.
  - Et hominum, 9. qui
    - Conversi per fidem et amorem, ad verum Deum. 10.
    - Et a gratia ad gloriam æternam elevati sunt. 10.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. In finem, pro filiis Core, Psalmus.

1. Argum. Psalmi. 1. In hoc Psalmo, spiritu Prophetico ponitur gratiarum actio a filiis Core pro victoria futura sub Iosue de populis habitantibus in terra Chanaan: ita Lyranus. Sed non intelligo quomodo esset futura illa victoria tempore Davidis, qui fuit post Iosue. Potest intelligere Lyranus induci filios Core, qui erant tempore Mosis, sed potius sunt accipiendi eorum posteri qui vivebant, et erant cantores sacri, cum regnabat David.
2. Secundo, Iansenius putat hunc Psalmum esse iubilum populi Israelitici, cum arcam fœ-

B

deris omnes Tribus Israel cum capitibus Tribuum, et familiarum principibus, ac plerisque alienigenis exultantes introducerent, cum solemni pompa in tabernaculum, a Davide in monte Sion paratum, aut, ut alii volunt, in templum a Salomone extructum. Certe 2. Regum 6. versus ille: *Ascendit Deus in iubilo*, etc. fere eodem modo ponitur, quo hoc loco apud Hebræos: pro eo enim quod nos legimus. *Ibi ducebant arcam testamenti Domini in iubilo, et in clangore buccinæ*, Hebræa habent, Ascendere fece-

runt in iubilo et voce tubæ: ita Iansenius: sed magna est differentia inter ascendit Deus, et ascendere fecerunt arcam: deinde nimis amplum est, quod invitantur omnes
3. gentes. Tertio, Trevetus censet agi de gratiarum actione ob victorias Davidis, qui dicitur debellasse omnes gentes
4. per circuitum. Quarto, Peregrinus Herus, explicat de victoria Ezechiæ, cæso exercitu Sennacherib per angelum.
5. Quinto, Theodorus Mopsuestenus Psalmum hunc vult esse triumphalem hymnum pro victoriis Machabæorum, contra Antiochum Epiphanem et alios veram fidem tutantium. Sexto denique, et optime, S. Chrysost. S. Hier. S. 6. Et optime.
Aug. Theodoretus, et Euthym. aliique Patres, explicant hunc psalmum de ascensione Christi, nec ullam mentionem faciunt arcæ. Itaque illis hærebimus, et regem nostrum oculis et animo sequemur in aulam suam cum triumpho per gentem.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

2. Sectionem unicam continet hic Psalmus, in quo proponuntur quatuor, Primo, lætandum esse ob Christi Ascensionem, vers. 2. Secundo, causæ assignantur, cur Christus in cælum ascenderit, vers. 3. Tertio, modus Ascensionis exponitur, vers. 6. Quarto denique, fructus illius assignatur, vers. 9.

PARAPHRASIS.

2. *Omnes gentes plaudite manibus: iubilate Deo in voce exultationis.*

2. Totius orbis nationes Christo in cælum ascendente subsultate gaudio, et manibus plaudite in signum internæ lætitiæ: festo alacrique vocum clamore iubilate, et in honorem triumphatoris exultate.

3. *Quoniam Dominus excelsus, terribilis: Rex magnus super omnem terram.*

3. Qui enim ascendit, ipse est natura divina incomprehensibilis, ac summus potentia, et iustitia terribilis: dominio ac providentia, Rex ter maximus in omni terra.

4. *Subiecit populos nobis, et gentes sub pedibus nostris.*

4. Nobis a se per orbem missis Apostolis per Evangelii sui prædicationem Iudæos subdidit, ipsosque gentiles prius idolis servientes ad cultus sui veritatem ac lucem traduxit, atque potestati nostræ submisit.

5. *Elegit nobis hæreditatem suam, speciem Iacob, quam dilexit.*

5. Hæreditatem suam cælestem quam ascensione revisit, ut in illa quiescat, nobis quoque possidendam apparat, atque ad illam nos elegit. Qui hæreditas est populi fideiis omniumque sanctorum gloria, quam et sibi et servis suis adamavit, atque ad eam obtinendam dirissima pertulit.

6. *Ascendit Deus in iubilo, et Dominus in voce tubæ.*

6. Iubilantibus sanctis Patriarchis et Prophetis, cæterisque sanctis hominibus triumphum suum egit, atque angelorum choro festis vocibus et canticis applaudente: cum angelorum atque hominum Deus sit ac Dominus.

7. *Psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psallite.*

7. Psalmos lætitiæ communis indices Deo nostro ac Regi alacres concinamus, ac triumphatorem meritis laudibus celebremus.

8. *Quoniam rex omnis terræ Deus: psallite sapienter.*

8. Dignus enim est omni præconio, cum sit Deus universæ terræ imperans. Quare summa modestia, pietate, attentione, et reverentia illum honoremus, eique laudes dicamus.

9. *Regnabit Deus super gentes: Deus sedet super sedem sanctam suam.*

9. Triumphator ille quem in cælos scandentem suspicitis, terræ cælique rex potentissimus est: qui prius inter homines abiectus despectusque delituit, nunc gloriæ suæ thronum conscendit, in eoque leges ac iura cunctis nationibus describit.

10. *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham: quoniam dii fortes terræ, vehementer elevati sunt.*

10. Reges ac principes, eorumque populi, prius in varias sectas divisi, ad hunc unum Christum Abrahami et omnium Patriarcharum fideiiumque specialem patronum ac Deum, Iudæis antea solum notum, aggregati sunt: viderunt enim gloriam quam cum Christo ascendentes sancti obtinuerunt, et quam obtinebunt qui ipsorum virtutes imitabuntur.

QUÆSTIO UNICA.

Quæ causa ascensionis Christi, modus et fructus.

3. Ordo huius sectionis. **P**ropheta noster inducit Apostolos, qui fideles omnes hortentur, ut in ascensione Christi lætentur, lætitiamque suam testentur. Primo manuum plausu, v. 2. *Omnes gentes plaudite manibus*. Secundo, vocis iubilatione: *Iubilate Deo in voce exultationis.*

Secundo, dupiicem ascensionis affert causam. Primam quidem a divinitate Christi petitam, v. 3. *Quoniam Dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram.* Secundam petitam ab eius humanitate: nempe quod 1. Iudæos Ecclesiæ aggregarit, v. 4. *Subiecit populos nobis;* 2. gentiles: *et gentes sub pedibus nostris;* 3. quod sanguine effuso cæiestem hæreditatem acquisiverit, v. 5. *Elegit nobis hæreditatem suam: speciem Iacob, quam dilexit.*

Tertio, modum ascensionis declarat, cum primo comitantibus hominibus, et ob liberationem suam ac liberatoris gloriam exultantibus, ascenderit, v. 6. *Ascendit Deus in iubilo.* Secundo, angelis simul plaudentibus: *et Dominus in voce tubæ.* Quibus gratulans ait, v. 7. *Psallite Deo nostro, psallite: psallite regi nostro, psallite.* Causam affert v. 8. *Quoniam rex omnis terræ Deus: psallite sapienter.*

Quarto denique, fructum ascensionis duplicem aperit. Primo, Christi gloriam, cum tunc regni sui possessionem inierit, v. 9. *Regnabit Deus super gentes;* et in throno maiestatis suæ consederit: *Deus sedet super sedem sanctam suam.* Secundo, hominum utilitatem, quod eos Christus secum in cælos assumpserit, v. 10. *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, etc.*

ARTICULUS I.

Christus dignus erat gloria Ascensionis, et qua homo, et qua Deus.

David in extasim raptus, et Christum in cælos ascendentem contemplans, omnes ad exultandum invitat,
v. 2. Omnes gentes (S. Hier. *populi*. Iudæi ab hac lætitia Vers. 2.
non excluduntur) plaudite manibus (Chald. addit, *cum gaudio*. Fit enim aliquando plausus manuum præ ira, indignatione, insultatione, vindicta, ut patet Thren. 4. 14. auctor Eccli. 12. 19. Nahum 3. 19. Iudith 14. 12. Ezech.

22. 13. et 25. 6. Num. 23. 10.) IUBILATE DEO IN VOCE (id est, voce; Hebræi enim ponunt nomen instrumenti cum præpositione) EXULTATIONIS. S. Hier. in voce laudis.

4. Plausus in Christi ascensione. Nota, per plausum manuum Caietanus intelligit pulsum musicorum instrumentorum, qui manu fit, ut psalterii, citharæ, violæ, organorum, etc. Per iubilationem vero, clangorem instrumenti cum humanæ vocis cantu. Melius tamen utrumque sumemus in propria significatione. Est autem iubilus, ut ait Varro lib. 5. de lingua Latina, gaudium voce incondita sine verbis expressum. Et Glossa, Iubilus est ineffabile gaudium, quod nec taceri potest, sed non potest exprimi, quia excedit comprehensionem.

Ob tres rationes. Nota secundo, omnes orbis nationes debent applaudere et acclamare Christo in cælum ascendenti. Primo, quia victor est. Secundo, quia triumphator. Tertio, quia rex orbis.

I. Ob victoriam obtentam. Primo enim titulus psalmi, ut vertit S. Hieron. habet, *Victori filiorum Core* (Pagnin. filiis Corach.) *Psalmus.* Pagn. cantus. In victoria plausus fit et clamor. S. Chrysost. in psalm. nostr. *Solent,* ait, *exercitus, quando inclinat exercitus hostium, non uti extrema victoria, sed concordi voce et clamore fractos iam et abiectos eorum animos conquassare, quod est claræ victoriæ, et trophæi maximi argumentum, quando bellum non manibus, sed clamore decernitur, isque loco manuum et armorum sufficit. Hoc ergo fuit universum Christi opus. Difficile enim hoc bellum ipse confecit, forti alligato, supellectile eius vasisque ablatis. Cum sit autem benignus et clemens, eos qui nihil laboraverant, victoria frui facit, et trophæis, et ad epinicion offerendum eos præparat, perinde ac si ipsi se recte gessissent, et vicissent. Quocirca omnes quoque clamamus non voce aliqua obscura et confusa, sed clarissima et significantissima: Ubi est mors stimulus tuus? Ubi est, inferne, nunc tua contentio?* Affert exemplum Israelitarum exultantium et laudantium Deum post exitum ab Ægypto, ubi viderunt Pharaonem et Ægyptios deiectos in mare: *Obtulerunt,* ait, *aliquando Iudæi epinicion, quando in mari fuit demersus Ægyptiorum exercitus, dicentes Exod. 15. Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est. Sed nostrum est multo maius, non Ægyptiis demersis, sed dæmonibus: non Pharaone superato, sed diabolo: non armis captis sensibilibus, sed sublato vitio: non in rubro mari, sed in lavacro regenerationis: non egredientibus in terram promissionis, sed in cælum tendentibus: non manna comedentibus, sed dominico corpore vescentibus: non aquam e petra bibentibus, sed sanguinem e latere. Et ideo dicit, Plaudite manibus: quia liberati a lignis et lapidibus, cælos et cælos cælorum transcenderitis, et ad ipsam regiam sedem steteritis. Iubilate ergo Deo: hoc est illi offerte gratiarum actionem, illi victoriam, illi trophæum. Non est bellum humanum, nec pugna sensibilis: nec pro aliquo eorum, quæ ad hanc vitam pertinent, decertatur: sed pro cælis ipsis, et iis quæ sunt in cælis. Ipse suis auspiciis suoque ductu hoc bellum confecit, nobis autem victoriam impertiit.* Magna vis est clamoris in bello. Cato senior dicebat, verba plus quam gladium, et voces quam manum hostes territare, et in fugam vertere. Hinc Iosephus suos iussit ad clamores Legionum aures obstruere, ne percellerentur, ut ipse tradit lib. 3. de bello cap. 18. De plausu, clamoribus, et favore populi spectantis athletas, cursores, aliisve modis certantes fuse tractat Petrus Faber lib. 2. agonisticon. cap. 30.

5. II. Ob triumphum. Secundo. Christo triumphatori est applaudendum. Ioan. Goropius lib. 11. Hieroglyph. et lib. 4. Gallic. vult *iubilare* deduci a voce *io*, quam usurpabant milites triumphantibus gratulantes, ac dicentes, *io triumphe:* præterea inde factum, ut summam lætitiam ac pretiosiores quasque res, ut annulos, lapillos, etc. vulgo Cimbrice, Gallice et Italice *ioias* vocemus: imo ut Iovem quasi voluptatis patrem Latini dixerint, et apud Græcos ιου gaudentium vox sit. Sed hæc sunt subtiliora. Nam, ut alias ostendi, *iubilo*, est vox Hebraica deducta a יבל *iabal*, id est iubilare. S. Isidorus Hispal. lib. 18. etymolog. cap. 2. ait triumphum derivari απο της τριαμβης, id est, ab exultatione. Imperatori suo triumphanti, dum per urbem in Capitolium curru veheretur, acclamari solitum a militibus, *io triumphe,* ut ait Varro lib. 5. de lingua Latina, qui inde putat pompam illam celeberrimam dictam fuisse triumphum. Idem censet Helenius Acron et Porphyrio ad lib. 4. Horatii ode 2. Huc alludit Alcimus Avitus lib 6. ad Fuscinam sororem cap. 6. Martialis lib. 7. Epigr. et alii. De Christi triumpho in ascensione vide Ps. 23. et præsertim Ps. 67. Postquam Alexander Severus in Senatu habuit orationem, qua petebat decerni supplicationem ob res bene gestas in Perside, universus Senatus exclamavit, ut ait Lampridius: *Alexander Auguste, dii te servent: Persice. Maxime dii te servent: Vere Parthicus, vere Persicus: trophæa tua et nos videmus, victorias et nos videmus. Iuveni Imperatori, Patri patriæ, Pontifici maximo: per te victoriam undique præsumimus: ille vincit qui milites regit: dives Senatus, dives miles, dives P. R.* Christo ascendenti in cælum acclamant non soli Romani, sed gentes hominum omnes, et omnes ordines angelorum.

Tertio, Christo cælos petenti acclamatur tamquam regi possessionem regni sui ineunti in die coronationis. Sic Ps. 23. 8. Ascendenti in cælum dicunt angeli: *Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.* Vide illum locum. Acclamant pene omnes populi suis regibus statim post eorum creationem et coronationem, dicentes, vivat rex, aut quid simile. Vopiscus in tacito Imperatore ait: post relationem Consulis, cum Tacitus, qui erat primæ sententiæ Consularis, sententiam, incertum quam vellet dicere, omnis Senatus acclamavit: 6. III. Ob regni adeptionem.

Tacite Auguste, dii te servent: te deligimus, te principem facimus, tibi curam Reip. Orbisque mandamus: suscipe imperium ex Senatus auctoritate: tui loci, tuæ vitæ, tuæ mentis est quod mereris. Princeps Senatus recte Augustus creatur: primæ sententiæ vir, recte Imperator creatur: quod bonum, faustum, salutareque sit: diu privatus fuisti. Scis quemadmodum debeas imperare, qui alios principes pertulisti. Scis quemadmodum debeas imperare, qui de aliis principibus iudicasti. Cumque Tacitus ætatis excusatione uteretur, subiungit acclamatum fuisse. *Et Traianus ad imperium senex venit, dixerunt decies: et Adrianus ad imperium senex venit, dixerunt decies. Et Antoninus ad imperium senex venit, dixerunt decies. Et tu legisti, incanaque menta regis Romani, dixerunt decies. Et quis melius quam senex imperat, dixerunt decies. Imperatorem te, non militem facimus, dixerunt decies. Tu iube, milites pugnent, dixerunt tricies. Habes prudentiam et bonum fratrem, dixerunt decies. Severus dixit, caput imperare, non pedes, dixerunt tricies. Animum tuum non corpus eligemus, dixerunt vicies. Tacite Auguste, dii te servent.* Acclamationes factæ Tacito Imperatori. In gratiam Alexandri Severi a Senatu acclamatum est, teste Lampridio in Alexandro. Has autem acclamationes refert ex urbis actis: *Auguste innocens, dii te servent. Alexander Imperator dii te servente: dii te nobis dederunt, dii conservent, dii te ex manibus impuri eripuerunt, dii te perpetuent. Impurum tyrannum et tu perpessus es, impurum et obscœnum et tu videre doluisti. Dii illum eradicaverunt, dii te servent. Infamis Imperator rite damnatus, felices nos imperio tuo, felicem Rempublicam. Infamis unco tractus est ad exemplum timoris. Luxuriosus Imperator iure punitus est* (intelligit autem Heliogabalum Imperat. vitiis contaminatum). *Dii immortales Alexandro vitam, iudicia deorum hinc apparent.* Et cum egisset gratias Alexander, acclamatum est: *Antonine Alexander, dii te servent. Antonine Aureli, dii te servent. Antonine Pie, dii te servent. Antonini nomen suscipias rogamus. Præsta nobis Imperator, ut Antoninus dicaris. Nomen Antoninorum tu purifica. Quod ille infamavit, tu purifica. Redde in integrum nomen Antoninorum. Sanguis Antoninorum se cognoscat. Iniuriam Marci tu vindica. iniuriam Veri tu vindica, iniuriam Bassiani tu vindica. Peior Commodo solus Heliogabalus, nec Imperator, nec Antoninus, nec civis, nec senator, nec nobilis, nec Romanus. In te salus, in te vita ut vivere delectet. Antoninorum Alexandro vitam, ut vivere delectet, et Antoninus vocetur. Antoninorum templa Anto-* Et Alexandro Severo.

ninus dedicet, Parthos et Persas Antoninus vincat. Sacrum nomen sacratus accipiat. Sacrum nomen castus accipiat. Antonini nomen ut agnoseat Antoninorum honorem. Dii conservent in te omnia. Per te omnia Antonine habeas. Lage cætera. Svetonius in Augusto refert, eum noluisse nepotibus suis prætextatis assurgi, plaudique in theatro, ne illis honoribus intumescerent. Procopius lib. 1. de bello Gothico ait, inter alias conditiones pacis initæ cum Iustin. Imp. et Theodato rege Gothorum successore Athalarici hanc fuisse, ut Romanus populus pro eius consuetudine in acclamationibus ac plausu ipso, Imperatoris in primis nomen pronuntiet, Theodati deinceps, sive in theatris, sive in triviis, sive alibi ubicumque id fieri contigerit.

7. Tropol. Plaudendum in bonis operibus. Tropol. plausus manuum denotat exultationem in bonis operibus. Ita S. Aug. *Quid est,* ait, *plaudite? gaudete. Sed quare manibus? quia bonis operibus.* S. Thomas dicit tunc plaudi manibus, quando exterius operatur homo servitia Dei cum iucunditate. Secundo, per plausum manuum, atque iubilationem indicatur lætitiæ magnitudo. S. Chrysostom. Cur non dixit, ait, Gaudete, et exilite, sed pulsate et iubilate? Ut nobis insignem ostendat voluptatem. Sicut enim Christus quando dicit Matth. 6. 17. *Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava:* non hoc dicit iubens ut ungamur (nemo enim nostrum hoc facit) sed ut ostendamus gaudium, lætumque et alacrem animum. Iubet enim ut lætus ieiunet, tristitiam non præ se ferens. Ita etiam hic quoque non hoc iussi sumus, nempe plaudere manibus et iubilare: sed dum psallimus, lætitia et voluptate affici. Ita Chrysost. qui tertio advertit gentes invitari ut Deo plaudant iis eum manibus quibus idola coluerant, et ea voce iubilent, qua peccaverant: *Omnes gentes,* ait, *plaudite manibus. Illis antea sceleratis, illis impiis et exsecrandis, quæ per immunda sacrificia quotidie polluebantur, quibus filios occidebatis, et turpia patrabatis, et adversus ipsam naturam contendebatis, eis nunc plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis, lingua illa, qua execranda gustastis, qua verba impia et blasphema protulistis, ea iubilate canticum victoriæ.* Lava inter innocentes manus tuas, et circumda altare Dei: dic Deo ut labia tua aperiat, et tunc os tuum licet prius pollutum annuntiabit laudem eius. Quarto denique, vox et manus debent concordare in Dei laude. S. Aug. *Et voce,* inquit, *et manibus. Si tantum voce, non bene, quia pigræ sunt manus. Si tantum manibus, nec hoc bene, quia muta est lingua. Concordent manus et lingua: illa confiteatur, illæ operentur. Iubilate Deo in voce exultationis.*

Causas affert David, cur plaudendum manibus, et voce iubilandum sit in Christi ascensione. Prima petitur ab eius dignitate: *Quoniam Dominus excelsus, terribilis, Rex magnus super omnem terram.* Secunda petitur a nostra utilitate: *Subiecit populos nobis, etc.* Loquuntur autem Apostoli in hoc psalm.

8. Vers 3. Tria Christo attribuuntur. Ac primo, tria de Christo prædicantur, v. 3. QUONIAM DOMINUS (Psalt. Vatican. Cassiodor. Arnob. *Deus summus*) EXCELSUS, TERRIBILIS, REX MAGNUS SUPER OMNEM TERRAM. Hebræum primum nomen est tetragrammaton.

I. Quod sit excelsus. Eusebius ita exposuit, nempe, quod qui prius in cælestibus fere tantum regnabat, evaserit per Filium suum terribilis dæmonibus, et iis qui super terram illos colebant. Theodoretus ad subiectum refert prætorea vocabulum *terribilis,* ut is qui excelsus ac terribilis est, demonstratus fuerit rex omnibus, idque innotuerit non Iudæis tantum, sed omnibus gentibus. Nihilominus censeri etiam potest *excelsus* prædicatum sive attributum. *Excelsi* epithetum de ascensione Christi plures accipiunt, qui quasi arrisibilis descendendo factus sit, ut Hieron. Beda, Bruno, August. loquuntur, ascendendo in cælum terribilis. Ruffinus et Haimo de potentia et efficacia voluntatis. Cassiod. S. Thom. Hugo de altitudine seu excellentia naturæ: quia Christus altissimus est ex divinitate, ut ait S. Basil. Euth. Niceph. de dignitate sublimi Christi in Ecclesia, et propter Ecclesiam exponit S. Athanasius. Probat hinc S. Basilius divinitatem Christi, simulque quod *rex* paulo post *magnus* appelletur, ac monet, quando passiones eius audimus, ne concidamus animo, quoniam natura excelsus est: quod autem tale est, sublimitatem suam nunquam amittet. Denotatur etiam eodem epitheto, eum qui adeo excelsus est, posse, ut observat Hugo, exaltare sibi servientes. Adde quod aliquoties antea vidimus, esse tutum ad ipsum refugium, tamquam ad altissimam munitissimamque arcem, ait Lorinus. Arbitror ego agi hic de excelsitate ascensionis et dignitatis, potestatis, gloriæ, et throni collocati ad dexteram Patris: sic Ps. 112. 4. dicitur: *Excelsus super omnes gentes Dominus, et super cælos gloria eius.* Amos propheta ex ascensione Christi excelsa dominium eius colligit cap. 9. 6. *Qui ædificat in cælo ascensionem suam* (Hebr. et Syr. ascensiones suas. Vatabl. gradus suos. Pagn. sphæras eius) *Dominus nomen eius.* Chald. vertit: Qui collocavit in excelso maiestatem gloriæ suæ, et Ecclesiam suam in terra decoravit. De ascensione sic exponit R. Haccados apud Galatin. l. 7. cap. 15. Via, inquit, aquilæ in cælis, est rex Messias, qui post passionem suam ascendet in cælum, sicut dictum est Amos 9. *Qui ædificat in cælo ascensionem suam:* ita ibi. Solebat autem plaudi manibus, et iubilari, atque acclamari regibus et imperatoribus, cum supra clypeos levabantur, et per exercitum vel populum adorandi circumferebantur, de qua cæremonia dixi alias.

9. II. Quod terribilis. Secundum Christi epithetum est, *Terribilis.* Primo, quia, ut ait Niceph. Christus altissimus ex divinitate, formidabilis est nunc a signis et miraculis, quæ singulis diebus operatur. Secundo, Terribilis est, inquit Didymus, quia venerandus est, ut qui eum contemplantur, reverentiam illi præstent. Tertio, Terribilis est ratione potentiæ, ait Bellarminus. Quarto, est terribilis ratione iustitiæ, quia, ut ait S. Thomas, licet sit excelsus, non proinde nostra non considerat, sed prospicit et punit. Quamvis sit excelsus, id est, ait Rufinus, quasi excelsi animi et benignus, abutentes bonitate castigat. Hugo Card. ait esse terribilem iis qui nolunt illi servire. Quinto denique, ut explicat Hesychius, excelsus est, quia in altis habitat, terribilis est propter futurum iudicium. Duo ultimi explicandi modi magis placent.

10. III. Quod Rex magnus. Tertium Christi epithetum est, *Rex magnus super omnem terram.* Nota, Deus vocatur Ps. 85. 10. absolute, magnus. Secundo, Ps. 47. 2. et Ps. 94. 3. *Dominus magnus.* Tertio, Ps. 76. 14. et Ps. 94. 3. *Deus magnus.* Quarto, Ps. 47. 3. *Rex magnus.* Quinto, Deuter. 7. 21. *Deus magnus et terribilis.* Sexto, Deut. 10. 17. *Magnus et potens.* Septimo, Ps. 47. 2. *Magnus et laudabilis.* Octavo denique, Apoc. 19. 16. *Rex regum, et Dominus dominantium.* Id est Rex et Dominus maximus et potentissimus: est hebraismus: sicut canticum canticorum, cælum cælorum, sanctum sanctorum dicitur canticum excellentissimum, cælum excelsissimum et pulcherrimum, locus templi sanctissimus. Vide Ps. seq. v. 2. *Magnus est rex Christus,* ait S. Thomas, primo, universalitate dominii, quia rex omnium populorum: secundo, duratione, quia in æternum: tertio, auctoritate, quia rex omnium regum. Hoc autem dominium exercuit præsertim post ascensionem, quam S. Aug. serm. 5. de ascensione vocat, inclytum et regale mysterium. S. Chrys. θεῖαν καὶ πνευματικὴν ἑορτὴν, divinum et spiritale quoddam festum, qui ait Christum regem esse magnum, 1. quia totum orbem ab errore liberavit; 2. quia id fecit brevi momento per homines pauperes et illitteratos; 3. quia dæmones inde expulit; 4. quia decus suum habet a natura sua, non ab extrinseco; 5. quia nulla re opus habet ut sit rex; 6. quia quæcumque vult, facit; 7. denique, quia terram cælum fecit, eam illustrans cognitione veritatis atque virtutibus. Sed verba eius audiamus: *Nunc,* ait, *id præclare gessit, quod nos sibi familiaritate iungendo rex magnus effectus est. Quidni enim magnus, qui pauperes, piscatores, illitteratos, privatos, numero undecim, obscuros, peregrinos, piscibus magis mutos, unicam tunicam habentes, calceis carentes, nudos per universum orbem terrarum misit, et veluti man-*

Et quomodo. Locus illustris Chrysostomi.

dato omnes cepit, ωσπερ εξ επιταλματος παντως λαβων. *Hoc* A *est vere esse regem magnum, qui universum orbem terræ errore liberavit, et brevi temporis momento veritatem reduxit, et diaboli tyrannidem sustulit. Qui etiam antequam essent qui ei parerent, erat rex magnus, non habens in servis vim imperii, non in specie atque in vestibus, sed in ipsa natura: Ego enim, inquit, ad hoc genitus sum. Hoc est esse regem magnum, qui non habet honorem extrinsecus allatum, qui nulla re opus habet ut sit rex, qui facit omnia quæcumque vult. Volo: mundare, Marc.* 1.41. *Tibi dico dæmonium surdum, egredere ab ipso. Tace, os obstrue. Adeste, este hæredes parati vobis regni. Ite in ignem æternum paratum diabolo ante constitutionem mundi. Vides ubique potestatem, vides facultatem ac potentiam. Ita enim cepit eos qui paruerunt, ut persuaserit vel animam potius profundere, quam quod iussum est transilire. Rex enim habet honorem ab iis qui eius subiiciuntur ditioni: hic autem præbet honorem iis qui ipsi obediunt: et ideo illud quidem est solum nomen, hoc vero res. Magnus est rex qui univer-* B *sum orbem terræ, cælum fecit, et ut barbari fierent philosophi, et angelos imitarentur, curavit: populos nobis subiecit, et gentes sub pedibus nostris. O miraculum! Eis qui crucifixerant, adorare persuasit: eos qui contumeliis afficiebant, qui insectabantur maledictis, qui lapidibus affixi fuerant, docuit vel suas animas profundere, prout ei videbatur. Non gerebatur enim hoc ab Apostolis, sed ab eo qui illos præcedebat, et movebat eorum animum. Quomodo enim piscator, vel tabernaculorum constructor, tantum terræ habitabilis orbem ita mutasset, nisi illius verba impedimenta omnia sustulissent, et præstigiatores, et tyrannos, et oratores, et philosophos, et omnes denique qui resistebant*, καθαπερ κονιν αποσοβουντες, και καπνον διαλυοντες, *tamquam pulverem discutientes, et instar fumi ecanescere facientes, ita veritatis lucem seminaverunt, non armis, nec vi pecuniæ, sed solo ac simplici sermone utentes. Imo vero non erat simplex sermo*, αλλ' εργου παντος δυνατωτερος, *sed erat quovis opere potentior. Quo tandem pacto? Invocabant nomen crucifixi, et mors fugiebat: fugabantur dæmones, morbi propulsabantur, quæ erant in corporibus mu-* C *tila atque vitiata, corrigebantur, pericula protinus recedebant, et mutabantur elementa. Quando ergo nobis dixerint, Cur non opem sibi tulit in cruce? hoc dicamus: Quoniam hoc erat admirabilius. Neque sunt paria, ex cruce descendisse: et postquam fuit crucifixus, tot esse mortuos eius nomine suscitatos. Quod enim tunc sua sponte manserit, ostendit ex iis quæ sunt postea consecuta. Qui enim mortem, quæ alios invaserat, expulit: multo magis a se ipso, priusquam invaderet, propulsare poterat: et qui aliis vitam præbet, multo magis sibi ipsi præbere poterat. Quod etiam triduo post fecit, ex redundanti quadam copia suscitatus.* Hæc Chrysostomus.

Secundo, plaudendum manibus et iubilandum voce in ascensione Christi regis nostri, quia utile est nobis eius regnum, partim in terra, partim in cælo. In terra quidem veræ fidei subiiciens populos, in cælo autem parans sanctis hæreditatem.

11. Primo igitur Apostoli qui hic loquuntur, et sunt Ecclesiæ prælati, exultant, quod gentes omnes convertantur D ad eorum prædicationem, et se illis obedientes præstent, v. 4. SUBIECIT POPULOS (qui sunt extra Ecclesiam, ait Cassiodor. 2. et melius, ut dicit idem, qui per Evangelium conversi legibus Ecclesiæ subduntur) NOBIS ET GENTES (S. Hier. tribus) SUB PEDIBUS NOSTRIS. Nota, *subiectio sub pedibus* denotat magnam subiectionem. Ita S. Chrysostomus: *Si vis scire*, ait, *quanta subiectio esset, audi. Quotquot, inquit Act.* 4. *possessores agrorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebantur, et ponebant ante pedes Apostolorum. Alii autem cum pecuniis animam quoque profuderunt. Qui, inquit, pro me se ipsos periculis obiecerint. De aliis quoque scribens dicebat ad Galat.* 4. 15. *Si possibile, inquit, oculos vestros effodissetis, et dedissetis mihi. Porro autem ad Corinthios quoque scribens dicebat* 2. *Corinth.* 7. *Ecce enim hoc ipsum secundum Deum tristitia affici, quantum in vobis studium effecit, imo defensionem, imo indignationem, imo timorem, imo desiderium, imo æmulationem, imo vindictam, eos usque adeo verebantur, et pertimescebant. Et Lucas rursus scribens, dicebat Act.* 5. *Cæterorum autem nemo audebat se coniungere illis, sed magnificabat eos populus. Et rursus* 1. *Corinth.* 4. *Quid vultis in virga veniam ad vos, an in charitate, et spiritu lenitatis? Vidisti auctoritatem et potestatem. Hæc autem omnia fecit illud verbum quod dixit eos emittens, Matth.* 28. 20. *Ego vobiscum sum. Ipse impedimenta omnia removebat ante eos ambulans, ipse plana omnia et proclivia reddebat: et quæ erant difficilia, faciebat facilia. Atqui erant omnia plena bellis, omnia scopulis et præcipitiis, et nusquam licebat pedem figere nec sistere; obstructi erant omnes portus, omnis domus clausa, omnes aures obturatæ: et tamen cum primum ingressi et locuti fuerant*, παντα κατελυον των πολεμιων οχυρωματα, *diruebant omnia hostium propugnacula, ut et ipsas animas profunderent, et innumerabilia pericula sustinerent pro iis quæ dicta fuerant.*

Vers. 4. Apostolis gentes perfecte subditæ.

Subiectio sub pedibus notat summam subiectionem.

Nota secundo, hinc patet in Ecclesia alios esse prælatos, alios subditos ipso iure divino, cum dicatur, *subiecit populos nobis*. Itaque Ecclesiæ regimen non est democraticum seu populare, in quo magistratus a populo constituuntur, et ab eo auctoritatem accipiunt. In Ecclesia autem Dei hoc nunquam factum est. Nam ut ait Bellarmin. tractat. de Romano Pontifice lib. 1. cap. 6. constat quod in tota Scriptura non est unum verbum, quo detur auctoritas plebi creandi Episcopos, vel presbyteros: est autem quo datur Episcopo talis auctoritas, ad Titum 1. 5. *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, ut constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi.* Deinde Apostoli, qui primi fuerunt Ecclesiæ ministri, a Christo, non ab Ecclesia, leguntur electi et constituti, Marci 6. Primi quoque Episcopi post Apostolos, quo tempore purissima erat Ecclesia, non a populo sed ab Apostolis facti sunt, ut cognosci potest vel ex ipsa historia Magdeburgensium. Nam Cent. 1. lib. 2. cap. 2. col. 15. testantur Centuriatores Iconii et Antiochiæ a Paulo datos esse pastores. Et cap. 10. col. 624. docent ex Nauclero aliisque historicis, Apollinarem, Ravennæ: Maternum, Treveris: et Hermagoram Aquileæ, a B. Petro Episcopos esse constitutos. Ad hæc S. Irenæus lib. 3. cap. 3. asserit Linum ab Apostolis Petro et Paulo Romæ factum Episcopum. Tertullianus de præscript. scribit Clementem Romæ, a Petro factum Episcopum, et Polycarpum Smyrnæ a Ioanne. Eusebius lib. 3. cap. 4. affirmat Timotheum Ephesiis et Titum Cretensibus a Paulo Episcopos datos. Nicephorus lib. 2. cap. 41. scribit a Matthæo Apostolo Platonem Episcopum factum in oppido quodam Anthropophagorum, nomine Mirmena. S. Marcum a B. Petro creatum Episcopum, et Alexandriam missum scribit Leo epistol. 81. ad Dioscorum, et Beda libro de sex ætatibus, in Claudio. Dionysium quoque Areopagitam a Paulo Athenarum constitutum Episcopum, colligitur ex Eusebio lib. 3. cap. 4. hist. et clarissime idem Beda in Martyrologio. Idem de multis aliis si opus esset facile possemus ostendere. Quæ cum ita sint, satis apparet in ipsa prima et purissima Ecclesia nullum locum habuisse Democratiam, cum Ecclesiasticum Magistratum non plebs, sed Apostoli constituerint. Deinde popularis gubernatio est plena tumultuum et inordinationum. Ut enim ait S. Hier. in cap 21. Matth. *Semper turba mobilis est, nec in proposita voluntate consistens, atque in morem fluctuum diversorumque ventorum huc illucque transfertur:* ita Hieronymus. Itaque recte S. August. lib. de utilit. credendi cap. 12. ait: *Non possunt stulti beatius vivere, quam si serviant sapientibus.* Ioannis ultim. 17. Christus Petrum toti suæ Ecclesiæ Pontificem præficit his verbis: *Pasce oves meas.* Act. 20. 28. ait Paulus Mileti maioribus natu, id est, Episcopis et presbyteris, qui ad eum Epheso, et ex aliis civitatibus venerant, ut explicat S. Irenæus lib. 3. cap. 14. *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episco-*

12. *Regimen Ecclesiæ non est populare, sed monarchicum.*

pos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.

13. Nota tertio, pro *subiecit populos nobis*, Symm. reddit, βασιλεῖς, id est *reges;* et pro *et gentes sub pedibus nostris*, Felix vertit, *regna*. Non enim sola plebs, sed ipsi reges et principes caput subdunt ad pedes Apostolorum, Pontificum et Episcoporum, ipsorumque sacerdotum, a quibus tamquam a superioribus suis remissionem peccatorum suorum ad genua eorum provoluti velut rei implorant et obtinent. Isaiæ 49. 23. summam regum demissionem et venerationem erga Ecclesiæ prælatos Deus declarat: *Erunt reges nutritii tui, et reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent.* Ubi alludit Deus ad Cyrum et reges Persarum, cum quibus nemo loqui poterat, nisi prostratus in terram, vestigia pedum regiorum exoscularetur, teste Xenophonte lib. 8. et Plutarcho in Alcibiade, q. d. Reges eumdem honorem tribuent Ecclesiæ, eiusque Prælatis, quem ipsi olim a suis subditis solent accipere, nimirum honorabunt et venerabuntur Prælatos, quasi suos dominos, imo reges. Quod autem dicitur, quod pulverem pedum eorum lingent, est hyperbole et auxesis, significans summam demissionem et venerationem. *Lingent* ergo, id est osculabuntur: tum ut supplices, tum ut devicti. Rursus, *pulverem pedum*, hoc est terram et pavimentum, in quo pedes tuos fixeris, quodque calcaris, reges et reginæ osculabuntur. Quod Prælatis, imo monachis, tum alii, tum S. Hedwigis ducissa Poloniæ (Polonia olim erat ducatus, nunc est regnum) matertera S. Elisabethæ fecisse legitur. Et hic olim reverentiæ fuit ritus, ut patet de Abraham, Gen. 23. 7. Et etiamnum hic ritus est Iaponum et Sinarum, ut principem salutaturi et veneraturi, fronte humum feriant: ita Cornelius. Iustinus Imperator veniente Ioanne Pontifice Constantinopolim, cum tota urbe illi obviam processit, et ad pedes eius procubuit, detrahensque sibi insignia augustalia, procidensque suppliciter petiit, ut illis rursus ipsum adornaret. Iustinianus Imperator Nicetæ, ad Constantini Pontificis pedes procubuit, eosque est osculatus. Idem fecit Carolus magnus Romæ, anno Christi 774. et eius avus Pipinus, Stephano II. Pontifici, venienti in Franciam, anno Christi 754. Idem fecit Ludovicus Pius Caroli Filius Sergio II. Pontifici, anno Christi 844. Ad ipsorum Episcoporum pedes ipsi reges se abiiciunt. S. Ambros. lib. de dignitate Sacerdotali cap. 2. *Regum colla et principum submittuntur genibus sacerdotum, et exosculatis eorum dexteris, orationibus eorum se credunt communiri.* Vide a me dicta in Ps. 4. v. 13. sect. 2. art. 4. Et Iosephum Stephanum Vestanum Episcopum tractatu de osculatione pedum Pontificis.

Reges ipsi subduntur Episcopis et sacerdotibus.

14. Hic colligitur, Ecclesiasticum regimen non esse penes principes sæculares. Id probatur ex Patribus. S. Ignatius in Epist. 7. ad Smyrnenses, nihil esse dicit honorabilius Episcopo in Ecclesia, et addit primum honorem deberi Deo, secundum Episcopo, tertium Regi. S. Gregor. Nazian. in oratione ad cives timore perculsos. S. Ioan. Chrysost. lib. 2. de sacerdotio, et hom. 4. in cap. 6. Isaiæ, et S. Ambros. lib. de dignit. Sacerd. cap. 2. Episcopos Regi apertissime anteponunt. Quin etiam S. Chrysost. homil. 83. in Matth. Reges non Episcopis solum, sed etiam Diaconis subiicit. Sic enim ad Diaconum suum loquitur: *Si dux quispiam, si consul, si is qui diademate ornatur, indigne adeat, cohibe et coerce: maiorem tu illo habes potestatem.* S. Aug. in Ps. 98. probat Mosem fuisse sacerdotem ea ratione, quia Moses maximus fuit et nihil est maius sacerdote. Et Gelasius in Epist. ad Anastasium Imp. *Nosti, ait, fili clementissime, quod licet præsideas humano generi dignitate rerum terrenarum, tamen præsulibus divinarum devotus colla submittis.* Et infra: *Subdi te debere cognoscis religionis ordine potius quam præesse: nosti itaque ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam redigi posse voluntatem.* S. Greg. lib. 14. Moral. cap. 19. asserit, prima membra in corpore Domini esse sacerdotes. Et lib. 4. Epistol. 31 ad Mauritium docet, sacerdotes esse deos quosdam inter homines, et propterea ab omnibus etiam regibus honorandos, quod idem et docet et probat Nicolaus I. in Epist. ad Michaelem. Vide plura apud Bellarm. tract. de Rom. Pontif. lib. 1. cap. 7. et apud Suarez in lib. ad regem Britanniæ.

Regimen Ecclesiæ non est penes principes sæculares.

Nota quarto, pro *subiecit*, Hebr. est ידבר *iadber*, quod primo S. Hier. vertit, *congregavit populos subter nos*. Ubi denotatur multitudo subditorum. Secundo, Pagninus, *ducet*, quo ostenditur facilitas subiiciendorum, cum eos Deus ipse adducat, non arma nostra et labores. Tertio, Felix, *comprimet populos sub nobis*, si nempe velint rebellare. Ubi declaratur suprema potestas continendi illos subditos per censuras et alias pœnas Ecclesiasticas. Quarto, Chaldæus: *Occident internecione populos propter nos*, quod de vitiorum extinctione potes exponere. Deus enim per Evangelii prædicationem occidit peccatores, format fideles et sanctos. Quinto denique, Noster, Syr. Arabs. Flamin. et alii vertunt, *subiecit*, quod latius patet, atque tam ad bonos quam ad malos potest applicari, et venerationem voluntariam, iuvante tamen gratia, quæ naturalem eminendi voluntatem tollat, melius exprimit. 15.

Variæ versiones.

Secundo, dicunt Apostoli utilem sibi esse Christi ascensionem, quia per illam ipsis aperit ad possidendam hæreditatem cælestem, v 5. ELEGIT NOBIS HÆREDITATEM SUAM, SPECIEM IACOB, QUAM DILEXIT. Nota, pro *hæreditatem suam*, nunc est Hebr. נחלתנו *nachalatenu*, id est ereditatem nostram, et ita vertunt S. Hier. Pagn. Arias, Felix; Campen. et alii. Secundo, Sept. legunt, *elegit nobis*, κληρονομίαν ἑαυτῷ, hæreditatem sibi; legerant, *nachalatho*, id est, *hæreditatem suam*, vel sibi. 16. Vers. 5.

Dubium est, quænam sit hæc hæreditas. Iansenius, Genebrard. Lorin. Bellarm. imo et S. Chrysost. intelligunt Ecclesiam primitivam ex Iudæis constantem. Verba Bellarm. sunt: Deus Christus post electos Chananæos, et populum suum in eorum terram introductum, elegit sibi in peculiarem et propriam hæreditatem, primitivam Ecclesiam, ex Iudæis credentibus, id est, Apostolis, cæterisque discipulis. *Elegit*, inquit, *nobis*, id est, in nobis, sive ex nobis, *hæreditatem sibi*, populum videlicet peculiarem. *Speciem Iacob, quam dilexit:* id est, elegit pulchritudinem quamdam eximiam populi Iudaici, qui dicitur Iacob, quam pulchritudinem merito adamavit, et ideo ex eo populo Ecclesiam, quasi propriam hæreditatem sibi ipse constituit: ita Bellarmin. Sed durius videtur *ut nobis* sumatur pro, *in nobis*.

Hæreditas data Apostolis est Ecclesia.

Secundo et optime, ac facillime, hæreditas Dei est cælestis hæreditas, quam dat bonis filiis in æternum stabiliter possidendam. Sic sensus facilis est, sive legas hæreditatem suam, sive, hæreditatem nostram: est Dei, quia eam dat: est nostra, quia illam meremur. Ad eam Deus servos suos elegit, eiusque efficaces gratias præparat, quibus finalem perseverantiam obtineant. 1. Corinth. 4. 7. *Quis te discernit?* Gr. διακρίνει, secernit, segregat, diiudicat, quod S. Aug. S. Prosper, et Concilium Arausicanum II. can. 6. ad gratiam et prædestinationem refert eo sensu, quod nemo se a massa perditionis et peccatorum possit secernere, et initium salutis suæ inchoare, per se, ac solius naturæ viribus, ut Pelagius sentiebat. Ephes. 1. 4. *Elegit nos in ipso*, id est per Christum. Et v. 11. *In quo sorte vocati sumus.* S. August. in Ps. 31. *Sorte*, inquit, *id est gratia. Nam ubi sors est, non est electio, sed voluntas Dei. Ubi enim dicitur: Iste fecit hoc, iste non fecit, merita considerantur: et ubi merita considerantur, electio est, non sors: quando autem Deus merita nulla invenit, sorte voluntatis suæ nos salvos fecit, quia voluit, non quia digni fuimus: hæc est sors.* Chald. in Ps. nostr. vertit, complacebit sibi in nobis, ut iure hæreditario possideamus hæreditatem nostram. Requiritur tamen noster consensus et cooperatio. Unde Syr. vertit: Seligere fecit nos hæreditatem. Offert itaque Deus non cogitanti gratiam, sed voluntas eam acceptat, et præ cæteris rebus eligit. S. August. lib. de spiritu et littera, cap. 34. sic ait: *Consentire vocationi divinæ, vel ab ea dissentire propriæ voluntatis est: quæ res non solum non infirmat quod dictum*

Et paradisus.

est. Quid enim habes, quod non accepisti? verum etiam confirmat. Accipere quippe et habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo, ac per hoc quid habeat, et quid accipiat, Dei est: accipere autem et habere utique accipientis et habentis est. Et S. Bernard. tract. de gratia et libero arbitrio: Quod, ait, a Deo soli datur libero arbitrio, tam absque consensu non potest esse accipientis, quam absque gratia dantis.

17. *Cur paradisus vocatur species Iacob.* Quæres, cur hæreditas cælestis vocatur species Iacob, seu Iacobæorum et Israelitarum, hoc est, fidelium fidem a virtutes Iacob Patriarchæ sectantium? Nota, pro *speciem*, Hebr. est גאון *gheon*, id est, gloriam, pulchritudinem, decorem, præstantiam, excellentiam, splendorem, florem præcipuum, magnificentiam, exaltationem. Rad. *gaa*, extollere, exaltare, magnificare, illustrare. Hinc Primo, S. Hier. vertit, *gloriam Iacob quam dilexit*. Symm. ἐνδοξασμόν. Secundo, Felix, magnificentiam Iacob quem dilexit. Sed melius Sept. habent τὴν, id est, quam. Tertio, Campensis, elegit in hæreditatem nobis florem præcipuum ipsius Iacob, quem amavit. Quarto, decorem, ut idem Camp. Quinto, Flamin. pulchritudinem. Sexto, ὑπεροχὴν, vel, ὑπερήφανον: id est, excellentiam et elationem, ut Aquila. Septimo, καύχημα, gloriationem, ut VI. Editio. Hæc una sit gloria, pulchritudo, gloriatio, ut nomina habeamus scripta in cælo, ut simus hæredes Dei in libro vitæ positi. Dionysius Carth. in Psalm. nostr. *Christus*, inquit, *decrevit nobis dare bona cælestia, non terrena: felicitatem vitæ æternæ, non prosperitatem vitæ mundanæ: magisque voluit nos facere hæredes Dei, cohæredesque sui, quam dare nobis temporalia bona, quæ esse possunt malis ac bonis communia.* Recte etiam ait, speciem illam Iacobi esse pulchritudinem electorum vitia supplantantium. Hunc Iacobum a Deo diligi, Malach. 1. 2. *Nonne frater erat Esau Iacob? et Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et Apoc. 1. 8. *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine Agni.* Hugo Card. ingeniose dicit, speciem illam Iacob esse vitam æternam speciosam, significatam per speciosam Rachelem, quam Rachelem dilexit Iacob, Gen. 29. *Servivit Iacob pro Rachel septem annis, et videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Sed sicut Iacob cupienti habere Rachel, introducta prius fuit ad eum Lia, quæ interpretatur laboriosa: ita et nobis si volumus habere Rachel, quæ interpretatur visio, seu videns Deum: hoc est vitam æternam, prius oportet quod accipiamus laborem huius vitæ, quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, Act. 14. *Et ipsum Christum oportuit pati et ita intrare in gloriam suam*, Luc. ultimo.

18. *Simplicitas domi manentium Deo placet.* Symbolice. Potho Prumiensis presbyter qui vixit et floruit anno 1152. lib. de domo Dei dicit, speciem Iacob esse simplicitatem operantem domi manere. Sic autem ait: *Species Iacob Deo dilecta quæ sit videamus. Iacob dilexi, ait Dominus, Esau autem odio habui. Amborum enim fratrum dispar studium, conversatio dissimilis erat. Nam ut Scriptura dicit* Gen. 25. *Factus est Esau gnarus venandi et homo agricola, Iacob autem simplex habitabat domi. Hæc est species simplicitatis quam Dominus diligit, quam nobis in Iacob ostendit: ut scilicet secundum speciem Iacob in simplicitate cordis quietem domus amplectamur: nec ut Esau foras egrediamur, nec terrenis et sæcularibus negotiis occupemur. Nam quod foris est, in inquietudine perstrepit, in strepitu versatur, ubi Dominus locum non invenit. In illo tantum corde quod in requie domus Domini habitat, requiescit spiritus Domini. Qui ergo intus sunt in domo, a facie Domini non egrediuntur. Abscondit enim eos Dominus in abscondito faciei suæ a conturbatione hominum. Ille vero qui primus a facie Domini egressus fuisse legitur, hoc est Cham* (Cain voluit dicere) *in terra Naid, quod interpretatur commotio, habitabat. Quo contra is qui in requie domus Dei conversatur, orat Dominum. Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea, et non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me.*

ARTICULUS II

Hominum et angelorum exultatio in ascensione.

Post invitationem omnibus orbis nationibus factam, ut exultent in triumpho Christi in cælos ascendentis, ait David eam ascensionem factam esse cum summo gaudio hominum et angelorum tunc existentium et spectantium, 19.
Vers. 6. Ascendit Christus cum hominum iubilatione. v. 6. ASCENDIT DEUS IN (id est, cum) IUBILO (S. Aug. Psalterium Rom. et Gallic. in iubilatione ET DOMINUS (idem) IN VOCE TUBÆ. S. Hieron. in voce buccinæ. Camp. cum clangore tubæ. Sensus est, q. d. Christus qui Deus est et Dominus ascendit hominibus et angelis summopere lætantibus, et musicis sonis atque instrumentis suam lætitiam denotantibus. Est enim hic synecdoche, et per iubilum omnis melodia: per tubam omne instrumentum musicum denotatur. Iubilus porro qui, ut ait Varro, est gaudium quod verbis non exprimitur, erat Apostolorum in extasim raptorum ad hunc mirabilem aspectum. Ita Augustinus: *Ascendit*, ait, *Deus in iubilatione. Quid est iubilatio, nisi admiratio gaudii, quæ verbis non potest explicari? Quomodo admirati sunt gaudentes discipuli, videntes ire in cælum, quem planxerunt mortuum? Revera quia gaudio huic verba non sufficiebant, restabat iubilare quod nemo potuit explicare.* S. Thomas per iubilum, ait, indicari imperfectam cognitionem Apostolorum: quia iubilus est vox quædam confusa et mentem verbis non exprimens. Sed melius per iubilum declaratur vehementia gaudii, quod tantum est ut explicari non possit, hominemque velut extra se rapiat, et ad effusos clamores excitet. Secundo, iubilum etiam possis tribuere angelis, corpus humanum assumentibus, ut Christi Dei et hominis pompam illustriorem redderent. Hoc enim maxime probabile arbitror. Tertio et optime, iubilus tunc fuit hominum sanctorum, qui cum Christo resurrexerant, et cum corporibus suis cælos petebant, ac præ exuberanti gaudio se continere non poterant, nec satis illud verbis explicare valebant. Non est enim credibile eos postquam resurrexerunt, iterum esse mortuos: maluissent enim non resurgere, deinde decebat ut cum ascendente Christo etiam homines in corpore et animo gloriosi spectarent, qui in cælis cum eo colloquerentur ac versarentur, ne alioqui solitaria esset eius humanitas et expers humanæ consolationis: ita S. Epiphan. S. Hier. S. Thom. et alii.

Vocem tubæ tribuunt angelis pene omnes Interpretes. 20.
Et angelorum exultatione. Primo quidem S. Aug. id exponit de voce eorum dicta Apostolis post ascensionem, Act. 1. 11. *Viri Galilæi quid statis aspicientes in cælum*, etc. Secundo et verius, vox tubæ accipienda est de aliis letitiæ sonis in ipsius ascensionis pompa triumphali: sive vocem tubæ sumas metaphorice pro gaudio et laude angelorum, licet interius in animo contentis, sive exterius expressis in corpore assumpto, ut humanato Verbo magis gratificarentur, quod probabilissimum puto. Nam humanitas Christi nihil poterat percipere nisi corporeum, erat autem cumulanda omnibus gaudiis, præsertim in die sui triumphi. Nota, tuba utebantur Iudæi, ad designandos dies festos; 2. in sacris; 3. ad horas determinandas; 4. ad convocandam multitudinem; 5. ad bellum indicendum aut prælium; 6. ad epulum solemne. Hæc pene omnia huic ascensionis celebritati aptari possunt, quæ est complementum et coronis omnium festorum Christi.

Quæres, quæ sint causæ lætandi in hoc festo? Resp. 21.
Tres causæ lætitiæ in ascensione Christi. esse tres præcipuas. Prima est regis nostri gloria. S. Bernard. serm. 2. de Ascens. *Solemnitas ista*, inquit, *gloriosa est, et ut ita dicam, gaudiosa: in qua et singularis Christo gloria, et nobis spiritualis lætitia exhibetur. Consummatio enim et adimpletio est reliquarum solemnitatum, et felix clausula totius itinerarii filii Dei.* S. Epiphanius sermone de Christi Domini ascensione eam comparat et præfert aliis festis Salvatoris. Primo enim ait nativitatem esse, φρικτὴν καὶ θαυμαστὴν, venerandam atque mirabilem. Se- I.
Christi gloria. cundo, epiphaniæ celebritatem, πολλὴν πρώτης θεωρίαν μετ-

ζονως εχειν, contemplationis materiam festo primo illo offerre sublimiorem. Sed neque in his lætitiam esse omni ex parte perfectam. Christi enim corpus adhuc mortale extitisse. Tertio, resurrectionis festum, προλαβουσων εορτων ενδοξοτεραν, duobus præcedentibus festis illustrius fuisse: sed nedum esse gaudium omnino consummatum cum Christus adhuc in terris esset. Quarto denique subiungit: *Verum hodie in ascensionis festo*, παντα δια παντων ευφροσυνης πεπληρωται, *uberrima voluptate ac lætitia cumulata sunt omnia. Hodie Christus Dominus sidereos micantesque luce cælos aperiens, atque subtilissimum aerem sibi ad gradum et scansionem substernens, hominem e terra concretum supra cæli convexa transtulit.*

II. Nostra utilitas. Secunda lætandi causa in ascensione est nostra utilitas et gloria, id est, 1. quia, ut ait Christus, Ioann. 14. 2. vadit parare nobis locum; 2. quia corpora nostra e terris elevaturus est supra cælos, sicut suum extulit. S. Augustin. serm. 5. de Ascensione: *Ascensionis*, inquit, *dominicæ inclytum et regale mysterium, quod Christus levavit ad cælum, canit etiam totus mundus, et festis agit gaudiis triumphos Domini sui, qui erexit a terra inopem, et de stercore exaltavit pauperem, eumque levavit ad patrem.*

III. Lætitia angelorum. Tertia denique, lætandi causa in ascensione, est lætitia angelorum exultantium quod videant palatia angelorum rebellium et ex civitate cælesti deiectorum, repleri, et regem suum de omnibus hostibus triumphare, et in plena possessione imperii sui supra omnes creaturas constitui. S. Epiph. mox citatus: πασας αγγελων φυσεις εις χαραν αληκτον παραρρηξας ξενην ημιν θεαν επεδειξε: universis angelicis naturis immensum gaudium afferens, novum mundo planeque peregrinum spectaculum ostendit: videlicet carnem nostram supra regium solium evectam.

22. Christi divinitas hinc probatur. Nota, ex hoc loco probatur Christi divinitas. Primo, quia dicitur *ascendit*, propria scilicet virtute: non vero, assumptus est, aut deductus est: ita Chrysost. Elias curru igneo ab angelis raptus est quasi in cælum: et Christus viribus propriis evolavit supra cælos cælorum. Secundo, et efficacius, quia clare appellatur Deus et Dominus: ita S. Cyrill. Alex. epist. ad Episcopos Ægypti, sicut habetur in Concilio Ephesino.

Ascensionis festum est iucundissimum. Nota secundo, pro *tuba* Hebr. est שופר *sciophar*, id est, pulchra tuba. Rad שפר *sciaphar*, pulchrum, et decorum esse. In tanto festo, ubi pulcherrimus Rex et speciosus forma præ filiis hominum cum gloria ad gloriam ascendit, omnia pulchra sint oportet. S. Epiphan. serm. de Ascens. *Sicut*, inquit, *caput totam corporis compositionem exornat, ita hodierna festivitas*, θειας χαριτος απαυγαζει το καλλος, *divinæ gratiæ pulchritudinem, quasi colophonem illi imponens, mirifice illustrat*. S. August. sermon. 7. in Ascens. Qui sunt, ait, qui spectant ascendentem? qui viderunt resurgentem, fugerunt pendentem, et sequuntur oculis ascendentem. Timor in Cruce, amor in nube, visus delectabilis in aere. O dulcis descendentis affectus, *o delectabilis evolantis aspectus!* Facit vale, et benedicit in pace. Illi se commendant, et ille benedictionis gratiam reliquit: ita Augustinus. Sponsa, id est, Ecclesia eo aspectu extra se rapta clamat Cant. 8. 14. *Fuge dilecte mi, assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes Bethel.* Hugo Card. causas affert cur angeli tuba cecinerint. Ascendit, ait, in iubilo Angelorum, Apostolorum, hominum redemptorum, Christi ipsius. Primo, iubilaverunt angeli de hominis reparatione, de suæ ruinæ restauratione, de sui Regis exaltatione. Secundo, Apostoli de Spiritus sancti certa promissione, de gentium multa conversione, de Christi glorificatione. Tertio, Redempti propter eius humiliationem, propter suam redemptionem, propter angelorum associationem. Quarto denique, Christus, quia opus nostræ salutis consummavit, quia diabolum superavit, quia Patris voluntatem implevit: ita Hugo. Hæc sunt figurata in elevatione et translatione arcæ a Davide in montem Sion, ubi tabernaculum extruxerat. Ibi enim erat, 1. Rex David; 2. sacerdotes; 3. Levitæ; 4. omnis populus exultans. 2. Reg. 6. 15. *David et omnis domus* (id est, populus, sed unitus velut incolæ unius domus) *Israel ducebant arcam testamenti* (id est, in qua erat Lex signum testamenti seu pacti cum Deo initi) *Domini in iubilo, et in clangore buccinæ.* Hoc adhuc magis exprimitur. 2. Paral. 5. 13. cum Salomon curavit eamdem arcam in suum templum transferri.

23. Tropol. Alacriter Deo serviendum est. Tropol. ascendit Deus in iubilo, id est, cum quis gaudens in solo Domino alacriter ea præstat, quæ in eius honorem aggreditur, et iugum legis non trahit, sed alacriter elevat ac portat eius oleo confortatus et recreatus: *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Secundo, ascendit Dominus in voce tubæ, id est fit dominator animæ per vocem prædicationis Evangelicæ. S. Chrys. in Psal. nostr. *Non aberraveris, si tubas vocaveris ora Apostolorum, non tubas quidem æreas, sed*, χρυσου τιμιωτερας, και λιθων πολυτελεστερας, *auro pretiosiores, et gemmis magnificentiores.* Subdit deinde, non dici Christum, ascendisse in tuba, sed in voce tubæ, ad denotandam eorum concordiam. *Cur*, ait, *non dixit, in tuba, sed in voce tubæ. Significans eorum concordiam, et animi consensionem, sicut etiam dicit Paulus* 1. *Cor.* 15. 11. *Sive ergo ego, sive illi, sic prædicamus. Et rursus Act.* 4. 32. *Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una: tuba autem canebant, non ad bellum incitantes, sed prædicantes et annuntiantes victoriam. Quemadmodum enim in castris, quando cum signis in aciem prodeunt, præcedunt tubæ, quæ præsentes excitant, non aspectu solum, sed etiam auditu: ita tunc factum est. Ingredientibus Apostolis in unamquamque civitatem, tubæ sonabant, et ad audiendum omnes effundebantur.* Artemidorus l. 1. cap. 58. tubam vocat liberorum instrumentum. Suidas vero, ιερατικον οργανον, instrumentum sacerdotale. Nam, apud Hebræos soli sacerdotes tubis argenteis clangebant. Num. 10. 2. Iosue 6. 5. 1. Paral. 16. 6. Videant ii qui altaribus deserviunt, ut tuba sint argentea per fidem, et angelica per puritatem, ut ad eos, et per eos Christus ascendat et maior in dies effectus in cordibus fidelium dominetur.

David videns angelos et homines ex omni parte Christum triumphantem et sole micantiorem cælos petentem sequentes et comitantes, eique laudem voce et instrumentis musicis canentes, gaudio triumphat, iis applaudit, et ut laudare pergant, inclamat, v. 7. Psallite (S. Hier. *canite*. Cantus tum de voce communiter, tum de instrumentis aliquando usurpatur. Pagn. *cantate*. Camp. *Psalmis celebrate*. Chald. *laudes dicite*) Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psallite. Vers. 7.

24. Vers. 8. Christus erat homo et Deus, ideo psallendum et sapienter. Et v. 8. Quoniam Rex omnis terræ Deus: psallite sapienter. Motiva quatuor, cantandi seu psallendi proponit. Primo, quod Christus sit Deus. Secundo, quod sit Rex. Tertio, quod Rex noster. Quarto, quod Rex omnis terræ. Vide dicta art. 1. hic et Ps. 23. 7. et 8. Adde S. Aug. tr. 13. in Ioan. *Quis est*, inquit, *alius Rex noster, nisi Dominus noster Iesus Christus, ipse est Rex noster. Et quid audivistis in isto psalmo recenti versu modo cantato? Psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psallite. Quem dixit Dominum, ipsum dicit Regem nostrum. psallite Deo nostro. psallite: psallite Regi nostro, psallite intelligenter. Ne in una parte velis intelligere, cum psallis: quoniam Rex omnis terræ Deus, Rex qui visus est in una parte terrarum, in Hierosolyma, in Iudæa ambulans, inter homines natus, sugens, crescens, manducans, bibens, vigilans, dormiens, fatigatus, ad puteum sedens, comprehensus, flagellatus, sputis illitus, spinis coronatus, ligno suspensus, lancea percussus, mortuus, sepultus. Quomodo ergo Rex omnis terræ? Quod videbatur in loco, caro erat, oculis carneis caro apparebat, in carne mortali maiestas immortalis occultabatur. Et quibus oculis poterat intueri? Est alius mentis oculus, est interior oculus. Non enim nullos oculos habebat et Tobias, quando cæcus oculis corporeis filio dabat præcepta vitæ. Ille patris manum tenebat, ut pedibus ambularet, ille filio consilium, ut viam iustitiæ teneret. Et hic oculos video, et hic oculos intelligo. Et meliores oculi dantis vitæ*

consilium, quam oculi tenentis manum. Tales oculos quærebat et Iesus, quando ait Philippo: Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Tales oculos quærebat, cum ait: Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum. Isti oculi in intelligentia sunt, isti oculi in mente sunt: ideo cum dixisset Psalmus: Quoniam Rex omnis terræ Deus: subiecit statim, psallite intelligenter. Quod enim dico, psallite Deo nostro, psallite, Deum dico Regem nostrum. Sed Regem nostrum inter homines, vidistis tamquam hominem, vidistis passum. crucifixum, mortuum. Latebat aliquid in illa carne, quod oculis carneis videre non potuistis. Quid illic latebat? Psallite intelligenter. Nolite oculis quærere, quod mente conspicitur. Psallite lingua, quia inter vos caro. Sed quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, reddite sonum carni, reddite Deo mentis obtutum. Psallite intelligenter, et videtis quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Hæc August. Rex porro omnis terræ dicitur Deus ob eos, ut ait Bruno, qui sibi per singula loca diversa numina faciebant, ut Venerem in Papho, Martem in Thracia, Iovem in Creta, et alios per loca diversa: ita Bruno, qui ut docet Trithemius, erat Episcopus Herbipolensis, Conradi Imperatoris secundi patruelis, natione Teutonicus, et Franciæ Orientalis singularis patronus.

25. Psallendum esse Deo cur sæpius hic dicatur: Quæres primo, cur tam sæpe dicit Davit, *psallite?* Primo Hesychius respondet: Ter Deo psallendum merito præcipi, ut lingua, et mente, et spiritu psallamus. Sed quater ponitur *psallite*, deinde additur, *psallite sapienter*. Secundo, Remigius: Psallite, ait, Deo nostro, psallite, patri videlicet: psallite Regi nostro, Filio: psallite Spiritui sancto:
1.
2. et merito, quoniam Rex omnis terræ Deus est: ita ille. Sed cur bis pro Patre dicitur *psallite*, et tantum semel
3. pro Filio et pro Spiritu sancto. Tertio, aptius Hugo Card. Hic, ait, moraliter est notandum, quod quinquies dicit psallite, ut omnibus quinque sensibus psallamus. Et propter ista quinque dicitur in hymno: Os, lingua, mens, sensus, vigor, confessionem personent. Vel quinque dicit, psallite, q. d. Psallite corde, ore, opere, consuetudine, finali perseverantia. In ultimo autem psallite, addit sapienter, quod ad omnia quinque referri debet, ut sapienter, id est, cum sapore Dei psallamus. S. Bernard. Cibi in ore, psalmus in corde, non negligat anima illum terere dentibus intelligentiæ suæ: ne si forte integrum glutiat, frustretur palatum sapore dulciori super mel et favum: ita Hugo.

4. Et optime. Quarto denique, et optime, hæc repetitio denotat in Propheta vehementiam gaudii, et desiderium, ut homines et angeli Christo Regi suo et Deo psallant alacriter atque perseveranter. S. Bern. serm. 47. in Cant. a religiosis suis alacritatem postulat in psallendo. Reverenter, inquit, et alacriter Domino assistatis, non pigri, etc. locum integrum alias attuli. Nota porro, quod alacritatem mentis dat psalmus. Sic enim S. Laur. Iustin. de disciplina et perfectione monast. conversat. cap. 17. *Et psalmodia*, inquit, *quædam Dei ad hominem, atque hominis ad Deum dulcis, læta, et familiaris allocutio. quæ immensas in se continet delectationes*. S. Iustinus Martyr. quæst 107. ad Orthodoxos asserit, sacrum cantum esse λυπηρων ιαματικον, tristium rerum medelam. S. Greg. Nyss. or. 4. de Resurr. docet, per sacra cantica οιον τι ρευμα χαρας, velut flumen quoddam gaudii in animum influere. S. Chrys. in Ps. 134. Psalmus, inquit, habet voluptatem cum utilitate. Principale eius lucrum est ad Deum hymnos dicere, animam expurgare, cogitationem in altum extollere, vera et accurata dogmata discere, de præsentibus et futuris philosophari. Nam licet millies petulans sit is qui canit, dum psalmum reveretur, sopit tyrannidem suæ petulantiæ: licet oppressus sit malis innumeris, et ab ægritudine animi occupetur, dum demulcetur a voluptate, levat animum, extollit cogi-
26. tationem, et mentem in sublime evehit: ita Chrysost. Homilia integra ad psalmodiam excitat S. Antiochus.

Sapienter psallere quid. Quæres secundo, quid sit, *psallere sapienter*. Nota, pro *sapienter*, Hebr. est מַשְׂכִּיל *maschil*, quod 1. Arias sumit
A tamquam nomen, et vertit *intelligens;* 2. et melius alii sumunt adverbialiter, at quidem S. Hier. reddit, erudite; 2. Pagninus, intelligibiliter; 3. Arabs, cum intellectu. Chald. cum intellecto bono; 4. Camp. cum industria. His positis:

Respondet primo, S. August. sapienter cantare eos I.
qui Deo vero cantant, non idolis: Admonet nos, inquit, ut psallamus intelligenter, non quæramus sonum auris, sed lumen cordis. Psallite, inquit, intelligenter. Gentes unde vocatæ estis, ut Christiani essetis? Adorabant deos manu factos, et psallebant illis, sed non intelligenter. Si intelligenter cantarent, lapides non adorarent.

Secundo, Ruffinus ait, insipienter psallere eum, qui II.
laudem humanam inde et ex bonis operibus, quæ designantur psalterio, quod manibus pulsatur, quærunt, more virginum fatuarum, Matth. 25.

Tertio, Dionys. Carth. psallendum ait esse sapienter, III.
id est, cum interiori mentis sapore cordialique gustu verba Psalmodiæ proferenda. Sapientia enim est sapida: seu, ut alius dicit, sapora scientia. S. Basil. in regulis brevio-
B ribus, resp. ad interrogationem 276. *Guttur escas gustu diiudicat, mens autem intelligendi verba discernit. Si quis igitur ad vim verbi cuiusque animo etiam ita simul afficiatur, quemadmodum gustatu ad qualitatem cuiusque cibi, prorsus hic mandato illi satisfacit, quod est, psallite sapienter.* S. Hier. ad Rusticum: Dicas psalmum, ait, in ordine tuo, in quo non dulcedo vocis, sed mentis affectus quæritur, dicente Apostolo, 1. Cor. 1. Psallam spiritu, psallam et mente. Et Ephes. 5. *Cantantes in cordibus vestris Domino.* Legerat enim esse præceptum, psallite sapienter: ita Hieronymus.

Quarto, *psallere sapienter*, est non voce tantum, sed IV.
etiam factis psallere: non lingua tantum sed etiam ritu: ita Chrysost. Nonne enim insipientis est coram Iesu genua flectere, eum prophetam vocare et manu alapas ei infringere, eum voce confiteri, et factis negare: *Non est speciosa laus* (sapientiæ et Dei) *in ore peccatoris*, Eccl. 15. 9.

Quinto, *psallere sapienter*, est psallere cum melodia et V.
C cum arte singulari. Magnet. sic vertit, doctæ modulamine vocis psallite.

Sexto, *psallite sapienter*, qui distincte verba singula pro- VI.
nuntiat, et modestiam in corporis motu, oris et vultus conformatione exhibet. Apoll. reddit: μελψατε μοι πινυτῃ κραδιῃ, και εχεφρονι μυθω, cantate mihi prudenti corde, et sapienti sermone. Concilium Aquisgranense sub Stephano Papa V. de Cantoribus cap. 137 sic præcipit: *Psalmi in Ecclesia non cursim, et excelsis atque inordinatis, seu intemperatis vocibus, sed plane ac dilucide, et cum compunctione cordis recitentur: ut et recitantium mens, illorum dulcedine pascatur: et audientium aures, illorum pronuntiatione demulceantur: quoniam quamvis cantilenæ sonus in aliis officiis excelsa soleat edi voce, in recitandis tamen psalmis huiuscemodi vitanda est vox.* S. Theodorus Studita, qui dimicavit pro cultu sacrarum imaginum circa annum 820. serm. 99. *Obsecro*, inquit, *et cohortor decore riteque psallere, non obiter et supine confuseque. Id equidem haud sontem me offendit, sed certe S. Spiritum, qui*
D *edixit, Psallite intelligenter. At intelligenter psallere non possumus, nisi id observemus, ne choro frequentando versum dicere incipiamus, dum prædictus non sit absolutus, seu contenta, seu exilis fiat psalmodia, seu lentius, seu concitatius eat versus. Sin accidat torpor et ignavia, certe succutito alter alterum, in primisque decorum conservetur. Quod si est in aliis pulcherrimum, quanto magis in alloquio divino. An non in turbis deformationes animi fœdæ, et captivitas quædam accidit mentis, contraque inest in decoro, tum studium et contentio maior, tum suavitas: siquidem ait, Ps. 118. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo? Igitur hortor obtestorque, summa ope nitamur hanc virtutem acquirere, invicem adiuvantes et corrigentes in canendo. Nam sic intelligenter psallentes, animis voluptatem oppido quæramus, et exemplum aliis simus luculentum, atque in hoc etiam Deum colentes perennem vitam acquiramus, per Christum Iesum Dominum nostrum.* Ago-

bardus Episc. Lugdun. qui floruit tempore Ludovici Pii, A epist. seu tract. scripsit Cantoribus Ecclesiæ Lugdunensis, ubi multa ad rem nostram pertinentia reperies, extat tom. 9. Biblioth. Patr. parte 1. p. 622. editionis coloniensis. Cantandum est discrete, et mente non turbata, ut ait S. Thomas.

VII. Septimo, *psallit sapienter*, qui attente et considerate psallit, ait Bellarminus. Synodus in Trullo congregata Constantipoli, id est, in Secretario sacri Palatii sic dicto, can. 3. præcipit ut cantetur, μετα πολλης προσοχης και κατανυξεως, cum multa attentione et compunctione. S. Chrysost. ait, psallere sapienter, considerantes rerum gestarum magnitudinem. Præclare S. Edmundus Cantuar. Episcop. qui obiit anno 1240. in speculo Ecclesiæ sic ait: *Canta versiculos sapienter. Sapienter cantare est, quod homo dicit ore, prudenter cogitare. Nam si tuum corpus sit in choro, labia tua in psalterio, et cor tuum in foro, miserrime divisus es in te ipso, ne exaudiaris a Deo.* Cassiodor. vere: *Nemo* inquit, *sapienter facit, quod non intelligit.*

27. An Psalmi sint cantandi lingua vernacula. Dices, ergo psalmi cantandi sunt lingua vernacula, ut B a psallentibus intelligantur. Resp. negando consequentiam. Satis enim est si in iis sciant se laudare Deum, et ad ipsum mentem suam erigant. Imo S. Antonius dictitabat, illam esse perfectam orationem, in qua animus ita absorbetur in Deum, ut non intelligat verba sua. Vide Bellarminum lib. 2. de verbo Dei cap. 15. et 16. ubi agit de editionibus vulgaribus; et lib. 2. de Sacramentis in genere, cap. 32. ubi probat, Sacramenta non esse ministranda vulgari idiomate; et lib. 2. de Missa, cap. 11. ubi ostendit illam non esse dicendam lingua vulgari.

VIII. Denique et optime. Octavo denique, psallere sapienter multa complectitur. Primo, ut ante psalmodiam oraturus præparet animam suam, præsertim cogitando quis et ad quem accedat. Secundo, tempore psalmodiæ servando modestiam in corpore, et attentionem atque considerationem in mente, variosque virtutum actus exercendo. S. Laur. Iustin. hoc advertit tr. de disciplina et perfectione cap. 6. *Delectatur*, inquit, *Dominus Iesus in gravitate vitæ, in cordium* C *puritate, et in perfectione virtutum servorum suorum. Si enim cum tanto studio et tanta sedulitate, temporales homines ministros cupiunt habere formosos, morigeratos, prudentes ac nobiles: quanto magis sæculorum Regi immortali, et invisibili, cui soli honor et gloria exhibenda est, convenit sibi astantes habere ornatos virtutibus, et omnium morum elegantia? Propterea angelicam conversationem tenere conentur, quotquot cælesti Domino gratissimum desiderant obtinere famulatum. Magni, nempe periculi res est, sordescentes, impudicos, criminososque audere divinis adstare aspectibus, et spirituales Deo promere iubilationes. Non est speciosa laus in ore peccatoris. Rectos decet collaudatio.* Sapientiæ vero mentionem expressiorem facit idem sanctus Pater: *Magnum*, inquit, *adiutorium, et efficax incitamentum ad pure divinam laudem promerendam est, cum cor redit ad se, et diligenter intelligit quid acturum sit.*

ARTICULUS III.

Ascensionis Christi fructus.

Duplicem assignat Propheta. Primum quidem respectu Christi: *Regnabit Deus super gentes.* Secundum vero, respectu hominum qui convertuntur ad fidem, et postea evehuntur ad gloriam: *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham: quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt.*

28. Primo igitur, ascendens Christus in cælos cepit posses-
Vers. 9. sionem regni sui tota æternitate mansuri, v. 9. **Regnabit** (q. d. Qui nunc incipit regnare, semper regnabit) **Deus** (Christus) **super gentes** (Chald. et Arabs addunt, omnes) **Deus sedet** (iam incipit sedere) **super sedem sanctam suam**. Chald. super thronum gloriæ suæ. Arabs, Deus ascendit super thronum gloriæ suæ.

Quæres, quæ sit illa sedes Christi? Primo, Remigius Quis Christi thronus in cælo?
sedem sanctam Christi ait esse Ecclesiam. Secundo, aptius Hugo et Bruno, aiunt esse angelos. Sic Ps. 79. 2. dicitur: *Qui sedes super Cherubim.* Sed hæc sunt mystica. Tertio, Niceph. thronum Christi ait esse regiam et iudiciariam potestatem: sanctum vero dici, quia purus et mundus est ab omni personarum acceptione. Ianseu. sic exponit, q. d. Super omnes etiam gentes Deus regiam ac iudiciariam super omnes potestatem habet perpetuo regnaturus. Quarto, et magis ad litteram, S. August. *Cæli sunt sedes sancta eius.* Est enim de fide, quod Christus post resurrectionem suam vere, et proprie in cælos ascendit. Quinto, Genebrard. Sedes Christi, ait, est Dei dextera. Bellarminus, Sedet, inquit, ad dexteram Patris, quæ est sedes Dei sanctissima; id est, iustissima, et in quam nulla cadere potest iniquitas: ita ille. Sed hoc non satis exprimit, quis sit ille thronus. Vide Psalm. 109. 1. Sexto itaque, arbitror intelligi hic thronum verum et proprie dictum auro gemmisque cælestibus radiantem, in Et optime.
quo sedit Humanitas Christi, et tota æternitate sessura est, cum ei placebit. Hic thronus positus est in pulcherrimo et celsissimo loco illius cælestis civitatis, de qua dixi satis fuse Ps. 47. Non est omnino improbabile, quod Deus Pater se in aliqua specie visibili exhibeat oculis corporis Beatorum, item Spiritus sanctus: in eo loco Christus habet thronum, et sedet a dextris Dei Patris, Spiritus sanctus a sinistris, ita ut Pater in medio eorum esse videatur. Sed quis ea arcana cognoscat aut eloquatur? Cum S. August. lib. de fide et symbolo, cap. 6. dicamus: *Cre-* Cælestia non sit scrutanda.
dimus in cælum ascendisse: sed ubi et quomodo sit in cælo corpus Dominicum, curiosissimum et supervacaneum est quærere, tantummodo in cælo esse credendum est. Non enim est fragilitatis nostræ cælorum secreta discutere: sed est nostræ fidei de Dominici corporis dignitate sublimia et honesta sapere. Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 15. sect. 3. probat Christum per ascensionem suam consecutum esse, ut sedeat ad dexteram Patris. Illum consule, si placet. De regno Christi vide a me dicta Ps. 2. v. 6. illud regnum eiusque vim cœpit maxime ostendere triumphatis et catenatis hostibus suis. S. Epiphan. Serm. de ascensione si tamen eius est hic sermo: *Hodie*, inquit, *diabolus corpus nostrum in cælos sublevatum cernens calamitatem suam deplorat. Hodie peccatum propter Iesum assumptum*, ως καπνος διαλελυται, *ut fumus disparet. Hodie lugens plorans*que *eiusmodi næniam edit. Quid faciam infelix? Omnes quos a sæculo vinctos detinebam, lapsu incitatissimo* ως ιεραξ οξυπτερος αρπαξας παρεαυ, *instar accipitris advolans mihi intercepit, meque desertum, omnique ex parte alis exutum in terram deturbavit. Decepit me Mariæ filius*, etc.

Tropol. Anima iusti, sedes est sapientiæ, non tantum 29.
creatæ, sed etiam increatæ et incarnatæ. S. August. in Tropol. Anima iusti est sedes sapientiæ.
Ps. nostr. *Vis*, inquit, *et tu esse sedes Dei? Noli putare te esse non posse. Para illi locum in corde tuo, venit et libenter sedet. Ipse certe est Dei virtus et Dei sapientia. Et quid dicit Scriptura de ipsa sapientia, Sap. 7. Anima iu-* D *sti, sedes sapientiæ. Si ergo anima iusti sedes est sapientiæ, sit anima tua iusta, et eris regalis sella sapientiæ. Et revera fratres, omnes homines qui bene vivunt, qui bene agunt, secundum charitatem piam conversantur, nonne Deus in illis sedet, et ipse iubet: Obtemperat anima sedenti in se Deo, et ipsa iubet membris. Anima enim tua iubet membro tuo quo moveatur pes, quo manus, quo oculus, quo auris, et iubet ipsa membris tamquam famulis suis, sed et ipsa servit interius, insidenti sibi domino suo. Non potest inferiori se bene imperare, nisi superiori se non fuerit dedignata servire.* Et aliquot interiectis agens de Centurione indignum se existimante, ut ad eius domum veniret Christus. Trepidavit, inquit, Christum mittere intra parietes suos, et iam intus erat in corde eius. Iam erat anima eius sedes illius, iam ibi sedebat ille qui humiles requirebat: ita Augustinus.

Ad Regem Christum omnes principes eius se aggregant, ut eum coronent, eique ad nutum obediant. Ideo

Vers. 10. David psalmum concludit, v. 10. PRINCIPES POPULORUM CONGREGATI SUNT CUM DEO ABRAHAM: QUONIAM DII FORTES TERRÆ VEHEMENTER ELEVATI SUNT.

30. Principes populorum quinam hic intelliguntur? I. Quæres primo, quinam principes populorum hic dicuntur? Primo, Origenes, S. Chrys. S. Basil. Niceph. Euth. Bellarm. Ians. et alii, explicant de regibus et principibus idololatris ad Christum per Apostolorum prædicationem conversis. Chald. interpres favet qui vertit, *Principes populorum congregati sunt populo qui fidelis est Deo Abraham.* Et Pagn. qui reddit, Optimates populorum aggregati sunt populo Dei Abraham. Ubi adverte pro *cum* nunc esse in Hebr. עם *am*, id est, populus. Sed Sept. legerant עם *im*, hoc est *cum*: unde verterunt, *cum Deo Abraham*, et quidem clarius et melius, ut mox videbitur.

II. Secundo, Dydimus: Principes populorum, ait, Apostoli sunt, vel Ecclesiarum præsides congregati cum Deo Abraham, ut servatos populos ad illum adducant, siquidem Deus illorum est, qui fiunt Abrahæ filii. Dionys. Carth. explicat de Apostolis, qui corporaliter cum Deo Abrahæ, id est cum Filio Dei incarnato conversati sunt tamquam filii sponsi cum sponso, Beati visione et auditione eorum, quæ tot ante illos alii videre et audire voluerunt, nec potuerunt. Vide Ps. 44. v. 17. dicta de principatu Apostolorum.

III. Tertio, Hugo Card. principes populorum, ait, sunt angeli, qui principatum acceperunt super populos, et quasi dispersi sunt per diversos populos, secundum quod habet Dan. 10. de principe regni Græcorum, et de principe regni Persarum, et de Michaele principe Iudæorum. Hebr. 1. *Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Sed propter peccata hominum coguntur isti principes relinquere eos, secundum dicitur in Ecclesiastica historia, quod audita est vox angelorum dicentium: Transeamus ab his sedibus. Sic ergo potest istud exponi: Principes populorum, id est, angeli, congregati sunt cum Deo Abraham revertentes ad eum, relictis populis ad quos dispersi et missi fuerant. Et quæ est causa? Quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt per superbiam: ita Hugo. Sed hæc sunt mystica, neque conveniunt mysterio ascensionis, de qua est hic Psalmus.

IV. Quarto, melius dixeris, principes populorum esse angelos, qui ex variis regnis et provinciis, quibus præerant, venerint ad honorandum Christi triumphum in ascensione, eique in throno suo sedenti reverentiam turmatim exhibuerint expectantes eius voluntatem pro gubernatione regnorum sibi commissorum.

V. Et optime. Quinto denique, et optime, principes populorum ad Christum ascendentem, et in throno suo regio sedentem aggregati sunt omnes sancti cum ipso Limbis elevati. Hi enim qui ex virtute vivunt, sunt principes et dii terræ, maiores terra et rebus omnibus terrenis, quibus dominantur et quas calcant. Eos ad se trahit sibique aggregat Christus, velut divinus Pantarbas lapis, et cælestis magnes ex iis coronam facit. S. August. lib. 21. de Civitate

Magnetis mira vis. Dei, cap. 4. rem mirabilem narrat: *Magnetem lapidem*, ait, *novimus mirabilem ferri esse raptorem. quod cum primum vidi, vehementer inhorrui. Quippe cernebam a lapide ferreum annulum raptum atque suspensum, deinde tamquam ferro, quod rapuerat, vim dedisset suam, communemque fecisset, idem annulus admotus est alteri, eumque suspendit, atque ut ille prior lapidi, sic alter annulus priori annulo cohærebat. Accessit eodem modo tertius, accessit et quartus. Iamque sibi per mutua connexis circulis non implicatorum intrinsecus, sed extrinsecus adhærentium, quasi catena pependerat annulorum. Quis istam vim lapidis non stuperet, quæ illi non solum inerat, verum etiam per tot suspensa transibat et invisibilibus ea vinculis subligabat? Sed multo est mirabilius, quod a fratre et Coepiscopo meo Severo Millevitano de isto lapide cognovi. Seipsum namque vidisse narravit, quemadmodum Bathanus quondam comes Africæ, cum apud eum convivaretur Episcopus, eumdem protulerit lapidem, et tenuerit sub argento, ferrumque super argentum posuerit, deinde sicut subter movebat manum, qua lapidem tenebat, ita ferrum desuper move-*

A *bat, atque argento medio nihilque patiente, concitatissimo cursu ac recursu infra lapis ab homine, supra ferrum rapiebatur a lapide. Dixi quod ipse conspexi, dixi quod ab illo audivi, cui tamquam ipse viderim credidi:* ita Aug. Idem de sanctis Christo unitis et eum sequentibus dici potest.

31. Christus vocatur Deus Abraham, ob tres rationes. Quæres secundo, cur Christus vocetur Deus Abraham? Primo, ut appareat esse eumdem Deum novi et veteris Testamenti; ab eo enim est omnis salus. Secundo, ut Christiani cognoscantur esse filii Abraham, qui est pater credentium: sicque Iudæi non habeant unde glorientur, qui dicebant, nos filii Abraham sumus. Potest enim Deus de lapidibus, id est, de Gentilibus obduratis, facere filios Abrahæ, id est Fideles imitantes, et in se exprimentes fidem Abrahæ. Tertio denique, quia in ascensione secum duxit Abrahamum, cum iis omnibus, quos eripuerat de sinu Abrahæ, id est de Limbis, ut eos sibi aggregaret, essetque illorum Deus et ipsi populus eius.

32. Dii fortes terræ quinam. I. B Quæres, quinam sunt *dii fortes terræ?* Primo, S. Aug. explicat de superbis qui præsumunt de terra, id est, de se ipsis, quia homini dictum est: *Terra es, et in terram ibis.*

II. Secundo, *diis fortes terræ* sunt falsi dii, ut ait Arnobius, in superstitionibus et templis suis nimium elati, ideoque natus est Filius Dei, ut iis expulsis atque deiectis, regnaret super omnes gentes.

III. Tertio, *dii fortes terræ*, sunt, ut ait Genebrardus, Pater, Filius, et Spiritus sanctus, quos scriptura deos plurali numero appellat, habita ratione non essentiæ, quæ in illis unica est numero, sed personarum, quæ sunt tres actu et distinctæ: ita Genebrard. Sed vox *Deus* significat ipsam essentiam, quæ est tantum unica.

IV. Quarto, *dii fortes terræ* erant Iudæi, qui aliorum populorum comparatione quasi dii censeri poterant, propter legem, Prophetas, totque alia privilegia: sed præsumpserunt, ac sese nimis extulerunt, nec recipere Christum voluerunt: ita ut propterea principes populorum cum suis, nempe Gentiles, opera principum quos constituit Christus, id est, prædicatorum, Deum Abraham et C Christum Filium consubstantialem Dei, eiusdem Abraham et secundum carnem ex eodem Abraham descendentem receperint, atque religiose coluerint.

V. Quinto, et melius, *dii fortes terræ*, sunt reges et principes, qui se adorari curabant, quique ob supremam potestatem et ius vitæ ac necis, erant veluti quidam dii terrestres. Cresolius noster lib. 1. Mystagog. cap. 2. Videmus, inquit, ob augustam potentiam et amplitudinem maiestatis, Imperatores nominari divos. Eorum in iure atque legibus beneficia vocantur divina, leges sacratæ, consulta cælestia, afflatus sacri, responsa divalia: et facinus adversus illos admissum, sæpe in Codice Iustinianeo dicitur sacrilegium. Ubi Glossæ notant, imperatorium rescriptum dici rem divinam, quod sit quidam in terris deus. Et quidem e schola Pythagoreorum Diogenes regnum vocavit θεόμιμον πρᾶγμα, rem divinam. Et ab eodem choro Ecphantes monet in terris, atque in naturæ varietate, re- (In regibus est aliquid divinum.)

D gem esse θειότατον, divinissimum, et esse κατασκεύασμα illustre quoddam opus Dei, atque imaginem. Magna sane est Imperatorum vis et potestas, hominum generi suspicienda, quos ut ait Ennodius in vita Epiphanii, ad instar superni dominatus vicarios suæ potestatis voluit esse mortalibus Deus. Dii illi seu reges a terra elevati sunt: hoc est, a terrenis ad cælestia, a gratia ad gloriam. Trevetus de Iudicibus explicat, quod in idem redit.

VI. Sexto, *dii fortes terræ* sunt Apostoli, qui sunt dii per gratiam: fortes, per fidem et constantiam: vehementer elevati, per signa et miracula: ita S. Hieron. Ruffin. Beda, Dionysius Rickelius, Ludolph. Turrecremata, Richardus Pampolitanus, et alii. S. Thomas docet Apostolos dictos esse deos propter iudiciariam potestatem: fortes vero propter constantiam in passione, testante Paulo Roman. 8. 35. *Quis nos separabit a charitate*, etc. Elevatos per prædicationem, per miraculorum operationem, et per gloriæ adeptionem. S. Ioannem Apostolum ab exilio rediturum S. Dionysius Areopagita sibi revelatum (Apostoli sunt dii terræ fortes.)

esse testatur epist. 10. et causam addit, ut post reditum in Asiam του Θεου μιμηματα, Dei imitationes perficeret. Apostolicum robur in hoc Psalmo fuso amplificat S. Chrysostomus: *Quinam sunt*, ait, *fortes Dei, nisi Apostoli? Quidni fortes, qui adversus orbem terræ aciem instruxerunt, adversus dæmones, adversus diabolum, adversus populos, adversus civitates, adversus gentes, adversus tyrannos, adversus tormenta et supplicia, adversus sartagines, adversus fornaces, adversus consuetudinem, adversus naturæ tyrannidem*, και παντα καθελοντες, και υψηλοτεροι παντων γενομενοι, και μηδενι χειρωθεντες, *et omnia diruebant, et superiores omnibus evadebant, et a nullo vincebantur. Quomodo non fortes, qui vel post mortem ostendant tantum virtutis? Quomodo non fortes*, ων τα ρηματα αδαμαντος εστι στερροτερα, *quorum verba sunt quovis adamante duriora, nec ullum ea tempus abolevit, sed quotidie maius incrementum accipiunt, dum omnes ubique orbis terrarum oras Evangelica prædicatio pervadit?* ita Chrysostomus. Ad Apostolorum successores Episcopus, et ad alios Prælatos ac sacerdotes, Dei nomen defluxit. Clemens. Roman. lib. 2. Const. Apost. cap. 26. ait, sacrorum præfectum esse, επιγειον θεον, deum terrestrem. Nicep. lib. 12. Histor. Eccl. cap. 45. docet Theotimum Scythiæ Episcopum ab Hunnis virtutem eius admirantibus dictum esse θεον ρωμαιων, Deum Romanorum. S. Ambros. vocat sacerdotium, deificam professionem. Dii illi fortes terræ cum Deo Abraham Christo Iesu ascendant oportet. S. Gregor. Naziauz. orat. 21. hoc dat præcepti, cum ait, τους του Θεου homines Dei, res duas habere, αναβασιν, ascensum, et θεωσιν, deificationem.

VII. Septimo denique et optime, *dii fortes terræ* hic vocantur illi ipsi, qui prius dicti sunt principes populorum, nempe Patriarchæ, Prophetæ, et omnes iusti, qui per gratiam divinæ consortes facti naturæ, cum Christo ascendente elevati erant a terra in cælum. Vide dicta Ps. 81. 6. in illud: *Ego dixi, dii estis* (Clem. Alex. nunc sufficiat, qui lib. 7. Strom. c. 9. p. 761. docet obedientes Deo, a Deo discere, ut sint et ipsi quodammodo dii. *Quemadmodum*, inquit, *si quis in Ischomacho studium posuerit, eum faciet agricolam: et si in Lampridio nautam: et in Charidemo Imperatorem: et in Simone, equitandi gnarum: et si in Perdice, cauponem: et in Crobulo, obsoniorum conditorem: et in Archelao, saltatorem: et in Homero poetam: et in Pyrrhone contentiosum: et in Demosthene, oratorem: et in Chrysippo, dialecticum: et in Aristotele, physicum: et in Platone, philosophum: ita qui paret Domino, et per eum datam sequitur prophetiam* τελεως εκτελειται κατ' εικονα του διδασκαλου, εν σαρκι περιπολων Θεος, *efficitur ad magistri nostri imaginem Deus qui in carne versatur. Hanc altitudinem non assequuntur, qui non sequuntur Deum eos ducentem.*

Et optime.

Iusti omnes sunt dii.

33. Nota, pro, *dii fortes terræ vehementer elevati sunt*, est in Hebræo, *Dei scuta terræ valde elevatus est*. Et quidem vox *Dei*, in Græco etiam habetur in genitivo του θεου, ex quo putant aliqui in Latino textu legendum esse, Dei: et errore librariorum positum esse *Dii*, pro *Dei*: ita censent Iansenius, Agell. Varlenius, Salmeron. tom. 4. prolegom. 13. Sed cum S Augustinus, et S. Hieronym. in commentariis legant, *Dii*, et sensus sit longe clarior, credibile est varias fuisse lectiones Græcas: et nostram Latinam translatam esse ex Græca emendatiore, præsertim cum nulla inveniatur varietas in Codicibus Latinis manuscriptis, sed in omnibus legatur, *dii*. Illud autem, *scuta terræ*, potest etiam ex Hebræo verti protectores sive magistratus terræ, ut periti facile intelligunt ex cap. 4. Oseæ, v. 18 ubi hæc eadem vox, *magheme*, quam hoc loco S. Hieron. vertit, *scuta*, vertitur ab eodem Hieronymo *protectores*. Et quoniam protectores sive magistratus, potestatem habent super alios, non debet mirum videri, si Sept. Interpretes, et Interpres Latinus posuerint, *fortes*.

Variæ versiones.

A Itaque *Dii fortes terræ* sunt principes, qui instar deorum fortiter protegere debent terram ipsis subiectam. Denique illud, *elevatus est*, verterunt Septuaginta in numero multitudinis, ad sensum potius, quam ad verbum respicientes. Sensus enim est, *Dii fortes terræ elevatus est*: id est, unusquisque eorum elevatus est, quod clarius vertitur, elevati sunt. Neque est hoc novum in lingua Hebraica, sed usitatum, ut Gen. 1. ubi nos habemus: *Sint luminaria*, in Hebræo est *sit luminaria*; et Eccl. 10. ubi legimus, *muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti*: in Hebræo legitur, *muscæ morientes perdit suavitatem unguenti*; et Gen. 49. ubi invenitur, *Filiæ discurrerunt super murum*. In Hebræo invenitur, *Filiæ discurrit*. Sicut etiam e contrario non raro in Hebræo invenitur nomen singularis numeri, cum verbo numeri multitudinis, ut Aggæi 2. pro eo quod nos legimus, *Et veniet desideratus cunctis gentibus*, in Hebræo habetur, *Et venient desiderium gentium*; et Iob. 15. ubi nos habemus, *Numerus anno-* B *rum incertus est*, legitur in Hebræo, *Numerus annorum reconditi sunt*. Igitur verba huius postremi versiculi, quæ iuxta litteram Hebraicam nullum sensum habere videntur, sapientissime a Septuaginta Interpretibus, et a nostro latino Interprete reddita sunt: ita Bellarm. Varii varie vertunt. Primo Pagninus, Dei ipsius sunt protectiones terræ, vehementer elevatus est. Secundo, Arias, Dei ipsius scuta terræ. Tertio, Felix, Dei protectores terræ. Quarto, S. Hier. Deo scuta terræ. Quinto, Camp. super deos terræ protectores, ultra modum altior factus est. Vel, habet potestatem Deus in fortissimos quosque terræ, et infinitis modis superior factus est omnibus illis. Sexto denique, Flaminius, *Deo adhæserunt scuta terræ, vehementer elevatus est*. Et in commentario ait, scuta terræ esse Reges ac gubernatores civitatum, quos etiam Oseas appellat clypeos, propterea quod populi eorum virtuti ac tutelæ commendati sunt. Igitur sint principes scuta populorum. Primo, contra hostes externos. Secundo, contra potentiores et sceleratos. Tertio, contra ipsa scelera. Primum facient per potentiam et fortitudinem. Secundum, per iustitiam. C Tertium, per temperantiam et moderationem suarum passionum. Has omnes virtutes regente prudentia. Magnates crediderim dici a מגן *maghen*, id est, clypeus; sed sæpe sunt מגנה *meghinna*, id est, dolor, et afflictio servorum suorum et subditorum, quos rapinis vexant et sceleribus in vitia trahunt. Oseæ 4. 18. *Dilexerunt ignominiam maghinea, protectores eius*, id est, dii quos colebant decem Tribus regni Samaritani, ut explicant aliqui, vel protectores seu clypei populi dicuntur principes, qui ignominiam, id est ignominiosam et pudendam idololatriam sequebantur, et ad eam populum incitabant: ita S. Hier. et Lyran. vel ignominiam intellige probrosam gulam et fornicationem, quæ sunt frequenter vitia divitum et nobilium. Ita Chald. qui vertit, Dilexerunt fornicationem, ut venirent sibi in ignominiam proceres eorum. Pagninus magis ad rem nostram vertit: *Dilexerunt munera, afferte ignominiam, principes*. Arias, clypei eius, et per ignominiam accipit vina et delicias. Vatablus et Isidorus, dona. D Sic nobiles non sunt clypei populi, sed aranearum instar clypei speciem extendunt, ut pauperes veluti muscas capiant et exugant, si ad eorum telas et protectionem confugerint; ut sæpe gravior sit eorum protectio, quam militum aut aliorum oppressio. Similes illi duci Romano, qui arbiter constitutus inter duos populos de quibusdam agris, in eorum finibus, neutri illos dedit, sed Romano populo per scelus attribuit. Ad Deum fugiendum est, qui est et scutum et gladius. Deuter. 33. 29. ait Moses: *Beatus es tu Israel: quis similis tui, popule, qui salvaris in Domino?* (per Dominum, Domino velut scuto bonæ voluntatis te coronante) *scutum auxilii tui, et gladius gloriæ tuæ*, supple, est. Ab eo tibi erit omnis protectio et victoria.

34. Hebræi iungunt pluralem numerum cum singulari.

Varietas versionum.

35. Magnates sunt clypei populorum.

PSALMUS QUADRAGESIMUS SEPTIMUS.

1. Psalmus Cantici filii Core secunda Sabbati.

2. MAGNUS Dominus, et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto eius.
3. Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, latera aquilonis, civitas Regis magni.
4. Deus in domibus eius cognoscetur, cum suscipiet eam.
5. Quoniam ecce reges terræ congregati sunt: convenerunt in unum.
6. Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt: Tremor apprehendit eos.
7. Ibi dolores ut parturientis, in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.
8. Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri: Deus fundavit eam
in æternum.
9. Suscepimus Deus misericordiam tuam, in medio templi tui.
10. Secundum nomen tuum Deus, sic et laus tua in fines terræ: iustitiâ plena est dextera tua.
11. Lætetur mons Sion, et exultent filiæ Iudæ, propter iudicia tua Domine.
12. Circumdate Sion, et complectimini eam: narrate in turribus eius.
13. Ponite corda vestra in virtute eius: et distribuite domos eius, ut enarretis in progenie altera.
14. Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, et in sæculum sæculi: ipse reget nos in sæcula.

PSALMI QUADRAGESIMI SEPTIMI ANALYSIS.

Propheta Ecclesiam sub typo civitatis Ierusalem describit.

- A laude architecti, 1.
  - Excellentis: *Magnus Dominus.* 1.
  - Et amabilis: *Et laudabilis nimis in civitate Dei nostri.* 1.
- A situ, 2.
  - Excelso: *In monte sancto eius.* 2.
  - Et utili: *Mons Sion, latera aquilonis.* 3.
- A Rege, 3. 4.
  - Potenti: *Civitas Regis magni.* 3.
  - Venerando: *Deus in domibus eius cognoscetur.* 4.
  - Benigno: *Cum suscipiet eam.* 4.
- A civibus, 5.
  - Regia dignitate fulgentibus: *Reges terræ.* 5.
  - Ex orbe toto collectis: *Congregati sunt.* 5.
  - Charitate perfecta unitis: *Convenerunt in unum.* 5.
- A rebus civitatis, 6. 7.
  - Amabilibus. 6. quæ
    - Visum excitent: *Ipsi videntes.* 6.
    - Et admirationem: *Sic admirati sunt.* 6.
  - Terribilibus. 6. quæ
    - Conturbent ob peccata: *Conturbati sunt.* 6.
    - Commoveant ad pœnitentiam: *Commoti sunt.* 6.
    - Terreant ob supplicia: *Tremor apprehendit eos.* 6.
    - Iuvent ad partum virtutum: *Ibi dolores ut parturientis.* 7.
    - Evertant superbiam et vitia: *In spiritu vehementi*, etc. 7.
- A stabilitate, 8.
  - Bonorum promissorum: *Sicut audivimus sic vidimus.* 8.
  - Et civitatis ipsius: *Deus fundavit eam in æternum.* 8.
- A templo, 9. in quo
  - Pietas populi: *Suscepimus Deus.* 9.
  - Et misericordia Dei: *Misericordiam tuam in medio templi tui.* 9.
- A curia, 10. in qua
  - Deus iudex laudabilis: *Secundum nomen tuum, sic et laus tua.* 10.
  - Iustus: *Iustitia plena est dextera tua.* 10.
  - Et mitis: *Lætetur mons Sion, propter iudicia tua Domine.* 11.
- A munitionibus, 12.
  - Murorum: *Circumdate Sion, et complectimini eam.* 12.
  - Turrium: *Narrate in turribus eius.* 12.
  - Propugnaculorum: *Ponite corda vestra in virtute eius.* 13.
  - Domorum particularium: *Et distribuite domos eius.* 13.
- A duratione, 13.
  - Civitatis gratiæ: *Ut enarretis in progenie altera* 13.
  - Providentiæ Dei erga Ecclesiam: *Quoniam hic est Deus, Deus noster, etc.* 14.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. Psalmus Cantici filii Core secunda Sabbati.

1. Sabbatum significat totam septimanam, et diem eius certum.

Sabbatum duo significat. Primo, diem ultimum septimanæ, in quo Deus requievit, et quem ideo sanctificavit. Secundo, pro tota septimana sumitur: ita ut dies dominicus, sive dies solis, dicatur prima sabbati, id est, prima dies septimanæ: dies lunæ, secunda sabbati, et sic de cæteris. Hic tamen varietas est inter auctores, quænam dies hic intelligatur per secundam sabbati.

Prima sabbati quid?

S. Ambros. primam sabbati, id est, septimanæ, putat esse ipsum sabbatum, secundum vero sabbati esse diem dominicum. Ipsum audiamus: *Quid est secunda sabbati, nisi dominica dies, quæ sabbatum sequebatur? Dies autem sabbati erat dierum ordine posterior, sanctificatione legis anterior. Sed ubi finis legis advenit, qui est Christus Iesus (finis enim legis Christus, ad iustitiam omni credenti) et resurrectione sua octavam sanctificavit, cœpit eadem prima esse quæ octava est, et octava quæ prima, habens ex numeri ordine prærogativam, et ex resurrectione Domini sanctitatem. Unde et in Evangelio legimus δευτερόπρωτον, sabbatum quod Latine secundo primum. Ubi enim dominica dies cœpit præcellere, qua Dominus resurrexit, sabbatum quod primum erat, secundum haberi cœpit a primo. Prima enim requies cessavit, secunda successit. Unde et ad Hebræos scribens Apostolus ait Hebr. 4. Postera ergo die restat requies populo Dei. Festinemus igitur intrare in illam requiem. Requies ergo vera iam non in operis cessatione, sed in resurrectionis tempore. Ideoque qui sabbati secundum legem solemnitatem custodiebant, unam sabbati nuncupabant, quasi unum esset sabbatum, et non aliud. Nos qui observantiam induimus spiritalem, et ad similitudinem et requiem Dei cupimus nostram formare militiam, atque in illa civitate cælesti nostrum exhibere ministerium, ubi est non exemplar, non umbra, sed veritas: primam dicimus sabbati, sicut est scriptum Matth. 28. 1. Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati. Nihil pulchrius, nihil expressius. Ante resurrectionem sabbatum dixit, post resurrectionem primam sabbati nuncupavit. Ioannes quoque Evangelista dicit Ioann. 20. Prima sabbati venit mane Maria Magdalena, cum adhuc tenebræ essent. Tenebræ pro tempore, mane pro gratia. Sed isti expressius secundum Evangelium, quasi recusso velamine: David autem sub lege positus et moderationem renuit debitæ cautionis, et mysterium non repressit, ut secunda sabbati diem dominicam declararet: quo Iudæis ordinem numeri putaret esse servatum, et spiritale Sacramentum agnosceret revelatum.* Ita Ambrosius, sed magis subtiliter quam vere. Cum enim dicitur prima sabbati, secunda sabbati, et sic de aliis diebus, semper sabbatum accipitur pro hebdomada, non pro die quæ proprie vocatur sabbatum. Itaque prima sabbati est prima dies hebdomadæ, id est, dies dominica, secunda sabbati est dies secunda hebdomadæ, id est dies lunæ, ut dictum est, atque ita sentit S. Aug.

Cur hic Psalmus inscribitur prima sabbati.

Instabis, cur hic Psalmus inscribitur secunda sabbati, id est, hebdomadæ. Resp. quia hic Psalmus die illa specialius cantari debebat: ita Euth. et Nicephorus. Ubi obiter adverte cum Genebrardo, diem lunæ seu Feriam secundam, et diem iovis seu Feriam quintam præcipue a Iudæis fuisse celebratas post sabbatum.

2. Psalmi huius argumentum.

I. Quæres, quodnam est Psalmi huius argumentum? Primo, S. Chrysost. Euth. Theodor. et alii multi Græci, volunt agi hic de reædificatione Ierusalem post captivitatem Babylonicam. Sed hoc non videtur implere maiestatem Psalmi.

II. Secundo, quidam in catena Barbari putat, Davidem prædicere victoriam, quæ sub Ezechia contra Assyrios parta fuit, et auxilium opportunum admirari, omnesque hortari ad gratias Deo agendas.

III. Tertio, Iansenius mavult agi de victoria quam reportavit rex Iosaphat. Sic enim ait: Occasio huic Psalmo fuisse videtur insignis aliqua urbis Ierusalem contra hostes Deo propugnante victoria, sive ea fuerit nobilis illa contra Ammonitas et Syros tempore Davidis victoria, sive qua donatus est rex Asa, contra quem Æthiopes decies centenis millibus venerant, ut scribitur 2. Paralip. 14. sive ea qua potitus est Iosaphat rex, contra quem Ammonitæ et Moabitæ innumeras quoque copias duxerunt, ut habetur 2. Paralip. 20. sive ea quæ contigit regnante Ezechia, cum Ierusalem ab obsidione Assyriorum Deus liberavit, occidens ex iis una nocte centum et octoginta quinque millia virorum. Certe verosimilius est, Psalmum hunc quantum ad litteram et ad typum attinet, de victoria illa præclarissima, quam Dominus regi Iosaphat dedit canere: quod tum maxime multi reges simul contra Ierusalem convenerant, nempe Moabitarum, Ammonitarum, Idumæorum et Syrorum, quos adeo metu perculsos et terrore exagitatos Scriptura commemorat, ut se ipsos trucidarint. Itaque quod ad litteralem attinet sensum, Psalmo hoc canitur eximia civitatis Ierusalem magnificentia et felicitas, ob præsentiam Dei in ea, et tutelam eius respondentem expectationi habitantium in ea: ita Iansenius.

IV. Quarto, de Ecclesia militante explicant S. Athan. Lindan. Raynerius. Hugo Card. qui ait: Per hoc quod Deus prima die creavit lucem, significavit se die Dominico, qui primus fuit aliorum creatione, resurrecturum, et separaturum lucem immortalitatis a tenebris mortalitatis, scilicet peccati. Item, sicut secunda die firmamentum creavit et ornavit, sic post resurrectionem quasi secunda die fundavit Ecclesiam per Apostolorum prædicationem, quæ dicitur fundamentum fidei. Hoc sumpsit Hugo a S. August.

V. Et optime.

Quinto, Didymus, Euseb. Iansenius agi volunt de Ierusalem cælesti, et bene. Nam cum in Psalmo præcedenti actum sit de ascensione Christi, consequens erat ut in hoc loqueretur de excellentia civitatis cælestis, in qua erat perpetuo regnaturus, et inde in totum orbem. Pleraque possunt etiam applicari Ecclesiæ militanti. Unde S. Aug. *Secundam sabbati*, ait, *non debemus intelligere nisi Ecclesiam Christi, sed Ecclesiam Christi in sanctis, Ecclesiam Christi in his qui scripti sunt in cælo, Ecclesiam Christi in his qui mundi huius tentationibus non cedunt. Ipsi enim digni sunt nomine firmamenti. Ergo Ecclesiæ Christi in his qui firmi sunt, de quibus dicit Apostolus Rom. 15. Debemus autem nos firmi infirmitates infirmorum sustinere, appellata est firmamentum.* Secunda sabbati est dies lunæ, Ecclesia militans lunæ confertur, ut alias dixi.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

3. Quatuor in hoc Psalmo asserit Propheta. Primo, civitatis sanctæ, nempe Ecclesiæ, ædificationem esse præclaram, vers. 2. Secundo, regem eius et cives eximios, vers. 3. Tertio, administrationem eius suavissimam et æquissimam, vers. 9. Quarto denique, munitiones fortissimas, vers. 12.

PARAPHRASIS.

2. *Magnus Dominus, et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto eius.*

2. Deus noster ubique, et in omnibus operibus suis, magnus est, atque laudabilis: sed præsertim hoc nunc ab eo in cælos exaltari verum esse perspicimus in civitate cælesti, quæ sita est in monte sancto eius.

3. Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, latera aquilonis, civitas Regis magni.

3. Exultante universo orbe, et ad eam adspirante, fundata est hæc sancta civitas, in Sione figurata, quæ ad aquilonarem regionis illius partem sita, eam ab hostium incursu protegebat, et Regis ipsius Davidis palatium continebat.

4. Deus in domibus eius cognoscetur, cum suscipiet eam.

4. Tunc Deus ab omnibus sanctæ illius civitatis incolis clare et intuitive cognoscetur, cum post varios in terris exantlatos labores ad eam ipsos exceperit.

5. Quoniam ecce reges terræ congregati sunt: convenerunt in unum.

5. Nam ex omnibus orbis regionibus, ipsi reges et principes in unam fidem et charitatem convenerunt, ut unus populus et una Ecclesia Deo principe digna existerent.

6. Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt: Tremor apprehendit eos.

6. Ipsi contemplantes tot in cælis reposita præmia, illa sunt admirati, conturbati sunt ob peccata præterita, commoti sunt ad pœnitentiam, et tremore concussi.

7. Ibi dolores ut parturientis, in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.

7. Tunc incitante virtutis ac cæli desiderio, retardante autem scelerata consuetudine et passionum impetu, dolores extiterunt gravissimi, sicut mulieris cum difficultate parientis. Uberi tamen Spiritus sancti gratia difficultates omnes perrumpes, et prius tumidos superbia animos contritione sancta emollies, atque in humilitatis pulverem rediges, o Deus meus.

8. Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri: Deus fundavit eam in æternum.

8. Nos nunc beati ea omnia bona in cælo esse videmus, quæ ibi reperiri audivimus a Patriarchis, Prophetis et concionatoribus: ac præsertim civitatem hanc Domini potentissimi ita esse stabilitam, ut sit in æternum duratura.

9. Suscepimus Deus misericordiam tuam, in medio templi tui.

9. Summam gratiam et felicitatem a te concessam suscepimus in medio huius divinæ civitatis, et quæ tota est templum sanctissimum, in qua ab omnibus perfecte coleris et adoraris.

10. Secundum nomen tuum Deus, sic et laus tua in fines terræ: iustitia plena est dextera tua.

10. Prout exigit nomen tuum Domine Deus, ita sit laus tua in ore omnium hominum: tu enim iustissime merita præmia singulis dividis.

11. Lætetur mons Sion, et exultent filiæ Iudæ, propter iudicia tua Domine.

11. Sed potissimum lætetur hæc cælestis Sion, et omnes eius cives ad te laudandum destinati, propter summam æquitatem tuam.

12. Circumdate Sion, et complectimini eam: narrate in turribus eius.

12. Muros sanctæ civitatis ex omni parte occupate, ac præsertim eius turres, ut ad eam venientibus, narretis bona quæ percepistis.

13. Ponite corda vestra in virtute eius: et distribuite domos eius, ut enarretis in progenie altera.

13. Diligenter considerate eius propugnacula, et domos eius inter vos dividite, ut aliis per vos innotescat tam admirabilis Dei erga servos suos bonitas.

14. Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, et in sæculum sæculi: ipse reget nos in sæcula.

14. Hoc præcipue dicite, quod Deus se totum nobis tradidit possidendum, et quidem per totam æternitatem et seriem infinitam sæculorum: hic solus verus est Deus, et Rex noster erit in omnia sæcula.

QUÆSTIO UNICA.

QUAM PRÆCLARA CIVITAS EST ECCLESIA DEI.

1. Cum de cælesti civitate egerim Ps. 45. 5. hic agam de Ecclesia militante, contentus in paraphrasi explicuisse de civitate cælesti, de qua præcipue sermonem esse arbitror, ut ostendi in titulo. Ecclesiam porro utramque repræsentat David sub Ierosolimæ typo. Vide analysim supra positam. Sparsim de utraque dicam, sed præsertim de militante.

ARTICULUS I.

Ecclesiæ architectus est Deus, situs eius est commodissimus.

Vers. 2. PROPHETA in extasi videns ascendentem Christum, et gloriam Paradisi contemplans, in admirationem raptus, et vehementi lætitia exundans inclamat, v. 2. MAGNUS DOMINUS ET LAUDABILIS NIMIS IN CIVITATE DEI NOSTRI, IN MONTE SANCTO EIUS. Quæres, quis loquitur? *Quis loquitur in hoc Psalmo?* Resp. primo, ipse David. Secundo, et melius inducit loquentes sanctos, qui cum Christo ascenderunt, de quibus egit psalmo præcedente, et illis vocem suam coniungit. *Cur Deus dicatur magnus?* Quæres secundo, de quo Domino fit mentio? Primo, de Deo Patre intelligit Cassiodorus. Secundo, mallem explicare de tota Trinitate, quæ est Deus altissimus super

A omnem terram. Ps. 82. 19. *Dominus est magnus*, ait Hugo, quia sine termino, cuius potentia termino caret. Tob. 13. 1. *Magnus es, Domine, in æternum*. Psal. 144. 3. *Magnitudinis eius non est finis*. Eccli. 43. 31. *Terribilis Dominus, et magnus vehementer*. Laudabilis vero, quia bonus est. Bonum enim laudabile est. Psal. 134. *Laudate Dominum, quoniam bonus Dominus*. Et laudabilis est nimis. Eccl. 43. 32. *Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit adhuc, et admirabilis magnificentia eius*: ita Hugo; 2. Iansenius, Magnus est, inquit, Dominus in potentia, sapientia, ac bonitate: ac proinde dignus, qui plurimum laudetur etiam ubique; 3. Bellarmin. Magnus Dominus est, ait, sive spectes essentiam eius, sive potentiam, sive sapientiam, sive iustitiam, sive misericordiam: omnia enim infinita, æterna, incomprehensibilia sunt: et inde idem Dominus laudabilis est nimis, ut non sufficiant omnes angeli, omnes homines, et omnia opera eius eum satis laudare. Plato lib. 7. de legibus, solem et lunam vocat magnos Deos. Apuleius lib. 11. Metamorphos. Osirim Deum appellat, deorum magnorum potiorem, et malorum summum, et B summorum maximum, et maximorum regnatorem. Osiris ab Ægyptiis vocabatur sol, et Isis luna, ut ait Euseb. lib. de præp. Evang. Quinam sint magni Dii inquirens *Quinam dii magni?* Cassius Hemina, ait, Deos Samothracas, ac eosdem Romanorum Penates, vocari proprie, θεους μεγαλους, θεους χρηστους, θεους δυνατους. deos magnos, deos benignos, deos potentes. Varro l. 4. de lingua Latina: Terra, inquit, cæ-

lum, ut Samothracum docent initia, dii magni sunt. Ennius duodecim magnas deos, partim mares, partim fœminas duobus versiculis complexus est.

Iuno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars.
Mercurius, Iovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Vocabantur dii maiorum gentium, qui præcipuas partes in rerum administratione haberent: minorum gentium dii, ob meriti paupertatem appellati sunt, ut ait Rosin. lib. 2. cap. 1. antiquit. Rom. Tres deorum ordines Cicero percenset lib. 2. de legibus: unum eorum qui cælestes semper habiti sint, qui etiam maiorum gentium dii vocantur: alterum earum, quas in cælum merita vocarint, qui et Semidei et Dii indigetes appellantur: tertium eorum, propter quas datur hominibus ascensus in cælum. Sed unus Deus verus et magnus est Deus noster. Ps. 94. 3. dicitur: *Magnus super omnes deos*. Ps. 95. 4. *Terribilis super omnes deos*. Unde iure dices eum Sybilla: *Grecia* (idem de omni natione) *quid confidis in viros principes? Quid dona inania corruptis suspendis? Immolas idolis, quis tibi* B *errorem posuit in mente, ut hæc facias, μεγάλου Θεοῦ προσώπου λειπομένου, magni Dei persona relicta?*

5. Christus est Deus magnus. Tertio denique, et convenientius, magnus Dominus et laudabilis nimis est Christus Rex gloria coronatus. Videtur enim distinguere Dominum a Deo, cum ait: *Magnus Dominus et laudabilis nimis, in civitate Dei nostri*. Per Dominum itaque intellige Christum: per Deum, aut Patrem, aut totam Trinitatem. Magnus vocatur Christus a Paulo. Tit. 2. 23. *Expectantes*, ait, *beatam spem et adventum gloriæ magni Dei. et* (id est) *Salvatoris nostri Iesu Christi*. Magnus autem est, Primo, ut ait S. Cyrill. in Ps. nostr. quia a magno Deo et Patre ortus est. Dixit enim Ioan. 10. *Pater, qui dedit mihi, maior omnibus est*. Secundo, Hesych. Magnus, inquit, quoniam cælum firmavit, terram formavit: Lumina hæc magna, sol, luna, et stellæ, iussu illius orta sunt. Laudabilis valde, quoniam cum tanta dignitate præstaret, homo, ut hominem servaret, factus est. Tertio, et præcipue, magnus hic dicitur ob immensam gloriam, qua decoratus est atque resplenduit, cum in ascensione thronum suum conscendit, et in eo consedit ad dexteram Patris.

6. Deus in Ecclesia sola bene laudatur. Nota, laudabilis est Deus, sed in civitate ipsius: ita Euseb. Laudabilis est, ait, non quidem apud omnes, nec in omni loco, sed in civitate Dei nostri. Primo, in cælo, quia ibi apparet magnus, sicut est. Didymus: Magnus, inquit, et laudabilis valde non ubique ostenditur, sed in civitate Dei: hoc est, in sancta Ecclesia Ierusalem cælesti: ipsa enim civitas, non humili, non abiecto loco sita, non in concavo et imo, sed in monte sanctissimo fundata est. Secundo, laudabilis est Deus in civitate Dei, hoc est in Ecclesia non extra illam: ita Augustin. et alii.

7. Religiosi Ordines sunt civitates Dei. Tropolog. Civitas Dei est Religio, in qua est civium unitas, corporum, et mentium, et victus et vestitus. Est etiam mons sanctus per eminentiam vitæ. In civitate ergo Dei nostri, et in monte sancto eius: id est, in tali religione, est, id est habetur, *Dominus magnus*, quia omnia quæ sunt in mundo, pro nihilo reputant, ut Deum possint habere. Unde Philip. 3. 8. *Omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam*. Et laudabilis nimis habetur ab ipsis, qui ut eum libere possint laudare, corde, ore, opere ab omni cura sæculi se exuunt, ut dicere possit Psal. 33. 2. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo*: scilicet vel in prædicatione, vel in oratione, vel in lectione. Illi qui temporalia ita amplectuntur et desiderant, quod de Domino parum, aut nihil curant; et qui ita curis sæculi se implicant, quod laudi divinæ non possint vacare, Dominum nec magnum, nec laudabilem se reputare ostendunt. Ita Hugo, qui addit, fundari civitatem religionis cum exultatione universæ terræ, quia in paupertate fundata fuit, ita quod nulli iniuria aut calumnia fiebat, et ita nullus conquerebatur, nullus contristabatur, sed omnes exultabant de fundatione religionis, et Dominum huius civitatis, Deum videlicet, glorificabant. Propter hoc habetur etA iam in regula beati Benedicti, quod si forte res aliqua monasterii sit vendenda, pro minori pretio detur, ut in omnibus glorificetur Deus.

Nota secunda, Ecclesia vocatur hic civitas Dei. Secundo, Hebr. 12. 22. *Civitas Dei viventis*. Tertio, in Psal. nostro, v. 8. *Civitas Regis magni*. Quarto, civitas Domini virtutum. In Ecclesia se Deum Regem, et Dominum probat Christus, eam enim format, regit ac possidet. Isaias, cap. 52. 1. eam vocat civitatem sancti, id est Christi. Sanctos vocat omnes Christianos Paulus. Similes sibi subditos vult Rex sanctus. 8. Ecclesia est civitas Dei.

Quæres tertio, quis est mons sanctus Domini? Resp. primo S. August. et S. Ambros. esse ipsum Christum; est enim lapis ille parvus, de quo Dan. 2. 34. qui abscissus de monte sine manibus, hoc est de Virgine sine operatione humana, evertit statuam Nabuchodonosaris, et ferrum, testam, æs, argentum et aurum comminuit, hoc est, diaboli potestatem, mundi divitias, et carnis terrenas illecebras, et factus est mons magnus in qua radicata est Ecclesia, cuius fundamenta in montibus sanctis, Ps. 86. 1. hoc est, in Christo et Apostolis. Verba S. Ambros. sunt: *Petrus, Paulus, Ioannes, Iacobus, graves et excelsi viri, velut fundamenta et culmina sunt Ecclesiæ. Quasi fundamenta graves, quos nulla gravis aquilonis flabra concusserint, sed immobile fidei firmaverunt fundamentum, ne Ecclesia tota nutaret. Præcelsi, quasi culmina, qui verticem eius suæ virtutis erexerint*. Apostolorum quoque successores, montes sunt, in quibus Ecclesia sita est. Ps. 120. 1. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi*. Ubi S. August. Intelligimus montes, inquit, claros quosque et magnos Ecclesiæ spiritales viros, magnos soliditate, non tumore. S. Gregor. Naz. orat. 19. vocat S. Basilium, στῦλον καὶ ἑδραίωμα ἐκκλησίας, columnam et firmamentum Ecclesiæ. S. Hieron. in Psal. 57. S. Hilarium appellat, inter procellas mundi magnum sustentatorem Ecclesiæ. Sed hæc sunt symbolica. Huc adduci potest Dinatratis inventum, ut eum nominat Vitruvius: Chæremonis, ut censet Strabo: Stasicratis, ut Plutarchus. Quisquis ille fuit, promiserat Alexandro Magno effecturum se, ut C montem Atha, mole maximum et cacumine nubes dividentem, in virilis statuæ formam effingeret, tanta arte ut læva manu capacissimam urbem contineret: dextera vero pateram, quam fluviorum omnium, qui eo in monte defluerent, decursus exciperet. Ingenio viri delectatus rex ad alia eum adhibuit, sed mente conceptum opus non est aggressus. Christus mons est immensus et excelsissimus, altera manu Ecclesiam, veluti sanctam civitatem, sustinet, altera eam gratiis suis irrigat atque fœcundat. S. Irenæus lib. 3. ait, in Ecclesiæ filias de corpore Christi procedere nitidum fontem. S. Chrysost. in Psalm. nostr. Ecclesiam nominat, πηγὴν εὐσεβείας fontem pietatis.

9. Mons sanctus Domini varius est: I. Christus.

Mons Athon in hominis figuram efformatus.

Secundo, S. Athanas. ait, Ecclesiam ipsam vocari montem ob cælestis doctrinæ sublimitatem. Ab Isaia cap. 30. 29. vocatur *mons Domini* cap. 22. *mons domus Domini*, cap. 18. 7. *mons et locus nominis Domini exercituum*. cap. 14. 13. *mons testamenti*. Ps. 76. 16. *mons Dei, mons coagulatus, mons pinguis*. Ps. 77. 54. *mons sanctificationis Dei*. II. Ecclesia.

D Tertio, Didymus (qui recte hæc explicat de cælesti Ierusalem) ait, montem esse vel perfectam virtutem, vel cognitionem Dei, vel Dei verbum. III. Virtus.

Quarto et simplicissime, mons ille sanctus est locus cæli empyrei præ cæteris excelsus, in quo est illa cælestis civitas, quam sancti incolunt, et per totam æternitatem incolent, ibi cum perfectissima sanctitate viventes, omnis labis expertes. Vide dicta Ps. 45. 5. Hine S. Ioannes Apocal. 21. 10. ait: *Sustulit me in spiritu in montem magnum et altum, et ostendit mihi civitatem sanctam Ierusalem descendentem de cælo a Deo*. Deinde illam describit. IV. Cæli locus determinatus.

10. In Ecclesiæ fundatione laudabilis est Deus, et cur? Nota. Laudabilis est Deus in monte sancto eius, hoc est, ait Bellarminus, magnitudo Dei, unde laudandus est valde, conspicitur in Ecclesiæ fundatione et constructione, quæ est civitas Dei nostri, quæ in monte sancto, id est,

in excelso perfectionis posita est. De hac enim dicitur Isaiæ 2. *Erit mons domus Domini præparatus supra verticem montium.* Et Matth. 5. Dominus ipse vocat Ecclesiam suam, *civitatem supra montem positam.* Atque ut huius ædificii miracula brevissime attingamus: Primo, cogita incredibilem varietatem gentium, linguis, moribus, ritibus, legibus dissitarum ita convenisse in unius fidei et sacramentorum unitatem, ut unum populum, imo unam familiam efficiant. Secundo, cogita Ecclesiam fundatam esse super Petrum, ut Matth. 16. aperte dicitur, id est super hominem piscatorem, vilem, indoctum, et pauperem: et tamen ita solide fundatam, ut portæ inferi adversus eam prævalere non possint. Velit etiam nolit mundus, in quo Christi Ecclesia peregrinatur: et fremant quantum volunt et possunt omnes immundi spiritus, et persecutiones moveant omnes reges terræ: tamen ad terram promissionis secura perveniet, et supra omnes cælos aliquando constituta felicissime in æternum regnabit. Hæc certe fieri non possunt, nisi a magno Domino, id est, a potentissimo et sapientissimo architecto, qui propterea laudabilis est nimis, id est omni laude maior est: ita Bellarminus.

11. Varii urbium situs. Symbolice, non palustri in loco, ut Venetias: non in fluviatili, ut Memphim: non in maritimo, ut Alexandriam: sed in montuoso, ut Romam, condidit Christus Ecclesiam suam, quæ in septem Romanis montibus, velut in arce orbis terræ, maxime emineret: ac ρωμην, id est, robur infractum haberet.

12. In sanctitate sibi sedem figit Deus. Mundani vero in deliciis. Tropolog. in sanctitate civitatem sibi ac sedem ponit Deus. Thraces oraculo moniti in Thessalia urbem condiderunt, ubi corvos albicantes conspexerunt, ut refert Cælius lib. 17. cap. 11. Teucri Cretenses Sminthem ædificarunt, ubi mures comederunt nervos arcuum, ut ait Strabo lib. 13. Æneas sedem elegit, ubi mensas absumebant, id est, frusta panis, quibus ut mensis usi erant, sicut fabulabatur Maro lib. 7. Æn. Telegonus extruxit Præneste in Italia, quo in loco rusticos vidit pini ramis coronatos saltantes, ut ait Plutarch. in Parallelis. Hegesistratus in Asia Eleuntem exædificavit, ubi agricolas oleæ ramis incinctos, etiam saltantes, aspexit, teste Pytocle Samio lib. 3. Georgicorum. Illis similes mundanis rebus addicti aut rapinam, aut gulam, aut delicias sectantur, corvis, muribus, saltatoribus comparandi. Iesus ædificat et manet ubi sanctitas est. Evola tu in montem sanctum eius, et ibi salvare cum Lotho, et sede cum Apostolis. Æginetæ patria pulsi de quærenda sede oraculum consuluerunt, quod respondit, ακρον λαβε, και μεσον εξεις, *summa accipe, et media possidebis* Illi vertice montis occupato, circa medium sibi sedem elegerunt.

13. Vers. 3. Post declarationem Regis in sancta civitate, id est, in Ecclesia triumphante ac militante dominantis, declarat illius civitatis ædificationem et situm, v. 3. FUNDATUR (cum) EXULTATIONE UNIVERSÆ TERRÆ MONS SION, et LATERA AQUILONIS, CIVITAS REGIS MAGNI. Nota, pro *fundatur*, Hebr.

Variæ versiones. est יפה נוף *iephe noph,* quod varii varie vertunt. Primo, Chald. pulcher ut sponsus, gaudium omnium habitatorum terræ mons Sion, qui est diffusio aquilonis, civitas Regis illius magni. Caietanus, pulchra sponsa Felix, formosa

Ecclesia est sponsa, regio, et ramus Dei. nympha. Camp. speciosa nympha. Secundo, Flam. vertit, pulcher locus. Camp. elegans regio. Pagnin. et Arias pulcher termino. R. Ioseph Kimhi et R. Abraham, pulcher climate. Genebrardus, pulcher regione, vel climate, vel tractu. Tertio, Aquila vertit, καλω βλαστηματι. S. Hieron. specioso germine. Nebiensis, pulcherrimo frutice. R. Emmanuel, pulcher ramus. Itaque *noph* tria significat, 1. sponsam; 2. regionem seu clima; 3. ramum et fruticem: quæ aptissime conveniunt Ecclesiæ Dei. Primo, enim Ecclesia triumphans est sponsa ornata viro suo, ut ait Ionnes Apocal. 21. 2. Ecclesia militans est sponsa, needum possidens sponsum ad eum pergens. Vide dicta Ps. 44. sect. 2. Secundo, Ecclesia cælestis præsertim est regio vivorum, ubi placebimus Domino, Ps. 114. 9. Tertio, Ecclesia est ramus arboris pulcherrimæ, id est Christi: et abundant ramis virentibus et frugiferis, hoc est sanctis. R. Emmanuel hunc locum explicans ait, terra Israel in universali est habitaculum electum præ omnibus locis terræ. Et *noph* est *anaph,* id est, ramus: ac si terra habitata, id est orbis, esset instar arboris, et loca particularia essent rami arboris. Rami autem arboris non sunt æquales, et propterea dixit, quod terra Israel est ramus pulcher, q. d. Locus electus præ aliis locis orbis: et quia orbis in septem dividitur partes, quæ dicuntur climata, et quodlibet clima incipit ab Oriente, et pergit ad Occidentem, quorum longitudo et latitudo nota est, et latitudo respectu longitudinis est valde modica, idcirco appellavit ipsa climata *nophoth,* id est, ramos: quia sunt instar rami qui est longus, et parum latus. Et dixit quod clima, in quo est terra Israel, est clima magis temperatum, et eius aer purior quam in aliis climatibus: quia non est ibi calor excessivus, neque frigus excessivum: sicut est in climate primo et secundo, in quibus est calor excessivus: et sicut est in climate sexto et septimo, in quibus est frigus excessivum. In terra vero Israel non est talis excessus, et aer est purior. Idcirco est locus præ aliis salubrior, et temperatior. Idcirco est locus sapientiæ et prophetiæ: et hoc est quod dixit, pulcher ramo, gaudium universæ terræ: quia homines qui illam vident præ aliis electam, lætantur: ita Emmanuel. Hæc longe verius dixeris de Ecclesia Dei. Climata vero calida et frigida non sumuntur ab Oriente in Occidentem, sed a Septentrione et Meridie respectu polorum et lineæ æquinoctialis.

Nota secundo, pro *fundatur* Græce nunc est ευριζων, id 14.
est, bene radicans, bene firmans. Ita S. Chrysost. qui ex- In Deo
ponit, καλως ριζων, et καλως πηγνυς, hoc est bene figens; κα- est læti-
λως βεβαιων, bene firmans. In Bibliis Complutensibus, et tia stabi-
aliquibus aliis est, ευριζω αγαλλιαματι, id est, bene fundata lis.
exultatione. V. editio, ευκλαδω, bene ramata. Exultatio autem bonorum ramorum est ea quæ habet multos flores et fructus lætitiæ per varias virtutes. Probabile est S. Ambros. legisse ευρυνων, vertit enim *dilatans exultationem.* Et addit: *Vere magnus, qui istius terræ, in qua ante intolerabilium peccatorum germina pullulabant, ubi erat mæror, tristitia et gemitus, exultationem toto orbe diffudit. Itaque hominum conscientia, quæ ante flagitiorum suorum gurgitibus demersa lugebat: nunc per indulgentiam Christi et remissionem peccatorum, metu absoluta lætatur. Convenit igitur, etsi ita intelligamus ut diximus: sed quia in vetustis exemplaribus aliquibus reperimus,* ευριζων αγαλλιασιν πασης γης, *id est, bona radice exultatione universæ terræ, sensum quidem eumdem advertimus: quia divina in nobis Dei Patris dona laudantur: qui dedit nobis exultationem bona radice fundatam, Deum videlicet Iesum, veram et fœcundissimam vitem, de qua sacramenta fluxere cælestia, in quibus est perpetua et diuturna lætitia, quod his abluatur omne peccatum, et conscientia interna mundetur: elocutionemque convenire cognoscimus: quia bene radicata exultatione lætamur, qui exultamus in Christo. Sæculi enim lætitia temporalis est, perpetua autem lætitia eius qui gaudet in Domino.*

Nota tertio, David dicit quod Ecclesia *fundatur,* et non 15.
dicit, quod *fundata est,* quia cum sit magna civitas, non Ecclesia
statim fundata est uno die aut tempore, sed semper fun- Dei in
datur in variis provinciis et regnis, ut hoc sæculo vide- variis re-
mus in Canadensi tractu, inter Huronos, Iroquios atque gnis suc-
alios Americæ populos: item in Asia apud Sinas, Iapo- cessive
nes, Indos Iactet itaque et glorietur Sardanapalus, uno fundatur.
die Anchialum et Tharsum a se conditas, ut ait Aristobulus. Cyrus prædicet murum Constantinopolis a se extructum esse intra dies sexaginta, tanta admirabilitate, ut Theodosio Imper. in Circo existente exclamarit populus, Constantinus condidit, Cyrus instauravit, ut Cedrenus tradit. Semiramis dicat, quod adhibitis ter decies centenis hominum millibus Babylonem anno vertente muris cinxerit, ut refert Diodorus. Longe malus est, quod Ecclesiæ civitas Christo eam fundante totum orbem brevi complexa est, et novis in dies ædificiis augetur.

16. *Ecclesia fundata est cum universæ terræ gaudio.* Nota quarto, fundata est Ecclesia cum exultatione universæ terræ. Primo, in Sione monte, die Pentecostes, cum ad cælestem sonum excitati populi, et ad Evangelicæ tubæ sonum, melius quam ad Amphionis Thebani citharam, exultantes in unam civitatem coaluerunt, factique sunt cor unum et anima una: ad primam S. Petri prædicationem tribus, ad secundam quinque millibus conversis. Inter cæteros numerantur, Act. 2. 9. *Parthi, et Medi, et Elamitæ, et qui habitant Mesopotamiam, Iudæam et Cappadociam, Pontum et Asiam, Phrygiam, et Pamphyliam, Ægyptum, et partes Libyæ, quæ est circa Cyrenen, et advenæ Romani, Iudæi quoque et Proselyti, Cretes et Arabes.* S. Chrysost. serm. 1. de Pentecoste, inter cætera Apostolorum elogia vocat illos fundamentum Ecclesiæ. *Apostolorum varia elogia.* *Apostoli*, ait, *vinitores erant, et illis absentibus corpore vinea floresçit et botros affert. Etenim vinitores erant, et piscatores, et turres, et columnæ, et medici, et duces, et doctores, et portus, et gubernatores, et pastores, et athletæ, et pugnatores, et coronas gestantes. Columnæ quidem, quoniam virtute sua Ecclesiæ robur sunt: fundamentum autem, quia in confessione ipsorum fundata est Ecclesia, dicente Domino: Tu es Petrus, et super hanc petram fundabo Ecclesiam meam. Portus autem, quia tempestates impias represserunt. Gubernatores, quoniam orbem terrarum viam rectam docuerunt. Pastores, quoniam lupos abegerunt, et oves conservarunt. Aratores, quoniam spicas eradicaverunt. Vinitores, quoniam labruscas eradicaverunt, et semina pietatis plantaverunt. Medici, quoniam vulnera nostra curaverunt. Et ut discas me non incassum hæc dixisse, adducam Paulum in medium hæc omnia facientem. Vis eum plantatorem videre? audi. Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Vis eum structorem videre? Sicut sapiens, inquit, architectus fundamentum posui.*

17. *Iudæi et Gentiles sunt mons Dei.* Nota quinto, pro *mons Sion*, S. Augustin. et Ambros. legunt, *montes Sion;* Græce etiam est ὄρη, hoc est montes. Verba S. August. de Iudæis et Gentilibus in unam Ecclesiam unitis sunt: *Dilatans exultationes universæ terræ, montes Sion. Sion unus mons est. Quid ergo montes? An quia ad Sion pertinuerunt etiam qui de diverso venerunt, ut sibi concurrerent in lapidem angularem, et fierent illi duo parietes tamquam duo montes, unus ex circumcisione, alter ex præputio, unus ex Iudæis, alter ex gentibus, non iam adversi et diversi, quia ex diverso iam in angulo nec diversi. Ipse est enim, inquit, pax nostra, qui fecit utraque unum. Ipse ille angularis lapis, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Duos in se iunxit mons montes, una domus et duæ domus. Duæ propter ex diverso venientes, una propter lapidem angularem, in quo sibi ambæ copulantur:* ita Augustin.

18. *Moraliter. Virtus est causa gaudii.* Moraliter Nota. Virtus est causa gaudii, et gaudium iuvat virtutis acquisitionem et perfectionem, ideo Christus servis suis illud infundit. Ac primo, charitatis fructus primus est gaudium, Galat. 5. 22. Cum igitur debeant omnes iusti in ea virtute radicari et fundari, Ephes. 3. 17. sequitur eos primum fructum producere gaudium, si nato Christo in terris annuntiatur pastoribus gaudium magnum, Luc. 2. 10. si eo viso post resurrectionem lætantur Discipuli, Ioan. 20. v. 20. si cum in cælum abiit, ita lætati sunt, ut regressi sint in Ierusalem cum gaudio magno, Luc. 24. 52. si in ipso Elisabethæ utero exultavit infans Ioannes ad Christi adventum, cap. 1. 44. eiusdem Lucæ, si gaudio gaudebat postea ad vocem eius, cap. 3. 29. quanto gaudio exultabit et triumphavit, qui ipsi per gratiam est unitus, et scit se illi per totam æternitatem in gloria uniendum? Ideo Eunuchus, id est, princeps Candaces reginæ Æthiopum Abyssinorum a S. Philippo Apostolo, ut ait Polycrates, vel Diacono, ut Glossa, baptizatus ibat per viam suam gaudens. Illius gaudii symbolum est unctio baptismalis et confirmationis. 2. Cor. 1. 21. *Qui confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus: qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Id de utroque sacramento, sed potissimum de confirmatione, exponitur. Ab eodem Philippo conversis multis in Samaria, factum est gaudium magnum in illa civitate. Ut enim ait S. August. in Sententiis, Sentent. 90. *Non potest quisquam fraudari delectationibus suis, cui Christus est gaudium. Æterna enim exultatio est ei, qui bono lætatur æterno.* Et Sentent. 131. *Christiano recte gaudenti causa non præsens sæculum est, sed futurum.* Christus a magno auctore dicitur χειμαρρος τρυφῆς, torrens deliciarum. Unde autem fluet delectatio, nisi ab immenso illo omnis suavitatis fonte, qui fidei et virtutum lucem in animam immittens eam gaudiis cælestibus perfundit? S. Greg. Nyss. hom. 3. in Ecclesiasten asserit, εὐφροσύνην, id est, lætitiam derivatam esse ab εὖ φρονεῖν, id est recte sapere. S. Ambros. in Ps. 35. *Quis*, ait, *cibus suavior, quam iis, quem animus bene sibi conscii, et mens innocentis epulatur?* Hoc est manna quod solus novit qui accipit et gustat. Apocal. 2. 17. *Vincenti dabo manna absconditum*, de Eucharistia id sumit Ticonius et Aretas. De dulcedine quæ in rerum cælestium contemplatione percipitur, S. Bern. lib. de convers. ad Clericos, c. 21. *Suavitas*, inquit, *Domini est, nisi gustaveris, non videbis: gustate et videte quoniam* (quod) *suavis est Dominus. Manna absconditum est, nomen novum est, quod nemo scit, nisi qui accipit: non illud eruditio, sed unctio docet; nec scientia, sed conscientia comprehendit.* Vide illum in Declamation. sub finem, et quæ dixi Ps. 99. In Ecclesia hæc suavitas est et unctio Spiritus sancti. S. Irenæus Episc. Lugdun. qui floruit circa ann. 180. sub Commodo et Severo Imper. *Ubi Ecclesia*, inquit, *ibi spiritus Dei: et ubi spiritus Dei, ibi Ecclesia et omnis gratia. Spiritus autem veritas. Quapropter qui non participant eum, neque a mammillis matris nutriuntur in vitam, neque percipiunt de corpore Christi procedentem nitidum fontem: sed effodiunt lacus detritos de fossis terrenis, et de lacu putrido bibunt aquam, effugientes fidem Ecclesiæ, ne traducantur: reiicientes vero spiritum, ut erudiantur.*

Quæres, cur mons Sion vocatur *latera Aquilonis?* Respond. sic vocari per oppositionem, quatenus ad aquilonarem plagam civitatis Ierusalem situs erat, constitutus scilicet in Meridie, et inde habens partem civitatis inferiorem, quæ et filia Sion dici poterat, velut ex ea nascens, ad regionem aquilonarem oppositam. Quare mons Sion *latera aquilonis* intelligi potest, ut diserte admonuit Euthymius, prout erat oppositus aquiloni, non quod esset in aquilone. Vel ut placet Genebrardo et Villalpando nostro tom. 3. in Ezech. p. 1. lib. 1. cap. 11. et lib. 2. cap. 18. per latera aquilonis accipi debet dicta pars civitatis inferior quæ et Salem, imposita colli Acra; per montem Sion, superior. Expetens Nabuchodonosor occupare civitatem Ierosolymitanam, dixisse scribitur Isaiæ 14. 13. *Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis.* Et in Ps. 75. 3. ut omittantur testimonia Iosephi lib. 6. de bello Iudaico cap. 6. et lib. antiquit. 15. cap. 14. Nicephori Calixti lib. 8. cap. 30. et aliorum, qui descripserunt loca sacra, dicuntque Sion fuisse in Meridie, quod et hoc loco affirmat S. Augustinus, innuitur duplex civitas, Salem et Sion: factus est in pace locus eius, hoc est, in Salem, cuius Interpretes etymologiam posuerunt, et habitatio eius in Sion. Postea sciunctæ illæ duæ civitates coaluerunt in unam, præsertim occasione templi quod in Moria monte medio, vel parte Sionis, constructum est a Salomone, et communiter Beniaminitæ cum Iudæis, id est, Tribu Iuda, cohabitaverunt, cum adhuc hi in Sion superiore, illi habitavissent in Salem, quæ et Ierusalem, inferiore: quia vero multitudinis numero *latera aquilonis* exprimuntur, præter Acra montem, Salemque civitatem in eo ædificatam, adiungi potest Bezeta et cœnopolis, ut proinde merito paulo post dominetur *civitas Regis magni*, a tanta amplitudine. Indicantur aliis Psalmis ista; et quidem Ps. 121. 3. dicitur: *Ierusalem quæ ædificatur ut civitas, cuius participatio eius in idipsum.* Hebr. habetur, quæ associata et quasi coagmentata est sibi simul. Et v. 4. *Illuc enim ascenderunt Tribus, Tribus Domini, testimonium Israel*

19. *Mons Sion cur dictus latera Aquilonis?* 1.

ad confitendum nomini Domini: hoc est, exemplo Beniaminitarum, et Iudæorum de Tribu Iuda, cæteræ Tribus sive familiæ reliquæ Iacob, expetierunt adeo celebris et sanctæ civitatis habitationem. Favent præterea Isaiæ verba, cap. 31. 4. *Descendet Dominus exercituum, ut prælietur super montem Sion, et super collem eius:* hoc est, super inferiorem civitatem in colle sitam, qui collis in alios minores subdividebatur, et in plura iuga, eo loco Sept. *colles* seu *montes*, ὄρη pluraliter transtulerunt. Hæc vero appellare possumus, quæ hic dicuntur *latera aquilonis*, quamvis ut pro numero numerus ponatur, sit satis frequens: ita Lorinus.

11. Et melius. Secundo, mons Sion dicitur *latera aquilonis*, non respectu subiectæ urbis Ierusalem, cui est ad meridiem, sed respectu regionis adiacentis. Ita videtur sentire Bellarm. Ecclesia, inquit, dicitur *latera aquilonis*, quoniam sicut mons Sion corporalis situs est in terra promissionis ad partem borealem, et est quasi murus quidam defendens eam regionem a vento illo frigido et furioso, qui dicitur Aquilo: sic etiam Ecclesia Christiana est quasi murus oppositus aquiloni spirituali, id est, flatibus spirituum immundorum: qui enim requiescunt in sinu Ecclesiæ, id est, acquiescunt doctrinæ quæ docetur in Ecclesia, et obediunt legibus eiusdem Ecclesiæ, non facile læduntur ab aquilone spirante perniciosa dogmata vel exempla.

Tertio, et optime, Sion non vocatur *latera aquilonis*, sed civitas Regis magni, id est, Ierusalem, quæ erat Sion ab aquilone, ut dictum est.

20. Symbol. Gentiles sunt latera aquilonis, et cur? Symbolice. Latera aquilonis in Ecclesia sunt Gentiles conversi, qui iuncti Sioni ad Meridiem posito, id est, Iudæis Deum iam prius colentibus, fiunt civitas Regis magni, id est, Christi. Ita Augustinus: *Intenderas*, ait, *in Sion tamquam unum locum, ubi condita est Ierusalem, et in ea tibi non occurrebat, nisi populus ex circumcisione, qui quidem ex reliquiis a Christo collectus est, ex magna autem parte tamquam palea ventilatus. Etenim scriptum est Rom. 9. 27. Reliquiæ salvæ fient. Sed attende et gentes, vide et oleastrum inseri in pinguedinem olivæ. Ecce gentes, latera aquilonis: adiuncta sunt latera aquilonis civitati Regis magni. Contrarius solet esse Aquilo Sion. Sion quippe in Meridie, Aquilo contra Meridiem. Quis est iste Aquilo, nisi qui dixit Isai. 14. 14. Ponam sedem meam ad aquilonem, et ero similis Altissimo? Tenuerat regnum diabolus impiorum, et possederat gentes servientes simulacris, adorantes dæmonia, et totum quidquid generis humani erat ubique per mundum, inhærendo illi Aquilo factum erat. Sed quoniam ille qui alligat fortem, affert eius vasa, et facit vasa sua, liberati homines ab infidelitate et superstitione dæmoniorum, credentes in Christum collineati sunt illi civitati, occurrerunt in angulo illi parieti de circumcisione venienti, et facta est civitas Regis magni, quæ fuerat latera aquilonis. Ideo et in alia Scriptura dicitur: Ab aquilone nubes coloris aurei: in his est magna gloria et honor omnipotentis, Iob. 37. Magna enim gloria medici est, quando ex desperatione convalescit ægrotus. Ab aquilone nubes, et non nigræ nubes, non caliginosæ, non tetræ, sed coloris aurei. Unde, nisi gratia illuminatæ per Christum? Ecce, latera aquilonis, civitas Regis magni. Latera utique, quia inhæserant diabolo. Quicumque enim alicui cohærent, latera ipsius dicuntur. Nam et aliquibus hominibus solemus ita loqui, Bonus homo est, sed mala latera habet: id est ipse quidem probitate præstat, sed maligni sunt, qui ei coniuncti sunt. Latera ergo aquilonis, qui diabolo cohærebant: inde venit et iste filius, de quo modo audiebamus, qui mortuus erat et revixit, perierat et inventus est. Proficiscendo enim in regionem longinquam, etiam ad aquilonem pervenerat, et ibi, sicut audistis, uni ex principibus regionis illius adhæserat. Factus est ergo latus aquilonis, adhærendo principi illius regionis: sed quia civitas Regis magni, et ex latere aquilonis colligitur, reversus ad se dixit, Luc. 15. Surgam, et ibo ad patrem meum. Et occurrit ei pater, qui dicit de illo, mortuus erat et revixit, perierat et inventus est. Vitulus ille saginatus, lapis angularis fuit. Denique et maior filius, qui epulari nolebat, exhortatus a patre ingressus est, et duo iam parietes, tamquam illi duo filii ad vitulum pervenientes, civitatem Regis magni fecerunt:* ita S. August. subtiliter. Pene eadem habet S. Ambros. Sicut, inquit, principis latera dicimus stipatores eius et comites: et sicut mulier latus est viri, eo quod morigera ei charitate iungatur: ita latera erant diaboli, qui faciebant eius voluntatem: ii ergo nunc sunt mons Sion, qui Deum speculantur æternum, et ipsi noctibus et diebus intendunt. Vide Paulum cum persequeretur Ecclesiam Domini, latus aquilonis fuisse. Vide nunc cum legitur in Ecclesia montem esse speculatorium, per quem Christi gloriam cognoscimus et videmus. Ambros. alludens ad etymon Sionis, speculam eum significat.

ARTICULUS II.

Ecclesiæ Rex Christus ter maximus.

21. Vers. 3. 2. Pars. REGEM Ecclesiæ Christum assignat Propheta. Addit enim, v. 3. CIVITAS REGIS MAGNI. Nota, David statim atque constitutus est rex super omnes Tribus Israel, ab iis unctus in Hebron, cepit arcem Sion expulsis inde Iebusæis, et eam de suo nomine appellavit, sedemque ibi fixit. 2. Reg. 5. 9. *Habitavit David in arce, et vocavit eam, Civitatem David: et ædificavit per gyrum a Mello et intrinsecus. Et ingrediebatur proficiens atque succrescens, et Dominus Deus exercituum erat cum eo. Misit quoque Hiram rex Tyri nuntios ad David, et ligna cedrina, et artifices lignorum, artificesque lapidum ad parietes, et ædificaverunt domum David. Et cognovit David, quoniam confirmasset eum Dominus regem super Israel, et quoniam exaltasset regnum eius super populum suum Israel.* Reges etiam consequentes ibi manserunt, unde Ierusalem facta est populosissima et celeberrima civitas. Tunc cæli frugifero influxu terram fœcundant, et homines benigna luce recreant, cum sol rex astrorum aurato in throno effulgurans radios stellis tum errantibus, tum fixis communicat, ut eos in sublunaria reflectant. Tunc humanum corpus vacare potest terræ culturæ, artium exercitio et negotiorum curæ, cum rex sensuum visus in oculo, velut in gemmato et radianti solio, residens præest, ut noxia avertat et utilia quærat. Tunc viget civitas, cum rex adfuerit, qui hostes arceat, leges sanciat, mutua charitate cives devinciat, et in officio contineat. Hesych. in Ps. nostr. vocat Ierusalem, metropolim miraculorum Domini. Erat figura Ecclesiæ, in qua Rex Christus mirabilia operatur.

(Civitas David dicta est Sion.) (Rex est necessarius.)

Nota, tria hic de Rege Christo dicuntur. Primo, quod sit Rex magnus. Secundo, quod venerandus. Tertio, quod benignus. 22. Tres Christi Regis proprietates.

Ac primo, reges magnos prædicant variæ nationes, Macedonia Alexandros, Hispania Ferdinandos, Carolos, et Henricos Gallia, aliæ alios, quod rebus præclare gestis, et subditis suis amori et hostibus terrori extiterint. Persæ vero id nominis regibus suis omnibus ob amplitudinem splendoremque imperii tribuebant, ut reges magni, et reges regum dicerentur: unde Græci eos vocabant, μεγάλας βασιλεῖς βασιλέων, magnos reges regum. Sapor qui Persis præerat, litteras ad Constantium Imp. dedit sic inscriptas, teste Ammiano Marcellino lib. 17. *Rex regum Sapor, particeps siderum, frater solis, et lunæ.* Magnam cum luna affinitatem habebat lunaticus homuncio. Babylonii quoque reges suos magnos appellabant, ut constat Dan. 2. 37. ubi Daniel ait Nabuchodonosori: *Tu rex regum es: et Deus cæli regnum et fortitudinem, et imperium, et gloriam dedit tibi; et omnia in quibus habitant filii hominum, et bestiæ agri: volucres quoque cæli dedit in manu tua, et sub ditione tua universa constituit: tu es ergo caput aureum.* Mirabilis scilicet illius statuæ. Parthorum reges idem sibi magni nomen usurpabant, teste Plutarcho in Pompeio.

(I. Est Rex magnus. Reges sibi nomen magni sumpsere.)

Hæc omnis terrenorum regum magnitudo, si cum Chri-

sti magnitudine comparetur, nulla est. Melius pumilionem Pygmæum cum Hercule, aut formicam vel acarum cum elephanto comparaveris, quam reges omnes cum Christo Rege. Rex enim ille cælestis, est gigas qui pedibus terram, capite cælum tangat, dextera polum arcticum, sinistra antarcticum contorqueat, oculisque et ima terrarum, et polorum excelsa pervadat: nihil ut eius notitiæ aut potestati se subducat. Hinc dicitur Psal. præced. v. 3. *Rex magnus super omnem terram;* et v. 9. *Regnabit Deus super gentes.* Ipse Christus supra montem olivarum ascensurus cælos, ait Matth. 28. 18. *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes.* Vide dicta v. 2. huius psalmi.

23. Civitas Christi, id est, Ecclesia vocanda Theopolis.

Quæres, quomodo est appellanda hæc Christi civitas? Vocare possis Magnopolim, sicut fecit Pompeius in Ponto a se conditam civitatem. Vocare item possis Nicopolim cum Augusto, qui ad sinum Ambracium unam urbem illius nominis condidit, quando victo Antonio et Cleopatra totius orbis Romani factus est Imperator. Commodius tamen vocabis Theopolim cum Iustiniano, qui Antiochiam hoc illustri elogio nobilitavit, ut narrat Nicephorus lib. 17. c. 3. Cum enim illa civitas terræmotu quassata et fulmine ambusta pene tota concidisset, Ephræmiique cura esset restaurata, post triginta menses passa est gravissimas ærumnas, et a Iustiniano Imp. debita cura et providentia adiuta, και θεοπολις ωνομασθη, *et Theopolis, hoc est, Dei civitas, est nominata. Unusquisque enim civium Christi nomen præ foribus inscribens, eo modo terræ motum dispulit, cum Deus religioso cuidam homini hæc verba foribus inscribere præcepisset*, Χριστος μεθ'ημων στητε, *Christus nobiscum state.*

24. Vers. 4. Ecclesiam Christus suscepit tripliciter.

Rex ille magnus ab omnibus civibus cognoscitur et adoratur, v. 4. DEUS IN DOMIBUS EIUS COGNOSCETUR, CUM SUSCIPIET EAM civitatem scilicet: hoc est Ecclesiam, tam militantem, quam triumphantem. Eam porro Christus tripliciter suscipit, 1. eam sinu complectens, et ei refugium tutum præbens; 2. illam elevans et exaltans; 3. denique, illi opem dans. Nota, pro *suscipiet eam*, Hebr. est למשגב *lemisgab*, quod Primo vertit Flam. Deus in domibus eius cognitus est esse tutum refugium. Secundo, *misgab* significat exaltationem, arcem sublimem. Hinc Aquila vertit, εις υπερεπαρσιν, hoc est, in elevationem. V. editio, εις οχυρωμα, in munimentum. Syr. Deus in turribus eius notum facit robur suum. Tertio, *misgab* significat auxilium. Sept. vertunt, οταν αντιλαμβανηται αυτης, cum auxiliatus fuerit ei. Arabs, cum sit ipse adiutor. Hinc fit ut Ecclesia sit invincibilis. S. Iulianus, qui Episcopus

25. Ecclesiæ varia elogia.

Toletan. creatus est anno Domini 680. id prædicat: *Ecclesia*, inquit, *sponsa Christi, templum Altissimi, civitas Regis magni, tanta viget potentia, decore, sapientia, quod nec hoste vinci, nec mundo, nec proximo seduci, nec adversitate superari, nec prosperitate inclinare, nec aura sinistra ullatenus valet fuscari. Unde Salvator de ea in Evangelio: venerunt flumina, flaverunt venti, nec potuerunt eam movere, fundata enim erat super firmam petram. Hinc in eius laude et dilectione nos excitat Psalmista: Ponite corda vestra in virtute eius, et distribuite domos eius, ut enarretis in progenie altera. Sicut enim, ut Tullius in fine secundi libri Rethoricæ meminit, sunt quædam de bonis civitatis, quæ ad eius incolumitatem: quædam quæ ad eius amplificationem pertinent: ita in Ecclesia quæ civitas Regis magni est optima, quædam ad decorem, alia ad amplificationem. Ad sanitatem iustitia, ad firmitatem fortitudo, ad decorem prudentia, ad amplificationem temperantia. Siquidem quatuor sunt, quæ animam erudiunt, ornant et instruunt, et roborant; hæc scilicet: consilia, obsequia, subsidia, remedia. Ad prudentiam consilia, ad iustitiam obsequia, ad fortitudinem subsidia, ad temperantiam pertinent remedia. Consilia illuminant cæcos, obsequia reddunt devotos, subsidia roborant invalidos, remedia sanant ægrotos. Consilia expellunt ignorantiam, obsequia invidiam, subsidia infirmitatem, remedia cupiditatem. Consilia sapientiæ faciunt doctores, obsequia iustitiæ amatores, subsidia veritatis defensores, remedia felicitatis dilectores. Felix ergo civitas quæ nec eget consilio, nec caret obsequio, nec subsidii iacet imbecillitate, nec remedii sordet egestate. Hæc Christus eo glorificato, et spiritu Patris, atque suo dato, Ecclesiæ suæ contulit. Hæc ipse prior in ea, ad ipsius gloriam, protulit. Siquidem consilia vitæ dedit: obsequia, iustitiæ: subsidia, constantiæ: remedia, pœnitentiæ. Consilia, homines docendo: obsequia, turbas pascendo: subsidia, viduæ, pupilli et advenæ causas iudicando, remedia pertranseundo, et omnes oppressos a diabolo sanando: Consilia igitur dedit in monte, obsequia iuxta mare, in cœnaculo subsidia, remedia in cruce. Hæc quoque Ecclesia a sponso suo accepit, quæ ad ipsius timorem, decorem, honorem, amorem aliis dilatandum ministravit. Siquidem per divinæ consilia scientiæ, et lucem sapientiæ, sibi conversos copulavit Philosophos, per obsequia misericordiæ subiugavit ethnicos, per subsidia gratiæ constanter expugnavit hæreticos, per remedia pœnitentiæ clementer revocavit schismaticos;* lege cætera.

Nota primo, pro *domibus*, Hebr. est ארמנות *armenoth*, quæ vox significat, ædes amplas, et altas, basilicas, templa, palatia. Hinc primo colligitur Deum cognosci præsertim in templis, ubi sedem sibi peculiarem posuit; secundo, omnes eniti debere ut templa Deo magnifica extruant, cum in illis cognoscendum se et adorandum exhibeat. 26. Armenoth.

Nota secundo, pro *domibus*, Hebr. est βαρεσιν, id est *gravibus*, ut legit Arnobius. Secundo, βαρις, sunt turritæ domus, ut ait S. Hieron. in cap. 17. Ieremiæ; magnæ, et in modum turrium ædificatæ domus, ut idem loquitur in cap. 9. Oseæ. Hinc V. editio, vel Symm. habent, εν βασιλειοις, id est, in regiis palatiis, seu basilicis. Tertio, βαρις, ut ait Herodotus, sint Ægyptiacum quoddam fluvialis navigii genus ex spina. Corinthus putat esse vocem Ionicam. Didym. in psal. nostr. Illud, inquit, non ignorandum, βαρις, non solum domos et turres, quæ in mœnium præcinctione continentur, significare, sed etiam nonnullas naves, quæ scite et artificiose contestæ sunt. Porro sanctorum capita iis ipsis rursus comparari oportet, quod ad omnes fere partes adnavigarint, et pietatis merces ad universas gentes asportaverint, qualis fuit D. Paulus ab Ierusalem usque Illyricum percurrens, et prædicans Evangelium Christi. Alibi quoque beatus David dixit Psal. 130. In mari lato ac spatioso naves ubique prætervehi, et draconem qui formatus est ut illuderetur illi, naves sanctarum prædicationum latrices, et draconem quem etiam vicerunt, Satanam illis insidiantem appellans, dum Christum idoneum ad salutem auxilium iis ministraret: ita Didymus. Apostoli quoque et Ecclesiarum magistri et Doctores, sunt βαρεις, id est, turres insignes, qui civitatem Dei muniunt et exornant. Hi, ut ait S. Cyrill. tamquam turres cæteris eminentiores fuerunt. βαρις.

27. Gradatim ad perfectionem est ascendendum.

Nota tertio, pro *in domibus*, legitur in Psalterio Romano et Ambros. *in gradibus*, quod S. Greg. lib. 22. Mor. cap. 14. exponit de variis virtutum meritis et incrementis. Non enim Deus statim perfecte cognoscitur, sed gradatim ad eam perfectionem devenitur. Verba eius sunt: *Per singulos gradus meos pronuntiabo illum. De his, inquit, quippe meritorum gradibus per Psalmistam dicitur Psal. 83. Ambulabunt de virtute in virtutem. De is iterum sanctam Ecclesiam contemplatus, ait, Deus in gradibus eius dignoscitur, dum suscipiet eam. Neque enim sicut dictum est, repente ad summa pervenitur, sed ad virtutum celsitudinem per incrementa mens ducitur. Hinc namque est, quod Propheta idem iterum dicit Psal. 142. Excitatus sum, et defecit paulisper spiritus meus. Quod est itaque quod ait, spiritus meus, nisi spiritus hominis, videlicet spiritus elationis? Et quia per occultam gratiam ad amorem Dei temperata desuper mensura proficimus, quanto in nobis quotidie de Dei spiritu virtus crescit, tanto noster spiritus deficit. Qui spiritus erroris, quia non a nobis subito penitus amputatur, bene paulisper defecisse perhibetur. Tunc vero in Deo plene proficimus, cum a nobis ipsis pe-*

nitus defecerimus. Hæ itaque crescentium mensuræ virtutum, sancti viri vocibus gradus dicuntur. Plura vide apud ipsum.

28. Anagog. seu potius litteraliter, et simplicissime, Deus cognoscitur intuitive in domibus et palatiis cælestis Ierusalem, in quibus sancti habitant, cum multis ad se congregatis eam suscipit et fovet, eique se communicat. Ut enim ait Hugo Card. Cognoscitur Deus tripliciter: Primo, per naturalia. Rom. 1. 20. *Invisibilia ipsius a creatura*, etc. Secundo, per gratiam vel fidem. Sap. 15. 3. *Nosse te consummata iustitia est.* Tertio denique, per gloriam. Ioan. 17. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum.*

Deus cognoscitur tripliciter.

Sub aureo capite membra fulgent argentea gemmataque: sub cælesti Rege terræ reguli unam in civitatem adunantur. Hoc Propheta noster prædicat, vers. 5. QUONIAM ECCE REGES TERRÆ CONGREGATI SUNT: CONVENERUNT IN UNUM. Chald. transierunt simul. S. Ambr. transierunt in unum.

Vers. 5.

Et vers. 6. IPSI VIDENTES SIC ADMIRATI SUNT (Aquila, ἐθαμβήθησαν, id est, obstupuerunt, ut vertit S. Hieron.) CONTURBATI SUNT, COMMOTI SUNT. S. Hier. admirati sunt. Translator quidem apud Campensem, attoniti fiunt ac stupent: et ipse Campensis in paraphrasi adiuncta illi translationi, metu perculsi sunt. Flamin. in fugam præcipites dati sunt: TREMOR APPREHENDIT EOS.

Vers. 6.

Ac vers. 7. IBI DOLORES UT PARTURIENTIS: IN SPIRITU VEHEMENTI CONTERES NAVES THARSIS.

Vers. 7.

29. Primo, locus hic exponi potest de regibus et principibus Ecclesiam oppugnantibus. Eusebius sic explicat: Ecce reges conspiraverunt, venerunt simul, et intelligit hostes pietatis et divinæ Reipubl. inimicos, et eos qui leges conscripserunt ad Dei Ecclesiam oppugnandam: sed quamquam omnem lapidem moverunt, nihil tamen efficere potuerunt, quare inducit: *Ipsi videntes sic admirati sunt*, postea *conturbati sunt*, tamquam hostes Dei constituti, et erant tamquam in doloribus partus positi. In reliquum vero de divino iudicio sermonem ante oculos habuere: Ecce parturiit iniustitiam, concepit dolorem, peperit iniquitatem. Lacum aperuit, et effodit eum, et incidit in foveam quam fecit. Revertetur dolor eius in caput eius, et in verticem ipsius iniquitas eius descendet. Hæc factis ipsis perfecta nos oculis ipsis vidimus, quæ consentaneum est posteris nostris dicta, neque auditu credita fuisse. Omnes enim quotquot ex nobis Ecclesiam oppugnarunt principes sæculi huius, et tyranni divinis plagis contumeliose affecti, aliis corpora computruerunt, ita ut vermes ex vivis adhuc cum fœtore intolerabili scaturirent, alii ablatis oculis et succensis, ita in morbi sensum venerunt, ut palinodiam cecinerint, et Ecclesiæ Deum magnum, et verum, et solum esse Dominum sint professi, ac magno studio impetrarunt oppugnatam olim a se civitatem instaurari et coli: ita Eusebius. Eodem modo exponunt fere omnes Græci Patres S. Athanas. S. Chrysost. Theodoret. Euth. Niceph. et alii. Inter Latinos Beda, Bruno, Lorinus, Genebrard. Caiet. Iansenius, et aliqui alii. Vide a me dicta Ps. 2. v. 1.

Hostes Ecclesiæ afficiuntur dolore.

30. Secundo, S. August. in bonam partem hæc omnia interpretatur. Sic enim ait: Ecce Reges terræ collecti sunt. Iam ecce illa latera aquilonis, videte quomodo veniant, videte quomodo dicant: Venite ascendamus in montem Domini, annuntiavit enim nobis viam suam, ut ingrediamur in ea. Ecce Reges terræ collecti sunt, et convenerunt in unum. In quem unum nisi in lapidem illum angularem? ipsi videntes ita admirati sunt. Post admirationem miraculorum et gloriæ Christi, quid secutum est? Conturbati sunt, et commoti sunt, tremor apprehendit eos. Unde tremor apprehendit eos, nisi de conscientia delictorum? *Currant ergo Reges post Regem, agnoscant Reges Regem.* Inde alibi, Ps. 2. *Ego autem*, inquit, *constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum Domini. Dominus dixit ad me Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, et tamquam vas figuli conteres eos.* Auditus est ergo Rex, constitutus in Sion, tradita est illi possessio usque ad terminos orbis terræ. Ita Augustinus, quem sequuntur S. Thomas, Ludolphus, Turrecremata, Richardus Pampolitanus, Lindanus, Raynerius, et alii, quibus assentior. De regibus prius hostibus, deinde conversis, exponi potest. Sic uterque sensus conveniet.

Reges Christo servientes.

Nota, reges convenerunt in unum, id est, Primo, in Christum, ita Aug. ut scilicet, sicut in Apocalypsi vidit S. Ioannes cap. 4. 10. procidant ante viventem in throno, et adorant viventem in sæcula sæculorum, et mittant coronas suas ante thronum, dicentes: *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, et honorem, et virtutem.* Quod ibi faciunt Deo Patri in throno sedenti, hoc præstant Agno, id est Christo, cap. 5. 12. et seqq. Vide Ps. 71. 10. in illud: *Reges Tharsis et insulæ munera offerent. Reges Arabum et Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei.* Confluxum omnium gentium ad unum Christum Regem et pastorem habes Ioann. 10. 16. *Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor.* Secundo, conveniunt non solum in unam Christi fidem, sed etiam in unam ad invicem charitatem, et fiunt vera et perfecta sub Christo Rege civitas, hoc est, civium unitas: *Cur*, ait Origen. *non omnes unus dicantur, quorum cor unum et anima una esse describitur? Act. 4. 3. Unam semper omnes sapientiam meditantur, unum sapiunt, unum sentiunt, unum Deum venerantur, unum Dominum Iesum Christum confitentur, uno spiritu Dei replentur. Unde merito et ipsi omnes non solum unum, sed unus dicuntur, sicut Apostolus designavit dicens: Omnes quidem currunt, sed unus accipit palmam*, 1. Cor. 9. 24. *Vides manifeste, quia omnes iusti unus est.* Cant. 6. v. 7. dicitur: *Sexaginta sunt reginæ, et octoginta concubinæ, et adolescentularum non est numerus.* Vides multitudinem, audi unitatem, statim enim subnectitur. Una est columba mea, perfecta mea, unica est matri suæ, electa illi quæ peperit eam. S. Gregor. Nyss. per adolescentulas, multitudinem fidelium explicat: per concubinas, multitudinem proficientium: per reginas denique, perfectos; homil. ultim. in Cantic. eorum omnium unitatem in una charitate ostendit: *Si dilectio*, inquit, *plane metum eiiciat, mutatusque metus dilectio fiat: tum vero unitas esse reperietur id quod salutem consequitur, omnibus inter se unitis in conglutinatione cum uno summoque bono per illam, quæ in columba est, perfectionem.* Hoc precatur Christus Ioan. 17. 21. *Ut omnes unum sint, sicut tu pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.* 31.

Fideles unum fiunt in Christo.

Quæres, quid viderunt illi reges, unde admirarentur et conturbarentur? Resp. primo, viderunt sua peccata. Secundo, viderunt Christi et Ecclesiæ gloriam. Hebræi de sua Ierusalem dicebant: *Decem pulchritudinis mensuræ in mundum descenderunt, novem abstulit Ierusalem, unam universus mundus.* Hesych. Ubique sane, ait, magnus est Dominus, multo autem magis in Ierusalem, quæ metropolis est miraculorum Domini, magnus ostensus est, ut qui in ea mortem destruxit, infernum spoliavit, et mortuos liberavit. De Ecclesia præsertim triumphante longe maiora possis dicere, huius gloriam contemplantes reges et principes ad Christum conversi sunt, de peccatis suis contriti. Nota, vehementiam doloris denotat illa inculcatio, *Conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos*, et adhuc magis, ibi dolores ut parturientis S. Ambros. in Ps. nostr. *In Ecclesia, in illa civitate Regis magni sunt dolores sicut parturientis, donec formetur Christus in nobis. Neque enim sine dolore Paulus erat, cum videret in Galatis insipientibus doctrinæ suæ tardiorem profectum. Ideoque dicebat Galat. 4. Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Testificatur et Dominus in Evangelio graves esse parturientis dolores, cum dicit Ioan. 16. Mulier cum parturit, tristitiam habet, quia* 32.

Per dolorem ad virtutes venitur.

venit dies eius: cum autem peperit, iam non meminit tristitiæ propter gaudium: quia natus est puer in hoc mundo. Magnus ergo labor ut aliquis sibi Christum acquirat, ne sine gubernatore quasi navis in istius sæculi salo fluctuet. Denique Apostoli tristes erant, cum se Christus ad Patrem rediturum esse memoraret, quod absente rectore destitui se putarent. Gaudium Christus est. Ipse est et puer quem parturit, qui in utero suæ mentis accepit spiritum salutis. Qui pepererit, et enutrierit, exultat. Qui parturit, quatitur atque compungitur. Bonum est ut et parias, et enutrias eum. Ne coquas agnum in lacte matris suæ, ne dicatur tibi Matth. 24. Væ in utero habentibus et nutrientibus. Sic enim Christus natus est ex Maria, ut cognoscas eum, sicut bos agnovit possessorem suum: et scias quia ipse te creavit, et maiores tuos ipse possedit. Non eum quasi parvulum nutrias, sed quasi verum atque perfectum Deum ex vero et perfecto Deo noveris adorandum. Sic cum magus adoravit, ut non in lacte matris agnum coqueret, sed quasi Deum venerare-tur æternum. Denique ut eum inveniret, cælum aspiciebat. Non ergo quærebat in terris, quem de cælo fulgens stella monstrabat. Ideo eum Maria non parturivit, sed peperit: quia et Dominum et salutare sciebat ex se esse generandum, sicut ipsa testatur dicens: Magnificat anima mea Dominum, et lætatus est spiritus meus in Deo salutari meo. Ibi ergo dolores sicut parturientis. Dolor est ut parturias: dolor est ut enutrias, quem in principio debes habere perfectum. Sic per dolorem venitur ad virtutes, et per virtutes ad civitatem Dei. Si enim ait Philo l. 2. Alleg. legis: η πολις οικεια σοφων η αρετη: *Civitas sapientum propria, virtus est. In hanc quisque admitti nequit, exulat: et nemo malus in eam unquam admitti potest.* Si inquam id Philo dicit, de Dei civitate quid dicetur? Habeo apud me monetam antiquam, in qua inscriptio hæc est ירושלם הקדושה *Ierusealaim hakedoseia*, Ierusalem sancta. In aliquibus est, *Ierusealaim ir kedoscia*, Ierusalem civitas sancta. Hoc verius de Ecclesia triumphante et militante dices, quam de Ierusalem terrena, de qua hoc usurpaverunt Rabbini. Sanctos sibi cives postulat sancta civitas.

33. *Quid erat Tharsis.* Quæres secundo, quid erat Tharsis? Tria in ea quæstione mihi pro certis et indubitatis sunt. Primo, nihil certi definiri posse. Secundo, a Propheta nostro, cum hic dicit conterendas naves Tharsis, eamdem intelligi vel civitatem vel regionem, ad quam postea Salomon classem singulis trienniis misit. 3. Reg. 10. 22. *Classis regis* (Salomonis) *per mare cum classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis deferens inde aurum et argentum, et dentes elephantorum, et simias, et pavos.* Et 2. Paralip. 9. 12. idem refertur. Tertio, certum etiam videtur eamdem regionem intelligi, cum 2. Paralip. 20. 36. de Iosaphat dicitur: *Et particeps fuit ut facerent naves, quæ irent in Tharsis: feceruntque* (Iosaphat rex Iuda, et Ochozias rex Israel) *classem in Asiongaber.* Quæ classis contrita est secundum prophetiam Eliezer.

Variæ opiniones. Ad quæstionem ut veniamus, Abulensis in cap. 9. lib. 2. Paral. q. 14. docet aliquos censuisse Tharsis esse insulam quæ vocatur Ophir, sed habere multa nomina; 2. alios existimare esse civitatem quamdam in terra Indorum circa insulam Ophir; 3. alios censere esse civitatem quamdam Æthiopiæ; 4. S. Aug. in Ps. nostr. Aliquibus, ait, visum est Ciliciam dictam esse Tharsis, ex eo quod Metropolis eius Tharsus dicitur. Aliqui eam Carthaginem intellexerunt, fortassis aliquando ita nominatam, aut aliqua locutione ita significatam. Namque apud Prophetam Isaiam sic invenitur cap. 23. 1. *Ululate naves Carthaginis.* Apud Ezechielem autem a diversis interpretibus, ab aliis Carthago, ab aliis Tharsis interpretata est: ita August. Nunc in Isaia legimus, naves maris; 5. alii arbitrati sunt Tharsis esse totam Africam; 6. Pineda de rebus Salomonis probare nititur Tharsis esse Tartessum, et regionem Bæticam in Hispania; 7. et alii dicunt esse mare.

34. *Tharsis non fuit idem cum Ophir.* Sed primo, Tharsis non fuit idem cum Ophir. Nam, ut ait Salianus anno mundi 3023. n. 42. annalium tom. 3. Ophir fuit in Oriente, et Tharsis in Occidente. Et secundum Abulensem Ophir non fuit terra habitata, sed solis draconibus atque aliis bestiis pervia. Tharsis vero terra habitata, ut patet Psal. 71. 10. *Reges Tharsis et insulæ munera afferent.* Sed hæc ratio me parum movet. Nam non crediderim Ophir non fuisse regionem cultam et incolis frequentem. Etenim alii censent fuisse Peruanam provinciam quod cum 2. Paralip. 3. dicatur, *Porro aurum erat probatissimum,* Hebr. legitur, Aurum erat de loco *Paruaim*, quæ vox a Septuaginta Interpretibus retinetur. Est autem *Paruaim* duale, cuius singulare esset *Paru* sive *Peru*. Poni autem numerum dualem ob duplex Peru, maius scilicet ac minus, sed quod proprium dicitur Peru, et quod appellatur Mexico. Sic censet Benedictus Arias Montanus in libro cui Phalec nomen indidit. Alii vero, ut Salianus, volunt Ophir esse Taprobanam, sive Sumatram insulam in India Orientali, quod est probabilius; nam in Peruana regione nec sunt elephantes, nec pavi, nec simiæ, nec ligna thyina. Deinde, cur Salomon longissimam et periculosissimam navigationem institueret præterita India, omnium istarum rerum, et auri argentique feracissima? Sed de Ophir fortasse alias, ad Tharsis revertamur.

Secundo, Tharsis nec Cilicia, nec Bætica, nec Cartago esse potest, licet in hoc ultimum inclinet S. Aug. Nam Salomon et Iosaphat classem, quæ navigatura erat in Tharsis, aptabant in Asiongaber, qui portus fuit maris rubri. Non potest autem ad Ciliciam, Bæticam, et Carthaginem perveniri navigatione per mare rubrum, sed per mare mediterraneum, quod a rubro dividitur Isthmo integro, quo Africa iungitur Asiæ. Etenim dicere classem e mari rubro exeuntem flexisse totam Africam, ac per promontorium bonæ spei, et per fretum Gaditanum in mare mediterraneum rediisse, ridiculum videtur, et Salomonis sapientia indignum, qui infinitis sumptibus ac periculis id effecisset triennio, quod trimestri, aut anno ad summum, perfici poterat. 35. *Nec cum Cilicia, Bætica, et Carthagine.*

Tertio, Tharsis non fuit aliqua civitas particularis, sed provincia. Nam Ps. 71. 10. dicitur: *Reges Tharsis et insulæ munera afferent.* Non sunt autem plures reges simul in una civitate. Sed hæc ratio non est admodum efficax. Deinde non posset explicari, quomodo Salomonis naves per mare rubrum, et Ionas per mare mediterraneum pergerent in Tharsis. *Nec aliqua urbs particularis.*

Quarto, et melius, S. Thomas, Theodoretus, et S. Hier. in cap. 2. et 23. Isaiæ, Tharsis sumunt pro mari. Sic Isaiæ 2. 16. ubi habemus: *Dies Domini exercituum super omnes naves Tharsis.* Sept. Chald. et S. Hieron. vertunt, naves maris; nam a Tharsis nepote Iaphet, Gen. 10. orti sunt Cilices, indeque eorum metropolis dicta est Tharsus: ita S. Hier. in quæst. Hebr. in Gen. et Iosephus lib. 1. Antiq. cap. 7. Inde quia Tharsenses et Cilices potentes erant in navibus, et maris domini, hinc et Tyrus Isaiæ 23. in Hebræo vocatur *filia Tharsis*, quod noster vertit *filia maris*. Late enim olim dominatos fuisse Tharsenses patet ex eo quod de Holopherne dicitur Iudith 2. *Prædavitque omnes filios Tharsis;* et Solinus cap. 41. *Cilicia,* inquit, *antea ad Pelusium Ægypti pertingebat.* Ulterius a parte totum ipsum mare mediterraneum, tandemque Oceanus et vastum quodvis mare dictum est Tharsis. Sic Ionas fugit in Tharsis, id est ad mare. Sic dicuntur naves et reges Tharsis, id est maris et insularum. Sic classes Salomonis dicuntur navigasse in Tharsis, id est in mare Indicum. Denique hinc chrysolitus lapis Hebraice dicitur Tharsis, quia est coloris marini, puta cærulei. Significat ergo Isaias classes Ægyptiorum et Tyriorum, aliorumque Iudæis obsessis opitulari volentium a Chaldæis fundendas et evertendas fore: ita Cyrill. Notat Sanchez, naves Tharsis vocari naves magnas, robustas et validas quæ mare vastum ventisque frementibus obnoxium sulcare possunt. Dici enim *Tharsis*, ut distinguantur a phaselis papyri, quibus abundat Nilus et Ægyptus, et a navibus piscatoriis, quæ erant in Iudæa et Genezareth. Hinc enim dicitur Ps. 47. *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis;* q. d. 36. *Tharsis probabiliter pro mari sumptum est.*

Naves quantumvis fortes et firmæ, non sustinebunt ultricem et infensam manum Dei. Addit Sanchez per naves Tharsis significari naves magnas regum Iudæorum, quæ ut olim tempore Salomonis magnam auri vim in eorum ærarium comportarint. Verum cum hæc spectent tempora Sedeciæ et Ierosolymæ obsessæ, quando Iudæi fuerunt pauperrimi, ut non videantur habuisse classes tantas: hinc potius ad classes vicinorum Tyriorum et Phœnicum hæc referenda videntur: ita Cornelius in Isaiam. Hanc opinionem ut probabilem amplector, ut scilicet Tharsis pro mari ponatur, et naves Tharsis pro navibus magnis et firmis, ad distinctionem fluviatilium lemborum et scapharum.

37. Probabiliter Tharsis erat tota Africa. Quinto denique, habet probabilitatem opinio eorum qui Tharsis pro tota Africa sumunt. Sic enim facilis est solutio quæstionis, alioqui difficillimæ: nempe quomodo navigatio Ionæ et servorum Iosaphat regis Iuda fieret in Tharsis. Nam dices naves Iosaphat petiisse Æthiopiam exteriorem, ubi sunt regiones auri feracissimæ: Ionam vero petiisse Carthaginem, ubi emporium erat nobilissimum. Possis etiam si placet suspicari, duplicem fuisse regionem seu civitatem quæ Tharsis diceretur: unam in mediterraneo mari, ad quam Ionas navigabat, sive fuerit Cilicia, sive Bætica, sive Carthago: alteram vero aut in India, aut in Æthiopia exteriore, ad quam Iosaphat suos mittebat, qui tamen eo non pervenerunt, classe contrita. Quod si quæras, cur tantum semel trienniis singulis classem mitteret Salomon in Tharsis, cum hæ regiones non ita dissitæ sint a Iudæa? dicam cum Abulensi q. 15. in cap. 9. lib. 2. Paral. nempe hoc eam ob causam accidere potuisse, quod merces in Iudæa non potuerint colligi citius, ut eam in regionem ferrentur commutandæ: neque in Tharsis colligi ea quæ inde asportabantur: deinde quod eosdem illius navigationis peritos Salomon mitteret, qui cum uxores et liberos, et possessiones in Iudæa haberent, egebant aliqua quiete ad res suas ibi disponendas. Quod autem Tharsis sit aliqua determinata regio hoc mihi persuadet, quia Ophir est regio determinata.

38. Symbol. Naves Tharsis sunt corpora nostra. Quæres tertio, quid symbolice sint naves Tharsis? Primo, S. Ambr. naves Tharsis ait corpora, quæ pœnitentia sunt conterenda, ne in abruptas cautes syrtesve mentem immittant. S. Ambr. in Ps. nostr. *Dum ad perfectionem fidei desiderant Dei famuli pervenire, commacerent corpus suum castigando severius, et redigendo in ministerium servitutis, ne reprobentur qui fuerant iam probati. Hoc autem faciunt in Spiritu sancto valido atque vehementi. Est enim spiritus consilii atque virtutis, ut nimia abstinentia dissolvant corpus suum, quo omnes eius evacuent voluptates, ut dicatur illis Hebr. 12. Convalescite manus remissæ et genua dissoluta. Cum enim solutus quis fuerit ab ista compage terrena, tunc fortior ad vitam resurgit æternam. Mentior, nisi adstipulatur Scriptura quæ dicit, dissolvi, et cum Christo esse; multo melius: Qui dissolvitur, incipit esse cum Christo. Et alibi 2. Timoth. 4. Tempus meæ resolutionis instat. Qui ergo meditatus fuerit seipsum dissolvere per abstinentiam, diem passionis suæ timere non poterit. Et bene ait spiritum vehementem, naves dicturus. Naves autem de corporibus dixit, quæ vago diversarum passionum fluctu moventur, et cito merguntur, nisi habeant gubernatorem. Unde et alibi ait Ps. 106. Qui descendunt in mare in navibus. Bene autem navigant, qui in navibus Christi crucem sicut arborem præferunt, atque inde explorant flabra ventorum, ut corpora sua dirigant ad sancti Spiritus gratiam, in ligno Domini tuti atque securi: nec permittunt naves suas vago fluctu errare per maria, sed ad portum salutis et ad consummationem gratiæ cursus sui directione contendunt, ut fida statione potiantur, quo dissolutæ cursus suos possint in resurrectione reparare, ubi naufragium timere non possint. Et nos igitur circumspectentus hanc gratiam, speculatores eius simus, exploremus eam, ut fiant corpora nostra naves Tharsis. Tunc enim caro ad servitutem redigitur, cum ad Dei intendimus gratiam, ut id quod amarum ad tempus*

A *sit, sicut est ieiunium, non quod dulce et voluptarium, sequamur. Tharsis ergo est speculatorium gratiæ, intelligibilis civitas, ut Sion superior. Ad eam festinabat Ionas. De ea dicit Scriptura, quia sociatus est Iosaphat Oriæ Regi, et sic placuit ut facerent, et irent ad eum naves in Tharsis. Sed quia impio se coniunxit, ideo missus est ad eum Propheta qui diceret ei. Destruxit Dominus opus tuum, et contritæ sunt naves tuæ, et non potuerunt ire in Tharsis. Quo significatur quod prævaricantium mandatum Dei corpora ad consummationem gratiæ pervenire non possint. Ad Salomonem autem utpote sapientem et pacificum virum, naves de Tharsis cum auro et argento, et dentibus eburneis sine ulla offensione veniebant, et eo ipse mittebat. Habebat enim cum rege Hiram sacræ negotiationis spiritale commercium, et mutuæ gratiæ concertantis affectum:* ita Ambrosius pie et ingeniose.

Secundo tamen convenientius et aptius dixeris, naves illas Tharsis esse corda nostra, quæ velut cymbulæ, mediis in mundi deliciis fluitant, variasque mundi merces B convehunt, orbem integrum appetentia, et nunquam auro argentoque et honoribus ita oppleta, quin amplius dilatentur, et plura capere valeant. Vela tumentia sunt superbia, ambitio, arrogantia, temeritas, atque similia. Gubernaculum, propria voluntas. Remiges, passiones, quibus diu noctuque varias in partes huc illuc agitantur, torquenturque. S. August. *In spiritu*, ait, *violento conteres naves Tharsis. Breviter intelligitur, evertens superbiam gentium.* Ita ipse, qui ait, a quibusdam Tharsis intelligi Carthaginem, ac subdit: *Manifestum est, quod primordia regni Carthaginis navibus floruerunt, et ita floruerunt, ut inter cæteras gentes excellerent negotiationibus et navigationibus. Atque hinc nimium superba facta est civitas illa, ut digne per eius naves intelligatur, superbia gentium, præsumens in certis tamquam in flatibus ventorum. Iam non præsumatur de velificatione et quasi prosperitate sæculi huius, tamquam maris: fundamentum nostrum in Sion sit, ibi stabiliri debemus, non perflari omni vento doctri-* C *næ. Quicumque ergo ex incerto huius vitæ tumuerant, evertantur et subiiciantur Christo, id est omnis superbia gentium conterenti in spiritu violento naves Tharsis: non cuiuscumque civitatis, sed Tharsis. Quomodo in spiritu violento? timore fortissimo. Sic enim eum tremuit omnis superbia iudicaturum, ut in humilem crederet, ne excelsum expavesceret.* 39. Et corda.

ARTICULUS III.

Templum et curia suprema civitatis Dei.

Viso Rege suo et eius gloria atque ipsius civitatis, exclamant cives v. 8. Sicut audivimus sic vidimus in Vers. 8. civitate Domini virtutum (Hebr. Domini exercituum. Syr. Dei fortissimi) in civitate Dei nostri: Deus fundavit eam in æternum.

Quæres, quis hic loquitur? Primo, Theodorus, sive Cy- 40. Quis hic loquitur. 1. rillus, loqui vult, hostes Ecclesiæ, qui ait, convenerunt D tamquam illam oppugnaturi, sed cum eam vidissent inexpugnabilem, stupore correpti sunt, et ab oppugnatione cessantes clamant: *Sicut audivimus, sic vidimus:* ita ille. Sed cum antea non sint locuti in psalmo, id non est conveniens: deinde vocant Deum suum, et videtur vox exultantium. Secundo, Arnob. et Cassiod. volunt loqui Magos, 2. qui in Bethlehem viderunt ea, quæ audiverant de Christo. Sed hoc est nimis arctum. Tertio, Euseb. Apostolos loqui 3. vult, qui quondam propheticas voces tantum audierunt: nunc vero reipsa comprobata cernentes, quæ prædicta audierunt, dicunt: *Sicut audivimus, sic vidimus.* Ideo hæc dicentibus Salvator ait Matth. 13. 16. *Vestri autem beati oculi, quia vident, et aures vestræ, quia audiunt. Amen quippe dico vobis, quia multi Prophetæ et iusti cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt: et audire quæ auditis et non audierunt.* Quarto et melius, omnes Chri- 4. stiani contemplantes humanæ redemptionis œconomiam;

et Ecclesiæ fundationem, propagationem, atque conservationem in mediis persecutionibus, exclamant: *Sicut audivimus, sic vidimus.* Ita S. Chrysost. Quæ, inquit, verbis audivimus, ea factis vidimus: victorias Dei, trophæa, curam et providentiam, et quæ opinionem superant miracula. Deus enim nunquam intermisit ea facere. S. Aug. *O beata Ecclesia*, inquit, *quodam tempore audisti, quodam tempore vidisti. Audivit in promissionibus, videt in exhibitionibus: audivit in prophetia, videt in Evangelio. Omnia enim quæ modo complentur, antea prophetata sunt. Erige oculos ergo, et diffunde per mundum, vide iam hæreditatem usque ad terminos orbis terræ. Vide iam impleri quod dictum est Ps. 71. Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient illi. Vide impletum esse quod dictum est Ps. 107. Exaltare super cælos Deus, et super omnem terram gloria tua. Vide illum cuius pedes et manus fixi sunt clavis, cuius ossa in ligno pendentia numerata sunt, super cuius vestimentum sors missa est. Vide regnantem, quem illi viderunt pendentem. Vide in cælo sedentem, quem contempserunt in terra ambulantem. Vide inde impleri Ps. 21. Commemorabuntur et convertentur ad Dominum universi fines terræ, et adorabunt in conspectu eius universæ patriæ gentium. Hæc videns, exclama cum gaudio: Sicut audivimus, ita et vidimus. Merito sic vocatur ipsa Ecclesia de gentibus Ps. 44. Audi filia, et vide, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui. Pater tuus Aquilo fuit, veni ad montem Sion. Audi et vide, non vide et audi, sed audi et vide: prius audi, postea vide. Audis primo quod non vides, videbis postea quod audisti. Populus, inquit, quem non cognovi, servivit mihi, in obauditu auris obaudivit mihi, Isaiæ 55. Si in obauditu auris obaudivit, ergo non vidit. Et ubi est, quibus non est nuntiatum de eo, videbunt: et qui non audierunt, intelligent? Ad quos non missi sunt prophetæ, ipsi primo audierunt et intellexerunt prophetas. Illi qui primo non audierunt, postea audientes admirati sunt. Remanserunt illi ad quos missi sunt, codices ferentes, veritatem non intelligentes, testamenti tabulas habentes, et hæreditatem non tenentes. Sed nos sicut audivimus, ita et vidimus. In civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri. Ibi audivimus, ibi et vidimus. Extra illam qui est, nec audit, nec videt: in illa qui est, nec surdus, nec cæcus est. Sicut adivimus, ita et vidimus. Et ubi audis? ubi vides? In civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri.*

5. Et optime. Quinto denique, et convenientissime, Sancti cum Christo in cælum ascendentes, qui hactenus locuti sunt in hoc psalmo, etiam hic et usque ad finem psalmi loquuntur, et dicunt: *Sicut audivimus*, etc. S. Ambr. *Audivimus*, ait, *extra civitatem, vidimus in civitate, cui Deus est lumen æternum. Fulget enim dies sine sole mundano, luna non quæritur: fundamentum eius non temporale, sed æternum est.* Prius, ait Lorinus, audire iubemur, quam videre Ps. 44. 11. et nisi credamus, negatur nobis intelligentia, Isaiæ 7. secundum Septuaginta quærere oportet, priusquam inveniamus, Matth. 7. v. 7. et vitam æternam consequamur, quæ est ut Deum cognoscamus et Christum, ut S. Aug. notat lib. 2. de libero arbitrio, cap. 2. si scire vis ubi sponsus pascat, cubetque in meridie: id est in clara luce, murenulis aureis vermiculatis argento in auribus, Cant. 1. 11. nimirum fide opus est, quæ est ex auditu, Rom. 10. 17. ut scribit S. Bernard. serm. 41. in Cant. addens de sponsa iussa prius audire, postea videre: item verba Iob cap. 42. 5. *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te;* at David Psalm. 50. 10. *Auditui meo dabis gaudium et lætitiam.* Ad hæc in Cantic. 2. 8. ante illa, *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles*: quibus nempe verbis ostenditur sponsus, præcedit, *vox dilecti mei*, cui videlicet prius credatur, quemadmodum advertit S. Bern. serm. 53. in Cantica, post Origenem et S. Gregor. Nyssen. Sed adiicit Bernardus, *fide mundari corda*, Act. 15. 9. seu purificari, ut scilicet videant Deum, et in Pentecoste antea sonum vehementem auditum, quam visæ fuerunt igneæ linguæ, Act. 2. 3. Denique sicut Deus

A multifariam præloculus multisque modis in prophetis novissime locutus est in Filio, Hebr. 1. 2. et viam disciplinæ tradidit Iacob puero suo, post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est, Baruch 3. 38. ad eumdem modum ab hominibus audiri per fidem hic prius debuit, quam clare cognosceretur per beatificam visionem. Narrat Petrus de Harentals ex nescio quo scriptore, cum inter duos monachos convenisset, ut qui prior evolaret in cælum, superstiti renuntiaret de gaudiis illius, hoc unum dumtaxat dedisse responsum, qui prius decesserat. Sicut audivi, sic vidi in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri. B. Thomæ Aquinati Romanus qui in prælectionibus ei successerat Parisiis, cum ille quæreret ex eo post mortem apparente sibi, an in anima separata permanerent scientiæ hic acquisitæ, nec ad hoc respondisset, nisi hoc se scire quod videret Deum. Ad aliam quæstionem, utrum videret Deum sine medio aut aliqua in re interposita, hoc unum respondit, quod hisce verbis nostris continetur: *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate*
B *Domini virtutum.*

Nota, Ecclesia everti non potest, cum fundata sit in æternum. S. Aug. hic: *Si*, ait, *civitatem hanc Deus fundavit in æternum, quid times ne cadat firmamentum?* Vocat Ecclesiam firmamentum, hoc est cælum stelligerum: nam si fideles singuli sunt stellæ lucentes in perpetuas æternitates; et si stella differt a stella in claritate, nonne Ecclesia est cælum stelligerum? Arn. in Ps. 135. *Habet Ecclesia stellas in gradibus suis: aliter enim lucet in Episcopo, aliter in Presbytero, aliter in Diacono, et aliter in cæteris Clericis.* De Ecclesia triumphante quid dicemus? 41. Ecclesia non potest everti.

Ad civitatem Dei confluentes reges ac populi, ad templum advolant Deum adoraturi, et ei se totos oblaturi, neminem autem indonatum abire patitur: unde dicunt v. 42.
9. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio Vers. 9.
templi tui. Nota, pro *suscepimus*, Hebr. est דמינו *dimminu*, id est 1. æstimavimus, ut vertit S. Hieronymus cogitavimus, ut Pagninus; 2. expectavimus: unde trans-
C lator apud Campens. vertit: *Cum fiducia expectavimus Deus benignitatem tuam, qui versamur in medio domus regiæ tuæ.* S. Chrysost. *Quid est, suscepimus? Speravimus, expectavimus, cognovimus tuam humanitatem et clementiam. Quoniam enim dixit, fundavit, radicavit, muniit, ostendens tantam providentiam non proficisci ex meritis eorum, qui eam assequuntur, sed procedere ex bonitate eius qui illa facit, et simul volens fastum eorum comprimere, sic dixit, hoc propemodum dicens: Tuæ sunt misericordiæ hæc præclara facinora, tuæ gloriæ, tuæ bonitatis.*

Nota secundo, pro *suscepimus*, Gr. est, ὑπελάβομεν, id est, ut explicat S. Athan. contemplati sumus: ut Cyrillus, cogitavimus, constanter credidimus, quod misericordia tua ubique et omnino aderit iis, qui sunt in medio templi tui. Non enim dicimus eos, qui adhuc infideles sunt, donorum Dei participes fore, sed eos qui iam crediderunt, veteribus enim dictum est, Aggæi 2. 6. *Spiritus meus stetit in medio vestrum, confidite*: et superius quoque dixit: *Deus in medio eius non commovebitur*: ita Cyrill. Secun-
D do, Theodoretus vocem ὑπελάβομεν explicat, accepimus. Et vox Latina id magis significat. Tertio, Hebr. Græc. et Latinas dictiones simul iungemus, si dixerimus sensum esse, q. d. Cum cognitione, æstimatione, meditatione, veneratione accepimus misericordiam tuam in medio templi tui.

Nota tertio, pro *templi tui*, S. August. et Biblia Complutensia et regia, Psalt. Arab. et Æthiop. habent, *populi tui.* S. Ambros. *plebis tuæ.* Legerant scilicet λαοῦ, id est, populi, pro ναοῦ, id est, templi. 43.

Quæres, quænam hic misericordia intelligitur? Respondet S. Ambrosius intelligi gratiam incarnationis, quæ facta est in medio templi Dei, id est, in Christi corpore, quod est Verbi templum omni alio augustius et venerabilius. Sic autem loquitur: *Si ad filium Dei dicitur, templum, ita intelligimus secundum quod ipse de corpore suo dixit, Ioan. 2. Solvite templum hoc, et in triduo resusci-* Quænam Dei misericordia in medio templi est suscepta. 1.

tabo illud. Vere templum Dei corpus est Christi, in quo est nostrorum purificatio peccatorum. Vere templum Dei caro illa, in qua nullum peccati potuit esse contagium, sed ipsa pro delicto mundi totius fuit sacrificium. Vere templum Dei caro illa, in qua Dei imago fulgebat, et corporaliter plenitudo divinitatis habitabat: quoniam ipse Christus est plenitudo. Ergo ad ipsum dicitur, Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Quod quid est, nisi quod ait: Medius vestrum stat, quem vos nescitis. Hoc est, in medio vestri est, et non videtur. Si autem ad patrem refertur, quid est in medio templi tui, nisi quia Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi? In illo ergo templo suscepimus, inquit, misericordiam tuam: hoc est, Verbum quod caro factum est, et habitavit in nobis. Sicut enim redemptio Christus, ita et misericordia. Quæ autem maior misericordia, quam quod pro nostris flagitiis se præbuit immolandum, ut sanguine suo mundum lavaret, cuius peccatum nullo alio modo potuisset aboleri. Etenim si de sanctis viris Apostolus dixit 1. *Cor.* 6. *Templum Dei vos estis, et Spiritus sanctus habitat in vobis: quanto magis carnem Domini Iesu templum Dei dixerim, qui semper plenus Spiritu sancto legitur, et ipsi testificatur, dicens: Sentio de me virtutem exisse, quæ virtus omnium vulnera acerba sanabat.*

II. Secundo, misericordia Dei in medio templi suscepta, est Ecclesiæ stabilitas, et alia bona innumerabilia quæ in ea videmus: ita S. Ambros. et Bellarm.

III. Tertio, misericordia Dei in medio templi suscepta, sunt sacramenta et præsertim Eucharistia, quæ templorum in medio, velut arbor vitæ in medio paradisi, vitales fructus profundit, mortemque amolitur. Hebræi Doctores in Pirke-avoth, id est, in sententiis Patrum, cap. 5. asserunt, nec serpentes, nec scorpiones unquam nocuisse in Ierusalem: id verum nec ne sit, alii viderint: hoc unum ausim asserere, eum qui in Ecclesia Dei misericordiam hanc pie frequenterque mentis sinu susceperit, miseriam a se flagitiorum omnem amoliturum, neque stygiorum serpentum veneno periturum. Id polliceri videtur Ezech. 37. 26. Deus ipse, cum ait: *Et percutiam illis fœdus pacis, pactum sempiternum erit eis: et fundabo, et multiplicabo, et dabo sanctificationem meam* (sanctum Eucharistiæ Sacramentum, ait Pintus) *in medio eorum in perpetuum, et erit tabernaculum meum in eis, et ero eis Deus, et ipsi erunt mihi populus.* Fontem huius divinæ misericordiæ agnoverunt Æthiopes, quorum in liturgia sacerdos eum attollit Eucharistiam, ter inclamat: *Domine Iesu Christe, miserere nostri.* Et populus ter eadem verba iterat. Deinde ait sacerdos: *Surgite ad adorandum;* moxque subiicit: *Hoc est corpus sanctum honoratum, et vitale Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi, quod datum est in remissionem peccatorum, et ad vitam æternam consequendam vere sumentibus ipsum. Amen. Hic est sanguis Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi, sanctus, honoratus et vivificans, qui datus est in remissionem peccatorum, et ad vitam æternam consequendam vere sumentibus ipsum. Amen. Vere hoc est corpus, et hic est sanguis Emmanuel Domini nostri, Amen. Credo, credo, credo ex nunc et usque in sæculum, Amen.* Rabbini ipsi hanc misericordiæ abyssum agnovere. R. Moses Hadarsan in illud Ps. 135. *Qui dat escam omni carni*, docet in Sacramento Eucharistiæ videri bonitatem Dei. Amplius, ait, dictum est verbum notum, *Qui dat escam omni carni:* hoc est, quod dictum est Ps. 33. *Gustate et videte,* quia bonus est Deus: quia panis, quem dat omnibus, ipse est caro eius, et qui gustatur panis, convertitur in carnem: et hoc est quod dictum est: *et videte, quoniam bonus est Deus*, et hoc erit mirabile magnum: ita ille. De ea re, R. Chana habet plurima in cap. 46. Gen. Vide dicta a me in Ps. 21. et Ps. 22. et lege Concion. 1. S. August. in Ps. 33.

IV. Quarto denique, et optime, sancti in cælos eum Christo ascendentes qui hic loquuntur, exultant quod in medio templi, id est, cæli, receperint misericordiam consummatam, id est, visionem Dei ipsius et felicitatem securam et æternam. Ideo autem dicitur suscepta in medio, ut indicetur plena et perfecta possessio, a qua non sint deiiciendi. Qui in extremitate est, facile e loco quem occupavit eiicitur: sed qui ad media penetravit, ostendit se perfecte eum tenere et possidere, nec sine summa difficultate posse inde dimoveri.

Tropol. Iacobus a Vitriaco Cardinalis, et Episcopus Tusculanus, qui multa præclaro gessit in Oriente et Occidente pro Ecclesia, et obiit an. 1240. serm. 1. in Dom. 8. post Pentec. ait, suscipi misericordiam in ostio templi ab incipientibus; 2. in medio, a proficientibus; 3. in sacrario, quod Sancta sanctorum dicitur, a perfectis; 4. in altari holocausti, per carnis macerationem; 5. in altari thymiamatis, per devotionem. Lege alia apud ipsum. Tropol.

Accommodatitie S. Bern. serm. 1. de Purificatione hoc applicat Simeoni in Purificatione Virginis suscipienti ulnis Christum in templo. Verba eius sunt: *In plateis derivantur aquæ, et alienus non bibit ex eis, et misericordia in medio templi est, nec tamen accedunt quos manet æterna damnatio. Medius vestrum stat, o miseri, quem vos nescitis, et morientes, antequam videritis Christum Domini, non in pace dimittamini, sed potius rapiamini a rugientibus præparatis ad escam. Suscepimus Deus misericordiam in medio templi tui. Longe est hæc gratiarum actio a voce illa gementis: Domine in cælo misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes. Quid enim? Videturne tibi in medio fuisse misericordia, cum apud solos cæligenas spiritus haberetur? At ubi sane minoratus est Christus, paulo minus ab angelis, factusque est Dei et hominum mediator, ac velut lapis angularis pacificavit per sanguinem suum, quæ in cælis sunt et quæ super terram: ex hoc plane iam suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui. Eramus enim et nos natura filii iræ, sed consecuti sumus misericordiam. Cuius ira filii? et quam misericordiam consecuti? nempe filii ignorantiæ, ignaviæ, captivitatis: et consecuti sumus sapientiam, virtutem, redemptionem.* 44. Accommodatitie Simeon ulnis suscepit misericordiam Dei, id est Christum.

Non tantum misericors est Deus, sed etiam iustus, v. 10. SECUNDUM NOMEN TUUM, DEUS, SIC ET LAUS TUA IN FINES TERRÆ: IUSTITIA PLENA EST DEXTERA TUA. In cælo enim reddit unicuique secundum opera sua, et quidem abundanter: ideo iustitia plena est dextera eius. Est iustus Iudex, sicut misericors Pater, felicitatis æternæ, misericordia est si includas primam gratiam et finalem perseverentiam; iustitia est, si spectes merita operariorum; iis enim merces est. Quæres, quod Dei nomen hic intelligatur? Primo, *nomen* potest accipi pro fama, q. d. Dignus es ea laude per totum orbem, quæ respondeat mirabilibus quæ de te audivimus: videmus te in distribuendis electorum præmiis esse iustissimum. Secundo, *nomen* Christus, Hugo accipit, quod significat unctum, huic laus Dei respondet, quia iucundum et suave est Deum laudare. Propter hoc dicit Ps. 118. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo*. Et alibi Ps. 134. *Laudate Dominum, quoniam bonus.* Sed hanc bonitatem et dulcedinem non sentit palatum corruptum, cui sapiunt temporalia: ita Hugo. Tertio denique, *nomen* Iesus hic accipiendum est: significat enim Salvatorem. Laudant autem Christum sancti secundum salutem sibi datam. 45. Vers. 10. Nomen Dei quale hic intelligitur?

Hæc Dei laus mentem et os implet gaudio, v. 11. LÆTETUR MONS SION, ET EXULTENT FILIÆ IUDÆ PROPTER IUDICIA TUA DOMINE. Quæres primo, quis mons Sion et filiæ Iudæ? Per montem Sion atque filias Iudæ, ait Lorinus, intelligitur Ecclesia, quæ prodiit ex Sion, ac propagari cœpit in aliis oppidis Iudææ, sive Catholica cum particularibus Ecclesiis, ut ait Euthymius ac Nicephorus. Secundo, præcones Evangelii et auditores, ut Theodoretus: sed S. August. et Beda, atque alii magis restringunt ad iustos et electos, qui versantur velut grana inter zizania paleasque, suntque filii Iudæ, id est confessionis, nec in manifesto, sed in abscondito Iudæi gloriantes de circumcisione non carnis sed cordis, Rom. 2. 28. 29. Tertio, Ruffinus, Haymo, Beda, Bruno, Hugo, Aiguanus populum Iudæum volunt monte Sion designari: filiabus Iudæ gen- 46. Vers. 11. Mons Sion est Ecclesia.

tilem: quia videlicet salus ex Sion sive Ierusalem prodiit, sicut ex metropoli et regni capite. Quarto, Cassiodorus in Sion Ecclesiam totam in speculatione agentem attendit: in filiabus Iudæ, sexum fœmininum, quem Hugo ad monachos et moniales accommodat. Quinto, Eusebius et S. Ambrosius in Sion Christum ipsum, in quo fundata est Ecclesia, et in quem ascendere iubetur Evangelizator, Isaiæ 40. 9. et confidere, Ps. 131. 18. *Benedicat tibi Dominus*, ait Ieremias, cap. 31. 23. *pulchritudo iustitiæ, mons sanctus:* alibique nomine montis Christus denotatur. Et paradisus. Sexto denique, et genuine, per montem Sion intelligitur civitas cælestis: per filias Iudæ, omnes sancti Deum laudantes: hi lætantur propter iudicia Dei.

47. Quænam Dei iudicia hic intelliguntur. Quæres secundo, quænam sunt illa Dei iudicia? Primo, S. Thomas de solis Iudæis interpretatur, accipiendo iudicia pro executione promissorum, quæ ipsis dumtaxat sunt facta: ita ut Gentes ex mera magis misericordia vocatæ censeantur, quam cecinit paulo ante David susceptam in medio templi extendisse se in fines terræ. Secundo, Remigius et Haymo accipiunt occulta iudicia, secundum quæ Iudæos reprobavit, Gentes autem elegit. Tertio, iudicia Dei in Ecclesia sunt sententiæ, quæ redduntur a sacerdotibus in Sacramento Confessionis, ubi sedent iudices. Ibi debent lætari filiæ Iudæ, id est, confitentes: ibi iustitia plena est dextera, cum sacerdos dextera pœnitentem benedicens, dicit, absolvo te. S. Clemens Papa lib. 2. Constit. Apostolicarum, cap. 13. *Tu ergo*, ait, *Episcope, sic iudica, ut Deus: Domini enim est iudicium. Itaque primum potestate fretus, reum condemna: Deinde cum misericordia, et commiseratione, et susceptione allice, promissa ei salute si mores mutet, et peccatorum pœniteat. Pœnitentem vero castigando recipe, memor Domini, cum dixit, Gaudium esse in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente.* Tertio, S. Ambrosius: Merito, inquit, exultabunt filiæ confessionis propter iudicia Domini, cum cognoverint iudicia eius, et vias eius, quæ in hoc sæculo inscrutabilia et investigabilia sunt hominibus. Et cum facie ad faciem spectare cœperint veritatem: tunc illa quæ nunc videntur inscrutabilia comprehendent, et eorum cognitione gaudebunt: ita Ambros. Quarto, S. Hieron. sic explicat, q. d. Lætetur mons Sion, Ecclesia in Christo: et exultent filiæ Iudæ, animæ Confessorum: quia Iudas confessio interpretatur, propter iudicia tua Domine, quia custodierunt ea ut pœnitentiam agerent. Quinto denique et optimo, iudicia propter quæ lætantur sancti, sunt sententia, qua dicetur illis, *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum quod vobis paratum est a constitutione mundi*, et distributio præmiorum meritorum. Psalm. 86. 7. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.*

ARTICULUS IV.

Civitatis cælestis muri, turres, propugnacula, et domus.

Munita civitate regis cura, instructa civibus, ornata rebus variis, videndum est, quos muros ac domos habeat,
Vers. 12. v. 12. Circumdate Sion, et complectimini (Arabs, circumvallate) eam: narrate in turribus eius. Quidam apud S. Chrysost. Laudate in turribus eius. S. Hieronym. et Camp. numerate turres eius.

48. Et v. 13. Ponite corda vestra in virtute (S. Hieron. in mœnibus. Pagn. ad antemurale) eius: et distribuite
Vers. 13. (S. Hieron. separate. Pagn. roborate. Felix, exaltate) domos eius (S. Hieron. et Pagninus, palatia eius. Felix, turres eius) ut enarretis in progenie altera. S. Hieron. et Felix, in generatione novissima.

Quid porro enarrandum? subditur v. 14. Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, et in sæculum sæculi, ipse reget nos in sæcula. Arabs, ipse pascet nos in omnia sæcula. Legerant Septuaginta עלמות *olamoth*, unde verterunt, in sæcula: nunc legitur עלמות *almuth*, id est, primo, usque ad mortem, ut vertit Pagn. in morte, ut S. Hier. super mortem, ut Arias. Nullum scilicet erit tempus, in quo Deus peculiari cura suos servos non protegat. Egregie hoc loco S. Aug. *Si Deus noster est et Rex noster est, protegit nos, quia Deus est, ne moriamur; regit nos, quia Rex est, ne cadamus. Regendo autem nos non frangit nos. Nam quos non regit, frangit. Ps. 2. Reges eos in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringes eos. Ab illo ergo optemus regi et liberari: quia hic est Deus noster in æternum.*

Si de Ecclesia militante Psalmum explices, dic cum Bellarmino, quod David hortatur ad ædificationem et munitionem sanctæ civitatis, de qua dixerat, *Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, civitas Regis magni.* Hæc enim civitas non est similis materiali civitati, quæ simul fundatur et ædificatur. Sed usque ad finem mundi fundanda, et ædificanda, et munienda est, ex lapidibus vivis, qui quotidie inserendi sunt, donec civitas perfecta in die novissimo dedicetur. Sic enim Apostolus loquitur ad Eph. 2. *In quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto.* Et cap. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.* Et S. Petrus in epist. 1. cap. 2. *Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum, et honorificatum, et ipsi tamquam lapides vivi superædificamini domus spirituales.* Ait igitur, *Circumdate Sion, et complectimini eam*, id est, muris cingite sanctam civitatem, ubi forte desunt. *Narrate in turribus eius*, id est, ex edito loco publice prædicate: nam prædicatio Evangelii est instrumentum, quo civitas fundatur et ædificatur. *Ponite corda vestra in virtute eius*, id est, serio cogitate de munitione et robore civitatis, ne pateat hostium incursibus: *et distribuite domos eius*, id est, post fundata et ædificata mœnia, fundentur et ædificentur domus: et quoniam ad hoc opus multi requiruntur, distribuite variis operariis partes suas, ut domos ædificent, et sic civitas paulatim repleatur et crescat: et sic fiet, *ut enarretis in progenie altera*, id est, ut per vos multiplicato populo Dei, ad posteros transmittatis notitiam Dei: ita Bellarm.

Si de Ecclesia triumphante Psalmum exponas, verba ut sonant, sunt accipienda, q. d. Circumdate obambulando Sion istam cælestem, et complectimini eam hoc sacro circulo et multitudine: in singulis turribus publice ac palam narrate quanta Deus vobis fecerit, quam sit mirabilis in operibus suis, et præsertim in ædificatione et ornatu huius civitatis. Ponite corda vestra in virtute ac propugnaculis eius, illa admirando et in iis complacendo, quod videatis vos ita securos esse: inter vos dividite domos pro ratione meritorum vestrorum, ut enarretis tanta vobis collata bona, et Dei magnalia in generatione altera, quæ quotidie ad hanc civitatem ex terris confluet. Hoc autem illis dicite, quod hic est Deus noster in æternum, qui per totam æternitatem nos reget, ideoque futuram felicitatem nostram æternam fore.

Nota, muri necessarii sunt ad tutandas urbes. Aristot. 49.
lib. 7. polit. ait, murum esse civitatis, *ασφαλεστατην ερυμνοτατα*, munitionem firmissimam; 2. muri inserviunt ad ornatum. Eam solam ob causam erunt muri in Sion cælesti: nec muri tantum, sed etiam ornamenta murorum, id est turres et propugnacula. Muri sunt necessarii ad tutandas urbes. Dices, S. Ioannes facit tantum mentionem muri. Resp. alia sub hac appellatione contineri: sunt enim veluti eius appendices. Adverte porro tantam esse illius amplitudinem, ut nihil sit his in terris, quod illi iure comparetur. Mirantur quidem Ægyptii urbem solis (Thebas vocant Græci) a rege suo Busiride conditam tantæ amplitudinis fuisse, ut illius mœnia centum quadraginta stadia sint complexa; 2. Memphim ab Uchoreo rege ædificatam amplexu suo stadia centum et quinquaginta continuisse; 3. Babylonii prædicant metropolim suam a Semiramide cinctam muro, qui trecenta et sexaginta stadia sinu suo contineret; 4. Assyrii Ninivem suam venditant opus Nini singulare ambitu stadiorum quadrin-

gentorum; 5. Romani gloriantur Romæ suæ pomœrium, Vespasiano Imperante fuisse tredecim mille passuum et ducentorum, septem intra se inclusis collibus. Aurelianum vero Imper. ita muros urbis ampliasse, ut quinquaginta propemodum millia passuum comprehenderet; 6. Græci dicunt tantum esse Constantinopolis suæ ambitum, ut nemo eum designare ausus fuerit, sed angelus prædux Constantinum ad eum delineandum incitarit; 7. Sinæ totum regnum suum muro quadringentarum circiter leucarum ubi montes deficiunt, vallarunt. Sed hæc parva, vilia, et lutea sunt, neque ullo in pretio habenda, si cum muro Sionis cælestis conferautur, de quo Ioannes Apoc. 21. 12. ait: *Habebat murum magnum et altum.*

50. Muri civitatum sunt viri fortes.

Nota secundo, muri civitatum sunt leges, et ipsi cives. Hippocrates docet, non turres aut mœnia protegere civitatem, αλλα σοφων ανδρων σοφας γνωμας, sed sapientium virorum prudentia consilia. Unde S. Ambr. in Ps. 61. vocat Gratianum Imp. validum murum circumfusi toto orbe Romani imperii. Et Ferrandus reg. 7. Dux, ait, amabilis murus est patriæ. Orig. illud Thren. 2. 18. *Clamavit cor meum ad Dominum super muros filiæ Sion*, exponens sic ait: Murus hic est rex et princeps, et quicumque potentes civitatem murorum instar, muniebant: quos hortatur ut iuges pœnitentiæ lacrymas fundant: ita Origenes. De Ecclesia ait S. Ambros. in Ps. 118. *Habet Ecclesia muros suos.* Quinam illi muri sint explicat idem sanctus Doctor lib. de apol. David cap. 17. *Muri Ierusalem*, inquit, *fidei propugnacula, disputationum munimenta, virtutum culmina sunt. Muri Ierusalem Ecclesiarum conventus sunt toto orbe fundati. Ecclesia enim dicit Cant.* 8. *Ego murus, et ubera mea turris. Et bene muri Ierusalem Ecclesiarum conventicula, quoniam quisquis bona fide atque opere ingreditur Ecclesiam, fit supernæ illius civis et incola civitatis, quæ descendit de cælo.* Lapides nos omnes esse illius muri testatur Paulus Eph. 2. 22. *In quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto.* Et cap. 4. 11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.* 1. Petr. 2. 4. Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum et honorificatum, et ipsi tamquam lapides vivi superædificamini domus spirituales.

51. Ecclesiæ muri sunt viri sanctitate eximii.

Præcipui autem Ecclesiæ muri, sunt viri sanctitate et doctrina eminentes. Bellarminus: Muri civitatis, inquit, dicuntur viri perfecti, qui reliquum populum defendunt ab inimicis. Sic Isaiæ 60. 18. ubi habetur, *Et occupabit salus muros tuos*, Oleaster vertit, et vocabis salutem muros tuos: et de Prælatis exponit S. Ambr. lib. 7. ep. 59. S. Acholii Episcopi mortem deplorans ait: *Itane raptus est nobis murus fidei, gratiæ, et sanctitatis, quem totis ingruentibus Gothorum catervis, nequaquam tamen potuerunt barbarica penetrare tela, expugnare multarum gentium furor? Denique in cæteris populatores locis, illic pacem rogabant: mirantibusque quid sibi sine milite ullo obsisteret, a prudentioribus intimabatur Elisæi intus imitatorem degere, ætate supparem, non imparem spiritu: caverent ne exemplo Syriaci agminis sibi quoque cæcitas offunderetur.* Et lib. 1. de Abraham, ubi sanctissimi Patriarchæ et angelorum de eversione Sodomæ dissertationes exposuit, subiicit: *Unde discimus quantus murus sit patriæ vir iustus: quemadmodum non debeamus invidere sanctis, nec temere derogare. Illorum etenim nos fides servat, illorum iustitia ab excidio defendit. Sodoma quoque, si habuisset viros decem iustos, potuit non perire. Ieremiam Prophetam S. Chrysost. de prophet. obscurit. appellat*, αρραγες και αχαταμαχετον τειχος, invictum et inexpugnabilem murum. Et libello de comparatione regis et monachi docet, *Monachos*, πολεις τειχιζειν ταις ευχαις, *urbes precibus suis, velut muro cingere.*

52. Et præsertim Prælati.

De Prælatis hoc longe potiori iure existimandum est cum Dionysio Carth. hic et Oleastro in Isaiam, ubi locum illum cap. 60. 18. *Occupabit salus muros tuos*, de Prælatis exponit, ut mox dixi. Hugo Card. hic, Sion est Ecclesia, inquit, quam Prælati debent circumdare, solliciti de custodia eius, et complecti per zelum et amorem animarum. Et Dionysius Carth. Sion, ait, hoc est, Ecclesiam Christi, verbo et opere defensate, nullum scandalizantes, pervertentes, aut opprimentes: sed fidem atque fideles totis viribus protegentes, confirmantes ac venerantes, ut nobis conveniat, quod Habacuc ait, cap. 2. *Super custodiam meam stabo, et figam gradum meum super munitionem, et contemplabor.* Hoc modo circumdedit Sion sacratissimus Isaias, qui ait cap. 21. *Super speculam Domini ego sum, stans iugiter per diem, et super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus.* Hoc ad Prælatos Ecclesiæ potissimum pertinet: ita Dionysius.

53. Muri arcis Persepolis.

In muris Ecclesiæ alii aliis sunt altiores, pro sanctitatis et eruditionis gradu. Hoc commodissime explicari potest per muros arcis Persepolis, quæ triplici muro cingebatur, quorum primus structuris sumptuosissimis eductus erat, et altitudinem habebat sexdecim cubitorum, propugnaculis suis exornatus. Secundus cæteris quidem operibus primo similis, sed bis tanto altior existit. Tertius formam habet quadratam, ad sexaginta cubitorum altitudinem exurgit, ex lapide durissimo, και προς διαμονην αιωνιαν ευ πεφυκοτι κατεσκευασμενον, et ad durationem perpetuam accommode coagmentatus. In uno quoque latere æneæ sunt portæ, et ænei iuxta valli viginti cubitorum, quorum hi ad terrorem aspectu iniiciendum, illæ ad firmiorem loci munitionem constructæ erant. Ecclesiæ muri paulatim virtutibus et doctrina crescunt. Potest id quoque explicari per muros Ecbatanæ civitatis, de quibus Herodot. lib. 1. sic ait: Deioces imperio potitus Medos compulit unum oppidum condere, in quo murus unus alteri confinis erat: sic nimirum constitutis mœnibus, ωστε ο ετερος του ετερου κυκλος τοισι προμαχεωσι μουνοισι εστι υψηλοτερος, ut ambitus singuli alteris gradatim essent sublimiores, solisque pinnis prominerent. Adiuvabat hoc loci commoditas, ut qui collis instar esset elevatus. Sed accessit etiam malus quidam data opera factum: siquidem ambitus isti numero erant septem contigui, in quorum postremo regia est et thesauri. Primi quidem ambitus pinnæ colore sunt albicanti, secundi nigro, tertii purpureo, quarti cæsio, quinti sandaracino, postremi vero duo, alter argentatas, alter inauratas habet pinnas. Vide d' Aurty de arce Corcyræ.

Et Ecbatanæ urbis mirabiles.

54. Ecclesiæ turres sunt:

Quæres, quænam sunt Ecclesiæ turres? Primo, Caietanus in Psal. nostr. ait, turres esse divina nomina et notitias, atque præsertim articulos fidei pronuntiatos ab Apostolis in symbolo. 1. Secundo, Nicephorus, turres, ait, et domus Ecclesiæ particularia templa, in quibus præcipit Spiritus sanctus, ut Apostoli sermones habeant de Christi virtutibus. 2. Tertio, Theodoretus, turres ait esse quosvis summarum virtutum laude præstantes, et angelorum vitam in terris imitantes, qui Ecclesiam præcingant, custodiantque tamquam turres et propugnacula. 3. Clemens Alexand. lib. 7. Strom. cap. 8. ait, eos qui verbum alto susceperint, futuros altos ut turres, et firmiter ac stabiliter statutos in fide et cognitione. Quarto, turres Ecclesiæ sunt Prælati eius ac principes: ita S. Hieron. Turres, ait, sunt principes Ecclesiæ: quia turris fortis est, et undique speculatur. 4. Sic et sancti et fortes et speculatores debent esse in gente humana.

5. Apostoli sunt Ecclesiæ turres resonantes.

Quinto, et optime, turres resonantes Ecclesiæ sunt Apostoli et Apostolici viri, quorum sonus exit in orbem terrarum: ita Hugo Card. Narrate, inquit, sed existentes in turribus eius: id est, firmi in fide et doctrina Apostolorum, qui sunt præcipue turres Ecclesiæ. Et dicuntur turres triplici de causa. Per turrem enim munimur in civitatibus, hostes venientes prævidemus, et de illis extrinsecis loquimur. Ita Apostoli muniunt, promovent, et aliis prædicant: ita Hugo. Turres quoque ob cavitatem resonant. Memorabile est quod de echo septemplici refert Dio de septem turribus Byzantii. Sic enim ille in Severo testatur, quod si quis ad primam inclamaret aut lapidem iaceret, exceptum sonum reddebat, ac mox sequens, donec

Echo septuplex turrium.

ad extremam vox perferretur. In quibus illud erat notabile, quod ουκ επεταραττον αλληλους, αλλ' εν τω μερει παντες, non se mutuo perturbabant, sed sigillatim et per partes respondebant: si quis vero præter seriem impulisset, vox nulla reddebatur. Hoc in emblemate veram possis fidem et hæreses considerare: in Ecclesia enim vera et Catholica, Apostolorum, qui fuerunt altissimæ turres, sonus adhuc auditur: cum vero hæretici a se ipsis sonum inauditum incipere voluerint, omnia apud eos sunt absona.

Sponsa, id est, Ecclesia, turres se habere dicit Cant. 8. 10. *Ego murus, et ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* Chald. vertit, Respondebit cœtus Israel, et dicet: Ego fortis sum in verbis legis, sicut murus: et filii mei robusti, sicut turres. Et illo tempore cœtus Israel inveniet misericordiam in oculis Domini sui, et salutabunt eam omnes habitatores terræ. S. Gregor. locum hunc Cantici de concionatoribus exponit: *Ubera sua, inquit, sicut turrim habuit Ecclesia, ex quo pacem coram sponso reperit: quia postquam sub ipso spiritum pacis recepit, prædicatores contemplatione altos, et robore inflexibiles nutrivit.* Cassiodorus item dicit Doctores et Concionatores esse ubera et turres, quod alios doctrinæ lacte enutrire possint, atque vice turrium defendere, et quia doctrinæ et sanctæ conversationis merito super fideles reliquos ita eminent, sicut turres super murum. Ghislerius in Cantica, id explicat de Apostolis, qui concionatorum omnium fuere Doctores. Apostoli, ait, charitatis igne succensi, ut ubera lac fundere cœperunt doctrinæ et eruditionis: atque ut ubera dilectionis et charitatis quasdam sese exhibuerunt in turres, e quibus ignea mitterentur iacula charitatis. S. Chrysostom. hom. 2. de Prophet. obscurit. vocat Apostolos πυργους εκκλησιας, turres Ecclesiæ. Diodor. Sicul. lib. 2. Biblioth. dicit, Niniven habuisse πυργους χιλιους και πεντακοσιους, mille et quingentas turres: mœnia centeaum pedum altitudine: amplitudine autem tanta, ut murorum fastigia ternis plaustris essent pervia. R. Beniamin in Itinerario dicit, Pisas in domibus suis fere decem mille turres numerasse ad pugnandum aptas et instructas, si quando dissidium aut necessitas existeret. Sed quid hæc sunt, si cum Ecclesiæ turribus conferas, cum in uno S. Benedicti Ordine ad Doctorum quindecim millia censeantur, ut memini me legere? Quid si addas sanctitate eminentes viros? Theodoretus lib. 4. histor. cap. 17. ait, sæviente in Ecclesiam Valente Imper. Arriano, fuisse quosdam viros, qui οιον τινες πυργοι τον της πιστεως περιβολον ακλινεις διετηρησαν, perinde ac turres quædam fidei murum firmum tenuere.

55. Quæres secundo, quænam sunt Ecclesiæ propugnacula? Nota, pro, in virtute eius, Hebr. est, לחילה *lechela*, id est, in exercitibus eius, ut habet Nebiensis; 2. in mœnibus, ut S. Hieron. ad murum, ut Felix; 3. Symmachus reddit, εις περιβολον αυτης, id est, in peribolum eius, in ambitum, loricam, septum, coronam, ambitum mœnianum, pinnam, id quod in muro eminet, atque impedit ne quis labatur. Secundo, περιβολος sumitur pro totis mœnibus et propugnaculis, sic est synecdoche, ubi pars pro toto sumitur. Nota secundo, per *virtutem* S. Thomas intelligit Spiritum sanctum; 2. S. Cyrillus, Christum; 3. Cassiodorus, charitatem; 4. Didymus, evangelicam doctrinam; 5. Arnobius, potentiam Ecclesiæ. His positis

56. *Doctores sunt Ecclesiæ propugnacula.* Ad quæsitum respondeo, propugnacula Ecclesiæ sunt Doctores. S. Gregorius Nazianz. orat. 20. vocat S. Basilium Episc. τειχος και οχυρωμα, murum et vallum. Sic Periclem dicebant Athenienses esse πολεως ερυμα, civitatis propugnaculum. Doctores in propugnacula promittit Deus Ecclesiæ afflictæ. Isa. 54. 11 *Paupercula, tempestate convulsa, absque ulla consolatione. Ecce ego sternam per ordinem* (Rabbini, in carbunculo) *lapides tuos, et fundabo te in sapphiris, et ponam iaspidem* (Vatablus, crystallum: Symmachus, carchedonium: Forerius, gagatem) *propugnacula tua, et portas tuas in lapides sculptos, et omnes terminos in lapides desiderabiles. Universos filios tuos doctos a Domino.* S. Hieron. in eum locum sic ait: Carbunculus qui paratur, sive per ordinem sternitur, videtur mihi ignitus sermo doctrinæ: qui fugato errore tenebrarum, illuminat corda credentium. Hic est, quem unus de Seraphim tulit forcipe comprehensum, ad Isaiæ labia purganda. Porro sapphirus, qui ponitur in fundamentis, cæli habet similitudinem et superioris aeris, qui talis est, ut possit Aristophanicum dicere cum Socrate: αεροβατω και περιφρονω τον ηλιον, id est, scando aerem, solemque despicio. Sive cum Paulo Apostolo: *Nostra autem conversatio in cælis est.* Ezechielis quoque Scriptura commemorat, quod locus in quo thronus Dei sit, sapphiri habeat similitudinem, et gloria Domini in hoc colore consistat, qui portat imaginem supercælestis. *Sed et propugnacula urbis Dominicæ, hoc est, murorum mœnia iaspide roborantur, qui possunt omnem altitudinem elevantem se contra scientiam Dei destruere atque convincere, et mendacium subiicere veritati. Qui ergo in disputando fortissimus est, et sanctarum Scripturarum testimoniis roboratus, iste propugnaculum Ecclesiæ est.* Addit deinde, varias esse species iaspidis, iisque denotari varias species gratiarum in Ecclesiæ Doctoribus. Verba eius sunt: Iaspidum multa sunt genera: alius enim est smaragdi habens similitudinem, qui reperitur in fontibus Thermodoontis fluminis, et vocatur Grammatias, quo omnia phantasmata fugari autumant. Alius viridior mari, et tinctus quasi floribus: hunc in Phrygiæ monte Ida, et in profundissimis specubus eius nasci referunt, etc. Est et alius iaspis nivi et spumæ marinorum fluctuum similis, et clementer quasi misto cruore subrutilans. Hoc diximus, *ut universas gratias spirituales in Ecclesiæ propugnaculis cognoscamus:* quas qui habuerit, vanos timores fugat, et potest cum sponsa dicere: *Fratruelis meus candidus et rubicundus:* ita Hier. Vox Hebr. שמשת *scimsciot*, quam Hieron. vertit propugnacula, R. David, Pagn. et Arias vertunt, fenestras tuas. Deducitur a Rad. שמש *scemes*, id est sol. *Scimsciot* itaque recte verteris, solaria. Propugnacula Ecclesiæ, id est, Doctores, debent esse plena lucis et solis, sint oportet ita fulgentia, ut sint quædam parelia, lucem sibi a Christo vero sole in oratione datam ad alios reflectentia, sint velut fenestræ lucem sibi non retinentia, sed cum charitate aliis communicantia. *Et quidem plena lucis.*

57. *Ecclesiæ domus quæ?* Quæres tertio, quænam sunt Ecclesiæ domus? Primo Remig. et Dionysius Carth. interpretantur de singulorum mentibus, quæ variis gratiis ornantur. Remigii verba sunt: Distribuite domos eius, id est, discernite quæ domus sit munda, et quæ non: vel distribuite domos eius, I. considerantes cui data sint genera linguarum, cui interpretatio sermonum, et cætera, et ex unoquoque quod nobis utile est, quæratis ad imitandum et sciendum: ita illa. Dionysius vero Carthusianus sic ait: Distribuite domos eius, id est, ipsos Ecclesiæ filios ordinate, et unicuique proprium officium depatate: quatenus sicut ait Apostolus 1. Corinth. 14. *Omnia decenter et secundum ordinem fiant in vobis. Sic unusquisque digne ambulet ea vocatione, qua vocatus est.* Unde Moses ait Deuteron. 19. *Non transferes terminos, quos fixerunt priores in possessione sua.* Huic expositioni faveat qui pro *domos* vertunt *gradus.* Bruno explicat de gradibus ecclesiastici ordinis.

Secundo, S. August. domos Ecclesiæ interpretatur Iudæos et Gentiles. Distribuite, ait, domos eius. Domos illas duas, unam ex circumcisione, alteram ex præputio venientem Apostolis dictum est ut distribuerent. Cum enim vocatus esset Saulus, et factus Apostolus Paulus, conveniens in unitatem Coapostolorum suorum, sic cum eis habuit placitum, ut illi irent in circumcisionem, iste in præputium. Ista dispensatione Apostolatus sui distribuerunt domos civitatis magni Regis: et concordantes in angulo, *Evangelium dispensatione diviserunt, charitate iunxerunt:* ita Augustinus. Paulus enim fuit Apostolus Gentium, et Petrus Iudæorum, ea tamen ratione, ut nec Paulus Iudæos, nec Petrus negligeret Gentiles. II.

Tertio, domos Ecclesiæ esse Apostolos et Evangelistas dicit Cyrillus. III.

IV. Quarto, Lidanus melius vult domos Ecclesiæ esse particulares Ecclesias per totum orbem diffusas, hæ enim simul iunctæ efficiunt Ecclesiam Catholicam, quæ est civitas Dei, ex his omnibus domibus conflata.

V. Et optime. Quinto, et optime, S. Ambrosius de Ecclesia triumphante, et domibus Beatorum in cælo locum hunc exponit: *Distribuite domos eius*, βαρεις dicit Græcus, hodieque excelsas et turritas domos. Unde Propheta cum de civitate Dei et inhabitantibus eam loqueretur, distribuite, inquit, gradus eius, hoc est mansiones eius altas atque sublimes in cælestibus. Quo docet ordinem servandum esse meritorum. Unusquisque enim in suo ordine. Unde et Dominus ire et præparare se dicit discipulis mansiones, ut pro suorum ratione meritorum digna unusquisque habitacula consequatur, in quibus requiem illam carpat æternam.

Tropol. In præceptis Dei est habitandum. Tropol. S. Ambros. domos Ecclesiæ ait esse præcepta Dei, in quibus debeant fideles omnes morari et quiescere: debere autem ista distribui a Doctoribus pro captu singulorum. Sunt, inquit, sublimia et alta præcepta, in quibus A sunt occulta pietatis mysteria, et theoremata sermonum cælestium. Hæc, inquit, distribuite, et pro captu uniuscuiusque dividite, quantum possit unusquisque ingenio proprio comprehendere. Neque enim omnibus Paulus eadem disputabat. Aliis nihil prædicabat nisi Christum Iesum, et hunc crucifixum, non in persuasione sapientiæ verbi, sed in ostensione spiritus atque virtutis. Inter perfectos autem sapientiam loquebatur: quia non cupiebat universus populus percipere sapientiam in mysterio quæ abscondita est. Ideo enim eam Christus abscondit, ut eam stulti non intelligant, prudentes studiosius quærant, et enarrent in progenie altera, quæ spiritus foret virtute perfectior: quoniam generatio superior per infirmitatem fidei perfectæ sapientiæ cognoscere sacramenta non potuit. Ita Ambrosius, per generationem superiorem id est, superiorum temporum, intelligit Iudæos: per generationem perfectiorem, Gentiles. Nam lex gratiæ data est Gentibus, lex severior Iudæis, qui erant duro corde, et incircumcisis auribus. Nos partem nobis datam læti suscipiamus, corde foveamus, et opere impleamus.

PSALMUS QUADRAGESIMUS OCTAVUS.

1. In finem, filiis Core Psalmus.

2. AUDITE hæc omnes gentes: auribus percipite omnes, qui habitatis orbem:
3. Quique terrigenæ, et filii hominum: simul in unum dives et pauper.
4. Os meum loquetur sapientiam: et meditatio cordis mei prudentiam.
5. Inclinabo in parabolam aurem meam: aperiam in psalterio propositionem meam.
6. Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me:
7. Qui confidunt in virtute sua: et in multitudine divitiarum suarum gloriantur.
8. Frater non redimit, redimet homo: non dabit Deo placationem suam.
9. Et pretium redemptionis animæ suæ: et laborabit in æternum, et vivet adhuc in finem.
10. Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes: simul insipiens, et stultus peribunt.
11. Et relinquent alienis divitias suas: et sepulcra eorum domus illorum in æternum.
12. Tabernacula eorum in progenie, et progenie: vocaverunt nomina sua in terris suis.
13. Et homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis.
14. Hæc via illorum scandalum ipsis: et postea in ore suo complacebunt.
15. Sicut oves in inferno positi sunt: mors depascet eos.
Et dominabuntur eorum iusti in matutino: et auxilium eorum veterascet in inferno a gloria eorum.
16. Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me.
17. Ne timueris cum dives factus fuerit homo: et cum multiplicata fuerit gloria domus eius.
18. Quoniam cum interierit, non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria eius.
19. Quia anima eius in vita ipsius benedicetur: confitebitur tibi cum benefeceris ei.
20. Introibit usque in progenies patrum suorum: et usque in æternum non videbit lumen.
21. Homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis.

PSALMI QUADRAGESIMI OCTAVI ANALYSIS.

Christus potentiam impiorum brevem, et ruinam æternam considerans,

- Proponit ænigma, 2. ad quod
  - Auditores invitat, 2.
    - Omnes gentes etiam incognitas. 2.
    - Habitatores orbis cogniti. 2.
    - Terrigenas per sylvas vagos. 3.
    - Filios hominum urbium incolas. 3.
      - Divites. 3.
      - Pauperes. 3.
  - Attentionem excitat, 4.
    - A materia
      - Sapientiæ ac prudentiæ plena. 4.
      - Umbris tamen et obscuritate velata. 5.
    - Et modo, cum
      - Ore illud proponat hominibus. 4.
      - Corde cogitet apud se. 4.
      - Auribus audiat Deum docentem. 5.
      - Manu audita operetur. 5.
- Timendum scilicet impiis, etiam divitibus,
  - Ob mortem, in qua
    - Peccata circumstant et accusant. 6.
    - Nemo patrocinatur: 7. 8.
      - Non mœsti parentes et amici. 8.
      - Non Deus iratus. 8.
      - Non divitiæ: 9. itaque moriendum est. 10.
  - Ob consequentia mortem,
    - Fortunæ bonis amissis. 11.
    - Corpore putrefacto. 11.
    - Domibus eorum ad alios transeuntibus. 12.
    - Nomine ipso cum terris pereunte. 12.
  - Ob pœnam inferorum in æternitate, 13. quæ
    - Sceleribus belluinis debetur, 13. quibus
      - Intellectum ratione privarunt. 13.
      - Voluntatem passionibus turbarunt. 13.
      - Actiones malitia corruperunt. 14.
      - Os gloriatione polluerunt. 14.
    - A dæmonibus exigitur, 15. a quibus
      - In inferos impii detruduntur, ut pecora. 15.
      - Ibique mactantur, et torquentur. 15.
- Non timendos impios, 16.
  - Neque in alia vita, 16. in qua
    - Sancti in cæli luce dominantur. 15.
    - Impii in tenebris inferorum cruciantur. 15.
    - Iusti statim a morte in iudicio liberantur. 16.
  - Neque in ista, 17. in qua
    - Florent divitiis, 17. sed
      - Perituris post mortem. 18.
      - Et tantum in hac vita brevi lætitiam allaturis. 18.
    - Fulgent gloria, 19. sed
      - Peritura post mortem. 19.
      - In æternas tenebras mutanda. 20.
      - Ad bestias deiicienda. 21.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. In finem, filiis Core Psalmus.

1. Argum. Psalmi — In hoc Psalmo, ait S. Athanas. quæ ad divinum iudicium pertinent, omnibus hominibus prædicantur, Bellarm. ait esse adhortationem utilissimam ad virtutem sectandam, et fugienda vitia. Explicatius dixeris esse exhortationem vehementem ad cavendum nimium divitiarum, et honorum ac rerum terrenarum studium: cum impii, licet potentes, in die iudicii sint condemnandi, atque in æternis inferorum flammis cruciandi. Monet hoc Psalmo Propheta, ait Iansenius, non esse sectanda bona huius sæculi, sic saltem ut ob ea comparanda, ut fere fit, alii opprimantur ad imitationem potentum et divitum huius sæculi: qui in potentia et divitiis suis spem ponunt et gloriantur: quorum et insaniam traducit, et miseriam exponit. Neque enim divitiis suis, in quibus confidunt, a morte redimi potuerunt: neque hinc secum eas auferre, sed in hac vita bonis suis perceptis, in æternum apud inferos miseri erunt: cum contra virtutis studiosi ab æterna miseria liberi, fruentur sempiterna felicitate, domini et iudices horum, quos nunc orbis ob vim divitiarum, ut Deos quosdam suscipit ac metuit. Quoniam autem quæ hic canit Propheta, paupertatem aliaque huius vitæ incommoda non esse timenda: opes et copias non admirandas aut quærendas: Deum his qui neglectis mundi bonis, virtuti student, post hanc calamitosam vitam, beatam ac perpetuam vitam dare, a communi hominum sensu sunt aliena: ideo tam sedulo aliquot versibus præfatur, omnes ad intelligendum, quæ dicturus est invitans, eaque parabolas et ænigmata appellans, tum quod comparationibus ac similitudinibus, tum quod gravioribus et rectioribus (præsertim hominibus huic mundo deditis) sententiis utatur: ita Iansenius.

Quæres, quomodo connectitur hic Psalmus cum præcedente? Hugo Cardin. ait in Psalmo præcedente actum fuisse de spe in illis verbis: *Lætetur mons Sion, et exultent filiæ Iudæ;* in hoc autem agi de timore, qui est mola inferior, sicut spes superior. Deuteron. 24. dicitur: *Non accipies loco pignoris superiorem, et inferiorem molam.* Secundo et melius, Eusebius ait: Oportebat ut filii Core cum priora commode, et pro tempore exposuisseut, et annuntiassent media, et ad hæc gentium vocationem prædicassent, et multa de Ecclesia Dei tradidissent, deinceps quoque de præsentis sæculi consummatione testari, deque — 2. Connexio huius Psalmi cum præcedente.

divino iudicio, in quo Deus omne opus in iudicium adducet, et omnes statuemur ad Dei tribunal: ita ille; per filios autem Core plerique Apostolos accipiunt. Tu hunc Psalmum ita volve, ut iudicia Dei timeas, bona sæculi contemnas, ad æterna bona suspires. S. Basil. hoc loco: *Rerûm, ait, humanarum finem gentiles et exteri quidam animo conceperunt, sed de fine sententias diversas prætulerunt: alii scientiam, alii facultatem quamdam actricem sibi proposuerunt, nonnulli diversis modis corpore et vita frui, et aliqui brutorum more voluptatem finem esse prodiderunt. Nobis autem finis, cuius gratia omnia facimus, et ad quem tendimus, est beata vita in sæculo futuro. Hæc autem perficitur, cum nos a Deo regimur: namque hoc fine præstantior nullus ac melior ne cogitatione quidem inveniri potest. Ad hunc finem nos Paulus Apostolus excitat, dicens 1. Cor. 15. 24. Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo, et Patri. Hunc quoque Sophonias ex Dei persona loquens producit. Quapropter expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futuro, quia iudicium meum, ut congregem gentes, et colligam regna, et effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei, in igne enim zeli devorabitur omnis terra, quia convertam ad populos multos linguam et generationem eius, ut invocent nomen Domini, et serviant ei sub iugo uno. Ad hunc ergo finem eorum Psalmorum utilitatem referri arbitror, qui huiusmodi inscriptione prænotantur. Et cum hac sententia convenit etiam iis qui inscripserunt, ad victoriam, seu victori. Cum enim absorpta sit mors in victoria, et consumpta ab eo qui dicit: Ego vici mundum; cumque omnia sint in Christo devicta, et in nomine eius omne genu flectatur cælestium, terrestrium, et infernorum, merito Spiritus sanctus, quæ illis nobis reposita sunt, canticis victoriæ et triumpho dicit prædici.* Hæc Basilius, cui tamen non assentior in eo quod dicit, omnes Psalmos, quorum titulus est, *In finem*, agere de beatitudine. Multi enim sic inscribuntur, qui de aliis rebus tractant.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

3\. Quatuor continet. Primo, attentionem excitat, et omnes nationes ad audiendum invitat, vers. 2. Secundo docet, sceleratos licet opibus amicisque floreant, in die iudicii extremi damnandos esse, vers. 6. Tertio, eos ipsos in inferis torquendos, vers. 13. Quarto denique, eam ob rem in hac vita non esse metuendos, vers. 17.

SECTIO PRIMA.

Duo præstat. Primo, hortatur omnes ut se audiant, vers. 2. Secundo, se magna et præclara, atque Deo accepta dicturum profitetur, vers. 4.

PARAPHRASIS.

2\. *Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem.*

3\. *Quique terrigenæ, et filii hominum: simul in unum dives et pauper.*

4\. *Os meum loquetur sapientiam, et meditatio cordis mei prudentiam.*

5\. *Inclinabo in parabolam aurem meam: aperiam in psalterio propositionem meam.*

2\. Huc advolate nationes omnes, vel a nobis maxime dissitæ, atque a nostro orbe mari toto disclusæ, audite quæ dicturus sum: huc animis, huc auribus adeste, vos vel maxime, qui orbem nobis notum incolitis.

3\. Vosque Nomades, qui vagis sedibus per montes sylvasque, velut terræ filii erratis: et vos præsertim qui urbes incolitis, et communi hominum societate gaudetis. Neque pauperes excludo: unum in locum cum divitibus, eodem si placet tempore confluant: omnibus sacra hæc cælestis doctrinæ fluenta ex æquo dividam.

4\. Eos qui ad me accesserint, docebo ea, quibus ad veram perfectamque sapientiam pervenire possint: neque temere quidquam proloquar, sed accurate meditata, quibus prudentia acquiri valeat.

5\. Nec meditationi meæ tantum confidam, sed loquentem mihi Spiritum sanctum attente audiam, ut parabolicum mysteriisque abstrusis refertum sermonem intelligam, ac perceptum ab eo ænigma versibus includam, ut suavi cytharæ harmonia gratius acceptiusque efficiam.

QUÆSTIO UNICA.

Quam avide verbum Dei audiendum, et quam prudenter a concionatore proloquendum est.

4\. Ordo Sectionis. Propheta noster ex alta Sionis montis specula sublimique vertice, hinc subiectum orbem despectans, lutoque mersos mortales, auro deliciisque incubantes: inde apertum cælum, severumque iudicem fulmine armatum devolantem, inde hiantes inferorum lacunas, flammisque ultricibus viles impiasque addictas victimas, vocem contendit, omnesque homines hortatur, ne sceleratorum potentiam fœneam, et momento occasuram vereantur. Inducit autem Christum loquentem.

Primo itaque, auditores sibi deposcit omnes omnino homines, terramque duas in partes dividit. Primo, in eam, quæ Iudææ, ubi David agebat, erat incognita, v. 2. *Audite hæc omnes gentes.* Secundo, in eam quæ iam innotuerat: *Auribus percipite omnes qui habitatis orbem.* Sept. τὴν οἰκουμένην, id est, terram habitatam.

Secundo, illam partem: *Qui habitatis orbem*, subdividit in Nomades, qui errant in sylvis et montibus, sedesque proprias non habent, ac velut terra geniti huc illuc vagantur, nulli addicti principi, v. 3. *Quique terrigenæ:* atque in eos, qui politiorem vitam sectantur in urbibus: *Et filii hominum.*

Tertio, hos hominum filios iterum subdividit in divites et pauperes, v. eod. 3. *Simul in unum dives et pauper.* Hac ratione nullus vel miserrimus a participatione verbi Dei excluditur.

Quarto, modum percipiendæ divinæ doctrinæ triplicem aperit. Primo, ut corpore sint attenti, v. 2. *Audite.* Secundo, ut intellectu perspicaces: *Auribus percipite.* Tertio, ut voluntate affectum pium et erga Deum, et erga proximum afferamus: *Simul in unum.*

Quinto denique, concionis suæ materiam et modum postea declarat: tum ut attentionem maiorem excitet, tum ut benevolentiam sibi conciliet, quod tanto studio dicenda expenderit. Materiam porro illam ait esse. Primo, divinam, v. 4. *Os meum loquetur sapientiam.* Secundo,

excellentem: *Et meditatio cordis mei prudentiam.* Tertio, reconditam, v. 5. *Inclinabo in parabolam aurem meam.* Quarto, iucundam intelligenti: *Aperiam in psalterio propositionem meam.*

ARTICULUS I.

Quales, et quam attentos verbi Dei auditores esse conveuit.

Vers. 2. et 3. PSALMI nostri initium est: AUDITE HÆC OMNES GENTES, AURIBUS PERCIPITE OMNES QUI HABITATIS ORBEM. QUIQUE TERRIGENÆ, ET FILII HOMINUM: SIMUL IN UNUM DIVES ET PAUPER. Quæres primo, Quis loquitur?

5. Quis in hoc Psalmo loquitur? Primo, S. Basilius putat Spiritum sanctum hic loquentem induci, eiusque verba vocet, ὑψηλὸν κήρυγμα, sublimem prædicationem. Ait autem Spiritum sanctum hæc loqui per Apostolos et Prophetas. Secundo, Theodore-

1. tus ait, hanc prædicationem esse Evangelicæ gratiæ; sic

2. Apostolis et Evangelistis eam debet tribuere. Tertio, Da-

3. videm ipsum loqui vult S. Chrysostomus, de quo ait: *Non amplius loquitur ut prophetans, seu prædicens Iudæis, qui Palæstinam habitant, sed*, ὥσπερ τις ἀπόστολος καὶ εὐαγγελιστὴς, *veluti quidam Apostolus et Evangelista ad omnem humanam naturam dirigit orationem. Lex enim uno orbis angulo unam gentem docebat, sermo autem prædicationis ubique terrarum resonuit, et seipsum extendit, ut qui tantam pervaserit regionem, quantam sol prætergreditur. Illa enim erant pædagogica quædam institutio et ministerium mortis et condemnationis, hæc autem gratia et pax.* Quar-

4. to denique, S. Ambrosius censet hic Christum loqui, quod commodius mihi videtur. Nam cum ante ipsum magno in pretio apud Iudæos essent divitiæ et felicitas temporalis, hic monemur illa negligere, et pro nihilo ducere. Prædicationem suam de beatitudine incipit Christus a laude paupertatis, dicens: *Beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum cælorum*, Matth. 5. 3. et Luc. 6. 24. Væ intentat divitibus. Verba S. Ambrosii sunt: *Venturus ad ægros, venturus ut medicus, qui gravia ulcera nostra curaret, medicamenta proponit, ut videant homines, et ad remedium salutis fida sedulitate concurrant. Sic illa in Evangelio meruit sanitatem, quæ profluvio sanguinis per duodecim annos laboraverat. Audivit medicum venisse, festinavit contingere dicens*, Marc. 5. 28. *Si tetigero fimbriam eius, salva ero. Intra se hoc dixit, et Christus audivit, et tetigit fimbriam, et virtus de Salvatore processit, quæ curavit ægram, firmavit invalidam, profluvium stetit, pietatem probavit. Similiter ergo et hic omnes gentes vocat ad sapientiæ fontem atque prudentiæ, redemptionem omnibus pollicetur, ut nemo trepidet, nemo desperet, ubi nullus excipitur, sed omnis anima invitatur ad gratiam, ut sine pretio redimatur a crimine, et fructum vitæ adipiscatur æternæ*: ita Ambros. Dixit Christus Matth. 11. 28. *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.*

6. Quos auditores invitat Christus? Quæres secundo, quos auditores sibi deposcit Christus? Primo, *Omnes gentes*, id est, 1. omnes qui gentiliter vivunt, ut ait Ugo Card. omnes malos, ut S. August. et Ruffinus; 2. omnes qui a fide alieni sunt, ut S. Basil. 3. omnes orbis populos, ut S. Chrysost. 4. denique, malim sumere eos, qui necdum Iudææ innotuerant, ut Americæ populos, qui nostri sunt Antipodes, et hemisphærium a nobis diversum incolunt, quod nos vocamus novum orbem. David enim omnes gentes opponit habitatoribus orbis habitati.

Secundo enim auditores sibi deposcit *omnes qui habitant orbem*. Sept. τὴν οἰκουμένην, id est orbem habitatum. Symmachus ad partes occidentales determinare videtur, cum vertit, οἱ κατοικοῦντες τὴν κατάδυσιν. Alius apud S. Chrysost. ἐγκατάδυσιν. Alius κατάδυτον. S. Hier. apud S. Thomam, *universi habitatores Occidentis.* Nota, fidem in Occidente magis viguisse ob influxum propinquiorem Sedis Romanæ, quæ est veluti fons lucis divinæ: Septemtrionem diu in idololatria perstitisse, Orientem in hæresibus, Meridiem in barbarie. In cruce faciem obversam ad Occidentem Christus habuit, inde lux et splendor. Tropol. S. Aug. per habitatores orbis intelligit iustos: *Gentes*, inquit, *intelligamus omnes iniquos: habitatores autem orbis omnes iustos. Ille enim habitat, qui non tenetur: nam qui tenetur, habitatur, non habitat: quomodo ille possidet quæcumque habet, qui dominus est rerum suarum. Dominus autem est, qui non est irretitus cupiditate: qui autem cupiditate tenetur, possessus est, non possessor. Habemus enim quoddam verbum habitatione signatum in Scriptura Dei, ubi ait Ps.* 83. *Elegi abiici in domo Domini, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Quid enim? Si abiiciaris in domo Domini, non ibi habitas. Noluit significare habitationem, nisi in eis, qui regnant et tenent, et dominantur et gubernant: qui autem contemnuntur, non quasi habitant, sed subiecti sunt.* S. Cypr. epist 2. avari infelicitatem deplorat, quod compedibus aureis sit constrictus, dum in auro lucere se et triumphare arbitratur: *Nec*, inquit, *intelligit miser speciosa sibi esse supplicia, auro se alligatum teneri, et possideri magis quam possidere divitias.* Seneca epist. 119. *Sic*, inquit, *divitias habent, quomodo habere dicimur febrim, cum illa nos habeat.*

Nota, omnes omnino gentes et habitatores orbis vocat 7.
Christus ad concionem. Primo, ut dicendorum magnitu- Cur omnes homines ad se audiendum invitat?
dinem declaret, μεγάλα καὶ ἀπόρρητα, magna et arcana, ait
S. Chrysostom. nobis nunc est dicturus Propheta. Neque
enim quotquot sunt ubique terrarum ad audiendum vo-
casset, nec οἰκουμένης θέατρον, totius orbis theatrum exci- 1.
visset, nisi magnum quid et præclarum, et tanti conventus magnitudine dignum nobis esset dicturus. Secundo, 2.
omnes ad audiendum vocantur, ut Christi benignitas et fœcunditas denotetur, qui unus velit et possit omnibus sufficere. S. Ambr. in v. 4. huius Psalm. ait: *Merito omnes vocantur, quia omnibus sapientiæ fons abundat, nec thesauro pecuniario comparatur, quæ pretiosior thesauris omnibus declaratur. Ideoque nec dives avertitur, nec pauper excluditur: quia sapientia non facultates discriminat, sed voluntates. Ille aptior, qui prior affectu, et proximus disciplina.* Tertio, omnes gentes et habitatores or- 3.
bis invitantur, ut denotetur universalitas Ecclesiæ. S. Ambr. *Præcipiuntur*, inquit, *audire gentes, et auribus percipere qui inhabitant orbem terræ. Illum utique orbem terrarum, de quo supra dixit Ps.* 23. *Domini est terra et plenitudo eius: orbis terrarum et universi qui habitant in eo. Ipse super maria fundavit eum, et super flumina præparavit eum. Quam Græci* οἰκουμένην *dicunt, eo quod inhabitetur a Christo, sicut ipse dicit* 2. *Cor.* 6. 16. *Quoniam inhabitabo in illis. Inhabitat enim, ut impleat quæ vacua videbantur. Quæ est ergo* οἰκουμένη, *nisi S. Ecclesia, templum Dei, et habitaculum Christi? Nec incongrue Latini dissono quidem sermone, sed pari sensu orbem terræ nuncupaverunt, eo quod vita Sanctorum, qui inhabitantur a spiritu, sicut rota in orbem sine ulla cursus sui offensione volvatur. In tribulationibus igitur fundatur Ecclesia, in tempestatibus et procellis, in sollicitudinibus et mærore, in rebus adversis et in fluminibus præparatur. In quibus fluminibus? Audi dicentem Ps.* 92. 3. *Elevaverunt flumina vocem suam. Audi in Evangelio Ioan.* 7. 38. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ. Hoc autem dicebat de spiritu, quem accipiebant credentes in eum. In his ergo fluminibus præparatur Ecclesia, in quibus profluit Dei gratia. Ili sunt fluvii, qui aure percipiunt verbum Dei, et loquuntur, ut verbum infundant pectoribus singulorum.* Quarto denique, 4.
invitantur omnes gentes et habitatores orbis ad audiendum, ut indicetur peccatores a Dei regno non excludi. Et adverte, prius vocari gentes, id est, peccatores, ut explicat S. August. quam habitatores orbis, id est iustos. S. Basil. *Gentes*, ait, *erant pessimæ, attamen quod ad vocationem attinet, cæteris prælatæ sunt honore: ut qui male habebant, præ aliis utilitatem a medico promanantem ad se transumerent. Rursus terrigenæ ante Filios hominum in ordinem selecti sunt, et divites ante pauperes, quod illi ad damnationem occasionem longe propensiorem haberent, e

ad salutem promerendam non mediocrem difficultatem, eoque ante vocati sunt quam pauperes. Eius moris est nostri ἰατρου φιλανθρωπια, *medici benignitas, ut infirmioribus suæ medelæ impartiat commoditatem:* ita Basilius. Christus ipse ait, Luc. 5. 32. *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Matth. 9. 13. simpliciter dicitur, *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Non quod non vocentur etiam iusti, sed quod magis eniteat gratiæ effusio in eos, qui erant in mediis peccatis, ut patuit in Magdalena.

Tertio, Christus sibi auditores postulat *terrigenas*, id est, eos qui vagis sedibus errantes in sylvis et montibus, velut terræ filii commorantur: *et filios hominum*, id est, eos qui cultioribus moribus ornati in urbibus manent.

8. Moraliter nota, Phalaris in epistola ad Athenienses in laude ponit, quod essent γηγενεις, id est a terra geniti: unde etiam ab Ausonio in catal. urb. vocantur *terrigenæ*, quod scilicet iactarent se esse αὐτοχθονας, in quo Demosthenes in oratione funebri dicit, illorum esse εὐγενειαν, id est nobilitatem, et Euripides in Ione hinc nuncupat κλεινας Ἀθηνας, inclytas et celebres Athenas. Melius S. Chrysost. in Psalm. nostr. ex terrena illa origine occasionem humiliationis sumit: *Quoniam dixit, terrigenas, ne quis putaret, ut volunt antiquæ fabulæ, homines ab initio e terra pullulasse, sicut nonnulli fabulati sunt, quosdam fuisse satos introducentes: propterea subiunxit, Filii hominum. Patres enim vobis sunt homines: principium autem generationis vobis et illis terra est. Quid ergo superbis terra et cinis? Cogita apud te quænam tua sit mater, et fastum tuum comprime: spiritus elatos conculca ac deprime: considera quod terra es, et in terram reverteris, et omnem arrogantiam expelle. Tali enim mihi auditore opus est. Ideo te sedatum reddo ac compositum, ut te accipiam aptum ad ea quæ dicuntur suscipienda.*

Moralit. Ex nobilitate terrena non est gloriandum.

9. Symbol. terrigenæ sunt, ait S. Basil. qui terrena sapiunt, ac voluntatem carnis mordicus retinent et complectuntur. Filii hominum supradictis longe honestiores, qui diligentiam quamdam et exercitationem rationis habent: nam proprie homini competit, capax ut sit rationis. S. Greg. Nyss. tr. 2. in Psalmos cap. 12. terrigenas, ait, esse carnales: filios hominum, electos qui characterem humanæ naturæ in se continent. S. Aug. *Qui sunt*, ait, *terrigenæ? Filii terræ. Qui sunt filii terræ? Qui hæreditates terrenas requirunt. Qui filii hominum? qui pertinent ad Filium hominis. Quicumque pertinent ad Adam, terrigenæ: quicumque pertinent ad Christum, filii hominum. Omnes tamen audiant, ego nulli subtraho sermonem meum. Terrigena est, audiat propter iudicium: Filius hominis est, audiat propter regnum.*

Divitiæ terrenæ non sunt nimis amandæ.

Secundo, S. Ambr. per terrigenas et filios hominum intelligit carnales: *Quis est*, ait, *terrigena, nisi filius hominis? Quis est spiritualis, nisi Dei Filius? Ille ex sanguine concretus et carne, et viri voluptate generatus, iste ex Deo natus*: ita ipse. Ugo Card. advertit quatuor genera peccatorum in gentibus habitatoribus terræ, terrigenis et filiis hominum. Primi, ait, sunt luxuriosi, designati per gentes, quæ a genio dicuntur, qui est Deus naturæ. 1. Cor. 5. *Auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes.* Secundi sunt avari, designati per hoc quod dicitur, qui habitatis orbem. Apoc. 8. *Væ, væ, væ habitantibus in terra.* Tertii sunt superbi, designati per hoc quod dicitur, quique terrigenæ. Terrigenæ enim dicuntur Gigantes, qui ubique significant superbos. Eccl. 16. *Non exoraverunt pro peccatis suis antiqui gigantes.* Quarti sunt inobedientes, designati per filios hominum, id est Adam et Eva, qui fuerunt Deo inobedientes: unde alia littera habet, filii Adam. Et quidem Rom. 5. dicitur: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita per unius obedientiam iusti constituentur multi.* De quibus Eccli 3. 1. *Filii sapientiæ, Ecclesia iustorum: et natio illorum, obedientia et dilectio.*

10. Quarto denique, Christus auditores sibi deposcit pauperes et divites. *Simul in unum dives et pauper.* Ubi adverte τo *simul in unum* denotare primo æqualitatem, ut dives non superbiat; secundo, charitatem, ut uterque magis proficiat. De primo, S. Chrysost. *Universa doctrina*, inquit, *ex æquo profunditur*, πλουσιω και πενητι παρεχει τραπεζαν, *pauperi et diviti communis mensa exhibetur. Est communis nostra natura, communiter omnes voco: communis nostra mater, communiter voco. Communis enim nostra civitas est orbis terrarum. Licet sis dives, ex eodem luto natus es: idem fuit tibi cum paupere ingressus, idem ortus. Et tu hominis filius es, et ille. Cum ergo quæ sunt præcipua, et magis opportuna, et honore æqualia, ex æquo habeatis, cur propter umbras et somnia intumescis, ex iis quæ nihil sunt, communia distinguens, communia naturæ, communia ortus et generationis, communia affinitatis et necessitudinis? Cur amictum exteriorem adducis, ut distinctionem ex eo efficias? Non fero, non patior, et ideo voco te cum paupere, dicens: Simul in unum dives et pauper. In aliis enim non possunt simul videri dives et pauper, non in divitiis, non in aulis regiis, non in foris, non in mensis: sed illum quidem honoratum, hunc vero contemptum et abiectum: illum quidem libere et confidenter agentem, hunc vero pudore et ignominia affectum videas. Sapientia enim pauperis nihili ducitur, et verba eius non exaudiuntur. Locutus est dives, et eum pulchre et recte dixisse dicunt: Pauper locutus est, et non est datus ei locus. At non hic. Neque enim in hac Ecclesia et concione stultam illam ambitionem honorisque cupiditatem patior, sed communem omnibus doctrinam propono. Vide Doctoris prudentiam, quomodo etiam antequam incipiat concionem, ex ipsa sola vocatione maximum doctrinæ decretum protulerit. Qui enim omnes simul vocavit, neque illum sivit intumescere, nec hunc vilem et abiectum esse, sed ostendit nec divitias esse bonum, sicut nec paupertatem malum, sed ea esse supervacanea et externa.* De secundo, nempe de charitate uniente in uno Christo pauperem et divitem, sic ait S. Ambrosius: In quamdam humilitatem æqualitatemque nos provocat: ut neque dives fastidiat inopem, neque diviti pauper invideat, sed utrumque sibi gratia una connectat, quia et Dominus pauper factus est, cum dives esset, ut idem pauperum Salvator esset et divitum: ita ipse. Non alio sanguine purpurantur divites quam pauperes, neque aliud illis regnum præparatur. Unius sunt patris filii et hæredes. Fovetur mutua fratrum charitas humilitate, hæc non deerit cogitantibus se esse terrigenas. Agapet. Diacon. in capitulis Parænetieis ad Iustinian. Imp. cap. 3. et 4. *Divinum*, ait, *documentum et potissimum nos homines ut cognoscat se quisque docemur. Qui enim seipsum cognovit, cognoscet Deum: Deum vero qui cognovit, assimilabitur Deo: assimilabitur autem Deo, qui dignus factus Deo est: dignus denique fit Deo, qui nihil indignum patrat Deo. Sed qui ut cogitat quæ ipsius sunt, ita tam loquitur quæ cogitat, quam facit quæ loquitur. Malorum nobilitate ne quis delicietur; limum enim habent omnes generis auctorem, et qui purpura byssoque turgent, et qui paupertate et adversa valetudine affliguntur: tam qui diademate redimiti sunt, quam qui per cubicula excubant: ne igitur lutulentum iactemus genus, sed morum integritate gloriemur.* Et paulo post subtexit: *Terrenarum opum instabiles divitiæ, fluviatilium undarum imitantur cursum; modicum enim affluunt his, qui habere se eas arbitrantur, mox vero refluentes ad alios accedunt, solus autem beneficentiæ thesaurus stabilis est possidentibus eum: bonarum enim actionum meritum ad auctores retorquetur.*

Pauperes et divites ad se vocat Christus.

Nota, diligentem attentionem Christus a suis auditoribus requirit. Primo enim cum dixisset, *audite*, addit, *auribus percipite.* Quod expendens S. Augustinus ait: Hoc iterum videtur repetiisse, quasi parum fuerit quod dixit, *audite.* Quod dico *audite, auribus percipite:* hoc est nolite transeunter audire. Quid est *auribus percipite?* Quod Dominus dicebat Matth. 11. *Qui habet aures audienti audiat:* cum omnes qui in conspectu eius erant, utique haberent aures. Quas ille aures quærebat nisi cordis, cum diceret: *Qui habet aures audiendi audiat?* ita Augustin. Verbum Dei est semen, quod nisi aure cordis excipiatur, non germinat. Multis est tantum concionator velut cithara, aut cymbalum tinniens, sonus prætervolat, et 11.

Attentos auditores optat Christus.

aure non capitur, ita ut ibi remaneat. Secundo, pro *auribus percipite*, Hebr. est, האזינו *haazinu*, id est, audiendo perpendite, ponderate velut in statera. Hinc מאזנים *moznaim*, trutina, statera. Si res cælestes ponderemus, mentem nostram ad se trahent. Magni enim sunt ponderis, terrena sunt paleis viliora et leviora, cito enim evolant vel ab invitis. Chald. vertit אצליתו *aschitu*, hoc est aures arrigite, diligenter attendite. Græce est ἐνωτίσασθε, id est, in aurem profunde demittite, diligenter et attente audite. S. Chrysost. ἐνωτίσασθαι, ait, seu auscultare, proprie dicitur, quando quis aure ori admota loquitur, seipsumque et illum contendens iubet adhibere animum iis quæ dicuntur.

12. *Attentionis huius utilitas triplex.* Hæc autem attentio tria efficit. Primo, Deum nobis loquentem delectat. S. Chrysost. in Ps. 41. *Quemadmodum*, inquit, *qui mimos et saltatores, et mulieres meretrices introducunt in convivio, dæmones et diabolum illuc vocant; ita qui vocant David cum cithara, Christum per ipsum vocant*: ita ille. Initio itaque Psalmi iure sibi attentionem petit. Secundo, animam illustrat et reficit. S. August. in Ps. 93. *Intente audiamus*, inquit, *cum revelat Dominus, quæ hic dignatus est opacare mysteria. Ad hoc enim clauduntur quædam sacramenta Scripturarum, non ut denegentur, sed ut pulsantibus aperiantur.* Et in Ps. 8. Mel sapientia est, primatum dulcoris tenens in escis cordis. S. Petrus Damiani epist. 60. 7. Lignum vitæ, ipsa bonorum omnium mater est sapientia. Vide dicta Psal. 118. 103. Tertio denique, attentio in rebus divinis dæmonem exterret ac superat. S. Petrus Damiani lib. 6. epist. 29. *Mens tua*, inquit, *divinis se voluminibus occupet, his intenta, pervigili semper instantia perseveret. His antiquus insidiator cum te videt intentum, velut hostem fugit armatum, et timet cominus aggredi, donec te conspiciat his telis, et impenetrabili, ut ita fatear, lorica muniri.*

Omnibus hæc attentio est necessaria. Hugo Card. Debent, ait, tam boni quam mali audire legem Dei. Mali, ut convertantur. Ps. 18. *Lex Domini immaculata convertens animas.* Boni incipientes debent eam audire, ut in bono possint perseverare. Ps. 118. *Nisi quia lex tua meditatio mea est, tunc forte periissem in humilitate mea.* Proficientes ut incitentur. Eccl. ultim. *Verba sapientum quasi stimuli.* Perfecti, ut delectentur. Ps. 118. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo*: ita ille. Hugo autem a S. Victore in Ps. 118. affert verba Apocal. cap. 10. *Accepi librum de manu angeli, et devoravi illum.* Et ad rem nostram sic ait: Et tu frater devora librum vitæ, comede Verbum Dei: nec solum comede, sed etiam avide comede: ita Hugo. Signum est famis et sanitatis, cum avide comeditur. Christus ait Matth. 5. 6. *Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Amos 8. 11. dicit: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et mittam famem in terram, non famem panis, nec sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini.*

ARTICULUS II.

Materia concionum, et modus concionandi optimus.

13. Vers. 4. CHRISTUS attentione pro suo iure postulata, eam conciliat a rei, de qua acturus est, magnitudine et præstantia, v. 4. OS MEUM LOQUETUR SAPIENTIAM (Heb. חכמות *chocmoth*, id est, sapientias, ut S. Hier. Arias, et Pagn. vertunt) ET MEDITATIO CORDIS MEI PRUDENTIAM. Hebr. תבונות *thebunoth*. prudentias, ut S. Hier. reddit, intelligentias, ut Pagn. intelligentiam, ut Felix.

Vers. 5. Et v. 5. INCLINABO IN PARABOLAM (S. Isidorus de Gent. vocatione, cap. 20. ad similitudinem) AUREM MEAM, APERIAM IN (cum) PSALTERIO PROPOSITIONEM MEAM. Hebr. חידתי *chidathi*, id est, ænigma meum, ut vertit S. Hier. Campensis. Flaminius et alii. Græce, πρόβλημά μου, problema meum. Problemata vocantur a Philosophis, rerum abditarum perquisitiones et coniecturæ, quibus magis animi quodam acumine, quam certa indagine remotiora naturæ arcana explorantur. Talia sunt apud Aristotelem et

A Plutarchum. Itaque hoc in loco propositio non sumitur pro enuntiatione dialectica, sed pro obscuriori quæstione, quæ proponitur ad solvendum, seu pro disquisitione rei obscuræ ac paradoxæ. Nota, prisci sententias graviores de moribus, vix unquam nisi sub variis ænigmatibus et similitudinibus evulgabant, sicut patet in fabulis Æsopi et symbolis Pythagoræ, et in variis Scripturæ locis factum est, ut omnis de tali re sententia, licet parabolica seu ænigmatica non sit, dicatur tamen parabola, ænigma, proverbium, ut clarum est in Proverbiis Salomonis. *Veteres utebantur parabolis et ænigmatibus.*

Adverte autem, David seu potius Christus, quatuor dicturum se pollicetur. Primo, sapientiam. Secundo, prudentiam. Tertio, parabolam. Quarto denique, propositionem seu ænigma. 14.

Primo itaque dicit: *Os meum loquetur sapientiam*, id est, verba veræ sapientiæ, neque temere quidquam dicturus sum, ut explicat Iansenius. Os meum loquetur multa sapienter: ita Campensis. Secundo, per sapientiam, S. Hier. et Hugo Christum intelligunt, hic enim est Dei sapientia. 1. Cor. 1. 23. *Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam: ipsi autem vocatis Iudæis et Græcis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.* Tertio, per *sapientiam*, Ruffinus et Cassiodorus sumi volunt mysteria omnia; sicut per prudentiam, instructionem de moribus. Moses ait populo Israel, Deut. 4. 6. *Hæc est vera sapientia et intellectus coram populis, ut audientes universa præcepta hæc dicant: En populus sapiens et intelligens, gens magna.* Aristoteles recenset quinque habitus intellectus: nimirum sapientiam, scientiam, intellectum, artem, et prudentiam. Sapientia autem, ait, est rerum altissimarum cognitio: sive est rerum divinarum humanarumque scientia. Olympiod. in Proverb. *Sapientia*, inquit, *est quidam divinæ virtutis et sapientiæ afflatus, aut purus quidam divinæ gloriæ et maiestatis defluxus. Neque enim quidquam omnino obscurum aut caliginosum in illam cadit. Est namque splendor æternæ lucis, et impollutum divinæ virtutis speculum, expressaque divinæ bonitatis imago. Qui igitur vera sapientia imbutus est, hæc omnia explorate cognoscit. Isthæc autem comperta habere, haud aliud est quam divinæ dilectionis Filium, eamque sapientiam, quæ Christus est, nosse: Christus enim Dei virtus, et Dei sapientia est. Illud vero mysterium non revelatur a carne et sanguine, sed a cælesti Patre*: ita Olympiodorus. Dona sapientiæ et scientiæ, ut ait S. Thomas 1. 2. q. 68. art. 5. nihil aliud sunt, quam quædam perfectiones mentis humanæ, secundum quas disponitur ad sequendum instinctus Spiritus sancti, in cognitione divinorum et humanorum. *Sapientiæ acceptio quadruplex:* 1. 2. 3.

Quarto et optime, hic accipienda est sapientia non speculativa, sed practica, quæ est cognitio Dei et ultimi finis, ac mediorum eo ducentium, nempe legum divinarum, earumdemque desiderium, pius affectus et amor. Caietanus eam sic definit: Sapientia, inquit, est ratio et norma humanarum actionum recta secundum altissimam causam, quæ est Deus. David itaque dicit: *Os meum loquetur sapientiam*, hoc est, docebit ea quæ hominem faciunt sapientem, nempe divitiis non esse confidendum, cum sint periturae, et ad inferos sæpe per vitia deiiciant: item, non esse timendos impios licet potentes, cum eorum gloria sit fluxa et labilis. Lumen sapientiæ divinæ in Psalmis emicat, eos iure vocaveris verum atque perfectum sapientiæ gymnasium. S. Ephrem encom. in Ps. *Psalmus*, inquit, *mentium illuminatio, ac corporum sanctificatio.* Idem de tota Scriptura iure dixeris. S. Laurentius Iustinianus de casto connubio, cap. 19. *Est*, ait, *sacra pagina sapientiæ Verbi speculum et divinitatis armarium.* 4. *Et optime.*

Nota, Concionator loquatur Dei sapientiam in Scripturis contentam, non doctas fabulas et verba tinnientia. Est enim os Dei. Isa. 30. 2. Iudæi arguuntur: *Qui ambulatis ut descendatis in Ægyptum* (ad vitia tenebrosa) *et os meum non interrogastis.* Chald. vertit, verba Prophetarum meorum non interrogaverunt. S. Petrus Damian. sermon. in laud. S. Ioannis Apostoli, eum vocat os Dei: *Hoc*, ait, *divinæ sapientiæ sale ita omnis B. Ioannis doctrina videtur*

respersa, ut merito dicatur os Dei lingua Spiritus sancti, logotheta divinitatis. Deus est fons vitæ, plantas omnes quas rigat vivificans, os illius fontis est concionator pius. Prov. 10. 11. *Vena vitæ os iusti.* Ubi R. Aben Ezra sic ait: *Os iusti est tamquam fons vitam afferens eis, qui ab illius ore disciplinam hauserint. Igitur ab eo vita emanat, cum alios morum institutione conformat.* Contra vero, impii aut hæretici sunt stagnum aquis mortuis et venenatis ac fœtentibus plenum, unde pernicies ac lues populis defluat; de illis dicitur Oseæ 13. 15. *Siccabit Dominus venas mortis, et desolabit fontem eius.*

15\. **Concionator sæpe concionetur, et aperiat mysteria populis.** Nota secundo, si concionator impleri vult sapientia, eam populis distribuat. Fons putrescit ac sæpe deperit, nisi defluat: ex puteo si hauseris, aquam puriorem et copiosiorem reddes. Hildebertus Turon. Archiep. epist. 1. *Scientia*, inquit, *distributa suscipit incrementum, et avarum dedignata possessorem, nisi publicetur, elabitur.* Scientia doctoris est cælestis thesaurus, non est terra obruendus, sed populis dividendus, ne sit inutilis. Eccli. 20. 32. *Sapientia absconsa, et thesaurus invisus* (Gr. αφανης non apparens, non visus. Syr. occultus) *quæ utilitas in utrisque?* S. Gregor. 3. p. Pastor. Admonit. 26. *Admonendi sunt*, ait, *qui cum prædicare utiliter possunt, immoderata tamen humilitate refugiunt, ut ex minori consideratione colligant, quantum in maioribus rebus delinquant. Si enim indigentibus proximis ipsi quas habent pecunias abscondérent, adiutores procul dubio calamitatis extitissent. Quo ergo reatu constringantur aspiciant, qui dum peccantibus fratribus verbum prædicationis subtrahunt, morientibus vitæ remedia abscondunt. Unde et bene quidam sapiens dicit: Sapientia abscondita, et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? Si populos fames atteret, et occulta frumenta ipsi servarent, auctores procul dubio mortis existerent. Qua itaque plectendi sunt pœna considerent, qui cum fame verbi animæ pereant, ipsi panem perceptæ gratiæ non ministrant. Unde et bene per Salomonem dicitur Prov. 12. Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis. Frumenta quippe abscondere, est prædicationis sanctæ apud se verba retinere.* Lege cætera.

16\. **Prudentia quid?** Secundo, Christus pollicetur se hic daturum præcepta prudentiæ: *Et meditatio cordis mei prudentiam*, supple, loquetur. Græce συνεσιν, id est intelligentiam. Plato in Cratilo, ait, συνεσιν esse facultatem animi, quæ perspicit et discernit quid faciendum sit, quid non. Aristoteles habitum a prudentia diversum facit, sed qui hanc comitetur, et per quem bene perspiciamus et intelligamus iudicando, quæ a prudentia iam sunt inventa et præcepta, ut fiant: an iuxta regulas prudentiæ bene fuerit indicatum vel præceptum. Nam habet se Synesis, ut ait idem Philosophus sicut in discipulo perspicacitas ad recte intelligendum, ac iudicandum ea, quæ magister docet, opponiturque tarditati seu hebetudini. De hac agit lib. 6. Eth. cap. 10. Synesis, ut ait S. Thomas 1. p. q. 22. art. 1. et 12. q. 57. art. 6. est virtus bene iudicativa, de agibilibus, secundum legem communem: gnome vero, secundum altiora principia, scilicet iuris naturalis. Sed hæc nomina sæpe confunduntur: nempe synesis, prudentia, sapientia, intellectus, et similia.

Prudentiam porro docet hic Psalmus, quia prudentis est peritura contemnere atque æternis adhærere: neque moveri inani splendore divitum sceleratorum. Recte S. Laur. Iustinian. ait cap. 4. de perseverantia: *Nihil in hac vita magis solidat intellectum, solidatumque ostendit, quam studium sacræ Scripturæ.* **Scripturæ utilitas.** De S. Ioanne Chrysost. dicit Proclus in oratione panegyrica: *Ioannes in verbis pretiosæ prædicationis margarita Scripturæ impollula, a Deo inspirata bibliotheca, divinus thesaurus intelligentiæ, vehemens diluvium hæreticorum.*

17\. **Meditatio est mater prudentiæ.** Nota primo, meditatio est mater prudentiæ, ideo dicitur: *Et meditatio cordis mei prudentiam.* Cassiodorus in libro de divinis lectionibus: *Mater est intelligentiæ frequens et intenta meditatio.* Ps. 118. 24. ubi habemus: *Testimonia tua meditatio mea est*, Syrus vertit: Testimonium tuum meditatus sum, et mentem bonam.

Nota secundo, meditatio necessaria est concionatori. 18.
Meditatio est necessaria concionatori. Primo, ut mentem suam a malis cogitationibus liberet. S. Nilus in parænesi: γεωργει, ait, τη μελετη του νομου διανοιαν, εκτιλλει γαρ λογισμους πονηρους συνεχως μελετωμενος: *Meditatione legis mentem velut agrum colito: extirpat enim malas cogitationes continue frequentata.* Secundo, ut luce divina mentem repleat. Clemens Alex. in exhort. ad gentes: *Sunt vere sacræ litteræ quæ sacros faciunt et deificant.* Thessalius centur. 4. numer. 25. *Sicut anima corpus secundum naturam vivificat: ita et animam virtus et scientia.* Tertio, ut nihil temere illi excidat. S. Ambrosius in Psalm. nostr. *Admonemur*, inquit, *non tumultuarium proferre sermonem, sed exercitio quodam meditationis, et statera mentis internæ examinare dicenda, quia scriptum est Prov. 20. Statera fallax non bonum.*

Tertio, Christus ait se auditurum parabolam: *Inclinabo in parabolam aurem meam:* postea scilicet eam aliis enuntiaturus. 19.
Christi doctrina erat divina. S. Chrysost. qui putat Davidem loqui, sic ait: Pro doctore nunc video auditorem. Nos enim vocasti tamquam aliquid boni et utilis audituros: postquam autem omnes adsunt et convenerunt, et te aliquid doctum et præclarum dicturum es pollicitus, nihil adhuc locutus, relicto loco doctoris, auditoris partes suscipis. Inclinabo enim, inquit, in parabolis os meum. Quare hoc facit? Valde prudenter et consequenter iis quæ dicta sunt. Quoniam enim dixit, loquar sapientiam: ne quis existimaret esse humanum quod dicitur, et meditationem cordis: ne haberet suspectam eius inventionem, per hæc ostendit divina esse ea, quæ dicuntur, seque nihil loqui proprium, sed ea, dicere quæ audivit. Inclinavi enim, inquit, Deo aurem meam, audivi ab illo, et quæ in mentem meam a superbis demissa sunt, ea dico. Et ideo dicebat Isaias cap. 50. *Dominus dat mihi linguam doctrinæ, ut sciam quando sermonem dicere oporteat:* adiecit mihi aurem ad audiendum. Et rursus Paulus Rom. 10. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Vides illum prius fuisse auditorem, et deinde Doctorem: ita Chrysost. Idem faciat concionator, ut sit cælestis canalis et fistula dans ea quæ acceperit.

Quæres, quid hoc loco per parabolam intelligitur? Idem sanctus Doctor varia parabolæ significata profert. 20.
Parabola septem significationes. Primo, est parabola, loquela, exemplum, et exprobratio aut opprobrium, ut quando dicit, Psalmo 43. 15. *Posuisti nos in similitudinem gentibus: commotionem capitis in populis.* 1.
Secundo, est etiam parabola, oratio ænigmatica quam multi dicunt quæstionem, quæ aliud quidem significat, sed id non est apertum statim ex ipsis verbis, sed habet sensum intus latentem, cuiusmodi erant ea quæ dicebat Samson Iudic. 14. *De comedente exivit cibus, et de forti dulcedo.* Dicitur etiam 2. Reg. 4. Salomon intellexisse parabolam, et obscurum sermonem. 2.
Tertio, dicitur etiam parabola, similitudo. Aliam parabolam, inquit Matth. 13. proposuit eis, dicens: *Simile est regnum cælorum homini seminanti bonum semen.* 3.
Quarto, est etiam parabola, tropologia, seu figurata oratio. Ezech. 17. *Fili hominis dic eis parabolam hanc.* Aquila magna magnas habens pennas, aquilam dicens regem. 4.
Quinto, dicitur etiam parabola, figura et imago, quemadmodum ostendit Paulus dicens Hebr. 11. *Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, et unigenitum offerebat, in quo susceperat repromissiones.* Unde etiam in parabola eum retulit, hoc est in figura et in imagine. 5.
Sexto sic concludit: *Quid ergo sibi vult hic parabola? Mihi videtur dicere narrationem. Si autem orationem facit obscuram et ænigmaticam, et quæ multum habet difficultatis, ne sic quidem conturberis: hoc enim facit ut auditorem excitet: et alioqui quoniam facilitas ad socordiam et negligentiam adducit, propterea loquitur in parabola. Nam Christus quoque multa loquebatur in parabolis, separatim autem eas solvebant discipulis. Parabola enim dignum ab indigno distinguit, dignus enim quærit invenire ea, quæ dicuntur, indignus autem prætercurrit:* ita ille. 6.

Septimo denique, hoc loco parabolam existimo significare sententiam illustrem et magis notandam. 7. **Et optime.** S. Chrysost. in Proverbia, sicut est in caten. Græcorum: Parabo-

la, inquit, est omnis sermo sapiens. Hebr. vox משל *mascial* quæ hic ponitur, deducitur a Rad. משל *mascial*, dominari, præesse, et significat sententiam prædominantem, præ cæteris excellentem, atque regiam. Quia ut ait Cornelius in Proverbia, inter sententias est id quod rex inter plebeios: sicut enim rex præcellit plebeis, sic hæc præcellunt cæteris. Tum quia sicut rex regit subditos, iisque dominatur, sic hæ sententiæ dominantur aliis, quæ ex iisdem velut conclusiones e suis principiis educuntur. Quomodo Aristot. Analyt. postor. lib. 1. cap. 9. principia scientiarum vocat ἀξιώματα, id est dignitates, quia reliquis digniora sunt, et in cæteras conclusiones, velut proles ex se genitas, principantur, ac dominatum exercent: simili enim modo hæ gnomæ non tantum suis conclusionibus et particularibus gnomis, quæ a vulgo multæ ex eis educuntur: sed et moribus vitæque hominum quasi leges dominantur et imperant. Tum denique, quia reges tales sententiæ decent. Nam ut ille ait: *Principis verba oportet esse pauca, digna, sublimia et plane regia.* Eadem de causa proverbia Salomonis vocantur παροιμίαι, quod παρ οἶμον, id est, præter viam, hoc est morem loquendi communem, vel præter verbum commune efferantur, et aliquid singulare et eximium contineant, ideoque omnium ore, etiam in viis et triviis celebrentur. Quocirca qui iuxta eas mores suos dirigit, vitamque instituit, is vere sapiens et probus, cæteris mortalibus longe supereminet. Nam, ut ait Plato in Protagora: *Probus vir et philosophus magis præstat inter alios homines, quam rex inclytus inter plebeios.* Eadem de causa vocantur parabolæ, quia facilem, planum et vulgatum loquendi modum superant.

21. Concionator nihil dicat, nisi quod a Deo acceperit.

Nota, concionator nihil debet dicere populo, nisi quod a Deo acceperit. Hoc præcepit Deus Ezechieli cap. 3. v. 17. *Audies de ore meo verbum, et annuntiabis eis ex me.* Hoc se fecisse David testatur Ps. 55. v. 5. *In Deo laudabo sermones meos;* ubi S. Augustinus: *Si,* ait, *cognoveris nihil te verum in sapientia Dei, in fide veritatis posse dicere, nisi quod ab illa accepisti, in Deo laudas sermones tuos, ut in Deo lauderis sermonibus Dei.* S. Petrus Damiani hoc iure prædicat in S. Ioanne Evangelista, qui aurem suam in Christi pectus reclinavit. Sic autem ait sermone 63. *Ex illo nobis ærario* (scilicet ex Christi pectore) *divitiarum copias attulit, et in communem totius mundi salutem bene prodigus erogavit. Imo supra fontem perennis vitæ recubuit, ut et ipse tunc manantia fluenta divinæ doctrinæ hauriret, et eadem nobis postmodum præfixo certi temporis articulo propinaret.*

Quarto denique, Christus ait se dicturum propositionem, id est ænigma: *Aperiam in psalterio propositionem meam.* Vide initium Articuli.

22. Quatuor species proverbialium sententiarum in Scriptura.

Nota primo, S. Athanasius in Synopsi sacræ Scripturæ, cap. 14. in lib. Proverb. proverbialium gnomarum modos et species ait esse quatuor. Primo enim inter eas sunt
1. parœmiæ id est, sententiæ faciles et triviales, quæ licet acutæ, tamen ita planæ sunt et claræ, ut etiam a plebeis et rudibus intelligantur et usurpentur. Secundo, sunt strophæ, quæ aliud in cortice litteræ sonant, sed per illud aliud significant, qualia sunt symbola Pythagoræ, Hori Apolli-
2. nis, et Ægyptiorum. Exemplum dat S. Athanas. illud cap. 23. Proverb. v. 1. *Quando sederis ut comedas cum principe, etc. statue cultrum in gutture tuo.* Et illud c. 27. 25. *Aperta sunt prata, et apparuerunt herbæ virides, et collecta sunt fœna de montibus. Agni ad vestimentum tuum, et hædi ad agri pretium.* Tale quoque est illud cap. 5. 15. *Bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui. Deriventur fontes tui foras.* Et cap. 1. 17. *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Prisci enim Hebræi sua dogmata involucris quibusdam, ut parabolis, ænigmatibus, strophis involvebant, tum ad eorum dignitatem atque venerationem, tum ad acuendum discipulorum ad ea perscrutanda studium. Ab Hebræis idem mos manavit ad Ægyptios, qui suam sapientiam celabant suis hieroglyphicis: ab Ægyptiis transiit ad Græcos: unde Pythagoras sua dogmata tradidit per symbola. A Græcis denique transiit ad Lati-
3. nos. Tertio, sunt parabolæ, id est, sententiæ communes, sive similitudines. His crebro utitur Salomon more Hebræo. Exemplum dat S. Athanas. illud cap. 25. 13. *Sicut frigus nivis in die messis, ita legatus fidelis ei qui misit eum, animam ipsius requiescere facit.* Quarto, sunt gry- 4.
phi et ænigmata. Exemplum dat S. Athanas. illud Proverb. cap. 30. 15. *Tria sunt insaturabilia, et quartum quod nunquam dicit, Sufficit.* Tale est cap. 9. 1. *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas,* etc. Quinto his addi possunt apologi, quibus animalia loquentia vel docentia in scenam vel scholam inducuntur, ut ea induxit Æsopus. Talis est Proverb. cap. 6. 5. *Vade ad formicam o piger*, etc. Hæc et plura Cornel. loco citato. Si ænigmata varia Scripturæ postulas, eum etiam consule in fine commentarii in singulos Prophetas, ubi ea coacervat.

23. Scriptura est obscura.

Dices, nullum ænigma apparet in nostro Psalmo, sed omnia videntur plana et facilia. Respondeo magnum esse ænigma, si vires naturæ spectes, divitias et potentiam contemnere, et ad æterna sola suspirare. Adverte autem Scripturam esse obscuram. S. Laurentius Iustin. illud Ps. 32. 7. *Ponens in thesauris abyssos*, considerans, ait: *In thesauris sapientiæ et scientiæ ponit abyssos, id est, in Scripturis profundas altitudines ponit, ut quis eas studio pietatis inquirat.* Rupert. in illud Cant. 5. 11. *Comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus,* sic dicit: Sunt nigræ quasi corvus, quia tenebrosa aqua in nubibus aeris, id est, occulta scientia in propheticis atque legalibus Scripturis. Iob de Deo inclamat cap. 11. 8. *Excelsior cælo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces?* Chald. In lege, quæ profundior est inferno, quomodo tu scis?

24. Scripturæ lectio et auditio delectat.

Nota, *in Psalterio* proponitur ænigma, sive *in cithara*, (id enim proprie est *chinnor*) ut suavitas musicæ temperet gravitatem doctrinæ, et præcepta utilissima iucundius et avidius suscipiantur. Libanius scribens ad Elpidium, ipsum laudat, quod citharæ similem linguam haberet, ob suavitatem scilicet atque melodiam: *Neque*, ait, *vel Arsacidis sagittam tibi exquirendam puto, vel Orphei citharam. Lingua enim citharæ loco tibi est.* Aristoteles in problematis testatur, leges a veteribus, νόμους esse dictas, quod homines priusquam litteras scirent, leges cantarent, ne illas traderent oblivioni: Addere poterat, ut cum voluptate etiam addiscerentur. Agathyrsi tempore Aristotelis solebant leges suas cantare. Scripturæ verbis nihil suavius. Dacrianus Abbas in speculo monachorum: *Si*, ait, *ad lectionis sacræ studium promptus ac diligens esse volueris, iucundaberis plurimum, et tibi dulcescere incipient quævis spiritualia, fietque ut sanctis deliciis assuefactus omnes delicias carnales facile contemnas.* S. Chrysost. hom. 22 ad populum: *Versare*, ait, *semper in divinis Scripturis, sicut enim vinum dum bibitur, tristitiam sedat et cor commutat in lætitiam; sic et spiritale vinum dum bibitur, in lætitiam convertit animam tuam.*

25. Scripturæ obscuritas oblectat.

Nota secundo, ipsa Scripturæ obscuritas auget delectationem attenti lectoris et a Deo illuminati, sicut cum ænigma explicatur, id magis placet, quam si nulla fuisset obscuritas. S. Aug. concion. 2. in Ps. 103. *Quod*, ait, *difficilius quæritur, solet dulcius inveniri: nec putetis ista vobis obscuritate subtracta, sed difficultate condita.* S. Hieron. epist. 13. ad Paulinum de instit. Monach. *Totum*, ait, *quod legimus in divinis litteris nitet quidem et fulget in cortice, sed dulcius in medulla est.* Et S. Greg. in Ezech. hom. 6. Magnæ, inquit, utilitatis est ipsa obscuritas eloquiorum Dei, quia exercet sensum, ut fatigatione dilatetur, et excitatus capiat, quod capere non potest otiosus. Habet quoque aliud maius, quia Scripturæ sacræ intelligentia, si in cunctis esset aperta, vilesceret. In quibusdam locis obscurioribus tanto maiore dulcedine inventa reficit, quanto maiore labore fatigat animum quæsita. Ita Hieronymus. Vide psal. 50. in illud v. 8. *Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.*

26. Opus iungendum meditationi et doctrinæ.

Nota denique tertio, psalterium et cithara pulsantur manu, id est, operatio iungenda est meditationi et doctrinæ. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 364. *Organum quivis no-*

strum est, cum Deo mores suos ac vitam probat, atque hominum commodis aptus est. Absalon Abbas serm. 29. Cum vox vitam non remordet, dulcis est symphonia. S. Ignatius epist. ad Philadelph. agens de quodam sancto Episcopo: Aptavit se, ait, et composuit ad mandata et iustificationes, ὡς χορδαὶ τῇ κιθάρᾳ, *ut chorda ad citharam.* Vitam humanam lyræ undique perfectæ et accurate concinnatæ similem quidam veterum dixit. Et quidem, ut ait Hugo in psal. nostr. *Opera glossæ sunt doctrinæ.* S. Greg. Nyss. de Virgin. cap. 23. ἐνεργέστερα τῆς ἐκ τῶν λόγων διδαχῆς ἡ διὰ τῶν ἔργων ὑφήγησις: Efficacior est præceptorum explicatio, quæ factis fit, quam quæ verbis. Et contra, ut ait S. A Greg. Papa in Pastorali, loquentis auctoritas perditur, cum vox opere non adiuvatur: ita ille. Hinc in fimbriis vestis Aaronicæ pendebant tintinnabula cum malogranatis, ut vocis et actionis consonantia cerneretur. Absalon Abbas serm. 48. *Sunt*, ait, *in vestimento Aaron malogranata inserta tintinnabulis, id est, virtutum et bonorum operum adunatio cum sono prædicationis: ne forte alios volens instruere, seipsum iudicare videatur.* Euthymius præfatione in psalmos: *Sapientia*, inquit, *nihil aliud est, quam harmonia quædam dictorum et factorum.* Hoc autem in psalmo David seu Christus, dicit se locuturum sapientiam.

SECTIO SECUNDA.

27\. *Duo præstat. Primo, asserit mortem impiis horrendam esse et inevitabilem, vers. 6. Secundo, post mortem, collecta variis laboribus perire, vers. 12.*

PARAPHRASIS.

6. *Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me:*	6. Illud est ænigma, quod propositum cunctis volo. Quilibet possit dicere quid erit causæ, cur cum honoribus et divitiis circumfluam, in die mortis contremiscam? Peccata totius vitæ, quæ usque ad diem ultimam vitæ perseveraverint, furentium instar canum me circumsistent.
7. *Qui confidunt in virtute sua: et in multitudine divitiarum suarum gloriantur.*	7. Illos ipsos qui in potentia sua spem collocant, atque in divitiarum suarum copia sibi applaudunt, de eaque gloriantur.
8. *Frater non redimit, redimet homo: non dabit Deo placationem suam.*	8. Ne frater quidem a moriendi necessitate eximet, quanto minus quivis extraneus? ex omnibus suis divitiis, honoribus et potentia nihil habent, quo Deum placare possint.
9. *Et pretium redemptionis animæ suæ: et laborabit in æternum, et vivet adhuc in finem.*	9. Neque ullum pretium reperient, quo se a morte liberent: ac præterea sine fine tota æternitate laborabunt? Vivent quidem adhuc his in terris, sed ita ut finem vitæ reperiant.
10. *Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes: simul insipiens, et stultus peribunt.*	10. Itaque quilibet eorum errat, cum divitiis suis et honoribus excæcatus, se non esse moriturum sibi persuadet, licet ob oculos illi mors sapientum obversetur. Nam interibit has stultas cogitationes animo versans.
11. *Et relinquent alienis divitias suas: et sepulcra eorum domus illorum in æternum.*	11. Neque tot aggestos thesauros secum auferent: sed aliis, ac persæpe hostibus, aut ingratis deserent. Et qui prius laqueatis et auro fulgentibus in ædibus superbiebant, nullam aliam domum præter fœtens sepulcrum sortientur.
12. *Tabernacula eorum in progenie, et progenie: vocaverunt nomina sua in terris suis.*	12. Palatia vero, quæ sibi extruxerant, stabunt quidem, sed ab aliis multas in ætates possidenda. Nihil in terris relinquent præter inane nomen, quod villis suis, prædiis, domibusque indiderunt, de æterna sibi veraque gloria comparanda in cælis non solliciti.

QUÆSTIO UNICA.

QUAM INUTILES DIVITIÆ IN MORTE, ET POST MORTEM.

28\. *Avari morientis miserabilis status.* POST magnificam præfationem, qua ænigma se propositurum Christus professus est, illud tandem exhibet. Tabellam enim nobis amplam proponit, cuius altera in parte cubiculum emicat aulæis penillibus mira arte elaboratis circumvestitum, omni ex parte arcæ apertæ auro argentoque irradiant, abacus aureo gemmeoque vasario effulgurat, lectus unus in angulum remotus lapillorum splendore mirabilis: eius in medio iacet dives impius, affinium amicorumque aurata corona circumseptus: medicus anhelanti similis advolat, manumque pertentans, et micantem atque intercisum venarum saltum demirans infremit. Deus tabellæ in summo fulmen iamiam excussurus intonat. Undequaque stygis prædones morbidum obvallant, mors tandem falce armata undantem turbam prætervecta iugulo telum infigit. Sed hæc omnia in psalmo nostro videamus.

Ordo sectionis huius. Ac primo, auro argentoque confarcinatus dives in lecto decumbens digito in thesauros suos amicosque intento, B tremula voce ingeminat, v. 6. *Cur timebo in die mala?* Tum dæmonum triste echo, caput, latus, ac pedes obvallantium, respondet, *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.*

Secundo, lacrymis oculos vultumque suffusus, circumiacentes amicos parentesque, uxorem ac liberos hortatur, sibi ut succurrant. Illi interclusa suspiriis atque singultibus voce a divitiis et honoribus subsidium sibi quærendum admonent, v. 7. *Qui confidunt in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur, frater non redimit.*

Tertio, advocato medico montes aureos pollicetur, sibi si his in angustiis possit præsto esse. Triste præsagium medicus immurmurans, capiteque in humeros contracto effatur, v. 8. *Frater non redimit, redimet homo?*

Quarto, ab hominibus exclusum se advertens ad thesauros suos ægrotans dives fugit, in iisque spes suas defigens, Deo ingentem auri summam offert, si vitam protrahat: sed Deus terrifica voce intonans lethalem sententiam enunciat: *Non dabit Deo placationem suam.* Et v. 9. C *Et pretium redemptionis animæ suæ.*

Quinto denique, mors audita damnatoria sententia, moræque impatiens, boatu horribili insonat: *Laborabit in æ-*

ternum, et vivet adhuc in finem. Et circumfusos, frustraque insilientem remorari: connitentes altines penetrans, ait v. 10. *Non videbit interitum, eum viderit sapientes morientes.* Teloque fauces elidens, intimumque cor permeans insultat: *Simul insipiens et stultus peribunt.*

In altera tabellæ parte vile cadaver in terram abiectum iacet, detrito amiculo vix tectum, ac sarcophago inclusum: hæredes in omnem supellectilem invadunt: hic beluatis tapetibus oneratur, ille aurata vasa subripit, ille auri argentique arculas occultat: servi vicinique, velut in hostili direptione, sua reputant, quæ sibi vendicare potuerunt: omnes mortuum dicteriis vellicant, suaque ei vitia exprobrant. Christum audiamus, qui omnia impiis post mortem effluere asseverat. Primo enim, divitiæ illis excident, v. 11. *Et relinquent alienis divitias suas.* Secundo, corpus in sepulcro putrescet: *Et sepulcra eorum domus illorum in æternum.* Tertio denique, fama eorum diffluet, solo vix nomine in terris manente, v. 12. *Tabernacula eorum in progenie et progenie: vocaverunt nomina sua in terris suis.* Hæc omnia Christus dicit, sed utilitatis causa sic velut drama aut ænigma distinxi.

ARTICULUS I.

Mors diviti scelerato terribilis est et inevitabilis.

29. Vers. 6. Duo hic de morte dicuntur. Primo quidem, quod sit terribilis, et statim causa subiicitur, nempe peccata, v. 6. CUR TIMEBO IN DIE MALA? (Hebr. in diebus mali, ut vertit Felix: malis, ut S. Hieron. κακωσεως, id est afflictionis, ut Symmachus: tempestatis malæ, ut Chald.) INIQUITAS CALCANEI MEI CIRCUMDABIT ME. Quæres, quis hic loquitur? Respond. illum ipsum loqui, qui dixit initio: Audite hæc omnes gentes: nempe Christum. Neque obstat quod dicatur, *iniquitas calcanei mei circumdabit me;* peccata enim populi sui reputat esse sua, cum pro illis vadem se ac sponsorem promiserit. Sic Ps. 21. 1. dicit: *Longe a salute mea verba delictorum meorum.*

Dies mala impio est dies iudicii et mortis. Quæres secundo, quænam hæc dies mala? Primo, est dies iudicii extremi: ita S. Chrysostom. qui eam vocat, φοβεραν και αφορητον, terribilem et intolerabilem, et Dionys. Carth. qui appellat horrendam et horribilissimam. Vide Sophon. 1. et dicta Ps. 1. sect. ult. Secundo, dies mala est dies mortis; et quidem hoc in loco id est commodius, ut infra videbitur. Eccli. 41. dicitur: *O mors, quam amara est memoria tua,* (quid erit ipsa præsentia?) *homini pacem habenti* (εν ειρηνευοντι, pacifice viventi) *in substantiis suis,* quibus se obvolvit, ut vermis in tota sua serica. Secundus Philosophus ab Adriano Imp. interrogatus, quid esset mors? ait: *Mors est æternus somnus, dissolutio corporum, divitum pavor, pauperum desiderium, inevitabilis eventus, incerta peregrinatio, latio hominis, somnii pater, fuga vitæ, vivorum discessio, resolutio omnium.* S. Isidor. Hispal. lib. 11. Origin. cap. 2. Mors dicta est, inquit, quod sit amara; vel a marte, qui est effector mortium: sive mors a morsu primi hominis, qui vetitæ arboris pomum mordens mortem incurrit. Epicurus voluptatum auceps mortem vocat, φρικωδεστατον κακων, omnium malorum maxime horrendum. Sed id maxime est verum in divite. S. Chrys. apud Antonium in Melissa: *Mors,* inquit, *hominis divitis et fortunati, duplex est.* Primo enim anima eius avellitur a corpore. Secundo, avellitur a divitiis, quibus sæpe magis unitur quam corpori.

30. Calcaneo quinque denotantur. Causa timoris assignatur iniquitas, vers. eod 6. INIQUITAS CALCANEI MEI CIRCUMDABIT ME. Nota, iniquitas dupliciter sumi potest. Primo, pro pœna iniquitatis seu peccati. Est metonymia. Secundo, in propria significatione. Nota secundo, in calcaneo quoque possunt considerari, 1. quod est pars pedis, sic pro ipso pede sumitur synecdochice, pes vero pro gressu metonymice, et gressus pro actione metaphorice; 2. calcaneus est pars pedis extrema; 3. est pars infima; 4. vestigium sui imprimit terræ; 5. calcaneo alium supplantamus.

A

Quæres, quænam est iniquitas calcanei? Primo, est peccatum originale, quod est veluti vestigium serpentis in Adæ posteris impressum: ita S. Ambros. S. Hieronym. et Bruno. Verba S. Ambrosii sunt: *Alia est iniquitas nostra, alia calcanei nostri, in quo Adam dente serpentis est vulneratus, et obnoxiam hæreditatem successionis humanæ suo vulnere dereliquit, ut omnes illo vulnere claudicemus. Unde Dominus discipulis pedes lavit, ut lavaret venena serpentis: et Petrus reprehenditur, quod excusabat, ne sibi Dominus pedes lavaret. Ideoque dictum est ei: Nisi lavero tibi pedes, non habebis meeum partem. Quo audito non solum pedes, sed etiam manus obtulit abluendas. Cui Dominus respondit: Qui lotus est, non habet necesse ut iterum lavet, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Ergo David dicit Ps. 37. Iniquitates meæ superposuerunt caput meum: qui se noverat in iniquitate esse conceptum, et in delictis a matre generatum:* ita Ambrosius subtiliter. Sed iniquitas originalis non circumdat adultum iam iustificatum, et in die iudicii mala et terrifica magis timebuntur peccata actualia quam originale. 31. Calcanei iniquitas quæ? I.

B

II. Secundo igitur, et melius. S. Basil. S. Athan. Bruno, aliique, per iniquitatem calcanei, seu gressus, intelligunt quodlibet peccatum actuale. Euthymium audiamus: Timeo, ait, quia tunc iniquitas calcanei mei, hoc est peccatum meum, circumdabit me. Calcaneum enim posuit pro deceptione: sicut in Ps. 40. dicitur, *Magnificavit adversus me supplantationem.* Quod ex lectione Græca melius percipitur: cum Græca dictio πτερνισμος, hoc est supplantatio, απο της πτερνης, hoc est, a calcaneo deducatur. Peccatum vero merito deceptio appellatur, quia peccantem ipsum decipit. Hæc Euthymius η αμαρτια, ait S. Chrysostom. απατηλον και ικανον συναρπασαι: Est peccatum res fraudulenta, et apta ad arripiendum.

III. Tertio, calcanei iniquitas est luxuria: ita Hugo. Calcaneus, ait, est infima pars hominis, et ideo potest notare lapsum provenientem ex inferiori parte rationis, id est, ex sensualitate: sive ex inferiori parte hominis, id est, ex

C

carne. Remigius item sic loquitur: Calcaneus dicitur pars illa corporis, quæ terræ semper adhæret, ubi merito ambitio et cæteræ carnales iniquitates intelliguntur, quia semper circa terrena versantur: ita ille. De Holopherne aspiciente Iudithain habetur Iud. cap. 16. *Sandalia eius rapuerunt oculos eius.* Vide Ps. 31. 9.

IV. Et optime. Quarto denique, iniquitas calcanei est finalis impœnitentia: ita S. Aug. Beda, Bruno, Haymo, Hugo, Remig. et alii. Calcaneus enim est pedis extremitas. De avaro divite ac potente præsertim agitur in loco, et toto psalmo. Hic cum tota vita sese implicuerit, iis se circumdatum videt in morte. Omni ex parte furiæ æternales eum circumsistunt, ac memoriæ recursant, nullus est effugio locus. Hinc ei apparet vidua bonis spoliata, inde orphani exhausti, inde innoxii in fraudem inducti. Ex his omnibus oritur trepidatio. S. Chrysostom. hic αμαρτια μονον φοβερον, *peccatum solum est terribile.* Aristot. *Non facit timidum,* ait, *nisi reprehensibilis vitæ conscientia.* Contra vero, vir pius in morte securus est. Clemens Alex. ait mortem viro iusto esse, πυλην ζωης, portam vitæ. S. Cypr. de

D

mortalitate: Eius, inquit, est mortem timere, qui ad Christum nolit ire. S. Chrysost. in Ps. 111. ait, virum pium in morte esse, διδασκαλον ευθυμιας, tranquillitatis præceptorem. Seneca epist. 101. *Qui,* ait, *hoc modo se aptabit, cui vita sua quotidie fuit tota, securus est.* Virtutis autem studiosi ita vivunt, ut manibus suis animam gestantes, eam creatori suo restituere semper sint parati.

32. Calcanei iniquitas circumdat peccatorem. I. Ut circulus. Quæres secundo, quomodo peccatorem circumdat iniquitas calcanei? Primo ut circulus ferreus et indissolubilis. Hugo Card. Calcaneus, inquit, est extrema pars hominis, potest notare finem hominis, id est, mortem, in qua iniquitas, id est, pœna pro iniquitate, *circumdat hominem, ut circulus qui fine caret,* et hoc notat æternitatem pœnæ: ita Hugo.

II. Ut rete. Secundo, iniquitas calcanei peccatorem circumdat, ut ait Lyranus, *sicut rete involvens avem captam, vel bestiam.* Anima itaque peccatrix in morte similis est feræ aut avi

relibus circumplicatæ, et venatorum corona circumseptæ, quæ telum lethale semper expectat.

III. Ut murus. Tertio, iniquitas calcanei peccatorem circumdat, ut ait Bellarm. *instar aggeris aut muri, ut nullo modo evadere possit.* Marcus Eremita de lege spirit. cap. 17. φιληδονος καρδια, inquit, ειρκτη και αλυσις, *cor voluptatis amans, carcer est et catena.* Peccator itaque morti proximus, reus est cippo ferreo, et manicis: atque tetro ergastulo cinctus et conclusus, cui iam tortor feralem laqueum iniecit, ut gulam frangat. Bellarm. audi: Iniquitas calcanei mei circumdabit me; id est, quod me timere faciet in die illa mala, non est paupertas, quia Iudex non corrumpitur donis: non est humilitas generis, aut status, quia Iudex non respicit personas: non est malitia testium aut advocatorum, quia Iudex omnia novit: non est potentia adversariorum, quia Iudex neminem timet: denique nihil est aliud, nisi iniquitas, et non quævis iniquitas, sed sola iniquitas calcanei mei, id est, iniquitas extremæ vitæ meæ, iniquitas perseverans usque ad finem vitæ: illa enim si inveniatur in illa die in me, omnino circumdabit me instar aggeris aut muri, ut nullo modo evadere possim: quia tunc non erit locus pœnitentiæ, vel indulgentiæ: ita ille.

IV. Ut exercitus. Quarto, iniquitas calcanei circumdat peccatorem, velut exercitus, qui undequaque dispositis custodibus obsepsit fauces montis, ex quibus non possis evadere. S. Chrysostom. *Peccatum solum, ait, est terribile, quod undique circuit eos qui capiuntur, quovis exercitu gravius. Sunt ergo omnia agenda, ut non ab ipso circumdemur: postquam autem viderimus, id nos velle comprehendere, oportet manus eius effugere, ut faciunt egregii milites. Quod si etiam capti fuerimus, oportet id celeriter rescindere, sicut fecit David, qui per pœnitentiam vires eius abscidit. Fuit enim ab eo circumdatus: sed id statim effugit. Qui hoc timuerit, nihil aliud unquam timebit, sed irridebit ea quæ in præsenti vita bona sunt, et quæ molesta sunt contemnet, cum solus ille metus mentem eius agitet. Nihil enim aliud est ei formidabile:* ita Chrysostom. Græce habet, αμαρτια μονον φοβερον πανταχου κυκλουσα τους αλισκομενους, και στρατοπεδων χαλεπωτερον.

V. Ut spectrum. Quinto, iniquitas calcanei peccatorem circumdat, velut spectra importuna, sursum, deorsum, a tergo, et a latere sese obtrudentia, et terrificis formis horrorem incutientia. Agapetus Diaconus in Parænesi ad Iustinian. Cæsarem: Ον τροπον, inquit, αι σκιαι τοις σωμασιν επονται, ουτως αι αμαρτιαι ψυχαις ακολουθουσιν: *Sicut umbræ corpora sectantur: sic animas flagitia comitantur: ideo non datur in iudicio negare.* Dionys. Carth. in psal. nostr. Undique, ait, obiicietur mihi, et redundabit in me. In die namque iudicii accusabitur homo a dæmonibus, ab angelis, a conscientia propria, imo et a iudice ipso: ita ille. Quis ita circumdatus non perhorrescet?

VI. Ut serpens. Sexto denique, iniquitas calcanei peccatorem circumdat, sicut serpens venenum infundens et nodo suo suffocans. S. Asterius id de avaritiæ peccato, quo maxime laborant divites, de quibus est hic psalmus, asserit Hom.3. in avaritiam: *Avaritiæ,* ait *morbus eiusmodi est, ut vix unquam eo liberari possis,* και ωσπερ ο κισσος το ευθαλες φυτον και αει φυλλον, *et sicut hedera semper virens ac frondens, ad arbores adsitas adrepens valide circumvolvitur, et adhæret: ac ne ramis quidem fatiscentibus aut arefactis recedit, nisi qui flexus istos,* καθαπερ δρακοντος, *tamquam draconis amputet: ita nec avari mentem, sive iuvenis sit, sive senex, in libertatem facile vindicaris,* εαν μη τις νηφαλεος λογισμος επελθων, ως μαχαιρα διακοψη την νοσον, *nisi studio prudentique consilio, velut gladio, morbum discideris.*

33. Tentatio ni resistendum in principio. Nota, si vis ut calcanei iniquitas te non circumdet, eius initio obsiste. S. Aug. in Psal. nostr. *Modo cum vivunt, provideant sibi, tollant iniquitatem a calcaneo suo, ambulent illam viam, ambulent per viam, de qua ipse dixit Ioan. 14. Ego sum via, veritas, et vita: et non timeant in die mala, quia dat illis securitatem, qui factus est via. Ut quid timebo in die mala? Iniquitas calcanei mei circumdabit me. Ergo vitet iniquitatem calcanei sui. In calcaneo quisque labitur. Intendat charitas vestra. A Deo quid dictum est serpenti, Gen. 3. Ipsa tuum observabit caput, et tu eius observabis calcaneum. Diabolus calcaneum tuum observat, quando labaris ut deiiciat te. Ille observat calcaneum tuum, tu observa caput illius. Quod est caput illius? Initium malæ suggestionis illius. Quando incipit mala suggerere, tunc repelle antequam surgat delectatio, et sequatur consensio, et tunc videbis caput eius, et non apprehendet ille calcaneum tuum. Quare autem Evæ hoc dixit? Quia per carnem labitur homo. Eva nobis interior caro nostra est. Qui diligit,* inquit, *uxorem suam, seipsum diligit. Quid est seipsum? Sequitur et dicit: Nemo enim unquam carnem suam odio habuit.*

Symbolice. S. Ambros. iniquitas, ait, calcanei nostri prævaricatio est Adæ, qua prolapsus est in contemptum et dissimulationem cælestium mandatorum. Secundo, est etiam iniquitas calcanei, Iudæ hæsitanda proditio. Calcanei, ideo, quia scriptum est Ioan. 13. *Qui manducat mecum panem, levabit super me calcaneum suum.* Bene et ibi suum, et hic meum dixit. Suum, quia Christus sine iniquitate: hæc autem solius iniquitas proditoris. Meum autem calcaneum, quasi ultimum sui corporis Iudam Christus appellat, cuius nos sumus corpus et membra. Apostoli præstantiora et actuosa membra sunt Christi, Iudas calcaneum, quasi extrema pars corporis serpenti obnoxia, et patens vulneri. Primum ergo calcaneum Adam, secundum calcaneum Iudas. Ille lapsus totius hæreditatis, hic solius proditoris, qui hæreditatem implicare non potuit, quia iam non carnales sumus sed redemptoris hæreditas, Scriptura dicente: Est hæreditas credentibus in Domino. Tertio, est et illa iniquitas calcanei sui, quæ circumdedit Christum. Ps. 117. *Circumdantes,* inquit, *circumdederunt me, et in nomine Domini quia ultus sum in eos.* Calcaneum eius synagoga est, decor et gloria vultus eius Ecclesia, sicut scriptum est Ps. 92. *Dominus regnavit, decorem induit.* Quarto denique, omnes qui luxuriose vivunt et non tenent caput, calcaneum Christi sunt. Hæc Ambr. paulo subtilius. 34. Symbol. Calcanei iniquitas est peccatum Adæ, et cur?

Secundum ex propositis in hoc articulo est, mortem esse inevitabilem divitibus et potentibus, v. 7. QUI CONFIDUNT IN VIRTUTE SUA (S. Hieron. in fortitudine sua. Chald. in divitiis suis. Has virtuti præfert avarus, et in illis vim suam ponit) ET IN MULTITUDINE (Cassiod. in abundantia) DIVITIARUM SUARUM GLORIANTUR (S. Hier. superbiunt). Vers. 8. FRATER NON REDIMIT, REDIMET HOMO? NON DABIT DEO PLACATIONEM SUAM (S. Hier. propitiationem pro eo). Et v. 9. ET PRETIUM REDEMPTIONIS ANIMÆ SUÆ: ET LABORABIT IN ÆTERNUM, ET VIVET ADHUC IN FINEM. S. Hieronym. vivet ultra in sempiternum. Symm. vivens semper perseverabit. 35. Vers. 7. et 8. Vers. 9.

Sensus est, q. d. Qui non timent diem malam mortis et iudicii, sed in potentia sua et robore confidunt, atque in divitiarum suarum abundantia superbiunt et inaniter gloriantur, neminem enim reperient a quo liberentur. Neque enim fratres ipsi et charissimi quicumque succurrere poterunt, multo minus quivis alii homines. Nihil reperient in thesauris suis, quo Deum iudicem incorruptibilem placare possint, et animam suam a damnatione redimere. Tunc incipient angi et laborare, nunquam finem doloris sui reperturi, vivent enim tota æternitate in tormentis.

Nota, το *Frater non redimit, redimet homo,* dupliciter legitur. Primo, Cassiodorus primum membrum, id est, *frater non redimit?* legit cum interrogatione, q. d. cum admiratione, fieri ne potest, ut frater non redimat, nempe Christus eum, qui obfirmato animo in iniquitate moritur, quæ dicitur iniquitas calcanei. Secundo, et melius, S. Basilius primum membrum legit sine interrogatione, secundum vero cum illa: *Frater non redimit, redimet homo?* q. d. Nec frater, nec ullus alius homo redimet. Deinde ad subliminiorem, ut ait, sensum provehitur, et probat Christum esse plusquam hominem, cum ipse nos redemerit. Verba eius audiamus: *Frater orat Israelis Moses, non tamen ipsum redimere valuit. Quomodo si tantus vir non potuit, alius e vulgo quivis poterit? Quamobrem* 36. Christus fuit homo Deus cum nos redemerit.

illud quidem pronuntiat: Frater non redimet; hoc vero per interrogationem cum gravitate infert: Redimet homo? Moses enim non a peccato populum liberavit, sed Dei adversus peccatum mitigavit promotam indignationem: placationem vero dare Deo ne pro seipso quidem, ut qui ipse in peccato esset, potuit. Nam et ipse post tanta taliaque prodigia et signa quæ vidit, illam emisit vocem, per quam certo discere volebat, nimirum subdubitans. Audite me rebelles et increduli: Num ex hac petra vobis aquam educemus? Ob hoc itaque verbum dixit Dominus ad Mosem et Aaron: Quia non credidistis mihi, ut me sanctificaretis coram Israel, non introducetis synagogam hanc in terram, quam illis dedi. Non dabit ergo Deo propitiationem pro seipso. Quid enim usquam tanti est momenti quod homo poterit dare pro redemptione animæ suæ. Inventum tamen unum est pro omnibus simul hominibus dignum pretium, εν ομου παντων ανθρωπων ανταξιον, *nempe sanctus et omni pretio superior pretiosus sanguis Domini nostri Iesu Christi, quem pro nobis omnibus effudit: quamobrem pretio sumus empti. Si igitur frater non redimit, redimet homo? Si enim homo nos redimere nequit, qui redemit homo non est. Noli igitur quia Dominus in carnis similitudine ad nos venit, et nobiscum est versatus, eum tantummodo hominem existimare, illius divinæ virtutis et potentiæ ignarus, qui opus non habebat sese sua causa Deo offerre, neque suam ipsius animam redimere, cum peccatum nullum admiserit, nec dolus sit in eius ore inventus. Redimere seipsum nullus idoneus, nisi veniat is qui convertat captivitatem populi, non pretio quidem aut donis, ut in Isaia scriptum est, sed suo sanguine, qui non fratres nos existentes, sed inimicos post peccatum factos (neque item homo nudus, sed Deus) post libertatem nobis gratuito concessam fratres nos suos appellat. Annuntiabo enim, inquit David, nomen tuum fratribus meis. Itaque qui nos redemit, si eius consideraris naturam, nec frater est, neque homo; si vero ipsius in nos per gratiam condescensionem expenderis, et fratres nos nominat, et ad humanitatem usque descendit: qui pro orbe toto, non autem pro se propitiationem dedit. Non enim opus habet propitiatione, sed ipse est propitiando patri placatio. Talis enim nobis pontifex conveniebat sanctus, innocens, immaculatus, segregatus a peccatoribus, et sublimior cælis factus: qui non haberet quotidie necessitatem, sicut pontifices illi prius pro suis peccatis sacrificia offerre, deinde pro populi ignorantiis.*

37. *Quomodo fuerit necessaria incarnatio.* Quæres, an ita fuerit necessaria Verbi Incarnatio, ut neque de potentia absoluta ullus homo vel angelus potuerit satisfacere pro peccato Adami et posterorum? Primo, de fide est, quod nullus homo carens gratia Dei potest condigne Deo satisfacere pro ullo peccato, præsertim mortali. Secundo, certum est de lege ordinaria nullum præter Christum posse aliis mereri de condigno, nec pro illis similiter satisfacere, saltem quoad culpam. Tertio, de potentia absoluta fieri posset, ut homo purus innocens et sanctus satisfaceret de iustitia, et aliquo modo de condigno pro peccatis aliorum etiam totius generis humani. Hanc conclusionem indicat S. Thomas 3. p. q. 1. art. 2. et clarius q. 64. art. 4. idem in 4. dist. 15. Paludan. in dist. 20. Soto in 4. dist. q. 5. art. 4. dist. 19. art. 3. lib. 3. de natura et gratia cap. 6. Vega lib. 3. in Trid. cap. 15. Ratio est, quia nullam contradictionem implicaret, Deum constituere purum hominem iustum, qui esset caput hominum in ordine gratiæ, quam in alios posset aliquo modo influere. Id explicatur a simili: nam si solam naturam rei spectemus, etiamsi Adam futurus esset parens et fons omnium hominum in esse naturæ, non inde ex natura rei consequebatur, ut peccatum eius ad posteros derivaretur, ut ex materia de peccato originali constat, et nihilominus fieri potuit ordinatione divina, ut omnium posterorum voluntates in eius arbitrio et voluntate moraliter ponerentur, et quoad hoc Adam esset caput cæterorum: et hac ratione illo peccante omnes in illo peccare censentur, et postea ab illo geniti, merito ac iuste illius culpam contrahunt: ergo pari ratione potuisset Deus facere aliquem hominem caput aliorum in esse gratiæ, et omnium voluntates in illo ponere, ut illo merente et satisfaciente, omnes in illo et per illum satisfacere existimarentur, sicut nunc dicuntur peccasse in Adam. Denique, posset Deus puro homini dare tantam gratiam et gloriam, quantam contulit animæ Christi, et cum eo pacisci, seu illi præcipere, ut se suasque omnes actiones ad bonum aliorum hominum referret, illisque mereretur, et pro illis satisfaceret, illique promittere, aliis propter ipsum se benefacturum, et remissurum peccata, si ipse bene se gereret, et convenienter gratiæ et muneri susceptis operaretur. Nam in hoc toto facto nihil est impossibile, nihil incongruum. Hoc autem posito facile intelligitur, opera illius hominis futura fuisse sufficientia ad merendum et satisfaciendum pro aliis ex aliqua iustitia: quia illa opera de se haberent aliquam proportionem cum illo effectu, non quidem perfectam, sed nec omnino nullam, propter dignitatem gratiæ et charitatis. Rursus intercedebat promissio sub conditione talium operum, et antecedens ipsa opera quæ tunc fierent fundata in tali promissione: ergo illis deberetur merces, seu effectus promissus, non ex simplici fidelitate, sed ex iustitia. Quarto tamen in illa satisfactione puri hominis non potuisset perfecta iustitiæ ratio inveniri, ut docet Abulensis in prologo Matthæi quæst. 17. et in cap. 34. Exod. quæst. 7. Altisiodorensis lib. 3. summæ tract. 1. cap. 8. Alensis 3. p. q. 1. memb. 6. art. 1. et 2. S. Bonaventura in 2. dist. 20. q. 3. et 4. Richardus q. 4. et 5. Driedo de captivitate et redemptione generis humani, tract. 2. cap. 2. part. 3. art. 6. in 4. Ratio est, quia opera puri hominis non habent valorem sufficientem ad satisfactionem omnino æqualem. Nam omne peccatum mortale habet quamdam infinitatem, quia offendit personam infinitam. S. Thom. 3. p. q. 1. art. 2. ad 2. *Peccatum*, ait, *contra Deum commissum, quamdam infinitatem habet ex infinitate divinæ maiestatis: tanto enim offensa est gravior, quanto maior est ille, in quem delinquitur. Unde oportuit ad condignam satisfactionem, ut actus satisfacientis haberet efficaciam infinitam, utpote Dei et hominis existens.* Quod si dicas, peccatum non esse simpliciter infinitum, sed solum secundum quid, et obiective. Dico tamen esse improportionabile, et, ut ita dicam inadæquabile per satisfactionem exhibitam a persona finita: quia habent quantitates quasi diversarum rationum et ordinum. Hæc et longe plura Suarez t. 1. in 3. partem disp. 4. sect. 7. Unde collige, quantum debeas Christo pro te incarnato, cum sine eo redimi non potueris.

38. *An homo purus pro suo mortali peccato satisfacere potuit.* Quæres secundo, an homo purus possit satisfacere pro culpa mortali propria? Respond. cum Davide nostro: *Non dabit Deo placationem suam, et pretium redemptionis animæ suæ.* Primo itaque, ut docet Suarez, mox citata disputatione, sect. 9. homo non potest satisfacere ad æqualitatem pro peccato mortali proprio per actum contritionis, ut procedentem a gratia sanctificante, seu ut ab illa formatum. Probatur sive admittamus, actum contritionis elicitive et effective procedere ab habitibus gratiæ, sive contrarium, quod verius est, supponamus. Nam iuxta priorem sententiam vel supponitur gratia, ad hos actus solum ut infusa ex parte Dei, et non ut recepta ex parte hominis, vel utroque modo. Si primum dicamus, ergo gratia illa, ut ab illa procedit contritio, non sanctificat hominem, neque expellit ab eo peccatum, quia non sanctificat nisi ut recepta et informans, nondum autem intelligitur recepta: ergo ut sic non potest esse principium satisfactionis de condigno, seu ad æqualitatem. Patet consequentia, quia non potest esse satisfactio ad æqualitatem, nisi saltem supponatur persona grata, et a peccato munda. Et confirmatur, quia non solum gratiæ infusio, ut tenet se ex parte Dei, sed etiam ut recepta ex parte hominis, gratis illi donatur: ergo contritio ut antecedit gratiam ut receptam, non potest esse condigna satisfactio pro culpa: alioqui gratis daretur. Si vero dicatur receptio gratiæ etiam ut informantis hominem, antecedere contritionem, rursus alio dilemmate utendum est. Nam, vel simul cum gratia sic infusa et recepta supponitur, adhuc non potest esse a tali persona æquivalens

satisfactio: quia nondum est persona simpliciter grata et sancta, cum nondum sit illi culpa remissa. Si autem etiam ipsa culpa supponitur iam remissa: ergo omnino gratis, et sine ulla satisfactione remissa est: ergo iam nullus relinquitur locus satisfactioni pro tali culpa. Secundo, Peccator, cum a peccato mortali resurgit, non satisfacit condigne Deo, seu ad æqualitatem, per actum contritionis seu dilectionis, ut est ei dispositio ad remissionem peccati, et prior natura illa. Probatur ex Scriptura in omnibus illis locis, in quibus remissio peccati, gratia appellatur, et negatur dari ex operibus, ad Ephes. 2 ad Titum 3. ad Rom. 3. Nam, si esset ex condigna satisfactione, revera esset ex operibus. Nam debitum, quod per condignam solutionem solvitur, non gratis remittitur sicut temporalis pœna, pro qua iustus ex condigno satisfacit, non potest dici, vere et in se gratis remitti. Tertio tamen, potest homo satisfacere gratia excitante adiutus, pro culpa propria mortali, saltem imperfecte. Probatur, quia homo potest, quod in se est facere, ut recompenset iniuriam, et Deus potest talem recompensationem exigere, et illa contentus esse: ergo in eam actionem hoc modo factam vere ac proprie convenit nomen et ratio imperfectæ satisfactionis. S. Thomas in 4. dist. 14. q. 1. art. 1. quæst. 5. dicit, pœnitentiam virtutem, esse partem iustitiæ, quia reddit Deo debitum ex iustitia, et quamvis non possit reddere æquale offensæ præcedenti, reddit quod sibi est possibile: sed satisfacere nihil aliud est, quam recompensare iniuriam: ergo hoc facit peccator per ultimam dispositionem, et perfectam peccati detestationem. Sed adverte, quod in die mala non erit tempus amplius, nec ulla placatio aut pretium redemptionis a quocumque recipietur.

39. Moral. Divitiæ sunt origo superbiæ.

39. Moral. Divitiæ sunt fons et origo superbiæ. *Qui confidunt in virtute sua* (Chald. in divitiis suis) *et in multitudine divitiarum suarum gloriantur*. S. Iacob. cap. 4. 16. divites increpans, ait: *Nunc exultatis* (καυχᾶσθε, id est gloriamini) *in superbiis vestris;* hoc est, in divitiis, quæ superbos efficiunt, ut explicat Thomas Anglicus. Nam, ut ait S. Cyrill. in Canticum Habacuc, εν υπεροψιαις το πλεονεκτημα, ubi fortunæ maiores, ibi superbia. S. August. Vermis, inquit, divitiarum est superbia. Hinc, ut dicit Clem. Alex. lib. 2. Stromat. πλουσιους σφοδρα ειναι καγαθους, αδυνατον, ut valde sint divites et boni, nequit fieri. Seneca, Multum est non corrumpi divitiarum contubernio. Remedium vis contra inanem illam gloriationem ob multitudinem possessionum et divitiarum? Utere Socratis invento, qui præclare irrisit Alcibiadem sua prædia iactantem, cum ei obiecit tabulam cosmographicam Atticæ, petiitque illa sibi in ea ostendi: cum enim ea ostendere non posset: *Vide*, inquit, *quantula ea sunt quæ in tantilla tabula ostendi nequeunt*. Hæc Ælian lib. 3. variæ historiæ.

Divitiæ a morte non liberant.

40. Secundo nota, divitias et honores non liberare a die mala mortis et iudicii. *Frater non redimit, redimet homo?* Salomon hoc docet Prov. 11. 4. *Non proderunt divitiæ in die ultionis: iustitia autem liberabit a morte*. Chald. *Non prodest mendacium* (id est, mendaces et fallaces divitiæ) *in die iræ: iustitia vero liberat a morte mala*. Agapetus Diaconus ad Iustinianum Cæsarem: *Dignitatum*, ait, *splendores mors non reformidat:* κατα παντων γαρ επιβαλλει τους παμφαγους αυτου οδοντας: *Omnibus enim voraces suos dentes infigit*. Unde sapienter concludit: *Igitur ante illius*, απαραιτητου παρουσιας, *ineluctabilem adventum opum copiam transportemus in cælum: nemo enim quæ colligit in mundo, illuc profectus abducit, sed omnibus in terra derelictis*, γυμνος λογοθετειται τον βιον αυτου, *nudus de vita sua reddit rationem*. Itaque tunc purpura non fulget, nec aurum et gemmæ perstringunt oculos, nec satellites præsidium præstant.

Parentes a morte non liberant.

41. Tertio, nec parentes, nec amici liberant impios a die mala mortis vel iudicii, id expressius hic dicitur, *Frater non redimit, redimet homo?* Ezechiel. 14. v. 13. dicitur: *Terra cum peccaverit, interficiam de ea hominem et iumentum. Et si fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Daniel et Iob, ipsi in iustitia sua liberabunt animas suas*. *Filium autem et filiam non liberabunt*, id est, sibi charissimos: sibi non aliis proderunt. Sæpe fratres fratribus sunt noxii. Lego occisum Menalippum a Tydeo fratre, Chaonem ab Heleno, Guilielmum regem seu ducem Brittanniæ cognomento Rufum a Gualtero: sed fratrem a fratre donatum immortalitate non lego. Potuit Iulia filii sui Antonii furore ac cæterorum Triumvirorum, cum periculo sui capitis fratrem L. Cæsarem subtrahere: sed a morte prorsus eximere non potuit. Nec fratrem prorsus morti non obnoxium reddidit Intaphernis uxor, licet ab interitu, filiis neglectis ac marito, semel eripuerit. Res hæc ita luce digna est, ut omitti non possit. Hanc refert Herodotus lib. 3. Intaphernes, ait, unus ex Darii sociis, qui Persarum regnum a Magis fratribus furto occupatum armis vindicarant, post summam Dario relictam potestatem, cum a cubiculi ministro regem adire prohiberetur, ira percitus, aures illi et nasum abscidit, eamque ob noxam Intaphernes cum omni virili stirpe ad supplicium abreptus est. Iacuit eius uxor plures dies ante regis ianuam miserabiliter provoluta, cum lacrymis et flebili lamentatione. Cuius calamitatem miseratus Darius, misit qui illi nuntiarent, ut unum ex his qui interficiendi essent, sibi deposceret: futurum ut illius, quem incolumem vellet, vitam servaret. Nemo fuit, cui non certum videretur, fore ut amantissimi coniugis, aut unius liberorum vitam sibi optaret. Sed mulier fratrem depoposcit. Factum rex admiratus quæsivit, cur fratrem viro filiisque prætulisset. Cui illa: *O rex*, inquit, *maritus mihi alius si Deus voluerit, atque alii liberi, si hos amisero, esse possunt: alius frater, parentibus meis iam vita defunctis, nulla ratione potest esse*. Qua voce Darius vehementer commotus, non fratrem modo, sed et filium natu maximum illi restituit. Distulit illa mortem, non abstulit: quæ enim a regis sententia servare potuit, Dei decretum convellere, nec sibi, nec fratri valuit.

Fratres a fratribus occisi.

Amor erga fratrem in Iulia.

Et præsertim in uxore Intaphernis.

Munera a morte non liberant.

42. Tertio denique, nec promissa, nec munera liberant divites a die mala mortis vel iudicii. *Non dabit Deo placationem suam*, id est, pro se, *et pretium redemptionis animæ suæ*. Salomon Proverb. 6. 34. *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima*. Ubi Beda apte ad rem nostram: Dominus qui nunc parcit reprobis, non parcet in die mortis: nec acquiescet precibus sero clamantium ad se: nec dona, quorum non est ibi tempus vel facultas, suscipiet: zelatur enim si quis sponsam suam, id est Ecclesiam, sive animam quamque fidelem corrumpere præsumit: ita Beda de morte. Hoc patuit in Antioch. Epiphane rege Syriæ, ut fuse habetur lib. 2. Machab. cap. 9. qui mira pollicetur, et tamen dicitur v. 13. *Orabat hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus*. S. Hieron. de die iudicii ait epist. ad Heliodorum: *Tunc ad vocem tubæ pavebit terra cum populis, tu gaudebis. Iudicaturo Domino lugubre mundus immugiet, et tribus ad tribum pectora ferient. Potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt. Adducetur cum suis stultus Plato discipulis, Aristotelis argumenta non proderunt. Tunc tu rusticanus et pauper exultabis, et dices: Ecce iudex, qui involutus pannis in præsepio vagiit*, etc.

Sophon. 1. 18. dicitur: *Argentum eorum, et aurum eorum, non poterit liberare eos in die iræ Domini: in igne zeli* (Arab. Antioch. fervoris. Arab. Alexand. in flamma ignis) *eius devorabitur omnis terra*, id est, anima terrena. S. Ambros. de bono mortis, cap. 5. non auro redimitur anima, non argento: imo auro amittitur, dum aurum plus æquo amatur et quæritur. S. Leo serm. 5. de collectis: Foris splendidi, ait, intus obscuri, abundantes temporalium, inopes æternorum: quia ipsi animas suas fame afficiunt, et nuditate inhonestant, qui de iis, qui terrenis horreis commendaverunt, nihil thesauris cælestibus intulerunt. Eccli. 16. 8. habetur: *Non exoraverunt pro peccatis suis antiqui gigantes* (Syr. non pepercit regibus antiquis) *qui destructi sunt confidentes virtuti suæ*. Rabanus: Gigantes sunt, ait, qui terrenis desideriis irretiti, et peccatorum sarcinis prægravati, cor indomabile gerunt, nec

ad pœnitentiam illud flectere consentiunt, propterea misericordia Dei indigni, detrimentum suæ salutis perpetientes in interitum æternum corruunt: ita iiie. Hoc contigit diviti epuloni, qui non est exauditus a patre Abrahamo, ad quem suspirabat in tormentis, cum pauper Lazarus requiescebat. Lucæ 16. *Paupertas eum adiuvit.* Ut enim ait S. Gregor. Nyss. orat. 1. de beatitudinibus, paupertas est πρόξενος του κατ'ουρανον πλουτου, cælestium divitiarum conciliatrix.

43. *Satisfaciamus Deo multis modis.* Remedium est, si maturo Deo satisfacere conemur, non expectantes tempus mortis aut iudicii. Hugo Card. in Ps. nostr. Deus, ait, in futuro non poterit placari, sed in præsenti tantum, secundum quod dicit de Esau Gen. 32. *Placabo illum muneribus quæ præcedunt, et postea videbo eum, forsitan propitiabitur mihi.* Et nota quod multipiiciter Deus placatur. Primo contritione. Psal. 50. 19. *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Secundo, oratione. Eccli 35. 21. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* Tertio, sacrificio. Ps. 4. 6. *Sacrificate sacrificium iustitiæ, et* (post) *sperate in Domino.* Quarto, eleemosyna. Hebr. 13. 16. *Beneficentiæ autem, et communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis placatur Deus, vel promeretur:* ita Hugo. Si nobis diffidimus, offeramus pro nobis in pretium ad redemptionem Christum Patri. Ut enim ait S. Bernardus: Dedit nobis corpus in cibum, sanguinem in potum, animam in pretium.

ARTICULUS II.

Divites avari multum laborant, et stulti sunt.

Vers. 9. 2. Pars. Laborem divitum exponit Christus v. 9. Et laborabit (Lindanus legit, laboravit) in æternum, et vivet adhuc (S. August. Arnob. et Sept. non habent *adhuc*)

44. *In finem, pro in æternum.* in finem, id est, in sempiternum. Unde S. Hier. vortit: *Et vivet ultra in sempiternum*, et in commentario sic explicat, q. d. Non interficitur, sed semper reparatur ad pœnam. Felix, et vivit amplius in æternum. Lindanus, vivet in sempiternum. Campensis iungens versui sequenti sic exponit, q. d. Vivet quidem in æternum, sed sic, ut ne optatus quidem interitus illi contingat. Symmach. ζων αει διατελεσει, vivens semper perseverabit. Sic Ps. 12. 1. το *in finem* sumitur pro, in sempiternum. Et apertius Ps. 15. vers. ult. *Delectationes in dextera tua usque in finem.* Non est itaque audiendus Bellarminus in psalmo nostro, qui negat, vivere in finem, esse vivere sine fine, sed putat esse vivere usque ad statutum finem: ita ut finis vitæ naturalis non præveniatur, neque extendatur. Secutus est S. August. qui explicat, q. d. Labor eius sine fine erit: vita ipsius habebit finem. Sed hic sensus est difficilis. Nota, pro *in finem*, Hebr. est לנצח *laneca*, id est, in victoriam. Unde Aquila vertit, εις νικος; 2. in æternitatem: hanc enim etiam significat *neca*, ut docet Mercerus, q. d. Victoriam temporis, æternitas enim vincit omnia sæcula. Magnus enim dolor impiorum quod mori non possint. Apocal. 9. 6. *In diebus illis quærent homines mortem, et non invenient eam: et desiderabunt mori, et fugiet mors ab eis.*

45. *Felicitas temporalis est causa æternæ damnationis.* Agit de miseriis impiorum ante iudicium, quanto magis id verum erit post iudicium in æternis flammis? S. Aug. in Psal. 139. *Qui in gyrum nusquam finit, ipse est labor impiorum.* S. Bernard. Senensis serm. 23. in fer. 5. post 2. Dom. quadrag. art. 3. cap. 3. finem felicitatis terrenæ ait esse æterna supplicia, et unum ab alio portendi. *Sicut*, inquit, *fulgor tonitrua portat: ita prosperitas sempiterna supplicia prænuntiat.* Abraham dicit diviti epuloni eum in inferis torqueri, quia in terris habuit felicitatem temporalem. Nullam aliam affert causam, perinde quasi unum ex alio sequatur necessario. Lucæ 16. 2. *Fili recordare, quia recepisti bona* (Gr. et Arab. additur *tua*, id est, terrena, ea quæ optabas et putabas bona) *in vita tua, et Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* S. Greg. hom. 40. in Evangelia: Mala Lazari, ait, purgavit ignis inopiæ, et bona divitis remuneravit felicitas transeuntis vitæ. Et fusius S. Bernardus atque expressius dicit in Declam. Expergiscimini ebrii et flete: terribilis enim Deus in iudiciis super filios hominum. Hæccine cruciatuum causa tota, quod in hoc sæculo bona recepit? ipsa plane. Neque enim ad hoc nos de paradiso voluptatis animadversio divina eiecisse videtur, ut alterum sibi hic paradisum adinventio humana pararet. Homo ad laborem natus, si laborem refugit, non facit ad quod natus est, ad quod venit in mundum. Quid respondebit ei, qui misit eum, qui instituit ut laboraret? Quid dicemus ad hæc? si talis finis, et tale iudicium, ut extrema gaudii luctus occupet, numquid non præferenda sunt in hoc sæculo mala bonis? Quippe, nec illa vera bona, nec illa vera mala esse manifestum. Vera potius sententia Salomonis: *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii:* ita Bernardus.

Nota, impii divites evitare conantur laborem in hac vita, et habent duplicem laborem: nempe in hac vita et in futura; de utraque explicari potest, quod hic dicitur: *Laborabit in æternum.* Primo enim Iansenius sic explicat, q. d. Quod toto tempore præsentis sæculi laboraverit, an suo sibi labore comparare poterit, ut vivat in perpetuum? Certe nequaquam. Ita ille, sed non placet, quia non est in textu interrogatio. Verum tamen est quod auri et argenti vesana et inexplebilis cupiditas nullam diurnæ nocturnæque partem quietis concedit. Hinc sapienter Poeta quidam lib. 1. Anthologiæ Græc. cap. 66. aurum vocat, οδυνης και φροντιδος υιον, *doloris et curæ filium.* Poterat etiam dolorum et curarum parentem et fontem nominare. Nam et in principio, et in medio, et in fine labor est avaro ac dolor. Primo quidem initio, noctes insomnes ducit, ut auri corradendi modos excogitet. Hebraica vox און *on*, divitias significat, et laborem seu fatigationem, et iniquitatem. Hic est funiculus triplex, qui avarum constringit, et difficile rumpitur. S. Isidorus Pelusiota agens de amore divitiarum, lib. 2. epist. 233. *Eos*, ait, *quos ceperit, tyranno quovis acerbius torquet et excruciat, in eos insultans, ac præcipuas partes attingens, ac ne tantillum quidem interquiescere sinens, sed graviorem ipsis pœnam inferens, quam ii luant, qui ad metalla (quæ atrocissima pœna est) damnati sunt.* Rationem affert: *Nam illis confecto opere, somno et quiete frui licet: iis autem somni quoque portam velut aggesta terra obruens, noctu quoque sæva illa et inhumana edicta proponit.* Secundo, in progressu, aggestæ opes mentem continuis curis vellicant. Has aptissimo explicat S. Gregor. lib. 16. Mor. cap. 29. dum illud Iobi 24. 20. *Dulcedo illius vermes*, examinans, laborem mundanorum, eorumque inquietos motus vermibus comparat: *Qui*, ait, *in hoc mundo appetit prosperari, cæteros excedere rebus, et honoribus tumere, huic nimirum cura sæcularis in delectatione est, et quies in labore. Valde enim fatigatur, si desit cura sæculi, qua fatigetur. Quia autem natura est vermium momentis singulis incessanter moveri, non immerito signatur nomine vermium inquietudo cogitationum. Perversæ itaque mentis dulcedo vermis est: quia inde delectabiliter pascitur, unde per inquietudinem incessanter agitatur.* Tertio denique, in fine labor augetur ac dolor, cum initam omnem operam suam excidisse avarus advertit. S. Nilus orat. 3. de avaritia: Dives, inquit, ærumnis et molestiis impeditus, et canis instar catenis devinctus est: quod si migrare compellatur, divitiarum memoriam et dolorem inutilem, tamquam gravem sarcinam circumfert, mœrore stimulatur, et animo angitur vehementer. 46. *Divites impii in hac vita multum laborant.*

Secundo et melius, *laborabit in æternum*, accipiendum est de labore quem in inferis tota æternitate avari et potentes scelerati patientur, de quo iam dixi supra. Addo locum Sapientiæ, cap. 6. 7. *Exiguo conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.* Arab. de potentibus autem investigabitur scrutatione potenti. Hoc patuit primo in Pharaone rege Ægypti, qui mersus est in mari rubro et multis plagis affectus, Exod. 7. ac seqq. Secundo, in Nabuchodonosore rege Babylonis in bestiam transformato, Dan. 4. Tertio, in Antiocho Epiphane rege Syriæ, 2. Machab. 9. Quarto denique, in Mauritio Imp. 47. *Et in æternitate.*

Orientis, cuius filii eo vidente a Phoca tyranno cæsi sunt, et ipse trucidatus, ut refert Baron. t. 8. anno 602. p. 158.

48. Vers. 10. Alterum impii divitis malum attingit Christus: nempe quod de morte non cogitet, atque ab ea ex improvisa intercipiatur, v. 10. NON VIDEBIT INTERITUM, CUM VIDERIT SAPIENTES (huius sæculi, et malos: ita Origenes, Hesych. Eusebius, Theodorus, Cyrillus, Didymus; 2. et melius, sapientes bonas et pios) MORIENTES: SIMUL INSIPIENS ET STULTUS PERIBUNT. Primo, de Christo explicat S. Basilius et Lindanus, q. d. Christus resurgens amplius non moritur: sed omnes huius sæculi sapientes videbit morientes. De eo etiam explicant præcedentia, *Laboravit in æternum, et vivet adhuc in finem*. Sed patet ex toto psalmi contextu hunc sensum esse difficilem et contortum.

Secundo igitur melius, dic esse hic sarcasmum seu irrisionem, q. d. Nan marietur ille sceleratus, cum ipsi sapientes moriantur: q. d. Est absurdum hoc dicere: unde elatiori voce pronuntiat decretoriam sententiam: *Simul insipiens et stultus peribunt*. Nata, videre interitum, est interire seu mori, sicut videre corruptionem est corrumpi, Ps. 15. 10. ubi dicitur: *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*.

49. Avarorum et delicatorum stultæ cogitationes. Tertio denique, non videbit, id est, non considerabit impius interitum ac mortem sibi imminere, licet videat pios et iustos mori. S. Hieron. Si, inquit, viderit hominem sapientem in Deo ab hoc mundo migrare, dicit: Quid huic iciunia? Quid castitas? Quid eleemosynæ profuerunt? Nonne et ipse mortuus est? Tale quiddam et Redemptori nostro Iudæi insultantes dicebant, Ioann. 8. *Numquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? et Prophetæ mortui sunt?* ita Hieronymus. Idem habet Bruno. S. Augustinus hunc vult esse sensum, q. d. Non videbit, id est, non intelliget, quid sit interitus, quando viderit sapientes morientes. Dicit enim sibi iste, quia sapiens erat, et cum sapientia inhabitabat, et cum pietate Deum coluit: numquid non est martuus? Faciam ergo mihi bene cum vivo. Nam si aliquid possent qui aliter sapiunt, non morerentur. Videt illum mori, et nan videt quæ sit mors. Quemodo Iudæi viderunt Christum pendentem in cruce, et contempserunt dicentes: Iste si Filius Dei esset, descenderet de Cruce: non videntes quid sit interitus. Si viderent quid sit interitus, se viderent. Ille moriebatur temporaliter, ut reviviseeret in æternum: illi vivebant temporaliter, ut morerentur in æternum. Sed quia illum videbant morientem, non videbant interitum, id est, non intelligebant quis esset verus interitus: Ita August. Hinc fiebat, ut marienti insultarent, eumque blasphemarent.

50. Divites non considerant mortem, et cur? Trapol. Nota primo, avarus dives aurum videt, delicias videt, gemmas videt, peristromata omnemque inanem mundi ornatum: Martem vero, osseum illud monstrum, nudatum cute portentum, non videt: ubi enim occursat, oculos claudit: delicatulus est, in mollibus hærere cupit.

Cæca est avaritia. Secundo, avarus dives mortem non videt quia cæcus est. Cum avaritiam mente mihi efformo, vetulam illam cogitatione fiago, quæ domi cum esset, oculos non in capite, sed ad zanam in suo marsupio ferebat: cum autem domo, velut antro seso extrahebat, oculos capiti intrudebat, ut videret num qua via in alienas domos posset irrumpere. S. Maximus Taurineas. Episcop. qui circa annum Christi 420. floruit Honorio et Theodosio iuniare Imper. sic ait homil. 2. de avaritia: *Cæca*, inquit, *est avaritia, sed diversis fraudum oculata ingeniis*. Lepidum est quod refert Artemidarus lib. 1. quemdam in somnis sibi visum fuisse habere, χρυσεα ομματα, oculos aureos: quod visum ita inauspicatum fuit, ut oculos amiserit. Proprium enim auri est excæcare. Cæcitas autem avaritiæ maxima est, quod obiectantem se toties mortem, et in oculos incurrentem, non videt: et, si quando teli spiculum advertit, caput alio flectit, et in medio auro sese excæcat. S. Bonavent. in illud Ps. 49. 8. *Hi in curribus, et hi in equis*, ad rem nostram commode ait: Avaritia in curru vehitur, cuius sunt quatuor rotæ: scillcet inhumanitas, pusillanimitas, contemptus Dei, *oblivio mortis*. Duo sunt equi, scilicet tenacitas et rapacitas. Auriga est amor habendi: Ita Bonaventura. Ex hac cæcitate oritur etiam, ut interitum æternum non consideret. Dionys. Carthusian. Peccator, ait, non considerabit past mortem temporalem instare et essa mortem æternam.

Mentis hæc cæcitas in avaro ita quotidie augetur, ut in amentiam degeneret. Unde additur eodem v. 10. SIMUL INSIPIENS ET STULTUS PERIBUNT. Gr. est αφρων και ανους. Primo, S. Basil. distinguit αφρονα, ανουν, ανοητον, μωρον, quod primus prudentia sit privatus, minus solers, aut perspicax ad obeunda communis vitæ istius officia. Secundus, qui et ανους, destitutus his, quorum cognitio mentem hominis præcipue adornat, ut mysterium Trinitatis et similia, sed invaluit consuetudo sacri eloquii, ut vicissim et promiscue duas voces αφρων και ανους, usurpet, idque pro eo, qui est αθεος: Ps. 13. 1. *Dixit insipiens* αφρων, *in corde suo: Non est Deus*. Tertius, qui non sapit ac versatur circa illa quæ vitæ nocent, quas appellat Paulus 1. Tim. 6. 9. επιθυμιας ανοητους. Addit præterea sumi posse αφρονα, pro ea qui gentiliter: ανουν, pro eo qui Iudaico secundum nudam legis observationem vivat? primo dictum, Lucæ 12. 20. *Stulte, stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te*, quia nan credebat Deum esse: secundum vocatum sub nomine Ephraim, Oseæ 7. 11. *Columbam seductam, non habentem cor*. De ultimo, quem dicunt μωρον, nihil dicit: canstat enim esse rationis usu plane destitutum: aliæ voces ut observat Didymus, non significant omnino mentis expertem, sed pravæ mentis, pravique animi: quemadmadum, inquit, qui non aptam habet vocem, αφωνον qui turpi facie est, απροσωπον, qui malefica arte præditus, ατεχνον dicere consuevimus. 51. Vers. 10. 2. Pars. Stulti sunt omnes peccatores.

Secundo, Theodoretus interpretatur ανοητον, qui quod decebat scire noluerit: αμαθη, qui omnis sapientiæ expers est, cum malitia tamen, et vitio vivit.

Tertio, Euthym. ait αφρονα esse, qui Deum non novit; ανουν, qui Deum quidem navit, sed terrenis tamen rebus affixus, a cælestibus animum avacavit.

Quarto, S. Ambr. definit insipientem, qui mala sapit, ut quod non sit Deus: sicut iniquus est, non qui æquitatem nescit, sed qui improbitate cordis sui iniqua committit: improbus, qui probitatem malitia sua destruere vult, non qui probitatem ignorat: stultus, qui nihil sapit, et stulta intelligit.

Quinto, Cassiodorus docet, insipientem esse, qui prædicationibus Prophetarum acquiescere non vult: stultum, qui Christum venientem recipere detrectat, videlicet Iudæos intelligit.

Sexto, Hieronymo, insipiens est, ad eum fere modum quem tradebat Euthymius, qui contemnit habere notitiam Dei: stultus, qui non in Deum sperat, sed in divitiis.

Septimo, Ruffinus et Haymo docent, primum non credere futuram pœnam: secundum, licet credat, non cavere.

Octavo, Remigius et Beda, qui nescit sibi cavere in posterum, et qui non attendit nihil esse in hac vita præter miseriam.

Nono, Hugo Card. insipientem vocat, qui non providet in futuro, nec futura mala cogitat: stultum qui etsi cogitat non cavet.

Decimo, S. Thomas ait, Insipientem esse qui habens humanam scientiam, non considerat æterna: stultum, qui nan considerat præsentia: vel primum esse, qui attendat futura, non autem præsentia: secundum, qui attendit etiam hæc, sed non notat.

Undecimo, Bruno Carthusianus definit insipientem, qui penitus ignarat, sed ex negligentia: stultum qui non ignarat, ignorare tamen ex negligentia dissimulat: Valentia, cum qui caret sapientia et prudentia.

Duodecimo denique, auctor speculi peccataris apud S. Aug. tom. 9. cap. 8. asserit insipientem esse, qui se a paradisi gaudiis peregrinum esse non considerat, et se exulem in hoc exilio non attendit: stultum, qui licet ista cognoverit, liberari tamen a mundi miseria per vitæ meritum non intendit. Item insipientem esse, qui non cre-

dit futura supplicia reprobatorum esse perpetua, et gaudia iustorum æterna: stultum, qui licet credat, tamen ut mortem perpetuam evadat, et gloriam æternam caste vivendo pieque conversando, acquirat, non intendit: ita Lorinus. Vox hebraica כסיל *chesil*, quæ primo loco ponitur, significat eum, qui parum sapiat, et humana destituatur prudentia: item inconstantem, instabilem, mutabilem, qui sibi non constat, sed in horas mutatur. Hinc Orion sidus dicitur *chesil*, ob inconstantiam, quod eius exortus orbem tempestatibus varie turbet. Secunda vero vox בער *baar*, significat hominem brutum et stupidum, ac pecudi similem, a rad. *baar*, quæ in Piel significat pascere: unde בעיר *beir*, est animal, iumentum, pecus. In Chald. primo loco est *ehisla*, secundo, שטיא *sciotia*, id est, stultus, insanus, amens sicut usurpatur, 1. Reg. 21. 14. et 2. Reg. 9. 11. Dives imperiti vocantur a Demosthene *aureæ pecudes*.

52. Avarus est stultus. Moral. Avarus est stultus et insipiens. Agellius ait, his in verbis confidentem in divitiis oblique vocari stultum et insipientem. S. Chrysost. de avaro etiam exponit, verba eius mox afferam. Horatius velut avaritiæ definitionem constituit mentis inopiam, lib. 2. Satyr. 3. *Quid avarus?* inquit, *stultus et insanus*. Aristot. lib. 2. meteor. cap. 31. *Divitiæ nihil aliud sunt, quam felix amentia*. Quercetanus in Diæret. Polyhistor. cap. 3. *Qui*, ait, *laqueis avaritiæ irretiuntur, insani prorsus sunt iudicandi, et omni ratione sensuque carentes*. Paulus Silentiarus apud Stob. serm. 3. appellat χρυσομανῆ μελετην, auri cupiditate insanientem curam.

Ob quatuor rationes. I. Ratio quadruplex afferri potest, cur avarus sit stultus. Primo, quia multo labore aliis congregat ea quibus ipse non utitur. S. Chrysostomus: *Simul insipiens et stultus peribunt. Vidisti quomodo non solum ex futuris, sed ex iis etiam quæ hic eveniunt, abducit a vitio et ab avaritia, et deducit ad virtutem, in pecuniis congerendis insaniam coercens, et eos qui præsentibus inhiant, eaque admirantur, stultos vocans, et id per res ipsas ostendens. Quid est enim, dic quæso, stultius homine qui laborat, et se excruciat, et tantas opes congregat, ut ex eius laboribus alii se voluptate expleant? Quid est hoc inani labore deterius, quando ipse quidem sudores et labores perpessus decesserit, aliis autem divitias fruendas reliquerit, et nec aliquibus quidem necessariis et ei familiaritate coniunctis, sed sæpe etiam hostibus et inimicis? Et ideo non dixit aliis, sed alienis relinquent divitias suas.*

II. Secundo, avarus stultus est quia nunquam satiatur. S. Gregorius Neocæsariensis Episcopus, cognomento Thaumaturgus in sua paraphrasi illud Eccle. 6. 8. *Quid habet amplius sapiens a stulto; et quid pauper nisi ut pergat illuc, ubi est vita?* Expendens dicit, maxime stultus convincitur, quod nulla cupiditate satietur et expleatur.

III. Tertio, avarus stultus est, quia præ luto virtutes et gratias Dei negligit. S. Laur. Iustinian. tract. de ligno vitæ, sect. de spe cap. 5. Nullum est, inquit, iustitiæ in illo corde vestigium, in quo sibi avaritia fecit habitaculum.

IV. Quarto denique, avarus stultus est, quia terram præfert cælo. S. August. serm. 25. de verbis Domini: *Quæ est ista*, inquit, *animorum insania, acquirere aurum, et perdere cælum?* Hinc S. Augustinus in Ps. nostr. monet, eleemosynas esse dandas, ut pecunia nobis cælum comparemus. *Fortassis*, ait, *ea quæ acquisisti, de iniquitate acquisisti, aut fortasse ea ipsa est iniquitas, quia tu habes et alter non habet, tu abundas et alter eget. De isto mammona iniquitatis, de divitiis istis, quas iniqui vocant divitias, fac tibi amicos, et prudens eris: compares tibi, non fraudaris. Modo enim videris perdere. Numquid perdes in thesaurario Christi ponens? Nam pueri, fratres, unde sibi emant nescio quid, simul inveniunt nummos, et ponunt in thesaurario, et non aperiunt nisi postea: numquid quia non vident quod colligunt, ideo perdiderunt? noli timere. Ponunt pueri in thesaurario, et securi sunt: ponis in manu Christi, et times? Esto prudens, et prospice tibi in posterum in cælo. Esto ergo prudens, et imitare formicam, sicut* *dicit Scriptura, reconde æstate, ne esurias in hyeme. Hyems est dies novissimus, dies tribulationis: hyems est dies scandalorum et amaritudinis. Collige quod tibi sit in posterum: si autem non facis, simul imprudens et insipiens peribis.* Divitiis stultitiam annectit Salomon Prov. 19. v. 1. *Melior* (præstantior) *est pauper qui ambulat in simplicitate* (Syr. in innocentia) *sua, quam dives torquens labia sua, et insipiens*. Chald. quam ille qui pervertit vias suas, ipse est stultus. Ubi vides quod pro *dives*, ponit, qui pervertit vias suas: perinde quasi dives et impius sint synonima: difficile enim est aut ditescere sine rapina, aut divitias servare sine variis peccatis. Contra vero S. Basil. in c. 2. Isaiæ pag. 879. dicit: πενια παιδαγωγος εϛιν εις ευσεβειαν, pædagogus ad colendam pietatem est paupertas.

Ex avarorum amentia sequitur ut pereant. Hinc dici- 53.
tur, *Simul* (velut in unum fascem compacti, et eumdem Vers. 10.
in locum deiecti) *insipiens, et stultus peribunt*. Primo enim, 3. Pars. Divitiæ sunt hostis obsidens.
divitiæ sunt hostis, qui urbem animæ obsidet, ac veluti ludibundo exercitu speciosas machinas, sed exitiales erigit. Seneca de vita beata, cap. 26. *Otiosi*, ait, *divitiis luditis, nec providetis illarum periculum: sicut barbari plerumque inclusi, et ignari machinarum, segnes laborem obsidentium spectant, nec quo illa pertineant, quæ ex longinquo instruuntur, intelligunt. Idem vobis evenit: marcetis in vestris rebus, nec cogitatis, quod casus undique immineant, iamque pretiosa spolia laturi.*

Secundo, divitiæ avari sunt gladius eum confodiens. II. Gladius confodiens.
Forerius in c. 10. Isaiæ notat, verbum בצע *batsa*, et *vulnerare* et *exercere avaritiam* significare: hæc, enim, inquit, *tamquam gladius hominem vulnerat*. Et ubi Amos 9. 1. dicitur: *Avaritia in capite omnium;* Arias vertit, concisio eorum in capite eorum. Tigurina autem, universorum capitibus vulnus infige. Nam Hebræi usuram et avaritiam vulnus appellant. Sept. Disseca in capita omnium. Arab. percute caput uniuscuiusque.

Tertio, divitiæ avari sunt laqueus ipsum strangulans. III. Laqueus strangulans.
1. Timoth. 6. 9. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum* (S. Cypr. in muscipulam) *diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem*. Ibi S. Chrysostomus dicit: *Advertis laqueum diaboli esse divitias, quem tetendit etiam Salvatori*. Plato lib. 5. de legibus, ait eos qui valde divites sunt non esse viros bonos, eo quod homines ut plurimum opibus et rebus secundis insolescant. Hæ regulæ non sunt generales: rara tamen avis est, quæ laqueum evadit. S. Ambros. tract. de bono mortis cap. 5. *Laqueus*, inquit, *in auro, viscus in argento, nexus in prædio, clavus in amore. Dum aurum quærimus, strangulamur; dum argentum quærimus, in visco eius hæremus; dum prædium invadimus, alligamur*. S. Basil. apud Anton. in Meliss. serm. 34. Aurum, ait, est animorum laqueus, esca peccati, hamus mortis.

Quarto, divitiæ avari pondus sunt, quod sub onere fa- IV. Onus degravans.
tiscentem mergit. S. Ambr. lib. 3. de bono mortis: *Multa oneri*, ait, *mediocria usui*. Et Seneca epist. 22. *Nemo cum sarcinis enatat*. S. Hier. in 2. Corinth. 8. ait, nos exemplo mannæ corruptæ, si nimia copia sumeretur, doceri, quod omnis superabundantia generet vermes.

Quinto denique, divitiæ feræ sunt, quæ instar tigridum V. Feræ discerpens.
et leonum, ductores et altores suos discerpunt. Seneca de beata vita cap. 14. *Ut feras*, ait, *cum labore periculoque venamur, et captarum quoque illarum sollicita possessio est: sæpe enim laniant dominos: ita habenti magnæ voluptates, in magnum malum evasere, captæque cepere*. Quam celer autem hic sit interitus, videre possis ex uno Fabio Mario Imp. qui ut ait Trebellius Pollio una die factus est Imperator, alia die iussus est imperare, tertia die interemptus est. Sic honor omnis ac divitiæ momento effluxerunt, et Domini sanguinem in exitu exhauserunt. Diogenes scribens Chrysæ in epistolis Theophilacti, ait: Non tuæ, sed penes te depositæ sunt opes. Etenim Phrygis Midæ vitium imitatus ditescis, ut famæ conficiaris, quasi laqueis, ita auro strangulatus βροχοις ωσπερ χρυσοις απαγχομενος.

ARTICULUS III.

Omnia quæ dives avarus congessit, cito diffluunt.

54. Vers. 11. et 12. POST mortem pereunt divitiæ, corpus, fama, v. 11. ET RELINQUENT ALIENIS DIVITIAS SUAS, ET SEPULCRA EORUM DOMUS ILLORUM IN ÆTERNUM.

Et v. 12. TABERNACULA EORUM IN PROGENIE ET PROGENIE: VOCAVERUNT NOMINA SUA IN TERRIS SUIS.

Primo, divitiæ avarorum pereunt, v. 11. *Et relinquent alienis divitias suas;* ubi duo dicuntur. Primo, quod relinquent divitias suas. Iob. 27. 19. ait: *Dives cum dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos suos, et nihil inveniet.* S. Paulus dicit Timotheo Episc. Ephes. 1. epist. 6. 7. *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quod nec auferre quid possumus.* Secundo, relinquent illas divitias sæpe alienis, id est, 1. extraneis, hominibus ignotis; 2. ipsis hostibus suis. Ecclæ. 6. 1. ait Salomon: *Est et aliud malum, quod vidi sub sole, et quidem frequens apud homines. Vir, cui dedit Deus divitias, et substantiam, et honorem, et nihil deest animæ suæ* (desiderio eius) *ex omnibus quæ desiderat: nec tribuit ei potestatem Deus, ut comedat ex eo, sed homo extraneus* (S. Hier. alienus. Camp. ignotus. Tigurina, exterus) *vorabit illud.* Chald. paraphr. sic reddit: Non dedit ei potestatem Dominus ob peccatum suum, ut gustaret ex eis, sed morietur absque liberis, et non misertus est proximi sui, ut hæredem eum sibi constitueret: etenim uxor eius tradetur viro alieno, qui hæreditabit eas et comedet eas. Omnis huius rei causa peccata sua illi fuerunt, quod non fecerit ex illis quidquam boni, et conversæ sunt ei divitiæ eius, ut essent in vanitatem et ægritudinem malam. Vide Ps. 38. 7. In Ps. nostro Chald. reddit: *Relinquent iustis divitias suas.* Vermes sunt se exenterantes, ut dent sericum aliis.

55. Divitiæ sunt pilæ reciprocæ ab alio in alium transeuntes. Nota, ea est divitiarum terrenarum natura, ut cito diffluant, et ab alio ad alium transeant. Primo, divitiæ sunt pilæ reciprocæ, quas sive liberiori in palæstra, sive adstrictiori in area, collusores sibi mutuo reiectu proiiciunt. Vix enim ad unum pervenit pila, cum ad alium resilit. Avarus ab avis et atavis recipit opes, quas in filios, nepotes, abnepotes ac posteros omnes transfundat, ut meditatur S. August. in Psalm. nostr. *Et relinquent alienis divitias suas. Quasi eos posuit in maledicto, qui cum mortui fuerint, alieni possidebunt res ipsorum. Ergo felices ipsi qui relinquunt filios in possessione sua, quibus sui succedunt. Habuit filios, non est mortuus. Quid filii ipsius et ipsi servant, quod eis reliquerunt parentes sui. Parum est quia servant, et augent. Quibus et ipsi servant? Filiis suis, et illi filiis, et tertii filiis. Quid Christo? Quid animæ tuæ? Omnia filiis. Inter filios suos quos habent in terra, computent unum fratrem quem habent in cælo: cui totum dare debebant, vel dividant cum illo.* Christo dat, qui dat pauperi. Vide Ps. 40. sect. 1.

II. Onus muli clitellarii. Secundo, divitiæ sunt onera, avarus vero est mulus clitellarius, qui aurum, argentum, et gemmas fert, sed nihil præter avenam, et fœnum quidquam sperat. Sidonius Apollinaris hoc ob oculos ponere videtur, cum lib. 8. c. 4. sic loquitur: *Inter opes positi, si quid agimus, nostrum: si quid habemus, alienum est.*

III. Anguilla diffluens. Tertio, divitiæ sunt anguilla cito diffluens, quæ quo pressius coarctatur, eo celerius elabitur, atque ad alium decurrit. S. Ambr. in Ps. 1. *Quid,* ait, *prosunt innumeræ possessiones? publicæ sunt, non tuæ. Hodie tu tenes, cras alius. Cum tu exieris, alius intrabit. Vix movisti pedem, alius gressum intulit.* Nec raro fit, ut, sicut in anguillæ ludo, frustraneo conatu elusi plerique in fluvium subiectum, cum adstantium risu decidunt, aliique post alios saltu omnique vi enituntur, ut animalculum hoc rapiant, sed frustra: ita plerosque hiantes et se mersantes lubricæ divitiæ deludunt.

IV. Torrens sese præcipitans. Quarto, divitiæ torrens sunt, qui ubi multum insonuerit et late strages ediderit, effluit, aut in hiatum aliquem se præcipitat. S. Basil. in Ps. 61. *Divitiarum,* inquit, *natura fluxa est, suos possessores torrente prærapido velocius prætercurrit, alios alio modo apta mutare dominos.*

V. Ignis cito extinctus. Quinto, divitiæ sunt ignis, qui cum mentis segetes et vineta depastus fuerit, avolat: nihilque ex inani hac luce et vehementi ardore præter cineres deserit. S. Augustin. serm. 22. de verbis Apostoli: *Temporalia bona,* inquit, *non cessant nos inflammare ventura, corrumpere venientia, torquere transeuntia; concupita inardescunt, adepta vilescunt, amissa vanescunt.*

VI. Vestis cito deponenda. Sexto denique, divitiæ vestis sunt cito deponenda, et alteri danda. Codinus Curopalata lib. 1. de offic. Eccl. Constantinopolit. cap. 6. num. 37. Imperator, ait, crucem in dextera semper portat, in sinistra vero involucrum codici simile, ligatum mantili, habetque intus cavitatem, et vocatur ἀκακία, q. d. Imperatorem debere esse humilem, veluti mortalem, neque propter imperii sublimitatem efferri, aut insolenter iactare se debere. Per mantile porro significatur eiusdem imperii inconstantia, et mos ab uno ad alium transeundi.

Avari nunquam sunt divites. Dices, multi non relinquunt alienis bona sua, sed filiis. Ergo non est verum: *Et relinquent alienis divitias suas.* Respond. primo, verti potest, aliis, ut habet Syr. et Arabs. Secundo, sæpe alieni et hostes ipsi habent bona impiorum. Tertio, S. August. et S. Ambros. dicunt, sceleratorum filios, esse ipsis alienos. Verba S. Ambrosii sunt: *Ipsi,* ait, *insipiens et stultus quando pereunt, alienis relinquunt divitias suas. Suum enim et legitimum stultitiæ et improbitatis hæredem reperire non possunt. Legitimi enim dicunt, quia filii Dei sumus. Si autem filii, et hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, ut et simul glorificemur. Insipientes ergo divitias non habent, quia nec hæreditatem habent. Non habent divitias infidi, non possessionem. Fideli enim totus mundus possessio est. Non habent hæreditatem, quia sola est hæreditas credentibus in Domino. Suas autem divitias habent. Ideoque avarus dicit Luc. 12. Non habeo quo congregem fructus meos. Non enim verus fructus, sed avari fructus pecunia est. Et Dominus avaro dicit Luc. 18. 22. Vade, vende bona tua, et veni sequere me. Non enim perfectum bonum est patrimonium, sed hæc sunt avari bona, quæ in emolumento aliquo constituta sunt. Vende, inquit, quæ putas tua esse, cum tua non sint, quia ad alios fluminis modo transeunt; et sequere me, ut bonum immortale cognoscas:* ita Ambrosius. S. August. probat filios impiorum illis esse alienos, quia illis non prosunt, sicut fratres divitis epulonis ei non profuerunt. Samaritanus vero licet extraneus vulnerato, tamen eius proximus dicitur, quia illi profuit. Lege totum eum locum.

Secundo, corpus ipsorum divitum in fœtenti sepulcro putrescit, v. 11. ET SEPULCRA EORUM DOMUS ILLORUM IN ÆTERNUM. Duplex sensus esse potest. Primo, q. d. Domus illorum sunt instar sepulcrorum, nam brevi in iis morientur scelerati. Eccli. 21. 9. *Qui ædificat domum suam impendiis alienis,* (Tigurina, ære alieno) *quasi qui colligit lapides suos in hyeme.* Græc. εἰς χειμῶνα, in vel ad hyemem. Complutens. codices habent, εἰς χῶμα ταφῆς αὐτοῦ, *in tumulum sepulturæ suæ.* Syr. congregat lapides tumulo suo. Lucianus fabulatur Charontem e stygis fluvio venientem has in terras e montis vertice aspicientem domos urbium, et a Mercurio interrogatum quid videret, respondisse, se videre sepulcra. 56. Vers. 11. 2. Pars.

Secundo, et melius, Genebr. Euthym. Bellarm. et alii sensum esse volunt, q. d. Nullam habebunt aliam domum illi divites et nobiles scelerati præter sepulcrum fœtens, in quo manebunt usque ad finem mundi. Hoc enim τὸ *in æternum* significat: sumitur sæpe in Scripturis pro integra duratione alicuius temporis, vel status: sepulcrum vocatur domus æternitatis, Ecclæ. 12. 5. *Ibit homo in domum æternitatis suæ.* Quod de æterna mansione in cælo vel inferis explicari potest, ac de sepulcro. Chald. vertit: Declinat homo ad eundum in domum sepulcri sui. Epitaphium Petronii Antigeuidis hoc erat: Hæc domus æterna est: hic sum situs, hic ero semper.

57. *Iudæi magnos sumptus faciebant in sepeliendis suis mortuis.*

Nota primo, pro *sepulcra eorum*, nunc in Hebræo habetur קִרְבָּם *kirbam*, id est, medium eorum; Sept. legerant, קִבְרָם *kibram*, hoc est, sepulcrum eorum.

Nota secundo, Iudæi magnos sumptus faciebant in sepeliendis suorum corporibus, ut patet Ioan. 19. 39. ubi dicitur, *quod Nicodemus in Christi corpore condiendo impendit myrrhæ et aloes quasi libras centum*. Sepulcra etiam sibi magnifica extruebant, ut patet ex iis quæ refert Iosephus de sepulcro Davidis, quod etiam sepulcrum Salomonis dictum est, quod et ipse in eo sepultus esset. Ibi excitatum nobile mausolæum a Salomone fusius disputat Pineda lib. 8. cap. 3. et lib. 6. cap. 11. Sepelivit Davidem, ait Iosephus lib. 7. cap. ult. filius Salomon Ierosolymis magnifice, præter solemnia illa in regum funeribus. Nimirum, ut ait Salianus t. 3. Annalium ann. 3021. spectantia ad curandum cadaver, et vel abluendum, vel pretiosis aromatibus ungendum, vel regali veste amiciendum, deductione, item comploratione. Addit Iosephus, illatas in sepulcrum illud maximas divitias, quarum magnitudinem, inquit, facile sit coniicere ex hoc quod dicemus: nam post annos 1300. Hircanus Pontifex oppugnatus ab Antiocho, cognomento Pio, Demetrii filio (qui vulgo Sidetes appellatur) volens pecuniam ei dare, ut abducto exercitu obsidionem solveret, nec valens aliunde sumere, aperta cella monumenti Davidis, et prolatis inde tribus talentorum millibus, eorumque parte Antiocho numerata, oppugnationis periculo se exemit. Et lib. 16. cap. 11. idem auctor ait, ab Herode quæsitas ibi fuisse pecunias, nec repertas, sed mundi pretiosi et aureorum ornamentorum vim magnam inde ablatam. Salianus loc. cit. num. 114. magnitudinem illam sepultæ pecuniæ dicit rem parum credibilem facere. Tria enim talentorum millia, quæ in una tantum cella fuisse dicuntur, si aurea fuerunt, cum efficiant 37 milliones, et iusuper quingenta millia aureorum, quis credat Salomonem inutiliter tantam pecuniam abiicere atque obruere voluisse? præsertim cum postremis annis, populum suum tributis vexasse, et a rege Tyrio 100. talenta auri mutuo accepisse dicatur, id est millionem unum et quingenta millia aureorum. Quin etiam valde capaces huiusmodi cellas esse oportet, quæ tantam aureæ pecuniæ vim capere potuerunt, imo argenteæ: argenti quippe talenta vocat lib. 13. antiquit. cap. 16. et lib. 16. cap. 11. quæ Antiocho illi data sunt. Vide Salian. etiam anno regni Græcorum 179. Antiochi VI. Quidquid sit de illa pecunia in Davidis sepulcro posita, certum est in variis populis coniectam fuisse variam supellectilem, aurum, argentum, equos, servos, mulieres, et alia, in sepulcra parentum, amicorum, regum ac principum, ut illis inservirent in alia vita. Etiamnum Hurones, et alii populi inter Canadenses pretiosissima quæque secum defodi iubent, ut illis utantur in mortuorum regione. Vide dicta v. 18. huius Psalmi.

58. *Sepulcrum est propria hominis domus.*

Ægyptii censebant domos nostras esse sepulcra: domos vero nostras esse exigui temporis diversoria: ideoque sepulcra magnis sumptibus extruebant et exornabant. Diodor. Sicul. id testatur lib. 1. Τὰς ζώντων οἰκήσεις, καταλύσεις ὀνομάζουσιν, domicilia viventium, diversoria nominant, quod exiguum ad tempus hæc incolamus: defunctorum vero sepulcra, ἀϊδίους οἴκους *domos æternas* appellitant, quod infinitum apud inferos ævum peragant. Quamobrem de structura domorum minus solliciti: in adornandis autem sepulcris eximie nihil studii faciunt reliquum: ita ille. Hoc in pyramidibus notare possis apud eumdem Diodorum lib. 1. qui tamen advertit nullum Ægyptiorum regum, qui sibi ad sepulturam pyramides extruxerunt, in iis sepultum fuisse. Nam partim labores nimii exantlati in illis operosis constructionibus, partim regum sævities, ita populum exacerbaverunt, ut eorum aut dissiparet corpora, aut ex illis sepulcris extraheret. Eam ob rem quidam reges domesticis imperaruut, ut ad plebis evitandam sævitiam corpora sua vili obscuroque in loco sepelirent.

Æthiopes tanti faciebant sepulcra sua, ut, teste eodem Diodoro et Herodoto, ditiorum sepulcra ex auro facerent, tenuiorum ex argento, inopum vero ex fictilibus.

Sapientius rex Persarum Cyrus Imperii Babylonici domitor, neque aureo, neque argenteo sepulcro condi voluit, sed terræ infodi. Hoc enim mandasse suis refertur lib. 8. Cyropæd. apud Xenophontem: *Meum corpus*, inquit, *neque auro, neque argento, neque ulla alia pretiosa materia includite: sed quam citissime*, τῇ γῇ ἀπόδοτε, *terræ reddite*. Antiquissimum fuit hoc sepulturæ genus. Ratio enim postulat, ut in parentis nostræ sinu quiescamus. Tullius lib. 2. de legibus: *Redditur enim terræ corpus, et ita locatum ac situm quasi operimento matris obducitur.* 59. *Terræ infodi corpora est conveniens.*

Moral. Cum cælo nati simus, ne cor nostrum terræ infodiamus. S. Ambros. tract. de Iacob, cap. 5. *Aurum eorum*, ait, *sub terra, et cor eorum sub terra. Cave ergo, ne et tu cor tuum terra vivus infodias.* Et S. Chrysolog. serm. 22. *Homo*, ait, *mitte et præmitte thesaurum tuum in cælos, ne cælestem animam demergas in terram. Aurum de profundo terræ, anima ab excelsis cæli. Melius proinde est ad sedem animæ deferri aurum, quam in sepulcro auri anima demergatur.* 60. *Corde cælestia sunt cogitanda.*

Secundo, memoria sepulcri reprimamus superbiam et avaritiam. De primo ait S. Petrus Damiani opusculo 15. *Superbiæ spiritus inflat? Sepulcrum ad mentem redeat; necessario illic rigidæ cervicis tumorem premimus, ubi cinerem nos procul dubio pulveremque pensamus. Quid superbis terra et cinis?* De secundo, Idem S. Pater ait: *Avaritiæ stimulus incitat? ad sepulcrum præsto semper recurre, ibique condisce, quia mortalitatis huius incassum stipendia multa congerimus, qui iter ipsum quod pergimus, tam brevi spatio terminamus*: ita ille. Galenus lib. 11. de simp. med. facult. appellat quasdam volucres, ἐπιτυμβίδιας, sepulcrales, quæ τύμβον, id est, sepulcrum, in capite gerunt. In cælum evolemus per meditationem rerum divinarum: ita tamen ut terreni pulveris non excidat memoria. De S. Ioan. Alexandrini sepulcro, et de Imper. Græcorum creatione, et sepulcri in ea mentione, dixi alias. 61. *Memoria sepulcri reprimenda est superbia et avaritia.*

Symbol. Origen. Sepulcrum mentis, ait, est anima impura, animæ vero sepulcrum corpus est. S. Ambrosius, ubique scriptura, inquit, sepulcra pro vilibus ducit: quibus degeneres et vitæ huius cupidi comparantur. *Sepulcrum patens est guttur eorum.* His ergo qui ad diem et de die vivunt, sepulcra pro domibus sunt. Domus enim iustorum non in terra est, sed in cælo, sicut Apostolus docuit, dicens Philip. 3. *Nostra autem conversatio in cælis est.* Ipsa est domus nostra, quæ domus est Christi. Unde ait Scriptura, Hebr. 3. Et Moses quidem fidelis in domo eius, tamquam famulus in testimonium eorum quæ dicenda essent: Christus vero tamquam filius in domo sua. *Piis ergo domus est Ecclesia, piis patria cælum est.* Ideoque iustus ait Ps. 38. 13. *Advena ego sum apud te, et peregrinus, sicut omnes patres mei Luxuriosis domus sepulcrum est.* Denique tamquam in sepulcro vivunt, qui possunt dicere, Isaiæ 22. 13. *Manducemus et bibamus, cras enim moriemur*: resurrectionem ante oculos non habentes, ideoque tumulis suis affixi atque attumulati adhærent, quia resuscitari se posse non crediderunt. Habitaculum ergo illis in suo busto est, et tabernaculum eorum in progenie et generatione terrena est, qui vermes sui corporis hæredes relinquunt: ut hic tantum sit memoria eorum, et in æternum transire non possit: ita Ambrosius. 62. *Symbol. Sepulcrum animæ est corpus.*

Tertio denique, fama impiorum perit, vers. 12. TABERNACULA EORUM IN PROGENIE ET PROGENIE (erunt, manebunt) VOCAVERUNT NOMINA IN TERRIS SUIS, id est, vocaverunt nominibus suis terras suas. Est hypallage. Nomina sua imponunt superbi urbibus, ædibus, trophæis, arcubus, statuis, sepulcris, aliisque a se conditis. Sic Nomrod arcem suæ tyrannidis volens extruere, aliique gloriæ inanis cupidi, dicunt Gen. 11. v. 4. *Venite faciamus nobis civitatem et turrim, cuius culmen pertingat ad cælum* (quæ sit altissima: est hyperbole) *et celebremus nomen nostrum antequam dividamur in universas terras.* Abulensis eos excusat a peccato etiam veniali, sed melius 63. *Vers. 12. Inanem nominis gloriam quærebant ædificatores turris Babel.*

S. Augustinus et S. Chrysostomus arbitrantur eos peccasse vanitate et superbia. Absalom quoque vocavit nomen suum in terra. De eo habes 2. Regum 18. 18. *Absalom erexerat sibi, cum adhuc viveret, titulum, qui est in valle regis: dixerat enim. Non habeo filium, et hoc erit monimentum nominis mei. Vocavitque titulum nomine suo, et appellatur manus Absalom, usque ad hanc diem.* Sed hoc eius memoriam reddit magis infamem. Nam extat etiamnum hic Absalomi titulus, sive monimentum, in valle regis, id est, in valle Iosaphat, cum nomine sepulcri eiusdem, quod floribus in summo sculptis exornatur, ut scribit testis oculatus Zuallardus lib. 3. peregrinationis suæ die secunda. Audi Adrichomium in descriptione Ierusalem, n. 227. Monumentum sive manus Absalom, columna erat et statua marmorea cum inscriptione, duobus ab Hierosolyma stadiis distans, quam Absalom vivus sibi in monumentum in valle regia erexerat. Ubi etiamnum turris et magnus lapidum extat acervus, qui quotidie magis ac magis augetur. Nam Pagani et peregrini illac transeuntes pro more habent, ut quisque lapidem in eum proiiciat, et quasi iuxta legem vindicantes ipsius adversus David patrem suum rebellionem, huiusmodi maledictione illum exeerentur: *Maledictus sit parricida Absalom; et quicumque iniuste parentes suos persequuntur, maledicti sint in æternum.* Hinc patet titulum sive monumentum Absalomi fuisse columnam marmoream, cui insistebat statua eiusdem: unde Iosephus ait fuisse statuam. Alii vocant ædificium. Vatablus nuncupat arcum triumphalem vel pyramidem, ex eaque colligit Absalomum fuisse superbum et ambitiosum, nimisque avidum laudis et gloriæ, ideoque pro monumentu hoc superbo repensum ei fuisse vilem rudemque acervum lapidum. Iure S. Chrysostomus hanc ædificandi, et nominis sui propagandi pruriginem, insaniam appellat. Sic enim in Ps. nostr. ετερας, ait, ανοιας ειδος: *Ecce aliud insaniæ genus, ædificiis, agris, et balneis sua nomina inscribere, et putare se nunquam consolationem ex eo accipere, et umbram pro rei veritate persequi.* Hoc damnavit Constantinus Imp. in Traiano, quem herbam parietariam appellabat, quod operi cuilibet nomen suum adsculperet, ut Auctor est Aurelius Victor. Nonne insania erat, cum M. Scaurus theatrum extruebat, cuius ima pars e marmore esset, media e vitro, summæ tabulis inauratis columnæ fulgerent? Idem dic de Caligula qui e Puteolis Messanam usque in Siciliam pontem triremibus compaginabat, sola motus gloriolæ cupiditate. Idem de Luculli insanis substructionibus in mari; de domo aurea, id est, aurata, Neronis Romæ. Nomen sibi et gloriam quærebat impius Iulianus, cum statuam suam erigebat, et statuam Christi deiiciebat, sed eius desiderium inane Christus redilidit. Sozomen. lib. 5. cap. 20. rem refert: Cum, ait, certior factus esset Iulianus Cæsareæ Philippi præclaram esse Christi statuam, quam mulier, quæ sanguinis profluvio laborabat, cum esset morbo liberata, ibi posuerat, eam deturbavit, suamque in eius loco constituit. Quo factu Βιαιον πυρ ουκ του ουρανου πεσον, *ignis violentus de cælo delapsus, statuam illam circa pectus persecuit, caputque una cum collo in terram deiecit, atque in faciem humi ea in parte defixit, quæ fuerat a pectore divulsa. Ex quo quidem tempore ad hodiernam diem atra, tamquam fulminis ictu ambusta, manet.* Eusebius asserit, ex basi, supra quam statua Christi posita erat, enatam herbam morbos sanare solitam esse. Hoc scilicet ambiebat Iulianus, ut posita in eo loco statua sua, crederetur miraculorum effector, sed vesani hominis consilia Deus disturbavit. Hæc gloriæ cupiditas ita homines plerosque possidet, ut nec impervia maris claustra, nec innectos nubibus montes, neque obiectos exercitus vereantur, quo minus aurum et gemmas ex Indiis, spolia ex provinciis, victoriam ab hostibus, ad æternam nominis sui memoriam conquirant. Sed inanes has spes sæpe aut contortus undarum vortex mergit, aut hostilis gladius metit, aut vindex Deus deiicit atque proculcat, ut quotidie intuemur et lugemus.

Et Absalom titulum sibi erigens.

Traianus herba parietaria dictus.

Iuliani Imper. amentia in captanda gloria.

A Quæres, quænam sunt illa *tabernacula in progenie et progenie?* Primo, Bellarm. et Genebr. per tabernacula intelligunt sepulcra, q. d. Habitacula, ubi manebunt corpora eorum, donec generationes et generationes peragentur: quod sine dubio erit usque ad consummationem sæculi, q. d. Sepulcra eorum erunt ipsorum tabernacula perpetua: illa habebunt pro tabernaculis æternis, fœtidis in sepulcris manebunt in perpetuum non in diris illis locis, quibus voluptuose ædificatis sua imposuerunt nomina. 64.

Secundo, et melius idem Genebr. Tabernacula eorum erunt in progenie et progenie, diu durabunt. Ipsis percuntibus eorum domicilia in alias atque alias ætates manebunt: ita ille. Tabernacula autem vocantur domus implorum, ut non esse stabiles appareat.

Nota, pro *vocaverunt nomina in terris suis,* S. August. 65.
Cassiod. et Psalt. Rom. habent: Invocabunt nomina eorum in terris ipsorum. Ruff. Beda, Haymo, Remig. et alii putant innui consuetudinem gentilium, qui conducebant sub mortem alios, ut statis diebus eorum invocarent nomina B circa sepulturam parentando, et adhibendo etiam, ut ait Augustinus, panem et merum: et ut Hieronymus, bibendo in eorum nomine, atque inania cum quodam modulamine cantando: sed, ut recte addit, nihil prodest in inferno damnatis. Beda recte admonet, translatum fuisse illum ritum in religionis obsequium, ut in anniversariis nostrorum patrum non eos nominibus vocemus, sed Deum pro ipsis per Missarum celebrationes et eleemosynas invocemus. Hic sensus non videtur respuendus, licet primus magis arrideat. Solebant enim pagani mortuum et sepultum suo nomine appellare sæpius, ut patet ex Virgilio l. 6. ubi vocat hæc novissima verba, et Propertio l. 1.

Nota secundo, cum Philippo de Greve, Cancellario Pa- 66.
risiensi, serm. 10. in Psal. Mundus, inquit, vult suos nomen habere et nominari in terra. Christus suis nomen reservat in cælo. Mundus quidem nomina sua significat multis modis. Primo, nomen proprium aliis communicando: unde omnes Imperatores Romani sunt appellati C Cæsares a Caio Iulio Cæsare. Secundo, nomen quod est commune, aliquibus approprlando, ut cum dicitur poeta, intelligitur Virgilius. Tertio, nomina propria per nomina dignitatum abscondendo, ut cum quis vocatur archidiaconus, magister. Quarto, alii dilatant nomen suum per titulos, ut cum dicitur, Archiepisc. Remensis, Apostolicæ Sedis Legatus, tituli S. Sabinæ Cardinalis. Item, Comes Montisfortis, marchio illius loci. Tales significari possunt per dæmoniacum, a quo cum quæreretur, Quod est tibi nomen? Respondit, legio, Lucæ 16. Quinto, alii nominari volunt per ædificia, cum tamen, ut dicit Seneca, non debeat nominari dominus a domo, sed domus a domino. Isti recte significantur per gigantes, de quibus Gen. 11. *Venite, faciamus nobis civitatem, et turrim, et celebremus nomen nostrum, antequam dividamur.* Sexto, alii per strenuitatem nominari volunt. Baruch 3. 26. *Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt statura magna scientes bellum.* Dominus autem non reputat eos, qui hic quærunt sua nomina dilatare. Unde cum D loqueretur de divite nominatissimo, non est dignatus eum nominare, dicens Luc. 16. 19. *Homo quidam induebatur purpura,* cum tamen Lazarum nominarit. Non vult autem in gratiis datis quemquam sibi nomen ascribere, sed totum Deo. 1. Cor. 1. ait Apost. *Unusquisque vestrum dicit, ego sum Pauli. ego Apollo. ego Cephæ, ego Christi:* an divisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? Ioannes Baptista reputatus esset Christus si voluisset; sed dixit: Non sum ego Christus; et Marc. 1. 7. *Veniet fortior me post me, cuius non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamenti eius.* Ideo meruit, ut de eo diceretur: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Carnales autem ut Simon Magus et Antichristus dii appellari vellent. Spirituales vero bona sibi non attribuunt, sed Deo: sicut Ioab urbem capturus regem Davidem vocat, ne gloria ad se transferatur. S. Zacharias et Elisabeth obsistunt cognatis et affinibus qui

Variis modis homines sibi nomen quærunt.

puerum vocari volebant Zachariam, nam volunt vocari Ioannem. Erat enim opus gratiæ, quod nec rationi nec voluntati, quarum symbolum sunt Zacharias et Elisabeth, sed uni Deo adscribi debet. Hæc et alia Grevæus. Vide a me dicta Ps. 8. v. 1.

67. *Virtus dat nominis celebritatem.* Nota tertio, sola virtus dat claritatem et perennitatem nominis; in cælo enim illud scribit radiis solaribus. S. Chrysost. in psal. nostr. *Si*, inquit, *perpetuam memoriam desideras, ne nomen, o homo, ædificiis inscribas: sed trophæa recte factorum erigas, quæ et in presenti vita nomen tibi conservant, et in futura vita immortalem tibi requiem comparant. Si sis memoriæ cupidus, ego te doceo veram viam et apertissimam: virtutis curam gere*, ουδεν γαρ ουτως αθανατον ονομα ποιει, ως αρετης φυσις: *Nihil enim facit nomen adeo immortale, ut natura virtutis. Hoc ostendunt Martyres, ostendunt Apostolorum reliquiæ, ostendit memoria eorum, qui recte et ex virtute vixerunt. Et vero quot reges urbes condiderunt, portus extruxerunt et nominibus suis inscriptis decesserunt, nec tamen eis quidquam profuit, sed silentio et oblivioni mandati sunt? Piscator autem Petrus, qui nihil fecit eorum, quoniam virtutem est persecutus, et civitatem maxime regiam occupavit*, υπερ τον ηλιον λαμψει και μετα τελευτην, *etiam post mortem resplendet sole clarius.*

Sed mittamus Petros, Paulos, Laurentios, Sebastianos, 68.
Agnetes, Catharinas, quorum nomina in cælo et in hominum mentibus ita scripta sunt, ut excidere nunquam possint: quis nescit Camillum Romæ alterum conditorem: Fabium Romani populi clypeum: Marcellum eiusdem gladium: Tullium patrem patriæ, aliosque ob virtutem in omnium memoria vivere? Ab humanitate dicti sunt Æmilii: a prudentia, Catones: ab eloquentia, Theophrasti: a morum innocentia, Iusti, ut Aristides: pii, ut Antoninus: casti, ut Alphonsus. Quis non magni ducat dici cum Palamede ob rerum omnium scientiam πανσοφος: cum Anaxagora Clazomenio, νους, id est, mens, ob eximiam ingenii vim: cum Sophocle μελιττα, id est, apis ob sermonis suavitatem? Quis vero curet Diocletianum cum thermis suis, Neronem cum palatio, Iulianum cum statua? *Varia nomina ob varias virtutes data.*

SECTIO TERTIA.

69. *Duo complectitur. Primo, hac in vita hominem brutis per peccatum fieri similem, vers. 13. Secundo, alia in vita sceleratum, bruti instar, in inferis mactari, torquerique, vers. 15.*

PARAPHRASIS.

13. *Et homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis.*

13. Homo terrenis curis intentus ad imaginem Dei factum se non cognovit, nec tantam dignitatem suam satis attente perpendit. Hinc factum est, ut brutis ratione destitutis factus sit similis, præsentia tantum considerans et peritura, de futuris æternisque non sollicitus.

14. *Hæc via illorum scandalum ipsis: et postea in ore suo complacebunt.*

14. Hæc vivendi ratio in terram prona, sic viventibus ruinæ causa extitit, et lapsus in scelera divinamque vindictam. In ea tamen via pergentes tanta obstinatione obduruerunt, ut sibi in nefandis operibus suis placeant, in iisque glorientur.

15. *Sicut oves in inferno positi sunt: mors depascet eos.*

15. Sed dum inaniter se iactant, ex improviso ad inferos catervatim contruduntur, ubi nullo alio pastore præter dæmonem utentur, qui a tormento in tormentum eos deducat.

Et dominabuntur eorum iusti in matutino: et auxilium eorum veterascet in inferno a gloria eorum.

Iusti vero, qui prius contempti in hac iacebant nocte, ubi resurrectionis dies illuxerit, gloriosi fulgebunt, iudicabunt sceleratos, atque totam in æternitatem illis dominabuntur. Et omnis gloria ac potentia, qua floruerant impii in hac vita, emarcescet in inferis, et prorsus concidet.

16. *Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me.*

16. Me vero eripiet Deus de manu inferorum, ac dæmonum ibi dominantium, cum his ex terris me evocaverit, atque in regnum suum transtulerit.

QUÆSTIO UNICA.

Quomodo per peccatum homo sit similis bestiis.

70. Hac in vita et in alia homines pecudibus esse similes Propheta declarat, si se sceleribus implicent.

Nam in hac vita Primo intellectum ratione privant flagitia, v. 13. *Et homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus.* Secundo, voluntatem pervertunt, quæ per passiones ad terrena et infima trahitur: *Et similis factus est illis.* Tertio, actiones corrumpunt, quibus impius in gravissima scelera et acerbissimas pœnas corruit, v. 14. *Hæc via illorum scandalum ipsis.* Quarto denique, verba inficiunt, dum assuetus impietati sceleratus de ea gloriatur: *Et postea in ore suo complacebunt.* Sic peccator cogitatione, verbo, et opere.

Secundo, ostendit Propheta quid in alia vita accidat improbis, quid summa sanctitate iustis, quid denique mediocriter iustis. Primo enim, improbi, velut pecudes, ad macellum ducuntur, v. 15. *Sicut oves in inferno positi sunt*, ibique pecudum instar mactantur: *Mors depascet eos.* Secundo iusti eximii, erunt iudices ac domini improborum: *Et dominabuntur eorum iusti in matutino.* Neque erit qui illis resistat: *Et auxilium eorum veterascet in inferno a gloria eorum.* Tertio denique, iusti mediocriter iudicabuntur quidem, sed in eorum favorem feretur sententia, v. 16. *Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me.*

ARTICULUS I.

Homines per peccatum in belluas deformantur in hac vita.

Sectione præcedenti explicuerat Propheta, seu Christus, qui in toto hoc psalmo loquitur, quanta homini 71.
damna per peccatum oriantur in corporeis et externis bonis: nunc aggreditur ad explicationem eorum, quæ in animam ipsam redundant, tum in hac vita, tum post mortem: illum sequamur.

Primo, in hac vita tollitur intellectus a peccato, v. 13. *Vers. 13. 1. Pars.*
Et homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus

EST ILLIS. Nota, pro *non intellexit*, Hebr. est, לא ילין *lo talin*, id est, non pernoctabit. Felix vertit, non dormiet. S. Hier. non commorabitur. Pro *homo*, Hebr. est *adam*: unde R. Abai in Thalmud, hic alludi putat ad ultimam diei horam, qua Adamus post perpetratum peccatum pulsus est e paradiso, ita ut foris pernoctaverit. Hæc notatio est optima, in eorum sententia, qui censent Adamum eo ipso die quo creatus est, eiectum fuisse de paradiso.

72. Quæres, in quo honore erat homo? Triplicem potes assignare: nempe creationis, redemptionis, glorificationis.

Per creationem homo fit ad imaginem Dei.

Primo enim, creatio honorem dedit homini, quod factus est ad imaginem et similitudinem Dei, et de illo honore hic præcipue est mentio, qualis autem sit vide Ps. 8. sect. 2. S. Chrysost. in Ps. nostr. *Quemnam dicit honorem? Audi eum in alio psalmo dicentem: Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum. Deinde exponens honorem, subiungit: Omnia subiecisti sub pedibus eius, oves et boves universas, insuper et pecora campi. Volucres cæli et pisces maris, qui perambulant semitas maris. Hic est enim honor longe maximus, et in omnia quæ videntur permisisse dominatum, idque cum nihil recte gessisset. Cum enim eum nondum finxisset, dixit, Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Deinde interpretans illud, ad imaginem, subiunxit: Et præsit piscibus maris, et volatilibus cæli, et bestiis universæ terræ.* Και τον βραχυν, και τριπηχυν, και τοσουτω των αλογων ελαττονα κατα σωματος ισχυν: *Hunc brevem hominem, et tricubitalem, et viribus corporis longe inferiorem; fecit cunctis excelsiorem, animam rationis compotem et largiens*, οπερ εστι μαλιστα τιμης τεκμηριον, *quod quidem est honoris signum maximum. Per eam enim et civitates condidit, et mare secuit, et terram coluit, et artes invenit innumerabiles, et feras superavit, et quod est omnium maximum et primum, Deum qui fecit ipsum, cognovit, et ad virtutem deductus est, et novit, quid sit bonum, quid secus. Solus ex iis, quæ videntur. Deum orat, revelationes accepit, idque solus: cognovit rursus multa arcana et ineffabilia, didicit quæ sunt in cælis. Propter ipsum terra, propter ipsum cælum, propter ipsum sol et sidera: propter ipsum lunæ cursus, temporumque mutationes et vicissitudines. Propter ipsum fructus et arbores, et tot genera animantium.*

73. Secundo, honor hominis est gratia, et beneficium redemptionis. Hunc etiam attigit S. Chrysost. Propter hominem, ait, missi sunt Apostoli et Prophetæ, propter ipsum sæpe missi sunt angeli. Quid pluribus opus est? neque enim fieri potest, ut omnia persequamur. Propter ipsum Unigenitus Dei filius homo factus est, crucifixus, et sepultus, et terribilia illa miracula facta sunt post resurrectionem. Propter ipsum lex, propter ipsum paradisus, propter ipsum inundatio. Nam hoc quoque est maximum genus honoris, enim et beneficiis et pœnis corrigere. Propter ipsum omni priori tempore innumerabilia certo consilio gesta et administrata sunt. Lege S. Ambr. lib. de dignitate hominis, cap. 3. tom. 4.

Honor hominis est beneficium redemptionis.

Et promissio glorificationis.

Tertio, honor hominis est promissio glorificationis. Pergit idem S. Chrys. Propter ipsum quoque, futurum iudicium fit propter eius honorem. Quocirca Iob quoque dicit c. 14. *Quid est homo, quod duxisti eum in iudicium?* Quemadmodum alibi dicit ipse Propheta Ps. 8. *Quid est homo, quod memor es eius?* Propter ipsum rursus veniet Unigenitus donans bona innumerabilia. Alia enim iam dedit per baptismum et sacramenta, et mysticam celebrationem: alia vero se daturum est pollicitus, regnum cælorum, vitam æternam, facturum suos hæredes, et cum eo regnaturos. Quocirca Paulus etiam dicebat: *Si sustinebimus, et conregnabimus:* ita ille.

74. Hæc omnia non intellexit homo, per peccatum excæcatus. Vide dicta supra v. 10. S. Basilius versum nostrum expendens: Υπερβολη, ait, ανοιας, και κληνωδους αλογιας τω οντι. *Exuperans quædam magnitudo amentiæ istius, et pecuariæ absurditatis, a ratione prorsus abhorrentis, quod ne senserit quidem homo initio suæ creationis ad imaginem*

Stultus est qui non cogitat se esse factum ad imaginem Dei.

A *conditoris sui factum se esse: et neque cogitarit, quot quantaque in sui unius gratiam dispensata sint mysteria, ut sic quidem ex horum contemplatione suam ipsius agnosceret dignitatem. Atqui horum adeo immemor omnium fuit, ut spoliatus imagine cælesti, sibi imaginem hominis induerit terreni.* Exponit deinde benignitatem Christi, qui se humiliavit usque ad mortem, ut hanc imaginem reformaret. Rogat deinde, ut gratiam illam redemptionis non contemnat. Sed multi horum omnium obliviscuntur, et si quando die Paschatis oculos soli divino aperiunt, et ab eo recipiunt lucem gratiæ, in ea non pernoctant. Similes sunt illi Consuli Romano, qui uno tantum die Consul fuit, quem irridens Tullius dixit, vigilantem fuisse Consulem, quippe qui in Consulatu suo non dormierit. Comparare etiam possis triumphatoribus Romanis, quorum potestas unico die claudebatur: unde ad cœnam invitatos Consules rogabant ne venirent, ne quis illis potentior in cœna repe- riretur. Flores sunt qui grato explicatu oculos naresque reficiunt, sed ad primos solis ardores elanguent, neque
B vel in vesperum vernam alacritatem servant.

75. Vers. 13. 2. Pars.

Dei imagine per peccatum spoliatus homo in belluam transformatur, v. eod. 13. COMPARATUS (S. Hier. simulatus. Pagnin. assimilatus) EST IUMENTIS INSIPIENTIBUS (Arabs, irrationabilibus. Hebr. S. Hieron. et multi alii non habent epithetum illud) ET SIMILIS FACTUS (S. Hier. exæquatus) EST ILLIS. Quæres, in quibus homo similis factus est bestiis? Primo, in necessitate moriendi: ita Arnob. et Apollinaris. Per peccatum enim mors intravit in mundum. Secundo, in generandi modo, si enim homo non peccasset, absque libidinis deformitate fuisset, ut ait S. August. lib. 22. de civ. cap. 24. Non est tamen admittendum, quod ait S. Greg. Nyssen. de hominis opificio cap. 17. nempe in statu innocentiæ non futuram fuisse propagationem generis humani per sexuum commistionem, sed ad instar angelorum multiplicationis per ipsosmet factæ. S. Bonav. in 2. dist. 20. q. 4. recte docet, futuram quidem fuisse illam mistionem sexuum, sed abfu-
C turam turpitudinem conscientiæ et pœnalem passionem. Tertio denique, hic præcipue intelligitur similitudo in depravatis moribus et furiosis passionibus. S. Aug. lib. 2. de pecc. orig. cap. 40. Etsi homo, inquit, in honore positus, et non intelligens, comparatur pecoribus, eisque similis fit, non tamen usque adeo similis fit, ut pecus sit. Comparatur namque per vitium non per naturam: non pecoris vitio, sed naturæ. Tantæ namque excellentiæ est in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis natura sit pecoris, nec tamen ideo natura hominis in naturam vertitur pecoris. S. Chrysost. in oratione de instituenda secundum Deum vita, demonstrat hominem esse bestia deteriorem, quoniam illam ipse cicurat, ipse vero exuit humanitatem. Et homil. 7. in Gen. hominis quam bruti deteriorem conditionem esse ait, quod irrationabile, nulli pœnæ obnoxium est.

Homo similis est bestiis in tribus rebus. 1. In necessitate moriendi. 2. In generandi modo. 3. In pravis moribus.

Nota, pro *iumentis*, Hebr. est בהמות *behemoth*, quod significat bestias terrestres, sive domesticas aut cicuratas, sive feras et agrestes, recta pedibus gradientes: *behe-*
D *ma* recte quadrupedem verteris, ut ait Mercerus. 76.

Peccator est comparandus animalibus domesticis. 1. Equis et mulis.

Primo igitur comparemus peccatores animalibus domesticis. Primo equis et mulis illos esse similes docui Ps. 31. v. 9. Adde S. Basil. in Psalm. nostr. ως ιππος θηλυμανης; *sicut equus*, inquit, *usque ad insaniam homo deperit fœminas, adhinniens uxori proximi sui*. Et Ier. 5. 7. *In domo*, ait, *meretricis luxuriabantur*, equi amatores et emissarii facti sunt. Secundo, bovem iure vocaveris peccatorem, δια της ανοιας, propter vecordiam, ut ait S. Chrysostom. et propter nimiam terrenorum curam, laboremque improbum. Ad Troglodytas Æthiopes amandandi sunt, qui parentum nomina non dant liberis, sed nomina tauri, arietis, ovis, et similia. Tertio, vitulis similes sunt peccatores, ob gulam et deliciarum amorem. Ierem. 50. 11. *Effusi estis sicut vituli super herbam*. Quarto, sues fiunt peccatores per detractionem, os suum in aliorum vitia, velut in cœnum immergentes, et per luxuriam, in sordibus se volutantes, et pulcherrimam Dei

2. Bobus. 3. Vitulis. 4. Porcis.

imaginem stercore oblinentes, quod reprehendit Salvian. lib. 4. de provid. *Christianum nomen*, luquit, *aureum decus est, quo si indigne utamur, ut sues cum ornamento aureo esse videamur.* Scrofæ dicti sunt quidam Romæ a suis furto: verius plerique, a morum fœditate eo nomine

5 Canibus. vocarentur. Quinto denique, canis est, nefarius omnis, δια της αναισχυντιας, propter impudentiam, ut docet S.Chrysostomus. Aristippus Cyrenæus, qui summum bonum in corporis voluptate ponebat, a Diogene canis regius dictus est, quod magnatibus assentaretur. Aristogiton quoque Atheniensis orator, propter impudentiam canis dictus est.

77. Feris similis est peccator. Secundo, ferarum quoque animantium naturam ac formam induit peccator. Theodoret. hoc loco, Iumentorum, ait, ferarumque vitam amplexi sumus. Primo vulpes sunt

1. Vulpibus. scelerati, τη πανουργια, malitiosa astutia, ut ait S.Basilius. Hac nomenclatione Herodem insignivit Christus, Luc.13. 32. *Ite, et dicite vulpi illi*: et avaros dolo sibi pecuniam

2. Simiis. quærentes, Matth. 8. 20. *Vulpes foveas habent.* Secundo, peccator est simia per cacozeliam, et alienorum vitiorum imitationem, quod ut caveamus monet Apostolus Rom. 12. 2. *Nolite conformari huic sæculo.* Ridiculus extitit Nero, qui Apollinem cantu, solem aurigatione, Herculem leonis præparati nece, imitari volebat: sed eo infeliciores sunt, qui magnatum vitia, balbutiem, humerorum extuberantiam, austeriorem vultum, luxuriam, aliaque æmu-

3. Lupis. lantur, ut adolescens ille Terentianus Iovis flagitia. Tertio, peccator lupus est, ob rapacitatem. S. Basil. ως λυκος αρπαξ, ut lupus rapax appetit aliena. S.Chrysost. λυκος δια πονηριας, lupus propter improbitatem: adde etiam ob voracitatem: sicque lupina forma pinge Fabium illum, qui ab intemperantia dictus est Gurges. Diotimum, qui a bibacitate vocatus est infundibulum. Censent plerique Accam laurentiam quæ Romulum et Remum nutrivit, dictam esse lupam, propter corpus vulgatum omnibus, et inde lupana-

4 Leonibus. ria nomen traxisse. Quarto, peccator est leo ob rabiem et

5. Tigribus. et arrogantiam. Vide dicta Psal. 21. sect. 2. Quinto, est tigris propter acervandi custodiendique auri auxiam curam. Vincentius Bellovac in speculo moral. *Avari*, ait, *tigridibus sunt similes, quæ aurum effodiunt, et eo non u-*

6. Leopardis. *tuntur.* Sexto, peccator est leopardus, ob morum perversitatem atque subdolam varietatem, qua illectos alios, velut incautas feras odoris amantes, enecet. Ierem. 13. 23. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus va-*

7. Ursis. *rietates suas.* Septimo, peccator ursus est, propter barbaram et misericordiæ expertem crudelitatem, qua etiam in supplices ac mortuos sævit. Threnor. 3. 10. *Ursus insi-*

Peccator similis est iumento molam versanti. *dians factus est mihi.* Octavo, peccator similis est iumento pistrinariam aut oleariam molam versanti: sicut enim illi oculi, velantur, ita peccato oculus rationis tollitur. Sic est iumentum insipiens. S. Paulin. epist. 4. ad Severum: *Considera mortalium vitam, et tota tibi species iumenti molentis occurrat: ut ille pannis oculos corporis, sic iste sordibus vitæ suæ, oculos mentis obsitus per errores suorum sensuum, quasi circa ambages molarum laboriosa miser statione versaturus, visu suo vacuus, et operosus alieno, stat in via peccatorum, et ipse sibi carcer est, obsessus tenebris erroris sui, et conscientiæ squalore concretus, in semetipso pistrini ergastulum patitur, saxum cordis sui pertinacia iniquitatis induratum, quasi molam versat.* In Samsone hoc potes ostendere. Nono denique, omnibus bestiis peccator conferri potest. Vide Ps. 21. sect. 2. Addo Boetium lib. 4. de consolatione prosa 3. *Evenit igitur, ut quem transformatum vitiis videas, hominem existimare non possis. Avaritia fervet alienarum opum violentus ereptor? Simile lupi dixeris. Ferox atque inquietus linguam litigiis exercet? cani comparabitis. Insidiator occultis subripuisse fraudibus gaudet? vulpeculis exæquetur. Iræ intemperans fremit, leonis animum gestare credatur. Pavidus ac fugax non metuenda formidat? cervis similis habetur. Segnis ac stupidus torpet? asinus vivit. Levis ac inconstans studia permutat? nihil ab avibus differt. Fœdis immundisque libidinibus immergitur? sordidæ suis voluptate detinetur. Ita fit, ut qui probitate deserta, homo esse desierit, cum in divinam conditionem transire non possit, vertatur in bel-*

A *luam.* Lege S. Hier. comment. in Isaiam cap. 5. lib. 13. tom. 4. Salonius S. Eucherii filius et Salviani discipulus in Ecclesiasten sic ait: *Quid est quod Ecclesiastes in fine libri sui dicit: Deum time, et mandata eius custodi, hoc est enim omnis homo. Quomodo fieri potest, ut hoc tantum sit homo: id est timere Deum, et mandata eius observare?* Deum timere est omnis homo. *Multo quippe maior est pars eorum hominum qui nec timent nec custodiunt.* Paulo post respondet: *Hoc demonstrat in his verbis quia non est homo, qui Deum non timet, et mandata eius non custodit. Quare non est homo? Quia non custodit modum rationemque suæ naturæ. Quæ est ratio et modus suæ naturæ humanæ? Rationabiliter vivere, quia inter animantia omnia solus homo creatus est rationale animal, et solus accepit a Deo rationem et intellectum, ita ut agnosceret suum creatorem, et diligeret eum, ac timeret, et corde et ore simul laudaret. Quid est Deum timere? Voluntatem eius implere, et bona quæ facienda sunt facere.* Et aliquot interiectis dicit: *Si homo est crudelis suis domesticis, et subiectis aut vicinis, leo est non*

B *homo: si autem raptor est, tigris vel lupus: si vero est adulter, aut fornicator, aut immundus, canis est aut porcus: si stultus, asino comparatur: fraudulentus ac simulator, congrue vulpeculæ assimilatur, et sic de cæteris intelligendum est. Quis est ergo veraciter homo? Ille qui timet Deum, et mandata eius custodit.*

Non intellectum tantum, sed cæteras etiam facultates, 78. ac præsertim voluntatem deformat peccatum: unde additur, ET SIMILIS FACTUS EST ILLIS. S.Bernard. Non periit, Voluntas a peccato deformatur. inquit, imago Dei in homine, *et similitudo*, sed alia superducta: non plane anima nativa se exuit forma, sed superinduit peregrinam: illa adhibita, non ista perdita est: et quæ supervenit, obscurare ingenitam potuit, sed non exterminare.

Nota, Pythagoræi, Platonici, et aliqui alii Philosophi admiserunt post mortem animas migrare in alia corpora, Plato admisit animarum migrationem in varia corpora. eaque informare. Hoc etiamnum docent Bonzii in Iaponia, ut patet iu vita S. Xaverii: sed illa μετεμψυχωσις est

C falsa et hæresis. Platonem tamen audiamus in fine Timæi: Primo, *avium genus ex nostro est ita apte formatum, ut pro pilis pennas acciperet*, εκ των ακακων ανδρων, κουφων δε και μετεωρολογικων μεν, etc. *In hoc illi homines transeunt, qui simplices et innocentes cum sint, leves tamen sunt, et frustra in rebus sublimibus curiosi: quive adeo fatui sunt, ut oculorum iudicio confisi, hoc altissima quæque firmiter demonstrari posse non dubitent.* Secundo, πεζων και θηριωδες, *gressibilium ferarum genus ex his natum hominibus, qui a philosophia penitus alieni ad cælestia nunquam oculos erexerunt, ex eo quod volitionibus illis, quæ in capite peragi solent, usi numquam sunt, sed illas animæ partes secuti, quæ in ventre et pectore dominantur: ex his itaque studiis anteriora membra et capita ob ipsam cognitionem humi penitus defixerunt: in longum productum et diversum corporis verticem tenuere: quandoquidem ibi propter desidiam singulorum collisi sunt, et confracti circuitus: et ideo quod quatuor pedum atque etiam plurium est instituta figura, ut insipientioribus Deus maiorem ex pedibus*

D *multis atque progressu occasionem præstet, per quam magis etiam deflectantur ad terram.* Tertio, τοις δε αφρονεστατοις αυτων, *eos autem qui horum insipientissimi erant, corpusque in terram penitus prosternebant, quasi nihil ultra pedibus opus foret*, αποδα αυτα, και ιλυσπωμενα επι γης εγεννησαν, *in corpora carentia pedibus, et humi serpentia permutarunt.* Quarto denique, το τεταρτον γενος ενυδρον γεγονεν εκ των μαλιστα ανοητατων και αμαθεστατων. *Quartum genus aquaticum est, ex illis natum, qui stolidissimi et imperitissimi fuerant, quos nostri illi transformatores pura respiratione dignos idcirco non iudicaverunt, quia propter extremæ transgressionis iniquitatem, animam impurissimam prorsus habebant. Ideo ex tenui ac pura aeris illa respiratione, in aquæ respirationem profundam turbidamque merserunt. Unde piscium et ostrearum, ac denique aquatilium omnium orta est multitudo. In qua certe mutatione illi ex sedium extremarum habitatione, inscitiæ quoque extremæ dant pænas.*

Nabuchodonosor in bovem est transformatus, et quomodo.

In hac vita Nabuchodonosor ille magnus Babyloniorum Imperator ob superbiam et alia vitia in bovem mutatus est, Dan. 4. v. 30. *Nabuchodonosor ex hominibus abiectus est, et fœnum ut bos comedit, et rore cæli corpus eius infectum est: donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, et ungues eius quasi avium.* S. Epiphanius in vita Danielis, et Dorotheus in Synopsi putant Nabuchodonosorem interius habuisse formam hominis, scilicet animam rationalem, sed exterius mutatum fuisse in figuram bovis anterius, et leonis posterius: et consequenter videntur ei caput et cornua bovis, caudam vero et iubas leonis dare. 2. Michael Medina lib. 2. de fide cap. 7. putat non veram, sed fantasticam fuisse regis transformationem in bestiam. 3. S. Thomas lib. 2. de regimine principum cap. ult. ait, regem transformatum esse in bestiam, non revera, sed quia sua imaginatione vitiata et corrupta, sibi transformatus videbatur. Bellarm. negat illum librum esse S. Thomæ. Hoc per melancholiam factum esse putat Valesius. In figura corporis nihil fuisse mutatum præter ungues et capillos, Maldonatus censuit. 4. Cornelius rectius dicit Nabuchodonosorem aliqua ratione conversum esse in bestiam: nempe in urum aut bisontem. Hoc probat, 1. quia hoc ipse sibi imaginabatur; 2. quia complexio eius fuit efferata; 3. quia fuit amens; 4. quia habitu erat ferino magis quam humano: nam incedebat semper nudus, rori, imbri, et aliis cæli iniuriis ut fera obnoxius. Facies eius ab humana erat diversa et accedens ad ferinam. Adeo ipsi creverant capilli, ut totum fere corpus contegerent: ungues quoque creveraut ad similitudinem avium. Denique cute erat non molli, sed dura, et ferina, pilosque habebat crassissimos, ut referrent plumas avium, quia a copiosa fuligine crassissimæ melancholiæ oriebantur. Non est tamen necessarium putare eum habuisse cornua; 5. incessus eius non erat rectus, ut hominis: sed incurvus et pronus, ut quadrupedum; 6. quia cum foris herbas comedebat; 7. quia mugiebat ut bos. Hæc et alia Cornel. in Danielem. Ludovicus Medina 1. p. q. 111. Delrio lib. 2. de magia, q. 18. de Teridate Armeniæ rege in porcum mutato, atque postea ad veram fidem et pietatem converso sic loquitur Niceph. lib. 8. cap. 35. S. Gregorius, inquit, Armeniæ Episcopus multa a Toridate passus fuerat, et ad quatuordecim annos foveæ cænosæ et caliginosæ inclusus.

80. Teridatis regis mira transmutatio in porcum.

Sed Teridates ipse eius gentis rex cum domo sua tota atque optimatibus, divinæ iræ vindictam est expertus. Χοιρωδη γαρ και βιον, και οψιν αμειψαμενοι, διαγον σφας αυτους κατεσθιοντες: Ad vitam simul et formam porcorum redacti, seipsos devorabant. Sed enim ex fovea extractus Gregorius uno signo omnibus Christum colere persuasit, εκ της χοιρειας εκεινης και μορφης και διαιτης απαλλαττων, ex suilla forma et vita liberatos institutum nostrum complecti coegit, delubra eis construxit, sacra arcani, et mystici sacrificii celebravit, et ex ea regione novis miraculis dæmones exturbavit: ita Nicephorus. Ubi adverte, Nabuchodonosor et Teridates cum in honore essent, non intellexerunt, honor enim excæcat: comparati et assimilati sunt iumentis, honor enim sæpe belluinos homines facit. Cum vero fuerunt in dedecore, oculos aperuerunt et intellexerunt, atque ad vitam cælestem elevati sunt. Nabuchodonosor quidem de seipso dicit Dan. 4. 31. *Post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad cælum levavi, et sensus meus redditus est mihi, et Altissimo benedixi*, etc. Probabile est eum esse salvatum.

81. Variæ metamorphoses ob peccata.

Poetæ, qui et primorum sæculorum Philosophi fuerunt, resque extra sensus positas figuris quibusdam rudiori plebeculæ adumbrabant, mutationes varias et metamorphoses effinxerunt, ut scelerum horrorem animis ingenerarent: 1. dixerunt Lyncos mutatos in lyncem, ob crudelitatem; 2. Hecubam in canem, ob impatientiam; 3. Vertumnum in varias formas, ob inconstantiam; 4. Stellem in lacertam, ob irrisionem; 5. Picrides in picas ob garrulitatem: Lycios, in ranas: Coronim, in cornicem; 6. Amathuntis incolas, in boves, ob avaritiam; 7. Ocyroen Centauri filiam deformatam in equam: Io, in vaccam: Callisto in ursam: Iovem in taurum: Scyllam, in canem, ob luxuriam. Existimarim pari ratione creditum Lycaonem Arcadiæ regem in lupum esse mutatum, quod hospites mactasset. Et Neuros Schytiæ populos, creditos, quotannis aliquamdiu in lupos mutari, rem narrat Herodot. lib. 4. Νευρων εκαστος λυκος γινεται ημερας ολιγας, και αυτις οπισω ες ταυτο καθισταται: *Neurorum Scythiæ populorum singuli dicuntur quotannis ad aliquot dies effici lupi, et rursus in pristinum habitum redire.* Sed hoc nec credit Herodotus nec ego: at plerique Christianorum contrarium omnino vivendi morem instituunt: toto anno lupi sunt, si tres aut quatuor dies circa festum Resurrectionis exceperis, quibus sacro cibo pasti ad mentem formamque humanam redeunt. De Arcadibus dicebatur, ut refert S. Aug. lib. 18. de civit. cap. 17. quod sorte ducti transnatabant quoddam stagnum: atque ibi convertebantur in lupos, et cum similibus feris per illius regionis deserta vivebant. Si vero carne non vescerentur humana rursus post novem annos eodem renato stagno reformabantur in homines: ita ibi. Ad mores id possis transferre. Stagnum primum, deliciarum fluxus est, cuius ex aquis qui hauserit, lupus est, ac lupo dirior. Si carne humana, non pascatur per detractionem, sed Christi salutari carne per pietatem, ac stagnum pœnitentiæ transeat, iterum in hominem momento transmutatur. Idem sanctus Pater asserit, cap. 18. cum esset in Italia, audivisse stabularias quasdam mulieres imbutas malis artibus, in caseo dare solere unde in iumenta illico verterentur, et necessaria quæque portarent, postque perfecta opera iterum ad se redirent: ita ipse. Avari iumentis similes sudant sub onere, et Lucianus atque Apuleius in asinos versi ut fingunt, non parum desudarunt ob libidinem.

82. Peccatum corrumpit omnes animæ facultates.

Corruptionem hanc et deformationem in omnibus animæ facultatibus et passionibus deplorat Gerhardus Zurphan. de spiritualibus ascensionibus lib. 2. cap. 3. *Proh dolor*, inquit, *tanta gloria et honore sublimatus Protoplastus primus parens noster, cum esset in honore non intellexit: sed se a creatoris sui imperio avertit, transgrediens præceptum divinum. Ideoque graviter cecidit, et nos omnes in eo. Nam omnes in eo fuimus vi quadam productiva vel seminali ratione. Itaque cecidimus omnes, et ut Bernardus dicit. Cecidimus simul in lutum et super acervum lapidum. Unde et coinquinati fuimus originali culpa, sed et collisi et confracti, et in omnibus viribus et potentiis animæ optimæ, ut præmissum est, dispositis, graviter vulnerati. Amissa etenim iustitia originali ipso casu et iusto Dei iudicio, ipsæ vires et affectiones a suo statu prolapsæ, diminutæ sunt pariter et deordinatæ, non autem omnino destructæ, sed contrario modo se habentes, quam prius habuerunt, sibi invicem motibus suis et impulsibus contrariantes et repugnantes. Siquidem ut quotidie, ne dicam continue, experiris: nisi totus insensibilis sis, ipsa sensualitas, vis scilicet concupiscibilis et irascibilis, voluntati sunt rebelles et contrariæ: sed et ipsa voluntas quamvis non semper, frequenter tamen agit contra rationem. Unde contigit, ut nunc istæ vires et effectus longe aliter moveant, quam a Deo fuerunt institutæ, pronæ ad malum et proclives semper ad illicitum concupiscendum. Siquidem ratio ipsa cæca facta, erronea, et obtusa sæpe falsa pro veris recipit, frequenter inutilibus et curiosis se involvit. Voluntas facta est curva, sæpe deteriora eligit, carnalia diligit, spiritualia et cælestia vilipendit. Vis autem concupiscibilis destituta est, et quodammodo prolapsa in concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum et carnales voluptates: id est gulam, luxuriam et avaritiam. Irascibilis vero deordinata est, et prolapsa in superbiam vitæ et gloriam mundanam. Spes non sperat de Deo, sed vel in divitiis, vel in propriis meritis, vel sperat plus vel minus iusto. Tristamur de amissione divitiarum, et de despectu mundi. Gaudemus de gula et luxuria. Irascimur fratri. Breviter ex amissione originalis iustitiæ omnes affectiones pronæ sunt in malum ab adolescentia, imo a conceptione sua. Nam ipsa anima ex carne concupiscibiliter concepta con-*

trahit fomitem, et concupiscentiarum inclinationem ad malum.

83. Vers. 14. Denique intellectu et voluntate corruptis os dominorum suorum ductum sequitur, et de sceleribus gloriatur, v. 14. HÆC VIA ILLORUM SCANDALUM IPSIS, ET POSTEA IN ORE SUO COMPLACEBUNT: ita etiam habet Ps. Æthiopicum. Græce in Complutensibus et regiis codicibus est εὐδοκήσουσιν, id est, complacebunt. In Sixtinis vero Bibliis est εὐλογήσουσιν, id est, laudabunt. Apollinarus vertit, ἐπαινέσουσιν, laudabunt. Arabs, *ore* suo ducentur. Syr. pascentur.

Sensus est, q. d. Hæc ipsorum via, hoc est, vivendi et agendi ratio, qua se impii ad bruta deiiciunt, atque eorum mores imitantur, erit ipsis causa scandali, id est offensionis et ruinæ, idque in principio malæ vitæ cernent et lugebunt: sed postea cum rationem et appetitum rationalem penitus obscurarint, et ad ima delecerint, de vitiis suis etiam fœdissimis et homine indignis gloriabuntur, atque in iis placebunt sibi, velut sues in luto et scarabæi in stercore.

84. Stultus est peccator cum scandalo peccans. Nota, pro *scandalum* Hebr. est כסל *chesel*, id est, *stultitia*. Unde S. Hieron. vertit, Hæc via insipientiæ eorum, q. d. Hanc viam ineunt, quia sunt stulti. Causa cur illud iter ineant, est stultitia. Id clare dicit Chald. *Hanc viam illorum accersit stultitia ipsis, et in fine eorum ore suo palam facient peccata sua sæculo venturo*; 2. In ipsius viæ decursu adhuc maior est stultitia. Pagn. vertit, *Hæc via eorum stultitia ipsis*. Felix, Hæc via illorum insipientia illis. Legerant Sept. כשל *chescel*, cum scin, unde verterunt σκάνδαλον. Syr. etiam, Hæc est semita eorum, scandalum animæ ipsorum. S. Ambr. *Hæc via eorum in offendiculum ipsis*. Itaque in ea sæpe corruunt, et luto obliti gloriantur: nonne id summa stultitia est? Apollinaris, οὔλιον δίκτυον, *perniciosum rete:* ubi ceciderunt, non possunt surgere variis vitiis velut retibus impliciti, aut si surgunt, laqueos suos secum trahunt, et sæpe recidunt, cumque stulti sint et cæci, nesciunt ubi corruant. Prov. 14. 19. *Via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruant.* Hebr. via impiorum caligo, nesciunt in quod impingant. Symm. In quo infirmabuntur. Hugo Card. in Ps. nostr. notat, quod in scandalo tria sunt, 1. imprudentia; 2. casus; 3. læsio. Et læsio triplex est: Propriæ conscientiæ, et alterius, et famæ. Et ob hoc dura est talis via. Sap. 5. 7. *Ambulamus vias difficiles.* Iudic. 2. *Nec dimiserunt viam durissimam:* ita Hugo.

85. Imitatio mala multorum regum. Nota secundo, pro *in ore suo complacebunt*, S. Hieron. reddit, post eos iuxta *os* eorum current, q. d. Posteri eorum ipsos imitabuntur et prava eorum monita sequentur. Muisius clare, posteri illorum in ore ipsorum complacebunt. Felix, posteri sui ore eorum current. Flaminius, posteri eorum iuxta *os* illorum current: id est, iuxta sermonem oris. Imitationis malæ exempla habes in Abia rege Iuda, 3. Reg. 15. 3. dicitur enim: *Ambulavit in omnibus peccatis patris sui* (Roboam) *quæ fecerat ante eum: nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris eius:* abavi eius. Pater enim Abiæ fuit Roboam, pater Roboami Salomon, Salomonis David. Secundo, in Nadab rege Israel filio Ieroboam filii Nabat, de quo habetur ibid. v. 26. *Fecit quod malum est in conspectu Domini, et ambulavit in viis patris sui, et in peccatis eius, quibus peccare fecit Israel.* Tertio, in Baasa filio Abiæ rege Israel, qui incitatus est Ieroboam in adoratione duorum vitulorum aureorum in Dan et Bethel positorum, 3. Reg. 15. 33. idem fecit Ela filius eius, Zambri qui Elam occiderat, Amri qui adegit Zambri ut seipsum combureret in urbe Thersa ubi eum obsidebat: et, ut verbo dicam, omnes prorsus reges qui decem Tribubus præfuerunt post schisma factum a Ieroboam filio Nabat, qui a legitimo rege suo Roboam recesserat, et a veri Dei cultu, ne populus pergens Ierusalem ad eum adorandum a se deficeret, et ad Roboam rediret. Adeo proclivis est hominis malitia ad imitationem impiorum. Illis recte dixeris illud Horatii: *O imitatores servum pecus?* Comparantur iumentis insipientibus, quæ

A œstro percita aliis insistunt, eaque etiam per abrupta et præcipitia consequuntur et cum iis pereunt, quia effræni libidini modum ponere nesciunt.

Moral. In peccatis gloriari corruptissimæ et stultissimæ mentis est. S. Chrysost. illud expendens, *Et postea in ore suo complacebunt*, ait: *Hoc quod dixit, est gravissimum, et causa omnium malorum. Qui enim in his peccant, et delinquunt, et adeo desipiunt, seipsos felices ac beatos esse ducunt, et admirantur, et iis quæ fiunt, delectantur. Vitium autem quod laudatur ab iis qui eo laborant, considera quantam fecit accessionem malæ cupiditatis. Si enim dum vituperatur, dum probris afficitur, dum arguitur, dum ab eius, qui sobrii hominis cogitationem parumper suscipit, conscientia flagellatur, dum laceratur, et odio habetur: adeo tamen impudenter viget, et invalescit, et in dies augetur: quando non solum non fuerint quæ prohibeant, utpote accusatio, conscientiæ reprehensio, ea quæ fiunt corripere, eorum quæ commiseris duci pœnitentia, erubescere, aspectum hominum vitare, flere ac lamentari, sed omnino* 86. Moral. In peccatis gloriari est corruptissimæ mentis.

B *contra seipsos etiam laudant qui faciunt, et sibi encomia componunt, et eo ipso se aliis meliores esse ducunt, et postquam fecerint, laudant ea quæ fecerunt (Hoc enim sibi vult illud, Et in ore suo complacebunt) quo non ii deflexerint? aut quid non admiserint? Sunt enim ita* παραπλῆγες, *furore perciti, et adeo emotæ mentis, ut etiam quando suam libidinem expleverint, quando eos videntes iniquitatem oporteret erubescere, exultant, sibi placent, se efferunt, eo quod factum est delectantur. Tale est enim peccatum, ut priusquam factum sit, suam velet turpitudinem, ebrietatem voluptatis prætexens suam abominationem: sed postquam factum fuerit, et libidinis quidem voluptas parumper cesserit: conscientiæ autem accusatio invaserit, nudam ac solam rationem flagellans, tunc maxime cernitur quam sit perniciosum.* Deinde post aliqua dicit, ἀνίατα μένουσι νοσοῦντες, *manent ægroti immedicabiliter.* Salomon Prov. 2. 14. *Lætantur cum male fecerint, et exultant* (Hebr. גילו *ghilu*, cantant, saltant, tripudiant) *in rebus pessimis.* Similes, ait

C Cornel. sunt illis quos in Apulia videmus morsos a tarantulis continuo saltare et tripudiare, ac saltando et tripudiando emori. S. Ambr. lib. 1. epist. 6. eos comparat cicadis, quæ canendo, id est strependo, moriuntur: qui sub ardore, ait, ferventium cupiditatum se mulcent cantu sibi noxio, statimque occidunt. Sic Turcæ in honorem sui Mahomet solent se in orbem gyrare et rotare (quod proprie notat Hebr. *gol*,) donec deficiente spiritu et mente cadant et corruant, illamque vocant choream angelorum: quibus recte aptes illud Ps. 11. 9. *Impii in circuitu ambulant.* Hi ergo bibunt sicut aquam iniquitatem. Teste S. Iob cap. 15. ita vicissim ridendo et exultando pergunt tamquam vituli ad macellum, tamquam ebrii ad furcam, tamquam phreuetici (ut ait S. Gregor. hom. 4. in Ezech.) ad exitium: de quibus Isaias cap. 3. 9. *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt: væ animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala,* ait S. Bernardus serm. 16. in Cant. Vide dicta Ps. 9. 24. S. August. stultos et cæcos ostendit esse eos, qui sibi in peccatis suis

D placent, et ea laudant. Sic enim in Ps. 139. *Cum peccant, tenebræ sunt: et cum insuper non confitentur peccata, sed ea defendunt, tenebrant tenebras suas.*

ARTICULUS II.

Post mortem peccatores, velut oves, in inferis mactantur.

De iis quæ a peccato exoriuntur in hac vita diximus articulo præcedenti. Nunc dicendum est de iis quæ post mortem accidunt. Quatuor autem hic assignantur. Primo, in locum pœnarum deiicitur peccator. Secundo, dæmoni pastori mactandus traditur. Tertio, viris iustis subiicitur. Quarto denique, omni gloria et robore spoliatur.

Ac primo, peccator in inferos contruditur, v. 15. SICUT 87.
OVES IN INFERNO POSITI SUNT, MORS DEPASCET EOS. Quo- Vers. 15.

Peccator ovibus comparatur ob quinque: res, Cur scelerati ovibus comparantur, cum ovis sit animal maxime innocens? Nota, pro *oves*, Hebr. est צאן *tson*, id est, pecus, minuta animalia; 2. ovis; 3. capra; 4. grex; 5. etiam de maioribus animalibus usurpatur. Resp.
I. Ut notetur eius stupiditas. tamen reprobos damnatos et in infernum corruentes comparari ovibus: quia oves sunt animal stupidum, unde fit ut temere in præcipitia et loca periculosa se præcipitent, ut prævias sequantur, sine ulla discretione atque consideratione.

II. Multitudo in exitium ruentium. Secundo, *Sicut oves in inferno ponuntur* impii, ut denotetur multitudo gregatim et acervatim in præceps ruentium, atque sese ibi addensantium, ut oves facere solent: ita Genebr. et Bellarminus: favet S. Hieron. qui vertit: *Sicut grex in inferno positi sunt.*

III. Destinatio ad mactationem. Tertio, *Sicut oves in inferno ponuntur* impii, quia ducuntur ad cædem hoc ignorantes: ita Lyranus et Remig. imo gestientes et exultantes, sicut oves coronatæ in triumphis et aliis festis.

IV. Imbecillitas. Quarto, *Sicut oves*: quia ut ait S. Chrysost. hic οὐδὲν ἀσθενέστερον ἀνθρώπου κακοῦ: *Nihil est imbecillius homine, qui in vitio vitam transigit: quod avaris quoque eveniet: ita concidentur, ita funditus peribunt, et tam facile devenient ad inferos, tam breviter, tam expedite, tam nullo negotio, quam oves quæ mactentur. Hoc est mors, imo vero res est morte acerbior. Post talem enim mortem eos mors immortalis excipiet, et ideo nusquam in sinus Abrahæ, nec in ullam aliam regionem cernuntur recedere, sed in infernum. Hoc pœnæ, hoc supplicii, hoc summi exitii nomen est. Et hic mors eorum vitiis est et contemnenda: et eorum illic mora est plena supplicio. Ita etiam solemus dicere de iis qui facile pereunt: Hic sicut ovis occisus est. Quoniam enim sicut bruta vixerunt, etiam ut bruta pereunt, non habentes bonam spem de futuris.* Cardanus lib. 7. de rerum varietate cap. 31. asserit, in Peruana regione oves ad asellorum magnitudinem crescere, quod ibi sit calor maior. Item cap. 33. dicit in Hirtha Hebridum ultima insula, ad Septemtrionem in extremo posita, eademque maxima, ab ovibus hircos altitudine superari, easque cornua habere non minora bubalis. Præterea Olaus lib. 17. cap. 1. de gent. Septemtr. docet, in Gotlandia arietibus quaterna aut octona cornua erumpere, et illos tantum ferociæ sumere a cornibus, ut dum ardent in venerem, nisi serra vel lima minuantur, cætera in animalia irruant, eisque noceant, atque ipsi pastori sint rebelles. Sed post mortem scelerati omnes sunt imbeciles. Thren. 1. 6. *Egressus est a filia Sion* (id est, a Sione seu Ierusalem) *omnis decor eius: facti sunt principes eius velut arietes non invenientes pascua: et abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis,* Chaldæi militis aut ducis eos in captivitatem ducentis ad Babylonem. Chaldæi idem sunt atque *quasi dæmones,* qui ducunt ad Babylonem, id est, ad confusionem inferni.

V. Æternitas pœnæ. Quinto denique, *Sicut oves* in inferno ponuntur impii: ut denotetur æternitas pœnæ: quia, ut ait Bruno, sicut oves lanæ suæ amissione iugiter perseverant, sic semper in illis sine imminutione substantiæ invenit pœna quod cruciet. S. Bernard. serm. 2. in illud, *Regnum Dei non est esca et potus: Quam bene,* inquit, *sicut oves? quia detracto vellere mundialium divitiarum, dure presseque detonsi, sempiternis nudi deputabuntur incendiis. Mors depascet eos, quia semper morientur ad vitam, et semper vivent ad mortem.*

88. Vers. 15. 2. Pars. Secundo, mors est pastor et rector impiorum in inferis, vers. eod. 15. Mors depascet eos. Duplex sensus esse potest. Primus et optimus, *mors depascet eos,* id est, pascet illos, *mors pastor est eis,* ut S. August. legit. Græco ποιμανεῖ, hoc est, pascet. Secundo, mors depascet, id est, depascetur eos. Mors illos absumet atque devorabit. S. Hier. Arnob. Ruffin. et Bruno secundum hunc sensum sequuntur. Utrumque patiuntur vox Hebraica et Latina, sed non Græca.

Mors dicitur infernus. Quæres, quænam mors, et quomodo depascit? Primo, per mortem, secundam scilicet, accipiendus est infernus: ita S. Chrysost. S. Athanas. Hugo, Genebr. Verba S. Chrysost. sunt: *Mors depascet eos. Hic mihi videtur mortem dicere interitum qui illic est, et supplicium, quemadmodum etiam alibi dicit Ezech. 10. Anima quæ peccaverit, ipsa morietur: non substantiæ ablationem, sed pœnam significans: persistit autem in metaphora Quoniam enim dixit oves, eorum quoque pastorem ostendit. Quis autem hic est?* σκώληξ ἰοβόλος, σκότος ἀτελεύτητον, δεσμὰ ἄλυτα, βρυγμὸς τῶν ὀδόντων: *Vermis venenatus, tenebræ nunquam cessaturæ, vincula quæ solvi nequeunt, stridor dentium.* Dionys. Carth. Ipsa, inquit, pœna inferni, quæ morte amarior est, erit cibus impiorum ac damnatorum: ita sicut esuriens cibo impletur: sic ipsi pœnis perpetuis implebuntur: et sicut per cibum conservatur anima in esse, sic pœna infernalis servabit iniustos in esse, semper eos torquendo, et nunquam consumendo. Sic Deus dicit Ierem. 23. 15. *Ecce ego cibabo eos absynthio, et potabo eos felle.* Infernus hinc inducitur velut persona tragica ducens sceleratos in varia pascua: modo in ignem, modo in nives, modo in rabiem, modo in vermes, atque huiusmodi tum corporis tum animi tormenta. Nota, sicut ovis summas herbas carpit, non vero eas stirpitus evellit, ut renascantur ad pastum: ita semper renovantur pœnæ damnatorum, nunquam terminantur. Sic Cassiod. Ludolphus, Richard. Pampolit. Haymo, et alii.

Secundo, per mortem intelligitur diabolus: ita S. August. Haymo, Hugo, et alii. Sic Iob 18. 13. dicit Baldad Suhites: *Devoret pulchritudinem cutis eius* (impii) *consumat brachia illius primogenita mors,* id est, diabolus, ut explicat Philippus presbyt. Sic etiam Apoc. 6. 8. ait S. Ioannes: *Ecce equus pallidus: et qui sedebat super eum, nomen illi mors, et infernus sequebatur eum.* Et diabolus.

Nota, pastor impiorum est mors, id est, diabolus: pastor vero iustorum est vita, id est, Christus. Hoc eximie declarat S. Aug. in Ps. nostr. *Quid est,* inquit, *mortem habent pastorem? Mors enim aliqua res est, aut aliqua potestas est? Mors nempe separatio est animæ a corpore. Mors equidem quam timent homines, separatio est animæ a corpore. Mors autem vera, quam non timent homines, separatio est animæ a Deo. Et plerumque cum timent homines istam, quæ separat animam a corpore, incidunt in illam ubi anima separatur a Deo: hæc est ergo mors. Quomodo autem mors pastor est illis? Si vita Christus est, mors diabolus. Habemus autem multis locis in Scriptura, quia vita est Christus, mors autem diabolus est: non quia ipse mors est, sed quia per illum mors. Sive enim illa in qua lapsus est Adam, ipsius persuasione homini propitiata est: sive ista in qua separatur anima a corpore, ipsum habent auctorem, qui primo per superbiam cadens invidit stanti, et morte invisibili deiecit stantem, ut etiam morte invisibili perderet: ad eum pertinentes pastorem mortem habent. Nos autem qui de futura immortalitate cogitamus, et non sine causa in fronte signum crucis Christi portamus, non habemus pastorem nisi vitam. Infidelium pastor mors, fidelium pastor vita. Si ergo in inferno sunt oves quibus pastor mors est, in cælo sunt oves quibus pastor vita est. Quid igitur? Iam in cælo sumus? In cælo secundum fidem. Si ergo non in cælo, ubi sursum cor? Si non in cælo, ubi est quod Apostolus Paulus dicit, Philipp. 3. Nostra enim conversatio in cælis est? Corpore ambulamus in terra, corde habitamus in cælo. Habitamus ibi, si illuc aliquid mittimus, quod ibi nos teneat. Nemo enim inhabitat corde, nisi unde cogitat. Inde autem cogitat, ubi thesaurizat. Thesaurizavit in terra, cor ipsius a terra non recedit: thesaurizavit in cælo, cor ipsius de cælo non descendit: Domino aperte dicente, Matth. 6. Ubi est thesaurus tuus, illic et cor tuum erit. Isti ergo quibus mors pastor est, videntur florere ad tempus, et iusti laborare. Sed quare? Quia nox est adhuc. Quid est, nox est? Non apparent merita iustorum, et quasi nominatur felicitas impiorum. Tamdiu videtur herba lætior quam arbor, quamdiu hyems est. Herba enim per hyemem viget, arbor per hyemem quasi arida est: cum sol exierit, ferventior tempore æstatis, arbor quæ per hyemem arida videbatur,*

89. Mors est pastor impiorum.

expletur foliis. profert fructus, herba autem arescit. Videbis honorem arboris, herba arida est. Sic et modo iusti laborant, antequam veniat æstas. Est vita in radice, nondum apparet in ramis. Radix autem nostra charitas est. Et quid ait Apostolus? ut sursum debeamus habere radicem, ut vita sit pastor noster: quia habitatio nostra non debet recedere de cælo, quia in hac terra debemus sicut mortui ambulare, ut supra viventes, infra mortui simus, non ut supra mortui infra vivamus. Quia ergo non debet recedere vita nostra et cor nostrum de supernis, quid ait Apostolus Coloss. 3. *Mortui enim estis. Et ne timeres, vita vestra abscondita est, ait, cum Christo in Deo. Ecce ubi est radix nostra? Quando autem apparebit honor noster tamquam in foliis et fructibus? sequitur et dicit: Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos cum illo apparebitis in gloria, et erit mane.*

90. Vers. 15. 3. Pars. Iusti felicitatem cito obtinent.

Tertio, impii ad inferos condemnabuntur a sanctis, vers. eod. 15. Et dominabuntur eorum iusti in matutino. S. Ambr. *in matutinum.* S. Aug. et Pagn. *mane.* Quæres, quodnam est illud mane? Primo, mane seu matutinum sumi potest pro tempore improviso, repentino, et celeri, q. d. Iustis cito subiicientur impii, qui nunc florent atque honores ac dignitates obtinent. Sic Saule deiecto David ad regnum Iudææ evectus est, qui in magna calamitate fuerat. Ioseph a fratribus afflictus et venditus, ab hera calumniam passus et in carcerem deiectus, toti Ægypto præficitur, Gen. 41. 40. Hoc expendit fuse S. Chrysost. in ps. nostr. Quoniam, inquit, multi crassiores, et non plus sensu præditi quam lapides, non habent certam et claram spem de futuris, sed iis quæ præsentia sunt, et quæ videntur, inhiant, eos obscure tangit. Deinde cum paucis futura obscure significasset, confert rursus orationem ad contemptionem eorum, et pœnam in vita præsenti, ostendens quam sint imbecilli, viles, contemnendi, et quod licet sint millies divites, et magna sint succincti potentia, ab iis tamen qui virtutem sequuntur, habentur pro servis et mancipiis, ideo dicit: Et dominabuntur eorum iusti *in matutino: hoc est, celeriter, continuo, nec tempore quidem opus habebunt, nec labore, nec mora. Talis est enim rerum natura, ut vitium virtuti serviat, eamque formidet, ac pertimescat, licet illud quidem sit versutum exercitatumque, ac præclare instructum: hæc vero nuda et per seipsam decertans.* Obiicit deinde sibi sæpe malos obtinere dominatum in bonos: sed ait potius esse contrarium. Sit, inquit, aliquis malus dominus, et bonus servus: vel si mavis, ad aliud maius exemplum rem deducamus. Sit rex malus, et privatus bonus, videamus quis sit dominus alterius, et ubinam resplendet dominatus: quis est qui imperat, et qui paret alterius imperio. Quomodo ergo hoc sciemus? Rex rem malam et scelere plenam privato imperet: cui bonus privatus, et qui eius ditioni subiicitur, non modo non acquiescet, nec obediet, sed eum etiam qui imperat, conabitur abducere ab instituto, licet mori oporteat. Quis est ergo liber? Isne qui quod vult facit, et ne regem quidem metuit: an qui ab eo contemnitur, qui eius subest imperio? Et ne in incerto exemplo prolixa utamur oratione, uxor Putifaris Ægyptia, numquid erat princeps fœmina? numquid toti Ægypto præerat? numquid habebat regem coniugem? numquid maximam habebat potestatem? Quid vero Ioseph? non servus? non captivus? non famulus emptitius? Non adversus adolescentulum omnem aciem instruxit, non alii belli curam committens, sed ipsa descendens in aciem. Quis ergo tunc erat servus, quis liber? illane quæ precabatur, orabat, et supplicabat, et non homini, sed improbissimæ animi perturbationi serviebat? an is qui contemnebat diadema, sceptrum, purpuram, et omnem illam externam speciem ac visionem, et rescindebat eius machinationem? Non illa quidem repulsam passa recessit, atque alii rursus animi morbo mancipata est, nempe iræ, quæ ratione non regitur, nec cedit: Hic vero exivit, μυριους στεφανους επι κεφαλης εχων, και εν αυτη δουλεια ελευθεριαν μειζονως διαλαμπουσαν δεικνυς, *redimito coronis innumerabilibus capite, et in ipsa servitute libertatem magis resplendentem ostendens,* ουδεν γαρ ουτως ελευθερον ως αρετη: ουδεν ουτως δουλον ως κακια: *Nihil æque liberum est ac virtus: nihil æque servum est, ut vitium.* Et ideo dicit etiam Salomon Prov. 17. Sapiens servus obtinebit dominatum in dominos insipientes. Quemadmodum enim captivus, etsi immensas habeat divitias, et eo ipso facile capi potest et expugnari ab omnibus: ita etiam qui ab animi perturbationibus captus est, αραχνης εστιν ευτελεστερος, *tela araneæ est vilior.* Ostendit deinde Apostolos licet in mediis tormentis, fuisse liberos et terrorem incussisse suis hostibus. Et in alio loco psalmi eiusdem ait: Τιμη ανθρωπου αρετη, και το περι μελλοντων φιλοσοφειν: *Virtus est honor hominis, et de rebus futuris philosophari.*

91. In die iudicii impiis dominabuntur iusti.

Secundo, et melius, impiorum dominabuntur iusti *in matutino*, id est, in die iudicii extremi, quod est initium beatæ æternitatis pro sanctis, qui tunc sceleratos condemnabunt, a Deo constituti eorum iudices: ita S. Aug. Bruno, Iansen. Genebr. Bellarm. et alii. Purpura byssoque fulgent impii in hac vitæ caligine: sed ubi se dies æternitatis aperuerit, vermes illi lucentes et ligna putrida mendacem splendorem amittent, et putredinem suam abiectionemque tegere non poterunt. Pii vero, quos hic vilis lacerna texit, regia chlamyde ac diademate insignes radiabunt, pedibusque subiectos impios proterent, et stabunt in magna constantia contra ipsos. Nunc in nocte, et plerumque illuni cæcaque oberramus, dum medios inter scelestorum globos, et densa periculorum agmina, miseram vitam trahimus, sed tandem solo micantior radios exeret æternitas, cuius *in matutino*, id est, in ipsa aurora, in primo crepusculo: hoc est, in die iudicii, dominium suum in impios humi appressos, sancti sublimes et pro tribunali sedentes exercere incipient: eosque ut læsæ maiestatis reos ac perduelles, catenis flammeis atque æterno carceri addicent. Hanc lucem iustorum ostendit auctor Sapientiæ cap. 3. 7. *Fulgebunt iusti* (Græce αναλαμψουσι, desuper resplendebunt) *et tamquam scintillæ in arundineto* (εν καλαμη in stipula) *discurrent, iudicabunt nationes, et dominabuntur populis.* Unde Tertull. ad Martyres cap. 2. Iudex expectatur, inquit, sed vos estis de iudicibus ipsis iudicaturi. S. Cypr. exhort. mart. 12. Quando ergo, ait, iudicaturos vos et regnaturos cum Christo cogitatis, exultetis necesse est, et futurorum gaudio præsentia iudicia calcetis: ita ipse. Dominii illius auctoritatem, et improborum imbecillitatem ob oculos ponit Malachias Propheta cap. 4. 3. *Calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum, in die qua ego facio,* hoc est, faciam: nempe in die iudicii, cum efficiam ut eos calcetis. Vide psal. 149. 6.

92. In afflictione est habenda patientia.

Ex his est consequens, contemnendam esse felicitatem impiorum, patientiam habendam in calamitatibus, expectandam illam lucem æternitatis beatæ. S. August. in ps. nostr. *Tolera noctem*, ait, *desidera mane, ne putes quia nox habet vitam, et mane non habet vitam. Ergo qui dormit vivit, et qui surgit non vivit? Nonne qui dormit, morti melior est? Et qui sunt qui dormiunt? Quos excitat Apostolus Paulus, si tamen velint evigilare. Quibusdam enim dicit Eph.* 5. *Surge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus. Qui ergo illuminantur a Christo, iam vigilant, sed nondum apparet fructus vigiliarum. Mane apparebit, id est, cum sæculi huius incerta transierint: ipsa est enim nox: nunc tibi videntur quasi tenebræ. Facit male? vivit, floret, terret, honoratur. Facit bene? reprehenditur, blasphematur, accusatur, laborat, terretur. Quasi tenebræ sunt. In radice autem vigor, fructus, opulentia. Vita nondum est in ramis, sed radix non aruit. Similis arescenti est. Sed tempus venit, vestitur honore suo, fœcundatur fructibus suis. Tunc illi de quibus scriptum est, ut non eos zelemus. Quid enim de illis ait psalmus? Quoniam sicut fœnum cito arescent, et sicut olera prati cito cadent. Cadent cum videbunt ad dexteram Sanctos, quibus laborantibus insultaverunt, et dicent intra se*

pœnitentiam agentes, sed pœnitentia sera et infructuosa. Qui noluerunt modo agere fructuosam, agent tunc infructuosam. Quid ergo dicent iam in pœnitentia infructuosa? Hi sunt quos aliquando in derisum habuimus, et in similitudinem improperii.

93. Nota, *mane* vocatur beata sanctorum æternitas, quia nullum sentit occasum, ibi est lux perpetua et interminabilis, ibi regnum æternum, corona sanctorum ex capite ipsorum nunquam defluet, neque irradiantium gemmarum nitor extinguetur, sed semper erit matutinum, et aurora sole divinæ maiestatis suos radios in sanctorum cœtum evibrante: quot ibi erunt, tot erunt divina parelia nunquam obscuranda. In terris cito regum splendor evanescit. Argis rex unus fuit, qui singulis annis amovebatur. Carthagine duo reges annui aliquando fuere, sicut Romæ Consules. In cælorum regno quot cives, tot reges, et reges æterni erunt. Psal. 47. 4. ubi agitur de civitate Regis magni, id est, de paradiso: *Ecce reges terræ congregati sunt, convenerunt in unum*, id est, in unam civitatem, nempe in cælum. Pater æternus dedit Filio omnem potestatem in cælo et in terra: Filius eam dat servis suis, eosque reges facit. Psal. 44. 17. *Constitues eos principes super omnem terram*. Et longe magis in cælo, ubi est locus præmii. Matth. 25. 34. ait illis: *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum*. Hinc in Apocal. cap. 4. 4. habent coronas aureas in capitibus. Philippus rex Macedonum gaudebat, cum aulici se ducem, Alexandrum vero regem vocabant, ut ait Plutarchus in Alexandro. Longe maior est Christi charitas in filios suos amantissimos, quos cum reges facit, fit ipse rex regum et dominus dominantium.

Argis rex erat unius anni. Carthagine duo reges singulis annis. Sancti per totam æternitatem regnabunt.

94. Quarto denique, maximum improborum malum est, quod nullum reperient tantis malis remedium, vers. eodem 15. ET AUXILIUM EORUM VETERASCET (S. Hieronym. conteretur) IN INFERNO A GLORIA EORUM, id est, primo, post gloriam ipsorum. Sic Latine *a cœna*, id est, post cœnam: ita Genebr. Post gloriam, ait Iansenius, quam impii in hac vita habuerunt, auxilium ac robur eorum, quod hic super terram habuerant e gloria divitiarum suarum, antiquabitur, et peribit in inferno, ubi nihil illis præsentis vitæ divitiæ prodesse poterunt.

Vers. 15. 4. Pars. A gloria, quadrupliciter explicatum.

Secundo, *a gloria*, id est, propter gloriam, quia scilicet gloriati sunt. Ita Bruno, Remig. et Hugo. Isaiæ 14. 11. de Balthasaro Babylonis rege, et de Lucifero habes: *Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum, subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes*. Ecce robur et gloria veterascens et putrescens a gloria.

Tertio, *a gloria*, id est iuxta gloriam, secundum gloriam proportione servata præcedentis gloriæ et gloriationis in mundo: ita S. Thomas et Hugo. Apocal. 18. 7. de meretrice Babylone ornata et in suis divitiis gloriante dicitur: *Quantum se glorificavit, et in deliciis fuit*, (Syr. quantum sibi complacuit in deliciis esse) *tantum date illi tormentum et luctum*. Syr. totum hoc date illi corruptionem et mœrorem. En inveteratam et putrescentem gloriam. Lege S. Chrysost. conc. 1. de Lazaro.

Quarto denique et melius, *a gloria*, id est, per gloriam, seu præ gloria. Sensus autem est, dominabuntur impiorum iusti in matutino, id est in die iudicii: *et auxilium ac robur eorum* impiorum *veterascet*, atque conteretur *a gloria eorum*, iustorum scilicet, qui eis dominabuntur, q. d. Iusti dominabuntur impiis, et impii non poterunt dominationem eorum excutere, omnis eorum potestas interibit, corrupta et inutilis erit. Sic sensus est facilis et planus.

95. Nota, pro *auxilium eorum*, Hebr. est צורם *tsuram*, id est figura eorum. Ita S. Hieron. et Pagn. deduxerant a *tsar*, formare, fingere, figurare. Sensus erit, q. d. Impiorum figura et forma erit tetra et horribilis, qualis esse solet vetularum rugis deformatarum, nec gloria et ornatus præcedens illis proderit. Secundo et melius, *tsuram* significat, robur eorum: ita Camp. fortitudinem eorum: ita Felix et Muisius. Deducitur a rad. *tsur*, id est roborare, fortificare. Sensus est, q. d. Robur impiorum concidet. Tertio denique, *tsuram* id est thesaurus eorum: ita Campens. qui vertit: *Istorum thesaurus veterascet, et habitaculum eorum erit fovea*. Mercerus dicitur, *tsur* generaliter dici de re cui quis fidit, et in qua nititur, sicut opes, et alia huiusmodi. Hæc omnia nihil proderunt in inferis. S. Iacobus in sua epist. canonica, cap. 5. 2. divites avaros alloquens dicit: *Divitiæ vestræ putrefactæ sunt* (Syrus, corruptæ sunt et fœtuerunt) *et vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium vobis* (Syrus, contra vos) *erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in die iræ*. Chaldæus in Ps. nostr. vertit, corpora eorum veterascent in gehenna. In iis impii, non in animo, robur suum constituunt et auxilium.

Tsuram triplex significatio.

Nota secundo, pro *a gloria*, Hebr. est מזבל *mizebul*, id est, ab habitaculo glorioso. Nam, ut ait Bellarm. *zebul* videtur proprie significare habitaculum non quodcumque, sed gloriosum, quale est cælum; habetur enim tantum hæc vox in duobus locis. Isaiæ 63. 15. *Attende de cælo, et vide de habitaculo sancto tuo, et gloriæ tuæ*. Et Habacuc 3. 11. *Sol et luna steterunt in habitaculo suo*. Hoc igitur loco sanctus Propheta opponit Infernum, habitaculum videlicet obscurissimum et vilissimum, domibus gloriosis et splendidis, quas in hoc mundo impii possidebunt. Septuag. vero Interpretes verterunt, *a gloria ipsorum*, volentes per gloriam significare gloriosas domos, quas impii cum inferno commutant: ita Bellarminus. Convenire potest id cum sensu a me assignato, q. d. Dominabuntur impiorum iusti in matutino, id est in die iudicii, et in cæli luce, et auxilium seu robur impiorum veterascet, id est, vile erit et inutile, ut dominium illud iustorum impediat. Nam ipsi erunt in habitaculo glorioso, sublimi, et inaccessibili telis sceleratorum. 96.

Zebul, quid.

Christus qui in toto hoc Psalmo loquitur, post explicatam miseriam improborum, et felicem sortem piorum, de seipso ait, v. 16. VERUMTAMEN DEUS REDIMET ANIMAM MEAM DE MANU INFERI, CUM ACCEPERIT ME. S. Chrys. et Lorin. qui Davidem loqui putant, hic per inferos accipiunt infernum inferiorem damnatorum, ubi torquentur animæ impiorum: ita ut sensus sit, q. d. Deus redimet animam meam de manu inferi, hoc est non patietur Deus animam meam rapi a manu inferi, nec deduci ad loca pœnarum, cum de hoc mundo per corporis mortem accipiet me. Hic sensus bonus est. 97.

Vers. 16.

Secundo tamen, et melius, S. August. S. Ambros. S. Hieron. S. Thomas, Ruffin. Beda, et alii plurimi, censent Christum loqui, et agere de descensu suo ad inferos, id est, ad limbos Patrum, ex quibus tertia die exivit, a Patre æterno in cælum acceptus, in throno gloriæ collocatus. Galatin. lib. 6. cap. 6. et 8. ostendit Rabbinos ex hoc loco probare Christi incarnationem et liberationem ab inferis. Vide dicta Ps. 15. 10.

Christus descendit ad inferos.

Dices, in priori versu bis sumitur infernus pro inferno inferiore seu damnatorum, ergo et hic. Resp. negando consequentiam, quia infernus usurpari potest pro quatuor locis subterraneis. Primo, pro inferno inferiore. Secundo, pro purgatorio. Tertio, pro limbo puerorum. Quarto pro limbo Patrum, de quo hunc locum sancti Patres exponunt, ut vidimus.

SECTIO QUARTA ET ULTIMA.

98. *Tria præstat. Primo, admonet non esse timendam sceleratorum potentiam, quia brevissima est, vers. 17. Secundo, edocet illos æternis in tenebris et suppliciis futuros, vers. 20. Tertio denique, concludit homines id non considerantes, et dignitatem suam negligentes, brutis fieri similes, vers. ultimo.*

PARAPHRASIS.

17. *Ne timueris cum dives factus fuerit homo: et cum multiplicata fuerit gloria domus eius.*

17. Ne metuas hominis potentiam, cum divitiis abundarit: neque verearis ne Deus providentia sua desit iustis, et orbem hunc non regat. Neque tibi oculos mentis perstringat fulgor totius familiæ et affinium, qui illius ope ad honorum fastigia conscenderint.

18. *Quoniam cum interierit, non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria eius.*

18. Nihil enim omnium quæ coacervarit secum auferet, cum ex hac vita migrandum fuerit. Neque in sepulcrum et inferos descendet omnis ille emicans splendor, et amicorum, clientum, famulorumque comitatus, ut illi decus aliquod addant.

19. *Quia anima eius in vita ipsius benedicetur: confitebitur tibi cum benefeceris ei.*

19. Ipse quidem in hac vita a te Domine benedicetur per affluentiam bonorum temporalium, ob quæ felicem illum et beatum homines prædicabunt. Illa sola spectans te tantum laudabit, tibique gratias aget, cum ea ipsi abundanter contuleris, in iis sibi applaudens.

20. *Introibit usque in progenies patrum suorum: et usque in æternum non videbit lumen.*

20. Sed divitiis licet atque dignitatibus ira firmatus videatur, ut emoveri loco non possit: morietur tamen, sicut maiores eius, qui pauperes fuerant et ignobiles. Et qui honorum in luce effulsit, æternis in tenebris atque cruciatibus fœdo occlusus carcere delitescet.

21. *Homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis.*

21. Homo terrenis intentus curis ad imaginem Dei factum se non cognovit, nec tantam dignitatem suam satis attente perpendit. Hinc factum est, ut brutis ratione carentibus similis factus sit, præsentia tantum spectans et peritura, de futuris atque æternis non sollicitus.

QUÆSTIO UNICA.

QUAM BREVIS ET INFELIX DIVITUM GLORIA.

99. *Ordo sectionis huius.* CHRISTUS qui in hoc Psalmo loquitur, excitavit attentionem omnium hominum sectione prima. In secunda, ostendit miseram esse et inevitabilem impiorum mortem. In tertia, illos in infernum descensuros asserit. In hac quarta denique, sapienter concludit non esse timendam sceleratorum potentiam et gloriam, cum tam brevi sit infelicem exitum sortitura.

Conclusio itaque huius psalmi est, non esse timendos sceleratos. Neque ob divitias, v. 17. *Ne timueris, cum dives factus fuerit homo.* Neque ob gloriam: *Et cum multiplicata fuerit gloria domus eius.*

Rationem huius conclusionis duplicem affert Christus. Primo, quod sceleratus ex hac vita nihil prorsus secum auferat, v. 18. *Quoniam cum interierit non sumet omnia.* Nullas scilicet divitias. Sed neque gloria eum sequetur: *Neque descendet cum eo gloria eius.* Secundo, quod in æternis tenebris sit futurus post breve gaudium et hominum applausum in terra. De illo gaudio et applausu dicit v. 19. *Quia anima eius in vita ipsius benedicetur: confitebitur tibi, cum benefeceris ei.* De æternis vero tenebris additur, v. 20. *Introibit usque in progenies patrum suorum: usque in æternum non videbit lumen.*

Epiphonemate denique vehementi psalmum claudit, vesaniam sceleratorum execrans, vers. ult. *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis.*

ARTICULUS I.

Divitiæ citissime pereunt, atque in morte auferuntur.

100 *Vers. 17.* VIS improborum potentia cor palpitat viro probo. Hunc corroborat Propheta, et ait v. 17. NE TIMUERIS (Arabs, ne affligat te) CUM DIVES FACTUS FUERIT HOMO, ET CUM MULTIPLICATA FUERIT GLORIA DOMUS EIUS. Tertull. lib. 4. contra Marcion. cap. 15. legit: *Et cum abundabit gloria eius.* Sed Noster, Hebr. Sept. S. Hieron. et alii significantius habent, *gloria domus eius.* Nam aurum, argentum, gemmæ, supellex universa, equi, servi, atque huiusmodi non sunt gloria hominis, sed domus eius. Vide art. sequ. S. Chrysostom. ait his verbis invadi, *ακροπολιν κακων πλουτου την επιτυμιαν*, arcem malorum divitiarum cupiditatem. S. Basil. dicit esse, *αναγκαιον τουτο κηρυγμα*, necessariam esse hanc prædicationem iis qui orbem inhabitant, ac terrigenis, et filiis hominum: divitibus simul et pauperibus. *Nihil timendum est præter Deum.*

Nota, generatim dicitur, *ne timueris;* Deus enim nihil prorsus in hac vita timeri vult præter se. Quæres, quinam timores excluduntur? Tres præsertim. Primo, non est timenda potentia impiorum: ita S. Chrysostom. Quid ait, formidas divitem? audisti quæ dicta sunt de resurrectione, de bonorum hæreditate, de supplicio malorum: quid umbras deinde pertimescis? Illa enim sunt firma ac stabilia, hæc vero sunt similia floribus quæ flaccescunt. Et quomodo non timebo, inquit, eos qui tantum possunt? Potentia est ad breve tempus, vires unius horæ: transit rerum successus, umbras et somnia imitantur pecuniæ, divitiæ, et honor tantus: ita Chrysostomus. Secundo, non est timendum, ne merces nostra virtuti promissa pereat. S. August. Quare timebas, ait, quia dives factus est homo? Timebas ne sine causa crederes, ne forte perdidisses laborem fidei tuæ, et spem conversionis tuæ: quia forte incurrit tibi lucrum cum fraude, et potuisti facere ipsum lucrum cum fraude, dives esse et non laborare, et attendens quid minatus est Deus, temperasti a fraude, et contempsisti lucrum. Vides alium fecisse lucrum de fraude, et nihil mali pati, et times esse bonus. Ne timueris, ait, tibi Spiritus Dei, cum dives factus fuerit homo. Oculos non vis habere nisi in præsentia? Futura promisit qui resurrexit, pacem in hac terra et requiem non promisit. Omnis homo requiem quærit, bonam rem quærit, sed non in regione sua illam quærit. Non est pax in hac vita, in cælo nobis promissum est, quod in terra quærimus. Hæc ipse. Tertio denique, non est timendum, ne Dei providentia humanas res non regat. Hanc perturbationem S. Basilius vocat, *απαιδευτον κινησιν*, ineruditam commotionem. Vide dicta Ps. 36. 1. et seq.

Ratio cur timendum non sit, cum dives factus fuerit ho-

101. Vers. 18. 1. Pars. mo, petitur a divitiarum vanitate quas homo moriens secum non aufert, v. 18. QUONIAM CUM INTERIERIT (S. Hier. moriens, S. Ambros. S. Aug. cum morietur) NON SUMET OMNIA: NEQUE DESCENDET CUM EO GLORIA EIUS. Nota, *non omnia*, id est, nihil prorsus. Est hebraismus. Sic Genes. 4. 15. dicitur: *Posuit Dominus in Cain signum* (tremorem corporis) *ut non interficiat eum omnis, qui vidisset eum*, q. d. Ut nullus eum interficiat. Timebat omnes sceleratus. Luc. 1. 37. *Non est impossibile apud Deum omne verbum*, q. d. Nullum verbum est Deo impossibile, nulla res est, quam non possit efficere. Dices, nihilne prorsus secum aufert dives? Resp. nihil præter peccata, opera eius sequuntur illum. S. Aug. lib. 50. hom. in 42. cap. 8. Ipsa est, ait, infelicitas hominum, propter quod peccant morientes, hic dimittunt, et ipsa peccata secum portant. Peccas propter pecuniam, hic dimittenda est: peccas propter mulierem, hic dimittenda est: et quidquid est propter quod peccas, hic dimittis: et ipsum peccatum quod committis, tecum portas.

Non omnia, Hebr. id est, nihil.

102. Avarus est stultus. Moral. Stultitia est tanta cura divitias acervare, cum brevi morituri simus, et in morte nihil ablaturi. Hoc docet Christus avarum increpans, Lucæ 12. 20. *Stulte hac nocte animam tuam repetunt a te* (est sacrum depositum a Deo datum) *quæ autem parasti, cuius erunt?* S. Ambr. non nostra sunt, ait, quæ non possumus auferre nobiscum. Sola virtus comes est defunctorum, sola nos sequitur misericordia, quæ tabernacula defunctis acquirit æterna. S. Greg. hom. 15. in cap. 8. Lucæ: *Solæ*, ait, *divitiæ veræ sunt, quæ nos divites virtutibus efficiunt. Si ergo, fratres, divites esse cupitis, veras divitias amate: si culmen veri honoris quæritis, ad cæleste regnum tendite: si gloriam dignitatum diligitis, in illa superna angelorum curia ascribi festinate.* Et cap. 18. Moral. cap. 9. *Dives*, inquit, *cum dormierit nihil secum auferet: res suas cum moritur, secum effert, qui eas petenti contulit: nam terrena omnia, quæ servando amittimus, largiendo servamus: patrimoniumque nostrum retentum perditur, manet erogatum. Diu enim cum rebus nostris durare non possumus: quia nos aut illas deserimus, aut illæ nos viventes quasi deserunt pereundo. Agendum est ergo nobis, ut res absolute perituras in non pereuntem cogamus transire mercedem.* S. Bern. de conversione ad clericos cap. 12. Divitiarum, ait, acquisitio, laboris: possessio vero, timoris: amissio, plena doloris invenitur. Et serm. 4. de adventu, ad rem nostram aptius: *Filii Adam*, inquit, *genus avarum, quid vobis cum terrenis divitiis, quæ nec veræ, nec vestræ sunt? aurum et argentum vere est terra rubea et alba, quam solus error hominum facit, aut magis reputat pretiosam. Denique si vestra sunt, tollite ea vobiscum.* S. Chrysolog. serm. 22. sic argumentatur: O homo, si hic permansurus es, quæ tua sunt, hic repone: si illuc iturus es, hic quæ tua sunt, cur derelinquis? Qui relinquenda servat, alienorum custos est, non suorum. Et S. August. serm. 5. de verbis Domini: *In regione aliena et mox relinquenda, qualis terra, thesaurum recondit insanus, cuiusmodi cælum semper inhabitandum, transfert mente sanus.*

103. Nudus homo sicut Deo iudicandus. Hinc consequens est miserrimam esse divitum sortem. Nam mercenarius diurno opere expleto, suam secum peculiolam lætus domum reportat, messem agricola, vinitor uvas, fasciculum ramorum succisor ligni, pisciculos piscator, aviculam auceps: dives vero ex hac vita post innumeras curas et labores nihil refert. Salomon Eccl. 5. 14. miserabilem hanc vocat infirmitatem: *Sicut*, inquit, *egressus est nudus de utero matris suæ, sic revertetur, et nihil auferet secum de labore suo.* Arabs, nihil reperit ex labore suo, ut vadat portans illud in manu sua. Et v. 15. addit: *Miserabilis prorsus infirmitas* (Chald. malus morbus, cui non est medicina. Vatablus, istud etiam supplicium laboris plenum) *quomodo venit, sic revertetur. Quid ergo prodest ei quod laboravit in ventum?* Arab. Quæ præstantia ei qui laborat ventis? Chald. Quænam accessio ei esse potest, quod laboravit, ut ventum aucuparetur? Seneca epist. 102. ait, hominem in terra, velut in utero materno præparari, ut cælo gignatur: sicut igitur ex matris vulva nudus prodiit, ita hinc nudus migrabit. Verba eius sunt: *Per has mortalis ævi moras, illi meliori vitæ, longiorique proluditur. Quemadmodum novem mensibus nos tenet maternus uterus, et præparat non sibi, sed illi loco in quem videmur emitti, iam idonei spiritum trahere, et in aperto durare: sic per hoc spatium, quod ab infantia patet in senectutem in alium naturæ sumimur partum.*

Hæc vita brevis est, terra pro hospitio viatorio capienda, quæ intulimus auferemus, corpus scilicet atque animam: vasa vero aurea, argenteaque, quo erunt pretiosiora, eo minus auferre permittetur. Seneca id expendit loco mox citato: *Quidquid*, inquit, *circa te iacet rerum, tamquam hospitalis loci sarcinas specta, transeundum est. Excutit redeuntem natura, sicut intrantem. Non licet plus efferre quam intuleris: imo etiam ex eo quod in vitam attulisti, pars magna ponenda est. Detrahetur tibi hæc circumiecta, novissimum velamen tui, cutis et suffusus sanguis, discurrensque per totum: detrahentur ossa nervique, firmamenta fluidorum ac labentium. Dies iste quem tamquam extremum reformidas, æterni natalis est. Depone onus, quid cunctaris, tamquam non prius quoque relicto in quo latebas corpore, exieris? Hæres et reluctaris, tum quoque magno nisu matris expulsus es: Gemis, ploras: et hoc ipsum flere, nascentis est. Sed tunc debebat ignosci: rudis et imperitus omnium veneras: ex maternorum viscerum calido mollique fomento emissum afflavit aura liberior. Deinde, offendit duræ manus tactus: tenerque adhuc, et nullius rei gnarus obstupuisti inter ignota. Nunc tibi non est novum separari ab eo, cuius ante pars fueris: æquo animo membra iam supervacua dimitte, et istud corpus inhabitatum diu, pone. Scindetur, obruetur, abolebitur. Quid contristaris? ita solet fieri. Pereunt semper velamenta nascentium. Quid ista sic diligis, quasi tua? istis opertus es. Veniet qui revelet dies, et ex contubernio fœdi atque olidi ventris educat. Hinc nunc quoque tu quantum potes, subvola: utique etiam necessariis, quæ cohærebunt, alienus.* 104. Vita hæc est hospitium viatorium.

Divitiæ sunt servus fugitivus, ad ergastula diu damnatæ, nos in huius vitæ via aliquantulo spatio consequuntur: tum ubi se dedit occasio, in morte fugam arripiunt. S. Chrysost. hom. in Eutropium: δραπετης, ait, ο πλουτος εστι, και οικετης: *Fugitivus est Plutus* (divitiæ, et Deus divitiarum) *atque servus*. S. Aug. serm. 26. de verbis Domini, aurum nuncupat proditorem servum. 105. Divitiæ sunt servus fugax.

Somnium sunt potius et umbræ, omnes divitiæ terrenæ, prehensantes deludunt et avolant. Ps. 75. 6. *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Vide illum locum. S. Chrysost. in Psalm. nostr. Σκιας μιμειται, ait, και ονειρατα τα χρηματα: Umbras et somnia imitantur pecuniæ. Et S. Ambros. *Somnium est iste thesaurus*, ait, *evigilas et recessit: quoniam qui potuerit crapulam mundi istius edormire, et sobrietatem virtutis assumere, ista contemnit, et pro nihilo pecuniam ducit.* S. Aug. ingeniose ostendit bonorum afflictiones esse quasi somnium, idemque esse felicitatem improborum. Verba eius sunt: *Hic ergo quid? labor, pressura, tribulatio, tentatio: nihil aliud speres. Ubi gaudium? In spe futura. Nam dicit Apostolus: Semper gaudentes. In tantis tribulationibus semper gaudentes, semper tristes, semper gaudentes, quia ipse dixit*, 2. Cor. 6. *Quasi tristes, semper autem gaudentes. Tristitia nostra habet quasi, gaudium nostrum non habet quasi, quia in spe certa est. Quare tristitia nostra quasi habet? Quia sicut somnus transit, et dominabuntur recti mane. Novit enim charitas vestra, quia qui somnium indicat, addit quasi. Qui dicebam, quasi loquebar, quasi prandebam, quasi equitabam, quasi disputabam. Totum quasi, quia cum evigilaverit, non invenit quod videbat. Quasi thesaurum inveneram, dicit mendicus. Si quasi non esset, mendicus non esset: sed quia quasi erat, mendicus est. Itaque modo qui ad lætitias sæculares oculos aperiunt et cor claudunt, transit quasi eorum, et venit verum ipsorum. Quasi ipsorum felicitas est sæculi, verum ipsorum pœna est. Nostrum autem quasi tristitia* Et omnium avolans.

est, gaudium non est quasi. Non enim ait Apostolus: Quasi gaudentes, semper autem tristes: aut quasi tristes et quasi gaudentes: sed ait, quasi tristes, semper autem gaudentes. Sicut egeni, et ibi sicut pro quasi posuit: multos autem ditantes. Et cum hoc diceret, nihil habebat Apostolus. Omnia sua dimiserat, divitias nullas possidebat. Et quid secutus ait? Quasi nihil habentes: et ipsum nihil habere, quasi Apostoli erat. Et omnia possidentes: ibi non dixit quasi. Quasi egebat, non autem quasi, sed vere multos ditabat. Quasi nihil habebat, non autem quasi, sed omnia possidebat. Unde vere omnia possidebat? Quia omnium Creatori adhærebat. Ita S. Aug. in v. 17. psalmi nostri.

106\. Garamantes nuda corpora sepeliunt. Nihil nos hinc auferre, ut Garamantes declararent, corpora nuda sepeliebant, ut docet Silius Italicus lib. 13. Punic. bell. qui etiam varios sepeliendi modos refert, ex quibus miseriam humani corporis poteris intueri. Nam præda piscibus, avibus, canibus, et hominibus ipsis extitit, ut discas vilem hanc sarcinam contemptui habere. Sic autem loquitur:

Iberi obiiciunt en vulturibus. Hyrcani canibus. Ægyptii balsamo illiniunt. Pontici cerebro vacuato servant. Nasamones in mare abiiciunt. Celtæ in calvariis bibunt.

Tellure, ut perhibent, is mos antiquus Ibera,
Exanima obscœnus consumit corpora vultur.
Regia cum lucem posuerunt membra probatum est
Hyrcanis adhibere canes. Ægyptia tellus
Claudit odorato post funus stantia saxo
Corpora, et a mensis exanguem haud separat umbram.
Exhausto instituit Pontus vacuore cerebro
Ora virum et longum myrrhata reponit in ævum.
Quid qui reclusa nudos Garamantes arena
Infodiunt? quid qui sævo sepelire profundo
Exanimes mandunt Lybicis Nasamones in oris?
At Celtæ, vacui capitis circumdare gaudent
Ossa (nefas) auro, et mensis ea pocula servant
Cecropidæ ob patriam Mavortis sorte peremptos,
Decrevere simul communibus urere flammis.
At gente in Scythica suffixa cadavera truncis
Lenta dies sepelit, putri liquentia tabo.

Athenienses urunt. Scythæ truncis appendunt. Pæones in stagna demittunt. Colchi in pellibus sepeliunt. Persæ cruci affigunt. Sidonii devorant.

Taxili cadavera etiam obiiciebant vulturibus, ut ait Strabo lib. 15. pag. 714. Lotophagi in mare abiiciebant, ut Gregor. Gyraldus docet in libro de sepulcris. Pæones in stagna dimittebant, sicut dicit Diogenes Laertius in Pyrrhone. Colchi mortuos suos, εν βυρσαις θαπτουσι, in pellibus sepeliunt, et insutos ex arboribus suspendunt, ut ait Ælian. lib. 4. var. histor. cap. 1. Persæ defunctos in crucem tollunt, nitro saliunt, ac deinde corio contegunt, ut docet Sextus Empiricus. Sidones parentes suos devorabant excepto capite, quod erant soliti inaurare, ut tradit Zenodotus in Collectaneis, in proverbio νομος και χωρα. Ex his patet quam parvi faciendum sit humanum corpus, ac cætera omnia, quæ sic pereunt. Nunc terræ corpus infodimus, ut in fœtenti arctoque carcere computrescat. Euseb. lib. 4. de vita Constantini Imp. cap. 30. refert eum, cum corporis humani perfectæ ætatis circumscriptam mensuram hasta, quam manu tenebat, humi impressisset, dixisse cuidam, συμπαντα βιον πλουτον, και το παν της γης χωριον ει κτησαιο, *omnes vitæ divitias, et totius orbis opes si domi haberes, tamen plus a me circumscripto agello non possidebis, si et illud forte possederis.* Hunc iure Baronius suspicatur fuisse Ablavium Præfectum Prætorio, hominem auri cupidissimum.

107\. Albani pecunias cum cadavere sepeliebant. Nonnulli populi luce fidei privati, credebant animas in alia vita his terrenis bonis indigere: ideoque ea cum cadavere defuncti sepeliebant, ut iis uti possent.

Primo quidem Albani, ut Strabo memorat lib. 11. pag. 503. qui in Asia sunt Iberis proximi, συγκατορυττουσι τα χρηματα αυτοις, *pecunias* una cum defunctis sepeliunt, ideoque pauperes vivunt, nihil paternorum possidentes. Aristophanes in Psyches fabula agit de triente, qui in ore defuncti ponebatur, et a Græcis δανακη dicebatur, ad persolvendum naulum Charonti.

Canadenses variam supellectilem. Secundo, supellectilem pretiosissimam, ollas, secures, pelles, aliaque in demortui fossam proiiciunt Canadenses, Hurones, Iroquii et illius Septemtrionalis Americæ tractus pene omnes barbari, ut docet Paulus le Ieune. Cares cum armis sepeliebant milites suos, ut habet Thucydides in præfat. belli Peloponnesiaci. Græci pecudes, apros, boves, equos et canes nonnunquam in rogum coniiciebant, ut habetur in Iliad. 23. et Æneid. 11. Tartari in sepulcro mensam ante demortuum, scyphum equini lactis, et carnis alveolum statuunt, adiiciunt quoque iumentum cum pullo, et phaleratum equum, ut in altera vita lac, iumentum, et instructum equum habeat, ut tradit Bonfinius lib. 8. Decad. 2. rerum Hungaricarum.

Veneti et alii uxores. Tertio, non in anima tantum et bruta, sed homines quoque offerebant et mactabant, ut usui forent in alia vita. Apud Venetos Germaniæ populos uxor ad sepulcrum mariti sibi necem inferebat, ut declarat Wunnefredus Anglus in epist. ad Edoard. princip. Angliæ. De uxoribus Herulorum idem habet Procopius lib. 2. de bello Gothico. De uxoribus Thracum Solinus, cap. 15. De uxoribus Indorum Euseb. lib. 6. præpar. Evangel. cap. 8.

Galli amicos. Quarto amici apud Gallos idem præstabant in funeribus amicorum, ut ait Pompon. Mela lib. 3. cap. 2. *Erant*, ait, *qui se in rogos suorum velut una victuri libenter immitterent.* Apud Æthiopes regi mortuo familiarissimi eius et amicissimi se in rogum coniiciebant, illum scilicet comitaturi, teste Diodor. Siculo lib. 4.

Tartari servos, equos, et alia. Quinto denique, famulitium et comitatum mortuo apparabant. Memini me alias ex Magino retulisse nonnunquam in funere Imperatoris Tartarorum ad decem hominum millia esse occisa, ut in alia vita illi servirent. Gerrhi, ut ait Herodotus, Scythiæ populi, postquam regem mortuum super thorum in lectulo posuerunt, hastis hinc atque inde defixis, desuper ligna disponunt, deinde pallio contegunt. In reliquo loculi spatio aliquam eius concubinam strangulatam sepeliunt, et cum qui vinum miscebat et coquum, et equisonem, et ministrum, et eum qui erat a nuntiis, nec non equos, atque aliarum rerum omnium primitias, quin etiam phialas aureas. Nam argentum, aut æs, in usum non adhibent. His actis χουσι παντες χωμα μεγα, αμιλλωμενοι και προθυμουμενοι ως μεγιστον ποιησαι, humum certatim atque avide iniiciunt, cupientes tumulum quam maximum efficere: Ita ille. Sed omnia nugæ sunt et excæcatæ mentis deliria. Vere ait S. Ioannes Apoc. 14. 13. *Opera illorum sequuntur illos.* Lege S. Bernard. serm. 2. in festo omnium Sanctorum. Dic avaro cum Propertio lib. 3. elegiar.

Nudus ad infernas stulte vehere rates.

Ausonius in epigr. 53. ad rem nostra aptissime sic ait:

Effigiem rex Crœse tuam ditissime regum
Vidit apud manes Diogenes Cynicus.
Constitit utque procul, solito maiore cachinno
Concussus dixit: quid tibi divitiæ
Nunc prosunt, regum rex o ditissime, cum sis,
Sicut ego solus, me quoque pauperior?
Nam quæcumque habui mecum fero, cum nihil ipse
Ex tantis tecum Crœse feras opibus.

Non aurum modo et argentum secum dives impius non auferet, sed ne gloriam quidem et nominis claritudinem, 108.
vers. eod. 18. NEQUE DESCENDET CUM EO GLORIA EIUS. Vers 18. 2. Pars.
S. August. S. Ambr. S. Cæsarius Arelat. hom. 1. S. Leo serm. 6. de ieiunio decimi mensis legunt: *Neque simul descendet cum eo gloria domus eius.* Nun amat descensum gloria, ascendere cupit. Hinc S. Ambros. dicit: *Gloria sæculi non descendit cum peccatore. sed gloria virtutis ascendit cum innocente: et ut compendiosius dicamus, gloria hominis cum ascendente ascendet: cum descendente non descendet: quod gratiæ est ac virtutis, ascendet.* Hoc probat exemplu Lazari et divitis epulonis; nam ille pauper bonis abundabat in sinu Abrahæ: hic dives omnibus egebat inglorius, guttam aquæ petens, nec impetrans. S. Aug. idem urget, ac symbolice domum divitis interpretatur corpus eius. Verba eius sunt: *Fratres, numquid sic legimus in Evangelio, quia dives ille cum holosericis et byssinis tegumentis apporebat in igne? Numquid qualis erat in epulis ad mensam, talis erat et apud inferos cum sitiret, et stillam desideraret? Non ibi erant illa omnia.*

Gloria mundi non sequitur morientes peccatores.

Non ergo secum accipit homo omnia, nec quod tollit sepultura, tollit secum mortuus. Ubi enim sensus, ibi homo: ubi nullus sensus, non est homo. Iacet vas quod continebat hominem, domus quæ habebat hominem. Corpus dicamus domum, spiritum dicamus habitatorem domus. Spiritus torquetur apud inferos, quid illi prodest quia corpus iacet in cinnamis et aromatibus conditum, involutum pretiosis linteis? Tamquam si dominus domus mittatur in exilium, et tu ornes parietes ipsius. Ille in exilio eget et fame deficit, vix sibi unam cellam invenit ubi somnum capiat, et tu dicis felix est, nam ornata est domus illius. Quis te non iocari aut insanire arbitretur? Ornas corpus, torquetur spiritus. Da aliquid spiritui, et dedisti aliquid mortuo. Sed quid illi dabis, quando unam guttam desideravit et non accepit? Hic enim contempsit mittere ante se aliquid. Quare contempsit? Quia hæc via eorum scandalum est illis. Non putavit vitam nisi præsentem, non cogitavit nisi quemadmodum pretiosis vestibus obvolutus sepeliretur. Ablata est ab illo anima eius, sicut Dominus dicit Luc. 12. *Stulte, hac nocte auferetur anima tua, et quæ præparasti cuius erunt? Et impletum est in illo quod iste Psalmus dicit: Ne timueris cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus eius, quoniam non cum morietur accipiet hæc omnia.*

109. Gloria mundana in momento perit.

Gloriam offert dæmon, velut ignem fatuum, qui cito avolet, et post fallacem lucem in tenebris ac luto deserat. Matth. 4. 8. *Assumpsit eum* (Christum) *diabolus in montem excelsum valde* (hinc ille mons vocatur mons diaboli, ut ait Adrichomius) *et ostendit ei omnia regna mundi, et gloriam eorum.* Modum quo id factum est optime explicat Cornelius, illum consule. Ad rem nostram est quod addit Lucas, id factum esse in momento temporis. Sic enim ait: Duxit illum diabolus in montem excelsum, et ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis. Quod admirans S. Ambr. *Bene*, ait, *in momento temporis et sæcularia et terrena demonstrantur. Non enim tam conspectus celeritas indicatur, quam caducæ fragilitas potestatis exprimitur. In momento enim cuncta illa prætereunt, et sæpe honor sæculi abiit antequam venerit. Quid enim sæculi potest esse diuturnum, cum ipsa diuturna non sint sæcula?* ita Ambrosius.

Lepida fabella.

Lepidus et utilis est Luciani dialogus, quo omnia esse deserenda inferos petentibus ostendit: inducit autem interlocutores Charontem et Mercurium: et quidem Charon omnes accedentes monet omnia prorsus esse abiicienda in fluvii stygis transitu: γυμνους, ait, επιβαινειν χρη, τα περιττα ταυτα παντα επι της ηιονος καταλιποντας: *Nudos vos ingredi oportet, atque ista omnia quæ superflua sunt, in littore relinquere.* Timet scilicet naufragium, neve cymbula sub tanto pondere fatiscat. Tum iubet Carmoleum amasium, pulchritudinem, comam, genarum ruborem, et totam cutem abiicere. Lampicho Gelonorum tyranno, non divitias tantum, sed superbiam et fastum, ac diadema, stragulumque deripit. Damasiæ athletæ, carnem, coronas et præconia aufert. Cratoni opulento, divitias, mollitiem, delicias, trophæum. Philosopho cuidam, arrogantiam, impudentiam, aliaque, et ipsam barbam. Rhetori verborum contradictionem, periodos, etc. Dignus est dialogus qui legatur.

110. Gloria mundana in ignominiam vertitur.

Quod dolendum magis est, gloria impiorum in ignominiam ac dolores vertetur. Oseæ 4. 7. ait Deus de sceleratis Israelitis: *Gloriam eorum in ignominiam commutabo.* Mathathias pater Machabæorum morti proximus, eos ita ad bellum sacrum et ritus paternos tutandos contra Antiochum Epiphanem Syriæ regem ad idola colenda cogentem animabat lib. 1. Machab. 2. 62. *A verbis viri peccatoris ne timueritis: quia gloria eius, stercus et vermis est.* Stercus est, quia male olebit: vermis est, quia cor eius exedet. Ad quem locum et cum quem nunc explicamus, aptissimum est quod de Arabibus Nabathæis profert Strabo lib. 16. pag. 784. ισα κοπριαι ηγουνται νεκρα σωματα: *Mortua corpora non pluris quam stercus putant* (*quo sensu Heraclitus dixit*, νεκυες κοπριων εκβλητοτεροι, *cadavera hominum magis abiicienda foras quam stercus*) *ideo reges etiam in sterquiliniis defodiuntur.* Chii vanitatem quoque hominis denotabant; nam combustis cadaveribus, et ossibus collectis, in mortario ea contundebant: deinde navigio imponentes in altum navigabant, eaque per cribrum ad ventorum flatus dispergebant, donec omnino dissiparentur et abolerentur, ut testatur Nicolaus de moribus gentium. Omnia orta occidere docebant Megarenses et Athenienses, qui mortuos sepeliebant ad occidentem obversos, teste Plutarcho in Solone, pag. 83. Alii aliter vertisse volunt. Ut ut sit, omnia humana et terrena in terram, cineres et fumum redeunt.

111. Eleemosyna servat bona æternitati.

Quæres, quodnam huic iacturæ bonorum remedium esse possit? Resp. dare eleemosynam pauperi, sic enim faciemus nobis thesauros in cælo, quo fur non appropiat, et ærugo ac tinea non corrumpit. Hoc monet S. Leo serm. 6. de ieiunio decimi mensis, et de misericordiæ operibus: *Constans esto*, inquit, *Christiane largitor, da quod accipias; sere quod metas; sparge quod colligas. Noli metuere dispendium, noli de dubio suspirare proventu. Substantia tua cum bene erogatur, augetur: et concupiscere iustum misericordiæ lucrum, æterni quæstus est sectari commercium. Munerator tuus vult te esse munificum, et qui dat ut habeas, mandat ut tribuas, dicens*, Luc. 6. 38. *Date, et dabitur vobis. Amplectenda est tibi promissionis istius gratulabunda conditio. Quamvis enim non habeas, nisi quod acceperis, non potes tamen non habere quod dederis. Qui ergo pecunias amat, et multiplicare opes suas immodicis optat augmentis, hoc potius sanctum fœnus exerceat, et hac usurarum arte ditescat, ut non hominum laborantium captet necessitates, ne per dolosa officia laqueos incidat insolubilium debitorum: sed illius sit creditor, illius fœnerator, qui dicit: Date, et dabitur vobis. Et: Qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis. Infidelis autem et iniquus est etiam sibi, qui quod æstimat diligendum, non vult habere perpetuum. Quantalibet adiiciat, quantalibet condat et congerat, inops de hoc mundo et egenus abscedet, dicente David Propheta Ps.* 48. *Quoniam cum interierit, non accipiet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.* Qui si benignus esset animæ suæ, illi bona sua crederet, qui et idoneus fideiussor est pauperum, et largissimus redditor usurarum. Vide dicta Ps. 40. sect. 1. Gloriosum palatium in cælo eleemosyna emptum a S. Ioanne Patriarcha Alex. vidit Troilus Episcopus: unde ex avaro factus est liberalis. S. Thomam Apostolum ferunt Indorum regi ostendisse in cælis palatia per eleemosynam constructa: faciendi sunt amici de mammona iniquitatis, ut ipsi nos recipiant in æterna tabernacula. Vero dixit Martialis lib. 5. epigr. 43.

Extra fortunam est, quidquid donatur amicis:
Quas dederis, solas semper habebis opes.

M. Antonius apud Rabirium poetam, quem citat Seneca, dicit: *Hoc habeo quodcumque dedi.* Siciliæ rex Alphonsus non dissimile dedit responsum iis, qui eius liberalitatem improbabant, rogatus enim, quid servaret sibi, qui tam multis tam multa daret, *Ea ipsa*, ait, *quæ dono, cætera enim in meorum numero non habeo.*

Secunda ratio cur non sit timendum, cum dives factus fuerit homo, ponitur v. 19. QUIA ANIMA EIUS (id est ipse) IN VITA IPSIUS (solum) BENEDICETUR (et quia) CONFITEBITUR TIBI, CUM BENEFECERIS EI. Nota, τὸ *quia* ad tria referri potest. Primo, ad sequentia q. d. Confitebitur tibi, cum benefeceris ei, quia anima eius in vita ipsius benedicetur, q. d. Quia tantum curat et laudat bona huius vitæ. Secundo, *quia* referri potest ad immediate præcedentia, q. d. Neque descendet cum eo gloria eius: quia anima eius in vita ipsius benedicetur, id est, quia Deus daturus est tantum illi benedictiones temporales. Tertio denique, et melius, *quia* referendum est ad superiora: nempe, ne timueris cum dives factus fuerit homo, cuius propositionis sex rationes subduntur. Primo, amissio divitiarum et honorum: *Quoniam cum interierit non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria eius.* Secundo, felici-

112. Vers. 19.

Timendus non est impius, ob sex rationes.

tas eius brevis: *Quia anima eius in vita ipsius benedicetur*. Tertio, eius servilitas et abiecta adulatio, qui sibi munera offerentes palpet ac laudet: *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei*. Quarto, certitudo mortis eius: *Introibit usque in progenies patrum suorum*. Quinto, inferorum pœna æterna: *Usque in æternum non videbit lumen*. Sexto denique, bestialitas in deliciis et voluptatibus: *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis.*

113. Benedictio triplex. Nota secundo, triplex benedictio hic sumi potest. Primo
1. a Deo, per donationem bonorum temporalium; Dei enim benedicere est benefacere. Sic sensus erit, q. d. Anima eius, id est ipse, in vita ista benedicetur, et bonis temporalibus affluet, ut bonorum operum, quæ fecit, mercedem aliquam habeat, et quia licet malus sit a Deo est productus. Hæreditate indignos impii se reddiderunt, sed reiectitia illis dantur. Genes. 25. 6. *Filiis concubinarum* (Agar scilicet ac Ceturæ) *largitus est munera, et separavit eos ab Isaac filio suo*. Abrahamus dedit Isaac cuncta quæ possederat, aliis paucula dona contulit. Hæc autem temporalium abundantia sæpe est occasio damnationis, ut patet in Salomone, quem in vitia præcipitavit, probabile tamen est eum egisse pœnitentiam. De damnato divite habes Lucæ 16. 25. *Recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala: nunc autem consolatur, tu vero cruciaris*. Nam ut ait S. Hier. Impossibile est, ut præsentibus quis et futuris fruatur bonis: et in cælo et in
2. terra gloriosum apparere. Secundo, anima divitis in vita ipsius benedicetur, Gr. εὐλογηθήσεται, id est, laudabitur, ab adulatoribus et ignara plebecula. Ps. 143. 15. *Beatum*
3. *dixerunt populum cui hæc sunt*. Tertio denique, anima divitis in vita ipsius benedicetur a seipsa, ipso sibi in suo auro argentoque et deliciis applaudit atque gratulatur. Luc. 12. 19. dicit: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare*. S. Ambr. lib. 2. de interpellat. in Iob cap. 5. *Magna*, inquit, *illecebra delinquenti est, rerum affluentia secundarum: supinat, extollit, oblivionem auctoris infundit*, etc. S. Basil. ait, hæc avari verba esse digna porcina anima, Babylon meretrix sibi gratulatur et se extollit. Apoc. 18. 7. *Sedeo regina, et vidua non sum, et luctum non videbo.*

114. Vers. 19 2. Pars. Tertia ratio, cur non sit timendum, cum dives factus fuerit homo, petitur ab eius indigentia, quia ita nunquam explebitur, ut danti sibi serviliter blandiatur, vers. eod. 19. CONFITEBITUR TIBI, o Deus; 2. et melius, tibi o homo, cui dixi ne timueris cum dives factus fuerit homo, CUM BENEFECERIS EI. Sept. legerant לו *li*, id est ei: nunc habetur לך *lac*, id est, tibi: sed sensus esset obscurior. Zach. 11. 4. dicunt mali pastores et sacerdotes Iudæorum: *Benedictus Dominus, divites facti sumus*. Canes erant venatici, quibus cum præda obiiciebatur, exultabant: vel potius erant canes culinarii, qui oblata sibi offa blandiebantur. Secundo, homines ab hominibus laudantur, quamdiu sunt divites, et ab iis aliquid percipiunt. Ovid. lib. 1. Tristium eleg. 8.

Donec eris felix, multos numerabis amicos.

Sed illi sunt amici fortunæ, non personæ; unde addit:

Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Hoc expertus est Iob, ut ipse testatur cap. 19. v. 13. et seqq. Vide dicta Ps. 37. 12.

115. Vers. 20 1. Pars. Dives difficile salvatur. Quarta ratio, cur non sit timendum, cum dives factus fuerit homo, petitur ab eius morte, v. 20. INTROIBIT USQUE IN PROGENIES PATRUM SUORUM. Primo, futurus cum eis pulvis. Secundo, cum iis ob impietatem torquendus, mali corvi, malum ovum. S. Hieron. dictum est mirabile epist. 69. *Omnis dives*, ait, *aut iniquus est, aut iniqui hæres*. Nolim tamen tam severus esse censor. Terribilius est, quod ait Christus: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum*. Est proverbium hyperbolicum, quo denotatur non impossibilitas, sed summa difficultas. S. Hier. ibi, Non impossibilitas, ait, prætenditur, sed raritas demonstratur. Hinc S. Aug. serm. 28. de verbis Apostoli in aurum invehitur: *Aurum*, ait, *quod ærumna perquirit, quod avaritia cupit, quod sollicitudo custodit: aurum materia laborum, periculosa res possidentium: aurum enervatio virtutum, aurum malus dominus, proditor servus, etc. aurum, quod in perniciem domini fulget: aurum, cuius inquisitio damnatos habet, cuius amor Iudam facit: aurum, quod apud avarum animum præfertur Christo*. Lege plura apud ipsum.

Nota, filii sæpe damnationem incurrunt ob pravum amorem et depravatam imitationem parentum. Paulus le Ieune refert aliquot Canadenses et Hurones dixisse, velle se in inferos descendere, quod parentes suos ibi esse audirent, licet crederent æternis se ibi ignibus cruciandos: in cælo autem esse nolle, quod in eo maiorum suorum nullum haberent. Eodem modo ferunt Vitichindum ducem Saxonum, cum iamiam esset baptizandus, a lavacro resiliisse, quod vellet in alia vita parentes suos comitari, ubicumque demum essent. 116. Imitatio stulta parentum.

117. Vers. 20. 2 Pars Lux amabilis in cælis. Quinta ratio, cur non sit timendum, cum dives factus fuerit homo, petitur ab eius damnatione, vers. eod. 20. ET USQUE IN ÆTERNUM NON VIDEBIT LUMEN, id est, primo Deum, qui est lux vera; secundo, lumen paradisi, de quo Apoc. 21. 23. *Et civitas non eget sole neque luna, ut luceat in ea: nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna eius est Agnus*. Seneca egregie lumen cæleste depingit epist. 102. *Iam hinc*, ait, *altius sublimiusque meditare. Aliquando naturæ tibi arcana retegentur, discutietur ista caligo, et lux undique clara percutiet. Imaginare tecum, quantus ille sit fulgor, tot sideribus inter se lumen miscentibus. Nulla serenum umbra turbabit, æqualiter splendebit omne cæli latus: dies et nox, aeris infimi vices sunt. Tunc in tenebris vixisse dices, cum totam lucem totus aspexeris: quam nunc per angustissimas oculorum vias obscure intueris, et tamen admiraris tam procul. Quid tibi videtur divina lux, cum illam suo loco videris? Hæc cogitatio nihil sordidum animo subsidere sinit, nihil humile, nihil crudele*. Hac luce privari magna erit implorum pœna, et adhuc maior in æternis tenebris versari. Iobi cap. 10. v. 21. et 22. *Infernum vocat terram tenebrosam et opertam mortis caligine, terram miseriæ et tenebrarum: ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Ita illum locum exponit S. August. S. Thomas, Olympiodor. et Philippus. Horror ille tenebrarum inferni exprimi potest per horrorem tenebrarum Ægyptiacarum, in quibus trementes Ægyptii detenti sunt: de illis lege multa Sap. cap. 17. 2. et seqq.

118. Vers. 21. Sexta denique ratio cur non sit timendum, cum dives factus fuerit homo, ponitur in vers. ult. Psalmi: nempe, quia dives peccans est bestia, v. 21. HOMO CUM IN HONORE ESSET, NON INTELLEXIT: COMPARATUS EST IUMENTIS INSIPIENTIBUS, ET SIMILIS FACTUS EST ILLIS. Eadem verba iam habentur v. 13. et ibi explicata sunt. Sententiæ repetitio, ait Ruffinus, confirmatio est; 2. notat indignationem Christi contra peccatorem, quem ablegat ad bestias indignum non modo angelorum, sed etiam hominum beatorum consortio.

Concludamus cum S. Gregor. Nyssen. qui omnes monet, ut passiones suas, velut immanes feras edoment, cum sint facti ad imaginem Dei, ut dominentur omnibus terræ animalibus. Sic enim loquitur orat. 1. in illa verba Genesis: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*: et præsit piscibus maris et volatilibus cæli, et universis animantibus quæ moventur super terram: *Impera bestiis omnibus quæ in te sunt. Quid, inquies, egone in me ipso bestias habeo? Tu vero bestias habes, et eas quidem innumerabiles, plurima in te est bestiarum multitudo. Ac ne me contumeliosum existimes, dic amabo: parvane bestia est iracundia, quando latrat in corde tuo? Nonne ea est quovis cane crudelior? Quid ? in callido animo tuo dolus latitans, nonne quovis urso fraudulento sævior est? Quid? nonne fera est hypocrisis, vel immanissima? Qui autem impetu rapitur ad contumeliam, nonne scorpius est? Qui præceps ad vindictam ultionemque fertur, nonne est vipera gravissima? Quid avarus ipse? nonne lu-* Impius devoratur a feris in eo manentibus.

pus est rapacissimus? Nulla in nobis fera non invenitur. Qui fœminarum amoribus insaniunt, nonne furiosi sunt equi? Equi amatores, inquit, et emissarii facti sunt, unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat. Sic in alicuius feræ naturam quisque convertitur, ut aliquo animi vitio perturbationeque vincitur. Ex quo fit, ut innumerabiles in nobis sint feræ. Credis igitur, te ferarum esse dominum et principem, si illis, quæ foris sunt imperes, eas autem quæ intus versantur, non domes ac regas? Quorsum tibi ratio, qua leones vincis, eorumque fremitum non reformidas, cum ipse dentibus frendeas ut leo, et præ iracundia vocem confusam et perturbatam emittas. Quid enim gravius aut acerbius est, quam cum iracundiæ furor totus erumpere nititur, nec intus ullo modo contineri potest? Cum ab aliqua perturbatione victus est homo, non iam ipse imperat, sed in eius animo perturbatio dominatur. Quam ob rem, cum ita creatus sis, ut bestiis imperes et serpentibus, et volatilibus, perturbationibus impera. Ne permittas cogitationem tuam sublimem vagari. Ne sinas animum tuum levitate instabilem ferri. Datum est tibi ut avibus præsis: absurdum erit, si visco volitantes illas ita capias, ut ipse levis sis, efferarisque superbia. Ne sublimes spiritus tollas, ne

A *intumescas, ne tibi nimium placeas, aut plus de te sentias, quam patiatur humana conditio. Ne laudibus inflatus extollaris, ne te ipsum iactites, aut magnum aliquid esse putes. Alioquin eris volucrum similis, quæ natura leves et instabiles huc illuc assidue feruntur et volitant. Tuum igitur animum moderare, eique impera, si vis rebus omnibus imperare. Hac ratione nobis in animantia tributum imperium nos monet ac disponit, ut ipsi nobis imperemus. Turpe enim est, ut, qui domi suæ servus est, gentibus dominetur, et is Reip. tractet gubernacula, qui scorti nutus observat, qui meretricis arbitrio regitur. Familiam propriam oportet recte gubernare, et quæ intus sunt, ratione atque ordine disponere ac moderari, nec in alios velle imperium exercere, cum ratio iis, quibus imperare debet, sese subiecerit. Si res tuæ domesticæ confusæ perturbatæque sunt, ut bonus medicus teipsum cura. Nosmetipsos primum curemus. Nemo quod leonem non vicerit, condemnatur. At, qui non superavit iracundiam, passim irridetur. Qui perturbationibus non est superior, merito vituperatur: qui vero feras imma-*
B *nes superare non potest, nulla reprehensione videtur dignus: ita Gregorius.*

PSALMUS QUADRAGESIMUS NONUS.

PSALMUS ASAPH.

1. Deus deorum Dominus locutus est: et vocavit terram,
2. A solis ortu usque ad occasum: ex Sion species decoris eius.
3. Deus manifeste veniet: Deus noster, et non silebit.
Ignis in conspectu eius exardescet; et in circuitu eius tempestas valida.
4. Advocabit cælum desursum: et terram discernere populum suum.
5. Congregate illi sanctos eius: qui ordinant testamentum eius super sacrificia.
6. Et annuntiabunt cæli iustitiam eius: quoniam Deus iudex est.
7. Audi populus meus, et loquar: Israel, et testificabor tibi: Deus Deus tuus ego sum.
8. Non in sacrificiis tuis arguam te: holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.
9. Non accipiam de domo tua vitulos: neque de gregibus tuis hircos.
10. Quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum, iumenta in montibus et boves.
11. Cognovi omnia volatilia cæli: et pulchritudo agri mecum est.
12. Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terræ, et plenitudo eius.
13. Numquid manducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo?
14. Immola Deo sacrificium laudis: et redde Altissimo vota tua.
15. Et invoca me in die tribulationis: eruam te, et honorificabis me.
16. Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?
17. Tu vero odisti disciplinam: et proiecisti sermones meos retrorsum.
18. Si videbas furem, currebas cum eo: et cum adulteris portionem tuam ponebas.
19. Os tuum abundavit malitia, et lingua tua concinnabat dolos.
20. Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum: hæc fecisti, et tacui.
21. Existimasti inique quod ero tui similis: arguam te, et statuam contra faciem tuam.
22 Intelligite hæc qui obliviscimini Deum: nequando rapiat, et non sit qui eripiat.
23. Sacrificium laudis honorificabit me: et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.

PSALMI QUADRAGESIMI NONI ANALYSIS.

David divinum iudicium in fine mundi mente versans, illius

- Personas assignat, 1.
  - Iudicem,
    - Natura præstantem, 1. *Deus.*
    - Operibus excellentem, 1. *deorum.*
    - Potentia mirabilem, 1. *Dominus.*
    - Iustitia terribilem, 1. *locutus est.*
  - Reos,
    - Orbis universi homines. 1. 2.
    - In vallem Iosaphat confluentes. 2.
- Modum, 3. in
  - Antecedentibus,
    - Iudice cum maiestate adveniente. 3.
    - Vindice minas intentante. 3.
    - Fluvio igneo ipsum præeunte. 4. 3.
    - Orbe universo intonante. 4. 3.
  - Comitantibus,
    - Testibus e cælo terraque accersitis. 4.
    - Separatione iustorum ab impiis. 4.
  - Subsequentibus,
    - Deductione iustorum ad gloriam. 5.
    - Approbatione iudicii a sanctis. 5.
- Materiam, 7.
  - Ad gloriam iustorum,
    - Non sacrificia. 8. quæ.
      - Molesta Deo ob nimiam frequentiam. 8.
      - Non necessaria totius terræ Domino. 9. 10. 11.
      - Inutilia nullius cibi egenti. 12. 13.
      - Sacrificium laudis immolando. 14.
    - Sed virtutes: 14.
      - Vota Deo persolvendo. 14.
      - Ipsum in tribulatione invocando. 15.
      - Gloriam omnem ipsi tribuendo. 15.
  - Ad pœnam impiorum:
    - Peccata 16.
      - Cogitationis,
        - Per odium disciplinæ. 17.
        - Et contemptum verborum Dei. 17.
      - Operis,
        - Per avaritiam, aliena bona rapiendo. 18.
        - Per luxuriam, proprium corpus polluendo. 18.
      - Locutionis:
        - Detractione, famam proximi lædendo. 19.
        - Adulatione, fraudes texendo. 19.
        - Invidia, calumnias struendo. 20.
        - Malignitate, in ruinam pellendo. 20.
    - Et præsumptionem veniæ, 21.
      - Blasphemam, Deum iniustum credendo. 21.
      - Inanem, eum vindicem sentiendo. 21.
      - Stultam, quæ tanta mala non vitet consideratione iudicii et oratione. 22. 23.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

PSALMUS ASAPH.

1. *Psalmum hunc non scripsit Asaph, sed David.* SIC inscribitur hic Psalmus, non quod illum composuerit Asaph, sed quod illi traditus fuerit cantandus. Habetur enim lib. 1. Paralip. cap. 16. a Davide rege Asaph Levitam constitutum fuisse, ut cymbalis personaret. Erat scilicet Cantorum præfectus, sicut Core et Idithum, quibus etiam alii Psalmi ad cantandum sunt traditi. Eusebius notat, quod duodecim numero sunt Psalmi, quorum inscriptio est *Asaph:* undecim ex iis sese ordine consequuntur, a septuagesimo secundo incipientes, a quibus præsens seiunctus est ob similitudinem argumenti cum præcedenti, qui pariter cum eo de Dei iudicio disputat.

Obiectio. Dices, Asaph vocatur videns, id est, Propheta: et 2. Paral. 29. 30. dicitur: *Præcepit Ezechias, et principes Levitis, ut laudarent Dominum sermonibus David et Asaph videntis;* ergo hunc Psalmum scripsit, et eos qui ipsius nomine sunt inscripti: per sermones enim ibi intelliguntur Psalmi. *Solutio eius.* Resp. primo, hoc totum concedendo Cornelius a Lapide. Secundo, et melius, id negat Euthymius, et Psalmos omnes quos in Psalterio habemus, dicit esse compositos a solo Davide: *Inscriptiones,* ait, *Idithum filiorum* A *Core, Asaph, Emam et Etham, hoc tantum volunt significare: quod his viris, quos beatus David elegerat ex tribu Levi in duces ac principes chororum: quosque instituerat, ut variis organis Deum laudarent, unusquisque Psalmorum sit traditus iuxta nominum inscriptionem, cum alii Psalmi ab universis cantoribus, atque in commune canerentur:* ita ille in Præfatione Psalmorum. Id recte probat a paritate rationis. Octogesimus Psalmus, inquit, qui Mosi inscribitur, non est Mosi: quia si eius esset, ob illius antiquitatem, primus in ordine legeretur, aut saltem haberetur inter libros Mosi sicut habentur eius cantica, quorum unum in Exodo, alterum in Canticis, tertium in Deuteronomio reperitur: ita etiam existimandum est de aliis Psalmis, qui aliorum inscriptiones præ se ferre videntur: quod scilicet ab alio compositi non sint, quam a beato David: eadem etiam dicenda de duobus Psalmis, qui Salomonis inscriptionem habent: quod scilicet si essent Salomonis, aut extremo in ordine collocari debuerant, aut in libris regum aut Paralipomenon interseri, aut saltem alicubi de eis memoria haberi, eo modo quo cæterorum 2. *Psalmorum omnium auctor est David.*

omnium eius operum ratio habita est. Erant enim illi cantica quinquies mille, parabolæ ter mille: Psalmorum vero eius Scriptura non meminit. Hæc Euseb. ex aliorum opinione, quibus assentitur.

3. Cur Psalmus hic Asaph inscribitur magis quam alteri? Quæres, cur hic psalmus inscribitur Asaph potius, quam Core aut Idithum? Respondeo, quia *Asaph* significat congregationem, seu potius congregantem. Hic autem agitur de congregatione hominum omnium ad iudicium extremum.

Quæres secundo, quodnam sit argumentum psalmi?

A Resp. primo, Cassiodor. Hugo, Bellarmin. Lorinus, agi hic de duplici Christi adventu: nempe de adventu in terram ut incarnaretur, et de adventu ad iudicium extremum. Secundo tamen aptius Ianscnius, omnia de Christi ad iudicium adventu intelligit. Hoc patebit in Psalmi decursu, et videri potest in analysi, quam præfixi Psalmo. Dices, τὸ *ex Sion species decoris eius*, ostendit agi etiam de primo adventu. Resp. id negando. Nam de Sione cælesti, ex qua iudex veniet Christus, hoc est accipiendum. 4. Argum. Psalmi de iudicio extremo.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

5. Tria facit. Primo, maiestatem et terrorem extremi iudicii delineat, vers. 1. Secundo, iustos hortatur, ut pietati se dedant, non immolationi victimarum, quæ in illa die non proderunt, vers. 7. Tertio denique, peccatores increpat, quod vitia sectentur, atque illis punitionem denuntiat, v. 16.

SECTIO PRIMA.

Duo continet. Primo, iudicem, reos, et iudicii locum assignat, vers. 1. Secundo, modum iudicii describit, v. 3.

PARAPHRASIS.

1. *Deus deorum Dominus locutus est: et vocavit terram,*

1. Dominus iudicum omnium, principum et regum Deus, etsi nunc magno cum silentio omnia fluere patiatur: tandem tamen in die supremi iudicii loquetur; universosque homines, sive pauperes, sive divites in ius vocabit, vitæ anteactæ rationem reddituros.

2. *A solis ortu usque ad occasum: ex Sion species decoris eius.*

2. Vocabit, inquam, terræ totius homines ab oriente sole usque in occidentem, nullo ab hac lege excepto: locus porro, in quo iudex sedebit cum gloria et maiestate, erit Ierusalem ad quam omnes undequaque convocabuntur.

3. *Deus manifeste veniet: Deus noster, et non silebit.*

3. Deus tubis horribile clangentibus, totoque se effundente cælo gloriosus ac spectabilis adveniet. Tunc Deum se nostrum esse clare aperiet, et voce terrifica impios percellet, eisque scelera sua obtrudet.

Ignis in conspectu eius exardescet; et in circuitu eius tempestas valida.

Fluvius flammeus venientem ipsum præcedet, qui urbes, pagos, villas, sylvas, montesque, homines et animalia in cinerem ac favillas redigat: universusque orbis concussus infremet, ac veluti sedibus suis emotus reboabit: ventis, fulmine, tonitru permiscebuntur omnia.

4. *Advocabit cælum desursum: et terram discernere populum suum.*

4. Angelos e cælo advocabit, qui cælestem aulam incolunt, omnesque homines futuros testes æquitatis suæ in separatione iustorum a reprobis.

5. *Congregate illi sanctos eius: qui ordinant testamentum eius super sacrificia.*

5. Secretos ac divisos ab impiis sanctos congregate angeli Dei, eosque vobiscum in cælum felici agmine deducite, qui feriunt pactum cum eo in sacrificiis seipsos illi per varios virtutum actus immolando.

6. *Et annuntiabunt cæli iustitiam eius: quoniam Deus iudex est.*

6. Cum illos congregaveritis, tunc cum splendore in cælum evolabunt, et apparebit Deum vere iustum esse, qui in terris abiectos iustos ita exaltet atque illustret: Deus enim iudex est æquissimus, qui tandem reddet unicuique quod suum est; sanctis scilicet gloriam, sceleratis pœnam æternam.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta maiestate et terrore Christus in fine mundi est iudicaturus.

6. Ordo Sectionis. Hic Propheta noster assignat omnia, quæ in iudicio extremo reperientur: nempe iudicem, reos, locum iudicii, modum iudicii, comitantia, et subsequentia iudicium, denique materiam iudicii.

Ac primo Iudicem, et eius excellentiam proponit, v. 1. *Deus deorum locutus est.* Secundo, reos, eorumque multitudinem: *Et vocavit terram a solis ortu usque ad occasum.* Tertio, locum iudicii Ierusalem, prope quam erat vallis Iosaphat: *Ex Sion species decoris eius.* Quarto, modum iudicii. Primo in iis, quæ antecedunt. Secundo, in iis quæ comitantur. Tertio, in iis quæ consequuntur.

Antecedunt iudicium signa varia in cælo et in terra,

B quæ declarant hunc esse adventum Dei, v. 3. *Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit;* 2. antecedet fluvius igneus omnia devorans: *Ignis in conspectu eius exardescet;* et ventorum, maris, ac totius orbis commotio: *Et in circuitu eius tempestas valida.*

Comitantur iudicium testes, quos undique Deus accerset, et assessores simul iudicaturi, v. 4. *Advocabit cælum desursum, et terram.* Separatio quoque fiet bonorum ab impiis: *Discernere populum suum.*

Subsequentia denique sunt, 1. iustorum reductio ad gloriam, v. 5. *Congregate illi sanctos eius, qui ordinant testamentum eius super sacrificia;* 2. approbatio iudicii, v. 6. *Et annuntiabunt cæli iustitiam eius, quoniam Deus iudex est,* æquissimus scilicet, qui solus eo nomine sit dignissimus. De materia iudicii: nempe de virtutibus iustorum, et de privatis sceleratorum dicetur duabus sectionibus sequentibus.

ARTICULUS I.

Qualis iudex in fine mundi, quinam rei, et quis locus iudicii.

7. Vers. 1. Christi iudicaturi octo proprietates. PRIMO, Iudicem proponit et extollit Propheta, vers. 1. DEUS DEORUM DOMINUS LOCUTUS EST. Octo hic notare possis ad eius commendationem: eum enim praedicat, 1. a naturae praestantia, eum dicit, *Deus;* 2. ab excellentia operum, *Deorum;* 3. a potentia, *Dominus;* 4. a iustitia, *locutus est*, reddens finalem sententiam; 5. a dominii amplitudine, *et vocavit terram a solis ortu usque ad occasum;* 6. a maiestate, *ex Sion species decoris eius;* 7. a severitate, *Deus manifeste veniet, Deus noster et non silebit;* 8. a terrore, *Ignis in conspectu eius exardescet, et in circuitu eius tempestas valida.*

Versiones variae. Nota, pro *Deus deorum Dominus*, Heb. est, אל אלהים יהוה *el elohim iehova*, quod primo Caietanus vertit, Deus, Deus, Deus. His enim tribus nominibus saepe Deus vocatur in Scriptura. Secundo, Felix reddit, Deus Deus Dominus. Tertio, aliqui apud Theodoretum, ἰσχυρὸς Θεὸς, id est, Deus fortis. Sed tertiam vocem non exprimunt. Quarto, Campens. Dominus Deus fortis. Quinto, S. Hieron. *Fortis Deus Dominus.* Nam *el*, saepe fortem significat. Christus fortem se ostendit in primo adventu, cum per crucem vicerit daemones: in secundo item adventu fortem se exhibebit, cum sceleratos tam homines, quam daemones unico verbo ad inferos praecipitabit. Iob 9. 13. dicitur: *Deus cuius irae nemo resistere potest, et sub quo curvantur qui portant orbem.*

8. De qua persona Trinitatis hic agitur? Quaeres, de qua persona Trinitatis hic est sermo? Primo, S. Hieron. Bruno, Faber, Peregrinus, Herus, Bredembachius, et alii explicant de tota Trinitate. Hanc explicationem iuvat allata versio Caietani, *Deus, Deus, Deus.* In suo Commentario dicit, in prima voce designari facultatem roburve ad vincendum mundum, et aerias potestates: in secunda vocationem ad iudicium: in tertia denique, verum Deum esse, de quo duo priora nomina dicuntur. Bredembachius in cap. 1. Danielis, considerat in primo nomine omnipotentiam: in secundo, pluralitatem personarum, quia pluralis numeri est, et quia Filius media persona est inter Patrem et Spiritum sanctum, mediator Dei et hominum, et in illo deificamur: in tertio, incomprehensibilem essentiam Dei. In midras thehillim trinae repetitionis causa redditur, ut significetur, Deum creasse sapientia, scientia, et intellectu, ut est in Prov. 3. 19.

Secundo, S. Athanasius de Synodo Ariminensi, hunc versum de solo Patre exponit.

Tertio et melius, idem S. Athanas. in Catena Graecorum, S. Cyrilli, S. August. Euseb. Hesych. et alii plurimi: *Deus deorum Dominus*, de Christo explicant.

9. Cur Christus dicitur Deus deorum? Quaeres igitur secundo, cur Christus vocatur *Deus deorum?* Resp. primo, et maxime proprie et litteraliter, esse hoc loco Hebraismum, q. d. Deus maximus, potentissimus, excellentissimus. Solent enim Hebraei eo modo sumere duo substantiva, ut exprimatur substantivum nomen cum superlativo. Sic dicunt Sanctum Sanctorum, id est locum templi seu tabernaculi sanctissimum: Canticum canticorum, hoc est, canticum excellentissimum. Secundo, nec incommode, *Deus deorum*, dicitur Christus, q. d. Qui eminet et excellit super omnes deos: qui fecit et conservat, aut subiugat et conterit deos.

10. Christus est Deus prae omnibus idolis. Quaeres tertio, quos deos? Primo, S. Chrysost. de idolis sumit, quae sunt dii non veritate, sed appellatione et stulta existimatione hominum. Verba eius sunt: Quoniam, inquit, crassior erat Iudaeorum animus, et a cultu idolorum non erant omnino liberi: sed simulacra mirabantur, ac multas iniquitatis habebant reliquias: vel ex eo ipso eorum animos et spiritus extollit, ostendens illum eorum esse dominum. Nam est ipsorum quoque daemonum dominus, si agatur de ipsorum substantiis: malam vero mentem et omne vitium ipsi ex sese invexerunt: ita Chrysost. Est deinde eorum dominus, iis utens ut mancipiis

A ac satellitibus, eosque iusto iudicio domans.

Secundo, Christus est *Deus deorum*, id est, principum et iudicum: ii enim dii vocantur. Ita S. Chrysost. Iansen. Rabbini, et Campensis, qui vertit: *Deus iudicum Dominus locutus est.* Vox *elohim*, quae secundo loco ponitur, iudicem significat, ut ait Mercerus: unde vero Deo, angelis et hominibus admiratione dignis, praesertim qui aliis praesunt, tribuitur. Quod autem iudices vocentur dii, probatur primo ex loco Exod. 22. 28. ubi Deus praecipit populo suo: *Diis non detrahes.* Pagnin. vertit, iudicibus non maledices. Chald. iudices non vilipendes, hoc est, verbis tuis non reddes viles. Secundo, Ps. 81. 1. *Deus stetit in synagoga deorum: in medio autem deos iudicat.* Pagnin. reddit. in medio iudicum iudicabit. Vide illum locum. Tertio, Deut. 1. 6. ait Moses principibus, tribunis et aliis potestatem habentibus: *Quod iustum est iudicate, quia Dei iudicium est*, q. d. ait Cornelius, quia cum iudicatis, Dei vices geritis: Deus autem in iudicio aequis-B simus est, nec personam respicit. Hunc locum interpretans S. Iustinus ait: Dedi vobis, honorem, locum, dignitatem et appellationem meam. Ad hunc Deuteronomii locum respexisse videtur Iosaphat rex Iuda, cum statuens iudices in cunctis Iudaeae civitatibus, dicebat 2. Paralip. 19. 6. Videte quid faciatis: *Non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini: et quodcumque iudicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite. Non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas.* Quarto, Hesiodus ait, Iustitiam esse παρθένον Διὸς ἐκγεγαυῖαν, virginem *Iovis filiam*, augustam et venerandam diis, qui in caelo habitant. Quinto denique, Orpheus Nemesim vocat deam: ea facinorosos et delinquentes punire censebatur, ut ex Catullo et Ausonio cognoscitur. Sic autem ait Orpheus: O Nemesi invoco te Dea, regina maxima, omnia videns, et inspectans vitam hominum omnium gentium, aeterna admodum veneranda, quae solis iustis gaudes. Et paulo post: Cuncta vides et cuncta audis, et omnia compensas: penes te est iudicium C hominum, παντοκρατὲς δαῖμον, *o sublimis dea*: Ita ille. Si iudices sunt dii, longe magis reges, qui sunt iudices supremi. Diotogenes Pythagoreus appellat regnum, Θεομίμον πρᾶγμα, rem Dei imitatricem.

Et regibus ac iudicibus. Iudices et principes sunt dii.

Tertio, Christus est *Deus deorum*, id est angelorum: 11. ita Genebrardus, S. Iustinus in Tryphonem, et Bruno, Psalm. 96. 8. ubi habemus: *Adorate eum omnes angeli eius.* S. Hieron. et Felix reddunt, adorate eum omnes dii. Ps. 81. 1. *Deus stetit in synagoga deorum: in medio autem deos diiudicat;* Pagn. etiam vertit, in medio angelos iudicabit. Ps. 137. 1. *In conspectu angelorum psallam tibi;* S. Hieron. in conspectu deorum cantabo tibi; Felix, in conspectu deorum psallam tibi.

Christus est Deus angelorum.

Quarto, Christus est *Deus deorum*, id est hominum per gratiam adoptatorum, et ad naturam divinam elevatorum. Gratia enim facit consortes divinae naturae: ita S. August. Bruno, S. Athanas. Didym. Euseb. et alii. Apte dii vocari possunt, ait Euseb. qui Dei servant imaginem. Deos ap-D pellat, inquit Didym. non simulacra, non daemones, sed participes verbi Dei. S. Aug. copiose et pie: *Manifestum est*, ait, *quia homines dixit deos, ex gratia sua deificatos, non de substantia sua natos. Ille enim iustificat, qui per seipsum, non ex alio iustus est: et ille deificat, qui per seipsum non alterius participatione Deus est. Qui autem iustificat, ipse deificat, quia iustificando filios Dei facit. Dedit enim eis potestatem filios Dei fieri. Si filii Dei facti sumus, et dii facti sumus: sed hoc gratiae est adoptantis, non naturae generantis. Unicus enim Dei filius Deus, et cum Patre unus Deus, Dominus et Salvator noster Iesus Christus, in principio Verbum, et Verbum apud Deum, Verbum Deus. Caeteri qui fiunt dii, gratia ipsius fiunt, non de substantia eius nascuntur: ut hoc sint quod ille, sed ut per beneficium perveniant ad eum, et sint cohaeredes Christi. Tanta enim charitas est in illo haerede, ut voluerit habere cohaeredes. Quis enim avarus homo velit habere cohaeredes? Sed et qui invenitur velle, dividet cum eis haere-*

Et hominum. Vir iustus est Deus per participationem.

ditatem, minus habens ipse dividens, quam si solus possideret. Hæreditas autem, in qua cohæredes Christi sumus, non minuitur copia possessorum, nec fit angustior numerositate cohæredum: sed tanta est multis, quanta paucis: tanta singulis, quam omnibus. Videte, inquit Apostolus, qualem dilectionem nobis dedit Deus, ut filii Dei vocemur et simus. Et in alio loco: Dilectissimi, filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Ergo sumus in spe, nondum in re. Scimus autem, inquit, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Unicus similis nascendo, nos similes vivendo. Ita Aug. Ea de re fuse dixi Ps. 81. 1. S. Thomas in Ps. nostr. ait deos fieri, 1. per unionem; 2. per gratiam adoptionis; 3. per participationem potestatis in miraculis faciendis, ut Mosem; 4. per ministerium, ut iudices.

12. Locutus est Christus homo factus.

Quæres quarto, quandonam locutus est Christus Deus deorum? Primo, locutus est verba Evangelii: ita Bellarminus. Locutus est, ait S. Athanasius, quando sumpta humanitate universam terram advocavit. Quid vero locutus est? *Euntes docete omnes gentes.* Et illud: Oportet prædicari hoc Evangelium in universo mundo: ita ille. *Christus*, ait S. Cyrillus, *est magna et penetrabilis tuba clamans. Nam Isaias Propheta hoc modo de prædicationibus eius mentionem facit, cap. 27. 13. Et erit in die illa, clangent tuba magna.*

Et in die iudicii loquetur.

Secundo et melius, locutus est Christus in die iudicii. Nunc silet, patitur sceleratos vivere, florere, lætari, proborum bona invadere; tunc vero loquetur sicut parturiens, et velut leo rugiet. Isai. 42. 14. *Tacui semper, silui: patiens fui, sicut parturiens loquar: dissipabo et absorbebo simul.* De die iudicii id explicat S. Aug in Ps. 82. et S. Cypr. lib. de bono patientiæ. Christum veluti leonem rugientem proponit Oseæ 11. 10. *Quasi leo rugiet: quia ipse rugiet, et formidabunt filii maris*, id est, peccatores. Anagogice de iudicio extremo id explicat, sicut illud Amos 3. 8 *Leo rugiet, quis non timebit?* Paulinus Aquileiensis Episcopus, qui floruit tempore Caroli Magni circa an. 800. lib. contra Felicem et Elipandum lib. de S. Trinit. *Deus Christianorum*, inquit, *ipse est Deus deorum, qui et manifeste veniet, et non silebit, silet enim modo cum mundus iste peragitur, cum blasphemas et sacrilegas voces sententiæ suæ severitate non damnat, sed ad conversionis medicinam sustinet peccatores. Tunc autem non silebit, quando sceleratis dicturus est: Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis eius*: ita ille. Vox hæc Domini confringet cedros: et confringet Dominus cedros Libani, et comminuet eas tamquam vitulum Libani, Ps. 28. 5. et 6. De Christo sententiam extremam in damnatos ferente dicit Isaias cap. 30. v. 30. *Auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ, et terrorem brachii sui ostendet in comminatione furoris, et flamma ignis devorante: allidet in turbine, et in lapide grandinis. A voce enim Domini pavebit Assur*, id est diabolus, et quilibet impius, præsertim tyrannus et oppressor piorum. Commode etiam Valentia locum hunc explicans de iudicio generali, ait Deum locutum esse angelis, præcipiendo ut sonitu tubæ a quatuor ventis terræ convocent omnes mortuos ad iudicium.

Vers. 1. et 2

Secundo, reos in extremo iudicio futuros omnes homines asserit Propheta, vers. eod. 1. Et vocavit terram, id est, terræ incolas. Est metonymia. Vel, ipsam terram. Est prosopopœia. Sed prima explicatio melior est: additur enim v. 2. A solis ortu usque ad occasum, id est, per totum mundum. Aliquando enim tantum exprimitur Oriens et Occidens, ut hic et Ps. 102. 3. Aliquando exprimitur tantum Septemtrio et Meridies, Ps. 88. 12. *Aquilonem et mare* (id est, meridionalem plagam, in qua est mare magis spatiosum) *tu creasti.* Aliquando illa quatuor simul exprimuntur. Psal. 106. 3. *A solis ortu et occasu, ab aquilone et mari*, id est, a Meridie, ubi est vastus Oceanus.

13. Quatuor partes orbis varie in Scripturis exprimuntur.

14. Omnes in die iudicii iudicabuntur.

Nota, nemo evadet iudicium Dei. Primo, hoc testatur clare S. Paulus, Rom. 14. 10. *Omnes stabimus* (tamquam rei, sedebit Iudex) *ante tribunal Christi.* Secundo, non stabimus tantum, sed excutiemur: ita ut facta omnia, dicta et cogitata innotescant. 2. Cor. 5. 10. *Omnes nos manifestari oportet* (iudici, angelis, sanctis, et omnibus hominibus) *ante tribunal Christi.* Tertio, ibi omnes trepidabunt. Iob 26. 11. *Columnæ cæli contremiscunt, et pavent ad nutum eius.* Quarto, reges ipsi et principes omnes secundum opera sua iudicabuntur. Apoc. 20. 12. *Vidi mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt: et alius liber apertus est qui est vitæ, et iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum. Et dedit mare mortuos suos, qui in ipsis erant, et iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum.* Hoc illustrari potest indicio quod habetur de regibus Ægypti post mortem. Diodorus Siculus refert, in Ægypto rege mortuo, cunctisque ad funerationem regia munificentia præparatis, solere arcam cadaveris in vestibulo sepulcri exponi, δοθεισης εξουσιας τω βουλομενω κατηγορειν, *data singulis potestate accusandi qui vellent:* aitque factum esse, ut multi reges ob plebis refragationem, conspicua et solemni funerationis pompa caruerint: ita ille lib. 1. ubi advertit eum metum multos reges in officio continuisse. Veneti huic Ægyptiorum consuetudini insistentes, ut tradit Egnatius lib. 5. cap. 3. suorum Ducum defunctorum vitam examinant, atque Triumviros eam in rem constituunt: et si quid deliquisse deprehendantur, mulctam hæredes persolvere coguntur.

Reges mortui in Ægypto iudicabantur.

Et duces apud Venetos.

Quomodo omnes homines sententia Christi iudicis contineantur, similitudine circuli et falcis optime exponit S. Gregor. lib. 33. Mor. cap. 14. illud Iob 40. *Numquid ponet circulum in naribus eius*, leviathan scilicet, id est ceti vel balænæ, expendens: *Quod*, ait, *hoc loco circulum, id Scriptura sacra per Ioannem in Apocalypsi falcem vocat: potestas enim divini iudicii, quia undique stringit, circulus dicitur: et quia intra se omnia incidendo amplectitur, falcis appellatione signatur: in falce enim quidquid inciditur, quaquaversum flectitur, intus cadit. Et quia potestas superni iudicii nequaquam evitatur (intra ipsam quippe sumus, quolibet fugere conemur) recte cum venturus iudex ostenditur, falcem tenere prohibetur: quia cum potenter ad omnia obviat, incidendo circumdat. Intra iudicii falcem se Propheta vidit, cum diceret Ps. 138. Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua. Intra quamdam falcem se vidit, cum ex nullo sibi loco patere fugæ aditum posse cognovit, dicens Ps. 74. 7. Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque a desertis montibus (subaudi patet via fugiendi) et mox ipsam supernæ potentiæ omnimodam comprehensionem subdens ait: Quoniam Deus iudex est: ac si diceret, fugiendi via undique deest, quia ille iudicat qui ubique est. Divina itaque iudicia sicut signantur falce, quia circumvallantia incidunt: ita exprimuntur circulo, quia undique stringunt:* ita Gregorius. Omnes scilicet omnium regionum, et omnium conditionum homines complectitur sententia divina, et omnia peccata condemnat. 15.

Comparatio elegans S. Gregorii.

Tropol. Deus deorum, Dominus locutus est, et vocavit terram, id est, ait Hugo, terrenos homines, q. d. Qui in terrenis morantur per amorem, excusationem non habent, quia Deus deorum Dominus omnium, vocavit eos verbo et exemplo ad contemptum terrenorum. Ier. 22. 29. *Terra, terra, terra, audi sermonem Domini.* Ecce trina citatio. Prima, est naturalis corruptio, quæ continua est. Secunda, est infirmitas accidentalis. Tertia, est peremptoria, scilicet ipsa mors. Deut. 32. 1. *Audiat terra verba oris mei.* Cum ergo vocaverit terram, si non venit, non eam excusabit ignorantia, sed damnabit contumacia. Ioan. 15. 22. *Si non venissem, et locutus non fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Unde in Ps. 57. non ignorantes sed furibundi dicuntur, ubi dicitur: *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas.* Sic ipsi ad modum aspidis obturant aures suas ter- 16.

Tropol. Terrent homines iudicabuntur.

to. id est, amore terrenorum, et cauda, id est, vana spe pœnitendi iu fine, ne efficaciter audiant Dominum vocantem ad contemptum mundi et terrenorum. Et licet Dominus contemnatur ab eis, ipse tamen non dedignatur, nec vocare desistit sed vocat. A solis ortu, id est, ab infantia, in qua nascitur eis sol gratiæ per baptismum, usque ad occasum, id est, usque ad mortem, in qua occidit eis sol, id est, omnis spes gratiæ et veniæ. Ad quid autem vocat? Ad iustificationem in præsenti, et glorificationem in futuro, sicut dicitur Rom. 8. 30. *Quos vocavit, hos et iustificavit: quos autem iustificavit, hos et magnificavit.* Et supra dicit in eod. *Quos prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, hos et vocavit.* Et sic relinquitur quod vocat eos ad hoc, ut conformes sint in gloria imaginis filii sui, secundum quod dicitur 1. Ioan. 3. 2. *Nondum apparuit quid erimus: scimus autem, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus.* Sed qui ad hanc pulchritudinem voluerit pervenire, oportet quod primo habeat mundam vitam, et bona opera. Unde sequitur: *Ex Sion species decoris eius.* Sion interpretatur speculum, sive speculatio, et significat munditiam vitæ. Sicut enim mulier in speculo se respicit, et cum maculam cognoscit, lavat vel abstergit. Sic homo debet se intus in conscientia respicere, et maculas aquis lacrymarum lavare, et sic fiet mundus: ita Hugo. Qui post aliqua addit, Deum multipliciter nos vocare: 1. per inspirationem. Iob 4. 12. *Porro ad me dictum est verbum absconditum, et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri eius;* 2. per prædicationem. Rom. 8. 30. *Quos prædestinavit, hos et vocavit;* 3. per promissionem. Iob 14. 15. *Vocabis me, et ego respondebo tibi;* 4. per largitionem bonorum. Proverb. 1. 24. *Vocavi, et renuistis;* 5. per tribulationem. Luc. 14. 23. *Exi in vias, et sepes, et compelle intrare;* 6. per pœnæ alienæ ostensionem. Ps. 59. 6. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus.*

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

7. per sanguinis aspersionem, vel ostensionem. Hebr. 12. 24. *Sanguinis aspersionem melius loquentem, quam Abel;* Isaiæ 45. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum.*

Vers. 2. Tertio, locus iudicii extremi declaratur, vers. eod. 2. EX SION SPECIES DECORIS EIUS, id est, species eius pulcherrima, et maxime decora, pulchritudo eius excellentissima, decor speciosus Christi apparebit ex Sion.

17. *Christi species ex Sion, id est, ex Iudæis.* Primo, qui explicant hunc Psalmum de primo Christi adventu, variis modis id declarant. Primo, q. d. *Ex Sion,* id est, ex Iudæis, *species decoris eius,* id est, humanitas, quæ dicitur species, quia per eam visus est hominibus: decoris eius, propter immunitatem a peccato. Ps. 44. 3. Christus dicitur: *Speciosus forma præ filiis hominum.*

I. *Ex Ierusalem terrestri.* Secundo, q. d. *Ex Sion,* id est, ex Ierusalem et Iudæa orientur Christi miracula, excelsa opera, et prædicatio Evangelica: ita Hugo, Bellarm. S. August. et S. Chrysost. qui ait: *Ex Sion species decoris eius. Habet aliquid Propheticum, habet etiam historicum, quod dictum est: Fuit enim et in veteri ex illo eius decor. Templum enim, Sancta Sanctorum, omnis cultus, omnisque forma ac ritus legis veteris, multitudo sacerdotum, sacrificia et holocausta, sacri hymni et psalmodiæ, et omnia illinc proficiscebantur, et typus futurorum illic ante descriptus fuerat. Postquam autem veritas quoque adfuit, ea rursus illinc quoque cepit initium. Illinc enim crux resplenduit, illinc innumerabilia quæ præclara ab eo gesta sunt. Et ideo Isaias quoque scribens de lege novi Testamenti, dicit cap. 2. De Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem, et iudicabit in medio gentium. Sion enim hic dicit locum integrum, et civitatem, quæ iuxta illam sita est, Iudæorum metropolim. Illinc enim tamquam ex quibusdam carceribus pernices equi, nempe Apostoli, emissi sunt in omnem orbem terræ. Illic cœperunt signa, illic fuit resurrectio, illic ascensio, illic prooemia et initia nostræ salutis, illic arcana illa ceperunt prædicari dogmata ac decreta. Illic primum Pater revelatus est, cognitus est Unigenitus, et data est tanta gratia Spiritus. Illic Apostoli revelarunt sermonem de rebus incorporeis, de donis, de potestatibus, de futurorum bonorum promissionibus. Quæ omnia Propheta considerans vocat eius decorem. Dei enim species ac decor est eius bonitas ac benignitas, et in omnes beneficentia;* ita ipse. Felix vertit, ex Sion perfectæ pulchritudinis Deus splendide apparuit. Pagn. ex Sion perfecti decoris, Deus illustravit. Sion vocatur a Ieremia Thren. 2. 15. *Urbs perfecti decoris, gaudium universæ terræ.* Lege Ezech. c. 16. v. 9. et seqq.

II. *Et melius, ex Ierusalem cælesti.* Secundo et melius, explicando de secundo Christi iudicis adventu, sensus est, q. d. Primo, *ex Sion* cælesti *species decoris eius* apparebit. Gloriosus enim et splendidus comitante innumera angelorum et sanctorum multitudine e cælo descendet, ut iudicet orbem terræ. Secundo, *ex Sion,* id est, e Ierusalem, e valle Iosaphat, quæ est prope Sionem seu Ierusalem, emicabit *species decoris eius.* Nam prope est certum congregandos omnes homines in vallem Iosaphat propinquam monti Oliveti et Ierosolymæ. Suarez 3. p. q. 59. disp. 53. artic. 6. vocat eam sententiam probabilem et piam, non tamen certam. Probatur præsertim ex Ioelis cap. 3. 2. *Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Iosaphat, et disceptabo cum eis ibi.* Nonnulli volunt Iosaphat ibi esse nomen appellativum, non vero certi loci proprium: quia Iosaphat significat Domini iudicium. Rupertus et Clarius putant quidem denotari certum locum et vallem, sed quæ necdum nobis sit cognita. Sed verius intellige vallem, quam sic describit Adrichomius: Vallis Iosaphat, inquit, quæ et vallis Cedron, et vallis montium vocatur, vallis est lata et profunda inter Ierusalem et montem Oliveti interiecta, totam ab Oriente cingens urbem, quam torrens Cedron transiens suis aquis egregie fœcundat. In hac valle pii ac religiosi reges Iuda, Asa, Ezechias, et Iosias templi combusserunt idola, eorumque cineres in torrentem Cedron proiecerunt. Hæc vallis communis totius civitatis erat cœmeterium, ubi vulgus et ignobiles sepeliebantur: extra urbem enim Iudæis sepeliri mos erat: ibique nunc Turcæ sepeliuntur. *In hac quoque valle die illa cunctis mortalibus tremenda omnes undique homines ad extremum iudicium sunt congregandi, ut a Christo iudice recipiant debita pro meritis præmia quisque suis. Unde et vallis concisionis appellatur, quod ibi mali a bonis separabuntur. Tempore quo Christiani Palæstina potiebantur, erat hic Abbatia quædam, in qua domina Melisendis regina Ierusalem sepulta est:* ita ille. Beda porro et Salignaeus dictam volunt esse vallem Iosaphat, quod rex ille eam insigni titulo et fabrica, puta arcu triumphali, decorarit, post subactos Ammonitas et Idumæos: sive quia in ea valle mausolæum illi regi erectum est pulchra pyramide ornatum.

18. *Cur vallem Iosaphat eligit Christus ad iudicium?* Quæres, cur hanc vallem potius quam aliam elegit Christus ad iudicium? Resp. quia Ierusalem erat Metropolis Iudææ, in qua ipse docuit, multa fecit miracula, iudicatus et crucifixus est: in ea valle erat villa Gethsemani, et hortus in quo Christus oravit, et sanguinem sudavit, proditus est a Iuda, et captus a Iudæis, deinde cum ignominia per totam eam vallem reductus Ierosolymam: ex monte Oliveti etiam ascendit in cælum, ibique angeli eum ad iudicium rediturum prædixerunt, Act. 1. 11. cum dixerunt Apostolis: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? hic Iesus qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* S. Hilarius cap. 25. in Matth. considerat convenienes fuisse, ut in eo loco Christus gloriosus appareret, in quo passus fuerat: Congregantibus angelis, inquit, conventum futurum in loco passionis ostendit: et digne illic claritatis adventus expectabitur, ubi nobis gloriam æternitatis passione corporeæ humilitatis operatus est.

19. *Quomodo ibi videbitur ab omnibus?* Dices, si Christus in vallem Iosaphat descendat, non poterit videri a tot hominum millionibus. Resp. quod in aere sublimis apparebit monti Oliveti correspondente, et quidem eo loco, per quem transiit in cælum ascendens. Thronus eius erit nubes lucida et longe lateque effulgens

gens. Throni Deiparæ et Apostolorum, aliorumque illustrium Sanctorum erunt ex omni parte: cæteri Beati rapientur obviam Christo in aera, ut dicit Paulus 2. Thess. 4. 16. Scelerati vero erunt in ipsa valle Iosaphat, et in
20. Boni a dextris, et mali a sinistris erunt, et quomodo? locis vicinis terræ hærentes. Instabis, quomodo erunt boni a dexteris, et mali a sinistris iudici, si hi in terra, illi in aere erunt? Resp. primo, quod dici potest fore Sanctos in aere sublimes tantum in parte dextera, et reprobos in terra tantum ex parte sinistra. Sed hic situs non videtur congruus. Secundo itaque, dextera felicitatem et honoratum locum: sinistra miseriam, et vilem atque abiectum locum significat. Surius in vita S. Pelagiæ pœnitentis refert, eam sibi in monte Oliveti tuguriolum extruxisse, unde in vallem Iosaphat prospectus pateret, ut perpetuam Christi patientis et iudicis imaginem sibi ob oculos poneret. Et tu fac similiter, eam vallem aspice et cogita cum S. Cyrillo in oratione de animæ excessu: *Nihil accusationibus eget iudex ille, neque testibus, neque demonstrationibus, neque probationibus: sed quæcumque fecimus, diximus, decrevimus, ea in medium affert ob oculos nocentium. Tum nullus est qui adsit et pœnis eripiat, non pater, non mater, non filius, non filia, non amicus, non defensor, non pecuniarum largitio, non divitiarum abundantia, non potentiæ fastus: quin hæc omnia cineris ritu in pulverem abeunt, solusque reus ex suis factis absolventem et condemnantem sustinet sententiam. Tunc ubi huius mundi iactantia? ubi inanis gloria? ubi apparatus? ubi reges? ubi ornatus? ubi pecuniæ? ubi nobilitas? ubi delectatio? ubi corporis virilitas? ubi falsa illa et inutilis mulierum pulchritudo? ubi tunc vestimentorum ornatus? ubi qui cum tympanis et cythara vinum potant? ubi theatra? ubi venationes?* ita Cyrill.

ARTICULUS II.

Antecedentia iudicium extremum.

Quatuor hic a Propheta ponuntur. Primo, descensus iudicis. Secundo, archangeli tuba. Tertio, fluvius i-
Vers. 3. 1. Pars. gneus. Quarto denique, totius orbis commotio, vers. 3. **Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit. Ignis in conspectu eius exardescet: et in circuitu eius tempestas valida.**

21. Christus manifeste venit in terras. Ac primo, iudex Christus aperto cælo, trementibus omnibus, terribili fulgore emicans descendet. **Deus manifeste veniet.** Primo sensus est, q. d. Deus per incarnationem se nobis manifestum faciet. S. Cyrill. Quando, ait, palam venit? quando caro factus est. Tunc enim videri potuit, qui suapte natura humanis oculis non est subiectus: et tangi, qui attrectari non poterat: et prope nos effectus est, qui omnem creaturam excedit: ita ipse.

Et veniet in die iudicii. Secundo, et melius, de die iudicii loquitur Propheta, tunc enim Christus iudex omnibus terribilis manifeste apparebit: ita S. Chrysost. hic, S. Hieron. in cap. 30. et 63. Isaiæ, S. Cyrill. Ierosol. catech. 15. S. Cyprian. de bono patientiæ. In his autem verbis, *Deus manifeste veniet*, declaratur Primo, eius maiestas, qui veniet cinctus magna multitudine principum cælestium. Secundo, eius potentia, qui hostes nullos timeat aut fugiat. Tertio, eius iustitia æquissima, cum velit iudicium facere omnibus videntibus. Quarto, eius victoria et triumphus de diabolo et reprobis.

22. Diversitas utriusque adventus. Nota, diversitatem inter primum adventum, qui fuit occultissimus in nativitate, vita et morte: atque inter secundum adventum, in quo instar fulguris emicuit Christus. S. Chrysost. de utroque sic ait: *Deus manifeste veniet. Quando enim non venit manifeste? Quando? In priori adventu: venit enim absque ullo strepitu, multos celans, et multos latens. Quid dico multos? cum nec ipsa quidem Virgo, quæ eum utero gestabat, noverat arcanum mysterii; nec eius fratres credebant in ipsum: nec is qui videbatur esse pater, magnum quid de eo concipiebat* (Virgo cum dixit, *quomodo fiet istud?* Ioseph, quando *voluit occulte dimittere eam*) *Et quid dico homines? Ipsum quoque diabolum latuit. Neque enim si scivisset, tanto post tempore in monte eum interrogasset, an esset Dei Filius, neque id semel, et bis, et tertio fecisset. Ideo dixit Ioanni ea revelare incipienti, Matth. 3. Sine modo: hoc est, tace nunc. Neque enim tempus est ut reveletur arcanum carnis susceptæ consilium, volo adhuc latere diabolum: tace ergo, ita enim nos decet. Et cum a monte descendisset, iussit ut eum esse Christum nemini dicerent. Tunc enim venit ut pastor, qui quærebat ovem quæ aberraverat, et qui repugnantem feram venari volebat, et ideo seipsum adumbrabat. Quemadmodum enim medicus non est protinus ægrô terribilis: ita nec ipse in principio se voluit aperire, sed paulatim et sensim. Hunc itaque eius adventum, qui fuit absque strepitu, significans hic ipse Propheta, dicit procedens Ps. 71. Descendet tamquam pluvia in vellus, et tamquam stilla quæ distillat super terram. Neque enim venit personans ac perstrepens, non turbans ac tumultuans, non terram movens, non fulgura emittens, non cælum concutiens, non populos angelorum immittens, non medium firmamentum disrumpens, et ita super nubem descendens, sed absque strepitu per uterum Virginis, cum ea novem mensibus illum tulisset, tamquam fabri filius in præsepe patitur in vilibus fasciis, insidiis appetitur, fugit cum matre in Ægyptum. Deinde post mortem eius qui maxima scelera admiserat, tunc revertitur, et huc et illuc obiens, habitu semper erat ut unus e plebe: et erat illi vestis vilis, et mensa vilior: perpetuus itineris ingressus, et ita perpetuus, ut ex itinere etiam defatigaretur. Sed non tunc sic fiet, sed adeo manifeste veniet, ut ne ullo quidem opus habeat, qui eius adventum annuntiet. Propterea ipse quoque eius claritatem significans dicebat, Matth. 24. 26. Si audieritis Christum esse in penetralibus, si in deserto, nolite exire. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, et relucet usque ad Occidentem: ita erit adventus filii hominis, ipse seipsum ostendens, ac prædicans. Nam hoc etiam in fulgure evenit, nec opus habemus aliquo qui annuntiet, sed simul atque apparuit, et omnibus, et simul omnibus cognitum extitit:* ita Chrysost. Si vis in iudicio gloriosus apparere, dum his in terris vivis, ama nesciri: bene vixit, bene qui latuit.

Nota secundo, pro *manifeste apparuit*, Hebr. est הופיע 23.
hophia, id est, resplenduit, fulgorem emisit. Hinc Felix Variæ
vertit, Deus splendide apparuit. Pagn. Deus illustravit. versiones.
Camp. Deus cum maiestate veniens. R. David, manifestavit se in splendore suo et gloria sua. Flamin. ex Sion perfecta pulchritudine Deus resplendebit. Syr. coronam gloriosam de Sione Deus ostendet, veniet Deus. Arabs, ex Sion manifestavit Deus laudationem gloriæ, Deus noster veniet aperte. Lindanus, Deus maiestate conspicua adveniet. Comparatur fulguri ille adventus ab ipso Christo, Matth. 24. 27. *Sicut fulgur exit ab Oriente, et paret usque in Occidentem, ita erit et adventus filii hominis*, id est, meus, q. d. ait Cornelius, Reditus meus ad iudicium instar fulguris erit 1. subitus; 2. inexpectatus; 3. omnibus manifestus; 4. gloriosus; 5. efficax, ut nemo ei possit resistere; 6. non in terra, sed in aere sicut est fulguris, quod non in angulo, sed in aere toti orbi in momento se conspicuum exhibet. Auctor imperfecti: *Sicut fulgur*, inquit, *in ictu oculi universa pertransit, sic et Filius Dei non veniens adhuc, sed etiam venisse videbitur. Si enim sol, qui ad ministerium nostrum creatus est, tantam habet splendoris virtutem, ut in quacumque parte cæli fuerit, ubique appareat quasi præsens: quanto magis sol spiritualis Christus, cum venerit, in toto videbitur mundo, magis autem mundus in eo videbitur.*

Secundo, Christus e cælis descendens loquetur, v. 3. 24.
Deus noster, et non silebit. Est miosis, nam erit vox Vers. 3. 2. Pars.
maxime sonora et terribilis.

Primo, S. Cyrillus sic explicat, q. d. Veniens *non silebit*, hoc est, arguet mundum de peccato: vel annuntiabit Patris voluntatem. Vocatur enim magni consilii angelus: ita ille, de primo in terras adventu explicans.

Secundo, et melius, Theoderet. Didym. et Nicephor.

Christus loquetur in die iudicii sententiam proferens.

explicant de sententia damnationis prolata in impios, cum in die iudicii reddet unicuique secundum opera sua: tunc qui patiens siluit, sicut parturiens loquetur, atque de Sione sicut leo rugiet. Isai. 42. 13. loquens Christus inducitur, sicut in die iudicii, ut explicat S. Aug. in Ps. 82. ait autem Propheta: *Dominus sicut fortis* (Forerius, sicut gigas) *egredietur, sicut vir præliator suscitabit zelum: vociferabitur et clamabit, super inimicos suos confortabitur. Tacui semper, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar: dissipabo et absorbebo simul. Desertos faciam montes* (superbos) *et colles, et omne gramen eorum exsiccabo: et ponam flumina* (voluptuosos) *in insulas, et stagna arefaciam.* Apoc. 1. 15. vox eius dicitur futura tamquam vox aquarum multarum, et de ore eius gladius utraque parte acutus exiturus, id est sententia nemini parcens, et a nemine evitabilis, quamcumque in partem se vertat. Ieremias eum nobis tamquam leonem rugientem repræsentat, cap. 25. 30. *Dominus de excelso rugiet, et de habitaculo sancto suo dabit vocem suam: rugiens rugiet* (hoc est, vehementer rugiet) *super decorem suum* (id est, super Ierusalem et templum) *celeusma* (clamorem et iubilum magnum) *quasi calcantium* (uvas in torculari, et hostes in prælio) *concinetur adversus omnes habitatores terræ. Pervenit sonitus usque ad extrema terræ: quia iudicium Domino cum gentibus.* Hoc de iudicio extremo exponit S. Hieronymus.

25. Et ante iudicium per angelos.

25. Tertio denique, et aptissime, *non silebit*, id est, loquetur non per se, sed per archangelum tuba insonantem, qui iudicem ipsum præcedens dicet: *Surgite mortui, venite ad iudicium.* Quod locuturus tunc sit archangelus, certum est ex 1. Thess. 4. 15. *Quoniam ipse Dominus* (Christus) *in iussu et in voce* (id est, in voce iubentis. Est hendiadys) *Archangeli* (Michaelis, qui est præses Ecclesiæ; vel Gabrielis qui primi adventus fuit nuntius) *et in tuba Dei descendet de cælo.* Itaque eum illo archangelus venientem præcedet, sicut præco regem. Adverte autem quod vox illa erit sensibilis, ut docet S. Thomas Ioan. 5. lectione 5. Vox ista, inquit, erit sensibile signum Filii Dei, ad quam omnes suscitabuntur. Hoc indicatur Matth. 25. *Media nocte clamor factus est, exite obviam ei.* Secundo, vox illa erit articulata, et aliquid distincte significans. S. Chrysost. hom. 8. in 1. ad Thess. hanc ponit vocem, resurgant mortui. Theophylact. eodem loco, apparete vos omnes, iudex enim præsto est. Scotus 14. distinct. 43. q. 1. art. 4. apte hanc affert vocem: *Surgite mortui, et venite ad iudicium.* S. Chrysost. ait, archangelum primo dicturum angelis, paratos facite omnes, adest iudex. Christus de seipso ait Matth. 24. Mittet angelos suos cum tuba et voce magna. Unde colligitur probabiliter, quod archangelo tuba personante, alii quoque angeli tubis etiam suis inclamabunt, *surgite mortui*, et cineres ubique terrarum colligent, ut corpora resurgant. Tertio, illa vox erit efficax, ad eius sonum, tamquam morale instrumentum resurrectionis, mortui omnes resurgent. Hoc docet Apostolus 1. Cor. 15. 51. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur* (per dotes corporis gloriosas) *in momento, in ictu oculi, in novissima* (ultima) *tuba: canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur.* Hanc vocem mortui audient, id est, illi obedient, eius vi suscitabuntur: deinde illam audient proprie loquendo, quia sæpius iterabitur ab archangelo, et aliis angelis, cum itaque ad primam vocem omnes resurrexerint, alias audient: aut saltem cum surrexerint, dicta prima parte, *surgite mortui*, aliam partem audient, *venite ad iudicium.* Quarto, illa vox archangeli dicitur vox Filii Dei, Ioan. 5. 25. et tuba Dei, 1. Thess. 4. 15. tum quia eius imperio fiet, tum quia eius potentia vim resuscitandi mortuos habebit, tum denique quia præcedet ipsum iudicaturum. S. Hippolitus orat. de consummatione mundi: *Tunc*, inquit, *sonabit tuba, et excitabit dormientes: et omnes in ictu oculi resurgent, et adstabunt super faciem terræ, expectantes iusti atque terribilis iudicis adventum.* Quinto denique, vox illa erit terribilis per

Qualis futura vox archangeli excitantis mortuos, et ad iudicium vocantis.

A tubam realem, ut indicat S. Anselm. in Elucidario, emissa et a Deo ita corroborata, ut per totum mundum audiatur. Ex qua materia futura sit illa tuba, est incertum, sed certus est timor inde oriturus. S. Hier. epist. 1. ad Heliodor. *Veniet*, ait, *illa dies, qua corruptivum hoc et mortale incorruptionem induet et immortalitatem. Tunc ad tubæ vocem pavebit terra cum populis: et tu gaudebis. Iudicaturo Domino lugubre mundus immugiet: tribus ad tribus ferient pectora. Potentissimi quondam reges nudo pectore palpitabunt. Exhibetur tunc cum prole sua Venus, tunc ignitus Iupiter adducitur: et cum suis stultis Plato discipulis: Aristoteli argumenta non proderunt: tunc rusticanus et pauper exultabis et ridebis, dicesque: Ecce crucifixus Deus meus: ecce iudex, qui involutus pannis in præsepio vagiit: hic est ille operarii et quæstuariæ filius: hic, qui in matris gestatus sinu hominem Deus fugit in Ægyptum: hic est vestitus coccino: hic qui sentibus coronatus. Cerne manus Iudæ quas fixeras: cerne latus Romane quod foderas: videte corpus an idem sit, quod dicebatis clam nocte tulisse* B *discipulos.* Lege S. Chrys. hom. 8. in epist. 1. ad Thessal. Optimum consilium dat S. Aug. in Ps. nostr. Timeamus, inquit, mutemur, et non timebimus.

Nota. Lacedæmonii, teste Polyæno lib. 7. Stratagematum, sontes noctu plectebant, interdiu neminem, ne scilicet nimia misericordia tangerentur, et legum severitatem non servarent. Lucianus in Hermotimo refert etiam de Areopagitis, qui erant supremi iudices Athenis, ἐν νυκτὶ καὶ σκότῳ δικάζοντα, noctu et in obscuro iudicant, ut non ad eos qui perorant, sed ad ea quæ dicerentur, respicerent: ita ille. Deus vero quem non tangit enervis miseratio, nec ad iniustitiam lacrymæ aut preces movere possunt, in clara luce et totius orbis conspectu iudicare vult, ut eius appareat iustitia, ideo omnes convocat. Eustathius in Iliad. γ dicit, Bithynos *ex adverso solis* iudicia exercere solitos esse, quasi in conspectu Dei omnia videntis. Romæ etiam illicitum fuit noctu de quoquam supplicium sumere, quod iudicia sua nota esse vellent ad aliorum emendationem. 26.

Lacedæmonii de nocte puniebant. Areopagitæ etiam de nocte iudicabant. Bithyni in claro sole. Romæ etiam interdiu, non noctu.

C Si hanc lucem et vocem Dei timere non vis, aspice lucem quam tibi dat, et audi vocem eius tibi loquentis in anima quotidie. Si mortuus es, te resuscitabit et illustrabit. Audi S. Basil. hom. de fide, Spiritum sanctum soli comparantem, omnia illustranti et vivificanti: *Quemadmodum*, ait, *sol corporibus lucens varie a quolibet sumitur, nec tamen propterea diminuitur: sic et Spiritus sanctus omnibus quidem gratiam præbens, infractus remanet ac indivisus. Omnes ad agnitionem Dei illuminat. Prophetas inspirat, legislatores sapientes reddit, sacerdotes sacris instituit, regibus fortitudinem addit, perficit iustos, ornat modestos, gratiam sanitatum operatur, mortuos vivificat, solvit compeditos, alienos in filios per regenerationem adoptat. Si telonarium deprehendat, credentem Evangelistam constituit: si piscatorem inveniat, Theologum reddit: si persecutorem, pœnitentem, gentium Apostolum, præconem fidei, vas electionis declarat. Per hunc etiam spiritum debiles redduntur robusti, pauperes in divitias veniunt: idiotæ ingenio et eloquentia cæteris sapientibus sapientiores* D *evadunt.*

Spiritus sanctus est sol animorum.

Tertio, Christum e cælis ad iudicium descendentem præcedet fluvius igneus, et tonitrua ac fulgura, ventique terribiliter insonantes, v. 3. Ignis in conspectu eius exardescet (S. Hier. coram eo vorabit. Camp. vorax ignis ante ipsum incedet: vel, ignis vastans præcedit ipsum) et in circuitu eius tempestas valida. Ubi duo advertis, 1. ignem; 2. tempestatem. 27. Vers. 3. 1. Pars.

Ac primo, qui Psalmum explicant de primo Christi adventu, ignem hunc interpretantur de igne Spiritus sancti: ita Euseb. et Cyrill. Verba Eusebii sunt: *Ignis in conspectu eius. Ignem veni mittere in terram.* Ignis hoc loco doctrinam verbi Dei significat, qui malitiæ habitus exurit: approbant autem eos, qui mundi sunt. Idcirco enim in circuitu eius tempestas valida: nam quicumque in Christo pie vivere volunt, persecutionem patientur. Quin et pressuras ait, habebitis in mundo. Sic ipse. Diffu-

Ignis Spiritus sancti in primo Christi adventu exarsit.

se S. Cyrill. *Ignem*, ait, *pro luce, tamquam lucis originem appellat: prævia enim et tamquam dux est cognitionis eius, quæ per Christum est fidei lux intelligibilis, cuius typus est Israel in nocte per columnam ignis deductus. Vel etiam hoc modo intelliges. Quoniam nos in omne genus peccati demersos et immortuos Salvator in desiderium atque promptitudinem cuiusque boni operis, igne, hoc est communicatione sancti Spiritus, tamquam ardore quodam animis iniecto inflammavit. Dicit enim Luc. 12. Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat? Spiritus namque ferventes facti sumus, quotquot huiusmodi gratia digni facti sumus: quoniam in Spiritus sancti gratia ac dono ignis manifestatio inducitur. Nam in Christo baptizamur iuxta Ioannis vocem in Spiritu sancto et igne. De illo etiam sanctus quidam Propheta alibi dixit: Subito veniet in templum suum Dominus quem vos quæritis, et angelus testamenti quem vos vultis. Ecce venit Dominus, et quis sustinebit diem introitus eius, aut quis sustinebit in visione eius? quia ipse egreditur quasi ignis fornacis, et quasi herba fullonum, et sedebit conflans, et mundans tamquam argentum* B *et aurum. Omnes enim sordes, quæ sunt in nobis, detergit efficacia et gratia Spiritus sancti, instar ignis peccati maculas absumit. Sed nihil ad duritiam cordis Iudæorum contulit, malitiæ eorum non sunt consumptæ. Hoc etiam modo intelligere poteris. Videbatur Christus, inquit, humanam speciem indutus, ignem quemdam ac procellam immittere contra eos, qui oraculis eius resistunt, et omne robur diaboli comburens, adversarias vero et malignas potestates consumens: ita enim et psaltes de illis, qui gloriam suam oppugnarunt, alibi ad eum dicit Ps. 83. Sicut ignis qui comburit silvas, sicut flamma quæ exurit montes, ita persequeris illos in tempestate tua Deus, et in ira tua turbabis eos.*

28. Secundo, et melius, de igne præcessuro Christum in die iudicii exponunt S. Aug. hic, et lib. 20. de civit. Dei cap. 24. t. 5. S. Iulian. Archiep. Toletan. lib. 3. Prognosticon. S. Chrys. demonstration. adversus gentiles, quod Christus sit Deus, R. Samuel Marochian. lib. de adventu Messiæ, c. 10. S. Ivo Carnotens. Episc. de rebus Ecclesiast. serm. de adventu Domini, ubi sic loquitur: *Primus adventus Christi, occultus: secundus, manifestus. De primo enim adventu eius ita legitur: Et homo est, et quis cognoscet eum? et in Evangelio: Lux in tenebris lucet, et tenebræ eum non cognoverunt, et multa in hunc modum. De secundo autem ita habetur in psalmo. Deus noster manifeste veniet, et non silebit. Primo quidem adventu siluit, non a præcepto, sed a iudicio. Cum enim malediceretur, non maledicebat: cum percuteretur, non comminabatur, et sicut agnus coram tondente se, sic non aperuit os suum. Secundo, non silebit, cum unicuique reddet secundum opera sua; ita enim dicturus est eis, qui a sinistris eius erunt: Ite maledicti in ignem æternum; ita vero his qui a dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Primus adventus cum humilitate et mansuetudine, secundus cum terrore et maiestate. De primo enim per Prophetam dicitur Ecclesiæ Zachar. 9. Ecce rex tuus venit tibi mansuetus et humilis. De terrore secundi ita dicitur in psalmo: Ignis in conspectu eius exardescet, et in circuitu eius tempestas valida. ut reprobos ad gloriam visionis eius tempestas procul pellat, quos deinceps ignis exurat. De hac tempestate scriptum est: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. De igne autem, cui tradendi sunt reprobi, ita dicit Dominus per Mosen: Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima: Cum maiestate quoque se venturum ad iudicium ipse sic dicit: Cum venerit Filius hominis in maiestate sua, congregabuntur ante eum omnes gentes. Primo adventu venit impios iustificare: secundo venturus est impios condemnare. Primo venit adversos revocare: secundo conversos glorificare. Primo adventu Christus pro impiis indebitæ morti traditus est: secundo impios debitæ morti traditurus est. Primo adventu venit nos intus reformare ad imaginem Dei. Secundo autem,* A *reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Sicut enim per primum hominem terrenum, peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors: ita congruum erat, ut per secundum hominem cælestem, homo primum a peccato iustificaretur, postmodum per eumdem immortalitati restitueretur. Eo enim ordine quo perierat, eo ordine reparandus erat:* ita Ivo.

Ignis materialis in die iudicii erit.

29. Variis in locis Scripturæ mentio fit illius ignis iudicem præcessuri. Primo, Isaiæ ult. v. 15. *Ecce Dominus in igne veniet, et quasi turbo quadrigæ eius: reddere in indignatione furorem suum, et increpationem suam in flamma ignis: quia in igne Dominus diiudicabit.* Hæc Forerius exponit de primo Christi adventu. Sed verius S. Hieron. et S. Cyrill. exponunt de die iudicii. Secundo, Daniel. 7. 9. *Thronus eius flammæ ignis: rotæ eius ignis accensus. Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie eius,* (id est, ante ipsum) illum præcedebat venientem. De Deo Patre explicat Cornelius: de Christo iudice S. Hier. et Suarez. Tertio, Ioel. 2. v. 3. *Ante faciem eius ignis vorans, et post eum exurens flamma.* De die iudicii hoc explicat S. Hier. Albertus, Arias et Ribera.

Probatur ille ignis ex Scriptura.

30. Quæres primo, qualis sit futurus ille ignis? Primo, quidam de igne metaphorico hæc aliaque loca Scripturæ interpretantur, et per proprietates ignis varia significari volunt: 1. per ignis claritatem putant indicari iudicis adventum manifestum, et omnia in iudicio illo fore omnibus manifesta et conspicua; 2. per ignis celeritatem, iudicis adventum repentinum; 3. per ignis ardorem et efficaciam zelum divinæ iustitiæ, et potestatem ad puniendos sceleratos; 4. per ignis subtilitatem, et vim quamdam ad discernendum, ac separandum ea quæ diversæ sunt qualitatis, sententiam iudicis separantem bonos a malis.

Ignem tantum metaphoricum aliqui admittunt.

Secundo tamen, cum omnibus Theologis dicendum est, ignem verum, sensibilem et elementarem in die iudicii futurum. Probatur ex 2. epist. Petri cap. 3. *Ille tunc mundus*, ait, *aqua inundatus periit: cæli autem, qui nunc sunt, et terra eodem verbo repositi sunt igni reservati in* C *diem iudicii, et perditionis impiorum hominum.* Cum igitur aqua diluvii fuerit vera et sensibilis, atque eam opponat igni iudicii, patet eum fore sensibilem et realem.

Sed verius erit ignis realis et elementaris.

31. Quæres secundo, unde venturus sit ille ignis? Primo, quidam putant ab inferno educendum. Secundo et verius, ait Lactantius e superiori regione descensurum. Arbitror autem futurum ignem elementarem, qui est proximus cælo lunæ, et supra aeris regionem locum suum habet, si tamen ullus ignis ibi est: sin nullus est, a Christo producendum de novo.

Unde orturus ille ignis.

32. Quæres tertio, quam ob causam ille ignis præcessurus est iudicem? Primo, ut occidat homines qui tunc adhuc erunt in vivis: ita S. Antonin. 4. p. tit. 14. S. Bonavent. et alii. Sed non est credibile iustos eo igne esse interficiendos. Secundo, ignis ille mundum purgabit. Ita S. Thom. in 4. dist. 47. q. 2. art. 3. Paludan. q. 1. Richard. art. 2. q. 4. et 5. Sotus dist. 48. q. 4. artic. 1. et 2. qui supponunt mundi innovationem et resurrectionem mortuorum simul futuram. Sed probabilius est purgationem D et renovationem mundi futuram post iudicium. Neque enim decet mundum purgari, quamdiu in eo erunt scelerati. Tunc autem purificabitur, cum sepulti iam erunt in inferno, in quem fortasse postea deiicietur ille ignis conflagrationis. Tertio, ignis ille probabit sanctos ac purgabit, reliquias debitæ pœnæ absumens: ita Lactantius l. 7. cap. 21. Origen. homil. 14. in Lucam. Sed hoc dici non potest; nam sancti tunc erunt omnino mundi, pœnis in purgatorio iam persolutis. Quarto itaque, ignis ille Christum iudicem præcedet primo ad maiestatem eius; secundo, ad illuminationem et splendorem beatorum; tertio, et præcipue, ad terrorem impiorum, atque ad eorum punitionem. Sicut enim ut recte ait Suarez in 3. p. qu. 59. disp. 57. sect. 1. corpora beatorum statim ac resurgent, incipient frui dotibus gloriosis, attollique ad cælestia cum Christo: ita e contrario damnati statim incipient pœnam sensus, etiam in corporibus experiri, et ab igne detineri

Quare ignis præcessurus est Christum iudicem?

et cruciari: et ideo necesse est, ut ante iudicem ignis adveniat, qui saltem eum locum occupet, in quo erunt corpora damnatorum: ita ipse. De illo fluvio igneo vide S. Ephrem hom. de iis quæ post crucem revelanda sunt.

33. Fluvii ignei ex Ætna fluentes. Ut fluvium illum igneum ob oculos ponam, nihil nunc aptius occurrit, quam Ætnæum incendium, et flammantes fluvii inde exorti, de quibus Thomas Fazellus lib. 2.
1. cap. 4. Duo triave exempla afferamus. Anno, inquit, salutis 1329. 4. Cal. Iulii, Friderico huius nominis secundo Siciliæ rege rerum potiente, cum per plures annos absque igne et fumo Ætna fuisset, hora diei 23. repente contremuit, ac tonare cœpit. Mox e montis latere quod Orientem respicit, in rupe quæ Musarra dicebatur, nivibus eo tempore obsita, aperto novo hiatu ignis erupit: quem, accrescente vespera, insecuti candentes globi, ac avulsa montis viscera, liquefactique saxorum orbes, veluti torrens, per declivia et subiecta loca grassantes, obvia quæque absumebant, quorum impetu simul ac terræmotu plures in ipso monte tam ad Orientem quam ad Occidentem sacræ et profanæ ædes dirutæ vel proscissæ sunt. Plerosque etiam aquarum perennium fontes terra dehiscens absorpsit. In littorali quoque ora, quæ Mascali oppidulo subest, nonnulla navigia in littus paulo ante subducta, crebris terræ concussionibus in mare sunt revulsa. Dum hæc ad Mascalim fiunt, eiusdem Iulii idibus circa solis occasum, iuxta Musarram rupem ac templum D. Ioannis Papazumeta cognominatum, ex inferioris montis parte ex inopinato hiatus alter, ac paulo post in eodem agro duo alii sunt aperti, ea vi ac violentia, ut ex quatuor crateribus parvo inter se intervallo dissitis ingentium lapidum congeries una egestæ profundas valles et nemorum saltus
2. in montes arduos extulerint. *Fluebat etenim ex quadruplici illa voragine rivus igneus, instar metallorum ex fornace liquentium, occurrentem tellurem, et ingentia saxa, ac arbores quascumque non solum comburens, sed absumens: terraque ipsa quæ paulo ante calcabatur, incanduit ac dispersa est. Postquam vero igneus torrens diu multumque per plura montis spatia evagatus est, tribus tantum alveis sese divisit. Quorum duo Orientem versus ad Acis usque littori propinqua loca plures dies decurrerunt: tertius vero contra Catanensium fines se direxit: quem, priusquam fines ipsos invasisset, velum Divæ Agathæ a sacerdotibus e mœnibus orbis obiectum extinxit.* Dum hæc in inferiori montis regione geruntur, in summo vertice non minori quoque ad extremum tonitruum saxorumque ardentium rabie conflictum est. Unde tantus præsertim cinerum imber per universam Catanensium regionem defluxit, ut montes agrique sub eo occultarentur, ac flante tum Borea ad insulam usque Melitam, quæ 160. passuum millibus a cratere dissidet, eorum copia ac sulphureus odor fit abductus. Unde et plures utriusque sexus homines, plurimaque animantia, et terra et mari horrore perculsa perierunt.

3. Quæ ipsi visu sumus assecuti commemoremus (verba sunt Fazelli) *Anno salutis 1536. nono Cal. Aprilis, flante austro et sole ad occasum vergente, nubes atra montis apicem operuit, et inter eam rubor emicuit. Tum repente ex ipso cratere ignei torrentis vasta vis erupit, paulatimque in modum fluminis magno montis murmure ac terræmotu defluens Orientem versus descendit, lacumque illapsus, magnam ibi repertam lapidum congeriem liquefecit. Quæ supra Randalium oppidum præcipiti, sed falcato volumine decurrens, ovium greges et animalia pleraque obviantia statim demersit. Ex eodem quoque summo montis cratere mirum ac horrendum visu profluvium igneum, occidentem versus supra Brontem et Adrianum oppida, eodem tempore effluere cœpit. Liquescentes enim lapides sulphurei ac bituminosi, vi ventorum depulsi, lento fluxu et intermisso, veluti ferrum candens, decurrebant, et qui primum defluxerunt, sensim amisso calore in priorem naturam ac materiam subnigram indurescebant. Post rivus alter igneus descendens non supra priorem fluebat, sed inter ipsius arenosam cutem, et priorem ignem iam concretum immiscens sese, cursum medium sibi sua vi faciebat: ita ut et cutis superior, et superficies prioris æque esset dura. Qui vero ignis recens erat, subterfluebat instar testudinis, quæ sub testa dura vivens, lente tamen graditur. Ita fluenta quæ prius indurverant, novis cedebant, a quibus in partes disiiciebantur. Novissimis itaque semper vincentibus multiplicabatur incendium ad latitudinem stadii unius profunditatemque cubitorum circiter duodecim.* Cumque totum refrixisset profluvium, lapidum molarium congeriem ab ore crateris ad terminum usque fluxus subnigram recens eructatam perpetuo reliquit. Ita lapides ipsi in eodem colore perseverant, quo defluxerant. Sed quo recentiores, eo et nigriores et firmiores: processu enim ævi et pallescunt, et in arenas resolvuntur. Erat autem profluvii materia sulphurea, et bitumina mista. Eo die D. Leonis templum in nemore situm, ab Henrico Lombardo Adelasiæ reginæ germano, Comite atque Marchione, pro anima Rogerii Comitis eiusdemque Adelasiæ uxoris eius erectum, fratrique Ioanni Amalphitano monacho, ac reliquis ibi monachis futuris, cœnobio datum, terræmotu primum corruit, mox ignibus obrutum est totum: nihilque nunc ibidem nisi asperrimorum lapidum e cratere proiectorum acervus conspicitur. Circa eadem quo- 4.
que loca, ad montis latera, terra dehiscente, plerique hiatus sunt perrupti. Ex quibus et fluenta et ignea et innumeri igniti lapides veluti tormento excussi, præmisso prius fremitu in cælum emittebantur. Ad hæc naturæ miracula visenda, tanti incendii modum causasque scrutaturus Franciscus Niger patria Platiensis, sed Leontinus incola, medica arte insignis, dum nimium diligenter sed parum consulte, propius ad fornaces accessisset, uno ex lapidibus qui in cælum ex hiatibus evomebantur, in caput eius dilapso, consumptus occubuit. Hæc quidem mira: sed quæ proximo anno obtigerunt, mirabiliora.

Anno namque salutis 1537. Cal. Maii Sicilia tota die- 5.
bus ferme duodecim tonare cœpit: crebrique sonitus ac ingentes, quales ex tormentorum bellicorum ictibus edi solent, et graviores quoque, non solum Catanæ et vicinis agris, sed Panormi quoque, Drepani, Lilybæi, Saccæ, Agrigenti, et tota prope insula sunt auditi. E quibus parvo terræmotu facto, domorum concussa tecta simul ac parietes nutabant. Sonituum huiusmodi, quos in Sicilia et Æoliis vicinis insulis familiares esse 2. Meteor. lib. scribit Aristoteles, causam exhalationi, quæ sub terra inclusa, sive ab Austro in Siciliam venit, sive in Sicilia gremio gignitur, et ipse Aristoteles, et cæteri qui de natura disserunt, attribuere. Ea namque cum natura sit exilis et velox, neque terram movere, neque inde erumpere, sed sonitus dumtaxat subterraneos procreare potest. Hi igitur sonitus mugitusque cum increbrescerent, tertio idus Maii in Ætna, sub colle quem incolæ Sparverium vocant, hiatus quidam insoliti sunt aperti, e quibus tanta eiusdem materiæ igneæ moles est egesta, ut quatriduo 25. pass. mill. iter conficiens obvia quæque sternendo exusserit, ac ad cœnobium usque D. Nicolai de Arenis defluxerit: ubi conglobatus, monasterio intacto, Nicolosum et Monpelerium pagos adortus, plures eorum domos exussit obruitque. Terræmotu quoque frequenti Catana et vicinæ urbes adeo sunt convulsæ, ut cives relictis urbibus ad campestria salutem sibi quæsierint. At clerus et populus Cataneusis cum incendia pass. mill. fere 12. vicina, ac ocyus ad sese deferri prospicerent, ad aras Divæ Agathæ profugientes, velum protulerunt: quo eminus proiecto ignis constitit, ac mox sedatus est, et Ætna tonare desiit. Verum crater montis supernus non multo post tantam subnigri cineris per triduum molem efflavit, ut non modo mons ipse ac finitima, sed ad Pelorum ac Pachynum, quinimo et Calabriæ Cosentium usque, interiacentia oppida cineribus operta, maria quoque adeo sint circumfusa, ut trecentis pass. mill. a Sicilia distantes naves, quæ Venetiis Messanam navigabant, a ventis ferentibus late cinere eiecto fœdatæ sint: prout ipsi nautæ postmodum retulerunt. Ætna deinde cineres evomere desiit, magno

fragore ac fremitu mugire cœpit; et inter mugitus ipsos summus montis apex abruptus a cratere superno absorptus est. Nam ætate mea clivulus a crateris orificio per passus ferme centum insurgebat, undique præcisus, qui totius montis supremus erat vertex, quo tum intra voraginem palam absumpto, Ætna factus est demissior. Sed cum postea Bronti agerem, oppidani seniores fide digni viri (quippe qui rem ipsam viderant) retulerunt, hunc ipsum clivum non olim Ætnæ fuisse verticem, sed ab eo anno salut. 1444. postremo profluvio eiectum crateris ori inhæsisse. Hæc Fazelius, quæ non piguit cum labore exscribere, quod et in illis appareat vindicis Dei potestas, et imago quædam ignis illius iudicii et inferorum. De ignibus Vesuvii dicam Ps. 96. 3.

34. Conclusio optima. Ex his consequens est Deum timendum esse et peccata fugienda. S. August. in Psal. nostr. *Ignis*, ait, *ante eum præibit. Timeamus, mutemur, et non timebimus. Ignem palea timet, auro quid facit? Est autem nunc in potestate quid facias, ne illud quod et te nolente venturum est, non correctus experiaris. Si enim possemus facere, fratres, ut dies iudicii non veniret, puto, quia nec sic erat male vivendum. Si non veniret, ignis diei iudicii, et sola peccatoribus immineret separatio a facie Dei, in qualibet essent affluentia deliciarum non videntes a quo creati sunt, et separati ab illa dulcedine ineffabilis vultus eius, in qualibet æternitate et impunitate peccati, plangere se deberent. Sed quid loquar, aut quibus loquar? Hæc amantibus pœna est, non contemnentibus. Qui dulcedinem sapientiæ et veritatis utcumque sentire cœperunt, noverunt quod dico, quanta pœna est tantummodo a facie Dei separari. Qui autem illam dulcedinem non gustaverunt, si nondum desiderant Dei faciem, timeant vel ignem, supplicia terreant, quem præmia non invitant. Vile tibi est quod Deus pollicetur, contremisce quod minatur. Veniet dulcedo præsentiæ: non mutaris, non excitaris, non suspiras, non desideras. Amplexaris peccata tua, et delicias carnis tuæ: stipulas ad te congeris, veniet ignis. Ignis in conspectu eius ardebit. Non erit iste ignis sicut focus tuus: quo tamen si manum mittere cogaris, facies quidquid voluerit qui hoc minatur. Si tibi dicat, scribe contra caput patris tui, scribe contra capita filiorum tuorum: nam si non feceris, manum tuam mitto in focum tuum: facies, ne ardeat manus tua, ne ardeat ad tempus membrum tuum non semper in dolore futurum. Minatur ergo inimicus tam leve malum, et facis malum: minatur Deus æternum malum, et non facis bonum? ad malum faciendum nec minæ te compellere deberent: a bono faciendo nec minæ te terrere deberent. Minis enim Dei, minis æterni ignis prohiberis a malo, invitaris ad bonum. Unde piget, nisi quia non credis? Excutiat ergo unusquisque cor suum, et videat quid ibi fides teneat. Si credimus futurum iudicium fratres, bene vivamus. Tempus misericordiæ nunc est, tempus iudicii tunc erit. Nemo dicet, revoca me ad priores annos. Pœnitebit et tunc, sed frustra pœnitebit. Modo pœniteat, cum fructus est pœnitendi, modo adhibeatur ad radices arboris cophinus stercoris, id est, cordis luctus et lacrymarum, ne veniat ventus et eradicet. Cum enim eradicaverit, iam ignis expectatur. Modo etsi fracti sunt rami, possunt rursus inseri. Tunc omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur:* ita August.

Vers. 3. 4. Pars. Ante iudicem erit ignis, circa iudicem erit tempestas. Additur enim vers. eod. 3. ET IN CIRCUITU EIUS (ignis, ait Genebrardus; 2. iudicis, et melius) TEMPESTAS VALIDA. S. Cypr. de bono patientiæ, *procella nimia*. Camp. vehemens turbo.

35. Tempestas ante iudicium erit metaphorice, ut quidam putant. Quæres, quæ sit illa tempestas? Primo, quidam metaphorice sumi volunt. Aiguanus aperte negat hoc intelligi de materiali tempestate. 1. Ruffinus ait, tempestatem validam esse angelos qui sufflaturi sunt malos ad inferos. Glossa interpretatur angelos separatores et sanctos; 2. S. Bruno Carthusianus tempestatem validam dicit esse multitudinem malignorum angelorum; 3. S. August. et S. Bruno Herbipolens. Episcop. tempestatem illam volunt esse divinam potentiam malos a bonis vi magna separantem. Brunonis verba sunt: *Ignis habet duplicem virtutem: illuminat enim et exurit. Gaudeant enim iusti, quia illuminantur ex eo: timeant peccatores, quia exurendi sunt ab eo. Hæc tempestas non ventis agitur, nec procellis sævientibus excitatur, sed ex divina potentia vehemens spiritus consurgit, ut in area Domini, æquitatis eius sententia ventiletur. Tunc frumenta sequestrat a paleis. Quod iudicium merito tempestas dicitur, quia improvisum veniet, et nimia claritate bonos discernet.* Est secutus Cassiodorum. Lege S. Augustin. fusissime hæc enarrantem. Hugo Cardin. etiam eis adhæret.

Secundo et melius, tempestas illa proprie est accipienda: ita Valentia, qui exponit de omnibus signis iudicii. Secundo, malim explicare de tempestate quæ continget, quando Christus e cœlis descendet ad iudicium, fluvio igneo eum præcedente. Sic enim facile et plane aperitur *in circuitu eius tempestas valida.* Nam in cœlo, in aere, in mari, in terra micabunt fulgura, erumpent tonitrua, venti infrement, et omnia ex omni parte susdeque vertentur, arescentibus hominibus præ timore, et expectatione quæ supervenient universo orbi, Luc. 21. Præsertim circa iudicem venientem et in throno ex nube lucida et gloriosa confecto erumpent fulgura, et tonitrua audientur. Hæc autem indicabunt, 1. iram iudicis; 2. eius potentiam cui resisti non possit; 3. denique, eius severitatem, qui ex sola iustitia sit sententiam laturus, eum tempus misericordiæ præterierit, in quo silebat in præsepio aut gemebat, et in cruce sanguinem fundebat. Hanc tempestatem prævidcrunt et prædixerunt Prophetæ. Nahum 1. 2. *Deus æmulator* (Hebr. Deus zelotes. Tigurina, Deus inique ferens iniurias. Chald. Deus iudex) *et ulciscens Dominus* (Hebr. Iehova) *ulciscens Dominus, et habens furorem* (tamquam Dominus illius, et eo ad libitum uti potens. Hebr. vir iræ; vel Dominus furoris), *ulciscens Dominus* (repetitio vehementiam ultionis declarat) *in hostes suos, et irascens ipse inimicis suis. Dominus patiens, et magnus fortitudine,* (Vatabl. pollens viribus. Arab. fortitudo eius maxima) *et mundans non faciet innocentem* (Tigurina, ne utiquam impunita scelere dimittens.) *Dominus in tempestate et turbine viæ eius, et nebulæ pulvis pedum eius.* Isaiæ 28. 2. *Ecce validus et fortis Dominus, sicut impetus grandinis: turbo confringens, sicut impetus aquarum multarum inundantium, et emissarum super terram spatiosam.* Ibi ad litteram agit de excidio decem Tribuum. Anagog. de die iudicii. Cap. 29. etiam ubi agitur de excidio Ariel, id est, Ierosolymæ et duarum Tribuum. Sic enim cap. 29. 6. *Eritque repente confestim. A Domino exercituum visitabitur in tonitruo, et commotione terræ, et voce magna turbinis et tempestatis, et flammæ ignis devorantis.* S. Petr. Damiani copiose agit de die iudicii l. 4. epist. 5. ubi psalmum nostrum exponit de aeris repentina tempestate, tonitruis, coruscationibus, fulguribus, quibus humana pectora terrore confundantur. S. Ephrem. homil. de iis quæ post crucem revelanda sunt, ob ea timore concutitur: *Hæc, ait, dum cogito, timore corripiuntur membra mea, et dissolvor undique, oculi præ timore lacrymas fundunt, vox mihi deficit, labia mea quasi conglutinata hærent, lingua mea contremiscit, et cogitationes meæ silentium meditantur.*

36. Verius erit realis, et quanta.

Tempestas illa quid indicat?

Symbolice. Hugo Cardin. Tempestas valida, inquit, id est, damnatio erit illis qui sunt in circuitu eius, id est, in malis. Boni sunt in Deo, quasi in centro: ipse est enim centrum omnium. Mali vero sunt in circuitu eius, non accedentes ad eum per recta opera. Psal. 11. *In circuitu impii ambulant.* Et alibi Psal. 81. *Deus meus pone illos ut rotam.* 37. Symbol.

Tropolog. idem Hugo: *Ignis charitatis,* inquit, *in conspectu eius*: id est, in anima quam ipse conspicit, *exardescet.* Cant. 5. 6. *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.* Ps. 17. 9. *Ignis a facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo.* Quos autem accendit per amorem, commovet ad pœnitentiam. Unde addit: *Et in circuitu eius* 38. Tropol.

tempestas, id est, conturbatio ad pœnitentiam. *Valida*, id est magna. Ps. 6. *Anima mea turbata est valde*. Vel, valida est, id est, valens et prodens homini ad salutem. 2. Corinth. 7. *Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur*: ita Hugo. *Dominus in tempestate et turbine viæ eius*, ut ait Nahum Propheta cap. 1. 2. id est, Domini via per turbinem et procellam est, ut vertit Vatablus. Hoc apte ad rem præsentem explicat Iulianus Episcop. Toletan. in commentario in eum prophetam: *Quatuor*, ait, *sunt animæ tempestates, et quatuor turbines ipsius. Prima est vitiorum, secunda negotiorum, tertia tentationum, quarta utilium affectionum. Prima ergo est iræ, secunda miseriæ, tertia iustitiæ, quarta gratiæ. Prima virtutum grandinat florem, secunda conscientiæ pessumdat honorem, tertia contemplationis suavissimum fugat odorem, quarta ad cælestium provehit ardenter amorem. Prima est a diabolo, secunda a mundo, tertia a miseriæ debito, quarta a Deo. Prima religionis annihilat sanctitatem, secunda conscientiæ turbat serenitatem, tertia divinissimi odoris fugat suavitatem, quarta ad angelicam sublimat puritatem. Prima est ergo divinæ indignationis, secunda dispensationis, tertia probationis, quarta dilectionis. Viæ primæ sunt, pura confessio et virilis pœnitentia: secundæ, mundi contemptus et vita solitaria: tertiæ, devota compunctio, et mentis innocentia: quartæ, purificati silentium animi, et sponsi lætitia. Sed quia in tempestate, non in tempestatibus, Domini vias esse Propheta asserit, de quarta, ut datur intelligi, specialiter loquitur, de qua lib. 3. Reg. 19. 11. Ait enim: Elias stabat in ostio speluncæ, et ecce spiritus Domini transiens, subvertens montes, et conterens petras; non in spiritu Dominus: et post spiritum commotio; non in commotione Dominus: et post commotionem ignis; non in igne Dominus: et post ignem sibilus auræ tenuis, ibi Dominus. Per spiritum transeuntem designatur animi tempestas; amara scilicet, sed utilis peccatorum contritio. Per commotionem, devota mentis compunctio. Per ignem, fervens et ordinata dilectio. Per silentium, beatæ contemplationis secretissima infusio:* ita Iulianus. Denique per tempestatem validam Eusebius intelligit tribulationes et persecutiones huius temporis. Nam ut dicitur 2. Timoth. 3. 12. *Quicumque in Christo pie vivere volunt, persecutionem patientur.* Et Ioan. 16. 33. *In mundo pressuram habebitis.*

Quatuor tempestates animæ.

ARTICULUS III.

Comitantia et subsequentia iudicium extremum.

Vers. 4

In iudicio erunt accusatores, testes, et assessores Iudicis. Hi omnes indicari possunt, v. 4. ADVOCABIT CÆLUM DESURSUM, ET TERRAM DISCERNERE POPULUM SUUM. Primo enim per cælum et terram sumi possunt accusatores impiorum. Nam potest esse, 1. prosopopœia, per quam creaturæ ipsæ omnes inanimatæ sive in cælo sive in terra existentes, ipsumque cælum et terra, vocantur contra sceleratos, ut querelas suas proponant. Campens. vertit: *Advocabit superne cælum et inferne terram, ut iudicio contendat cum populo suo;* 2. potest esse metonymia. Nam *cælum* sunt cælestes angeli: *terra* vero homines qui sunt in ea eximii, et ad munus Apostolatus adsciti: ita S. Cyrillus. Vel, *cælum* sunt Apostoli et reliqui sancti, qui despectis terrenis quæ sursum sunt sapiunt: *terra* vero, terreni homines: Ita S. Hieron. Vel denique, *cælum*, puta intelligi omnes sanctos iudicaturos, *terram* vero pios minoris meriti, qui iudicabuntur et separabuntur e malis: ita S. August. Hi omnes erunt accusatores singulorum impiorum. Quis autem poterit resistere accusationi omnium creaturarum, et hominum, atque angelorum, in quorum medio stabit nudus, inermis, criminibus coopertus, sine defensore, coram tremendo iudice, cinctus ex omni parte dæmonibus qui præcipui accusatores erunt?

39\. Cælum et terra erunt testes et accusatores in die iudicii.

40\. Et omnes creaturæ.

Secundo, omnes creaturæ, dæmones, homines, angeli erunt testes iustitiæ divinæ et impietatis peccatorum: ita Euseb. Theodoretus, Genebrard. Hugo, et alii. Verba Eusebii sunt: *Advocabit cælum, et terram, ut discernat populum suum. Cur istuc? quoniam his testibus legem illis per Mosem tradidit dicens, Deut. 4. Testificor hodie vobis cælum et terram. Et rursus in magno Cantico Deut. 32. Audi cælum, et auribus percipe terra, quia Dominus locutus est. Filios genui, et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Sic igitur hoc in loco, eosdem testes vocatum iri dicit in iudicio eorum, qui leges violaverint; ideo dictum est: Advocabit cælum desuper, hoc est cælum superius.* Si grues, Ibyci interfectores denuntiare visæ sunt: si Hesiodi occisores et templi Æsculapii spoliator, latratibus morsuque canum qui viderant, accusati atque convicti sunt, ideoque ad crucem ducti: quid sol præstabit ac sidera, cuius lumine abusi sunt scelerati ad sua facinora? quid tonitrua, quorum terrorem despexerunt? quid cæteræ creaturæ, quarum ad vocem toties obsurduerunt. Secundo, christiani, hæretici, ethnici ipsi stabunt contra peccatores in iudicio et testes et accusatores. Matth. 12. 41. *Viri Ninivitæ surgent in iudicio cum generatione ista* (contra Iudæos qui vivebant Christi tempore) *et condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ: et ecce plusquam Ionas hic.* Regnabat in Ninive Sardanapalus, cum Ionas illis excidium intentavit, conversi sunt ad pœnitentiam, sed plerique postea relapsi sunt et probabiliter damnati. Nam postea missus est ad eos Nahum propheta, qui illis prædiceret devastationem a Chaldæis imminentem, a quibus deinde excisi sunt regnante in Chaldæa Nabuchodonosore, et apud Romanos Tarquinio Prisco Transmigrationis Iud. 17. Desolation. 6. Christus pergit v. 42. *Regina Austri* (Æthiop. *Regina Aseb*: apud eos enim Aseb significat Austrum) *surget in iudicio cum generatione ista, et condemnabit eam*: *quia venit a finibus terræ* (id est, ex Arabia Sabæa seu Felice, quæ est extrema regio ad mare Indicum seu Arabicum, et distat a Ierusalem 606. leucis Gallicis: ita Pineda lib. 5. de rebus Salomonis, cap. 14. Vel ex Æthiopia Abyssinorum: ita S. Aug. et S. Greg. Naz.) *audire sapientiam Salomonis, et ecce plusquam Salomon hic.* Tertio, ipsi sancti testes erunt, et accusatores impiorum, a quibus fuerunt afflicti. Sap. 5. 1. *Tunc stabunt iusti in magna constantia* (Syr. et Arab. cum magna fiducia. Græc. παῤῥησίᾳ, id est, loquendi libertate) *adversus eos qui se angustiaverunt*, (Arabs, adversus faciem eorum, qui eum contristaverunt,) *et qui abstulerunt* (Græc. spreverunt) *labores eorum.* S. Bonav. et Glossa: Accusabunt, inquiunt, Iusti persecutores suos, et sancti Martyres tyrannos, qui eos adduxerunt in angustias. Itaque, ut ait Cornelius, S. Petrus et Paulus in die iudicii impietatis arguent et condemnabunt Neronem, S. Sebastianus Diocletianum, S. Laurentius Valerianum, S. Cæcilia Almachium (unde S. Valerianus S. Cæciliæ sponsus, Almachio totum hunc sapientis locum recitavit, et minando obiecit) S. Vincentius Dacianum etc. Septem Machabæi fratres excruciati ab Antiocho tyranno, eidem Dei iudicium et tormenta gehennæ comminati sunt 2. Machab. 7. Vide dicta Ps. 57. 11. *Lætabitur iustus cum viderit vindictam.* Quarto denique, ipsi amici, affines, cognati, parentes, erunt testes et accusatores contra perversos. Si enim Tennes et Manlius potuerunt filios suos securi subiicere: si, ut ait Ælian. lib. 5. cap. 11. Thracum Bysaltiorum rex, sex liberos, quod contra Græcos cum Xerxe bellum contra voluntatem suam gessissent, πάντας ἐξετύφλωσε, omnes excæcavit: si Rhacoces Persa filium Inobsequentem, τὼ χεῖρε ὀπίσω περιαγαγὼν αὐτοῦ, *manibus in tergum revinctis ad iudices adduxit*, et a iudicibus postulavit, ἀποκτεῖναι τὸν νεανίσκον, ut adolescentem ad pœnam raperent: cumque iudices ad regem Artaxerxem utrumque ablegassent, pari constantia illum accusavit, qua motus rex eum in collegium regiorum iudicum cooptavit: quid facient sancti, qui unius Dei gloriam amant, quam ab impiis amicis, affinibus, cognatis, liberis calcatam videbunt? eos ut læsæ maiestatis reos exsecrabuntur.

Tertio denique, et optime, Christus advocabit *cælum* 41.

Omnes angeli et homines beati iudicabunt in die iudicii.

desursum, et terram, id est cælestes angelos et selectissimos sanctos homines *discernere populum suum:* hoc est, ut discernat seu separet ac dividat oves ab hædis, illas ad dexteram, hos ad sinistram collocando: ita S. Augustin. et alii. Per hanc autem separationem synecdochice intelligitur totum iudicium et sententia finalis in damnatos lata. Hebr. pro discernere, est לדין *ladin*, adiudicandum. Syr. Arab. Flamin. Pagn. Felix, S. Hier. vertunt, *ut iudicet.* Cæli facti sunt Apostoli, ut ait Arnob. in Ps. 58. habentes in se solem institiæ, et merita in modum stellarum, pro varietate diverso splendore radiantia. Ecphantes apud Stobæum sermon. 46. dicit, in hominum animis lumen esse quoddam divinum. Quod autem sancti sint iudicaturi prædixit Isaias cap. 3. 14. *Dominus ad iudicium veniet cum senibus* (id est, senatoribus) *populi sui, et principibus eius.* S. Iudas Apostolus in sua epistola canonica v. 14. adhuc apertius ait: *Ecce veniet Dominus in* (id est, cum) *sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum quibus impie egerunt, et de omnibus duris* (S. Cyprian. adnotat. legit, impiis) *quæ locuti sunt contra Deum peccatores impii.*

Christus aperte promittit Apostolis iudiciariam potestatem Matth. 19. 28. *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione* (Syr. in sæculo novo. Arab. in generatione ventura) *cum sedebit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim Tribus Israel.* Richard. a S. Victor. tract. de iudiciaria potestate hoc restringit ad solos duodecim Apostolos. Sed melius alii, hoc ad viros Apostolicos extendunt, præsertim ad eos, qui omnia sua bona pro Christo reliquerunt; cum, ait S. August. in Psal. 1. sequantur Christum expeditis humeris sine sarcina curarum sæcularium. S. Gregor. lib. 12. Mor. cap. 17. *Neque enim plusquam duodecim iudices illa interni consessus curia non habebit: sed nimirum duodenario numero quantitas universitatis exprimitur: quia quisquis stimulo divini amoris excitatus, hic possessa reliquerit, illic procul dubio culmen iudiciariæ potestatis obtinebit, ut simul tunc iudex cum iudice veniat, qui nunc consideratione iudicii, sese spontanea paupertate castigat.* Et S. Bernard. serm. de S. Benedicto: *Iusta prorsus,* inquit, *retributio, ut qui hic pro Christo humanæ gloriam celsitudinis neglexerunt, illic a Christo iudices glorificati singulariter cum eo assideant. Nemo autem putet duodecim tantum Apostolos, quia pro Iuda prævaricante Mathias electus est, tunc esse iudicaturos: sicut nec duodecim solæ sunt Tribus Israel iudicandæ, alioquin Tribus Levi, quæ tertiadecima est, iniudicata recedet: et Paulus qui tertius decimus est Apostolus, iudicandi sorte privabitur: cum ipse dicat, Nescitis, quia angelos iudicabimus? Sciendum namque est omnes, qui ad exemplum Apostolorum, sua reliquerunt omnia, et secuti sunt Christum, iudices cum eo venturos, sicut etiam omne mortalium genus esse iudicandum. Quia enim duodenario sæpe numero solet in Scripturis universitas designari, per duodecim sedes Apostolorum omnium universitas iudicantium: et per duodecim Tribus Israel universitatis eorum, qui iudicandi sunt ostenditur:* ita Bernardus. Non religiosi tantum, sed etiam insigniores sancti iudicabunt in die iudicii. Cassiodorus in Psal. 1. *Omnes resurgere,* inquit, *fides catholica confitetur, sicut dicit Apostolus 1. Cor. 13. Omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur. Resurget enim iustus, ut iudicet: peccator, ut iudicetur: impius, ut sine iudicio puniatur.* Hoc autem contingere asserit S. Bonavent. in eumdem Ps. 1. propter loci eminentiam, propter maiorem cognitionem, propter sententiæ approbationem. Vide dicta Ps. 1. v. 6. et Suar. 13. p. q. 59. disp. 57. sect. 4.

Angeli quoque in die extremi iudicii iudicabunt. Matth. 25. 3. *Cum autem venerit Filius hominis in maiestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ.* Syr. super thronum gloriæ suæ: hoc est, super nubem candidam et gloriosam. Angeli tunc in corporibus assumptis effulgebunt, et super thronos luminosos sedebunt in nubibus radiantibus, ut ab hominibus iustis et sceleratis videri possint: his terrori, illis exultationi futuri. Sic non tantum erunt iudices angeli, consentiendo et approbando sententiam iudicis, sicut vult S. Thomas et Suarez mox citatus: sed etiam consedendo et participando aliquo modo iudiciariam potestatem, quod ipsi negant. Sed non satis video, cur id negent, quidquid de ea re alias dixerim. Non est enim necessarium ut iudex sit eiusdem naturæ cum Christo et cum hominibus iudicandis, cum ipsi angeli reprobi sint iudicandi atque condemnandi, et per corpus assumptum sit futura sufficiens similitudo cum iudice atque cum hominibus. Sicut igitur decet ad homines iudicandos accipi aliquos homines assessores, ita ad angelos indicandos est conveniens assumi angelos qui simul iudicent.

In eo iudicio molestissima erit improbis separatio a bonis. Quod autem sit facienda additur vers. eod. 4. UT DISCERNAT POPULUM SUUM. S. Cyprian. lib. de bono patientiæ, legit, *ut separet populum suum.* Hanc separationem prædicit Christus Matth. 25. 32. *Congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis,* qui fœtent sunt asperi, immundi, petulci, lascivi, per præcipitia incedentes, rixosi, quæ omnia impiis conveniunt: *Et statuet oves quidem a dextris suis,* id est, honoratiori et nobiliori loco, nempe in aere: *hædos autem a sinistris,* hoc est, humiliori et viliori loco in terra. Quantus erit dolor cum filius a patre, a matre filia, uxor a marito, amici ab amicis avellentur, et eos luce fulgentes et in lucidis nubibus sublimes, se in caligine et catenis flammeis humi stratos aspicient? 1. Reg. 2. 9. ait Anna mater Samuelis: *Pedes sanctorum suorum servabit, et impii in tenebris conticescent.* Isaiæ 28. 21. locus iudicii vocatur mons divisionum. Sic enim ait: *In monte divisionum stabit Dominus.* S. Hieron. hoc explicat de excidio mundi: tunc enim erit *Baal Pharasim,* hoc est, locus divisionum in valle Iosaphat, ubi Christus separabit agnos ab hædis: atque agnis, id est, sanctis, cælum: hædis et impiis, gehennam assignabit. Nonnunquam accidit, ut separatio amici ab amico mortem afferret: quid vero tunc accidet, cum eam fore æternam certo cognoscetur?

42. Vers. 4. 2. Pars. In die iudicii separabuntur boni a malis.

Fiet porro hæc separatio per angelos, ut habetur Matt. 13. 49. *Sic erit in consummatione sæculi, exibunt angeli, et separabunt malos de medio iustorum. Et mittent eos in caminum* (Arab. in fornacem) *ignis: ibi erit fletus et stridor dentium.* Hæc mente volvenda esse monet S. August. de verbis Domini, serm. 62. Recolite, ait, dexteram et sinistram iudicis nostri: recolite ubi stabunt hædi, et ubi oves: et apparebit vobis ubi dextera, ubi sinistra: candida et nigra: luminosa, et tenebrosa: pulchra, et deformis: acceptura regnum, et inventura supplicium æternum: ita Augustinus. Vide ut unus sis e iudicibus, ex toto enim orbe colligentur, sic eris securus. Centumviri Romæ, ius sine provocatione reddentes, ex singulis Tribubus terni eligebantur: erant autem Tribus Romæ triginta quinque, sic erant iudices 105. qui tamen brevitatis causa vocantur Centumviri. Moses incitante suo socero Iethro elegit viros strenuos de cuncto Israel, et constituit eos principes populi, tribunos et centuriones, et quinquagenarios, et decanos, qui iudicabant plebem omni tempore. Et Numer. 11. iubet Deus Mosi ut congreget septuaginta viros de senibus Israel, qui etiam in gravioribus causis iudicarent: eos replevit Deus spiritu prophetico et spiritu sapientiæ, ex iis constabat synedrium magnum, erant autem 72. Nam sex de singulis Tribubus, quæ erant 12. eligebantur. In Græcia Amphyctiones ex omnibus Græciæ populis eligebantur. Cum enim Amphyction rex duodecim populos convocasset: nempe Iones, Dorienses, Perrhæbos, Bœotios, Magnetes, Achæos, Phthiotas, Molienses, Dolopes, Ænianes, Delphos, Phocenses, concilium illud coaluit. Tu time ullum in his terris affligere: nam tuo iudici fortasse eris iniurius, ut sensit rex

43. Per angelos fiet separatio illa.

ille impius in Africa, qui affligens sanctos Episcopos, vidit se ab iis iudicari, et præsertim a S. Paulino.

Duo sequentur iudicium: Primo, deductio piorum in cælum. Secundo, laus Christi iudicis ob latam sententiam.

44. Ac primo, de deductione piorum in cælum dicitur v. 5. CONGREGATE ILLI SANCTOS EIUS, QUI ORDINANT TESTAMENTUM EIUS SUPER SACRIFICIA. Quæres primo, quis, quibus, et de quibus loquitur? Primo, secundum textum Vulgatæ. et secundum Septuag. interpretes, Propheta, qui hactenus locutus est, incœptum sermonem prosequitur. Nunc vero in Hebr. est: Congregate mihi sanctos meos, qui ordinant testamentum meum super sacrificia. Septuag. legerant ubique *vau*, nunc habetur *iod*, quod non differt a *vau* nisi quia est illo brevius, v. g. nunc est in textu לי *li*, id est, *mihi:* ipsi vero legerant לו *lo*, id est, *eius*, sed est idem sensus. Secundo, alloquitur angelos: ita S. Hieron. S. Iulian. Episcop. Toletan. lib. 3. Prognosticon. cap. 34. Bruno Herbipol. et alii. Syr. et Arab. vertunt: Congregamini ad eum sancti eius. Tertio, vult congregari sanctos, id est, Israelitas, veluti Deo sanctificatos prorsus et oblatos. Ita Euthymius, qui agi putat de congregatione illis diebus, qui propheticorum sermonum lectioni dicati sunt. Sed hic agitur de die iudicii. Quarto denique, congregari iubet sanctos, 1. in vallem Iosaphat; 2. in aere gloriosos et ab impiis in terra iacentibus separatos; 3. et præcipue, in cælum, post latam sententiam, *Venite benedicti*, etc. Nota, congregatio denotat primo, multitudinem: secundo, unionem et charitatem erga se invicem: tertio, unionem et charitatem cum rege suo Christo: *Congregate illi:* quarto, securitatem et tranquillitatem æternam. Impii vero disperguntur, sicut pulvis quem proiicit ventus a facie terræ solidæ et beatæ.

Vers. 5. Christus congregabit sanctos et eos in cælum ducet.

45. Quæres secundo, quid sit *ordinare testamentum super sacrificia?* Primo, S. Hieron. sensum esse vult, q. d. Ordinant, prædicant et implent testamentum novum super vetus: quia transeunt vetera, et ecce facta sunt omnia nova. Sic etiam explicant Bruno Herbip. Hugo Card. atque Raynerius.

Quid sit ordinare testamentum super sacrificia.

I.

II. Secundo, *qui ordinant testamentum eius super sacrificia*, id est, ut ait S. Augustin. et Hugo, qui cogitant de promissis Dei super illa quæ operantur; ipsa enim sunt sacrificia, Deo dicente, Oseæ 6. *Misericordiam volui, et non sacrificium.* Promissa autem Dei sunt de beatitudine, de qua dicit Paulus Roman. 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

III. Tertio, *qui ordinant testamentum eius super sacrificia*, id est, in quorum miserationibus Deus super omnia sacrificia delectatur: ita S. Hieron. Vel qui ordinant testamentum, id est, ordinabiliter dant et faciunt, sicut testatus est Christus eis, qui opera misericordiæ exercent, regnum accepturi æternum: ita Bruno.

IV. Quarto, *qui ordinant testamentum eius super sacrificia*, est declaratio vocis sanctorum: illi enim dicuntur sancti, qui ordinant testamentum super sacrificia: quæ sententia clarior est in textu Hebraico, ubi ad verbum legitur: *Qui feriunt pactum eius super sacrificio:* id est, qui pactum cum Deo faciunt, ut sint populus eius, et ipse sit Deus eorum, quod pactum est super sacrificio: id est, super cultu divino, qui præcipue in sacrificiis offerendis consistit. Lectio nostra est paulo obscurior, sed eumdem sensum facit: nam per *testamentum* intelligitur pactum: et per *ordinare*, significatur *disponere*. Disponere autem testamentum, et ferire pactum idem sunt, ut perspicuum est ex variis locis Scripturæ, sed præcipue ex lib. 1. Machab. cap. 1. *Eamus, et disponamus testamentum cum gentibus quæ circa nos sunt: nam ex quo recessimus ab eis, invenerunt nos multa mala.* Igitur sensus huius versiculi est, congregandos esse ad iudicium sanctos Dei: id est, homines Deo dicatos, qui ordinant testamentum eius super sacrificia, id est, qui testamentum disponunt, et pactum feriunt cum Deo, ut ipsi Deum colant sacrificiis, et Deus sit eorum Deus, eosque beneficiis semper afficiat: ita Bellarminus. S. Hieron. vertit, *qui feriunt pactum meum in sacrificio.* Pagn. *qui pepigerunt pactum meum super sacrificium.* Felix, *percutientes fœdus meum super sacrificium.* Ubi adverte, quod in omnibus prope nationibus fœdera inibant post cæsas victimas: unde Latine dicitur, sancire fœdus, q. d. Sanguine icere, id est percutere. Item, ferire aut percutere fœdus. Hebr. etiam in Ps. nostr. *corethe berithi*, ferientes seu percutientes fœdus meum. Ludovicus de la Cerda: Nulla, inquit, sanctio fœderis absque sanguine. Vide illum 8. et 12. Æneidos. De Hebræis habes Exod. 24. ubi fœdus ineunt cum Deo.

V. Quinto et optime, *qui ordinant*, id est, qui ordinate faciunt, *testamentum eius*, id est, legem quæ est testamentum, hoc est, conditio testamenti, seu pacti et fœderis cum Deo initi: illam autem ordinant *super sacrificia*, id est, in sacrificiis, hoc est, in bonis operibus et in omni cultu divino. Est synecdoche. Sacrificium enim ponitur pro omni actu religionis. Primo, quia ut ait S. Thom. 2. 2. quæst. 81. artic. 1. ad 1. Religionis actus proprii et immediati, quos elicit, per quos homo ordinatur ad solum Deum, sunt sacrificare, adorare, et alia huiusmodi. Religio autem est excellentissima virtutum moralium. Secundo, quia sacrificiis maxime conservantur Ecclesia, et pietas fidelium. Tertio, quia, ut ait Euth. in Ps. nostr. Iudæi servantes ea quæ in lege tradebantur de sacrificiis, universam se existimabant legem adimplere: et in huiusmodi sacrificiis, quasi religiosissimi, maxime gloriabantur. Adverte autem per *ordinationem* indicari devotionem et studium bene aptandi victimas super altare: id est, omnia opera sua faciendi, ut decet, ac tanti regis maiestas postulat. Chald. vertit: *Congregate mihi sanctos meos, qui pepigerunt pactum, et firmaverunt legem, et operam navarunt orationi, quæ similis est oblationibus.*

Et optime.

46. Secundo, deducti in cælum sancti contenta voce et exultante corde celebrabunt Christi iustitiam, ita ut ipsum cælum resonet, ac lætum echo reddat, v. 6. ET ANNUNTIABUNT CÆLI IUSTITIAM EIUS: QUONIAM DEUS IUDEX EST. *Cæli*, Primo, materiales, annuntiabunt iustitiam eius, et ante iudicium, et post illud. Nam primo Iansen. sic explicat, q. d. Cæli ipsi iustitiam venientis iudicis palam cunctis manifestabunt per gloriam eius illustrem, quæ in cælo et in nubibus omnibus apparebit, per quam cæli testabuntur, quod ipse Deus sit iudex, qui venit ad iudicandum, qui proinde iuste est omnia iudicaturus. Secundo, et melius, cæli materiales annuntiabunt iustitiam Christi post iudicium: quia, ut ait Eusebius, qui congregatos sanctos susceperint, salutem eorum illis gratulentur. Et S. Athanas. Glorificabunt, inquit, Deum cæli, quod homines cælesti itinere dignos fecit: ita ipse. Cæli etiam Deo ipsi ac sibi gratulabuntur, quod videant sedes suas vacuas repleri.

Vers. 6. Cæli materiales Christum laudabunt.

Secundo, *cæli annuntiabunt iustitiam Christi*, id est sancti viri, qui imaginem cælestis ferunt: ita Didymus. De Apostolis, Martyribus, Doctoribus, aliisque sanctis exponit Arnobius: *Ipsi sunt cæli*, ait, *qui narrant gloriam Dei. Tunc ergo cum Deus iudex esse cœperit, annuntiabunt hi omnes iustitiam eius, qui prædicant nunc misericordiam eius.* Vide dicta Ps. 57. 11. Secundo, *cæli*, id est, angeli. Est metonymia, qua ponitur continens pro contento. Chald. vertit: *Narrabunt autem angeli excelsi puritatem eius, quia Deus iudex est in sæculum.* Voces eorum sanctorum sumi poterunt ex Ps. 118. 137. *Iustus es Domine, et rectum iudicium tuum.* Apocal. 19. 1. et 2. *Salus et gloria, et virtus Deo nostro est. Quia vera et iusta iudicia sunt eius, qui iudicavit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua, et vindicavit sanguinem servorum suorum de manibus eius.* Et sæpe cantabunt, Alleluia: id est, laudate Deum.

Et sancti qui sunt spiritales cæli.

Nota, Deus erit iudex tuus, et consequenter primo, iudex potens, cui non poteris resistere. Ps. 7. 12. *Deus iudex iustus, fortis*, ibi est אל *el*, quæ vox et Deum et fortem seu potentem significat. Deo enim est identificata potentia, atque est ipsa eius essentia, sicut et alia omnia

47. attributa. Nullum enim accidens in Deo est. Secundo, Deus est iudex iustus. Sap. 5. 19. *Induet pro thorace iustitiam, et accipiet pro galea iudicium certum.* Gr. ἀνυπόκριτον, id est, ait Corn. syncerum, non fucatum, non hypocriticum, carens omni simulatione et dissimulatione, æque ac personarum acceptione, ut nulla prece vel pretio se corrumpi sinat, nullius etiam favore, metu vel respectu a iusto iudicio declinet. Tertio, Deus est iudex terribilis, quia nullum prorsus peccatum sinet esse impuuitum. Quarto, Deus est iudex omnia videns. Galeam habet iudicium *certum.* Sipontinus, ait certum dici a cerno, id est, video: idemque est quod clarum et indubitatum: ita ut ipsa rei veritas sit manifesta, oculisque quasi cerni videatur, siue ullo fuco, velo aut tegmine: quia ea quæ cernimus, clara et indubitata sunt. Virgam vigilantem Deo assignat Ieremias cap. 1. 11. Orpheus laudat oculum iustitiæ. Phryges Deum pingebant quasi virgam sole exornatam. Θεὸν ἀπὸ θεᾶσθαι, id est, a videndo Græci nominant. Quinto, Deus est iudex inflexibilis. Vide dicta Ps. 2. in illud: *Reges eos in virga ferrea.* Nec precibus, nec lacrymis, nec muneribus, nec vestium fulgore, nec ullo ornatu et pompa flectitur. Isaiæ 11. 3. *Non secundum visionem oculorum* (secundum apparentiam externam) *iudicabit, neque secundum auditum aurium arguet. Sed iudicabit in iustitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ: et percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum percutiet impium. Et erit iustitia cingulum lumborum eius, et iustitia cinctorium renum eius.* Cretenses Iovis sui simulacrum sine auribus efformabant, quod precibus nullis a recto iudicio dimoveretur. Thebani imagines iudicum suorum constituebant ἀχεῖρας, id est, sine manibus, et imaginem primarii iudicis μύσαντα τοῖς ὄμμασιν, conniventem oculis: ob id quod iustitia nec muneribus capiatur, neque hominum vultu flectatur. De Christo iudicante iure dicetur, quod ait Orpheus in hymno de iustitia: O mortalibus iustissima, inquit, opulenta, desiderabilis, quæ καθαραῖς γνώμαις, puris sententiis semper

Christus est iudex. 1. potens. 2. iustus. 3. terribilis. 4. omnia videns.

A iura administras integra conscientia. Quæ franges omnes, quicumque tuum non subierunt iugum, sed illud trutinis violentis prætersilucrunt immoderate. Semper enim quod nimium est odisti, et æquitate gaudes. Tibi sapientiæ et virtutis totus cumulus accessit, omni honore digna, fortuuata iustitia, et gloriosa.

Adumbratum est Salvatoris iudicium iu Salomone insidente throno suo. Rupert. lib. 3. in libros Reg. cap. 31. illud, *Fecit rex Salomon thronum de ebore grandem*, meditans, sic loquitur: *Quis est*, ait, *iste thronus tam grandis, tam mirabilis, nisi altitudo maiestatis in illo die novissimo magni et tremendi iudicii? grandis thronus est, quia grande iudicium expectamus. Est autem thronus*, 1. *ex ebore, quia iudicium ex puritate constabit;* 2. *iustitiæ auro vestitur, quia nimirum aurea divinitatis iustitia revelabitur;* 3. *sex ille habebat gradus, quia sex sententiis iudicium perficietur. Esurivi, et non dedistis mihi manducare. Sitivi, et non dedistis mihi potum. Hospes eram, et non collegistis me. Nudus, et non cooperuistis me. Infirmus, et non visitastis me. In carcere, et non venistis ad*
B *me;* 4. *duæ manus hinc atque inde, duæ sunt tentores, hinc iustitiæ, inde misericordiæ;* 5. *duo leones iuxta manus singulas: quia utrobique fortis, atque formidabilis erit iudicii veritas. Etenim a sinistra omnis iniquus condemnabitur, et a dextera iustus vix salvabitur;* 6. *duodecim leunculi, super sex gradus stantes, duodecim sunt Apostoli;* 7. *post hunc thronum Salomonis, id est, pacifici regis Christi, et gloria et divitiæ sunt in domo eius tanta copia, quanta Scriptura præsens significare non sufficit. Unde subditur: Non erat argentum, nec alicuius pretii putabatur diebus Salomonis: fecitque ut tanta esset abundantia argenti in Ierusalem, quanta et lapidum: quia peracto iudicio in diebus illis æternitatis nullius pretii reputabitur argentum: quia nimirum prophetiæ evacuabuntur, et linguæ cessabunt: nullus iam mittetur ad prædicandum, sed omnes perfecti: in omnibus abundabit purissimum charitatis aurum.*

SECTIO SECUNDA.

48. *Duo exequitur. Primo, materiam iudicii extremi non fore sacrificia pecudum, nec aliarum rerum, vers. 7. Secundo, materiam iudicii ad gloriam fore virtutes, vers. 14.*

PARAPHRASIS.

7. *Audi populus meus, et loquar: Israel, et testificabor tibi: Deus Deus tuus ego sum.*	7. Cum itaque actionum tuarum reddenda sit ratio in die iudicii, aures attentas præbe, popule meus: tibique aperiam, quid a te requiram. Audi, o Israel, qui præ cæteris nationibus ad cognitionem Dei vocatus es, et commonebo te, quid postulem. Quidni porro me audias, cum ego sim Deus tuus?
8. *Non in sacrificiis tuis arguam te: holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.*	8. Non reprehendam te in illo extremo examine, quod sacrificia externa neglexeris. Nam holocausta tua singulis diebus in altari meo offeruntur.
9. *Non accipiam de domo tua vitulos: neque de gregibus tuis hircos.*	9. Si vitulos aut hircos volucro, nihil est, cum eos de domo tua et gregibus accipiam; cum sim Dominus orbis terrarum.
10. *Quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum, iumenta in montibus et boves.*	10. Omnes itaque feræ, quæ in sylvis oberrant, mei iuris sunt: omniaque animalia domestica, et boves qui in montibus pascuntur.
11. *Cognovi omnia volatilia cæli: et pulchritudo agri mecum est.*	11. Omnes aves in aere volitantes cognovi, cum illorum sim creator ac Dominus: omnesque terræ fruges ac flosculi, qui agros et prata mira varietate pingunt, in mea sunt potestate. Nihil est itaque quod a te emendicem.
12. *Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terræ, et plenitudo eius.*	12. Neque fame, neque siti urgeor: sed si fieri posset, ut his ego necessitatibus premerer, non cogerer illas tibi aperire, ut subsidio esses. Nam tum orbis universus, tum singula, quibus ornatur et repletur, mea sunt.
13. *Numquid manducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo?*	13. Egone qui incorporeus sum et immortalis, carnibus taurorum delectabor? Vel fœtentium hircorum ad altaria fusum sanguinem exugam?
14. *Immola Deo sacrificium*	14. Illud vero in die iudicii examinabo, an mihi ob accepta beneficia gratus exti-

laudis: et redde Altissimo vota tua. — teris. Itaque vide, ut in sacrificium, laudem et gratiarum actionem sæpe offeras: et quæcumque Deo vovisti, ea cum maxima diligentia præstes.

15. *Et invoca me in die tribulationis: eruam te, et honorificabis me.* — 15. Si hæc feceris, cum in generali illa omnium gentium tribulatione, nempe in die iudicii, invocaveris, ab omni te pavore et periculo eximam, totaque æternitate laudem mihi rependes.

QUÆSTIO UNICA.

Qualis futuri iudicii materia ad gloriam iustorum.

49. Ordo ·e clionis. **Prima** Sectione ostendit Propheta extremi hominum conventus iudicem, reos, locum, et modum. In hac secunda assignat materiam pro iustis, ut salventur, nempe virtutes. Inducit porro loquentem Christum.

. Figura autem reiectione utitur, qua removet ea, quæ non sunt necessaria ad salutem, ut postea commodius dicat ea, quæ sunt necessaria.

Ac primo, tamquam in re magni momenti, Christus excitat, 1. attentionem, v. 7. *Audi;* 2. benevolentiam, *populus meus;* 3. docilitatem, *et loquar: Israel, et testificabor tibi: Deus Deus tuus ego sum.*

Secundo, reiicit sacrificia omnia, in quibus spem suam maxime ponebant Iudæi. Repudiat enim triplex sacrificium. Primo, sacrificium pacificorum, v. 8. *Non in sacrificiis tuis arguam te.* Secundo, holocaustum: *Holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.* Tertio denique, sacrificium pro peccato, v. 9. *Non accipiam de domo tua vitulos: neque de gregibus tuis hircos.*

Rationem duplicem assignat reiectionis illius. Primam, quod sit animalium et rerum omnium Dominus, et omnibus ad nutum uti possit. Dominus enim est primo animalium silvestrium, v. 10. *Quoniam meæ sunt omnes feræ sylvarum.* Secundo, animalium domesticorum: *Iumenta in montibus, et boves.* Tertio, avium in aere volantium, v. 11. *Cognovi omnia volatilia cæli.* Quarto, herbarum, frugum, aliorumque quæ in oblatione pura, quæ non erat sacrificium cruentum, offerebantur: *Et pulchritudo agri mecum est.*

Secunda ratio, cur Deus non egeat sacrificiis pecudum, et oblationibus frugum, fructuum, aliorumque, petitur a perfectissima ipsius natura, qua sibi uni sufficiens est. Hoc autem dicit figurate et eleganter.

Nam ut dicat, nunquam esurio, sic loquitur. Si esurirem, nihil a te peterem, v. 12. *Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terræ et plenitudo eius.* Sed non esurio, v. 13. *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?*

Tertio denique, dicit virtutes esse materiam in die iudicii necessariam, ut alicui gloria æterna assignetur, v. 14. *Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.* Inde enim fiet, ut in die iudicii liberetur, v. 15. *Et invoca me in die tribulationis: eruam te, et honorificabis me.*

ARTICULUS I.

Sacrificia pecudum non curat Deus.

50. Vers. 7. **Antequam** rem aggrediatur, attentionem, benevolentiam, et docilitatem Christus excitat, v. 7. **Audi populus meus, et loquar: Israel, et testificabor tibi** (Pro *tibi*, Hebr. est בך *becha*, id est, in te: unde S. Hieronym. et Felix vertunt, testificabor in te. Pagn. Testificari faciam contra te. Arabs, testabor de te. Muisius et Campens. contestabor te. Petav. testem sermonem emittens. Campens. præterea, te ipsum testem adhibebo): **Deus Deus tuus ego sum.** Notari hic sex possunt. Primo, in hac invitatione ad audiendum, *audi*, notari potest Dei amor erga nos, benignitas et mansuetudo; 2. nostra tarditas, et oscitantia, qui negligamus ea quæ salutis nostræ sunt. Utrumque attingit S. Chrysost. Ορα παλιν, ait, επιεικειαν και πραοτητα: *Vide rursus benignitatem et mansuetu-*A *dinem ex ipso proœmio. Perinde enim ac si homo quispiam homini tumultuanti et turbas excitanti diceret: Si audias, loquar: si attendas, dicam, ita etiam servis Dominus: Si me audieris, ait, dicam. Erant enim pigri et negligentes, ac ne tantillum quidem legum lectioni quietam præbebant audientiam.* Cum Deus sciat se esse fontem lucis et omnium bonorum, cupit ad se homines converti, et reluctantes quodammodo cogit. Hinc dicit Isaiæ 48. 18. *Surdi audite, et cæci intuemini ad videndum.* Soli dolor est maximus, cum orbis universus radiis eius oculos occludit. Fonti, cum ubertim ac liberaliter profusos latices ignara turba, licet sitiens, perire patitur. Medico, cum oblata pharmaca parieti vel pavimento illidit ægrotus phreneticus. Parenti, cum effusam in liberos pietatem sine fructu esse advertit. Deo autem longe maior, cum voce, precibus, minis, donis variis sollicitatos homines ab inanibus voluptatum aucupiis et illecebris avelli non posse conspicit. Quare inclamat: *Audi populus meus*, q. d. Ego sum rex, Dominus, tutor et protector tuus, verba mea, verba B sunt vitæ et salutis, illa auribus excipe et sanabunt ac vivificabunt te.

Secundo nota, modum audiendi in vocem *Israel*, quæ exponi potest, vir videns Deum. Item in voce *populus*. De utroque audiamus S. August. *Audi populus meus, et loquar tibi. Ille qui venit, et non silebat, videte quia et modo si auditis non silet. Audi populus meus, et loquar tibi. Nam si non audis, etsi loquar, non tibi. Quando ergo tibi loquar? Si audis. Quando audis? Si populus meus es. Audi enim populus meus: non audis, si populus alienus. Audi populus meus, et loquar tibi. Israel, et testificabor tibi. Israel audi, populus meus audi. Israel nomen electionis est. Non vocaberis, ait, Iacob, sed vocaberis Israel. Ergo audi sicut Israel, sicut videns Deum, etsi nondum specie, sed iam fide. Hoc enim interpretatur Israel, videns Deum. Qui habet aures audiendi, audiat: et qui habet oculos videndi, videat:* ita Augustin. *Oves meæ vocem meam audiunt*, ut ipse Christus ait Ioan. 10. 16. 51.

Tertio nota, *testificatione* indicari 1. ardorem loquentis; 2. desiderium, ut recte audiatur; 3. comminationem C quamdam, nisi ut decet audiatur, et ea quæ dicturus est opere compleantur. 52.

Quarto nota, causam cur audire debeamus. *Deus Deus tuus ego sum*, Psalt. Roman. et Cassiodorus habent particulam causalem, *quoniam*. Itaque illud, *Deus tuus sum*, est id quod audiendum est, et simul est ratio audiendi. Quæ enim creatura Deum suum non audiat, a quo ex nihilo facta est? Ps. 45. 11. dicitur *vacate, et videte, quoniam ego sum Deus.* Ibi visum, hic auditum postulat. Omnes animi corporisque vires Deo debentur. Illi dicendum est cum Samuele, 1. Reg. 3. 9. *Loquere Domine, quia audit servus tuus.* Quod considerans S. Bern. sub finem serm. de septem spirit. ait: Felix et beata anima, quæ venas divini susurri percipit in silentio, frequenter iterans illud Samuelis: *Loquere Domine, quia audit servus tuus:* ita Bernardus. In Psal. nostr. S. Chrysostomus ait vocari Deum ut omnes sciant se esse servos et ad nutum in omnibus obedire debere. Verba eius sunt: *Futuræ narrationis optimum hinc sumit exordium, ostendens eos illi* D *debere libertatem, et æquum esse ut illi solvant debitum,* ως δεσποτη δουλοι, ως δημιουργω εργα, ως τα μεγιστα ευεργετηθεντες, και τοσαυτην τιμηθεντες τιμην: *Tamquam servi Domino, tamquam opera opifici, tamquam maximis beneficiis et honoribus affecti.* Origenes homil. 1. in Cantic. *Beatæ sunt, ait, illæ animæ, quæ dorsum suum curvaverunt, ut suscipiant sessorem Verbum Dei super se: et fræna eius patiuntur, ut quocumque ipse voluerit flectat, et regat habenis præceptorum suorum: quia iam non propria volun-*

Deum audire debemus, quia noster est.

tate incedunt, sed ad omnia ducuntur et reducuntur voluntate sessoris.

Quinto nota, repetitio illa, *Deus Deus*, designat plures in Trinitate personas. Hugo Cardin. notatur, inquit, hic Trinitas per hoc quod bis dicit: *Deus Deus:* et tertio, *ego sum*, quod est nomen proprium Deitatis. Exod. 3. *Ego sum qui sum.* Hoc est nomen meum. De hoc testimonio 1. Ioan. 4. 14. *Nos vidimus*, ecce Israel, *et testificamur, quoniam Pater misit Filium suum Salvatorem mundi*, non tantum iudicem: ita ille. Sed hæc sunt subtiliora et parum solida. Secundo et melius, S. Chrysost. Non temere, inquit, posita est hæc conduplicatio: sed quoniam iis loquebatur, qui erant surdi, et orbi, et nullo sensu præditi.

53. Deus est specialiter Deus proborum.

Sexto denique nota, *Deus tuus*. Parum est nobis, si Deus sit Deus, nisi sit Deus noster. Eleganter et pie S. August. in Psal. nostr. *Quid*, ait, *loquetur Dominus Deus noster populo suo, Israel suo? Quid testificabitur tibi? Audiamus. Deus Deus tuus ego sum. Deus ego sum. Deus Deus tuus sum. Quomodo Deus ego sum? sicut Mosi dictum est* B *Exod. 3. 14. Ego sum qui sum. Quomodo Deus tuus sum. Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob: sum Deus, et tuus sum Deus, et si tuus non sum Deus, sum Deus. Bono meo Deus sum, malo tuo non sum Deus tuus. Etenim Deus tuus ei proprie dicitur quem familiarius habet Deus tamquam in mancipio suo, tamquam in peculio suo. Deus Deus tuus sum ego, quid vis amplius? pretium quæris a Deo: ut aliquit tibi det Deus, ut quod tibi dederit, tuum sit? Ecce ipse Deus qui dabit, tuus est. Quid eo ditius? Dona quærebas, ipsum donatorem habes. Deus Deus tuus ego sum:* ita Augustinus. Itaque dicamus illi ex Ps. 3. 8. *Salvum me fac Deus meus.* Ps. 5. 5. *Rex meus, et Deus meus.* Ps. 72. *Domine Deus meus in te speravi salvum me fac.* Ps. 15. 2. *Dixi Domino, Deus meus es tu.* Ps. 17. 3. *Deus meus, adiutor meus.* Unum ex alio sequitur. Potest ille dicere, Deus meus, qui Deum in se habet, eumque possidet, atque illius divitias et gratias: hoc omnibus iustis accidit, in quorum anima, tamquam in sacro ærario, Deus est, gemmæ instar pretiosissimæ, C quam qui invenit homo, præ gaudio illius vadit, et vendit omnia quæ habet, ut hanc margaritam thesauris omnibus Crœsi præferendam sibi comparet. Hoc eo perfectius dici potest, quod non solum gratia datur in iustificatione, sed etiam ipse Spiritus sanctus, et consequenter tota Trinitas specialius in ea anima sancta sedem sibi collocans, ut alias dixi. Sicut porro Deus dicere est dignatus, Deus Deus tuus ego sum: sic etiam nos dicamus: *Servus tuus sum ego, et filius ancillæ tuæ*, Ps. 115. 16. vide illum locum.

Materiam iudicii assignaturus Propheta, et quid maxime a populo suo præstari velit ut salutem consequatur, removet sacrificia, in quibus Iudæi maxime confidebant.

54. Vers. 8.

Primo, sacrificium pacificorum, quod pro pace, id est, felicitate, sanctitate, omnique alio bono obtinendo offerebatur, reiicit vers. 8. Non in sacrificiis tuis (S. Hieron. non propter victimas tuas) arguam te. Ratio est, quia illa non curo. Hoc declaratur etiam Ps. 50. 18. D Ierem. 7. 22. Isaiæ 1. 11. et variis locis; 2. quia Iudæi erant studiosissimi offerendorum sacrificiorum. Iosephus de bello Iud. dicit, Titum hoc maxime esse admiratum, quod Iudæi sacrificia sua non omiserint eo etiam tempore, quo telis hostium in ipso altari holocaustorum patebant, et sæpe interficiebantur.

Secundo, Christus etiam reiicit holocaustum, quod erat excellentissimum genus sacrificiorum: in eo enim totum comburebatur in honorem Dei, vers. eod. 8. Holocausta autem in conspectu meo sunt semper, q. d. Mihi fastidium et nauseam pariunt. Isaiæ 1. 11. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum. Holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum, et agnorum, et hircorum nolui: lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.*

Nota, sive holocausta, sive alia sacrificia in usu fre- A quentissimo Iudæis fuisse planum est. Nam singulis diebus mane et vesperi agnum anniculum offerebaut, Exod. 29. 38. multa festa et neomeniæ intercurrebant, in quibus numerus augebatur. Etenim, ut tradit Iosephus l. 3. Antiquit. Iudaicar. In novilunio præter quotidianas victimas duos boves cum agnis anniculis septem, et arietem: hædum vero pro peccato immolabant. Septimo mense taurum, et arietem, et septem agnos mactant, et hædum pro peccatis: decima deinde luna eiusdem mensis ieiunant usque ad vesperam: sacrificantque eadem die taurum, et arietes duos, et agnos septem, et pro peccato hædum: adducunt duos, præter hunc hædos etc. ita Iosephus. Mitto Davidis magnificentiam, cum in Salomonis filii sui inauguratione vitulos mille, mille arietes, multaquo ovium millia obtulit, ut tradit Iosephus lib. 7. antiqu. cap. 15. Salomonis ipsius regiam liberalitatem, cum in templi consecratione boum viginti millia, et ovium centum viginti millia Deo immolavit, 3. Reg. 8. Iosiæ deulque regis Iuda, qui in Paschatis celebratione triginta pecudum millia, et boum tria millia populo largitus est, 2. Paralip. 35.

Iudæi erant studiosissimi suorum sacrificiorum.

Nota secundo, Lyranus, Valentia, Aiguanus, et alii putant in hoc hemistichio supplendam esse particulam *non*. Pagninus vertit: *Nec super holocausta tua, quod non fuerint coram me semper.* Sed hoc non est necessarium. Bellarmin. vult τὸ *autem* sumi pro *enim:* nam in Hebræo est particula *et*, quæ frequentissime ponitur pro *enim*. Sensus igitur est, q. d. Non arguam te de defectu sacrificiorum, quoniam holocausta tua semper inveniuntur in altari meo: ita ille. Sic non distinguit sacrificia ab holocaustis. Sed rectius dividenda hæc sunt, ut tres species sacrificii cruenti hic expressæ et a Deo reiectæ videantur.

Tertio enim, sacrificium pro peccato reiicit Christus, vers. 9. Non accipiam de domo tua vitulos (Chald. Syr. Arab. tauros. Hebr. פר *par*, id est, iuvencum, ut vertit Arias) neque de gregibus tuis (Pagn. de septis tuis. Felix, de caulis tuis) hircos. Vitulos offerri pro peccato patet Primo, Exod. 29. ubi Deus imperat Mosi, ut Aaronem et filios eius sacerdotes consecret, eos lavando, induendo vestibus sacerdotalibus, offerendo vitulum pro peccato, et duos arietes, unum in holocaustum, alterum in hostiam pacificam cum panibus azymis, et per septem dies quotidie ungendo, tam ipsos, quam altare. Secundo, singulis annis in festo כפורים *chipurim*, id est, expiationis, decima die mensis septimi, qui vocabatur Tisri, Pontifex immolabat unum vitulum pro peccato suo. Hoc refertur Levit. 16. 55. Vers. 9.

Hircos quoque pro peccato oblatos et immolatos fuisse sæpe dicitur. Inter cætera habes in eodem cap. Levit. 16. quod annis singulis in festo expiationis quidam e senioribus populi, nomine totius populi offerebant duos hircos pro peccato, et unum arietem in holocaustum. Pontifex mittebat sortem super hircos uter offerretur, et uter esset emissarius: sorte ducta unum immolabat, alterum capiti eius imprecans omnia peccata Israelitarum, emittebat in desertum, ut a feris devoraretur. Ordinaria hostia pro peccato erat hircus, quod fœtore suo et petulantia recte repræsentat. Agathias lib. 2. belli Gothici, tradit, Athenienses pugnaturos adversus Persas in Marathoniis campis vovisse totidem se hircos Dianæ immolaturos, quot peremissent hostes. Quod nequiverunt præstare adiectis etiam capris. Deus noster, rerum omnium Dominus, cor unum hominis ambit, et præ cæteris appetit: hæc illi optatissima est victima. Ægyptii solo thure ac precibus Deos placari volebant: hostias vero pecudum pro piaculo ducebant. Lex vetus nulla sacrificia præcipiebat fieri pro peccatis cordis, ut docet S. Thomas in 3. dist. 40. art. 2. Lex nova cor primum spectat.

Hirci pro peccato offerebantur.

56. In lege nova cur abrogata sacrificia pecudum?

Nota, hoc in psalmi loco Christus loquens declarat in lege nova esse abroganda sacrificia pecudum. Abunde enim nobis sufficit unicum Christi sacrificium in Cruce. Ut enim habet S. Thom. 3. p. q. 22. artic. 2. Homo indiget sacrificio propter tria: scilicet propter remissionem pec-

*

cati, conservationem gratiæ, et adoptionem gloriæ; quæ omnia dantur nobis, per humanitatem Christi. Non sunt autem retenta in lege gratiæ vetera sacrificia. Primo, quia carnalia et rudia erant, ait Cornelius in cap. 10. ad Hebræos, pro rudi et carnali populo Iudaico, non convenientia spirituali populo Christianorum. Secundo, quia umbræ erant et figuræ Crucis, ergo Cruce exhibita cessare debebant et evanescere. Tertio denique, quia decebat, ut Christus novus Pontifex, novum induceret sacrificium, idem scilicet quoad victimam cum sacrificio Crucis: ut nimirum in Missa, corporis Christi pro nobis in Cruce oblati, ac consequenter expiationis illius redemptionis et gratiæ reipsa participes efficeremur. Vide dicta Ps. 39. 7.

Rationes deinde affert Christus, cur illa sacrificia pecudum non curet. Primo, quia est rerum omnium Dominus. Secundo, quia illa non potest comedere; est enim purissimus spiritus.

57. Vers. 10. Primo itaque ostendit, quomodo sit rerum omnium Dominus, v. 10. QUONIAM MEÆ SUNT OMNES FERÆ SILVARUM (S. August. bestiæ silvæ. Syr. deserti. S. Hier. omnia animalia silvarum) IUMENTA IN MONTIBUS ET BOVES. Pro *boves*, Hebr. est אלף *eleph*, quod duo significant. Primo mille: unde Pagnin. vertit, animalia in montibus mille. Felix, quadrupedes in montibus mille. Chald. præparavi iustis in horto deliciarum animalia munda, et bovem accubantem et pascentem in montibus mille. Ubi advertis R. Ioseph, cæcum, qui scripsit Chaldaicam paraphrasim in psalmos, admittere fabellam receptam a Rabbinis, et indicatam lib. 4. Esdræ, sed apocrypho, v. 51. nempe bestiam quandam nomine Henoch, seu Behemoth, tantæ esse molis, ut montes mille quotidie depascatur: montes autem illos etiam quotidie germen denuo ferre ad pastum eiusdem, ut sit maxime pinguis et ad dapes aptissima, quæ reservantur in extremum tempus. Rabbini autem dicunt Deum ad hanc bestiam respicere, cum suam dicit esse. Sed hæc ad deliria sunt amandanda, nisi velis esse symbolica. Vel, *τὸ mille* referri potest ad animalia. Unde translator quidam apud Campensem, quem aliquando cito Campensis nomine, reddit, millia iumentorum in montibus. Secundo, *eleph* significat bovem, Ps. 8. v. 8. Prov. 14. 4. Isai. 30. 24. Hinc Noster, Sept. Syr. et Arabs vertunt, *et boves*. Et hoc est melius et aptius.

Rabbinica commenta.

58. Vers. 11. Non quadrupedes tantum, sed etiam aves ad Deum pertinent, v. 11. COGNOVI (est metalepsis: id est, ita perfecte sum Dominus, ut etiam cognoscam) OMNIA VOLATILIA CÆLI, hoc est aeris. Non enim sum tantum Dominus terræ et terrenorum animalium, sed etiam aeris, et per illum volantium avium. Nimis arcte Chald. *Notæ sunt in conspectu meo cunctæ species avium, quæ volant in aere cælorum*, hoc est in aere, qui etiam cælum vocatur. Deus et species novit et individua singula, ac de singulis etiam minutissimis et vilissimis curam et providentiam habet. Christus ait Matth. 6. 26. *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?* Et cap. 10. 29. *Nonne duo passeres asse* (tribus circiter denariis gallicis) *veneunt, et unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro*, hoc est sine eius voluntate, providentia, et decreto.

Quot avium et terrestrium animalium species.

Nota, species avium sunt circiter 150. ut Gesnerus et Aldrovandus referunt: animalium terrestrium species etiam sunt 150. ut ait Arias Montanus lib. de arca: serpentium et reptilium species 25. numerat Pererius in Genesim. Sed individua eorum omnium sunt innumera: illa etiam omnia Deus cognoscit: id est in numerato et potestate habet, ut illis quocumque tempore, loco, modo, occasione, pro quibuscumque personis uti possit. Miramur Gordianum Imper. qui cum adhuc esset privatus, habuit vivarium in quo cervos nutriit ducentos, Britannos equos feros triginta, oves feras albas mille, decem capreas, quas inaurari fecerat, Struthiones Mauros miniatos trecentos, onagros triginta, apros centum quinquaginta, ibices ducentas, damas ducentas. Quæ omnia die muneris ædilitatis suæ, cum sextum ederet, populo diripienda concessit, ut refert Sabellicus lib. 6. Ennead. 7. Sed hæc, si cum feris totius orbis conferantur, pro nihilo ducenda sunt. Secundo, miramur regem Moabitarum Mesam, qui solvebat regi Israel centum millia agnorum, et centum millia arietum, cum velleribus suis, ut habetur 4. Regum 3. 4. Plerique putant hoc fuisse tributum annuum, quod rex Mesa pendebat regi Achab, ideo post eius mortem rebellavit contra Ioram eius filium. Habebat Salomon quadraginta millia præsepia equorum currilium, et duodecim millia equestrium, 3. Reg. 4. 26. Id est, in universum 52. millia equorum præsepia, id est, septa quæ in tabulis cuique equo dantur, trabe interiecta, ut unus ab altero separetur. Sed quid hæc, si cum equis totius orbis conferantur? cum teste Strabone lib. 11. pratum quoddam amplissimum sit sub Caspiis portis, nomine Hippoboton, in quo regium armentum quinquaginta millium equorum pascebat. Tertio, de avibus referre possis, quod legi apud quemdam qui viderat in Canadensi tractu esse quamdam insulam, quæ vocatur avium Insula, propter earum multitudinem, quæ tanta est, ut dicat plures in ea reperiri quam pratorum herbas, licet opima ibi sint pascua: totam enim terræ superficiem iis tegi, multasque præterea esse, quæ aliæ super alias in aere volitent. Has aliasque omnes possidet Deus. Itaque venatores, agricolæ, aucupes a Deo illa animalia precibus et bonis operibus impetrent et conservent.

Gordiani mira magnificentia. *Tributum mirabile agnorum et arietum.* *Pratum Hippoboton.* *Insula avium.*

59. Nota secundo, hic non fit piscium mentio, quia non adhibebantur a Iudæis in sacrificium. Primo, quia vix potuissent viventes adduci in templum, nec sunt in tam frequenti usu. Secundo, quia sunt immundiores. Tertio, quia sunt symbolum ignaviæ et luxuriæ, ob abundantiam humoris et seminis. De avibus vero immolari sibi ordinario iusserat Deus columbam ac turturem, in emundatione leprosi etiam passerem. De animalibus quadrupedibus ovem, bovem et capram, utriusque sexus, 1. quia hæc erant facile ad manum; 2. quia mansueta et magis munda; 3. quia maxime ex illis percipimus cibum et vestitum: par igitur erat ratio, ut per gratitudinem ea Deo redderentur.

Cur non fit mentio piscium? Cur pisces non adhibiti ad sacrificia.

60. Vers. 11. 2. Pars. Denique, ut excludat etiam oblationes puras, et sacrificia non cruenta Iudæorum, addit Christus v. 11. ET PULCHRITUDO AGRI MECUM EST. Primo, *mecum*, hoc est, in me, seu essentia mea est eminenter. Nam essentia Dei continet perfectiones omnes omnium creaturarum. Secundo, *mecum est*, id est, in meo intellectu per cognitionem, sicut idea et imago in mente artificis. Tertio, *mecum est*, per præsentiam. Deus enim sua immensitate præsens est omnibus et singulis pratorum et camporum, herbis et floribus. Quarto denique, et optime, *mecum est*, id est, in mea est potestate: illis utor ad libitum. Pulchritudinem agri sive in segetibus, sive in floribus, sive in fructibus habeo, tamquam eius Dominus: itaque non curo, ut in oblationibus, et in mincha, hoc est, in sacrificio incruento illa mihi offeras et dones. Vide dicta de mincha Ps. 39. 7.

Quatuor modis pulchritudo agri est cum Deo.

61. Nota, pro *pulchritudo*, Hebr. est זיז *ziz*, quæ vox significat primo splendorem, ut R. David vertit Isa. 66. et in Ps. nostr. Sept. reddunt, ὡραιότης, id est, pulchritudo, decor, tempestivitas, tempestivus decor, id est, decor qui est in agris cum tempus est pulcherrimum, vel cum maturi sunt fructus. Secundo, *ziz* significat universitatem. S. Hier. *Universitas agri mecum est*. Et in cap. 66. Isaiæ reddit, omnimoda. Tertio, *ziz*, est fera. Hinc Pagn. *Fera agri mecum est*. Felix. *Feræ campi mecum sunt*. Flamin. bestiæ campestres mecum sunt. Camp. Quidquid animantium usquam in illis campis vivit, in mea est potestate. Et quidem Mercerus in thesauro advertit, ab aliquibus *ziz* sumi in universum pro animantibus, quæ gramina, pascua, fructus arborum, aut alia edulia carpunt et diripiunt. Sic etiam Sept. explicari possent, quia pulchritudo agri est, cum multis pecudibus et avibus plenus est. Quarto, translator apud Campens. *ziz* avem significare putat. Vertit enim: *Et aviculæ agri me non latent*. R. Iudas nomine R. Simeon dicit in Vaikra Rabba, quod *ziz*

Τὸ ziz quatuor significationes.

est avis magna, quæ ubi suas expanderit alas, solem offuscat, et est accipiter. In his omnibus securissimum est et maxime rationabile adhærere Septuag. interpretibus peritissimis sui idiomatis, et a Spiritu sancto specialiter adiutis. Chald. vertit: *Gallus silvestris cantat coram me.* Quod dilatans Nebiensis reddit, Gallus silvester, cuius pedes quiescunt in terra, et cuius caput attingit cælum, cantat coram me. Tu pedibus terram calca, et capite, id est, mente, conversatio tua sit in cælis, tunc recte cantabis coram Deo. Rabbinicum est illud dictum Nebiensis, nisi sit symbolicum.

62. Symbol. Quid vituli, hirci, etc. Quæres, quid sibi velint hæc omnia symbolice? Primo, S. Hieron. *Non accipiam*, ait, *de domo tua vitulos: id est, incontinentes et superbos.* 2. *Neque de gregibus tuis hircos, qui fœtidi sunt in peccato.* 3. *Meæ sunt omnes feræ silvarum, iumenta in montibus et boves. Irrationales et diversis motibus vacantes homines, quos oportet vocatione Filii Dei salvos fieri.* 4. *Cognovi omnia volatilia cæli: sive hæreticos, sive divites huius mundi: qui per mundanam superbiam et irrationalem scientiam extolluntur. Et species agri mecum est, virtus sanctæ Ecclesiæ*: ita Hieronymus. Secundo, Hugo Cardin. de religiosis hæc interpretatur. Non accipiam, ait, de domo tua vitulos, qui nullo iugo premuntur, id est, inobedientes; neque de gregibus tuis hircos, id est, de tuis congregationibus et conventibus hypocritas. Contra hæc duo vitia dicit Apostolus Coloss. 3. 22. *Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes,* hoc est, contra hypocritas: sed in simplicitate cordis timentes Dominum, hoc est, contra inobedientiam. 2. Per feras sylvarum, significantur Eremitæ, secundum quod de ipso Domino dicitur Marc. 1. 13. *Eratque cum bestiis, et angeli ministrabant ei.* 2. Machab. 5. 27. *Iudas Machabæus secessit in desertum locum, ibique inter feras vitam in montibus cum suis agebat, et fœni cibo vescentes demorabantur, ne participes fierent coinquinationis.* 3. Iumenta sunt Prælati qui portant subditos. Iob 9. 13. *Sub quo curvantur qui portant orbem.* Et habitant in montibus, id est, in dignitatibus. 4. Boves sunt Theologi, qui arant terram corporum suorum per pœnitentiam, et triturant sacram Scripturam. Iob 1. 14. *Boves arabant, et asinæ pascebantur, id est, rudes laici.* Hæc igitur omnia sunt Domini, secundum illud Deuteron. 10. 14. *Domini Dei tui cælum est, et cælum cæli, et terra, et omnia quæ in eis sunt.* 5. Per volatilia significantur contemplativi: quia, ut dicitur Philipp. 3. 20. *Conversatio eorum in cælis est.* Cognoscitur autem avis ex volatu contemplationis. Ps. 17. 11. *Volavit super pennas ventorum.* Ex penna. Psal. 67. 14. *Pennæ columbæ deargentatæ: pennæ corvi sunt nigræ.* Ex voce; columba gemit. Isaiæ 59. 11. *Quasi columbæ meditantes gememus.* Ex rostro; columba habet rectum, aquila curvum. Iob 39. 30. *Ubicumque fuerit cadaver, adest.* Ex pedibus, id est ex affectibus curvis. Ex cibatione; columba granum, aquila carnes comedit. Ex prædatione; accipiter, Archidiaconus. Ex cantu; alauda, religiosus. 6. Denique, per pulchritudinem agri significatur honesta vita laicorum, qui sunt agri colendi, et diligentia et sollicitudine Prælatorum et Prædicatorum. Unde Cantic. 7. 11. *Egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Egrediamur ad prædicandum, commoremur ad confessiones audiendum. Ita Hugo, qui deinde varias affert hirci et hypocritæ proprietates.

63. Hirci et hypocritæ parallela viginti et unum. 1. Hypocrita extra portat lanam caprinam, id est, signum pœnitentiæ. Exod. 26. dicitur: *Quod tabernaculum tegebatur sagis extra, sed intra erant res pretiosæ:* scilicet aurum, manna, urna, virga, thus, aromata redolentia. Sed sub sagis hypocritarum non sunt nisi stercora. 2. Cibus hircorum sunt amaræ frondes: et hypocritarum detractiones. Iob 30. 4. *Qui rodebant in solitudine, et mandebant herbas, et arborum cortices, et radix iuniperorum erat cibus eorum.* 3. Hirci acute vident, sic hypocritæ mala aliorum. Eccli. 14. 10. *Oculus malus ad mala.* 4. Sanguis hirci frangit adamantem, et lingua hypocritæ etiam virum constantem. Proverb. 15. 4. *Lingua placabilis lignum vitæ: quæ autem immoderata est, conteret spiritum.* 5. Caro hirci est dura, id est, carnalitas obstinata. Ieremiæ 30. 14. *Dura facta sunt peccata tua.* 6. Cornua habet excelsa, id est, superbiam elatam. Dan. 8. 5. *Hircus habebat cornu insigne.* 7. Fœtus hirci est bonus, et hypocritæ quandoque bona docent: quia licet ipsi vadant in infernum, docent tamen alios ire in cælum. Et est miraculum, secundum quod dicitur Numer. 26. 10. *Factum est grande miraculum, ut Core pereunte, filii eius non perirent.* 8. Ex hirco fit hostia, sic de hypocrita. Levit. 10. 16. *Hircum qui oblatus fuerat pro peccato cum quæreret Moses, reperit exustum.* 9. Hircus libenter ascendit, sic hypocritæ ad montem dignitatis. Ierem. 49. 16. *Habitas in cavernis petræ, et apprehendere niteris altitudinem collis.* 10. Hircus vites lædit, sic hypocrita famam iustorum. Ioann. 15. 5. *Ego sum vitis, vos palmites.* 11. Dentes non habet hircus in superiori mandibula; sic hypocrita non habet verba charitatis ad reprehendendum, sed verba timoris. Thren. 3. 6. *Confregit ad numerum dentes meos.* 12. Pes eius non est integer; sic affectus hypocritæ in plura divisus est. Eccli. 21. 17. *Cor fatui quasi vas confractum.* Oseæ 10. 2. *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* 13. Vocem balantem habet sicut ovis, sic hypocrita verba simplicia. Genes. 27. 22. *Vox quidem, vox Iacob est, sed manus, manus sunt Esau.* 14. Barbam habet prolixam: sic hypocrita, ad litteram, in signum sanctitatis. 2. Reg. 19. 24. *Miphiboseth venit illotis pedibus, et intonsa barba.* Miphiboseth interpretatur os confusionis, vel os ignominiæ vel os verecundum. 15. Hircus libidinosus est, sic hypocrita. Zachar. 10. 3. *Super hircos visitabo.* 16. Cauda eius est brevis, sic finis hypocritæ velox. Iob 20. *Gaudium hypocritæ adinstar puncti.* 17. Corium est aptum sotularibus et utribus. Corium hypocritæ est conversatio exterior, quæ utilis est aliis, ac munit pedes, id est, affectus eorum: et si esset interius munditia cordis, possent recipere vinum gratiæ. Matth. 9. 17. *Non mittunt vinum novum in utres veteres.* 18. Hircus lacte caret, sic hypocrita dulcedine consolationis, etsi increpationis habeat. Quod prophetatum est Oseæ 9. 14. ubi dicitur: *Da eis Domine ubera arentia:* supple sine lacte consolationis. 19. Hircus fœtet, sic hypocrita, secundum illud Matth. 23. 27. *Væ vobis hypocritæ qui estis sicut sepulcra dealbata, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus autem plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia: Sic et vos a foris quidem paretis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate.* 20. Hircus emittebatur in desertum deferens scripta peccata populi. Levit. 16. 21. Sic fit de hypocrita. Lenit enim et attenuat peccata hominum, et assumit super se, et sic mittitur in desertum inferni. 21. Hircus ruminat, sic hypocrita multos psalmos ruminat in ore. Matth. 6. 7. *Putant in multiloquio se exaudiri.* Sed in multiloquio eorum peccatum non deerit. Proverb. 10. Huc usque ille. Petulantiam et in alios insultationem magis spectarunt Aquila et Symm. qui vertunt κερατίνους, id est, cornutos. Tertio denique, in universum Deus non curat mortificationes exteriores, nisi cum interiori iungantur.

Secunda ratio, cur sacrificio pecudum et rerum aliarum non curet Deus, petitur ab eius natura spirituali et sibi ipsi sufficiente: unde non esurit, et si esuriret non posset satiari cibo terrestri. Unde additur v. 12. SI ESURIERO NON DICAM TIBI: MEUS EST ENIM ORBIS TERRÆ, ET PLENITUDO EIUS. Vers. 12. Epictetus Enchiridii cap. 8. monet nos, ne in quavis iactura asseramus nos aliquid perdidisse, sed reddidisse: nimirum Deo, qui solus est αὐτάρκης, id est, sibi sufficiens, vocatur ab Hebr. שַׁדַּי *sciadai*, hoc est, qui sibi sufficiens est. Vel, mammeus. Vel, mamma mea: seu potius, mammæ meæ: ad omnia enim nobis sufficit, imo abundat, et quidem cum suavitate. Mammea facit sanctis suis omnia. S. Ægidium Eremitam regio sanguine oriundum nutrit cervæ sponte ad eum quotidie accedentis lacte, mediis in silvis. S. Basilii parentes in deserto alit cervis turmatim sese offerentibus, ut cibo possent esse (Nutriti miraculose a bestiis.)

ipsis. Volatilia etiam cæli in eum usum adhibet, atque Eliam, S. Paulum, S. Erasmum Episcopum per corvos, S. Mennam Eremitam per apes, S. Blasium per alias volucres, sustentat: ut omittam coturnicibus nutritos Israelitas in deserto. Si per volatilia cæli angelos et sanctos in psalmo nostro intelligis, in memoriam revoca S. Onuphrio Eremitæ cibum ab ipsis angelis diu allatum fuisse, et translatum e Iudæa in Babylonis lacum prophetam Habacuc, ut aleret Danielem.

64. Vers. 13. Velut indignabundus addit Christus, divinam naturam suam spectans, vers. 13. NUMQUID MANDUCABO CARNES TAURORUM, AUT SANGUINEM HIRCORUM POTABO? Alludit ad falsos deos, quos credebant Pagani nidoribus sacrificiorum delectari et pasci, ut patet ex Homero, et aliis poetis. Sed hoc est contra fidem. De fide enim est angelos esse immateriales, et consequenter nec comedere, nec bibere. Unde Raphael archangelus Tob. 12. 19. dicebat: *Videbar vobiscum manducare et bibere: sed ego cibo invisibili et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor*: nempe visione et fruitione Dei: non manducabat autem Raphael, quia manducatio est actio vitalis, et non potest fieri nisi a corpore habente vitam. Est enim vitalis cibi traiectio ab ore in stomachum. Quis Deos non rideat ad convivium properantes, προς ἀμύμονας αἰθιοπῆας, ad Æthiopes inculpatos? Quis Ganymedem pincernam, Bacchum ebrium, voracem Cererem non despiciat?

De Tauri et hirci sanguine. Quæres, cur potius sanguis hircorum attribuitur potui, quam sanguis taurorum? Ratio est, quia est minus ineptus ad potum. Ut enim ait Plin. lib. 28. cap. 9. *Taurinus sanguis recens inter venena est, excepta Ægira. Ibi enim sacerdos Terræ vaticinatura, tauri sanguinem bibit priusquam in specum descendat.* Midas et Themistocles eius potu sibi mortem conscivera. Plin. lib. 11. cap. 38. *Taurorum sanguis celerrime coit atque durescit, ideo pestifer potu maxime.* Hircorum vero sanguis non spissatur, sed etiam esse noxium patet ex Drusi malitia, quam idem auctor refert lib. 28. cap. 9. iam citato: *Drusus*, inquit, *Tribunus plebis traditur caprinum sanguinem bibisse, cum pallore et invidia veneni sibi dati insimulare Q. Cepionem inimicum vellet.* Iovem summ a capra enutritum fingebant ethnici, unde etiam Ægiochum nuncuparunt: hircinis certe moribus fuit, ut ipsi eius laudatores asseverant.

ARTICULUS II.

Sacrificium laudis amat Deus, et fidelem votorum adimpletionem.

CHRISTUS ostendit huc usque non esse spem collocandam in sacrificiis externis, sive pecudum, sive aliarum rerum. Nunc docet quali sacrificio delectetur Deus, et moveri possit ad nos adiuvandos et liberandos in die

Vers. 14. 1. Pars. iudicii, v. 14. IMMOLA (Tertullian. contra Iudæos sacrifica. cap. 5.) DEO SACRIFICIUM LAUDIS, ET REDDE ALTISSIMO VOTA TUA. Et v. 15. ET INVOCA ME IN DIE TRIBULATIONIS: ERUAM TE, ET HONORIFICABIS ME.

65. Sacrificium laudis est Eucharistia. Quæres, quodnam sacrificium laudis hic intelligitur? Primo, Hesychius, Lyr. Dionys Carth. Aiguanus, Genebrard. Bredenbach. Agell. Valentia, Horautius lib. 3. locorum catholicor. cap. 14. S. Aug. lib. 1. contra advers. legis et prophetar. cap. 20. et lib. 20. contra Faustum cap. 21. de sacrificio Eucharistiæ explicant: et quidem vox ipsa Ευχαριστια sonat gratiarum actionem. Hoc etiam declarat nomen Missa, ut censet Baron. tom. 1. Annal. Eccles. anno Christi 34. Cum, ait, multa sint huius sacrificii nomina, illud est antiquissimum, et apud Latinos usitatius atque frequentius, Missa: quod quidem ex Hebraica vel Chaldaica nomenclatura acceptum esse videtur. Quod enim in nostra vulgata legitur, spontanea oblatio, Hebraice et Chaldaice dicitur, Missah, quam offerebant Domino in gratiarum actionem de fructibus terræ, qua et vescebantur in templo cum recordatione præteritæ servitutis, et ab eadem liberationis. Quæ quidem omnia cum

A optime conveniant prædicto a Christo instituto sacrificio, eo potius maiores nostri usi sunt nomine, quam cuiuspiam alterius sacrificii. Nam et ea potissimum ratione ab illis id factum esse videtur, quod spontanea recolatur prima illa sui ipsius a Domino nostro Iesu Christo facta oblatio, de qua Isaias cap. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Et Dominus de seipso Ioan. 10. *Potestatem habeo ponendi animam meam, ac iterum sumendi eam.* Et quod scriptum est in Ps. 39. *Holocaustum pro peccato non postulasti. Tunc dixi: ecce venio.* Sane quidem creditur eiusmodi nomen ab ipsis Apostolis Petro et Paulo, ex Hebraicis fontibus, traditum esse Romanis, quod et Iacobus Hierosolymorum Episcop. idemque Apostolus et frater Domini tradidit suis: nam eadem usus est voce in sua, quam posteris reliquit, Missa. Ea voce usa videtur suo ipsius exordio Romana Ecclesia: nam Pius Papa proximus Apostolorum temporibus scribens ad Iustum Episcop. Viennensem, idem sacrificium Missam vocans, sic dicit: Soror B nostra Euprepia, sicut bene recordaris, titulum domus suæ pauperibus assignavit, ubi nunc cum pauperibus nostris commorantes, Missas agimus: hæc ille. Item Cornelius Papa epistola ad Lupicinum Viennensem Episcopum, his utitur verbis. Publice, neque in cryptis notioribus Missas agere Christianis licet. Eodem usi sunt nomine cæteri Romani Pontifices, quos longum esset singulatim recensere. In Concilio Romano sub Sylvestro, in Concilio Carthag. 2. Can. 3. in Concilio Agathensi, cap. 47. et aliis, patres qui interfuerunt, eodem quoque Missæ nomine ipsam incruentum sacrificium nominarunt: sicut et Ambros. ad Marc. epist. 33. August. serm. 25. de tempore, Victor. Uticensis de persecut. Vandal. lib. 2. ac denique cæteri, et post ipsos Recentiores omnes. Missa potest deduci a verbo *nasa*, offerre, levare, quod est de quiescentibus Pe nun. (De Missæ nomine.)

Eucharistia porro dicitur *sacrificium laudis*, id est, laudabile, laude dignum, pretiosum, excellentissimum. Valentia, Sacrificium Eucharistiæ, inquit, est Deo gratum, C et de se acceptabile, et laudabile, et bonum de opere operato. S. Zeno Veronensis serm. in Psal. nostr. ait sacrificium Euchar. esse sacrificium mundum, de quo agit Malachias Propheta cap. 1. 10. Sacrificium vero gentium esse detestabile, et sacrificium Iudæorum esse reprobum. S. Hieron. epist. ad Hedib. 150. qu. 2. Nec Moses, ait, dedit nobis panem verum, sed Dominus Iesus, ipse conviva et convivium, ipse comedens et qui comeditur: illius bibimus sanguinem, et sine ipso potare non possumus: et quotidie de sacrificiis eius, de genimine vitis eius veræ et vineæ Sorec, quæ interpretatur electa, rubentia musta calcamus: ita ipse. S. Aug. lib. 17. de civit. Dei cap. 20. Id sacrificium, ait, successit omnibus illis sacrificiis veteris Testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri: propter quod etiam vocem illam in Ps. 19. eiusdem mediatoris, per prophetiam loquentis agnoscimus. Sacrificium et oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi: quia pro illis omnibus sacrificiis et oblationibus corpus eius offertur, et participantibus ministratur. S. Cyrill. Ierosol. D catech. 4. Non consideres, inquit, tamquam panem nudum et vinum nudum: corpus enim est et sanguis Christi, secundum ipsius Domini verba: quamvis enim sensus tibi hoc non suggerit, tamen fides te confirmet: quin potius habeas ex fide pro certissimo, ita ut nulla subeat dubitatio. 66. (Ob tres rationes: I. Quia est sacrificium laudabile.)

Secundo, Eucharistia dicitur *Sacrificium laudis*, quia immolatur cum laudibus divinis: ita Lyranus. *Hoc est sacrificium laudis*, ait Florus Magistr. in Explic. Missæ, *quod in Canone Missæ legimus: in cuius expositione gravis auctor observationem ponit, et dicit: Qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, etc. In quibus verbis fideliter considerandum est, quod tota Ecclesia offerat Deo illud sacrificium laudis. Et quia de omni multitudine circumstantium fidelium dicitur: Qui tibi offerunt. Quod enim adimpletur proprie ministerio sacerdotum, hoc generaliter agitur fide et devotione cunctorum. Offerunt ergo sacerdotes* II. (Quia immolatur cum laudibus Dei.)

Ecclesiæ, offert per ipsos, et in ipsis tota Ecclesia Deo sacrificium laudis, quod a cultoribus suis sibi offerri ipse præcipit, dicens: Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua. Hoc sacrificium offert devotio fidelium pro se suisque omnibus, id est, ad se vel familiaritate, vel qualibet alia conditione; sub eiusdem fidei professione pertinentibus, tam viventibus videlicet quam mortuis. Et hoc qua spe fideles faciant, subiungitur, quæ non pro aliquo temporali lucro, sed solummodo pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suæ, pro spe videlicet æternæ salutis. Spe enim salvi facti sumus. Nec solum pro salute æterna, sed etiam pro temporali incolumitate, id est, corporali sanitate. Incolumitas enim dicitur sanitatis integritas: utraque enim salus, et animæ scilicet et corporis, ab illo est de quo in psalmo canitur: Domini est salus. Tibi, inquit, reddunt vota sua æterno Deo vivo et vero: iuxta quod in psalmo dicitur: Et redde Altissimo vota tua: vota scilicet fidei, et piæ devotionis, per quam nosmetipsos Deo vovemus et reddimus. Quisquis enim bene cogitat quod Deo voveat, et quæ vota persolvat, hoc exigitur, hoc debetur, ut seipsum voveat et reddat: ita Florus. Varias preces adiungi et hymnos videmus, ut pietate maiori fiat sacrificium.

III. Quia fit ob gratiarum actionem. Tertio denique, et melius, Eucharistia dicitur *Sacrificium laudis*, quia fit ob gratiarum actionem de sacrificio Crucis, et victoria de hostibus ibi obtenta, ac redemptione orbi universo data. Est sacrificium quod obtulit Melchisedech, ad gratias agendas, quod Abraham reges superasset, et Loth nepotem suum variosque captivos ex eorum manibus et gladiis eripuisset, Gen. 14. Hoc testatur S. Cyprian. ad Cæcilium epist. 63. *In sacerdote Melchisedech,* ait, *sacrificii Dominici sacramentum præfiguratum videmus, secundum quod divina Scriptura testatur, et dicit: Et Melchisedech rex Salem protulit panem et vinum. Fuit autem sacerdos Altissimi, et benedixit Abraham. Quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat Spiritus sanctus in psalmis, ex persona Patris ad Filium dicentis: Ante Luciferum genui te: tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens, et inde descendens, quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quod panem et vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Iesus Christus? qui sacrificium Deo Patri obtulit, et obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est, panem et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem.* Vide dicta Ps. 109. 4.

67. Sacrificium laudis sunt virtutes. Secundum sacrificium laudis sunt opera et virtutes: ita S. Chrysost. Remig. et Bruno Herbipol. Episcopus, atque alii. Verba S. Chrysost. sunt: *Quomodo sacrificabo? absque sanguine. Hoc enim sacrificium Deo maxime convenit. Et ideo cum dixisset, Sacrifica Deo, subiunxit, sacrificium laudis: hoc est, gratiarum actionis, sacrorum hymnorum, eius quæ fit per recte facta glorificationis. Quod autem dicit est eiusmodi: ita vivas ut Dominus tuus glorificetur. Quod etiam Christus docuit, dicens Matth.* 5. 16. *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cælis est. Laus enim nihil aliud est quam laudatio, gloria et celebratio. Sit ergo vita tua eiusmodi, ut tuus laudetur ac celebretur Dominus,* και απηρτισμενην εισηγαγες θυσιαν, *et perfectum sacrificium obtulisti.* Ad religiosos præsertim hoc arctare videtur Bruno. Ille, inquit, Deo immolat sacrificium laudis, qui a terrenis vitiis fuerit segregatus, et moritur mundo, ut hostia fiat Christo. S. Paulus Romanis et omnibus Christianis dicit Rom. 12. 1. *Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Ubi Origenes: Prima, inquit, post Apostolos hostia, est martyrum, secunda virginum, tertia continentium, quarta coniugatorum. S. Thomas dicit in uno homine esse triplicem hostiam: primam animæ, scilicet orationem: secundam corporis, scilicet mortificationem, ieiunium, abstinentiam, castitatem: tertiam denique operum, scilicet eleemosynam.

A S. August. lib. 10. de civit. cap. 6. illum Apostoli afferens locum ait: Si ergo corpus, quo inferiore tamquam famulo, vel tamquam instrumento utitur anima, cum eius bonus et rectus usus ad Deum refertur, sacrificium est: quanto magis anima ipsa, cum se refert ad Deum, ut igne amoris accensa formam concupiscentiæ sæcularis amittat, eique tamquam incommutabili formæ subdita reformetur, hinc ei placens, quod ex eius pulchritudine acceperit, est sacrificium: ita Augustinus.

Eccli. 35. 1. et seqq. *Qui conservat legem, multiplicat oblationem. Sacrificium est salutare attendere mandatis, et discedere ab omni iniquitate. Et propitiationem litare sacrificii super iniustitias, et deprecatio pro peccatis, recedere ab iniustitia. Retribuet gratiam, qui offert similaginem, et qui facit misericordiam, offert sacrificium.* S. Gregor. 9. Mor. 31. Nos ipsos, ait, sacrificium Deo offerimus, cum vitam nostram divino cultui dedicamus. S. Basil. epist. 87. docet animum virtute ornatum, esse θυσιαν πολυτελη, magnificum et pretiosum sacrificium. Clemens Alex. lib. 7. Strom. Has, inquit, ego dico virtutes esse, θυσιαν δεκτην, *sacrificium Deo gratum et acceptum*, cor a superbia et fastu alienum cum recta scientia. S. Ambr. lib. 1. epist. 3. Non est, ait, acceptum Deo sacrificium, nisi quod fuerit in divitiis sinceritatis et veritatis probatum.

B

Ps. 4. 6. ait David, *Sacrificate sacrificium iustitiæ*, ubi multa in rem præsentem reperies. Adde, ibi R. Salomon explicat, q. d. Sacrificate opera vestra, eritque velut illi qui offerunt sacrificia. R. David ait eodem loco, Sacrificate sacrificia iustitiæ, ut revertamini ad opera iustitiæ, ne sint velut sacrificia vel victimæ impiorum. Chald. vertit, Calcate (vel, domate) concupiscentias vestras, et reputabitur vobis velut sacrificia iustitiæ. Eugubinus in eumdem locum sacrificium laudis et sacrificium iustitiæ pro uno et eodem sumi ostendit: *Sacrificium iustitiæ,* ait, *est quasi sacrificium laudis. Hoc maxime Deo acceptum gratumque sacrificium. Et apud sapientes Platonem, Isocratem, verum sacrificium*

C *est puris castisque sensibus de Deo sentire. Quid enim aliud est sacrificare, quam sacra facere? quid autem tam sacrum, quam iustitia, æquitas?* S. Aug. in v. 8. psal. nostri: *Holocausta tua in conspectu meo sunt semper*, sic ait: Holocaustum est totum igni absumptum: est quidam ignis flagrantissimæ charitatis. Animus inflammetur charitate, arripiat eadem charitas membra in usum suum, non ea permittat militare cupiditati, ut totus exardescat igne amoris divini, qui vult offerre Deo holocaustum: ita ipse. Ad alias etiam virtutes hoc Dion. Carth. traducit: Holocausta tua, inquit, id est, oblationes tuæ, quæ igne divini amoris totaliter inflammantur: videlicet abnegatio propriæ voluntatis, patientia in adversis, interior mortificatio spiritus, et baiulatio crucis quotidiana, oratio fervida, atque similia, in conspectu meo sunt semper: ita Dionysius. Philo autem in libro, quod deterior potiori insidiari soleat: Deus, inquit, cultu delectatur, ψυχης φιλου και μονην θυσιαν φερουσης αληθειαν, cum anima solum et unicum offert sacrificium, nempe veritatem. Chald. in versu

D nostro reddit: *Reprime concupiscentiam pravam, et reputabitur coram Domino sacrificium confessionis.*

Ps. 68. 31. et 32. *Laudabo nomen Dei cum cantico, et magnificabo eum in laude,* id est, cum laude. Philo libro de victimas offerentibus, considerans in lege duo fuisse altaria, alterum quidem e saxis collectitiis impolitis exstructum in medio atrii Levitarum, iuxta tabernaculi seu templi vestibulum, ad immolandas victimas; alterum vero aureum, quod situm erat post primum velum in penetralibus nemini conspicuum, nisi sacerdotibus functionis suæ tempore castitatem servantibus, quod factum est in adolendis odoribus, colligit, και βραχυτατον λιβανωτον, et micam thuris oblatam ab homine pio, gratiorem esse Deo, quam plurimas hostias, si offerenti probitas non adsit. *Quanto enim* λιθων αμεινων χρυσος, *aurum præstat lapidibus, et adytum vestibulo, tanto est acceptior suffitus gratiarum actionis, quam mactatæ victimæ.* Nota deinde exordium sa-

crorum initium sumpsisse a gratiarum actione: *Non est enim fas*, ait, *immolare foris, priusquam intus summo mane suffitus factus sit: quo significatur nihil aliud, nisi Deum non delectari victimarum multitudine, sed offerentis bona mente ac puritate spiritus.* Ac postea comparatione iudicum ostendit non esse credendum posse Deum corrumpi muneribus, sed a bonis semper stare: *Tu putas*, ait, *largitionibus capi Deum nullius creaturæ indigum? qui cum sit primum illud bonum perfectissimum*, η αεναος πηγη φρονησεως, και δικαιοσυνης, και πασης αρετης, *perennis fons prudentiæ, et iustitiæ et omnis virtutis, aversatur dona iniustorum hominum.* Denique sic concludit: *An dubium est, neque legem quidquam ab iniustis, neque solem a tenebris accipere?* ουδε Θεος και νομων εστι παραδειγμα αρχετυπον, και ηλιου ηλιος, νοητος αισθητου: *Atqui Deus et legum primitivum exemplar est, et ipsius solis sol, illustrans sensibilem intelligibilis, et ex invisibilibus fontibus ei splendorem visibilem impartiens:* huc usque Philo. Mille talenta thuris singulis annis adolebantur Babylone in unico Iovis templo, ut ait Herodot. lib. 1. et tamen Deo maxime erant invisi Babylonii ob sua scelera. Magnam fuisse eam thuris quantitatem patet ex Iulio Polluce lib. 9. Hoc ait utiquo dicere non intempestivum erit, quod Atticum talentum sex millia drachmarum valebat atticarum, Babylonium vero septem millia, Æginæum decem millia, Syrium mille et quingentas iuxta Atticæ drachmæ rationem.

Talenta varia. Quemadmodum sane et Atticas minas Atticum talentum habuit sexaginta, Babylonium septuaginta, Æginæum centum iuxta proportionem. Sed mina ipsa, ut apud Athenienses habuit centum drachmas Atticas, sic apud alios quoque ipsis consuetas, quæ pro ratione cuiusque talenti secundum augmentum vel decrementum valerent: ita Pollux.

Atheniensium spreta sacrificia. De ipsis Atheniensibus refert Guido, cum lectissimas victimas offerrent diis, et tamen Lacedæmoniis semper inferiores essent in prælio, ad Ammonis Iovis oraculum misisse, qui causam inquireret: idque responsi tulisse: Tacitam et minime ambitiosam Lacedæmoniorum orationem magis quam Atheniensium inanem pompam probari diis, qui magis animum dantis ac virtutem, quam ipsum munus respicerent.

Et Xerxes, ob scelera. Xerxes rex Persarum contra Græcos profectus, Pergami mille boves Minervæ Iliadi immolavit: eorumque sanguine degustato Magi herolbus parentarunt, ut refert Herodot. lib. 7. et tamen victus et turpiter fugatus est ob sua flagitia. Menander recte admonet: Si quis, inquit, victimam offerat o Pamphile taurorumve multitudinem vel hædorum, aut per Iovem aliud quid, aut ex arte aliquid factum, auratas chlamydes varias aut purpureas, vel animalia eburnea, vel smaragdina, putatque se benignum Deum placare, næ deceptus est ille, ac levem mentem gerit, φρενας κουφας εχει. Oportet enim probum virum esse, nec virginem deflorare, nec mœchari, nec furari, aut cædem facere pecuniæ gratia, nec vel unam acum capere velis, o Pamphile: namque Deus videt te prope existens: ita Menander.

68. Sacrificium laudis est ipsa laus Dei. Tertium, et maxime proprium, et de quo hic ad litteram agitur, sacrificium laudis est ipsa laus Deo oblata. Hebr. est, *immola Deo* תודה *toda*, id est laudem, ut S. Hieron. et Pagnin. vertunt. Gratiarum actionem, ut Syr. et Camp. Confessionem, sicut Felix, qui de confessione laudis est explicandus. Apollinaris sic reddit paraphrastice: Fac Deo sacrificium θυος γαρ οι αινος ετυχθη: *Sacrificium ipsi laus est.* Nihil est cur Persarum nobis campum hyppobotum, ubi pascebantur quinquaginta millia equorum, ad victimas alendas comparemus: aut cum Alexandro naves thuris plenas ex Arabia advehamus: ipsis in labiis victimas gerimus. Ad has Deo afferendas incitat Israeliticum populum Oseas Propheta, cap. 14. 3. *Tollite vobiscum verba* (velut victimas) *et convertimini ad Dominum: et dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum: et reddemus vitulos labiorum nostrorum*, id est, confessionem peccatorum, ut explicat S. Ambr. epist. 28. ad Theodosium: aut melius, reddemus gratiarum actionem. Sacrum thuribulum est lingua nostra, in quam cum

A vel mica thuris immissa fuerit, gratior cælestibus aris odor aspirabitur, quam ex mille hecatombis. In cælum usque ad Deum ascendit hoc sacrificium in odorem suavitatis. Apocal. 8. 4. *Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram Deo.* S. Cyrill. Alexandr. in cap. 2. Ionæ vocat cantus Ecclesiasticos, ευοσμοτατα θυμιαματα, fragrantissima thymiamata, et χαριστηριους και πνευματικους θυσιας, spiritualia sacrificia gratiis agendis opportuna. S. Petr. Damian. lib. 8. epist. 14. ad Rodelindam et Sufficiam: Lingua vestra, inquit, et labia a divinis laudibus nunquam sint otiosa: sed semper psalmos, semper orationes velut aromata terendo, revolvite, ut in conspectu Dei non immerito possitis odorem suavitatis offerre: ita ipse. Placet mihi commentum Empedoclis, qui cum in Olympico certamine vicisset equis, ex myrrha, thure et aromatibus variis bovem concinnavit, quod animatis ex Pythagora placito abstineret: sed hoc maxime displicet, quod bovem illum non Deo obtu-B lerit, sed populo ad panegyrim confluenti. Nos vero non labia modo oculosque, sed totum corpus, si fieri posset, thuris in lacrymas, quæ divinas ad aras defluant, convertamus.

Nota, non laudem ieiunam et frigidam a Propheta nostro peti, sed *sacrificium laudis.* Laus enim vel e primoribus labris potest oscitanti et nauseanti excidere: sacrificium vero laudis perfici non potest, quin flammis fervidæ charitatis succendatur in ara cordis. S. Paulus Hebr. 13. 15. ait: *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius.* S. Gregor. Thaumatur. festa Christianorum ait esse θυσιων δικην, id est sacrificiorum instar. Trismegistus docebat, Deum non esse adorandum thure, sed pura prece. S. Gregor. Papa in Ps. 50. *Illud*, inquit, *verum et acceptabile est sacrificium, quod aliquis puro corde laudat Deum.* Clemens Alexandrinus vere et pie: *Domino*, ait, *quodnam incensum offeram? odor suavitatis Deo est cor quod glorificat eum qui fecit ipsum:* ταυτα στεφη, και θυσιαι, C και αρωματα, και ανθη του Θεου: *Hæ sunt coronæ, et sacrificia, et aromata, et flores Dei.* 69. Laus Dei sit fervens.

Optas eximium sacrificium laudis spectare? Intuere Henricum III. Imper. qui victo Aba tyranno, a quo Petrus rex Ungariæ e throno fuerat eiectus, *ut meritas Deo gratias ageret, deposito paludamento, sumptoque cilicio, item nudis pedibus porrecto humi pectore, ac profusis coram legionibus lacrymis, ante sacrosanctum et salutare Crucis signum procidit, immortalem divinæ benignitati gloriam retulit. Immortales quoque gratias egit, quod Hungarorum manus evaserat, sævitiam eorum et vires divina ope represserat. Eadem quoque religione universus exercitus Deo laudes ac sacros hymnos concinere visus est, ut Imperatoris exemplo divinum beneficium recognosceret*, ut refert Bonfinius lib. 2. decad. 2. histor. Hungar. Alphonsus rex Aragonum ad Troiam victoria potitus, non prius arma deponere, et corporis curam habere voluit, quam litatorio sacro gratias Deo egisset, ut ait Ludovicus Dominicus lib. 1. var. historiæ. Henrici Imper. laudabilis pietas. Et Alphonsi regis.

D Quanti vero faciat Deus sacrificium illud laudis, a Propheta nostro possis discere Ps. 68. 3. *Laudabo nomen Dei* (Chald. addit, mei) *cum cantico, et magnificabo eum in laude. Et placebit Deo super vitulum novellum: cornua producentem, et ungulas.* Concludendum itaque est cum Philone lib. de plantatione Noe: Præstat, inquit, Deum colere non victimis et donariis, quibus ne totus quidem mundus sufficerit, sed, δι επαινων και υμνων, laudibus et hymnis.

Nota secundo, pro *laudem*, Hebr. est תודה *thoda*, ut dixi, id est, confessio, quod Rabbini explicant de confessione peccatorum. R. David Kimhi in radicibus dicit *thoda* non differre ab hostiis pro peccato et pro delicto, nisi quod hæ offerrentur pro singularibus peccatis vel delictis, isto fieret confessio iniquitatum omnium per oblationem incensi et fermenti, Levit. 7. 2. et 22. v. 29. in aliis enim non licebat ista offerre, Lev. 2. Itaque volunt *thoda* fuisse 70. Sacrificium thoda duplex.

sacrificium expiatorium et eucharisticum: quod apte quadraret sacræ Eucharistiæ de qua supra. Secundo tamen melius, *thoda* erat secunda species sacrificii pacificorum. Primo enim victima pacifica offerebatur pro pace, id est, salute et prosperitate, omnique beneficio obtinendo. Secundo, post eorum impetrationem, cum gratiæ Deo agebautur. Hinc *thoda* vocatur a Græcis θυσια αινεσεως, vel ευχαριστιας, sacrificium laudis vel gratiarum actionis, cum Deus laudatur ut bonorum fons et dator. Ad hoc alludit David hoc loco. In illo offerebantur etiam pecudes, sed has removet in lege gratiæ, ut dixi supra.

71. Vers. 14 2. Pars. Deo reddenda sunt vota nostra id est:

Postquam monuit David sacrificium laudis esse immolandum Deo, declarat quæ præsertim exigatur magis, vers. eodem 14. cum addit: Et redde Altissimo vota tua. Quæres, quænam vota? Primo, Eucharistiam, de qua S. August. explicat illud Psal. 21. 26. *Apud te laus mea in Ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum.* Vide a me dicta eo loco.

I. Eucharistia.

Secundo, vota fidelium communia in circumcisione, baptismo et alibi promissa: ita Genebr. Aiguanus, Arnob. Chald. qui vertit: *Redde Altissimo vota tua quæ vovisti in Sinai, ut firmares præcepta*, id est, ut ostenderes te velle firmiter et constanter adimplere præcepta tibi data, tum in duabus tabulis decalogi, tum in aliis rebus ad iudicia et cæremonias legales pertinentibus. Dionys. Carthusian. intelligit per vota, promissiones vel in baptismo, vel in susceptione Ordinis, vel alibi factas. Valentia, *Fidem*, ait, *de corde bono et conscientia pura, quam Deo in baptismo promisisti, et vovisti, et observantiam legis, quam servare promisisti cum obedientia. Nam in baptismo tuo promisisti renuntiare diabolo et pompis eius, et servare legem Evangelicam, sive legem Dei cum fide, spe et charitate.* Hæc omnes profitentur quidem, et vovent, sed plerique Thessalorum sophismate promissa non exsolvunt. S. Bernard. de modo bene vivendi ad Sororem promissionem in baptismo factam appellat votum. Sic enim cap. 62. *Communia vota sunt ea, quæ in baptismo promisimus: scilicet ut non peccaremus, et ut diabolo et operibus eius abrenuntiemus.* Sed proposita sunt potius quam vota stricte sumpta.

II. Promissa in baptismo facta.

III. Preces.

Tertio, *vota* hic sunt preces et orationes. Sicque *redde Altissimo vota tua*, est explicatio præcedentis hemistichii, *immola Deo sacrificium laudis*: ita S. Aug. Chrys. Euthym. et alii, pias affectiones et sancta desideria interpretatur Titelmannus. Gratiam precum, Apollinaris. Hæc explicatio iuvatur voce Græca, quam habent Sept. ευχαι enim propriæ sunt orationes et preces. Sic etiam votum sumitur Ps. 55. 13. *In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi.* Et S. Ambros. lib. de Cain et Abel cap. 9. ait: *Laudare Deum, commendare est votum, et solvere.*

IV. Vota proprie dicta.

Quarto, et optime, *vota* hic sumo in propria significatione, pro certis et particularibus promissionibus Deo factis: ita S. Chrysost. Euthym. Titelm. Iansen. Genebr. et alii. Accipio speciatim et præcipue de promissionibus seu votis de Deo laudando. Magnet. Votiva aris donaria solve. Campens. sacrificia reliqua, quæ te oblaturum vovisti. Sensus sic erit, q. d. Immola Deo sacrificium laudis, et tunc redde vota tua, id est, victimas et oblationes quas promisisti, q. d. Non prius illas mihi offer, quam laudis sacrificium ex profundo corde immolaveris: holocausta enim et alia sacrificia si sine corde grato et pio sint, displicent: cum illo et per illud placent. Hic sensus mihi maximo placet. Ps. 60. 9. dicitur: *Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi, ut reddam vota mea de die in diem.* Et Ionas cap. 2. 10. dicebat: *Ego autem in voce laudis immolabo tibi, quæcumque vovi reddam pro salute Domino.* Unde colligis Ionam eiiciendum in mare aliquid vovisse Deo, si evaderet tantum periculum, et sic

72. per votum esse miro modo liberatum. In Psal. nostr. vox נדרים *nedarim*, satis probat agi de votis proprie dictis.

Duplex sacrificium pacificum.

Nota, apud Hebræos erat duplex genus sacrificii pacifici. Primum dicebatur נדבה *nedaba*, id est, spontaneum et voluntarium, ad quod nulla lege aut promissione quis obligabatur. Secundum vocabatur נדר *neder*, id est, votum, ad quod promissione Deo facta quis se obligaverat. De utroque agitur, Levit. 7. 16.

Nota secundo, το *redde*, quasi debitum scilicet, 1. quia Deus omnia dedit nobis, itaque Deo reddi debent cum laude et gratiarum actione. Bruno: *Hoc est*, ait, *sacrificium acceptabile, hoc est, holocaustum pingue, ut laudetur Deus ab homine quem creavit;* 2. redde quasi debitum, quia promissum. Ita S. Chrysost. *Post promissionem*, ait, *efficitur debitum. Ita etiam Anna reddidit filium, ut debitum maximum. Tu ergo sive promittas eleemosynam, sive vitam pudicam, sive aliquid aliud tale, ad id exolvendum festina.* Pro *redde*, Hebr. est שלם *sciallem*, id est, redde pacato, quieto, tranquillo, et læto animo; 2. integre redde ac perfecte et complete. Rad est *scialam*, pacificare, complere, perficere, integrare. Syr. et Chald. eadem voce usi sunt. Adverte porro, quod præcipitur Levit. 27. 9. *Animal quod immolari potest Domino, si quis voverit, sanctum* (consecratum Deo) *erit, et mutari non poterit: id est, nec melius malo, nec peius bono: quod si mutaverit, et ipsum quod mutatum est, et illud pro quo mutatum est, consecratum erit Domino.* Quomodo vero redimi debeat animal immundum, et redimi possit domus vel ager, dicitur postea eodem in capite. Itaque reddenda erant vota, vel æquivalens aliquid. 73.

73. Vota Deo reddenda, quasi debita.

Nota tertio, το *Altissimo*, q. d. Redde vota tua non vilibus et abiectis creaturis quas pedibus calcare debes, sed Deo Altissimo et supra te ac cætera omnia posito. Itaque redde illi humiliter, quia est altissimus, tu depressissimus; 2. hilariter, quia per ea vota ad eum ascendes, et ille te a terra sublevabit; 3. fideliter, alioqui te ex alto opprimet, inde enim videt te ac tua, sicut Caini et Abelis sacrificia, ut compenset vel puniat; 4. prompte; 5. integro. Eccl. 5. 3. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis et stulta promissio: sed quodcumque voveris, redde.* Hoc severe præcipitur Deut. 23. 21. Lego S. Ambr. lib. 2. de Cain et Abel, cap. 7. *Prima voti gratia*, ut ipse ait lib. 1. cap. 8. *est celeritas solutionis.* Quod integre sit votum persolvendum habes apud S. Petr. Damiani serm. 70. *Qui*, ait, *non reddit quod vovet, quasi Deum provocat et irridet. Reddendum est votum integrum et perfectum, quia aliter non satisfaceret Deo, qui votum nostrum tamquam proprium exigit debitum. Unde et in lege dicitur, Levit. 22. quod bovem, et ovem, aure et cauda amputatis voluntarie auferre possumus. Votum autem ex his solvi non potest, quibus aliquid perfectionis deest.* Quod humiliter vota sint reddenda docet Philo lib. de sacrificiis Abelis et Caini. Votum, inquit, est petitio boni alicuius a Deo: mandatum autem est, ut voti compos, στεφανοι Θεου, μη εαυτον, *coronam offerat Deo, non sibi*, idque sine mora fieri potest. In hoc qui peccant, alii per oblivionem beneficiorum, μεγαλου καλου κτηματος ευχαριστιας εσφαλησαν, se privant gratiarum actione, quæ maxima possessio est. Alii vero per nimiam arrogantiam seipsos auctores bonorum suorum existimant, non illum verum auctorem rerum omnium. Tertii sua bona referunt quidem ad auctorem Deum, sed amant se suo merito ea consequi. Esse enim se prudentes, fortes, temperantes, iustos, et ideo dignos censendos divina gratia: ita Philo. Quod vota sint reddenda hilariter, satis docet David, cum ait, reddi *Altissimo*. Ethnici se alacriter diis manibus et inferis devovebant, quod fecere Decii, pater et filius, atque Curtius apud Romanos, Codrus rex apud Athenienses; nos Deo cæli Altissimo tristes vota offeremus? Galli milites vota nuncupabant Marti, ut ait Cæsar lib. 6. agricolæ, Opi Deæ et Sylvano, ut tradit Lil. Gyraldus de diis gentium: nautæ, Castori et Polluci, ut Plin. lib. 2. cap. 37. qui laboribus angebantur, Tutano, ut Varro in Hercule apud Nonium Marcellum lib. de propriet. serm. fures, Savernæ, ut Festus Pompeius lib. 10. iuvenes, Horæ, quæ est Dea iuventutis, ut Nonius Marcellus ex Ennio: Pastores Pani, ut Ovid. lib. 2. Fastorum: viatores, Herculi, ut Festus Pompeius lib. 14. ventis ipsis

74. Vota libenter sunt reddenda Deo, quia est Altissimus.

75. Ethnici vota reddebant diis inferis.

Et aliis variis.

Ipsisque ventis.

plerique, sicut Augustus Imper. Circio, ne Galliam infestaret, Calabri Iapygi, Apuli vento Atabulo, Athenæ Scironi, Pamphilii Hagneo, ne incolas tabe afficerent, neve arva depopularentur, Thurii Boreæ, quod Dionysii classem in suum exitium missam evertisset, Græci ventis omnibus, ut Xerxis classem everterent. Hæc partim Seneca lib. 4. natural. quæstion. partim Plin. lib. 17. cap. 29. et lib. 2. cap. 47. Ælian. lib. 12. variæ histor. Herodot. lib. 7. referunt. Nonne nobis magna lætandi causa est, quod illis liberati erroribus, vota nostra offerimus Deo deorum et orbis Domino, sapientia, potentia, naturæ excellentia altissima? Denique quod vota sint fideliter Deo reddenda, docet te apud Iudæas Iephte octavus eorum Iudex, id est, princeps supremus, qui cum vovisset primum vivens, sive primum animal e domo sua sibi occursurum Deo mactare, et filia adeptæ de Ammonitis victoriæ nuntio læta occurrisset prima, eam licet unigenitam Deo ipse fideliter immolavit. Hoc votum stultum et temerarium, ac redditionem eius impiam vocat S. Hieron. pium et sanctum votum, atque inspiratione Spiritus sancti factum dicit S. Anselmus. Probabile est quod ignorantia et zelus eum excusant; sed per se loquendo, hoc votum et eius executio continet impietatem: est enim contra ius naturæ, et divinum atque humanum, hominem innocentem, ab ullo, præsertim a patre mactari. Ad rem nostram maxime est, quod ait S. Iustinus quæst. 99. ad Orthodoxos, nempe diabolum fecisse, ut filia cum cithara gratulans patri victoriam prima occurreret, hoc fine, ut Iephte filiæ unicæ amantissimus votum violaret. Iephte vero tentationem hanc vicisse, ac filiam votam immolasse, ad testandam suam erga Deum pietatem, ideoque eum catalogo sanctorum esse adscriptum. Idem sanctus Pater in Apolog. 2. ad Antonin. Imp. asserit, Berenicem reginam, ut vota sua Deo solveret, nudo pede et abraso capillo Hierosolymis ante tribunal supplicasse. Ethnicorum etiam ardor in votis persolvendis est laudabilis. Plutarchus in Lucullo refert creditum apud Romanos, Lucium Lucullum Mithridatis victorem ideo maximis opibus et honoribus auctum fuisse, quod Herculi decimam prædæ vovisset, ac votum cumulate persolvisset. Valerius Maximus lib. 1. cap. 2. ait, Diomedontem Atheniensum ducem, qui victor licet cum aliis ducibus ad mortem erat damnatus, quod pugnam commisissent, morti proximum sæpius inclamasse, ut meminissent ea vota solvere, quæ pro salute populi in ea pugna vovisset. Adeo in extremo etiam discrimine tenax erat votorum suorum.

76. *Vota religiosa sunt studiose Deo reddenda.* Nota quarto, vota præsertim religiosa, nempe paupertatis, castitatis, et obedientiæ sunt solicite et perfecte Deo reddenda. De his psalmum nostrum explicat Hugo Card. Ad hoc sororem suam excitat S. Bernard. in tract. ad eam scripto, de modo bene vivendi, serm. 62. *Soror charissima*, inquit, *bene cogites quid Deo voveris, et reddas teipsam: vove integram, et redde.* Ac paulo post citat Ps. 5. 8. *Introibo in domum tuam*, id est, inquit, in monasterium. In holocaustis, hoc est, in spiritu contritionis et compunctionis, reddam tibi vota mea, id est, ibi me integrum offeram tibi in ara cordis, quam tibi vovi: ita ipse. Primo, paupertatis votum Deo exacte solvendum est, ne Ananiæ et Sapphiræ similes a Deo puniamur, dicaturque nobis, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, et fraudare de pretio agri? Ananias significat donum Domini; 2. paupertatem Domini; 3. afflictionem Domini. Qui paupertatis votum non servat, et affligit Dominum, et affligitur a Domino. Voverat ille paupertatem, cum S. August. serm. 27. de verbis Apostoli, peccatum eius vocet sacrilegium. S. Hieron. epist. 8. ad Demetr. ait, Ananiam et Sapphiram post votum abstulisse quasi sua, ea quæ voverant. Qui mundo relicto ingressi sunt monasterium, et aliquid sibi retinent, dicuntur a Philippo Abbate Bonæ spei, epist. 8. piscatorium Ananiæ et Sapphiræ esse ingressi: ipsamque religionem vace magis, quam opere esse professi: Simile etiam naufragium timeant. Clemens Papa III. can. *super quorum* de statu

A Monachor. decernit, ut canonicus regularis, qui non resignavit proprium, in morte careat Christiana sepultura, et si sepultus sit, exhumetur. S. Hier. epist. 22. ad Eustochium de Virginitate, scribit adeo arctam fuisse in Monachis sui temporis paupertatis professionem, ut nemini liceret vel necessaria petere: tametsi vigilabat Præpositorum diligentia, ne cui aliquid necessarium deesset. Additque, quadam vice in monasterio quodam Nitriæ repertum fuisse Monachum iam moriturum, qui aliquot solidos sibi retinuerat: quapropter placuisse Macario, Isidoro, et aliis senioribus, ut cum mortuo pecuniæ infoderentur, clamantibus omnibus: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Nec hoc, ait, crudeliter quispiam putet factum, tantus cunctos per totam Ægyptum terror invasit, ut unum solidum dimisisse sit criminis. Secundo, castitatis votum, sicut præstantissimum, ita Deo acceptissimum: *Incorruptio facit esse proximum Deo.* Virgines sunt sponsæ Christi, ideo votum frangentes, et se prostituentes punit, velut adulteras et sacrilegas. S. Petr. Damiani
B in vita B. Mauri Episcopi Cæsenatis refert, rusticum quemdam a cæcitate membrorumque contritione liberatum, vovisse se B. Mauro in servum perpetuum, sed post decennium uxorem duxisse: statim vero ut luxuriandi voluptate potitus est, oculorum lumen funditus perdidisse, et quamdiu vixit, in eadem cæcitate permansisse. Aliud quoque exemplum profert opusculo 31. cap. 9. de adolescente, qui cum religionem ingredi statuisset, uxorem desponsavit: sed ante matrimonii consummationem in morbum incidit, cumque iam morti esset proximus, *ecce duo teterrimi ac trucis vultus Æthiopes eum (ut sibi videbatur) tamquam leones rugientes invadunt, rapaci ferocitate corripiunt, de corpore violenter evellunt, mox pedes eius et brachia duris alligant nexibus; sicque velut fœdum in phalangam* (fustem) *pendulum alter post alterum baiulare cœperunt*, sed tandem a B. Petro ereptus est, atque ad monasterium ductus. Hac visione ille perterritus, ubi convaluit, votum suum exsolvit. Tertio denique, obedien-
C tia melior est quam victimæ: itaque Deus odit rapinam in hoc holocausto. S. Gregor. lib. 1. epist. 33. ad Venantium: *Si*, ait, *Ananias mortis periculo dignus fuit, qui eos quos dederat nummos, Deo abstulit, considera quanto periculo in divino iudicio dignus eris, qui non nummos, sed temetipsum Deo omnipotenti, cui te sub monachali habitu devoveras, subtraxisti?* Si diis manibus devotos licebat occidere impune, ut ait Macrob. 3. Saturnal. quod nefas ducerent ipsi ethnici votum illis factum non solvere; qua dignum pœna censeas eum, qui cum se totum Deo cœli per obedientiam voverit, et morti civili addixerit, hoc subterfugiat? Galli summo in discrimine sæpe se diis homines immolaturos vovebant, ut tradit Cæsar de bello Gallico lib. 6. Græci decimum quemque se Apollini Delphico daturos pollicebantur, ut ait Herodot. l. 7. Persæ vivos se homines defossuros, quod Amestris regina fecit, ibid. Hoc illi fecerint, nos vero in honorem veri Dei longe minora fugiamus? Nazaræi, id est separati Deo et conse-
D crati apud Iudæos fuerunt typus religiosorum nostrorum, ut ait S. Greg. Naz. oratione in laudem S. Basilii, erant illi studiosissimi votorum suorum. Vide Cornel. in cap. 6. Numer. v. 9. Rechabitæ etiam fuerunt patres Monachorum, ut ait S. Hier. epist. 13. ad Paulinum, obedientia eorum et abstinentia laudatur a Ieremia Propheta cap. 35. 2. et seq. erant oriundi ex Iethro socero Mosis, qui Raguel et Cinæus est vocatus. De Essenis sive Essæis qui Rechabitarum fuere posteri atque successores, lege Philonem lib. de vita cont. et Baronium tom. 1. anno 64.

Fructum sacrificii laudis et votorum perfectæ redditionis profert David liberationem a tentatione, cum addit v. 15. ET (tunc) INVOCA ME IN DIE TRIBULATIONIS (tuæ, ut legit S. Hieron. et S. Aug. in die pressuræ, ut S. Cyprian. lib. 1. contra Iudæos num. 16.): ERUAM TE. (et si in fundo sis tribulationis) ET HONORIFICABIS ME. S. Zeno serm. in hunc locum, *magnificabis me*. S. Cyprian. mox citatus, *clarificabis me*: ut gloriæ in Deum redundantis 77. *Vers. 15. Deus in tribulatione glorificatur, et quomodo?*

magnitudo denotetur. Primo, quod in tribulatione ad Deum solum recurratur, ut fecerunt tres pueri in fornace Babylonica. Secundo, quod liberationem omnes videant, et inde laudent Deum. Tertio denique, quod liberatus cuarret quanta sibi fecit Deus, illum magnificet, ei det gloriam, ad ipsum per gratiarum actionem et bonam vitam rediens, cum Samaritano, Luc. 17. 18. Unam ex præcipuis causis cur Deus immittat tribulationes, esse gloriæ suæ illustrationem ait Cassian. collation. 6. cap. 11. Hoc Christus ipse declarat Apostolis inquirentibus, an Cedonius sive Celidonius fuisset cæcus a nativitate ob peccata parentum, et tamdiu in ea cæcitate permansisset ob sua. Ait enim Ioan. 9. 3. *Neque hic peccavit, neque parentes eius: sed ut manifestentur opera Dei in illo.* S. Maximino Aquensi postea Episcopo in Provincia adhæsit, et fuit eiusdem prædicationis coadiutor, ut loquitur Petrus de Natalibus Episcop. Esquiiinus in catalog. Sanct. lib. 5. cap. 102. Multi perspecta constantia Martyrum in tormentis, et ab exulibus pro fide edocti cognoverunt et coluerunt Deum. Primo S. Catharina, cuius hodie festum est, Imperatricem Maximini uxorem convertit: cum esset rotæ terribili illigata, ob eaque ferro undique armata discerpenda esset, rota fracta, omnes adstantes Deum Christianorum maximum esse inclamarunt, et multi veram fidem sunt amplexati, cum prius 40. philosophi fortiter pro Christo occubuissent, qui per eamdem virginem veritati manus dederant. Secundo, S. Clemens Papa in exilium a Traiano Imp. eiectus ad Ponti solitudines, ibi tam multos convertit, ut vix ullus ethnicus remanserit, et multis templis ædificatis propemodum quotidie quingentos sacro baptismate ablueret. Tertio, Bogaris Bulgarorum rex a Cuphara captivo insigni fidem edoctus, et urgente fame Deum Christianorum invocans, conversus est cum maxima subditorum parte, ope a Deo obtenta, ut tradit Curopalates. Quarto, ancilla captiva Iberos sive Iberes populos convertit cum eorum rege Bacurio, a quo id se didicisse tradit Ruffinus lib. 1. cap. 10. Hæc sæpe accidisse docet Sozomen. lib. 2. cap. 5. et Nicephor. lib. 8. cap. 33. Quinto, tres pueri, id est, Sidrach, Misach et Abdenago, Deum honorificaverunt, cum in flammis mediis invocantes, et ab eo liberati. Tunc enim erumpens Nabuchodonosor ait, Dan. 4. 59. *Benedictus Deus eorum, Sidrach, Misach, et Abdenago, qui misit angelum suum, et eruit servos suos, qui crediderunt in eum: et verbum regis immutaverunt, et tradiderunt corpora sua ne servirent, et ne adorarent omnem Deum, excepto Deo suo. A me ergo positum est hoc decretum, ut omnis populus, tribus et lingua, quæcumque locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrach, Misach, et Abdenago, dispereat, et domus eius vastetur: neque enim est alius Deus qui ita possit salvare.* Lege cætera. Quinto denique, idem pene fecit Darius Medorum rex, qui cum Cyro Babylonem cepit, et invitus iecerat Danielem in lacum leonum: eo enim illæso conspecto lætus Deum glorificat, cap. 6. v. 25. et seq. Cantica laudis cantant ipsi liberati, Moses cum populo post transitum maris rubri, Exod. 15. 1. Iudith. Holoferne duce Nabuchodonosoris regis Ninives cæso, Iudith cap. 16. Debora Sisaræ ducis Iabin regis Chanaan debellatrix, Iudicum cap. 5. 1. Ezechias rex Iuda e mortis faucibus extractus, Isaiæ 38. 10. et alii.

Visis Martyribus multi sunt conversi.

Bogaris rex a captivo conversus.

Et a captiva liberi Asiatici.

78. Hebræi sæpe mutant personas.

Nota primo, cum Cassiodoro elegantiam in mutatione personarum, ut nunc Deus de se loquatur, velut in tertia persona: *Immola Deo sacrificium laudis.* Nunc vero in secunda: *Invoca me in die tribulationis.* Hæc mutatio personarum frequens est apud Hebræos. Nota secundo, benignitatem Dei, qui ita desiderat nobis benefacere, ut etiam nos excitet ad petendum. Sic Christus dicebat Apostolis suis Ioan. 16. 24. *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo: petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.*

79. Vita tota est dies tribulationis.

Quæres, quis est dies tribulationis, in quo debemus invocare Deum? Primo, Beda ait esse totum tempus vitæ nostræ. Est enim tota vita tribulatio continua: cuius in aurora est vagitus, in meridie fletus, in vespera eiulatus. S. Aug. lib. 21. de civit. Dei cap. 14. dicit infantem natum vagire, quod præsentiat, præsagiat, et quasi *nesciens prophetet*, mille vitæ ærumnas sibi subeundas, quas deplorat. Cardanus lib. de rerum varietate dicit, hominem natum nonnisi post aliquot dies ridere: primumque risum quem edit, nonnisi in somnis existere: quo vult denotari nullum nisi confecto huius vitæ curriculo verum ac certum gaudium esse. Zoroastres solus legitur in ortu suo non vagiisse, sed risisse, ut ait Solin. lib. 1. de mirabilib. mundi cap. 3. Vide Plin. in proœmio lib. 7.

80. Zoroastres nascens risit.

Secundo, dies tribulationis est dies tentationis. Ita S. Chrysost. cum scilicet diabolus mentem obsidet malas invehens cupiditates.

Tertio, dies tribulationis est dies mortis: ita Arnobius. *Quid mihi*, ait Deus, *meum pro tuo porriges? Hoc tuum est, si puro corde mihi laudes effundas, et reddas mihi votum, quod in Baptismate positus devovisti, quo te renuntiaturum diabolo spopondisti, et mea promisisti servaturum te esse mandata? Hoc si feceris, invoca me in die tribulationis, tempore quo de isto corpore exies, et eripiam te de manibus dæmonum, et magnificabis me in donis meis.*

81. Dies tribulationis est dies iudicii.

Quarto, et proprie atque aptissime, dies tribulationis est dies iudicii, de quo est actum initio psalmi, et postea agetur. Sensus itaque est, q. d. Dum vivis Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua, et tunc cum me invocabis in die illa terribili generalis omnium tribulationis, eruam te, et per totam æternitatem me honorabis. Dies iudicii vocatur dies tribulationis a Sophonia cap. 1. 15. *Dies iræ dies illa, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris super civitates munitas, et super angulos excelsos.*

82. Oratio iuvat in tribulatione.

Quinto denique, plene et adæquate, dies tribulationis est dies et hora omnis afflictionis, sive spiritualis, sive corporalis, sive in hac, sive alia vita. Ab his enim omnibus iustos et aliquando peccatores eripit oratio. Hoc patuit Primo in Loth ex incendio Sodomæ erepto per preces Abrahami, Gen. 18. et 19. Secundo, in Iacob erepto de manu soceri sui Laban cum persequentis, Gen. 31. 29. et fratris sui Esau irati ob subreptum eius primogeniti, cap. 32. 1. Tertio, in Mose superante Amalecitas, Exod. 17. 11. Quarto, in Susanna erepta e præsenti mortis periculo, Daniel. 13. 60. Quinto, in S. Petro servato, cum mergeretur, Matth. 14. Sexto denique, in variis martyribus liberatis ex igne, pice bullienti, liquato plumbo, leonum, tigridum, ursorum, et aliarum ferarum unguibus et faucibus. Sic oratio S. Theclam virginem servavit a serpentibus, et aliis feris. S. Pachonem ab hyæna, S. Malchum a leæna. Plutarchus in vita Fabii Maximi docet, deos fortunatorum honoribus delectari: Deus vero ut parens optimus, tum vel maxime advolat, cum venti reflant, et naufragium est proximum. Non est Deus noster, sicut dii eorum. Ps. 90. 15. ipse ait: *Cum ipso sum* (S. Hiero. q. d. Ita sum, ut semper sim futurus) *in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum.* Si præcipue me invocet, ut sibi dicit David accidisse Ps. 17. 7. Hanc orationis vim prædicat S. Ioan. Climacus grad. 28. fol. 429. ubi eam vocat, *πειρασμων γεφυραν, θλιψεων μεσοτοιχον*, pontem tentationum, propugnaculum adversus impetum tentationum. S. Greg. Nyss. tom. 1. hom. 13. in Cant. pag. 714. illam nuncupat, *κρινομενων συνηγορον, δεσμιων ανεσιν, κεκμηκοτων αναπαυσιν, λυπουμενων παραμυθιαν.*

83. Tribulatio vicissim iuvat orationem.

Nota, oratio iuvat in tribulatione, ut vidimus, sed tribulatio vicissim iuvat orationem: illam enim coarctatam cogit in cælum ascendere, ut fieri assolet in aqua, quæ tubulis seu lateritiis, seu plumbeis compressa, etiam naturæ ipsi vim facit, et cum ad ima defluere non possit, sursum exilit. Talis erat oratio Annæ matris Samuelis, 1. Reg. 1. 10. *Cum esset Anna amaro animo, oravit ad Dominum, flens largiter.* Ille lacrymarum fluvius ascendit usque ad cor Dei, et impetravit Samuelem Prophetam et Iudicem, id est, principem totius populi Israel. Talis erat oratio Susannæ, cum ad supplicium duceretur, Dan. 13. 35. *Quæ*

flens suspexit ad cælum: erat enim cor eius fiduciam habens in Domino. Deus eam liberavit per Danielem puerum iuniorem, ut dicitur v. 45. Unde S. Ignatius epist. ad Magnesianos dicit, tunc eum fuisse duodennem, sed probabilius alii dicunt eum fuisse circiter 24. annorum. Cum enim ductus est in captivitatem facile erat 20. annorum, erat enim eruditus omni sapientia, cautus scientia, et doctus disciplina, ut dicitur cap. 1. 4.

Invocari vult Deus, ut eruat a tribulatione. Quæres, cur expectat Deus, ut invocetur, antequam ex tribulatione eruat? Primo, ut nobis nostra infirmitas innotescat. Secundo, ut eum magis admiremur et amemus. S. Chrysost. in Ps. nostr. *Cur,* ait, *expectat ut invocetur?* μειζονα οικειωσιν, ait, ημιν ποιησαι βουλομενος, και προς αυτον φιλιαν θερμοτεραν, *volens in nobis efficere maiorem familiaritatem et vehementiorem, quæ cum eo intercedit, amicitiam, dando, invocando, et accipiendo.* Et statim rationem subdit: η αρετη προς Θεον οικειοι: *virtus enim cum Deo familiarem efficit.* Idem sanctus Pater orationis vim exponit hom. 5. de incomprehensibili Dei natura: *Potestas,* inquit, *orationis ignis vim extinxit, leonum iram frænavit,* etc. deinde uno verbo omnia complectitur: Ουδεν ημας λυπησαι δυνησεται εαν εχωμεν εκτενη ευχην και διηκριβωμενην: nihil nos mœrore poterit afficere, si habuerimus intentam et sedulam orationem auxiliatricem.

SECTIO TERTIA ET ULTIMA.

84. *Duo complectitur. Primo, reprehendit peccatorem, quod Deum laudet, cum sit cogitatione, opere, et ore impurus, vers. 16. Secundo, minas intentat, et futurum iudicium prædicit, vers. 21.*

PARAPHRASIS.

16. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?*

16. Iustos quidem hortatur Deus, ut sacrificium laudis sibi immolent: peccatorem vero ad orationem accedentem ad virtutis studium his verbis incitat: Cur meas mihi iustificationes et beneficia servis meis præstita commemoras? mihique fœdus cum populo meo initum obiicis, quo eum in plebem electam secrevi, eiusque votis fauturum me promisi?

17. *Tu vero odisti disciplinam: et proiecisti sermones meos retrorsum.*

17. Cum tu superbia elatus omnem divinæ legis eruditionem, et hominum institutionem oderis: et verba mea, quibus te ad meliorem vitam incitabam contempseris, neque vel aspectu et contemplatione sis dignatus.

18. *Si videbas furem, currebas cum eo: et cum adulteris portionem tuam ponebas.*

18. Avaritiæ œstro percitus ad prædam cum grassatoribus advolabas: libidinisque stimulis compunctus te adulteris adiungebas.

19. *Os tuum abundavit malitia, et lingua tua concinnabat dolos.*

19. Ex ore tuo, velut ex venenato fonte, omne malitiæ atque maledicentiæ genus erumpebat, et adulatione fraudulenta in pedicas tuas inducebas eos, qui simplici animo tecum negotia tractabant.

20. *Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum: hæc fecisti, et tacui.*

20. Non indignatione subita commotus, sed ex mera malitia otiosus cum ganeonibus fratri tuo insidias machinabaris, ut eum tuis cassibus irretires: eumque fratrem tuum eodem effusum utero calumniis onerabas, quibus et offenderetur, et ruinæ occasionem sumeret: hæc licet perpetrares, ego tamen dissimulabam, teque impunitum relinquebam.

21. *Existimasti inique quod ero tui similis: arguam te, et statuam contra faciem tuam.*

21. Tu vero clementiam meam ac patientiam secus interpretatus stulte existimasti tuam mihi probari improbitatem; meque tui similem in impietate esse. Ego autem præfixo tempore te reprehendam, omniaque hæc scelera tuis oculis obiiciam: nec patiar eorum pœnam a tuo unquam aspectu dimoveri, ut in continuo et æterno hæreas cruciatu.

22. *Intelligite hæc qui obliviscimini Deum: nequando rapiat, et non sit qui eripiat.*

22. Quare vos omnes, quos oblivio Dei cepit, hæc attendite. Ne tandem aliquando vos incautos ex improviso Deus ab hac præsenti vita ad iudicium rapiat, neque sit qui ab eius ira vindice eximat.

23. *Sacrificium laudis honorificabit me: et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.*

23. Ego, qui sum Deus vester, delector sacrificio laudis, in quo non labiis tantum, sed ex intimo mentis affectu, ac veræ virtutis desiderio mihi iusti orationes suas immolant: atque illæ veræ et sinceræ preces via sunt ad æternam beatitudinem facile obtinendam: ibi enim ductor est Deus, qui perennem ad salutem deducat.

QUÆSTIO UNICA.

QUALIS IUDICII EXTREMI MATERIA AD PUNITIONEM IMPIORUM.

85. Ordo Sectionis. In Sectione prima iudicem, reos iudicii, locum modumque proposuit. In secunda, materiam ad salvationem iustorum, nempe virtutes. In hac tertia, materiam ad condemnationem sceleratorum, nempe eorum scelera.

Ac primo, orationem sine operibus non sufficere, Deus declarat, vers. 16. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?*

Secundo, flagitia distinguit in ea, quæ cogitatione, opere et sermone perpetrantur: 1. cogitatione quidem et affectu superbia continetur, v. 17. *Tu vero odisti disciplinam.* Et contemptus verborum Dei: *Et proiecisti sermones meos retrorsum;* 2. opere, per avaritiam bona fortunæ nefarie corradendo, v. 18. *Si videbas furem, currebas cum eo.* Et per luxuriam corpore suo abutendo: *Et cum adulteris portionem tuam ponebas;* 3. ore, per detractionem famæ proximi nocendo, v. 19. *Os tuum abundavit malitia.* Per adulationem, fraudes texendo: *Et lingua tua concinnabat dolos.* Per invidiam, calumnias struendo, v. 20. *Sedens adversus fratrem tuum loquebaris.* Per malignitatem, in ruinam illum impellendo: *Et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum.*

Tertio, supplicium futurum interminatur, 1. exprobrat impiis patientiam suam in hac vita, in qua eos non punivit, vers. eod. 20. *Hæc fecisti, et tacui;* 2. eorum reprehendit blasphemiam et stultitiam, v. 21. *Existimasti inique quod ero tui similis;* 3. futuram severitatem suam declarat: *Arguam te, et statuam contra faciem tuam.*

Quarto denique, hortatur eos ad maturam pœniten-

tiam, v. 22. *Intelligite hæc qui obliviscimini Deum: nequando rapiat, et non sit qui eripiat.* Meditatio hæc opus urget: unde addit v. 23. *Sacrificium laudis honorificabit me: et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.*

ARTICULUS I.

Concionatori et oranti Deum quænam vitia fugienda.

86. Vers. 16. Cum dixisset Deus, *Invoca me in die tribulationis, eruam te, et honorificabis me*, nunc satisfacit obiectioni eorum, qui dicerent, orasse se, neque tamen esse exauditos: ait enim vers. 16. PECCATORI (S. Hieron. et Felix, impio) DIXIT DEUS: QUARE TU ENARRAS IUSTITIAS MEAS (id est, legem meam, quæ docet iustitiam, id est, virtutem. Est metonymia.) ET ASSUMIS TESTAMENTUM MEUM, (id est, eamdem legem, quæ est testamentum, id est, conditio testamenti, seu pacti et fœderis cum populo meo initi. S. Hieron. vertit, pactum. Felix, fœdus) PER OS TUUM? in oratione mihi mea promissa repræsentando: fore scilicet ut ad me confugientes exaudiam, me fœdus fecisse, quo testatus sum me futurum protectorem populi mei.

Virtus est orationi iungenda. Nota, virtus orationi iungenda est, ut soror sorori, et fons rivo. Prius animus impleatur virtutibus, quam cælestis ros et nectar in os ac labia defluat. Ex absynthio et felle mel et saccarum non profluit: neque a mente tenebrosa pietatis lux emicat. Cassianus collation. 9. *Ad orationis perfectionem*, inquit, *omnium tendit structura virtutum.* Tertullianus in Apologet. cap. 30. orationem vocat, opimam et maiorem hostiam de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu sancto profectam. S. Gregor. Nyssen. de scopo Christiani: Nobis, ait, amplius orationi insistendum est: siquidem, οιον κορυφαιος τις χορου αρετων τυγχανει, *velut chori virtutum antistita quædam est, et per*, αγιοτητα μυςικην, *sanctitatem arcanam*, et spiritualem, et affectum inenarrabilem, Deo coniungit eum, qui in prece perseverat, qui desiderio fervens satietatem precationis non invenit. Et S. Dionys. Areopagita de Eccl. Hier. ait, non esse omnium aspirare, ad θεαρχικην ομιλιαν, colloquium divinum: sed hoc esse, οσιων, id est, sanctorum.

87. Iudæi recitant suum thephila manum appri-mendo pectori, et cur? Hinc nationibus omnibus a natura inditum est, ut summa cum sollicitudine et puritate, ac cæremoniis, ad precandum accedant. Primo quidem, Iudæi dum dicunt suum תפילה *thephila*, (certum est orationis genus) manus cordi apprimunt, sicut refertur in שלחן ערוך tractat. de thephila. Ut scilicet indicent opera iungenda esse orationi: neque Deo cor sine manibus placere, sed offerri debere cum manibus, et quidem puris, ut declaravi Psal. 25. in illud: *Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum Domine.* Thephila porro vocatur oratio, quod nos Deo coniungat per contemplationem intellectus, et affectum voluntatis. Nam תפל *thephal*, Turcæ lavant se oraturi. Chald. significat coniungere et connectere. Secundo, Turcæ vocati ad orationem currunt in templum, pedes ac manus abluunt, et ipsa pudenda, ac postremo ter spargunt aquam super caput, dicendo, Elhem du lillahi, id est *gloria Deo meo*, ut refert Bartholom. Georg. lib. 1. cap. 1. Et sane sapienter. Pertinet enim ad Dei gloriam, ut nemo nisi purus ad ipsum accedat. Tertio denique, ethnici variis lotionibus ante sacra utebantur, ut Ps. 25. ostendi. Et vero, cum, ut ait Iamblichus lib. de mysteriis, p. 18. *Adorationis virtus familiares deorum collocutores efficiat atque discipulos*, nefas est impurum ad puritatis fontem accedere, nisi se mundari appetat.

88. Puritas est iungenda orationi. Christianis itaque nobis quid præstandum est? Puritatis cordis et virtutum cum oratione nexum declarat S. Ioannes in Apocal. cap. 5. v. 8. *Viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.* Viegas noster hunc illustrans. 1. Alii, ait, phialas aureas corda sanctorum latitudine charitatis patentia interpretantur, ut Beda, Rupertus, Richard. a S. Victore, Hugo Cardin. Dionys. Carthus. et Glossa interlinearis. 2. Alii, ut Ansbertus, ipsam charitatem phialarum nomine accipiunt, quæ plena est odoramentorum, id est, orationum: quia non solum pro amicis, sed etiam pro inimicis orat: hoc est, esse plenam. 3. Pannonius denique, sanctos ipsos in phialis designari existimat: *Sicut enim*, inquit, *phialæ in parte infima angustiores sunt: in superiori autem, id est, secundum spiritum, se pro viribus dilatant, appetendo cælestia, iuxta illud Ps. 118. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Phialæ autem sunt aureæ, ob charitatem et cæteras virtutes.

Secundo, sensus etiam commodus huius loci est, Deum 89. Versiones variæ.
indignari contra sceleratos concionatores, et hoc præ se ferunt ipsa verba: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas*; ita S. Augustin. qui timens illa verba pronuntiabat. S. Chrysost. S. Thomas, Dionysius Carthus. Hugo, et alii versiones variæ iuvant. Tertullian. de pudicitia cap. 18. vertit: Ut quid exponis iustificationes meas. S. Hieron. Quid tibi cum narratione præceptorum meorum? Magnetius, ut mea promulges edicta. Muisius et Felix, statuta mea. Petavius εμα θεσμα, mea iura. Syr. Quid tibi, et libris mandatorum meorum? Chald. Impio autem, qui non agit pœnitentiam, et orat in prædicatione, dixit Deus: Quid tibi, ut enarres præcepta mea? S. Ambros. in Ps. 118. per iustitias accipit Evangelium seu doctrinam Evangelicam. Tota lex est intelligenda tam in veteri quam in novo testamento contenta. Vocatur autem iustitia, id est, virtus, quia eam docet et ad eam hortatur. Est metonymia.

Nota, iungenda est manus ori, hoc est, virtus prædi- 90. Iungenda est virtus prædicationi.
cationi. Flavian. Episcop. Constantinop. ad Leonem Pontificem: *Nihil, ait, est honorabilius sacerdotibus pietate, et recta prædicatione verbi veritatis.* S. Chrysost. lib. 4. de sacerdotio cap. 8. ait, facere et docere esse τελεωτατον διδασκαλιας ορον, doctrinæ terminum consummatissimum. Pietatem quasi natu maiorem sororem primo loco ponit Christus Matth. 5. 19. ait: *Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Ab actione inchoandum est, quæ cordis instar vitales spiritus in doctrinam influat. S. Ambros. in epist. ait, sacerdotem esse lituum plebis excitandæ ad devotionem, mitificandæ ad tranquillitatem. S. Chrysost. lib. 5. de sacerdotio, concionandi munus docet esse, σωτηριας και πολλων προξενον αγαθων, salutis et multorum bonorum conciliativum. Sed qui sibi nequam, cui bonus? de Christo dicit S. Lucas Act. 1. *Cœpit Iesus facere et docere.* Theodoretus lib. 4. hist. cap. 5. refert, Valentinianum Imper. accersitis ad se Episcopis sic locutum esse: Est vobis, utpote sacris et divinis litteris institutis explorate cognitum, qualis debeat esse is, qui sit ad Episcopatum quemdam delectus: et quod necesse sit gregem suum non doctrina solum, sed etiam præclara vivendi ratione moderari, και πασης αρετης εαυτον αρχετυπον προτιθεναι, και μαρτυρα εχειν διδασκαλιας πολιτειαν, et se cuiusque virtutis exemplar ei præbere, suæque disciplinæ rectam vitæ et morum institutionem testem habere.

In lege veteri huius rei figura peti potest a veste summi 91. Cur prius Ephod sumebatur quam Rationale.
Pontificis Iudæorum. Nam prius induebatur Superhumerali seu Ephod, quam Rationali, in quo erant Urim et Tummim: quod considerans Origenes hom. 6. in Leviticum, sic ait ad rem nostram: *Non ante logium* (sic Græci vocant Rationale) *et postea Superhumerale: quia non ante sapientia quam opera: sed prius opera haberi debent, et postea quærenda sapientia est. Tum deinde non ante manifestatio quam Rationale: quia non ante alios docere, quam nos instructi et rationabiles esse debemus. Super hæc autem additur veritas, quia veritas est summa sapientia.* Urim et Tummim vocat manifestationem et veritatem. S. Hieron. epist. 128. ad Fabiolam eumdem sensum mysticum agnovit: *Nec sufficit nobis*, ait, *priorum ablutio peccatorum, Baptismi gratia, doctrina secretior, nisi habuerimus et opera. Unde iungitur et Ephod, id est,*

Superhumerale, quod Rationali copulatur: ut non sit laxum neque dissolutum: sed hæreant sibi invicem et auxilio sint. Ratio enim operibus, et opera ratione indigent: ut quod mente percipimus, opere perpetremus. Isaias dicit cap. 6. *Væ mihi, quia tacui: quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito.* Sed ubi unus Seraphim calculo ex altari assumpto os eius tetigit et purgavit, divino ardore et audacia incensus se offert. Ait enim: *Ecce ego, mitte me.*

92. *Evangelium manu capiendum, id est, opere implendum.* In Evangelica lege moris fuit olim, Evangelii codicem manu tenere, et ex eo lecta explanare, ut patet ex S. Aug. tract. 4. in Ioannem. Ut indicaretur libro manum, id est, opus, addi oportere. Nec qualecumque opus exigitur, sed omnibus numeris absolutum. Si enim ut docet S. Chrys. homil. 7. ad populum, Evangelii codicem tangere nefas ducebant, *nisi manibus lotis, et cum multa reverentia ac religione;* quanto magis purum ad eam lectionem animum afferre convenit? Plutarch. orat. 2. de esu carnium, idem de quibusdam ethnicorum suorum libris ait: *Quamquam nos fortasse peccamus, qui libros istos attingimus,* μη καθαιρομενοι χειρας, και οψεις, και ποδας, και ακοας, *non lustratis manibus, oculis, pedibus, et auribus.* *Puris manibus capiendum.* Nam sine purificatione non percipitur librorum, præsertim sacrorum, sensus. S. Athanas. lib. de Incarnat. Verbi: *Qui*, ait, *Theologorum consequi intelligentiam cupit, abluere prius animum debet et detergere, et per vitæ morumque similitudinem ipsos adire sanctos, ut verbo atque instituto illis coniunctus, ea et quæ illis Deus revelavit, intelligat.* Non est tamen animus abiiciendus, si motus aliqui inordinati sentiantur, modo sit desiderium eos refrænandi: ad hoc enim iuvabunt libri sacri. S. Petr. Damiani lib. 6. epist. 22. *Per Zachariam*, ait, *dicitur cap. 14. 20. In die illa erit quod super frænum equi est, sanctum Domino vocabitur. Frænum equi, sanctum est Evangelium, quod utique carnalis desiderii, velut infrænis equi, cohibet appetitum.* Dicendum est cum Davide Ps. 84. 9. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam.* Ut enim ait S. August. Qualis ego, qui non audio quid in me loquitur: et volo, ut alii audiant, quod per me loquitur? Audiam prior, audiam maxime: ita ipse. Itaque si vis ut per te Deus loquatur pacem plebi, tu percipe verba eius tibi loquentis, et ne bellum cum ipso agas.

93. *Concionatores improbi sileant, sicut leprosi.* Timeant concionatores, qui manu destruunt, quod ore ædificant. Nam, ut ait S. Isidorus Pelusiota lib. 2. 141. θειον κηρυγμα ανατρεπουσι, *divinam prædicationem evertunt.* Eruditionis enim splendore nomen sibi atque auctoritatem comparant, malo autem exemplo ad vitia auditores suos incitant. Licitum sibi esse plebs putat, quod videt in doctore. Meminerit impius præceptum esse ut os leprosi veste contegatur. Sic enim præcipitur Levit. 13. 44. *Quicumque maculatus fuerit lepra, et separatus est ad arbitrium sacerdotis, habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum, contaminatum ac sordidum se clamabit.* Hæc Origenes ad concionatores transfert: *Quid est*, ait, *quod leprosus omnes corporis partes nudas habere præcipitur, et os solum operire iubetur? Nonne palam est, et in aperto positum, quod ei qui in lepra peccati est, clauditur sermo, clauditur os, ut fiducia sermonis et docendi auctoritas excludatur? Clausum habeat os peccator, quia qui seipsum non docuit, docere alium non potest: ideo os suum iubetur operire, qui male agendo loquendi perdidit libertatem.*

94. *Sunt pastores gregem in præceps ducentes.* Concionatores mali sunt Primo pastores, qui voce lupos arcent, sed gregem in præcipitia ducunt. S. Greg. 1. parte Pastoral. cap. 2. *Sunt*, inquit, *nonnulli, qui solerti cura spiritalia præcepta perscrutantur: sed quæ intelligendo penetrant, vivendo conculcant: repente docent, quæ non opere sed meditatione didicerunt: et quod verbis prædicant, moribus impugnant. Unde fit, ut, cum pastor per abrupta graditur, ad præcipitium grex sequatur. Hinc namque per Prophetam Ezechielem cap. 34. Dominus contra contemptibilem pastorum scientiam queritur, dicens: Cum ipsi limpidissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis: et oves meæ quæ conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur: et quæ pedes vestri turbaverant, hæc bibebant. Aquam quippe limpidissimam pastores bibunt, cum fluenta veritatis recte intelligentes hauriunt. Sed eamdem aquam pedibus perturbare est sanctæ meditationis studia male vivendo corrumpere. Aquam scilicet eorum turbatam pedibus oves bibunt, cum subiecti quique non sectantur verba quæ audiunt, sed sola quæ conspiciunt opera pravitatis imitantur. Qui, cum dicta sitiunt, et per opera pervertuntur: quasi corruptis fontibus in potibus lutum sumunt.*

Secundo, concionatores impii tubæ sunt, sed stercore oppletæ, quæ dum sono recreant, sordibus inficiunt. Num. 10. 2. *Præcipit Deus, ut fiant tubæ argenteæ ductiles, quibus convocari possit multitudo, quando movenda sunt castra.* Hic sub bellicis papilionibus ac tentoriis vivimus, semper in procinctu pugnæ versamur, hostis ubique instat, argenteæ erunt tubæ si puritate excellant: ductiles vero, si tunsionibus et pressuris, tum voluntariis tum a Deo immissis exerceantur et dilatentur. S. Chrysost. in Psal. nostr. ait, vitam bonam esse tubam sonoram: *Habeat vita tua*, inquit, λαμπραν φωνην, *claram vocem, eadem quæ dicis docentem: et licet os tuum obstruxeris,* σαλπιγγος λαμπροτερον ηχησεις, *vel tuba clarius personabis: non solum apud præsentes, sed etiam apud eos qui procul siti sunt: ita etiam cælum enarrat gloriam Dei, cum nec os habeat, nec linguam moveat, neque spiritum ex imo profundat: sed per eorum quæ videntur pulchritudinem, deducat spectatorem ad opificis admirationem. Quod ergo illic est in cælo pulchritudo, aspectus, hoc sit in anima tua virtus. Quod si, cum sis sordidatus et innumerabiles habeas accusatores, et maxime tuam ipsius conscientiam, doctoris sedem coneris invadere, quando ad vitia reprehendenda accesseris, non alios magis quam te ipsum accusabis.* 95. *Sunt tubæ sordibus plenæ.*

Tertio, concionatores Signiferi sunt ac Duces populi, qui si in præceps ruunt, secum alios trahunt. His applicari iure possit, quod Ferrandus Diaconus Reginoni Comiti scribebat in Parænetico: *Dux*, ait, *sapiens illuc debet ire quo cupit ducere subditos: ideo enim dicitur dux, quia ducit: et seipsum utique seducit, si per viam regiam putat posse ambulare, quos ad foveam malæ vitæ, malum exemplum præbendo perducit. Tu ergo esto signifer doctrinæ sanctissimæ: tu erige trophæum virtutis intuendum iugiter cæteris, tu imitandus appare: quique te audit præcipientem, non te redarguat aliter operantem.* 96. *Duces exitiales.*

Quarto denique, concionatores impii, sunt rei: itaque taceant oportet. S. Chrysost. *Si*, ait, *in externis iudiciis qui deliquit, ei indicti silentii infamia punitur: in publico doctrinæ ludo quomodo ipsi loqui permittetur, qui est peccato obnoxius? Maior autem est hic doctrinæ ludus illo iudicio. Illic enim qui peccant, castigati luunt pœnas: hic autem fiunt omnia, ut non puniantur qui peccaverunt, sed ut peccatum pœnitentia corrigant.* Affert deinde aliam comparationem non minus commodam: *In aulis regiis*, ait, *nemo fuerit regiæ vocis interpres, si fuerit pravæ et corruptæ vitæ convictus: quare ergo enarras iustitias meas, et alios doces, et tamen contrarium facis, vita contradicente iis quæ a te dicuntur, et avertis nonnullos eorum qui volunt attendere? Non enim ita doces verbis, sicut rebus et factis abducis. Quocirca Christus Matth. 5. illum laudat doctorem, qui verbis et factis perfectam doctrinam ostenderit. Qui fecerit et docuerit, etc.* 97. *Rei ob sua crimina ad silentium damnati.*

S. Epiphan. hæresi 64. refer, Origenem necessitate adactum, ut vel ab Æthiope pollueretur, vel idolis immolaret, thus manui impositum in aram excussisse, ideoque ab Ecclesia eiectum: cumque exprobrantium ludibria ferre non posset, in Palæstinam abiisse, et Hierosolymis a sacerdotum collegio pene vi adactum ut concionem haberet, in hunc nostrum versum, *Peccatori dixit Deus: quare tu enarras iustitias meas*, etc. incidisse: quod ubi fecit, ait, complicatum librum reddidit, et assedit, μετα κλαυθμου και δακρυων, cum gemitu et lacrymis, flentibus cum eo 98. *Origenis lapsus, et pœnitentia.*

qui aderant universis. Baronius variis et satis firmis rationibus hunc lapsum Origenis commentitium esse ostendit, et in scripta Epiphanii ab aliquo alio intrusum probat tom. 2. anno 253. num. 116. et seqq. Non est mei instituti hæc examinare, illum consule: sed si te reum esse cognoscis, in manus sacrum codicem assumens plora, ut lacrymæ tuæ te abluant, et Dei verbis dignum reddant.

99. Septem flagitia malorum concionatorum. Post generalem reprehensionem, quod peccator auderet aut privatim Deum orare, aut publice de Deo loqui, septem vitia, velut septem capitales orantium et conciones habentium pestes, profert Deus per Prophetam: scilicet superbiam, contemptum verborum Dei, avaritiam, luxuriam, oris effrænem licentiam, fraudem, atque calumniam. Strictim de singulis agamus.

Primo, ventosorum follium tumorem premit, et reprehendit Deus, v. 17. Tu vero odisti disciplinam, et proiecisti sermones meos retrorsum. (Vers. 17. 1. Pars.) Quæres, quam disciplinam? Primo, castigationem, correctionem et eruditionem Dei per adversa: ita S. August. Haymo et alii.

100. Quadruplex disciplinæ significatio. I. II. Secundo, legem: ita Lindan. Dei Verbum et doctrinam: ita Genebr. Eruditionem divinæ legis: ita Bell. et S. Chrysost. qui ait: *Disciplinam hic dicit legis doctrinam quæ animum componit, vitium expellit, et virtutem inserit. Quomodo ergo eam tractas, et in alios seminas, cum ipse eam factis non habeas? proiecisti enim, ait, sermones meos retrorsum: Non solum enim ex legis doctrina, nulla est tibi facta accessio, sed etiam quod habes a natura, mutilum mancumque reddidisti. Eorum enim quæ sunt agenda vel non agenda rationes nobis a natura insitæ sunt. Tu autem eas repulisti, et non habuisti in memoria*: ita Chrysost.

III. Tertio, *odisti disciplinam*, id est, omnem rectam admonitionem: ita Iansen. Valentia, et Chald. qui vertit: *Cum tu oderis castigationem sapientum;* atque Arabs qui habet: *Et tu odisti cohortationem meam.* Hoc autem est insignis superbiæ argumentum. Hugo Card. Odisti disciplinam, ait, non dare aliis, sed accipere ab aliis, quod est signum superbiæ, cum tamen sit amabilis. Hebr. 12. 5. *Fili, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, cum ab eo argueris.* Quem enim diligit Deus castigat. Et infra. In disciplina perseverate, tamquam filius vobis se offert Deus. Quis enim filius quem non corripit pater? Ierem. 5. 3. *Attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam.* Prov. 15. 32. *Qui abiicit disciplinam, despicit animam suam.* Ergo multo fortius qui odit. Ex quo ergo odisti disciplinam, qua fronte vis esse magister? Et quæ est disciplina? Prov. 15. *Timor Domini disciplina sapientiæ.* Timor autem non est superbis, quia proprium est eorum præsumere. Unde bene monet Apostolus, Rom. 11. 20. *Noli altum sapere, sed time.* Levit. 26. 23. *Si nolueritis recipere disciplinam, sed ambulaveritis ex adverso mihi, et ego quoque contra vos adversus incedam, et percutiam vos septies:* ita Hugo. Græcum παιδεια, significat proprie institutionem, eruditionem, correctionem, castigationem, quæ datur pueris. Tales esse debent erga Deum præsertim ac Prælatos etiam ii, qui per prædicationem alios gignunt Deo. S. Gregor. lib. 23. Moral. cap. 4. *Sanctæ,* inquit, *universalis Ecclesiæ spiritualis quisque prædicator, in cunctis quæ dicit, solerti cura se inspiciat: ne in eo quod recta prædicat, vitio se elationis extollat, ne vita a lingua discordet: ne pacem quam in Ecclesia annuntiat, in se ipso dum bene dicit, et male vivit, amittat.* Sed periculum est, ne cedri Libani in excelsis verticibus positæ vento agitentur et intremant. Ut enim ait S. Cyrill. in cap. 3. Habacuc: εν φαυλοτατι πανθως η υπεροχη: Plena perversitatis omnino est eminentia. S Gregor. Nyssen. in orat. catechist. cap. 23. ait, φιλαρχιαν, id est, ambitionem dominandi esse, μητερα τας λοιπας κακιας, matrem cæterorum vitiorum. Christus Matt. 23. 6. de Pharisæis dicit, quod amabant primas cathedras in synagogis, et vocari ab hominibus Rabbi: id caveant omnes concionatores, ne non tam Deum quam se prædicent.

IV. Quarto denique, *odisti disciplinam*, id est, correctionem et emendationem vitæ: ita Genebr. Valentia et Ma- A gnet. qui vertit, tu vitæ effrænis. Apollin. tu semper odisti cogitare, μελεθηματα καλα, cogitationes honestas. S. Gregor. lib. 23. Mor. cap. 21. quatuor præcipuas affert cogitationes, quæ disciplinam seu emendationem vitæ generare possint: *Bene dictum est*, ait, *et erudiens eos instruit disciplina: quia consideranti menti, et sese per pœnitentiam laceranti quasi quædam plagæ percussionis sunt lamenta compunctionis.* Et paulo post: *Quia ipsa compunctio mentem lacerat, eamdem compunctionem non incongrue disciplinam vocat. Quatuor quippe sunt qualitates, quibus iusti viri anima in compunctione vehementi afficitur. Cum autem malorum suorum reminiscitur, considerans ubi fuit, aut iudiciorum Dei sententiam metuens: et secum quærens cogitat ubi erit: aut cum mala vitæ præsentis solerter attendens, mærens considerat ubi est; aut cum bona supernæ patriæ contemplatur, quam quia necdum adipiscitur, lugens conspicit ubi non est. Malorum suorum Paulus meminerat, et ex eis se in quibus fuerat affligebat,* B *cum diceret: Non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei. Rursus divinum iudicium subtiliter pensans, in futuro male esse metuebat, dicens: Castigo corpus meum, et servituti subiicio: ne forte aliis prædicans ipse reprobus efficiar. Rursus mala præsentis vitæ pensabat, eum diceret: Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino. Et: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et rursum bona æternæ patriæ considerabat, dicens: Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum.* Hi omnes sensus boni sunt. Plene et adæquate sensus est, q. d. Tu odisti præcepta mea, quæ non permittunt tibi, ut eas post concupiscentias tuas, sed eas refrænant, et ob eas tibi supplicia interminantur. Tu etiam odisti omnes, qui te ob scelera arguunt et corrigunt, nec vis emendare vitam tuam, fregisti enim iugum, et C dixisti non serviam, amas discurrere libero campo sicut onager in deserto. Non vis esse bonum iumentum apud me, quod loro disciplinæ et correctionis, moderationis, directionis atque eruditionis in via et officio retineatur.

Secundo, ex superbia nascitur contemptus: unde additur, vers. eod. 17. Et proiecisti sermones meos retrorsum. Hebr. S. Hieron. Felix, S. August. S. Cypr. epist. 63. et 68. *post te.* Quo denotatur: Primo, oblivio sermonum Dei: sicut enim quæ ante oculos sunt, oblivisci non possumus, ita quæ retro sunt facile e memoria sicut ex oculis abeunt. Hinc S. Paulus dicit Philip. 3. 13. *Quæ retro sunt obliviscens,* id est, temporalia bona et lucra, ait S. Thomas et Hugo Cardin. 2. præterita peccata, ut explicat S. August. in Ps. 89. denique et melius, præterita mea bona opera, ait S. Ambros. et S. Anselmus. Quantum autem malum sit oblivio, dixi alias. Secundo, *proiicere retrorsum*, indicat odium, quasi rei cuius ne aspectum quidem sustineamus: ita Euthym. Retro, ait, expellere aliquem quis dicitur, qui illum odit. Repu- D listi autem, dum ea non adimplesti, quia illic mandantur: ita ipse. Quo autem magis lex Dei retro proiicitur, eo magis gravis est, tunc enim onerat. S. August. in Ps. nostr. *Proiecisti sermones meos post te, ubi non videantur a te, sed onerent te.* Tertio denique, *proiectio retrorsum* denotat contemptum, ut rei vilis et abiectæ. Proiecisti, ait Genebr. id est, contempsisti. S. Greg. in Mor. cap. 6. illud explicans, cap. Quando ponebat pluviis legem, et viam procellis sonantibus. sic ait: *Solent per pluvias prædicantium verba signari. Unde per Mosen dicitur Deut. 32. Expectetur sicut pluvia eloquium meum. Quorum videlicet verba cum blande persuadent, pluviæ sunt: cum vero terribilia de venturo iudicio intonant, tonantes procellæ. Et notandum, quod pluviis lex ponitur: ut via procellis sonantibus aperiatur. Lex quippe est ipsis prædicatoribus posita: ut vivendo impleant, quod loquendo suadere festinant. Nam loquendi auctoritas perditur, quando vox*

101. Vers. 17. 2. Pars. Proiectio retrorsum indicat oblivionem. 2 odium. 3. contemptum. Concionatores sunt pluviæ.

opere non adiuvatur. Hinc enim per Psalmistam dicitur: Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, et proiecisti sermones meos post te. Sermones etenim Dei post se prædicator proiicit, cum hoc quod dicit facere contemnit. Est autem reprehensione dignior, qui Dei *sermones*, et collocutiones frequentes reiicit, quam qui verbulum aliquod. Hoc autem faciunt eruditi.

102. Lex Dei ante oculos est habenda. Nota, alludit hic Deus ad præceptum quod dedit, ut semper ante oculos suos Iudæi legem suam haberent. Sic enim per Mosem ait Deut. 6. v. 6. *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos.* S. August. in Soliloq. cap. 18. *Omni momento*, ait, *o Domine, me tibi obligas, dum omni momento mihi tua magna beneficia præstas. Sicut ergo nulla hora est, vel punctum in omni vita mea, quo tuo beneficio non utar: sic nullum debet esse momentum, quo te non habeam ante oculos in mea memoria, et te non diligam ex omni fortitudine mea.* Hinc in mores inductum est Christianorum, ut Evangelia de collo suspenderent, tum ad memoriam, tum ut sacra amuleta essent, quod testatur S. Chrysost. homil. 19. ad populum: *Hæc*, ait, *omnia congregans inscribe cordi tuo. Non cernis ut mulieres, et parvi pueri pro magna custodia collo Evangelia suspendunt, et ubique circumferunt quocumque abierint? Tu Evangelii mandata et leges mente describas. Non auro et argento hic est opus, et pecuniis, nec librum emere. Voluntate sola vobis est opus.* Hoc maxime convenit sacerdotibus: unde S. Ambrosius lib. 3. de fide cap. 7. Scripturam sacram vocat *sacerdotalem librum:* Vim illius vides in animarum conversione per Apostolos et viros Apostolicos S. Vincentium Ferrerium, S. Antonium Paduensem, qui ita illam callebat, ut diceretur *arca testamenti:* In S. Bonifacio Apostolo Germaniæ, in S. Bernardo, cuius in verba sacrorum succus librorum semper influere videtur, et in aliis. Unde S. Antonii monachorum parentis, unde S. Francisci Assisiatis conversio, nisi per aliquam Scripturæ sententiam, licet sacerdotibus præsertim conveniat, lectio et auditio verbi Dei, tamen omnibus quoque utilissima est. Nam, ut ait auctor sermonum ad fratres in eremo serm. 38. *Scriptura est scientia scientiarum, angelorum ferculum, archangelorum pulmentum, monachorum refectio, sacerdotum cellarium, Apostolorum gloria, Prophetarum opes, Patriarcharum fiducia, Episcoporum vocatio, puerorum principium, viduarum doctrina, coniugatorum pulchritudo, mortuorum resurrectio, viventium sempiterna protectio.*

103. Vers. 18. 1. Pars. Cursus cum fure varii modi. Tertio, avaritia concionatori fugienda est, vers. 18. SI VIDEBAS FUREM, CURREBAS CUM EO. Primo, per consensum interiorem, desiderando idem facere: felicem illum existimando, quod eam furandi occasionem, et divitias licet iniuste corradendi occasionem, nactus sit. Secundo, per consensum verbis exterius declaratum. S. Hier. vertit: *Si videbas furem, consentiebas ei.* Tertio, currebas cum eo adulatoriis laudibus, ut explicat idem S. Pater in commentario. Pagnin. delectabaris cum eo, q. d. Ei applaudebas. Felix, complacuisti cum eo. S. August. monet eum qui sibi placet in alterius furto, et illud laudat, esse peccati participem. Nonne, inquit, portionem tuam cum illo qui fecit, laudando posuisti? Hoc est enim, fratres, concurrere cum fure, et ponere cum adultero portionem tuam: quia etsi non facias, et laudas quod fit, adstipulator es facti. S. Chrysost. id fusius amplificat: *Si videbas furem, currebas cum eo. Hoc* παντων αιτιον κακων, *est causa omnium malorum, hoc est, quod virtutem maxime evertit, quod retardat ac reprimit studium multorum ad ea quæ sunt honesta, quando non solum non reprehendunt aliqui, sed etiam una cum iis qui peccant se oblectant, eisque gratulantur. Hoc autem non est minus quam peccare. Audi Paulum dicentem Rom. 1. 32. Non solum hæc faciunt, sed etiam consentiunt facientibus. Hoc est autem non parvum peccatum, etiamsi quis mala non faciat, una cum malis gaudere, et eis gratulari. Ille enim potest dicere necessitatem, causari paupertatem, etsi non sint iusti prætextus. Tu autem cur laudas quod factum est, cum nec ullam quidem ex eo voluptatem percipias?* 2. ostendit per eas laudes peccatorem impediri, ne pœnitentiam agat. Addit enim: *Si qui peccavit, viderit omnes eum aversantes, existimabit se aliquod magnum et indignum scelus admisisse. Quando autem viderit non solum non indignantes, sed etiam facile et placide ferentes, atque adeo blandientes et applaudentes: corrupto deinceps conscientiæ iudicio, multorum sententia depravatæ eorum menti assentiente, opemque ferente, quid non audebit? quando autem se condemnabit, et secure peccare cessabit?* Hugo Cardin. affert novem modos currendi cum fure: 1. per iussionem; 2. per consilium; 3. per auxilium; 4. per adulationem; 5. per receptionem; 6. per participationem; 7. per taciturnitatem; 8. per non resistentiam; 9. per non manifestationem furti: ita ipse, et affert auctoritates. Achan uxor et liberi cucurrerant cum eo, propterea combusti sunt, ipse vero lapidatus. Ubi maior pœna eorum in speciem videtur fuisse, nisi cum Serario dixeris eum primo combustum fuisse vivum, deinde cineres eius obrutos lapidibus fuisse. Aut potius, et lapidibus appetitum ob subitam iram populi, et postea combustum, quod ex anathemate Iericho accepisset inter spolia pallium coccineum valde bonum, et ducentos siclos argenti, et regulam seu laminam auream 50. siclorum. Idem est de aliis peccatis. Hinc cum Aman decem filii eius sunt suspensi. Esth. 9. 6. et 25. et quia ut plurimum filii de patris sceleribus participant, ideo olim apud Persas et nunc apud Iaponios pro patrum flagitiis sæpe puniuntur.

Nota, το *currere* denotat corruptissimam voluntatem, et maximam propensionem ad malum. Hebr. רוץ *ruts*, quod hic ponitur, significat currere cum promptitudine et celeritate, q. d. *ruere;* 2. cum animi propensione et inclinatione, ita ut affinitatem habeat cum רצה *ratsa*, id est, placere, complacere, prompto esse animo et proponso in aliquid. 104.

Symbol. *currunt cum fure*, id est, cum diabolo, qui suam non Dei gloriam quærunt. Ille dixit, *Similis ero Altissimo*, Isaiæ 14. 14. Item Matth. 4. 9. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Concionatores vani altas cathedras amant in synagogis, et sudores suos, vigilias, doctrinam, sanitatem atque omnia dant, ut omnes cadant coram ipsis, atque eis applaudant; 2. *currunt cum fure* detractores, invidi et susurratores, qui aut famam, aut amicitiam proximo conantur tollere; 3. fures sunt mali Prælati, ait Hugo; quia furantur animas Deo. Ioan. 10. 1. *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro.* Symbol. Diabolus est fur.

Nota, concionatores nec gloriam propriam, nec pecunias quærant. De primo dicant: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*, Psal. 113. 1. Vide ibi dicta. Christus ait Ioan. 8. 50. *Non quæro gloriam meam;* et v. 54. *Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est.* De secundo, nempe de non quærendis per prædicationem opibus, S. Paulus 1. Timoth. 6. 5. arguit hæreticos qui existimabant quæstum esse pietatem: id est, qui christiana religione et pietate abutebantur ad quæstum. Græca ibi addunt, αφιςασο απο των τοιουτων, discede a talibus. Ipse Apostolus Corinthi apud Aquilam manebat, et operabatur per sesquiannum; erant enim scenofactoriæ artis, Act. 18. 3. id est, opifices conopæorum, ut explicat Syrus. Aulæorum, ut Vatablus, quæ fiunt ex consutis pellibus, ut sunt aulæa Turcica, ait Cornelius. Paulum vocat Phrygionem, seu recamatorem Orig. lib. 4. contra Celsum. Apostoli in fame, siti et frigore ac nuditate mundum converterunt, non in divitiis et deliciis. S. Gregor. hom. 17. in Evang. *Verus*, ait, *quisque prædicator non ideo prædicare debet, ut in hoc tempore mercedem recipiat: sed ideo mercedem recipere, ut prædicare persistat. Quis namque ideo prædicat, ut hic vel laudis, vel muneris mercedem re-* 105. Concionatores nec gloriam nec pecunias quærant.

cipiat, æterna procul dubio mercede se privat. Theodos. Imp. in Novell. 41. Decet eum, ait, qui sacrosanctis desiderat inhærere mysteriis, fide magis divitem, quam facultatibus approbari: ita ille. Qui pecunias cupit, varia facit, quæ scandalum gignunt. S. Hilar. can. 19. in Matth. Periculosa, inquit, cura est velle ditescere, et grave onus innocentia subit incrementis opum occupata. Et S. Paulin. epist. 2. Avaritia una, inquit, omnibus armata criminibus, vel si sola nos capiat, et Zabulo ad malitiam, et homini ad mortem sufficit. S. Paul. Rom. 2. 21. arguit eos concionatores, qui prædicant non furandum et furantur.

106. Quarto, concionatori fœdissimum est luxuriæ flagitium. Unde Deus increpat, vers. eod. 17. ET CUM ADULTERIS (Felix, cum fornicatoribus. Hebr. et Græc. vox proprie adulterantes sonat. S. Chrysost. sub adulterio fornicationem etiam bene comprehendit) PORTIONEM TUAM PONEBAS. S. Hieron. erat pars tua. Nota, alludit ad symbola, quæ conferre solent ganeones et helluones in suis comessationibus. Terent. in And. Symbolum dedit, cœnavit. Salomon Prov. 23. 20. monet: *Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt. Quia vacantes potibus, et dantes symbola* (id est, partes suas et portiones; a Græc. συμβάλλω, id est simul mitto) *consumentur, et vestietur pannis dormitatio,* id est, ignavia et somnus, ut explicat R. Salomon. Sub somno intelligitur luxuria: venter enim plenus despumat in libidinem. Sept. vertunt, Ne sis bibax vini, aut frequens in symbolis et carnium coemptionibus. Omnis enim ebrius et scortator mendicabit, omnisque somnolentus laceris detritisque vestibus induetur.

Vers. 17. 2 Pars Symbola in comessationibus.

107. Nota secundo, non dixit, adulteris committebas, sed cum adulteris portionem seu partem tuam ponebas, ut ostenderet, non modo perniciosum esse impie vivere, sed etiam cum impiis versari, et illis consentire, eosque non impedire. S. Chrysost. in Psal. nostr. *Externi iudices,* ait, *non eos solum qui scelus perpetrarunt, sed servos etiam quos viderint sceleris fuisse conscios, puniunt: et domini qui eos tradunt, libenter eorum sanguinem biberent, et carnibus vescerentur: nec minorem eius, quod factum est, culpam in eos conferunt, quam in eam quæ est adulterata. Qui enim expansa vela non contraxerunt, iis quæ occulte fiebant, dederunt maiorem facultatem. Illi et adulteratam mulierem, et maritum, cui facta est iniuria, et eum ipsum qui adulteravit, contumelia et probro affecerunt. Si enim prænuntiassent, si id significassent, ablata et subacta esset omnis venatio.* Optimam deinde comparationem affert a venatoribus sumptam: *Quemadmodum,* ait, *in retia maxime immittunt, qui retia extendunt, et iis quæ accipienda sunt, assident, et omnem dolum omni ex parte celant, et nec strepitum, nec aliquid aliud fieri permittunt, quod posset feram abigere: ita etiam hic, si assederis laqueo qui positus est a diabolo, scias fore ut in eum adulter incidat, neque strepitum edas nec tumultum excites, tunc eum maxime perdis. Ne mihi enim dixeris verbum,* πολλῆς γέμον ἀναλγησίας, *quod magno stupore plenum est. Quid mihi curæ est? curo ego mea; tunc enim tua maxime curabis, quando tua quæres in eo quod est utile proximo. Et ideo dicebat Paulus 1. Cor. 10. Nemo quod suum est, quærat; sed quod alterius. Ut invenias,* ait, *quod tuum est, quære quod est alterius:* ita Chrysostomus.

Conversatio impiorum est perniciosa.

108. Quod autem ab altaribus et sacris exedris maxime sint arcendi adulteri, clarum per se est. Deus enim cui appropinquant, et de quo loquuntur sacerdotes et sacri ministri, puritas ipsa est, et in eo macula non est ulla, sequi agnum debent agni. Solon Atheniensium legislator scortatorem a suggestu arcet, ut ait Diogenes Laertius in eius vita. Levitæ apud Hebræos, ut purificarentur et Deo consecrarentur, radebant omnes pilos carnis suæ, et lavabant vestimenta sua, Num. 8. 7. quod considerans Rupertus lib. 1. in Numer. cap. 20. causam affert: quia is qui in obsequiis divinis assumitur, debet ante Dei oculos a cunctis carnis cogitationibus mundus apparere. Exod. 28. 42. præcipitur ut sacerdotibus omnibus fiant fœminalia linea, quibus significabatur, ut ait Beda, Corn. et alii, quod castitas a sacerdote maxime exigitur. Hinc Hebr. dicuntur מכנסים *micnesaim,* a Rad. כנס *canas,* id est, collegit, q. d. Constrictoria duorum lumborum et femorum, ait Iosephus. Unde fiebant e lino varie carminato et præparato: quia castitas gignitur et conservatur per iugem carnis et sensuum mortificationem. Rursum fiebant ex lino byssino retorto, quia castitas mollis et delicata est: unde magis quam aliæ virtutes muniri et conduplicari debet, ut sit firma. Tertullian. in Apolog. cap. 45. irridet gentiles, quod ab ipsis inter aras lenocinia tractentur, in ipsis plerumque æredituorum et sacerdotum tabernaculis, sub iisdem vittis, et apicibus, et purpuris, thure flagrantem libidinem expungant.

Sacerdotes sint casti.

Solonis lex eximia.

Fœminalia linea cur data Hebræi sacerdotibus.

Symbol. explicari potest de adulterantibus verbum Dei, quos increpat S. Paulus 2. Cor. 2. 17.

Quinto, concionatori vitanda studiose est malignitas. 109.
Hinc pergit Deus in reprehensione impii, v. 18. Os TUUM ABUNDAVIT MALITIA, id est, invocatione falsorum deorum, et blasphemia veri, ait Trevetus: sed non placet, quia Deus hic alloquitur sibi offerentem sacrificia, aut publice in templo suo concionantem. Secundo, *malitia,* id est, mendacio: ita Euth. mendacio falsi testimonii: ita Trevetus. Tertio, *malitia,* hoc est, adulatione, ita S. Hieron. et S. August. Parum est, ait, quia non dicunt, male fecisti, sed dicunt et bene fecisti: et norunt malum esse, sed abundat os eorum malitia, et lingua eorum amplexatur dolositatem: ita ipse. Quarto, *malitia,* id est, detractione, maledicentia, ita Iansen. Hugo. Bellarm. Quinto, *malitia,* hoc est, verbis turpibus: ita Apollinaris, qui vertit, Et tuum abundavit improbitate στόμα λάβρον, *os incontinens.* Prius facta erat mentio de adulteris. Sed ad sequentia melius referes. Sexto, *malitia,* id est, omni nocendi modo per sermonem: ita Lorin. omni peccato: ita Titelm. impudenter et absque fræno loquens mala plurima, blasphemias, convicia, fraudes, oppressiones, de corde pleno malitiæ huiusmodi pessima eructans: ita ipse. Sed de fraudibus postea dicetur. Septimo denique, *os tuum abundavit malitia,* id est, malignitate, malevolentia. Hebr. רעה *raa,* significat malum, malitiam, maleficentiam, malignitatem, afflictionem, confractionem, contritionem. Syr. vertit, *os tuum loquebatur* בישתא *bisciota, malignitates.*

Vers. 18. 1. Pars. Malitiæ sex acceptiones.

Nota, pro *os tuum abundavit malitia,* Hebr. est, *os tuum mittebas in malum:* scilicet velut in fontem venenatum, aut in sentinam et cloacam. Secundo, S. Hieron. vertit: *Os tuum demisisti in malitiam,* velut in puteum, aut avernum, et in antrum leonum, tigridum, ursorum, et cavernam serpentium, unde venenum atque crudelitatem haurias, vel ubi pereas. Os concionatoris debet in cælum erigi, ut inde cælestem rorem percipiat, atque in auditores effundat, non vero in lutum demergi, unde fœteat, et ridendum se omnibus exponat. Tertio, Campensis reddit, *os tuum laxas ad malum,* velut equum effrænem, qui ruptis vinculis ad libertatem currat. S. Chrysost. ait quodam loco, linguam piam esse equum Dei, ubi sedeat et quem dirigat: linguam malam esse equum diaboli, qui ea abutatur. Quarto, Noster vertit, *os tuum abundavit malitia.* Septuag. ἐπλεόνασε, copiosior et abundantior fuit quam par esset, exundavit. S. Greg. Naz. ait linguam esse in loco humido sitam, et ideo esse lubricam. Vide. Ps. 28. 1. et Ps. 13. 3. Hic lingua ponitur velut fluvius rupto aggere exundans et restagnans, aut velut torreus perdeutes tamquam per saxa et scopulos se præcipitans, atque omnia late devastans et prosternens. Quinto, perniciosissimum est, cum per varios actus producitur habitus malitiæ. Camp. explicat, q. d. *Os tuum assuefecisti ad maledicentiam,* tunc est velut crepitaculum molendini, quod semper volvitur et obstrepit: aut rota versatilis in aquis continuo circumacta, spumans, murmurans, et alia circumagens. Sexto denique, Chald. inquietum animum et maxime noxium impii exprimit, cum vertit: *Os tuum disposuisti* (en malitiam meditatam) *ut loqueretur lingua triplici,* id est, multiplici, q. d. Ut semper lingua noceret. Lingua 110.

Ex variis versionibus colligitur perversitas oris maligni.

scelerati est Euripus nunquam quiescens, sed huc illuc sese et alios agitans; 2. *tripliei*, id est, trisulea, trifida, q. d. Serpentina. Serpentes enim tam velociter movent linguam, ut triplex esse videatur; 3. *triplici*, quia malus concionator et hypocrita loquitur. Primo, lingua Dei quando eius verba populo proponit. Secundo, lingua hominum, quando adulationibus et blanditiis in fraudem inducit. Tertio, lingua dæmonum, quando in comessationibus et ganeis de luxuria et sordibus verba scelerata eructat. In qua et Deo et sibi et Ecclesiæ maximam iniuriam facit: cum si ex suo officio *tuba Dei*, ut ait Alcuinus epistola 1. χείλη Χριστοῦ, *labia Christi*, ut S. Basilius in Ps. 44. os Domini, unde Deus ait Ierem. 15. *Quasi os meum eris*. S. Hieron. iure ait. Felix lingua, quæ non novit nisi de divinis componere sermonem.

111. Vers. 18. 2. Pars. Adulatio est maximum malum. Sexto, concionatorem dedecent verba fraudulenta. Unde Deus impium arguit, vers. eod. 18. ET LINGUA TUA CONCINNABAT DOLOS. Per adulationem applaudendo sceleratis: ita S. Augustin. et Hugo. Populo Israelitico per Titum et Vespasianum excidendo propter occisum Christum, ait Isaias cap. 3. 12. *Popule meus, qui te beatum dicunt ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum* (id est, vitæ tuæ rationem et felicem progressum) *dissipant*. Plato in Menexemo adulatorem dicit esse similem præstigiatori. Diogenes vocabat adulationem mellitum laqueum. Agesilaus rex Spartæ aiebat adulatores esse insectandos velut propriæ vitæ insidiatores. Secundo, et melius: *Lingua tua concinnabat dolos*, id est, omnem fraudem, sive in verbis, sive in factis, ut miseros in casses tuas immitteres, et per eos ditesceres et honorareris. Titelm. Lingua tua, inquit, magno artificio componebat, atque coaptabat verba dolosa et fraudulenta, ut per ea deciperes simplices, et tuarum captionum inexpertos, per tuam suaviloquentiam et subtilem, artificiosamque dictionem. Hæc optime conveniunt hæreticis, de quibus Didym. hic, et S. Ambros. in Ps. 118. 11. explicant. Toti enim sunt ex fraudibus consuti, ut vulpes Samsonis cauda sibi mutuo illigati. S. Athan. tom. 2. ait hæreticos verbis Scripturæ falsas opiniones suas, velut, δολερῷ προσωπείῳ καλύπτειν, dolosa larva inumbrare. Vincentius Liriaens. de hæreticis: Sciunt, inquit, fœtores suos nulli fere cito esse placituros, si nudi et simplices exhalentur, atque, idcirco eos cælestis eloquii velut quodam aromate aspergunt. S. Hilarius in Ps. 138. Dolosa, inquit, doctrina est hæreticorum, sub nomine Dei blasphema, sub prætextu religionis impia, sub veritatis specie fallax. S. Greg. Nyss. oratione de Deitate Filii, hæreticos appellat, δογματιστὰς ἀπάτης, doctores fraudis. S. August. in Iulian. cap. 3. docet, hæreticos in Ecclesiam matrem ratiunculis suis, quasi parricidalibus pugiunculis, armari.

112. Concinnatio quatuor indicat. Nota, vox Latina *concinnabat* denotat Primo deliberatam malitiam. Nam concinnatio fit cum studio et diligentia. Secundo, subtilitatem et artificium. Concinnare enim est apte componere et quasi convenire, facere, ornare, perpolire. Tertio, facetias et iocos atque acumina. Concinnus enim est ornatus, politus, facetus. Oratio concinna, id est, compta, elegans. Concinna facies, id est, pulchra, nitida. Dolus non audet prodire sine fuco et larva: hæresis mentitur venustatem, ut decipiat. Quarto, dolorum concinnatio indicat doli cum dolo, vel cum actibus virtutum, commistionem; ut dignosci non possint, sicut sæpe faciunt aromatarii oleum balsamo aliosve liquores miscendo, quibus adulteratur. Cinnus enim est plurimarum præsertim liquidarum commistio. Ab aliquibus censetur esse potionis genus ex multis liquoribus confectum, quod a Græcis vocatur κυκεών, id est, miscellanea potio. Plato lib. 3. de Republ. usurpat pro potione a medico data. Hæretici mali sunt Medici, qui in poculo aurato Babyloniæ meretricis propinant impietatem.

113. Hæretici sunt dolosi. Secundo nota, vox Gr. περιέπλεκε id est, contexuit, connexuit, circumtexuit, circumplexa est, denotat primo hæreticos et fraudulentos omnes esse venatores, qui dolos velut retia extendant, iisque incautos, velut stultas aves vel feras, implicent. Secundo, esse diligentes, qui circumquaque involvant, ut non sit effugio locus. Tertio, amorem et benevolentiam præ se ferre, ut suffocent. Nam circumplectuntur et stringunt velut amicos, sed velut hostes interimunt. S. Aug. legit, *lingua tua amplexa est dolositatem*, ut ostendatur quædam delectatio in ipso malo facto. *Lætantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis*. Quarto, περιέπλεκε designat obscurationem sermonis. Nam Hermogene usurpat περιπλοκὴν, pro involvo orationem, sensum inumbro. Non tantum qui male agit, sed etiam qui male loquitur odit lucem. S. Cypr. epist. 42. vel lib. 2. epist. 10. *Os tuum complectebatur insidias*. Velut spelunca latronum frondibus obtecta.

Tertio nota, vox Hebraica צמד *tsamad*, connectere, contexere, compingere, colligere, conglutinare, quibus indicatur primo multitudo; secundo, firmitas et dissolvendi difficultas. Chald דבק *debak*, est hærere, adhærere, cohærere, coniungi, conglutinari, velut gluten scilicet, viscus et ferrumen. Si hæresi semel adhæseris, ei conglutinaberis, ob doctrinam ad libertatis et voluptatis licentiam amabilem: nec facile inde divelli poteris. 114. Quid tsamad notet.

Septimo denique, concionatori vel maxime cavendum est a detractione atque calumnia. Hinc Deus v. 19. impium arguit: SEDENS ADVERSUS FRATREM TUUM LOQUEBARIS, ET ADVERSUS FILIUM MATRIS TUÆ PONEBAS SCANDALUM. Hebr. דפי *dophi*, id est, probrum: ita Arias. Opprobrium: ita S. Hieron. et Flaminius. Verbum Vituperii: ita Chald. et R. Salomon. Calumniam: ita Campensis. *Scandalum* itaque hic intelligitur grave et scandalosum convicium, infamiam notabilem afferens detractio. Hæc autem est scandalum, id est, occasio ruinæ. Primo eius coram quo detrahitur. Secundo eius, de quo detrahitur. Tertio, detractoria ipsius. 115. Vers. 19.

Nota, τὸ *sedens* denotat primo otium, quod est ordinaria causa loquacitatis et detractionis. Secundo, malitiam deliberatam, cum animo quieto et non perturbato fit alteri iniuria. Tertio, diuturnitatem et moram. Quarto, detractionem et suavitatem. Quinto, auctoritatem. Hugo Cardin. ingenioso hic multas peccati circumstantias attendit: *Sedens*, ait, ecce studium; 2. *adversus*, ecce odium; 3. *fratrem tuum*, ecce inhumanitas; 4. *loquebaris*, ecce detractio vel criminis impositio; 5. *et adversus filium*, ecce oppressio: quia filii dicuntur teneri; 6. *matris tuæ*, ecce impietas: quia plus solent diligi filii uterini, quam qui ex solo patre geniti sunt; 7. *ponebas*, ecce malitia: ponere scilicet, quod deberet amovere; 8. *scandalum*, ecce offensio: ita Hugo, qui etiam advertit, quod qui prius currebat cum fure, nunc sedet cum detractore. Ibi labor, hic quies, utrobique peccatum: in omni scilicet situ impius male agit, sive stet, sive sedeat, quocumque se vertat seipsum semper portat. Sessio quatuor denotat.

Moral. Detractionis vitium fugiendum, cum fratres simus eorum de quibus loquimur: *Sedens adversus fratrem tuum loquebaris*. S. Chrys. sic expendit: *Ne maledixeris, ne teipsum polluas, nec lutum contexueris cum luto et lateribus, sed* στεφάνους ἀπὸ ῥόδων πλέκε, *coronas ex rosis, et violis, et reliquis floribus connexueris: nec stercus ore tuleris sicut scarabæi: id enim faciunt qui maledicunt, ut qui fœtorem primi sentiant: sed* ἄνθη καθάπερ μέλιτται, *flores, sicut apes, favosque ut illæ composueris, sisque omnibus comis et affabilis. Nam omnes aversantur maledicum, ut cum qui lutum redoleat, ut hirudinem quæ sanguine, et scarabæum qui stercore alienis malis aluntur. Os autem quod libenter laudat, et de aliis benedicit, tamquam membrum commune suscipiunt,* ὡς ἀδελφὸν γνήσιον, ὡς παῖδα, ὡς πατέρα, *tamquam fratrem germanum, tamquam filium, tamquam patrem*. Vide S. Dorotheum doctr. 6. Anterum Papam, epist. decretali ad Episcopos Provinciarum Bæticæ et Toletanæ regionis. Concil. tom. 1. p. 1. 116. Detractio est fugienda.

Conclude, ex his omnibus, enitendum esse concionatori, ut omnia vitia fugiat, præsertim scandalosa et aliis noxia. Ut enim ait Tertull. lib. de patientia. Dicta factis deficientibus erubescunt. S. Bern. serm. 76. in Cantic. Si 117. Concionator omnia vitia fugiat.

pastor doctus quidem fuerit, non sit autem bonus: verendum ne non tam nutriat doctrina uberi, quam sterili vita noceat. S. August. sermon. 3. de verbis Domini: In doctore molesta est causa dicere nec facere. S. Gregor. Pastor. part. 2. cap. 3. *Illa vox libentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat.* S. Ambr. serm. 76. de sanctis Martyrib. *Bene facere*, inquit, *prima doctrina est. Cessantibus enim verbis, hoc ipsum docet hominem opus optimum, quod videtur: quod etsi voce aures non excitet, virtute tamen corda compungit. Quis enim bonum factum videns non gaudeat, miretur, imitetur, ac veluti tacito magistro utens eius exemplo doceatur. Dictis igitur facta præcedunt: imo sine factis dicta nihil prosunt.* Ennodius Episcop. Ticinensis, qui floruit circa annum 503. ad Maximum Episcop. in oratione ei dicenda: *Plus agendo*, inquit, *populum instituitis, quam loquendo. Illa monita discipulorum conscientiam erudierunt, quæ præbentur exemplo.*

ARTICULUS II.

Memoriæ divinæ iustitiæ peccata ante oculos sceleratorum ponentis, eaque punientis, est utilissima ad emendationem.

118. Vers. 20. **Post** recensita scelera impiorum, Deus ait se laneis pedibus venire ad ea punienda, sed tandem eis pœnas non defuturas, vers. 20. **Hæc fecisti, et tacui**, id est, ait S. Augustin. vindicta supersedi, severitatem meam distuli, patientiam tibi prolongavi, pœnitentiam tuam diu expectavi. S. Chrysost. vocat humanitatem ineffabilem, summam bonitatem, infinitas opes patientiæ Dei. Didym. Longanimitas Dei silentium appellatur. Et v. 21. **Existimasti inique** (o inique: ita Hugo, sed verius est adverbium. Sept. υπερλαβες ανομιαν, suspicatus es iniquitatem. Legerant הוות *havoth*, id est, iniquitates, pro היות *heioth*, hoc est, esse) **quod ero tui similis**, per delectationem in peccatis. Parum est, ait S. Aug. quia mala facta tua placent tibi, placere putas et mihi. Deum quia non
C pateris ultorem, vis habere participem, et tamquam corruptum iudicem, prædæ socium vis habere. Suspicatus es iniquitatem, quod ero tibi similis, dum non vis tu mihi esse similis. Estote enim, inquit, perfecti, sicut et pater vester qui in cælis est, qui facit solem suum oriri super bonos et malos: Ita August. **Arguam te**, (id est, puniam; Septuag. ελεγξωσε, hoc est, argumentis claris convincam, et reprehendam: id est, puniam. Est metonymia: **et statuam contra faciem tuam.**

119. Statuit Deus tria ante faciem impii. I. Pœnas æternas. Quæres, quid statuet Deus ante faciem? Primo, pœnas horribiles atque æternas, ac dæmones tortores. Chald. vertit: Ego vero in furore iræ ultionem sumam de te, arguam te in hoc mundo, et ordinabo iudicium gehennæ in mundo futuro. Iacobus de Valentia: Statuam et fulminabo sententiam mortis æternæ contra et ante faciem tuam.

II. Se terribilem iudicem. Secundo, statuet Deus se iudicem et vindicem in throno maiestatis suæ coram sceleratis trementibus, ut videant et lugeant, quem confixerunt. Anton. Agellius: Illud admonendum est, ait, *statuere* in sacris libris pene forense verbum esse cum adversarius res obiicit et opponit, quibus rei causa obruatur, ut apud Iob cap. 34. *Si potes, responde mihi, et adversus faciem meam consiste.* Ex qua interpretandi forma in hoc Psalmo quoque verti potuit, Arguam te, et consistam ante faciem tuam. Qui loquendi mos ex eo originem trahit, quod adversarius cum in iudicio contenderet, et reum premeret, ex adverso stare aut sedere solitus erat. Unde 3. Reg. 21. iubet Iezabel, ut sedere faciat accusatores adversus Naboth, qui eum falsi criminis accusarent: ita Agellius. Deus ipse Levit. 26. 21. et seq. ait Israelitis: *Si ambulaveritis ex adverso mihi* (Chald. coram me in duritia) *ego quoque contra vos adversus incedam, et percutiam vos septies* (id est sæpius et gravissime) *propter peccata vestra.* Oseæ 13. 7. ac seq. *Ego ero eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum* (in deserto medio inter Iudæam et Assyriam, ubi Assyrii
A grassantur). *Occurram eis quasi ursa raptis catulis* (quæ irruit ac sævit in raptorem) *et dirumpam interiora iecoris eorum.* Leo Hebræus, lacerabo pertinax cor eorum: *Et consumam eos ibi* (in corde, ait Arias: in via Assyriorum, ait S. Hieron.) *bestia agri scindet eos.* Licet de extremo iudicio præsertim intelligatur Psalmus noster, potest tamen etiam accipi de hac vita, ubi etiam scelera Deus punit: quod si dissimulet, eo magis timendum est, pœnam enim reservat, unde vocatur patiens redditor Eccli. 5. 3. *Deus vindicans vindicabit. Ne dixeris: Peccavi, et quid mihi accidit triste? altissimus enim est patiens redditor.* Lege cætera, ac S. Gregor. hom. 13. in Evang. et S. Paulinum epist. 18. ad Delphinum. Naturæ ipsa lex Deum esse impiorum vindicem docet. Hinc fiebat ut Agesilaus Spartanorum rex eos soleret laudare, qui iurisiurandi religionem violassent, eo quod peierando deos sibi infestos redderent, αυτω φιλους και συμμαχους, ipsi vero socios et auxiliares. Omnibus in nationibus impressa divinæ iustitiæ videas vestigia. Primo, Iudæa ostentat Beniamini
B Tribum excisam, ob stuprum illatum uxori Levitæ cuiusdam; Saulem regno eiectum ob inobedientiam; Davidem a filio Absalone fugatum ob adulterium; Absalonem ipsum e quercu pendentem ob rebellionem; multa alia reperies ibi exempla. Secundo, Syria ostendit Sodomam, Gomorrham, ac totam Pentapolim in lacum sulphureum seu mare mortuum versas, et Antiochum Epiphanem summis in cruciatibus animam eiicientem, ob templum violatum, et Iudæos fideles afflictos. Tertio Assyria Sardanapalum suum propriis flammis in aula sua cum tota familia se exurentem. Quarto, Babylonia Balthasarem e convivio ad sepulcrum deductum, ob sacra vasa prophanata. Quinto, Græcia Athenienses ob scelera in Syracusano portu attritos: Spartanos qui servos suos iniuste occiderant, tanto terræ motu ita punitos, ut Spartæ vix quatuor domus integræ superfuerint. Sexto, Italia Cassium eodem se pugione confodientem, quo Cæsarem vulnerarat. Septimo, Hungaria Colomannum regem ob iniustam Almi et filii eius excæcationem, cerebro e capite exiliente mortuum. Octavo, Germania Henricum Quartum in Rodolphum arma moventem, in pugna dextram amittentem, quam porrexerat Rodulpho, dum tamquam apud Dominum sacramentum diceret. Nono, Gallia Theodoricum suasu Brunechildis occisorem fratris sui ab eadem veneno extinctum. Decimo, Hispania Petrum ob crudelitatem regno eiectum; Theodoricum ob luxuriam a Saracenis victum. Undecimo, Navarra Carulum cognomento et re malum, fortuitis flammis ambustum, et in iis expirantem. Duodecimo denique, Godvinum in convivio coram S. Eduardo rege, cuius fratrem nefarie occiderat, sumpto bolo repentina morte sublatum. Timeat igitur Deum impius, et gladio exerto sibi astantem videat. Camp. vertit, *me in oculos tuos statuam.*

Tertio denique, Deus statuit ante faciem peccatoris ipsummet peccatorem, et omnia eius peccata: ita S. Hier. 120. Et peccata omnia ipsius.
S. Augustin. Apollin. Haymo Episcop. Halberstattensis, Aiguan. Cassiod. et alii. S. Aug. legit: *Constituam te ante faciem tuam.* Sed *te*, non est in Hebræo, *he* enim quod
D est in *ehercuh* est paragogicum, id est, addititium ad ornatum, vel ob poesim. Unde miror Bellarminum, qui ait in Hebræo esse, *statuam te*, etc.

Nota, peccata coram oculis peccatoris, in speculo memoriæ eius et conscientiæ proponuntur, tamquam monstra terrifica, et ipse peccator lugubri metamorphosi ex homine fit monstrum, ex variis peccatis ut belluis conflatum. Quæ erunt ipsi obiecta velut monstra. S. Hieron. vertit, *proponam te ante oculos tuos.* Aristoteles refert nescio quem semper sibi obiectum esse, atque a se visum, quod accidebat ob nubeculam quam habebat in oculo, ubi fiebat refractio radiorum visualium. Ezech. 7. 3. hunc aspectum minatur Deus Iudææ: *Iudicabo* (iudicans puniam. Est metonymia) *te iuxta vias tuas* (agendi modos) *et ponam contra te* (coram vel etiam adversus) *omnes abominationes tuas, et non parcet oculus meus super te, et non miserebor: sed vias tuas ponam super te, et abominationes tuæ in medio tui erunt.*

*

II. Velut accusatores. Secundo, peccata statuuntur ante faciem peccatoris, velut accusatores vehementes. Syr. Arabs, Arnob. *statuam hæc ante faciem tuam*. Ubi τo *statuam* denotat Primo constantiam, obstinationem, et perseverantiam accusatoris, qui velut immobilis statua coram reo, et contra ipsum stet, eius scelera enarrans. Secundo, securitatem et audaciam, cum sciat se vera dicere, et a iudice irato esse audiendum. Græc. παραστησω, sistam, est verbum forense. Unde in Pandectis Græc. est πολλους δουλους παριστναι, quod Ulpianus dixit, iudicio sistere; 2. παραστησω, id est in medium producam, repræsentabo, ante oculos ponam, exhibebo, q. d. Non nuda peccata obiiciam, sed eorum gravitatem et deformitatem patefaciam et exaggerabo; 3. παραστησω, commovebo, concitabo, exacerbabo, velut canes latrantes, et in prædam irruentes. Quid non faciont peccata efferata seipsis, et a iudice in trementem reum irritata? Ierem. 2. 19. *Arguet te malitia tua, et aversio tua increpabit te. Scito, et vide, quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, et non esse timorem mei apud te.* Eccli. 32. 23. *Alienus et superbus suis insectationibus arguetur,* id est, ab iis quæ præcipiti et insano ardore sectatus est.

III. Velut acies militum. Tertio denique, peccata statuentur in die iudicii, et in hac etiam vita, ante faciem et oculos peccatoris, tamquam acies militum, et carnificum stricto gladio, ardentibus facibus, ferratis tridentibus, hastis, aliisque armatorum, et discerpere paratorum. Arias vertit, *ordinabo in oculis tuis*. Pagnin. addit, iudicium. Chald. iudicium gehennæ: sed non est in Hebræo, ubi אערכה *eherca*, significat ordino disponere, serie quadam collocare, in ordinem digerere. Et est verbum militare, sicut Chald. et Syr. סדר *sodoar*, unde סדר *seder*, et סדרא *sidra*, ordo, dispositio, acies. Pro acie seu exercitu sumitur Exod. 28. 17. et 1. Reg. 17. 21. et Levit. 24. 7. Stabit itaque scelerum innumerabilis exercitus circa peccatorem ordine dispositus, et ex omni parte in eum irruens, ipsumque lacerans, et in partes discerpens. Hinc superbia cum suo agmine cum invadet, et in caput insiliet: inde gula fauces et stomachum stringet, inde avaritia cor exedet, et sic de aliis:

121. Herodes, Nero, et alii suis sceleribus territi. vel, peccata cogitationis, oris et operis: vel, peccata in Deum, proximum, et seipsum in suas turmas dirigentur. Herodem occisa uxor Mariamne in somnis territabat, Neronem Agrippina mater, Theodoricum regem Italiæ Boethius ab eo occisus. Cum enim ei caput piscis in mensa oblatum esset, visus est sibi videre caput Boethii, tantoque terrore concussus est, ut ideo interierit. Veturia Coriolani mater ipsi Romam obsidenti, nisi ab obsidione desistat, eos terrores intentat. Latinus Pacatus in Panegyrico Theodosii Imper. eos accidisse dicit Gratiani Imper. occisoribus: *Nisi vero, ait, tu tuum, venerabilis Gratiane, carnificem diris comitatus ultricibus obsidebas. et irata minax umbra ob os eius oculosque fumantes infernis ignibus tædas, et crepitantia toto angue flagra quatiebas.* Philo scribens contra Flaccum, furias conscientiam eius vellicantes describit. Sæpe terrore quatiebatur, horrore concutiente membra omnia, animo quoque contremiscente, anheloque pectore: quandoquidem spes eum destituebat, μονον παρηγορειν ανθρωπινον βιον εκ φυσεως δυναμενα, unica vitæ mortali addita consolatio: nullum unquam sollicito felix oblatum est auspicium, omnia inauspicata, rumores adversi, molestæ vigiliæ, somnus turbidus, solitudo belluina: ita Philo. Ioanna Henricia Ioannis Aragonum regis uxor, quæ Carolum privignum suum occiderat, triduo post, cancro in mammilla exorto dire cruciata est, diu noctuque horrendis visis exterrita clamare solebat: O fili, quantis me doloribus exagitas. Dido regina Carthaginis irata Æneæ, et in ardentem pyram insilere parata dicebat:

Omnibus umbra locis adero, dabis improbe pœnas.

Tullius lib. 1. de legib. n. 40. hanc conscientiæ cruciantis pœnam dicit esse diuturnam. Itaque pœnas luunt, ait, non tam iudiciis, quæ quondam nusquam erant, hodie multifariam nulla sunt: et ut sint persæpe falsa sunt: A quam conscientia, ut eos agitent, insectenturque furiæ, non ardentibus tædis, sicut in fabulis, sed angore conscientiæ fraudisque cruciatu. Cephalus apud Platonem lib. 1. de Rep. sic loquitur: Qui invenit in vita multa iniuste facta, etiam e somno, puerorum instar, θαμα εγειρομενος δειμαινει, frequenter excitatus cohorrescit, et cum mala spe vivit. Qui vero nullius sibi iniustitiæ conscius est, ei semper præsto est spes iucunda, αγαθη γηροτροφος, bona senectutis altrix, ut etiam ait Pindarus.

Ne peccata se tibi obtrudant et te terreant, ea tu prius 122. Nunc aspicienda peccata, et deflenda ut deleantur.
considera et emenda. S. August. in Psal. nostr. *Modo tu fac quisquis talis es, quod tibi minatur facere Deus. Tolle te a tergo tuo, ubi te videre non vis, dissimulans a factis tuis, et constitue te ante te. Ascende tribunal mentis tuæ, esto tibi iudex, torqueat te timor, erumpat a te confessio, et dic Deo tuo: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et delictum meum ante me est semper. Quod erat post te, fiat ante te, ne tu ipse postea a Deo iudice fias ante te, et* B *non sit quo fugias a te.* S. Eligius Episcop. Noviomensis hom. 18. idem monitum dat: *In pœnitentia, maiorem in se quisque severitatem debet exercere, ut a seipso iudicatus non iudicetur a Domino, ut Apostolus dicit: Si enim nos iudicaremus, a Domino non iudicaremur. Ascendat itaque homo adversum se, tribunal mentis suæ, si timet illud, quod oportet nos exhiberi ante tribunal Christi, ut ibi recipiat unusquisque quæ per corpus gessit, sive bonum sive malum. Constituat se ante faciem suam, ne hoc ei postea fiat. Nam minatur hoc ipsum Deus peccatori, dicens: Arguam te, et statuam te ante faciem tuam: atque ita constituto in corde iudicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor: inde quidam sanguis animi confitentis per lacrymas profluat:* ita Eligius.

Remedium duplex ne in manus Dei vindicis incidamus, proponit Deus ipse. Primo, memoriam iustitiæ futuræ. Secundo, ferventem orationem.

Ac primo hortatur ad considerationem divinæ iustitiæ, 123. Vers. 22. Oblivio Dei est intolerabilis.
v. 22. INTELLIGITE HÆC (quæ modo dixi de Deo vindi- C ce) QUI OBLIVISCIMINI DEUM, (id est, me. Hebræi sæpe inducunt loquentes de se in tertia persona. S. Hieron. putat Prophetam loqui, sed verius est Deum in cœpta oratione pergere) NE QUANDO RAPIAT (S. Augustin. et Arnob. addunt, *sicut leo*: sed hoc videtur irrepsisse in textum ex aliqua glossa) ET NON SIT QUI ERIPIAT. Quod Obliviosi quidam.
Melitides quinarium, quod Thraces quaternarium numerum excedere numerando non possent, risu dignum erat. Quod Messala Corvinus proprii sui nominis esset oblitus, quod quidam ictus lapide oblitus sit litteras ipsas alphabeticas, quod ex præalto tecto lapsus, matris suæ et affinium, propinquorumque: quod alius ægrotus servorum etiam, ut Plin. lib. 7. cap. 24. commemorat, commiseratione est dignissimum. At vero Deum cæli terræque conditorem, cui vel minimum halitum debeas, cui venæ corporis, ossa, arteriæ, nervi, tendines, extremæ fibræ, quidquid sanguinis, medullæ, spirituum, roboris, ac motus habent, acceptum ferunt, oblivisci, omnibus est suppli- D ciis vindicandum. Isaias cap. 17. 10. mala ex illa Dei oblivione nascentia aperit: *Quia,* inquit, *oblita es Dei Salvatoris tui, et fortis adiutoris tui non es recordata: propterea plantabis plantationem fidelem, et germen alienum germinabit. In die plantationis tuæ labrusca* (vitis agrestis, quæ erratica dicitur) *et mane semen tuum florebit* (id est ante tempus, ac proinde non maturescet) *ablata est messis in die hæreditatis, et dolebit graviter.* Par certe ratio est, ut Deus eorum obliviscatur, qui eius non fuerint memores: neque eorum agros fœcundet, qui primi- 124. Oblivio Dei est effectus et causa scelerum.
tias illi frugum non deferunt. Oblivio est scelerum filia et parens. Primo enim, ex sceleribus oritur oblivio Dei. S. Chrysost. in Psal. nostr. *Longa,* inquit, *vitiorum consuetudo*, πολλην πωρωσιν ψυχης εργαζεται, και ανοητους ποιει, *magnam affert animæ cæcitatem, et amentes efficit, et perspicaces oculos intelligentiæ eruit.* Secundo, illa oblivio Dei est parens scelerum. Theodoretus hoc loco: *Oblivio Dei*, ait, *conciliatrix peccati est.* Memini referre me mi-

seram Iaponem nomen Amidæ idoli sui plusquam centies millies in die devote proferre solitam fuisse: et reperiuntur tamen Christiani qui vix Dei sui meminerint, nisi ut eius nomen blasphement. Ideo conqueritur Deus ipse Ierem. 2. 32. *Populus meus oblitus est mei diebus innumeris*, q. d. Oblitus est mei, non vero aliarum rerum: nam totos dies ac noctes insumit in cogitatione agrorum, villarum, auri, argenti, et cæterorum. Dicit quoque Deus Ierosolymæ, seu animæ Christianæ, apud Isaiam, cap. 57. 11. *Ego tacens quasi non videns, et mei oblita es.*

125. Vers. 23 Sacrificium laudis triplex. Secundum remedium ad evitandam Dei iram et iustitiam, ac pœnas ab eo intentatas, est fervens oratio, quæ eum honorat, et viam cæli aperit, vers. 23. SACRIFICIUM LAUDIS HONORIFICABIT ME: ET ILLIC (id est, in eo sacrificio) ITER (supple est) QUO OSTENDAM ILLI SALUTARE DEI, q. d. ait Iansenius, in eo sacrificii genere est via, per quam ego aliquando ostendam illi, qui in eo sacrificio occupatur, salutem meam sempiternam, quam nullus oculus vidit, quam et impiorum oculi nunquam videbunt.

I. De triplici sacrificio laudis vide dicta vers. 14. Primo, de Eucharistia etiam hunc locum explicat Valentia, est enim iter seu via ad salutem, et viaticum itineris. Eucharistiam vocat *Viaticum* Concil. Nicæn. 1. can. 12. vel 13. Arelat. 2. can. 12. Aurelian. 3. canon. 24. Carthag. 4. can. 77. et 78. Toletan. 1. can. 14. Sacrificium laudis eam vocat S. Aug. contra Faustum Manich. lib. 20. c. 21. t. 6.

II. Secundo, de sacrificio bonorum operum explicat Chald. *Qui*, ait, *mactaverit fomitem pravum, et compresserit illum, velut oblatio confessionis, imputabitur ei.*

III. Tertio denique, de laude Dei exponit Apollin. cum vertit, θυμα μοι ολβιστον πελεται καταθυμιος υμνος, sacrificium mihi beatissimum est gratus hymnus. S. August. de vita Christianor. lib. un. tom. 9. *Væ illis per quos nomen Domini fuerit blasphematum. Deus enim a nobis nihil magis desiderat et requirit, quam ut per actus nostros nomen* A *suum magnificetur ab omnibus, sicut scriptum est, Sacrificium laudis honorificabit me. Hoc est sacrificium quod Deus super omnes hostias quærit et diligit, ut per iustitiæ nostræ opera nomen suum ubique laudetur, et Deus verus esse servorum suorum actu et opere comprobetur. Illi vero Deum diligunt, qui non aliud quam unde nomen Dei glorificetur, exercent.* Æneas Gazæus Theophrastus in dialogo de animarum immortalitate, et corporum resurrectione, ad illud sacrificium laudis nos incitat his verbis: *Sacrificium gratiarum actionis Deo offeramus: non hecatomben, ut apud Athenienses, Minervæ: nec formicam, ut Isthmo soli et Neptuno: sed perpurgata mente quo Deo similes evadamus: Impuris enim quæ pura sunt attingere nefas existimatur.* Oratio autem nos puritatis fonti Deo, dum vivimus unit, καθοσον εφικτον ανθρωπινη φυσει, quantum possibile est humanæ naturæ, ut ait S. Greg. Naz. in vita S. Athanasii. Sic unitos Deo maxime purificat oratio, et virtutibus repiet, vitia eliminans. S. Gregor. Nyss. homil. 13. in Cantic. fol. 714. Προσευχη, ait, σωφροσυνης Oratio nos unit Deo.

B εστι φυλακτηριον: *Oratio pudicitiæ præsidium atque tutamen est, iræ moderatio, superbiæ sedatio atque repressio, iniuriarum tenacis memoriæ expurgatio, invidiæ profligatio, iniustitiæ sublatio, impietatis correctio.* Unitos autem Deo et sic purificatos in cælum ducit, ibi enim est iter, quo ostendatur salutare Dei, id est, salus æterna. Idem sanctus Pater orat. 2. de Beatitud. asserit, orationis efficacia nos πτερωθηναι alatos fieri, et collocari, υπερ νωτα ουρανιας αψιδος supra dorsa testudinis cælestis. Concludamus cum Ænea Gazæo mox citato: *O rex, et pater, et conditor omnium, o prima sapientia Patris et Verbum, per quod is omnia produxit. Qua enim re alia quam sapientia et Verbo Deus omnia creat? O Spiritus sancti per quem Deus omnibus aspirat, omnia comprehendit et conservat, et ad suam perfectionem adduxit*: *o divina Trinitas, et sancta Unitas, des nobis supernæ illius pulchritudinis memoriam, des omnibus æternitatem.* Ei virtutes gignit in anima.

PSALMUS QUINQUAGESIMUS.

1. IN FINEM, PSALMUS DAVID.
2. CUM VENIT AD EUM NATHAN PROPHETA, QUANDO INTRAVIT AD BETHSABEE.

3. MISERERE mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.
Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.
4. Amplius lava me ab iniquitate mea: et a peccato meo munda me.
5. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: et peccatum meum contra me est semper.
6. Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas cum iudicaris.
7. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: et in peccatis concepit me mater mea.
8. Ecce enim veritatem dilexisti: incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.
9. Asperges me hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.
10. Auditui meo dabis gaudium et lætitiam: et exultabunt ossa humiliata.
11. Averte faciem tuam a peccatis meis: et omnes iniquitates meas dele.
12. Cor mundum crea in me Deus: et spiritum rectum innova in visceribus meis.
13. Ne proiicias me a facie tua: et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.
14. Redde mihi lætitiam salutaris tui: et spiritu principali confirma me.
15. Docebo iniquos vias tuas: et impii ad te convertentur.
16. Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ: et exultabit lingua mea iustitiam tuam.
17. Domine, labia mea aperies: et os meum annuntiabit laudem tuam.
18. Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis.
19. Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non despicies.
20. Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur muri Ierusalem.
21. Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, et holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

PSALMI QUINQUAGESIMI ANALYSIS.

David peccatorum suorum sordes detestans ad Deum se ex animo contrito convertit, et

- **Ante iustificationem petit veniam, 3. ob**
  - **Dei**
    - Misericordiam infinitam. 3.
    - Miserationes innumeras. 3.
  - **Sui ipsius**
    - In animæ substantia, fœditatem. 4.
    - In intellectu, peccati notitiam. 5.
    - In memoria, lugubrem recordationem. 5.
  - **Peccati**
    - Actualis malitiam in solum Deum. 6.
    - Originalis miseriam ab utero. 7.
  - **Donorum**
    - Promissionem in concessione veniæ. 8.
    - Exhibitionem in prophetiæ illustratione. 8.
- **In iustificatione miratur munditiam suam, 9.**
  - **Externam**
    - In ablutione faciei animæ, ut sic loquar. 9.
    - In aurium eius oblectatione. 10.
    - In ossium robore. 10.
    - In membrorum omnium exultatione. 10.
  - **Internam**
    - Ablatione maculæ peccati ab anima. 11.
    - Collatione gratiæ novæ in corde. 12.
    - Infusione spiritus ardentis in voluntate. 13.
  - **Perseverantiam in utraque.**
    - Reddita lætitia salutari. 14.
    - Confirmatione in donis Spiritus sancti. 14.
- **Post iustificationem, promittit ipsi gratiarum actionem, per**
  - **Proximi sui**
    - Institutionem celestem. 15.
    - Et conversionem impiorum. 15.
  - **Dei**
    - Iustitiæ enarrationem. 16.
    - Operum omnium laudationem. 17.
  - **Suiipsius**
    - Oblationem victimis gratiorem. 18.
    - Sacrificium cordis, 19.
      - Contribulati. 19.
      - Contriti. 19.
      - Humiliati. 19.
  - **Urbis Ierusalem**
    - Ædificationem perfectam. 20.
    - Et pietatem offerendo victimas. 21.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. IN FINEM, PSALMUS DAVID.
2. CUM VENIT AD EUM NATHAN PROPHETA, QUANDO INTRAVIT AD BETHSABEE.

1. *Peccatum Davidis cum Bethsabæa.* CUM David victis undequaque hostibus floreret, et gloria opibusque abundaret, surgens de strato suo post meridiem, ubi in regione calida et tempore æstivo sopori se dederat, deambulabat in solario seu tecto domus regiæ in monte Sion. Tum forte Bethsabæa in vicina sua domo, aut in horto suo potius ad fontem, ut putat Adrichomius, qui ait illum adhuc ostendi, lavabat corpus suum, sive ob æstum sive ob immunditiam aliquam legalem aut naturalem. Eam curiosius inspectans David, et amore incensus ad peccatum incitatur: quo perpetrato, et sciens Bethsabæam concepisse, evocat Uriam maritum eius, qui erat cum Ioab Davidis nepote in obsidione Rabba metropolis Ammonitarum: sed cum in domum suam non rediisset, et infamiam ex scelere suo secuturam sciret, curavit illum exponi hostibus, a quibus occisus est. Tum matrimonio sibi copulavit Bethsabæam, ut res lateret, sed frustra: rumor enim ubique sparsus est. Cum tamen David ad pœnitentiam non incitaretur, Nathan Propheta ad eum est missus, qui ovis similitudine ad mentem illum revocavit: Unde pœnitens exclamavit: Peccavi Domino, et postea hunc psalmum scripsit.

2. *Quænam fuit Bethsabæa?* Quæres primo. Quænam fuit Bethsabæa? Respond. ex 2. Reg. 11. 3. fuisse filiam Eliam, uxorem Uriæ Hethæi. Eliam porro fuit filius Achitophelis, ut docet S. Hieron. in traditionibus, Abulens. Dionys. Carth. Comestor, et alii: patetque 2. Reg. 23. 34. Ideo Achitophel avus Bethsabæe adiunxit se Absaloni rebellanti, ut ulcisceretur hanc iniuriam nepti suæ illatam. Dices 1. Paralip. 3. 5. Bethsabæa dicitur filia Ammiel. Resp. primo, quod erat binominis, ut erat frequens apud Hebræos. Secundo, quod Eliam et Ammiel sunt idem nomen, sed est transpositio litterarum. Eliam quoque Hebr. significat, Deus meus populus. Ammiel, populus meus Deus. Poterat tunc temporis Bethsabæa esse octodecim annorum, Eliam pater eius quadraginta, avus vero Achitophel sexaginta quinque. Urias porro erat vir fortissimus, et inter fortes David numeratus intra arcem Sion manebat. Iuxta arcem ædes Uriæ constituit Adrichomius, sed cum Villalpandus decem fere stadia ambitus det arci, nihil vetat domum Uriæ, et aliorum intra eam collocari. Hinc occasio affinitatis extitit cum Elia, qui erat etiam unus de fortibus Davidis, et occasio peccati ex vicinitate loci, et spe illud facile occultan-

di. Nota, Bethsabæa dicitur Hebr. בת שבע *Bath sceba*, id est primo, *filia saturitatis*, a prandio peccavit cum Davide: sine Cerere et Baccho friget Venus. Secundo, *Bath sceba*, id est, *filia septima:* fuit enim septima Davidis uxor. Tertio, S. Chrysost. hom. 1. in Matth. exponit, *filia potentis*. Etymon id non est clarum, sed tamen caveant sibi filiæ nobilium ac divitum. Nota secundo, in lib. 1. Par. 3. 5. vocatur בת שוע *bath sciua*, id est primo, *filia orationis*, vel *filia clamoris*. Nam R. Moses, et R. Abraham Peritsol dicunt *sciua* significare clamorem et orationem, q. d. rationem ferventem et vehementem, orationem cum clamore et ardore factam. Hoc ei accidit, cum Davidem imitata fecit pœnitentiam, et sancte vixit, fuitque ideo Prophetissa, ac Salomonem in omni virtute educavit. Secundo, *Bath sciua*, id est, *filia salvationis*, q. d. Salvata vel salvans. Tertio denique, *filia divitiarum*, q. d. Dives: quod de divitiis corporalibus et spiritualibus accipi potest. Probabile est eam fuisse binomiam, et primo vocatam fuisse Bath sceba, postea vero pœnitentem mutasse nomen cum vita, et dictam fuisse Bath sciua. S. August. et alii multi legunt, Bersabee, sed est error.

3\. *Quis fuit Nathan Propheta?* Quæres secundo, quis fuit Nathan, qui missus est ad Davidem? Resp. fuisse Prophetam Davidi familiarissimum, cui secreta sua et magni momenti negotia communicare solebat. Non fuit filius Davidis, sed præceptor postea datus est Salomoni. Hebræi putant illum quoque vocatum fuisse Ionatham. Salomoni favit, ut rex esset, et eum inunxit cum Sadoch summo Pontifice. Alius fuit Nathan filius Davidis ex Bethsabæa, cui hoc nomen probabiliter est inditum, quod hic Propheta esset charissimus et Davidi et Bethsabææ, suaque sanctitate et prophetiæ dono spectatissimus. Alius item fuit Nathan inter officiales Salomonis.

4\. *Quandonam missus ad Davidem?* Quæres tertio, quandonam missus est Nathan ad Davidem? Resp. ex titulo psalmi nostri: *Quando intravit ad Bethsabee:* ut scilicet cum ea peccaret. Est euphemismus. Res enim inhonesta exprimitur honesto verbo. Nam eloquia Domini, eloquia casta. Sic Daniel cap. 13. 54. ait seni scelerato Susannam de congressu cum iuvene accusanti: *Dic sub qua arbore videris eos colloquentes sibi.* Et tu in verbis castus esto. Cant. 5. 13. de Christo sponso animæ sanctæ dicitur: *Labia eius lilia distillantia myrrham primam.* Opus est mortificatione, ut sis castus in corde et ore. Adverte autem Davidem peccasse anno regni sui 19. ætatis 49. qui annus est septimus climactericus, qui magnam causat mutationem humorum, et consequenter morum et inclinationum: sicut annus 63. est nonus climactericus, et tantam affert alterationem in corpore, ut plurimi in eo moriantur. Non tamen eo anno 49. sed 50. Nathan adiit Davidem, ut illum argueret. Nam peccatum admissum erat anno 49. circa finem Iunii probabiliter: admonitio autem non est facta nisi post natum ex adulterio infantem post novem aut decem menses, circa finem Martii vel initium Aprilis. Tunc autem assumpsit similitudinem divitis unicam ovem a paupere rapientis, in quem David cum tulisset sententiam, cognovit se longe gravioris criminis et pœnæ reum esse, et de admisso scelere veniam petiit atque impetravit.

5\. *Ex Davidis peccato disce:* Ex his collige primo, tota vita timendam esse etiam sanctissimis. Nam David erat Propheta; 2. vir secundum cor Dei; 3. in matutino interficiebat omnes peccatores terræ per bonum propositum eo die non peccandi; 4. erat natus annos 49. et ad illum usque annum purissimus extiterat; 5. sex habebat uxores, et plures fortasse concubinas, et ad libitum alias licite ducere poterat; 6. a nullo ad secius incitabatur; 7. viri fortissimi et pro se bellantis uxorem esse Bethsabæam sciebat; 8. scandalum inde oriturum et ad gentiles ipsos emanaturum prævidere poterat, ut nihil dicam de Dei ira et vindicta. Tamen tam graviter peccavit per adulterium, et illud homicidio cumulavit, atque longo tempore impœnitens perstitit. Quis non perhorrescat? S. Aug. hom. 21. inter 50. *Sit*, ait, *casus maiorum, tremor minorum. Boni viri, Ecclesiæ filii, et in*

I\. *Tota vita timendum etiam sanctissimis.*

A *Christi amore perfecti, audientes tam sancti viri ruinam, abstinent oculos, non eos defigunt in pulchritudine carnis alienæ. De longe vidit illam David, de qua captus. Mulier longe, libido prope: numquid tu fortior David, Salomone sapientior? Si illos tam sanctos viros incauta familiaritas mulierum, et periculosa blandimenta vicerunt: quid de se cogitant illi, qui cum extraneis mulieribus, non solum conversari, sed in eadem domo manere nec metuunt, nec erubescunt?* Clemens Alex. lib. 3. Pædag. cap. 11. Lascivi aspectus, ait, et versatilibus et tamquam conniventibus oculis intueri, nihil est aliud quam oculis mœchari, cum per eos cupiditas ineat primæ pugnæ præludia: ita ipse.

II\. *Neminem sine gratia Dei a peccato surgere.* Secundo collige, neminem, licet fuerit alter David, id est, Deo amabilis, vel manu fortis, a peccato in quod lapsus sit, posse resurgere, nisi mittatur ad eum Nathan, id est, *donum* a Deo: gratia excitante supernaturali eget omnis peccator, sine qua non tantum novem aut decem B menses, ut David, sed tota æternitate in peccati macula et pœnæ reatu permanebit.

III\. *Nemini de venia esse desperandum.* Tertio collige, nemini esse de venia desperandum, licet graviter peccaverit, et diu in scelere perstiterit. S. Greg. in Ps. nostr. *Quisquis*, ait, *desperans de venia, agere pœnitentiam dubitat, David pœnitentiam ad animam reducat. Audiamus et nos David clamantem, et nos cum eo clamemus: gementem et congemiscamus. Audiamus flentem et collacrymemur: correctum et collætemur.* Id sumpsit a S. Aug. qui ait: Quisquis peccasti, et dubitas agere pœnitentiam pro peccato tuo desperando salutem tuam, audi David gementem. Ad te Nathan Propheta non est missus, ipse David ad te missus est. Audi eum clamantem, et simul clama, etc. ita Aug. qui prius vere dixerat: Multi cadere volunt cum David, et nolunt surgere cum David. S. Ambr. monuit Theodosium Imp. ut qui peccantem Davidem imitatus fuerat, imitaretur pœnitentem. S. Cyrillus Ierosol. catech. 2. eum vocat τύπον μετανοίας, *typum pœnitentiæ*. Hoc exemplar nobis est ob oculos ponendum, ut C secundum illud nos formemus. *Pictores, ait, naturam arte imitantur, et colores miscentes, corporum, quæ in aspectum cadunt, imagines depingunt: atque homines et bruta, et arbores, et bella, et pugnas, et cruoris torrentes, et lanceas, et loricas, et clypeos, et reges, et privatos, et regium solium, et regem sedentem, et barbarum infra eum iacentem, et peracutam cuspidem, et amnes fluentes, et varios campos effingunt: atque ut summatim loquar, omnia ea quæ oculis cernuntur, artis industria repræsentant. Ad eumdem igitur modum Prophetæ quoque virtutis ac vitii pictores quodammodo sunt. Nam ipsi etiam sermonis penicillo peccatorem, iustum, pœnitentem, stantem, cadentem, resurgentem, vacillantem pingunt. Et sicut pictores barbaros et cædes efficiunt: sic etiam ipsi peccatum inducunt, nunc impetum faciens, nunc victum, et prostratum, dæmonesque rursus nunc bellum inferentes, nunc bello lacessitos, itemque diabolum nunc insidias struentem, nunc fractum et profligatum. Quoniam igitur illis ars est, summo studio ac diligentia eam cognoscamus. Nam pictorum quidem tabulas dum intuemur, absque ullo fructu et commo-* D *do hinc recedimus. Quid enim utilitatis ex regiæ aut consularis imaginis aspectu percipio? Rex enim fieri, nec possum, nec volo. Quid igitur prodest id mihi contemplari, cuius cupiditas animum non incessit, et quod si concupiscam pœna afficior? Quid iuvat hominem opibus affluentem conspicere? Sive pauper sim, invideo: sive dives, aliorum invidia premor. Ac rursum eodem patiens in luctu et lamentis versor. Missas igitur illas imagines fac, atque ad hanc contemplationem oculos converte. Si consulem videro, quid mea refert. At si peccatorem, qui lapsus sit, ac postea surrexerit, huiusmodi spectaculum doctrinæ argumentum mihi existit. Eodem modo si iustum virum stantem conspexero, huiusmodi contemplatio ad virtutem me tamquam porrecta manu ducit. Ex hoc spectaculo rationem pugnandi et vincendi addisco. Rursus si probum virum, qui in fraudem impulsus sit, videro, ex huiusmodi*

conspectu cautior et sapientior fio. Ita ipse, et ait se psalmi huius imagine ad hanc doctrinæ materiam duci.

IV. Reges ipsos, si peccant, arguendos esse. Quarto collige, cum Deus specialiter inspirat, et ratio exigit, vel ipsos reges cum Nathan, S. Ioanne Baptista, S. Ambrosio, S. Chrysostom. S. Germano et aliis recensitis Ps. 118. 46. de suis peccatis esse admonendos. Primo, fortiter et efficaciter, etiam cum vitæ periculo. Secundo, prudenter, ingeniose, et modeste, ut vides in Nathan: sic facilius et suavius convertentur, nec chirurgi manum refugient, quæ oleum prius admoveat, quam pungat et vulneret. Tertio denique, patienter expectandum tempus, quo apostema fuerit maturum. In principio passiones sæpe torrentis instar sic irruunt, ut nullo obice sistantur: paulatim minuuntur, et facilius sanari possunt. David non est admonitus nisi post decem circiter menses, 1. ut vulnus melius appareret; 2. ut infirmitas humana videretur apertius; 3. ut tota vita se humiliaret David, et peccatum fleret; 4. ut ardentius et facilius resurgeret, videns æquitatem correptionis et misericordiam tantam Dei erga se.

V. Reges audire debere suos monitores. Quinto collige, reges, aliosque nobiles et divites debere audire suos monitores. Primo, patienter, eos loquentes non interpellando. Secundo, humiliter, illis obtemperando. Tertio denique, amanter tamquam ab iis summum beneficium accipiendo. Pretiosa enim, sed rara est veritas in aulis principum, et hanc gemmam vel totis suis opibus et dignitatibus emere deberent, cum sit sole ac stellis clarior et utilior. Hæc tria fecit David, ut ex dictis clarum est.

VI. Timendam prosperitatem. Sexto denique collige, timendam esse prosperitatem. Quamdiu enim David in afflictione fuit, sanctus extitit, hunc vero prosperitas et abundantia perdidit. S. August. in Ps. nostr. *Admonet*, ait, *tali exemplo, non se quemquam debere extollere in prosperis rebus. Multi enim res adversas timent, res prosperas non timent. Periculosior est res prospera animo, quam adversa corpori. Prius corrumpit prospera, ut inveniat quod frangat adversa. Fratres mei, adversus felicitatem acrius vigilandum est: propterea videte quemadmodum eloquium Dei in nostra felicitate tollat nobis securitatem. Servite*, inquit Ps. 2. *Domino in timore, et exultate ei cum tremore. In exultatione, ut gratias agamus, in tremore, ne cadamus. Hoc peccatum non fecit David, cum persecutorem Saulem pateretur. Quando David sanctus Saulem inimicum patiebatur, quando illis persecutionibus agitabatur, quando per diversa fugiebat, ne in manus eius incideret, non concupiscebat alienum, non adulterata uxore occidit virum. Erat in infirmitate tribulationis suæ tanto in Deum intentior quanto miserior videbatur. Utile quiddam est tribulatio, utile medici ferramentum, tamquam contra diaboli tentamentum. Factus est securus devictis hostibus: pressura caruit, tumor excercuit. Valet ergo hoc exemplum ad id, ut timeamus felicitatem. Tribulationem*, inquit Ps. 11. *et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi.*

Quæres quarto, cur hic psalmus quinquagesimo loco ponatur? Primo id fit, qui anno ætatis suæ quinquagesimo, ut dixi supra, David a Nathan est admonitus, et pœnitentiam egit de peccato admisso ann. 49. Secundo, et præcipue, quia quinquagesimus annus erat annus iubilæi et plenariæ atque perfectissimæ remissionis. Levit. 25. 10. *Sanctificabis* (id est, sanctam esse declarabis; 2. mihi consecrabis, et velut festum ac sanctum habebis, non arando, non serendo, non metendo) *annum quinquagesimum, et vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ; ipse est enim iubilæus*. Illo anno omnis servus Iudæus egrediebatur liber cum uxore et liberis; 2. omnia omnino debita remittebantur; 3. omnia bona alienata ad suos dominos et familiam revertebantur. De numero quinquagesimo lege Bungum libro de misteriis numerorum. 6. Cur hic psalmus ponitur quinquagesimo loco.

Quæres denique quinto, quis sit nexus huius psalmi cum præcedente? Respond. quod in præcedenti egit de die iudicii, et de minis a Deo intentatis contra peccatorem, hic vero se peccatorem confitens David postulat veniam secundum magnam misericordiam Dei. Eusebius varia parallela affert utriusque psalmi, illum consule.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

TRIA PRÆSTAT. PRIMO, VARIAS RATIONES PROFERT DAVID, QUIBUS DEUM FLECTAT AD PECCATI SUI CONDONATIONEM, VERS. 3. SECUNDO, IUSTIFICATIONEM PECCATORIS, EIUSQUE PLURIMOS EFFECTUS DESCRIBIT, VERS. 4. TERTIO DENIQUE, IN GRATIARUM ACTIONEM SACRIFICIUM LAUDIS POLLICETUR SE FACTURUM, POST SUAM IUSTIFICATIONEM, VERS. 15.

SECTIO PRIMA.

Quatuor considerat ad obtinendam misericordiam. Primo, Deum esse misericordem, vers. 3. Secundo, se peccatorem esse confitentem, vers. 4. Tertio, peccatum se admisisse, vers. 6. Quarto denique, dona sibi a Deo, tum promissa, tum collata, vers. 8.

PARAPHRASIS.

3. *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam:*

3. Miser ad misericordiæ fontem accurro: itaque mei, o Deus meus, miserere. Non eam gratiam meritis meis, sed tua unius misericordia nixus postulo.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.

Sicut assoles plena manu benignitatem tuam in omnes effundere, omnesque misericordiæ tuæ fluentis recreare ac mundare, ita mei abiectissimi peccatoris fœdissimum ulcus absterge.

4. *Amplius lava me ab iniquitate mea: et a peccato meo munda me.*

4. Iterum atque iterum sacro me gratiæ tuæ latice ablue adulterio Bethsabææ pollutum, et Uriæ cruore respersum. Ab horum me scelerum sanie taboque expurga.

5. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: et peccatum meum contra me est semper.*

5. Etenim eorum gravitatem agnosco, fœtoremque sentio: ac, furiarum instar, peccata mea diu noctuque animo meo obversantur, et minas intentant.

6. *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: ut iustifi-*

6. Ut hominibus scelus meum occultarem, novo scelere cumulavi: sed notum tibi fuit, quod admisi: et quidem in oculis tuis scelus patraveram, eoque leges tuas lu-

ceris in sermonibus tuis, et vincas cum iudicaris.

fregeram, ac te unum iudicem, vindicem, et dominum offenderam. Quod ego ingenue fateor, ut verax et iustus appareas in sermonibus tuis, quos mihi per Nathan prophetam declarasti, adulterii mo et homicidii accusans, pœnamque obiectans: Atque ut omnes aulici mei, aliiquo sciant te esse iustissimum, cum me iudicaveris, et merito supplicio addixeris.

7. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: et in peccatis concepit me mater mea.*

7. Moveat tamen te fragilitas mea. Nam in originali peccato conceptus sum, ex quo remansit fomes, qui facile flammas concipiat. In ipso matris utero, primoque conceptionis puncto primigeniam illam labem contraxi.

8. *Ecce enim veritatem dilexisti: incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.*

8. Moveant te pacta tua et promissa, quibus veniam pollicitus es contritis corde. Tu veritatis tenax es, eamque diligis. Moveant te tot dona mihi collata, ac præsertim tot revelationes, quibus mihi sapientiæ tuæ decreta et mysteria, aliis incognita, aperuisti. Ne tot tua munera iusto fulmine obruas.

QUÆSTIO UNICA.

Quibus rationibus misericordiam Dei obtinere David nititur.

7. Ordo sectionis. In primo psalmo pœnitentiali, qui sextus est ordine inter psalmos, egit David de contritione cordis, ut appa-ret, vers. 7. *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum.* In secundo psalmo pœnitentiali, qui est ordine 31. agit de confessione, ut patet, v. 3. *Quoniam tacui*, etc. ac v.5. *Delictum meum cognitum tibi feci, et iniustitiam meam non abscondi.* In tertio autem, qui est 37. agit de satisfactione, ut colligitur ex v. 8. *Afflictus sum, et humiliatus sum nimis.* In hoc denique quarto psalmo pœnitentiali loquitur de effectu contritionis, confessionis, et satisfactionis: de ipsa scilicet iustificatione peccatoris.

In hac itaque sectione implorat Dei misericordiam, in eamque rem rationes sumit ab ipso Deo, a se peccatore, a suis peccatis, et a donis Dei sibi collatis.

Primo, a Deo rationem duplicem petit; nam et misericors est, v. 3. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.* Et misericordiam exercet per effectus multiplices: *Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.* Unde petit ab eo lavari, v. 4. *Amplius lava me* etc.

Secundo, a peccatore seipso duplicem quoque sumit rationem. Nam et culpam suam intellectu agnoscit, v. 5. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* Et memoria versat, ac voluntate hæret: *Et peccatum meum contra me est semper.*

Tertio, a peccatis ipsis duplex etiam ratio sumitur. Nam actualia in Deum iudicem, et Dominum patrantur, v. 6. *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas cum iudicaris.* Originale vero infirmitatem nobis magnam reliquit: itaque proniores sumus in lapsum, et venia digniores, v. 7. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.*

Quarto denique, a donis Dei duplex ratio exurgit. Prima, ab illis quæ promisit: nempe se condonaturum peccata pœnitenti, v. 8. *Ecce enim veritatem dilexisti.* Secunda, a donis iam præstitis: *Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.*

ARTICULUS I.

Quam magna et multa erga peccatores misericordia Dei.

Cum David e lethargico sopore expergiscens videret in terra clamantem Uriæ sanguinem: in aula sua Nathan prophetæ minas, nobilium et principum susurros: in urbe, civium dolorem: in vicinis provinciis, risum et exprobrationem paganorum: in cælo, rubentem et fulmine armatam Dei vindicis dexteram vertici suo impendentem: non obiicit anteactarum virtutum splendorem ac merita, non præsentem purpuræ maiestatem ostentat; sed pater-
8. Vers 3. 1. Part. num in sinum trepidus convolat, et misericordem manum implorat, v. 3. MISERERE MEI DEUS SECUNDUM MAGNAM MISERICORDIAM TUAM, ET SECUNDUM MULTITUDINEM MI-

A SERATIONUM TUARUM DELE INIQUITATEM MEAM. Nota primo, pro *miserere mei* est Hebr. חננִי *choneni*, id est, miserere mei, veniam concede, in gratiam recipe; 2. largire dona, beneficus esto, beneficium da gratuitum, gratia me prosequere. Chald. est *chus*, id est parce, propitius esto et clemens. Est *chus alai*, q.d. Parce mihi, sive parce super me. Videbat scilicet vindictam Dei ex alto super se devolantem, et stricto gladio iugulum petentem. Minas eius Nathan intentat, 2. Regum 12. Syr. et Arab. רחם *recham*, significat misereri; 3. amare. Unde *rechim*, amor, dilectio, charitas, Cant. 7.7 et *rechima*, 3. Regum 10. 9. et Oseæ 3. 1. Misericordiam petit ex amore paterno profectam erga filium prodigum ad summam miseriam redactum. Græce, Septuag. et Theodotio habent, ἐλέησον με, id est, misereri mei: inde ἐλεημοσύνη, eleemosyna, stips quæ erogatur pauperi. David per peccatum velut latronem spoliatus et vulneratus petit misericordiam et eleemosynam boni Samaritani, id est, custodis, qui infundat oleum et vinum, et det pro se denarios duos, ἔλεος, Misericordia Dei ex amore procedit.
B misericordia, et ἔλαιον oleum quod est illius symbolum, sunt voce affinia. Latinum *miserere* indicat ex peccato oriri miseriam. Misericordia enim est compassio alienæ miseriæ in corde, qua si possumus, subvenire compellimur, ut ait S. Thomas 1. p. q. 21. art. 3. et 2. 2. q. 30. art. 1. atque in 4. dist. 15. q. 2. art. 1. Salomon monet Prov. 14. 34. *Iustitia* (Hebr. *chesed*, id est, pietas et misericordia) *elevat gentem: miseros autem facit populos peccatum.* Quanto magis reges, qui sunt capita populorum? Itaque rex David lapsus in peccatum, velut in lutum, gemmas coronæ et sceptri defluxisse cernens, implorat Dei misericordiam.

Secundo nota τὸ *mei*. Non enim ponit nomen suum David, sicut quando dicebat Ps. 131. *Memento Domine David, et omnis mansuetudinis eius.* Primo, quia David significat amabilem et amatum; item, manu fortem. Tunc autem erat inimicus Dei, aut se talem reputabat, nesciens se esse iustificatum: et per peccatum erat vulneratus et debilitatus, atque humi iacens in proprio sanguine et pu- 9. David nomen suum non audet proferre ob peccatum.
C tredine. Secundo, timebat ne illi exprobraret Deus tot beneficia collata. Tertio, ad humilitatem, quasi se nihil reputans, et omni nomine indignum. Ideo etiam se regem non vocat, aut Dei servum. Quarto, quia nomen suum dolebat deletum de libro vitæ. Urbanus Papa IV. eam rationem pro pœnitentibus affert in suo commentario in Ps. 50. *Miserere mei*, ait, *subticeo nomen meum: nam si illud tibi dixero, per id me forsitan non agnosces, eo quod post recuperatam alias sicut spero innocentiam baptismalem, ab illa dulci familiaritate tua me elongavi nimium imprudenter: in qua quando in montem orationis ad te olim aliquando ascendebam, tecum quasi amicus cum amico familiariter locuturus; me pluries recipere voluisti: et tunc meipsum cum Mose ex nomine cognoscebas. Et gaudebam in te cum aliis servis tuis, quorum scripta nomina sunt in cælis: et erat coram te honorabile nomen meum. Nunc autem quoniam peccata nomen meum de libro viventium deleverunt, et cum iustis non est scriptum, ideo illud non audeo nominare, vel ad tuam memoriam revocare:*
D *sicut ille vir beatus quem invenisti virum secundum cor tuum: qui et nomen suum et suam mansuetudinem tuæ beatæ memoriæ fiducialiter commendabat. Memento Do-*

mine David, et omnis mansuetudinis eius. Non enim tibi blandiens sive mihi audeo dicere sicut ille. Da imperium puero tuo, sive servo tuo, vel filio ancillæ tuæ. Quia hæc familiaritatis nomine me reum rogantem amplius, accusarent. Sed appellationem meam prosequens tactus dolore cordis intrinsecus, eo quod tuam iracundiam contra me excitavi, suspirans, iterum et iterum tibi dico: Miserere mei. Pene eadem habet Hugo a S. Victore, æqualis S. Bernardi: floruit enim circa annum 1130. Urbanus IV. vero sedere cœpit anno 1265. Concludit porro Hugo: *Ne ergo quæras Domine quis sim ego: tantum miserere confitenti peccatum suum, damnanti culpam suam, quærenti misericordiam tuam.* Sic dicebat Publicanus, id est, qui publica vectigalia exigebat, ideoque infamis et veluti publicus peccator erat, non se nominans, Luc. 18. 13. *Deus propitius esto mihi peccatori*, et ob hanc humilitatem descendit iustificatus in domum suam.

10. Deus considerandus ut iudex.

Tertio nota pro *Deus* Hebr. est אלהים *elohim*, id est iudex. Deum sibi proponit ut iudicem: 1. ut se reum esse fateatur; 2. ut se ad maiorem dolorem excitet; 3. ut maiorem Dei benignitatem ostendat, si misereatur, cum possit punire. Hugo a S. Victore cap. 58. in Psal. *Reus*, ait, *in causam ductus, considerat quod iudex suus nec falli potest, quia sapiens est: nec vinci potest; quia omnipotens est: nec declinari potest, quia ubique est. Videt ergo nullum omnino excusationi sive defensioni locum esse: et idcirco ad solam misericordiam flagitandam se convertit, dicens: Miserere. O quanta est virtus huius verbi, Miserere. Ac si diceret: O Domine, agnosco culpam meam, intelligo reatum meum, scio quid feci, scio quid merui: non ignoro cum quo mihi causa agitur, non ignoro quid pro culpa mihi debetur. Volo peccatum meum abscondere, sed tu nosti omnia. Volo resistere, sed tu potes omnia. Volo effugere, sed tu complecteris omnia. Quod ergo solum restat, de te fugio ad te. Fugio iram, fugio ad misericordiam. Miserere. Nolo ut intres in iudicium cum servo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens; quanto magis ego peccator et criminis reus? Non ego peto ut iudiceris mecum, sed ut miserearis mei.*

11. Deum suum David non audet dicere, quod se reum sentiat.

Quarto nota, non dicit, *miserere mei Deus meus*, sed tantum *Deus*. Neque enim suum audet appellare, in cuius odium incidit, et a quo recessit, velut servus fugitivus. Hugo a S. Vict mox citatus: *Non audeo dicere Deus meus, Deum solummodo agnosco, meum non præsumo. Ego enim peccando te perdidi: inimicum sequendo, a te recessi: malum amando, a bono elongavi. Propterea quasi leprosus, quasi eiectus, quasi separatus, quasi immundus, quasi alienus, appropinquare non audeo, accedere non præsumo. Sed tantum de longe stans, et ad te vocem levans, cum magna devotione, cum magna cordis contritione, clamo et dico: Miserere mei Deus. Dicant qui boni sunt, dicant qui mundi sunt, dicant qui puri sunt, dicant qui familiares sunt, dicant qui filii sunt, qui hæredes sunt dicant, Deus meus. Ego qui immundus sum, qui pollutus sum, qui abiectus sum, qui longe sum, qui patrem deserui, qui inimico me vendidi, qui in regionem longinquam abii, qui hæreditatem meam perdidi, qui substantiam meam luxuriose vivendo dissipavi: ego non dicam Deus meus, non dicam pater meus: sed tantummodo, Miserere mei Deus: fac me sicut unum de mercenariis tuis: quia non sum dignus vocari filius tuus.* Urbanus IV. hoc pie et eleganter amplificat, et ostendit quomodo Deus se nobis dederat per Incarnationem et Eucharistiam: *Cum esses*, inquit, *puer mihi natus, et parvulus Dei filius mihi datus: Datus inquam a Patre, qui sic dilexit mundum, ut te unigenitum suum daret: Datus a matre, quæ quasi altera mulier Samaritana, ut aleret nos in fame, in igne passionis te filium suum coxit, et in Sacramento altaris ad comedendum nobis dedit: Datus insuper a teipso, qui dedisti temetipsum pro nobis, ut nos ab omni iniquitate redimeres, et mundares. Cum inquam sic esses ab omnibus, quorum intererat, mihi datus: et ideo proprie, proprius Deus meus. Ego infelix propter peccata mea te perdidi: nam te illum esse veraciter recognosco, qui conquerendo de me et aliis peccatoribus dicis Ps. 118. 95. Me expectaverunt peccatores, ut perderent me. Et si te perdidi, omnia perdidi, atque etiam memetipsum: sed tu Deus qui a me imprudenter fuetus es tamquam vas perditum: et qui a dolente matre tua, quæ te in templo perdiderat, inveniri per tuam magnam misericordiam misericorditer permisisti: ita quod amplius te non perderet, sed sollicite custodiret: sic et tu.*

12. Misericordia est Dei propria dos ac principum.

Quinto nota, τo *Deus*, magnum est motivum sperandi misericordiam, q. d. ait Drogo Episc. Ostiensis lib. 1. de Sacramento Dominicæ Passionis: *Miserere mei Deus. Deus es, non homo tantum: Deus es, ego homo, ego plasma tuum, ego quem fecisti ad imaginem et similitudinem tuam: imaginis tuæ Deus miserere.* Misericordia est lucidissima regiæ coronæ gemma. Unde Vopiscus in Aureliano: Misericordia, inquit, prima dos Imperatorum ac Principum. Deo autem Regi regum et dominatori ita propria est misericordia, ut totus in misericordiam videatur transformatus. Hinc misericordia dicitur Ps. 58. 18. *Deus meus misericordia mea.* S. Dionys. Areopagita: *Deus*, ait, *est ipsa substantia bonitatis.* Secundo, est thesaurus inexhaustus misericordiæ, in quo infiniti benignitatis carbunculi ignescunt, smaragdi virent, promicant uniones. Huc intraverat Paulus qui dicebat Ephes. 2. 4. *Deus qui dives est in misericordia.* Rom. 2. 4. vocat divitias bonitatis eius: id est exuberantem et omnibus sufficientem Dei bonitatem. Tertio, Deus est portus misericordiæ, qui naufragis sinum expandit, et securitatem promittit. S. Chrysost. homil. 2. in Ps. nostr. Miserere mei Deus, inquit, ο λιμην ο ακυμαντος: *Tu inquam portus ab omnibus fluctibus vacuus et tranquillitatis plenus. Magnus peccatorum meorum tumultus est, sed ingens benignitatis Domini securitas. Quid enim est peccatum, si cum Domini benignitate conferatur?* αραχνη *araneæ tela. Ventus flat et araneæ tela disrumpitur. Deus vult, et peccatum non dissolvetur?* Quarto, Deus est infinitus misericordiæ oceanus, qui fundo caret. S. Chrysost. homil. 3. de Pœnitentia: *Tua malitia*, inquit, *mensuram habet: Dei clementia et pietas mensuram non habet: tua malitia, qualiscumque fuerit, humana malitia est: Dei clementia est incircumscripta.* Licet omnia attributa in Deo sint æqualia, cum sint essentiæ identificata, tamen miserationes eius dicuntur esse super opera eius. Et Ps. 111. 4. vocatur, *Misericors, et miserator, et iustus.* Ubi duplex assignatur misericordia, et unica iustitia. Nota pro *misericordia*, Chald. et Arab. est רחם *racham*. Item pro *miserationum*, Hebr. est רחמים *rachamim*, id est, viscerales miserationes. Nam *rechem* significat vulvam. Unde Paulus Deo tribuit Coloss. 3. 12. viscera misericordiæ. Et Deus ipse pollicetur Isaiæ 49. 15. quod etsi mulier obliviscatur filio uteri sui, tamen non oblivisceretur nostri, q. d. Sum plusquam mater vobis, vos plusquam materno amore complector.

13. Misericordia magna Dei quænam sit?

Quæres, quam misericordiam magnam intelligit, secundum quam optat, ut Deus sui misereatur? Primo, intelligit misericordiam Dei, prout distinguitur a misericordiis hominum, quæ sunt parvæ, cum homines habeant cor parvum et angustum, quod non potest capere et concaquere magnas miserias, sed statim illis deiicitur in profundum, ut Deus ostendit patri Gutieres Societatis nostræ. Dei vero cor est profundius mari, latius cælo. Itaque dicendum cum S. Chrysost. in benignitatis Domini mei pelagus me conieci. Hanc rationem iuvat, quod in Hebr. Chald. Syr. apud S. Hieron. Aquilam, Symmach. non reperitur τo *magnam*. Sed tantum, *Miserere mei Deus secundum misericordiam tuam.* Septuaginta vero addiderunt *magnam*, explicationis gratia, quia omnia quæ Dei sunt, magna sunt: sed præsertim misericordia. Unde si Deus esse vis, esto misericors. Seneca lib. 1. de clementia, c. 5. *Servare*, inquit, *proprium excellentis fortunæ, quæ nunquam magis suscipi debet, quam cum illi contingit idem posse quod diis, quorum beneficio in lucem edimur tam boni quam mali: Deorum itaque animum sibi assumens Princeps, alios ex civibus suis, quia utiles bonique sunt,*

I. Magna est respectu misericordiæ humanæ quæ parva est.

libens videat, *alios in numerum relinquat*, *quosdam esse gaudeat*, *quosdam patiatur*. Oleaster in illud Exod. 7. 1. *Ecce ego constitui te Deum Pharaonis*, sic ait: Expende quæso, quanta sit dignitas sancti Mosis, quem Deus sic evexit, ut Deum Pharaonis constituerit. Et similiter quanta sit prudentia eius et misericordia: *ut non eum statim occiderit, sed patientia quasi Dei* tulerit, et admonuerit. Quis enim hominum habens Dei potestatem in inimicum tam sævum, ad momentum illum ferret? Sed Dominus simul cum potestate dedit sancto viro longanimitatem, qua regem æquo animo ferret: ita Oleaster. Et S. Chrys. homil. 4. in epist. ad Philipp. Si quis, inquit, Principem laudet, nihil quod æque ipsum deceat afferet, ac misericordiam. Principatus enim proprium est misereri. S. Thomas in Psal. nostr. multipliciter magnam ait esse Dei misericordiam. Primo, *Dicitur magna*, inquit, *sua incomprehensibilitate, qua implet omnia. Ps.* 32. 5. *Misericordia Domini plena est terra.* Secundo, *magna sublimitate: quia miserationes eius super omnia opera eius.* Tertio, *magna duratione. Isaiæ* 54. 8. *In misericordia sempiterna misertus sum tui.* Quarto, *magna, virtute: quia Deum hominem fecit de cælo, Deum ad terram deposuit, et immortalem mori fecit.* Quinto denique, *magna per effectum: quia ex omni miseria potest homo per misericordiam elevari:* ita S. Thomas.

II. Magna est, quia peccata dimittit.

Secundo, *magnam misericordiam* petit David, etiam comparatione habita cum aliis Dei misericordiis: ut scilicet sibi peccata condonet, alia enim omnia nihil prosunt in oculis Dei maculato et eius inimico. Bellarminus: Vocatur, inquit, magna misericordia, qua peccata remittuntur: tum quia peccatum magna miseria est: tum quia comparatione huius misericordiæ, parva misericordia dici potest ea, per quam Deus bona temporalia tribuere solet: bona enim temporalia Deus inimicis etiam suis, atque iis quos in fine reprobaturus est, nisi resipuerint, præbet: gratiam vero remissionis peccatorum illis tantum donat, quos in filios et hæredes æterni regni adoptare dignatur. S. Chrysost. eleganter depingit victoriam misericordiæ divinæ de peccato hominum. Sic enim homil. 1. in hunc Psal. *Hunc psalmum*, ait, *imaginem voco. Si quidem varias personas in eo conspicio: 1. peccatum accedens et obtruncatum; 2. pœnitentiam astantem, et* συμμαχοῦσαν Θεῷ, *simul cum Deo pugnantem; 3.* φιλανθρωπίαν ἄνωθεν λάμπουσαν, *misericordiam desuper lucentem, quæ affert sapientiam, et multos lacrymarum fontes, a confessione promanantes habet.* S. Gregor. aliam tabellam proponit: scilicet medici ad eum accurrentis. Ponamus, inquit, ante mentis oculos aliquem graviter vulneratum, et vix iam ultimos huius vitalis auræ trahentem anhelitus, qui et nudus in sterquilinio iaceat, et vulnus nondum ligatum ostendat, advenientis medici desiderio confici, et agnitum ut sui misereatur precari: *Vulnus enim animæ, peccatum est*, de quo Isaiæ 1. *Vulnus, et livor, et plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo:* ita ibi. Et lib. 2. Mor. cap. 40. ait: *Est magnum animi solatium: ut pulsatis vitiis, cum se quasi nudari virtutibus conspicit, ad solam misericordiæ spem recurrat.*

III. Quia dimittit magna peccata.

Tertio, *magnam misericordiam* petit, etiam comparatione facta cum ea misericordia, qua remittuntur parva peccata: ita S. August. S. Athanas. S. Gregor. Didymus, Theodoretus, et alii. Theodoreti verba sunt: *Magna vulnera magnis indigent remediis: et qui in gravem et periculosum morbum incidit, maiori opera curari debet: et qui maximis criminibus obnoxius est, maxima eget benignitate. Propterea magnus David totum misericordiæ fontem in se effundi, et peccati ulcus abstergi vehementer postulat.* S. Gregor. utitur comparatione vulnerati et spoliati prope Iericho: *Quærant*, inquit, *parvam misericordiam, qui ignoranter contrahunt culpam. Ego autem sicut graviter cecidi, ita etiam scienter peccavi. Sed tu omnipotens medice et contemptores corrigis, et nescientes instruis, et confitentibus ignoscis. Utinam Domine Iesu ad me misericordia motus digneris accedere, qui descendens ab Ieru-* A *salem in Hiericho, proruens scilicet de summis ad infima, de vitalibus ad infirma, in angelos tenebrarum incidi, qui non solum gratiæ spiritalis mihi vestimentum abstulerunt, sed etiam plagis impositis semivivum reliquerunt. Utinam peccatorum meorum vulnera, data mihi recuperandæ salutis fiducia, alliges, ne deterius sæviant, si sanari desperent. Utinam oleum mihi remissionis adhibeas, et vinum compunctionis infundas. Quod si in iumentum tuum me imposueris, de terra inopem et pauperem de stercore suscitabis. Tu es enim qui peccata nostra pertulisti, qui pro nobis, quæ non rapueras exolvisti. Si in stabulum me Ecclesiæ tuæ duxeris, corporis et sanguinis tui me refectione cibabis. Si curam mei egeris, nec præcepta tua prætereo, nec frementium rabiem bestiarum incurro. Custodia enim tua indigeo, quamdiu carnem hanc corruptibilem porto*, Lege S. Chrysostomum hom. 2. in Ps. nostr. S. Innocentius ad particulare scelus descendit: Quia, inquit, magnum est adulterii peccatum. Addere poterat et homicidii; B cum, ut loquitur Tullius lib. de univers. Deus animal unum spectabile hominem, in quo animalia omnia contineret, effecerit. S. Hieron. se comparat Lazaro fœtenti, et postea suscitato: *Ego cinis*, ait, *et vilissima pars luti, et iam favilla: ego cunctis peccatorum sordibus inquinatus, diebus ac noctibus opperior cum tremore reddere novissimum quadrantem. Sed tamen quia Dominus solvit compeditos, et super humilem et trementem verba sua requiescit: forsitan et mihi in sepulcro scelerum iacenti, dicat: Hieronyme veni foras.*

IV Quia donat gratiam.

Quarto, *magnam misericordiam* petit, qua in iustificatione peccatoris Deus non tantum delet peccata, sed etiam dat gratiam supernaturalem, omnes virtutes infusas charitatis comites, ipsum Spiritum sanctum: et præterea opera bona mortificata vivificat. Pro *miserere mei*, Aquila vertit, δώρησαί μοι, *dona mihi.* Numquam Deus remittit peccata sine infusione gratiæ. S. Athanas. Non simpliciter misericordiam, inquit, sed magnam implorat: ut non solum a peccatis liberetur, sed etiam inter iustos censea- C tur: Ita ipse. Filium prodigum pater non solum recipit pœnitentem, sed etiam donat stola prima, id est, pristina, qua ante uti solebat, id est, veste Spiritus sancti, ut explicat Glossa interlin. 2. annulo, id est, signaculo fidei, ait Beda; 3. calceis, hoc est, promptitudine ad actus virtutum, ait S. Hieron. et S. Ambros. 4. vitulo saginato, id est, Christo in Eucharistia.

V. Quia lapsum iteratum impedit.

Quinto, *magnam misericordiam* petit, quæ impediat iterum lapsum in peccata. S. Bernard. serm. de triplici misericordia: *Sicut*, inquit, *sunt peccata minima, sunt mediocria, sunt et magna: sic est misericordia parva, mediocris, et magna. Magnus ergo peccator magna misericordia opus habet: ut ubi abundavit delictum, superabundet et gratia.* Deinde sese magis explicat: *Parvam misericordiam dico expectationem, qua non statim punit peccantem, sed expectat ad pœnitentiam. Parvam autem non in se, sed ad comparationem aliarum. Alioquin magna plane, magna omnino misericordia, expectatio Domini est. Nam peccantem Angelum omnino non expectavit, sed præ-* D *cipitavit: hominem quoque peccantem non distulit, sed protinus expulit e paradiso. Secunda misericordia est omnino maior priore, quæ facit ne prima sit infructuosa, et convertatur in damnationem mortis, dando scilicet pœnitentiam, sine qua expectatio non modo non prodest, sed obest plurimum.* Tertiam ait esse, cum quis amplius ad peccatum non revertitur. Subdit enim: *Difficilis prorsus res, et soli divinæ virtuti possibilis, susceptum semel peccati iugum a cervicibus excutere: quoniam qui facit peccatum, servus est peccati: nec est iam liberari nisi in manu forti. Hæc est magna misericordia magnis necessaria peccatoribus.* Urbanus IV. brevius et clarius dicit, 1. misericordiam parvam esse, cum Deus statim non punit, sed expectat ad pœnitentiam; 2. mediocrem, cum quis respondet huic expectationi; 3. magnam, per quam deinceps cavet quis gravia sive mortalia peccata. P[illegible]s aliter sermon. 48. in Psal. pœnit. Magnam ait esse Dei misericor-

diam in sceleratorum revocatione, tam a peccato, quam ab æternæ damnationis periculo. Ps. 85. 13. *Misericordia tua magna est super me, et eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Maiorem, in desolatorum et afflictorum consolatione. Ps. 118. 76. *Fiat misericordia tua, ut consoletur me.* Maximam, in peccatorum ad pœnitentiam et morum emendationem, longa expectatione. Psal. 85. 15. *Patiens et multæ misericordiæ.*

VI. Dat finalem perseverantiam.

Sexto, *magnam misericordiam* petit, qua tandem salvetur: ita S. Hieron. Minor, ait, misericordia est in præsenti; hoc est, quia homo cum non esset, ex nihilo creavit illum Deus, ut esset, et regit et gubernat. Maior misericordia dicitur: quando ipsum hominem quem creavit, in futuro remunerat.

VII. Quia Christum e cælo mittit ad homines salvandos.

Septimo denique, petit, ut Deus sui misereatur secundum misericordiam magnam, quem exhibiturus est in Incarnatione, in qua misericordia et veritas obviaverunt sibi, Ps. 84. 16. et Deus suscepit Israel, id est, populum Israeliticum et fidelem recordatus misericordiæ suæ, ut ait S. Zacharias in filii sui nativitate, Luc. 1. 54. in qua Simeon et Anna dicere poterant ex Ps. 47. 10. *Suscepimus Deus misericordiam in medio templi tui.* Atque ad rem nostram magis S. Petrus 1. epist. 1. 3. *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis.* Resurrectio enim fuit passionis et mortis Christi finis et terminus: ita S. Cyrillus, S. Chrys. S. Thom. Innoc. et alii: *Magna est misericordia,* inquit Cassiodorus, *quæ formam servi imposuit Domino mundi, ut panis esuriret, fons sitiret, virtus infirmaretur, vita moreretur, redemptor venderetur.* Corn. in epist. Petri: Misericordia Dei magna, inquit, id est, maxima et immensa est. Primo, *ex causa efficiente*, quia promanat a Deo, eiusque amore in nos immenso: tanta ergo est, quanta est deitas, cum qua unum est idemque. Secundo, *ex obiecto*, quia scilicet donavit nobis filium suum unigenitum, ut in eo viscera sua in nos effudisse videatur, iuxta illud Zachariæ: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto,* Luc. 1. Magna ergo est, quia Deus immensus se exinanivit usque ad mortem: mortem autem crucis, ut hominis sibi inimicissimi misereretur, eumque ab æterna miseria liberaret. Tertio, *ex subiecto*, quia nos homines, quasi vermes vilissimos plenos peccatis, omnique miseria ad se evocavit, et evexit ad suam gratiam, et gloriam, iuxta illud: *abyssus* humanæ miseriæ *abyssum* divinæ misericordiæ *invocat*, Ps. 41. 8. Quarto, *ex copia donorum*, quia innumera beneficia, gratias et dona nobis contulit, et conferre non cessat. Unde S. Aug. conc. 2. in Ps. 58. *Totum,* ait, *quidquid sum, Domine, de misericordia tua est. Ut enim essem, quid feci? ut essem qui te invocarem, quid egi? Quia ergo nemo te in misericordia largior, a quo accepi, ut essem, ab illo accepi, ut bonus essem, Deus meus misericordia mea.* Quinto, *magna est loco et tempore:* quia ad omnes homines omnium locorum, temporum et sæculorum se extendit, iuxta illud Ps. 35. 5. *Misericordia Domini plena est terra.* Rursum in sanctis durat in æternum. Sexto, *ex fine*, quia ducit nos ad magnum suum regnum, suæque hæreditatis et gloriæ immensæ nos participes facit et consortes, iuxta illud Psaltis: *Clamavi ad te Domine, dixi: tu es spes mea, portio mea in terra viventium,* Ps. 141. 6. Magna ergo est, 1. quia a magno manat Deo; 2. quia per magnum datur Christum; 3. quia magnam levat miseriam; 4. quia magna dat dona; 5. quia magnas ambit gentes, loca, et tempora; 6. quia magno nos beat cælo, et Deo. S. Greg. Cassiod. Innoc. et Drogo tract. de Passione Domini addunt, Passionem Christi specialiter appellari magnam misericordiam. Et vere infinita est atque inexplicabilis, ut Deus innocens pro vermiculo vitiis cooperto tanta patiatur.

14. Misericordiæ divinæ dimensiones.

Nota, si perfecte videre volumus quanta sit misericordia Dei, illius dimensiones spectandæ sunt, quales assignat Paulus sapientiæ. Eph. 3. 18. *Ut possitis,* inquit, *comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum.* Has quatuor misericordiæ divinæ dimensiones invenire possis, Psal. 102. 8. ubi dicitur: *Miserator et misericors Dominus, longanimis et multum misericors:* 1. miserator est, latitudine misericordiæ, et variorum effectuum eius orbem complens; 2. *longanimis,* longissimo tempore, misericordiæ suæ longitudine peccatores ad pœnitentiam expectans; 3. *misericors Dominus* dicitur, ut sublimitas seu altitudo misericordiæ eius ostendatur; 4. *multum misericors,* ad profunditatem inscrutabilem refertur. Ionæ 4. 2. prope idem asseritur: *Scio,* ait, *quia tu Deus clemens, et misericors es, patiens, et multæ miserationis, et ignoscens super malitiam.* Breviter illas dimensiones videamus.

Primo, longitudo misericordiæ Dei ab æterno et usque in æternum extenditur. Ps. 102. 17. *Misericordia Domini ab æterno, et usque in æternum, super timentes eum.* Luc. 1. ait Deipara v. 50. *Et misericordia eius a progenie in progenies timentibus eum.* Ps. 135. sæpissime ponitur illa intercalaris clausula: *Quoniam in æternum misericordia eius.* Philo lib. quod Deus sit immutabilis: Πρεσβύτερος, inquit, δικης ο ελεος παρ αυτω εστιν. Apud eum antiquior est misericordia quam iustitia: quippe qui pœna dignum non noscit iudicatum, sed ante iudicium. I. Longitudo.

Secundo, latitudo misericordiæ Dei extenditur a polo usque ad polum, et ab extremitate terræ ad aliam extremitatem. Ps. 118. 64. *Misericordia Domini plena est terra.* Primo enim extenditur ad omnes peccatores omnium nationum. Misericordia enim est sol ubique lucens, et omnes fœcundans. S. Ambr. in Ps. 118. *Plena,* inquit, *est terra misericordia Domini, quia omnibus data est remissio peccatorum. Super omnes sol oriri iubetur. Et hic quidem sol quotidie super omnes oritur. Mysticus autem sol ille iustitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, et omnibus resurrexit.* Unde Mazarinus serm. 24. in Ps. 50. Videat, inquit, lascivus Magdalenam, blasphemus Petrum, Paulum persecutor, inobediens Ionam, usurarius Zachæum, et Matthæum publicanus, fur pendentem in Cruce latronem, Davidem adulter et homicida. Secundo, misericordia Dei pleno cornu oleum suum in omnes effundit. S. Petr. Damiani serm. 61. *Nonne Samaritanus noster a latrone pessimo vulneratus attulit oleum et vinum ad purgandum et mitigandum vulneris magnitudinem: sed multum olei, parum vini: multum misericordiæ, iustitiæ parum: sic quippe decebat miserantem, sic misero expediebat.* II. Latitudo.

Tertio, altitudo misericordiæ Dei ad cælum usque pertingit. Ps. 35. *Domine in cælo misericordia tua;* 2. super cælos. Ps. 107. *Magna est super cælos misericordia tua;* 3. supra iustitiam Dei ipsius. Iacobi 2. 13. *Superexaltat misericordia iudicium.* Græc. κατακαυχᾶται, id est, gloriatur, q. d. Eminet supra iustitiam, et de ea triumphat. S. August. quæst. 105. in Exodum: *In arca,* inquit, *iussa sunt poni lex, et manna, et virga Aaron: in lege præcepta sunt, virga potestatem significat, manna gratiam: quia nisi cum gratia non est potestas præcepta faciendi. Veruntamen quia lex a quovis proficiente non ex omni parte completur, propitiatorium est desuper. Ad hoc enim opus est, ut propitius sit Deus, et ideo desuper ponitur: quia superexaltat misericordia iudicium. Duo vero Cherubini pennis suis obumbrant propitiatorium, id est honorant velando. Et vultus eorum sunt in propitiatorium, quia misericordiam Domini, in qua una spes est, valde commendant;* 4. misericordia Dei eminet potentiæ eius. Ps. 144. 9. *Miserationes eius super omnia opera eius.* III. Altitudo.

Possis itaque misericordiam depingere, gigantæa mole, sed pulcherrima specie virginem, quæ a cælo ad terram usque pertingens coronetur stellis, luna et sole, vestiatur splendenti luce, utraque manu polos sustentet ac verset, pedibus autem terræ velut scabello innitatur, atque singulis in vestigiis, quocumque pergit, rosas, hyacinthos, narcissos, flores omnes illuminata varietate producat. In ea mente erat Eugubinus, qui illud Ps. 102. 11. *Secun-*

dum altitudinem cæli a terra corroboravit misericordiam suam super timentes se, versans, sic loquitur: Si misericordia Dei videri posset, videremus eius verticem tangere sidera, totum quod intra cælum ac terram spatium interiacet, magnitudine eius repleri. Hæc ille, qui addit postea: Si misericordia Dei, tamquam regina, videri posset, in excelso throno sederet, implens quidquid interest inter cælum et terram.

IV. Profunditas. Quarto denique, profunditas misericordiæ Dei penetrat usque ad Limbos Patrum, usque ad purgatorium, et ad inferos ipsos, qui sunt in centro terræ. Primo enim, Christus in Limbos descendens omnes Patres inde liberavit. Secundo, Purgatorium etiam exhausit, et ex eo omnes eduxit. Tertio, in inferis punit citra condignum. Sed ut tibi Deus sit misericors, exerce misericordiam, quæ te impediat a lapsu in inferos, peccata tua eleemosynis redime, ne te præcipitent in tartara. S. Aug. hom. 39. inter 50. *Ante fores gehennæ*, ait, *stat misericordia, et neminem permittit in carcerem mitti*. S. Petr. Chrysolog. serm. 42. *Manducat Deus panem in cælo, quem percepit pauper in terra. Da ergo panem, si Deum debitorem, non iudicem vis habere. Misericordiam nescit divinus ignis exurere.*

15. Vers. 3. 2. Pars. Peccata varia Davidis. Quæres secundo, cur David petit multitudinem miserationum Dei? ait enim vers. eod. 3. ET SECUNDUM MULTITUDINEM MISERATIONUM TUARUM (Hebr. רחמיך *rachamecha*, q. d. Viscerallum misericordiarum, seu miserationum tuarum) DELE INIQUITATEM MEAM. Resp. ad quæsitum, quod petit miserationum multitudinem, quia habet multitudinem peccatorum. Primo enim peccavit peccato adulterii, polluendo Bethsabæam uxorem Uriæ Hethæi, id est, oriundi ex loco qui dicebatur *Eth*, sive *Heth*. Secundum Davidis peccatum fuit iniustitia et furtum, audito enim quod Bethsabæa conceperat, Uriam evocavit ab exercitu, qui duce Ioab obsidebat Rabba metropolim Ammonitarum, ut illi filius nasciturus imputaretur, sicque fieret hæres paternorum bonorum, ad quæ nullum ius habebat. Tertium eius peccatum fuit, quod conatus est Uriam inebriare, ut vino plenus adiret uxorem. Quartum peccatum fuit, quod mandavit Ioab, ut Uriam hosti obiiceret in loco periculosissimo, ut interficeretur. Quintum denique, quod Bethsabæam sibi in uxorem assumpsit post paucos dies. Dicitur enim 2. Reg. 11. 27. *Facta est ei uxor, peperitque ei filium. Et displicuit verbum hoc quod fecerat David coram Domino.* Theodoret. eas nuptias vocat illegitimas. Salian. tamen excusat Davidem, quia debebat consulere famæ et vitæ Bethsabææ, qua abusus fuerat, quæque lapidanda erat, si crimen innotuisset. Multa fuisse Davidis peccata, et ea fuisse gravia textus Hebraicus docet: *Dele iniquitates meas*, ut vertit S. Hieronymus; prævaricationes meas, ut Pagn. et Arias; transgressiones meas, ut Felix et Camp. qui etiam reddit, flagitia mea.

16. Misericordiæ et miserationis differentia. Nota, misericordia dicit habitum, miseratio actum eius. Itaque misericordia est fons, miserationes sunt rivi omnem in partem diffusi, qui Ecclesiæ et animæ sanctæ hortum irrigant. Cantic. 4. 15. de utroque dicitur: *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano*, id est, de Christo. Et Ioel. 2. 23. dicitur: *Dedit nobis imbrem matutinum et serotinum*, hoc est, in prosperis et adversis. Oseæ 2. 19. clare ait Deus: *Sponsabo te in misericordia et miserationibus.* Magnus et multus est ille torrens, ita ut non possit transvadari. Ezechiel 47. 5. David intentatis sibi a Gad Propheta tribus flagellis belli, famis, et pestis, ait 1. Paralip. 21. 13. *Ex omni parte me angustiæ premunt: sed melius mihi est, ut incidam in manus Domini, quia multæ sunt miserationes eius, quam in manus hominum.* Nicolaus de Cusa Cardinalis, lib. 8. Exercitationum: *Iesus*, inquit, *filius infinitæ misericordiæ, Patris scilicet misericordiarum.* Alludit ad illud Pauli 2. Cor. 1. 3. *Tu es Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis.* Auctor libri Sapientiæ inducit Salomonem dicentem, cap. 9. 1. *Deus patrum meorum, et Domine misericordiæ.* Lucifer Calaritan. Episcop. legit: Domine misericordiarum. Ad Ps. nostrum apte S. Iacobus cap. 5. 11. dicit: *Misericors Dominus est, et miserator.* Gr. πολυσπλαγχνος, *multorum viscerum*, hoc est, multæ miserationis. Hebr. vox *rachamecha*, ut monui supra, indicat Deo esse viscera materna. Isaias 63. 15. ait orans pro Iudæis paulo ante et sub Christi tempora obduratis, atque a Deo reiectis: *Ubi est zelus tuus, et fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum, et miserationum tuarum? Super me continuerunt se. Tu enim pater noster, et Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos.* Chald. ibi pro *multitudine viscerum* ponit, copia benignitatis.

Misericordias septem sibi collatas percenset S. Bern. serm. 2. in Dom. 6. post Pent. Primam, quod a multis peccatis adhuc in sæculo positum custodivit. Secundam, quod cum peccaret, Deus dissimulabat. Tertiam, quod cor eius visitavit, et immutavit. Quartam, quod pœnitentem misericorditer suscepit. Quintam, quod continendi, et emendatius vivendi, præstitit virtutem. Post istas quinque miserationes *in duabus aliis*, inquit, *bona largiris. Hæ duæ sunt, 1. gratia promerendi, qua videlicet munus bonæ conversationis indulges; 2 et spes obtinendi, qua donas homini indigno et peccatori de tua toties experta bonitate usque ad cælestia speranda præsumere.* Addo perseverantiam, quæ coronidem auream operi imponit. Nam ut ait S. Bern. in epist. Perseverantia est unica Regis filia, finis virtutum, et consummatio meritorum: sine qua nemo videbit faciem Patris cælestis: cui soli repromittitur gloria cælestis, dicente Christo, Matth. 10. 22. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit:* ita Bern. 17. Misericordiæ Dei variæ.

Sex Dei miserationes refert Pepinus serm. 49. in Ps. pœnit. Prima, inquit, miseratio est præservatio ab infinitis malis, quæ committi poterant. S. Aug. Omnia, inquit, peccata sic habenda sunt, tamquam dimittantur: a quibus Deus custodit, ne committantur. Secunda miseratio, est pœnæ dissimulatio. Sap. 11. 24. *Misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* Tertia miseratio est, dulcium in amara immutatio. S. Bern. Visitavit Dominus cor meum, ait, et immutavit: ut amara fierent, quæ valde dulcia prius erant. Quarta miseratio, est peccatoris benigna et gratiosa receptio. Ps. 31. 1. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.* Quinta miseratio, est a recidivo præservatio. Ps. 39. 12. *Tu autem Domine ne longe facias miserationes tuas a me: misericordia tua et veritas tua semper susceperunt me.* Sexta denique miseratio, est gratia perseverandi in bono proposito. S. Greg. de pœnit. dist. 3. Incassum: Sic, ait, incassum bonum opus agitur, si ante vitæ terminum deseratur. S. Bern. epist. 109. Perseverantia, inquit, sola virtutum coronatur.

ARTICULUS II.

Quam perfectam peccati remissionem a Dei misericordia David postulat?

Post petitam in genere misericordiam, speciatim exponit, quænam illa sit, v. 3. DELE INIQUITATEM MEAM. Fui enim iniquus et iniustus erga Uriam, ei uxorem et vitam rapiendo. Vers. 3. 3. Pars.

18. Peccata nostra in tribus libris scribuntur. Nota, cum quis peccat, eius scelus scribitur, 1. in libro conscientiæ ipsius; 2. in libro seu memoria dæmonis; 3. in libro seu memoria Dei omnia videntis, et suo tempore punituri. Ier. 17. 1. *Peccatum Iuda* (idololatria) *scriptum est stylo ferreo in ungue* (id est, ungue, seu stylo) *adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum.* Scribitur etiam in mente aliorum. Coloss. 2. 13. *Delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis.* Illud chirographum est obligatio ad pœnam æternam, qui peccat, scribit veluti syngrapham, qua se ad pœnam obligat, et illam in die iudicii repræsentabit dæmon. S. Ansel. putat illud chirographum esse nostram memoriam et dæmonum nos de peccatis accusantium. S. Thomas dicit chirographum esse memoriam Dei reservantis peccata ad pœnam de iis sumendam. Et dicitur, de-

creti, inquit, eo quod peccatum non tantum manet in memoria, sed etiam in decreto Dei, quo decrevit illud punire: cum vero Deus illud remittit, non remittit sic, ut faciat quod non peccaveris: sed sic ut peccatum admissum deleat, quasi de sua memoria et decreto, in quo illud reservabat ad vindicandum et puniendum: simulque facit, ut peccatum non maneat in dæmonis memoria ad accusandum, nec in peccantis conscientia ad eum contristandum: ita S. Thomas. Nisi deleantur, ea leges cum horrore, et omnes homines et angeli in die iudicii. Apoc. 20. 12. *Vidi mortuos, magnos et pusillos stantes in conspectu throni et libri aperti sunt: et alius liber apertus est, qui est vitæ.* S. August. lib. 20. de civit. cap. 14. legit, *vitæ uniuscuiusque.* Unde per libros qui aperti sunt, accipi vult sanctorum corda et mentes, in quibus Dei lex et voluntas scripta sunt: per librum autem vitæ intelligitur memoria sanctorum omnium, quæ per vim divinam cognoscet, quidquid in vita bene vel male gessit.

19. *Deus solus illa delet.* Dei solius est id facere. Hinc ait, *dele*, q.d. Nullus alius id potest facere. Hoc profitetur Deus Isa. 43. 25. *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me,* (propter paternam meam pietatem et misericordiam) *et peccatorum tuorum non recordabor*, ut ea puniam. Hæc repetitio, *ego, ego.* Item το *ipse*, est veluti gloriantis, et sibi applaudentis, ac lætanter et hilariter id facientis, atque ad se omnes in eam rem invitantis. Hoc autem facit tam facile, quam ventus nubes dissipat. Ibid. cap. 44. 22. *Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua.* Nubes sunt gravia peccata, quæ solis æterni aspectum tollunt, tonitrua et fulmina iræ Dei producunt, nos a cælo et rebus cælestibus separant: nebulæ sunt peccata venialia, quæ nos infrigidant, et nobis obscuritatem afferunt.

20. *Et quidem per solam pœnitentiam.* Deus autem peccata non delet, nisi per pœnitentiam. Hinc S. Petrus ait Act. 3. 19. paulo post adventum Spiritus sancti Iudæis sanationem claudi sedentis ad portam speciosam templi: *Pœnitemini et convertimini, ut deleantur* (Syr. ut expungantur) *peccata vestra.* Hugo Card. in Psal. nostr. Dele, inquit, de anima maculam, de libro memoriam, de conscientia remordentem vermem, de affectu appetitum, de gestu errorem. Et Lorin. Delet, inquit, mercator, de libro rationum, vel si quid aliud remisit, vel si debiti solutionem recepit: delet scriptor errores aut maculas obliterando aut radendo: delet pictor ex imagine quæ minus placent: delet index rei quem absolvit, causam sententiamque iam scriptam: delet nubem sol aut ventus: delet lutum qui calcat et subigit. Celebre est Theophili cuiusdam sanguine scriptum chirographum, ope divina eidem absque notis litterarum restitutum. Cæsarius lib. 2. refert, eum quidam præ contritionis vehementia peccata non posset confiteri, ea scripsisse in charta et confessario legenda dedisse, sed reperisse ea deleta.

21. *Vers. 4. Peccatum est sordidum.* Non satis est peccatum delere, lavandum est, et quidem sæpius, v. 4. Amplius (Hebr. הרב *hereb*, id est, multum, ut vertit S. Hier. et Flamin. plurimum, ut Felix. Pro imperativo sumunt Arias, Syr. et Arabs, et reddunt, multiplica. S. Fulgentius lib. 1. de remiss. pec. cap. 12. magis magisque. Campens. iterum atque iterum. Cassiod. usquequaque) LAVA ME AB INIQUITATE MEA (ab adulterio) ET A PECCATO MEO (ab homicidio) MUNDA ME. Syr. vertit: Multiplica lavare me ab iniquitate mea, et a peccatis meis munda me.

Nota cum S. Chrysost. hom. 6. η αμαρτια σηπεδων εστι, Peccatum est sanies. Origen. hom. 11. in Gen. Peccatum est res fœtida. Thren. 4. 5. *Qui nutriebantur in croceis* (Hebr. in cocco seu purpura, id est, qui charitate divina fulgebant) *amplexati sunt stercora*, id est, peccata infamia. Et cap. 1. 8. *Peccatum peccavit Ierusalem, propterea instabilis* (Hebr. נידה *nida*, id est elongata a consortio aliorum, sicut menstruata) *facta est.* Isaias deplorans scelera sui sæculi, dicit c. 64. 6. *Facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatæ omnes iustitiæ nostræ.* Arab. Iam facti sumus omnes velut abominatio, et universa iustitia nostra facta est sicut fructum panni cadaveris. Plotinus hominis animam scelere inquinatam comparat virgini forma præstanti et ornatu insigni, sed fœtidam in cloacam immersæ. Luxuria præsertim, in quam David inciderat, mentem inquinat. Upupa nidum potissimum facit ex hominis stercore, ut ait Arist. lib. 9. hist. animal. cap. 15. Impudicus totus est in cœnum immersus, instar scarabæi fœtentis. Si placet illum quoque cum fulicis compara, quæ capiuntur spuma, ut docet idem Arist. lib. citato, cap. 35. appetunt enim illam avidius. Ideo inspersa spuma illas venari mos est.

Primo itaque lavandum est peccatum, ut macula peccati tollatur. Ideo dicitur, *Lava me.* Philostratus lib. 6. de vita Apollonii hortatur omnes ευχεσθαι πηγαις, vota offerre et preces fluviis. Rationem subdit, θειαι γαρ, divinæ enim sunt Temere illi quidem lutulentis et terrenis fontibus divinitatem tribuebant: sed fons divinus est animas sanctorum irrigans, ac purgans, et fœcundans. Ad eum accedendum est, et cor purgandum ut admonet Isaias cap. 1. 16. *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum.* In Christi sanguine lavamus stolas nostras. Apoc. 1. 5. *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Ezech. 36. 25. *Tollam vos de gentibus, et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Aqua ista munda est aqua baptismi, de qua S. Paulus ad Titum cap. 3. 5. *Mundans eam* (Ecclesiam) *lavacro aquæ in verbo vitæ.* S. Cyprianus lib. 2. epistol. 2. ad Donatum, explicat quid sibi ea aqua contulerit: Ubi ego, ait, quamplurimis vitæ prioris erroribus implicatus tenebar, quibus exui me non posse crederem: sic vitiis obsecundans eram, et desperatione meliorum malis meis velut iam propriis ac vernaculis favebam. Sed postquam undæ genitalis auxilio superioris ævi labe detersa, in expiatum pectus ac purum desuper se lumen infudit, postquam cælitus spiritu hausto, in novum me hominem secunda nativitas reparavit: mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa: facultatem dare, quod prius difficile videbatur; geri posse, quod impossibile putabatur ut esset; agnoscere terrenum fuisse, quod prius carnaliter natum delictis obnoxium viveret: Dei esse cœpisse, quod iam Spiritus sanctus animaret. Scis ipse profecto, et mecum pariter recognoscis, quid detraxerit nobis, quidve contulerit mors ista criminum, vita virtutum, hoc est baptismus. In Canadensibus et Huronibus eam vitæ per baptismum subitam mutationem sæpe sum admiratus: ex brutis enim homines, et ex feris agnos mitissimos facit. Lege S. Aug. lib. 9. Confess. cap. 12. et seq. de seipso agentem. S. Clemens Papa lib. 6. Constit. Apostolicar. generatim loquitur cap. 26. *Omnis, inquit, secundum veritatem baptizatus, a spiritu quidem diabolico separatus est, intra sanctum vero Spiritum consistit: et in eo quidem, qui honestis actionibus studet, permanet Spiritus sanctus, eumque implet sapientia et intellectu, neque malum spiritum sinit prope accedere, cuius incursus et aggressiones observat.*

22. *Anima est lavanda.* *Hoc fit in baptismo.* *Et in pœnitentia.*

Christus promittit Samaritanæ aquam vivam, id est, Spiritum sanctum et eius gratiam, quæ animam lavat, concupiscentiæ ardorem temperat, sitim ac desiderium rerum terrenarum tollit, potentias omnes fœcundat atque vivificat, atque in vitam æternam homines deducit. Christus est fons misericordiæ inexhaustus. S. Ambros. serm. 30. *Invenio plane*, inquit, *fontem misericordiæ, fons de quo dicit Propheta Ps. 35. 10. Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen. Ipse, inquam, est fons qui in Evangelio a Samaritana muliere aquam postulat, sed peccata condonat: aquam putei reprobat, sed fontem vitæ perennis indulget.* Non poterat fons sitire, sed aquam vilem postulat, ut purissimam et pretiosissimam largiatur, qua mulier illa, quæ quinque viros habuerat, et cum adultero vivebat, penitus mundaretur; unde subdit idem sanctus Pater: *Sanctificata ergo per fidem Christi mulier domum rediit. De hac igitur dixisse Prophetam puto. Prov. 30. Eiusmodi est iniqua via mulieris meretricis, quæ cum se abluerit, nihil se dicit fecisse*

pravum. De hac plane dictum est, quæ posteaquam est fonte abluta Salvatoris, delictorum vitia non meminit, virtutem prædicationis assumit, et viva aqua abstergens maculas suas ad evangelizandum non conscientia peccati retrahitur, sed fidei calore compellitur. Nihil enim se dicit fecisse pravitatis, dum fit nuntia veritatis: et oblivione abnegat impudicitiam, dum devotione prædicat castitatem. Hæc enim virtus Christi est Domini, ut quamvis peccator, qui eius unda se laverit, denuo in virginem reparatus non meminerit ante quod fecerit, et rediviva nativitate infantiæ innocentiam præferat, iuventutis scelera non agnoscat, sitque virgo fide Christi, qui fuerat adulter corruptione peccati.

Rivi illius fontis sunt varia dona Spiritus sancti. S. Gregor. in Psal. nostr. Aquæ, ait, quibus diluitur iniquitas, dona sunt Spiritus sancti: quæ quasi torrens de supernis venientia, sicut electorum corda, ut germinent, irrigant: ita etiam ab omni inquinamento carnis et spiritus emundant.

23. *Animæ ablutio sæpe est iteranda.* Secundo, non semel tantum, sed sæpius lavanda est anima, quæ a peccato est maculata. Unde dicitur *amplius lava me:* quod et fœtor adhuc supersit, et subinde in levia delicta recidat, qui semel graviter lapsus est. Innocentius hoc loco, dicit iteratam lotionem fieri: *Quia culpa quæ nunc recenter dimittitur, licet tota per pœnitentiam diluatur, adhuc tamen pœnitenti fœtet et sordet, qui securitatem et serenitatem conscientiæ nondum habet.* Iob 9. 30. *Si lotus fuero quasi aquis nivis, et fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me.* Origenes homil. 8. in Levit. Etiamsi, ait, quis mundetur a peccato, et non sit iam in opere peccati, ipsa tamen vestigia sceleris commissi purgatione indigent.

Eliæ sacrificium placuit Deo, sed quam studiose, et quam sæpe ablutum? 3. Reg. 18. 34. *Implete*, ait Elias, *quatuor hydrias aqua, et fundite super holocaustum, et super ligna.* Quod cum semel, iterum ac tertio fecisset, oratione fusa ignem e cælo advocavit. Additur enim v. 38. *Cecidit autem ignis Domini, et voravit holocaustum, et ligna, et lapides, pulverem quoque, et aquam quæ erat in aquæductu lambens.*

Ob rationes quatuordecim. Mazarinus noster serm. 31. in Psal. 50. quatuordecim rationes affert, quibus ostendit iure postulari a Davide lotionem ampliorem. Prima, ait, petitur a S. Ambr. qui id dictum censet propter baptismi aquas, quibus perfectius homines erant mundandi, et illius effectus sentire cupiebat David. Secunda, est S. Augustini et Cassiodori, quod scilicet Propheta mundari cupiat in omnibus animæ facultatibus, et corporis sensibus, ab omnibus lapsis et immunditiis. Tertia, S. Gregorii, Brunonis et Didymi, ob maculas malitiæ magnas et inveteratas, et quarta propter occultas et oblivione deletas culpas. Quinta, Hesychii, ob reliquias, ita ut nullum peccati vestigium remaneat. Sexta, S. Athanasii et Innocentii, ut præter remissionem obtineat sanitatem, robur, pulchritudinem et tranquillitatem animi, qua prius fruebatur: ita ut non modo a reproborum numero recedat, verum etiam numero iustorum ascribatur. Septima, quod nemini prorsus certa est peccati remissio, cum scriptum sit Eccli. 5. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Octava, quod orationis perseverantia sit utilissima. Ps. 26. *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini.* Ut enim iustus in sua iustitia perseveret, eget misericordiæ divinæ continuatione. Nona itaque ratio petitur a desiderio in iustitia perseverandi per continuatam Dei gratiam. Decima, quod tanta puritas esse non potest, ut sit digna Dei oculis. Undecima, ut gratiæ ubertas ipsam peccati malitiam superet. Rom. 5. 15. *Non sicut delictum, ita et donum: sed* vers. 20. *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia.* Isaiæ 55. 13. *Pro saliunca ascendet abies, et pro urtica crescet myrtus.* Vel secundum Septuag. *Pro stipite vili ascendet cyparissus, et pro coniza myrtus.* Quod pulcherrime exponit Chald. interpres. Pro impiis consurgent iusti, et pro peccatoribus timentes peccatum. Duodecima, *amplius*, id est, plus quam peto, aut petere possum. Ut dimittas, aiunt Ruffin. et Chrysost. quæ conscientia metuit, et adiicias quod oratio non præsumit. Decimatertia, ob varios modos, quibus Deus animam mundat. Decimaquarta, et ultima, ut sit prophetia misericordiæ Salvatoris, quæ totum profudit sanguinem, cum guttula sufficeret. Ps. 119. *Et copiosa apud eum redemptio.*

Varias ablutiones Hugo Card. declarat. Primo, per baptismum, de quo Zachar. 13. 1. *Erit fons patens domui David, et habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatorum et menstruatæ.* Secundo, per pœnitentiam. Ps. 50. 9. *Lavabis me, et super nivem dealbabor.* 4. Reg. 5. 10. *Lavare septies in Iordane.* Iordanis enim interpretatur *descensio eorum*, sive *rivus iudicii* quod competit pœnitentiæ, in qua homo descendit per humilitatem, et ipsa procedit de corde iudicante seipsum, sicut rivus de fonte emanat. Tertio, per martyrium etiam fit ablutio. Apoc. 7. 14. *Laverunt stolas suas in sanguine Agni.* Deinde singulas pœnitentiæ partes particularia lavacra esse ostendit: 1. contritionem. Ierem. 4. 14. *Lava a malitia cor eorum;* 2. confessionem. Isa. 43. 26. *Narra si quid habes ut iustificeris;* 3. satisfactionem. Ps. 25. 6. *Lavabo inter innocentes manus meas.* Luc. 11. 41. *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* 24. *Ablutiones variæ.*

Commode quoque ablutionem illam maiorem ad omnes corporis partes referre possumus. Pepinus quæst. 5. in Ps. pœnit. Lava, inquit, pedes affectionum mearum depravatarum, sicut olim lavisti pedes discipulorum tuorum. 2. Lava manus ab operationibus malis, ut si fuerint sordidatæ per contactum mali operis, tua misericordia purgentur. 3. Lava caput meum a cogitationibus iniquis, quæ sunt sine intellectu. 4. Lava corpus meum a corruptione carnis. 5. Lava oculos meos ab aspectibus impudicis. 6. Lava os et linguam a verbis mendacii. 7. Lava aures meas ab audientia alienæ diffamationis. 8. Lava me ergo integraliter, ut in æternum partem habere merear tecum: quia scio quod nullus, nisi omnino mundus, potest tecum habitare in cælestibus: ita ille. Ablutio quoque amplior peti potest ob varios peccati effectus. Novem e multis recenset Corn. Thren. 2. 3. Vide a me dicta Pa. 6. 7. et 25. 6. et huius Psalmi v. 9.

ARTICULUS III.

Quam utilis et necessaria est proprii peccati cognitio et recordatio.

Post petitam a Deo veniam, propter ipsius misericordiam: nunc deducit rationem a scipso David noster, cum peccatorem se esse profitetur, v. 5. QUONIAM INIQUITATEM MEAM: S. Hier. iniquitates meas. Pagn. prævaricationes meas. Felix, transgressiones. Camp. scelera. Chald. מרודי *merodai*, quod interpres reddit, scelera mea: sed proprie significat rebelliones, contumacias, defectiones rebellando factas. Hinc *merod*, sive *marod*, onager. Hebr. פשע *pescia*, peccatum, iniquitas, significat etiam rebellionem. Syr. stultitias meas. Hic enim est סכלות *scihlut*, id est, stultitia. Ubi adverte quod radix *sciacal*, in coniugatione Kal significat intelligere: in Hithpaal, aspicere, respicere: in Hiphil, stulte et insipienter agere, stultum esse. Caveant sibi sapientes modica cerebri conversione ex sapiente fit insipiens, et ex sancto peccator. Spiritus Dei insiluerat in David, et leones, ursos atque gigantes vicit plenus sapientia et fortitudine: mulierem aspexit, et insipiens factus est: ET PECCATUM MEUM CONTRA ME EST SEMPER. 25. *Vers. 5.*

Ac vers. 6. TIBI SOLI PECCAVI, ET MALUM CORAM TE FECI: UT IUSTIFICERIS IN SERMONIBUS TUIS, ET VINCAS CUM IUDICARIS. *Vers. 6.*

Nota, multi multa scire desiderant, sed pauci seipsos. De primo, nempe de sciendi desiderio. Primo, Pythagoras Ægyptum petiit, ut aliqua naturæ secreta addisceret: 26. *Scientiæ desiderium vo-*

hemens in variis Philosophis.

cumque nescio quod Geometriæ arcanum reperisset, hecatomben diis immolavit, ut ait Apollodorus. Secundo, Apollonius Tyanæus plurimas provincias et universum Orientem peragravit, ut fabulosam solis mensam videret, sicut refert Philostratus in eius vita. Tertio, Aristodemus totam vitam consumpsit in avicularum speculanda natura. Quarto, Heraclitus adeo naturæ solis cognoscendæ desiderio tenebatur, ut diceret, optare se Phaetontis aut Capanæi instar, fulmine afflari, modo temporis alicuius spatio, solis sphæram contemplari posset. Quinto, Anaxagoras patrimonium vendidit, ut Philosophiæ studio vacaret. Sexto, Democritus res omnes terrenas neglexit, sibique oculos eruit, ne rerum occursantium obiectis in scientiarum contemplatione obturbaretur. Septimo, Plato tres Philolai philosophi libros tribus aureorum millibus emit, cum dives admodum non esset. Octavo, Aristoteles paucos Speusippi libros emit duobus fere millibus aureorum. De eo autem S. Gregor. Nazianz. orat. 1. contra Iulianum et Procop. lib. 4. histor. narrant, quod cum Euripi fluxum ac refluxum cognoscere non posset, in illius aquas se præcipitem dederit. Nono, Empedocles, et ille medicus, de quo ex Fazello egi alias, Ætnæ flamma absumptus est, et Plinius ignibus Vesuvii, quod curiosius et audacius illius incendii flammas scrutari vellent, et illarum causas.

27. Pauci peccata sua cognoscunt.

De secundo, nempe quod pauci peccata cognoscant, nos nimis docet experientia. Ratio a priori est, quia excæcatur illis peccator. Ps. 39. 13. ait David: *Comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem*, id est non potui videre. Dæmon est Naas rex Ammonitarum, qui cives urbis Iabes Galaad vult oculo dextero privare, 1. Reg. 11. 2. et Philisthæos ipsos in multis imitatur eruens utrumque oculum, Iudic. 16. 21. Secunda ratio etiam a priori est amor proprius, qui horret videre tantam in se deformitatem, ideo avertit oculos. Tertio, quia etiam attendenti est difficile videre multitudinem peccatorum, quia sunt multiplicata super capillos capitis: et gravitatem, quia est infinita: ac deformitatem, quia se tegunt ut plurimum veste virtutum. S. Diadochus Episcop. Phutices, qui floruit circa annum 390. in excellenti libro, quem scripsit de perfectione spirituali, cap. 27. *Paucissimorum est*, inquit, *lapsus suos perfecte cognoscere, eorum quorum mentibus numquam excidit memoria Dei. Quemadmodum enim nostri corporis oculi, cum sani sunt, cuncta possunt cernere, etiam culices in aere volitantes: cum vero turbati sunt, aut humore quodam suffuso septi, si quid in eorum aspectum incurrat grande, hoc tenuiter cernunt: minuta vero non sentiunt: sic anima si ardorem ex cupiditate mundi collectum studiose restrinxerit, etiam valde parva errata pro gravissimis ducens, lacrymas multas cum multa gratiarum actione continenter Deo offert. Iusti enim*, inquit, *confitebuntur nomini tuo. Contra vero si perseveret in cupiditate mundi, cum quid est ad cædem pertinens, aut aliud quid magno dignum supplicio, sentit illa quidem sensim, alia vero errata ne significari quidem sibi vult, imo sæpe numero in virtutibus ea ducit, et pro eorum defensione non pudet miseram oratione uti vehementi.*

28. Utilis est peccatorum cognitio.

Nota secundo, utilis est peccatorum præteritorum cognitio. Primo, quia illa cognitio horrorem ipsorum ingenerat. Hesychius: Beatum est, ait, cum quis proprium novit peccatum, et continenter ante oculos habet delicta sua. Nam qui cognoscit, meminit, et oculis animi delictorum suorum vulnera intuetur, erubescit pudore suffusus, atque recordationis angore premitur, et pudore coactus ad pœnitentiam properat: ita ille. De hac cognitione dolori iuncta intellige Davidem, cum ait: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco*. Lactantius lib. 6. institut. cap. 24. *Quem*, ait, *facti sui pœnitet, errorem pristinum intelligit*. Et Lorin. Cognoscit, ut par est, inquit, iniquitatem suam, cui displicet ac dolet: qui pœnam subire paratus est: qui ferre patienter arguentem et corrigentem: qui vitare omnino in posterum sibi proponit peccatum, peccatique occasiones: qui quanta sit eius malitia

A pensat, quantis bonis hominem spoliet: quam graviter Deum lædat: quantis obnoxium faciat suppliciis: quantam imbecillitatem ad opera virtutis inducat: quam noceat aliis exemplo: quot quantumque hominibus satisfacere debeat: qui quæ cognovit diligenter, idoneo etiam ministro Dei confitetur. Secundo, qui peccatum rite cognoscit, illud punit. S. Gregorius: *Iniquitatem meam ego cognosco, etc. Scio quem invocem. Iustum invoco qui et peccata odio habet, et ista impunita non dimittit. Sicut eius misericordiam expeto, ita etiam iustitiam ipsius attendo. Nam sic postulo misericordiam accipere, ut velim ab eo iustitiam suam auferre. Nolo ut peccatum meum sit impunitum*. S. Augustinus eos arguit, qui seipsos per pœnitentiam punire nolunt. Sunt multi, inquit, quos peccare non pudet, agere pœnitentiam pudet. O incredibilis insania! De vulnere ipso non erubescis, de ligatura vulneris erubescis. Magdalena secus fecit, nam *ut cognovit* Luc. 7. 37. medicum suum adesse, ipsa punivit sparsis comis B eius pedes extergens, et omnia vitii ornamenta abiiciens, et lacrymarum iuges fontes profundens. De vi lacrymarum hic lege S. Chrysost. Tertio, cognitio peccati præteriti avertit a peccatis futuris; ostendit enim mala inde prodeuntia. Hinc Didymus, qui ait: Quod semel est a se commissum, coram se retinet, non potest ad aliud patrandum induci. Quarto denique, peccati remissi cognitio ad agendas Deo gratias excitat. S. Chrysost. hom. 2. in Psal. 50. Contractus quidam, ait, et necessitudo est. Dat Deus, dat item ille cui salus affertur. Deus misericordiam dedit, confessionem vicissim dat, qui salutem ab eo accepit: ita Chrysost.

29. Contra id est, e regione.

Cum cognitione perpetuam memoriam peccati sui iungebat David: ET PECCATUM MEUM CONTRA ME EST SEMPER. Pro *contra me*, Hebr. est נֶגְדִּי *negdi*, id est, coram me, e regione mei. Septuag. ἐνώπιόν μου, id est, in conspectu meo, ante faciem et oculos meos. Sic etiam *contra* sumitur pro *coram*. Exod. 30. 6. ubi Deus ait Mosi: *Penes altare* (aureum, seu thymiamatis et incensi) *contra* C *velum* (id est, coram, prope velum, quod separabat sanctum a Sancto Sanctorum) *quod ante arcam pendet testimonii*, seu testamenti, *coram propitiatorio quo tegitur testimonium*, id est, arca, quæ continebat testimonium, id est, tabulas legis, qua Deus testabatur suam voluntatem. Et Matthæi 27. 61. *Erat autem ibi Maria Magdalena, et altera Maria* (nempe Iacobi et Ioseph mater) *sedentes contra sepulcrum*, id est, coram sepulcro, e regione eius. Noster tamen interpres, S. Hieron. et Flamin. maluerunt vertere *contra*, quia peccatum est coram peccatore tamquam ipsi contrarium. Origenes homil. 1. in Ps. 37. Est sane, inquit, facies quædam peccatorum: et, ut ita dixerim, color quidam et species, per quam mundari et recognosci solent ea, quæ aliquando commissa sunt: ita ipse. Sed facies illa est horrida et terrifica, 1. velut monstri; 2. accusatoris; 3. militis armati; 4. feræ; 5. serpentis; 6. exactoris; 7. carnificis. Aliqua iam dixi Ps. 49. 21. in illud: *Statuam ante faciem tuam*. Pauca addo.

30. Peccatum stat ante oculos peccatoris: I. Velut larva horrenda.

D Primo, peccatum stat, et sese obiicit ante oculos vel inviti peccatoris, sicut horrenda larva squallido luridoque vultu, flammantibus oculis, rugata et caperata fronte, exertis dentibus, voce terrifica, patulis unguibus iam iam in miserum involatura, eumque discerptura. Theodoretus: Non enim, ait, post concessam a te veniam peccati oblitus sum, sed ego malorum meorum imagines, *et spectra*, et quæcumque audacter patravi, perspicio, et nocte somnio, et interdiu mente verso: ita ille. Gigantæa mole apparent peccata, cum patrata sunt. Dicebant exploratores timidi, et de Dei potentia desperantes, qui missi fuerant in Chananæam, ut illam lustrarent, Numer. 13. 34. *Ibi vidimus monstra* (gigantes, qui Hebr. vocantur *nefilim*, id est, cadentes, irruentes, prosternentes: vel, quod qui eos aspiciebant, præ metu cadebant) *filiorum Enac de genere giganteo: quibus comparati quasi locustæ videbamur*. Est hyperbole.

II. Velut accusator.

Secundo, peccatum est accusator irata et terrifica facie

in reum frendens. Peccatum meum et culpa, ait Valentia, contra me est semper: quia semper accusat, et corrodit, et cudit, et conterit, et mordet conscientiam meam. Sic ipse. Paulus Rom. 2. 15. de Gentilibus habentibus legem naturalem et dictamen conscientiæ: *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.*

III. Velut miles.

Tertio, peccatum stat ut miles armatus stricto gladio in imparatum atque inermem insiliens. S. Ambrosius in Apolog. 1. David, cap. 9. *Sapiens*, inquit, *adversum se iudicat esse delictum suum, et tamquam hostiles acies, ita lapsus culparum suarum adversantium modo sibi arbitratur obsistere. Quidquid personuerit, quidquid increpuerit, culpa ei propria semper occurrit: quidquid fuerit dictum aut lectum, in se dictum putat: quidquid intenderit, se nutu, se oculis signari putat. Si epuletur, si cogitet, si oret ac deprecetur, ante oculos eius semper est error proprius, et momentis omnibus culpa pulsat conscientiam, nec quiescere, nec oblivisci sinit, velut gravis censor exagitat se terrore perpetuo. Omnia igitur adversa habet, qui ipse sibi displicet: ipse sui accusator, ipse sui testis est; nec invenit quo fugiat, quippe se perurget et stimulat. Sed hoc bonæ mentis est, vulnus sentire peccati. Nam qui expertes doloris sunt, non sentiunt vulneris acerbitatem, quod est immedicabilis ægritudinis. Qui autem aliquo dolore punguntur, sicut doloris sensu non carent, ita etiam non carent sanitatis profectu. Ubi enim doloris sensus, ibi etiam sensus est vitæ: sentire enim, vitalis vigoris ac muneris est: Unde et ille, qui errorem suum non agnoscit, insanit, furit, desipit: qui autem agnoscit, utique resipiscit, non respuit remedia sanitatis, seipse restringit, pœnitet eum culpæ, de ipsa semper cogitat, et cogitando se ipse condemnat. Iustus enim in primordio sermonis accusator est sui. Qui se accusat, iustus est, sobrius est, sanus est. Iustus favere sibi nescit rigorem iudicii etiam circa se non novit inflectere, recordationem lapsus proprii perhorrescit, et commissum erubescit errorem, omnem eius memoriam pavet, metuit, reformidat, gravem sibi se iudicat, seipsum arbitrum refugit, nec sese sibi audet committere, quod nullum putat sibi esse graviorem quam eum, quem latere non possit, fallere non queat, fugere ac vitare non repereat, nisi ut se sibi abneget, et Domini crucem tollat. Magna vis obnoxiæ conscientiæ. Magna supplicia timebant Adam et Eva, et cum Domini vocem in paradiso ambulantis audirent, cupiebant se abscondere, quos nemo quærebat. Cain quoque metuebat ne omnis eum quicumque inveniret, occideret.*

IV. Velut fera.

Quarto, peccata sunt velut feræ immani rictu in prædam involantes, et serpentes ac dracones sibilis suis horribile insonantes, ac spiris miserum circumplicantes. Thren. 2. 16. Ieremias agens ad litteram de Chaldæis vastantibus Ierusalem, et tropologice de peccatis et dæmonibus irruentibus in animam peccatricem, ait: *Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilaverunt, et frenduerunt dentibus, et dixerunt: Devorabimus.* Peccator evitans aspectum unius peccati, aliud sibi occursans et pœnam intentans horrebit: *Quomodo si fugiat vir a facie leonis, et occurrat ei ursus: et ingrediatur domum, et innitatur manu sua super parietem, et mordeat eum coluber,* Amos 5. 19. Et hoc præsertim accidet in die Domini, id est, in die iudicii.

V. Velut exactor.

Quinto, peccatum stat et urget velut importunus exactor debitum repetens: vel sicut satelles barbarus in carcerem mox rapturus. Gen. 4. 7. Deus ait Caino trementi: *Si male egeris, statim in foribus peccatum aderit.*

VI. Velut carnifex.

Sexto denique, peccatum stat ante oculos peccatoris velut carnifex ferro et facibus, laqueoque et fustibus terribilis, qui præsens et crudele supplicium semper intentet atque inferat. Iob 15. 21. *Sonitus terroris semper in auribus illius*, impii scilicet. Boetius lib. 4. de consolatione, prosa 3. Semper, inquit, præsumit sæva turbata conscientia. Dio Cassius refert, quod Nero postquam Agrippinam matrem suam occidit, dicebat se materna specie exagitari verberibus furiarum, tædisque ardentibus, nulloque loco tutum posse consistere. Alexander robore militari et vitiis magnus, Clyto sibi charissimo et fidelissimo occiso, conscientia sceleris furens, sibi manus afferre violentas volebat, sed a suis est impeditus, ut ait Seneca epist. 83. Hinc vere S. August. dicit lib. de vera innoc. cap. 4. Nullæ pœnæ graviores sunt, quam malæ conscientiæ. Et contra Secundinum, cap. 1. Senti, ait, de Augustino quod libet: sola me conscientia in oculis Dei non accuset.

31. Peccata debemus detestari.

Remedium est, ut firmo pectore et constanti animo peccatum primi et volentes aspiciamus atque detestemur, sic illa delebimus, et pœnam æternam vitabimus. Vide dicta Ps. 4. 5. Adde S. Chrysost. hom. 2. in Ps. 50. *Si*, ait, *peccatum memoria tenens, Deus e memoria obiicit. Si te illius oblivio capiat, Deus illius meminit.* Et postea: *Hunc nimirum animum sancti gerebant; virtutum enim suarum obliti, peccata sola memoria retinebant: non ut huius tempestatis homines, qui peccatorum suorum exuunt memoriam: at contra si quid boni egerint, in medium illud proponunt, ac se insolenter iactant.* Sicut faciebat Pharisæus, dicens bis ieiunare in sabbato, id est, in septimana, et dare decimas, unde non est iustificatus: sed solus Publicanus, qui memor peccatorum dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori. Horis præsertim serotinis illud examen faciendum est. Idem sanctus Pater pergit: *Annon codicem domi habes, in quo quotidianas rationes scribas? Habe item codicem in conscientia, et quotidiana peccata scribe. Cum in lecto tuo iaces, nec quisquam tibi negotium facessit, antequam somnus irrepat, libellum in medium produc, et peccata tua tecum reputa, dicens apud te: Numquid hodierno die, vel sermone, vel opere peccavi?* etc.

32. A peccatorum carnalium memoria est animus revocandus.

Nota tamen, a consideratione certorum peccatorum carni blandientium esse animum removendum, ne tentatio recurrat. In illis observandum illud Eccli. 21. 2. *Quasi a facie colubri fuge peccatum.* Sunt illa peccata instar meretricum, quæ etiam electæ vultu blandiuntur, et pretiosam viri animam rapiunt, ac favum distillantem habent in labiis. Hunc apud Cassianum Pinufius Abbas monet, Collat. 20. cap. 9. modum in memoria peccatorum tenendum esse: ne vel delectatio subrepat, vel antiquæ putredinis sola contagio tetro mentem fœtore corrumpat, et spiritalem virtutum fragrantiam, id est suavitatem boni odoris excludat. Quod si memoria illa pulset, ita ab ea resiliendum esse, sicut refugit vir honestus et gravis, si impudicæ ac procaci fœminæ in publico, aut colloquiis, aut amplexibus appetatur. Audiant et credant hæc scrupulosi, qui de confessionibus generalibus semper repetendis, consilia agitant. Prudenter notat auctor lib. de contritione cordis, qui extat tom. 9. S. Augustin. multos in recordationibus malorum suorum, dum etiam plorant, in ipsas eorum delectationes insipienter incidere.

33. Quomodo David dicitur soli Deo peccavisse? I.

Quæres, cur David dicit Deo, *tibi soli peccavi*, cum planum sit eum fuisse iniustum erga Uriam, cuius uxorem polluerat, cuique vitam eripuerat. Primo, Bredembachius, sensum esse vult, q. d. *Tibi soli*, id est, contra tuam unius gloriam peccavi: quia excellentia medici cognoscitur ex magnitudine et gravitate morbi. Sed hoc est nimis violentum.

II. Secundo, *tibi soli peccavi*, q. d. Licet in Uriam et Bethsabæam peccaverim, hoc tamen pro nihilo ducendum est, si comparetur cum offensa, quam contra te admisi. S. Ambros. epist. 7. ad Simplicianum, ubi de vera libertate et servitute disputat, et validis rationibus probat, solum sapientem vera gaudere libertate, et omnem insipientem esse servum. Verba eius sunt: *Quæramus illum vere sapientem, vere liberum, qui quamvis sub plurium hominum dominatu degat, libere dicit: Quis est qui mecum iudicio contendat? Tu solus manum tuam a me abstine, a cuius conspectu non potero me abscondere, et timor tuus non me percellat. Quem secutus David rex ait: Tibi soli peccavi. Regali enim subnixus fastigio, quasi legum Dominus legibus reus non erat, soli Deus obnoxius tenebatur, qui do-*

minus est potestatum. Alium audi liberum, 1. Corinth. 4. Mihi autem pro minimo est, ut a vobis diiudicer, aut ab humano die, sed neque meipsum diiudico. Nihil enim mihi conscius sum: qui autem diiudicat me, Dominus est. Vera libertas hominis spiritualis, quia diiudicat omnia, ipse autem a nemine diiudicatur, nec a quacumque creatura participe, sed soli Deo se subditum novit, qui solus sine peccato est, de quo dicit Iob: Vivit Dominus, qui sic me iudicat. Solus enim ille potest iudicare iustum, cuius in conspectu cælum non est mundum, nec stellarum pura et clara lumina. Quis est qui Sophoclea in medium ferat carmina dicentia: Iupiter mihi præest, nullus autem hominum? ita Ambros. qui addit Iob et Davidem esse longe antiquiores Sophocle. Et vero Iob anno mundi 2328. David 2950. Sophocles vero 3569. sunt nati.

III. Tertio, *tibi soli peccavi*, quia tu solus mihi leges dare poteras, cum Rex supremus essem: ita S. Ambr. loco citato, et apolog. 1. cap. 10. ubi ait: *Rex utique erat: nullis ipse legibus tenebatur: quia liberi sunt reges a vinculis delictorum. Neque enim ullis ad pœnam vocantur legibus, tuti imperii potestate. Homini ergo non peccavit, cui non tenebatur obnoxius.* Sed quamvis tutus imperio devotione tamen ac fide erat Deo subditus: et legi eius subiectum se esse cognoscens, peccatum suum negare non poterat, sed quasi reus cum amaritudine fatebatur, qui sciret maioribus vinculis se teneri, quia maiora deberet: quoniam plus ab eo exigitur, cui plus commissum est: ita etiam S. Chrysost. S. Cyrill. Aignan. et Valentia, aliique.

IV. Quarto, *tibi soli peccavi*, id est, tu solus es, qui me peccantem possis iudicare et punire: itaque a te uno misericordiam postulo: ita S. Hieron. S. Ambr. in Apolog. S. August. S. Gregor. qui sic loquitur: *Homo homini non peccat, quia eum aut par, aut gravior culpa inquinat. Deus solus iuste peccata ulciscitur: quia ipse solus est, in quo non potest inveniri quod puniatur. Quia ergo solus Deus parcit, solus iuste iudicat, ipsum solum offendit qui peccat. Quo enim se quisque peccando dissimilem Deo facit, eo tremendam superni iudicis maiestatem offendit.* Paschasius Diaconus Cardinalis Romen. Eccl. vir magnæ eruditionis et virtutis, qui floruit circa ann. 499. in lib. de Spiritu sancto contra Macedonium, sic ait: *Dei solius est absolvere annexa, redintegrare corrupta, expiare maculata. Et ideo ad eum conscii nostræ infirmitatis et suæ maiestatis, cum gemitu proclamamus: Tibi soli peccavi Domine, qui solus non teneris lege peccati, qui solus ab ea non actualiter, sed naturaliter alienus es, et ideo solus absolvere debitores potes, qui a debitis solus immunis es. Qui quod habes, non aliunde mutuatus es, sed de tuo plenus es. Non enim prior quisquam dedit tibi, nec aliunde derivatis virtutibus irrigaris, nec ex alio aliquo in te facta transfusio est, sed ipse fons est fluminis tui, et gloria tua, tua natura est: sicut nuntium nescit, sic nihil a priore suscipit.*

V Quinto denique, et optime, *tibi soli peccavi*, id est, peccavi te solo conscio et inspectante, q. d. Tam caute peccata mea in principio texeram, ut nemo adverteret: sed tu solus intima cordis mei secreta, et occulta cubiculi penetralia videbas. Itaque sequens hemystichium: *Et malum coram te feci*, est huius explicatio. Alii tamen sensus boni et commodi sunt præter primum.

34. Peccare Deo spectante est gravissimum. Hoc maxime acerbat scelus, quod Deo spectante committitur. Itaque considerandum est quod dicitur: ET MALUM CORAM TE FECI. Hebr. est, *In oculis tuis*. In nobis ipsis oculi Dei sunt intime præsentes, intra ipsos peccata committimus. Chald. vertit, *Coram te solo peccavi, et malum hoc coram te feci.* Ubi vides confirmari sensum quintum et ultimum. Arab. *Et inter manus tuas commisi scelera*, q. d. Tu me manu tenebas, ut foveres, dirigeres, sustentares, demulceres, et tamen eo ipso tempore inter manus tuas scelestus eram. Contemptum hunc præsentiæ suæ Davidi exprobrat Deus per Nathan Prophetam, qui eum sceleris admonuit, 2. Reg. 12. 9. *Quare contempsisti verbum Domini* (id est mei, qui sum Dominus tuus) *ut faceres malum in conspectu meo? tu fecisti abscondite, ego autem faciam in conspectu omnis Israel.* Tum divulgando tuum peccatum, tum te puniendo.

Nota, Deus est oculus insomnis, in omnes hominum actiones et cogitationes excubans, intimaque mentis abdita subiens. Iob 34. 21. *Oculi Domini super vias hominum, et omnes gressus eorum considerat. Non sunt tenebræ, et non est umbra mortis, ut abscondantur ibi qui operantur iniquitatem.* Prov. 15. 3. *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos.* Vide dicta Psal. 15. S. Chrysost. hom. 4. in Gen. Θεος ακοιμητος οφθαλμος, *Deus oculus insomnis, cui omnia nuda sunt et cognita.* Lux est omnia penetrans, neque hemisphærium modo nostrum, sed etiam universum orbem simul illuminans. S. Gregor. Naz. orat. 4. f. 639. Θεος εστι, ait, φως το ακροτατον, και απροσιτον, και αρρητον, *Deus est lumen summum, et inaccessum, atque ineffabile, neque mente conceptibile, neque sermone explicabile, omnem rationalem naturam illuminans. Quod in sensibilibus est sol, hoc in intelligibilibus est Deus.* 35. Deus est sol omnia intuens.

Effecta lucis illius et oculi divini recenset Mazarinus noster serm. 36. in Ps. 50. Primo, inquit, remotissima pervadit. Iob 38. 29. *De longe oculi eius prospiciunt.* Secundo, secreta penetrat. Hebr. 4. 13. *Omnia nuda sunt et aperta oculis eius.* Tertio, ad cor ipsum pertingit. 1. Reg. 16. 7. *Homo videt ea quæ patent, Dominus autem intuetur cor.* Quarto, hominum actiones considerat. Ps. 93. 9. *Qui finxit oculum non considerat.* Quinto, iudicat. Ps. 10. 5. *Palpebræ eius interrogant filios hominum.* Sexto, terrorem incutit. Ps. 103. 32. *Respicit terram, et facit eam tremere.* Septimo, iustorum opera bona approbat. Gen. 4. v. 4. *Respexit ad Abel, et ad munera eius.* Octavo, multiplicat suos. Lev. 26. 9. *Respiciam vos et crescere faciam.* Nono, utitur misericordia. Ps. 24. 16. *Respice in me, et miserere mei.* Decimo, auxilium affert. Ps. 9. *Oculi eius in pauperem respiciunt.* Undecimo, exaudit. Ps. 101. 18. *Respexit in orationem humilium et non sprevit preces eorum.* Duodecimo, convertit. Luc. 22. 61. *Et conversus Dominus respexit Petrum: et egressus Petrus flevit amare.* Decimo tertio denique, punit. Isaiæ 3. 8. *Adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos maiestatis eius.* Illius aspectus effecta.

Aspectus ille Dei requirit a nobis summam pietatem. Boetius lib. 5. de consol. prosa ult. *Magna*, inquit, *vobis est, si dissimulare non vultis, necessitas indicta probitatis, cum ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis.* Ea de causa homines arguit Sibylla, ac præsertim superbos, quod Deum non honorent. Sic enim ait lib. 1. oraculorum, quæ extant tom. 3. Bibl. Gr. Patr. 36. Dei aspectus pietatem a nobis exigit.

Mortales homines, vilissima corpora carnis,
Cur vos effertis, neque finem cernitis ævi?
Non tremitis, summumque Deum (quo præside statis)
Non formidatis, μαρτυρα παντων, *qui conspicit omnia (testis?*

Maledicuntur a Deo, qui omnia contuentem illum cælestem oculum non contemplantur. Isa. 29. 15. *Væ qui profundi estis corde*, (id est, qui ita profunda et secreta initis consilia) *ut abscondatis* (id est, putetis vos posse abscondere) *a Domino consilium: quorum sunt in tenebris opera, et dicunt: Quis videt nos, et quis novit nos? Perversa est hæc vestra cogitatio: quasi si lutum contra figulum cogitet et dicat opus factori suo: Non fecisti me; et figmentum dicat fictori suo: Non intelligis.* Chald. vertit, non intelligis me. Meretrix adolescentem invitans dicit Prov. 7. 19. *Non est vir in domo.* Et adulter seipsum urget ad malum, et quilibet peccator. Iob 24. 15. *Non me videbit oculus.* Eccli. 23. 26. *Quis me videt?* Idololatræ. Ezech. 8. 12. *Non videt Dominus nos.* Sed errant; nam, ut vere ait Seneca: *Patemus Deo. Quid agis? quid machinaris? quid abscondis? custos te tuus sequetur: habet hic quo carere nunquam potes: quid locum abditum legis, et arbitrum removes?*

Quæres, quis est sensus horum verborum, *ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas cum iudicaris?* Nota, τὸ versiculi. 37. Sensus versiculi.

ut, sæpe in Scripturis non sumitur causaliter, sed consecutive, id est, ita ut non denotet causam, sed effectum et consequentiam. Sensus itaque est, q. d. Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: et inde consequens est, ut iustificeris, et iustus appareas in sermonibus, quibus usus es mihi per Nathan minas et pœnas intentans ob admissa peccata, et vincas cum me iudicaveris et punieris. Pagn. vertit, cum iudicaveris tu. Felix, cum iudicabis. Sensus hic est facilis et planus. Ne mihi aut Ægyptiorum Bochorim, aut Deiocem Medorum, aut Atheniensium Areopagitas, aut Ephoros Lacedæmoniorum commemores, qui iustitiæ laude floruerunt: si enim eorum iustitiæ cum Dei iustitiis conferantur, nihil sunt præter pannum menstruatæ. Ps. 10. 7. *Iustus Dominus, et iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius.* Hebr. possunt etiam pati versionem. S. Hieronym. *cum iudicaberis.* Idem est sensus, Θεὸς ἀεὶ νικᾷ, Deus semper vincit. Dicebat quidam Valenti.

Secundo tamen non improbabiliter S. Greg. τὸ *ut iustificeris*, non refert ad immediate præcedentia, sed ad τὸ, *miserere mei Deus.* Et si τὸ *ut* sumetur causaliter. Verba Gregorii sunt: Iudicabunt te, qui negant post lapsum reparationem fieri, et remissionem peccatorum nemini dandam astruunt. Quos si mihi peccatum remiseris, velut fabricatores mendacii et perversorum dogmatum cultores superabis. Vel, iustificeris in sermonibus tuis. Promisisti enim quod de stirpe mea carnem sis assumpturus: sed si me de tanto non emundes scelere, de cuius semine carnem assumas videor indignus: ita ipse.

ARTICULUS IV.

Misericordiam Dei commovere potest infirmitas orta ex peccato originali.

38. Vers. 7. POST confessionem de peccato actuali, subiicit David infirmitatem suam ex peccato originali, ut Dei misericordiam excitet, v. 7. ECCE ENIM IN INIQUITATIBUS CONCEPTUS SUM, ET IN PECCATIS CONCEPIT ME MATER MEA.

Copula coniugalis est sancta, sed in ea facilis lapsus. Quæres primo, de quibus iniquitatibus et peccatis hic agitur? Primo, Chald. intelligit de iniquitatibus et peccatis, quæ admiserunt parentes Davidis in actu coniugali. Sic enim vertit: *Ecce enim in iniquitatibus cogitavit pater generare me, et in peccato fomitis pravi incaluit de me mater mea.* Sed reiicienda est hæc expositio, quia primo usus coniugii licitus et honestus est, atque actus virtutis si debite fiat. Secundo, indecens erat ut David culpam suam reiiceret in parentes. Advertant tamen coniuges, raro actum coniugalem esse sine aliqua immoderatione concupiscentiæ, et peccato veniali. Unde S. Ægidius socius S. Francisci monuit quemdam, e proprio dolio posse quem inebriari, non minus quam ex alieno. S. Ambr. Apolog. 1. David, cap. 11. *Bonum quidem coniugium, sancta copula: sed tamen qui habent uxores, ita sint ac si non habentes. Ipse thorus incoinquinatus, et nemo alterum fraudare debet, nisi forte ad tempus, ut vacent orationi: tamen secundum Apostolum non vacat orationi, qui eo tempore usum corporeæ illius conventionis exercet, et mulieris menstruatæ coinquinatus est pannus, nec potest illis diebus purgationis suæ offerre sacrificium. Et mulieris quæ generavit, dies partus, et plerique alii a sacrificio feriati sunt, donec legitimo ritu fœda mundetur.*

39. In originali peccato concipimur. Secundo igitur de peccato originali hic locus est intelligendus: ita S. Athanas. S. Chrysost. S. Hier. S. Ambr. S. August. Theodoret. ac passim alii omnes. Favet Hebr. Syr. Arab. qui habent, *in iniquitate conceptus sum.* Item Hebr. Chald. S. Hieron. *in peccato*, id est, cum peccato, cum iniquitate, q. d. Habens peccatum et iniquitatem. S. Ambr. Apolog. cap. 11. *Antequam nascamur*, inquit, *maculamur contagio: antequam usuram lucis, originis ipsius excipimus iniuriam: in iniquitate concipimur.* Et postea: *Merito David deploravit in seipso inquinamenta naturæ, quod prius inciperet in homine macula, quam vita.*

40. Quæres secundo, quandonam incipiat peccatum originale, et quid sit? Ad primum satisfacit David, cum ait: *In iniquitatibus conceptus sum.* In ipsa conceptione, et prima infusione animæ in corpus, est illud originis peccatum. Ut docet S. Thom. 1. 2. q. 8. art. 1. ad 4. et in 2. dist. 32. q. 2. art. 1. et in 4. dist. 6. q. 1. art. 1. Ad secundum, quid scilicet sit originale peccatum, ait idem S. Doctor, esse habitum sive languorem naturæ, id est inordinatam dispositionem, ex dissolutione harmoniæ originalis iustitiæ: ita 1. 2. q. 82. art. 1. et 1. p. q. 100. art. 1. vocat illud peccatum mundi, quia est commune toti mundo: Ita opusculo 10. art. 28. Formale eius est privatio originalis iustitiæ: materiale autem est concupiscentia, id est, inordinatio partium animæ, ut docet 1. 2. q. 82. art. 3. et in 2. dist. 30. q. 2. art. 3. Peccatum originis quando incipiat.

41. Omnes originali peccato inficiuntur. Ex his sequitur omnes homines, excepto Christo et Deipara, infectos esse peccato originali. Est enim peccatum naturæ, quod ab Adamo traductum in primo instanti unionis animæ exurgit. Non est autem potior ratio cur unus eximatur, quam alius, cum nullus sit actus parvulorum in eo instanti. Unde S. Paulus clare dicit, Rom. 3. 23. *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei*, id est Christo, ait Cyrillus; 2. gratia Dei, et melius. Secundo, cap. 5. 12. ait: *Per unum hominem* (Adamum) *peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Concil. Arausicanum et Milevitanum inde probant omnes parvulos contrahere peccatum originale. Tertio, Ephes. 2. 3. *Eramus et nos natura* (ab ipsa nativitate, ait S. Chrysost.) *filii iræ, sicut et cæteri.* Lege S. Bern. serm. 1. de Purif. B. Mariæ. Quarto denique, 2. Cor. 5. 12. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt;* dempta B. Virgine, ut dicit S. Anselmus. Ipsi parvuli sunt per originale peccatum mortui, alioqui non est Christus pro illis mortuus. Hæc sæpe inculcat S. Augustinus. Et quidem serm. 7. de verbis Apostoli, cap. 6. sic ait: *Qui dicit infantilem ætatem non habere quod salvet Iesus, omnibus fidelibus infantibus Christum negat esse Iesum.* Et lib. 1. de peccatorum meritis et remissione: Quis, ait, audeat dicere non esse Christum infantium salvatorem, nec redemptorem? Unde autem salvos facit, si nulla in eis est originalis ægritudo peccati? Unde redimit, si non sunt per originem primi hominis venumdati sub peccato? Et epist. 29. De reatu peccati tamquam de puteo, etiam parvuli infantis anima, Christi gratia liberatur: ita ipse. Neque obstat, quod quis sit a parentibus Christianis, et in gratia existentibus procreatus. Nam, ut docet idem sanctus Pater, lib 2. de peccato originali, cap. 40. Regeneratus non regenerat filios carnis, sed generat: ac per hoc in eos non quod regeneratus, sed quod generatus sit, traiicit. Sic igitur, sive reus infidelis sive reus fidelis non generat absolutos uterque, sed reos. Quomodo non solum oleastri, sed etiam oleæ semina non oleas generant, sed oleastros. Hæc Augustinus.

Ecclesia universa toto orbe hanc veritatem comprobavit. 42. Hoc dogma in tota Ecclesia susceptum. 1. In Asia. 2. In Africa. 3. In Europa. Primo, in Asia Concilium Palæstinum, in quo Pelagius ipse suam hæresim condemnavit. Secundo, in Africa Concilium Milevitanum canone 2. anathemate percussit eos, qui negant parvulos ex Adamo peccatum originale trahere. Concilium Carthaginens. Episcoporum ducentorum et septemdecim idem stabilivit. Tertio, in Europa, Gallia nostra in Concilio Arausicano 2. canon. 2. asserit eos contradicere Apostolo, et iniustitiam Deo tribuere, qui Adamo soli prævaricationem suam nocere dicunt: et peccati pœnam, non vero peccatum ipsum in eius posteros transfusam. In Hispania Concil. Toletan. 6. can. 1. In Germania Concil. Mogunt. 5. In Italia Innocentius, Zosimus, Cælestinus, Leo, Gregorius, et alii plurimi Pontifices hoc fidei dogma confirmarunt. Quarto, varii doctores et sancti rem comparationibus illustrant. 1. Primasius in cap. 5. epist. ad Romanos simili vitiatæ radicis explicat. Per omnes, inquit, ramos vitium suum radix corrupta transmisit. 2. Raymundus Sabundius in viola animæ, cap. 55. utitur comparatione liquoris pretiosi in

vas fœtidum immissi. Anima, inquit, rationalis, quæ carni sociatur, continuo inficitur, pervertitur, corrumpitur, sordidatur: non aliter quam si balsamum purissimum turpissimo vasi infuderis. S. Hildegardis in quæstionibus solutis: Sicut, inquit, vas figuli, quod veneno perfusum est, omnia quæ in illud mittuntur, cum periculo immunditiæ inficit: sic omnis caro hominum, per carnem primi hominis commaculata et infecta existit, nisi per mundam carnem Filii Dei, quam ex Maria Virgine induit, in baptismo et pœnitentia mundetur. Hæc ipsa. Si antiquiores et graviores patres postulas: S. Ambr. lib. 1. de Pœnit. cap. 2. Omnes, ait, homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est. S. Cyrill. Alex. adversus Antropomorphitas, cap. 8. Sumus, ait, exercrationis in Adam hæredes. S. Hilar. Arelat. in Gen. ad Leonem ait, ex Adamo nasci prolem peccati: id est, filios peccatores. S. Bern. in lib. de meditation. De parentibus illis venio, inquit, qui me ante fecerunt damnatum quam natum: peccatores peccatorem in peccato suo genuerunt, et miseri miserum in hanc miseriam induxerunt: atque nihil ab eis habeo nisi miseriam. Huc usque Bernard. Quinto denique, veritatem hanc confirmat institutio circumcisionis et baptismi ad remedium peccati illius. De baptismo id clarum est. Siricius Papa in epist. ad Himerium cap. 2. iubet infantibus, et iis qui egent baptismate: *Omni celeritate succurri, ne ad nostrarum perniciem animarum, negato desiderantibus fonte salutari, unusquisque exiens de sæculo et regnum perdat, et vitam.* Philippus Presbyter, qui circa ann. 430. floruit, lib. 1. in Iob c. 14. vocat nos sobolem in Adamo prævaricatricem: sed in novissimis sæculorum temporibus per baptismum vulnera delictorum pretiosa redemptione curari. S. Cæsarius Arelatensis hom. 3. Christus, inquit, unicum ac primum illud originale debitum sacri fontis unda vacuavit: illud singulare delictum primi parentis interemit. De circumcisione disputatur, an ex opere operato remitteret originale peccatum: arbitror remisisse infantibus non adultis.

43. Quæres tertio, cur David vocat peccatum originale iniquitatem. S. Thom. in Ps. 31. et in cap. 4. ad Rom. rationem reddit, quia scilicet per ipsum vires animæ recedunt ab æqualitate innocentiæ. Essentialiter est in essentia animæ, vel in parte intellectiva, ubi est originalis iustitia: sed causaliter est in generativa concupiscibili et tactu, ut idem docet Verit. q. 25. 6. Prius est in essentia animæ, quam in potentiis eius, 1. 2. q. 83. art. 2. Prius inficit voluntatem quam alias potentias, art. 3. ibidem et in 2. dist. 30. q. 1. artic. 3. Omnes potentiæ animæ per illud sunt corruptæ; sed quæ concurrunt ad generationem dicuntur etiam infectæ, scilicet concupiscibilis, generativa et tactus, in 2. dist. 24. q. 3. art. 3. ad 5. Omnes virtutum defectus, possunt reduci ad peccatum originale, in quantum includuntur in carentia originalis iustitiæ, quæ totam animam perficiebat, 2. 2. q. 53. art. 1. ad 2. Hinc patet quam grave sit illud peccatum: ideo hic vocatur a Davide nostro עון *avon*. id est perversitas, pravitas, incurvatio perversa, depravatio. Rad. est *ava*. hoc est inique ac perverse agere, incurvari, depravari perverti. Item חטא *chet*, peccatum, erratum, aberratio a via et scopo. Per illud enim fit ut cælo nati ad terrena incurvemur, et ad ea deflectamus.

Cur originale peccatum vocatur iniquitas.

Certatim sancti Patres monstrum illud execrantur. S. Cælestinus Papa in epist. ad Nestorium vocat, originis vitium; 2. S. August. originalis peccati ægritudinem; 3. S. Prosper vulnus animæ nuncupat. Sic enim ait in responsione ad capitul. obiectionum Vincentii. Contra vulnus originale peccati, ait, quo in Adam omnium hominum corrupta et mortificata natura est, et unde omnium concupiscentiarum morbus inolevit: verum ac potens, et singulare remedium est mors Filii Dei Domini Iesu Christi; 4. Faustus Rhegiensis Episcopus lib. 1. de libero arbitrio cap. 2. dicit esse insanabile piaculum, quod ex uno in omnes homines pertransiit; 5. S. Cyprian. de Passione Christi vocat originalem mortem, vulnus putridum, et antiquarum cicatricum fœtorem; et lib. 3. epist. 8. ad Fidum: Infans, inquit, recens natus nil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit; 6. S. Gregorius Papa, lib. 7. epist. 53. appellat, originalis peccati vincula; 7. S. Ignatius in epist. ad Trallianos, antiquam impietatem; 8. Gennadius Massiliensis lib. de dogmatibus Eccl. c. 39. mortem animæ.

Eius varia elogia.

44. Gravitas illius peccati patet, quod causat culpam, reatum, et carentiam divinæ visionis, ut ait S. Thom. in 2. dist. 32. q. 1. art. 1. et in 4. dist. 1. q. 2. art. 4. Non potuit tolli, nisi per Christum, in 2. dist. 28. art. 2. ad 5. Est minimum gravitate reatus pœnæ, est tamen maximum communitate, Opuscul. 10. artic. 28. Est infinitum tripliciter: scilicet ratione Dei offensi, boni amissi, scilicet Dei: et naturæ corruptæ, in 3. dist. 20. art. 2. Terribile prorsus est, quod ab uno Adamo in omnes derivatur. Unde S. Bern. serm. 4. hebd. pœnosæ, de Passione Domini: *Grave, ait, delictum istud originale, quod non solum personam infecit, sed et naturam.* S. Ambr. tract. de Tobia, cap. 9. vocat peccatum obnoxiæ successionis. S. Hieron. ad cap. 47. Ezech. iniquitatem humanæ conditionis. S. Zosimus Papa epist. ad totius orbis Episcopos nuncupat, propagatione contractum chirographum, in quo nullus omnino natorum, antequam per baptismum liberetur, non tenetur obnoxius. Alcuinus in hunc psalm. chirographi debitum. Didymus in Alex. in cap. 7. Iob, debitum ad nos successione derivatum. Guillelmus Parisiensis, de vitiis et peccatis, cap. 1. hæreditatem malam, et hæreditarium nobis malum. S. Thom. 12. q. 82. art. 2. et in 2. dist. 33. q. 1. art. 3. ait esse unum numero peccatum originale, in uno homine: sed in omnibus, esse unum specie.

Gravitas peccati originalis.

45. Quæres denique quarto, cur cum David unum tantum numero peccatum originale habuerit, vocat illud *iniquitates* et *peccata?* Resp. quia est multiplex in virtute, quia virtualiter continet omnia peccata, et ad illa inclinat, ut ait S. Thom. in ps. nostr. in cap. 4. epist. ad Rom. lect. 1. in 2. dist. 33. q. 1. art. 3. ad 1. Novem ipsius nomina recenset, 3. p. q. 23. scilicet quod dicatur Primo, peccatum originale. Secundo, fomes peccati. Tertio, concupiscentia. Quarto, concupiscibilitas. Quinto, languor. Sexto, tyrannus. Septimo, lex peccati. Octavo, lex carnis. Nono denique, lex membrorum. R. Aben Ezra, in cap. 14. Iob, vocat morborum; 2. mortem malam; 3. præputium cordis; 4. inimicum sive osorem; 5. scandalum sive offendiculum; 6. lapidem sive cor lapideum; 7. denique, ventum aquilonarem, sive id quod ab Aquilone est immundum.

Cur originale peccatum vocatur iniquitates in plurali numero.

Vulnus quadruplex causat in anima. Primo, infirmitatem in irascibili. Secundo, concupiscentiam in concupiscibili. Tertio, ignorantiam in ratione. Quarto, malitiam in voluntate: ad quæ sequuntur alia duo: scilicet dolor et mors, S. Thom. 1. 2. q. 85. art. 3. Itaque animum et corpus inficit. Fomes ab eo relictus est inordinata et habitualis concupiscentia appetitus sensitivi, 1. 2. q. 82. art. 3. et 3. p. qu. 15. art. 2. et in 2. dist. 30. qu. 1. art. 3. Illius fomitis est duplex effectus: nempe inclinatio ad malum, et difficultas ad bonum. Ut est pœna inflicta a Deo, dicitur lex: non autem ut inclinat ad malum.

Quadruplex eius vulnus.

46. Miseriam hanc deplorant patres. Primo, S. Laurent. Iustin. de casto connubio Verbi et animæ, cap. 7. Peccati, ait, fomite depressa anima patitur noleas. Secundo, S. Greg. lib. 6. in 1. Reg. cap. 15. Quæ est mater carnalis sensus, nisi originalis culpa? Culpa originalis mater contumeliosi sensus carnis. Deinde appellat fomitem, severissimi tyranni legem. Et in Ps. nostr. Carnalis delectatio, inquit, pœna peccati est, quæ ex radice peccati ita contrahitur, ut nullus absque illa in mundo generetur. Tertio, Hugo Etherianus natione Hetruscus, qui floruit circa annum Christi 1177. lib. de regressu animar. ab inferis, cap. 14. Est, ait, originale peccatum fomes actualis peccati, concupiscentia, languor naturæ, qui movet mala desideria. Quarto, Avitus Alcimus Episc. Viennensis nobilissimus, sanctissimus, et doctissimus, floruit tempo-

Miseriam peccati originalis Patres deplorant.

ribus Hormisdæ Papæ circa ann. 520. ut ait Bellarminus. Hic ait lib. 1. de Initio mundi, cap. 1. Vivit peccati moribunda in carne cicatrix. Quinto, Primasius Episcop. Africanus, qui vixit anno 545. in commentario epist. ad Roman. cap. 7. Habitat in me, ait, consuetudo peccati, quæ mihi per transgressionem primi hominis ex vitiata natura transfusa est. Sexto, Cassiodor. tract. de anima coacervat varia damna peccati originalis. Inde, ait, propagatus interitus, inde humani generis nutrita defectio, inde ignorantia rationi contraria, inde noxiæ curæ, inde pœnitenda consilia, inde obscurata cognitio, turpe desiderium, iustitiæ, neglectus, inde mille criminum lapsus, et plura nobis cum pecoribus communia, quæ divinitas fecerat esse discreta. Septimo, Aponius lib. 3. in Cantic. Terra ista, inquit, quæ tecto tegitur cælo, per peccatum primi hominis facta est *domus leprosi*. Octavo, Rabanus Maurus de Universo lib. 4. cap. 10. Veraciter, ait, se omnes sancti pronuntiant peccatores. Quia in veritate habent quod plangant: etsi non reprehensione conscientiæ, certe mobilitate prævaricatricis naturæ. Nono, S. Chrysolog. Episcop. Ravennæ serm. 111. Adversa est hæc potestas, quæ videtur in opere, sentitur in pœna, impugnat animam, vulnerat mentem, ipsam violat confunditque naturam. Et quid plura, fratres? Hoc est peccatum naturæ, *quod fumus oculis, quod febris corpori, quod dulcissimis fontibus amara salsedo*. Decimo, S. Leo Papa serm. 7. de ieiunio decimi mensis et eleemosynæ, cap. 1. Natura nostra mutabilis, ait, et de peccati labe mortalis: licet etiam iam redempta, et sacro baptismate sit renata: in quantum est passibilis, in tantum est ad deteriora proclivis, corrumpeturque carnali desiderio, nisi spirituali muniretur auxilio.

In corpus quoque miseria illa derivatur. Haymo in cap. 8. epist. ad Rom. Corpus nostrum, inquit, et caro nostra, caro peccati est; quia libidinoso usu procreatur, ideoque cum peccato concipitur, cum peccato originali nascitur, et in hoc sæculo sine peccato non potest conservari: ita ille. Hinc morbi et mors. Venantius Fortunat. Episc. Pictaviens. qui doctrina et sanctitate floruit circa ann. 570. lib. 9. ad Chilpericum regem et Fredegundem Reginam, sic canit: Mors venit inde vorax transmissa nepotibus ipsis. Severianus Episc. Gabalensis, qui floruit tempore S. Ioan. Chrysostomi et Arcadii Imp. sic ait ad cap. 2. Iob: Propter parentalem labem mors ingressa est orbem terrarum. Aldhelmus tract. de Virginitate, cap. 10. ait: Mortis esse inevitabile vectigal, et fiscale tributum.

Ex his vides quanta sit humana miseria, et quantum egeat Dei misericordia. Itaque iure dixit David: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Quoniam ego in iniquitatibus conceptus sum* etc. Illam Dei benignitatem maximam S. Basilius admiratur, quod tantam hominum miseriam et peccata inde orta toleret. Nam illud Ps. 32. *Misericordia Domini plena est terra,* exponens ait: *Neque homo mundo corde, ac liber omnino a sorde peccati reperiri, etiamsi unius diei tempore super terram vixerit; ideo si quis videat quotidie malitiam invalescentem ac depascentem homines, et fragile genus humanum mille mortibus, delictorum gratia dignum, tanto admirabitur magis divitias bonitatis divinæ tolerantiæ, et longanimitatis.*

ARTICULUS V.

Veritatem omnem in omnibus amat Deus.

SUA infirmitate exposita novas duas rationes affert David, quibus Deum impellat ad misericordiam. Prima,
Vers. 8. 1. Pars. petitur a Dei ipsius veritate. Secunda, a dono prophetiæ sibi concesso, v. 8. ECCE ENIM VERITATEM DILEXISTI: IN-
47. CERTA ET OCCULTA SAPIENTIÆ TUÆ MANIFESTASTI MIHI.
Veritatem amat Deus et quam. De prima nunc est agendum: de secunda dicetur art. seq.

Quæres, quam veritatem hic intelligit. Primo, per veritatem Genebr. intelligit fidem, religionem et doctrinam
I. veram, ac firmitatem religionis. S. Ambr. veritatem sa-
A cramentorum novi Testamenti, non umbram veteris legis ad remittenda peccata. Sed hæc explicatio est difficilis, nec bene aliis nectitur.

Secundo, S. Cyrillus explicat de veritate vitæ. Verba eius sunt: Integram vitam, et ab omni simulatione alienam videtur intelligere David, cum veritatem dicit. Nam qui ad bene agendum conditus est, si non id agat, mentitur Deo, non habens iustitiæ fructus. Et alibi de Iudæis ait Ps. 17. *Filii alieni mentiti sunt mihi*: ita Cyrillus. Sed hoc est tropologicum. II.

Tertio, veritas iustitiæ hic sumenda est, qua Deus non sinit impunita esse peccata, q. d. Miserere mei secundum magnam misericordiam tuam, quia cum tibi peccaverim, timeo iustitiam tuam: ita Theodoret. S. Chrysost. S. Aug. Innocent. Beda, S. Gregor. Aiguan. III.

Quarto, et melius, veritatem accipe in confessione peccatorum, q. d. Miserere mei, iam mea peccata palam profiteor, et tu amas vere atque sincere se accusantes, eisque parcere soles: ita S. Hieron. Remig. Bruno Herbipol. IV.
B Haymo, Iansen. Hugo, Glossa. Hoc ait David de seipso Ps. 31. 5. *Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino.* Statim addit: *Et tu remisisti impietatem peccati mei.* Et de latrone in cruce pendente, Luc. 23. 41. refertur quod cum dixisset: *Nos quidem iuste, nam digna factis recipimus*: statim a Christo audivit: *Hodie mecum eris in Paradiso.*

Quinto, et optime, veritas hic pro veracitate seu fidelitate in promissis accipitur, q. d. Miserere mei. Nam promisisti te miserturum omnium pœnitentium et misericordiam implorantium: ita Lyran. Titelm. et Valentia. V.

Quæres, cur Deus amat veritatem? Ratio triplex afferri potest. Primo, quia Deus est veritas. Secundo, quia veritas creata in se est pulcherrima. Tertio denique, quia est pulcherrima in omnibus in quibus reperitur. Ideo est amabilis. Hebr. hic veritas vocatur אמת *emeth*, quid si inde amorem et amatum derivari dixeris? 48. Tres rationes cur Deus amet veritatem.

Primo itaque, Deus non tantum est verax, sed etiam I.
C ipsa veritas, Ioan. 14. Veritas in eius ore magis quam in ore lucernæ piscis emicat. Psal. 118. 160. ait illi David: *Principium verborum tuorum veritas.* Hebr. ראש *ros*, principium et caput significat. S. Hieron. vertit caput. Veritas Dei habet caput aureum splendidius et pretiosius illo capite statuæ Babylonicæ. Non principium modo et caput, sed finis et fimbriæ vestis ac pedes ex auro sunt illi cælesti nymphæ. Ps. 131. 11. *Iuravit Dominus David* (S. Cyprian. ipsi David, et id poscit Hebr. dativus) *veritatem, et non frustrabitur eum*, supple Davidem. S. Hieron. et non avertetur ab ea: scilicet veritate, q. d. Usque in finem illam aspiciet ac præstabit. Deus a Tertulliano libro de cultu fœmin. cap. 1. vocatur *præses et magister veritatis*. Persarum Magi cum Orosmadem supremum deorum suorum depingebant, dicebant corpore quidem luci esse similem; anima autem veritati. S. Paulin. domicilium veritati dat in cælo empyreo. Omnia, inquit, sub sole vanitas, proinde super solem veritas.

Secundo, veritas in seipsa est pulcherrima et stellis II.
D coronata invenitur prior. Plato in Phædro ait, πεδιον αληθειας, campum veritatis, esse extra mundum. Malim ponere in sole tabernaculum eius. Est enim fons lucis et claritatis. S. Gregor. Nyssen. homil. 13. in Cantic. vocat eam splendidam et luminosam. Philo lib. de decalog. Soli eam æquiparat, αληθειας, inquit, ουκ εστιν εν βιωκτημα ιεροτερον, ηλιου τροπον φως πραιμασι περιτιθεισης: *Veritate nulla est possessio sacratior, solis instar lumen rebus affundente, ut nihil in tenebris atque umbra delitescat.* Clemens Alex. lib. 6. Stromat: *Quomodo sol illuminans colores, et album et nigrum, ostendit qualis sit unusquisque eorum: sic veritas,* πασαν ελεγχει σοφιστικην πιθανολογιαν, *refellit omnem sophistarum falsam et mendacem probabilitatem.* Eam quoque ait esse reginam. Merito ait, a Græcis acclamatum est: Αρχα μεγαλας αρετας ωνασσα αληθεια: *Principium magna virtutis regina veritas.* Sub eius imperio florent et vigent omnia.

III. Tertio denique, veritas mentes et homines in quibus residet mirifice illustrat. Theodoretus tract. ad Græcos, serm. 12. ὅπερ ἐστι δένδρῳ ῥίζα καὶ ὀφθαλμὸς σώματι, καὶ στήμονες ὑφάσματι: *Quod radix est arbori, oculus corpori, stamen subtegmini, hoc mentibus est veritatis notitia.* Itaque sicut bene firmata radix dat bonum succum trunco, ramis, floribus, foliis, fructui arboris: et oculus ornat, illuminat ac dirigit corpus: atque stamen connectit, firmat et utile facit subtegmen, ita veritas alit mentem, eamque luce et robore complet, omnibusque amabilem, pulchram et utilem reddit. Mendacium vero eam facit velut arborem eradicatam quæ statim disiicitur, arescit et putrescit: corpus sine oculo quod est monstrum horrendum et ad singulos passus cæspitans et cadens: subtegmen sine stamine quod nihil continet, facile frangitur, et ad nihil est utile.

49. Veritas omnes homines ornat. Mentes autem omnium decorat veritas, 1. sacerdotum; 2. regum; 3. iudicum et magistratuum; 4. doctorum; 5. sanctorum; 6. christianorum singulorum; 7. hominum omnium; 8. denique speciatim mercatorum.

I. Sacerdotes. Ac primo, sacerdotum decus et ornamentum est veritas. Eorum os sit oportet Sanctum Sanctorum, ex quo nulla alia vox, quam oracula, audiatur. Malach. 2. 7. *Labia sacerdotis custodient* (hoc est, custodire debent) *scientiam, et legem requirent ex ore eius: Quia angelus Domini exercituum est.* Septuag. Domini omnipotentis. Tunc Deus est omnipotens per suos sacerdotes, et populis persuadet quæcumque vult, cum veraces sunt, et nugas ac mendacia execrantur. Sunt angelus sedens super propitiatorium, et a Deo misericordiam impetrans et elargiens. Lege S. Bern. lib. 2. ad Eugen. cap. 13. Pontifex Iudæorum in Rationali quod gerebat in pectore, habebat scriptas duas illas voces *Urim et Tummim*, id est, *doctrinam et veritatem*, ut noster Interpres vertit Exod. 28. 30. Hinc Philo lib. de Iudice dicit: *Quid in vita est æque pretiosum ac veritas? quam Vates sapiens Moses inscripsit*, ἐν ἱερωτάτῳ χωρίῳ, *in loco sacratissimo, ea parte vestis Pontificiæ*, ἔνθα ψυχῆς ἡγεμονικόν, *ubi principalis vis animæ*, ἀναθήματων καλλίστῳ καὶ διαπρεπεστάτῳ, *ornamentorum pulcherrimo et decentissimo volens illum ornare.*

II. Reges. Secundo, veritas est pulcherrima et splendidissima gemma coronæ regiæ. Prov. 29. 14. *Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in perpetuum firmabitur.* Egregie Isocrates oration. ad Nicoclem regem ait: *Omni tempore ita veritatis amans appareas, eamque honorans* ὥστε πιστοτέρους εἶναι τοὺς λόγους, ἢ ἄλλων ὅρκους, *ut sermones tui sint fide digniores, quam aliorum iuramenta.* Alphonsus rex Aragonum eam sententiam identidem usurpabat. Plinius in Panegyrico Traiani dicit: Nunquam deceptus est Princeps, nisi qui prius ipse decepit.

III. Iudices. Tertio, veritas sedem sibi debet figere in tribunali iudicum, et illud stabilire atque ornare. Iudicum enim est reddere unicuique quod suum est, id autem fieri non potest sine luce veritatis. Ælianus lib. 14. variæ hist. c. 34. Iudices, inquit, apud Ægyptios iidem quondam fuerunt, qui et sacerdotes. In his Princeps erat maximus natu, et in omnem statuendi ius habebat. Eum omnium hominum esse iustissimum et sincerissimum oportebat, qui circa collum imaginem ex sapphiro gemma confectam gestabat, καὶ ἐκαλεῖτο τὸ ἄγαλμα ἀλήθεια, *et imago illa vocabatur veritas.* Subdit deinde sapienter, Ego vero iudicem non tam in lapide sculptam aut expressam veritatem circumferre, quam in animo menteque insitam et infixam habere velim: *ita ille.* Diodorus Sicul. lib. 2. biblioth. cap. 1. ait in vestibulo Simandii regis Ægypti positas fuisse triginta statuas ligneas iudicum, et in medio iudicandi principem, cuius a collo suspensa veritas penderet, et oculis esset subclausis librorum cumulo circumstante. Diodor. deinde subtexit, has imagines præ se tulisse iudices integros esse debere, et prætorem solam inspicere veritatem.

IV. Doctores. Quarto, veritas est decus et ornamentum doctorum atque sapientum. Plato lib. 6. de Republ. Οὐδὲν, inquit, οἰκειότερον σοφίᾳ τῆς ἀληθείας ἐστί: Nihil affinius et familiarius sapientiæ quam veritas. Eodem libro ait, φιλομαθῆ, id est, sapientiæ studiosum, non vanis opinionibus adhæsurum, sed naturam cuiusque rei diligenter ac studiose expensurum: sicque fore ut cognita veritate, ἀληθῶς ζῴη καὶ τρέφοιτο, vere vivat, atque alatur: sicque omnis cesset molestia, non autem prius: ita Plato. Omne mendacium est fluctuans, ac naufragio proximum. Veritas autem quieta tranquillaque sedet in portu, ac tempestates temere infrementes despectat.

V. Sanctos. Quinto, sanctorum comes, dux et ornamentum est veritas. S. Cyrill. Alex. in Sophoniam: *Lingua sanctorum*, ait, *mentiri nescit.* Socrates veritatem et virtutem idem esse sentiebat. Bacchylides poeta Græcus hunc esse lapidem Lydium voluit quo sanctitas probetur: *Lydius lapis*, inquit, *aurum probat*, ἀνδρῶν δὲ ἀρετὰν σοφίαν τε, παγκρατὴς τ' ἐλέγχει ἀλήθεια, *virorum vero virtutem et sapientiam, et omnipotens veritas ostendunt.* Plato lib. 6. de Republ. Illius, ait, qui honestus sit bonusque futurus, ἡγεῖτο πρῶτον μὲν ἀλήθεια, dux veritas in primis sit, quam sequi omnino ac passim debet: aut si vanus sit, veræ quoque expers philosophiæ sit oportet: ita ipse. Ex hoc veritatis ductu omne bonorum genus consequetur. Ut enim idem ait: Ubi dux veritas est, malorum chorum subsequi ut arbitror non dicemus.

VI. Christianos omnes. Sexto, Christianorum omnium decus et ornamentum est veritas. Zachar. 8. 3. *Vocabitur Ierusalem civitas veritatis.* Syr. civitas sancta. Ierusalem est typus Ecclesiæ. S. Paulus omnes Christianos vocat sanctos, vocatione scilicet ac professione. Sciant se quoque professionem facere veritatis. S. Cyrill. Alex. in Ioel, num. 39. asserit, finem et veluti regionem filiorum Ecclesiæ esse, ἀληθείας γνῶσιν, veritatis cognitionem. Christus est veritas, ut ait Ioannes 14. 6. verba vitæ æternæ habet, ut ait S. Petrus Ioan. 6. 68. quam portentosum est Christianos qui ducem habent veritatem, et sunt milites veritatis, sub mendacii vexillo dimicare. Tatianus S. Iustini auditor qui floruit circa annum Christi 170. oration. contra Græcos ait, mores veterum Christianorum depingens, λέγοντες οὐ ψευδόμεθα, *loquentes non mentimur.* Nunc vero plerique non mentiuntur modo, sed peierant, sed blasphemiis et execrationibus continuis aures omnium vulnerant, ipsumque aerem incessant. Vere nunc usurpaverim Constantini magni vocem apud Euseb. in eius vita, lib. 3. cap. 20. multos scilicet muneribus donatos ad diligendum impelli: sed paucos admodum veræ doctrinæ amore flagrare, καὶ σπάνιον ἀληθείας φίλον, et rarum est amicum veritatis.

VII. Omnes homines. Septimo, veritas decus et ornamentum esse omnium hominum. Clem. Alex. lib. 1. Strom. fol. 319. ὡς ἄρτος, ἀναγκαία πρὸς τὸ ζῆν, ἡ κατὰ πίστιν ἀλήθεια: Veritas quæ secundum veram fidem est, non minus est necessaria quam panis ad vitam sustentandam. Lactant. lib. 1. divin. institut. cap. 1. *Nullus*, inquit, *suavior animo cibus est, quam cognitio veritatis.* Et vero, ut ait Christus Matth. 4. 4 *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*: Deus autem veritas est. Deuteron. 32. 4. ubi habemus, Deus fidelis, Hebr. est *el emuna*, id est Deus veritas, vel Deus veritatis, sicut vocatur Psal. 30. 6.

VIII. Necessaria præsertim mercatoribus. Octavo denique, veritas est decus, ornamentum, et lucrum mercatorum. Facilius enim omnes ad eum accedent a quo scient se non esse decipiendos. Si mercatores moneta adulterina uti non oportet nisi infames esse et ab omnibus deseri velint: ita nec mendaciis. S. Dionys. Areopagita epist. 7. nummo probo veritatem comparat, eius vero ementitam speciem nummo adulterino. Unusquisque dicit regium se habere nummum, hoc est veritatem, et habet fortasse particulæ alicuius veræ ἀπατηλὸν εἴδωλον, adulterinum quoddam simulacrum: ita Dionysius.

Veritas a mercatore omnem fraudem et fallaciam amolietur. Serapion Thmueos Episcop. adversus Manichæos: Solvit, inquit, errorem veritas, et extinguit fallaciam, et omnis mendacii ortum intercipit, ac prohibet.

50. Ex his concludamus cum S. Dionys. lib. de Eccl. hie-

Igitur amanda est veritas. rarchin, cap. 2. nos non cessare debere, ἱερου ἀληθειας ἐρωτος, a sacro amore veritatis. Socrates apud S. Iustin. Martyrem Apolog. 1. ait, nullum esse veritati præferendum virum. Ælian. lib. 12. var. hist. cap. 59. Pythagoras dicebat, inquit, δυο ἐκ θεων ἀνθρωποις δεδοσθαι καλλιστα, duo hæc divinitus data esse hominibus longe pulcherrima: veritatem amplecti, et aliis benefacere: et addebat quod ἐοικε θειων ἐργοις ἑκατερον, utrumque cum deorum operibus erat comparandum. Themistius orat. 3. fol. 35. Veritatem ait esse filiam Iovis. Non est igitur mirum, si Deus a se genitam diligit veritatem, quam in terras demittit, ut ad se homines reducat. Plutarch. lib. de Iside: θειοτητος ὀρεξις, inquit, ἐστιν ἡ της ἀληθειας: Impetus animi ad percipiendam veritatem est divinitatis appetitio.

ARTICULUS VI.

Quam sublimis et excellens Propheta David extitit.

51. Vers. 8. 2. Pars. Quænam incerta et occulta hic intelligit David? RATIO etiam deduci potest a donis concessis, ut Deum ad misericordiam moveas: hoc facit David v. 8. INCERTA ET OCCULTA SAPIENTIÆ TUÆ MANIFESTASTI MIHI. *Incerta*, non in se, sed nobis: itaque incerta et occulta idem significant. Quæ porro illa sunt? Primo, remissio peccatorum per Messiam: hoc enim paucis innotuerat. Secundo, venia scelerum Davidi ipsi concessa, quod erat incertum, antequam Deus per Nathan Prophetam id declararet. Tertio, promissio regni in eius familia duraturi. Quarto, promissio quod ex eius semine nasciturus esset Christus. Quinto, varia de Christo materia. Sexto, et optime, quælibet revelatio Davidi facta, ac præsertim illæ quas psalmis suis inclusit, sive res præcesserint ipsius Davidis tempora, sive ipso vivente contigerint, sive postea: in psalterio enim pleraque totius Scripturæ mysteria continentur: unde psalterium merito vocatur *breviarium Scripturæ*.

52. Scriptura est obscura. Nota, Scriptura obscura est, et Dei lumine speciali egemus, ut nobis eius mysteria aperiantur.

Primo, S. Paulus 1. Cor. 2. 7. *Loquimur*, ait, *Dei sapientiam in mysterio quæ abscondita est*. Mysterium dicitur ἀπο του μυειν, id est, occultare. Secundo, S. Petrus de ipsius Pauli epistolis dicit 2. epist. 3. 26. ibi esse quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant. Tertio, de Evangelio S. Chrysolog. serm. 146. *Non apices, non literæ, non syllabæ, non verbum, non nomina, non personæ, in Evangelio divinis vacua sunt figuris.* Quarto, de Apocalypsi S. Dionys. Alexand. contra Nepotem: In Apocalypsis, ait, singulis prope sententiis sensum quemdam mysteriis involutum, et valde admirabilem delitescere plane existima. Quinto denique, S. August. lib. 11. Confession. cap. 2. vocat opaca secreta divinarum Scripturarum. S. Cyrill. Alex. lib. 12. thesauri, cap. 7. Omnis, inquit, cognitionis et scientiæ mensuram mysterium Dei excedit. S. Basil. tom. 2. pag. 353. ait divinam Scripturam habere, ἐπινοησεως ἀπεραντον, infinitum quiddam in cognitione. Unde recte Angelus de Fulgineo cap. 27. dicit, ita esse altam Scripturam, ut a nemine possit perfecte intelligi, etiamsi habeat sapientiam, quantam potest habere in statu huius vitæ.

53. Scripturæ hæc obscuritas variis nominibus declaratur. Variis nominibus et emblematis hanc obscuritatem Scripturæ declarant sancti Patres. Primo, vocant ænigma. Secundo, caliginem sacram. Tertio, sylvam umbrosam. Quarto, hortum clausum. Quinto, puteum profundum. Sexto, fluvium altum. Septimo, mare immensum. Octavo, abyssum inscrutabilem. Nono, thesaurum occultum. Decimo, templum velis ornatum. Undecimo, mensam egentem lumine. Duodecimo, cibum ore conterendum. Decimo tertio, librum signatum. Pauca de singulis dicamus.

I. Vocatur ænigma. Primo, mysteria in Scripturis, ac præsertim in propheticis contenta sunt ænigmata. S. Chrysost. hom. de obscuritate Scripturarum, αἰνιγμασιν, inquit, ἐοικε τα προφητικα: *Similes sunt ænigmatibus sermones prophetici*, et multis disputationibus obseptum est vetus testamentum, neque facilis intellectu sunt libri. S. Greg. Nyss. tract. 1. in psal. appellat, μυστηριων αἰνιγματωδη διδασκαλιαν, ænigmaticam divinorum mysteriorum doctrinam. Origenes hom. 13. in Numeros: Sed etiam Isaias, quia ænigmata sunt quæ scripsit, hoc modo declarat: Et erunt, ait, vobis verba libri huius, sicut verba libri signati. Signatus autem dicitur liber pro eo quod figuris perplexus est, et ænigmatibus involutus: ita Origenes. Varia ænigmata, hieroglyphica et symbola sacra collegit Cornel. a Lapide in fine commentarii sui in Isaiam et alios Prophetas.

II. Sacra caligo. Secundo, Scriptura est sacra caligo, in qua Deus demoratur, et soli Mosi et senioribus se revelat. Ps. 17. 12. *Posuit tenebras latibulum suum*, id est, Scripturas Prophetarum, ut Hugo Cardin. exponit. S. Petrus id indicat 2. epist. 1. 19. *Habemus firmiorem propheticum sermonem*, id est firmissimum, ait Gagneius, *cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Rupert. in Cantic. 5. 11. *Comæ eius* (Christi sponsi) *sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus*, sic ad nostram mentem appositæ. Sunt, ait, nigræ quasi corvus, quia tenebrosa aqua in nubibus aeris, id est, occulta scientia in propheticis atque legalibus scripturis: ita veraciter dicas, nigredo magna in comis capitis dilecti: ita ille. S. Dionys. Areop. quoque de mystica Theolog. cap. 2. Ad hanc nos, inquit, perlucidam liquidissimamque caliginem admitti oramus, et per visus, scientiæque privationem videre ac scire eum, qui aspectum omnium scientiamque transcendit. Thomas Malleolus de fideli dispensatione lib. 1. c. 2. Nisi, ait, Deus voluerit nobis revelare, nonne tenebræ videntur esse Scripturæ?

III. Sacrum nemus. Tertio, Scriptura est sacrum nemus, sed densitate et perplexitate ramorum opacatum. Ps. 28. 9. *Et revelabit condensa*: quod de scripturis sic explicat S. August. Revelabit opacitates divinorum librorum et umbracula mysteriorum. Et epist. 140. docet in scripturis esse multiplices sinus opacosque recessus.

IV. Hortus umbrosus. Quarto, Scriptura hortus est arboribus vitæ consitus, aureisque floribus illuminatus, sed undequaque muris conclusus. Rupert. lib. 2. in Exod. Sanctam Scripturam, inquit, conditam novimus vere *paradisum voluptatis*, vere deliciarum hortum, *hortum conclusum*, fontem signatum, cuius emissiones paradisus malorum punicorum.

V. Puteus profundus. Quinto, Scriptura puteus est profundus. Democritus olim dictitabat in putei fundo positam esse veritatem: unde illam eruere esset difficile. S. Cyrill. Alex. in Amos num. 76. ait, in sacris Litteris esse, διακεχωσμενα μυστηρια, sepulta et defossa mysteria. Hugo Cardin. in Ps. 54. monet, puteum illum, de quo Gen. 16. dicitur, *Vocavit* (Agar) *puteum illum, puteum viventis, et videntis me*, esse Scripturæ typum. S. Maximus centur. 2. cap. 29. *Puteus Iacob est Scriptura*, inquit, *aqua vero, est scientia Scripturæ: profunditas autem, obscure dictorum Scripturæ interpretata difficilis positio: at situla est, quæ per litteras divini verbi habetur disciplina.* S. Epiphan. in hær. 55. Divinæ, inquit, scripturæ profunda et illustria, ὑπεραιροντα διανοιαν ἀνθρωπινης φυσεως, mentem humanæ naturæ excedens, πολλους ἐφαντασιασε, decepit quam plurimos.

VI. Fons et fluvius profundus. Sexto, Scriptura fons est ac fluvius, sed altissimis ripis depressus. S. Gregor. in præfat. lib. Moral. cap. 4. Divinus sermo, ait, sicut mysteriis prudentes exercet, sic plerumque superficie simplices refovet. Habet in publico, unde parvulos nutriat: servat in secreto, unde mentes sublimium in admiratione suspendat. Quasi quidam quippe fluvius, ut ita dixerim, planus et altus, in quo et agnus ambulet, et elephas natet: hæc Gregor.

VII. Mare immensum. Septimo, Scriptura est mare immensum et profundum. S. Ambr. epist. 44. ad Constantium: *Mare est Scriptura divina, habens in se sensus profundos, altitudinem propheticorum ænigmatum.* S. August. præfat. in Ps. 140. Sunt, inquit, in Scripturis sanctis profunda mysteria quæ ad hoc absconduntur, ne vilescant: ad hoc quæruntur, ut exerceant: ad hoc aperiuntur, ut pascant. S. Chrysost. de obscurit. Proph. προς το πελαγος Ἡσαιου σοφιας, etc. in

pelagus, inquit, sapientiæ Isaiæ meditor orationem immittere.

VIII. Abyssus inscrutabilis. Octavo, Scriptura est abyssus inscrutabilis. Ps. 41. 8. *Abyssus abyssum invocat.* Euthym. de veteri et novo Testamento interpretatur, ob profunditatem occultorum sensuum. Iobi 11. 8. *Excelsior cœlo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces?* Chald. sic vertit: In lege, quæ profundior est inferno, quomodo tu scies? S. August. lib. 12. Confess. cap. 14. Mira profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos superficies blandiens parvulis: sed mira profunditas Deus meus, mira profunditas. Horror est intendere in eam: horror honoris et tremor amoris.

IX. Thesaurus occultus. Nono, Scriptura thesaurus est occultus. S. Laur. Iust. in illud Psal. 32. 7. *Ponens in thesauris abyssos*, sic ad mentem meam ait: In thesauris sapientiæ et scientiæ posuit abyssos: id est, in Scripturis profunda altitudines posuit, ut quis eas studio pietatis inquirat: ita ille. Isaiæ 45. 3. *Dabo tibi thesauros absconditos, et arcana secretorum:* id est, Scripturam. S. Chrysost. hom. 40. in Ioan. B illud expendens cap. 5. 39. *Scrutamini Scripturas*, docet thesauri instar abditam esse sapientiam. Non dixit, inquit, legite: sed scrutamini: quia oportet profundius effodere, ut quæ alta delitescunt invenire possimus. Non enim rem in superficie et in promptu positam effodimus, sed quæ tamquam thesaurus profunda reconditur. Qui enim huiusmodi quærit, nisi summam adhibeat diligentiam et laborem, nunquam quæsita inveniet: ita Chrysost.

X. Templum velis obductum. Decimo, Scriptura templum est Salomonis velis obductum, ac Sanctum Sanctorum, ubi nulla lux nisi quam fundit angelus, id est Christus, in propitiatorio sedens. Velum etiam nonnunquam scindit, ut omnia facilius innotescant. S. Hier. in cap. 44. Ezech. Priusquam, ait, Salvator hominum corpus assumeret, et humiliaret se formam servi accipiens, clausa erat lex, et prophetæ, et omnis scientia Scripturarum, clausus erat paradisus; postquam ille pependit in cruce, et locutus est ad latronem: *Hodie mecum eris in paradiso*, statim velum templi scis- C sum est, et aperta sunt omnia. Et epist. 13. *Velamen non solum in facie Mosi, sed et in Evangelistis, et Apostolis positum est.* S. Gregor. Nyssen. tract. 1. in Ps. docet, in Scriptura esse, αποῤῥητον και κεκρυμμενην δυσεφικτοις θεωρημασι θεολογιαν, inexplicabilibus involutam integumentis Theologicam Institutionem. Nicaphor. Gregor. lib. 10. Annalium suorum comparat Scripturam regio thalamo velis obducto.

XI. Mensa panum propositionis. Undecimo, Scriptura est mensa panum propositionis, prope quam ponendum est candelabrum aureum, ut lumen recipiat. Bruno lib. Allegor. in Exod. *Ponitur*, ait, *contra mensam candelabrum, ut fercula imposita videantur: quoniam nisi Christo illustrante divina Scriptura intelligi non valet: ipse enim lux est vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Beda ad cap. 8. Actorum: Philippus, inquit, interpretatur os lampadis: pulcherque est sensus, quod os lampadis, suum aperiret os: dum obscura prophetiæ in scientiæ lucem proferret. Rad. פה *pe*, os; et לפיד *lappid*, lampas. Sed verius Philippus est vox Græca aliud significans, nempe amatorem equorum.

XII. Cibus conterendus. Duodecimo, Scriptura est cibus animæ, qui non sine difficultate conterendus est. Haymo in lib. 3. Apoc. c. 20. Sacra, inquit, Scriptura in quibusdam cibus. In rebus obscurioribus, quæ intelligi sine expositione non possunt, cibus est: quia velut mandendo, legendo, et ruminando sumitur. In apertioribus vero, quæ intelligi sine expositione possunt, potus est. Potum enim non mandendo glutimus: ita Haymo. Scriptura est manna omnis cibi suavitatem exhibens, sed conteri prius debet, quam inde cibus confici possit: obscuritas ope divina est superanda. S. Isidor. Hispal. lib. 1. de summo bono, cap. 18. postquam manna comparavit Scripturæ, utilitatem obscuritatis illius ostendit. Nam si cuncta paterent, ait, statim intellecta vilescerent: rursus si cuncta clausa existerent, A confestim diffidentiam gignerent. Ne ergo de obscuris desperatio fiat, ea, quæ manifesta sunt, satiant: et ne de intellectis fastidium existat, ea quæ clausa sunt, desiderium excitant: ita Isidorus.

XIII. Liber signatus. Decimo tertio denique, Scriptura est liber signatus, de quo Apocal. 5. quem solus Agnus aperire potuit. Radulphus Ardens in commun. Apostolor. In hoc, inquit, quod liber dicitur esse signatus sigillis septem, designatur, quoniam Scriptura clausa est: et septem, id est, universitate omnimodarum obscuritatum generaliter obvoluta.

54. Scriptura est obscura, et cur? Quæres, cur Deus voluit Scripturam esse obscuram? Primo, ut fides exerceatur, quam in rem pene omnia Christi mysteria paucis præsentibus transacta sunt. In Incarnatione erant tantum Maria, et Angelus. In nativitate, Maria et Ioseph. In Transfiguratione, Christus cum tribus Apostolis: Petro, Iacobo et Ioanne. Eucharistia perficitur in cœtu duodecim Apostolorum. Secundo, ne imperiti superbirent, si omnia intelligerent in Dei libro. Innocent. III. tit. de hæreticis, cap. Cum ex iniuncto: Recte, inquit, fuit in lege divina statutum, ut bestia, quæ montem tetigerit, lapidetur: ne videlicet simplex aliquis et indoctus præsumat ad subtilitatem sacræ Scripturæ. Tertio, ut eruditorum acuatur industria, et labore clausa lux splendescat. S. Chrysolog. serm. 96. *Sicut in lapide friget ignis, latet ignis, ferri ac lapidis collisione flammatur: sic obscurum verbum Dei ac sensus collatione resplendet.* Quarto denique, ne vilescant Scripturæ. Auctor operis imperfecti in Matth. hom. 44. Obscurata est, ait, notitia veritatis, ne non tam utilis inveniatur, quam contemptibilis: contemptibilis est enim si ab illis intelligatur, a quibus nec amatur, nec custoditur: ita ipse. Unde Philosophi veteres et varii populi sua mysteria occulta esse voluerunt.

(Margin: 1. Ut fides exerceatur. 2. Ne imperiti superbiant. 3. Eruditi exerceantur. 4. Ne Scripturæ vilescant.)

55. Philosophi amaverunt obscuritatem. Primo enim Philo libro, Quis hæres divinorum, docet Philosophos επιτηδευειν ασαφειαν, sectari perquam studiose obscuritatem. Heraclitus de rebus naturalibus et divinis ita obscure scripsit, ut dictus sit σκοτεινος, id est, tenebrosus. 2. Trismegistus in Pimandra, sic loquitur: *Irreligiosorum est multorum conscientiæ publicare tractatum maiestate plenissimum.* 3. Pythagorici obscuritatem adamarunt, eorumque princeps Pythagoras præcepta recte vivendi variis umbris et figuris obvolvit, ut refert Diogenes Laertius in eius vita, fol. 578. Tria refero: πυρ μαχαιρα μη σαλευειν, ignem gladio non fodere: hoc est potentium iram, et tumentem indignationem non commovere. Ζυγον μη υπερβαινειν, Stateram non transilire: hoc est, æquum et iustum non transgredi. Καρδιην μη εσθιειν, cor non edere: id est, animam angoribus et doloribus non cruciare. Plura vide ibi. Hipparchus qui primus eius mysteria vulgavit, ab eius schola exclusus est. 4. Platonem mysteria sua numeris occultasse dicit Euseb. lib. 12. de præparation. Evangel. cap. 4. Hinc parœmia: Difficilius numero Platonico. Illum secuti sunt eius discipuli. Unde Synes. de Insomniis, ait sectari obscuritatem esse λιαν αρχαιον και πλατωνικον, antiquissimum et Platonicum. 5. Peripatetici tenebras quoque in dictis suis quærebant. D Ideo Themistius orat. 2. docet, Aristotelem sapientiam, ζοφω καλυψαι και αμφιεσαι ασαφεια, tenebris et obscuritate velavisse. Aristotelis sectatores fuere Peripatetici, sic dicti, quod inter deambulandum philosopharentur, περιπατειν enim est deambulare. Clemens Alex. lib. 5. Strom. dicit, eos habuisse res aliquas, quas εξωτερικας, id est, externas vocabant: alias vero quas εισωτερικας, id est, internas appellabant, cum illis alias communicarent, has vero minime. 6. Academici sic vocati, quod in Academia, loco nemoroso, ab Athenis mille passus distante, docerent, doctrinam suam et sententias occultabant: neque aperiebant aliis, quam iis, qui cum ipsis ad decrepitam usque senectutem versarentur.

56. Et varii populi. Secundo, quod spectat ad populos suos mysteria occultantes. Primo, Athenienses mysteria Cereris volebant esse occultissima. Secundo, Ægyptii Deum honorabant sub imagine Crocodili, quod solum ex omnibus animalibus

lingua careat, ut ait Euseb. lib. 2. de præpar. Nolebant enim divina arcana vulgari. Duplicis quoque generis apud eos erant litteræ: alteris politica negotia scribebant, alteris sacra: solisque hæ sacerdotibus nota erant. Tertio, Romani, ut tradit Fenestella libro de magistratib. cap. 3. Duumviris solum sacrorum librorum a Sibillis conscriptorum lectionem permittebant, quod deinde decemviris permissum est. Tarquinius rex in culeo positum Tullium Duumvirum in mare abiici iussit, quod Petronio Sabino transcribendum dedisset librum, qui continebat secreta secretorum: hoc est secreta maxima.

57. David fuit Propheta.

Secundo nota, ex his verbis, *Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*, colligitur Davidem fuisse Prophetam. Sic vocatur ab ipso Christo, Matthæi 27. 35. Eius oro locutum esse Spiritum sanctum, ait S. Petrus Actorum 1. 6. et omnes Apostoli, Act. 4. 25. Hoc ipse David profitetur Psal. 44. 2. *Lingua mea calamus scribæ* (id est, Spiritus sancti) *velociter scribentis*. Et 2. Regum 23. 7. hæc sunt verba David novissima. Dixit David filius Isai: Dixit vir cui constitutum est de Christo Dei Iacob, egregius Psaltes Israel. Spiritus Domini locutus est per me, et sermo eius per linguam meam. S. Chrysost. præfation. in Ps. nostr. et alii, docent, eum fuisse Prophetam etiam post lapsum, et probari potest ex psalmis, in quibus de admisso peccato dolet; in iis enim variæ prophetiæ continentur. S. Basilius eum vocat, ποιητην ιερων ασματων, sacrorum canticorum poetam. Pisidas illum appellat Orpheum. Sic enim canit in opere sex dierum:

O σος γαρ Ορφευς την θεοφθογγον λυραν
Χρονων ο Δαβιδ.
Tuus enim Orpheus Deum canentem lyram
Pulsans David, etc.

Lyram eius extollit Hesychius serm. 2. de laud. Virg. Maria. Δαβιδ, inquit, θεομιμητον ανακρουων λυραν, David pulsans lyram Dei imitatricem.

58. Et quidem insignis.

Secundo, David fuit excellens Propheta. Primo enim fuit Prophetis maior: 1. quia fuit rex et propheta. Tharasius Constantinopolitanus in epist. ad Ioannem presbyterum et anachoretam ait, Davidem vino divini Spiritus inebriatum, et afflatu Dei illustratum, in regibus Prophetam, et in Prophetis regem. S. German. Patriarch. Constantinopol. in sanctam Nativitatem B. Virgin. Deiparæ: David, inquit, magnus inter reges et Prophetas regio velut cernens oculo, μεγας εν προφηταις και βασιλευσι βασιλειω τω βλεμματι εξεικονιζων; 2. Hugo Card. alias etiam rationes coacervat. David, inquit, fuit eximius quantum ad dictorum apertionem, regiam dignitatem, pœnitentiæ humilitatem. Nullus enim ita aperte locutus est de Passione: ita Hugo.

1. Maior Mose.

Mosi ipsi eum anteponit S.Greg. hom. 16. in Ezech. Videamus, inquit, si Prophetæ plusquam Moses, divinam scientiam apprehendere potuerunt. Certe Psalmista dicit Ps. 118. *Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est.* Et iterum: Super seniores intellexi. Qui ergo legem meditari se memorat et super omnes docentes se, et super seniores intellexisse testatur, quia divinam scientiam plusquam Moses acceperat, manifestat: ita Gregorius.

2. Maior Abrahamo.

Secundo, David fuit maior Patriarchis, ipsoque Abrahamo, cui factæ sunt promissiones, et qui pater fuit multarum gentium. S. Ambr. lib. 3. in Lucam, ideo dicit in enarratione maiorum Christi præpositum Davidem Abrahamo: quia clare Davidi facta est promissio de Christo ex ipso nascituro, Abrahamo autem de Ecclesia. S. Petr. Damiani ait, præpositum Abrahamo Davidem fuisse dicit, quia Abrahæ semel promissio est facta, Davidi autem frequenter. Consule sermonem eius 46.

3. Regibus.

Tertio, David fuit maior aliis regibus, tum ob virtutem, tum ob donum prophetiæ. Salvianus lib. 2. de purgatione Dei: David, inquit, tantus rex, tanti nominis; *cunctis regibus altior, mundo maior*.

4. Evangelistis.

Quarto, maior fuit Evangelistis. S. Gregorius Nyssenus serm. in Ascensione Christi, in quo Ps. 23. postremam partem examinat: *Attollite portas* etc. *Quam dulcis*, inquit, *hominum comes Propheta David in omnibus vitæ itineribus! quam aptus spiritualibus cunctis ætatibus? quam omni proficientium ordini, conditionique commodus invenitur! Cum illis qui apud Deum pueri infantesque sunt, colludit. Viris in certamine et pugna se socium præbet. Iuventutem erudit, senectutem confirmat, omnibus omnia fit, militum arma, magister pugilum, palæstra certantium, corona victorum, in conviviis hilaritas, in funere lugentium consolatio. Nulla denique pars humanæ vitæ illius munere et gratia vacat.* Ac denique aliquot interiectis subdit: *Huiusce psalmi pars reliqua, forsitan Evangelica voce doctrinaque sublimior est. Nam Evangelium Domini consuetudinem et vitam, quam egit in terra, et eius reditum in cælum narrat. Hic autem excelsus Propheta supra seipsum egrediens, tamquam corporis onere nihil prematur, infert se cælestibus potestatibus, et voces earum nobis exponit, cum in cælum redeuntem Dominum ipsæ comitantes, angelis qui versantur in terris, quibusque in humanam vitam ingressus commissus est, imperant ad hunc modum: Tollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit rex gloriæ:* ita Gregorius.

Si Davidis vitam spectes, ex lege evangelica illam composuit. S. Petr. Damiani lib. 4. epist. 9. David, inquit, ante evangelium evangelice vixisse creditur: qui non modo Semel et Saul, sed et plurimis indulsisse suis hostibus invenitur. S. Chrysost. concion. 4. de Lazaro, vocat illum, φιλοθεον ψυχην, mentem amore Dei flagrantem. S. Ambros. vero in præfat. enarration. in Ps. 118. moralium magnum magistrum.

Illuminatissimum denique fuisse Davidis intellectum Viegas noster in Apoc. 3. 7. docet. Illa enim verba: *Hæc dicit sanctus et verus, qui habet clavem David: qui aperit, et nemo claudit: claudit, et nemo aperit*, explanans, ait: Communis expositio hanc clavem David, esse clavem scientiæ, qua Scripturæ aperiuntur, de qua dicebat Christus Pharisæis: *Væ vobis hypocritæ, qui tulistis clavem scientiæ: ipsi non introistis, et qui introibant prohibuistis.* Dicitur autem huiusmodi clavis peculiari nomine clavis David: quoniam, ut ait Rupertus et alii, *David luculentius quam reliqui Prophetæ, Christi et Ecclesiæ mysteria cecinit:* atque ideo, *merito instar omnium Prophetarum censetur:* ut qui clavem Davidis ad aperiendum habuerit, simul ad reliquos Prophetas intelligendos habere creditus sit: hæc Viegas.

Mazzarinus noster sermon. 50. in Psal. nostr. ostendit prope omnia fidei mysteria Davidi fuisse revelata. 59. Pene omnia fidei mysteria illi sunt revelata.

Primo, enim agit de Incarnatione. Ps. 71. 6. *Sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram.* Secundo, assignat Nativitatis locum. Ps. 131. 6. *Audivimus eam in Ephrata.* Tertio, electionem Apostolorum. Psal. 44. 17. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram.* Quarto, prædicationem. Ps. 2. 6. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius.* Quinto, contradictiones. Psal. 119. 7. *Cum loquebar istis, impugnabant me gratis.* Sexto, coniurationes. Ps. 2. 1. *Quare fremuerunt gentes, etc.* Septimo, proditiones. Psal. 40. 10. *Qui edebat panes meos magnificavit super me supplantationem.* Octavo, opprobria. Ps. 21. 7. *Opprobrium hominum et abiectio plebis.* Nono, crucem. Ps. 95. 10. *Dicite in gentibus quia Dominus regnavit a ligno.* Decimo, clavos. Ps. 21. 18. *Foderunt manus meas et pedes meos.* Undecimo, amarum potum. Ps. 68. 22. *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.* Duodecimo, afflictiones. Psal. 21. 19. *Diviserunt sibi vestimenta mea, super vestem meam miserunt sortem.* Decimo tertio, sepulturam. Ps. 87. 7. *Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, et in umbra mortis.* Decimo quarto, resurrectionem. Ps. 15. 10. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Decimo quinto, Ascensionem. Psal. 67. 19. *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.* Decimo sexto, thronum ad dexteram Dei. Psal. 109. 1. *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis.* Decimo septimo, ad-

ventus ad iudicium. Ps. 95. 13. *Quoniam venit iudicare terram, iudicabit orbem terrarum in æquitate, et populos in veritate sua.* Decimo octavo, gloriam sponsæ. Psalm. 44. 10. *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato.* Decimo nono, virgines illi assistentes. Ibid. v. 15. *Afferentur regi virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi.* Vigesimo, hæreditatem virtute partam. Ps. 2. 5. *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Vigesimo primo, sacramenta nobis relicta: sicut extremæ unctionis. Ps. 22. 5. *Impinguasti in oleo caput meum.* Vigesimo secundo, Eucharistiæ. Psal. 22. vers. eod. *Calix meus inebrians quam præclarus est.* Baptismi. Ps. eod. v. 2. *Super aquam refectionis educavit me:* ita Mazzarinus, cui non assentior in explicatione de extrema unctione. Vide illum locum.

Plurima alia mysteria proferri possent, et pro singulis varia, nec minus illustria testimonia: sed allata sufficiunt, ut videamus Davidem fuisse unum ex præstantissimis Prophetis. Philastrius hæresi 78. Sicut, inquit, sanctis aliis diversam tribuit Christus Dominus gratiam, ita maiorem huic concessit scientiam, dicente Domino, Act, 13. 34. *Dabo vobis sancta David fidelia:* ita Philastrius.

Concludamus itaque cum S. Chrysost. hom. de pœnit. regis Achab: αιρετωτερον εστιν ηλιον σβεσθηναι, η ρηματα Δαβιδ ληθη παραδοθηναι: *Satius esset solem extingui, quam verba Davidis oblivioni tradi.*

SECTIO SECUNDA.

60. *Tria postulat. Primo, velut exteriorem animæ faciem ablui, vers. 9. Secundo, internas animæ partes sanctitate repleri, vers. 11. Tertio denique, perseverantiam in utroque, vers. 13.*

PARAPHRASIS.

9. *Asperges me hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.*

9. Quoniam, leprosi instar, purulenta me peccatorum sanie pollutum video, tu Domine, velut hyssopo, gratia tua, filiique tui pretioso sanguine animam meam asperge, et statim mundus ero ab omni sorde, atque in oculis tuis et angelorum nive candidior apparebo.

10. *Auditui meo dabis gaudium et lætitiam: et exultabunt ossa humiliata.*

10. Condonationem meorum mihi peccatorum annuntia, ut ex hac auditione mens mea triumphet gaudio. Inde reduudans lætitia languentis præ mœrore corporis penitissimas medullas permeabit.

11. *Averte faciem tuam a peccatis meis: et omnes iniquitates meas dele.*

11. Cum scelera ab anima mea expunxeris, illa e memoria tua erade, non recurrant amplius menti tuæ ad vindictam. E libro tuo, in quo scripta hominum scelera asservas, iniquitates meas dele, ut oculos tuos tristi aspectu amplius non feriant.

12. *Cor mundum crea in me Deus: et spiritum rectum innova in visceribus meis.*

12. Cor meum tot flagitiis sordidatum abiice: ac novum, omnisque labis expers in me crea. Et quem olim mihi innocenti Spiritum sanctum infuderas, qui actiones omnes meas ad salutis portum dirigeret, innova in voluntate mea, ut obliquos ac flexuosos tramites fugiam.

13. *Ne proiicias me a facie tua: et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.*

13. Sic emundato perseverantiam in virtute tribue, neque me e servorum tuorum numero exclude: et semel redditum Spiritum sanctum tuum in anima mea conserva.

14. *Redde mihi lætitiam salutaris tui: et spiritu principali confirma me.*

14. Lætitiam, qua olim exultabam, de salute per te mihi præstanda, restitue, ne carnificina hæc perversæ conscientiæ amplius me torqueat. Atque hanc salutis securam lætitiam ne amove, sed spiritu tuo potenti regioque, suopte pondere ad ima præcipitantem corrobora, ac nutantem stabili in tua gratia confirmatum.

QUÆSTIO UNICA.

QUAM VARII EXCELLENTESQUE PŒNITENTIÆ EFFECTUS.

61. **D**AVID veluti leprosum se considerans tabo undequaque diffluentem, mundationem a Deo petit per gratiæ iustificantis infusionem. Ordo Sectionis.

Primo enim ablutionem flagitat, velut in extima facie animæ, v. 9. *Asperges me hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.* Gaudium etiam petit, quo totus exultet, v. 10 *Auditui meo dabis gaudium et lætitiam: et exultabunt ossa humiliata.*

Secundo, internam animæ pulchritudinem postulat, per ablationem maculæ peccati, v. 11. *Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele.* Et collationem donorum perfectorum, vers. 12. *Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.* Ut scilicet in illo corde cælesti vitales spiritus calefacti per omnes arterias diffundantur, et charitatis ardorem accendant.

Tertio denique, perseverantiam in Dei famulatu, v. 13. *Ne proiicias me a facie tua.* Et confirmationem in donis Spiritus sancti: *Et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.* Ac securitatem de salute consequenda, v. 14. *Redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me.*

ARTICULUS I.

Pœnitentiam mentem emundat, ac nitidam facit.

POST petitam a Deo misericordiam, eius obtinendæ certam spem atque effectus declarat, v. 9. ASPERGES ME HYSSOPO, ET MUNDABOR: LAVABIS ME, ET SUPER NIVEM DEALBABOR. Nota, *asperges*, ut Valentia et Lorinus volunt, poni pro optativo, quo Hebræi carent, q. d. Utinam me aspergas. Vel ut Syr. et Arabs, pro imperativo, q. d. Asperge me. Sæpe enim futurum Hebræi ponunt pro imperativo, vel optativo. Secundo, simplicius et commodius, το *asperges,* sumitur in propria significatione futuri, ita ut denotet conceptam spem fore ut eius Deus misereatur, atque ipsum emundet. Ubi adverte, quod valde contritus de peccato varios affectus sumit, modo desiderii, modo spei, modo alios. Vers. 9. 62. Futurum usurpant Hebræi pro imperativo et optativo.

Nota secundo, pro *asperges,* Hebr. est תחטא *techatte,* hoc est, purificabis a peccato. Felix, expiabis. Camp. lustra, id est, aqua lustrali et purificante asperge. Rad. חטא *chata,* in Kal significat peccare. In Piel autem *chitte,* significat expiare. Illa coniugatio habet daghes in ventre mediæ radicalis litteræ. Tu punge cor tuum puncto doloris ob peccatum, et ex ipsa contritione et punctione peccati sumes expurgationem.

Nota tertio, alluditur hic primo ad aspersionem aquæ

63. *Ablutio peccatoris figurata in expiatione immundi.* expiationis qua iubebatur mundari, qui erat immundus ob contactum cadaveris, sicut refertur Num. cap. 19. Ad illam porro expiationem tria requirebantur. Primo, cinis vaccæ rufæ immolatæ in holocaustum. Secundo, aqua illa lustralis permista cineri. Tertio denique, aspergillum ex cedro et hyssopo, quam coccus constringebat, ut aqua illa proiici posset septies super immundum.

Secundo, et melius, alluditur ad emundationem leprosi, qualis erat David in anima ob admissum adulterium: 1. enim hic non fit mentio cineris; 2. agitur de lotione, quæ *Et leprosi.* fiebat in leprosi expurgatione; 3. auris leprosi tingebatur sanguine; et David dicit hic: *Auditui meo dabis gaudium;* 4. macula lepræ adhærens corpori melius significat maculam peccati, quam immunditia legalis, quæ erat tantum extrinseca in contactu mortui. Ritum porro mundandi leprosi habes Levitic. 14. In pauca sic contrahit Cornelius. Primo, expiandum aspergebat sacerdos sanguine passeris, per alium passerem alligatum baculo cedrino, cum cocco et hyssopo, mox passerem vivum avolare sinebat. Secundo, expiandus lavabat vestes suas, radebat pilos corporis, ac lavabat seipsum. Tertio, die octavo offerebat agnum pro delicto et agnum pro peccato, et ovem anniculam in holocaustum cum tribus decimis similæ, et olei sextario. Si mundandus esset pauper, pro hisce iam dictis offerebat agnum pro delicto, et duos turtures, vel duos pullos columbarum, unum pro peccato, alterum in holocaustum cum tribus decimis similæ et olei sextario. Quarto, sanguine agni tingebat sacerdos aurem dextram mundandi, et pollices dextræ manus et pedis. Quinto, ex oleo aspergebat septies coram tabernaculo, reliquum olei fundebat super extremum auriculæ dextræ, et super pollices manus ac pedis dextri, et super caput expiandi: ita ille. Præterea reperitur aspersio sanguine hædi vel agni, cum egrediendum fuit ex Ægypto, Exod. 12. Secundo, aspersio sanguinis vituli, in sacrificio pro peccato Pontificis, aut totius populi, Levit. 4. 6. Tertio, aspersio seu fusio sanguinis hirci, in sacrificio pro peccato principis et regis, ibidem v. 25. Quarto, aspersio seu fusio potius sanguinis capræ immaculatæ in peccato alicuius privati hominis, qui per ignorantiam lapsus erat, ibid. v. 31. Sed tunc vel postes domus, vel velum templi, vel cornu aut basis altaris aspergebatur, vel tingebatur sanguine, in leproso autem aspersio ipsam personam spectabat.

64. Quæres primo, quid per hyssopum hic significetur?
Hyssopus est symbolum humilitatis. Primo, S. Gregorius vult significari humilitatem Christi. *Hyssopus*, ait, *est herba humilis, saxo quidem adhærens, et parum utilitatis in seipsa sui facie ostendens, quæ tamen pulmonis inflationem deprimit, et virtutis suæ acrimoniam si conteratur, ostendit. Quid igitur per hyssopum, nisi Christi humilitas designatur? Ipsa est enim quæ omnem in nobis reprimit contumaciam, sicut herba illa pulmoni inflato adhibet medicinam. Quis enim iam dedignetur in mundo se pro Deo abiicere, cum audiat Dei Filium opprobria et derisiones subiisse?* Secundo, Innocentius de cuiuslibet Christiani humilitate sic explicat: *Est hyssopus*, inquit, *herba humilis, sed medicinalis, quæ figit radicem in petra, et valet ad purgandum pulmonem. Hæc humilitatem significat, quæ figit in humili Christo radicem, purgatque inflationem pulmonis, id est, tumorem mentis depellit.* Hoc sumpserunt a S. Augustino, qui advertit Saulum superbum ivisse ad vinciendos Christianos spirantem cædes, anhelantem sanguinem, nondum purgato pulmone.

Variæ hyssopi proprietates. Hugo Cardinalis hic adnotat octo proprietates hyssopi, quas duobus inclusit versiculis:

Parva, calens, pectus purgans, petrosa, screatrix,
Ius sapidat, pleuræ congrua, spargit aquam.

Hæc conveniunt pœnitentiæ. Primo enim, debet esse humilis, hoc est parva, quia exultabunt ossa humiliata. Et in veritate parva est, id est, brevis, secundum illud 2. Cor. 4. 17. *Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ*, etc. Secundo, debet esse calens per charitatem. Psal. 38. *Concaluit cor meum intra me.* Tertio, purgans per contritionem; infra: *Cor contritum et*

A *humiliatum Deus non despicies.* Quarto, est petrosa, in locis duris crescens. Ecce satisfactio, quæ dura est ieiuniis, vigiliis, disciplinis, et huiusmodi. Cant. 8. 6. *Dura sicut infernus æmulatio.* Quinto, screatrix, id est, facit screare: ecce confessio. Eccli. 31. 25. *Surge e medio, et vome, et refrigerabit te.* Sexto, ius sapidat, quia pœnitentia etiam corpus temperat, et a luxuria refrænat. Matth. 17. 21. *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur nisi per orationem et ieiunium.* Septimo, pleuræ valet, id est, costæ, Multum enim valet flagellanti, ideo dicit David, Ps. 37, 18. *Quoniam ego in flagella paratus sum.* Octavo denique, spargit aquam quia acquirit gratiam: ita Hugo. Aliæ quoque proprietates, nec minus accommodæ in hyssopo spectari possunt. Cyrillus in Catena Barbari, in ea considerat calefaciendi vim, quodque ad subducendam alvum sumatur, et pituitæ concretiones atque crassos humores acuat et expurget: huiusmodi esse spiritualem gratiam, quoniam spiritu ferventes efficit, ac sordes omnes
B in nos latenter infusas, tamquam ignis extenuat, ut idcirco dicatur baptizari Spiritu sancto et igne. S. August. S. Bernard. serm. 45. in Cant. et serm. de Dedicatione, S. Eucher. de formulis spirit. cap. 4. Gulielmus Durandus 1. rationalis, cap. 7. num. 20. medicam vim quoque in herba ista cum puritate considerant, et adhærescentiam ad petram, ita ut eam quoque penetret, quod item pulmones purget, phthiriasi resistat, et prurigini in capite, tussim sanet, enecet tineas pediculosque, colorem in corpore foveat, medeatur ictibus serpentum, iuvet comitiales, cibi appetentiam excitet, cieat urinam et menses, horrores febrium excutiat, acuat visum. Hæc pœnitentiæ accommodare facile possis.

Quæres secundo, quid figuret hæc aspersio hyssopo, 65.
id est, aspergillo ex hyssopo facta. Primo, Bellarm. Lorinus, imo S. Gregor. et alii plurimi, de baptismi ablutione hoc explicant. S. Gregor. in S. baptismum, vocat illum peccati diluvium. Lavacrum, communiter appellatur, dealbat ad se accedentes, est confectum ex Agni sanguine. *Aspersio cum aspergillo ex hyssopo denotat: 1. Ablutionem baptismi.*
C S. Antoninus 3. part. hist. tit. 20. cap. 8. et 9. dicit, Cassani Tartarorum regis filium omnino deformem, per baptismum de repente pulcherrimum factum esse. Si hoc in corpore contigit, in animo quid fiet? Eberardus contra Waldenses, cap. 6. *Non ideo*, inquit, *mergimur in fonte baptismi, ut lavemus carnem, sed sanguinem. Sicut enim Elisæus in Spiritu sancto Naaman Syrum curavit a lepra per aquæ intinctionem in Iordane: ita et ab originali peccato purgamur interius per aquæ baptismum et fidem. Scriptum est enim: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Unde et in Actis Apostolorum de eunucho: Ecce aqua, quis prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Ecce quod oportet credere, qui baptismum vult recipere: sic enim lavabitur a peccato. De qua lotione loquitur Psalmus, dicens: Lavabis me, et super nivem dealbabor. Et alius dicens in persona Christi: Cum sanctificatus fuero in vobis, congregabo vos de universis terris, et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et dabo*
D *vobis spiritum novum. Ecce, quod ab omni inquinamento, aqua mundat:* ita Eberardus. Sicut in expiatione typica per aquam expiationis, ait Bellarminus, aqua mundabat, sed vim habens ex cineribus vaccæ rufæ occisæ, et per hyssopum aspersa: sic etiam in baptismo aqua mundat, sed vim habens ex morte ac merito Christi, et per fidem applicata. Zachar. 13. 1. dicitur: *In die illa* (cum Christus cruci affigetur) *erit fons patens domui David, et habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris et menstruatæ.* Fontem illum, ait Haymo, esse fontem misericordiæ Dei. Rupertus censet esse baptismum. De eodem dicit Paulus Ephes. 5. 26. *Mundans eam* (Ecclesiam) *lavacro aquæ in verbo vitæ*, id est, per verba vivificantia.

Secundo, et melius, aspersio cum aspergillo ex hyssopo denotat pœnitentiam, quæ animam lavat, ut patet ex dictis de hyssopi proprietatibus, et convenientiis eius cum pœnitentia, de qua ait S. Chrysost. hom. 38. *Peccatum* *II. Pœnitentiam.*

*

ita maculat, ut nulli fontes, nulla flumina, sed lacrymæ solum atque confessio mundare queat. S. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 408. Deus, ait, qui nos vitam per resipiscentiam obtinere cupit, de pectore tuo aquam ducet, quæ tibi pro altero quodam lavacro sit, ac voluntaria piscina, conscientiam tuam ab inquinamentis repurgans, ut angelis, quos in mœrorem coniecisti, lætitiæ causam præbeas. S. Ioann. Damasc. vocat lacrymas alterum baptismum. Sic enim in hist. Barlaam et Iosaphat cap. 11. *Per Domini gratiam lacrymarum fons baptismus vocatur.*

66. Pœnitentiæ duo effectus: Quæres tertio, quinam sint effectus illius aspersionis et ablutionis? Resp. duos hic assignari: nempe mundationem, et dealbationem: *Asperges me Domine hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.*

I. Animam emundat. Primo enim, pœnitentia animam emundat. Albertus Patavinus serm. 5. Omnem, ait, maculam conscientiæ diluit pœnitentia. Isychius Ierosol. lib. 4. in Lev. cap. 13. Omnis impietas per mundum pœnitentiam purgatur. Clem. Alex. lib. 2. Strom. Pœnitentia expurgat locum animæ a peccatis, ut fides fundetur. Petrus Cellensis lib. de panibus cap. 12. *Aqua hæc lacrymarum paradisum irrigat: Ecclesiam ut sit sine macula, lavat: aut facit, aut invenit paradisum.* S. Greg. Naz. orat. 39. Quintum locum, ait, lacrymarum baptismus tenet: sed asperior est et laboriosior: quo quidem ille tingitur, ut qui per singulas noctes lectum suum ac stratum lacrymis lavat, cui ipsæ quoque vitii cicatrices fœtent, qui lugens et contristatus ingreditur, qui Manassis resipiscentiam, ac Ninivitarum humilitatem, cui misericordia impertita est, imitatur: qui Publicani verbis in templo utitur, ac supra insolentem et superbum Pharisæum iustificatur. Vide dicta Ps. 6. 7. Fons lacrymarum ex oculis obdurati peccatoris fluens bene repræsentatur symbolice per fontem e rupe ad verba Mosis, et ad virgæ contactum, exilientem. S. Greg. Nyss. de vita Mosis: *Moses rursus*, ait, *per lapidem inundare aquis eremum fecit. Quæ res quantum et quale sit pœnitentiæ sacramentum docet. Nam qui postquam semel biberunt ex lapide, quamvis ad ventrem et Ægyptias voluptates lapsi, bonorum privatione, ac doloris perpessione in deserto condemnentur: possunt tamen virtute pœnitentiæ lapidem quem dereliquerunt, invenire: ac fontes, quos delinquendo obserarunt, pœnitendo reserare.*

II. Dealbat. Secundo, pœnitentia animam mundatam, dealbat: *Et super nivem dealbabor.* Albas oves, nigras, rufas, variegatas aliquæ efficiunt aquæ. Eudicus in Hetiæotide fontes duos esse tradit: Ceronem scilicet ex quo bibentes oves fiant albæ: et Melam ex quo nigræ: ex utroque autem variæ. Plures refert Plinius lib. 2. cap. 130. In Falisco, ait, omnis aqua pota candidos boves facit. In Bœotia amnis Melas oves nigras: Cephisus ex eodem lacu profluens, albas: rursus nigras Penius, rufasque iuxta Ilium Xanthus, unde et nomen amni. In Ponto fluvius Astaces rigat campos, in quibus pastæ nigro lacte equæ gentem alunt. De his vide Senecam lib. 3. natural. qu. cap. 25. et Aristotelem lib. 3. animal.

Pecudes dealbant aquæ, homines sanguis Christi. Hebr. 9. 13. *Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ* (rufæ) *aspersus inquinatos sanctificat* (legaliter) *ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis?* Applicatur autem per pœnitentiam, quæ dealbat instar nivis. Isai. 1. 18. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum* (id est, rubra et sanguinei coloris ut coccus, qui est granum tinctorium) *quasi nix dealbabuntur*, (est metonymia: non enim peccata, sed peccatores dealbantur) *et si fuerint rubra sicut vermiculus* (qui est intra coccum rubicundus, et ad tingendam purpuram adhibetur) *velut lana alba erunt.* Albedo ut nix et ut lana dicit perfectam albedinem, quæ sit interna et externa; non tantum in verbis et exteriori corporis compositione sed in fundo cordis. Non amat Deus albedinem parietis et sepulcri dealbati: si parietem perfoderis, ac sepulcrum, horrenda atque fœtentia sæpe reperies. S. Gregor. in Ps. nostr. recte dicit: Nulla pulchritudo quæ inest corpori, valet decori sanctæ animæ comparari. Ierem. Thren. 4. 7. de Nazaræis, id est, separatis, coronatis, et consecratis Deo agens, eos super nivem albos fuisse asserit: *Candidiores Nazaræi eius* (Sionis) *nive* (Arab. Antioch. nitidi facti sunt abstinentes se ex hominibus eius magis quam nix) *nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo* (fit rubrum ex candido) *sapphiro pulchriores.* Separa te ad pœnitentiam, ut fecit S. Petrus post admissum peccatum, et eris verus Nazaræus. De pœnitentia et institutis Nazaræorum vide Cornel. Num. 6. 9. S. Ambros. in Apolog. 1. David, cap. 12. *Lavatur*, ait, *qui diluitur æterni fontis irriguo: et supra nivem dealbatur, cui culpa dimittitur. Denique de ipsa anima dicitur: Quæ est hæc, quæ ascendit dealbata? antequam baptizaretur, ipsa est quæ dicebat: Nigra sum et decora filiæ Ierusalem. Erat enim nigra, tenebroso peccatorum horrore deformis: sed postea quam abluta per baptismum remissionem meruit delictorum, dealbata ascendit ad Christum. Inde et per Isaiam Dominus locutus est, dicens: Si fuerint peccata vestra sicut phœnicium, ut nivem dealbabo: id est, si cruenta, si tetra, mundabo. Hæc est nix intelligibilis, de qua ait quod Domini Iesu in Evangelio refulserint vestimenta sicut nix: eo quod peccatum non cognoverit: caro enim qua se induit veniens in hunc mundum ab omni fuerat munda delicto. Quid miraris, si vidit baptismatis sacramenta?* etc. S. August. ait sic mundatos esse Christi vestem sine macula et ruga. Proinde vestem eius in monte, quæ sicut nix dealbata effulsit, significare Ecclesiam omni macula peccati mundatam.

Quod autem pœnitentiæ sit proprium dealbare animam docet S. Chrysost. serm. de pœnit. *O pœnitentia*, inquit, *rutilantior auro, splendidior sole, quam non vincit peccatum, nec defectio superat, nec desperatio delet. Innocentius in Ps. nostr. Lavabis me, ait, per indulgentiam, et dealbabor per gratiam, utique super nivem: quoniam candor nivis non intenditur, sed remittitur. Candor autem gratiæ non remittitur, sed intenditur: quia charitas aut proficit semper, aut deficit: unde amitti potest, sed remitti non potest.* Gratia enim non minuitur, sed tota manet, donec per peccatum mortale tota expellatur: augetur autem per quemlibet bonum actum.

Possumus quoque dicere, incipientium esse aspergi hyssopo: proficientium lavari: perfectorum super nivem dealbari. Vel, humilitatis esse hyssopi aspersionem: contritionis, mundationem: confessionis, lotionem: satisfactionis, dealbationem.

Mente itaque et ore versiculum nostrum sæpe volvamus: *Asperges me*, etc. cuius notitiam tanti fecisse fertur S. Sabinianus martyr, cum adhuc esset paganus, ut angelus devolans e cælis sic eum compellarit: *Cum aspersum fuerit caput tuum chrismate, mundaberis: et cum mundatus fueris aqua viva in nomine Domini Iesu Christi, tunc candidior eris quam nix.* Quo audito baptisma suscepit, ac tandem Aureliani iussu pro fide est trucidatus, ut refert S. Antoninus 1. part. chron. tit. 7. cap. 9. ss. 1.

ARTICULUS II.

Pœnitentia mentem cumulat gaudio.

A faciei ablutæ pulchritudine, ad aurium delectationem delabitur David, vers. 10. AUDITUI MEO DABIS (Hebr. audire facies me) GAUDIUM ET LÆTITIAM: ET EXULTABUNT OSSA HUMILIATA. Quæres, quod gaudium? Primo, de Incarnatione ineffabili Christi: ita Euthymius. Angelus dixit pastoribus in ipsius nativitate, Luc. 2. 10. *Evangelizo vobis gaudium magnum*, (Euthym. in Psal. nostr. vocat iucundissimum gaudium. S. Bern. serm. 5. de Nativit. gaudium novæ lucis) *quod erit omni populo.* Secundo, gaudium de scientia prophetica sibi reddenda, ait S. Chrysost. S. Thom. et alii. Tertio, gaudium de resurrectione et salute obtinenda, audita voce: *Venite be-*

67. Vers. 10. Quodnam gaudium petit David. 1. 2. 3.

nedicti Patris mei, etc. Ita S. Greg. S. Athan. S. Cyrill. Cassiod. Remig. Urban. Innoc. et alii. Eam vocem e cælo missam audiens S. Aponianus Commentariensis fidem Christianam suscepit, et martyrio coronatus est. Christus pollicetur Apostolis, Ioan. 16. 20. *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Matth. 25. 21. bono servo et fideli dicitur: *Intra in gaudium Domini tui.* Vide dicta Ps. 121. 1. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini*

4. *ibimus.* Quarto, gaudium de reprehensione peccati per Nathan: ita Remigius. Gaudebo, ait, audire reprehensionem tuam, et non loqui contra te, non defendere peccatum. Unde Ioannes Ioan. 3. 29. *Amicus autem sponsi stat et audit, et gaudio gaudet.* Hæc est vera humilitas, sibi displicere ut placeat Deo: quidquid peccati est, sibi imputare: quidquid iustitiæ, Deo: ita ille.

5. Quinto, et melius, *gaudium* de remissione peccati, quando audivit a Nathan propheta 2. Reg. 12. 13. *Dominus transtulit peccatum tuum:* ita Ruffin. Iansen. Titelm. Antonius de la Val. Si maius gaudium est super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem iustis, qui non indigent pœnitentia: quanto magis gaudebit ipse peccator mundatum se, et super nivem dealbatum advertens. In convivio quod facit pater prodigo vestito stola, id est, veste prima, non tantum erat vitulus saginatus, sed symphonia et chori, Luc. 15. 25. In hoc gaudio tres gradus agnoscit S. Thom. Primo, complacentiam in affectu, quæ notetur per gaudium. Secundo, dilationem, ad plus percipiendum id quod amatur, et significetur per lætitiam. Tertio, redundantiam usque ad corpus, quæ exultationis nomine designetur. *Dabis* porro ponitur pro *dedisti*, quod est frequens Hebræis.

6. Sexto denique, et optime, cum dicatur in futuro *dabis* et hic Psalmus scriptus sit post condonationem peccati, arbitror non intelligi gaudium quod percepturus sit David de prima remissione peccati, sed de continuatione illius benevolentiæ, qua remissum est, et de condonatione pœnarum debitarum, ac tandem de æterna salute obtinenda. Haymo gaudium intelligit de remissione peccatorum, lætitiam de spe salutis æternæ. Idem censet Bruno. Notat Aignanus triplex esse gaudium: nempe temporale, quod est peccatorum: spirituale, quod est devotorum; supernaturale, quod est Beatorum: de illis satis fuse agit.

68. Ritus mundandi leprosum. Nota, alludit David ad ritum mundandi leprosi. Nam sanguine hostiæ et oleo indice misericordiæ, eius auris a sacerdote tingebatur post aspersiones alias; dicit autem David: *Auditui meo dabis gaudium et lætitiam.* De leproso ait Deus Mosi, Levit. 14. 14. *Assumens sacerdos de sanguine hostiæ, quæ immolata est pro delicto ponet super extremum auriculæ dextræ eius, qui mundatur, et super pollices manus dextræ et pedis. Et de olei sextario mittet in manum suam sinistram, tingetque digitum dextrum in eo, et asperget coram Domino* (coram ostio tabernaculi) *septies. Quod autem reliquum est olei in læva manu, fundet super extremum auriculæ dextræ eius qui mundatur, et super pollices manus ac pedis dextri, et super sanguinem* (Septuag. in loco sanguinis) *qui effusus est* (super aurem atque pollices leprosi mundandi) *pro delicto, et super caput eius.* Hæc multiplex unctio post septenam aspersionem mundandi, denotat perfectissimam emundationem et misericordiam. David autem dicebat, *amplius lava me.*

69. Ossa humiliata quid significent. Quæres secundo, quid per ossa humiliata hic intelligatur? Primo, Hugo Card. Per ossa, inquit, fortitudo carnis intelligitur, quæ humiliata, id est, mortificata exultat. Unde in Psal. 83. 3. *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Glossa dicit ibi: caro edomita. Propter hoc bene dicit Iob 7. 15. *Elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea.* Et dicit Gregorius super illum locum: Cum mentis intentio ad alta se sublevat, omnem in se fortitudinem vitæ exterioris necat. Ps. 89. 15. *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti: annis, quibus vidimus mala.*

II. Secundo, *ossa humiliata*, sunt humiles virtutes, de quibus Ps. 101. 4. *Ossa mea sicut cremium aruerunt.* Et Ps. 41. 11. *Dum confringuntur ossa mea.* Hæc ossa humiliata exultabunt, quia sicut habetur 4. Reg. 4. Vasa vacua replevit Elisæus, sic Dominus humiles replet gaudio Spiritus sancti Luc. 1. 47. *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo, quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Humilitas dat gaudium. Innocentius in Ps. nostr. Quamdiu, inquit, anima erigitur in superbiam, non potest vera exultatione gaudere: sed cum deponit superbiam, et humilitatem assumit, tunc vera in Domino iucunditate lætatur.

Tertio, et optime, *ossa* sunt animæ et corporis vires, III. Et optime. humiliantur et deiiciuntur per peccatum, corroborantur et exultant per remissionem peccati factam pœnitentibus, et per gratiam vivificantem. Ezech. 37. hoc fuse ostenditur in ossibus aridis et hac illac dispersis, quæ afflante spiritu inter se connexa et vivificata sunt; vers. 4. dicitur: *Ossa arida audite verbum Domini: ecce ego intromittam spiritum in vobis, et vivetis.* Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Rom. 10. 17. *Fideles autem, velut filios amantissimos*, verbis ad imas ossium medullas penetrantibus consolatur Deus ut pollicetur. Isa. 66. 12. *Ad ubera portamini, et super genua blandientur vobis, quomodo si cui mater blandiatur, et ego consolabor vos, videbitis, et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt.*

Pœnitentiæ vim ad dandam lætitiam declarat S. Chrysostom. O pœnitentia, inquit, quæ contritum sanas hominem, et tristem exhilaras. Et hom. 56. in Matth. *Sicut fructum flos antecedit, sic pœnitentia et dolor lætitiam parit, et dolori lætitia succedit.* S. Petrus Damiani opusc. 13. cap. 12. *O lacrymæ*, ait, *deliciæ spirituales super mel videlicet et favum, atque omni nectare dulciores; quæ mentes ad Deum erectas iucunda saporis intimi suavitate reficitis, et arida ac tabescentia corda haustis supernæ gratiæ medullitus irrigatis.* Cassiod. in Ps. 130. O pœnitentia, inquit, nimis et absolute gloriosa humiliatio, quæ nescit cadere! luctus qui corda lætificat! lacrymæ quæ animam rigant! S. Antioch. hom. 77. Quantum, ait, in se dulcoris habet, fratres mei, pœnitentia! quam suavis est! Aliud prorsus nihil est, quam *sarciendæ vitæ pharmacum salutare.* S. Cyrillus Ierosol. catech. 2. eam vocat *fortia salutis arma.* Itaque non est mirum si eius lætitia ad intima ossa penetrat.

Ut sit perfecta lætitia, petit David a suis peccatis Deum oculos avertere, v. 11. AVERTE FACIEM TUAM A PECCATIS MEIS, ET OMNES INIQUITATES (Syr. stultitias. Apoll. ασωφροσυνας, amentias) MEAS DELE. Vers. 11. Nota, actiones nostræ sive bonæ sive malæ, in singulorum conscientia, velut in libro scribuntur. 70. Opera nostra in conscientiæ libro scribuntur. Primo, de bonis actionibus dicit S. August. in Ps. 93. *Bona vita*, inquit, *ex præceptis Dei quæ agitur, tamquam stylus est: quod auditur, scribe in corde: si in cera scriberetur facile deleretur. Scribite illud in cordibus vestris, moribusque vestris, et nunquam delebitur.* Secundo, de malis actionibus, S. Hieron. in illud Ezech. 9. 2. *Vir unus in medio eorum vestitus erat lineis, et atramentarium scriptoris ad renes eius*, sic loquitur: Erat in medio sex virorum unus, id est septimus in habitu Pontificis vestitus lineis indumentis, et habebat atramentarium scriptoris ad renes suos, quo omnium peccata describeret, et sanctorum a peccatoribus numerum segregaret: ita S. Hieron. Vir ille erat angelus tutelaris Iudæorum. Quomodo Christum figuraret, vide apud S. Gregor. lib. 22. Moral. 13.

Qua ratione iniquitates nostræ deleantur, dixi iam satis supra v. 3. 71. Peccata per pœnitentiam delentur. Quod autem id per pœnitentiam fiat, docet Petr. Blesensis de Ierosol. peregrin. Pœnitentia, inquit, est cælorum scala, reconciliatio pacis, acquisitio vitæ, vitiorum abolitio. Petrus Cantor. cap. 67. Duas, ait, habet manus pœnitentia: laborem scilicet pœnitentialem, ad delenda præterita peccata: macerationem carnis, ad vitanda futura. Petr. Cellensis lib. de panibus, cap. 12. Lacryma est naufragium vitiorum portusque naufragatorum. Beda in cap. 11. Lucæ: Pœnitentia, inquit, delictum

abolet, sapientia præcavet. S. Chrysost. serm. de Pœnit. sic ait: Pœnitentia respuit avaritiam, horret luxuriam, fugit furorem, firmat amorem, calcat superbiam, linguam continet, componit mores, odit malitiam, excludit invidiam: ita ipse. Dicamus cum Deo, Exod. 17. 14. *Delebo memoriam Amalech de sub cælo.* Amalech explicatur, gens bruta: hoc peccato est aptissimum, homines enim in bruta animantia convertit, ut sæpius est ostensum.

ARTICULUS III.

Pœnitentia cor mundum efficit.

REX pœnitens omnem in partem cor suum versans, ut oculis Dei gratum appareat, postulavit cum hyssopo illud aqua expiatoria aspergi, lavari, dealbari, audita concessione veniæ aures suas recreari, ossa exultare a facie Dei. Nunc Rex noster velut cordis sui pertæsus, 72. quod remediis omnibus adhibitis non possit pristinæ sanitati vigorique restitui, novum postulat, vers. 12. COR MUNDUM CREA IN ME DEUS, ET SPIRITUM RECTUM INNOVA IN VISCERIBUS MEIS. Nota, cor in Scriptura sæpe ponitur pro tota anima: quia sicut anima est primum principium omnium actionum vitalium, et primum movens: ita cor est prima origo vivificationis et motus corporis, quod primum vivit, et ultimum interit. Secundo, cor sumitur pro tribus animæ præcipuis potentiis: 1. pro intellectu et cogitationibus. Ps. 7. 10. *Scrutans corda et renes Deus.* Rom. 1. 21. S. Paulus agens de Philosophis, dicit: *Obscuratum est insipiens cor eorum;* 2. cor ut plurimum ponitur pro voluntate. Deuter. 6. 7. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* 1. Reg. 13. 14. Samuel Sauli intimans reiectionem eius a regno, et subrogationem Davidis, ait: *Quæsivit Dominus sibi virum iuxta cor suum,* id est, secundum suam voluntatem, gustum ac desiderium; 3. sed rarius, *cor* sumitur pro memoria. Ps. 118. 11. *In corde meo abscondi eloquia tua,* velut in thesauro. De Virgine habetur Luc. 2. 19. *Maria conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo,* id est, in sua memoria.

Vers. 12. 1. Pars. Cordis variæ significationes in Scriptura.

73. Quæres, quid est creari cor mundum? Est creari munditiem in corde. Non enim petit sibi creari cor, sed cor mundum, quatenus scilicet mundum est formaliter et reduplicative ut tale est, sicut loquuntur Theologi. Illam porro cordis munditiem ponit S. Athanasius epistol. ad Ammia in purgatione a malis et fœdis cogitationibus. Didymus vero, et quidem melius, in purgatione ab omni peccato. Præsertim tamen videtur David respicere peccatum adulterii, quod maxime facit cor immundum, et a quo alia peccata venerunt in cor eius. Creari autem dicitur a Deo illa munditics, sive gratia mundans, quod detur nullis præviis meritis, sed veluti ex nihilo per solam Dei misericordiam. Prima enim gratia non cadit sub meritum. Sic S. Augustin. lib. de gratia et libero arbitrio, cap. 8. *creationem* de gratia sumit et intelligit hunc locum Psalmi nostri S. Paulo Ephes. 2. 10. *Ipsius enim sumus factura* (ποιημα: Erasmus, opus; S. Ambros. figmentum; Vatablus, creatura) *creati in Christo Iesu in operibus bonis* (ad opera bona facienda) *quæ præparavit Deus ut in iis ambulemus.* Gal. 6. 15. *In Christo* (in fide et religione Christi, in Christiana vita) *neque circumcisio aliquid valet, neque præputium* (hoc est, non refert an aliquis sit Iudæus, an Gentilis) *sed nova creatura*, id est, ait Cornelius, anima baptismo et gratia Christi regenerata et renata, imo recreata, et quasi nova creatura spiritualis effecta, novam gratiæ vitam sortita, ut deinceps in novitate vitæ ambulet: hæc scilicet plurimum valet ad Christianam vitam ineundam et prosequendam. Unde Apoc. 3. 14. Christus dicitur *principium creaturæ Dei.* Et Isa. 9. 6. *Pater futuri sæculi:* quia a Christo cœpit nova gens, novus mundus, et ut canit Sibylla Cumana, gens aurea, id est, aureis virtutibus, gratiis et donis a Christo acceptis splendens ac fulgens instar auri. Ubi adverte, quod peccator per sua scelera ad nihilum redigitur. Ps. 72. 22. *Ad nihilum redactus sum, et nescivi.* S. Hieron. *ego insipiens* (hoc est peccator) *et nescius.* Chald. ego stultus. Vide illum locum. Ut igitur ad vitam redeat, eget nova creatione.

Quid est creari cor mundum?

Nota, peccator caret corde. Osee 7. 11. *Factus est Ephraim* (id est populus Israel, qui reges suos habuit de tribu Ephraim) *quasi columba seducta* (Syrus, stolida. Septuaginta ανους, id est, amens, q. d. Sine mente) *non habens cor,* id est, mentem, intelligentiam, prudentiam. Arab. Antioch. non habens intellectum, neque cor. Ierem. 5. 21. ait Iudæis: *Audi popule stulte, qui non habes cor,* id est, sapientiam, cuius sedem Galenus putavit esse cor, certe est eius hieroglyphicum. Eccl. 12. 13. ait Salomon: *Deum time, et mandata eius observa: hoc est enim omnis homo.* Hoc S. Bern. expendens serm. 20. in Cant. acute concludit: Si hoc est omnis homo, absque hoc nihil est homo. Et S. August. lib. 20. de civit. cap. 3. Quid brevius, verius, salubrius dici potuit? Deum, inquit, time, et mandata eius custodi: quia hoc est omnis homo. Quicumque enim est hoc, est custos utique mandatorum Dei, quoniam qui hoc non est nihil est. Non enim ad veritatis imaginem reformatur, remanens in similitudine vanitatis: ita S. August. Sed ad cor redeamus. David ingemit Ps. 39. 13. *Cor meum dereliquit me.* Ergo erat sine corde. Vide ibi dicta. Victimam sine corde reperiri erat malum omen: id aliquando contigisse Cicero testatur lib. 2. de divinatione, et Festus Pompeius lib. 14. Plinius lib. 11. 37. Cæsari, ait, Dictatori, quo die primum veste purpurea processit, atque in sella aurea sedit, sacrificanti bis in extis defuit: ita ille. Tu es Dei victima, Deus odit rapinam in holocausto, sed præcipue dicit, *Fili præbe cor tuum mihi.* 74.

Peccator caret corde.

Quæres secundo, cur David petit in se creari *cor mundum?* Primo, ut dignum sit, quod a Deo videatur. Dixerat enim in versu præcedenti: *Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele:* ne tamen privetur oculis Dei, a quo est omne lumen animæ, cor mundum petit in se de novo produci, ut in eo aspectu sibi complaceat. Habacuc propheta cap. 1. 13. ait Deo: *Mundi sunt oculi tui ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris.* Cor mundum iure dixeris esse politum speculum, quod divinus sol illustrare appetit, et mille cælestium colorum varietate, velut sacram iridem, figurare. Marcus Eremita de lege spirituali, cap. 29. Cor mundum, ait, est illud, quod exhibet Deo memoriam omni specie formaque vacuam, paratum, ηλιου ενσφραγισθηναι τυποις, *insigniri solis ipsius typis, quibus evadere solet illustre.* 75.

Cor mundum petit David ob rationes octo.

I. Ut Deus illud aspicere dignetur.

Secundo, *cor mundum* petit, ut vicissim possit videre Deum. Matth. 5. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Munditia tollit peccata, quæ sunt nubes interpositæ inter nos ac Deum. S. Chromatius Episcopus Aquileiensis, qui floruit circa annum Christi 390. tract. de octo beatitudinib. *Munditia, inquit, cordis, et conscientiæ puritas nullam nubem ad intuendum Deum patitur.* Et S. Leo serm. in festo omnium Sanctorum: Merito, inquit, hæc beatitudo cordis promittitur puritati, splendorem enim veri luminis sordens acies videre non poterit: et quod erit iucunditas mentibus nitidis, hoc erit pœna maculosis. Declinentur igitur terrenarum caligines vanitatum, et ab omni squalore iniquitatis oculi tergantur interiores, ut serenus intuitus tantum Dei visione pascatur: ita S. Leo. Vide S. August. lib. 83. quæstionum quæst. 11. II.

Ut Deum possit aspicere.

Tertio, *cor mundum* petit, ut Deus illud inhabitare dignetur. S. Macar. hom. 32. appellat cor, οικητηριον Θεου, domicilium Dei. Templum est Salomonis id est, pacifici; vel tabernaculum Mosis, id est, ex aquis extracti, virtutum gemmis irradians, auroque charitatis undequaque vestitum. Est domus, quam sapientia sibi ædificavit, Prov. 9. 1. Id S. Bern. considerans, lib. de interiori domo, ait: Sapientia ædificet sibi domum, erigat columnas septem, quibus tota fabrica innitatur. Domus est conscientia, columnæ sunt bona voluntas, memoria, (scilicet memorem esse beneficiorum Dei,) cor mundum, animus liber, Spi- III.

Ut Deus illud inhabitet.

ritus sanctus mens devota ratio illuminata. Cresolius noster tract. de selectis piorum hominum virtutibus, id fusius amplificat, et cor vocat penum gratiarum, hegemonicon, arcem mentis, et Dei domum. Est enim cor prætorium sancti Spiritus, ad omnem amœnitatem extructum numinis palatium, regia Dei augusta præsidio angelorum munita, in qua solet cum filiis hominum deliciari: *Et deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Ea causa in Evangelio Christus illud modo cubiculum vocat, in quod oraturi ingrediantur; modo atrium a forti armato custoditum; aliquando mansionem divinitatis: *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Iob idem nominavit tabernaculum: *Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo.* Paulo etiam post Adam appellat nidum, in quo non modo cum Numine sancto morari, sed etiam mori cupit, nec latum unguem ab illa Dei habitatione discedere: *In nidulo meo moriar.* David Ps. 28. vocat aulam sanctam Dei, cum ait v. 2. *Adorate Dominum in atrio sancto eius.* Templum Dei, Ps. 137. 2. *Adorabo ad templum sanctum tuum.* Quod de corde exponit S. Hilar. Domum eburneam Dei. Psal. 44. 9. *Myrrha et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis:* Quæ S. Augustinus exponens: Vis, ait, domos eburneas spiritualiter accipere? magnas domos, et magna tabernacula Dei, corda Sanctorum accipe.

Contra vero, cor immundum iure S. Barnabas nuncupabat *domum dæmonum.* In eo enim accubant furiæ illæ avernales, et omnia discerpunt, ac stygiis flammis aduruat. Cor immundum est stabulum tabernæ diversoriæ, aut spelunca aperta in medio sylvarum: ad quam omnes bestiæ, feræ, et serpentes confluunt, et ululant, sibilant, ferociunt, atque in suo stercore volutantur. Clemens Alex. lib. 2. Strom. fol. 299. *Mihi quidem videtur*, inquit, *cor non esse absimile diversorio: illud enim perforatur et effoditur, et stercore sæpe repletur, cum homines se petulanter gerant, et locum nihil omnino curent, ut qui sit alienus. Eodem modo cor quoque, cum, quamdiu nulla eius cura geritur, fit immundum, et* πολλων δαιμονων οικητηριον, *multorum dæmonum habitaculum.*

IV. Ut sit altare Dei. Quarto, *cor mundum* postulat, ut sit altare, in quo se suasque omnes potentias et actiones offerat Deo in odorem suavitatis. Altare holocaustorum, in quo ignis semper ardet, est cor charitate succensum, et humilitate se usque ad cinerem redigens. Altare vero thymiamatis est cor per orationes offerens incensum et suavem suffitum Deo. Inter cor illud et Sancta Sanctorum exiguum corporis velum interiacet, sed patet supra illud fenestra, nempe os, per quod fumus intret ad Deum. Conversatio enim Sanctorum est in cælo. Beda dicit libro de templo, craticulam auream, in quam thurei odores immittuntur, esse ipsa iustorum corda. Sed de toto altari nihil vetat exponere.

V. Ut sit arca testamenti. Quinto, *cor mundum* postulat, velut arcam auream, in qua Deus legem suam et dona conservet. S. Greg. lib. 7. epist. 30. ad Eulogium Episc. Alex. *Quid est*, ait, *sacerdotale cor, nisi arca testamenti? in qua quia spiritualis doctrina viget, procul dubio tabulæ legis iacent.* S. Macarius hom. 43. Cor, ait, vasculum quidem parvum, sed in quo recipiantur omnia. Ibi Deus, ibi angeli, ibi vita et regnum, ibi cælestes urbes, ibi thesauri gratiæ. At si pravum fuerit, ibi dracones, ibi leones, ibi bestiæ venenatæ, ibi asperæ et salebrosæ viæ, ibi præcipitia, ibi thesauri vitiorum: ita ille. Humanum cor ea est natura, ut polypi instar, in eos se colores transmutet omnium rerum, quibus velut scopulis adhæserit. Proteus est innumeras se in figuras transformans. Spongia est, quæ odorem combibat illius liquoris, quo se oppleverit. Unde fit, ut modo

Hirsutum cor Leonidæ. nihil illo sit suaveolentius, modo nihil fæculentius. Hirsutum cor fuisse Leonidæ Lacedæmonio tradit Aristides lib. 1. rerum Persicarum: idem de Aristomene Messenio refert Plin. lib. 11. cap. 37. De Hermogene excellenti rhetore, alii. Rarus est, cui sine alla labecula purum cor existat; facile enim res terrenæ illi adhærescunt, iisque cor ipsum facile implicatur. Ex eo fit, ut numeris omnibus

A absoluta perfectio paucissimorum sit. Plato in Theæteto. Quando, ait, densum alicuius est cor (quod sapientissimus Poeta laudavit) η οταν κοπρωδες, και μη καταρου κηρου, aut cum lutulentum, neque ex defæcata cera, aut molle nimis, aut durum, non recte omnino se habet. Nam mollis nimium cera celeres quidem ad percipiendum efficit, sed eosdem obliviosos. Dura vero contra, diu memores; sed ineptos tardosque ad percipiendum: et qui densam, et asperam lapideamque vel terream, vel fæculentam habeat obscura simulacra contineat. Obscura quoque qui duram, profunditas quippe abest. Obscura prætcrea, qui molliorem. Nam ex confusione facile evanescunt. Quod si præter hæc invicem quoque congesta sint, ob sedis ipsius angustiam, εαν σμικρον η το ψυχαριον, siquidem exigua sit animula, obscuriora quoque illis simulacra fient: ita Plato. Quis est qui sibi nihil deesse censeat? Si enim Propheta Isaias pollutum se labiis ingemebat, qui virtutum præstantia illud est meritus, ut Seraphico carbone purgaretur, quis erit omnium nostrum sensus, quos, ut ait S.

B Gregorius in Ps. nostr. Luxuria inquinat, invidia angustat, ambitio præcipitat, superbia exaltat?

Sexto, *cor mundum* postulat, ut in ea munditia velut in centro suo, atque in sua beatitudine temporali conquiescat. S. Bern. serm. de triplici genere bonorum: *Sicut*, inquit, *corporis natura est sanitas: ita cordis natura est puritas: quia turbato oculo non videbitur Deus: et cor humanum ad hoc factum est, ut suum videat creatorem.* Auctor octo punctorum, quibus ad perfectionem pervenitur, quæ S. Bernardo tribuuntur, sic ait: Puritas cordis inter omnia exercitia spiritualia est quodammodo tamquam finalis intentio, ac laborum omnium retributio, quam in hac vita miles Christi emeritus recipere consuevit, et quæ sibi vendicat principatum. VI. Ut in sua puritate sit tranquillum.

Septimo, *cor mundum* postulat, ut inde mundities, velut vitalis spiritus, in totum hominem diffundatur. S. Chrysost. in Psal. 140. πηγη αρετης και κακιας απο της καρδιας, *fons virtutis et vitii est in corde.* Quale est cor, talis C est tota mens, quæ ibi habitat. Plin. lib. 11. cap. 37. cor primum nascentibus formari in utero traduat: deinde cerebrum, sicut tardissime oculos; sed hos primum emori, cor novissime. Palpitat certe, et quasi alterum movetur animal, ibi mens habitat. Ægyptii animæ domicilium esse cor arbitrabantur. Hinc cordati, sapientes: vecordes et excordes, stulti dicuntur. Maximam cordi potestatem tribuit S. Chrysolog. serm. 75. *Inter cor*, ait, *et linguam totum salutis humanæ versatur et geritur sacramentum.* Ideoque sapienter admonet S. Cyprian. Cavendæ, inquit, homini sunt duæ particulæ, quæ in illius carne non veterascunt, et totum hominem ad peccandum trahunt, cor videlicet ac lingua: ita Cyprianus. VII. Ut ex corde puritas in omnia defluat.

Octavo denique, *cor mundum* postulat, ut in cælum intrare possit. S. Ioannes agens de cælesti Ierusalem, Apoc. 21. 27. ait, *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens.* R. Isaac in Gen. cap. 6. dicit solemnem esse Iudæorum orationem. Deus animam mundam, quam dedisti mihi, fac talem tibi restituam. Marcus D Eremita id fieri per cor mundum sic declarat: *Cor*, inquit, *voluptatis amans, carcer et catena est animæ in tempore egressionis: at idem laboris studiosum, ianua est aperta*: in cælum scilicet. VIII. Ut in cælum intret.

Quæres deinque tertio, quomodo cor mundetur? Sex modis illud mundari dicit Aiguanus. Primo, per fidem. Act. 15. 9. S. Petrus præsidens Concilio Ierosolymitano, ubi erant Apostoli, ait: *Fide purificans corda eorum.* Iudæi dicebant Gentiles esse impuros: S. Petrus ait eos esse mundatos per fidem, et actus scilicet per ea n factos. Sponsus ait Cant. 8. 6. *Pone me ut signaculum super cor tuum:* impressis videlicet cordi nostro fidei mysteriis. Secundo, cor mundatur per contritionem. Vide dicenda v. 12. *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Tertio, cor mundatur per confessionem, qua vitia extra mittuntur. Thren. 2. 19. unicuique dicitur: *Effunde sicut aquam cor tuum in conspectu Domini.* Quæ verba exponens 76. Cor mundatur sex modis.

Hugo a S. Victore dicit: Effundere debemus sicut aquam corda nostra pia confessione ante Dominum. Ut, quemadmodum cum aqua effunditur, nihil ibi occultum relinquitur: ita in corde nostro nihil relinquamus absconditum; sed omnia per confessionem Deo revelemus, ut cor nostrum mundum efficiatur; propter quod dicitur Ps. 61. 9. *Effundite coram illo corda vestra: Deus adiutor noster in æternum* Quarto, cor lavatur per ablutionem lacrymarum. Sic enim Magdalena cordis maculas lacrymis lavit: sic et Petrus qui egressus foras flevit amaro. Propter quod dicitur Ier. 4. 14. *Lava a malitia tua cor tuum Ierusalem.* Ierusalem enim interpretatur visio pacis: et significat animam, quæ ad visionem pacis habendam est creata. Quinto, cor mundatur per orationem. Si enim quidquid orantes petimus, credere debemus quia accipiemus: consequens est, ut qui orando devote cordis munditiam petit, ipsam indubitanter recipiat a Deo; ideo dicit Apostolus Hebr. 10. *Accedamus ad eum cum corde vero in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala.* Sexto denique, cor mundatur per conversionem ad Deum. Ioel. 2. 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro. Scindite corda vestra,* etc. quia benignus est et præstabilis super malitiam. Hæc et plura Alguanus.

77. Pœnitentia cor emundat. Pœnitentia itaque cor emundat. S. Isidor. Hispal. lib. 2. de divinis officiis, cap. 16. *Pœnitentia*, inquit, *est medicamen vulneris, spes salutis.* S. Eligius Noviomensis Episc. qui floruit circa annum Christi 640. dicit homil. 6. Sicut impossibile est hominem sine peccato esse: ita sine pœnitentia impossibile est hominem salvum fieri. Vide dicta supra vers. *Asperges me hyssopo, et mundabor.*

78. Et renovat. Per pœnitentiam fit nova creatura per novi cordis creationem. Ezech. 18. 30. dicitur: *Convertimini et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: et non erit vobis in ruinam iniquitas. Proiicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum, et spiritum novum: et quare moriemini domus Israel?* S. Ambros. in Apolog. 1. David, cap. 14. *In novo homine cor mundum est, in quo veterum delictorum fuerit deleta colluvies, nec inscripta manserit aliqua iniquitatis effigies. Grande autem munus, cordis esse mundi. Unde pulchre Salomon Prov. 20. Quis gloriabitur castum se habere cor?* S. Chrysost. serm. de Pœnit. O pœnitentia, inquit, quæ vitam de interitu revocas, statum restauras, hominem renovas, fiduciam das, et reformas vires, atque gratiam abundantiorem refundis. Et homil. 3. in cap. 2. Matthæi: Quid agit pœnitentia? cor emundat, sensus illuminat, animas sanctificat, et ad susceptionem Christi præparat humana præcordia: sicut magno iudici aut regi in expeditionem venturo præparatores præcedunt, sordida abluunt, dira componunt, ne forte indecorum aliquid videns rex delicatus abhorreat.

ARTICULUS IV.

Pœnitentia spiritum rectum, sanctum et principalem largitur.

In corde a Deo creato spiritus vitales necessarii sunt,
79. quibus incalescat, suamque vim et ardorem velut in sa-
Vers. 12 cros rivos, per omne corpus diffundat, vers. eod. 12. ET
2. Pars. SPIRITUM RECTUM INNOVA IN VISCERIBUS MEIS. Hebr. in medio mei, hoc est, in intimis animæ meæ penetralibus. Ut enim ait S. Ambr. in Apolog. 1. cap. 14. Viscera animæ, adinventiones sensuum sunt bonæ cogitationis studia, virtutum perseverantia, postremo illæ, quæ Græce συνομίαι dicuntur: ita ipse. Viscera in corpore sunt iecur, cor, pulmo, et lien, a quibus maxime dependet vita nostra: idem sunt in anima nostra virtutes. Cor est charitas, quæ totam animam vivificat; pulmo est spes, quæ ad Deum aspirat, et Spiritum sanctum ad se attrahit; iecur est fides, quæ sanguinem format, et in corpus effundit; lien est humilitas in imo loco sita, et crassioribus rebus contenta.

A Quæres primo, qui est *spiritus rectus?* Primo, S. Ambr. 80.
Didym. Hesych. et alii, Spiritum sanctum tertiam Trini- Quis est
tatis Personam intelligunt. Secundo, S. Bernardus inter- spiritus rectus?
pretatur de Filio Dei, qui est secunda Trinitatis Persona. 1.
Verba eius sunt serm. 3. de Pentecoste: Spiritum, ait, re- 2.
ctum quod ait, Filio potest non inconvenienter aptari, qui nos veterem hominem exuens, novum induit, qui nos renovavit in spiritu mentis nostræ, tamquam in visceribus nostris, ut cogitemus quæ recta sunt, ut ambulemus in novitate spiritus, et non in litteræ vetustate. Formam enim rectitudinis in omnibus operibus suis, sicut de eo idem ipse prædixerat, Ps. 24. *Dulcis et rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via.* Hæc Ber-
nardus. Tertio, *spiritus rectus* est animus hominis: ita 3.
Didymus. Conscientia recta: ita S. Ambros. et Didymus.
Quarto denique, *spiritus rectus* est gratia rectificans, ut 4.
loquitur Valentia: seu charitas, ut Bellarminus. Per viscera, inquit, intelliguntur interiora animi, id est, vo-
B luntas ipsa, quæ paulo ante cor dicta est. Per spiritum rectum, intelligitur recta affectio, quæ nihil aliud est, nisi charitas: per cupiditatem enim affectus cordis distortus efficitur, dum convertitur ad inferiora, ac præcipue ad seipsum: sed per charitatem dirigitur, dum convertitur ad superna, ac potissimum ad Deum. Innovatur igitur spiritus rectus in visceribus, quando corde mundato per gratiam, renovatur in anima pia affectio in Deum, quæ per peccatum amissa erat, et in cuius locum cupiditas distorta successerat.

Quæres secundo, qualis sit ille spiritus rectus? Primo, 81.
spiritus rectus est, qui cognitionem habet rectam, et quæ Qualis est Spiri-
ad veritatem recta collimat. Ita S. Hieron. Spiritum, ait, tus rectus?
rectum ad videndum et discendum innova. S. August. lib.
de quantitate animæ, cap. 33. rectitudinem spiritus cen- I.
set esse, qua fiat ut anima in veritate quærenda deviare Qui rectam ha-
atque errare non possit. Vultum homini rectum dedit et bet co-
in cælos erectum, tota statura corporis recta est. Gibbosi gnitionem.
non erant apti ad Iudaicum sacerdotium, et qui erant ob-
C torto naso, Levit. 21. 18.

Secundo, *spiritus rectus* est, qui affectionem et volun- II.
tatem habet rectam. Nam idem est realiter cor mundum, Qui rectam ha-
et spiritus rectus. Cor autem maxime proprie sumitur pro bet affe-
voluntate et affectione. Iob 1. v. 1. *Vir erat in terra Hus* ctionem.
nomine Iob, vir simplex, et rectus, ac timens Deum. S. Basil. illud Ps. 7. 11. *Qui salvos facit rectos corde*, considerans, ait: *Rectus corde is est, qui animum retinet neutram in partem vergentem: sic ut neque excedat, neque desit tibi, sed ad medium dirigatur virtutis. Nam quisquis a fortitudine deflectit, aliquatenus in timiditatem propendet: contra qui plus iusto se extendit, ad audaciam atque temeritatem declinat.* Ac deinde: *Sicut obliqua linea fit, si nunc in curvum, nunc in convexum eius rectitudo diffringatur: sic etiam cor obliquum est, quod nunc per iactantiam atque arrogantiam effertur, nunc per calamitates et dolores deiicitur.* Ecclesiastæ 7. 30. dicit Salomon: *Deus fecit hominem rectum*, id est, bonæ voluntatis, ut
D explicat S. Augustinus lib. 14. de civitat. Fecit, inquit, Deus hominem rectum, ac per hoc voluntatis bonæ, non enim rectus esset bonam non habens voluntatem. Et S. Hieron. lib. 1. contra Iovinian. Cum boni, ait, creati simus a Deo, ipsi vitio nostro sumus ad peiora delapsi, et quod in paradiso rectum in nobis fuerat, egredientibus de paradiso depravatum est: ita Hieron. Per peccatum autem voluntas in terram curvatur terrenis affectionibus. Unde Satyricus inclamat: O curvæ in terras animæ, et cælestium inanes! S. Bern. serm. 24. in Cant. indignitatem huius rei declarat: Quid, ait, indecentius quam curvum in recto corpore gerere animum? perversum est terrenam substantiam in cælum tollere oculos, cælestem vero, in terram.

Tertio, *spiritus rectus* est, qui Deum eiusque laudes, ut III.
decet, ore profitetur: ita S. Hieron. Spiritum, inquit, re- Qui rectam ha-
ctum innova in visceribus meis, quo te recte confitear. bet locu-
Sic sumit spiritum pro halitu et respiratione. Sic S. Pau- tionem.

lus dicit 1. Corinth. 14. 15. *Orabo spiritu* (id est, voce) *orabo et mente.* Quæ explicatio probatur, quia prius dixerat: Si orem lingua, spiritus meus orat. Secundo, *spiritus rectus* innovatur in ore, cum sincere et sine dolo loquimur: rectitudo enim non solum opponitur curvitati, corruptioni, atque depravationi, atque inflexioni in terram, sed etiam tortuositati, obliquitati, ambagibus, circuitionibus ac dolis, qui ut plurimum verbis aut inchoantur aut perficiuntur. Quantum bonum sit illa rectificatio, colligere possis ex consideratione duli, et ex eius perversitate. Mazzarinus serm. 69. In Psal. 50. asserit nullum esse in orbe monstrum tetrius homine fraudulento. Perscrutare, inquit, sub lunæ concavo loca omnia vel abditissima, rimare singula, vel excelsissima montium iuga conscende, valles depressissimas decurre, per amplas planities spatiaro, in abditissimas to sylvas conde, spelæa obscurissima penetra, in terris ambula, in mari naviga, et abyssos profundissimas pervade, nihil dissimulatione horrendum atque abominandum magis reperies. *Nullum mare tam depressum, nullus tam altus fluvius, nullus ita profundus puteus, nullus ita intricatus labyrinthus, nulla ita cæca spelunca, ut vera et nativa astuti hominis imago esse possit, cui in animo centum inter se implexa sunt cubicula. Illum si puteo, si fluvio, si mari composueris, profundior est: si labyrinto æquiparaveris, plures in eo fluxus reperies: si cavernæ similem dixeris, obscurior est, et concavus magis. Neque in Hibernia sancti, ut vocant, Patricii purgatorium tantæ est profunditatis: neque in Siculo freto mare tantæ altitudinis: neque in Cretæ labyrinthus tam intricatæ flexuositatis, atque is qui recta et sincera non loquitur, sed vafritie ac dissimulatione utitur. Difficultates numeri Platonici, nodus Gordius, magia Simetæ, poculum Circes, Medææ incantationes, metempsychoses Pythagoræ, metamorphoses deorum, mutationes Protei, addam etiam dæmonum transfigurationes, non essent æquales vafri hominis astutiis. Neque tot varietatibus distinctus est leopardus, neque tigris tot aspersus maculis, neque tot astutiis vulpes distinguitur, neque Chamæleon tot colores mutat, quot vultus ac formas induit fraudulentus. Non tanto numero in capite fluitant capilli, folia in arboribus, in pratis flores, arbores in sylvis, undæ in mari, arenæ granæ in littore, in cælo stellæ, in Libya serpentes, in Arcadia monstra, noctuæ Athenis, vasa in insula Samo, Tartareus Cerberus, Hydra Lernæa, Briareus centimanus, draco pervigil, Argus centoculus, ab hominis versuti insidiis et pedicis extricare se non poterunt: vel incautos omnes laqueis suis irretiet.* Hue usque ille.

IV. Quarto, *spiritus rectus* est qui recta agit, qui regia via graditur ad Deum, neque amat calles et tramites flexuosos. Aiguanus, spiritum rectum ait esse illum, qui recte tendit in Deum, qui ad terrena non curvatur. Arnobius dicit rectum esse spiritum, qui quidquid rectum coram Deo probatur, amplectitur. Isa. 26. 7. *Semita iusti recta est* (Hebr. semita iusto rectitudines, q. d. In ipsa rectitudine ambulat, ad eam gressus suos dirigit) *rectus callis iusti ad ambulandum.* Vaccæ quæ tendunt ad Bethsames, id est, ad domum solis, et portant legem in arca, id est, in sua conscientia, non deflectunt neque ad dextram, neque ad sinistram.

Qui rectam habet actionem.

V. Quinto, plene et adæquate, David petit *spiritum rectum* in his omnibus: hoc est tam in cogitatione et affectione, quam in locutione et actione, ut unius Dei gloriam et animæ suæ salutem in Deum erectus quærat atque ambiat. S. Bernard. serm. 25. in Cant. *Quærere*, inquit, *et sapere quæ sunt super terram, curvitas animæ est: et e regione meditari ac desiderare quæ sursum sunt, rectitudo. Et hanc rectitudinem, ut sit perfecta in omnibus, inveniri necesse est sensu atque consensu. Illum vero rectum corde dixerim, qui et recte in omnibus sentiat, et a recto quod senserit, in nullo dissentiat. Ecce de quibus dicitur ad Sponsam, recti diligunt te. Qui videlicet et recte et recto acquiescunt. Rectum revera te dixerit, si recte in omnibus sentias, et factis non dissentias. Invisibilis animi statum* *nuntiet fides et actio. Rectum iudica si fide catholicam et iustum opere probaveris.* Et lib. de interiori domo cap. 10. Sit cor rectum, ut ei per omnia placeat Deus: sit rectum rectitudine intentionis, exclusione perversæ cogitationis, assiduitate contemplationis. S. Gregorius in psalmo nostro: Hæc est, inquit, Spiritus sancti innovatio, ut omnem mundi gloriam mente despicias, mentem medullitus in conditoris tui amore infigas, illatis contumeliis patientiam custodias, et custodita patientia dolorem a corde repellas, omnibus te per humilitatem inferiorem deputes, de morte inimici nullatenus exultes, aliena non ambias, propria egentibus distribuas, amicum in Deo et inimicum propter Deum diligas, in afflictione proximi teipsum per compassionem affligas: ita Greger. Deus fecit hominem rectum, ait S. Thomas 1. p. q. 95. Erat enim rectitudo secundum hoc quod ratio subdebatur Deo: rationi vero inferiores vires animæ et corporis: ita ipse. Lege S. Prosperum lib. 2. de vita contemplativa.

Qui hæc omnia habet recta.

Nota primo, pro *rectum*, Hebr. est נָכוֹן *nacon*, id est Primo *stabilem*, ita Hieronymus, firmum non mobilem, non variabilem. Secundo, *integrum*: ita Campensis; *perfectum*, ita explicat S. August. Tertio, *iustum:* ita auctor quæstionum utriusque testamenti. Quarto, præparatum. Quinto, certum. Sexto, verum. Septimo denique, *rectum*, seu rectificatum. Si vis habere spiritum rectum, habe spiritum stabilem, integrum, perfectum, iustum, verum, etc. Tunc existima te regi ac dirigi a Christo, qui habet pro sceptro virgam directionis, Psal. 44. 7. et virgam ferream, id est, inflexibilem, Ps. 2. 9. Sub Agesilao claudo claudicaturum regnum Spartanorum dixit Apollo, teste Iustino, lib. 4. Rectus Dominus noster, igitur et nos recti simus, ne dicatur nobis Baali servientibus, quod Elias exprobravit Israelitis 3. Reg. 18.21. *Usquequo claudicatis in duas partes: si Dominus est Deus, sequimini illum: si autem Baal, sequimini illum.* Marcus Eremita qui vixit circa ann. 906. tract. de lege spirituali, cap. 23. docet a Deo petendum esse cor mundum et spiritum rectum, ut simus pleni divinarum cogitationum, κοσμος Θεου νοητος, *Dei mundus intellectualis*, splendidus et ingens, qui moralibus, naturalibus, et theologicis constet præceptis. 82.

Spiritus rectus est stabilis, integer, perfectus, etc.

Nota secundo, sapienter David prius petiit cor mundum quam peteret spiritum rectum. Ut enim ait S. Greg. *Prius abrenuntiandum est tibi omni peccato, et omnis a corde vitiorum fœditas eliminanda, ut omne quod agitur aut dicitur, eo purum in conspectu Dei ac lucidum appareat, quo ex bonæ intentionis origine quasi de puro quodammodo fonte manat. Quomodo enim poterit esse perspicuum, quod in ipsa origine fuerit vitiatum? Scriptum est enim: Bonus homo de bono thesauro profert bona, et malus homo de malo thesauro profert mala.* 83.

Cor mundum dat spiritum rectum.

Nota tertio, creationi et rectitudini recte iungitur renovatio. De primo dicitur Ps. 103. 30. *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ.* S. Aug. in Enchiridio ad Laurentium: Tunc, ait, efficimur vere liberi, cum Deus nos fingit: id est, format et creat: non ut homines, quod iam fecit: sed ut boni homines simus, quod tunc gratia sua facit: ut simus in Christo Iesu nova creatura, secundum quod dictum est: Cor mundum crea in me Deus. Neque enim cor eius quantum pertinet ad naturam cordis humani, non iam creaverat Deus, sed renovationem animæ demorantis in corde, propheta postulat: ita Augustinus. De secundo, nempe de coniunctione rectitudinis cum renovatione mentis, illud affert Zachar. 1. 16. *Perpendiculum extendetur super Ierusalem*, id est, super animæ civitatem, ut celebrentur encænia, id est, innovationes, seu dedicationes templi et urbis. Templum novum Zorobabelis absolutum est atque dedicatum anno mundi 3537. solutæ captivitatis 21. Zorobabelis et Iosue Pontificis item 21. Romæ conditæ 236. ante Christum 516. Urbs vero tota dedicata est post restaurationem murorum et portarum anno mundi 3609. Imperii Persarum 93. Artaxerxis regis 20. Nehemiæ ducis Hebræorum 1. Re- 84.

Creationi et rectitudini est iungenda renovatio.

mæ conditæ 308. ante Christum 411. In unoquoque nostrum civitas est corpus, eius templum est anima, utrumque exurunt et evertuut passionibus et vitiis Chaldæi, qui significant quasi dæmones. Renovatio et dedicatio facienda est per Christum, qui est verus Zorobabel, id est alienus a confusione: seu dispersio confusionis: et verus Nehemias, id est, consolatio Dei, requies Dei, directio Dei. Quanta inde secutura sit lætitia vide lib. 1. et 2. Esdræ. Adverte etiam eum Zorobabele fuisse Iosue seu Iesum Pontificem summum, qui erat typus Iesu Salvatoris et restauratoris nostri. Hoc apte assumi potest ad renovationes votorum fieri solitas bis in anno in Societate Iesu. Quotidie etiam mane dic Deo: *Spiritum rectum innova in visceribus meis.*

85. Vers. 13. Quid est proiici a facie Dei? Cum spiritu recto iungendus est Spiritus sanctus. Ideo additur, v. 13. NE PROIICIAS ME A FACIE TUA: ET SPIRITUM SANCTUM TUUM NE AUFERAS A ME. Quæres, quid sit proiici a facie Dei? Primo, solito eius favore, cura, benevolentia, providentia, gubernatione et custodia destitui: ita S. Chrysost. Iansen. Lindan. Camp. et alii. Secundo, dicitur in Scriptura, *proiici a facie Dei*, qui dimittitur, ac deseritur, non amplius recipiendus in gratiam. 1. Reg. 16. *Dixit Dominus ad Samuel: Usquequo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum?* et 2. Regum 7. *Misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea;* et 4. Reg. 24. *Irascebatur Dominus contra Ierusalem, et contra Iudæam, donec proiiceret eos a facie sua.* Ait igitur David, *Ne proiicias me a facie tua*, id est, ne sinas me iterum labi in peccatum: ne forte in perpetuum a gratia tua me removeas: parum enim mihi prodesset lavari, et super nivem dealbari, et spiritum rectum in me innovari, si tandem a facie tua cum reprobis proiiciendus essem: ita Bellarmin. Donum itaque perseverantiæ postulat, ne forte recuperatam lacrymis gratiam, iterum perdat. Tertio denique, cum petit non proiici, indicat se cognoscere vilitatem suam et abiectionem, in quam incidit per peccatum, q. d. Sentio me esse veluti pannum menstruatæ, et lumbare putridum, ne me talem proiicias, sed corde mundo creato et spiritu recto innovato, aspice me, atque illumina, et splendorem tuum mihi impartire.

86. Summum malum est proiici a facie Dei. Nota, summum malorum est proiici a facie Dei, et dicet Christus damnatis, Matth. 25. 41. *Discedite a me maledicti.* S. Ambr. in apolog. 1. David cap. 14. illud malum amplificat: *Si quis*, inquit, *nos offenderit servulorum, avertere ab eo vultum solemus. Plerique autem divitum amandare consueverunt mancipia sua, et per agellulos relegare, et hæc pœna gravior æstimatur. Denique solent magis se offerre verberibus. Si apud homines hoc grave ducitur, quanto magis ad Dominum Deum nostrum? Quasi non hinc dolor parricidalis, reprimendus quidem si qua eum pietas tentare potuisset, eruperit, quod faciem suam Deus a Cain muneribus averit, respexit autem super munera Abel. Itaque tacito vultu alterum innocentem pronuntiavit, alterum peccatorem. Ergo quasi ultimus servus humiliat se, et quasi in peccato deprehensus, et offensæ reus, obsecrat ut flagelletur potius quam proiiciatur a facie Domini. Quomodo proiiciat Deus a facie sua, audi dicentem Matth. 22. 13. Tollite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium. Qui non emendatur a facie eius, in tenebris constituitur. Ideo iustus ne tenebras patiatur, ait Ps. 26. 8. Vultum tuum Domine requiram. Ubi enim Domini vultus, ibi lumen est, sicut scriptum est Ps. 118. 135. Faciem tuam illumina super servum tuum. Denique ubi primum intuitus Petrum vidit, et illuminavit. Grande igitur supplicium proiici a facie Dei. Proiectus est Adam de Paradiso, nec immerito; ipse enim ante se absconderat a facie Dei. Exivit et Cain a facie Dei, non solum post parricidale commissum, sed etiam postquam Deum putavit esse fallendum, ut crimen negaret. Peccator igitur excluditur a facie Dei, iustus autem dicit: Ecce ego. Denique ipse David cum videret interire populum, semetipsum obtulit, dicens: Ego sum, ego peccavi, et ego pastor male feci: et sic ira Domini mitigata est, et venia donata, simul ostendit quia sancti permanent, criminosi proiiciuntur. Ideoque servanda est nobis gratia spiritualis, ne propter peccata nostra auferatur a nobis. Non enim proiicitur, in quo Spiritus sanctus est, sed inoffenso muneris sui fructu studet se Domino semper offerre, sicut ille qui dicenti Domino, Ioan. 6. 67. Numquid et vos vultis discedere? respondet ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, et nos credimus:* ita Ambrosius. A Deo proiici funestissimum est, et animæ capitale. Quemadmodum enim, ut ait Philosophus, necesse est hunc mundum contiguum esse supernis lotionibus, ut inde universa eius virtus regatur atque conservetur: ita dici potest animam nostram Dei gratia destitutam, et eius lumine atque influxu privatam, nullos fructus profundere, et emori. Hoc dicit David Ps. 72. 27. *Ecce qui elongant se a te peribunt.* Ps. 103. 29. *Avertente te faciem turbabuntur.* Cain Deo dicebat Gen. 4. 14. *Ecce eiicis me hodie a facie tua, et a facie tua abscondar:* velut a sole deiectus in tenebras, et a patre ad tortores. Quid inde consequens? *Omnis igitur qui invenerit me, occidet me.* Cum velut sine muro civitas, et sine lorica miles, telis atque insultibus omnium pateam. Lege S. Chrysostomum in v. 11. huius psalmi, ubi Dei videndi magnum desiderium ostendit. Aignanus ait, Coladion autem si ad infirmum ducatur, et in eum oculos defigat, signum esse sanitatis futuræ: si vero oculos avertat ab eo, signum esse mortis: citat Plinium, sed ubi id legerit non reperio. Ioannes a S. Geminiano lib. 4. cap. 34. vocat Caladarium. De ave ictero dicit Plin. lib. 30. cap. 11. *Avis icterus vocatur a colore* (flavo) *quæ si spectetur, sanari id malum tradunt, et avem mori. Hanc puto latine vocari Galgulum.* Aliqui legunt Gagulgum. Icterus autem est suffusio bilis flavæ vel nigræ per totum corpus: dicitur a Varrone morbus regius. Nos vocamus *iaunisse.* Aspectus Dei misericordiæ sanat bilem. Contra vero, ut ait idem Plin. lib. 8. cap. 22. in Italia creditur luporum visus esse noxius, vocemque homini quem priores contemplentur, adimere ad præsens. Et lib. 29. cap. 4. de basilisco dicitur: *Basiliscus quem etiam serpentes ipsi fugiunt, alios olfactu necantem, hominem vel si aspiciat tantum, dicitur interimere.* Si te lupina avaritia et voracitas viderit et possederit, aut venenata superbia, tibi vocem qua ad Deum clames imo et vitam eripiet.

Alleg. petit David non proiici a Christo et ab eius meritis et radiis. Est enim facies et imago Dei Patris. Paschasius Diaconus Cardinalis qui magna sanctitate et eruditione floruit circa ann. 499. inde deducit æqualitatem Patris et Filii. Sic enim lib. 1. de Spiritu sancto: *In psalmo absolute personis suis unitas designatur. Ne proiicias me, inquit, a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Filius sicut imago Patris, ita et facies Patris accipitur. Et ideo legimus: Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Et iterum: Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Adverte in fide perfectæ confessionis, mysterium Trinitatis. Propheta ad Patrem loquitur, faciem Patris, filium Patris profitetur, nec non diffusum per omnia Spiritum sanctum profitetur. De Filio ad Mosen etiam loquitur Dominus Exod. 33. Facies mea præcedet te. Quod nomen, id est facies, et ad unitatis substantiam, et ad æternitatem pertinet maiestatis. Quod autem minorem putant quia natus est, quid est Deum de Deo natum, nisi ex Deo naturaliter extitisse? Sed dicis: Si ex illo est, iunior est. Ecce brachium ex corpore, et facies de corpore suo constat esse posterius. Si ergo ullum caput antiquius unquam fuit, tunc asserere præsume antiquiorem esse Patrem ab imagine sua, quæ in Christi perfecta similitudine et æqualitate consistit. Ita ergo nescit filius vel potestate vel tempore a Patre discerni, sicut facies a capite separari, vel capite suo nequaquam potest iunior inveniri.* 87. Christus est facies et imago Patris.

Quæres secundo, quem *Spiritum sanctum* petit a se non auferri? Primo, Mazzarinus noster interpretatur de Angelo custode ipsius Davidis, quatenus rex erat. Sed hæc explicatio non arridet, 1. quia angelus tutelaris non 88. Spiritus sanctus sexuplex: 1. Angelus custos.

aufertur etiam a regibus impiis; 2. angelus non vocatur in Scripturis Spiritus sanctus.

II. Spiritus prophetiæ. Secundo, *Spiritum sanctum* ait esse spiritum prophetiæ Cassiod. Ruff. S. Hieron. Innoc. Ludolph. Valentia, Hugo, et Chald. qui vertit: *Ne proiicias me a præsentia tua, et spiritum propheticum sanctitatis tuæ ne auferas a me.*

III. Spiritus pœnitentiæ. Tertio, spiritum compunctionis et pœnitentiæ sumunt S. August. et Remig. Est enim, ait August. Spiritus sanctus in confitente: Iam ad donum Spiritus sancti pertinet, quia tibi displicet quod fecisti. Immundo spiritui peccata placent, sancto displicent. Quamvis ergo adhuc veniam depreceris, tamen ex alia parte qua tibi displicet malum quod commisisti, Deo coniungeris. Hoc enim et tibi displicet quod et illi. Iam duo estis ad expugnandam febrem tuam, tu et medicus. Quia ergo non potest esse confessio peccati, et punitio peccati in homine a seipso: cum quisque sibi irascitur, et sibi displicet, sine dono Spiritus sancti non est: ita Augustinus, vere quidem, sed nimis arcte.

IV. Tertia persona Trinitatis. Quarto, *Spiritum sanctum* de tertia Trinitatis persona explicant S. Cyrill. Alex. Iansen. Genebr. S. Hieron. in cap. 6. 3. Isaiæ. Nam Spiritus sanctus est dator et donum. Dat enim gratiam sanctificantem, et seipsum dat animæ iustificatæ, eique novo modo, sed accidentali, mirabiliter unitur, quo prius non uniebatur.

V. Donum perseverantiæ. Quinto, *Spiritum sanctum* intelligit donum perseverantiæ, Bellarminus; gratiam et dona Spiritus sancti, Aiguan. et Hugo, Dionys. Carthus. ac Ludolphus.

VI. Gratia, dona Spiritus sancti cum ipso. Sexto denique plene et adæquate, petit David a se non auferri *Spiritum sanctum*, et gratiam eius ac dona, ut in iis perseveret tota vita. Ex his sequitur Primo, gratiam sanctificantem esse internam, et non solum consistere in remissione peccatorum, ut volunt hæretici. Secundo, a Deo solo eam dari et tolli. Tertio, non posse conservari sine novis gratiis. Quarto, illum qui dolet de peccatis habere gratiam Dei.

89. Deus non deserit, nisi deseratur. Nota, Deus neminem deserit nisi prius ab eo deseratur. Ita definit Concil. Trident. sess. 6. cap. 13. et S. August. tract. 2. In Ioannem, ac S. Prosper respons. 7. ad obiectiones Vincentii. Itaque ne timeas ne a te avolet Spiritus sanctus, modo sis spiritus, et spiritu ambules, atque carnis desideria non facias in concupiscentiis tuis. Cum sancto sanctus eris, et cum spiritu spiritus eris, et cum innocente columba innocens eris. Columella lib. 8. cap. 8. ait: quod quanto cultior locus, tanto lætior columba conspicitur. In arca Noe, id est, quietæ animæ, manet, non in putrido cadavere, læta fert Patri æterno ramum virentis olivæ, steriles arbores abiicit et despicit.

90. Pœnitentia efficit, ut a facie Dei non proiiciamur. Pœnitentia porro efficit, ut Deus nos non proiiciat a facie sua, et Spiritum sanctum non auferat a nobis. S. Hier. 30. 2. *O felix,* ait *pœnitentia, quæ ad se Dei trahit oculos.* Michael Glycas 1. parte Annalium: Divinus, ait, Anastasius Sinaita, ut vehementer desperatos homines ad conversionem invitet, hæc ad verbum profert. Si Manassem Deus per pœnitentiam recepit, ausim dicere, quod etiam diabolum toto pectore atque animo resipiscentem, in gratiam recepturus fuerit: ita Glycas. Quin etiam omnes inferos vacuaret una lacryma ex vero et contrito corde a damnatis emissa: sed cum gratia omni Spiritus sancti in æternum priventur, et rabidorum instar canum in Deum allatrent, perpetuis ignibus miseri torrebuntur.

Novatus lapsos non recipiebat ad pœnitentiam, sed iure S. Ambrosius ait, hoc esse insolentis arrogantiæ: ita ipse, lib. 1. de pœnit. cap. 7. Novati severitatem illam vocat Theodoretus in epitome decretorum divinor. cap. de pœnitentia, feritatem et belluinam crudelitatem. Hildebertus Cenoman. epist. 46. Neminem, inquit, sero pœnitet, quem mors invenit pœnitentem.

S. Chrysost. hom. 6. de pœnitentia: Pœnitentia, inquit, medicamentum est peccatum extinguens, donum cælitus datum, virtus admirabilis, gratia vim legum superans. Quare non fornicatorem renuit, non ebrium aversatur,

A non abominatur idololatram, non adulterum repellit, non maledicum insectatur, non reprobat blasphemum, non superbum; sed omnes suscipit, communicat omnibus. Nicolaus Clameugius de filio prodigo miratur vim verborum illorum pœnitentis, Pater peccavi, etc. O verbum, inquit, salutiferum, o verbum efficax et prævalidum, modo ex animo dicatur: quod et spirituales nequitias potenter expugnat, et divinæ severitatem iustitiæ flectit, temperat, mitigat: quod iudicis iram placat, sententiam mutat, decreta revocat, imo penetranti virtute ad intima misericordiæ viscera irrumpens, illa mortalibus effundit; quod Ninivitas ab excidio liberat, Davidem a morte salvat, Ezechiæ annos prorogat, quod postremo Publicanum iustificat, latroni Paradisum reserat, Magdalenæ ploranti veniam impetrat.

Denique cum spiritu recto et sancto habendus est spiritus principalis. Ideo additur, v. 14. REDDE MIHI LÆTITIAM SALUTARIS TUI: ET SPIRITU PRINCIPALI CONFIRMA ME. Duo hic petuntur: Primo, lætitia salutaris. Secundo, spiritus principalis. 91. Vers. 14.

B

Quæres, quam lætitiam salutaris poscit? Primo, S. Athanas. S. Cyrill. S. Hier. Cassiod. Beda, Remig. Urbanus IV. intelligunt de spiritu prophetiæ quo prævidebat Christum de suo semine esse nasciturum, et salutem orbi allaturum. Hinc S. Hieron. *Redde mihi lætitiam Iesu tui.* Unde collige quod spiritum propheticum amiserat post peccatum, nec illum recuperavit nisi post gratiam receptam; 2. quod Iesus dat lætitiam et cogitationem de Iesu. Sic dicebat Habacuc Propheta cap. 3. 18. *Exultabo in Deo Iesu meo.* Christus dicit de Abrahamo Patriarcha, Ioann. 8. 56. *Abraham pater vester exultavit* (exultans expetivit. Arab. desideravit) *videre diem meum* (incarnationis) *vidit, et gavisus est.* Isaias ait Ierosolymæ, cap. 60. 5. *Tunc videbis et afflues, mirabitur et dilatabitur cor tuum.* Nato Christo dicunt pastoribus angeli se annuntiare gaudium magnum, quia natus sit Salvator. Dices, Non hic petitur lætitia salvatoris, sed salutaris, id est, salutis. Resp. quod Christus est ipsa salus. Quam lætitiam salutaris petit? I.

C

Secundo, *lætitia salutaris*, sive salutis, est lætitia de remissione peccatorum: ita S. Basil. S. Chrys. S. Thomas. *Exultabunt ossa humiliata*, ut dicitur vers. 10. supra. Matth. 5. v. 5. ait Christus Apostolis: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Prov. 14. 10. dicit Salomon: *Cor quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio eius non miscebitur extraneus;* quia erit internum gaudium, quod in sola anima recipitur. S. Antiochus qui vixit Heraclii Imper. tempore circa ann. 630. Rorulentæ, inquit, aspergines lacrymarum, ut dulcor mellis sunt cordi, aut suavefragrans thymiama apud Deum. Lege S. Ephrem serm. 3. de compunctione. II.

Tertio, *lætitia salutaris* est lætitia de gratia in iustis inhabitante: ita Genebr. Dicit Aiguanus peti gratiam illuminantem, sicut petierat humiliantem, v. 9. *Asperges me Domine hyssopo et mundabor;* 2. gratiam iucundantem, v. 10. *Auditui meo dabis gaudium et lætitiam;* 3. gratiam absolventem, v. 11. *Averte faciem tuam a peccatis meis;* 4. gratiam iustificantem, v. 12. *Cor mundum crea in me Deus;* 5. gratiam confirmantem, v. 13. *Ne proiicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.* III.

D

Quarto, *lætitia salutaris* quam petit David, est lætitia quam ante peccatum erat solitus percipere ex gustu et sapore rerum cælestium ac divinarum, in quarum contemplatione defixus hærebat: item in actione, ubertim se effundente in ipsum gratia Spiritus sancti, qui in eum insilierat, et eum vivificabat, et ad heroica facinora impellebat. Sponsa, hoc est, anima sancta, dicit Christo sponso suo Cant. 1. v. 1. *Meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* Lege S. Bern. serm. 9. in Cantica. Refertur in Chronicis Ord. S. Franc. 1. parte lib. 5. cap. 6. quod cum Bernardus a Quintavalle primus socius S. Francisci restitui sibi lætitiam pristinam peteret, quam Deus per octiduum abstulerat, suavissimo instrumenti musici sono divinitus ita recreatus est, ut se nisi conquievisset, IV.

exanimandum omnino crederet. Hic sensus est optimus. Non petit enim reddi, nisi quod habuerat.

92. *Spiritus principalis quadruplex:*

Quæres secundo, quo spiritu principali petit confirmari? Nota, pro *principali*, Hebr. est נְדִיבָה *nediba*, id est Primo, spontaneus, voluntarius. Secundo, liberalis, munificus, promptus ad benefaciendum. Tertio, potens, fortis. Quarto, heroicus, regius, dignus principe, principalis, præcipuus, excellens.

I. *Pater æternus.*

Hinc primo, *Spiritus principalis* est Pater æternus, quia est principium principiorum, principium sine principio, qui solus a nullo est, et a quo cætera sunt omnia, tum in ipsa Trinitate, ubi liberaliter et plane regie totam substantiam suam communicat Filio et Spiritui sancto, tum in angelis et hominibus, quos per Verbum suum produxit, atque donis suis locupletavit. In ea opinione sunt Hugo, Haymo, S. Bern. serm. 3. de Pentecoste, et alii, qui per Spiritum rectum intelligunt secundam personam Trinitatis: per Spiritum sanctum, tertiam. Hugo notat præponi Filium Patri hoc loco, quia primo cadit in notitiam, et per ipsum cognoscitur Pater. Ioan. 14. 9. *Philippe, qui videt me, videt et Patrem.* Ioan. 17. 6. *Pater manifestavi nomen tuum hominibus.* Matth. 11. 27. *Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.*

II. *Spiritus sanctus.*

Secundo, *Spiritus principalis* est Spiritus sanctus, Primo, quia, ut ait Origenes in cap. 8. epist. ad Rom. in spiritus alios ita principatum habet, sicut Filius Dei in eos qui vocantur filiis Dei, Thessalon. 5. 5. et Ps. 77. 49. Secundo, quia hic Spiritus, auctor est et princeps, qui regat mentem, confirmet affectum, quo velit trahat, et in superiorem vitam dirigat. Illi tribuitur principaliter nostra institutio atque sanctificatio. Sunt etiam qui per Spiritum rectum, Spiritum sanctum, et Spiritum principalem intelligant eumdem Spiritum, qui est tertia persona Trinitatis. Ter autem nominatur, quia ter sese effudit in Apostolos. Primo, ante passionem in baptismo; erant enim iusti et sancti. Secundo, post passionem die ipso resurrectionis suæ sero apparens Apostolis congregatis in cœnaculo Christus insufflans dixit: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Itaque Spiritum sanctum quem iam habebant ad sui sanctificationem, dat illis ut etiam alios possint sanctificare remittendo peccata. Tertio denique, post ascensionem plenitudo spiritus in eos effusa est. Act. 2. 4. *Repleti sunt omnes Spiritu sancto.* S. Augustinus sermon. 185. de tempore id considerans exclamat: Quanta et quam ineffabilis pietas Redemptoris? hominem portavit ad cælum, et Deum misit ad terras. Quanta est auctori cura pro instauratione facturæ suæ? Ecce iterum nova de supernis medicina mittitur, ecce iterum infirmos suos per seipsam maiestas visitare dignatur. Ecce iterum humanis divina miscentur: id est, Vicarius successor Redemptoris, ut beneficia quæ Salvator inchoavit, peculiari Spiritus sancti virtute consummet: et quod ille redemit, iste sanctificet: quod ille acquisivit, iste custodiat: ita Augustinus.

III. *Interna gratia.*

Tertio, *Spiritus principalis* sumitur a Niceta in orat. 44. S. Gregor. Naz. pro interno quodam gratiæ munere, per quod ἡγεμονικὸν, id est, pars animæ rationalis præcipua perficiatur et dirigatur; 2. a S. Chrysostomo hic, et homil. de Spiritu sancto, pro gratia qua pristinum principatum et imperium in turbulentos animi passiones recipiat; 3. a Bellarmino pro affectu qualis decet optimum principem, qui debet esse spontaneus erga Deum, et liberalis erga populum; 4. a S. Gregorio, et a Valentia Episcop. Christopolitano pro confirmata gratia, a qua non excidat, sicut prius fecerat. Verba S. Gregor. sunt: *Spiritu principali confirma me. Sciebat enim quia infirma est omnis anima, nisi sancti Spiritus fuerit virtute firmata. Nam et de Apostolis dictum est Ps. 32. 6. Verbo Domini cæli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum. Quid enim cælorum nomine, nisi sancti Apostoli designantur? Qui nimirum verborum imbribus terram cordis nostri inebriant, venturi iudicii minis et terroribus intonant: miraculorum signis et operum sanctitate coruscant. Denique ipsi sunt, qui enarrant gloriam Dei. Quibus profecto tunc spiritus virtutem tribuit, cum in igneis linguis apparens, in cordibus eorum divini flammas amoris accendit. Quod quidem aperte cognoscere possumus, si quales ante, quales post adventum sancti Spiritus fuerunt, perpendamus. Qui enim ad passionem tendentem magistrum fugientes reliquerant, postmodum per adiunctam sancti Spiritus gratiam roborati, constanter et publice nomen Christi prædicabant. Nam ut reliquos prætermittamus, ipse Apostolorum princeps, qui mori metuens vitam negaverat, cum facto conventu, cæsis Apostolis, sacerdotes et scribæ, ne in nomine Christi loquerentur, prohiberent, aiebat Act. 5. 29. Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Cælorum igitur virtus de Spiritu sancto est, quia per infusam sancti Spiritus gratiam facti sunt in Christi confessione fortes Apostoli, qui prius fuerant ex fragilitate carnis infirmi. Nisi enim promissa charismatum dona illi dominici gregis pastores suscreperent, eorum corda nullo virtutis decore claruissent. Hæc namque virtus spiritus sicut ab omni pœnarum et mortis timore, quos repleverit, efficit liberos, ita ab omni diabolicæ reddit tentationis incursu securos. Merito ergo cui salutaris Dei in remissionem peccatorum lætitia redditur, postulat ut in vera innocentia Spiritu principalis virtute confirmetur.* Hic sensus mihi maxime arridet, ut per spiritum principalem intelligatur donum finalis perseverantiæ, et gratia ita stabilis et abundans, ut non permittatur amplius labi in peccatum.

IV. *Variis modis explicatus.*

Quarto denique, spiritum rectum, sanctum et principalem ingeniose et pie variis modis exponit Hugo Card. Per spiritum rectum, ait, innuitur veritas: per Spiritum sanctum, bonitas: per spiritum principalem, unitas: scilicet modus, species, ordo: vel, numerus, pondus, mensura, quæ sunt in omni re, ut habetur Sap. 11. 21. Secundo, spiritus rectus bene ordinat hominem ad proximum, quia rectitudo est in comparatione ad alium. Spiritus sanctus ordinat ad se, quia sanctificat. Spiritus principalis ad Deum. Tertio, spiritus rectus respicit iustitiam: Spiritus sanctus bonam vitam: spiritus principalis, principatum legitimum, quæ in prælato debent convenire. Sed modo potest dici illud Habacuc 2. *Ecce iste coopertus est auro, et argento, et omnis spiritus non est in visceribus eius,* q. d. Nec rectus, nec sanctus, nec spiritus principalis. Quarto, spiritus rectus dicitur contra avaritiam. Amos 3. 10. *Nescierunt facere rectum thesaurizantes iniquitatem et rapinam in ædibus suis:* Spiritus sanctus, contra luxuriam. Hebr. 12. 14. *Sequimini sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum:* spiritus principalis contra superbiam. Eccli. 10. 15. *Initium omnis peccati superbia.*

93. *Ex his aliqua colliguntur.*

Ex his collige Primo, regium esse in virtute firmari et in peccata non deiici. Secundo, egere nos potenti, liberali et spontaneo spiritu Dei, ut in virtute confirmemur. Tertio denique, debere nos potenter, liberaliter, et spontanee Deo servire, si in gratia confirmari volumus. Ad hæc illustranda te iuvabunt variæ versiones. Primo, S. Hieronym. reddit: *Redde mihi lætitiam Iesu tui, et spiritu potenti confirma me.* Arabs etiam vertit, spiritu potenti. Syr. restitue mihi suavitatem tuam, et salutem tuam, et spiritus tuus gloriosus fulciat me, q. d. Gravi pondere in terram deiicior, forti sustentatore egeo, ne corpus quod corrumpitur aggravet animam. Secundo, Pagn. habet: *Redde mihi gaudium salutis tuæ, et spiritus voluntarius confirmet me.* Gratia est, quia gratis et non merito conceditur. Tu quoque voluntarie illi sacrifica. Tertio denique, Camp. vertit, Redde mihi lætitiam salutis tuæ, et spiritu liberali fulcias me, multis scilicet floribus et fructibus gratiarum. Item reddit, principe illo spiritu muni me; Principem decet liberalitas et munificentia. Deus aperit manum suam, et implet omne animal benedictione. Felix, spiritu munifico sustentabis me, q. d. Tot dona concedes, ut in eorum medio sim usque ad humeros, velut in ea immersus, ut cadere non possim in foveam ab hostibus paratam. Chald. *Converte ad me legem tuam* (veluti cælestem nympham) *ut gaudeam in redemptione tua, et*

(tunc, non aliter) *spiritu munificentiæ confortabis me.*

94\. Pœnitentia reddit lætitiam et spiritum principalem. Pœnitentia porro et reddit lætitiam salutis, et dat spiritum principalem ad vitæ finem usque ad salutem deducendo. Tharasius Patriarcha Constantin. epist. ad Ioan. Presbyterum: Pœnitentia, inquit, insignis est armatura, *magna salutis via*, hospitii regni cælorum dispensatrix, incorruptibilis vitæ dux, martyricorum certaminum æquiparatio, ad Deum viam indicans, et cum ipso nos esse faciens, humani generis baculus, cadentium et lapsorum surrectio. Secundo, Lactantius eam vocat portum salutis. Sic enim ait in epitome divinarum institut. cap. 6. Magnum est, ait, pœnitentiæ auxilium, magnum solatium. Illa est vulnerum peccatorumque sanatio, illa spes, illa *porta salutis*, quam qui tollit, viam vitæ sibi amputat: quia nemo esse tam iustus potest, ut nunquam sit ei pœnitentia necessaria. Tertio, Victor Antiochenus ad cap. 14. Marci: Clemens Deus, inquit, *unicum salutis remedium* post casum pœnitentiam nobis reliquit, omnibusque peccatoribus clementer proposuit: ita ipse. Sicut igitur Tertullian. de idolol. vocat peccatum, devoratorium salutis. A Et S. Gregor. Nazian. orat. 20. ἀπωλείας βυθὸν, exitii voraginem, ita pœnitentiam dicemus salutis reparatricem et cæli scalam. Quarto enim Bachiarius in epist. de recipiendis lapsis vocat pœnitentiam, scalam Iacob. Petrus Aliacus præfaction. in Ps. pœnit. Vera, inquit, pœnitentia, velut scala quædam est, qua homo peccator, qui secundum Evangelicam parabolam descendit de Ierusalem in Iericho, rursum in Ierusalem, id est ad pacis visionem, ascendit. Guido Rocherius in manip. Curat. tract. 1. secundæ partis de pœnit. cap. 4. Pœnitentia, ait, sic perfecta, est illa scala benedicta, cum istis tribus gradibus (contritione, confessione, satisfactione) quam vidit Iacob erectam a terra usque ad cælum, et Dominum innixum scalæ. Goffridus Abbas eam non modo scalam cæli facit, sed etiam ostiariam, quæ ipsum in salutis palatium introducat. Sic enim inquit serm. 2. de Nativit. Domini: *Pœnitentia fidelis ostiariæ gerens officium, ostium paradisi peccantibus clausum, quando vult aperit: et quos pœnitentes agnoscit, recipit intra: impœnitentes vero nec prece, nec pretio intrare permittit.*

SECTIO TERTIA ET ULTIMA.

95\. *Tria se facturum pollicetur in gratiarum actionem ob acceptum beneficium. Primo, edocturum se esse proximum vias Dei, vers. 15. Secundo, laudaturum Deum, vers. 16. Tertio denique, oblaturum se, et populum suum, corda contrita in sacrificium, vers. 18.*

PARAPHRASIS.

15\. *Docebo iniquos vias tuas: et impii ad te convertentur.*

15\. Spiritu recto, sancto, et principali confirmatus, docebo impios misericordiam tuam, qua suscipis eos, qui ad te convertuntur: et iustitiam, qua punis illos qui obstinati suis in vitiis obdurescunt. Meaque voce et exemplo incitati scelerati paternum in sinum tuum convolabunt.

16\. *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ: et exultabit lingua mea iustitiam tuam.*

16\. O Domine Deus, a quo uno salus mea pendet, libera me a reatu innoxii sanguinis, per me iniuste profusi, qui militis instar armati et ferocientis animo meo recursat, ac meritam pœnam intentat. Tunc lingua mea in laudes tuas effusa cum summa mentis iubilatione conciuet iustitiam tuam, qua promissionum tuarum memor currentem ad te suscepisti.

17\. *Domine, labia mea aperies: et os meum annuntiabit laudem tuam.*

17\. Cor sceleribus impeditum, doloreque astrictum, verba in vocem formare non potest: sed tu Domine os meum aperies reddita lætitia, et infusa gratia. Tunc lingua mea laudes tuas prædicabit, quod me a tot tantisque periculis exemeris.

18\. *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis.*

18\. Laudis tibi sacrificium offeram, cum sciam tibi gratissimum. Nam si pecudum aut taurorum sacrificium optasses, prompto animo obtulissem: sed scio te holocaustis non ita delectari, quam oblata gratiarum actione.

19\. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non despicies.*

19\. Illud enim est perfectum, omnibusque numeris absolutum, et ad delictorum expiationem efficax sacrificium, animus vero sincceroque dolore cor suum conterens. Hoc sacrificio ita placaris, ut vera contritione comminutum et humilitate deiectum cor, nunquam averseris, sed statim ubere gratia complexeas.

20\. *Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur muri Ierusalem.*

20\. Non mihi tantum favorem tuum postulo, sed longe magis urbi Ierusalem tuo cultui consecratæ præ cæteris omnibus: in hanc propter scelera mea conceptam iram depone, eam pro tua benignitate donis cumula, ut ab hostilibus turmis, bellicisque tumultibus libera muros suos excitare et ornare possit.

21\. *Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, et holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.*

21\. Ubi se muris adversus barbarorum insultus tutam securamque senserit, tunc tranquillo pacis in otio virtuti se dabit, et donaria victimasque puras tibi offeret. Tunc curis soluti cives altaria tua gratissimis hostiis cumulabunt.

QUÆSTIO UNICA.

Quam perfecta gratiarum actio Deo reddenda est ob scelerum condonationem.

96\. Ordo sectionis. In prima Sectione varias rationes attulit, quibus Deum ad misericordiam commoveret. In secunda, condonationis illius et pœnitentiæ præstantiam aperuit. Nunc in hac tertia, gratiarum actionem pollicetur, et pro suo populo obsecrat.

B Tria autem facturum se esse pollicetur. Primum erga proximum, illum vias Dei edocendo, ut ad auctorem vitæ honorandum incitetur, v. 15. *Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur.*

Secundum erga Deum, illum laudando. Ad quod requiritur ut peccati oblatione linguam emundet, v. 16. *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ: et exultabit lingua mea iustitiam tuam;* 2. ut novi auxilii concessione labia aperiat, v. 17. *Domine labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.*

Tertium erga seipsum, cor vera perfectaque contritione a flagitiis avertendo. Neque enim Deus pecudum victimis delectatur, v. 18. *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis.* Sed sibi in corde contrito complacet, v. 19. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non despicies.*

Ad extremum orat pro populo suo, v. 20. *Benigne fac Domine in bona voluntate tuæ Sion, ut ædificentur muri Ierusalem.* Eum fore gratum pollicetur, vers. ult. *Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes et holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.*

ARTICULUS I.

David perfectus est orbis doctor.

97. Vers. 15 Conversio animarum est quærenda, non plausus.

ZELUM suum erga proximum declarat David, vers. 15. DOCEBO INIQUOS VIAS TUAS: ET IMPII AD TE CONVERTENTUR. Primo, *ad te*, non ad me, quia gloriam meam non quæram, sed tuam. Sic Ioannes Baptista veluti paranymphus non se exaltabat, sed sponsum: et Paulus non in suo, sed in Christi nomine baptizabat. Secundo, *convertentur*, non a me, sed a te: et ideo non dico *convertam*, sed *convertentur*. Nam, ut dicitur 1. Cor. 3. 9. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* S. Aug. tract. 7. in epist. 1. Ioan. ministeria forinsecus, ait, adiutoria sunt et adinventiones: cathedram tamen in cælo habet, qui corda docet: sic sunt hæc verba quæ forinsecus dicimus, et quomodo est agricola ad arborem. Forinsecus enim agricola operatur, quia adhibet aquam diligentiamque agriculturæ, sed tamen poma non format: ita August. Tertio, *convertentur*, q. d. Non quæram plausum auditoris aut lectoris, sed conversionem. Nolo esse cymbalum tinniens, aut fieri populo canticum inane et præteriens. 1. Cor. 2. 4. Paulus ait: *Sermo meus* (privatus et familiaris) *et prædicatio mea* (publica) *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis.* Et 2. Cor. 2. 17. *Non sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei* καπηλευοντες, id est, cauponantes, instar cauponum quærentes lucrum suum. Quarto denique, convertentur *impii.* Ubi adverti potest primo, charitas doctoris et pastoris, qui quærat oves quæ perierunt. Secundo, efficacitas doctrinæ, quæ etiam conterat petras, et oleum educat de saxo durissimo. S. Ambros. in Apolog. 1. David cap. 16. *Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur. Ille præcipuus est gubernator, qui scopuloso in littore navim gubernat. Ille doctor bonus, qui duriora acuit ingenia ad eruditionis profectum. Ille bellator egregius, dux mirabilis, qui timidiores accendit in prælium, et exploratis locorum fulcit ingeniis, ut infirma virium commoda stationis opportunitate compenset. Ille similiter magnus etiam fidei zelator, qui iniquos docet. Unde pulchre ait, Docebo iniquos: Non dixit, Docebo iustos: noverunt enim iusti vias Domini, sed iniquos inquit docebo. Denique auctor prudentiæ et magister omnium dicit Matth. 9. 13. Non veni iustos vocare, sed peccatores. Et medicus ille cælestis, Non opus est sanis, inquit, medicus, sed infirmis. Sive igitur ex persona illius qui gentes vocavit, sive ex sua, bene posuit: Docebo iniquos vias tuas, quia commutare vitiosos affectus potest, propositumque convertere doctrina cælestis: et operatio divina sacrilegis pectoribus studia pietatis infundere, ut hi qui sine lege vivebant, convertantur ad Dominum. Verum qui ante avertebantur, regalis quoque exemplo pœnitentiæ, qui iniquitates et acerba exercent flagitia, corrigantur: et fide atque opere conversi, doctrinæ remedium salutaris accipiant, ingrediantur Domini vias, in quibus nullos erroris anfractus, nulla diverticula præcipitis prolapsionis offendant. Sicut enim bonæ vitæ specimen et virtutis exemplar in iis viris est, qui inoffensa vitæ suæ tempora percurrerint, ita qui anteactis renuntiantes flagitiis vel incredulitatis erroribus emendaverint cursum posterioris ætatis, his ad imitandum propositi sunt, qui vel opere vel cogitatione labuntur.* Adverte tamen etiam iustos doceri posse, et sapientibus prodesse sapientes probat Senec. epist. 119. integra.

Nota primo, commodi doctores iniquorum sunt ii qui lapsi sunt. Hinc Deus præcipuos Apostolos elegit S. Petrum qui ipsum negavit, et S. Paulum qui fuit persecutor. David noster lapsus erat, nunc dicit: *Docebo iniquos vias tuas.* Quod S. Gregorius admirans, ait: *O quam utilis est peccatorum remissio, quæ conversos non solum a peccatis liberos efficit, sed etiam alios a via impietatis et iniustitiæ retrahit, flamma charitatis accendit. Hæc est charitatis evidens probatio, ut cui per gratiam Dei contigerit a peccatorum vinculis eripi, ipse ex zelo iustitiæ studeat ad spem veniæ delinquentes hortari. Nullum quippe tam gratum Deo est sacrificium, quam zelus animarum. Exerceat ergo se in via Dei, cui Deus peccata dimisit, et exemplo suo peccatores quosque ad pœnitentiæ confugere remedium admoneat. Non sit arbor infructuosa, aut otiosus operarius, sciens quia non solum mane venientibus ad vineam merces promittitur, sed etiam circa undecimam horam vocatis, vitæ æternæ denarius præbetur.* 98. Qui peccavorunt, aliorum sunt boni doctores.

Nota secundo, prius petit spiritum rectum, sanctum, et principalem, quam dicat se docturum alios. Rectitudo spiritus, ait Lorinus, ad prudentiam spectat: sanctitas, ad mores: principalitas, quam vocat S. Hieron. potentiam, sive fortitudinem, ad vehementiam zeli. Talibus ornamentis decorati Prophetæ alii, ut Isaias calculo præmundatus ignito, Isai. 6. 6. Ieremias in utero sanctificatus, Ierem. 1. 5. et in utero tactus, ibid. 9. Elias spiritu et virtute munitus, eique postea similis Ioannes, Luc. 1. 17. ante istos Moses et Aaron, Exod. 4. 14. alter sapientia insignis, alter eloquentia. Utrumque in nostro Davide Richardus observat: primum in manifestatione incertorum et occultorum sapientiæ divinæ, secundum in usu parabolarum et propositionum, Ps. 77. 2. ambas notare possis in locutione sapientiæ meditationeque prudentiæ, tum in parabola et propositione, Ps. 48. 4. Ad Zorobabelem (quem S. Hieron. in cap. 1. Aggæi, inter alia magistrum in Babylone sonare vult, ac reductorem eorum qui erant in Babylone in terram repromissionis) Zacharias cap. 4. 6. scribit verbum factum non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu ad explanandum montem magnum. Paulus denique, prædicationem aiebat esse in ostensione spiritus et virtutis, 1. Corinth. 2. 4. Exemplo discitur disciplina, Prov. 24. 32. et probum patrem esse oportet qui gnatum suum esse probiorem quam ipse fuerit, postulet, ut dicit Plautus in Pseud. act. 1. scen. 4. Tunc iussi sumus audire Christum doctorem, quando transfiguratus est, Matth. 17. Apostoli iubentur sedere in civitate donec induantur virtute ex alto, Luc. ult. 99. Doctor aliorum habeat spiritum principalem.

Quæres primo, quas vias Dei David edocturum se dicit? 100. David dicit se docturum vias Dei et quas?

Primo, misericordiam et veritatem. Ps. 24. *Universæ viæ Domini misericordia et veritas.* Via misericordiæ prædicanda est peccatoribus, ne desperent; via veritatis, ut timeant. Propter hoc bene dicitur prædicatori, Proverb. 3. *Misericordia et veritas non te deserant, circumda eas gutturi tuo:* ita Hugo. I.

Secundo, *vias tuas*, id est, opera Christi, ut eas imitentur, ut ait idem Hugo. Sic ait Paulus Philip. 2. *Hoc sentire in vobis quod et in Christo Iesu.* Aut potius, *vias tuas*, id est, cuncta opera tua, o Deus. His enim velut ambulat Deus per orbem terrarum, ac præsertim ad homines descendit summa cum benignitate et charitate. II.

Tertio, *vias tuas*, id est, virtutes quibus ad te ascendimus, et præcepta quæ posuisti veluti semitam, in qua cælum peteremus. Matt. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Sunt scala aurea a terra in cælum pertingens, et Deus est in summitate scalæ: coronæ dantur iis qui constantes in suo cursu fuerint. Primus et tertius sensus est accommodatus, præcipue autem arbitror intelligi modos et rationes quibus Deus peccatorem a peccato retra- III.

hit, eumque iustificat, et spiritu recto, sancto et principali confirmat.

101. *Quomodo David docet vias Dei, ut impios convertat?*

Quæres secundo, quomodo David docet vias Dei, ut impios convertat? Resp. Mazzarinus serm. 79. quod primo minatur. Ps. 7. 13. *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, et paravit illum.* Secundo, hortatur ad conversionem. Ps. 2. 11. *Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore: apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via iusta.* Tertio, admonet Deum irridere consilia sceleratorum. Ps. 4. *Qui habitat in cælis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos.* Quarto, damnandos illos in die iudicii asserit. Psal. 1. 5. *Non resurgent impii in iudicio, neque peccatores in concilio iustorum.* Quinto, Deum ne aspectum quidem illorum ferre, sed illos a facie sua reiicere. Psal. 5. 6. *Neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.* Sexto, delere eos de libro vitæ. Ps. 68. 29. *Deleantur de libro viventium, et cum iustis non scribantur.* Septimo, eos odio habere. Ps. 5. 7. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Octavo, infelices esse. Psal. 1. 4. *Non sic impii, non sic: sed tamquam pulvis quem proiicit ventus a facie terræ.* Hæc et alia multa affert Mazzarinus.

102. *David in psalterio docet omnes homines.* I.

Nota, David in psalterio omnes homines docet. Primo, iuvenes instruit, quid dicere debeant. Ps. 24. 7. *Delicta iuventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris.* Secundo, adolescentes quid quærere eos conveniat. Ps. 42. 4. *Ad Deum qui lætificat iuventutem meam.* Tertio, senes, quomodo orent. Ps. 70. 9. *Ne proiicias me in tempore senectutis: cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me. Deus docuisti me a iuventute mea, et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua: et usque in senectam et senium Deus ne derelinquas me.* Quarto, uxores, quales sint oportet. Psal. 127. 3. *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* Quinto, virginum præstantiam. Psal. 44. 15. *Adducentur regi virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi.* Sexto, viduas, ut sperent in Deum. Ps. 131. 15. *Viduam eius benedicens, benedicam: pauperes eius saturabo panibus.* Septimo, orphanos. Ps. 67. 6. *Patris orphanorum, et iudicis viduarum.* Octavo, pupillos. Ps. 10. 18. *Iudicare pupillo et humili, ut non apponat ultra magnificare homo super terram.* Nono, religiosos. Psal. 67. 7. *Deus in loco sancto suo: Deus qui inhabitare facit unius moris in domo.* Et Ps. 132. 1. *Ecce quam bonum, et quam iucundum habitare fratres in unum.* Decimo, sacerdotes. ibid. *Introibo in domum tuam in holocaustis: reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* Undecimo, afflictos. Ps. 68. 1. *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam: infixus sum in limo profundi: et non est substantia.* Duodecimo, in agonia mortis existentes. Psal. 12. 5. *Illumina oculos meos, nequando obdormiam in morte: nequando dicat inimicus meus: prævalui adversus eum.* Decimo tertio, martyres. Psal. 65. 10. *Probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.* Decimo quarto, pauperes. Ps. 36. 16. *Melius est modicum iusto super divitias peccatorum multas.* Decimo quinto, divites. Psal. 75. 6. *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Decimo sexto, mercatores. Ps. 61. 10. *Mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* Decimo septimo, iudices. Ps. 14. 5. *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.* Decimo octavo, principes. Ps. 2. 10. *Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.*

103. II. *Omnes virtutes.*

Secundo, virtutes omnes docet. Primo, timorem Dei. Ps. 33. 12. *Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos.* Secundo, humilitatem. Ps. 33. 19. *Iuxta est Dominus iis qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit.* Tertio, fidem. Ps. 115. 1. *Credidi propter quod locutus sum.* Quarto, pœnitentiam. Psal. 6. 7. *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum.* Quinto, asperitatem mortificationis. Ps. 34. 13. *Humiliabam in ieiunio animam meam.* Sexto, satisfactionem. Ps. 37. 18. *In flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper.* Septimo, silentium. Ps. 38. 1. *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me.* Octavo, orationem. Psal. 16. 1. *Exaudi Domine iustitiam meam, intende deprecationem meam, auribus percipe orationem meam.* Nono, iniuriarum patientem tolerantiam. Psal. 7. 3. *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.* Decimo, patientiam. Psal. 37. 14. *Ego autem tamquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum.* Undecimo, opera misericordiæ. Ps. 40. 1. *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Duodecimo, spem. Psal. 15. 1. *Conserva me Domine, quoniam speravi in te: dixi Domino, Deus meus es tu.* Decimo tertio, longanimitatem. Ps. 26. 14. *Expecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.* Decimo quarto, fiduciam. Ps. 26. 1. *Dominus illuminatio mea et salus mea: quem timebo?* Decimo quinto, mansuetudinem. Psal. 26. 11. *Mansueti autem hæreditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis.* Decimo sexto, obedientiam. Ps. 39. 8. *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam.* Decimo septimo, virginitatem. Psal. 44. 11. *Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum.* Decimo octavo, gratitudinem. Ps. 33. 1. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Decimo nono, charitatem. Ps. 17. 1. *Diligam te Domine fortitudo mea.* Vigesimo, fidelitatem in votis. Ps. 49. 14. *Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.* Vigesimo primo, zelum. Ps. 68. 10. *Zelus domus tuæ comedit me, et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Vigesimo secundo, desideria sancta et inflammata. Ps. 41. 1. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.* Vigesimo tertio, vigilantiam. Ps. 76. 5. *Anticipaverunt vigilias oculi mei.* Vigesimo quarto, cogitationem novissimorum. Psal. eod. v. 6. *Cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui.* Vigesimo quinto, media opportuna ad acquirendam felicitatem. Ps. 14. 1. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Vigesimo sexto, præmia beatorum. Ps. 15. 10. *Delectationes in dextera tua usque in finem.*

104. III. *A vitiis omnibus revocat.*

Tertio, a vitiis omnibus revocat. Psalterium enim est cælestis panacæa, quæ ab universis animi morbis sanat, et divina theriaca, quæ venenum omne aut excludit aut absumit. Primo, originalem noxam detestatur. Ps. 57. 4. *Alienati sunt a vulva, erraverunt ab utero.* Secundo, superbiam. Psal. 73. 23. *Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum. Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.* Tertio, vanam gloriam. Ps. 52. 6. *Quoniam Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.* Quarto, avaritiam. Ps. 61. 11. *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Quinto, blasphemiam. Ps. 72. 9. *Posuerunt in cælum os suum, et lingua eorum transivit in terra.* Sexto, usuram Ps. 54. 12. *Labor in medio eius et iniustitia: et non defecit de plateis eius usura et dolus.* Septimo, hypocrisim. Ps. 11. 2. *Labia dolosa in corde et corde locuti sunt: Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam.* Octavo, detractionem. Psal. 54. 22. *Molliti sunt sermones eius super oleum, et ipsi sunt iacula.* Nono, falsum testimonium. Ps. 34. 11. *Surgentes testes iniqui quæ ignorabam, interrogabant me.* Cætera omitto.

105. IV. *Omnem scripturam breviter complectitur.*

Quarto denique, psalterium est Scripturæ compendium. Primo enim in eo reperies Genesim, in qua de mundi creatione agitur. Psal. 32. 6. *Verbo Domini cæli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Item Ps. 8. et Ps. 18. atque 23. Secundo, in Exodo mentio fit servitutis populi Hebræorum in Ægypto, exitus ab eadem Ægypto, et beneficiorum ipsi collatorum in deserto. In psalmo autem 43. 1. memoria captivitatis refricatur. Vers. 2.

Deus auribus nostris audivimus, et patres nostri narraverunt nobis opus quod operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis. Transmigratio seu exitus ab Ægypto recitatur Ps. 103. 1. *In exitu Israel de Ægypto*, etc. Peregrinatio per desertum refertur Ps. 67. 8. *Deus cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto.* Beneficia plurima describuntur Ps. 77. *Attendite popule meus legem meam*, etc. Tertio, in Numeris, Levitico et Deuteronomio delineantur præcepta et cæremoniæ tabernaculi ac sacerdotii. In Ps. 28. dicitur: *Afferte Domino filii Dei: afferte Domino filios arietum. Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini eius: adorate Dominum in atrio sancto eius.* Quarto, in libro Iosue est divisio terræ promissæ, in libro Iudicum facta bellica populi Israel, Psal. 106. hæc omnia continet. Quinto, in libris Regum et in lib. Paralipomen. gesta principum leguntur; idem habemus Ps. 19. 8. *Hi in curribus, et hi in equis: nos autem in nomine Dei nostri invocabimus.* Psal. 20. 1. *Domine in virtute tua lætabitur rex*, etc. Sexto, in lib. Esdræ liberatio a captivitate et exultatio est. Idem refert. Ps. 121. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Et Ps. 125. *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati.* Septimo, Prophetæ prænuntiant adventum Messiæ. Hoc etiam dicitur Ps. 44. *Eructavit cor meum verbum bonum*, etc. Psal. 49. ut quidam volunt, Ps. 127. et alii multi. Mysteria totius vitæ eius referuntur: Ps. 70. Passionis Ps. 21. Filium Dei futurum; ait Ps. 2. 7. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Incarnari debere. Ps. 86. 5. *Numquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in ea.* Regem esse et prædicatorem. Ps. 2. 6. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius.* Sic vides etiam Evangelium in psalterio contineri.

106. David omnes docet suo lapsu et pœnitentia. Nota, David omnes docet ipso suo lapsu et pœnitentia. S. Chrysost. hom. 1. in Ps. 50. Dei benignitas, ait, communis hominum generis curam gerens, sanctorum virorum tum virtutes, tum vitia, εἰς φάρμακα μετέβαλεν, in medicamenta mutavit, ut aliorum vulnera aliis in remedium cedant: καὶ δικαίου ναυάγιον ἁμαρτωλῷ λιμὴν καταστῇ: et iusti naufragium peccatori portus constituatur: ita ipse. Mathematici propositiones suas faciunt figuras formando: et præsultores, saltandi methodum non verbis, sed corporis motibus ostendunt. Eoque modo David vivum et spirans fuit divinæ iustitiæ simulacrum. Aut, si placet, liber est non impressus, sed creatus: non papyreus, sed carneus: non atramento scriptus, sed lacrymis, sed sanguine, in quo unusquisque nostrum legere potest, ex una parte humanam ingratitudinem, ex altera divinam clementiam: Davidis scelus, et Dei veniam: illius flagitia, huius raras ac singulares gratias: illinc adulterii, homicidii, fraudis, vanitatis, obstinationis, peccata, hinc iustas punitiones a Deo immissas, Amnonis filii cædem, Absalonis coniurationem et rebellionem, subditorum defectionem, regis fugam, concubinarum ignominiam ac probrum, pœnitentis lacrymas, suspiria, singultus, querimonias, lugubres clamores, cognitionem causæ, veniæ obtinendæ desiderium, sui ipsius vindictam, satisfactionem alacrem et promptam, oblationes excellentes ac regias.

ARTICULUS II.

Dei est labia nostra aperire, ut eum digne ac decenter laudemus.

107. Vers. 16. A zelo proximi iuvandi ad Deum evolat David, atque se eum laudaturum contenta et alacri voce, vers. 16. Libera (S. August. et Pagnin. eruc) me de sanguinibus (Syr. a sanguine) Deus, Deus salutis meæ: et exultabit (id est, cum exultatione laudabit. Verba neutra in Scriptura sæpe ponuntur pro activis. S. Hier. laudabit. Felix, cantabit. Campens. cum gaudio cantabit. Hebr. רנן *ranan*, est cantare, cum clamore et gaudio exul-

A tare. S. August. et Psalter. Gallicanum seu Ambrosian, habent *exaltabit*: sed sensum non verbum exprimunt, nisi sit error amanuensis) LINGUA MEA IUSTITIAM TUAM, qua me punivisti, sed eum misericordia paterna, quæ ita errantem virga percussit, ut corrigeret. Hoc cum docuero iniquos et impios, ad te convertentur.

Nota, pro *iustitiam tuam*, vertit Symmachus, ἐλεημοσύνην σου, id est, misericordiam tuam: et illam versionem sequuntur S. Basil. S. Chrysost. Theodoretus atque Eusebius. Iustitia autem Dei est misericordia, Primo, quia punit citra condignum. Secundo, quia puniendo pœnis temporalibus, liberat ab æternis. Tertio, quia Christi meritis de condigno satisfacientis habetur venia. Quarto, ut ait Valentia, quia cum Deus parcit peccatori, iuste agit: quia iustificatur in sermonibus et promissionibus suis: eo quod promisit veniam pœnitentibus: ita ille. Sed illa iustitia non sumitur in stricta significatione. Nam nemo meretur primam gratiam. 108. Iustitia Dei est misericordia, ob quatuor rationes.

B Quæres, quid est liberari de sanguinibus? Primo, *de sanguinibus*, id est, per sanguinem, Christi scilicet, a quo est omnis redemptio: ita Hugo. Sed hic sensus est alienus et contortus. 109. Quid est liberari de sanguinibus. I.

Secundo, *de sanguinibus*, id est, a cruentis sacrificiis: ita S. Athanas. q. d. Non placent tibi illa sacrificia, ideo donum tibi gratum offeram per pœnitentiam et cor contritum. Sed cur peteret ab illis sacrificiis liberari? II.

Tertio, *libera me de sanguinibus*, hoc est, de viris sanguinum, quia homicida erat reus mortis: ita Agellius. III.

Quarto, *de sanguinibus*, hoc est, de suppliciis infernalibus: ita Innocentius. IV.

Quinto, et melius, *de sanguinibus*, id est, a peccatis fœdis et atrocibus, ab omnium peccatorum macula: ita Didym. S. Ambr. S. August. Iansen. et alii. Verba S. Augustin. sunt: *In multis sanguinibus, tamquam in origine carnis peccati*, id est, in carne per originale peccatum corrupta, *multa peccata intelligi voluit.* Ad ipsa peccata respiciens Apostolus, quæ veniunt de corruptione carnis et C sanguinis, ait 1. Cor. 15. 50. *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.* Non utique secundum fidem veram eiusdem Apostoli, caro ista resurget, et ipsa merebitur incorruptionem, dicente ipso v. 53. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.* Quia ergo corruptio ista de peccato est, ipsius nomine appellantur peccata: quemadmodum dicitur lingua, et illud frustum carnis et membrum quod in ore movetur cum verba distinguimus, et locutio quæ per linguam fit: sicut dicimus aliam linguam Græcam, aliam Latinam. Non enim caro diversa est, sed sonus. Quomodo ergo dicitur lingua locutio quæ fit per linguam: sic dicitur et sanguis iniquitas quæ fit per sanguinem: ita Augustinus. V.

Sexto, et pressius, *libera me de sanguinibus*, id est, de pœna, quam mereor ob adulterium cum Bethsabee commissum. Fœdiora enim et magis enormia peccata Hebræi exprimunt nomine sanguinum sive sanguinis. VI.

Septimo denique, et maxime proprie, *libera me de sanguinibus*, id est, a pœna et vindicta, quam de me petit D sanguis Uriæ effusus, q. d. Velut miles armatus, et fortior me, animam meam constringit, ab illo me libera. Utitur autem plurali numero, et dicit, *de sanguinibus*, 1. vocem Hebr. et Græcam exprimens; 2. quia multi cum Uria occisi sunt, a Ioab iussu Davidis expositi in obsidione civitatis Rabba in Ammonitide, ut Urias ab hoste occideretur. Adde quod Hebræi sæpe numerum pro numero ponunt. VII.

Symbolice, et accommodatitie Pepinus et Hugo. *Libera me de sanguinibus*, id est, a carnalibus parentibus. Michæas Propheta cap. 3. 9. dicit Iudæis impiis: *Omnia recta pervertitis, qui ædificatis Sion in sanguinibus.* Habacuc 2. 12. *Væ qui ædificant civitatem in sanguinibus:* id est, Ecclesiam in nepotibus, ait Hugo. Hodie, inquit Pepinus, nepotuli Episcoporum efficiuntur Canonici, antequam clerici: Archidiaconi antequam grammatici: Magistratus antequam discipuli. Alii efficiuntur Abbates, antequam novitii. Alii Protonotarii, antequam scribere 110. Symbol. Nimius amor parentum nocet Ecclesiæ.

valentes: et sic de aliis abusibus, qui in dies crescunt in Ecclesia Christi: ita ille. Adrianus Imp. eos arguet in die iudicii; nam rogatus a Senatu, ut filium suum, quem habebat Imperatorem faceret, respondit sibi sufficere quod regnasset: *Principatus*, ait, *non sanguini*, *sed meritis dandus est*. S. Antoninus 1. part. chron. tit. 4. cap. 2. ff. 15. refert de Alexandro Magno, quod cum morti proximus moneretur, ut vel filium suum Herculem, vel fratrem Arideum, sibi in imperio successorem eligeret, respondit: Nec filium, nec fratrem nomino Imperatorem futurum, sed vos ipsi eligite virum strenuum. Non enim decet viro forti alium quam fortem succedere in imperiali maiestate, aut tanti regni opes aliis quam probatis relinquere. Hoc sumpsit ex Iustino.

Adriani Imper. factum laudabile.

Ex hoc nimio erga consanguineos amore plerumque Ecclesiarium ruina exoritur. Figuratum id possis dicere in Doeg Idumæo, qui 1. Reg. 22. 18. *Irruit in sacerdotes, et trucidavit in die illa octoginta quinque viros vestitos ephod lineo*, id est, Sacerdotes et Levitas, quia ferebant ephod sive superhumerale lineum, cum summus Pontifex gestaret gemineum et polymitum, in quo erat Logion sive Rationale. Doeg significat sollicitum atque anxium; 2. piscatorem. Idumæus autem sanguineum. Malunt nonnulli collegium integrum vel Canonicorum, vel Religiosorum turbari, quam nepotuli sui inordinatum amorem rationi ac Deo subiicere.

111. Nota, non est Deus laudandus ore polluto. Isaiæ 1. 15. *Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis: et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt*. Hinc sapienter Origenes admonet homil. 6. in libr. Iudicum, optimam esse symphoniam, virtutum consonantiam: *Quis putas*, inquit, *ita canoræ vocis est*, *et spiritus ita puræ mentis, qui sincere canat, ut cantilena eius divinum possit delectare auditum? Ille profecto est, qui nullum habet in se raucum peccati sonum, qui nihil peccati in lingua, nihil crassitudinis in spiritu gerit*. S. Bernardus l.b. de interiori domo cap. 51. Servas consonantiam vocum, serva et concordiam morum: ut per exemplum concordes proximo: per voluntatem, Deo: per obedientiam, magistro: ita ipse. Figuram huius rei invenies in mensis, quibus vasa templi sustentabantur, quarum labia, ut dicitur Ezech. 40. 43. erant reflexa intrinsecus per circuitum: quod expendens S. Greg. hom.21. in eumdem Prophetam, favet causæ nostræ: *Tunc*, ait, *mensarum labia intrinsecus reflectuntur, quando doctores ad conscientiam revocant tacita cogitatione, quod dicunt, quando semetipsos subtiliter perscrutantur, si faciunt quod loquuntur: recte autem cum reflexa intrinsecus mensarum labia dicuntur, additur quoque (per circuitum) ut non in una qualibet se parte considerent, atque ex alia semetipsos perpendere prætermittant: sed ubique semetipsos inspiciant, et in quantum prævalent, studeant singula opere implere, quæ docent. O Doctor, ecce iam mensa es, iam vasa portas, iam in vasis fictilibus pondus holocausti et victimæ sustines: sed intus reflecte labium, id est ad cor revoca sermonem: audi, quod dicis: operare, quod prædicas*: huc usque Gregorius.

Non est laudandus Deus ore polluto.

Labia mensarum reflexa intrinsecus.

Cum dixerit versu præcedenti David, *exultabit lingua mea iustitiam tuam*, veluti se corrigens et infirmitatem

Vers. 17. suam agnoscens nisi a Deo iuvetur, ait v. 17. DOMINE LABIA MEA APERIES, id est, aperi: vel, utinam aperias. Hebr. futurum sæpe habet vim imperativi vel optativi, præsertim cum est spes, quod id fiet quod optatur. Chald. aperi in lege tua. Arabs, aperiantur labia mea: ET OS MEUM ANNUNTIABIT LAUDEM TUAM; prædicando misericordiam et iustitiam: ita Bellarminus, quia sanctus, quia pius, quia misericors es: ita Hieronymus. Laudem tuam, ait S. August. quia creatus sum: laudem tuam, quia ut confiterer iam monitus sum: laudem tuam, quia peccans non derelictus sum: laudem tuam, quia ut securus essem, mundatus sum: ita ipse. Sed cur dicit *aperies*, cum iam dixerit, *Miserere mei*, et multa alia: Resp. prius locutus erat pro se Deo, nunc promittit se locuturum aliis Dei laudes, ad hoc autem necesse est labia aperiri. Primo, ut libere loquamur. Secundo, ut alacriter. Tertio, ut intelligibiliter. Quarto, ut abundanter, ex aperto et dilatato corde verba fundentes. Quinto, ut cum amore et ardore. Hinc S. Paulus Ephesios rogat, ut pro se orent, *ut detur sermo in apertione oris cum fiducia* (παρρησια loquendi libertate) *notum facere mysterium* (Syr. arcanum) *Evangelii*, Ephes. 6. 19. Sic dicit Deus Ezechieli Prophetæ, cap. 29. 21. *Tibi dabo apertum os* (libertatem loquendi) *in medio eorum*.

Nota primo, os homini datum est, ut Deum laudet, et chorum efficiat in terra nunc, et postea in cælo, correspondentem choro angelorum, atque sacra musica Dei laudes celebrantem. S. Ambros. lib. 6. Hexaem. cap. 9. vocat linguam plectrum loquentis, ac subdit: *Commune cum animantibus homini videre, audire: sed hoc est pretiosissimum, quod homo divinæ vocis sit organum, et corporalibus labiis exprimit cæleste oraculum*. Ac denique ait: *Quid est igitur os hominis, nisi quoddam sermonis adytum, fons disputationis, aula verborum, promptuarium voluntatis*. 112.

112. Os datum est homini ad Deum laudandum.

Cresolius noster lib. 4. mystag. cap. 26. Os, inquit, angustum est delubrum, in quo lingua ut illustre numinis donarium consecrata est, donarium longe pretiosius et cubito Ægyptiorum, et mystica vanno Græcorum, et Palladio Romanorum. Os, inquam, adytum sacrosanctum, unde velut e regali throno Apocalypseos, procedunt fulgura, et voces, et tonitrua, et lampades ignis ardentis, vel ad terrendos impios, resonanti murmure commonitos ad sanctissimum numen venerandum, vel ad pios inflammandos inexplicabilium bonorum cupiditate, quæ pollicetur Deus. Os divina cordis apotheca, unde egregiæ merces ad beandum hominum genus funduntur. Os mirandum phrontisterium, exedraque erudita, quæ ebullit sapientias, et encyclopædiam salutarem. Os divinæ legis cella penaria, a Deo mirifice ornata, præsertim in sacerdote, de quo pius Vates ita canit: *Et legem requirent ex ore eius*, Malach. 6. 7. Os unde oracula promuntur, et Sybillæ antro dignius, et Dodonea quercu vocalius, et Castaliis undis certius ex quo velut a tripode atque lauro homines pendent, magna et mirifica audituri. Os denique iam inde a mundi initio dædala numinis manu fabrefactum, et singulari instructum cura et providentia ad loquendum, ad honestum et eruditum commercium, ad percipiendam scientiam, ad prodendam felicitatem. Quare in Genesi ubi noster habet interpres, cap. 2. 7. *Et factus est homo in animam viventem;* Chald. habet, Et factus est homo in spiritum loquentem: hæc Cresolius. Linguam S. Augustini vocat S. Paulinus, venam fontis æterni. Sic enim epist. ad ipsum: Os tuum, inquit, fistulam aquæ vivæ, et venam fontis æterni merito dixerim. S. Greg. Naz. orat. 8. pag. 146. dicit se esse, οργανον θειον καλω τεχνιτη, organum divinum quod a præclaro artifice, hoc est, a Spiritu sancto, ad cælestem harmoniam accommodetur et pulsetur. Et subnectit, κλειω και ανοιγω την εμην θυραν νω, και λογω, και πνευματι, *ad mentis, verbi, et spiritus arbitrium, vel ianuam meam claudo, vel aperio*. Idem et nos præstemus.

Nota secundo, peccato os nostrum clauditur, 1. quia tollit lætitiam et cor constringit; 2. quia tollit libertatem et fiduciam; 3. quia vocem facit absonam. S. Chrysost. homil. 2. In Ps. nostr. η αμαρτια, inquit, πεφυκε γλωτταν δεσμειν, εμφραττειν το στομα: Peccatum suapte natura linguam astringit, et os obturat. Theodoret. Peccatum, ait, linguam ligare solet, et os oppilare, strangulare et cogere, ut conticescat: ita ipse. Est dæmonium mutum, de quo Luc. 11. Ille est hostis, qui, ut ait Esther 14. de Inimicis Iudæorum, vult claudere ora Deum laudantium. 113.

113. Peccato nobis os clauditur.

Nota tertio, os nostrum claudendum est, donec Deus illud aperiat, ne peccemus. Eccli. 28. 29. *Ori tuo facito ostia et seras*, seu, ut legit S. Greg. in expositione psalmi nostri, ori tuo fac ostium et vectem. S. Ambros. lib. 1. Officior. Restringatur, inquit, lingua habenæ vinculis, frænos habeat suos, quibus revocari possit. Quid labia nostra, nisi quædam nostra vincula sunt? Denique vinculis labiorum suorum unusquisque constringitur. Ideo sapiens 114.

114. Deus os nostrum aperit.

ni tempore tacet, et secum ipse considerat quo tempore loqui debeat. De quo præclare ipse Salomon: *Labia sapientis alligata sunt intellectu,* Proverb. 5. Quando ergo vides illudentibus protervis sapientem tacere, dic: Ligavit iste intellectu labia sua: hoc est, prudenter tacet, ne labiorum suorum vinculis alligetur. Posuit ori suo custodiam: sepsit aures suas spinis, vectem adhibuit foribus oris sui, servat thesaurum cordis sui, et argentum eloquii sui, ut examinatum et purgatum quantum oportet, proferat: ne quisquam prius fur in cor eius aut perturbator irrumpat, et ad eos captivum trahat, quibus flagitia sua vendat: ita Ambrosius. Verba nostra sunt cordis nostri legati, qui eius desideria et affectus enuncient, os est ostium per quod transeunt: itaque os iis claudendum, si hostilia deferant. S. Bern. de Passione Domini, cap. 26. *Os nostrum,* inquit, *est ostium cordis nostri, per quod verba quasi quædam nuntia egrediuntur, nuntiantia quid interius agatur in corde, quod verbis prudentibus et utilibus est in tempore reserandum: pravis vero verbis, quæ de malis cordis motibus surgunt, iugiter est claudendum.* S. Ephr. in serm. ascetico de vita religiosa: Motu labiorum, ait, cordis nostri arcana depromuntur: nam ubi os nostrum aperitur, amoto iam ostio atque custode, sermo etiam noster citra delectum temereque progreditur: per verba autem cordis occulta produntur. Os siquidem quod animi secreta non servat, suas illi cogitationes furatur: et dum intra se mens continere se existimat, oris temeritate atque effrænatione evulgatur. Hinc S. Chrysost. in Ps. 140. admonet: Os nostrum, ait, perpetuo custodiamus, rationem ei tamquam clavem adhibentes.

115. *Os peccatoris est ineptum ad Dei laudes.* Itaque David dicit: *Domine labia mea aperies,* q. d. Non audeo ego illa aperire, ergo te adiutore. Quod eo magis dicebat, quia se peccatorem esse sciebat, et legem audierat. Levit. 13. 44. *Quicumque ergo maculatus fuerit lepra, et separatus est ad arbitrium sacerdotis, habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum.* Aer non est funestandus fœtore illo ac mephiti tartarea. S. Chrysost. de prophet. obscurit: *Os tuum,* inquit, θησαυρον ποιησον βασιλικον, μη ταφον σατανικον, *thesaurum regium, non satanicum sepulcrum effice. Quod si sepulcrum sit, saltem occlude, ne fœtor exeat. Nam quemadmodum ubi quis diversi generis feroces bestias in lacum immiserit, si forte superne lacum obturaverit, facile illas suffocat: sin autem exeundi vel respirandi facultatem iis concesserit, multum eis præbet solatii, neque sinit interire,* αλλ' εκθηριοι μειζονας, *sed efferatiores reddit. Ita fit in malis cogitationibus, cum exortæ intus fuerint, si omnes illis vias, ne foras prodeant, intercluserimus, celeriter illas opprimemus: sin autem illas verbis protulerimus,* χαλεπους ισχυροτερους εργασαιμεθα, δοντες αναπνευσαι δια γλωττης αυτοις, *tum validiores illas reddemus, et quasi per linguam respirandi facultatem illis concedemus: tum ab illa turpium verborum exercitatione in fœdarum actionum barathrum quam celerrime devolvemur:* hæc Chrysostomus. Ideo a Davide os impiorum vocatur patens sepulcrum. Ps. 13. 3. *Sepulcrum patens est guttur eorum.* Ex apertis cloacis, præsertim in æstate, sæpe pestilens aer erumpens urbes et provincias integras infecit: in medio tentationis æstu qui os fœtidum non occluserit, pestifero afflatu plurimos inficiet.

116. *Oris porta est Deo committenda ut illam aperiat.* Nota quarto, oris nostri porta Deo committenda est, ut eam claudat, vel aperiat. De primo dictum est, Psal. 140. 3. De secundo, hic dicitur: *Domine labia mea aperies.* Quem versum Ecclesia usurpat quotidie initio matutinarum precum, ut labia diu per somnum clausa nonnisi Deo et ab ipso Deo aperiantur. Iudæi in tract. Berachoth decreverunt, ut in singularum precationum initio usurpetur: tum quia commodus est ad mentis præparationem impetrandam: tum quia incipit ab אדני *adonai*, quo nomine Abraham primus Deum vocavit in oratione, Genesis 15. 2. S. Eligius initio hom. 1. eum usurpat versum. Et Deusdedit Calaritanus Episcop. in quadam epist. responsurus exprobrantibus hæreticis. Et iure quidem: nam, ut ait Salomon Prov. 16. 1. *Domini est gubernare linguam.* S. August. lib. 2. contra epist. Pelag. cap. 8. ex psalmo nostro probat necessitatem gratiæ. Vasquez noster 1. 2. disput. 190. cap. 14. docet requiri novam gratiam subsequentem, qua detur occasio recte utiliterque loquendi, ablatis impedimentis, tam ex parte loquentis quam ex parte auditorum: atque propterea Estherem cap. 14. 13. petiisse tribui sermonem compositum in ore suo in conspectu leonis, hoc est Assueri, et transferri cor illius in odium hostis Iudæorum, nempe Aman.

Aperit porro Deus os dando gratiam, scientiam, et eloquentiam, ut et cum ipso Deo in oratione, et cum aliis in familiari sermone, et in publica concione verba faciamus. Sap. 10. 21. *Sapientia aperuit os mutorum* (ad decantandum Mosis canticum, de quo Exod. 15. post transitum maris rubri) *et linguas infantium fecit disertas.* Dionys. Carthus. opinatur forsitan tunc aliquos naturaliter mutos miraculose loquendi et canendi usum recepisse: idem putat a Castro, et aliquos infantes necdum loqui valentes ob teneram ætatem, idem donum cælitus habuisse. Et ad hos alluditur Ps. 8. 3. ipsi Mosi ob balbutiem naturalem detrectanti legationem in Ægyptum Deus ait, Exod. 4. 11. *Quis fecit os hominis, aut quis fabricatus est mutum et surdum: nonne ego?* q. d. A me est omnis gratia loquendi. Est gratia gratis data. Eam S. Ambrosio et Platoni dandam portenderunt apes in eorum labiis considentes, cum adhuc essent in cunis: *Perge igitur, et ego ero in ore tuo* (fundens mella et lepores atque vim persuadendi) *doceboque te quid loquaris.* Christus Apostolis mittendis per orbem terrarum, ait Matth. 10. 19. *Cum autem tradent vos, nolite cogitare* (μη μεριμνησατε, ne anxii et solliciti sitis) *quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* Quo testimonio usa est S. Lucia Martyr coram Paschasio, et eius veritatem est experta. Vide eius vitam. Luc. 21. 15. dicitur: *Ego dabo vobis os* (non tantum Deus os aperit, sed sæpe immutat) *et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.* Hoc patuit in S. Stephano, Act. 6. cui se opponebant viri doctrina illustres, tum de synagoga seu collegio libertinorum, id est, ait S. Chrysost. et Beda, filiorum qui nati erant ex parentibus in servitutem a Pompeio et aliis Romam, aliove adductis, sed libertate donatis: tum Cyrenensium, qui ex Cyrene in Africa orti erant: tum Alexandrinorum, et Cilicum, tum denique eorum qui erant ex Asia minori: nam, ut habetur v. 10. *Non poterant resistere sapientiæ, et spiritui qui loquebatur.* Sic de tribus orbis partibus palmam reportavit: nempe de libertinis Romanis, de Alexandrinis et Cyrenensibus ex Africa venientibus: atque de Cilicibus in Asia existentibus. Idem enituit in S. Catharina Alexandrina vincente et convertente quadraginta selectos ex toto imperio Philosophos. Lingua Sanctorum est regius ac divinus thronus in quo Spiritus sanctus residet, atque fundit oracula. Origenes hom. 3. in cap. 7. Exod. Os Sanctorum, inquit, aperiet Deus: impiorum diabolus. S. Ambros. in Apolog. 1. David cap. 17. Os peccatoris, ait, Deus claudit, ne loquatur iustitias Dei: iusti aperit, ut loquatur. Cuius ergo labia aperit, huuc peccati absolvit reatu.

117. *Deus aperit os dando gratiam, scientiam, et eloquentiam.*

S. Gregor. in Psal. nostr. rem magis declarat: *Illius labia,* inquit, *Deus aperit, qui non solum quid loquitur, sed etiam quando et ubi, et cui loquatur attendit. Sapientia namque Dei dicit Isaiæ 50. 4. Dominus dedit mihi linguam eruditam, quando scilicet oporteat sermonem dicere. Merito ergo sapiens est, quia accepit a Domino, quo tempore sibi loquendum sit. Unde non inconvenienter ait Scriptura, Eccli. 20. Homo sapiens tacebit usque ad tempus. Hinc rursum scriptum est, Eccli. 28. Ori tuo fac ostium et vectem, et in verbis tuis iugum et stateram. Et fortasse hoc ostium sibi Propheta postulabat a Domino, cum dicebat, Ps. 140. 3. Pone Domine custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis. Debemus enim os nostrum clau-*

dere, et diligentius observare, ne quis in iraeundiam excitet vocem nostram, et contumeliam rependamus contumeliæ. Iugum etiam in verbis nostris esse, et statera præcipitur, ut omne quod loquimur, et humilitate eondiatur, et mensura ponderetur. Proferamus ergo sermones examinatos libra iustitiæ, ut sit gravitas in sensu, modus in verbis, pondus in sermone. Nec prius loquendo os aperiamus, quam expediat: sed examinemus verba nostra, si tacendum est, si dicendum adversus hunc, si tempus sit sermonis huius: postremo si a virtute modestiæ non dissentiat. Nihil indecens, nihil inhonestum, nihil invidum sonans erumpat. Verum quia ad hæc omnia idonei esse non possumus, nisi hoc a largitore omnis gratiæ percipiamus, exclamandum est nobis eum Propheta: Domine labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam. Non est speciosa laus in ore peccatoris. Ideoque Propheta indulgentiam peccatorum primum a Domino expetit, postmodum laudem se Dei annuntiaturum esse promittit, nobis patenter innuens, quia illi soli laudis Dei possunt sentire dulcedinem, qui peccatorum suorum meruerint percipere remissionem. Unde scriptum est Ps. 32. *Rectos decet collaudatio.* Vide illum locum. Ut bene labia nostra Deo aperiamus, est illi primo aperiendum cor per fidem et contritionem. Secundo, os per confessionem peccatorum. Tertio, oculi per discretionem agendorum. Quarto, aures per observationem mandatorum. Quinto, manus per sustentationem egenorum. Tunc enim erit Deo grata laus per labia effusa. De his consule Aiguanum, qui vulgo Incognitus nominatur.

118. *Os aperiamus, ut Deum laudemus.* Nota denique quinto, labia nostra eo fine sunt aperienda, ut Deum laudemus. Ideo dicitur: *Domine labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam,* non meam. Nolo enim esse ingratus et fur. Gulielmus Episc. Parisiensis lib. de rhetorica divina, cap. 4. ingratum appellat *miraculum diaboli.* Miraculum enim est, et quidem stupendum, quod quis præsertim Christianus, aut Religiosus, tot inter cælestes divini amoris flammas tanto gelu constringatur, ut ne labia quidem aperiat, ad Dei benefactoris sui laudes. Diaboli autem miraculum est, quod nihil ingrata illa mente sit tetrius, nihil terribilius Deo, nihil rabiei dæmonum vicinius.

ARTICULUS III.

Gratum Deo sacrificium est cordis vera contritio et humiliatio.

Aproximi sui salute procuranda, et Dei laude celebranda, ad immolationem sui ipsius David delabitur, eamque duplicem statuit. Primo, cum a misero peccati statu exurgens cor contritum et humiliatum immolat. Secundo, eum virtutis et perfectionis in statu sacrificium iustitiæ offert.

119. Vers. 18. Ac primo, dicit, v. 18. QUONIAM SI VOLUISSES SACRIFICIUM, DEDISSEM UTIQUE: HOLOCAUSTIS NON DELECTABERIS, si in se tantum spectentur. Quid enim Deus curat occisionem et concremationem arietis aut bovis? 2. si conferantur cum sacrificio crucis, cum Eucharistia, et cum actibus virtutum; 3. si offerantur a peccatoribus, qualem se esse David agnoscebat; 4. non delectaberis, ita ut per illa remittas peccata. Vide dicta Ps. 49. 9. et Ps. 39. 7. S. Hieron. vertit: *Nec holocaustum tibi placet,* q. d. Longe minus alia sacrificia. Tropol. S. Ioan. Climac. grad. 25. holocausta illa exponit de corporibus per ieiunium immolatis, quibus Deus non delectatur, si desit sacrificium spiritus et cordis.

Vers. 19. Quid ergo offeremus Deo, non enim vult manibus vacuis ad se veniri. Cor proprium manu accipe, et illi præbe. Sequitur enim v. 19. SACRIFICIUM DEO SPIRITUS CONTRIBULATUS: COR CONTRITUM ET HUMILIATUM DEUS NON DESPICIES. *To non despicies;* est Miosis sive Liptote, plus enim intelligitur, et minus dicitur: hoc est aspicies, amabis, suspicies, amplecteris.

Nota, pro *contribulatus* et *contritum*, eadem vox Hebraica ponitur: nempe נשבר *nisbar,* id est, fractum, confractum, contritum. Chald. etiam in utroque loco ponit vocem תביר *tebir*, quod est eiusdem significationis cum *nisbar* Hebraico. Rad. est *tebar*, frangere, effringere, confringere, conterere; idem significat Hebr. *sabar.* Chaldæi enim sæpe mutant *scin* in *thau.* Græce pro utroque ponitur bis συντετριμμένον, contritum, contusum, comminutum, in tenues particulas divisum, et confractum.

Itaque *spiritus contribulatus* et *cor contritum* sunt synonima, et pro eodem ponuntur, nempe pro anima dolente de peccatis suis, et præ vehementia doloris seipsam confringente et in minutissimum pulverem redigente per cognitionem suæ vilitatis, ingratitudinis, stultitiæ, et per contemplationem divinæ maiestatis, iustitiæ, liberalitatis, benignitatis, et aliorum attributorum. Primo tamen Cassiodor. spiritum contribulatum interpretatur de frequenti tribulatione. Secundo, S. Thomas et Aiguanus de tristitia quam pœnitens circa peccata omnia habet. Tertio, Haymo de tribulatione, qua quodammodo tribuletur superbia, et cætera vitia. Quarto, S. Gregorius de mœrore interno, quem pœnitentiæ et cælestis desiderii dilati gignat amaritudo dum conferuntur culpæ cum beneficiis divinis. Quinto, Innocentius de spiritu cum patientia tribulato, per quem contribulantur capita draconis, id est, superbiæ, potissimum in aquis lacrymarum. Hæc omnia pene in idem redeunt. Idem Innocentius per spiritum contribulatum intelligit satisfactionem: per cor contritum, contritionem: per cor humiliatum, confessionem. Ubi adverte, quod mortificatio et tribulationum tolerantia est gratissimum Deo sacrificium. Sap. 3. 6. *Tamquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam* (Vatabl. ut solidum sacrificium) *accepit illos.* Sept. pro *holocausti* ponunt ὁλοκάρπωμα, q. d. Quod totum cedit in καρπὸν, id est, fructum, et usum, cultumque Dei. Nam holocaustum comburebatur totum in Dei honorem. Id præsertim faciunt Martyres, qui nihil prorsus reservant sibi. De illis ait S. Chrysost. hom. 11. in epist. ad Hebr. *Sunt,* inquit, *quædam oblationes, quæ vere sunt holocaustomata, corpora Martyrum: ibi et anima, et corpus, illa sacrificia odorem suavitatis habent maximum; potes et tu si volueris sacrificium offerre. Quid enim si non igni comburatur corpus? Sed alio igne potest, utpote voluntariæ paupertatis.* Esto tu martyr per iugem passionum tuarum mortificationem. S. Bern. serm. 30. in Cant. *Genus martyrii est facta carnis mortificare: illo nimirum, quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius.* Et in sententiis: *Martyrium,* ait, *sine sanguine triplex est: parcitas in ubertate, quam habuit David et Iob: largitas in paupertate, quam exercuit Tobias et vidua: castitas in iuventute, qua usus est Ioseph in Ægypto.* Sic etiam sacrificium offeres Deo. S. August. lib. 10. de Civit. cap. 6. Corpus nostrum, ait, cum per temperantiam castigamus, si hoc quemadmodum debemus propter Deum facimus, ut non exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed arma iustitiæ Deo, sacrificium est. Ad quod exhortans Apostolus ait, *Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Si ergo corpus, quo inferiore, tamquam famulo, vel tamquam instrumento utitur anima, cum eius bonus et rectus usus ad Deum refertur, sacrificium est: *quanto magis anima ipsa, cum se refert ad Deum, ut igne amoris eius accensa, formam concupiscentiæ sæcularis amittat, eique tamquam incommutabili formæ subdita, reformetur, hinc ei placens, quod ex eius pulcritudine acceperit, fit sacrificium. Quod idem Apostolus consequenter adiungens: Et nolite conformari, inquit, huic sæculo: sed reformamini in novitate mentis vestræ, ad probandum quæ sit voluntas Dei, quod bonum, et beneplacitum, et perfectum.* S. Greg. hom. 22. in Ezech. docet, fidelem esse templum Dei, mentem et cor esse altare, hostiam vero esse corpus.

Nota, in contritione reperio omnia ad perfectum sacri- 121.

Contritio habet omnia ad verum sacrificium necessaria.

ficium necessaria. Primo enim victimam lavat. Secundo, eam occidit atque in partes dividit. Tertio, comburit. Quarto, thus illi affundit. Quinto, ad cælum elevat. Sexto, petita obtinet.

I. Lavat victimam.

Primo, contritio lacrymas fundit, et animam velut alter baptismus abluit. Clemens Alex. libr. quis sit ille dives qui salvetur, agens de iuvene post lapsum pœnitente: *Lacrymarum*, inquit, *unda secundo baptizatur*. S. Hilar. ad Ps. 118. Hæc venia peccati est, ait, fonte fletuum flere, et largo lacrymarum imbre madefieri. S. Chrysost. hom. 2. in Psal. nostr. *Peccata tua*, ait, *in libro scripta sunt. Spongiæ instar sunt lacrymæ tuæ. Lacrymas mitte, et obliterantur. Lacrymas mitte, et purus illic liber invenitur*, μέλας σπόγγος τὰ δάκρυα τῶν ἁμαρτιῶν, *magna peccatorum spongia sunt lacrymæ. Magna lacrymarum vis est. Vis dicam quantum lacrymæ valeant. Animum quæso diligenter attende. Quodnam ingens virtutis munus tibi esse videtur? Martyrium dices? maiorem enim hac charitatem nemo habet, quam ut ponat quis animam pro amicis suis. Revera maximum virtutis munus martyrium est: quando quidem martyres sanguinem profundunt; apertum enim est, quod martyres agunt. Martyres sanguinem fundunt, peccatores lacrymas; atque, ut quanta lacrymarum vis sit intelligas, meretrix illa sanguinemne fudit? Annon lacrymarum dumtaxat fontes effudit, atque hac ratione peccata delevit? Et quid meretricem atque impuram fœminam commemoro? Columna illa Ecclesiæ, illa fidei basis, illud Apostolici chori caput Petrus, annon semel et iterum, et tertio Dominum abiuravit? An vero propterea sanguinem effudit, ac non potius lacrymarum fontes, lacrymas fudit ac ploravit, et peccatum suum abstersit.*

II. Eam occidit.

Secundo, contritio victimam occidit, cordique terrestrem vitam et animalem eripit, ut reddat divinam. Ioel 2. 13. *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra.* Guillelmus Alvernus Episc. Parisiensis, unde sæpe vocatur Guillelmus Parisiensis, vir eruditus et pius qui floruit circa annum 1240. tract. de Sacram. Pœnit. cap. 5. Scindenda sunt, ait, corda peccatorum, velut virus diaboli, ut tota fæculentia, totumque virus peccatorum inde effluat, nec ulla in eis stilla remaneat.

III. Comburit.

Tertio, contritio igne amoris divini comburit victimam. Dolere enim de peccatis ob bonitatem Dei est actus charitatis. De illo igne ait S. Ambr. in exhort. ad pœnitentiam: *Quantum*, ait, *valent tres syllabæ? Tres enim syllabæ sunt, peccavi: sed in istis tribus syllabis flamma sacrificii cordis eius ad cælum ascendit.* S. Ioann. Climacus grad. 7. Sicut ignis, inquit, stipulam inflammat et consumit: ita castæ lacrymæ sordes omnes et visibiles et invisibiles consumunt. S. Ioan. Chrysost. lib. 2. de compunctione cordis: *Sola*, inquit, *est cordis compunctio: quæ sicut ignis omne animæ vitium perurit et adimit, et quantacumque in ea reperit mala, abstergit universa, et penitus delet.*

IV. Thus ei imponit.

Quarto, contritio thus victimæ imponit. S. Isidor. Pelus. lib. 1. epistol. 200. Pœnitentiæ lacrymæ, ait, non modo reprehensione carent: sed Deo, *thymiamatis instar* gratæ et iucundæ sunt. Albertus Magnus serm. de inventione S. Crucis: Sicut, inquit, lignum cedrinum, cum incensum fuerit, odore suo serpentes fugat: sic etiam ubi cor ardet igne contritionis accensum, omnia fugantur dæmonia.

V. Flammam in cælum ducit.

Quinto, contritio flammam holocausti ducit in cælum. S. Ephrem serm. 3. de compunctione: *O lacrymarum potentia*, inquit, *quomodo in ictu oculi, quasi præpetibus sublata pennis in cælum revehis atque ascendis, et postulata a Deo sancto obtines? occurritque tibi hilariter, indulgentiam ac remissionem peccatorum deferens?*

VI. Deum flectit ad misericordiam.

Sexto denique, contritio Deum flectit ad misericordiam et postulata impetrat. S. Ambr. Luc. 22. *Lacrymæ veniam non postulant, sed merentur.* S. Chrysol. serm. 93. O quanta, inquit, vis in lacrymis peccatorum! rigant cælum, terram diluunt, extinguunt gehennam, delent in omne facinus latam divina promulgatione sententiam. S. Laur. Iust. de gradibus perfect. cap. 3. O beata, inquit, pœnitentia, tu es refugium humilium, contritorum levamen, veniæ porta, spes indulgentiæ, propriæ agnoscendæ infirmitatis magistra, terror dæmonum, virtutum nutrix, gratiarum custos, orationis incentivum, lacrymarum origo, consequendæ misericordiæ præcursor, amica angelorum, et spiritualis disciplinæ norma præcipua: ita ipse.

Quæres, quid hoc loco intelligatur per cor humiliatum? Nota, pro *humiliatum*, Hebr. est נִדְכֶּה *nidche*, id est confractum, contritum, contusum. Unde derivatur nomen דְּכִי *dochi*, contritio. Chald. vertit שְׁפִי *sciapho*, id est, tritum, contritum, comminutum, contusum.

122. Cor contritum, humiliatum, et contribulatum pro eodem sumitur.

Ex his patet, cor contritum et humiliatum, ac spiritum contribulatum pro eodem poni: nempe pro animo vehementer dolente de peccatis suis, et ob illa se velut in pulverem et abiectissimam de se opinionem deiiciente, ut patet in Publicano oculos deiiciente, et pectus pugno percutiente, ut cor durum contereret, Luc. 18. Hinc Chald. vertit: *Sacrificia* (Hebr. est etiam in plural.) *sancta Dei anima contrita: cor contritum et concussum Deus non despicies.* Pagn. Sacrificia Dei, spiritus contritus, cor contritum et confractum, Deus non despicies. Syrus omittit prorsus, *et humiliatum*. Vertit enim: Sacrificia Deo spiritus est humilitas: cor contritum Deus non despicit. Non potest vera contritio ab humilitate separari. Smaragdus ad cap. 49. regulæ S. Benedicti: *Compunctio cordis*, inquit, *est humilitas mentis cum lacrymis.* Iacobus a Vitriaco Cardinalis et Episc. Tusculanus, natione tamen Gallus, qui floruit circa annum Christi 1240. sic ait serm. in cap. ieiunii: Compunctio dicitur cordis humiliati, cum devotione seu lacrymis punctio, sive ex recordatione delicti, sive ex beneficiorum recordatione, sive ex timore gehennæ. Compunctio cor hominis purgat, mentem illuminat, spiritum confortat et corroborat.

123. Humilitas est sacrificium Deo gratum.

Nota, humilitas est sacrificium Deo gratum: *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Primo quidem, est sacrificium. Unde Azarias in fornace Babylonica dicit Dan. 3. 39. *In animo contrito et spiritu humilitatis suscipiamur, sicut in holocausto arietum et taurorum, et sicut in millibus agnorum pinguium: sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi.* In cinerem se redigendos putabant, cum in fornacem proiecti sunt, et cum humilitate se Deo offerebant. S. Chrysost. In Psal. nostr. Ἱερεῖον χαρίζων, καὶ θυμιάματος σοὶ τῷ Θεῷ ἡμῶν, μετριότης φρονήματος: *Victima tibi Deo nostro grata et iucunda est humilitas.* S. August. lib. 10. de civit. cap. 4. *Deo*, inquit, *nos servitutem, quæ latria Græce dicitur, sive in quibusque sacramentis, sive in nobis ipsis debemus. Huius enim templum simul omnes et singuli templa sumus, quia et omnium concordiam et singulos inhabitare dignatur: non in omnibus, quam in singulis maior: quoniam nec mole distenditur, nec partitione minuitur. Cum ad illum sursum est, eius est altare cor nostrum, eius unigenito cum sacerdote placamus: ei cruentas victimas cædimus, quando usque ad sanguinem pro eius veritate certamus: ei suavissimum adolemus incensum, cum in eius conspectu pio sanctoque amore flagramus, et dona eius in nobis, nosque ipsos vovemus et reddimus: ei beneficiorum eius, in solemnitatibus, festis, et diebus statutis dicamus sacramusque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio: ei sacramus hostiam humilitatis et laudis in ara cordis, igne fervidæ charitatis.* Secundo, illud sacrificium humilitatis est Deo gratum. Petrus Blesensis, Archidiaconus Bathoniensis in Anglia, qui claruit circa ann. 1177. sic loquitur epist. 75 *Gratius acceptat Deus pœnitentiam peccatoris humilis et contriti, quam innocentiam iusti tepidi et remissi.* Hoc patuit in S. Maria Magdalena peccatrice de qua septem dæmonia exierant, id est septem vitia capitalia, ait Beda et S. Greg. hom. 33. in Evangelia, et septem maligni spiritus et tartarei dæmones, a quibus erat possessa ob sua scelera. Nam per pœnitentiam est facta vera Magdalena, id est, 1. turris seu turrita; 2. magna seu magnifica, vel magnificata ob eximiam gratiam;

3. vexillum elevans, pœnitentiæ scilicet, ferveris et charitatis. Sic enim de ea dixit Christus Luc. 7. 47. *Dilexit multum:* ita ipse dicere poterat cum Sponsa Cant. 2. 4. *Ordinavit in me charitatem.* Hebr. habetur, vexillum eius super me est charitas, quem textum commode adaptare possis S. Francisco de Paulo et eius Ordini; 4. nutrita, educata, verbis scilicet Christi lacte omni suavioribus. De illa S. Cypr. tract. de ablutione pedum: *Usa est,* inquit, *capillis pro linteo, oculis pro catino, lacrymis pro baptismo: cor contritum erupit in lacrymas, fides lavit, charitas unxit: caput pro suppedaneo stravit, crinibus circumfusis pedes sacros involvit et tersit. Nihil sibi de se retinens totam se tibi devovit: et tu affectum potius quam factum attendens ungebas ungentem, abluebas lavantem, tergebas intrinsecus pœnitentem.* Vide S. Chrysost. hom. 6. in Matthæum. Et de aliis S. Ambr. lib. 1. de Pœnit. cap. 16. et lib. 2. cap. 10.

124. *An possit esse cor contritum et non humiliatum.* Quæres, an possit esse cor contritum, et non esse humiliatum? Resp. id esse impossibile, si sit vera et sincera contritio et dolor de peccatis, ob offensam commissam in Deum summe bonum: si autem sit ficta et manca, id posse fieri. Unde S. Hier. in Psal. nostr. *Multi habent cor contritum, sed non habent humiliatum: quia plangunt quod fecerunt, et postea ad ipsum reverti desiderant, quod antea fecerunt: et de præterito nolunt pœnitere.* Hunc locum tamquam Hieronymi citat S. Gregor. hoc loco: Unde obiter collige, quod eos commentarios esse S. Hieronymi agnovit, quos nimis Lorinus exagitat tamquam spurios, licet non prorsus negaverim esse aliqua intermista quæ non sint ipsius. Bellarminus quoque in libro de scriptoribus Ecclesiasticis putat hos commentarios esse sancti illius Doctoris, sed non esse puros. Lege illum fuse et erudite de ea re tractantem.

ARTICULUS III.

In Ecclesia Dei sacrificatur sacrificium iustitiæ, et quale illud sit.

NON satis est in corde contrito vitia in pulverem redegisse, civitas virtutum ædificanda est. Unde additur,
125. Vers. 20. *Muri Ierusalem quinam hoc loco?* v. 20. BENIGNE FAC DOMINE IN BONA VOLUNTATE TUA SION (urbi Sion) UT ÆDIFICENTUR MURI IERUSALEM, id est, ego ipse qui sum murus Ierusalem, cum sim eius rex, sed cecidi per peccatum: ita Bellarminus. Sed hoc est symbolicum, ut mox dicetur. Secundo, muri Ierusalem sunt muri templi: ita Aignanus. Sed hoc est arctius. Tertio, muri sumi possunt synecdochice pro tota civitate, q. d. Ut tota Ierusalem quæ est regni metropolis ædificetur et ornetur. Quarto denique, et magis proprie et apte, muri sumi debent in propria significatione, q. d. Ut firmis et inexpugnabilibus muris Ierusalem cingatur, ut Ierusalem sit hosti impervia, et in multa sæcula stabiliatur. Murus enim est firmitas et robur civitatis. S. Chrysostomus dicit hæc verba convenire exulibus in Babylone. Sed melius ad Davidem refert, qui ædificavit, id est, munivit muros Sionis: unde mons Sion, seu civitas in illo monte sita quæ erat Ierosolymæ ad meridiem, vocatur civitas David: in ea enim a Iebusæis erepta, et studiose extructa sedem sibi et posteris suis posuit.

126. *Cur petit Sioni benefieri, ut muri Ierusalem ædificentur?* Quæres, cum petit benefieri Sioni, ut muri Ierusalem ædificentur? Respond. quia in Sione erat rex, a quo est omnis influxus in regnum, si igitur Sion floreat, et inferior civitas nempe Ierusalem florebit. Ubi adverte, quod aliquando Sion denotat tantum urbem superiorem, in qua erat domus David Salomonis, et aliorum regum; Ierusalem vero sumitur pro civitate inferiore, in qua populus: aliquando autem et Sion et Ierusalem pro tota urbe ponuntur. Secundo, et melius, sensus est, q. d. Benefac Sioni secundum bonam voluntatem tuam et benignitatem, ut Sione bene munita et muris cincta totius urbis Ierusalem muri sint perfecti, ita ut ipsi nihil amplius desit, et per munitiones in Sione factas, reliquæ civitatis munitio

A sit firmior et stabilior, atque ut alii reges subsequentes exemplo eorum, quæ a me in Sione facta viderint, Ierosolymam inferiorem muris fortioribus corroborent.

Allegor. Sion sumitur pro Ecclesia militante. Anagog. 127. Ierusalem pro Ecclesia triumphante: ita ut sensus sit, q. d. Benigne fac in bona voluntate et gratia tua Sioni, id est, Ecclesiæ te in hac vita speculanti, ut muri cælestis Ierusalem ubi est visio pacis ædificentur, et illa civitas exornetur. Ita S. Augustin. et S. Gregorius, qui ait: *Sion speculatio interpretatur, per quam sancta significatur Ecclesia, quæ in eminentioribus virtutum et scientiæ locata vestigiis, et cælestem patriam a longe prospicit, et irruentes spiritualium inimicorum cuneos interiori intuitu deprehendit. Cui Deus tunc benigne fecit, quando filium suum in mundum misit. Veniens autem Filius Dei, quam de diabolica potestate eripit, sanctam sibi Ecclesiam in unitate spiritus confœderavit. De quo Ioannes ait, cap. 3. Qui habet sponsam, sponsus est. Quid autem benignius,* B *quam Filium Dei servilem formam induere, mortis legibus subiacere, proprio sanguine nos redimere, æternæ vitæ aditum, quem culpa obstruxerat aperire, corpore suo nos pascere, et de tenebrarum potestate erutos ad cælestem gloriam, et ad regnum nos lucis transferre? Quid denique, benignius quam quod Deus tradidit Filium, ut redimeret servum? Benignitatem nihilominus Dei quotidie sentit Ecclesia, cum illam Deus claritate suæ cognitionis illuminat, inter sæculi turbines fluctuantem spiritus sui virtute confirmat, suavitatis intimæ deliciis reficit, atque per eam peccantibus peccata dimittit. Et notandum quod ait, In bona voluntate tua, ut intelligas, nihil perfectum haberi posse ex meritis, sed tantum conferri gratuito munere divinæ miserationis.* Multis deinde interiectis agit de cælesti Ierusalem constructa ex vivis lapidibus. *Illa est,* inquit, *civitas pacis, in quam nullus hostis ingreditur, et ex qua nullus civis egreditur. Civitas, inquam, cuius plateæ auro mundo sternuntur, et in qua canticum lætitiæ indesinenter cantatur.*

Allegor. Sion est Ecclesia militans. Anagog. Ierusalem est Ecclesia triumphans.

C Tropolog. Sion et Ierusalem est anima sancta. Sion est 128. in principio, Ierusalem in vita perfecta. S. Gregor. *Per Ierusalem,* ait, *quæ visio pacis interpretatur, sancta anima accipitur, quæ futuram sanctorum pacem mentis intuitu conspicit, et omnibus in se mortificatis hostibus, illicitorum motuum impugnationem non sentit, cuius muri virtutes sunt. Quo ille nimirum ædificat, qui ex operibus iustitiæ et pietatis, spirituale construere ædificium non cessat.* Notat deinde rem maxime considerandam, et quæ omnes excitare debet: *Unusquisque Ierusalem aut Babylonis civis est. Sicut enim per amorem Dei sanctus quisque Ierusalem civis efficitur: ita per amorem sæculi, omnis iniquus in Babyloniæ structura operatur. Ad construendum autem huius spiritalis Babyloniæ ædificium, perversi quique illius antiqui Babel imitantur exemplum. Cuius teste Scriptura civitatis auctores, et pro saxis lateres, et pro cæmento bitumen habuisse leguntur. Per quod intelligitur, quod mundi amatores carnalis vitæ construunt municipium, quod ad vim ventorum et impetus fluvii, facili* D *impulsu velociter est subruendum. Notandum vero est, quia illi de quibus agitur, de Oriente venisse, et in campo Sennaar habitasse perhibentur. Cum enim Christus vere sit Oriens, Propheta attestante, qui ait Zachar. 6. Ecce vir Oriens nomen eius: de Oriente veniunt, qui a Christi consortio male vivendo recedunt. Sennaar autem interpretatur excussio dentium, sive fœtor eorum. In campo ergo Sennaar habitant, qui positi non in celsitudine virtutum, sed in planitie vitiorum et detractionum morsibus proximos lacerant, et in otiosæ vitæ volutabro iacentes, infamiæ suæ circumquaque fœtorem exhalant. Quorum dentes tunc omnipotens excutit, cum illorum facta simul et verba confundit. Unde per Prophetam scriptum est, Ps. 57. Dentes peccatorum contrivisti.* Et post aliqua, solidam et stabilem esse ostendit ædificationem Sanctorum, qui sunt cives Ierusalem: *Cæterum,* inquit, *qui contempta terrenarum opum cupiditate, et carnalis vitæ abdicatis illecebris,*

Sion et Ierusalem est anima sancta.

per opera sanctitatis virtutum in seipsis sanctificationem accumulant, hi profecto lateres in lapides mutant. Et neque in arena mundanæ confidentiæ spiritalem structuram erigunt, sed in petra fidei, quæ Christus est, atria nulli studio obnoxia, ad similitudinem evangelicæ illius parabolæ constituunt. Tales nimirum recte cum Isaia possunt dicere, Isaiæ 9. 10. Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus. Sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus. Lateribus quippe cadentibus, lapidibus quadris ædificat, quicumque carnis lasciviam disciplinæ strictioris rigore castigat: qui membrorum legem mentis lege superat, qui corporis fortitudinem spiritus virtute commutat. Hinc namque per Prophetam dicitur Isaiæ 40. 31. Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem. Qui dum non dixit, accipient, sed mutabunt: aperte ostendit, quia alia est fortitudo quæ deponitur, et alia quæ noviter inchoatur. Habent enim sancti viri suam in hac carne positi fortitudinem, cum vel pro fide certantes, tormenta omnia constantiæ virtute despiciunt, vel tentationes diabolicas armis spiritualibus protecti repellunt. De eis namque per Salomonem scriptum est, Cant. 3. 7. En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel. Lectulum quippe Salomonis fortes ambiunt, quia intimam nostri Redemptoris requiem, sancti quique indefessa desiderii sedulitate contemplantur. Hinc de sancta Ecclesia electorum dicitur, Prov. 31. 25. Fortitudo et decor indumentum eius. Qui enim ita se in virtutibus decorum exhibet, ut tamen tentationum impugnationibus non repugnet, hic nimirum decore ad tempus induitur, sed fortitudine nequaquam vestitur. Quia vero sancti Dei, et ex operibus iustitiæ fulgidi, et ex adversariorum apparent impugnationibus vestiti, recte de iis sub typo Ecclesiæ dicitur: Fortitudo et decor indumentum eius. Quisquis ergo infirma carnis fortitudine contempta, in virile spiritus robur animum excitat, quasi lateres in saxa, quibus muri Ierusalem ædificentur, commutat: Ita Gregorius.

129. **Murus Ecclesiæ septuplex.** **I. Articuli fidei.** Quæres, quinam sint muri harum civitatum? Primo, muri Ecclesiæ sunt articuli fidei: ita Aiguanus. Huic rei adapta illud 1. Machab. 4. 60. ubi de Iuda Machabæo et Iudæis post duas Gorgiæ acies profligatas, et victum Lysiam Syriæ Proregem repurgantibus templum et reparantibus civitatem dicitur: *Ædificaverunt in tempore illo montem Sion, et per circuitum muros altos, et turres firmas, nequando venirent Gentes, et conculcarent eum sicut antea fecerunt. Et collocavit illic exercitum, ut servarent eum, et munivit eum ad custodiendam Bethsuram, ut haberet populus munitionem contra faciem Idumææ,* id est, contra impudentiam hæresis, quæ est Idumæa, id est sanguinea et terrena. Bethsura vero erat castrum totius Iudææ munitissimum quinque stadiis distans ab arce Sion, cinctum undique montibus: unde et nomen accepit. Nam *Bethsura* est *domus rupis*, petræ, fortitudinis. Est symbolum animæ sanctæ et generosæ atque in fide et virtute constantis.

II. Sacramenta. Secundo, muri Ecclesiæ sunt Sacramenta: Ita Hugo. Sed præsertim Eucharistia, in qua est ipse Christus, de quo Isa. 26. 1. *Urbs fortitudinis nostræ* (id est, urbs nostra fortissima) *Sion, Salvator ponetur in ea murus et antemurale.* Arab. murus et filius muri. Hebr. salus ponet muros et propugnaculum. Octo rationes cur Christus sit murus noster atque fortitudo, affert Cornelius; ipsum consule.

III. Angeli. Tertio, muri Ecclesiæ sunt angeli: ita Dydimus. Muri Ierusalem, ait, sunt angelorum excubiæ, vel dogmatum indissolubilium firmitas. Vide dicta Ps. 33. 8.

IV. Prophetæ et Patriarchæ. Quarto, muri Ierusalem sunt Prophetæ et Patriarchæ: ita S. Athanasius. Deus ait Ieremiæ, cap. 1. 18. *Dedi te in civitatem* (id est, velut civitatem; ita Arabs) *munitam, et in columnam ferream, et in murum æreum, super omnem terram, et regibus Iuda, principibus eius, et sacerdotibus, et populo terræ.*

V. Prælati. Quinto, muri Ecclesiæ sunt Prælati: ita Hugo. Et, ut loquitur S. Chrysostomus, ædificando novo populo præsides. Talis fuit in Græcia ipse sanctus Doctor, qui restitit Eudoxiæ Imperatrici, Gainæ duci, et variis. Talis S. Basilius in Asia, cui cum Præses quidam Valentis Imp. Arriani ob fidem minaretur mortem: Utinam, inquit, hoc mihi vere accidat, ut pro veritate ex his corporis vinculis eripiar. Urgente autem Præside, ut rem maturius consideraret, respondit: *Ego quidem hodie et cras idem sum: atque utinam tu non mutes sententiam*, ut ait Socrates lib. 4. cap. 2. Ipsi Valenti et Iuliano quanta fortitudine restiterit, vide apud Baronium tom. 4. S. Ambros. murum se opposuit pro domo Dei, et Valentiniano Imper. atque Iustinæ Imperatrici Arrianæ petentibus templum pro Arrianis fortiter obstitit. Cum autem Comites et Tribuni urgerent ac dicerent, Imperatorem suo iure uti, et potestatem in omnia obtinere, ait: *Si Imperator a me petat, quod meum est: id est, fundum meum, argentum meum, non recusabo: quamquam omnia, quæ mea sunt, pauperum sunt: verum quæ Dei sunt, imperatoriæ potestati non sunt obnoxia. Si patrimonium affectatis, invadite: si corpus, accurrite: vultis in vincula ducere? vultis ad necem? Ludus est. Non ego me vallabo stipatione populorum, nec altaria tenebo vitam deprecans, sed pro altaribus victimam me præbebo.* Lege Baron. tom. 4.

VI. Sancti. Sexto, muri Ecclesiæ sunt sancti homines: Ita S. Aug. lib. quæst. ex utroque testamento, cap. 112. fortiores Ecclesiæ: ita Haymo. Tales fuere præsertim Martyres. Nonne minus fortissimus erat S. Theodorus, qui mortem minitantibus tortoribus, nisi Christum eiuraret, dixit: *Pro fidei Christianæ confessione et qui vulnerat, incidat: et qui verberat, laceret: et qui cremat, flammam adiiciat: et qui his verbis offenditur, vitam adimat.* Eam pro Christo lubens ac lætus posuit. Lege exhortationem eximiam Mathathiæ patris Machabæorum, 1. Machab. 2. 50. et seq. hortantis ad bella Domini fortiter gerenda. Et monita matris aliorum Machabæorum ad necem filios pro fide subeundam adhortantium.

VII. Cogitationes bonæ. Septimo denique, muri animæ sanctæ sunt cogitationes firmæ et stabiles, quæ ipsam muniunt, atque in hostes protegunt: ita Nicephorus, et alii. Hugo Cardinalis pie et ingeniose ædificationem et destructionem murorum illorum exponit. Muri Ierusalem, inquit, primo fuerunt reædificati per Salomonem, qui interpretatur pacificus. Pax enim bene munit Ecclesiam, et animam fidelem, quia in pace factus est locus eius, qui est murus et antemurale. Sed quod Salomon ædificavit, Ioas destruxit, ut habetur 2. Paral. 2. Ioas interpretatur temporalitas, quæ ea quæ pacis sunt destruit. Unde dicitur Gen. 13. quod Loth et Abraham non quibant habitare communiter: erat enim substantia eorum multa. Secundo, reædificati sunt per Oziam, 3. Reg. 15. et postea destructi per Nabuzardan, sicut habetur 4. Reg. 25. Ozias interpretatur videns Deum, et significat fidem, quæ reædificat quod temporalitas destruit. Quia, ut dicit Hieronymus, qui habet veram fidem de Deo, non cupit in his miseriis locupletari. Sed quod ædificat fides, destruit voluptas carnis in quibusdam, quæ per Nabuzardan designatur, qui interpretatur princeps coquorum. Tertio autem reædificati sunt per Nehemiam, qui interpretatur consolator, vel consolatio, et significat flagellum Domini, de quo in Ps. 22. *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Flagellum autem sine disciplina reædificat, quod carnis voluptas destruxerat. Sed postea destructi sunt muri ab Antiocho rege Syriæ, sicut habetur 1. Machab. 1. Syria interpretatur sublimis, et Antiochus silentium paupertatis, quod utrumque superbiam designat, quæ se elevat, et paupertatem quam habet silet: quod autem habet divitiarum, ostentat. Hæc frequenter destruit, quidquid austeritas disciplinæ ædificaverat, quia ipsis bonis operibus insidiatur, ut pereant, sicut dicit S. Aug. et S. Greg. Valde cavendum est vitium, quod de victoria surgit vitiorum. Quarto, post destructionem Antiochi reædicavit Iudas Machabæus, ut habetur 1. Machab 4. Iudas interpretatur confessio, Machabæus bellator. Hæc est propriæ fragilitatis confessio, quæ proprie

bellat, et pugnat contra superbiam, et humilitatem instruit et construit. Vel significat pœnitentiam, quæ bellatrix est generaliter contra vitia. Deinde destruxit eos Titus, qui interpretatur bonus, aut lutum, et significat hypocritas, qui extra videntur boni, intus vero sunt lutum. Unde dicit eis Dominus, Matth. 23. *Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis quæ a foris apparent hominibus speciosa, intus autem plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia! Sic et vos a foris quidem paretis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrysi et iniquitate.* Et postea reædificaverunt Amasiani, id est, transitores sæculi. Deinde destruxit penitus Adrianus Equestris, id est, nobilitas et militia Prælatorum. Huc usque Hugo Cardinalis. Sed aliquæ etymologiæ minus sunt aptæ.

Placet totius spiritalis ædificii fabricam intueri, eam habet Mazzarinus noster discursu 93. in Ps. 50. Fundamentum ipsius, ait, est stabilimentum fidei, sine qua nullum spirituale ædificium consistere potest: quia sine fide impossibile est placere Deo. Si autem hæc firma ac solida fuerit, nec effusa pluvia prosperitatis, nec præceps flumen adversitatis, nec rabidi venti tentationum, nec violentia satanicæ suggestionis illam deiiciet. Tam solido fundamento imponuntur ex omni parte parietes: a sinistro latere, spei contra impetum adversitatum: a dextro, timoris contra insolentiam in prosperis: in facie, contemptus mundi, contra vanitates sæculi: in humeris, despectus sui contra illecebras corporis, qui legitima proportione et altitudine continuatur operiuntur sublimi tecto desiderii perfectionis, quod sustentatur odoratis cedris et suavibus cupressis imitationis antiquorum Patrum. Iuxta hæc conspiciuntur elegantissimo ordine dispositæ columnæ timoris contra superbiam, pietatis contra invidiam, scientiæ contra iram, fortitudinis contra accediam, consilii contra avaritiam, intellectus adversus gulam, sapientiæ contra lasciviam, innixæ basibus patientiæ in adversitate, et tolerantiæ in persecutione. Lege cætera in fine discursus.

Muris urbis perfectis, et civibus bona Dei voluntate lo-
130. cupletatis, ad templum est pergendum, ut cum quiete
Vers. 21. et securitate victimæ offerantur. Ideo Propheta psalmum suum concludit: Tunc acceptabis (Heb. תחפוץ *tachpots*, id est, voles: ita Pagn. optabis: ita Felix; suscipies: ita Hier. gratum fiet: ita Campens. Rad. *chapets*, cum desiderio, affectu et complacentia acceptare) SACRIFICIUM (Hebr. sacrificia) IUSTITIÆ, OBLATIONES ET HOLOCAUSTA: TUNC IMPONENT SUPER ALTARE TUUM VITULOS. Ad litteram sicut supra intelleximus Sionem et Ierusalem do urbe Davidis in duas partes divisa: nempe in superiorem atque in inferiorem: ita hic agitur de victimis oblatis ab ipso et aliis regibus in tabernaculo ab ipso Davide in monte Sion ædificato, atque in templo Salomonis. Ubi adverte, hic posse aliquatenus triplex Hebræorum sacrificium, et eorum oblationes puras, quæ non erant sacrificia, reperiri.

Triplex Hebræorum sacrificium.

Primo enim, per sacrificium iustitiæ intelligitur sacrificium pacificorum seu hostia pacifica: quia iustum est, ut pro acceptis beneficiis Deo gratias agamus, et ab eo iustitiam, hoc est, omnem virtutem, postulemus. Secundo, oblatio pura clare ponitur. Tertio, holocaustum, quod erat perfectissimum genus sacrificii, in quo tota victima in Dei laudem comburebatur. Unde Græce dicitur ὁλόκαυστον, q. d. Totum combustum. Et hoc loco Heb. כליל *calil*, id est, integrum, totum, perfectum, consummatum, absolutum. Et pro *oblationes*, Hebr. hic ponitur עולה *ola*, q. d. Ascensio. Elevabatur enim oblatio a sacerdote, ut veluti eam Deo sisteret: unde vocabatur etiam תרומה *theruma*, q. d. Elevatio, exaltatio: cum enim Deus in cælis specialem sedem sibi fixerit, ea quæ ipsi offerebantur, elevabantur, quod etiam fiebat in victimis et Sacerdotibus ac Levitis cum consecrabantur. Ex his patet perperam hic a Pagnino verti, *holocaustum et oblationem:* non quod negem *ola* sæpe sumi pro holocausto, sed quia etiam potest significare oblationem, ut patet. Itaque S. Hieron. sequens Sept. interpretes reddit, *oblationes et holocausta*, Felix, *oblationem et holocaustum.* Quarto denique, sacrificium pro peccato denotatur per vitulos. Nam et vituli et hirci pro peccatis offerebantur. Ultimo autem loco hoc sacrificium ponitur, quod in omnem vitam extendi debeat, neque ullus ita virtuti suæ et iustitiæ possit fidere, quin identidem et scelerum præteritorum, et periculi hac in vita semper præsentis recordetur. Itaque ab illo sacrificio est inchoanda conversio, cor conterendo et humiliando: atque in illo terminanda, nec continua mortificatione mactando, ne hostis domesticus aut reviviscat, aut externis quoque copiis aditum aperiat.

Quæres, quodnam sacrificium iustitiæ hic mystice in- 131.
telligitur? Primo, Tropol. sacrificium iustitiæ est omnis virtus. Ea de re fuse dixi Ps. 4. 6. in illud: *Sacrificate sacrificium iustitiæ.* Nonnulla adiicio, ne hunc versum ieiunus transeas. S. Aug. lib. 10. de civit. cap. 6. *Verum sacrificium*, ait, *est omne opus quod agitur, ut sancta societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus.* Et in quæst. veteris et novi Testam. quæst. 112. Iustum est sacrificium, ait, cum condignum munus offertur. Porro autem nihil est tam iustum sacrificium et condignum, nisi ut nos ipsos offeramus Deo. Quia enim Deus spiritus est, spiritualia illi offerenda sunt sacrificia, ut vivo viva hostia offeratur. Lactant. lib. 6. de divin. institut. cap. 24. Quisquis, ait, omnibus præceptis cœlestibus obtemperat, hic est vere Dei cultor, cuius sacrificia sunt mansuetudo animi, et vita innocens, et actus boni, quæ omnia qui exhibet, toties sacrificat, quoties bonum aliquod ac pium opus fecerit: Deus enim non desiderat victimam, neque muti animalis, neque mortis ac sanguinis, sed hominis vitam. Ad quod sacrificium neque verbenis opus est, neque fibris, neque cespitibus, quæ sunt vanissima: sed his quæ de intimo corde promuntur: ita Lactantius.

Tropol. Omnis virtus est sacrificium iustitiæ.

Si ad singulas virtutes placet descendere: Primo, Theodoret. in psal. nostr. Sacrificium, ait, gratum et acceptum tibi Deo nostro mentis modestia est. Secundo, liberalitas a S. Paulo inter sacrificia computatur, Hebr. 13. 16. Tertio, misericordia a S. August. lib. 10. de civit. cap. 5. Per hoc, ait, quod scriptum est Oseæ 6. *Misericordiam magis volo, quam sacrificium*, nihil aliud quam sacrificio sacrificium prælatum oportet intelligi, quoniam illud quod ab hominibus appellatur sacrificium, signum est veri sacrificii. Porro autem misericordia verum sacrificium est. Unde dictum est Hebr. 13. Talibus enim sacrificiis placatur Deus. Quarto, gratiarum actio sacrificium est. S. Aug. lib. 1. contra adversarium legis et Prophetarum, cap. 18. Quod est, inquit, sacratius laudis sacrificium, quam in actione gratiarum? Et Trismegistus apud Lactantium: Huius, ait, sacrificium sola benedictio, summus colendi ritus est ex ore iusti hominis, ad Deum directa laudatio, quæ tamen ipsa ut sit accepta, et humilitate, et timore, et devotione maxima opus est. Quinto, zelus animarum. S. Gregor. in vers. 14. psalm. nostr. Nullum, ait, tam gratum Deo est sacrificium, quam zelus animarum. Sexto, charitas. S. August. lib. 10. de civit. cap. 6. Septimo denique, omnis cogitatio sancta sacrificium est. Idem sanctus Doctor serm. 152. de tempore: Videamus, ait, ne forte in nobis duo sint altaria constituta, corporis scilicet et cordis nostri. Denique duplex a nobis sacrificium quærit Deus: unum ut simus casto corpore, aliud ut mundo corde esse debeamus. Ergo in exteriore altari, id est, in corpore nostro offerantur opera bona: in corde odorem suavitatis redoleat cogitatio sancta. S. Gregor. Naz. in carm. Una, ait, Deo est purum gratissima victima pectus, in qua vincit inops opibus persæpe tumentem.

1. modestia. 2. liberalitas. 3. misericordia. 4. gratiarum actio. 5. zelus animarum. 6. charitas. 7. omnis sancta cogitatio.

Nota, triplex sacrificium non inepte distinguit Pepinus 132.
serm. 67. nempe sacrificium iustitiæ inchoatæ, continuatæ, consummatæ.

Triplex sacrificium iustitiæ.

Primo, sacrificium iustitiæ inchoatæ decet pœnitentes, et illud in tres partes dividitur. Primo, in contritionem cordis. Ps. 50. 18. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Secun-

1. Inchoatæ.

do, in confessionem oris. Ps. 53. 8. *Voluntarie sacrificabo tibi.* Tertio denique, in satisfactionem operis. Ps. 140. 2. *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.*

II. Continuatæ. Secundo, sacrificium iustitiæ continuatæ offerunt Deo veri cultores religionis, qui deserto mundo dicunt illud Exod. 5. 3. *Eamus viam trium dierum* (id est, trium votorum) *ut sacrificemus Domino Deo nostro*, in solitudine, id est, in religione. Huius rei figuræ sunt animalia, quæ, cum immolanda erant, primo ligabantur, secundo excoriabantur, tertio lavabantur. Ligantur Religiosi per votum obedientiæ, et religio a ligando deducitur. Illis optari potest, quod ait Christus Petro, Ioann. 21. 18. *Cum esses iunior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis.* Excoriantur religiosi, per votum paupertatis. Iob. 2. 4. *Pellem pro pelle, et cuncta quæ habet, dabit homo pro anima sua:* id est, ad salutem animæ suæ. Matth. 19. 21. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me.* Apostoli hoc fecerunt. Matth. 19. 17. *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te.* Lavantur denique religiosi, per votum castitatis. Itaque dicendum est illis cum Paulo 2. Cor. 7. 1. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.*

III. Consummatæ. Tertio denique, sacrificium iustitiæ consummatæ offerunt beati in cælo. Ps. 49. 23. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Nam, ut ait S. Greg. ædificata cælesti Ierusalem solum sacrificium iustitiæ erit acceptum Domino: quia non erit opus ibi offerri sacrificium pro peccato, aut sacrificium zelotypiæ, et huiusmodi: quia ibi nullum erit peccatum, nec zelotypia carnalis, sed tantum spiritualis circa amorem Dei. Secus autem est in hac misera vita, in qua in multis quotidie offendimus omnes, et ideo opus est, ut offeramus Deo sacrificium spiritus contribulati, et cordis contriti.

133. Allegor. Sacrificium crucis est sacrificium iustitiæ. Allegor. Sacrificium iustitiæ est sacrificium Christi cruentum in cruce, et incruentum in Eucharistia. Hinc fortasse in Hebræo est: *Tunc acceptabis sacrificia iustitiæ.* De primo, nempe de sacrificio Crucis exponunt S. Ambrosius in apolog. 1. Davidis cap. ultim. Mazzarinus et alii. Verba S. Ambrosii sunt: *Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ: hoc est, sacrificium corporis Christi, qui ait cum de propria passione loqueretur, Ps. 117. 19. Aperite mihi portas iustitiæ, et ingressus in eas confitebor Domino. Et in Evangelio, Matth. 3. 15. ait ad Ioannem. Sine modo: sic enim oportet nos implere omnem iustitiam. Et infra cap. 5. 10. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Iustitia Christus est. Sacrificium ergo Christi acceptabile futurum Patri asserit. Hoc est ergo de quo et supra ait Ps. 4. Sacrificate sacrificium iustitiæ, et sperate in Domino. Hæc est iustitia spiritalis, oblatio et holocaustum ferventis devotionis, et infusionis Spiritus sancti, quod dicit futurum, cum ad illud spiritale Domini altare cœperint admoveri animæ credentium:* ita ipse.

Ob tres rationes. Tres ob causas Passio Christi fuit sacrificium iustitiæ. Primo, ob iustitiam sacerdotis. Hebr. 7. 26. *Talis decebat ut esset nobis Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, excelsior cælis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes* (Aaronici) *prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi. Hoc enim fecit semel se offerendo,* in cruce. Sicut ex Amiantho lapide, ait S. Athanasius, telæ fiunt igne inviolabiles, ita B. Virgo Agnum peperit, cuius glorioso vellere facta est nobis vestis immortalitatis, qua tecti nec igne comburi possumus, nec aquis concludi, aut ulla alia re, quin per omnia cruciamenta illæsi ad incorruptionem et immortalitatem transeamus: ita Athanasius. S. Ioannes cap. 1. 14. ait eum esse plenum gratiæ et veritatis. Secundo, Passio est sacrificium iustitiæ, quia victima est infiniti valoris: est enim Deus et homo. Itaque satisfacit ad æqualitatem, licet cum aliquibus ponamus malitiam peccati mortalis esse infinitam. Tertio, propter finem: ad hoc enim passus est Christus, ut a peccatis liberatos iustificaret. Quarto denique Passio Christi fuit sacrificium iustitiæ, quia Deus Pater in ea honoravit Filium per varia miracula et prodigia. Nam primo voluit unico verbo deiici satellites in horto Gethsemani, aurem Malcho restitui, in cruce latronem converti et Centurionem, solem, lunam, et stellas obscurari, terram tremere, lapides discindi, et alia eiusmodi fieri. Lege Mazzarinum nostrum discursu 96. 97. et 98. in Ps. 50. Vide etiam S. Thom. 3. p. quæst. 48. artic. 5. ubi docet, Christi Passionem operatam esse per modum sacrificii.

Quæres, cur Passio Christi, cum sit unica, vocatur in plurali *oblationes et holocausta?* Resp. quia eminenter omnia sacrificia veteris legis atque oblationes continet, quibus omnibus figurabatur. Mazzarinus discursu 95. Sacrificium crucis, ait, designatur vocabulis pluralis numeri, *oblationes et holocausta.* Primo, quia omnes oblationes, holocausta et sacrificia veterum hoc unum præfigurabant, in hoc consummabantur, et singula peculiare aliquid indicabant quod ad ipsum spectaret. Atque ita si illæ oblationes conficiebantur ex omnibus quæ homini usui esse solent, et ex comestibilibus adhibebatur panis, ex potabilibus vinum, ex condimentis oleum et sal, ex medicinalibus incensum et mel: in pane adumbratur caro, in vino sanguis, in oleo gratia, in sale sapientia, in incenso divinitas, in melle suavitas morum Christi. Et si multifariam offerebantur, sive in spicis, sive in farina, sive in pane eoque cocto, vel in furno, vel in sartagine, vel assato supra craticulam, ipsum figurabant, qui in statu naturæ quasi granum in spica non fuit manifeste cognitus, et quasi farina distinctus tempore Prophetarum, luculentissime vero tamquam panis in lege gratiæ coctus primum in utero virginis, deinde in sartagine tribulationum vitæ mortalis, demum supra craticulam crucis. Farina puritatem illius insinuabat, panis propositionis munditiam, panis primitiarum dignitatem regalem. Idipsum videre licet in varietate animalium, quæ ad sacrificium destinabantur, quando per agnum mansuetudinem illius denotabant, per hædum occasionem cur tanta cum pati conveniret: per arietem, similitudinem carnis peccatricis: per vitulum, sacrificium: per vervecem, imperium et principatum: per capram, iniquitates nostras: per continuum sacrificium, efficaciam oblationis ipsius: per adipem, devotionem: per vaccam rufam, effusum sanguinem: per bovem, obedientiam usque ad mortem: per passerem, qui solus reservabatur ad usum sacrificii, humanitatem: per solitarium turturem, puritatem gemitus et planctum eius: per columbam, simplicitatem, et animam, quæ per mortem a corpore tamquam ab arca discessura erat, et idem per resurrectionem repetitura. Tandem si principalia sacrificia circumspicimus, nemo non videt præsignatum in holocausto vulnus lateris divinum illud ardentissimæ officinæ cordis, quod inextinguibili amoris flamma æstuabat spiraculum: in hostia pacifica vulnus dexteræ, qua inter Deum et nos perpetuam pacem stabiliit; in hostia pro peccato plagam sinistræ, per quam a sinistris casibus culparum erigimur: et transfossiones pedum quibus tamquam victima processit ad immolationem, et aliquot in cruce passus fecit, ut nos liberaret e carcere peccatorum et animas Sanctorum e Limbo. Adde, dum Christo in cruce confixo foris perageretur sacrificium visibile carnis, intus oblatum fuisse invisibile animæ: ideoque David prophetiam edidit per vocabula numeri pluralis, quasi multa essent, *oblationes et holocausta.* Potuerunt sane Evangelistæ describere visibile illud, quod conficiebatur coram oculis hominum; de altero autem invisibili quis narrationem instituisset? 134. Cur Passio Christi vocatur oblationes et holocausta?

Tertio denique, totum hunc locum de sacrificio incruento Eucharistiæ exponunt S. Ambros. apolog. cap. ultim. Valentia Christopolitanus Episcop. Petrus Vega, Sebastianus Gomes, Salmeron tom. 9. tract. 30. et alii. Et vero Christus est vitulus ille saginatus, quem bonus pater dedit filio pœnitenti. Luc. 15. 23. ait enim: *Adducite vitulum saginatum, et occidite, et manducemus, et* 135. Eucharistia est sacrificium iustitiæ.

epulemur. Ubi Glossa interlin. *Christus*, inquit, *est vitulus saginatus, omni spirituali virtute opimus, ut pro totius mundi salute sufficiat*. Neque dicas hic non posse Christum intelligi, cum dicatur in plurali, *Tunc imponent super altare tuum vitulos*. Nam et potest denotari repetitio frequens eiusdem sacrificii, et denotari quod Christus unus æquivalet, imo prævalet omnibus victimis legis veteris.

Ob quinque rationes. Vocatur porro Eucharistia *sacrificium iustitiæ*. Primo, quia Christus, qui est sacerdos et victima, est iustissimus et sanctissimus. Secundo, quia est sacrificium rememorativum Passionis: est autem iustissimum ut id fiat ad excitandam gratitudinem Christianorum. Tertio, quia per illud possumus Deo reddere ad æqualitatem id quod dedit nobis, et beneficia ab eo quotidie accepta quotidie compensare. Quarto, est sacrificium iustitiæ, quia non admittit nisi iustos, et qui se probaverint, et per pœnitentiam se iudicaverint, et sententiæ sacrorum iudicum submiserint. Quinto denique, est sacrificium iustitiæ, quia dat iustitiam et gratiam, per se loquendo secundam, per accidens etiam primam; licet enim sit sacramentum vivorum, tamen etiam mortuos resuscitat, si absque conscientia peccati mortalis suscipiatur. Malach. 3. vers. 3. *Purgabit filios Levi* (Sacerdotes et Levitas ad se conversos, ut habetur Act. 6. 7.) *et colabit* (Chald. expurgabit. Pagn. conflabit. Alii defæcabit) *quasi aurum et quasi argentum* (per charitatem et innocentiam) *et erunt Domino offerentes sacrificia* (Hebr. מנחה *mincha*, seu *minha*, id est sacrificium farreum, nempe Eucharistiæ sub specie panis et vini) *in iustitia*, id est, iuste et sancte. Vel sacrificia in iustitia, id est, sacrificia iustitiæ. Iteratam designans oblationem Eucharistiæ in omni loco et tempore.

136. Eucharistia dat gratiam. Quod Eucharistia det gratiam, docent omnes Patres. Primo, S. Ambros. lib. 1. offic. cap. 48. *Umbra in lege*, inquit, *imago in Evangelio, veritas in cælestibus. Ante agnus offerebatur, offerebatur ut vitulus: nunc Christus offertur, sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem, et offert seipse quasi sacerdos, ut peccata nostra dimittat*. Secundo, S. Martialis Apostolorum discipulus in epistol. ad suos Burdegalenses cap. 3. Quod Iudæi, ait, per invidiam immolaverunt, putantes se nomen eius a terra abolere: nos causa salutis nostræ, in ara sanctificata proponimus, scientes hoc solo remedio nobis vitam præstandam, et mortem effugandam. Tertio, S. August. in Ps. 75. Quotidie, ait, nobis sic immolatur, quasi quotidie nos innovet, qui prima gratia sua nos innovavit. Quarto, S. Gregor. Naz. invectiva in Iulian. Imper. Per incruentum, ait, sacrificium nos Christo unimur, nec non Passionis et Divinitatis eius participes reddimur. Quinto, S. Gregor. Papa lib. 4. dialog. cap. 58. Hæc, inquit, singulariter victima ab æterno interitu animam salvat, quæ illam nobis mortem unigeniti per mysterium reparat: qui licet resurgens a mortuis iam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur: tamen in seipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Eius quippe ibi corpus sumitur, eius caro in populi salutem partitur, eius sanguis non iam in manus infideiium, sed in ora fideiium funditur. Sexto, Concilium Ephesin. primum: Incruentam, ait, celebramus in Ecclesiis sacrificii servitutem. Sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, et sanctificamur, participes sancti corporis, et pretiosi sanguinis Christi, omnium nostrum redemptoris effecti. Septimo, S. Paulinus epist. 5. Ipse Dominus, ait, hostia omnium sacerdotum est, qui semetipsum pro omnium reconciliatione Patri libans, victima sacerdotii sui, et sacerdos suæ victimæ fuit, cuiqua nunc ut uni omnium Domino omnis nova creatura sacrificium: ipsique sunt hostiæ, sacerdotes. Octavo, Euseb. Emissenus homil. 5. de Pascha, seu potius alius auctor illarum homiliarum, quæ eius nomine præferuntur; sive sit S. Eucher. Lugdunensis, sive S. Cæsarius Arelatensis, sive Faustus Episcop. Regiensis; vocat victimam perennem. Algerus Scholasticus Leodiensis, et deinde Cluniacensis monachus, qui celebris fuit circa annum 1130. atque, ut ait Petrus Cluniacensis, et optime, pienissime, perfectissime de Sacramento Eucharistiæ scripsit, lib. 1. de Euchar. Sacram. nuncupat Eucharistiam singularem victimam: *Non solum*, ait, *hac singulari victima peccatorum absolutionem a Deo consequimur, sed et contra tentationes munimur: quia cum perceptione tanti mysterii viderit adversarius ostium nostrum occupatum cælestis fulgore præsentiæ: intelligens locum illum includi per Christum, fugiet ac recedet*: ita Algerus. Tu itaque animam tuam hoc sacro munimine corrobora, ad hunc gratiæ fontem accurre, eius aquis te imple, sic purus eris et super nivem dealbaberis. Hoc si feceris, miserebitur tui Deus secundum magnam misericordiam suam, et tollet a te miseriam tuam. Non est tantum sacrificium iustitiæ, sed etiam misericordiæ: constituit Deus misericordiam suam in medio templi sui, cum Filium suum super altaria in Eucharistia constituit, ut omnium misereatur, et eorum necessitatibus tum corporalibus, tum spiritualibus provideat.

PSALMUS QUINQUAGESIMUS PRIMUS.

1. In finem, intellectus David.
2. Cum venit Doeg Idumæus, et nuntiavit Sauli: Venit David in domum Achimelech.

3. Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?
4. Tota die iniustitiam cogitavit lingua tua: sicut novacula acuta fecisti dolum.
5. Dilexisti malitiam super benignitatem: iniquitatem magis quam loqui æquitatem.
6. Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa.
7. Propterea Deus destruet te in finem: evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo: et radicem tuam de terra viventium.
8. Videbunt iusti, et timebunt, et super eum ridebunt, et dicent:
9. Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum: sed speravit in multitudine divitiarum suarum: et prævaluit in vanitate sua.
10. Ego autem, sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei in æternum, et in sæculum sæculi.
11. Confitebor tibi in sæculum quia fecisti: et expectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.

PSALMI QUINQUAGESIMI PRIMI ANALYSIS.

David audita cæde Achimelechi Pontificis et aliorum sacerdotum per Doegum, describit.

- Calumniam illius
  - Ob durationem et intensionem. 3.
  - Effectum sceleratissimum. 3.
  - Modum eius fabricandæ iniustum. 4.
  - Modum exequendæ præcipitem. 4.
  - Causam efficientem, malitiam. 5.
  - Causam materialem, delationem. 5.
  - Causam formalem, mendacium. 5.
  - Causam finalem, interitum innocentium. 6.
- Et punitionem, qua
  - Evertendum videt instar arboris, quæ
    - Succiditur. 7.
    - Evellitur a terra. 7.
    - E loco suo transfertur. 7.
    - Eradicatur fibris ipsis erutis. 7.
  - Irridetur a sanctis, quod
    - Non speravit in Deo. 8.
    - Sed in divitiarum multitudine. 9.
    - Et inanibus bonis. 9.
- Pietatem vero suam, qua
  - Fructus affert virtutum,
    - Oleæ instar fructiferæ. 10.
    - Et loco optimo consitæ. 10.
  - Ramos extendit ad cælum.
    - Spem scilicet in Dei misericordia. 10.
    - Laudem divinæ potentiæ. 11.
    - Longanimitatem. 11.
    - Charitatem. 11.
    - Contemplationem. 11.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. IN FINEM, INTELLECTUS DAVID.
2. CUM VENIT DOEG IDUMÆUS, ET NUNTIAVIT SAULI: VENIT DAVID IN DOMUM ACHIMELECH.

1. Argum. Psalmi. PSALMI huius argumentum est Doegi, et malitiæ eius detestatio, et prædictio de pœna illi impendente. Ad quod Nota, quod anno regni Saulis 12. mundi 2973. ante Christum 1080. Saul decreverat perdere Davidem generum suum, maritum scilicet Michol filiæ suæ iunioris, quam anno præcedenti illi dederat. Cum lancea sæpius in eum iacta hoc non perfecisset, et Ionathas furorem eius sistere non posset, decrevit David fugere ad Achis Philisthæum, regem Gethæorum. Eo iter faciens transivit per urbem Nobo, ubi erat tabernaculum Mosis, ex eo tempore, quo Philistæi victores arcam ceperant, cæsis Ophni et Phinees, filiis Heli Pontificis: et superato fusoque Iudæorum exercitu, cuius e.ant duces. Translatum autem est tabernaculum in Nobe, et arca in Cariathiarim, monente Samuele, et Dei voluntatem declarante. Venit itaque David ad tabernaculum oraturus, ut sibi Deus in tanto discrimine adesset, et inspiraret, quam viam iniret ad securitatem sui et suorum. Achimelech tunc summus Pontifex panes propositionis (id est, qui intra Sanctum proponebantur in mensa aurea prope altare thymiamatis) ei dedit: et gladium, quem Goliatho ereptum ibi David ipse consecraverat. Tum forte Doeg erat in tabernaculo: qui ea quæ viderat, irato ob Davidis fugam Sauli renuntiavit: eoque iubente, ipsum Achimelech, omnesque sacerdotes in Nobe existentes occidit, et civitatem funditus diruit. Abiathar filius Achimelech fugit solus ad Davidem, cum esset in Ceila: tunc autem Psalmus hic scriptus videtur, cum vehementi indignatione in tantum scelus Doegi.

2: Quis Doeg fuerit? Quæres, quis fuerit ille Doeg Idumæus? Resp. fuisse potentissimum pastorum Saulis regis, ut habetur 1. Reg. 21. 7. id est, præfectum pastorum Saulis, ut est in Chaldæo: non enim ipse pascebat pecora. Græce est, pascens mulas Saul. S. Chrysost. asinas. Rabanus in 1. Reg. 21. camelos. Nihil determinat Vulgata, nec textus Hebræus. S. Hieron. in Commentario Psalmi nostri legit *Doec*, et

A quidem Græce habetur Δωηκ. S. Aug. Aiguan. Haymo, Valentia, legunt *Doegh*, addito h. melius alii *Doeg*, cum g. Nam in textu Hebr. est דואג *Doeg*, et sic vertit S. Hier. in paraphrasi, et significat anxium, sollicitum, curis agitatum, languidum, infirmum, dolore affectum, a Rad. *daag*, anxius fuit, etc. Michael Angelus a S. Romulo vertit etiam piscatorem, a Rad. *dag*, seu *dagha*, piscis. *Idumæus* cognominatur, quia oriundus erat ex Idumæa regione sita inter Iudæam, et Arabiam: nam Reges solent etiam alienigenas assumere ad sui custodiam, ut nunc plerique Helvetios, in Francia etiam Scotos, præsertim ob auxilium præstitum Carolo VII. qui ad extrema redactus eorum ope victor Anglos e Francia expulit, in qua fuerant per ducentos annos circiter. David ipse habuit fortissimas legiones *Cerethi et Phelethi*, quæ erant ex Philistæis collectæ: nam *Cerethim* est certa regio Philistinorum, ut patet 1. Reg. 30. 14. fuerunt autem hæ prætorianæ legiones fidissimæ Davidi; 2. *Idumæus* fortasse dictus est Doeg, non quod ex Idumæa ortus esset, sed quod ibi habitavisset diu: sic- Cur Idumæus vocetur? 1. 2.
B ut Obededom, qui erat Levita, et consequenter Hebræus, et arcam in domum suam recepit tempore Davidis, vocatur Gethæus, 2. Reg. 6. 10. quia in Geth regione Philistæa habitaverat; 3. *Idumæus* Doeg appellari potuit, ut ob odium contra Davidem; erant enim Idumæi hostes infensissimi ac pene perpetui Iudæorum, vel allusione ad Esau fratris sui Iacob hostem, a quo Esau, qui etiam Edom cognominabatur, dicta est Idumæa, vel ob perversitatem morum, quia Idumæi erant pessimi. Sic Isaias cap. 1. 10. Iudæos ob scelera vocat principes Sodomorum, et populum Gomorrhæ. Daniel Propheta cap. 13. 56. duos senes impudicos, et Susannæ innocentis accusatores nuncupat semen Chanaan. Cassiod. et Abul. in 1. Reg. 21. q. 18. non improbabiliter censent fuisse proselytum, ex Idumæo gentili Iudæum. Nam quod ait Iosephus lib. 2. antiqu. cap. 13. fuisse natione Syrum, id me non movet, 3. Non fuit natione Syrus.

cum in aliis multis decipiatur et decipiat: facileque fuerit ut pro אדומי *adomi*, id est, *Idumæus*, legerit ארומי *aromi*, id est, Syrus cum *res* et *daleth* sint litteræ sibi simillimæ. Cur recedemus a Sept. Interpretibus, ab Hebræo textu, et a vulgata, ut homini parum fido hæreamus. Itaque miror a Cornelio in 1. Reg. dici, quod Doeg fuerit natione Syrus, licet non ignorem in ea opinione fuisse Chrysostom. hic, Antiochum monachum in Pandect. et Nicetan in orat. 40. Nazianzeni. Rabbini fingunt, eum fuisse armigerum Saulis, qui se cum eo interfecit in monte Gelboe, 1. Reg. 31. et misisse filium suum ad Davidem, ut nuntiaret Saulis mortem, armillam eius et diadema deferens, ad gratiam eius aucupandam. Sed hæc sunt Rabbinorum solita commenta: nam ille qui nuntiavit Davidi mortem Saulis, dixit se esse Amalacitem.

3. *Psalmi non sunt positi ordine temporis, quo acciderunt in eis scripta.*

Nota, ex titulo Psalmi nostri patet, psalmos non poni eo ordine, quo res, de quibus agunt, acciderunt. Nam peccatum Davidis quod defletur Psalm. præcedenti, contigit anno ætatis Davidis 49. regni eius 19. fuga vero eius in Geth, Doegi accusatio, et sacerdotum occisio, ob quas factus est hic noster psalmus, acciderunt anno ætatis Davidis 24. ante regnum 6. nam rex fuit tribus Iuda solius in Hebron unctus anno ætatis suæ 30. statim post Saulis mortem, qui regnavit annis 18. et anno 12. regni sui sacerdotes occidit, cum eorum Pontifice Achimelech. Itaque ab ea cæde usque ad peccatum Davidis cum Bethsabæa intercesserunt anni 25. Sic etiam tertius psalmus a Davide dictus est, cum fugeret a facie Absalon filii sui, quæ fuga contigit post peccatum eius, quod deflet Ps. 6. et 50. aliisque posterioribus. Absalon enim rebellavit in patrem, cumque ex urbe regia fugere coegit anno regni eius 30. et consequenter ætatis 60. hoc est, post eius peccatum annis 11. post Doegi scelus annis 36. Videbimus etiam postea psalmos varios tempore Saulis regis factos, ut 53. 55. 56. 58. et alios.

Nota secundo, in principio primæ quinquagenæ psalmorum agitur de beatitudine iustorum, in principio huius secundæ quinquagenæ, de pœna impiorum.

4. *Allegor. Doeg est figura Iudæ proditoris.*

Alleg. Christus figuratur in Davide, Iudas proditor in Doego, Iudæi necem Christi urgentes, et Pilatus eum condemnans, in Saule: ita S. August. S. Hilar. Remig. Hugo, Valentia, et alii. Verba S. Hilarii sunt: *Superscriptio psalmi sollicitam expetendæ intelligentiæ postulat diligentiam. Est enim in exordio eius statim positum, in finem intellectus. Historiam non sui temporis psalmus continere ostenditur: cui præscriptio tituli in finem est. Et cum in finem intelligentia sit, non potest in eo alicuius alterius magis rei intelligentia esse quam finis. Finis autem est, ut frequenter ostendimus, quo concluduntur omnia, cuius causa cætera sunt, ad quem universa spei, rerum, negotiorum opera festinant. Intelligentia ergo psalmi in eo consistit, ob quem sunt omnia: extra quem nihil est.* Et postea in voce Achimelech Pontificis vim faciens subdit: *Achimelech, interpretatione verbi, fratris mei imperium significat. Quod enim nobiscum fratris mei imperium dicimus, id Hebræi Achimelech nuncupant. Cum ergo Sauli dicitur: Venit in domum Achimelech; illi inimico David nuntiatur, quod domum ingressus sit fratris imperii. Domus autem imperii fratris quæ sit, Petrus Apostolus docet, dicens 1. Petr. 2. Et vos quasi lapides vivi ædificamini in domos spiritales, ad sacerdotium sanctum. Et infra: Vos autem genus electum, regale sacerdotium, genus sanctum, plebs ad possidendum. In hanc igitur spiritalem domum ædificandi in regale genus sumus: si per spiritalem corporum ædificationem conformes Deo facti genus perfici regale mereamur. Hanc ergo Achimelech domum, id est, domum fraterni regni, David ille verus, sanctus, ac iustus oriens ingressus est: factus scilicet nostri corporis homo. Quæ domus fratris mei regnum est: quia in eiusdem corporis gloria cohæredes sumus regni eius, ipso dicente, Matth. 25. Venite benedicti Patris mei, possidete præparatum vobis regnum a constitutione mundi. Quod autem fratres eius sint, quorum domum regiam fuerit ingressus: per Prophetam testatur in psalmo dicens: Annuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Concessa ergo secundum præcedentem psalmum peccatorum remissione, verbum caro factum habitat in nobis: qui et fratres, et domus spiritalis, et regale genus sumus. Populus autem impius, et parricidalis, et proditor, qui in Doech significatur, regi suo, inimico scilicet David, prodit quod in domo Achimelech sit: et hoc fit cum Pilato traditur, cum homo crucifigendus offertur, cum repudiato rege regem suum Cæsarem confitetur: prodens quidem eum in domo esse Achimelech, sed non intelligens eum in domo esse imperii fraterni, corpus scilicet in quo et Sanctorum Ecclesia, quæ corpus est Christi, conformis conregnabit, ingressum, in qua et desideratum sibi cibum sumpserit. Desiderio enim manducare Pascha desideravit, et ex qua Goliæ, id est, diaboli arma sustulerit. Fortis enim spolia ipse diripuit, post quod ab hoc eodem Doech, id est, populo proditore Apostoli occisi, Ecclesiæ subversæ sunt. Hic ergo titulus Psalmi, in finem intellectus, quia in Christo, qui David oriens iustus rex, et æternus, et pastor est, totius spei nostræ consummatio, et legis finis intelligitur esse: qui et secundum psalmi titulum et ordinem in ea corporis sui domo proditus est, quæ ei fraterni domus significatur esse imperii*: ita Hilarius. Tu te illi fratrem exhibe, et fac ut in te regnet, tunc et ad te veniet, et in te libenter morabitur.

5. *Tropol. Per Doeg figurantur* I. *Impœnitentes.*

Tropolog. Hugo Card. Prius, inquit, Propheta egit de venia pœnitentium, hic autem agit de pœnis impœnitentium, qui gloriantur in malitia, et significantur per Doech Idumæum. *Doech* enim interpretatur *motus;* Idumæus, terrenus: quia tales semper moventur ad terrena, et procurant tradere sanctos morti, sicut Doech sacerdotes Nobe: ita ille; etymon hoc a S. August. sumpsit, sed a qua radice id deducant non scio. *Doech* potest significare contritum, contusum, comminutum, confractum, a Rad. *duch* contundere, etc. unde *medoca*, mortarium; 2. *Doech* est *pauper*, a *dach*, pauper, q. d. Contusus, contritus. Pauper enim, est pulvis sub pedibus ditiorum.

II. *Diabolus.*

Secundo, Arnob. per Doech intelligit diabolum, qui affligit pios in templa ad Deum consulendum fugientes, sicut fecit David in summo suo discrimine. Cum, ait, fugeris gladium principis mundi, et ad altare convolaveris, et mundus panem sanctum assumpseris, non deerit qui te diaboli impulsione affligat, persequatur, detegat. Et quia hoc ipsum non alius nisi diabolus operatur, ipsi diabolo tota verba huius psalmi stans in oratione cantabis, dicens: *Quid gloriaris in malitia*, etc: ita Arnobius.

III. *Quilibet calumniator.*

Tertio, S. Athanas. ad Marcellinum de interpretatione psalmorum, monet, ut si calumniam patiatur quis apud malum regem, videatque calumniatorem insultantem, secedendo recitet cumdem psalmum: prætorea, si cum parvus esset, ante alios delectus sit ad usus fratrum, ut non extollatur contra eos: sed Domino qui elegerit, eam gloriam imputet. S. Thomas monet, primam quinquagenam psalmorum pertinere ad pœnitentes: hanc secundam, ad proficientes.

6. *Anagog.*

Anagog. Psalmus hic declarat pœnam æternam impiorum, et gloriam proborum. Hugo Card. de Antichristo exponit, qui per Doech figuretur, sic enim legit: Dicitur Doech, id est, motus, tam passive quam active. Passive, quia ipse movebitur, id est, cito transibit. Ps. 36. 35. *Vidi impium superexaltatum super cedros Libani: transivi, et ecce non erat.* Active, quia ipse movebit, id est, inquietabit omnes fideles. Et nota, quod psalmus iste principium est secundæ quinquagenæ. Nec sine causa, quia per antithesim respondet principio primæ quinquagenæ, quod est Psalmus ille, *Beatus vir.* In illo enim agitur de Christo, qui est caput omnium bonorum, cuius membra prodierunt ad ortum ante ipsum. In isto autem agitur de Antichristo, qui est caput omnium malorum, et eius membra prodierunt ad ortum ante ipsum. In illo agitur de capite totius miserationis, et ideo prima quinquagena terminatur in psalmo misericordiæ, *Miserere.* In

isto agitur de capite totius perditionis, idcirco quinquagena ista terminatur in psalmo iudicii et damnationis: scilicet, Misericordiam et iudicium cantabo tibi Domine: ita Hugo.

7. Symbol. Symbol. et tropol. S. Hier. Per Saul, inquit, intelligitur, mors, per David vita. Quid est quod mors persequitur vitam, nisi quod ab initio sæculi semper mors persequitur vitam nostram? Quia, qui ista præsentia amant, persequuntur sanctam Ecclesiam, id est, illos qui cæle- A stia diligunt: hæc ipse. Sed fugiamus ad *Abimelech* (sic enim legit S. Hieron. S. August. et alii multi: quia etiam est in textu Græco) id est, ad patrem nostrum regem, nempe ad Deum Patrem: vel potius *ad Achimelech*, ut melius habet Vulgata, Theodotio, Symmachus, et alii, id est, ad fratrem nostrum regem, nempe ad Christum; ut ipse nos doceat, nutriat, et armet, sicut ille Pontifex fecit Davidi. Achimelech melius hic ponitur quam Abimelech.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

TRIA DICIT. PRIMO, DOEGI IDUMÆI CALUMNIAM ESSE INIQUISSIMAM, VERS. 3. SECUNDO, PUNITIONEM ILLIUS FUTURAM MAXIMAM, VERS. 7. TERTIO DENIQUE, IUSTORUM MERCEDEM UBERRIMAM, VERS. 10.

SECTIO PRIMA.

Quatuor exprobrat Doego David. Primo, obstinationem in impietate, de qua gloriatur, vers. 3. Secundo, modum executionis temerarium et malitiosum, vers. 4. Tertio, causam efficientem cædis illius et calumniæ esse malitiam, vers. 5. Quarto denique, causam finalem fuisse ruinam iustorum, vers. 6.

PARAPHRASIS.

3. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?*

3. Cur o Doeg insane, perpetrata tot sacerdotum atque innocentium cæde, velut victor triumphas, tibique applaudis, quod scelerata tua iniquitate ita potens fueris, ut tot strages edere potueris?

4. *Tota die iniustitiam cogitavit lingua tua: sicut novacula acuta fecisti dolum.*

4. Omni vitæ tuæ tempore in hoc intentus fuisti, ut lingua tua scelus perpetrares, et insontes pedicis tuis irretires: Fraude crudeli innoxias sacerdotes decepisti; perinde quasi esses acuta novacula, quæ ad cutem usque pilos omnes abradit nullo relicto, et levissimo manus motu guttur resecat.

5. *Dilexisti malitiam super benignitatem: iniquitatem magis quam loqui æquitatem.*

5. Maluisti crudelitate sævire, quam benignitate ac mansuetudine factum Achimelech bonam in partem interpretari: Mendacio animum Saulis regis exasperare maluisti, quam veritate mitigare.

6. *Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa.*

6. In scelus præceps, dilexisti, tibique delegisti verba, quibus in ruinam extremumque exitium innocentes devolvi possent, o impia et dolosa lingua.

QUÆSTIO UNICA.

QUAM PESTIFERA CALUMNIÆ LUES.

8. Ordo sectionis. DAVID summo dolore perculsus propter occisum Achimelech et alios sacerdotes, in calumniatorem Doegum Idumæum graviter invehitur, et calumniæ durationem, effectum, modum, causam efficientem, materialem, formalem et finalem ostendit.

Primo, durationem, v. 3. *Quid gloriaris in malitia?* Secundo effectum: *Qui potens es in iniquitate.* Tertio, modum machinationis iniquum, v. 4. *Tota die iniustitiam cogitavit lingua tua.* Quarto, modum executionis celerem: *Sicut novacula acuta fecisti dolum.* Quinto, causam efficientem, malitiam, v. 5. *Dilexisti malitiam super benignitatem.* Sexto, causam materialem, delationem: *Loqui.* Septimo, causam formalem, mendacium: *Iniquitatem magis quam loqui æquitatem.* Pro *iniquitatem*, Hebr. Chald. Syr. Arab. habent, *mendacium*. Calumnia autem est mendacium iniquum, seu alteri faciens iniuriam, sive in fama, sive in aliis bonis. Octavo denique, causam finalem, interitum innocentium, v. 6. *Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa.*

ARTICULUS I.

Calumniatoris magna est malitia et potentia ad nocendum.

9. Vers 3. Varietas versionum. DAVID audiens occisos fuisse sacerdotes a Doeg, vehementi dolore et indignatione commotus per interrogationem ex abrupto psalmum incipit, v. 3. QUID GLO- B RIARIS (Hebr. תתהלל *tithallel*, id est, *gloriaberis*. Est enim in futuro. Sed futurum apud Hebræos sæpe usurpatur pro præsenti, quo carent: si præsertim res præsens sit duratura postea) IN MALITIA (Chald. in lingua iniqua) QUI POTENS ES IN INIQUITATE? Occurrit difficultas ex discordia codicum Hebraicorum, Græcorum, et Latinorum. Nam S. Hilarius et S. Augustinus legunt: *Quid gloriatur?* Sed nostræ lectioni, *Quid gloriaris?* favent textus Hebraicus et S. Hieronym. non solum in versione, sed etiam in commentario. Præterea in textu Hebraico et Græco constituitur punctum post vocabulum *potens es*, habetur enim: *Quid gloriaris in malitia, qui potens es?* Sed nostræ lectioni favent S. Hilarius et S. Hieronym. in commentario, quamvis S. August. et Euthymius legant, ut nunc habetur in Hebr. et Græc. textu. Apparet igitur apud veteres fuisse varias interpunctiones. Denique in Hebr. codice habetur, *misericordia Dei*, pro eo quod est in Græco, *iniquitas:* sic enim ad verbum legitur in Hebr. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in misericordia* C *Dei?* Sed vox Hebr. *chesed*, non significat solum misericordiam, sed etiam opprobrium, ut perspicuum est ex Levit. cap. 20. 17. et ex Proverb. cap. 14. 37. Igitur hoc loco non debuisset verti, *misericordia Dei*, sed *opprobrio Dei:* quia occidit Doeg multitudinem sacerdotum, quod in opprobrium Dei redundavit. Septuaginta Interpretes verterunt, *iniquitatem:* quia factum illud Doeg Idumæi iniquissimum fuit: nam ut legitur 1. Reg. 22. nulli alii ausi sunt mittere manus suas in sacerdotes, etiam rege iubente, præter istum Doeg Idumæum, qui tamen omnium optime noverat innocentiam sacerdotum, ut testis oculatus omnium rerum: ita Bellarminus.

10. Sensus varii secundum varietate versionum. Nota, si legas, *Quid gloriaris in malitia, qui potens es misericordia Dei?* sensus erit, q. d. Non decet te gloriari in malitia, cui maxime opposita est Dei misericordia, quæ tuam tibi potentiam et dignitatem dedit. Indignum est, ut Deo tibi multa misericorditer dante, gaudeas et glorieris in aliorum malis? Secundo, si legas cum S. Hier. *Quid gloriaris in malitia potens: misericordia Dei tota die;* cum Pagnino: *Quid iactas te de malitia, o potens: misericordia Dei omni die;* sensus erit, q. d. Non est quod glorieris et iuveniliter exultes ob tuam malitiam, misericordia Dei mecum est tota die, id est, semper: itaque minas tuas et vanas iactationes non vereor. Tertio, si cum Nostro legas: *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* sensus erit, q. d. Non est quod in tua malitia, glorieris, quod potens sis in iniquitate, id est, per iniquitatem, ad iniqua suggerenda Sauli et per te tuosque perpetranda, occidendo Achimelech et sacerdotes octoginta, quinque vestitos Ephod (hoc est veste sacerdotali) cum uxoribus, liberis, et omnibus animalibus. Nam Nocere posse non est potentia, sed impotentia. potentia ad malefaciendum non est potentia, sed impotentia atque imbecillitas, quam habent scorpii et serpentes atque vilissima animalcula: Ita S. Augustinus: *Quid,* ait, *gloriatur in malitia, qui potens est? id est; qui in malitia potens est, quid gloriatur? Opus est potentem esse, sed in bonitate, non in malitia. Aliquid magnum est gloriari in malitia. Ædificare domum paucorum est, destruere multorum. Quivis ignarus potest seminare frumenta, excolere segetem, expectare donec maturescat; sed in eius fructu, in quo laboravit, gaudere paucorum est. Una scintilla omnem segetem incedere quivis potest. Suscipere infantem, natum nutrire, educare, ad iuvenilem ætatem perducere, magnum officium est: occidere vero illum uno puncto temporis quivis potest. Ergo ea quæ ad destructionem fiunt, facillime fiunt. Qui gloriatur, in Domino glorietur. Gloriaris, quia potens es in malo: quid facturus es, o potens? quid facturus es? Multum te iactas, occisurus es hominem? hoc et scorpius, hoc et una febris, hoc et fungus malus. Huccine redacta est omnis potentia tua, ut uno malo fungo coæquetur?* Boetius lib. 4. de consolatione Philosoph. prosa 2. probat, bonis semper adesse potentiam, malos cunctis viribus esse desertos: quia boni, quam volunt, adipiscuntur beatitudinem: mali, ut maxime velint, non assequuntur: sed hi veluti reptando manibus nixi ambulant: illi valentes pedibus incedunt: imo mali, non homines absolute sunt, sed quasi cadavera hominum. Sed Boetium ipsum audiamus: *Considera,* inquit, *quanta sceleratos homines habeat impotentia: neque enim levia aut ludicra præmia petunt, quæ consequi atque obtinere non possunt: sed circa ipsam rerum summam verticemque deficiunt: nec in eo miseris contigit effectus, quod solum dies noctesque moliuntur. In qua re bonorum vires eminent. Sicut enim eum qui pedibus incedens ad eum locum usque pervenire potuisset, quo nihil ulterius pervium faceret incessus ambulanti, potentissimum esse censeres: ita eum qui expetendorum finem, quo nihil ultra est, apprehendit, potentissimum necesse esse iudices, ex quo fit quod huic obiacet: ut iidem scelesti viribus omnibus videantur esse deserti. Cur enim relicta virtute vitia sectantur? inscitiane bonorum? sed quid enervatius ignorantiæ cæcitate? an sectanda noverunt, sed transversos eos libido præcipitat? sed quia intemperantia fragiles sunt, qui obluctari vitio nequeunt. An scientes volentesque bonum deserunt, et ad vitia deflectuntur? sed hoc modo non solum potentes esse, sed omnino esse desinunt. Nam qui communem omnium quæ sunt finem relinquunt, pariter quoque esse desinunt. Quod quidem cuipiam mirum forte videatur: ut malos, qui plures hominum sunt, eosdem non dicamus: sed ita sese res habet. Nam qui mali sunt, eos malos esse non abnuo, sed eosdem esse pure atque simpliciter nego. Nam uti cadaver hominem mortuum dixeris, simpliciter vero hominem appellare non possis: ita vitiosos malos quidem esse concesserim, sed esse absolute nequeam confiteri. Est enim, quod ordinem retinet servatque naturam. Quod vero ab hac deficit, esse etiam quod in sui natura situm est, derelinquit. Sed possunt inquies mali. Ne ego quidem negaverim: sed hæc quidem eorum potentia non a viribus, sed ab imbecillitate descendit. Possunt enim mala quæ minime valerent, si in bonorum efficientia manere potuissent. Quæ possibilitas eos evidentius nihil posse demonstrat.* Hæc Boetius: et patet, quia Deus qui potentissimus est, peccare non potest. Plato in Gorgia dicit, tyrannis minimam esse in civitate potentiam.

11. Impii nihil sunt.

12. Gloriari in peccato maius est scelus, quam peccatum ipsum admissum. Quæres, an sit maius peccatum gloriari in suo peccato, quam peccatum admittere? Resp. affirmative. Primo, quia hoc denotat affectum magis corruptum et adhærentem peccato. Secundo, quia pauciora sunt quæ excusent, ut passio, præcipitatio, inconsiderantia quæ sæpe sunt in ipso peccati actu: qui vero gloriatur in scelere, ex mera malitia id facit. Tertio, quia iudicium indicat magis corruptum, quod non videat malignitatem et deformitatem peccati. Quarto, quia maiorem habet perseverandi voluntatem. Quinto, quia impudens est. Sexto denique, quia scandalum est et ruina proximi, cum scelus, quod contumeliosum est, ideoque vitatur, gloriosum quis conatur reddere, ut plures ad illud currant.

13. Gloriari in malitia stultum est. Ex his sequitur, stultum esse gloriari in malitia. Hugo Card. *Hæc est,* ait, *magna dementia: sicut si avis gloriaretur in laqueo, aut piscis in hamo quo captus est. Eccl.* 9. *Sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves comprehenduntur laqueo, sic capiuntur homines in tempore malo.* Peccatum enim est hamus, quo capiuntur homines. Habac. 1. *Facies homines quasi pisces maris.* Et post de diabolo subdit: *Totum in hamo sublevavit:* ita Hugo. Adde quod ait S. Hieron. Nihil adeo displicet Deo, sicut cervix erecta post peccatum.

14. Calumniator est potens in iniquitate, et fera immanis. Moraliter. Calumniator est potens in iniquitate. Auctor Ecclesiastici dicit linguæ nequam iugum esse ferreum, et vinculum æreum, atque addit, cap. 28.27. *Qui relinquunt Deum* (Syr. timorem Dei) *incident in illam, et exardebit in illis, et non extinguetur: et immittetur in illos quasi leo, et quasi pardus lædet* (Syr. lacerabit) *illos.* Athenagoras in legatione pro Christianis dicit, calumniari et detrahere, esse σαρκων απτεσθαι ανθρωπινων, carnes devorare humanas. S. Chrysost. in illud Ps. 13. *Qui devorant plebem meam sicut escam panis,* feritatem maledici tetriorem facit immanibus belluis. 1. Est hominum venator. Feræ, inquit, cum carnem humanam gustaverunt, ταχεως παυονται, την αηθη τροφην αισχυνομενα, mox cessant, propter insuetum nutrimentum erubescentes. Improbi autem, et βασκανοι, invidi, δι ολου καθισθιοντες ταις λοιδοριαις τον πιστον ου κορεννυνται, fidelem perpetuo maledictis excedentes, non satiantur: ita Chrysostomus. 2. Est lupus. Dat lupinam faciem calumniæ Zenobius, centuria 3. Proverb. 2. Λυκος, ait, ο ηρως, προς τοις εν Αθηναιοις δικαστηριοις ιδρυτο του θηριου μορφην εχων, ενθα οι δωροδοκουντες και συκοφανται κατα δεκα γινομενοι συνεστρεφοντο: Lyci genii statua Athenis *lupi forma* iuxta iudicia posita erat, ubi sycophantæ muneribus corruptibiles numero decem versabantur, et pendebant quotidie triobolum. 3. Est Cynocephalus. Cynocephalo calumniam iure comparaveris, de illo ait Agatharcides: Cynocephalus hominis corpus caninam habet faciem, stridorem muris: animal omnino ferum, quod nunquam cicuratur. Demochares nepos Demosthenis, calumniatores vocabat δυσμενιδας, id est, omnibus exosos, velut humani generis hostes, sicut ait Ælian. lib. 3. cap. 7.

15. Calumniator est dæmon. Secundo, calumniator non est tantum rabida fera, sed dæmon. S. Antioch. homil. 40. Δεινον, inquit, συκοφαντιας παθος, μαλλον δε και διαβολικον: *Gravis et molesta est calumniæ affectio, seu verius diabolica.* Hugo Card. in cap. 25. Proverb. Susurrones, inquit, detractores Deo odibiles, ipsi proprie *advocati diaboli sunt.* Ut quod viribus non possunt, id versutia obtineant. S. Chrysost. in Ps. 110. vocat detractionem, *turbulentum dæmonem.* Et in cap. 6. Proverb. *Detractor,* inquit, *est coquus diaboli:* qui scilicet, velut in venas animæ, veneni omne virus diffundat. Calumnia autem detractionis genus est inquinatissimum et nequissimum: addit enim mendacium malignitati. Græci

διαβολον a calumniandi usu nuncuparunt. Calumniator linguam suam dæmoni immolat, similis illis Indis, qui in montana provincia Nagrakut, idolo quod vocant Matta, particulas linguæ suæ præcisas immolant, ut habetur in historia imperii Mogolis et veræ Indiæ.

16. Armatur ferro et facibus. Tertio, dæmon ille, seu furia, ferro ac tædis ardentibus armatur, et omnia ubique vastat. S. Valerianus Episcop. Cemeliensis hom. 5. *Facilius*, ait, *si necesse est, quilibet potest ferre armatas ferro acies, et instructas rebus bellicis legiones: quis autem sustinere possit labiorum tela infixa pectoribus?* Clemens Alex. lib. 1. Strom. Qui, ait, mala utuntur oratione, nihil differunt ab iis, qui malo facto utuntur: ἡ δε διαβολη, ξιφους διακονος, και λυπην εμποιει βλασφημια: *Calumnia enim est ministra gladii, et affert dolorem maledictum.* Thalassius monachus Hecontade, id est, centuria, 3. Καταλαλος, inquit, ψυχη τριβολον εχει γλωσσαν, obtrectatricis animæ lingua, hasta est tricuspis: nam et seipsam, et audientem, quandoque eum cui obloquitur, lædit. Ierem. 9. 8. *Sagitta vulnerans lingua eorum.* Itaque eminus ferit. Ps. 56. 5. *Dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus.* Vide ibi dicta. Anacreon vocat φιλολοιδοροιο γλωσσης βελεμνα κουφα, calumniatricis linguæ tela velocia.

17. Atque serpentibus. Quarto, non ferro tantum et facibus, sed colubris quoque incincta est hæc furia, quam iure quis descripserit similem Alecto, de qua seminatrice calumniarum et seditionum contra Æneam in Italiam adventantem, fabulatur Virgil. lib. 7. Æneid. ubi sic canit:

Luctificam Alecto dirarum ab sede sororum,
Infernisque ciet tenebris: cui tristia bella,
Iræque, insidiæque, et crimina noxia cordi.
Odit et ipse pater Pluton, odere sorores
Tartareæ monstrum, tot sese vertit in ora
Tam sæva facies, tot pullulat atra colubris.

Hos colubros, eorumque venenum, et sibi reservat, et

18. Lingua calumniatoris est plena veneno. aliis infundit calumnia. Est enim inexhaustus venenatorum verborum fons. S. Petr. Damiani, serm. 73. Hoc virus, inquit, non solum eos a quibus oritur, lethaliter inficit, sed eos etiam in quos infunditur perniciosa tabe corrumpit. Cælius lib. 15. cap. 23. Nonne, ait, quidam homines ad venena nascuntur? Qui cum *velut scorpionis ictu* optimum quemque lancinarint, ac fistulato vulnere, ut Hieronymi utar verbis, viam aperuerint: mox latius veneni pestiferam vim fundunt. Atra hominum, ut Plinius inquit, ceu serpentium, lingua vibrat, tabesque animi contractata omnia adurit, culpantium omnia, ac dirarum alitum modo tenebris quoque, et ipsarum noctium quieti invidentium gemitu: quæ sola vox eorum est, ut inauspicatarum animantium vice, obvii quoque vetent agere, aut prodesse vitæ. Nec tamen ullum aliud abominati spiritus præmium novere, quam odisse omnia. Nil vero facilius, Apuleius inquit, quam linguæ rabies et vilitas morum, altera ex aliorum contemptu, altera ex sui: huc usque Cælius. Omni veneno funestior est lingua impiorum. S. Valerian. homil. 5. iam citata: *Falluntur profecto*, ait, *qui putant, nihil esse fortius, nihil veneno violentius: quamvis autem ista in perficiendis mortibus habeant peculiare naturæ beneficium, cedunt tamen in contentione verborum. Nihil enim est tam noxium, aut malitiosum, quod non viribus suis minus sit; si se incitata semel lingua commoverit.* Calumniator iure comparabitur serpenti illi Africæ, de quo Gregoras lib. 7. εχιδνη παρομοιον, ος πολυν επιχομενος ψαμμον, μονον ανεωγμενον εξω που της ψαμμου στομα μετα της γλωττης, qui Viperæ non absimilis multa arena obrutus ore et lingua tantum exerta, prætereuntes inexspectato mulctat interitu. Ælian. lib. 1. de animal. dicit, Pastinacam piscem marinum, statim ut aliquem radio suo pupugit, eum interficere, neque ullam tam præsenti veneno esse medicinam.

19. Calumniator multos occidit. Quinto denique, calumnia non uni tantum, sed pluribus, mortem infert: ut patuit in Doeg, qui falso insimulans Achimelech, velut regi Saulí contrarium, et Davidi faventem, totam urbem Nobe et sacerdotes eius perdidit. Themistius orat. 3. Calumnia, inquit, ubique permolesta est, και πολεμοποιος, rixasque et contentiones provocat ubique, quocumque se insinuaverit, et cum patre filium, fratrem cum fratre committit, a qua illa est de Hyppolyto tragœdia excitata: ita ipse. Unde sapienter concludit: Obstruendus igitur illi est, atque incredulitate prohibendus aditus, ισχυρον εν ακοαις οικοδομησαμενους το φυλακτηριον, valida in auribus nostris arce constructa, ut procul illius impetus arceantur. Folio deinde 84. et 85. ait, eos qui illi fores aperiunt, esse ανοητους, id est, stultos. Calumniæ vehemens et periculosum esse vulnus docet auctor Eccli. 28. 21. *Flagelli plaga livorem facit: plaga autem linguæ commovet ossa.* Hoc considerans S. Petr. Damiani serm. 73. ait: Ecce lingua ossa non habet, et ossa comminuit; quia cum ipsa per ventosa verba leviter effluit, fortia atque robusta virtutis nostræ facta corrumpit. Nam cum mors et vita sit in manu linguæ, valde cavendum est vitium, quod et manu ad feriendum uti dicitur, unde inaniter loquentis vita trucidetur. Unde non immerito idem qui supra sapiens dicit: *Multi ceciderunt in ore gladii, sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam*: ita ipse. Neque semel inflicta plaga facile sanatur. Plutarch. de adulatoris et amici discrimine: Medius ait, chori adulatorum, qui Alexandrum cingebat veluti princeps, et sophistarum summus præstantissimis impositus, *iubebat suos audacter calumnias iacere*, illisque mordere alios: docens, et si admorsus ulcus sanarit, tamen *calumniæ cicatricem* mansuram.

ARTICULUS II.

Calumniator malitiosus est in cogitando, et præceps in exequendo ea, quæ contra proximum cogitavit.

Duo hæc attingit David v. 4. Doegum semper alloquens: 20.
TOTA DIE INIUSTITIAM (Chald. obmurmurationem. Vers. 4.
Hebr. הוות *havot*, hoc est, pravitates: ita Felix; 2. 1. Pars.
contritiones: ita Pagn. 3. insidias: ita S. Hier. 4. perniciem: ita Campensis) COGITAVIT (Hebr. cogitabit) LINGUA TUA: SICUT NOVACULA ACUTA FECISTI DOLUM. Dices, non est proprium linguæ sed cordis cogitare. Resp. Cur calumniator dicitur cogitare lingua? I.
primo, linguam poni pro corde: ita S. Hieron. et Chald. qui vertit: Obmurmurationem cogitabis in corde tuo.

Secundo, calumniator dicitur cogitare lingua, q. d. Non II. cogitat corde, est præceps ad loquendum: ita S. Hier. Remig. Hugo S. Hilarius, qui sic ait: *Quomodo recte a Propheta dictum intelligitur, linguam iniustitiam cogitare, cum cogitatio ex rationali sensu animæ viventis ineatur: lingua vero, non ad naturam rationis ineundæ, sed ad ministerium naturæ sit rationabilis instituta? Sed dicti eius perfecti et prophetici auctoritatem et alius Propheta demonstrat, dicens: In ore stultorum cor eorum est: quia nihil ex rationis consilio tractantes, et cordis meditatione pendentes, temerario tantum motu linguæ inconsultæ res fortuitas et inconditas eloquantur. Atque ideo in ore stultorum, cor eorum est: quia non quod cogitaverint, loquentur: sed, quod locuti fuerint, cogitabunt. Et hoc quidem de lingua stulti. At vero de lingua sapientis ita legimus, Prov. 10. Lingua intelligentis meditabitur sapientiam. Et rursum Ps. 44. 2. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Quia intelligentis lingua ex meditatione sapientiæ fit. Et eadem rursum tamquam calamus scribentis, nihil incompositum, nihil incertum agat: sed his quæ aut cogitata aut lecta fuerint, obtemperans celeriter ex ratione consilii obsecundet:* ita Hilarius.

Tertio denique, et melius, lingua calumniatoris dicitur III. cogitare iniustitiam: quia, diu multumque cogitatam effundit, cum tempus opportunum videt ad nocendum. Poetice tribuitur cogitatio linguæ sicut meditatio, Ps. 34. 28. et 36. 30. et intellectus datur manibus, Ps. 77. 72. Talem linguam merito compares caudæ scorpionis semper intentæ ad vulnerandum. Plin. lib. 11. cap. 25. *Semper cauda in ictu est: nulloque momento meditari cessat, ne quando* Lingua calumniatoris confertur caudæ scorpionis.

desit occasioni. Et hoc notabile est, quod idem auctor dicit, virginibus lethalem semper esse ictum scorpionis, et fœminis fere in totum. Calumniatoris vulnus inflictum virginibus et fœminis, quarum virginitatem aut castitatem aggreditur, vix sanari potest; restat enim semper aliqua suspicio.

21. Calumniator est iniustus. Nota, calumniator iniustus est: quia contra veritatem detrahit famæ alterius, et sæpe necis eius est causa. Lucianus de calumnia, sic ait: Αδικος ο τοιουτος, και παρανομος εστι, και ασεβης, και χρωμενοις επιζημιος: *Iniustus est calumniator, et sceleratus, et impius, et eo utentibus noxius.* Ac postea dicit, calumniam esse, εσχατην αδικιαν, *summam iniustitiam.* Semper autem iniustitiam retinet in lingua, ut citius lædat. Constantinus Magnus in Epist. ad populum Alexandrin. quam refert S Athanasius in apolog. 2. ad Constantinum, graviter reprehendit Arrianos, qui ipsum fictis mendaciis accusabant: Οι μωροι, ait, επι της γλωττης κειμενην εχουσι την κακιαν. Stulti illi in lingua sua sitam habent malitiam, και μολυβδινας οργας, et plumbeas iras secum ita circumferunt, ut seipsos mutuis vicibus feriant, et nos secum ad auctarium sui supplicii abstrahant.

22. Calumniator facile illi vitio assuescit. Nota secundo, cum permittitur malitia venire ad linguam, signum est maioris corruptionis. S. Chrysost. in Ps. nostr. Qui, ait, in improbitate potens est, impias cogitationes in lingua sua gestat: qui autem in vitio inferior est, licet minime puras cogitationes habeat, eas tamen occultat, atque quantum potest, in seipso extinguere atque delere conatur: ita ipse. Sed tum demum corruptio totalis est, cum *tota die* lingua malitiam versat et cogitat seu coagitat. Syr. vertit, *quotidie.* Symmach. κατ'εκαστην ημεραν, per singulos dies. Hebr. significare possunt, *ex omni die, et tota die.* S. Hier. explicat, tota vita. Qui enim semel calumniæ assuevit, vix sibi unquam temperat. Valeria cum dentibus nata. Valeria quædam *cum dentibus nata* exitio fuit civitati ad quam deportata est: noluit enim Roma sapientiæ thronus et scientiarum delubrum, id monstri suis visceribus claudere, ut ait Plin. lib. 7. cap. 16. In pueris reprimenda est maledicentia, nisi familias et urbes perditas velimus.

23. Vers. 4. 2. Pars. Quod autem ad executionem spectat, de lingua calumniatrice dicitur: SICUT NOVACULA ACUTA FECISTI DOLUM. Chald. *Verba detractionis;* 2. susurrationis; 3. proditionis, ut vertit Elias in Methurgeman; 4. calumniæ. Hæc enim omnia significat Chaldæa vox, *malsinutha*, a Rad. לשון *liscian*, id est, lingua, sermo. Totus versus sic redditur: *Ob murmurationem cogitabis in corde tuo: lingua tua, sicut novacula acuta, verba facit detractionis.* Hebræa vox רמיה *remia*, significat primo proiectionem, iaculationem, sagittationem. Secundo, fraudem, dolum. Calumniator est instar arcus dolosi. Fraudulentus calumniator est instar arcus dolosi et occulti, qui inter densas frondes ex insidiis semper tela iaculatur, a rad. *rama* proiicere, iaculari, decipere, fraudare. Alludit ad רום *rum*, id est elevare, extollere. Qui excelsi sunt et elevati divitiis et honoribus, sicut Doeg, licitas sibi putant calumnias et contumelias in afflictos et miseros, easque frequenter in ore habent, fiuntque potentes in iniquitate. Qui putant cum Iosepho Doegum fuisse natione Syrum, possunt hic notare paronomasiam seu allusionem inter *remia*, id est, dolum, et *arami*, id est, Syrum. Dolosi autem erant Syri et perfidi.

24. Calumniæ et novaculæ tria parallela. Nota secundo, *novacula* sumitur aliquando pro quovis cultro etiam non rasorio, ut apud Columell. lib. ult. cap. 45. proprie tamen est culter rasorius, inde sic dictus, quod pilos abradendo faciem novare, id est, novam quodammodo et iuniorem facere videatur. Tria autem præsertim parallela calumniæ et novaculæ considera, 1. quod expedite incidat; 2. quod veluti blandiens et assentans; 3. denique, quod superflua tantum resecet.

1. Omnia abradit. Ac primo, ut ait Iansenius, quomodo novacula acuta, sua acutie omnes simul pilos deradit: ita et tuis fraudibus circumventos usque ad omnimodam perditionem adegisti. Ubi adverte, quod aliqui populi barbam tantum radebant reservatis capillis capitis, alii sinciput tantum, alii tantum occiput, alii sinistram partem capitis, alii totum caput præter verticem: sed calumniæ novacula nihil relinquit. De illis ritibus utile et iucundum erit audire Alexandrum ab Alexandro lib. 5. Genialium dierum, cap. 18. Apud Romanos, ait, ab urbe condita ad annum 454. iuvenes pariter ac senes intonsos fuisse liquet. Sed postquam Publius Licinius e Sicilia tonsores adduxit Romam, ludo ut iuvenes rasitarent *barbam, capillumque* tonderent, ad annum quadragesimum institutum mansit: post eum vero non licebat. Primus enim, qui *barbam quotidie* rasitaret, Africanus traditur: deinde Augustus: quod servis vilioribus erat inhibitum, qui intonsa barba et capillo hirto fuere. Fuitque animadversum, ante Hadrianum Cæsarem Imperatores barbam sæpe rasitavisse. Ipse enim ex Cæsaribus primus promissa barba incessit et capillo. Commodus Imp. cum nulli tonsori crederet, sicut Alexander Pheræus et Dionysius, sibi ipse candente carbone iuglandium putaminibus barbam adurebat, qui etiam fucato capillo cum ramentis aureis incessit. Quod de Lucio Vero et Gallieno Imp. traditum est, qui auri scobem crinibus aspersere. Arabes, Abantes, et Mysii, ne in conflictu belli hostibus præda forent, *anteriorem capillum* rasitarunt: qui etiam pucilarem capillum in rotundum tondebant, tempora subradentes. Ferunt Curetas et Ætolos pariter, cum a fronte essent capillati, et crinibus ab hostibus raperentur, frontem abrasisse, et ab occipite cæsariem nutrisse. Quod de Alexandro Macedone proditum est, qui barbam militibus radi iussit, ne hostili prædæ ansam darent. Ferunt quoque Machlyes nativa consuetudine occiput crinitum gestare: sicut Auses *anteriorem capitis partem.* Contra Lycurgus Spartanos milites promisso capillo et comatos esse voluit, licet more Laconico *barbam* ad cutem rasitarent: illos propterea aut venustiores, aut visu terribiliores esse arbitratus: apud eos enim populares a cæsarie noscitabantur. Quod Mauris et Britannis in more fuit, ut cincinnis ornati essent rutilis comis, et tam composito capillo, ut in incessu vix se contingi paterentur, omni corporis parte abrasa, præter caput et labrum. Lycii comam tanti fecerunt, ut ne crines tonderent, æra pœnæ nomine Mausolo regi Cariæ solvere non dubitarent. Argivi cum antea criniti essent, victi a Lacedæmoniis, amissis Tyriis, deplorandæ calamitatis causa capillos totonderunt, voventes se non resumpturos, nisi Tyrias recepissent: sicut Sybari a Crotoniatis direpta, universi Milesii capita diraserunt, et ingentem luctum ediderunt. Maxies vero *dextram capitis partem comatam gerunt, sinistram radunt.* Lusitani autem comas tondere nefas ducunt, itaque illas diffundunt ut fœminæ. Idem et Galli comati, quibus plurimus capillus erat, æque maribus et fœminis inde nomine imposito. Indi capillum pectunt sæpius quam tondent, barba semper intonsa. Agatyrsi cæruleo fucantur capillo: Arabes quoque intonsi fuere, barba solum abrasa. Auctores habeo, Scythas et Parthos, quo maiorem terrorem incutiant, quoque subita et improvisa formidine hostes magis afficiant, hirsutis crinibus fuisse. Idem apud Germanos Cattosque, quibus rufus erat crinis, coactus in nodum: qui etiam duxere nefas barbam capillumque tondere, aut alio cultu esse nisi hostis caput ex acie retulissent: quamvis tradatur Parthorum esse, capillum effundere, Germanorum iungere, Scytharum spargere. Ægyptiis vero flava coma despectui erat, et lege cautum, ne quis eam ferret, quod ea Typhonus fuisse dicebatur, sicut Agrigentini cæruleum colorem interdixerunt, quod eo Phalaridis satellites usi sunt. Apud Svevos usurpatum est, horrentem capillum ligare in summo, ut hostibus terrori sint, vel retro flectere. Dacæ cum *caput radant totum.* in summo vertice cirrum crescere sinunt. Contra Riphæi, nam mulieres pariter et viri *detonso sunt vertice,* et capillo deraso, ita ut glabri videantur: sicut Myconii omnes calvitio laborant, æque ut in Cauno omnes lienosi. Non sic in Ægypto, ubi raro calvitium fuit. Produnt auctores, Atheniensium vetustissimos capillis colligendis cicadas aureas annectere, ut eo argumento autochthones, hoc est, primos et sine origine se probarent.

Varii variarum nationum tondendi modi.

Caius vero Cæsar comatos tanto despectui habuit, ut quoties occurrerent, *occipitio raso* deturparet: ita Alexander: ubi vides hos unam, alios aliam capitis partem totondisse: sed calumniæ novacula abradit omnia, et iura naturæ pervadit, non fratri, non uxori, non filiis parcit. Primo enim Aristobulus Iudæorum rex calumniatoribus credens Antigonum fratrem interfecit. Colomannus Hungariæ rex fratrem Almum cum filio Bela excæcari iussit, ut refert Bonfinius in histor. Hung. Secundo, Herodes Ascalonita Iudææ rex Mariamnem uxorem suam, Alexandrum et Aristobulum filios cum amicorum optimis trucidavit, ut ait Iosephus in antiq. Iud. Tertio denique, Constantinus Magnus filium suum Crispum ætate florentem et forma corporis dotibusque animi ornatissimum, occidi imperavit, nimis credens Faustæ uxoris suæ nefariæ calumniis, ut habet Baronius in Annalibus.

25. Blanditur iis quibus se applicat. Secundo, novacula lenis est, et veluti blanditur iis quibus se applicat, calumniæ et detractionis id proprium ut aduletur, antequam feriat. Ps. 54. 22. *Molliti sunt sermones eius super oleum, et ipsi sunt iacula.* Vide illum locum. Sed ut a novacula non recedas, audi S. Chrysost. hic: Qui in improbitate, ait, potens est, tamquam novacula acuta dolum facit, ut qui mollibus quidem verbis eum, cui insidiæ parantur, in fraudem inducat, clam autem in ipsius perniciem incumbat: quod etiam Doeg Syrus faciebat: ita ipse. Credibile enim est Doegum Davidi regis Saulis genero in civitatem Nobe venienti assentatum esse, et Achimelecho Pontifici, cuius precibus sanitatem sperabat, multa pollicitum; postea tamen eos apud Saulem accusavit quasi in ipsius perniciem simul conspirassent. Caino etiam iure calumniatores comparaveris qui blandis pollicitationibus amicitiam mentiuntur, et incautos ad varia illectant, quibus capiantur. S. Chrysost. in Ps. 49. *Cain,* inquit, *unum fratrem sublatum præsenti vita expulit: hi autem innumerabiles, per ea qua maledicunt, deiiciunt, et seipsos primos.* S. Hilarius in Ps. nostr. *Novacula,* inquit, *ad nitorem vultus acuitur, ut abradens hirsutam atque horrentem barbam faciem læviget. Hæc si potius vulneret, dolum fecit: quippe cum preparata ad ornatum, ministerium suum præbuerit ad vulnus, lingua hæc ergo huius* (Doech) *in malitia potentis iniquitatem cogitans, dolum fecit: id est, quam natura ad eloquendas rationabiles cogitationes consulti cordis præparaverat, ipsa potius irrationabiles cogitat iniquitates.* Iurisconsultorum quæstio est D. ad L. Aquiliam, cui sit imputanda culpa quod tonsore novacula barbam alicuius radente, pila forte in novaculam coniecta effecit, ut gulam hominis secaret: sed nemini dubium, quin calumniator sit puniendus: nam dolum facit, sed voluntarium: et non uni tantum sed multis gulam frangit. Eccli. 28. 22. *Multi ceciderunt in ore* (acie) *gladii: sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam.* Græcus et Syr. textus non habet τὸ *suam.* Et Cornelius *suam* explicat, se impetentem, sibi detrahentem, sibi insidiantem et machinantem necem, sui æmulam et antagonistam: puta invidam, maledicam, et maleficam. Pergit idem auctor Eccli. v. 23. *Beatus est, qui tectus est a lingua nequam, qui in iracundiam illius non transivit. Iugum enim illius iugum ferreum est: et vinculum illius, vinculum æreum est: Mors illius, mors nequissima* (Tigur. mors dira) *et utilis potius infernus quam illa.*

26. Res tantum externas radit. Tertio denique, novacula res tantum externas abradit, corpori autem non nocet, sed caput alleviat, et sanitatem affert, ablato pondere capillorum: ita invidus, detractor, calumniator ad animam non pertingit, sed extrinseca tantum bona lædit. S. August. hoc loco: *Sicut novacula acuta fecisti dolum. Ecce quid faciunt sanctis mali, capillos radunt. Quid est quod dixi? Si tales cives Ierusalem qui audiant vocem Domini sui, regis sui dicentis: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. Qui audiant vocem, quæ modo ex Evangelio Matth.* 16. 26. *recitata est: Quid prodest homini, si totum mundum lucretur, se autem ipsum perdat, et detrimentum sibi faciat: contemnunt omnia præsentia bona, insuper et ipsam vitam. Et quid factura est novacula Doech, homini meditanti in hac terra regnum cælorum, et futuro in regnum cælorum, habenti secum Deum, et permansuro cum Deo? Quid est factura illa novacula? Capillos rasura, calvum factura est. Et hoc ad Christum pertinet, qui in loco Calvariæ crucifixus est. Facit et filium Core, quod interpretatur calvitium. Nam isti capilli, superflua rerum temporalium significant. Qui quidem capilli non superflue facti sunt a Deo in corpore hominum, sed ad aliquod ornamentum: tamen, quia sine sensu præciduntur: illi qui adhærent corde Deo, sic habent ista terrena tamquam capillos. Sed aliquando et aliquid boni de capillis operandum est, quando frangis panem esurienti, egenum sine tecto inducis in domum tuam: si videris nudum, vestis. Postremo etiam, ipsi martyres imitantes Dominum, sanguinem pro Ecclesia fundentes, audientes vocem illam, Ioan. 3. Sicut Christus animam suam pro nobis posuit, sic et nos debemus pro fratribus animas ponere: quodammodo de capillis suis bene nobis fecerunt: id est de his rebus, quas potest amputare vel radere illa novacula. Quia ergo et de ipsis capillis boni aliquid fieri potest, significavit et illa mulier peccatrix, quæ cum flevisset super pedes Domini, capillis suis tersit, quos lacrymis rigavit: significans, quia cum misertus fueris alicuius, debes et sustinere si potes. Cum enim misereris, tamquam lacrymas fundis: cum subvenis, capillis tergis. Et si hoc cuicumque, quanto magis pedibus Domini? qui sunt pedes Domini? Evangelistæ sancti, de quibus dictum est Isa. 55. Quam speciosi sunt pedes eorum, qui annuntiant pacem, qui annuntiant bona. Ergo acuat novaculam suam Doech, acuat dolum quantum potest, ablaturus est superflua temporalia, numquid necessaria sempiterna?* ita Augustin. quem sequuntur Beda, Cassiod. Bruno Herbipolensis, et Aignanus, qui addit: De ista novacula persecutionis dicitur, Isaiæ 7. In die illa radet Dominus in novacula acuta caput, et pilos pedum, et barbam universam, quod facere dicitur Dominus, quia hoc facere malos permittit. Per caput enim, quod est principale in exteriori homine, intelligitur mens, quæ in interiori homine principatur. Per barbam autem, quæ sexum distinguit exterius, accipe extrinsecum hominis corpus. Sed per pilos pedum, intelligo infimas temporalium curas. Ista ergo persecutionis novacula radit caput, dum malas cogitationes a mente resecat. Radit barbam, dum carnales refrænat tentationes. Radit pilos pedum, dum infimas temporalium resecat curas. Quæ omnia iustos renovant, et eis ad utilitatem proficiunt. Ex quo apparet, quod cogitationes malorum contra iustos iniustæ et vanæ dicuntur: quia fine carent intento: ita Aiguanus. Græcorum est proverbium, ξυρὸς εἰς ἀκόνην, *novacula in cotem;* cum quis eum lædere molitur, qui se est fortior, et a quo gravius læditur. Hoc in iustos quadrat; nam patientia sua efficiunt, ut ab improbis non lædantur, et in aggressores dedecus, dolor, et pœna resiliat. Tullius ait lib. 1. de Divinatione: Cotem in comitium allatam, inspectante et rege Tarquinio prisco et populo, novacula esse discissam. Id fecisse fertur Accius Navius augur, sed patientia Martyrum et Sanctorum nec frangitur, nec dividitur: animam suam illi possident in patientia, et eam ipsis eripere nemo potest.

ARTICULUS III.

Causa efficiens, formalis, et finalis calumniæ.

PRIMO, malitia est causa eius efficiens, v. 5. DILEXISTI MALITIAM SUPER BENIGNITATEM, (id est, plusquam benignitatem. Apollin. et Petav. εὐεργεσίαν, beneficentiam. Hebr. טוב *tob,* id est, bonum. S. Hieron. et Pagnin. clare, dilexisti malum, magis quam bonum) INIQUITATEM, Hebr. et Chald. mendacium MAGIS, QUAM LOQUI ÆQUITATEM; S. Telesphorus et S. Marcellus in epistolis legunt, mendacium magis quam loqui iustitiam; ita etiam S. Hier. et Pagninus: nam Hebr. est צדק *tsedek,* id est iustitiam. Dices, Doeg non est mentitus, cum dixit Sauli, Venit Da- 27. Vers. 5. 1. Pars. Quomodo mentitus sit Doeg?

vid in domum Achimelech. Resp. primo Bellarminus, mendacium fuisse in illis verbis, iuxta intentionem dicentis, et audientium: ipse enim significare voluit, Achimelech fuisse socium coniurationis David, et in eo sensu accepta sunt verba eius a rege Saul. Secundo et melius, multa alia cum addidisse, colligitur ex hoc psalmo, iisque Saulem ira iam inflammatum magis accendisse ut illi placeret. Non arbitror tamen cum Rabbinis, Doegum antea fuisse inimicum Davidis, et egisse apud Saulem antea, ut in aulam evocaretur ad psallendum coram Saule, et sic ab eo furente occideretur, de qua re vide Rupertum 2. Reg. 1. Lyranum, et Abulensem.

28. An possimus amare malum? Quæres, an possit diligi malum magis quam bonum? Respond. quod malum per se diligi et intendi non potest, sed tantum sub ratione boni. Unde S. Thom. 1. p. q. 49. artic. 1. et 12. q. 75. art. 1. et in 2. dist. 1. q. 1. art. 1. docet malum non habere causam, nisi per accidens: scilicet aut bonum deficiens, aut agens malum præter intentionem. Dices, ergo nemo potest diligere malitiam, et peccare ex malitia. Resp. diligere malitiam materialiter sumptam et sub ratione boni: peccare autem ex malitia eos, qui ex certa scientia peccatum eligunt. S. Thom. 12. q. 78. art. 1. Homo, inquit, sicut et quælibet alia res naturaliter habet appetitum boni: unde, quod ad malum eius appetitus declinet, contingit ex aliqua corruptione, seu inordinatione in aliquo principiorum hominis: sic enim in actionibus rerum naturalium peccatum invenitur: principia autem humanorum actuum sunt intellectus et appetitus tam rationalis, qui dicitur voluntas, quam sensitivus. Peccatum igitur in humanis actibus contingit quandoque sicut ex defectu intellectus: puta, cum aliquis per ignorantiam peccat: et ex defectu appetitus sensitivi: sicut, cum aliquis ex passione peccat. Ita etiam ex defectu voluntatis, qui est inordinatio ipsius. Est autem voluntas inordinata, quando minus bonum magis amat. Consequens autem est, ut aliquis eligat pati detrimentum in bono minus amato, ad hoc quod potiatur bono magis amato: sicut cum homo vult pati abscissionem membri etiam scienter, ut conservet vitam, quam magis amat. Ita per hunc modum, quando aliqua inordinata voluntas aliquod bonum temporale plus amat (puta divitias vel voluptatem) quam ordinem rationis, vel legis divinæ, vel charitatem Dei, vel aliquid huiusmodi, sequitur quod velit dispendium pati in aliquo spiritualium bonorum, ut potiatur aliquo temporali bono. Nihil autem est aliud malum, quam privatio alicuius boni: et secundum hoc aliquis scienter vult aliquod malum spirituale, quod est malum simpliciter, per quod bonum spirituale privatur, ut bono temporali potiatur. Unde dicitur, ex certa malitia vel industria peccare, quasi scienter malum eligens. Ita S. Thomas, qui artic. 2. docet, peccantes ex habitu, peccare ex certa malitia, art. 3. autem ostendit, non semper qui peccant ex certa malitia, peccare ex habitu, ut patet in peccato angelorum.

29. Ex malitia peccans, gravius peccat. Nota, qui ex malitia peccat, gravius peccat, quam qui ex passione. Primo, quia peccatum est magis voluntarium. Secundo, quia est diuturnius. Tertio denique, quia est circa finem: peccatum autem ex passione est circa ea quæ sunt ad finem, id est, circa media, ut docetur 12. q. 47. artic. 2. et q. 48. art. 4. et 22. q. 73. art. 3. Triplici infortunio urgeri naturam humanam dicit Boethius: nempe, quod velit malum, quod possit, quod faciat. Sed malorum et infortunii cumulus est, cum id ex determinata voluntate et malitia vult et facit.

30. Calumnia est mera malitia. Moraliter, Calumnia est mera malitia. Unde recte David ait de Doeg calumniatore: *Dilexisti malitiam.* Isocrates in oration. de rerum permutation. Διαβολῆς, ait, οὐδὲν κακουργότερον, *calumnia nihil est malitiosius.* S. Ephrem docet, calumniam frequenter strui ex invidia: invidia autem est lethale virus serpentis. Invidorum oculi suffusione infesta oppleti venustam virtutis faciem non intuentur, sed pro monstris habent omnia: quodquo sua sibi malitia effinxerunt, hoc per calumniam temere effundunt,

A similes sepiæ atramento, cuius tanta vis est, ut ait Plin. lib. 32. cap. 10. ut in lucerna addito *Æthiopas videri*, ablato priore lumine, Anaxilaus tradat. Fertur quoque in Smyrnæ templo speculum fuisse, quod venustissimas etiam formas admodum deformes et aspectu terribiles oculis exhiberet. Quid S. Athanasio amabilius et sanctius? potuerunt tamen calumniatores Arriani illum Constantino Magno tetrum horrendumque depingere, veluti salutis publicæ perturbatorem, rebellem, stupratorem, magum: sicque optimum principem permovere, ut exilii sententiam in sanctissimum virum ferret, sicut refert Baronius in Annal. tom. 3. Quid sacratius primitivæ Ecclesiæ Christianis? Imperatoribus tamen depingebantur, velut venefici, infanticidæ, divinitatis omnis osores, ac prorsus athei, sicut docent Athenagoras, Minutius, Felix, Lactantius, Arnob. Tertullian. et alii. Adeo oculis imposuit calumnia. Stoici vero dicunt, omnem virum bonum esse, ἀδιάβολον, calumniæ omnis expertem.

B Secundo, decipiuntur improbi, qui malitiam ponunt super benignitatem: id est, qui præferunt malitiam bonitati. Hoc enim est contra naturam, ut S. August. admonet: *Iniquitatem magis quam loqui æquitatem. Ante te est æquitas, ante te est iniquitas. Unam linguam habes, quo vis eam vertis. Quare ergo potius ad iniquitatem, et non ad æquitatem? Cibos amaritudinis non das ventri tuo, et cibos iniquitatis das linguæ tuæ malignæ? Sicut eligis quo vescaris, sic elige quod loquaris. Præponis ergo iniquitatem æquitati, et præponis malitiam benignitati. Tu quidem præponis, sed supra esse quid potest nisi benignitas et æquitas? Sed tu imponendo te quodammodo super ea quæ necesse est ut deorsum eant, non illa facies esse supra bona, sed tu cum eis mergeris in mala. Propter hoc sequitur in psalmo: Dilexisti omnia verba submersionis.* Alleg. S. Hilarius explicat de populo Iudaico, qui dilexit magis iniquitatem quam iustitiam: id est, quam Christum, qui est nostra iustitia: non quidem formalis, sed causalis: quia scilicet est causa nostræ iustificationis, C sed non est forma nos iustificans: sicut est nostra sapientia causaliter, non formaliter: non enim sapientes sumus per sapientiam, quæ animo Christi inhæret: sed per eam quæ in nostro recipitur velut in suo subiecto. 31. Contra naturam est præponere malitiam virtuti.

Secundo, causa formalis calumniæ est mendacium malitiose crimen imponens. Nam, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 68. artic. 3. calumnia est falsa et malitiosa impositio criminis. Lucian. lib. de calumnia non temere credenda dicit: calumniam esse *delationem ementitam.* Describit porro eam ferali succinctam agmine, et stricto gladio optima quæque demetentem. Μηχανήματα, inquit, ἡ ἀπάτη, ψεῦδος, ἐπιορκία, etc. Calumniatoris arma et machinæ sunt fallacia, mendacium, periurium, supplicium, impudentia: innumeræ denique imposturæ, ac malitiosæ cautiones. Omnium maxime præsens, et longe efficacissima assentatio, calumniæ cognata, imo soror. Quippe, nemo hominum tam generoso est pectore, καὶ ἀδαμάντινον τεῖχος ψυχῆς προβεβλημένος, *etiam adamantino muro animo circumcinctus, qui calumnia assentatorum non vincatur.* Hæc fores D recti iudicii, seu fundamenta suffodit ac subruit. Intus coniurati cum hostibus proditores, irruentes adiuvant, manus porrigunt, portas aperiunt, et modis omnibus conituntur, ut auscultatorem calumnia sibi servum faciat. Sunt autem proditores, de quibus dico, novandi cupiditas quæ hominum animis est insita, præsentium fastidium, sequax eorum animus, quorum admiratione capitur: ita Lucianus. Quam porro stragem fieri necesse est, ubi nemo repugnat, nemo vim tormentorum sustinet, nemo iaculis quidquam opponit: sed sponte pectus nudat, et lethale ferrum ridens et gratias agens haurit. Nulla virtus aut sanctitas fugere potest calumniæ vesaniam. Minos crudelitatis famam, nec Hyppocrates incensæ bibliothecæ, nec Phidias lasciviæ, nec Socrates atheismi, nec virgines Vestales impuritatis, nec Martyres impietatis ovitare potuerunt, ut Plutarchus in Pericle, Suidas, Xiphilinus in Domitiano, Baronius, et alii tradunt. Ipse Chri- 32. Causa formalis calumniæ est mendacium malitiosum.

stus vocatus est potator, mendax, vorax, prohibens daro tributa Cæsari, gentis subversor, turbarum seductor, dæmoniacus, Samaritanus, et blasphemus. David itaque iure arguit Doegum, quod iniquitatem, id est, mendacium, ut est in Hebr. et Chald. amaverit magis quam æquitatem.

Ut ab hac peste tibi caveas, mendacium fuge. S. Isidorus Pelusiota lib. 5. ep. 40. 1. *Lubens volensque veritatem honorans malim vinci, quam mendax vincere. Vera etenim narrans, etsi vinci videar, vinco. Solo autem malo superans, tametsi vicisse videar, victus abeo.*

33. Vers. 6. Varietas versionum. Tertio denique, causa finalis calumniæ exprimitur, vers. 6. DILEXISTI OMNIA VERBA PRÆCIPITATIONIS, LINGUA DOLOSA. Nunc in Græco textu, apud S. Chrysostom. Theodoret. S. Hilar. et S. August. legitur, *linguam dolosam*. Sic erit appositio, q. d. Dilexisti verba præcipitationis, quæ sunt lingua dolosa; 2. S. Hieron. licet in sua versione habeat, *linguam dolosam*, tamen in suo commentario legit, *in lingua dolosa;* 3. Campensis vertit in vocativo, *O lingua fraudulenta*, et hic explicandi modus videtur optimus. Vide paraphrasim. Hugo Cardin. recte notat esse emphaticam locutionem, quod linguosus et dolosus dicatur, *lingua dolosa*, sicut dicitur: Davus est ipsum scelus: sic garrulum vocamus, ipsam garrulitatem: mendacem, mendacium: et ita de cæteris.

Sensus huius versiculi. Sensus est, q. d. Omnia tua verba, o Doeg loquax et dolose, fuerunt verba præcipitationis, id est, primo præcipitantia Saulem ad decernendam cædem Achimelech Pontificis et sacerdotum, sine ullo adhibito iudicio. Secundo, præcipitantia teipsum et satellites tuos ad tantum scelus patrandum. Tertio denique, præcipitantia Pontificem, sacerdotes, uxores eorum ac liberos in ruinam.

Nota, pro *præcipitationis*, quæ sumi potest vel e rupe excelsove loco, vel in foveam, vel in mare, Græce est καταποντισμου, id est, *submersionis*, ut reddit S. Augustinus. Alii legunt, καταποτισμου, hoc est, absorptionis, devorationis, deglutionis, quod est Hebræo conformius. Secundo enim Hebr. habetur בלע *bala*, hoc est, devorationis, absorptionis: unde S. Hieronym. roddit, Dilexisti omnia verba ad devorandum; 2. perditionis, corruptionis, dissipationis, præcipitationis: hinc Pagninus habet, Dilexisti omnia verba dissipationis. Camp. exponit, Amasti omnis generis imposturas, ut illis subvertas innoxios. Item, amas omnes sermones perniciosos; 3. absconsionis, occultationis, ut aliqui vertunt, teste R. David, q. d. Dilexisti verba fraudis, et doli: quia fraudulento ac dolose loquens cor suum abscondit, et dolos suos, atque in tenebris se tutum putat. Tertio, Chald. est סלעמותא *salhamutha*, id est, absorptionis, devorationis, consumptionis, perditionis. Hinc *salham* vocant Chaldæi speciem locustæ, Levit. 11. 22.

34. Moraliter. Calumnia est verbum Primo, præcipitationis. Secundo, devorationis. Tertio, submersionis.

Calumnia est verbum: I. Præcipitationis. Primo, S. Chrysost. hom. 2. de Prophetarum obscuritate, γλωσσα, inquit, οξυρροπον κακον, *lingua est velocissimum malum.* Et speciatim agens de calumnia, dicit: κατηγοριας ουτε χαλεπωτερα ουτε ευκολωτερα, εστιν αμαρτια, *maledicentia neque gravius, neque facilius, atque proclivius est peccatum.* S. Petr. Damiani serm 73. tribuit linguæ vanifluam verbositatem et procacitatem, quæ fræno vix coerceri possit. Sapienter autem et graviter, præcipitem in maledicendo et calumniando linguam sic reprehendit: *Parcitur pharetræ, ut ex ea sagitta leviter non exeat: non parcitur linguæ, ut mordax in quemlibet verbum, velut ictum vulneris, non infligat.* Et postea titillationem illam linguæ iure scabiem vocat. Scabiosa, ait, lingua, quæ velut scabiem quamdam, atque pruritum patitur, nisi semper acuta quodammodo supervacuæ locutionis unguo scalpatur.

Hæc maledicendi præcipitatio sæpe præcipitium est primo loquenti. Ecclæ. 10. 12. *Labia insipientis præcipitabunt* (Hebr. devorabunt. Syr. maculabunt. Arab. impedient. Camp. subvertent. Caietan. destruent. Olympiodor. demergent) *eum.* Secundo, audienti. Tertio, illi de quo est sermo. Calumnia torrens est, et seipsum ex alta rupe præcipitans, et alios secum in præceps devolvens: nulli parcens, non amicis, non sodalibus, non ipsis parentibus. Iosephus lib. 1. de bello Iud. cap. 3. πασαν, inquit, ευνοιαν και φυσιν κοπτει διαβολη: *Omnem benevolentiam naturæ eius calumnia excindit: nullaque optimarum affectionum tantum valet, ut invidiæ perpetuo possit obsistere.* Apelles summum in discrimen adductus ob proditionis calumniam, ubi evasit, in tabella depinxit calumniam cum suis asseclis furiis. Lucian. lib. de calumnia non temere credenda, illam tabellam nobis ob oculos ponit: *Ad dexteram*, inquit, *sedet quispiam auribus prælongis insignis, quales fere illæ Midæ feruntur. Manum porrigit procul accedenti calumniæ. Circumstant eum mulierculæ duæ, ignorantia, ni fallor, ac suspicio. Adit aliunde propera calumnia*, γυναιον εις υπερβολην πανταλον, υποθερμον δε και παρακεκινημενον, οιον δη λυτταν και οργην δεικνυουσα, *eximie compta, vultu ipso et gestu corporis efferam rabiem, et iram æstuanti conceptam pectore præ se ferens*, τη μεν αριστερα δαδα καιομενην εχουσα: *sinistra facem tenens flammivomam; dextera vero, secum adolescentem capillis prehensum, manus ad superos tendentem, obtestantemque deorum immortalium fidem, rapit. Anteit vir pallidus in speciem impurus, acie oculorum minime hebeti; cæterum, plane iis similis, qui sontico aliquo morbo contabuerunt. Hunc facile coniicias livorem esse. Quin et mulierculæ aliquot calumniam sequuntur comites, quarum est munus dominam hortari, instruere, comere: interpres picturæ aiebat, insidias et fallaciam esse. A tergo lugubri habitu, pullata laceraque pœnitentia subsequitur, quæ capite in tergum deflexo, cum lacrymis et pudore procul venientem veritatem excipit.* Hac tabella Apelles casus suos descripsit, hos et quotidiana hominum malignitas nobis repræsentat. Quot enim sunt, quibus hæc una prope cura est, ut alios fictis fraudibus irretiant? Ammian. Marcellin. lib. 14. Paulo cuidam, qui plurimos variis mirisque fraudibus apud Constantinum Imper. calumniabatur, vulgo ait nomen inditum *catenæ;* quod in complicandis delationibus nodos necteret insolubiles. Nunc catenæ, compedes, claustra ferrea calumniæ multos implicant.

Secundo, calumnia est *verbum devorationis.* Primo 35.
enim calumniator seipsum vorat. Isaiæ 9. 20. *Unusquisque* II.
carnem brachii sui vorabit. Secundo, alios. Ps. 123. 2. Devorationis.
Cum exurgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos. Vide illum locum. S. Aug. murmurationem seu susurrationem, et maledicentiam occultam lepræ voraci comparat: *Sicut lepra*, inquit, *corpus proprium devorat, et sibi adhærentes inficit: sic et murmurator non solum seipsum destruit, sed etiam cunctos audientes inficit ac perimit.* Non parcit intima amicitia, familiaritate, affinitate et consanguinitate sibi coniunctis, carnem brachii sui vorat, id est, filios, fratres, affines, cognatos, conceives, et quoslibet proximos: unde Isaias loco citato subdit: *Manasses Ephraim* (supple vorabit) *et Ephraim Manassen;* erant duo fratres, qui duas Tribus constituerant. Sensus est, q. d. Una Tribus aliam vorabit, id est, perdet atque consumet.

Tertio denique, calumnia est *verbum submersionis.* Pri- 36.
mo, calumniatorem ipsum demergendo. Nam omnis pec- III.
cator in huius mundi pelago naufragium facit. S. Hilar. Submer-
in psal. nostr. Omnis, ait, anima infidelis, in sæculi huius sionis.
tamquam maris profundo naufraga, incerto motu vagoque differtur, et diversarum cupiditatum æstu mobilis fluctuat, potestate diaboli sæculum incolentis illisa, et nulla ad resistendum obnitendumquo ei subiectæ sodalitatis firmitate consistit; ex quo facile est, incentivis circumagentium cupiditatum pendulam vagamque iactari. Quod autem sæculi huius motus atque fluctus undantis maris sit æstibus comparatus, qui dominantis sit diaboli incolatus, secundum propheticam et allegoricam intelligentiam Ps. 103. sub corporali tamen creaturarum significatione demonstrat: *Hoc mare magnum et spatiosum, illic serpentes, quorum non est numerus. Animalia pusilla et magna, illic naves pertransibunt. Draco iste quem forma-*

sti ad illudendum ei. Et rursum in Ps. 68. *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me:* ita Hilarius. Secundo, calumnia alios demergit et in abyssum infamiæ et paupertatis deiicit: hi quoque clamare possunt, tempestas demersit me.

37. *Remedia contra calumnias.* Remedia tria tibi selige. Primo, contra *verbum præcipitationis*, habe timorem et amorem Dei, cui linguam tuam consecrasti in Eucharistiæ perceptione. S. Chrysost. in Ps. 140. *Cogita apud te*, inquit, *linguam tuam esse membrum, per quod summa veneratione dignum sacrificium suscipimus. Sciunt fideles, quod dicitur: et ideo oportet id esse liberum ab omni maledicto, verbo obscœno, et calumnia.* Animus Christiani est consecratus calix, divinis usibus deputatus: lingua, est sacer canalis, per quem Deus in cor nostrum delabitur: caveamus nobis a sordibus et veneno. Secundo, contra *verbum devorationis* idem sanctus Doctor tibi remedium suggerit; nempe, linguam prurientem, et ad maledicendum incitatam mordere dentibus, et sic compescere. Verba eius sunt, concion. 4. de Lazaro, ubi agens de lingua blasphema (idem dic de calumniatrice) hoc præcipit contra eos qui dicunt, ex consuetudine sibi accidere, ut scelerata verba proferant: *Cum hæc lingua rapietur, priusquam verbum effuderit, κατα-ρακε τοις οδουσιν αυτην παντοθεν σφοδρως, commorde illam undique dentibus acriter. Præstat illam nunc fluere sanguine, quam tunc concupiscere guttam, nec impetrare posse refrigerium. Præstat illam temporarium ferre dolorem, quam nunc perenniter et immortaliter malis cruciari: quemadmodum divitis illius lingua ardore æstuans nullum impetravit refrigerium.* Tertio denique, contra *verbum submersionis*, remedium dat S. August. nempe lignum crucis, cui inhærens mergi non potest: *Eripe te*, inquit, *si potes, a submersione. Naufragium fugis, et plumbum* (id est, peccatum, quod est omni plumbo gravius) *amplecteris. Si non vis mergi, tabulam apprehende, ligno portare, crux te perducat. Nunc ergo quia Doech es Idumæus, motus et terrenus, quid facis? Dilexisti omnia verba submersionis.* Ita Augustin. qui interpretatur Doech, motum: Idumæum vero, terrenum. Terra ista est insula fluctuans, quales in Belgio reperiuntur prope Audomarim. Christus vero, dat suis terram solidam atque immobilem, et fluctuantes ligno crucis alligatos stabilit: adeo ut læti calumnias, veluti rosas, sinu inconcusso suscipiant, sicut S. Iuniperus, S. Francisci socius, et S. Ignatius Fundator Societatis Iesu, cui hæc virtus est valde necessaria in pene quotidianis malevolorum insultibus.

SECTIO SECUNDA.

38. *Duo asserit. Primo, impios exscindendos esse instar excelsæ arboris quæ evertitur, vers. 7. Secundo, ipsos fore iustorum ludibrium, vers. 8.*

PARAPHRASIS.

7. *Propterea Deus destruet te in finem: evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo: et radicem tuam de terra viventium.*

7. Quod verbis in ruinam innocentes præcipitantibus usus fueris, Deus in perpetuum succidet ac perdet te: firmis te divitiarum, honoris, amicorumque et parentum radicibus nixum fundatumque evellet, atque e domo tua extorrem ignotas in terras expellet; filios tuos in oculis tuis ex hac vita eripiet, gloriamque tuam ac divitias extirpabit.

8. *Videbunt iusti, et timebunt, et super eum ridebunt, et dicent:*

8. Iustissimum calumniatoris Doegi exitium videbunt omnes, qui iustitiam servant: et timore concussi verebuntur, ne eadem aut pari ruina obvolvantur.

9. *Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum: Sed speravit in multitudine divitiarum suarum: et prævaluit in vanitate sua.*

9. Sed ubi animum collegerint, ridebunt ob stultos impii conatus elusos, et dicent: Aspice homuncionem istum, qui in divino auxilio spes suas non reposuit. Sed omnem fiduciam suam in opum suarum multitudine collocavit: atque inanibus terræ bonis præturgidus, se supra bonos extulit, iisque prævaluit.

QUÆSTIO UNICA.

Quam gravi pœna calumniatores Deus punit.

39. *Ordo sectionis.* David declarata Doegi malitia, qui eum apud Saulem accusarat, et Pontificem Achimelech atque sacerdotes occiderat, ipsius punitionem declarat arboris succidendæ et in ignem mittendæ comparatione.

Primo enim, instar arboris succidetur ac deiicietur, v. 7. *Propterea Deus destruet te.* Secundo, truncus arboris post præcisionem superstes evelletur: *Evellet te.* Tertio, transferetur tum arbor, tum ipse truncus residuus, ab eo loco in quo virebant: *Et emigrabit te de tabernaculo tuo.* Quarto, radices reliquæ in terra remanentes usque ad ultimas fibras eruentur: *Et radicem tuam de terra viventium.* Quinto denique, viatores soliti oculos suos viriditate recreare, umbra et fructibus eius frui, magnitudinem et molem demirari, eius ruinam: 1. *Videbunt;* 2. ob eam, *timebunt;* 3. peccata cernentes punita, *ridebunt;* 4. insultabunt illi verbis. Primo, quod in Deo non speraverit: *Et dicent*, v. 9. *Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum.* Secundo, quod in ramis suis, foliis, fructibus et radice ac trunco spem suam fixerit: *Sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et prævaluit in vanitate sua.*

ARTICULUS UNICUS.

Calumniator punitur in se, et in liberis suis.

Gravis punitio Doegi ponitur, ac prophetice prædicitur, vers. 7. Propterea (propter verba præcipitationis, 40. *Vers. 7.*
et alia tua scelera) Deus destruet te (Hebr. יתצך *itatsecha*, id est, confringet te, conteret; 2. extirpabit: ita Campens. 3. subvertet, ut idem vertit; destruet, ut Noster; S. Hieron. et alii, demolietur, diruet) in finem (Hebr. לנצח *lanetsach*, id est, in sæculum: ita Pagn. 2. in sempiternum: ita S. Hier. in æternum: ita Felix et Flamin. 3. funditus: ita Camp. 4. in finem: ita Sept. et Noster, aliique) evellet te (S. Hieron. *terrebit te:* deduxit vocem *iatecha*, a radice חתת *chatat*, id est, terrere. Sept. a חתה *chata*, id est, capere, carpere, evellere) et emigrabit te (id est, migrare faciet. Verba neutra in scriptura sæpe sumuntur pro activis; 2. etiam active usurpantur *migro* apud Gellium lib. 2. cap. 29. et apud Tullium lib. 3. officiorum) de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium, id est, de hac terra, in qua vivimus. Hic sensus est maxime litteralis; 2. de terra promissionis, nempe de Iudæa, quæ est terra viventium, id est, fidelium et iustorum qui vivunt vita gratiæ, et in qua

Deus vivus et verus colitur. Hic sensus est mysticus; 3. de cælo, ubi erit vita sine morte, et sic prædiceretur æterna damnatio Doegi. Hic sensus est anagogicus. Sed vix credo id fuisse Davidi revelatum. Nota, licet in Scriptura hæc omnia contigisse non legamus, pro certo tamen hæc accidisse dubitare non possumus: cum hic sit prophetia non imprecatio, licet S. Hilarius aliqua vertat in optativo: nempe, evellat, emigret.

41. *Christus destruet Antichristum.* Tropol. hæc explicari possunt Primo de Antichristo: ita Cassiodor. Bruno, Herbipol. et Hugo, qui sic ait: Deus destruet te in finem, licet te permittat ante finem regnare. De destructione eius, Isaiæ 11. 4. *Spiritu labiorum suorum interficiet impium.* 2. Thessalon. 2. 8. *Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui.* Evellet te de tabernaculo tuo, id est, de gloria vana in qua es ad tempus, sicut homo ad tempus est in tabernaculo. Evellet autem tollendo felicitatem. Et emigrabit, inferendo pœnam et miseriam, radicem tuam, id est, ministros tuos, de terra viventium, in qua nihil habebunt possessionis.

Et quemlibet peccatorem. Secundo, de quolibet peccatore quatuor notat in isto versiculo Aignanus. Primo, quod a Deo finaliter dividitur: *Propterea Deus destruet te in finem.* Secundo, a mundo temporaliter evellitur, *et evellet te.* Tertio, a viris iustis secernitur, *et emigrabit de tabernaculo tuo.* Quarto, a beatis æternaliter excluditur, *et radicem tuam te terra viventium.* De primo, S. Greg. in illud Iob cap. 12. 14. *Si destruxerit, nemo est qui ædificet,* dicit lib. 11. Moral. cap. 5. *Omnipotens Deus humanum cor destruit, cum relinquit: ædificat, dum replet. Neque enim humanam mentem debellando destruit, sed recedendo: quia ad perditionem suam sufficit sibi dimissa. Unde plerumque fit, ut, cum audientis cor exigentibus culpis omnipotentis Dei gratia non repletur, incassum exterius a prædicatore moneatur: quia mutum est os omne quod loquitur, si iste interius in corde non clamet, qui aspirat verba quæ audiuntur. Hinc Propheta ait Psal.* 126. 1. *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam:* ita Gregorius. Summa miseria hominis est finali gratia privari, et in ea vitam non terminare. Sic morientibus quadrat illud Ps. 27. 5. *Destrues illos, et non ædificabis eos.* De secundo, nempe de evulsione a mundo et eius divitiis et dignitatibus, habes illud Iob 19. 10. *Tamquam evulsæ arboris abstulit spem meam.* Et 2. Reg. 23. 6. *Prævaricatores quasi spinæ evellentur universi, ignique succensæ comburentur.* De tertio, nempe de separatione a iustis affert illud Matth. 25. 32. *Segregat oves ab hædis;* cap. 3. 12. dixerat, *ventilabrum esse in manu Dei, quo separet granum a paleis, ut illud congreget in horreum, et paleas comburat igni inextinguibili.* De quarto denique, nempe quod eradicabitur de terra viventium, id est, e cælo, profero illud Sophon. 2. 4. *Gaza destructa erit, et Ascalon in desertum, Azotum in meridie eiicient, et Accaron eradicabitur.* Accaron significat eradicationem, et symbolum est omnis impii, qui est plantatio quam non plantavit pater cælestis: ideo eradicabitur.

Quæres, quænam est radix, qua plantamur in terra viventium, cique hærentes fructum cælestem ferimus? Resp. esse charitatem. S. August. hic: *Et radicem tuam de terra viventium. Ergo in terra viventium nos debemus habere radicem. Radix nostra ibi sit. In occulto est radix. Fructus videri possunt, radix videri non potest. Radix nostra, charitas nostra: fructus nostri opera nostra. Opus est, ut opera tua de charitate procedant: tunc est radix tua in terra viventium. Inde eradicabitur iste Doech, nec omnino poterit ibi permanere; quia nec altius ibi fixit radicem. Sed quomodo illa semina in petra etsi radicem emittunt, tamen quia humorem non habent, sole orto continuo arescunt. At vero illi qui altius figunt radicem, quid audiunt ab Apostolo? Ephes.* 3. *Flecto genua mea pro vobis ad patrem Domini nostri Iesu Christi, ut sitis in charitate radicati et fundati. Et quia ibi iam radix, ut possitis, inquit, comprehendere quæ sit altitudo, latitudo, longitudo, et profundum. Scire etiam supereminentem scientiam charitatis Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Talibus fructibus digna est tanta radix, tam simplex, tam germinans in germina, tam alta, et fundata, et profunda*

42. *Sed præcipue calumniatorem.* Tertio denique, et aptissime de calumniatore locus hic exponi debet: talis enim fuit Doeg. Deus autem calumniatorem punit. Primo, eum destruendo. Secundo, evellendo. Tertio, eiiciendo e suo tabernaculo. Quarto, eradicando.

Ac primo, destruit eum: id est, eius famam et gloriam, illum reddendo infamem, qui ad tam vile vitium se abiiciat. Cresolius noster lib. 4. Mystag. cap. 25. Omnium, inquit, gentium litteræ calumniam ita pingunt, et coloribus suis adumbrant, ut nihil videatur esse contemptius, nihil peius. *Variæ elogia calumniæ.* Quid enim calumnia? *importunum vacui culicis murmur,* ait S. Paulinus epist. 1. *cinædorum susurrus,* inquit Synesius epist. 44. Putat enim esse ignavissimum hominum genus, qui de vita moribusque aliorum detrahunt, et calumniantur: et quoddam inesse illis fatum, ut ad cynædorum gregem adscribantur. Sed gravissime eodem in loco id prænuntiat: non esse ullos mores, ουτω θεομισεις, adeo execrabiles Deo, quam eorum qui rumores fictos comminiscuntur, et disseminant, ad labefactandam alienam dignitatem, nomenque minuendum. Diceret Pindarus *vulpium gannitum.* Ode enim 2. Pythic. stroph. 4. ait calumniarum αποφατιας, sublocutores, qui dolose ac improbe aliorum famam et auctoritatem lædunt, esse ατενης αλωπεκων ικελους, moribus impense vulpium similes. Vocarent alii *caninam facundiam.* Impudentium enim et detrahentium symbolum est canis, ut Pierius Valerianus auctor est. Quod divinis etiam oraculis probari potest, in quibus huiusmodi homines *canini* vocantur. Nam 1. lib. Reg. ubi de Nabale, homine vecordi et contumelioso dicitur, Erat pessimus et malitiosus, Septuaginta vertunt, malignus in studiis, et homo *caninus.* S. Chrysostomus nuncuparet, *muscarum bombum.* Detrahentes enim de aliis vocat μυιας, muscas, quæ vulneribus insideant, et mordeant; quos fraterna charitate monendos iubet, et ni desistant aliis obtrectare, palam esse nominandos muscas, ut infami hoc nomine a vitio deterreantur. Quin et idem sanctissimus Pater in Ps. 49. fœtentium *scarabæorum sonitum* appellare videtur, qui fimeto atque stercoribus semper os litum habent. Sic enim monet: *Nec stercus ore tuleris, sicut scarabæi,* (id enim faciunt, qui maledicunt) *sed flores, sicut apes, favosque ut illæ composueris, sisque omnibus comis et affabilis.* Subdit, Omnes enim aversantur maledicum, ut eum qui lutum redoleat: ut hirudinem, quæ sanguine, ut scarabæum, qui stercore, alienis scilicet malis, alatur. Alias in Psal. 110. dicit, *Garritum Satanæ,* ubi detractorem vocat, ακαταστατον δαιμονιον, *turbulentum dæmonem,* qui nunquam pacatum hominem efficiat: et exponit eloquenter, quæ et quanta mala a detractione oriantur, quam ea de causa διαβολικην, *diabolicam* nominat, a principe et parente suo nactam nomen. Quare hinc concludit, eum qui detractioni studet, δουλευειν τω διαβολω, servire dæmoni: hæc Cresolius. Calumniatores nuncupat Themistius orat. 4. εσμον τινα κηφηνων κεκεντρωμενων, examen quoddam fucorum, œstro furoris instinctorum. Et orat. 16. morbum appellat maximum, χαλεπωτερον, ait, νοσημα της αρχης, *periculosior ac molestior est imperii morbus, subiectos esse atque obedientes calumniatoribus, quam barbaris. Sicut morbi interiores sunt exterioribus periculosiores.* Hæc considera, et cum Propheta nostro exclama, *Quid gloriaris in malitia?* Si enim ita vilis est calumnia, non est causa gloriationis, sed confusionis.

43. *Calumniatoris pœna.* Fronti calumniatorum litteram suæ fraudis indicem olim ex lege Remnia inuri solitam notissimum est: unde illi minus integræ frontis esse dicebantur lib. 13. quæsitum. ff. de testibus. Secundo, oculis orbatus est Stesichorus Lyricus, cum scripsisset Helenæ vituperium, recepit vero visum, postquam recantasset, edito encomio illius, ut refert Hesychius Milesius, cognomento Illustrius, in tractat. de Philosophia. Tertio, dentes calumniatori sunt

exscindendi Ps. 3. 8. *Dentes peccatorum contrivisti.* Vide ibi dicta. Hoc fiebat in porcis, qui apud Salaminios virescentem segetem decerpebant. Ælianus lib. 5. de anim. cap. 45. hoc refert. Quarto, pedes eorum nervis astringendi sunt, ne passim venenum suum spargant, et urbes incestent. Herodot. lib. 6. refert, Cleomenem, qui in locum Demarati regis Spartæ ab ipso calumniose accusati, et in exilium eiecti suffectus fuerat, mentis suæ impotem, et in vincula coniectum, gladio artus sibi ipsi detruncasse.

44. Calumnia non nocet iusto, sicut nec soli. Si præsertim magnæ virtutis sint qui calumniis impetuntur, perinde facit calumniator ac si lapides in solem proiiceret, qui in olus caput recidant. S. Gregor. Nyssen. lib. 1. in Eunomium, S. Basilium maledictis hæreticorum impetitum soli comparat fulgenti, quem insani vulnerare intendant: *Non adeo*, inquit, *depressus, et terræ vicinus esto sol, ut ipsum possit attingere, lapides aut aliud quid in ipsum intorquens.* Παλιν γαρ επαναστρεφει βληθεντα και πεμψαντος: *Rursus enim retorquet proiecta in iaculatorem.* Quid faciet Deus, quem nihil latet, qui fucos et fallacias calumniatorum advertit, et execratur? Idem eum dicere existima, quod scripsit Garmus rex Babyloniorum regi Indorum Necgyndæ. Meum, ait, imperium tentas et sollicitas, υποκοριζομενος επιστολαις, blandiens epistolis, et eiusmodi iacis fundamenta: itemque dissimulata cupiditate, benignitatem quamdam et humanitatem præ te fers, πεφαινεις δε ουδεν, ουτε γαρ λαθειν δυνασαι. At nihil proficis, neque enim latere potes. Si vere dixit S. Chrysost. hom. 2. de Prophet. obscurit. quod qui maledicit etiam vera dicens, τα μεγιστα υποκειται, maximo damno afficitur, quid est iudicandum de calumniatore?

45. Calumniatorem evellit Deus de tabernaculo suo, et quo? Secundo, Deus calumniatorem evellit, et transmigrare facit de tabernaculo suo. Tabernaculum illud Euthymius dicit esse vitam, ex qua per mortem eiicietur impius; 2. Ecclesiam, Cassiodorus; 3. cor Dei, Arnobius; 4. tabernaculum Dei, quod erat in Nobe, S. Greg. Nyss. tract 2. in psalmos, cap. 13. denique 5. divinam protectionem, Lorinus. Sed hæc mystica sunt. Arbitror ergo per tabernaculum intelligi domum ipsius Doegi, q. d. Sicut sacerdotes sedibus suis exturbasti, ita Deus e tuo te palatio hac illac profugum disiiciet. Iob 18. 14. *Evellatur de tabernaculo suo fiducia eius, et calcet super eum quasi rex interitus.* Et cap. 5. 3. *Vidi stultum firma radice, et maledixi pulchritudini eius statim*, q. d. Statim exaruit, itaque vidi pulchritudinem eius, nihil esse, nisi vanitatem. Vide Ps. 36. 35. et Ps. 108. 9.

46. Odiosus et execrabilis ubique. Omnibus in regnis et rebuspubl. odiosi atque execrabiles fuerunt sycophantæ, variisque suppliciis excruciati sunt. Plutarch. de invidia et odio: Eos, ait, quorum calumnia Socrates fuit oppressus, velut extreme malos ita oderunt, itaque aversati sunt cives Athenienses, ut neque ignem eis accenderent, neque interrogantibus responderent, neque in balneo aqua uterentur eadem: sed qua illi lavissent, eam, ως μιασμενον, ut pollutam iuberent a ministris effundi: donec illi impatientia odii sese suspenderunt. Diodor. Siculus lib. 12. ait, quod Charondas Thuriorum legislator, convictis calumniæ seu falsæ accusationis hanc pœnam irrogavit, ut myrica coronati per urbem circumducerentur: ideo nonnulli se occiderunt, ut hanc infamiam non subirent. Lucian. lib. de calumnia non temere credenda, dicit: Apellem insimulatum esse apud Ptolemæum, quod Pelusium prodidisset, sed agnita veritate liberum dimissum esse, et donatum a Ptolemæo talentis centum, addito in servitutem Antiphilo accusatore calumnioso.

47. Eum eradicat Deus de terra viventium. Tertio denique, calumniator eradicatur: *Et radicem tuam de terra viventium.* Radix illa est primo malitia et acerbitas Doegi: ita S. Greg. Nyss. tract. 2. in Ps. c. 43. Secundo filii eius: ita Euthym. 3. omnis gloria, fortitudo et divitiæ eius: ita Ians. His enim omnibus in terras firmas radices agebat. Sed Deus illa eripit. Iob 15. 29. *Non ditabitur, nec perseverabit substantia eius, nec mittet in terra radicem suam.* Guicciardinus in topographia Flandriæ refert historiam sane admirabilem et terribilem de Margarita Florentii Comitis Hollandiæ filia, quæ mulierculam stipem petentem, gemellos in ulnis gestantem graviter increpavit. Neque enim uno partu duos producere potuisse, nisi duorum quoque virorum usa esset commercio, affirmavit. Mendica precibus a Deo contendit, ut in signum pudicitiæ suæ Comitissa gravida tot pareret infantes, quot essent in anno dies. Preces fuerunt exauditæ, et exacto gestationis tempore, anno 1276. ætatis suæ 42. ipso die parasceves peperit Margarita 364. infantes, partim mares, partim femellas. Eos simul in pelvi baptizatos, maribus Ioannis, femellis Elisabethæ nomine imposito, et paulo post cum matre morte sublatos Losduni in cœnobio monacharum sepelivere, cum epitaphio historico. Hæc historia, gravissimam pœnam continet temere convicium iacientis. Fidem faciunt Erasmus, Vives, et alii multi qui referunt. Nicephorus Callistus lib. 17. cap. 22. difficultatem partus refert in quadam calumniatrice. Stultitiam, inquit, simulavit S. Simeon Sales apud civitatem Edessam. Ancilla quædam illum veluti stupratorem accusavit, rem ille non negavit: sed illa parere non potuit, quin diceret auctorem facti. Alia S. Vincentium Ferrerium accusans quasi vim ei inferre voluisset, a dæmone est possessa: nec liberari potuit, nisi eius precibus, ut est in ipsius vita. Mulier parit filios 364. Negat Condanus eam fuisse Comitem Hollandiæ, et vocat Mathildem sororem Guillelmi regis Romanorum. Vide illum anno 1256. Aliqui volunt peperisse pueros 1514. Calumniatrix difficulter parit.

Neque in sua potentia quis confidat: nam Deus potentia sua abutentes severius punit. S. Chrysost. in Ps. nostr. *Quemlibet*, ait, *qui potens est improbitate,* γλωσση χρωμενον αντι ξιφους, *qui lingua loco gladio abutitur,* ωσπερ πικραν και λυμαντικην ριζαν, *velut amaram atque pestiferam radicem, animarum agricola evellet, etiamsi ad breve aliquod temporis spatium in Dei tabernaculo, ipsiusque Ecclesia, consitus esse videatur.*

Miseriam maximam calumniatoris proponit, nempe quod a viris iustis irrideatur, vers. 8. VIDEBUNT IUSTI, ET TIMEBUNT, ET SUPER EUM RIDEBUNT, ET DICENT: Vers. 8.
vers. 9. ECCE HOMO, QUI NON POSUIT DEUM ADIUTOREM SUUM: Hebr. *fortitudinem suam*, adiutor ille est fortis, cum eo nihil est timendum: SED SPERAVIT IN MULTITUDINE DIVITIARUM SUARUM, ET PRÆVALUIT IN VANITATE SUA, id est, in vanis mendaciis suis, quibus irritavit Saulem regem, contra Achimelech Pontificem et Sacerdotes, quos occidit, et bona diripuit, atque urbem evertit: ideo in eos prævaluit, sed in vanitate: quia prosperitas eius non diu duravit. Vers. 9.

Nota, tria piorum bona, et tria impii Doegi atque illi similium mala hic attinguntur. 48.

Ac primo, quod ad pios spectat. Primo, casus et ruina sceleratorum eos facit prudentiores. Ideo dicitur: *Videbunt iusti.* Prov. 21. 11. ait Salomon: *Mulctato pestilente* (Hebr. illusore; Septuag. intemperante) *sapientior erit parvulus* (Septuag. simplex) *et si sectetur sapientem, sumet scientiam*, practicam, quam sequuntur actiones, velut umbra corpus, ait Clemens Alexandrinus. Plaga Ægyptorum, ait S. August. est eruditio filiorum Israel. Punitio improborum facit iustos: 1. prudentiores.
Secundo, pii fiunt cautiores visa pœna impiorum. Ideo additur: *Et timebunt.* Chald. vertit: Iusti aspicient punitionem tuam, et timebunt ab aspectu Domini. Iob cap. 41. 16. agens de dæmone sub specie Leviathan, id est, ceti seu balænæ, ait: *Cum sublatus fuerit* (e medio a Deo) *timebunt angeli, et territi purgabuntur.* Angeli sunt viri, puritatis, innocentiæ, agilitatis in proximo iuvando, et contemplationis in orando studiosi. Timor ille oritur a sapientia, et ipse maxima sapientia est. S. Gregor. Naz. apud Antonium in Melissa, part. 1. cap. 50. *Nihil*, ait, *inexpugnabilius philosophia, nihil tranquillius. Omnia prius cedent, quam Philosophus. Duo sunt invicta, Deus et angelus: et tertium Philosophus. Est enim Philosophus non materialis in materia, in corpore incircumscriptus, in terra cœlestis, in affectibus imperturbatus, ubique inferior cæteris præterquam animi magnitudine, et cedendo vincens illos, qui se vincere putant. Unam ego sapientiam novi, timere Deum. Etenim sapientiæ initium, timor Do-* 2. cautiores.

3. alacriores. *mini.* Tertio denique, iusti visa pœna impiorum fiunt hilariores. Ideo additur: *Et super eum ridebunt.* Sic Ps. 106. 42. dicitur: *Videbunt recti, et lætabuntur, et omnis iniquitas oppilabit* (occludet, obstruet) *os suum.* S. Greg. 6. Mor. 20. in illud Iob cap. 5. 22. *In vastitate et fame ridebis,* famem et vastitatem interpretatur separationem ab æterni panis visione, in extremo die iudicii. Hac autem agnita iniquorum vastitate, cur iusti rideant, hanc affert causam: *In vastitate,* inquit, *et fame iustus ridebit, quia cum iniquos omnes extrema ultio percutit, ipse de gloria dignæ retributionis hilarescit. Nec damnatis iam tunc ex humanitate compatitur, quia divinæ iustitiæ per speciem inhærens, inconcusso districtionis intimæ vigore solidatur. Erectas namque in claritate supernæ rectitudinis electorum mentes nulla misericordia afficit: quia has a miseriis altitudo beatitudinis alienas reddit.* Vide dicta Ps. 57. 11. *Lætabitur iustus, cum viderit vindictam.* Dices, quomodo, si timent iusti, ridebunt? Respond. cum Synesio epist. 2. ad Ioannem: ἀφοβία μεγίστη, φοβεῖσθαι νόμους: *Maxima securitas est vereri leges.* Eccl. 1. 11. adhuc expressius dicitur: *Timor Domini gloria et gloriatio, et lætitia, et corona exultationis* (Syr. maiestas, et corona gloriæ) *Timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiam, et gaudium, et longitudinem dierum.* Didymus dicebat: Fieri non potest, ut qui timore Dei præditus est, meticulosus sit, cum illud monumentis proditum sit. Præter eum, ne quemquam alium timeas.

49. Impii in Deo non sperant. Secundo, tria sunt mala impii, ob quæ iure ridendus sit. Primo, *quod non posuit Deum adiutorem suum,* seu fortitudinem, ut est in Hebr. et in Psalter. Romano, q. d. Qui in Dei auxilio non speravit, qui non credidit robur suum, fortitudinem et felicitatem in Dei ope consistere; hoc enim stultum et ridiculum est. S. Hilar. hoc loco: *Stultitiæ,* ait, *atque impietatis extremæ est non intelligere se sub Deo, et ex Deo vivere: sed in his quæ gerit et expectat, sua magis velle confidere potestate: cum, si quid illud ex se sit, ex Deo sit. Ad Deum itaque spes omnis nostra sit, et confessio omnis in Deo sit, exemplo Prophetæ dicentis Ps.* 18. *Domine adiutor meus, et redemptor meus; et Ps.* 120. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. Auxilium meum a Domino, qui fecit cælum et terram.* Sed in suis divitiis. Secundo, ridendum est in impio, quod *speravit in multitudine divitiarum suarum.* Qua spe, 1. nihil est inanius. Quid enim vanius, ut ait S. August. eo qui putat plus valere nummum, quam Deum? 2. nihil infructuosius. Ezech. 7. 19. *Argentum et aurum non valebit liberare in die furoris Domini;* 3. nihil perniciosius. Proverb. 12. 28. *Qui confidit in divitiis suis, corruet.* Tertio, ridendum est in impio, quod *prævaluit,* id est, se prævaliturum speravit, *in vanitate sua:* hoc est, in vana sua iniquitate et fraude. Et vanitate. Pro, *vanitate,* Hebr. est הוה *havva,* id est, 1. pravitate, ut vertit Arias et Felix; 2. insidiis, 50.
ut Hieron. 3. dolis, ut Flamin. 4. vanitate, ut Noster et Divitiæ sunt plenæ doli et nequitiæ. Septuag. 5. divitiis, ut R. Sahadias. Chald. vertit: *Fortis factus est in opulentia sua.* Campens. En gigantem, qui non fecit Deum robur suum; sed in multitudine opum suarum spem posuit, ac sceleri fidit. Vel, Ecce hic est ille vir, qui non beneficio Dei fortis esse cupivit: sed fiduciam habuit in divitiis, et sceleribus potentiam affectavit. Proprie vertes הוה *havva,* divitias sceleratas. Omnis dives, aiebat ille, aut iniquus est, aut iniqui hæres. In divitiis sunt pravitas, insidiæ, doli, vanitas. Divitiis et vitiis magna est affinitas. Sunt mammona iniquitatis. Si de vipera vis facere theriacam, de mammona iniquitatis, id est, de divitiis iniquis et ad iniquitatem trahentibus, fac tibi amicos, qui te recipiant in æterna tabernacula. S. Hilar. in Ps. nostr. *Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum. Divites quosdam insolentes præstat opulentia, et maxime timorem Dei divitiarum fiducia inanis avertit. Stulti, non intelligentes hoc se magis religiosos oportere esse quod divites sunt, quia gratiam referre largitori bonorum sibi desiderabilium conveniat: et hoc magis inexcusabilis avaritiæ sit reatus, quia avaritiæ necessitatem non excuset opulentia. Iam vero, quam infelix fiducia est rei inanis, Deum contemnere habendo aurum: quasi aurum non ex Dei sit creaturis, aut aliquem per id iudicio sanæ mentis beatæ vitæ acquirat profectum, quod sibi aurum iaceat suffossum, et hinc fiant generosioris animæ et corporis, homoque alius possit esse quam natus est: aut cum vita excedat, auro suo sit usurus in morte. Utetur plane, si eo recte utitur in vita, si esurientem pane suo aluerit, si nudum veste sua texerit, aut ægrum sumptu suo refoverit, aut captivum libertati suæ redemerit. Hæ sunt plane ambitiosæ apud Deum humani thesauri legationes, hæc potentia deprecandorum criminum et vera suffragia. Sic auro demutamur, ut ex terrenis cælestes, et ex mortalibus simus æterni:* ita Hilarius.

SECTIO TERTIA ET ULTIMA.

51. *Duo dicit. Primo, se vel invitis calumniatoribus fructus Deo dignos allaturum, v. 10. Secundo, se pro illis gratias Deo acturum, atque æterna bona expectaturum, vers. 11.*

PARAPHRASIS.

10. *Ego autem, sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei in æternum, et in sæculum sæculi.*

11. *Confitebor tibi in sæculum quia fecisti: et expectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.*

10. Etsi furentis instar venti præcipitem me deiicere Doeg, et similes sycophantæ enitantur, subsistam tamen, firmisque hærens radicibus in Ecclesia Dei virescam, velut sacra oliva fructu gravida. Neque enim in Saulis regis potentia, neque in meis opibus ac viribus, sed in una Dei misericordia spes meas fixi: ibi eas in perpetuum conservatas volo.

11. Perennibus benignitatem tuam laudibus efferam, quod me tot in angustiis liberasti: et iustitiam tuam, quod hostes meos æquissima vindicta oppressisti. Et te, opemque tuam et misericordiam, toties a Prophetis decantatam præstolabor. Tu enim suavissimus es, tuaque omnia iucundissima accidunt sanctis tuis, tum in cælo regnantibus et coronatis, tum in hac terra pugnantibus et afflictis.

QUÆSTIO UNICA.

Quam grata et fructifera oliva in domo Dei vir iustus.

Postquam arbori succisæ, ovulsæ, et eradicatæ, Doegum et satellites eius Propheta noster comparavit: se suique similes, semper virenti olivæ confert, v. 10. *Ego autem sicut oliva.* Eam autem primo fructibus abundare dicit: *Fructifera.* Secundo, locum optimum et pinguissimum illi assignat: *In domo Dei.* Tertio, latissimos ramos, 1. spem in Deum: *Speravi in misericordia Dei in æternum, et in sæculum sæculi;* 2. laudem Dei, vers. 11. *Confitebor tibi in sæculum, quia fecisti;* 3. longanimitatem: *Expectabo nomen tuum;* 4. contemplationem et charitatem: *Quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.*

ARTICULUS I.

Olivæ et viri iusti parallela.

52. Vers. 10 Sensus huius versiculi. David prævisa et prædicta ruina Doegi suam securitatem declarat similitudine olivæ, vers. 10. Ego autem sicut oliva fructifera (Hebr. רַעֲנָן *raanan*, id est, 1. virens: ita S. Hieron. Flamin. Campens. viridis. Pagnin. felix; 2. frondosa: ita Chald. 3. florens; 4. fructifera: ita Noster, et Sept. qui habent κατακαρπος;) in domo Dei, (Chald. in domo sancta Dei) speravi in misericordia Dei in æternum, et in sæculum sæculi. Alludit ad suum transitum per Nobe urbem cum fugeret Saulem, quo tempore oravit in Dei tabernaculo, ut opem in tanta angustia imploraret: tunc Doeg illum vidit, et ipsum ac Pontificem et Sacerdotes accusavit, qui ideo occisi sunt. Sensus autem est, q. d. Doeg, et satellites eius in suis divitiis, gloria, et robore confidant: ego in uno Deo, et quidem misericordi, spero: ille mihi spem auxit, cum eius tabernaculum adii, in quo maneo et manebo, si non corpore, saltem mente. Nota secundo, alludit ad candelabrum templi, quod habet septem lucernas ardentes oleo olivarum.

53. Iustus comparatur oleæ propter sex parallela. Moral. nota. Vir iustus comparatur oleæ propter quinque. Primo, propter radicem. Secundo, propter truncum. Tertio, propter ramos. Quarto, propter folia. Quinto, propter fructus.

I. Ob radicem amaram. Ac primo, radix oleæ amara est, fructus vero dulcis: quia, ut ait Hugo Cardin. vir iustus quidquid de terra est, ei sapit amarum: quod autem de cælo est, dulce. Unde de S. August. cantatur: Displicebat ei quidquid agebat in sæculo præ dulcedine Dei, et decore domus eius quam dilexit. Similiter, pœnitentia habet radicem amaram: id est principium et fructum dulcem, sicut dicit Apost. Hebr 12. 11. *Omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris,* ecce radix: *postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ,* ecce fructum olivæ. Matth. 3. 2. *Pœnitentiam agite,* ecce radix; *appropinquavit enim regnum cælorum,* ecce fructus.

2. In loco pingui positam. Secundo, radix oleæ ponenda est in loco pingui: quia cum sit arbor unctuosa, multum exugit pinguedinis terræ. Hic dicitur: *Ego sicut oliva fructifera in domo Dei,* id est in Ecclesia. Philostratus lib. 5. vitæ Apollonii Tyanei: *Pygmalionis,* inquit, *aurea oliva in ipso Herculis templo posita est,* αξια μεν, ως φασι, και του θαλλου θαυμαζειν, *mirabili, ut aiunt, arte fabricata, cuius præcipua pulchritudo,* επι τω καρπω μαλλον, *in fructuum opere conspicitur, qui ex lapide smaragdo confecti sunt.* Quis noceat in Dei domo constitutis. Ælianus ait lib. 6. de animal. cap. 40. quod mures Heraclenses, nihil attingunt eorum quæ Herculi sacra sunt: unde, cum vitis, cuius fructus ad sacra servant eius administri, uvæ ad maturitatem pervenerint, tunc de insula mures recedunt, ne per imprudentiam eas attingant: post illud vero tempus ad sedem domesticam revertuntur. Plantatæ in domo Dei olivæ, sunt sacerdotes aris addicti. Cresolius tract. de selectis piorum hominum

A virtutib. cap. 1. Cum vellet, inquit, regius vates sacerdotes symbolo divine, ut solet, adumbrare, olivam dixit, quæ sacerdotalis planta est. Quod vel ab ethnicis fuit cognitum sapientia illustribus, qui inter notas venerandi sacerdotii ponebant olivam. Quo ex sensu de Numa, qui Pontificum iura et cæremonias illustravit Romanorum, summo iudicio coryphæus poetarum cecinit lib. 6. Æneid.

Quis procul ille autem ramis insignis olivæ?

Ubi Servius erudite. Ramis, inquit, insignis olivæ propter sacerdotium. David ergo sic mystica tuba canit virtutis viros, undique floridos, et undique fructuum copia redundantes: Ego autem sicut oliva fructifera in domo Domini. Ubi sine dubio personam induit Pontificum, et hominum aris et templo dicatorum, quos proprio in domo Domini habitare dixeris: ita ille.

Secundo, oleæ truncus soliditatem virtutis figurat. Lignum enim oleæ nec tempestas, nec caries, nec vetustas labefactat. Hinc prisci censuerunt esse æternitatis hieroglyphicum. Ideo Apocal. 11. 4. Elias et Henoch, qui sunt *æternitatis candidati,* ut eos vocat Tertullianus, vocantur olivæ. Tullius lib. 1. de legibus: Sempiternam, ait oleam in arce tenere potuerunt Athenæ. Secundo, tanta est vivacitas olivæ, præsertim sylvestris, quæ dicitur oleaster, ut multis confixa clavis non lædatur. Viri fortis infractum pectus tribulatio non arefacit. 54. II. Ob truncum solidum. B Et vivacem.

Tertio, oleæ ramus est symbolum pacis. Unde, columba emissa a Noemo, et olivæ ramum virentibus foliis ore præferens, Gen. 8. Spiritum sanctum designat, qui cessantibus aquis persecutionum pacem Ecclesiæ attulit, sicut ibi exponit Beda. Sidonius in epist. Polonii et Araneolæ carm. 14. vocat olivam, pacis arborem et iuventæ. Cum Neptunus et Minerva contenderent, uter Athenis nomen imponeret, ac præsideret, Neptunus equum produxit, Minerva oleam: et ideo vicit hæc, quod olea sit pacis, equus vero belli symbolum. Hinc etiam oleo est hieroglyphicum deditionis, subiectionis, obedientiæ, reverentiæ et cultus. Nam veteres se alicui principi dedentes prætendebant oleæ C ramos, veluti pacem postulantes. Unde Virgilius libro 8. Æneid. de Ænea, opem petente ab Evandro canit: 55. III. Ob ramum, qui est symbolum pacis.

Paciferaque manu ramum prætendit olivæ.

Secundo, olea putatione et præcisione gaudet: ita vir iustus amissione divitiarum, honoris, famæ et aliorum huius vitæ commodorum. S. Basil. epist. 54. ait esse difficillimum, imo pene impossibile, evitare calumniam. Quid in ea re facies? *Oleum de capite tuo non deficiat.* Eccles. 9. 8. esto olea quæ amputatione proficit. Audi S. Ioannem Climacum grad. 4. Quicumque, ait, ad perfectam inordinatarum affectionum victoriam, et ad Deum currit, πασαν ημεραν εν η ου λοιδορειται, πολλην ζημιαν λογιζεται, *omnem diem, in qua contumeliis non afficitur, magnum detrimentum arbitratur.* Sicut enim arbores a ventis concussæ, altas radices agunt: ita et qui sub obedientia versantur fortes et inconcussas animas iactati possident: ita ipse. Alio quoque simili res hæc exponitur a Caussino lib. 10. Parab. hist. cap. 51 ubi refert ex Sostrato Byzantino apud Achil- II. Putatione gaudet.
D lem Tatium lib. 2. lucum fuisse Byzantii, et in eo olivam, quam stupendo prodigio dicitur *imber igneus* fœcundasse. In eodem fere argumento est, quod habet Pausanias in Atticis, olivam Minervæ, incensa a Persis urbe conflagrasse, eodemque die duorum cubitorum proceritatem germinasse. Byzantina oliva recte figurabit puritatem Virginis, quæ igne Spiritus sancti recepto concepit: Attica vero oliva designat fortitudinem Martyrum, qui ex suis damnis proficiunt. Tertullianus ad Martyres: *Negotiatio est,* ait, *aliquid amittere, ut maiora lucreris.* Rutilius præclaro. Imbre igneo oliva fœcundata.

Adversis solemne tuis sperare secunda,
Exemplo cæli ditia damna subis.
Astrorum flammæ renovant occasibus ortus.
Lunam finiri cernis ut incipiat.

Quare, utile est in medio impiorum cœtu agitari, ut propriis damnis crescamus. Plutarchus, lib. de emolumento capiendo ex inimicis: Agricolæ, ait, rosas et violas

efficere se putant meliores, si alia et cepas iuxta seminent, quod hæc quidquid alimento inest acre et virosum trahant, pari modo si excipiat, et amplectatur invidentiam, et malevolentiam inimicus, exhibebit placidiorem amicis prosperitate utentibus et minus gravem: ita ipse. Atque ut ab iguis similitudine non recedam, S. Cyril. Alex. audiamus lib. 10. in Genesim: Sicut, ait, optimum quodque thus cum igni adhæserit, tum odoris sui suavitatem emittit: sic anima sancta, cum laboribus periculisque velut igne examinata est, tum clariorem perfectioremque suam virtutem certissime reddit: hæc Cyrillus. Remedium itaque contra calumniatores non est, ut conitaris eorum ora claudere variis industriis: sicut ranarum coaxatio impeditur, cum lampas lacui, in quo tumultuantur, appenditur; 2. remedium non est, eos pecuniarum multitudine terrere, ut non allatrent, sicut canis silet, cum quis mustelæ caudam secum habuerit: sic enim nihil proficies, et eos ob invidiam in te magis accendes: nam divitiæ sunt, μεγα δελεαρ προδοσιας, magna esca proditionis, ut ait Herodianus. Itaque unicum remedium est, calumniam contemnere, et oleam imitari suo damno proficientem, et fructus plures et meliores fundentem. Si aliam vis comparationem, solem imitare, qui ob maledictiones Atlanticorum populorum nec cursum, nec lumen suum cohibebat. S. Gregor. Nyssen. lib. 1. in Eunomium: Etsi quis, ait, sine lumine solem esse criminetur, non eripiet lumen radiorum per scommata: ἀλλ' ὁ μεν ἡλιος ἐσται και σκωπτομενος ἡλιος: sed, *sol quidem, sol manebit etiam iniuriis appetitus:* conviciatoris autem velut obscurato lumine cæcitas apparebit. Ita ipse, qui deinde subinfert, Eunomio idem accidere, qui S. Basilium iniuriis, et calumniis appetat. Sacchinus lib. 5. histor. Societ. Iesu. Ad rem præsentem aptius, refert oleæ aspectu repressam in quibusdam malam execrandi consuetudinem. Ad infamem, inquit, impiarum vocum consuetudinem extirpandam, optime adolescenti, qui sub extrema paschalis ieiunii comes iverat eius quem modo nominavi, Perusci, simplex inventum cessit. Dominico die Palmarum graviter in illud tartareum invectus crimen, singulis auditorum *ramulum sacræ oleæ* divisit, iubens cum sibi e collo suspendere, et quoties dæmon execrandi impetum iniiceret, aspicere eum, ac meminisse *oleam signum esse pacis:* sibique monimento datam, ne impie cum Deo pugnarent. Tam alte hæc vox simplicibus populi insedit animis, ut deinde veluti proverbio, si quando iratos viderent, vel audirent pravi quid effundentes, alii alios admonerent: oleam inspectarent, oleæ meminissent.

Remedium contra calumniam est eius contemptus.

56. IV. Ob folium, quod semper viret. 2. non defluit. 3. pallidum et exile est.

Quarto, folium oleæ Primo semper viret hyeme et æstate, quo denotatur constantia mentis in prosperis et adversis. Item ornatus et nitor conscientiæ perpetuus. Eccl. 24. 19. *Quasi oliva speciosa in campis.* Oseæ 14. 6. *Ero quasi ros Israel, germinabit sicut lilium, et erumpet radix eius ut Libani, et erit quasi oliva gloria eius.* Secundo, folium oleæ non defluit. Sanctis viris ne minimum quidem verbum temere effluit. Vide dicta Ps. 1. 4. in illud: *Et folium eius non defluet.* Tertio, olea est exiguis et pallidis foliis. Ostentatione non gaudent sancti, et pauca loquuntur, fructum amantes et quærentes, non inanem gloriam et exteriorem apparentiam. Unde Minerva sapiens merito dicta est, quod oleam sibi præ cæteris arboribus elegisset. Iovi enim quercus, myrtus Veneri placuit, Phœbo laurea, pinus Cybelæ, populus Herculi, olea Minervæ: unde apud Phædrum lib. 3. ait illi Iupiter:

O nata merito sapiens dicere omnibus:
Nisi utile est quod facimus, stulta est gloria.

57. V. Ob fructum. 1. uberem.

Quinto, olea fructu abundat, et sancti bonis operibus. Hoc præsertim spectat David in psalmo nostro: *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei,* id est, in Ecclesia: extra eam nullus est fructus Deo dignus; 2. in religione, ibi fructus est amplior et ab iniuriis aeris magis tectus. Populus Iudaicus vocatur oliva fœcunda, Ierem. 11. 16. ubi Deus ait: *Olivam uberem* (Hebr. virentem. Exterior modestia fructum mentis multiplicat) *pulchram, fructiferum, speciosam vocavit nomen tuum,* id est, olivam te effecit, ita ut sic vocari posses. Gentiles vero, ante conversionem suam erant oleaster, id est, olea agrestis et sterilis: unde inserti sunt in olivam fertilem, id est, in synagogam, ut docet S. Paulus, Rom. 11. 17. Quod considerans S. August. in Ps. 72. duo in illa insitione observat miracula. Unum est, quod dicat Apostolus oleastrum insertum esse in oliva: cum e contrario oliva inseri debeat in oleastro: alterum est, quod oleaster iste insertus in oliva, non oleastri sed olivæ fructus protulerit, cum in naturali insitione contrarium accidat: siquidem id quod inseritur ipsum est quod crescit, fructumque fert non arboris, in qua inseritur, sed surculi qui fuit insertus: quamobrem Paulus merito hanc insitionem appellavit contra naturam. Secundo, olea fert fructus pene perpetuos, novis succedentibus priusquam veteres decidant. Ezech. 47. 12. de arbore plantata super aquas e templo egredientes dicitur: *Non deficiet fructus eius, per singulos menses afferet primitiva,* id est, novos fructus. S. Gregor. 22. Moral. 2. Mens humana, inquit, dum igne amoris excoquitur, semper in se servat claritatem pulchritudinis quotidiana innovatione ferroris. Nescit enim mens per torporem veterascere, quæ studet per desiderium semper inchoare: ita ipse. Tertio, ut notat Aiguanus, oliva in suo fructu successive quatuor habet colores. Nam 1. est viridis; 2. rubea; 3. livida; 4. nigra. Sic color viridis significat claritatem divinæ cognitionis, rubeus charitatem fraternæ dilectionis, lividus asperitatem pœnitentiæ et afflictionis, sed niger humilitatem modestæ conversationis. Agit de singulis satis fuse.

2. pene perpetuum.

3. colores varios mutantem.

Sexto, ex oleæ fructu exprimitur pingue oleum, quo denotatur primo pinguedo sapientiæ, ait S. Hier. Vel melius, pinguedo gratiæ et charitatis. Isai. 5. 1. *Vinea facta est dilecto meo in cornu olei,* quem locum Symmach. sic vertit: Vinea facta est dilecto meo in cornu in medio olivarum. Sept. in loco pingui, sive uberi. Est autem ad litteram sermo de terra promissionis, quæ erat pinguissima et uberrima, in quo genere Ecclesiam repræsentavit, a Christo Domino fundatam in cornu, hoc est, in regno et potentia. Nam Zach. 1. quatuor cornua, quatuor potentissima regna demonstrat: vel etiam in cornu, hoc est, loco forti et sublimi: dicitur autem Christus *filius olei* propter pinguedinem. Nam dedit Christus operibus nostris pinguedinem: hoc est, pretium et vim merendi per gratiam, quam nostris mentibus infundit. Secundo, oleum inservit ad lumen, sic Apostoli et Doctores sunt olivæ fundentes oleum, ut illuminentur corda credentium. S. Petrus Damiani sanctis Apostolis Petro et Paulo, olivæ nomen adaptat serm. 27. *Digna prorsus,* inquit, *comparatio oliva ad Apostolos, nec alia dignior est inventa. Arbor enim ista semper viridis est, et illum excellentissimum olei liquorem effundit, sine quo nec regia, nec sacerdotalis constat auctoritas. Oleum autem quatuor habet, supernatat omnibus liquoribus, illuminat, pascit, et ungit.* Hæc Apostolis, et Prælatis Ecclesiæ adapta. S. Gregor. hæc Doctoribus attribuit, lib. 4. in 1. Reg. illud contemplans: Tulit autem Samuel lenticulam olei, et effudit super caput eius; sic enim ait: Qui in culmine ponitur, sacramenta suscipit unctionis. Quia vero ipsa unctio sacramentum est, is qui promovetur, bene foris ungitur, si intus virtute sacramenti roboretur. Oleum quippe liquoribus aliis superfertur, oleum ignem fovet, oleum vulnera curare consuevit. Per illud ergo misericordiæ bonum significat, quia scriptum de Domino est Ps. 144. 9. *Miserationes eius super omnia opera eius.* Quia ignem fovet, prædicationis gratiam designat, quæ electorum mentes illuminat. Quia vero vulnera per oleum curantur, hoc profecto insinuat, quod detergenda sunt vulnera peccatorum. Ungatur ergo caput regis, quia spirituali gratia mens est replenda Doctoris. Habeat in unctione sua oleum, habeat misericordiam abundantem, quæ sibi virtutibus aliis præferatur. Habeat oleum, ut dum ardorem Spiritus sancti in se nutrit, lucere vehementer aliis per verbum possit. Habeat nihilominus

58. VI. Ob succum e fructu expressum semper ob oleum quod: 1. est pingue.

2. inservit ad lumen.

oleum medicinæ, ut sapienter disponat, qualiter peccatorum fœtores tergat, et ægras mentes saluti restituat: Ita Gregorius.

3. lenit et sanat vulnera. Tertio itaque, oleum lenit et sanat vulnera. Sacerdotes in pœnitentiæ Sacramento sunt oleæ sacræ in tabernaculo. De Iesu Pontifice et de Zorobabele duce ait Zach. 4. 14. *Isti sunt duo filii olei*: id est, uncti oleo: ungebantur enim sacerdotes et principes. Chald. vertit, filii principum. Sept. et Syr. filii pinguedinis, id est, fertilitatis. Aquila et Theodotio, filii splendoris, id est, splendidi. Arab. Alex. filii misericordiæ, id est, misericordes, *qui assistunt Dominatori universæ terræ* in altari, et in frequenti oratione ac meditatione, sicut Moses Deum placans, et sicut Aaron vulnera sanans, et avertens plagas Dei a populo.

4. corpus ungit. Quarto, oleum corpus ungit, 1. ad nitorem; 2. ad robur; 3. ad cavendam hostis manum; 4 ad alacritatem, et fomentum corporis. Sic oleæ sunt omnes Christiani, præsertim misericordes et pacifici. S. Bernard. in sententiis: *Reges sunt*, inquit, *et sacerdotes omnes electi: et eos oportet oleo unctionis inungi. Est autem oleum triforme. Aliud siquidem est oleum effusionis, videlicet verbum Dei quo initiantur, veterem hominem exuentes, ut quasi adolescentulæ, in amorem sponsi surgant. Aliud est oleum puritatis, quo lagenæ operum nostrorum impleri debent: quod in lampade divini fervoris, ignem debet incessanter nutrire. Aliud vero oleum exultationis, charitas videlicet principalis, quæ mentem, quam repleverit, dilatat: ut gustans quam suavis sit Dominus, in vertice iustitiæ sedens in solo Deo glorietur et gaudeat.* S. Augustin. tractat. 6. in Ioan. cap. 1. non tantum folia, sed fructum requirit in olea Christiana. Quia, inquit, erant ligna foris baptizata, reportavit columba ad arcam ramum de oliva. Ramus ille et folia et fructum habebat. Non sint in te sola verba, non sint in te sola folia. Sit fructus, et redis ad arcam non per teipsum, columba te revocat: ita ibi. Tractatu autem 7. ait, fructum illum esse charitatem, sine qua nihil est homo, quidquid aliud habuerit. Secundo, in oleo desiderium pacis notat S. Cyril. Alex. lib. 13. in Levit. *Oleum*, ait, *offerri iubetur a populo, et oleum non qualecumque fuerit, et ex quibuscumque seminibus, ut fieri in diversis regionibus mos est: sed de olivis expressum, in quibus indicium pacis ostenditur. Nec enim accepta possunt esse Deo opera tua, nisi in pace peragantur; sicut et Iacobus Apostolus dicit, cap. 3. Fructus autem iustitiæ in pace seminatur.* In numo Severi Augusti togatum erat simulacrum cum oleæ ramo, addita epigraphe, *Fundatori pacis*. Hoc sibi optet Christianus in regnis, provinciis, urbibus, domibus, dignum et sanctum elogium, supra tale fundamentum stabit immotum culmen perfectionis. Tertio, in oleo notatur misericordia. S. Gregor. hom. 20. in Evangelia agens de eleemosyna danda pauperi: Quos, inquit per olivam nisi misericordes accipimus? quia et Græce ἔλεος misericordia vocatur, et quasi olivæ liquor ante omnipotentis Dei oculos, misericordiæ fructus lucet. S. Chrysost. hom. 65. in Matth. *Non sic*, inquit, *oleum corpus hominis roborat, ut animam misericordia stabilit, adeoque confirmat, ut superari a diabolo, nequeat: lubricum enim eleemosynæ oleum corpus hominis constituit, ita ut manus diaboli propter lubricitatem fugiat. Hoc igitur oleo crebro nos perungamus: hoc spiritualis causa est sanitatis: hoc lucem, hoc splendorem animo afferre solet.* Anacharsis Philosophus Scytha vocabat oleum, insaniæ pharmacum, quod insanos faceret; uncti enim oleo athletæ se mutuis vulneribus afficere contendebant. Christi autem oleum iure dixeris, insaniæ pharmacum, sed alio sensu: nempe quod insaniæ medeatur, et ab hostibus furentibus inflicta sanet vulnera, neque virus acerbitatis patiatur in intimas medullas permeare. S. Hieron. in cap. 14. Oseæ, vult sanctum virum et conversum ad Dominum, per olivam designari: quia oleum vulnerum mitigatur tumor, languentia membra quiescunt, in tenebris lumen accenditur, unguntur in agone certantes.

ARTICULUS II.

Oleæ sacræ, id est, hominis iusti, rami quinque: nempe spes, longanimitas, laus Dei, charitas, contemplatio.

59\. Vers. 10. 2. Pars Virtutum est olea, culus primus ramus est spes.

DAVID oleam se fructiferam dicens, docet quales ramos ad Deum extendat. Primo loco spem posuit v. 10. SPERAVI IN MISERICORDIA DEI IN ÆTERNUM, ET IN SÆCULUM SÆCULI, id est, speravi fore, ut me Deus in æternum adiuvet, et virorem meum ac fructus conservet per totam æternitatem, q. d. Doeg speravit in sua potentia, divitiis et vanitate: sed hæc omnia peritura sunt: ego spero in Dei misericordia, quæ cum æterna sit, fructus meos et gloriam servabit per totam æternitatem. Itaque spes æterna est, non quod actus sit æternus, sed quia obiectum eius æternum est.

Olea est symbolum spei propter quatuor. Nota, dicit David, *sicut oliva fructifera speravi*, quia olea est symbolum spei. Primo, quia ex sicco et pene mortuo ligno renascitur, sicut Virgil. canit. 2. Georg.

Quin et caudicibus sectis, mirabile visu.
Truditur e sicco radix oleagina ligno.

Sic fugiens, et a rege ad necem quæsitus David sperat in spem contra spem. Secundo, ob virorem perpetuum folii. Tertio, quia oleæ umbra suavis est ac salubris. David ait Ps. 56. 2. *In umbra alarum tuarum sperabo*. Quarto, quia oleum illuminat, ungit, roborat, sanat, nitidum facit, pascit, qui sunt omnes effectus spei in Deum.

60\. In sola Dei misericordia sperandum est.

Nota secundo, sperandum est non in nostris meritis, sed *in misericordia Dei*. Origenes: *Omnis anima*, inquit, *eget oleo divinæ misericordiæ, ut sospitari possit*. S. Hilar. in Matth. Oleum, ait, fructum misericordiæ cælestis esse Propheticus sermo profitetur. S. Ambros. lib. 3. Hexaem. cap. 8. *Cervus æger ramusculos oleæ mandit, et sanus fit.* A Messia, seu Christo, id est, uncto, olei illius salutiferi fluvius decurrit, in quo Christiani athletæ roborari possunt. Iulianus ad Proæresium scribens, ut est in epistol. Græcan. Quid ego, ait, Proæresium non egregium appellarem, ανδρα ρεοντα λογοις, οσπερ οι ποταμοι πεδιοις εφ απαντα τα ρευματα, virum qui quemadmodum fluvii campos fluctibus perfundunt, ita eloquentiæ suæ fluenta omnibus impartitur. De Christo autem dictum est, Cantic. 1. *Oleum effusum nomen tuum*. Galatinus lib. 4. de arcanis catholicæ veritatis asserit, eo die quo Christus natus est, fontem olei Romæ manasse, ut scilicet misericordiæ per ipsum futuræ esset hieroglyphicum. Baronius recte docet id aliquot annis antea accidisse.

61\. Pure tamen vivendum est. A castis colligi amat olea.

Nota tertio, sperandum in misericordia Dei, sed ita tamen ut sis *oliva fructifera: et in domo Dei*, id est, in conscientia pura, maneas. Florentinus apud Petrum Victorium monet, oleam non amare nisi puros collectores: qui vero ad olivationem accedebant, iurare solitos, se non aliunde quam ab uxore sua venire: ita vero factum, ut anno insequenti uberiorem proventum colligerent. Præcipue Anazarbi in Cilicia oleas fœcundissimas fuisse, quia a castis tantummodo pueris colerentur. Rutilius Taurus cum plantaretur aut legeretur oliva, iussos olim operari pueros mundos atque virgines, quod Palladi virgini sacra arbor esset.

62\. Vers. 11. Secundus ramus est laus Dei.

Secundus oleæ sacræ ramus est laus Dei. Hinc additur v. 11. CONFITEBOR TIBI (Hebr. אודך *odecha*. odas tibi canam. Campens. laudibus efferam te. Vel, gratias agam tibi) IN SÆCULUM (Felix, in æternum) QUIA FECISTI, ET EXPECTABO NOMEN TUUM, QUONIAM BONUM EST IN CONSPECTU SANCTORUM TUORUM. Nota, *quia fecisti*, est ellipsis seu reticentia: non enim dicit, quid fecerit. Primo, explicare possis, q. d. *Quia fecisti*, ut evaderem manus Saulis et Doegi. Secundo, *quia fecisti*, ut essem oliva fru- Facere pro punire. ctifera in domo tua, et sperarem in tua misericordia. Tertio, et præcipue, ut Doeg periret, ego salvarer. Et ideo hoc non exprimit, ne videatur cupidus vindictæ, et in ea lætari. Ubi adverte, quod τὸ *fecisti* sumi potest pro futuro ob certitudinem eventus; 2. *facere* aliquando accipi

pro punire, ut Psal. 118. 126. *Tempus faciendi Domine: dissipaverunt legem tuam.*

63. Deus solus potest hostes nostros vincere.

Nota secundo, S. August. legit, *quoniam tu fecisti*, et illud *tu* vult esse emphaticum, q. d. Tu fecisti id quod alius facere non poterat. Deus itaque velut impiorum debellator, et de illis triumphans laudandus est. Festus dicit quod in triumphis Romanis ministri triumphantium oleaginis coronis coronabantur, quod Minerva oleæ inventrix, præses et Dea belli esse crederetur. De Henoch et Elia, Apoc. 11. 4. dicitur: *Hi sunt duæ olivæ* (Arab. *duæ radices*, id est, arbores vel rami, *olivarum*) *et duo candelabra, in conspectu Domini terræ stantes*. De Iesu Pontifice et Zorobabele duce, Zachar. 4. 14. *Isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominatori universæ terræ*, orantes pro Iudæis, ait Cornel. in Apocalypsim; 2. Deum laudantes victorem et triumphatorem, et populi sui salvatorem. Plin. lib. 15. cap. 4. *Athenæ*, inquit, *victores olea coronant. Græci vero oleastro olympiæ*. David oleam se fructiferam Dei beneficio sentiens, eum coronare laudibus nititur, et esse eius corona.

64. Et nos iustificare.

Tropol. S. Aug. hic: *Confitebor tibi in sæculum, quoniam tu fecisti. Quid fecisti? Doech damnasti. David coronasti. Confitebor tibi in sæculum, quoniam tu fecisti. Magna confessio, quoniam tu fecisti. Quid fecisti, nisi ut tamquam oliva fructifera in domo Dei sperarem in misericordia Dei in æternum, et in sæculum sæculi? Tu fecisti, impius iustificare se non potest. Sed quis est, qui iustificat? Credenti, inquit, in eum qui iustificat impium. Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis, quasi ex te habeas? Absit ut et ego sic glorier, ait iste, qui oppositus est contra Doech, qui tolerat Doech in terra, donec emigret ille de tabernaculo, et eradicetur de terra viventium. Non glorior, quasi non acceperim, sed in Deo glorior. Et confitebor tibi, quoniam tu fecisti: id est, quia tu fecisti, non ex meritis meis, sed ex misericordia tua. Ego enim quid feci? Si recolas, prius fui blasphemus, et persecutor, et iniuriosus. Tu autem quid fecisti? Sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci.*

65. Vers. 11 2. Pars. Tertius ramus est longanimitas.

Tertius nostræ oleæ sacræ, id est, animæ iustæ, ramus, est longanimitas et patientia expectantis Dei opem et salvationem. Hinc subditur, vers. eod. 11. ET EXPECTABO NOMEN TUUM, id est nomen Iesu, seu Salvatoris. De eo dicit Iacob filios suos benedicens, Gen. 49. *Et ipse erit expectatio Gentium*, id est, cum omnes gentes, et orbis nationes expectabunt, et desiderabunt futurum suum Salvatorem. Sic ab Aggæo dicitur cap. 2. 8. *Desideratus cunctis gentibus*. Et Gen. eod. cap. 49. 26. vocatur, *Desiderium collium æternorum*, id est, Patriarcharum, Prophetarum, et Sanctorum, cæteris sapientia et virtute eminentium. Et vers. 18. ait: *Salutare tuum expectabo Domine*. De nomine Iesu vide Ps. 8. vers. 1.

Christus est expectatio Gentium.

66. Nomen Dei pro Deo ipso.

Secundo, et melius, *nomen* hic metonymice sumitur pro re nominata. Dicit itaque David Deo: *Expectabo nomen tuum*, id est, teipsum. Isaiæ 28. 16. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion* (Ecclesiæ) *lapidem* (Christum) *lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum. Qui crediderit, non festinet*, illum scilicet habere, expectet eum cum patientia. Habacuc agens ad litteram de liberatione ex captivitate Babylonica, et allegor. de liberatione per Christum, ait cap. 2. 3. *Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet* (id est pro certo veniet: est hebraismus) *et non tardabit. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso: iustus autem in fide sua vivet*. Vide dicta Ps. 30. 25.

67. Olea est symbolum longanimitatis.

Nota, olea est symbolum longanimitatis, et perseverantiæ in virtute, quia longo durat ævo. Plin. lib. 16. cap. 44. *Firmissimæ*, inquit, *ad vivendum oleæ, ut quas durare annis ducentis inter auctores conveniat*. Deus adiutor est in opportunitatibus, cum silentio oportet præstolari salutare eius, et spes nostra in æternitatem extendenda est. S. Hilar. in Psalm. nostr. *Sua*, inquit, *usus fructuosa pinguique radice, speravit in misericordia Dei: non ad tempus, non in huius corporalis tantum vitæ brevi sæculo, sed in sæculum sæculi. Extendit enim spes suas ad infinitam perennitatis ætatem, nec concluditur mortis occasu*. Et Theodoretus: *Vocat*, inquit, *virum iustum olivam multo fructu onustam, et in domo Dei consitam: quippe qui spem in Deo fixam habet, et per illam laborare, et laboriosos virtutis fructus producere non recusat*. S. Ambros. in epist. ad Romanos, ait olivam esse fidem, per quam iustificatus est Abraham: oleastrum vero, qui agrestis et infructuosæ naturæ est, esse perfidiam. Tu ex fide vive, et Deum tuum expecta: quia ut ait Isaias, cap. 30. 18. *Beati omnes qui expectant eum.*

Quartus ramus oleæ sacræ, id est, animæ iustæ, est charitas quæ Deum amat, et quærit, ac sitit, quia bonus est. Ideo dicitur: EXPECTABO NOMEN TUUM, QUONIAM BONUM EST, in se, et nobis. S. Aug. legit, *quoniam iucundum est*: sed amantibus. Verba eius sunt: *Amarum est sæculum, sed nomen tuum iucundum. Et si dulcia quædam sunt in sæculo, sed cum amaritudine digeruntur. Præponitur nomen tuum non solum amaritudini, sed etiam iucunditati. Narraverunt etenim mihi iniusti delectationes suas, sed non sicut lex tua Domine. Neque enim si nihil dulce esset martyribus, tantas tribulationum amaritudines æquo animo sustinerent. Amaritudo eorum a quovis sentiebatur, dulcedinem eorum non facile quisque gustare poterat. Nomen ergo Dei iucundum est amantibus Deum super omnes iucunditates. Expectabo nomen tuum, quoniam iucundum est. Et cui probas, quia iucundum est? Da mihi palatum, cui iucundum est. Lauda Deum quantum potes, et exaggera dulcedinem eius, quibus volueris verbis. Homo nesciens quid sit mel, nisi gustaverit, quid dicas nescit. Ideo magis ad experimentum te invitans psalmus, quid ait: Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus. Gustare non vis, et dicis, iucundum est. Quid iucundum est? Si gustasti, in fructu tuo inveniatur, non in solis vocibus tantummodo tamquam in foliis, ne maledicto Domini arescere tamquam illa ficulnea merearis. Gustate*, inquit, *et videte, quoniam suavis est Dominus. Gustate et videte. Tunc videbitis, si gustaveritis. Homini autem non gustanti unde probas? Laudando iucunditatem nominis Dei, quantæcumque dixeris, verba sunt. Aliud est gustus. Verba laudis eius audiunt et impii, non autem gustant quam iucundum est, nisi sancti*: ita Augustinus. Hanc dulcedinem suam Deus infundit sanctis. Unde ait Sponsæ suæ, id est, Ecclesiæ et animæ sanctæ, Cant. 4. 10. *Favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua tua*; quod Rupertus applicat B. Virgini, de qua totum canticum recte explicatur: sensu quidem inadæquato et partiali, sed principali. Sic autem inducit loquentem Christum: *Tu dulcis in ore, dulcis in corde*. Hoc est, quod nunc dico, favus distillans labia tua, subiungens, mel et lac sub lingua tua, id est, in anima tua. Ibi tibimetipsi dulciter sapit favus eloquii tui, favus distillans a labiis tuis, labiis gratiosis. *Favus tuus ego sum, mel tuum et lac tuum ego sum, quia Deus tuus et filius tuus ego sum. Hoc tua sentit anima, hoc tua sonant labia: aliud loqui non potes, quam id quod in pectore habes; ex abundantia cordis labia tua loquuntur.* Hugo a S. Victore, tom. 2. serm. de Assumpt. B. Virginis: Favus, inquit, mel et ceram habet: mel divinitas est, cera humanitas. Favus, Verbum caro factum est in Virgine: ac si Deus dicat: *Ego expertus sum: quod laudo: Favus distillans labia tua*. Ego devinctus tibi *charitate*, osculo oris mei labia tua pressi, simulque dulcedinem infudi, et a dulci dulcedinem expressi. Valde impressi dulcedinem, et vere expressi suavitatem, quando meum os tuo in te sociavi: et per tuum a te cum meo pariter et tuo exivi. Mea divinitas mel erat, et tua humanitas cera erat, et inde meipsum favum feci: ita Hugo, qui deinde addit: Mel et lac Deus et homo: mel divinitas, lac humanitas. Mel de cæli rore venit, quia divina natura supra omnia est: lac de carne exprimitur, quia humanitas de deorsum assumpta est.

68. Vers. 11. 2. Pars Quartus ramus est charitas.

Magna est suavitas Deum amantibus.

Quintus denique ramus oleæ sacræ, id est, animæ san-

69. ciæ, est contemplatio Dei et rerum cælestium. Ideo subiungitur v. eod. 11. QUONIAM BONUM EST IN CONSPECTU SANCTORUM TUORUM. Hebr. etiam verti possunt, misericordium tuorum. Deüs enim cum bono bonus erit, et misericordes misericordiam consequentur. S. Aug. *Iucundum est nomen tuum, sed non in conspectu impiorum. Ego quam dulce sit scio, sed his qui gustaverunt.* Hugo a S. Victore: Bonum est in conspectu, id est, in iudicio et æstimatione, Sanctorum tuorum: qui scilicet gustant suavitatem bonitatis eius, sicut gustaverat S. Bernardus, qui dicebat, quod Christus erat ei melos in aure, mel in ore, iubilus in corde. Vide Ps. 33. 9.

Vers. 11. 3. Pars. Quintus ramus est contemplatio.

Olea est symbolum animæ misericordis.

Nota, olea symbolum est animæ misericordis, quæ contemplationi vacat: ab ea enim exprimitur oleum quod est nutrimentum ignis lucentis in candelabro coram altari thymiamatis. Hinc Simon senior seu primus, qui cognominatus est iustus, Oniæ senioris filius, Pontifex maximus, vocatur Eccl. 50. 11. *Oliva pullulans*, Græc. ἀναθάλλουσα καρποὺς, germinans fructus: ubi Rabanus: In oliva, inquit, lux fidei, et affectus misericordiæ. Et Cornelius: Comparat, inquit, Simonem olivæ, tum quia est arbor speciosa frondibus et fœcunda fructibus: nam profert olivas, ex quibus fit oleum quod simul *lux est*, cibus et medicina: lucem enim præbet in lampade, cibat esurientes, plagis morbisque medetur, ut ait S. Bernardus serm. 15. in Cant. in illud: *Oleum effusum nomen tuum.* Hæc omnia in populo præstitit Simon, et quivis sapiens ac sanctus: ita ille. Sed magis ad rem. Simon olivæ comparatur ad altare ascendens, ubi Deum orat atque contemplatur, et ab eo misericordiam petit pro populo. Est oliva pullulans, et ad alta se erigens, anima quæ se a terra abstrahit, cælestia cogitat, in iisque solis delectatur, et bonum Deum reperit, conspicit et gustat. S. Greg. lib. 26. Moral. *Locus*, inquit, *humani cordis est delectatio vitæ præsentis, sed cum divina aspiratione tangitur, locus nostri cordis fit amor æternitatis: consideratione igitur æternæ patriæ de loco suo animus movetur: quia derelictis infimis in supernis cogitationibus ponitur. Prius enim quæ essent æterna nesciebat, in præsentium delectatione torpuerat, simulque ipse transiens amore transeuntium tenebatur, sed postquam quæ essent æterna cognovit, postquam supernæ lucis radios raptim contemplando contigit: admiratione summorum sese ab infimis suscitatus elevavit, ut nulla iam ei nisi quæ æterna sunt libeant, et despectus transeuntibus sola quæ permanent requirat.* Tu ad hæc suspira, hæc ama, hæc contemplare, hæc inquire, ut ea gustare per totam æternitatem merearis.

PSALMUS QUINQUAGESIMUS SECUNDUS.

IN FINEM, PRO MAELETH INTELLIGENTIÆ DAVID.

1. DIXIT insipiens in corde suo: Non est Deus.
2. Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in iniquitatibus: non est qui faciat bonum.
3. Deus de cælo prospexit super filios hominum: ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.
4. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.
5. Nonne scient omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam ut cibum panis?
6. Deum non invocaverunt: illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.
Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.
7. Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum converterit Deus captivitatem plebis suæ, exultabit Iacob, et lætabitur Israel.

PSALMI QUINQUAGESIMI SECUNDI ANALYSIS.

David in hoc psalmo ostendit, et deplorat	Athei impietatem,	In intellectu, Deum negando. 1.
		In voluntate, peccatis eam inquinando. 2.
		In operibus, bona omittendo, mala faciendo. 2. 3. 4.
	Trepidationem eius,	Populum, Deo sacrum, atterentis. 5.
		Deum non invocantis. 6.
		A Deo contriti, confusi, et reiecti. 6.
	Iustorum felicitatem.	Salute a Deo obtenta. 7.
		Libertate. 7.
		Ac lætitia. 7.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

IN FINEM, PRO MAELETH INTELLIGENTIÆ DAVID.

1. HEBR. pro *Maeleth* habetur מחלת *machelet*, quod significat primo dolentem, parturientem, cruciatu affectam: Et sic sumpsit S. Augustin. et S. Hieron. in suo commentario: ubi apud utrumque mendose legitur *Amalech*. Sumunt porro *Maeleth*, pro Ecclesia dolente ob impietatem eorum, qui negant Deum. Verba Hieronymi sunt: Amalech interpretatur dolens, sive parturiens, corpus Christi intelligitur. Et Dominus doluit pro peccatis nostris, quia verum corpus fuit, et parturivit filios. Et Ecclesia corpus Christi dolet pro peccatis suis et aliorum, et parturivit filios per verbum prædicationis, ut illud 1. Cor. 4. 15. *Per Evangelium ego vos genui.* Et Galat. 4. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis:* ita Hieronymus. Sic Maeleth deducetur a חול *chol*, id est, dolere, parturire, cruciari.

Maeleth hic est legendum non Amalech, aut Abimelech. Quid significat? 1.

II. Secundo, et melius, *macheleth*, seu *machalath*, significat

chorum, quod dici potest primo de choro cantorum, id est, de cœtu seu multitudine cantorum simul canentium; 2. pro chorea, id est multitudine simul saltantium: nam etiam in templo fiebant sacræ choreæ, ut probavi Psal. 23. 6. denique, 3. et optime, pro instrumento musico, quod chorus vocabatur: unde Psal. 150. 4. dicitur: *Laudate eum in tympano et choro, laudate eum in chordis et organo.* Hinc Symmach. vertit, δια χορου, per chorum: et Septuag. vocem Maeleth non interpretatam reliquerunt. Theodotio vero, υπερ της χορειας, *pro chorea.* Sunt qui sumant *machol, mechola et macheleth,* pro chorea profana et publica; potest tamen etiam sumi pro chorea sacra. Fateor deduci a חלל *chalal*, vulnerare, occidere; 2. cruciari, dolore affici; 3. profanari, violari. Caveant sibi iuvenes et puellæ, meminerint Dinæ violatæ, cum egressa esset, ut videret mulieres Sichimitarum, Genes. 34. 1. ad festum solemne convenientes, ut ait Iosephus, saltaturas scilicet de more gentis: inde secuta cædes civium Sichem, et dolor Iacobi. Meminerint choreæ coram vitulo aureo, Exod. 32. 6. unde fornicatio. Tertullian. enim lib. de ieiunio ait hunc ludum fuisse impurum: inde gravis Mosis, et Iosue ac piorum dolor, et cædes fere viginti trium mille idololatrarum.

Nota, psalmus hic non differt a 13. nisi in vers. 7. ut videbitur infra. Si quæras, an idem sit utriusque argumentum, respondebit Aiguanus, Hugo, Lorinus, R. Salomon et alii esse diversum. Primo enim Aiguanus in psalmo 13. vult agi de persecutione Babyloniorum, qui Ierusalem ceperunt: in hoc autem de persecutione Græcorum, qua scilicet Antiochus Iudæos est persecutus, ut cultum veri Dei penitus a Iudæis auferret. Secundo, R. Salomon vult in Psal. 13. agi de persecutione Babyloniorum; hoc autem, de persecutione Romanorum per Titum, cum Ierusalem funditus deleta est. Tertio, Hugo putat allegor. ibi agi de primo Christi adventu, hic de secundo; ibi de Iudæis, hic de Antichristo. Verius tamen Bellarminus et S. Athanasius opinantur idem esse argumentum utriusque psalmi: Bellarminus quidem ait, esse deplorationem insipientiæ generis humani, seu humanæ naturæ corruptæ, qualis præsertim cernitur in infidelibus, qui necdum sunt sanati per gratiam. Arbitror in utroque psalmo agi præsertim contra atheos. S. Athanasius ad Marcellinum: Si audias, ait, male loquentes de providentia Dei, ne te consocies eorum impietati, sed ad Dominum te conferens recita Ps. 13. et 52. — 2. Psalmus hic non differt a decimo tertio, nisi in uno versiculo.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

Tria facit. Primo, atheorum perversitatem in intellectu, voluntate et operibus ostendit, vers. 1. Secundo, eorum iustam punitionem, vers. 6. Tertio denique, iustorum exultationem, et liberationem, vers. 7.

PARAPHRASIS.

1. *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.*

1. Ad tantam vesaniam athei prolapsi sunt, ut Deum nullum esse credant.

2. *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in iniquitatibus: non est qui faciat bonum.*

2. Ex hac intellectus corruptione, tanta in voluntatem depravatio manavit, ut vitiis polluti Deo hominibusque exsecrationi sint. Nec sit vel unus inter illos atheos, qui ex virtute mores suos componat.

3. *Deus de cælo prospexit super filios hominum: ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.*

3. Neque id temere affingo. Deus enim e cælo carnales hos homines aspexit, ut videret, num in tanto numero quis esset, qui eius maiestatem cognosceret, bonitatem amaret, voluntatem sequeretur.

4. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.*

4. Sed omnes a iustitiæ lumine et sapientiæ semitis aberrasse cognovit: adeoque corruptis esse moribus, ut sibi prorsus inutiles, vitiis solis studeant: nec vel unus ex illis opus bonum omnibus numeris absolutum præstet.

5. *Nonne scient omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam ut cibum panis?*

5. Hos Deus oberrantes, ad virtutem his vocibus revocare nititur: Nonne tandem ab insipientia sua desistent, oculosque aperient, ut me actiones meas e cælo contemplantem timeant. Qui in terrena proni, ferarum instar, in bona proximorum insiliunt, parique facilitate ac voluptate devorant atque panem.

6. *Deum non invocaverunt: illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.*

6. Non in me, sed in caducis bonis, spes suas collocarunt; nec suis in angustiis opem meam implorarunt: ideo perpetua trepidatione torquentur, etiam in futilibus et minimis rebus, in quibus nullus est timori locus.

Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.

Deus enim eorum robur ac potentiam honoresque infringet, qui eo spreto inanem gloriam aucupantur. Spe tua elusi pudore suffundentur: quoniam Deus illos, eorumque vanos conatus contemnet.

7. *Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum converterit Deus captivitatem plebis suæ, exultabit Iacob, et lætabitur Israel.*

7. A quo salutem illam universalem populi Israelitici et Gentilis per adventum salvatoris in Sionem venientis expectatis? Cum Deus hoc tanto beneficio captivitatem orbis universi abstulerit, omnes iusti, vitiorum victoria et Dei ipsius visione exultabunt.

ARTICULUS I.

Conformitas huius psalmi cum decimo tertio.

3. Parallela Psalmi huius et decimi tertii.

Idem pene est hic Psalmus cum 13. Itaque pete inde ordinem et explicationem. Pauca hic annotemus.

Primus versus in utroque Psalmo est omnino idem.

Secundus versus est etiam idem, nisi quod hic ponitur, *in iniquitatibus*, in illo *in studiis:* sed sensus idem est; nam studia et affectus atheorum sunt iniquitates; 2. in decimo tertio Psalmo additur, non est usque ad unum: Sed non est in Hebræo. Nota, in primo versu dicitur in singulari, *dixit insipiens*, in secundo autem in plurali, *corrupti sunt:* quia malitia instar pestis facile communicatur, et una ovis morbida totum gregem inficit. Iubebatur apud Hebræos leprosus ambulare ore contecto, ne suo

habitu alios inficeret. Pudet non esse impudentem cum impudentibus, quod de se confitetur S. Augustinus. Nota secundo, qui a Deo recedit, corrumpitur. Quomodo, ait S. Gregor. Nyssen. tract. 2. in Psal. cap. 13. in suo quis esse perduret, qui non est in eo qui est? Quomodo quis maneat in eo qui est, si non credat ei qui est, quod sit? ita ipse.

Tertius versus idem est, cum secundo 13. nisi quod ibi *Dominus*, hic *Deus*, ponitur; quin etiam S. Augustinus, S. Hilarius, Cassiod. hic habent *Dominus*.

Quartus versus in nullo prorsus discrepat a tertio decimi tertii psalmi.

Quintus versus huius psalmi correspondet quarto decimi tertii: ab eo solum differt, quod ibi ponitur, *Nonne cognoscent?* hic vero, *nonne scient?* Et Cassiod. ac Psalt. Ambros. et Rom. habent, nonne cognoscent; 2. ibi dicitur, *sicut escam panis:* hic vero, *ut cibum panis;* in Psalt. etiam Romano legitur, sicut escam panis.

Sextus versus correspondet, parte prima, quinto versui psalmi decimi tertii: nisi quod ibi habetur *Dominum*, hic *Deum;* 2. quod ibi in textu Hebr. non legatur, *ubi non erat timor:* itaque vel inde excidit; vel hinc translatum est. Secunda vero pars huius versus correspondet sexto versui psalmi decimi tertii, et ab eo prorsus discrepat. Nam ibi habetur: *Quoniam Dominus in generatione iusta, consilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes eius est.* Hic vero, *Quoniam Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos,* quæ sequenti articulo explicabuntur.

Septimus versus et ultimus utrobique est idem, nisi quod ibi *Dominus*, hic *Deus* ponitur; 2. hic est *converterit captivitatem*, ibi vero *averterit captivitatem*, quæ contraria videntur. Sed si bene expendantur, eumdem sensum faciunt. Nam ut ait Bellarminus, dicitur Deus avertere captivitatem, cum tollit e medio, et ad nihilum redigit ipsam captivitatem: quod fit cum captivis liberatis, captivitas esse desinit. Dicitur autem idem Deus convertere captivitatem, quando captivos revocat, et reducit in patriam. Denique, cum dicitur averti captivitas, sumitur captivitas pro forma, id est, pro ipsa vera captivitate: cum dicitur converti captivitas, sumitur captivitas pro personis, quæ erant captivæ: ita ipse. Sic dicitur, Psal. 125. 1. *In convertendo Dominus captivitatem Sion.* Et vers. 4. *Converte, Domine, captivitatem nostram,* id est nos captivos. Est metonymia, qua figura utentes Hebræi sæpe sumunt abstracta pro concretis.

Nota, tres versiculi, *sepulcrum patens* etc. qui ponuntur in decimo tertio psalmo, non sunt de integritate psalmi: unde sunt sine ulla nota numeri, sed sunt assumpti ex variis Scripturæ locis, ut ibi ostendi.

ARTICULUS II.

Quam perniciosa est inanis gloria.

Athei hæc summa stultitia est, ut Deum negans, hominibus placere studeat, ideo a Deo punitur, ut ulto-
4. Vers. 6. rem sentiat, quem patrem noluit, v. 6. QUONIAM DEUS DISSIPAVIT OSSA EORUM, QUI HOMINIBUS PLACENT: CONFUSI SUNT, QUONIAM DEUS SPREVIT EOS. Hoc explicat Lyranus de Antiocho Epiphane, qui miserabiliter mortuus est in montibus: Cadens enim de curru habuit ossa collisa, et tandem miserabiliter mortuus est, 2. Machab. 9. Secundo, Burgensis exponit de Antichristo, et sectatoribus eius: illum enim impium interficiet Christus spiritu oris sui. Tertio, S. August. Blemmida, Euthym. Ruffin. applicant Iudæis Christi persecutoribus et occisoribus: eorum enim robur, potentiam, aliaque dissipavit Deus, et spretos ac proiectos a se et sua cura et providentia ludibrio nationum omnium exposuit.

Qui vanam gloriam amat in Deum pugnat.

Nota, pro, *qui hominibus placent*, Hebr. est חנך *chonach*, id est castrametantis contra te. Rad. חנה *chana*, castrametari, militari, obsidere, in loco aliquo immorari, quiescere, considere. Hinc primo Felix vertit, *Deus dispersit ossa castrametantis adversum te.* Secundo, Arias, *ossa obsidentis te; chonach* enim est in singulari. Flaminius tamen habet, ossa eorum qui te obsident. Hebræi enim sæpe variant numeros. Tertio, S. Hieron. *Deus dispersit ossa circumdantium te.* Quarto, Campensis, *Deus dissipabit ossa eorum, qui te oppugnant.* Quinto, idem Camp. *Deus disperdet ossa illorum, qui exercitum educere conabuntur, o Christe, adversum te.* Chald. consonat: vertit enim, *Deus qui dissipas robur exercituum flagitiosorum.*

Septuaginta vero ανθρωπαρεσκων, id est hominibus placere studentium. S. Cyrill. Alex. vertit υποκριτων. Arabs, *Deus dissipans ossa hypocritarum apud homines.* Syr. qui hominibus placent. Cassiodor. sibi placentium. Qui aliis placere vult, nimis seipsum amat, et sibi in sua scientia, honore, divitiis applaudit: unde aliis ostentare et venditare exoptat. Alii vertunt, *Dissipavit ossa dedicationis,* id est, ait Lorinus, eos qui exponunt libidiui corpora: sed malim explicare de iis qui se exornant, suaque videnda exponunt, sicut fit in dedicatione templi. Hebr. חנך *chanach*, significat dedicare, docere. Caveant sibi Doctores ne velint digito monstrari, et dicier, hic est. Septuag. legerant חנף *chanaf*, per *phe*, hypocrita, simulans, acceptans personam.

Hinc sequitur, eos qui hominibus placere volunt, Deum bello appetere, in eum castrametari, in eum movere exercitum vitiorum, illum oppugnare. Paulus ait de seipso, Galat. 1. 10. *Si adhuc hominibus placerem* (placere vellem) *Christi servus non essem.* S. Hieron. ad Asellam ait: Gratias ago Deo, quod dignus sim quem mundus oderit. Dices, Paulus ipse dicit 1. Corint. 10. 33. *Ego per omnia omnibus placeo*, id est, placere conor. Respond. id fecisse non sui, sed aliorum causa: addit enim: *non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.* Et cap. 9. 21. ibid. *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Christus imperavit Apostolis, Matth. 5. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum qui in cælis est.* Lege S. Gregor. 3. part. Pastoral. Admonit. 36. Inimicam Deo vocat vanam gloriam. S. Antiochus hom. 43. *Qui*, ait, *est vanæ gloriæ amator, ostendit, quod* προσκειται μισοθεω δοξη, *adhæret gloriæ Deo inimicæ. Suavissime enim,* θηρευει επαινους, *venatur hominum laudes, et ad eas ambitiosius subsultat, quam examen reliquum coepulonum.* Muscas captat, qui cælestia ambire debebat; vilem mercaturam exercet, qui divinos thesauros sperare poterat. S. Petrus Damiani in Apolog. de contemptu sæculi, c. 17. Vana gloria, inquit, quasi negotiandi materia in medio posita est, ad quam diversi mercatores accedunt.

Quæres, quas pœnas recenset Propheta inferri solitas 5.
vanæ gloriæ captatoribus? Tres præsertim. Primo, quod Vanæ
Deus ossa dissipet. Secundo, quod eos confundat. Tertio, gloriæ studiosorum
quod illos spernat. punitio triplex:

Ac primo, de ossium confractione et dissipatione dicitur, v. 6. *Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent.* Per ossa virtutes intelligit Hugo et Aiguanus. Et I. Ossum confractio.
vero mentem stabiliunt, sicut ossa corpus: plenæ sunt suavitatis, sicut ossa medullæ: iis crescentibus augetur homo interior, sicut crescentibus ossibus homo exterior: ossa dolorem non sentiunt, nec virtus vera et solida: ossa alba sunt, virtus innocens est; 2. *ossa* sunt spes æternitatis: ita S. Hilarius. Caro ad ima defluit, nisi ab ossibus erigatur. Spiritus promptus est, caro autem infirma. Spiritualis homo sapit quæ rursum sunt, non quæ super terram; 3. *ossa* sunt robur, potentia, divitiæ, honor, nobilitas, scientia, et alia omnia quibus homo erigitur et stabilitur.

Hæc omnia deiicit et dissipat vana gloria. Primo, vir- 6.
tutes. Sicut enim vera gloria est, μισθος αρετης, *virtutis præ-* Id est,
mium, ut eam vocat Synesius ad Hegemonem, ita vana I.
gloria est *virtus virtutum*, ut loquitur S. Bernard. in vita Virtu-
S. Malachiæ Episcopi. Et *venenum*, sicut ait Victor An- tum.
tiochenus in cap. 1. Marci. Vere appetitus laudis et humanæ gloriæ, ait Arnobius, scabies est virtutis, tinea

sanctitatis. S. Basilius in Asceticis nuncupat, spoliatorem spiritualium divitiarum: φερωμεν, ait, κενοδοξιαν, γλυκυν σκυλευτην πνευματικου πλουτου. S. Chrysost. hom. 72. in Matth. Κενοδοξια, η σης των εκει θησαυρων. Ουτος ο κλεπτης ευποριας της εν ουρανοις: *Vana gloria tinea est cælestium thesaurorum: est prædo abundantiæ cælestis. Hæc diripit divitias, quæ tolli non possunt, hæc omnia perdit atque corrumpit.* Fumus est, ab anima virtutes, velut cælestes apes, abigens, easque dissipans. Plin. lib. 11. cap. 16. *Cum*, inquit, *exiguntur mella, fumo abiguntur apes.* Hamus est, ex anima virtutes, velut sacros pisces extrahens et occidens. S. Ignat. epist. ad Magnesianos: *Volo*, ait, *vos custodire ne incidatis*, εις αγκιστρα κενοδοξιας, *in hamos inanis gloriæ.* Sagitta est illas, velut aves Paradisi, intcrimens. S. Bernardus serm. 33. in Cant. *Patebimus vulneri*, ait, *a sagitta volante in die, quæ est inanis gloria.* Ventositas est vehemens ossa interiora dissipans et diffringens. Avicenna docet ventositates in vacuis ossibus inclusas aliquando ea disrumpere. Hoc accidit iis, qui vacui medulla virtutis, ventoque inflati superbiæ, et *sensu carnis*, Coloss. 2. 18. *et opinione scientiæ*, 1. Cor. 8. 1. *inflati sine voce disrumpuntur*, Sap. 4. 29.

Sicut vana gloria et virtutum noverca, ita est mater vitiorum. S. Antiochus hom. 43. ριζα, inquit, αισχρας επιθυμιας ανθρωπινος επαινος: *radix obscœnæ concupiscentiæ est laus humana.* Et paulo post subdit, η κενοδοξια και ηδονη, αιτια υπαρχει πασης κακιας: *vana gloria, et voluptas, est artifex omnis malitiæ.* Thalassius centuria 1. ιδιον κενοδοξιας υποκρισις και ψευδος: proprium vanæ gloriæ, hypocrisis et mendacium. Abulensis in cap. 6. Matth. q. 10. ex S. Gregorio 31. Moral. septem assignat filias inanis gloriæ: scilicet, inobedientiam, iactantiam, hypocrysim, contentionem, pertinaciam, discordiam, novitatum præsumptionem.

7. II. Mercedis æternæ. Secundo, *ossa*, id est, spem æternitatis, ut ait Hilarius: id est, mercedis beatæ in æternitate, dissipat vana gloria. Ut enim dicit Christus, hypocritæ perdunt mercedem divinam, dum recipiunt suam: id est, eam quam quærunt. Verba eius sunt Matth. 6. 1. *Attendite* (attentione opus est: quia vana gloria est subtile malum, ut eam vocat S. Bernard. serm. In Ps. 90.) *ne iustitiam vestram* (Arab. misericordiam. S. Chrysost. Iustitiam illam de eleemosyna explicat) *faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum qui in cælis est.* Hinc dicit, cum fit eleemosyna, non esse tuba canendum, seu, ut habet Syrus, clamandum cornu, ante se, sicut hypocritæ faciebant in synagogis, et in vicis: hoc est, in compitis et plateis, atque ante domos suas. Additur enim v. 2. *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* S. Hieron. in epitaphio Fabiolæ: Celata virtus, ait, Deo iudice gaudet. Contra vero, ut ait S. Ioan. Climac. grad. 22. Κενοδοξια εστι καματων σκορπιστηριον: Vana gloria est *laborum dissipatio*, sudorum perditio, thesauri insidiatrix, infidelitatis soboles, nuncia superbiæ, εν λιμενι ναυαγιον, *in portu naufragium*, in arca formica: parva quidem bestiola, sed quæ omnibus laboribus et frugibus insidiatur. S. Antiochus homil. 43. η κενοδοξια, inquit, απολλυται μισθους αρετων: Gloriæ momento evanescentis cupiditas misere perdit merces virtuti debitas. Et sicut lapis in aera contortus ad cæli usque convexa nunquam pertingit: ita nec hominis oratio humanos favores captantis ad aures Dei unquam conscendet: ita ipse. Matrem gehennæ et suppliciorum vocat inanem gloriam S. Chrysost. hom. 3. in epist. ad Roman. μητηρ γεεννης, ait, κενοδοξια, και το πυρ αναπτει σφοδρως εκεινο, και σκωληκα τον ιοβολον: *Mater gehennæ est vana gloria, et illum ignem accendit vehementer, atque vermem venenatum.* Et hom. 17. in eamdem epist. ait, ουδεν κενοδοξιας χειρον: *Nihil esse inani gloria peius.* Et vero, quid nequius eo vento, qui multis laboribus, annis, et impensis collectas opes Indiæ in mare præcipitat? Pœnitentia est navis, aurum et gemmas virtutum colligit. Isaac Presbyter lib. 1. de mundi contemptu: Pœnitentia est navis, timor vero gubernator eius, charitas portus divinus: facit ergo timor nos sedere in navi pœnitentiæ, et transfretare nos mare mundi fœtidum, et ad portum divinum, qui est charitas perducit nos: hæc Isaac. Sed perducit cum timore: non cum vanitate, quæ conterit naves Tharsis.

8. III. Roboris et potentiæ. Tertio, *ossa*, id est, robur et potentiam in hoc sæculo, dissipat vana gloria. Hoc patuit primo in Davide nostro, qui populum suum numerari præcepit, 2. Reg. cap. ultimo, quod fecisse illum ob vanam gloriam ait Abulensis in cap. 21. lib. 1. Paralipomen. quæst. 13. Hinc mortui sunt ex populo a Dan usque Bersabee (id est, per totam Iudæam, cuius terminus septemtrionalis erat Dan et meridionalis Bersabee) *septuaginta millia virorum.* S. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 66. dicit, cor regis fuisse superbia pertentatum, et tumorem animi humani diminutione populi fuisse sanatum. Secundo, hoc patuit in Ezechia rege Iuda, qui inani lætitia gestiens thesauros suos omnes ostendit legatis Babylonis. Cum enim sanatus esset a morbo lethali, et sol in horologio Achaz regis retrocessisset decem lineis, id est, quinque horis, misit ad eum legatos ad congratulandum Merodach primus Babyloniorum princeps, qui etiam dictus est Nabonassar: visa enim Sennacherib regis Assyriorum clade in Iudæa, et nece in suo regno, rebellavit, et se fecit principem Babylonis. Ut autem magis magisque stabiliretur, conatus est vicinos reges habere amicos: ideo ad Ezechiam misit, qui victoriam illi et valetudinem miraculo partam gratularentur: Ezechias tum illo honore inflatior, tum opum copia, omnia aperuit cum ostentatione legatis illis; ideo Isaias ad eum a Deo missus est durus nuncius; ait enim 4. Reg. 20. 17. *Ecce dies venient, et auferentur omnia quæ sunt in domo tua; et quæ condiderunt patres tui usque in diem hanc in Babylonem: non remanebit quidquam, dicit Dominus.* Gravem certe pœnam venialis ostentationis, in sanctissimo et piissimo rege. Quare iure Pisidas de vanitate vitæ, vocat caducam falsæ gloriæ felicitatem. Et alius dicit, vanam gloriam esse θηριον ατιθασσον, immanem belluam, quæ devoret illa utentes. S. Nilus orat. 7. quæ est de inani gloria, acervatis similitudinibus eam inanis gloriæ ruinam ostendit: *Inanis gloria*, inquit, *est animi perturbatio rationi contraria, quæ omnibus virtutis operibus facile implicatur. 1. Linea in aqua impressa confunditur, itidem labor in animo inanis gloriæ cupido. 2. Manus in sinu latens fit candida, et opus absconditum luce nitet splendidius. 3. Hedera sic arborem complectitur, ut cum altius sese sustulerit, radicem eius arefaciat: inanis gloria sic iuxta virtutes nascitur, ut non recedat priusquam vim illarum exciderit. 4. Racemus humi iacens facile putrescit, et virtus inani gloriæ inhærens corrumpitur. Monachus inanis gloriæ studiosus, est operarius sine mercede, laborem subit, et mercedem non accipit. 5. Dolium pertusum non retinet quæ sunt infusa, et inanis gloria profundit virtutis præmia. 6. Hominis gloriæ cupidi temperantia, velut camini fumus in aera diffunditur. 7. Pedis vestigium ventus delet, et inanis gloriæ studium perdit eleemosynam. 8. Inanis gloria est veluti scopulus sub aqua latitans, ad quem si navem illiseris, periisti*: ita S. Nilus.

9. Comparationibus variis declaratur vanæ gloriæ malignitas.

10. Virtus omnibus præstat honoribus. Aristidis dictum notabile. Hinc sequitur, solidam virtutem esse quærendam, non vanas opes et honores, qui inflant et cito abeunt. Aristides orator Atheniensis dicit in Platonica pro Quatuor viris. Vim dicendi cum proba et modesta vita, qualis in hominem maxima posset cadere, coniunctam malim, η μυριακις Δαρειος ο Υστασπου γενεσθαι, quam *decies millies Darium Hystaspis filium fieri*, et eius respectu iam omnia mihi videntur sordere: ita ipse ethnicus: nos Christiani cum Paulo dicamus Philippens. 3. 8. *Omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.*

11. II. Vanam gloriam amantes confunduntur. Secunda pœna eorum, qui per inanem gloriam hominibus placere volunt, est confusio. *Confusi sunt.* Flamin. confundentur. Hebr. est confudisti, eos scilicet. Venatores illi gloriolæ confundentur. Primo, ab hominibus, quibus displicent sæpe eo magis, quo magis placere cupiunt. Secundo, a seipsis, qui cum assecuti sunt gloriam quam o-

ptant, vident rem esse vanissimam. Tertio denique, a Deo, a quo plerumque puniuntur, et in ignominiam deiiciuntur. Sunt ædificatores turris Babel in campo Sennaar: Babel significat confusionem, Sennaar dentium excussionem. Ipsi dicebant, Genes. 11. 4. *Venite faciamus nobis civitatem* (Babylonem) *et turrim, cuius culmen pertingat ad cælum* (est hyperbole: S. Hieronymus ait fuisse altam quater mille passus, id est, milliare magnum seu Germanicum) *et celebremus nomen nostrum, antequam dividamur.* Hebr. ne forte dispergamur. Sed Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent, et confusos dispersit per terram ac terrena. Laborabant illi vanitate et superbia, ut ait S. Chrysostom. et S. Augustinus; hoc sciens Deus ait v. 7. *Venite igitur* (Angeli, dicit S. Augustinus, vel potius, Filius et Spiritus sanctus) *descendamus, et confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui.* Inanis gloriæ amatoribus omnes obsistunt, et nemo audit vocem eorum, sed gaudet eorum confusione. Inter illos ædificatores turris erat Nemrod, sive Belus; qui maxime urgebat et promovebat opus, ut sibi tyrannidem usurparet, sicut fecit. Fuit enim primus rex Assyriorum, illiusque idolum adorari iussit Ninus eius filius: en tibi placentes hominibus. Sed audi confusionem. Ieremiæ 50. 2. *Confusus est Bel* (id est, idolum Beli, vel Bel fictus deus) *victus est Merodach*, idolum eius, qui declinante Assyriorum regno Babylonium decus restituit, ut dixi supra. Merodach significat amaram contritionem. Hoc accidit, ut plurimum, gloriolæ sectatoribus, qui post multos labores nihil præter amaritudinem et contritionem reportant. Galenus Cyrtoni apud Alciphronem: *Frustra,* inquit, *a nobis omnis opera consumitur, o Cyrto, qui interdiu procellis urimur, noctu cum faucibus profundum evertimus. Hoc nimirum est, quod dicitur,* εἰς Δαναΐδων τοὺς ἀμφορέας εκχέομεν πίθους: *In Danaidarum amphoras cados effundimus. Sic in vanum et irritum labor noster cadit. Nobis ne Acalephe quidem aut Pelori de ventrem implere datur. Dominus colligit pisces et pecuniam.* Multis accidit idem, quod Eridani anguillis, quæ flatu ipso enecantur, ut ait Ælian. lib. 4. de anim. c. 8.

12. *Caligulæ stultissima vanitas.* Quam vilis, abiecta, ridicula, et confusione digna sit gloriæ mancipiorum cupiditas, in uno Caligula Imp. conspicere possis: qui triumphi gloriam ambiens, hostem qui non erat, finxit adesse, atque de oceani conchyliis triumphare voluit. Rem narrat Sveton. in Caligula cap. 45. Mox, inquit, deficiente belli materia, paucos de custodia Germanos traiici, occulique trans Rhenum iussit: ac sibi post prandium, quam tumultuosissime adesse hostem nuntiari. Quo facto, proripuit se cum amicis, et parte equitum Prætorianorum in proximam silvam, truncatisque arboribus, et *in modum trophæorum* adornatis ad flumina reversus, eorum quidem qui secuti non essent timiditatem et ignaviam corripuit: comites autem, et participes victoriæ, novo genere ac nomine coronarum donavit, quas distinctas *solis ac lunæ, siderumque specie,* exploratorias appellavit. Inter hæc absentem Senatum populumque gravissimo obiurgavit edicto, quod Cæsare præliante et tantis discriminibus obiecto intempestiva convivia, circum et theatra, et amœnos secessus celebrarent: ita ibi. Vix risum tenes lector, magis ridenda et subsannanda accipe. Idem auctor cap. 46. addit: Postremo, quasi perpetraturus bellum, directa acie in littore oceani, ac ballistis machinisque dispositis, nemine gnaro ac opinante quidnam cœpturus esset, repente *ut conchylia legerent*, galeasque et sinus replerent, imperavit, *spolia oceani* vocans, Capitolio palatioque debita: et in indicium victoriæ altissimam turrim excitavit: ex qua, ut ex Pharo, noctibus ad regendos navium cursus, ignes emicarent, pronuntiatoque militi donativo, centenis viritim denariis, quasi omne exemplum liberalitatis supergressus: *Abite,* inquit, *læti, abite locupletes.* Quid insanum magis? de triumpho, arbitror, post tantam tamque nobilem victoriam cogitandum est. Ne id quidem illius defuit vesaniæ. Nam cap. 47. adiicit Svetonius: Conversus hinc *ad curam triumphi*, præter captivos et transfugas barbaros, et Galliarum quoque procerissimum quemqua: et, ut ipse dicebat, ἀξιοθριαμβευτον, ac nonnullos ex principibus legit, ac seposuit ad pompam: coegitque non tantum rutilare, et submittere comam, sed et sermonem Germanicum addiscere, et nomina barbarica ferre. Præcepit etiam triremes, quibus introierat oceanum, magna ex parte itinere terrestri Romam devehi. Scripsit et procuratoribus, triumphum appararent quam minima summa, sed quantus nunquam alias fuisset, quando in omnium hominum bona ius haberent: huc usque Svetonius. His quid addi possit ad perfectissimam amentiam non video. Tantum est in cupiditate inanis gloriæ, et cæcitatis et vecordiæ. Si terrena et vana quæris, arenam et conchylia colligis: licet triumphes coram hominibus, tamen coram angelis Dei eris ridiculus, et in fine vitæ nihil reperies in manibus tuis præter confusionem.

Tertia pœna studentium vanæ gloriæ, est proiectio et contemptio eorum a Deo: *Quoniam Deus sprevit eos.* Hebr. מאסם *measam,* proiecit eos: ita Hier. abhorret ab cis: ita Camp. abominatus est eos: ita Felix. Rad. est *maas,* reiicere, reprobare, contemnere, pro nihilo habere, fastidire, cum fastidio abiicere. Chald. *rahekinun,* longe proiecit eos, tamquam rem abominandam et execrabilem atque pollutam. Hoc enim significat *rehac* seu *rehic*, in coniugatione Pael, quæ respondet Hebr. Piel, id est, tertiæ coniugationi. Syr. *asleenun*, aversatus et aspernatus est eos, reiecit, reprobavit; *asle* est in coniugatione Aphel, quæ correspondet Hebr. Hiphil, et significat vehementiorem actionem, aut etiam impulsum ut alii agant: itaque potest etiam significare, fecit ut alii abominentur, abominabilem reddidit, fecit ut alii eos proiiciant, et a se repellant. Sept. ἐξουδένωσεν αὐτούς, ad nihilum illos redegit. Ps. 72. 20. *Imaginem ipsorum ad nihilum rediges,* id est, ait Hugo Card. gloriam temporalem, quæ sicut imago apparet in isto somnio. 13. *Vanæ gloriæ amator a Deo proiicitur.*

Ratio cur Deus spernat inanis gloriæ mancipium, est iniuria, quam Deo facit cum privando re, quam maxime amat, et quæ ei soli debetur. Isaiæ 42. 8. sic loquitur: *Ego Dominus, hoc est, nomen meum et gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus,* hominibus, qui ut idola coli et honorari volunt. S. Nilus oration. 7. Virtus, ait, hominis gloriosi est victima mutila, quæ ad altare Dei non admittitur. *Ob quatuor rationes.*

Secunda ratio: quia, qui vanam gloriam captat, veram negligit, quæ est Deus: itaque est Deo iniurius, qui ipso spreto muscas et ventos venatur. Similis est ei, qui coram principe laudes vernulæ ambiret, eo contempto. S. Chrys. hom. 3. in illud Isaiæ, *Vidi Dominum,* sic ait: *In equestri certamine gratia solius Cesaris petitur. Tu vero,* ἀγγέλων βασιλέα, *Angelorum Dominum videns, hunc relinquis, atque ad conservorum oculos et obtutum vertis.* S. Isidor. Pelusiota epist. 197. lib. 1. ad Cyrum: Pompa, inquit, fastus, et inanis gloria, οὐ συμνεύει τῷ ἄνω λαμπρότητι, cum cælesti luce non bene conveniunt.

Tertia ratio: quia, qui vanam gloriam captat omnium se hominum servum potius quam Dei efficit, iisque se suaque prostituit. S. Chrysostom. hom. 17. in epist. ad Rom. *Sicut meretrix sub fornice stans omnibus se prostituit: sic illa vanæ gloriæ mancipia,* μᾶλλον δὲ ἐκείνης αἰσχροὺς οὗτοι. *Imo illa sunt hi turpiores, illique inferiores. Nam sæpe hæc amasios despicit, tu vero teipsum prostituis, et servis fugitivis, et furibus, et crumenarum prædatoribus:* ita ibi.

Quarta ratio, cur Deus oderit vanam gloriam captantes, petitur a dissimilitudine eorum et Christi. Nam Christus humilis dicit, Ioan. 8. 50. *Ego non quæro gloriam meam.* Hinc S. Chrysostom. hom. 22. in epist. ad Ephes. Qui, ait, hominibus placere studet, non est servus Christi: et Christi servus, hominibus placere non studet. Procopius Sophista ad Philippum fratrem: *Bonis viris,* ait, *sufficiunt mores,* εἰς σύστασιν φιλίας, *ad amicitiæ contractionem.* Itaque ex dissimilitudine odium et fuga oriuntur. S. Aug. de civit. Dei, ait: *In civitate Dei rex veritas; lex, charitas; dignitas, æquitas; pax, felicitas; vita, æternitas: sed in ci-*

vitate diaboli e contra, rex, falsitas; lex, cupiditas; dignitas, iniquitas; lis, felicitas; vita, temporalitas. De Christo dicitur: *Manus eius tornatiles*, nihil in iis est inæquale, nihil eminet vel deficit: opera eius a Deo uno non recedebant.

14. Chrysostomi vox admiranda. Conclude cum S. Chrysost. hom. 17. in epist. ad Rom. *Malim ego*, μυριων γενεσθαι βαρβαρων δουλος, *infinitorum barbarorum servus fieri, quam vel unius vanæ gloriæ semel. Neque enim illi tam gravia et molesta captivis imperant, sicut illa subditis suis*, παντων εσο δουλος, *Omnium servus esto, sive splendidiores, sive abiectiores te fuerint, contemne animam, neglige virtutem, deinde libertatem, salutem tuam immola.* Hæc Chrysostomus, qui deinde præceptum addit mirabile: *Illam sententiam inscribamus parietibus, et portis, et menti, et apud nos ipsos assidue dicamus: Væ nobis, cum omnes homines nobis benedicunt.* Et concludit: *Si sint duo millia, quæ te laudent, nulla in re differunt*, κολοιων ανωθεν κραζοντων, *a graculis e superiori loco crocitantibus.* Et alibi præclare dicit: *Si gloriari cupis, gloriam fuge ac despice, sic omnibus eris gloriosior.* Hoc ut facias, oculos in Christum crucifixum coniice, qui pro te ita contemni voluit. Diogenes Cynicus ad Perdiccam scribebat: Si contra gloriam pugnare vis, ισχυροτεροις εχθροις, *quæ inimicorum est fortissima, plusquam Thraces et Pæones te offendit, abiectis hominum affectibus me accerse: possum enim hanc subire militiam.* Quanto verius, certius et amabilius hoc tibi dicit Iesus Dei Filius, spinis coronatus, et cruci inter latrones affixus? ad hunc evola, huic coniungere, in eum te transforma: ut crucem spinas, clavos contumelias ames, et Dei tui gloriam promoveas.

PSALMUS QUINQUAGESIMUS TERTIUS.

1. In finem, in carminibus intellectus David,
2. Cum venissent Ziphæi, et dixissent ad Saul: Nonne David absconditus est apud nos?

3. Deus in nomine tuo salvum me fac: et in virtute tua iudica me.
4. Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.
5. Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quæsierunt animam meam: et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.
6. Ecce enim Deus adiuvat me: et Dominus susceptor est animæ meæ.
7. Averte mala inimicis meis: et in veritate tua disperde illos.
8. Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo Domine: quoniam bonum est.
9. Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: et super inimicos meos despexit oculus meus.

PSALMI QUINQUAGESIMI TERTII ANALYSIS.

David, in deserto Ziph, a Saulis exercitu circumseptus	Deum implorat	Salvatorem, ut a periculo eximat. 3. Iudicem, ut innocentem declaret. 3. Parentem, ut clamantem exaudiat. 4.
	Hostium furorem aperit, qui	Alienato animo, insurrexerint. 5. Viribus maximis, circumstent. 5. Impietate barbara, Deum contemnant. 5.
	Victoriam prædicit,	Deo auxilium præstante. 6. Et hostes atterente. 7.
	In gratiarum actionem pollicetur.	Opere, victimas se immolaturum. 8. Ore, laudes Deo cantaturum. 8. Corde, Deum auctorem victoriæ crediturum. 9.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. In finem, in carminibus intellectus David.
2. Cum venissent Ziphæi, et dixissent ad Saul, Nonne David absconditus est apud nos?

1. Tempus, quo hic Psalmus factus est. Anno regni Saulis 14. ætatis Davidis 26. fugæ eius 3. ante Christum 1079. fugiens ab urbe Ceila David recepit se in desertum Ziph, ubi manebat in locis firmissimis, natura, non arte munitis, quæ scopuli eminentes, aditu que difficiles, instar artium et castrorum faciebant. Ibi latentem illum cum sexcentis militibus Ziphæi ad Saulem deferunt; sive gratiam eius aucupantes, sive furorem timentes, sive ab aliquibus Davidis militibus aliquid passi, aut metuentes. Saul hoc nuntio lætus, statim cum exercitu advolat, eoque in modum coronæ cingit Davidem; ita ut desperaret se posse evadere, ope scilicet humana. Tunc cecinit psalmum nostrum, opem Dei implorans in summo illo discrimine. Allegor. hæc Christo, quem Iudæi persequebantur, et sæpius capere voluerunt, applicant S. Hilarius, S. August. Valentia et alii. Lege lib. 1. Reg. 23.

Nota, Ziph erat civitas, mons, silva, desertum in Iudæa situm, in finibus Idumææ: unde, nonnunquam desertum Iudææ dicitur, nonnumquam Idumææ. Abdias Propheta præruptos eius montes et scissuras petrarum celebrat. Erat in tribu Iuda, ut patet Iosue 15. 24. et 55. Un- 2. Ziph erat civitas et desertum.

de concluditur Ziphæos fuisse contribules Davidis, ideoque duriores fuisse, qui generum regis innocentem, et sibi coniunctum prodebant, ut sciamus, quod ait Michæas 7. 6. *Inimici hominis* (cuiusvis, ut ait Chaldæus: pauci excipiuntur) *domestici eius. Ego autem ad Dominum aspiciam, expectabo Deum Salvatorem meum:* sicut fecit David a Ziphæis proditus, et Christus a Iudæis sibi sanguine et oratione coniunctis, et martyres aliique a parentibus, fratribus, filiis, sponsis. S. Chrys. hom. 36. in Matth. monet ex illo loco, nos debere omnia præ Deo contemnere: *His verbis Propheta omnibus rebus superiorem conatur facere eum, qui dicta eius esset suscepturus. Nec enim mori, sed male mori malum est. Ideo dicebat: Ignem veni mittere in terram; quibus verbis vult significare magnitudinem et ardorem charitatis quam flagitat. Nam quoniam ipse nos mirum in modum dilexit, ideo singulari a nobis quoque charitate diligi desiderat*: ita Chrysostomus.

3. *Ziphæi quid Hebr. significent.* Nota secundo, *Ziphæi* significant primo *florentes:* ita S. Aug. S. Hieron. et alii, qui per eos intelligunt mundi amatores: hi dicunt Sap. 2. 7. *Non prætereat nos flos temporis*, id est, iuventutis, ait Holcot: de tota vita possis explicare. Illi, ut ait S. Bonaventura, nihil curant de fructu animæ cœlestis, sed de flore veris præsentis. S. Augustin. in Psal. nostr. vocat Ziphæos, id est, florentes, qui florent in sæculo et arescent in iudicio, et post ariditatem in ignem æternum mittentur. Et postea subdit: Dignitas sæculi, herba est hyemalis, usque ad æstatem viret. *Mundi gloria cito defluit.* Et in Ps. 102. *Totus splendor generis humani, honores, potestates, divitiæ, flos fœni est: et sicut vix annua est pulchritudo agri, et perexiguo tempore transeunt flores, qui sunt pulchritudo herbarum: sic et humana prosperitas.* S. Isidor. ait, *flores* vocari quasi *fluores*, quia cito defluunt. Sic rosa Græce dicitur ῥόδον a ῥοῆ: id est, fluxu, q. d. Fluens odor. S. Hier. in Psal. nostr. Ziphæi, ait, interpretantur florentes, id est, peccatores, qui quasi florentes et virides sunt in præsenti vita, ut ait Propheta Isaiæ 40. 6. *Omnis caro fœnum, et omnis gloria eius sicut flos agri:* quia quod siccum est, igni reservatur. Isti deputantur in pœnam: Sancti ad regnum. Sicut herba hodie quasi viridis videtur esse, usqueque fuerit æstus: sic peccatores qui videntur florere, in die iudicii arescent: et Sancti, qui hic videntur quasi aridi et sicci, tunc erunt florentes et virides. Unde dictum est, Ps. 91. 13. *Iustus ut palma florebit:* ita Hieronymus. Apud Ziphæos illos et florentes latet: id est, conversatur David, hoc est, pius et fidelis, sed postea gloriosus apparebit.

4. Secundo, *Ziphæi* idem sunt atque *oris aspersiones*, tales sunt adulatores et plerique mundi homines, qui blandiuntur, sicut Ziphæi Davidi genero regis; deinde clam produnt regibus, principibus, magistratibus, et potentioribus. Hoc fecit Iudas, et Iudæi Christo. S. Hilar. Hic populus, ait, ut populus Ziphæi ore potius quam fide aspersus, et mundationem aspersionis labiis magis quam corde suscipiens infidelis in David suum, et proditor extitit: quod antea per Prophetam Isaiam dixerat, cap. 29. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eius longe est a me.* Ad prodendum David ob id pronus: quia cessante fide cordis, omnia per oris fraudulentiam legis sacramenta gessisset: ita Hilarius. Sed etymon est difficile. Melius *Ziphæi*, id est, *hæc ora*, a זה *ze*, hic, et פה *pe*, os q. d. Qui tantum loquuntur, nihil faciunt, garruli loquaces, impudentes: qui sunt tantum os, et non habent cor. Michael Angelus a S. Romulo exponit etiam falsitates, falsi. Tales sunt locutulei et assentatores.

Tertio, *Ziphæi*, idem est quod *Picei*, bituminosi. Tales sunt mundi amatores, qui et inquinati sunt, et ad se accedentes inquinant, apud quos et ipse David manu fortis et

5. *Conversatio mala mores inquinat sicut pix.* Deo amabilis periclitatur. Eccli. 13. 1. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: et qui communicaverit superbo, induet superbiam.* De omni peccatore id dicit Syrus, cum vertit: *Qui accedit ad picem, ipsa adhæret manui eius, et qui communicat iniquo, induit mores eius.* Plutarch. alio simili utitur lib. de liberis educandis: Si, ait, iuxta claudum habites, subclaudicare disces. Seneca lib. 3. de ira: Sumuntur, inquit, a conversantibus mores. Et ut quædam in contacto corpore vitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit. Ebriosus convictores in amorem vini traxit. Impudicorum cœtus fortem, et si liceat virum emollit. Avaritia in proximos virus suum transtulit. Eadem e diverso ratio virtutum est, ut omne quod secum habet, mitigent; nec tam valetudini profuit utilis regio et salubrius cælum, quam animis parum firmis in turba meliorum versari. Quæ res, quantum possit, intelliges, si videris feras quoque convictu nostro mansuescere, nullique immani bestiæ vim suam permanere, si hominis contubernium diu passa est: ita Seneca. Ad rem nostram aptum est illud S. Bern. serm. 82. in Cant. *Cur non*, inquit, *quæ immortalis facta est, similia sibi immortalia appetit et æterna: ut quod est, appareat; et quod facta est, vivat? Cæterum contraria sapit et quærit, et mortalibus sese degeneri conversatione conformans, immortalitatis candorem quodam mortiferæ consuetudinis piceo colore denigrat. Quidni mortalium appetitus immortalem mortali similem, immortali dissimilem faciat? Qui tangit picem, ait Sapiens, inquinatur ab ea: fruendo mortalibus mortalitatem se induit, et vestem immortalitatis incidente mortis similitudine decoloravit, non exuit:* ita Bernardus. Filii Dei videntes filias hominum, facti sunt homines: et humi iacentes, luto se inquinaverunt, quod solo diluvio elui potuit. Ziphæi sic a זפת *zepheth*, id est pix, derivabuntur.

6. *Symbol.* Symbolice, Ziphæi illi picei et bituminosi sunt dæmones præsertim ad viscosa carnis vitia impellentes. S. Gregorius Nyss. tract. 2. in psalmos, cap. 13. Per transitum, ait, adeo ad penetrandum difficilem, Evangelicam illam regni cælestis semitam intelligo, qua nos quidem Ziphæi prohibent, hoc est, alienigena dæmonum natio, ministri adversariæ potestatis: inveniunt vero eam pauci illi, qui istam viam aversantur: ita ipse. Sept. montem et terram Ziphæorum vocent αὐχμώδη, id est, siccam ex vehementi æstu, squalidam, arentem, siticulosam; talia sunt omnia quæ dæmon ostentat, licet illis mendaces et non radicatos, citoque siccandos flores prætexat.

7. *In deserto Ziph plures psalmi sunt scripti.* Nota tertio, in deserto Ziphæorum David plures scripsit et cecinit psalmos. Salianus ann. 2975. ait hoc non esse dubium. De duobus certe est manifestum ex eorum titulo: nempe de 62. et de hoc nostro. Ubi adverte, quod tribulatio efficit, ut Deo bene resonemus, inter malleum et incudem positi. Valentia rem ridiculam ex Thalmudistis refert, quæ tamen symbolice accepta utilis esse potest. Dicunt, inquit, quod postquam David quievit a bellis, et esset quiescens in domo sua in monte Sion, et daret operam ad ampliandum cultum divinum, tunc dum esset in lecto ex parte noctis frequenter veniebant sibi in mentem omnes persecutiones, quas passus fuerat: et quomodo Deus mirabiliter eum a periculis magnis liberasset: et in tali meditatione oppressus somno dormiebat: et habebat semper psalterium et citharam suspensam prope spondam lecti.

8. *Lepida fabella de cithara Davidis.* Sed ante diluculum *ex parte aquilonari* intrabat ventus per fenestram, et movebat chordas psalterii et citharæ: et ad sonum chordarum David excitabatur a somno in diluculo: et sic Spiritus sanctus cum tali somno implebat mentem eius. Et sic plenus Spiritu sancto, aspiratus et eruditus intelligebat ea, quæ meditatus fuerat ex parte noctis, et prævidebat in spiritu futuras persecutiones et prosperitates Regis Messiæ futuri, occasione suarum persecutionum: ita ibi. Ex parte aquilonis, id est, tribulationis, venit Spiritus Dei, qui facit de tribulatione provectum; et iunctus austro, id est, charitati, perflat hortum animæ, ita ut exhalet aromata. Cant. 4. 16. *Surge* (Hebr. עורי *uri*, expergiscere, evigila, excitare) *aquilo* (q. d. Aqua ligans per gelu scilicet) *et veni auster, perfla hortum meum, et fluant aromata illius.* Hæc est vox sponsi, id est, Christi; cuius hortus est Sponsa, id est, sancta anima.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

DUO FACIT. PRIMO, IN SUMMO DISCRIMINE OPEM DEI IMPLORAT, VERS. 3. SECUNDO, SACRIFICIUM LAUDIS POLLICETUR IN GRATI ANIMI TESTIFICATIONEM, VERS. 8.

PARAPHRASIS.

3. *Deus in nomine tuo salvum me fac: et in virtute tua iudica me.*

3. Summas me compulsum in angustias libera Domine per misericordiam et iustitiam, potentiamque, quæ in te prædicatur: et secundum supremam tuam in reges omnes auctoritatem ac potestatem, me et Saulem iudica: et, pro meritis, cuique vel pœnam, vel salutem tribue.

4. *Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.*

4. Undique ab hominibus impetor, tu Deus postulatis meis æquissimis annue, et benignas aures gemitibus meis præbe.

5. *Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quæsierunt animam meam: et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.*

5. Ziphæi enim abalienato a me animo, ex improviso insurrexerunt adversum me, cum prius amicitiam simulassent: et Saul armatis succinctus agminibus, vitam mihi eripere molitur: Neque hic, vel illi memoriam tui omnia contuentis et vindicaturi habuerunt, ut a destinata cæde illius timore avocarentur.

6. *Ecce enim Deus adiuvat me: et Dominus susceptor est animæ meæ.*

6. Sed decepti sunt. Nam tu præsidio mihi es, neque illi hanc arcem at firmissimum propugnaculum perrumpere poterunt. Vilia sunt mancipia, sed tu Deus omnium Rex ac Dominus in paternum tuum sinum convolantem me suscipis, atque ulnis foves. Quis ex hoc asylo me subducat?

7. *Averte mala inimicis meis: et in veritate tua disperde illos.*

7. Quam in me perniciem machinati sunt hostes mei, eam in ipsorum caput reflectes immissis Philisthinis, qui regionem populentur: et quemadmodum mihi pollicitus es, Sauli regnum eripies, atque in me meosque transferes, o Domine Deus meus.

8. *Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo Domine: quoniam bonum est.*

8. Si hostes in exitium meum intentos prostraveris, meque ex eorum insidiis telisque eripueris, tibi non coactus, sed prompto alacrique animo, sacrificium offeram. Et nomen tuum laudibus celebrabo Domine: quoniam bonum, suave, ac beneficum est.

9. *Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: et super inimicos meos despexit oculus meus.*

9. Nam multis me angustiis circumseptum in apertum campum eduxisti, ac liberasti: hostesque meos iusta vindicta punitos animadverti.

QUÆSTIO UNICA.

QUANTA VIS ORATIONIS, ET OBSEQUII DEO VOLUNTARIE EXHIBITI.

DAVID in deserto Ziph a Saulis exercitu circumcinctus, et pene captus, opem a Deo postulat, et liberationem suam prævidet.

9. Ordo sectionis. Ac primo, Deum implorat; 1. Salvatorem, v. 3. *Deus in nomine tuo salvum me fac;* 2. iudicem, ut innocentem declaret: *Et in virtute tua iudica me;* 3. parentem, ut clamantem exaudiat, v. 4. *Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.*

Secundo, hostium suorum furorem aperit, qui alienato animo insurrexerint, vers. 5. *Quoniam alieni insurrexerunt adversum me;* 2. viribus maximis circumstent: *Et fortes quæsierunt animam meam;* 3. impietate barbara Deum a sceleribus revocantem contemnant: *Et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.*

Tertio, victoriam suam prædicit, Deo auxilium præbente, v. 6. *Ecce enim Deus adiuvat me.* Et hostes atterente: *Et Dominus susceptor est animæ meæ.* Et v. 7. *Averte*, etc.

Quarto denique, in gratiarum actionem pollicetur, 1. se opere victimas immolaturum, v. 8. *Voluntarie sacrificabo tibi;* 2. ore, laudes Deo cantaturum: *Et confitebor nomini tuo Domine;* 3. corde, Deum auctorem victoriæ crediturum, v. 9. *Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, etc.*

ARTICULUS I.

Oratio iustis est vice armorum omnium.

10. Vers. 3. Nomen varie expositum. SEXCENTOS milites habebat David, cum cingebatur a Saulis exercitu: ad unum tamen Deum fugit per orationem, ab eoque petit liberari. Primo, IN NOMINE, id est, per et propter nomen eius: hoc est, per nomen Iesu; in hoc enim est salus; 2. et melius, *in nomine tuo:* id est, per teipsum. Est metonymia: nam nomen ponitur pro re nominata; 3. propter nomen tuum Sabaoth, q. d. Quia tu es Deus exercituum, salva me; 4. per varia attributa quibus nominatis: nempe per bonitatem, sapientiam, iustitiam, etc. De illis appellationibus lege Hugonem hic.

Secundo, petit liberari in virtute Dei, ait enim: ET IN VIRTUTE TUA IUDICA ME, id est, vindica me ab inimicis. 11. Misericordiam Dei imploranda ante iustitiam. Est metonymia: ponitur enim causa pro effectu: nempe iudicium pro vindicta; 2. *iudica me,* id est libera me, ut habet Psalt. Rom. et Ambros. atque Cassiodorus; *ulciscere me,* vertit S. Hieron. Virtus porro hoc loco non est misericordia, ut placuit Aiguano et Hugoni, sed fortitudo, robur, potentia. Hebr. enim est גבורה *ghebura*, fortitudo heroica, strenuitas, potentia excellens, ac regia. Rad. *gabar*, roborare, superiorem esse potentia et auctoritate, principatum ac dominatum exercere. Eadem vox est in Chald. et Syr. Ubi adverte, te virum esse debere atque heroem, si vis illud robur impetrare. Tropolog. etiam nota, recta hic non prius peti, ut Deus iudicet, quam ut salvet: alioquin esse periculum perditionis. S. August. *Ne Christus, ait, quondam infirmus, cum venerit fortis, ventilabro suo ad sinistram nos mittat. salvet nos in nomine suo, et iudicet nos in virtute sua. Quis enim hoc tam temerarius optaverit, ut dicat Deo, iudica me? Nonne pro maledicto dici solet hominibus, Iudicet te Deus? Ita plane est maledictum, si iudicat te in virtute sua, sed si non te salvaverit in nomine suo. Cum vero in nomine præcedente salvaverit te, salubriter in virtute consequente iudicabit. Securus esto, iudicium illud non tibi erit punitio, sed discretio. Nam et in quodam psalmo ita dicitur, Iudica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta. Quid est, Iudica me? Discerne me a Ziphæis, inter quos latro. Pertuli eorum florem, iam veniat et flos meus. Et illorum qui-*

dem flos fuit temporalis, et arescente fœno decidit; flos autem meus quis erit? Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt. Remanet enim et nobis flos: sed qui non cadat, sicut folium plantati illius ligni iuxta aquas, de quo dictum est Ps. 1. Et folium eius non decidet.

Quarto, opem a Deo postulat ob suam orationem: *Deus exaudi orationem meam.* De ea re dictum est Ps. 4. 1. et Ps. 5. 1. atque mox dicetur.

12. Vers. 5. Quinto denique, ob hostium odium et robur, v. 5. enim dicuntur ALIENI et FORTES. Alieni, id est, extranei; 2. et melius, *alieni*, id est alienato animo: alioqui Saul erat vitricus Davidis: erat enim ipse illius gener: Ziphæi vero erant ex eadem Tribu Iuda. Tropolog. dæmones sunt *alieni*, odio enim maximo homines oderunt, qui sunt imago Dei: et iustos, qui locum eorum in cælis occupaturi sunt. Idem *fortes* sunt, nec est robur quod comparetur eis. Hebr. est עריצים *aritsim*, id est, terribiles: ita Arias. Violenti, sævi: ita Campensis. Vox Chaldaica *zedanin*, superbos significat. Dæmon est rex super omnes filios superbiæ. Secundo, caro est a nobis aliena. Philippus de Greve Cancellarius Academiæ Parisiensis, serm. 109. ait carnem tribus rationibus esse a spiritu alienam, 1. origine, quia spiritus de cælo, caro de terra. Unde Ecclæ. 12. 7. *Antequam revertatur pulvis in terram suam, unde erat: et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum;* 2. conditione, quia caro mortalis est, anima immortalis. Unde Iob 4. 21. *Morientur, et non in sapientia*, id est, in anima; 3. affectione, quia caro concupiscit adversus spiritum: ita Greveus. De illa dicitur Prov. 5. 20. *Quare seduceris fili mi, ab aliena, et foveris in sinu alterius.* Hebr. et amplexaberis sinum alterius. Illa est Dalila, quæ insurrexit cum Philistæis in Samsonem duodecimum Iudicem: id est, Principem populi Dei fortissimum. Dalila idem est ac paupertas, infirmitas, exhaustio: seu depauperans, exhauriens, infirmans: vel, macilenta, pauper, infirma, exhausta. Hæc omnia habet caro mala et rebellans in spiritum, eiusque robur infringens, a quo habet, ut vivat et firmetur.

Caro est a spiritu aliena.

13. Oratio est instar armorum omnium. Moraliter. Oratio est homini pro armis: tam ad defensionem, quam ad oppugnationem. Hinc Paulus Rom. 15. 30. *Obsecro vos, ut adiuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* Græc. συναγωνίσασθαί μοι, ut mecum simul oratione belligeretis, ut mecum in agone contendatis. S. Bernard. serm. 3. in dedication. Eccles. Gravis, inquit, nobis est inimici tentatio: sed longe gravior est illi oratio nostra. Lædit nos iniquitas eius, atque versutia: sed multo amplius nostra eum simplicitas et misericordia torquet: ita Bernardus.

14. I. Est clypeus. Ac primo, oratio clypeus est ad protectionem, contra Pharaonem et Ægyptios. S. Ambr. de obitu Valentiniani: *Bonum*, ait, *scutum oratio, quo omnia adversarii ignita spicula repelluntur.*

II. Murus. Secundo, oratio est murus undequaque nos ambiens. S. Chrysost. orat. 2. de precatione: *Precatio, salutis est occasio, immortalitatis animorum conciliatrix*, ἐκκλησίας τεῖχος ἄρραγες, *Ecclesiæ murus firmissimus.* S. Epiphan. serm. de resurr. μέγα τεῖχος, firmus murus ad Deum, ait, est oratio unanimis chori. S. Cyrill. Ierosol. catech. 3. vocat, στήλην ἀγαθήν, columnam optimam. S. Ioan. Climac. grad. 4. Patres nostri, ait, psalmodiam vocant ὅπλον, *arma*: orationem vero, murum. Iob munitionem illam expertus erat ab ipsa adolescentia, cum Deo conversans et ab eo vallatus. Sic enim dicit cap. 29. 4. *Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo.* Symmac. vertit: Quando Deus tabernaculum meum, περιεφράσσεν, circumsepiebat.

15. III. Arx. Tertio, oratio est arx ad quam dæmon non penetrat. S. Chrysost. orat. 2. de precatione, προσευχὴ, ait, φυλακτήριον ἄσειστον, *Oratio est arx inconcussa: terribilis quidem dæmonibus, nobis autem pietati studentibus salutaris.* Ad hanc arcem omnes possunt fugere. S. Gregor. Nyssen. in vita S. Gregorii Neocæsariensis Episcopi, cognomento Thaumaturgi, orationem vocat, κοινὸν φυλακτήριον, communem arcem et propugnaculum S. Bernard. serm. 5. in Quadrag. dicit, tutissimum esse orationis perfugium. S. Ioan. Climac. grad. 28. Oratio, inquit, est, κόσμου σύστασις, *mundi conservatio*, Dei reconciliatio, mater lacrymarum et iterum filia, propitiatio peccatorum, pons tentationum, θλίψεων μεσότοιχον, πολέμων θραῦσις, *propugnaculum adversus impetum afflictionum, bellorum oppressio et extinctio.*

Quarto, oratio est gladius ad hostes impetendos et dispellendos. Hesychius centuria 2. Oratio, inquit, et humilitas cum sobrietate in dæmones pugnant, οἷα μάχαιρα φλογίνος, *sicut gladius flammeus.* Itaque statim in fugam vertuntur. S. Chrysost. orat. 1. de precatione dicit, stygios prædones, statim ut viderint aliquem orationibus armatum, ἀποπηδᾶν εὐθέως, resilire subito et aufugere. Est gladius flammeus Cherubini ante paradisum terrestrem, id est animam sanctam stantis, et ab eo hostes dispellentis. S. Macarius, hom. 43. Si fuerint, ait, dæmones fortes, robore montibus haud dissimiles, *ab oratione comburuntur, velut cera ab igni.* 16. IV. Gladius.

Quinto, oratio est sagitta, ut eminus feriat. S. Ambr. serm. 86. Arma hæc nostra sunt, ait, quibus nos Salvator instruxit: oratio, misericordia, atque ieiunium. Ieiunium enim melius quam murus tuetur, misericordia facilius liberat, quam rapina: *oratio longius vulnerat, quam sagitta.* Sagitta enim nonnisi proxime conspectum percutit adversarium. Oratio autem etiam longius positum vulnerat inimicum: ita Ambrosius. 17. V. Sagitta.

Sexto, oratio est anchora, quæ mentem sistat in mari huius sæculi fluctuantem, et ab hoste in scopulos compulsam. Maritimum nunc bellum gerimus, anchora portuque orationis indigemus, ut stabiles, securi et quieti simus. S. Chrysost. hom. 1. de Consubstantiali, εὐχὴ, ait, χειμαζομένων λιμὴν κλυδωνιζομένων ἄγκυρα: *Oratio portus tempestate iactatis fluctuantibus anchora*, scipio titubantibus, pauperum thesaurus, divitum securitas, morborum curatio, custodia sanitatis. Et hom. 5. de incompreheus. natura Dei: μέγα ὅπλον εὐχὴ, θησαυρὸς ἀνέλλιπης, πλοῦτος μηδέποτε δαπανιζόμενος, λιμὴν ἀκύμαντος, γαλήνης ὑπόθεσις: *Aptissima arma oratio est, thesaurus inexhaustus, divitiæ indeficientes et inconsumptibiles, portus quietus, occasio tranquillitatis; denique auctor, parens, fons, et radix bonorum omnium, et innumerabilium, oratio est.* 18. VI. Anchora.

Septimo, oratio est omnis prorsus armatura. S. Chrys. in Ps. 140. Tempore orationis, inquit, diabolus maxime insidiatur. Scit enim quod μέγιστον ὅπλον εὐχὴ, *arma potentissima sunt preces.* S. Ambros. lib. de viduis: Arma Ecclesiæ, ait, fides: arma Ecclesiæ, oratio est, quæ adversarium vincit. S. Nilus in institut. ad monach. Qui, ait, puræ orationis præsidio munitus non est, is armis in bello caret. S. Chrysost. homil. 3. in Acta: Armatura, inquit, in tentationibus est deprecatio. S. Ioan. Clim. grad. 30. ait, esse arma regia quæ videntes hostes fugiant. Verba eius sunt. Sicut fures, inquit, ὅπλα βασιλικὰ, *arma regia* in loco aliquo posita cernentes in eum non ingrediuntur: ita qui animo orationem complectitur, non spoliatur a spiritualibus latronibus. S. Gregor. Nyss. oratione reddi nos invincibiles putat. Sic enim hom. 1. de oration. Dominica: Viator, ait, et qui expeditionem vel nuptias parat, si cum oratione quælibet agat, prospero ac felici successu negotiorum a peccando abducitur, nullo adversario animam trahente. S. Antiochus hom. 106. robur ab oratione peti docet his verbis: Quemadmodum, ait, ignis reddit ferrum intractabile: ita frequentes orationes robustiorem ac fortiorem efficiunt animum ad bellum in hostes gerendum. S. Bonavent. in prima ala de sex alis Seraphin, cap. 3. Studio, inquit, devotionis fulcitur omnis vera religio, et omnium virtutum exercitium impinguatur. 19. VII. Denique, omnis armatura.

20. Oratio est medicina, quæ sanat vulnerатos in pugna. Octavo, oratio est medicina iis, qui in pugna vulnerati fuerint. S. Chrysost. hom. 1. de precation. Quid maius, inquit, et præstantius est oratione? cum constet eam esse, ἀλεξιφάρμακον ψυχαῖς νοσούσι: *saluberrimam medicinam iis qui animi morbis laborant.* Philo, lib. de somniis, φαρμα-

*

κον, ait, ως τραυματων και ψυχης παθων, ο λογος εστι σωτηριον: *Affectibus, seu animæ vulneribus, oratio remedium est saluberrimum*, quod legislator ante solis occasum admoveri vult: hoc est priusquam illustrissimi maximique Dei splendor occidat, quem misertus nostri, menti humanæ inseruit. Nam quamdiu in anima lucet, το θεοειδεστατον φως, lumen illud divinissimum, reddere debemus sermonem oppignoratum, seu vestem, ut homo recepta possessione propria turpitudinem vitæ obtegat, et fruatur divino munere, quiescatque securus præsentia talis adiutoris et consiliarii, nunquam deserturi suum ordinem; proinde splendente tibi adhuc divino lumine sacratissimo, cura ut interdiu pignus restituas suo domino. Nam post occasum, sicut tota Ægyptus palpabiles habebis huius sæculi tenebras: percussusque cæcitate et ignorantia, omnibus quæ in tua potestate fuerant, spoliaberis, ab Israele perspicaci, cuius tenebras pignora, ingenium in servitutem vindicans: ita Philo.

21. *Oratio est victoria de hostibus.* Nono, oratio est victoria de omnibus vitiis, et omnium B virtutum acquisitio. S. Ephrem de orando Deum: Oratio, inquit, temperantiæ est custodia, iracundiæ frænum, animi elati repressio, et ad modestiam revocatio, odii ob acceptas iniurias medicina, invidiæ destructio, impietatis correctio. Oratio corporum robur, rei familiaris administratio, recta iuris legumque compositio, regni potentia, trophæum atque vexillum belli, tutela pacis. Oratio virginitatis sigillum est, fides nuptiarum, viatorum præsidium, dormientium custos, evigilantium confidentia, agricolarum fertilitas, navigantium salus. Oratio, reorum patrona, vinctorum relaxatio, mœrentium consolatio, lætantium iucunditas, lugentium solamen, celebritas festi natalitii, coniugum corona, morientium sepultura. Oratio cum Deo est colloquium, par cum angelis honor, proborum promotio, ab improbis aversio et peccantium emendatio. Oratio, Ionæ Prophetæ balænam pro domo concessit. Et Ezechiam ex portis mortis ad vitam reduxit. Ipsisque tribus pueris in Babylone flammam ignis in flatum roris convertit. Oratione, Elias cælum clausit, ne plueret annis tribus, et mensibus sex: ita Ephrem.

22. *Oratio triumphat de illis.* Decimo denique, oratio de hostibus omnibus triumphat. Cant. 7. 1. ait Sponsus, id est, Christus de Sponsa, id est anima sancta: *Quid videbis in Sulamite* (hoc est, in pacifica, in uxore veri Salomonis) *nisi choros castrorum*. Chori sunt cœtus exultantium, cantantium et tripudiantium militum in triumpho: sic olim saltabant bellicam armorum saltationem, quam dicebant Pyrrhicam, a rege Pyrrho inventam et usurpatam. Theodoret. in eum Cantici locum: *Sponsa*, inquit, *chorus existit, divinas laudes in ore gerens. Quod quidem beatus ostendit David: Vox, inquiens, exultationis et salutis in tabernaculis iustorum: et rursus: Constituite diem solemnem in condensis usque ad cornua altaris. Castra vero declarat beatus Paulus: Arma, inquiens, nostra non carnalia, sed valida per Deum, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Rupertus choros castrorum interpretatur laudes seu cantiones præliantium.

Hoc unum sollicite curandum est, ut oratio suis sit expleta numeris, alioqui vim eius omnem impediet dæmon, et nos in casses suos induct. S. Epiphan. in physiologo cap. 19. Vulpes, inquit, simulans se mortuam, aves advolantes capit: sic diabolus illaquear cupiens hominem, enititur ut in oratione negligenter se habeat, eoque pacto facillime illum in pedicas suas inducit.

ARTICULUS II.

Voluntarium sacrificium sibi offerri vult Deus.

23. *Vers. 8. Versiones variæ.* In gratiarum actionem pollicetur David sacrificium, et quidem voluntarium et regium, v. 8. VOLUNTARIE SACRIFICABO TIBI (et voluntarie) CONFITEBOR NOMINI TUO A DOMINE: QUONIAM BONUM EST. Pro *voluntarie*, Hebr. est בנדבה *bindaba*, id est primo, *in*, seu cum *voluntate*, in oblatione voluntaria, cum dono spontaneo. Secundo, cum promptitudine et alacritate. Hinc Potavius vertit: Tunc tibi, προφρων, promptus et alacer hostias pingues mactabo. Tertio, in devotione: ita Arias. Quarto, cum munificentia: ita Felix. Liberaliter: ita Campensis, principali magnifico, et regio animo. Ubi adverte, quod alludit ad sacrificium spontaneum, quod nulla obligatione legis aut voti fiebat, sed ex mera devotione, liberalitate et munificentia: nam vocabatur *nedaba*, ut habetur Lev. 7. 16. Arabs vertit, *laudabo te obediens*, prompte scilicet, voluntarie, alacriter. Syr. *Ego cum discretione sacrificabo tibi.* *Oblatio fiat voluntarie, liberaliter, et prudenter.* Debent quidem actiones et oblationes nostræ fieri Deo cum liberalitate et animo regio, et corde amplissimo, manuque extenta: sed discretio tamen adesse debet, ut sit rationabile obsequium nostrum. S. Bernard. sermon. 3. in Circumcisione Domini: *Discretio*, inquit, *mater virtutum est, et consummatio perfectionis. Hæc nimirum docet, ne* B *quid nimis.* Et serm. 49. in Cantic. Discretio, ait, omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit et decorem, etiam perpetuitatem. Denique ait, ordinatione tua perseverat dies: diem virtutem appellans. Est ergo et discretio non tam virtus, quam quædam moderatrix et auriga virtutum, ordinatrixque affectuum et morum doctrix. Tolle hanc, et virtus vitium erit, ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis convertetur, exterminiumque naturæ: ita Bernardus. Satius tamen est tenacem suapte naturam ad liberalitatem inclinare, et cum Magnetio cantare: *Securus largis onerabo altaria donis.* Deo enim magno immolamus nos et nostra.

Ratio prima, cur voluntarie et liberaliter sit sacrificandum Deo, petitur ab ipsa Dei liberalitate voluntaria et regia. Nam et dona naturæ, et dona gratiæ dedit non meritis, et dedit cum munificentia; 2. donum incarnationis et passionis maxime voluntarium et magnificum fuit: se enim totum exinanivit, nihil sibi relinquens, ne guttam C quidem sanguinis. Isaiæ 53. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Galat. 5. 20. *Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* Christus dicit Ioan. 10. 18. *Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam a meipso.* Et Ps. 39. 8. *In capite* (id est, in summa) *libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui.* Vide illum locum. Seipsum vocat voluntarium et munificum Cant. 7. 1. ubi describens et laudans sponsam suam novam, id est, synagogam in fine mundi ad se convertendam, ait: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis*; id est, mea: de se enim sæpe Hebræi loquuntur in tertia persona. Pro *principis*, Hebr. est נדיב *nadib*, id est, 1. principis: ita Noster. Sept. et Pagn. 2. sponte dantis: ita Aquila; 3. magnifici: ita Arias; liberalis: ita Scholiastes Vaticanus; 4. voluntarii; S. Ambr. serm. 17. in Ps. 118. vertit voluntatis, seu beneplaciti. Ex hac liberalitate voluntaria Christi recte concludit S. Bern. nos debere esse erga ipsum liberales et spontaneos. Sic autem ait serm. 3. de Purific. B. Mariæ: *Oblatus est*, inquit, *non quia* D *meruit, non quia Deus prævaluit, sed quia ipse voluit. Voluntarie sacrificabo tibi, Domine, quia voluntarie oblatus es pro mea salute, non pro tua necessitate. Sed quid fratres, nos offerimus, aut quid retribuimus illi, pro omnibus quæ retribuit nobis? Ille pro nobis obtulit hostiam pretiosiorem quam habuit, nimirum qua pretiosior esse non potuit. Et nos ergo faciamus quod possumus, optimum quod habemus offerentes illi, quod sumus utique nosmetipsi. Ille seipsum obtulit: tu quis es, qui teipsum offerre cuncteris? Quis mihi tribuat, ut oblationem meam dignetur maiestas tanta suscipere? Duo minuta habeo, Domine, corpus et animam dico: utinam hæc tibi perfecte possim in sacrificium laudis offerre? Bonum enim mihi, longeque gloriosius atque utilius est, ut tibi magis offerar, quam deserar mihi ipsi. Nam ad meipsum anima mea conturbatur; in te vero exultabit spiritus meus, si tibi veraciter offeratur.*

24. *Liberaliter cum Deo agendum est, quia erga nos est liberalis.*

25. Voluntaria oblatio placet Deo. Secundo, honorificentius et gratius est Deo sacrificium voluntarium quam coactum. Vult amicos et filios Deus, et servos alacres, non mancipia in ergastulum compacta et catenata. Unde initio præceptorum dixit, Deuter. 6. 5. *Diliges Dominum Deum tuum.* Ex amore et latitudine cordis vult omnia procedere. 2. Cor. 9. 7. ait Paulus: *Hilarem datorem diligit Deus.* S. Chrysost. tom. 4. homil. in illud Pauli: *Oportet hæreses esse*, sic ait: Si alacriter demus, duplex erit eleemosyna: et quia damus, et quia hilariter damus. S. Aug. in Ps. 42. Si panem dederis tristis, et panem et meritum perdidisti: ita ipse. Deus voluit oblationibus voluntariis et liberis fieri tabernaculum suum, et vasa eius aurea, argentea, ærea, et alia, non vero per coactam exactionem. Exod. 35. 5. ait Moses omnibus Israelitis prope Sinai: *Separate apud vos primitias Domino. Omnis voluntarius et prono animo offerat eas Domino: aurum, et argentum, et æs, hyacinthum* (id est, lanam hyacinthini, seu violacei et cælestis coloris) *et purpuram* (lanam purpurei coloris) *coccumque bis tinctum* (lanam dibapham, id est, bis tincta cocco, qui est granum tinctorium, nascens ex frutice fulionia, quæ similis est ilici) *et byssum* (id est, linum candidissimum et mollissimum) *pilos caprarum, pellesque arietum rubricatas, et ianthinas* (id est, hyacinthinas acu violaceas) *ligna setim. et oleum ad luminaria concinnanda, et ut conficiatur unguentum, et thymiama suavissimum, lapides onychinos et gemmas ad ornatum superhumeralis et rationalis.* Nihil vult nisi voluntarium. Unde additur v. 29. *Omnes viri et mulieres mente devota obtulerunt donaria, ut fierent opera quæ iusserat Dominus per manum Mosi. Cuncti filii Israel voluntaria* (id est, spontanea) *Domino dedicaverunt.* Plus autem obtulerunt, quam necesse esset; unde Moses vetuit plura dari. Ubi enim adeat voluntas et cor, omnia prompte et alacriter, et bene, atque abundanter fiunt. Tropologiam horum donorum habet S. Gregor. 30. Moral. 10. Cor. primum in utero formatur, ut ait Plin. lib. 10. cap. 37. et ultimum moritur: natura enim sine corde nihil vult facere: idem dic de gratia. S. Bern. lib. de interiori domo, cap. 7. ait, bonam voluntatem esse primam columnam ad ædificandam domum conscientiæ. Et cap. 8. vult primam erigi: *Prima*, inquit, *columna prior erigatur. Nam inter omnia Dei bona. quæ ad salutem hominis spectare videntur, primum est principale bonum, bona voluntas esse cognoscitur, per quam imago similitudinis Dei in nobis reparatur. Primum est, quia a bona voluntate bonum omne inchoatur. Principale est, quoniam bona voluntate nihil hominibus utilius datur.* Et postea: *Voluntas bona nec dari potest invito, nec auferri, nisi volenti. Quantum vis, tantum mereris. Quantum crescit voluntas tua, tantum crescit meritum tuum. Fac igitur magnam bonam voluntatem tuam, si vis habere magnum meritum.* Et lib. de vita solitaria: Offero quod possum, bonam voluntatem, ipsamque a vobis repeto cum fructibus suis. David saltando placuit: non propter saltum, sed propter affectum. Similiter et mulier, quæ unxit pedes Domini, laudata est a Christo; non quia unxit, sed quia amavit; et quia, quod habuit, hoc dedit, in eo iustificata est: Ita ibi; ac deinde subdit: *Bona voluntas in animo est origo omnium bonorum, et omnium mater virtutum. Sic e converso mala voluntas est origo omnium malorum, et vitiorum. Ideo custos animæ suæ, valde sollicitus esse debet circa custodiam voluntatis suæ.* Quis non miretur Apostolos, vilibus retibus relictis, ad tantam tamque sublimem dignitatem evectos esse, ut homines iudicent in die iudicii? Sed Deus non attendit, quantum reliquerint, sed quanto affectu hoc fecerint. S. Greg. hom. 5. in Evangelia: Multa, inquit, fratres, relinquitis, si desideriis terrenis renunciatis. Exteriora etenim nostra Domino quamlibet parva sufficiunt: *Cor namque, et substantiam pensat. Nec perpendit, quantum in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur. Nam si exteriorem substantiam perpendamus, ecce sancti negotiatores nostri perpetuam angelorum vitam, datis retibus et navi, mercati sunt.* Æstimationem quippe pretii recte non habet: sed tamen regnum Dei tantum valet, quantum habes. Valuit namque Zacchæo dimidium substantiæ: quia dimidium aliud ad hoc quod iniuste abstulit, restituendum in quadruplum reservavit. Valuit Petro et Andreæ dimissis retibus et navi. Valuit viduæ duobus minutis. Valuit alteri calice aquæ frigidæ. Huc usque Gregor. qui etiam addit: non esse desperandum ei, qui calicem aquæ frigidæ non habuerit, quem donet: dummodo bonam voluntatem donandi non amittat. Verba eius sunt: Redemptore etenim nato, cæli cives ostensi sunt, qui clamarent: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Ante Dei namque oculos nunquam vacua est manus a munere, si fuerit arca cordis repleta bona voluntate. Hinc etenim Psalmista dicit, Ps. 55. *In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi.* Ac si aperte dicat: Etsi exterius munera offerenda non habeo, intra memetipsum tamen invenio, quod in ara tuæ laudis impono: quia qui nostra datione non pasceris, oblatione cordis melius placaris. *Nihil quippe offertur Deo ditius bona voluntate.* S. Chrysost. in Ps. 131. Considerans ardentem Davidis nostri voluntatem ad construendum tabernaculum, ait: Semper recto animi instituto et bonæ voluntati consuevit Deus, μισθὸν ὁρίζειν, mercedem constituere.

Tertio, perfectius fit sacrificium voluntarium, quam coactum. Est thus aut myrrha sponte defluens, quæ sunt maioris pretii. Unde Eccle 24. 21. ait Sapientia: *Quasi Libanus* (λίβανος, id est, thus) *non incisus, vaporavi habitationem meam*, hoc est, vaporo odorato et suavissimo impievi mentem, in qua sum. Odor thuris noxios humores, aerisque corruptiones desiccat et consumit: hoc facit odor sapientiæ, præsertim practicæ, id est, virtutis. Primam myrrham et sponte fluentem volebat Deus poni in unguento, quo ungendi et consecrandi erant sacerdotes, et tabernaculum cum vasis suis. Exod. 30. 23. ait Mosi: *Sume tibi aromata. primæ myrrhæ et electæ* (S. Hieron. et Chald. caput myrrhæ liberæ, hoc est, stacteæ sponte distillantis et fluentia) *quingentos siclos, et cinnamomi medium, id est, ducentos quinquaginta siclos*, etc. Plin. lib. 12. cap. 15. Inciduntur bis, ait, et myrrhæ arbores, iisdemque temporibus, quibus thus: sed a radice usque ad ramos, qui valent. Sudant autem sponte priusquam incidantur, stacten dictam, cui nulla præfertur: ita Plinius. Stacte porro, est vox Græca, stillam seu guttam significans: dicitur a στάζω, stillo: de myrrha et cinnamomo præsertim usurpatur. Stilla myrrham, id est mortificationem, sed liberam et sponte fluentem, si vis esse in odorem suavitatis Deo, cui te sacrificas ac tua. Promittitur *Isaac*, id est *risus* Abrahamo, statim post hospitalitatem alacrem, et fervore maximo atque amore factam. Genes. 18. Cum enim tres Angeli, Michael scilicet, Gabriel et Raphael, ut putant Hebræi et Abulensis, ad eum venissent in convalle *Mambre*, id est, *amara*, commorantem, occurrit in occursum eorum, et adoravit in terram. Verbis ardentissimis eos urget ad prandium sumendum, festinat in tabernaculum ad Saram, cui dicit, ut acceleret. Ipse ad armentum currit, et inde sumit vitulum tenerrimum et optimum; puero dat, qui festinat et coquit illum: stat, dum prandent, illis scilicet ministrans. Prius iis pedes laverat. Abraham est intellectus, cuius est imperare, ut docet S. Thomas 1. 2. qu. 17. et in 4. dist. 15. qu. 4. art. 1. Sara, id est, domina, est voluntas, quæ dicitur imperare improprio, scilicet interpretative, in quantum movet, et ut est de fine, ut idem ait 1. 2. quæst. 1. artic. 2. ad 1. et in 4. dist. 15. quæst. 4. artic. 1. Puer, est appetitus inferior exequens domini et dominæ imperium. Rebecca, id est, impinguata, filia Bathuelis, id est, habentis filiationem Dei, et soror Laban, hoc est albi, candidi, meretur fieri uxor Isaaci per alacritatem, qua dedit potum servo Abrahami, nempe Eliezer (qui significat Dei auxilium) et camelis eius. Lege cap. 24. Genesis, et cum tibi pauper occurrit egens cibo ac potu, puta eum esse tuum Eliezer, id est, Dei adiutorium, quo fias sponsa Isaaci, id est Christi, qui est verus risus et gaudium universæ terræ.

26. Voluntaria oblatio magis placet, quam coacta.

Cain, qui significat possessionem seu possidentem, obtulit Deo de frugibus terræ, sed tristis: ideo non est exauditus, ut S. Bern. advertit serm. 71. in Cantica. Audi et sequere dictum Eccle. 35. 11. *In omni dato hilarem fac vultum tuum, et in exultatione sanctifica* (consecra) *decimas tuas*: id est, eleemosynas, ut Syrus exponit: vertit enim: Et cum gaudio mutuum da ei, qui non reddit tibi. S. August. in Ps. 42. de eleemosyna loquens, dicit: Ex animo fac, ut ille, qui intus videt, adhuc loquente te dicat: Ecce adsum: ita ipse: tu vide, ut hæc alacritas per opera tua diffundatur, sic angelorum vitam in terris vives, et Deus novis te semper gaudiis cumulabit. Vide dicta Ps. 1. 2. in illud: *In lege Domini voluntas eius.*

PSALMUS QUINQUAGESIMUS QUARTUS.

1. In finem, in carminibus intellectus David.

2. EXAUDI Deus orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam: intende mihi, et exaudi me.
3. Contristatus sum in exercitatione mea: et conturbatus sum a voce inimici, et a tribulatione peccatoris.
4. Quoniam declinaverunt in me iniquitates: et in ira molesti erant mihi.
5. Cor meum conturbatum est in me: et formido mortis cecidit super me.
6. Timor et tremor venerunt super me: et contexerunt me tenebræ:
7. Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?
8. Ecce elongavi fugiens: et mansi in solitudine.
9. Expectabam eum, qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus et tempestate.
10. Præcipita Domine, divide linguas eorum: quoniam vidi iniquitatem, et contradictionem in civitate.
11. Die ac nocte circumdabit eam super muros eius iniquitas: et labor in medio eius, et iniustitia.
12. Et non defecit de plateis eius usura et dolus.
13. Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique.
Et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset: abscondissem me forsitan ab eo.
14. Tu vero homo unanimis, dux meus, et notus meus:
15. Qui simul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulavimus cum consensu.
16. Veniat mors super illos: et descendant in infernum viventes:
Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum: in medio eorum.
17. Ego autem ad Deum clamavi: et Dominus salvabit me.
18. Vespere, et mane, et meridie narrabo et annuntiabo: et exaudiet vocem meam.
19. Redimet in pace animam meam ab his, qui appropinquant mihi: quoniam inter multos erant mecum.
20. Exaudiet Deus, et humiliabit illos, qui est ante sæcula.
Non enim est illis commutatio, et non timuerunt Deum: extendit manum suam in retribuendo.
21. Contaminaverunt testamentum eius, divisi sunt ab ira vultus eius: et appropinquavit cor illius.
22. Molliti sunt sermones eius super oleum: et ipsi sunt iacula.
23. Iacta super Dominum curam tuam et ipse te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem iusto.
24. Tu vero Deus deduces eos in puteum interitus.
Viri sanguinum, et dolosi non dimidiabunt dies suos: ego autem sperabo in te Domine.

PSALMI QUINQUAGESIMI QUARTI ANALYSIS.

- David a perduelli filio Absalone expulsus, et in solitudine oberrans,
  - Auxilium Dei implorat, 2. ut
    - Exaudiat tristem, 3.
      - Afflictionem internam. 3.
      - Et inimici insultationem. 3.
    - Et timidum, 5. ob
      - Voluntatis conturbationem. 5.
      - Corporis trepidationem, in mortis periculo. 5.
      - Intellectus caliginem, in afflictione. 6.
      - Difficilem fugam, in qua optat alas columbæ. 7.
      - Locum solitarium. 8.
      - Expectationem longam opis Dei. 9.
        - Qui alias servavit a pusillanimitate. 9.
        - Et tempestate. 9.
  - Hostium scelera exponit, 10.
    - Civium Ierosolymæ,
      - In cuius portis est superbia præcipitanda. 10.
      - In muris, iniquitas. 11.
      - In domibus, tumultus et iniustitia. 11.
      - In plateis, usura et dolus. 12.
    - Achitophelis præsertim, qui
      - Non hostis apertus, 13.
        - Cuius maledicta facilius tolerantur. 13.
        - Et insultus vitantur. 13.
      - Sed amicus fictus, 14.
        - Qui prius voluntate erat unanimis. 14.
        - Intellectu dux. 14.
        - Vultu notus. 14.
        - Ore ciborum particeps. 15.
        - Pedibus comes itinerum. 15.
  - Pœnam illorum prædicit. 16.
    - Mortem in hac vita. 16.
    - Et infernum in alia. 16.
  - Et liberationem suam. 17.
    - Clamantis ad Deum, 17.
      - Vespere. 18.
      - Mane. 18.
      - Meridie. 18.
    - Et ab eo exauditi, 19.
      - Præsentia sola hostes fugante. 19.
      - Ante pedes suos illos humiliante. 20.
      - Dextera extenta obstinatos percutiente. 21.
      - A vultu suo pollutos fugante. 22.
      - Ore, adulatores noxios detestante. 22.
      - Pios in se sperantes nutriente et firmante. 23.
      - Sanguinarios et dolosos cito occidente. 24.
      - Sibi spem constantem conservante. 24.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. In finem, in carminibus intellectus David.

I. Argum. Psalmi quale? I. Cum nihil determinetur in titulo, Psalmum hunc varii ad varia tempora referunt. Primo, Caietanus censet sermonem esse de fuga Davidis, cum voluit eum Saul lancea coniecta occidere, et fugientem domi cinxit militibus, qui eum orto mane occiderent: tunc autem ope Michol uxoris evasit, et adiit Samuelem in urbem Ramatha: unde ambo perrexerunt in Naioth, ut Davidis fuga esset occultior. Naioth porro, fuisse collem in Ramatha putat Comestor, locum situm fuisse in agro urbis Ramatha, et significare locum studiosorum existimant Vatablus, Serarius, et alii. Sed non apparet, quis tunc prodiderit Davidem: unde non potuisset dicere: *Tu vero homo unanimis*, etc. ut est in v. 14. Hæc contigerunt anno regni Saulis 12.

II. Secundo, probabilius Aiguanus, Valentia, et alii, quibus assentiri Lorinus videtur, explicant de tempore, quo David fugit ex urbe Ceila, cum sexcentis suis militibus, quibus liberaverat Ceilanos a Philisthæis ipsos obsidentibus. Cum autem Saul id rescivisset, speravit se illum posse A concludere et capere in urbe murata: Ceilani quoque parabant eum tradere Sauli, accepti beneficii immemores: hoc sciens David monitu divino, fugit in desertum Ziph, ut refertur 1. Reg. 23. Sic recte hic Psalmus dicetur intellectus, id est, intelligentia Davidis: quia didicit a Deo se tradendum a Ceilanis. Periculum enim videns, iusserat ut Abiathar Pontifex applicaret Ephod: id est, indueret vestes sacerdotales, quibus indutus reddebat oracula: non quod esset vis aliqua in Ephod, id est, superhumerali, aut vestibus aliis: sed quod Deus hanc conditionem requireret, sine qua responsa non dabat. Poterat etiam tunc David conqueri de proditione Ceilanorum, qui ei assentabantur ab ipso liberati, et tamen decreverant tradere Sauli. Hoc contigit anno regni Saulis 13. fugæ Davidis 2. Sed tamen non apparet specialis homo unanimis, etc. qui eum prodiderit illo tempore.

Tertio itaque, et optime, psalmus hic explicabitur de persecutione Absalonis, quam orditus erat Achitophel in- III.

ter primos Davidis amicos et consiliarios insignis, de quo commode dicetur v. 14. *Tu vero homo unanimis, dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos.* Ibi de ea re agetur fusius: ita Iansen. Arias, Vatabl. et alii. Hoc contigit anno 30. regni Davidis, ante Christum 1044.

2. Allegor. Allegor. de Christo patiente explicant S. Hieron. Valentia, Hugo, Glossa, quæ dicit, hunc esse tertium psalmum, qui de Passione et Resurrectione Christi latius tractet. *To in finem* plerique explicant, in Christum, qui est finis, id est, consummatio legis. S. Aug. audiamus: *Finis legis Christus est, ad iustitiam omni credenti. Rom.* 10. *Intentio ergo dirigatur in finem, dirigatur in Christum. Quare finis dicitur? Quoniam quidquid agimus, ad illum referimus: et cum ad eum pervenerimus, ultra quod quæramus, non habebimus. Dicitur enim finis, qui consumit, et dicitur finis, qui perficit. Aliter quippe intelligimus, cum audimus: Finitus est cibus, qui manducabatur: et aliter intelligimus, cum audimus, finita est vestis quæ texebatur. In utroque audimus, finitum est: sed cibus ut iam non esset, vestis ut perfecta esset. Finis ergo noster perfectio nostra esse debet, perfectio nostra Christus est. In illo enim perficimur, quia ipsius capitis membra sumus. Et dictus est finis legis, quia sine illo nemo perficit legem. Cum ergo auditis in psalmis, in finem: multi enim psalmi ita superscripti sunt, non sit vestra cogitatio in consumptionem, sed in consummationem:* ita August.

3. Tropol. Tropologice. De quolibet iusto in tribulatione posito explicat S. Augustinus et Titelmannus, qui bene advertit: multo ad tolerandum difficilius esse pati a proximis et amicis, sicut hic dicitur factum, quam ab extraneis et inimicis.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

TRIA FACIT. PRIMO, AFFLICTIONEM SUAM ET AUXILIUM DEPLORAT, VERS. 2. SECUNDO, HOSTIUM, AC PRÆSERTIM, ACHITOPHELIS IMPIETATEM ET PRODITIONEM AMPLIFICAT, VERS. 10. TERTIO DENIQUE, PRÆDICIT SE EXAUDITUM IRI, HOSTES VERO ESSE PUNIENDOS, VERS. 16.

SECTIO PRIMA.

Tria præstat. Primo, exaudiri se postulat, vers. 2. Secundo, tristitiam suam et timorem aperit, vers. 5. Tertio denique, se ne in exilio quidem satis tutum esse dicit, vers. 7.

PARAPHRASIS.

2. *Exaudi Deus orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam: intende mihi, et exaudi me.*

2. Cum tot hostes undique circumstent, nec ullus mihi sit ad fugiendum securus locus, nisi specialiter me adiuves, exaudi orationem meam qua id postulo; et ne reiicias deprecationem meam qua peto, ut peccatorum meorum obliviscaris, et pœnam iis debitam remittas: attende mihi, et in te uno sperantem exaudi.

3. *Contristatus sum in exercitatione mea: et conturbatus sum: a voce inimici, et a tribulatione peccatoris.*

3. Tot pericula contemplans, et post longam meditationem non reperiens evadendi modum, conturbor et tristitia obruor: vox victorum hostium veluti captæ prædæ insultantium auribus meis insonat, animumque perturbat: furor præsertim Absalonis et Achitophelis me exanimat et dolore confodit.

4. *Quoniam declinaverunt in me iniquitates: et in ira molesti erant mihi.*

4. Nam falsis me criminationibus onerant, et universo populo invisum reddere contendunt: itaque succensi modis omnibus innoxium impetunt.

5. *Cor meum conturbatum est in me: et formido mortis cecidit super me.*

5. Hac ego tempestate iactatus variis curarum fluctibus æstuo: et impendentis naufragii metu concutior, qui me quietum esse non sinit, sed sub tantis malis gementem atterit.

6. *Timor et tremor venerunt super me: et contexerunt me tenebræ:*

6. Timore mens percellitur, et corporis membra tremore quassantur: afflictio mea tanta est, ut tenebras menti offundat, atque inter has nebulas non videam quid consilii capere debeam.

7. *Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?*

7. In hac animi rerumque fluctuatione exclamavi: Utinam aliquis mihi celeres alas, sicut columbæ suppeditaret; quibus nemini noxius in avia me, et abrupta, atque inaccessa loca subducam: has alas habens volarem, et alio me transferens quiescerem.

8. *Ecce elongavi fugiens: et mansi in solitudine.*

8. Iam pedibus iter agens effugi ex urbe mea Ierusalem, et ab ea cæterisque oppidis remotus iaceo in deserto cum paucis amicis.

9. *Expectabam eum, qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus et tempestate.*

9. Expectabam auxilium Dei, qui iam sæpius iacentem abiectumque animum, ac prope haustum fluctibus erexerat, atque a magna tempestate et agitatione servaverat; sed iam me ob peccata mea deseri sentio.

QUÆSTIO UNICA.

QUANTUS DAVIDIS DOLOR, CUM FUGERET ABSALONEM

4. Ordo Sectionis. In prima Sectione huius psalmi dolorem suum aperit David, se a filio ad mortem peti videns. Ac primo, de terræ auxiliis desperans, ad Deum confugit, v. 2. *Exaudi Deus orationem meam*, etc. Secundo, causam orationis declarat, vehementem suam tristitiam, v. 3. *Contristatus sum in exercitatione mea: et conturbatus sum a voce inimici, et a tribulatione peccatoris*, etc. Tertio, effectum illius tristitiæ ostendit, 1. conturbationem voluntatis, v. 5. *Cor meum conturbatum est in me;* 2. mortem corpori impendentem: *Et formido mortis cecidit super me;* 3. timorem appetitus sensitivi, v. 6. *Timor et tremor venerunt super me;* 4. caliginem intellectus: *Et contexerunt me te-*

nebræ. Quarto, remedium tristitiæ et timoris ait esse fugam in solitudinem, v. 7. *Et dixi: quis dabit mihi pennas sicut columbæ: et volabo, et requiescam.* Se iam incœpisse fugere, v. 8. *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine.* Et auxilium expectare, sed nondum obtinuisse, v. 9. *Expectabam eum qui salvum me fecit a pusillanimitate et tempestate.*

ARTICULUS I.

Tristitiæ et timoris malum est maximum.

5. Vers. 2. DAVID in afflictione ad Deum se convertens, petit primo, ut auribus orationem suam percipiat, v. 2. EXAUDI (Hebr. הַאֲזִינָה *haazina*, id est, auribus percipe. Septuag. ἐνώτισαι. S. Hilar. *inauri*, q. d. In aures demitte) DEUS ORATIONEM MEAM. Secundo, petit favorabilem vultum sibi ostendi: ET NE DESPEXERIS DEPRECATIONEM MEAM. Oratio petit dari bona, deprecatio autem averti mala. Hebr. ne abscondas te a deprecatione mea. Tertio, petit oculos respicientes miseriam præsentem: INTENDE MIHI. S. Hieron. attende mihi. Psalt. Rom et Ambr. atque Cassiodor. *Intende in me.* Chald. ad aures refert, cum vertit: Attende sermoni meo. Quarto denique, vocem liberantem flagitat: ET EXAUDI ME. Caietan. et responde mihi.

Causam orationis suæ declarat, maximam scilicet afflictionem quam mente versans tristabatur, v. 3. CONTRI-
Vers. 3. STATUS SUM IN EXERCITATIONE MEA: ET CONTURBATUS SUM A VOCE INIMICI, ET A TRIBULATIONE PECCATORIS. Pro *contristatus sum*, Hebr. est אָרִיד *arid*, quod est futurum: sed Hebræi tempora sæpe permutant, et præteritum pro futuro, ac futurum pro præterito sumunt. Significat autem *arid*, conquerar, plangam. Unde R. David in libr. Radicum, et in commentario vertit, Plangam et ululabo super infirmitate mea, et angustia seu afflictione mea. R. Salomon, lamentabor in afflictione mea. Flamin. vociferor in oratione mea. Pagnin. clamabo in sermone meo. Felix, lamentabor in deprecatione mea. S. Hieron. humiliatus sum in meditatione mea. Vide tamen, ut nimia non sit tristitia. R. Manahem vertit, dominabor eloquio meo. Radix *rud* significat dominari; 2. conqueri et plangere.

6. Nota secundo, pro *exercitatione mea*, Hebr. est שִׂיחִי *sichi*, id est in sermone meo: ita Pagn. in meditatione mea: ita S. Hieron. in deprecatione mea: ita Felix; in oratione mea: ita Flamin. ut mox dixi. Verti potest, in occupatione mea, in negotio et opere meo. Noster, in exercitatione mea. Ubi adverte Primo, quod meditatio est exercitatio mentis: qua fit vegetior, fortior, et ad toleranda adversa paratior. Unde S. Ignatius nomen dedit suis exercitiis spiritualibus. Secundo, tribulatio est etiam viri iusti exercitatio: de hac locum istum exponit Hugo. Tertio denique, exercitatio meditationis optima est cum tribulatione exercemur, ut hic David noster: de meditatione itaque hæc exercitatio potissimum accipienda est. Christus tristis usque ad mortem se contulit ad meditationem, et orationem, atque sermocinationem cum Deo, Matth. 26. Græca vox ἀδολεσχία qua utuntur Sept. significat attentionem ad aliquam rem cum magno studio et solertia, ut ait Procop. in Genesim; 2. continuam meditationem, ut vult Suidas; 3. meditationem multa cum Deo loquentem, q. d. ἄδος et λέσχη, ad satietatem locutio: vel ab ἅδω, delector et λέσχη, q. d. Delectabilis collocutio et confabulatio: quo sensu dicemus Davidem mirari et conqueri, quod in ipsa sua meditatione, unde lumen et gaudium petebat, tristitiam reperiat, cum ait: *Contristatus sum in exercitatione mea.*

Meditatio est bona et læta exercitatio.

7. Vers. 5. I. Effectus tristitiæ aperit David. Primum quidem conturbationem suæ voluntatis, v. 5. COR MEUM CONTURBATUM EST (Hebr. יָחִיל *iachil*, id est doluit instar parturientis; 2. exspectavit anxie; 3. trepidavit; 4. cecidit. Futurum est, sed pro præterito sumitur modo supra dicto, IN ME. Pagnin. in medio mei. S. Hieron. in vitalibus meis: ET FORMIDO MORTIS CECIDIT SUPER ME. Sancti Patres tristitiam, velut cordis et totius hominis exitium et pestem, execrantur. Primo, S. Gregor. Naz. oratione 12. vocat eam *cordis vinculum*, καρδίας δεσμόν: quod ita illud stringat, ut ne respirare quidem commode patiatur. Secundo, Salomon nuncupat tristitiam, cordis tineam. Prov. 25. 20. *Sicut tinea vestimento, et vermis ligno: ita tristitia* (Chald. stolidas; tristitia est stultitia) *viri nocet cordi.* S. August. lib. 21. de civit. cap. 9. sic mœror excruciat cor viri. S. Antioch. hom. 25. ait, tristitiam esse vermem cordis, et *suam exedere matrem.* Ex ligno, et in ligno nascitur tinea, illud tamen devorat: ita tristitia in corde, et ex corde oritur, et illud absumit: idem sanctus Pater dicit eam ossium medullas pervadere. Tertio, S. Isidor. Pelus. lib. 3. epist. 129. ad Isidorum Diaconum ait: Tristitia cor conturbari, velut in tempestate, atque submergi: ὑπὸ λύπης βαπτίζεται ψυχή, a mœrore mens demergitur. S. Basil. oration. de ieiunio vocat, μέθην καταβαπτίζουσαν διάνοιαν, *ebrietatem quæ mentem submergit.* Quarto, S. Antioch. hom. 25. appellat *os leonis*, quod scilicet totum discerpat et devoret hominem. S. Chrysost. lib. 2. de compunctione cordis: Consuevit, inquit, tristitiæ excessus cum fuerit vehementior, ἅπασαν περιτρώγειν ψυχῆς ἰσχύν; totum mentis robur devorare. Quinto, ab eodem Sancto Doctore epist. 3. ad Olympiad. dicitur, ἁπάντων κακῶν χαλεπώτερον, κολοφών, καὶ κεφάλαιον δεινῶν, omnium malorum molestissimum, et gravissimorum apex et summa. Sexto, in eadem epistola ait: Tristitia est, δήμιος διηνεκής, carnifex perpetuus, non latera abradens, sed etiam animæ vim crucians. Septimo, lib. 3. de providentia dicit, tristitiæ accessum, πάσης δαιμονικῆς ἐνεργείας βλαβερώτερον, omni dæmonum impetu et efficacia nocentiorem esse. Octavo, t. 5. serm. 29. dicit esse insaniam. Tristitiam non tollo, inquit, sed tristitiæ vehementiam tollo. Nam mœrere naturale est: sed supra modum id facere, μανίας καὶ παραφροσύνης, καὶ γυναικώδους ψυχῆς, *est insani et amentis, et muliebrem animum gerentis.* Hippocrates Medicus ad animæ et corporis sanitatem assignat mediocritatem lætitiæ et tristitiæ. Sic enim loquitur in epist. ad Damagetum: Nostros, ait, qui Rhodi sunt amicos moneto, *ut semper modum teneant;* neque multum rideant, neque multum tetrici sint: sed inter hæc, τὸ μέτριον κτήσασθαι, modum teneant. Subdit, se Democritum reprehensurum, quod semper rideat, etiamsi quis moriatur, aut mala patiatur. An non, ait, o Democrite, θεομαχεῖς, *diis bellum indicere videris:* si, cum duo sint in mundo, gaudium et tristitia, alterum a te reieceris? et concludit, μελαγχολᾷς ὦ Δημόκριτε, atra bile vexaris, o Democrite. Lib. 8. Oraculor. Sybill. monemur, ne ob peccata quidem nimis dolendum sit: quia, quod factum est, infectum esse nequit. Alcæus in epigr. docet, non oportere malis animum dedere: nihil enim inde proficiemus. Archilochus in carminibus, monet reiiciendos esse perplexos luctus, et inter ipsas inimicorum hastas securo pectore esse consistendum. Sic obtinebitur victoria. Heraclitum felicem censeo, si vere dixit in epist. ad Hermodorum: *Vici voluptates, vici pecunias, vici ambitionem, profligavi timiditatem, profligavi adulationem,* οὐκ ἀντιλέγει μοι ὁ φόβος, *non contradicit mihi metus, nihil mihi loquitur temulentia:* φοβεῖται με λύπη, φοβεῖται με ὀργή, *metuit me tristitia, metuit me in ira.* Quis id credat de eo, qui erat in perpetuo fletu, sicut Democritus in perpetuo risu? Medium tenuere beati.

Tristitia est maximum animæ malum.

Est cordis vinculum.

Cordis tinea.

Mentis naufragium.

Os leonis.

Malorum omnium maximum.

Carnifex perpetuus.

Insania.

Secundus effectus tristitiæ est trepidatio, et expectatio 8.
malorum gravissimorum: ET FORMIDO MORTIS CECIDIT II.
SUPER ME, q. d. Me obruit et deiicit, velut immensum pondus, cui ferendo par esse non possum. S. Hieronym. *terrores mortis.* Plurima mortis imago, et variæ larvæ obversantur animis tristium. Arabs, timor mortis obumbravit me. Nam tristitia imaginationem lædit, et caput implet atris et fuliginosis vaporibus, qui horrorem ingenerant, ac dira repræsentant.

Effectus tristitiæ est trepidatio.

Nota, timor nimius est grave malum. Est fulmen e nubibus excussum, cui vel fortissimi succumbunt, cum a Deo

Timor nimius est grave malum.

deiicitur. 2. Regum 17. 10. dicebat Chusai: *Fortissimus quisque, cuius cor est quasi leonis, pavore solvetur.* Exod. 15. vers. 15. de hostibus populi Dei pergentis ad terram promissam ait: *Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes habitatores Chanaan. Irruat super eos formido et pavor, in magnitudine brachii tui fiant immobiles quasi lapis.* Est prophetia, non improbatio. Deuter. 32. 25. prævidens Israelitas in terra promissionis peccaturos dicit: *Foris vastabit eos gladius, et intus pavor*, q. d. Duplex gladius eos confodit, unus exterior, et alter interior. Metus sæpe est causa mortis. Gregoras lib. 9. refert, in exercitu Orchaais ducis Turcarum tumultu excitato, milites aliquos stantes exanimatos esse: tunc bellum gerebat in Andronicum iuniorem Imperatorem. Anno Christi 50. Claudii Imper. VIII. cum Iudæi in festis Paschalibus ad templum convenissent, timore oborto ne in eos Ventidius Romanus milites immitteret, fugere cœperunt tanta præcipitatione, ut viginti millia interierint ob angustos viarum exitus, ut ait Iosephus lib. 20. Antiq. qui tamen alibi ponit tantum decem millia. Tunc illis acciderat, quod dicit Origen. homil. 7. in Levit. *Formido inebriat mentem.* Et S. Ioann. Climac. grad. 21. ἐκστασιν πολλακις δειλαινομενοι ὑπομεμενηκασι: Pavidi sæpe in mentis stuporem incidunt. Vocat deinde νηπιωδες παθος και γελοιον, puerilem et ridiculum affectum. Quid magis ridiculum Clearcho Pontico tyranno: qui, teste Plutarcho, in cistam irrepens instar anguis, dormiebat, ut esset securior? Quid miserius Aristodemo Argivorum tyranno, qui sponda in sublimi conclavi posita, supra ianuam pensilem, cum anima sua dormiebat: et amicæ mater, eum ascenderant, scalas removebat, rursumque luce facta reponebat. Mitto Dionysii iuglandes, quibus sibi barbam adurebat: et turrim, ex qua populum alloquebatur, ut esset securior. Iure dicit Xenophon lib. 1. memorabilium Socratis μαινομενων, insanientium et furentium esse, neque ea quæ formidanda sunt timere: et quæ timenda non sunt, formidare. Vide dicta Ps. 13. 5. in illud: *Trepidaverunt timore, ubi non erat timor:* id est, timendi causa. Plato in Timæo vocat timorem, ἀφρονον ξυμβουλον, stultum consiliarium. S. Chrysost. hom. 5. ad populum, Christianos ait debere esse milites intrepidos: Miles es, ait, et semper in exercitu versaris: miles vero mortem timens, nihil unquam generosi efficiet: Ita Ipse.

In exercitu Orchanis milites pavore mortui.

Iudæi ob terrorem panicum ad 20. millia obtriti.

Aristodemi pavor ridiculus, et Clearchi.

9\. Si timere humana et terrena nosci vis, Deum time. Ut enim ait S. Cyprianus de oration. Dominica. *Quis ei de sæculo metus est, cui in sæculo Deus tutor est.* S. Ambr. concion. de basilicis non tradendis hæreticis: *Didicimus*, inquit, *Christi servuli non timere: non timentibus, nunquam est gravis terror.* S. August. tom. 9. lib. 2. de urbis excidio, cap. 6. *Gratias tibi ago, quia iam nec barbaros, nec diabolum formidamus, non timemus in terra famem, non timemus grandinem, non timemus hostem, non timemus lictorem, non timemus oppressorem: sed sumus in terra mortui, apud te morituri in regno tuo salvi; dono tuo, non merito nostro.* S. Ioan. Clim. grad. 21. ostendit, eum qui timet Deum, nihil aliud timere: *Verus Dei famulus*, οἰκειον δεσποτην και μονον φοβηθησεται, *solum et unicum suum dominum formidabit: hunc qui nondum metuit, ab umbra sua territus sæpe refugiet.*

Qui Deum timet, terrena non timet.

10\. Tertius effectus nimiæ tristitiæ est mentis obtenebratio, vers. 6. TIMOR ET TREMOR VENERUNT SUPER ME, ET CONTEXERUNT ME TENEBRÆ, id est, mali homines: ita Hugo, cui favere videtur Lorinus: nam scelerati sunt meræ tenebræ, præsertim ob fraternum odium. 1. Ioan. 2. 11. *Qui odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat: quia tenebræ obcæcaverunt oculos eius.* David igitur densa nube hostium vallatus (omnis enim Israel toto corde sequebatur Absalonem) dicebat se tenebris esse contectum.

Vers. 6. III. Effectus tristitiæ est mentis obtenebratio.

Secundo, et melius, *tenebræ* sumendæ sunt pro tristitia, q. d. Me undique cingunt causæ tristitiæ: et, quocumque me verto, tristitia obtegor. Ut enim dicit S. Chrysologus serm. 48. *Nullæ noctis tenebræ caligini mœroris et formidinis comparantur: quia nullo possunt, aut consolationis, aut consilii lumine temperari.*

Tertio, et optime, *tenebræ* sunt caligo orta ex tristitia. S. Gregor. Naz. orat. 12. οἱον τι νεφος, *sicut nubes quædam mentem meam mœror invadens*, συνεκαλυψεν ακτινα λογου, *rationis radios obtegit.* S. Ioan. Clim. gr. 26. λυπη υπερμετρος καπνωδη και σκοτεινην ψυχην εργαζεται, *tristitia abundantior fumo ac tenebris animam opplet.* S. Chrysost. epist. 3. ad Olympiadem: *Tristitia*, inquit, *est* νυξ διηνεκης, και σκοτος ἀφεγγες, *nox perennis, et tenebræ illunes, et tempestas ac fluctuatio, et febris incognita atque obstrusa, omni flamma vehementius adurens, et bellum induciis carens, et morbus multa quæ videntur occultans:* Ita Chrysostomus. Et homil. 11. ad populum, non cæcam tantum, sed surdam quoque animam mœrore fieri asserit, esseque ad omnem auditionem ineptam. Et sermon. 21. tom. 5. non surdam tantum, sed etiam mutam esse dicit.

ARTICULUS II.

Vir iustus est columba, alis virtutum ad Deum evolans.

DAVID tristitia et timore ligari se sentiens cum fugeret Absalonem, alas columbæ postulat, ut citius et securius fugiat, vers. 7. ET DIXI: QUIS DABIT MIHI PENNAS SICUT COLUMBÆ, ET VOLABO, ET REQUIESCAM? Nota, cum David urbe regia relicta fugisset, et quiesceret prope Iordanem, confectis eo die cum tota sua turma circiter viginti quinque milliaribus, venerunt ad eum Ionathan et Achimaas, qui renuntiarent, Achitophelem auctorem esse Absaloni, ut immissis duodecim millibus militum, quorum se ducem fore pollicebatur, statim ipsum opprimeret: itaque ea ipsa nocte fluvium esse traiiciendum. Tunc igitur fatigatus sibi et suis alas columbæ optat, et petit: Deo tamen iuvante surrexit David, et omnis populus qui cum eo erat, et transierunt Iordanem, donec dilucesceret, et ne unus quidem residuus fuit, qui non transisset fluvium, ut habetur 2 Reg. 17. 22. 11.

Vers. 7. David optat alas columbæ.

Quæres, quibus in rebus vir iustus comparari potest cum columba? Primo, in gemitu, Hebr. יון *ion*, seu יונה *iona*, columba, deducitur a ינה *iana*, id est, mœrore affecit, afflixit, q. d. Afflicta, mœrens: gemebunda. Theodoret. dicit, vocem columbæ suspirantibus esse similem. Albertus magnus ait, omnia columbarum genera uti gemitu pro cantu. Isaias cap. 59. ait, columbas meditantes gemere. Plin. lib. 10. cap. 31. Cantus, inquit, omnibus columbis similis, atque idem trino conficitur versu, præterquam in clausula gemitus, hyeme mutis vere vocalibus: ita ille. Gemitus ille columbæ, est dolor pœnitentium petentium recipi in arcam Noe, id est, in Ecclesiam, in statum et domicilium iustorum et in cælum: dum corvus, id est impœnitens procrastinans, adhæret cadaveribus. S. August. tom. 10. serm. 16. de verbis Domini, cap. 10. *Ipsa res est*, inquit, *quæ multos occidit, cum dicunt: Cras, cras, et subito ostium clauditur. Remansit foris cum voce corvina, quia non habuit gemitum columbinum. Cras, cras, corvi vox. Geme ut columbus, et tunde pectus. Sed plagas tibi dando in pectus, cæsus correctus esto: ne non videaris conscientiam cædere, sed malam conscientiam pugnis pavimentare: solidiorem reddere, non correctiorem.* Puerpera post 40. dies si pepererat masculum, aut post 80. si fœminam, veniebat in templum: et ibi consistens in atrio immundorum, offerebat turturem aut pullum columbæ pro peccato, ibique aspergebatur aqua cinerea vitulæ rufæ, quæ erat aqua lustralis in omni purificatione: tum intrans atrium mundorum offerebat infantem Deo, eumque redimebat, et in gratiarum actionem dabat turturem vel pullum columbæ in holocaustum. S. Greg. lib. 32. Mor. cap. 2. id ad mores traducens, ait: *Quid per duos columbarum pullos, vel duos turtures, nisi duplex pœnitentiæ nostræ gemitus designatur? ut cum ad offerenda bona opera non assurgimus, nosmetipsos dupliciter defleamus: quia et recta non facimus, et prava operati su-*

12. Quinque parallela viri iusti cum columba.

I. In gemitu.

mus. Unde et unus turtur (idem dic de columba) *pro peccato: alter vero offerri in holocaustum iubetur. Unum ergo turturem pro peccato offerimus, cum pro culpa gemitum damus: de altero vero holocaustum facimus, cum pro eo quod bona neglleximus, nosmetipsos funditus succendentes igne doloris ardemus.*

13. II. In oculis.

Secunda similitudo viri iusti et columbæ, est in oculis. Sponsus, id est, Christus, alloquens sponsam novellam et viam perfectionis incipientem, dicit Cant. 1. 14. *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es: oculi tui columbarum*, quod S. Bern. contemplans, serm 45. Iam, ait, non ambulas in magnis, neque in mirabilibus super te: sed instar simplicissimæ volucris contenta es simplicioribus, nidificans in foraminibus petræ, meis vulneribus immorans: et libenter ea quæ sunt de me dumtaxat, incarnato et passo, oculo intuens columbino. Beda aperte: Oculi tui columbarum, id est, simplices et mundi, atque ab omni duplicitate fallendi ac simulandi prorsus immunes. Item, oculi tui columbarum, quia sensus tui spiritali sunt intellectu præditi. Item, oculos columbarum habet amica Christi: quia omnis quæ illum veraciter intus amat, nullo exterarum rerum appetitu milvorum more accenditur, nulli viventium adversum quid inferre meditatur: quod columbinæ fertur esse mansuetudinis, quæ cuncta quæ occurrunt, simplici, miti et humili corde contemplatur. S. Gregorius de Prædicatoribus explicat illud Cantic. 5. quod dicitur de Sponsa iam adulta: *Oculi eius sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et resident iuxta fluenta plenissima.* Verba ipsius sunt: Oculi sponsæ, sicut columbæ sunt: quia prædicatores Christi, qui viam nobis ostendunt, in simplicitate vivunt: super rivulos autem aquarum esse perhibentur: quia semper in refectione divinarum Scripturarum conversantur. Lacte vero sunt lotæ, quia gratia creatricis sapientiæ, tamquam lacte matris a peccatis per baptismum sunt mundatæ: ita Gregorius.

14. III. In osculo.

Tertia similitudo viri iusti et columbæ est *in osculo* casto et sancto. Solent enim columbæ, mas et femella, se ex mutuo amore osculari. S. August. tract. 6. in Ioann. *Osculantur corvi*, ait, *sed laniant: a laniatu innocens est vita columbarum. Ubi ergo laniatus, non est vera in osculis pax. Illi habent veram pacem, qui Ecclesiam non laniaverunt. Nam corvi de morte pascuntur, hoc columba non habet. De frugibus terræ vivit, innocens eius victus est: quod vere, fratres, mirandum est in columba. Sunt passeres brevissimi, qui vel muscas occidunt: nihil horum columba: non enim de morte pascitur. Qui laniaverunt Ecclesiam, de morte pascuntur:* ita ipse. Sponsa statim initio Cantici petit osculum Sponsi: ait enim cap. 1. v. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* Vide a me dicta Psal. 2. 12. Adde S. Maximum in scholio ad gradum 8. S. Ioannis Climac. *Columba*, inquit, *est virtus*, δι αγαπης ενεργους υπαρχουσα ψυχη; *per charitatem efficacem in anima existens.* Imminente morte S. Gertrudis, Christus eam suavissimo hoc promisso consolatus est. Ecce nunc tandem *per meum osculum* efficacissima suavitate plenum te mihi acquiram, perque arctissimos divini mei cordis amplexus offeram te meo Patri cælesti, ut habetur lib. 5. revelat. eius, cap. 3. quas esse confictas dicere temeritatis esset atque impudentiæ, licet fortasse aliqua ex spiritu proprio in mentem venerint, quæ putavit esse Dei revelationes, ut accidit Nathan Prophetæ, 2. Reg. 7. 3. et 4. de templo ædificando agenti cum Davide.

Sponsa iam adulta, id est Ecclesia universalis collecta ex Iudæis Gentibus, dicit se desiderare osculum. Cantic. 8. 1. *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ* (B. Virginis vel Ierusalem cælestis) *ut inveniam te foris*, (extra has terras in cælo) *et deosculer te, et iam me nemo despiciat?* S. Ambr. lib. de Isaac, cap. 8. *Bona anima*, inquit, *quæ foris est, ut verbum intus sit: illa extra corpus, ut verbum habitet in nobis.* Rupertus mirabilem extasim suam refert in cap. 26. Matth. lib. 52. pag. 562. Ibi enim memorat, se cum iuberetur capessere sacerdotium, seque tanto gradu indignum iudicaret, vidisse Christum crucifixum in altari se intuentem et invitantem ad amplexum. Verba eius sunt: Altare per medium sese aperuit, meque introrsus currentem suscepit. Quod cum festinus introissem, apprehendi quem diligit anima mea, tenui illum, amplexatus sum eum diutius, *osculatus sum eum;* sensi quam graviter hunc gestum dilectionis admitteret, eum *inter osculandum suum ipse os aperiret, ut profundius oscularer.* Plane hoc agebatur, hoc illa significatione parabatur, ut fieret illud, quod in Canticis dilecta exoptans dicit: Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer, et iam me nemo despiciet: huc usque Rupertus. Hoc fit in Eucharistia cum Christus in nos intrans, profunde nos osculatur. Columbam sæpius vocat sponsam suam. Nam Cant. 2. 10. sic loquitur de sponsa infante seu incipiente, cap. 5. 3. de adolescente seu proficiente, et cap. 6. 8. de adulta seu perfecta. Specie columbæ S. Radegundis Franciæ regina periclitantes in mari liberat: eadem specie S. Leonardus captivum e subterraneo specu educit. Anima S. Amatoris in columbæ figura delata est in cælum a choro sanctorum, a multis conspecto. Christus ipse vicissim columba est innocens sicut agnus. Olim in columba supra summum altare suspensa servabatur sacra Eucharistia, in qua Christus est. Spiritus sanctus descendit super eum in specie columbæ, Matth. 3. 16. item super caput S. Fabiani, qui ideo Pontifex Maximus creatus est: super caput S. Chrysostomi, dum a Flaviano Patriarcha Antioch. consecraretur sacerdos: super caput S. Aderiti, qui propterea a clero hoc vidente creatus est Episcopus Ravennæ: super caput S. Eleucadii, qui etiam postea eidem Ecclesiæ præfuit: idem etiam accidit S. Marcelliano ibidem Episcopo. S. Gregorio Papæ libros scribenti Spiritus sanctus in figura columbæ visus est in aurem suggerere ea quæ scriberet, id se vidisse affirmavit Petrus Diaconus, cum de eius scriptis combureudis agitaretur. Osculum id erat omni suavitate dulcius. Angelus quoque specie columbæ requievit super caput S. Allouvyni, cognomento Bavonis, cum esset morti proximus. Vide eorum vitas.

In specie columbæ: S. Radegundis a naufragio liberat, et S. Leonardus a carcere. S. Amator in cælum ea figura evolat. Spiritus sanctus supra sanctos varios apparet.

Quarta similitudo viri iusti et columbæ, est *in collo.* Ps. 67. 14. *Pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi eius in pallore auri.* Ibi fusius ea de re agetur: nunc sufficiat Petrus Blesensis Archidiacon. Bathoniensis in Anglia, qui serm. 9. de Purific. B. Virginis varietatem cælorum, in columbæ collo, interpretatur varietatem virtutum: *Columbæ quædam*, ait, *ad colli mutationem mutant etiam colorem. Alius enim apparet color in collo, si vergatur in lævam, et alius cum in dexteram. Hinc etiam a collo quidam existimant dictam esse columbam: sic et contemplativus loco et tempore omnibus omnia fiat, ut omnes lucrifaciat. Hanc vicariam colorum varietatem habuit Apostolus, qui ait 2. Cor. 5. 13. Sive mente excedimus, Deo: sive sobrii sumus, vobis.* 15. IV. In collo.

Quinta similitudo viri iusti et columbæ, in pennis est ac volatu. S. August. in Ps. nostr. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et tamen non sicut corvo. Columba a molestiis quærit avolationem, sed non amittit dilectionem.* Non vult vir iustus alas rapacis milvi aut aquilæ carnivoræ, sicut habebat Nabuchodonosor aquila grandis, de qua Ezech. 17. 3. 16. V. In pennis.

Primo igitur, duæ alæ Sanctorum sunt duplex charitas: Dei scilicet atque proximi: ita Hugo hoc loco. De charitate habes Cant. 8. 6. *Lampades* (id est, faces, tædæ) *eius, lampades ignis.* S. Ambr. serm. 19. in Ps. 118. vertit: *Alæ ignis*, et sic loquitur: *Mortem habet charitas, et zelum habet charitas, et alas ignis habet charitas. Denique Christus diligens Mosen, in igne ei apparuit. Et Ieremias habens in se donum divinæ charitatis, dicebat cap. 10. Et erat ignis inflammans in ossibus meis: et dissolutus sum undique, et ferre non possum. Bona igitur charitas habens alas ignis ardentes, quæ volitat per pectora et corda Sanctorum, et exurit quidquid materiale atque terre-* I. Duæ alæ animæ sanctæ sunt duplex charitas.

num est; quidquid vero sincerum est, probat; et quod contigerit suo igne, meliorat. Hunc ignem in terras misit Dominus Iesus, et refulsit fides, accensa devotio, illuminata est charitas, iustitia resplenduit. Hoc igne inflammavit corda Apostolorum suorum, sicut testatur Cleophas, dicens Luc. 24. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum aperiret scripturas? Alæ igitur ignis in flamma, scripturæ sunt divinæ. Denique, aperiebat scripturas, et ignis exibat, atque audientium corda penetrabat. Et vero alæ ignis, quia eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum. Cum Paulus quoque assumeretur a Christo, vidit circumfulsisse super se lumen, et super eos qui simul erant, cecidit pavor, et probatior resurrexit: denique Apostolus factus est, qui persecutor advenerat. Spiritus quoque sanctus descendit, et replevit totam domum, in qua plurimi erant sedentes, et visæ sunt dispersæ linguæ tamquam ignis. Bonæ alæ charitatis, veræ alæ quæ volitabant per ora Apostolorum, et alæ ignis, quæ purgatum sermonem loquebantur. His alis evolavit Enoch raptus ad cælum. His alis evolavit Elias curru igneo, et equis igneis ad superna translatus. His alis Dominus Deus per columnam ignis deducebat patrum plebem. Has alas habuit Seraphim, quando sumpsit carbones ignis de altari, et tetigit os Prophetæ, et iniquitates eius abstulit, et peccata purgavit. Harum alarum igne purgati sunt filii Levi, et baptizabuntur populi nationum, sicut testificatur Ioannes, dicens de Domino Iesu: Ipse vos baptizabit in spiritu et igne. Merito uri renes volebat, et cor suum David, quia alas igneas charitatis sciebat non esse metuendas: huc usque Ambros. Charitatis alis fieri nos leviores, ut cælum petamus, docet S. August. tom. 10. ser. 22. de verbis Apostoli cap. 5. Hæc sarcina, inquit, non est pondus onerati, sed alæ volaturi. Habent et aves pennarum suarum sarcinas. Et quid dicimus? Portant illas, et portantur. Portant illas in terra, portantur ab illis in cælo. Tu si misericordiam velis præstare avi, præsertim æstate, et dicas: miseram istam aviculam onerant pennæ, et detrahas onus hoc, in terra remanebit, cui subvenire voluisti. Porta ergo pennas pacis, alas accipe charitatis. Hæc est sarcina, sic implebitur lex Christi: ita Augustinus.

II. Amor et timor. Secundo, duæ pennæ Sanctorum sunt amor et timor: ita Hugo. Vulgaris est parœmia: Timor addidit alas: de amore id longe verius, ut patet ex mox dictis.

III. Eleemosyna et condonatio iniuriarum. Tertio, duæ pennæ sanctæ columbæ, id est animæ Deo devotæ, sunt eleemosyna et condonatio iniuriarum: ita S. Cæsarius hom. 21. *Duo sunt*, inquit, *eleemosynarum genera; unum, quod pauperibus erogamus: aliud, quod vicinis vel fratribus nostris quotiescumque in nobis peccaverint, indulgemus. Utrumque auxiliante Deo facimus: quia unum sine alio nihil prodest. Sicut e contrario, si peccantibus tibi indulseris, et esurientibus quantum vales dare nolueris, una virtus sine altera tibi prodesse non potest. Nos vero fratres, ista duo eleemosynarum genera nobis quasi spiritalium alarum remedia præparemus, ut ad principalem patriam, et illam cælestem Ierusalem, omnibus terrenarum cupiditatum spretis, hisque expeditis ac liberis, virtutum pennis fulti, tamquam spiritales columbæ, volare feliciter ac venire possimus, secundum illud quod Psalmista desiderat, et supplicat, dicens: Quis dabit mihi pennas ut columbæ, et volabo, et requiescam.* S. Chrysost. homil. 32. in epist. ad Hebr. Eleemosyna est alata et levis. Alas habet aureas, habet volatum, qui valde oblectat angelos. Illic, ait, pennæ columbæ deargentatæ, etc. Volat tamquam quædam aurea et vivida columba, placidum habens aspectum et oculum.

IV. Cognitio et affectio. Quarto, duæ pennæ columbæ, id est, sanctæ animæ, sunt cognitio et affectio: ita Hugo. De prima, nempe de cognitione, afferri potest Plato in Theæteto, ubi dicit scientias esse aves. In qualibet anima, inquit, aviarium omnis generis avium fabricemus: loco avium intelligamus scientias; et quisquis scientiam nactus hoc coercuit ambitu, cumque in aviario incluserit, posse quoties velit capere, et habere quælibet ad votum, et rursum dimittere

A dicamus: ita Plato. De secunda penna, nempe de affectione, profert illud S. Petr. Damiani opusc. 52. cap. 11. Nobis, ait, pro modulo nostro pennæ sunt insitæ, virtutes scilicet spirituales, quibus si viriliter utimur, ad cælestia sublevamur: sin autem ex desidiæ torpore deponimus, necesse est, ut in surripientium vitiorum profunda mergamur.

V. Humilitas et patientia. Quinta, duæ pennæ columbæ sunt humilitas et patientia in prosperis et adversis: ita Aiguanus. Hæ enim a laqueis diaboli et glutino mundi expediunt animam. S. Ephrem de recta vivendi ratione: *Humilitatem*, ait, *dilige, et nunquam diaboli laqueis capieris. Velocissimis enim humilitatis alis semper sublevatus, sublimior eris, quam ut inimici retibus capi possis.*

17. VI. Actio et contemplatio. Sexto, duæ pennæ columbæ sunt actio et contemplatio: ita Elias in orat. 18. Gregor. Nazianz. et S. Ioan. Clim. grad. 4. Utraque enim est pennata, et volat, ut Deo serviat, at illi se uniat. Contemplationis tamen volatus altior est, atque mirabilior.

Sermonem alatum pingebant ethnici. Ac primo, orationem, seu sermonem, cum alis pingebant ethnici. B Gregorius Codinus de rebus Constantinop. id nos docet. Græci ait et reliqui veteres Romani, secundum fabulam vulgo tritam, dicunt, Mercurium Iovis et Maiæ filium esse, id est, mentis et prudentiæ. Nam ex mente et prudentia oritur oratio, quam propter celeritatem faciunt volucrem: nihil enim est sermone velocius. Et Homerus *alata verba* dixit: fingunt enim adolescentulum, quod non senescit oratio: quin etiam quadrangulum ipsum faciunt propter constantiam veri sermonis. Iulianus Imper. epist. 18. sic ait: Homerus non alia ex causa verba alata dixit, nisi quia omnem in partem ire possunt, *ut velocissimæ aves*, quocumque volunt, prosiliunt. Sed tu quoque, amice, vicissim scribe. Nam et tibi par est, vel maior in dicendo alarum copia, qua et amicos potes commovere, et varie tamquam præsens esses, delectare: ita Iulianus. Si ad homines habita oratio pennata est, longe magis illa, quæ ad divinum usque thronum penetrat, quam primis Ecclesiæ temporibus per alarum motionem C repræsentabant. Nam cum Pontifex divinis rebus operabatur, hinc inde ministri adstabant, linea veste ac solitis amiculis ornati, qui *flabella e volucrum pennis confecta*, super venerabile sanctuarium agitabant, ut Seraphinorum ab Isaia conspectorum alas repræsentarent. Iobius eruditus et antiquus auctor, hoc ad venerationem traducit lib. 6. commentarii de Verbo Incarnato: Cum, ait corporaliter Dominus præsens esset, cum timore ac tremore Seraphim ei inserviebant: huiusque timoris et tremoris specimen obscurum esse, γινόμενον διὰ πτερῶν κίνησιν, alarum eam agitationem, quam ministrantes adhibent: ita Iobius. Columbam alatam super caput beati Christophori de Romandiola sæpe apparuisse candore eximio, cum Missam celebraret, tradit Lucas Waddingus in Annal. Francisc. anno 1272. Poterat ille ad cælestia et divina evolare, Spiritu sancto ei alas suppeditante. Abraham iubetur a Deo immolare vaccam triennam, capram trimam, et arietem annorum trium: *turturem quoque et columbam:* per quæ dua ultima Philo lib. Quis rerum divinarum hæres intel- D ligit divinam et humanam sapientiam. Divinam quidem, per turturem: quia amat divina sapientia solitudinem, propter solum Deum, cuius est ipsa possessio: humanam per columbam, quia mansueta, cicur, et gregatim volitans, civitates hominum libenter incolit, gaudens consuetudine mortalium. Per columbam quoque sapientia Dei figurari potest. Psellus in illud Cant. 4. *Oculi tui columbarum*, ait: Sponsam oculos columbæ habere: cum oculos ab errore averterit, et eos in Creatorem intenderit. Et S. Gregorius oculos sponsæ dicit bene comparari columbis, quia dum in temporalibus gemit, et ad æterna desideria rapitur, in simplicitate sensus suos custodit, et carnales concupiscentias detestatur.

Sex alæ angelorum. S. Petrus Damiani, sex alas angelis assignat serm. 52. scilicet dignitatem eorum productionis; 2. gratiam confirmationis; 3. singularem amorem sui Creatoris; 4. assiduam visionem Divinitatis; 5. gaudium nostræ redemptionis; 6. restitutionem supernæ

civitatis. Duæ nobis nunc sufficiunt, actio charitativa et contemplatio attenta. Sed plerique mortalium ad terrena distracti, ita exterioribus sunt intenti, ut de Deo contemplando sint parum solliciti. Hugo a S. Victore lib. 2. Allegor. in Gen. cap. 15. Corvus, inquit, qui de arca emissus est, et non est reversus, significat falsos Christianos, qui dum aliquando causa necessitatis ad exteriora mittuntur, foris remanent: quia visibilibus inhærent, nequaquam ad interiorem quietem revertuntur, dum foris in fluctuatione temporalium delectantur. Columba vero quæ reversa est, bonos significat; qui dum pro necessitate proximorum ad exteriora procedunt, redeunt, dum foris quietem non inveniunt; et afferunt ramum olivæ, quia peregerunt opus misericordiæ: ita Hugo.

Tres modi contemplationis.

Richardus autem a S. Victore, lib. 5. de contemplat. dicit: tripliciter fieri contemplationem: 1. modo, ait, agitur mentis dilatatione; 2. modo, mentis sublimitate; 3. modo, aliquando mentis alienatione. Ad rem nostram est mentis elevatio, de qua sic dicit: *Assument pennas ut aquilæ, volabunt et non deficient. Supra naturam est procul dubio pennas habere, et pro voluntatis arbitrio ad alta volare. Quid est autem, pennas quasi contra naturam accipere, nisi miram quamdam contemplandi efficaciam ex virtute possidere: quo possis cum volueris in secretioris scientiæ ardua, et omni humanæ industriæ invia perspicaciæ tuæ penna penetrare? Pennata itaque animalia tunc esse incipimus, quando gratiæ munere in idipsum divinitus accepto humanæ conditionis metas contemplationis nostræ volatu transcendimus.* Boetius lib. 4. de consolatione, metro 1. illo se usum volatu ostendit, cum canit:

Sunt pennæ volucres mihi,
Quæ celsa conscendant poli:
Quas sibi cum velox mens induit,
Terras perosa despicit.

Margunius Episcopus Cytherorum similes sibi pennas orabat: Ode 2.

Νοημασιν δε θειοις,
Αυγαις τε των ερωτων
Αναπτερον εμον νουν.
Mens nostra sed levetur,
Alis librata sursum:
Et semper incalescat
Radiis tuorum amorum.

In templis præsertim columbæ sacræ sibi nidos ponant: et intra petram, id est, Christum, se abscondant. Mirum est, sed fabulosum, quod ait Athenæus lib. 9. ad Erycem, ait, Siciliæ montem stati quidam sunt dies, αναγωγιας vocant, quibus dicunt Venerem in Libiam discedere. Nullæ tum circa eum tractum columbæ apparent, tamquam abeuntem peregre Deum comitatæ. Nono post die, quod tempus καταγωγια nominant, columba ex mari una provolat, et *in Deæ templum* se recipit, sequuntur mox aliæ. Tum quotquot locum illum circumhabitant divites, convivantur, cæteri læti plaudunt; oletque universus hic tractus butyrum: quod argumento est deam reverti: ita Athenæus. Sponsa contemplationi vacans, et amore sponsi, id est, Christi, saucia dicit, lectulum suum, id est, conscientiam et templum, esse floridum, tigna domus cedrina, et laquearia cypressina, hoc est, mores et actus incorruptos, Cant. 1. v. 16.

Mirum de columbis Veneris.

18. Secundo, altera columbæ, id est animæ sanctæ, ala, est actio. Cantic. 2. 10. *En dilectus meus loquitur mihi. Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, et veni.* Ibi Ecclesiam primitivam, seu animam sanctam, a somno contemplationis, in quem inciderat, evocat ad laborem actionis et zelum animarum. Nam Apostoli, velut columbæ timidæ et fugientes accipitrem, ante adventum Spiritus sancti erant in foraminibus petræ, in caverna maceriæ: inde evocantur ut sonet vox eorum populis.

Actio est iungenda contemplationi.

Animalia mystica Ezechieli ostensa habebant pennas et manus: id est, contemplationem et actionem. Ezech. 1. 8. *Manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus,* currus scilicet: quia singuli Cherubini prope singulas rotas stabant et ambulabant; 2. in quatuor partibus; id est, sub quatuor pennis seu alis: licet enim Fernandus noster visione 13. sect. 6. tribuat singulis 64. alas et consequenter 64. manus, et Maldonatus 16. tamen verius est habuisse quatuor: imo aliqui duas tantum alas et totidem manus sub illis ponunt. S. Gregor. hom. 3. in Ezech. ad rem nostram apte: *Manus hominis, ait, sub pennis eorum in quatuor partibus. Quid per manus, nisi activa vita? quid per pennas, nisi contemplativa figuratur? Manus ergo hominis sub pennis eorum est, id est, virtus operis sub volatu contemplationis.* Actio et contemplatio duæ sunt charitates, quæ a se invicem divelli non possunt. S. Ambros. in Psal. 118. *Volare facit*, inquit, *orationem bona vita, et dat alas precibus spirituales, quibus Sanctorum ad Deum evehatur oratio.* Plato in Phædro, μονη πτερουται φιλοσοφου διανοια: *Mens tantum philosophi, alas habet.* Philosophum vocat eum, qui sapientiæ et virtuti studeat: sic Crates ait in epistola ad socios: Φιλοσοφειτε πολλακις η αναπνειτε: *Philosophamini sæpius quam respiretis. Magis enim expetendum est bene vivere, quod præstat philosophia: quam vivere, quod præstat respiratio.* Spartani pingebant Apollinem, sapientiæ præsidem, cum quatuor auribus et totidem manibus: quod auditur a doctore, hoc explendum est opere. Christus venit ad domum Marthæ et Mariæ sororum: neutra debet adesse, ne inde exeat: unde Martha occurrens Christo statim Mariam evocat, et Christus eum utraque pergit ad monumentum Lazari, ut eum excitet, Ioan. 11. v. 43. Ægyptios refert Horus pinxisse manum sub lingua, ut indicarent actionem sermoni addendam esse, ut sit efficax. Chaldæus in Ezechielem ait, Cherubinis esse manus quasi hominis, ut suscipiant conversionem omnium qui convertuntur. Cherubim significat scientiæ seu cognitionis multitudinem, a rad. *nacar*, scivit, et *rab, multum;* sed ad currum Dei non admittantur, sine manibus, id est, sine bonis actionibus, ut possint prunis charitatis incendere Ierusalem, hoc est Ecclesiam. S. Laurent. Iustin. de casto connubio, cap. 22. *Humilitas*, inquit, *et charitas spirituales orationis sunt alæ* (sed cum manibus ut patet) *quarum remigio usque ad interiora ingreditur velaminis, ubi verbum in sinu residens paterno æterna virtute generatur;* et tract. de ligno vitæ, sect. de oratione, cap. 5. animæ duas dat alas: orationem scilicet atque ieiunium. Nihil sublimius, ait, nihil potentius homine orante. Qui orat cum ieiunio, duplices habet alas, quibus ad rimanda cælestia sustollitur. Nam nec oberrat, nec torpet, nec perire permittitur: ita ipse.

Sub pennis Cherubinorum erant manus.

Apollo cum quatuor auribus et manibus.

Humilitas et charitas sunt alæ orationis.

Deus die tertio creationis congregatis aquis in maris, fluviorum et fontium alveos, iussit terræ ut produceret flores, herbas et arbores: die autem quarto fecit solem, lunam et stellas, ut indicaret per virtutum actiones oriri lumen. S. Petrus Damiani opusculo 40. cap. 4. *Quid est*, inquit, *quod prius germinat terra, et protinus creantur luminaria: nisi quia prodeunte boni operis germine, lux in anima copiosior oritur, ut imitari valeat sui vestigia Redemptoris? Acceleret ergo mens humana, spiritualium segetum germinare proventum, ut rutilantibus divinæ lucis radiis illustretur; qualenus dum quarti diei luce perfruitur, etiam ad contemplanda cælestia, more spiritualium volucrum, rapiatur.*

Cur prius terra germinat, quam sol producatur.

Nota, David dicit in Psalmo nostro: *Quis dabit mihi pennas?* q. d. Illas ex me non habeo, et quis in terra mihi dare possit non reperio: sum implumis, egeo Dei gratia benigne mihi succurrente, et a terrenis elevante. Cantic. 8. 5. Populus occurrens sponsæ ascendenti in cælum, ait: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum?* ubi Rupertus: Numquid, ait, innixa deberet esse super semetipsam, aut super quemlibet alium? tunc utique caderet, et stare non posset. Nunc autem dicit: *Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo?* etc. Hoc dicere et facere, nimirum est innixam esse super dilectum: ita Rupertus. Sequere consilium Guilielmi Abbatis serm. 2. in Cantica: *Iacta cogitatus tuos implumes adhuc, et infirmos in Domino*, et ipse te enu- 19.

Gratia Dei dat alas.

triet, donec formetur et firmetur Christus in te. Tunc vir perfectus ad summa evolabit. Ut enim ait Alanus in Cant. Descendit in desertum, per nativitatem: ascendit per desertum, progrediendo de virtute in virtutem: ascendit super desertum, omnem mundanorum contemnens sublimitatem; ascendit de deserto in æternam beatitudinem: ita Alanus.

20. Alis est volandum. Nota secundo, non satis est habere alas, volandum est: Hinc addit David noster, *et volabo.* Isaias de Seraphim, quos vidit in templo cap. 6. 2. ait: *Seraphim stabant super illud: sex alæ uni, et sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, et duabus pedes eius, et duabus volabant.* Hoc S. Chrysost. contemplans: *Quid,* inquit, *isti alarum volatus innuunt? Nimirum præcelsam ac sublimem earum virtutum* (angelorum) *naturam. Ad hunc modum et Gabriel volans conspicitur, et e cælo labens, ut discas eius velocitatem et alacrem agilitatem.* S. Petr. Damiani, serm. 52. qui est de S. Michaele, occasione illarum alarum, assignat sex alas homini revertenti ad Deum: nempe amaritudinem cordis; 2. confessionem; 3. spem; 4. timorem; 5. humilitatem; 6. charitatem. His aliisque virtutibus mens sublevatur, sicut vitiis degravatur. S. Ambr. ait, nos esse aves ad volandum natas; sic enim loquitur serm. 18. in Ps. 118. *Satis est tibi ut avem te esse noveris, assumptum in naturam volandi.* Crates in epist. ad socios dicit, hoc a Diogene frequenter usurpatum esse, καν δια πυρος βαδιστεον, *vel per ignes eundum esse,* προς ευδαιμονιαν, *ad beatitudinem.* Longe magis ad eam est evolandum, cum sit locus naturalis animæ. Heraclitus in epist. ad Amphidamantem: Si corpus, ait, omnino redundarit, descendet ad fatalem locum: sed animus non descendet, qui cum sit immortalis, εις ουρανον αναπτησεται μεταρσιος, in cælum evolabit sublimis.

21. Volandum est instar columbæ. Nota tertio, volandum est *instar columbæ:* id est, primo, volatu omnibus innoxio; secundo, volatu celerrimo. Nam volatus columbarum est pernicior volatu omnium avium domesticarum, imo vix ullæ rapaces assequi ipsas possunt. Hinc Virgil. lib. 5. Æneidos vocat volucrem columbam. Ovidius lib. 3. de Ponto, aeriam. Chorus apud Sophoclem petit mutari in columbam, ut celeriter fugiat. Pene duplicat velocitatem, cum avis rapax insequitur, sicut eleganter describit Angelius Bargæus lib. 9. Syriæ, et Baptista Fiera in sylvis. Homerus Iunonem et Minervam celerrime pergentes ad bellum, ut opem ferrent Græcis contra Troianos pugnantibus, comparat trepidis columbis. Hinc in Syria etiamnum utuntur columbis ad litteras perferendas, ut ad me scripsit unus e patribus nostris, qui ibi degit. Iam id olim observatum fuisse docet Ælian. lib. 9. hist. cap. 2. qui ait: Taurosthenem, abstractam a suis pullis madidis adhuc et impinnibus columbam, secum deportasse: cumque vicisset, purpura alligata eam remisisse: eamque ex Olympia Æginam uno die venisse. Godofredus quoque Bullionius antequam obsideret Ierosolymam, litteras perferentem columbam intercepit, quam accipiter in castra deiecerat, ut refert Martinus Polonus. Columbæ sylvestres, sunt celeriores domesticis. Utrisque communem rationem illius celeritatis affert S. Ambr. serm. de S. Eusebio: *Unde,* inquit, *puto etiam in ipsis avibus ideo velocius columbam pene præ omnibus volitare, quod alacritatem et innocentiam comitetur.* Vitia, sunt laquei columbarum, id est animarum: lege Prudentium in Hamartigenia, ubi egregie describit columbarum nubem in agrum devolantem, in quo laquei lateant esca obiecta: et aperit, quommodo hæ ob voracitatem capiantur: illæ evolent, quia ad escam non accurrerunt.

22. Superbus sumit alas milvi ventoplenas. Nota quarto, vitiosi volare volunt; sed, ut milvi, ut corvi, ut struthiones, ut pavones, aliæque aves immundæ, et cito in terram recidunt. Primo, superbus alas vento plenas assumit, quo circumagitur et in præceps devolvitur. Dio Chrysost. orat. 4. de regno: Age, inquit, qualem fingere debemus et habitum et speciem ambitiosi genii? πτερωτον και υπηνεμιον, *alatum et ventosum;* et secundum mores suos atque cupiditatem, cum ventis abreptum quis dubitet? quales Boreæ filios excogitarunt et pinxerunt pictores, leves et sublimes cum venti flatibus currentes? At illi, si quando vellent suam ostendebant virtutem, et cum aliis heroibus in Argo navigarunt, atque alia effecerunt nulli cedentes. Ambitiosorum autem princeps, αει μετεωρος, *semper est in sublimi suspensus;* neque unqnam continget terram, aut aliquid humile: sed excelsus et sublimis fertur. Quando nactus fuerit serenitatem et tranquillitatem, aut Favonium leniter spirantem, semper magis exultat, et in ipsum fertur æthera: et frequenter se, εν σκοτεινω νεφει κρυπτομενος, *in tenebrosa abscondit nube,* concurrente aliqua ignominia et timore a vulgaribus hominibus, quos ille colit et honorat: et, ευδαιμονιας αυτου κυριους, *felicitatis suæ dominos,* esse demonstrat. Non ille quidem, quod ad securitatem attinet, assimilari potest aquilis, neque gruibus, neque alii volucrum generi, sed magis eum dicas esse *similem Icari,* violento et innaturali volatu, quem Dædalus instituerat, artificio sane acuto, sed impossibili. Quapropter ob iuventutem et iactantiam, cupiens etiam astra transcendere volatu, modicum quidem temporis constitit. Laxatis autem vinculis et cera defluente, cognomen ab hoc facto, mari præbuit, ubi interiit decidens: ασθενεσι και κουφοις πεποιθως πτεροις: *imbecillibus, et revera levibus se credens alis:* puta, honoribus et opinionibus ab hominibus vulgaribus casu exortis, periculose et instabiliter fertur, hominemque fert ipsius amatorem et ministrum, nunc quidem excelsum et beatum multis apparentem, mox autem humilem et miserum; qui tamen, sibi ipsi maxime, primus videatur: huc usque Dio: qui deinde ambitiosum illum Ixioni comparat rotæ illigato, et in orbem rotato: in qua modo excelsus, modo depressus sit, sed semper torqueatur. Rhianus Poeta Græcus de divite superbo sic loquitur: Qui, ait, prosperitate effertur, et a Deo divitias habet, et dominium in multos, hic obliviscitur cuius rei gratia pedibus insistat, atque mortales parentes habeat: sed superbia et vitiosa animi elatione, ισα Διι βρεμει, *instar Iovis tonat,* et caput supra cervicem tollit, quamvis sit parvus, tamen Minervam pulchris decoram cubitis ambit, aut quærit, ατραπιτον ουλυμπονδε, *viam in cælum,* ut diis immortalibus annumeratus, epulis eorum fruatur. At noxa teneris accurrens pedibus, in summis capitibus nec expectata, nec visa, alias quidem vitulis ipsa iuvenili forma, alias contra iuvenculis senili specie, εφεζεται αμπλακιησι, *supervenit delictis,* Iovi deorum principi et iustitiæ gratum faciens: ita Rhianus.

Secundo, voluptas dat alas suis alumnis, sed simul plumbo gravatos in terram deiicit. Anacreon, qui totum cupidinem animo imbiberat, de seipso ait: Videbar in quiete, huc cursitans et illuc, πτερυγας εχων επι ωμων, *humeros amictus alis:* amor, sed *impeditus plumbo,* pedes tenellos, me persequens prehendit. Ita ipse, qui deinde somnium illud interpretans, ait: multos se amores fugisse iam implicatum: in hoc autem uno hærere. Margunius poeta, ad cælestes delicias nos invitans, sapienter a voluptate cavendum esse dicit: *Quousque mens,* ait, *quousque gustare pocula differs divina, dulciora favo et omni nectare; unde semper emanat fons limpidus bonorum, origo gratiarum; hos semper nutrientium, qui evanida et inani vita hac relicta,* αγνον ωκυπτερω μενοινη ειλοντο σωμα τευχειν, *castum et purum alata mente et cogitatione student corpus præparare?* Postquam vero humi cubationem, abstinentiam, orationem, et alias virtutes commendavit, quibus pietatis studiosus ad sublimia feratur, a voluptate, quæ ex vino intemperanter sumpto oritur, absterret, quod iam cælestibus se inferentem mentibus spiritum deiiciat: *Bacchatione fœda,* inquit, αγνον εκλυσαι νοου πτερον, *mentis sacratiores alas gravant, et premunt, ut concidant deorsum.* 23. Voluptas dat alas plumbeas.

Tertio, dives avarus volat, et in aliena bona huc illuc involat; sed viscera habet ferrea et sæva, ut dracones volantes, vel plena pulvere tormentario: ideo cum strepitu insilit, et seipsum discerpit. Aulus Gellius lib. 10. cap. 12. Noct. Attic. ait, a multis Græcis scriptoribus et Favorino Philosopho asseri, quod simulacrum columbæ e ligno ab 24. Avaritia dat alas ferreas.

Archyta ratione quadam, disciplinaque mechanica factum, volavit. Ita erat scilicet libramentis suspensum, et aura spiritus inclusa, atque occulta concitatum. Sed necesse est rotulas ferreas intus fuisse, quæ ad certum spatium vehementi impetu deferrent. Lege Cardanum lib. 12. Var. c. 58. et Cælium Calcagninum lib. de peren. mot. ter.

25. Quies post volatum requiritur. Nota quinto, post volatum quies requiritur. Unde ait David: ET VOLABO ET REQUIESCAM. Neque enim miles pugnat, ut pugnet: neque venator solius venationis causa laborat: neque mercator vela facit, solum ut sulcet mare, sed victoriam, prædam, divitias, velut finem sibi proponunt: sic avis non volat, ut volet; sed ut cibum reperiat, et tandem in suo nidulo quiescat. Avarus currit, volat, insanit, sed nunquam quiescit. Superbus in labore est perpetuo, sed quietem ignorat. Solus ille quiescit, qui Dei iussu et voluntate laborat, sicut columba a Noe emissa, in arcam redit. Hugo a S. Victore lib. 1. de best. cap. 1. Ad arcam Noe, ait, columba revertitur, cum ad quietem mentis ab exterioribus animus revocatur. Revertitur ad vesperam, cum deficiente luce mundanæ felicitatis vanæ gloriæ fugit pompam, timens ne incurrat obscuritatem mentis: id est, profunditatem perpetuæ damnationis. Olivam gerit, quia misericordiam quærit. Olivam in ore portat, dum indulgeri sibi quod deliquit, precibus exorat.

S. Eusebii volatus in cælum. Quies hæc post volatum est salus æterna, post labores huius vitæ. Hæc designata est S. Eusebio Martyri, qui paulo ante diem mortis suæ manifesta revelatione vidit se Calendis Augusti de monte ad montem volare, et prophetia quadam hoc interpretatus est, ea die exiturum se esse de corpore. Hoc refert S. Ambr. serm. 70. et addit: *Volare se in hac die vidit martyr Eusebius, sicut scimus. Volare non potest, nisi quod purum, leve atque subtile est, cuius nec sinceritas intemperantia retardatur, nec alacritas, nec velocitas mole gravatur. Gravari autem volatum dico non tam mole membrorum quam delictorum. Unde puto etiam in ipsis avibus ideo velocius columbam pene præ omnibus volitare, quod alacritatem et innocentiam comitetur.* Hinc a Davide nostro alas peti censet, et de S. Eusebio concludit: *Tamquam columba in domo Dei degens assumpsit spiritales pennas, et requievit in monte. Quid enim aliud est de monte ad montem volare, nisi de Salvatoris gratia ad Patris gloriam properare?* De Christo ait Sponsa Cant. 5. 12. *Oculi eius, sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et resident iuxta fluenta plenissima.* Syr. *super quietem.* Ubi autem ipse est, vult et ministros suos esse. Varii sancti, in specie columbæ, in cælum volant. S. Benedictus vidit animam S. Scholasticæ sororis suæ in cælum evolantem sub specie columbæ, ut ait Surius in vita. S. Regulus Arelatensis Episc. Missam celebrans, vidit animas sanctorum Dionysii, Eleutherii et Rustici, in figura trium columbarum, martyrum nomina in rostris gerentium, ut refert Lansselius noster in Apologet. Prædivites viri gypsinas columbæ alas super tecta olim ponebant, in signum summæ felicitatis, ut ait Euth. in Ps. 67. rectius id dicemus de viris sanctis, quorum capiti et cordi insidet Spiritus sanctus, ut supra vidimus.

Vestis plumbea Ægidii Montani, et eius elevatio in cælum. Cum plumbeam et terrenam molem penitus exuerunt Sancti, vel ut in columbas sacrosanctas transformati in cælum leves abeunt. Illustre est quod contigit Ægidio Montano e Societate nostra, ut refert Sacchinus lib. 5. hist. Soc. *Nocte intempesta*, inquit, *dum vigilat, videt cubiculum in quo iacebat, totum magno iucundoque completum lumine: dein visum sibi ipsum cubiculi tecto patefacto, ita ut cælum pateret, sustolli in altum, et quasi plumbea circumdatum veste, quæ tamquam colliquescente sensim et collabente plumbo, quo ipse altius attollebatur, hoc fiebat levior. Cumque evectus tandem usque ad solium augustissimum Dei esset, nec auderet oculos ad eius conspectum erigere, conscientia cuiusdam peccati (quod fuisse creditum est illam ex monte Politiano fugam) iussum a Deo bono animo esse; seque intueri, iam condonatam noxam cuius puderet. Cum igitur animo ex iis verbis sumpto, fixisset in Deum oculos, eoque spectaculo fruitus ali-* A *quando esset, cognovisse die Annuntiationis Deiparæ hora diei suprema sibi moriendum, et annuo circiter spatio duos insignes Collegii homines ereptum iri.* Utrumque autem contigit. Nam ipse designato tempore obiit, et intra annum vertentem Hieronymus Bassus, et Leo Lilius visi prædictionem implere.

26. Iusti et columbæ similitudo in moribus. Quæres denique, quænam sit similitudo in moribus columbæ, et animæ sanctæ? Primo, in candore et simplicitate. Iob 1. vers. 1. *Vir erat in terra Hus nomine Iob: et erat vir ille simplex et rectus.* S. Chrysost. hom. 4. de patientia: Vir, inquit, erat in terra Hus, nomine Iob: columba in medio accipitrum, ovis in medio luporum, stella in medio nubium, lilium in medio spinarum, et iustitiæ germen in oppido iniquitatis: ita ipse. Christus dicit Apostolis Matth. 10. 16. I. In candore et simplicitate. *Estote prudentes, sicut serpentes, et simplices*, ἀκέραιοι, id est, impermisti, sinceri, candidi: a κεραννύμι, permisceo, *sicut columbæ.* Hæc simplicitas, tota vita retinenda est: unde Sponsus vocat sponsam infantem, B columbam, Cant. 1. 14. cum ait: *Oculi tui columbarum;* 2. eodem nomine appellat sponsam adolescentem, cap. 2. 14. *Columba mea in foraminibus petræ;* 3. Sponsam adultam et perfectam in virili ætate, cap. 4. 1. ubi repetit: *Oculi tui columbarum;* 4. Sponsam senescentem, cap. 4. 2. *Columba mea, perfecta mea;* 5. Sponsam mox in cælum assumendam, cap. 6. 8. *Una est columba mea, perfecta mea.* Ubi obiter adverte in cantico describi Ecclesiæ et animæ sanctæ infantiam a cap. 1. ad vers. 8. cap. 2. adolescentiam usque ad cap. 3. v. 6. virilem ætatem, ad cap. 5. v. 2. senectutem ad cap. 6. v. 3. renovationem, consummationem, et aspirationem vehementem ad cælum ad finem usque cantici. Simplicitati dat alas Clemens Alexandr. in Admonitione ad gentes.

II. In innocentia. Secundo, in columba spectanda est innocentia. Matth. 10. 6. *Estote simplices*, ἀκέραιοι, id est, sine cornu, sine noxa et iniuria: a κέρας, id est cornu, *sicut columbæ.* Ubi S. Hieronym. Per prudentiam, ait, devitent insidias; per simplicitatem, non faciant malum: ita ipse. Columba ne- C mini nocet. S. Cypr. lib. de simplicitate Prælatorum, seu de unitate Ecclesiæ: *Deus*, inquit, *qui inhabitare facit unanimes in domo. In domo Dei, in Ecclesia Christi unanimes habitant, concordes et simplices perseverant. Idcirco et in columba venit Spiritus sanctus. Simplex animal et lætum est, non felle amarum, non morsibus sævum, non unguium laceratione violentum, hospitia humana diligere, unius domus consortium nosse: cum generant, simul filios edere: cum commeant, volatilibus invicem cohærere, communi conversatione vitam suam degere, oris osculo concordiam pacis agnoscere, legem circa omnia unanimitatis implere. Hæc est in Ecclesia noscenda simplicitas, hæc charitas obtinenda, ut columbas dilectio fraternitatis imitetur, ut mansuetudo et lenitas agnis et ovibus coæquetur. Quid facit in pectore Christiano luporum feritas, et canum rabies, et venenum lethale serpentum, et cruenta sævitia bestiarum? Gratulandum est, cum tales de Ecclesia separantur: ne columbas, ne oves Christi sæva sua et venenata* D *contagione prædentur. Cohærere et coniungi non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluvia cum serenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas.* Tertullian. de Bapt. cap. 8. columbam vocat animal simplicitatis et innocentiæ.

III. In mansuetudine. Tertio, in columba notabilis est mansuetudo. Nam bile caret, ut ait Elias Cretensis in orat. 18. Naz. Unde, pestilentiæ tempore carnes eius optimas esse docet Pierius Valerianus. Græcorum est parœmia: περιστερᾶς πρᾳότερος, *columba mitior.* Obliviscitur enim iniurias sibi factas: licet pullis orbentur columbæ, ad eosdem tamen nidos et dominos columbæ redeunt, et pullos licet iterum auferendos pariunt. S. Epiphan. de hæres. tria notat in columba, ob quæ sponsa in Canticis sic vocetur: nempe, διὰ τὸ ἄκακον, τὸ ἥμερον, τὸ καθαρόν: id est, ob innocentiam, mansuetudinem, et sinceritatem. Græci Patres dicunt columbam esse, ἀπόνηρον, ab omni improbitate alienam.

IV. In prudentia. Quarto, columbæ prudentia non deest: 1. alta loca petit, ut tutior sit ab aliis animalibus noxiis; 2. cum hominibus degit, ut milvi et aves rapaces ita libere ad eam et pullos non accedant; 3. ut ait Ælian. lib. 3. cap. 45. cum eas accipiter, qui natura sua in sublime ferri potest, persequitur, et deorsum versus elabuntur. Cum ille in inferiori sede aeris volat, illæ contra sublime feruntur: et supra accipitrem, in sublime impetum facere non valentem, volantes bene sperare incipiunt, fiduciaque implentur: ita Ælianus. Cum te spiritus superbiæ agitat, in terram tuam te deiice: cum pusillanimitas agitat, ad Deum per spem erigere.

V. In castitate. Quinto, in columba laudatur castitas. Plinius lib. 10. cap. 34. *Columbea pudicitia est primo, et neutri nota adulterii. Coniugii fidem non violant, communemque servant domum. Nisi cælebs, aut vidua, nidum non relinquit: et imperiosos mares subinde etiam iniquos ferunt: quippe suspicio est adulterii, quamvis natura non sit. Tunc plenum querela guttur, sævique rostro ictus, mox in satisfactione exosculatio, et circa Veneris preces crebris pedum orbibus adulatio.* Sancta anima dicit Cantic. 7. 10. *Ego dilecto meo, et ad me conversio eius.* Et cap. 8. 10. *Ego murus* (non sum vaga et versatilis, sed stabilis et immobilis) *et ubera mea sicut turris.* Vide Ælian. lib. 3. c. 44.

VI. In fœcunditate. Sexto, in columba mira est fœcunditas. Athen. lib. 9. Columbæ, inquit, pariunt quavis anni tempestate, quotannis *decies aut undecies, in Ægypto duodecies.* Fœta namque post partum sequenti die concipit: ita ipse. Plin. lib. 10. cap. 58. Columbæ, ait, marem semper et fœminam pariunt, priorem marem, postridie fœminam. Incubant in eo genere ambo; interdiu mas, noctu fœmina. Excludunt 20. die. Pariunt a coitu, quinto. Æstate quidem interdum *binis mensibus terna edunt paria.* Nam 18. die excludunt, statimque concipiunt. Quare inter pullos sæpe ova inveniuntur: et alii provolant, alii erumpunt. Ipsi deinde pulli quinquemestres fœtificant. Ita Plinius: unde, non mirum est quod ait Varro, suo tempore quinque millia columbarum aliquando visa esse in uno columbario.

Quinque columbarum millia in uno columbario. Anima sancta fœcunda est per Spiritum sanctum, veram columbam in se habitantem. S. Gregor. Nyssen. orat. de bapt. *A vita tua, inquit, solve voracem corvum. Da columbæ tempus, ut ad te advolet: quam primus Iesus typice de cælo deduxit, quæ est doli nescia*, πραυτατη και πολυγονος, *mansuetissima et fertilissima; quæ postquam invenerit virum purgatum, sicut argentum recte exercitum et expolitum, in eo libenter habitat*, και επωαζουσα πυροι ψυχην, *et incubans animam succendit, multosque ei parit ac donat filios. Illi sunt bonæ actiones et honesti sermones, fides, pietas, iustitia, temperantia, castitas, puritas.* Ταυτα τεκνα πνευματος, κτηματα και ημετερα; *hi sunt filii spiritus, nostræ autem possessionis:* ita Nyssenus.

VII. In charitate. Septimo, in columba laudatur charitas. Primo, erga coniugem. Arist. lib. 9. hist. animal. cap. 7. *Columbæ*, ait, *mutuo degunt amore.* Maior autem maris erga femellam. Secundo, erga prolem. In Gallinaceo genere hic apparet in sola matre, in columbis vero mares etiam cum fœminis incubant, pullos fovent et alunt: eaque alternis vicibus præstant. Tertio, erga socias. Nam columbæ gregatim volant, simul pabula quærunt, et pastæ simul revertuntur. Charitati dat alas S. August. tom. 10. serm. 22. de verbis Apostoli, cap. 5. *Hæc sarcina*, inquit, *non est pondus onerati, sed alæ volaturi. Habent et aves pennarum suarum sarcinas. Et quid dicimus? Portant illas, et portantur. Portant illas in terra, portantur ab illis in cælo. Tu si misericordiam velis præstare avi, præsertim æstate, et dicas, miseram istam aviculam onerant pennæ, et detrahas onus hoc, in terra remanebit, cui subvenire voluisti. Porta ergo pennas pacis, alas accipe charitatis. Hæc est sarcina, sic implebitur lex Christi.* Columba se ad fovendos fœtus etiam explumat. Lege 1. Thess. 2. 7. ubi videbis Paulum sua neglexisse, ut provideret filiis suis spiritualibus.

VIII. In puritate. Octavo, in columba laudatur puritas. Nam horret cœnum, nec bibet aquam, nisi puram et elimem. Varro lib. 3. de re rustica, cap. 7. Aquam, ait, puram esse oportet, quæ influat: unde bibere, et se lavare possint columbæ: permundæ enim sunt hæ volucres: ita ille. Hinc Iuvencus poeta Christianus columbas vocat puras.

IX. In timiditate. Nono, in columba notatur timiditas. Varro, *nihil*, inquit, *timidius columba.* Græci eam vocant τρηρωνα, q. d. Timidam, a τρειν, id est, timere: ita vocatur ab Homero et Athenæo. Homerus etiam Iliad. 21. columbæ comparat Dianam, præ timore arma sua de manibus cadere sinentem. Et Virgilius lib. 2. Æneid. eidem comparat Hecubam regis Priami uxorem capta Troia ad altare fugientem. Ezech. 7. 16. de Iudæis in vastatione Ierosolymæ per Chaldæos, dicitur: *Salvabuntur qui fugerint ex eis: et erunt in montibus quasi columbæ convallium omnes trepidi, unusquisque in iniquitate sua:* ita David noster, ab Absalone filio fugatus, tremebat, memor peccatorum admissorum, et de sola fuga cogitabat, videns se non posse hostibus numerosis et furentibus resistere. Vide septem proprietates columbæ apud S. Bern. ser. 56. lib. de modo bene vivendi ad sororem. Et plures apud Hugon. Card. in Psalm. nostr. tom. 2. item in cap. 3. Matth. et in cap. 3. Lucæ, tom. 6. Adaptat eas religiosis in psalmo nostro. Super crucem olim columbæ depingebantur, ut fructum crucis puris et innocentibus servari cognosceretur. Christus est agnus et per columbam designari voluit, cum veluti purgandus baptizari voluit a Ioanne, Matth. 3. qua de re lege S. Bern. serm. de Epiphania, et columba esse contende, ut ad crucem evoles, et Christo uniaris in foraminibus petræ et in caverna maceriæ, ibi audiet vocem tuam, et te omni gratia cumulabit.

ARTICULUS III.

Utilitas solitudinis.

DAVID, petitis supra alis columbæ, addit se optasse ma- 27.
nere in solitudine, donec Deus succurreret, vers. 8. Vers. 8.

David cogitatur transire Iordanem. ECCE ELONGAVI FUGIENS (e Ierusalem urbe regia) ET MANSI IN SOLITUDINE, in campestribus deserti prope Iericho. Pro *mansi*, Hebr. est אלין *alin*, id est, *pernoctabo*, q. d. Fugeram a Ierusalem procul, et decreveram noctem transigere in deserto ad quietem et securitatem: sed ne ibi quidem manere potui: monitus enim ab Ionatha et Achimaa filiis Sadoc et Abiathar sacerdotum, periculum esse ne interciperet repentino incursu Absalonis et Achitophelis, intempesta nocte iter facere sum coactus tam celeriter, ut omnes socii transiverint Iordanem, antequam illucesceret: aliis vado, aliis navicularum ope transeuntibus. Probabile autem est, traiecisse in eo loco, in quo Iosue olim populum duxerat in terram illam, prope Galgala: deinde David perrexit in Mahanaim, urbem totius illius tractus munitissimam, itinere tridui ab eo Iordanis loco distantem: in ea Isboseth filius Saul regiam sedem suam per septem annos habuit. Ibi Iacob olim viderat duas acies angelorum: hinc urbs dicta est Mahanaim, id est, duo castra.

Nota, alludit David ad columbas sylvestres, quæ solitu- 28.
Columbæ sylvestres amant solitudinem. dinem amant, si præsertim comparem amiserint. S. Isidorus de Palumbe agens dicit: *Comes est castitatis, cum amisso corporali consortio solitaria incedat, nec carnalem ultra copulam requirat.* Palumbus Torquatus est columba sylvestris maxima. Columba πελειας, seu livia, et livida: πελος enim et πελιος lividum significat, est avis migratoria, ut ait Arist. lib. 8. hist. cap. 12. et dicit apud nos non hybernare. Columbæ Pelias. Secundo, palumbi difficulter capiuntur, ut ait Oppianus, statim enim visis aucupibus avolant. Tertio, columba livia in turribus nidum ponit, unde eam Scaliger vocat turriculam: Oenas, quæ est etiam columba sylvestris nidulatur in rupibus, hinc ab eodem Scaligero dicitur rupicola. Albertus dicit in cavis arborum et templorum muris nidum facere. Ad varias rupes et deserta fugit David noster, sed præsertim tempore Saulis, ut alias ostendi.

29. *Ab urbibus est recedendum ob quinque causas.* Moraliter. Duo hinc collige. Primo, secedendum ab urbibus. Secundo, in solitudine manendum.

Ac primo, de fuga ex urbe dicit David, id est, amabilis Domino, seu Dominum amans: *Ecce elongavi fugiens,* 1. quia urbs carcer est; 2. plena luti est; 3. ibi aer est pestilens; 4. tumultus est ubique; 5. fumus liberum cæli prospectum impedit.

I. *Quia urbes sunt ergastula.* De primo, nempe quod urbes sunt ergastuli instar, in quo servi sunt ac mancipia vitiorum, et plurimi mortis æternæ rei, ait S. Hieron. in epist. ad Rusticum: *Mihi oppidum carcer est, et solitudo paradisus.* Et ad Heliodor. *Quid agis, frater, in sæculo, qui maior es mundo? quamdiu te tectorum umbræ premunt? quamdiu fumosarum urbium carcer includit?*

II. *Quia urbes sunt lutosæ.* Secundo, in urbibus lutum est, ac sordes in moribus, sicut in vicis. Hic mundus est civitas Aphra, id est, pulvis, de qua Michæas cap. 1. 10. *In domo pulveris* (Hebr. *Aphra,* quæ erat urbs subiecta Samariæ) *pulvere vos conspergite.* Clarius et Mariana reddunt, propter domos Aphra in pulvere voluta teipsam. Simili paronomasia, ait B Cornelius, apposite quis diceret: O Lutetia, ob peccata tua et clades tibi imminentes, luto te asperge. O Lima in America, limo te conspurca. O Sinæ, cinere vos opplete. O Africa, in area arenam tuam tibi affrica. Multi so non conspergunt pulvere ad pœnitentiam, sed luto inquinant ad pœnam. Sunt enim *sus lota in volutabro luti,* 2. Petr. 2. 21. *et luto vilior vita eorum.* Sap. 15. 10. de idoli figulo dicitur: *Cinis* (σποδος, cinis sordidus) *est cor eius, et terra supervacua* (vile lucrum) *spes illius, et luto vilior vita eius.*

III. *Ibi aer est pestilens.* Tertio, in urbibus aer est pestilens. Vide dicta Ps. 1. 1. in illud: *Et in cathedra pestilentiæ non sedit.* Olim leprosi apud Iudæos ab ingressu urbium prohibebantur, et occurrentes aliquibus os contegere iubebantur; sed nunc per urbes passim conviciis, detractionibus, contumeliis, maledictis, execrationibus, blasphemiis vici, plateæ et domus personant.

IV. *In urbibus est tumultus.* Quarto, in urbibus tumultus perpetuus est. Unde, cum Arsenius præceptor Arcadii et Honorii filiorum Theodosii Imp. videns sibi necem parari ab Arcadio, orationi intenderet, vocem cælitus missam audivit: *Arseni, fuge tumultus, et salutem assequeris.* Quod cum audivisset, vestes et superbum amictum exuit, cum autem, qui pauperi et inglorio conveniebat, indutus navigavit in Ægyptum, et monasticam vitam professus est. Adeo autem ibi tumultus mundanæ conversationis fugit; ut, cum ad eum venisset Theophilus Alex. Episcopus, una cum præside civitatis; rogaretque, ut sermone aliquo utili eos reficeret, subiecerit: Si quid vobis dixero, promittitis, vos esse servaturos? cum annuissent: *Ubi, ait, esse Arsenium audiveritis, hoc est vobis cavendum, ne velitis amplius eo venire.* Placuit eis dictum, nec eis fuit molestum eius silentii desiderium, ut qui eius modestiam ex eo præclare didicerint: ita Metaphr. 19. Iulii in vita, cap. 11. Subdit deinde, cap. 12. cum quidam monachus nomine Marcus, ei diceret: cur nos quoque fugis? respondisse: *Non possum me dividere Deo et hominibus.* Est enim facilius ei placere, quam illis. Angelorum enim millibus, et decies mille millibus, unus est scopus et una voluntas, ut Deum laudent, illiusque mandatis serviant. Hominibus autem aliis aliæ sunt voluntates, scopique, et instituta diversa: et ideo est eis placere difficilius, quam Deo: ita ipse.

V. *Ibi sunt vapores maleolentes.* Quinto denique, in urbibus vapores sunt male olentes, et fumi plurimum aerem obscurantis. Babylon vocatur a Deo ipso mons caliginosus. Veluti enim classicum canens, et contra ipsam Darium Medorum et Cyrum Persarum reges evocans, ait Isaiæ 13. 2. *Super montem caliginosum levate signum* (vexillum) *exaltate vocem, levate manum, et ingrediantur portas duces.* Babylon vocatur mons ob excelsas domos, palatia, turres, muros: nam alioqui erat in loco campestri sita: mons vero caliginosus, ob vapores et nebulas ascendentes ex Euphrate super quem erat condita; 2. ut ait S. Hieron. ob omnium rerum A in ea caliginosam confusionem: unde dicta est Babel, id est, confusio.

30. *Manendum est in solitudine ob quinque rationes oppositas.* Secundum morale præceptum hinc deducitur. Manendum scilicet in solitudine. Hoc quinque rationibus oppositis probari potest, 1. quia ibi est plena et perfecta libertas; 2. campi vestiuntur floribus, herbis et arboribus; 3. aer est purior; 4. nullus ibi tumultus, sed pacata et suavis tranquillitas; 5. cæli aspectus liber est ex omni parte.

I. *Quia in solitudine est libertas.* Ac primo, in solitudine non urbium muris, non domorum tectis et parietibus claudimur: sed liber est exitus in montes, valles, prata, sylvas, camposque late patentes. Cant. 7. vers. 11. ait Sponsa: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Ibi salit dilectus in montibus, transilit super colles.

II. *Ibi sunt flores, non lutum.* Secundo, in solitudine non est lutum Ægypti, sed flores virtutum. Ioel. 22. *Germinaverunt speciosa deserti, ficus et vinea dederunt virtutem suam.* Isaiæ 43. 20. *Dedi in deserto aquas, flumina in invio.* Lege epist. S. Basilii ad Gregor. Nazianz. describentis Ponticam suam solitudinem. S. Ambros. a terra et luto efferri vult animum. Sic enim Ps. 118. serm. 14. *Quid te reflectis in terram, si in Enoch raptus ad cælum es, in Elia levatus es curru, in Paulo raptus ad Paradisum, conversatus in cælis, in David exauditus, ut pennas columbæ assumeres et volares, in Christo exaltatus volucris factus in spiritu? Quando sicut columba descendit, illas tibi alas dedit, ut tu disceres evolare de terris:* ita Ambrosius. Solitudo conservat innocentiam. Martinus Bracarensis Episc. qui vixit circa ann. Domini 572. lib. de moribus: *Solitudinem, ait, quæret, qui vult cum innocentibus vivere.*

III. *Quia in solitudine est aer purus.* Tertio, in solitudine est aer purus, et Dei laudibus resonans. S. Basil. epist. 1. ad S. Gregor. Naz. ait, urbium occupationes esse, μυριων κακων αφορμας, sexcentorum malorum causas. Ibi eum qui necdum est coniugatus, agitare mente, λυσσωδεις επιθυμιας, rabidas cupidines, et impetus effrænes, et amores insanissimos ac perditissimos. Coniugio autem mancipatum excipere curarum agmen: in C orbitate, habere desiderium prolis: in liberorum acquisitione, pro educatione sollicitudinem: uxoris custodiam, domesticam procurationem, servilium officiorum constitutionem, damna civilibus in contractibus accepta, digladiationes cum vicinis, forenses concertationes, negotiationis aleam, agriculturæ labores. Addit deinde, eum qui in solitudinem secesserit, non civem esse, non domum possidere, non familiam, nihil proprium habere, non sodalitatis officia, etc. Ac deinde paulo post addit: *Pietatis meditatio,* ψυχην τρεφει, *animam alit divinis meditationibus.* Unde sapienter concludit: *Ecquid beatius, quam hominem in terra,* αγγελων χορειαν μιμεισθαι, *Angelorum concentum et choreas imitari? Exinde sole iam dilucescente converti ad opera, nusquam sine oratione? denique canticis,* ωσπερ αλατι, *tamquam sale, condire actiones.* Lege totam epistolam. S. Gregor. Naz. hac epistola, aliisque, incitatus ad eremum se contulit, ubi tantum suavitatis hausit, ut inde vix avelli potuerit. Sic enim orat. 1. quæ est de fuga sua in Ponticam solitudinem, loquitur: *Non* D *tuli me velut tyrannide quadam premi, atque in medios tumultus impelli;* atque ab hac vita, οιον απο ιερου τινος ασυλου, perinde atque ab asylo quodam per vim avelli potuerit. Nihil enim mihi tam optandum cuiquam esse videbatur, quam ut occlusis sensibus, atque εξω σαρκος και κοσμου γενομενος, *extra carnem mundumque positus,* et in seipsum collectus: nec, nisi quantum necessitas exigit, quidquam humanarum rerum attingens, et secum ipse et cum Deo colloquens, superiorem iis rebus quæ in aspectum cadunt, vitam agat; divinasque species puras semper, nec terrenis ullis et errantibus formis admistas, in se ipso circumferat, οντως εσοπτρον ακηλιδωτον Θεου, και των θειων: *Deique ac rerum divinarum, purum omnino speculum sit,* in diesque efficiatur, ac lucem per lucem assumat: clariorem videlicet per obscuriorem: iamque futuri ævi bonum se percipiat, και συμπεριπολειν αγγελοις: *et cum angelis versetur,* ac licet adhuc in terris sit, terram dese-

rat, atque a spiritu sursum collocetur: ita Gregorius, qui deinde eremum vocat ακροπολιν, arcem suam. Et postea subiungit: Solitudinem ex omnibus rebus maxime complexus eram, ac veluti sociam et administram, και μητερα θειας αναβασεως, *et divinæ ascensionis matrem*, και Θεοποιον, *et Deum ex homine facientem*, mirifice suspexeram, totiusque vitæ ducem et moderatricem mihi statueram.

IV. Ibi non est tumultus. Quarto, in solitudine tumultus non est, sed quies, in qua commode uni Deo intentus gaudeat animus. S. Basil. epist. 19. ad S. Greg. Naz. post descriptionem suæ eremi in Ponto, ait, ηδιστον παντων καρπων ησυχιαν τρεφει, iucundissimum mihi fructum quietem et tranquillitatem alit. De S. Gregor. dolente, se ab eremo illa ad Episcopatum avelli, mox dictum est. S. Gregor. Papæ gemitus in cathedra Pontificia alias retuli.

V. Ibi liber est cæli prospectus. Quinto denique, in solitudine liber cæli prospectus patet. S. Bernard. extra Claram suam vallem negotiis sæculi implicatus, licet propter Deum, gemit, epist. 7. *Quale*, ait, *mihi gaudium erit, qui in tenebris sedeo, qui lumen cæli, lumen Clarævallis non video?* Iacob quamdiu in paterna domo, licet sanctissima fuit, nempe per 77. annos, cæli scalam non vidit, et Deum scalæ innixum; sed cum solus esset in mediis campis. S. Petr. Damiani opusc. 51. vocat eremum, *scholam cælestis doctrinæ*, paradisum deliciarum, in quo fragrantia spirant odoramenta virtutum, caminum trium puerorum, in quo furentis incendii vires reprimunt; fornacem superni regis, in qua cælestia vasa formantur, negotiatorum cælestium apothecam, exercitii mirabilis officinam, sacræ militiæ tabernaculum, procinctum triumphatoris exercitus, castra Dei, turrim David, quæ ædificata est cum propugnaculis, campum divini prælii, spiritualis arenam certaminis, angelorum spectaculum, palæstram fortiter dimicantium luctatorum, mortem vitiorum, fomitem et vitam virtutum, tandem addit ad rem nostram: *Tu scala illa Iacob, qua hominem vehis ad cælum, et angelos ad humanum deponis auxilium. Tu via aurea, quæ homines reducis ad patriam. Tu stadium, quod bene currentes provehis ad coronam. O vita eremitica, balneum animarum, mors criminum, purgatorium sordidorum?* lege cætera. S. Ioan. Climac. grad. 27. *Solitarius*, ait, τυπος αγγελου επιγειος, *forma est terrestris angeli. Contra vero, nisi provide mens advertatur, terrena substantia animæ pennas quasi vi aut coactu illigare cognoscitur.* Aristot. 1. Polit. ait, cum qui eligit vitam solitariam, esse aut bestiam, aut Deum: si enim ob scelera sua fugit hominum consortium, est bestia: si, ut fugiat hominum flagitia, recedit ab iis, Deus est supra homines se efferens. Thren. 3. 28. *Sedebit solitarius, et tacebit: quia levavit super se:* iugum tuum, ut addit Syr. mandata tua, ut explicat Arabs, qui vertit: quia recepit, ut custodiat mandata tua. Rupert. Lyran. et alii legunt, *levavit se super se*. S. Petr. Damiani, epist. 130. Solitarius, inquit, plane dum tacet se elevat super se: quia mens humana dum intra silentii claustra undique circumcluditur, in superiora sublimis erigitur, ad Deum per cæleste desiderium rapitur, et in amore eius per ardorem spiritus inflammatur: et tamquam fons vivus, dum per verborum circulos fluere hinc inde non sinitur, undis excrescentibus in altiora cumulatur: templum ergo tui pectoris nunc per silentium crescat, virtutum structura consurgat, uti supernus ille sponsus quem totis visceribus diligis, velut in thalamo suo delectabiliter requiescat: ita ipse.

31. In mediis urbibus cordis solitudo potest reperiri. Nota, etiam in urbe, et in mediis occupationibus, potes tibi cordis solitudinem efficere, ut David noster. S. Greg. in Ps. 6. pœnit. de eo sic loquitur: *Neque rex potentissimus, qui tot millibus populorum præerat, in solitudine habitabat. Habitabat autem in solitudine cordis sui, in qua nullos hostium spiritualium impetus, nullos perversarum cogitationum strepitus, nullos pateretur clamoris iniqui tumultus.* Diversas solitudines in eodem Davide videre potes, 1. sicut pelicani; 2. sicut nicticoracis; 3. sicut passeris. Vide dicta Psal. 101. 7. et 8. Idem sanctus Doctor lib. 30. Mor. cap. 12. ait: Qui corpore remotus vivit, et tumultibus conversationis humanæ, desideriorum terrenorum cogitationibus se inserit, non est in solitudine: si vero prematur aliquis corporaliter popularibus turbis, et tamen nullos curarum sæcularium tumultus in corde patiatur, non est in urbe: ita Gregorius. Prius dixerat Clemens Alex. Revera is totus hospes est ac peregrinus in tota vita, qui in civitate habitans contemnit ea quæ in civitate sunt, et quæ alii mirantur, και καθαπερ εν ερημια, εν τη πολει βιοι: *vivitque in civitate, tamquam in solitudine*, ut non locus eum cogat, sed liberum eligendi arbitrium illum iustum ostendat: ita ipse.

ARTICULUS IV.

Pusillanimitas est periculosa mentis tempestas et naufragium.

In solitudine David homines fugiens, et eos timens, ad Deum se convertit, v. 9. Expectabam eum (Hebr. festinabo ad eum) qui salvum me fecit (alias sæpe, et ante regnum in persecutione Saulis, et in regno cum bellarem contra Isboseth, et alios hostes) a pusillanimitate spiritus, et tempestate, id est, a pusillanimitatis tempestate, a pusillanimitate quæ est tempestas. Est hendiadys: unum enim per duo significatur. Iuvat Hebr. textus, ubi habetur, a vento excitato a turbine, ut vertit Arias: *a vento turbinis et tempestatis*, ut Pagninus: *a spiritu tempestatis et turbinis*, ut S. Hieronymus. 32. Vers 9.

Secundo tamen Sept. et vulgata commode duo assignant, nempe pusillanimitatem, quæ est interius: et tempestatem, hoc est tribulationem, quæ est exterius: non a Saule illata, ut vult Caietanus: sed ab Absalone, patrem e solio regio exturbante, ut ostendi in titulo psalmi.

Mysticum est, quod ait Aiguan. pusillanimitatem esse superbiam in adversis; tempestatem vero, superbiam in prosperis. Tempestas, inquit, significat superbiam, quæ ex prosperis procedit. Tempestas enim componitur ex tempore et peste, quod directe convenit superbiæ: ita ipse: vere quidem (nam superbia est mera temporis pestis, in æternitate tota punienda) sed illud etymon non placet. Secundo, mysticum etiam est, quod ait Hugo: Salvum fecit, inquit, a pusillanimitate spiritus, ne in passione malis cederem: et tempestatis iræ: quia nec iratus est ipse, quia quasi ovis coram tondente se obmutuit: nec tempestas iræ eum submersit, quia surrexit. De Christo scilicet hoc explicat. De ira vide dicta Ps. 4. Mystice. Superbia est pestis.

Nota, codices hoc loco sunt admodum varii: nam Hebraicus habet ad verbum: *Festinabo, ut salver a spiritu concitato, a tempestate.* Græcus autem habet, *Expectabam Deum, qui me salvum faceret a pusillanimitate, et tempestate.* Noster autem interpres videtur aliquid ab Hebræo, aliquid a Græco accepisse: prima vox Hebraica *achisa*, significat *festinabo*, nec video quid legere potuerint Septuaginta, ut verterent *expectabam:* ideo existimo illos vertisse non verba, sed sensum. Nam, *festinabo ut salver*, bene cohæret cum *expectabam salvantem Deum:* siquidem expectabat salutem ex festinatione per orationem ad Deum: quo modo, qui in fuga spem ponit, dicere potest, expectavi salutem ex festinatione in currendo et fugiendo: ita Bellarm. Malim dicere *achiscia*, sive potius *ahiscia*, significare et expectare, et festinare. Sufficit enim auctoritas Sept. interpretum, ut credamus sumi etiam pro expectare. Varietas versionum conciliata.

Moral. Pusillanimitas est animi tempestas et naufragium. Primo enim, est ventus procellosus. S. Hieron. vertit: *Festinabo ut salver a spiritu tempestatis et turbinis.* Felix, *accelerabo fugam mihi a spiritu vehementi, a tempestate.* Muisius, *accelerabo effugium mihi a spiritu procelloso, a tempestate.* Hic est ventus vehemens, qui evertit domum filiorum et filiarum Iobi, eosque oppressit, sed Iobo iam grandiori et in virtute fortiori non nocuit, Iob 1. 19. Est enim pusillanimitas ventus, qui agitavit navem *Ionæ*, id est, *columbæ*, fugientis, et non audientis ire ad 33. Moral. Pusillanimitas est tempestas. I. Est ventus procellosus.

Ninivitas, ut ruinam urbis eorum prædiceret. Ion. 1. 4. Tentationes multæ, velut venti furiosi, oriuntur a pusillanimitate. S. Isaac presbyter, tract. de mundi contemptu: *Pusillanimitas*, ait, *mater est cruciatus: patientia vero, mater est consolationis. Pusillanimitas parit in animo potentiam acediæ, in qua gustat suffocationem animæ, quæ est gustatio gehennæ, et ex hac superinduitur spiritus excessus, ex quo nascuntur plurimæ tentationes: scilicet confusio, furor, blasphemia, fatua culpatio, perversæ cogitationes, et de terra in terram transmigratio.*

II. Lumen cæli eripit. Secundo, pusillanimitas lumen cæli eripit menti. Potest considerari tripliciter, ut ait S. Thom. 2. 2. q. 133. art. 2. Primo, secundum se; secundo, ex causa eius, scilicet ignorantia, timore, pigritia, et ira; tertio ex effectu eius, scilicet subtrahendi se: primo modo opponitur directe magnanimitati; secundo sollicitudini; tertio, similiter. S. Bernard. serm. de B. Virgine ait, magnanimitatem et humilitatem esse *stellas ex respectu mutuo clariores:* has obscurat pusillanimitas: quia se retrahit a magnis, sic opponitur magnanimitati: et nimis innititur sensui proprio, et sic oritur a superbia, ut ait S. Thom. 22. q. 133. art. 1. ad. 3. Orta tempestate Ionas fugit lumen cæli, et descendit ad interiora navis, et dormiebat sopore gravi, Ion. 1. 5. Quod S. Hieron. expendens, ait: Sopor Ionæ gravissimus, hominem significat erroris sopore torpentem, cui non suffecerat fugere a facie Dei, nisi quadam vecordia mens illius obruta ignoraret iracundiam Dei, et quasi secura dormiret, et profundissimum somnum roncha nare sonaret: ita ipse. Nonne a lumine fugit, qui fugit a facie Dei? talis est pusillanimis, qui ad vires suas tantum attendens, in Deo spem suam non ponit, et ad eum per orationem non convertitur. S. Bernard. serm. 4. de oratione et ieiunio: *Interdum*, ait, *graviter impeditur oratio a pusillanimitate spiritus, et timore immoderato. Hoc autem tunc solet fieri, cum sic cogitat homo propriam infirmitatem, ut non convertat oculos ad divinam benignitatem.*

III. Mentem velut navem agitat. Tertio, pusillanimitas ita navem mentis agitat, ut tabulas a se invicem disiungat, et aquam intromittat. Hinc David dicebat Ps. 68. 2. *Intraverunt aquæ usque ad animam meam.* Vide illum psalmum. De tempestate Ionam iactante dicitur Ion. 1. 4. *Et navis periclitabatur conteri.* Pagnin. putabatur conteri. Pusillanimis statim desperat, et putat omnia esse perdita. Græce, διαλυθῆναι, dissolvi; bona proposita sunt asseres et tabulæ navis eam conservantis ab aquis tribulationum deprimentium. S. Bernard. serm. 44. ex parvis: *Bona et non iucunda sunt, continentia, patientia, disciplina. Iucunda et non bona, voluptas, curiositas et vanitas. Nec bona, nec iucunda, invidia, tristitia, acedia. Bona et iucunda, honestas, charitas, et puritas. Ad hoc bonum et iucundum obtinendum necessaria est unitas virtualis, et unitas moralis. Primam disturbant pusillanimitas et levitas. Pusillanimitas facit propositum relinquere, levitas mutare. Alteram obstinatio, suspicio, et simulatio disturbant. Obstinatio non recipit proximum, suspicio non credit proximo, simulatio non se iungit proximo:* ita Bernardus.

IV. Eam in scopulos conicit. Quarto, pusillanimitas navem mentis in vada et syrtes conicit, ac propositum cursum virtutis impedit: pusillanimis enim hæret, sibi fingens miras in executione difficultates, ut accidit Ionæ, qui missus in Niniven, quæ erat Orientalis Iudææ, fugit in mare mediterraneum, quod erat Occidentale ipsi. Ion. 1. 3. *Surrexit Ionas, ut fugeret in Tharsis a facie Domini.* Tharsis aliqui simpliciter mare intelligunt, ut S. Hieron. alii Carthaginem, ut S. August. et Mariana: alii Tartessum et Bæticam, ut Pineda: alii, et melius, Tharsum Ciliciæ oppidum, ex quo natus postea est S. Paulus, ut Tertullian. et Villalpandus censent. Hæc omnia erant Iudæis accidentalia. Tharsis porro significat contemplationum gaudii: ardua et magna fugit pusillanimis et ad gaudia vana et quietem aspirat, sed fluctibus maioribus iactatur et ab itinere suo retardatur. Ad gratiam Dei currendum est. S. Bern. serm. 2. in festo S. Michaelis: *Proficere*, inquit, *in sancta conversatione, et ascendere per gradus scalæque Iacob apparuit, ac iuxta quod ait Psalmista, de virtute in virtutem ire desiderantes, sæpius scandalum patitur a pede quodam pusillanimitatis, et negligentiæ nostræ, qui nimirum descendere magis, ac remissius ire conatur: sed abscindi eum necesse est, ut pes gratiæ, qui stat in directo, currere possit sine offensione, sine scandalo, sine impedimento:* ita Bernardus. Dilatanda sunt vada, ut navis currat: dilatandum est cor et magnum amplumque faciendum, ut curramus viam mandatorum Dei.

Quinto denique, pusillanimitas mentem submergit. Ps. 68. 3. *Et tempestas demersit me.* Ionæ 1. 15. *Et tulerunt Ionam, et miserunt in mare.* De pusillo animo dicimus, *il se noie en un verre d'eau*, id est, in re minima turbatur, hæsitat, timet, desperat. S. Petr. Chrysolog. in epist. ait, Prælatum pusillanimem, miseros præcipitare in foveam scandalorum. V. Eam submergit.

Remedium primum est, sperare in Christum, et opem eius implorare, sicut fecerunt discipuli, cum eorum navis agitata pena mergeretur, Matthæi 14. quod considerans S. August. in Psal. nostr. ait: *Expectabam eum, qui me salvum faceret a pusillo animo et tempestate. Mare est, tempestas est, nihil tibi restat nisi exclamare: Domine pereo. Porrigat manum ille, qui fluctus calcat intrepidus, sublevet trepidationem tuam, firmet in securitatem tuam, alloquatur te intus, et dicat tibi: Me attende quid pertulerim, fratrem malum forte pateris, aut inimicum forinsecus pateris. Quos non passus sum? Fremebant forinsecus Iudæi, intrinsecus discipulus tradebat. Sævit ergo tempestas, sed ille salvos facit a pusillanimitate et tempestate. Forte navis tua ideo turbatur, quia ille in te dormit. Sæviebat mare, turbabatur navicula, in qua discipuli navigabant. Christus autem dormiebat. Tandem aliquando visum est illis, quia inter illos dormiebat ventorum Imperator et Creator. Accesserunt et excitaverunt Christum, imperavit ventis, et facta est tranquillitas magna. Merito ergo forte turbatur cor tuum, quia excidit tibi in quem credideris. Intolerabiliter pateris, quia non venit tibi in mentem, quid pro te pertulerit Christus. Si in mentem non venit tibi Christus, dormit. Excita Christum, recole fidem. Tunc enim in te dormit Christus, si verum illum filium Dei abnegas esse, si oblitus fueris passionis Christi. Tunc inde vigilat Christus, si memineris passionum Christi. Cum autem pleno corde intuitus fueris, quid ille fuerit passus, nonne æquo animo et tu tollerabis? Et fortassis gaudes, quia inventus es in aliqua similitudine passionum regis tui. Cum ergo ista cogitans consolari et gaudere cœperis, ille surrexit, ille ventis imperavit: ideo facta est tranquillitas:* ita Augustinus. 34. Spes est remedium contra pusillum animum.

Secundum remedium contra pusillanimitatem est fortitudo mentis, mortem et omnia adversa contemnens: tunc eam habitabis, cum Christum tenebis, eique unieris: sicut Simeon, qui ulnis gestans et constringens eum dicebat, Luc. 2. 29. *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace:* id est, prospere et feliciter. Pax enim Hebræis significat omne bonum et felicitatem; 2. *in pace:* id est, cum tranquillitate et securitate, non timendo mortem. S Cypr. tract. de mortalitate, cap. 1. Lætus de morte proxima Simeon, iam de vicina accersione securus, accepit in manus puerum, et benedicens Deum exclamavit, et dixit: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Probans scilicet, atque contestans, tunc esse servis Dei pacem, tunc liberam, et tranquillam quietem, quando de istis mundi turbinibus extracti, sedis et securitatis æternæ portum petimus: quando expuncta hac morte ad immortalitem venimus. *Illa est enim nostra pax, illa fida tranquillitas, illa stabilis, et firma, et perpetua securitas:* ita Cyprianus. Contemptus mortis facit magnanimos. Ut enim ait S. Thomas: Magnanimus non amat pericula, nec timet ea, sed promptissime se exponit magnis periculis. Ita 22. q. 129. art. 5. ad 2. contemnit 35. Secundum remedium est fortitudo.

*

bona exteriora, art. 8. ad 2. ideo non gaudet, si acquirat ea: nec tristatur, si perdat ea. Contrarium est in pusillanimi: itaque David eiectus regno iure expectabat Dei opem, ut salvaretur a spiritu pusillanimitatis, et a tempestate, qua erat conterendus, et fluctibus tristitiæ, iræ et A desperationis hauriendus. S. Antioch. homil. 85. ad invictum mentis robur alio simili nos incitat: *Perstemus*, inquit, *solidi et stabiles*, ως ακμων, *instar incudis:* μεγαλου αθλητου εστιν δερεσθαι, και νικαν: *Generosi est athletæ, undique cædi, et vincere.*

SECTIO SECUNDA.

Duo proponit. Primo, civitatis Ierosolymitanæ a se ad Absalonem deficientis malitiam, vers. 10. Secundo, Achitophelis præsertim, amici sui, insignem perfidiam, vers. 13.

PARAPHRASIS.

10. *Præcipita Domine, divide linguas eorum: quoniam vidi iniquitatem, et contradictionem in civitate.*

10. Ex aula et metropoli mea profugus, et arenti ac siticuloso in deserto fluctuans, ad te oculos manusque converto Domine Deus, ut Absalonem rebellem e paterno throno celeriter excutias, et patiaris inter coniuratos oriri discordiam, qua a se invicem divisi contraria sentiant et loquantur. In meritos vindictam hanc exeres, cum universa civitas scelere se polluerit rebelles alacriter suscipiens, et execranda defectione sibi regi suo contradicens.

11. *Die ac nocte circumdabit eam super muros eius iniquitas: et labor in medio eius, et iniustitia.*

11. Diu noctuque seduli in muris excubant: ut, quod cœperunt nefas, perficiant, et contra ius ereptam urbem tueantur, sibique perpetuam asserant: Dum miles sub iniustis armis sudat, cives impia consilia mente versant, laboris et iniustitiæ plenissima.

12. *Et non defecit de plateis eius usura et dolus.*

12. Vel in hoc bellico tumultu mercatores propalam, et omnium in oculis, corradendæ per usuras, fraudesque pecuniæ invigilant.

13. *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique.*

13. Ratio me alia movet, ut te obtester ad eos præcipitandos et inter se dividendos: quia, si hostes mei maledictis me onerassent, et scommatis pupugissent, tulissem id æquo paratoque ad hostiles insultus animo.

Et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset: abscondissem me forsitam ab eo.

Si quis apertis in me certans odiis, superbum quid et fastu plenum effutiisset, exitium cladem que interminans: solerti cura illius rabiem et adunatas cohortes declinassem.

14. *Tu vero homo unanimis, dux meus, et notus meus:*

14. Sed intolerabile mihi videtur, quod Achitophel me prodat antea velut animam in meam transfusus, cuius consiliis dirigebar, cuiusque in aures ob intimam familiaritatem secreta omnia effundebam.

15. *Qui simul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulavimus cum consensu.*

15. Quem ad ipsam regiam mensam, amantissimæ mihi Bethsabææ avum, admittebam: etiam quando hilariore convivio animum relaxare cum amicis cupiebam. Si vel premente bello, vel ridente victoria, aliave de causa ad tabernaculum a me in Sione extructum me conferebam, proximus mihi comes et pietatis auctor assistebat.

16. *Veniat mors super illos: et descendant in infernum viventes:*

16. Triumphent gaudio, raptisque per vim bonis hostes potiantur: nec opinantes a Deo immissa mors obteret, atque inferis perpetuam prædam ipso in ætatis flore abiiciet.

Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum: in medio eorum.

Et iure quidem, cum domorum in penetralibus, ipsoque in pectoris adito scelera volvant: quæ, si ætas se corroborarit, et tempus tulerit, adversus innoxios effundant.

QUÆSTIO UNICA.

Quam perversa mundi civitas.

36. Ordo Sectionis. Sectio superior Davidem nobis in deserta fugientem exhibuit. Nunc Achitophelis et civium Ierosolymæ perversitatem aperit. Tropol. id ad mundanorum Poniropolim traduci facile potest. Nam in eius portis, vicis, muris, domibus, plateis victrix dominatur iniquitas.

Primo, portas obsidet superbia, in alto eorum vertice subsistens, et vane glorians: ideo petit eam præcipitari, v. 10. *Præcipita Domine, divide linguas eorum: quoniam vidi iniquitatem.*

Secundo, vicos occupat et perturbat ira variis obortis discordiis: *Et contradictionem in civitate.*

Tertio, murum tenet ambitio, v. 11. *Die ac nocte circumdabit eam super muros eius iniquitas.*

Quarto, in domibus privatis grassatur invidia: quæ miseros cruciat, et iniuriam vicinis aliisque infert: *Et labor* B *in medio eius, et iniustitia.*

Quinto, in plateis dominatur avaritia, vers. 12. *Et non defecit de plateis eius usura et dolus.*

Sexto, in aula hypocrisis et perfidia omnia evertunt. Mali illius gravitatem amplificat, quod amici ipsi existimati in amicos insiliant: quod est dirius, quam si hostis impeteret, v. 13. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, etc.* v. 14. *Tu vero homo unanimis*, per unionem voluntatis, *dux meus*, per lumen intellectus, *notus meus*, per familiarem conversationem et continuum aspectum, v. 15. *Qui simul mecum dulces capiebas cibos*, en oris coniunctionem: *in domo Dei ambulavimus cum consensu:* en pedum confirmationem.

Septimo denique, tam impiæ civitati imprecatur, v. 16. *Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes.* Supra fulmine obruantur, infra se ab inferis hauriantur. Rationem dat, quia circa et intra se habet scelera, vers. eod. *Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, in medio eorum.*

ARTICULUS I.

Mundi amatorum varia sunt scelera.

37. Vers. 10 1. Pars. Deus præcipitat gloriam impii. UNAM in civitatem Ierusalem, Absalonis rebellioni faventem, omnia scelera confluxerant: ideo petit, cito eam puniri, v. 10. PRÆCIPITA DOMINE, DIVIDE LINGUAS EORUM: QUONIAM VIDI INIQUITATEM ET CONTRADICTIONEM IN CIVITATE. Quæres, quid petit præcipitari? Primo, gloriam et honorem impiorum, Absalonis præsertim ad thronum irrumpentis, et Achitophelis ad summas dignitates aspirantis. Ubi adverte, cum dicit *præcipita*, non tam esse imprecationem quam prophetiam. Nam de impiis præsertim dicendum est, et de eorum gloria: *Vanitas vanitatum*, (Symmach. ατμος·ατμων, vapor vaporum) *et omnia vanitas*. Chald. et omnino vanitas. Syr. Inanitas inanitatum, et omnia inanitas. Hebr. *hebel* significat evanescentiam, rem evanidam, quæ cito deperit, ut vapor aut flatus, qui ab ore egreditur. S. Greg. l. 5. in 1. Reg. cap. 1. 12. *Repente*, ait, *alta sæculi corruunt, pulchra transeunt, læta et prospera evanescunt. Nam cum stare in his floribus mundus blandiens cernitur, repente fortuna turbatur, aut festina et omnia deturbante morte concluditur. Vana ergo sunt gaudia sæculi, quæ quasi manentia blandiuntur, sed amatores suos cito transeundo decipiunt. Dicat ergo Propheta Samuel: Nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, q. d. Stulte appetuntur bona sæculi, quæ ab appetitoribus suis non poterunt diutius teneri.* Gratianus de Pœnitentia dist. 2. cap. finali in calce, dicit, omnia dici vanitatem vanitatum, ob varietatem permutationis.

II. Ipsos impios. Secundo, *præcipita*, eos scilicet, q. d. Cito moriantur. Ubi nota, alludi ad mortem Absalonis, qui præcipitatus ex mula, et appensus arbori, inde deiectus est multis lancearum ictibus: item ad mortem Achitophelis, qui laqueum iniiciens collo, seipsum ex infami trabe præcipitavit. Primo, cum festinatione, videns consilium Chusai suo esse prælatum. Secundo, cum rabie et furore. Tertio, cum dolore et infamia; res enim omnibus innotuit. Quarto, cum irreparabili vitæ et animæ iactura. Hæc omnia indicat præcipitatio. Sic dicitur Isaiæ 9. 16. *Erunt qui beatificant populum istum, et qui beatificantur, præcipitati.* Ps. 77. 38. *Defecerunt in vanitate dies eorum.* Chald. vertit, Consumpti sunt dies vitæ vestræ, sicut vapor oris in hyeme. Aristot. de homine sic dixit: Homo est vanitatis exemplum, temporis spolium, fortunæ ludus, inconstantiæ imago, invidiæ et calamitatis trutina, reliquum vero pituita et bilis. Trismegistus vocat corpus hominis, corruptionis vinculum, vivam mortem, sensitivum cadaver, sepulcrum circumvertibile. Plautus: Dii, ait, nos quasi pilas, homines habent. Xerxes e colle spectans exercitum suum, quem in Græciam adduxerat, in quo erant decies septies centena hominum millia, illacrymans exclamavit: *Post centum annos nemo ex his omnibus in vita superstes erit.* Si hæc est lex communis omnibus, quid dicitur de impio Absalone et Achitophele, nisi illud Ps. 54. 24. *Viri sanguinum non dimidiabunt dies suos?* Arabum est parœmia: Homo est filius defectus, id est, deficiens et plenus defectibus.

Hominis summa miseria.

III. Linguas et consilia eorum. Tertio denique, et optime, *præcipita* linguas, id est, consilia et consiliorum declarationem, q. d. Fac ut præcipitanter consultent inter se, et Absalon præceps ac sine prudentia imperet. In suis consultationibus non mature deliberata loquantur. Præcipita et divide linguas eorum, Chald. vertit: *Dissipa Domine consilium eorum.* Sic Deus Isaiæ 19. 3. prædicens obventuram cladem Ægyptiis per Sennacherib regem Assyriorum, ait: *Dirumpitur spiritus Ægypti in visceribus eius, et consilium eius præcipitabo.* Et vers. 11. *Stulti principes Taneos* (Tanis erat Ægypti metropolis et sedes Regum) *sapientes consiliarii Pharaonis* (sic vocantur omnes reges Ægypti usque ad Ptolomæos) *dederunt consilium insipiens*, nempe bellandi cum Sennacherib. Nota, in mundo sunt multi con-

A siliarii Ægypti, et multi Achitopheles. Nam Achitophel significat fratris ruinam. Cum a Philosopho quodam peteretur, quid esset mundus? respondit: *Mundus est scrinium dolorum, schola vanitatis, forum impostorum.* Ubi habemus Eccl. 1. 2. *Vanitas vanitatum*, S. August. lib. de quantitate animæ, cap. 33. et de vera religione, cap. 21. legit, *vanitas vanitatum*. Multi sunt in aulis vanitantes et vanitatem venditantes. Sed consilia eorum præcipitantur a Deo, quia vana sunt, id est, stulta. Servius, Vanus, inquit, vocatur stultus, quasi mente vacuus, qui in rebus inanibus studium collocat. David audiens Achitophelem stare a partibus Absalonis, ait 2. Reg. 15. 31. *Infatua, quæso, Domine, consilium Achitophel*, sicut factum est: cum enim auctor esset Absaloni, ut assumptis duodecim militum fortissimorum millibus persequeretur et occideret Davidem, Chusai sua prudentia illud consilium evertit: unde Achitophel indignans, et ruinam Absalonis prævidens, eum reliquit, et abiens in domum suam, ibi se B suspendit: *Achitophel* potest significare, *frater meus res insulsa.* Quid insulsius et stultius, quam vita erepta se in inferos præcipitare?

Nota, *pro præcipita*, Hebr. בלע *balla*, id est, primo absorbe, degluti, submerge. Septuag. vertunt καταποντισον: hoc est, in mare demerge. Sic alludet ad Pharaonem et Ægyptios mari rubro haustos, cum stulto consilio in illud apertum se præcipitassent insecturi Israelitas. S. Aug. et Arabs habent, *submerge*. Secundo, perde: ita Pagnin. obrue: ita Syr. operi, absconde. Sic alludi potest ad Core, Dathan et Abiron haustos et obrutos terra. Tertio, *balla*, dissipa: ita Chald. præcipita: ita Noster. Sic alluditur ad ædificatores turris *Babel* (a quo non prorsus recedit *balla*) cum enim turrim ad quatuor millium passuum altitudinem extulissent, ut ait S. Hier. ab incœpto desistere conati sunt. Eupolemon tradit, vi ventorum turrim esse disiectam. Abydenus addit, ruina eius oppressos esse illos gigantes. Verba eius sunt in tractat. de rebus Medicis et Assyriis: *Primos homines ferunt e terra natos,* C *robore et magnitudine confisos, diis spretis turrim in eo loco, ubi nunc Babylon est, ad solem usque tollere contendisse. Cumque iam fere ad cælum ædificando pervenissent,* ανεμους θεθισι βαθιοντας ανατρεψαι περι αυτοισι το μυχανημα, *vim ventorum, Deo famulantem adfuisse, qua super eos diruta turris cecidit.* Eupolemon vero sic ait: Civitas Babylon ab iis condita primum fuerat, qui a diluvio evaserunt, quos omnes gigantes fuisse constat, sparsos per universam terram, postquam turris, quam ædificabant, πεσοντες υπο θεου ενεργειας, *divinitus concussa cecidit.* In lib. 3. oracul. Sibyllin. fit etiam mentio ventorum turrim disiicientium. Et id maxime probabile iudico, et aliquos inde fuisse illa vi disiectos, præcipitatos et obrutos. Hæc turris non fuit in Chalanne, quæ significat perfectionem et consummationem, sed in Babylone, id est, in confusione. Superbia enim multa suscipit, alta cogitat, sed nihil perficit, in medio conatu præcipitata et confusa. Ninius dicit, Sophonias Propheta, cap. 2. 15. *Hæc est civitas gloriosa,* D (Septuag. φαυλιστρια, id est, nequam et scelerata. Ex vana gloria et superbia omne scelus, velut a radice, oritur) *habitans in confidentia: quæ dicebat in corde suo: ego sum, et extra me non est alia amplius: quomodo facta est in desertum cubile bestiæ?* id est, superbiæ, quæ est omni fera dirior et truculentior. Eadem vocatur habitatio leonum, Nahum 2. 11. *Ubi est habitaculum leonum, et pascua catulorum leonum?* id est, sedes tyrannorum superborum, et satellitum crudelium, q. d. Eversa est Ninive, in qua erant superbi, barbari et crudeles.

38. Vis verbi Hebr. balla.

Nota secundo, cum Ierusalem David velit describere, et dicere esse civitatem impiam et dignam supplicio: Initio dicit, *præcipita*, alludens ad cruces et rotas, quæ ponuntur prope urbium portas, ubi erant iudicia apud Hebræos, q. d. Cives illius urbis digni sunt, qui ex alta trabe suspendantur et præcipitentur, variisque pœnis torqueantur. Sed prior notatio solidior videtur.

Secundo, petit a Deo, ut discordia inter hostes suos 39.

Vers. 10. 2. Pars. oriatur, vers. eod. 10. DIVIDE LINGUAS EORUM, id est, fac, ut inter se non consentiant, ut varietate consiliorum se interturbent. Syr. vertit, Obrue Domine conversationem linguarum illorum. Secundo, Arabs vult puniri eos abscissione linguæ. Vertit enim: *Abscinde linguas eorum.* Camp. *finde linguas eorum.* Hac pœna, et aliis longe gravioribus, digni sunt, qui in unctos Domini, id est, in reges, linguam sceleratam exerunt. Sed prior explicatio est melior. Divisionem porro linguarum fuisse in consiliariis Absalonis, patet ex eo, quod Achitophel sibi non credi videns abiit, et laqueo se suspendit.

Divisio linguarum in Babel. Nota, alludit ad divisionem et confusionem linguarum in Babel, de qua dicitur Gen. 11. 7. *Venite, descendamus et confundamus linguam eorum;* id est, ex una lingua Hebraica faciamus varias linguas aliarum matrices, secundum varias familias sive cognationes; nempe quinquaginta quinque, ut colligi potest ex cap. 10. Gen. S. Aug. et S. Hieron. 72. gentes et linguas ponunt. Vide ea de re Pererium lib. 15. et 16. in Genesim. Hinc homines dicti sunt meropes, q. d. Voce divisi, a μείρω divido, et ὄψ, id est, vox. Id contigit anno mundi 1931. et a diluvio 275. ante Christum 2122. Sed quotidie videmus linguas, et corda dividi per dissensiones.

40\. *Linguæ divisio oritur a superbia.* Nota secundo, divisio linguæ oritur a cordis superbia. S. August. lib. 16. de civit. cap. 4. *Quoniam,* inquit, *dominatio imperantis in lingua est, ibi damnata est superbia, ut non intelligeretur iubens homini, qui noluit intelligere, ut obediret Deo iubenti.* Et S. Prosper lib. 2. de vocatione Gentium: Iam vero, ait, procurrente humanæ propagationis augmento, cum ipsa mortalium numerositas de suis multiplicationibus superbiret, et secundum elationis suæ altitudinem cælo cuperet molem immodicæ constructionis inserere, quam mirabilis ad cohibendam hanc insolentiam fuit divinæ censura iustitiæ? quæ omnem illorum populorum loquelam, notis sibi invicem significationibus consonantem, septuaginta et duarum linguarum varietate confudit: ut et inter dissonas voces operantium periret concordia, insanæ molitionis machina solveretur: et habitando orbi terrarum daret incolas malæ congregationis opportuna dispersio: ita Prosper.

41\. *Hæresis est mater divisionis.* Allegor. Hæresis est turris Babel, id est, confusionis; qui eam ædificant, dividuntur lingua et corde. Ecclesia turris est David, id est, Deo amabilis, Christi scilicet: qui eam ædificant, sunt labii unius et cordis. S. August. in Psalm. nostr. *Per superbos,* ait, *homines divisæ sunt linguæ, per humiles Apostolos congregatæ sunt linguæ. Spiritus superbiæ dispersit linguas, Spiritus sanctus congregavit linguas. Quando enim Spiritus sanctus venit super discipulos, omnium linguis locuti sunt, ab omnibus intellecti sunt: linguæ dispersæ, in unum congregatæ sunt. Ergo si adhuc sæviunt et gentiles sunt, expedit eis divisas habere linguas. Volunt unam linguam, veniant ad Ecclesiam: quia et in diversitate linguarum carnis, una est lingua in fide cordis.* Iudæis quoque in Christum consultantibus, et testimonia falsa ferentibus, accidit divisio linguarum; ita ut sibi contradicerent, et veritas innotesceret.

42\. *Vers. 10. 3. Pars. Ierusalem vocatur antonomastice civitas.* Tertio, dat causam David, cur petat hostes suos præcipitari et dividi: nempe, quia in urbe Ierusalem ubi erant, vigebat iniquitas, vers. eod. 10. QUONIAM VIDI INIQUITATEM ET CONTRADICTIONEM IN CIVITATE; id est, in Ierusalem, quæ antonomastice vocabatur עיר *ir,* id est, civitas: sicut Roma, *urbs;* et Athenæ, ἄστυ, id est urbs seu civitas. Iniquitas præcipua Ierosolymitanorum tunc erat, quod Absalonem læto animo recepissent, eique contra Davidem verum regem faverent, quæ iniquitas et impietas est maxima: reges enim sunt patres patriæ, in quos insurgere impium est: sunt uncti Dei, eorum purpuram violare et dividere sacrilegium est; 2. pro iniquitatem,
43\. Hebr. est חמס *chamas,* id est, rapinam, violentiam, tyrannidem, vim apertam.

Civitatis mundi portam tenet superbia. Tropol. supra portam Ponropolis colloca superbiam, quæ se adventantibus ostentat, et se toti orbi dominari et leges ponere gloriatur. Aureis gemmatisque fulget vestibus, multoque succincta vitiorum satellitio omnes ad se allectat, et in ipso portæ ingressu genua flectere et thus adolere imperat. Ubi nota, quod *iniquitas* ponitur sæpe pro superbia. Psal. 74. 5. *Dixi iniquis* (Hebr. הוללים *holelim,* id est, stultis; 2. gloriantibus, et sese alta voce laudantibus) *nolite inique agere,* (Hebr. ne insaniatis) *et delinquentibus, nolite exaltare cornu.* Vide illum locum. *Superbia vocatur iniquitas simpliciter ob duas causas.* Ratio duplex huius rei afferri potest. Primo, quia superbia est gravissimum omnium peccatorum ex parte aversionis, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 162. art. 6. et in 2. ad Corinth. 12. lect. 3. Secundo, quia est primum omnium peccatorum et principium eorum, ut docetur 22. q. 162. artic. 7. et in 1. ad Corinth. 11. lect. 4. Vocatur regina omnium vitiorum, 12. q. 84. artic. 4. ad 4. In ea velut in Pandoræ pixide, omnia clauduntur mala; a S. Chrysost. tom. 3. fol. 638. in enarration. in cap. 3. Isaiæ vocatur, κεφάλαιον τῶν κακῶν, *summa malorum omnium superbia et arrogantia.* Quod verbo complexus est oris aurei Pontifex, hoc cordis gemmati Abbas in monte Sina, S. Ioan. Clim. scilicet grad. 23. pluribus edisserit: *Superbia,* ait, ἐστι Θεοῦ ἄρνησις, δαιμόνων εὕρημα, ἐξουδένωσις ἀνθρώπων, *est Dei negatio, dæmonum inventum, despectus hominum, parens temerarii iudicii, mala progenies laudum, sterilitatis argumentum, auxilii divini obstaculum, stuporis prænuncia,* πτωμάτων πρόξενος, *lapsum procuratrix, morbi caduci materia,* θυμοῦ πηγὴ, *fons furoris, simulationis seu hypocrisis ianua,* δαιμόνων στήριγμα, ἁμαρτημάτων φύλαξ, *propugnaculum dæmonum, custos peccatorum, inhumanitatis causa, commiserationis ignoratio, acerba legum auctrix, iudex immitis, hostis Dei,* βλασφημίας ῥίζα, *blasphemiæ radix, etc.* De civitate, cui præest superbia, possis usurpare illud, quod Isaias 34. 11. usurpat de Idumæa: *Possidebunt illam onocrotalus, et ericius: ibis et corvus habitabunt in ea.* Et v. 13. *Orientur in domibus eius spinæ, et urticæ, et paliurus in munitionibus eius: et erit cubile draconum, et pascua struthionum. Et occurrent dæmonia onocentauris, et pilosus clamabit alter ad alterum: ibi cubavit lamia, et invenit sibi requiem. Ibi habuit foveam ericius, et enutrivit catulos, et circumfodit, et fovit in umbra eius: illuc congregati sunt milvi, alter ad alterum.*

Sicut igitur humilitas est porta cæli, ita superbia est porta inferi, et civitatis mundi, qui totus in maligno positus est. De humilitate ait S. Climacus grad. 25. fol. 314. οὐρανοὺς, inquit, ἡ ὁσία ταπείνωσις ἀνοίγει, *cælos sancta humilitas aperit.* De superbia autem dicit Cassiod. in Ps. 18. *Superbia de angelo diabolum fecit.*

Quarto, in civitate Ierusalem sibi rebelli dicit David 44.
Vers. 10. 4. Pars. fuisse rixas et contentiones, vers. eod. 10. ET CONTRADICTIONEM IN CIVITATE. Hebr. ריב *rib,* id est, litem, contentionem, rixam, disceptationem, contradictionem, iurgium: in ea civitate erat *chamas,* iniquitas et violentia aperta, quæ in factis consistit: et *rib,* id est, litigatio et contradictio, quæ in verbis. Sed in quem erat illa contradictio? Resp. in Davidem, contra quem loquebantur assentantes Absaloni.

Contradictio iungitur iniquitati, et cur? I. Moraliter. Recte iungitur iniquitati contradictio, seu litigatio et rixa. Primo, quia iniquitas omnia ubique perturbat. S. Chrysost. hom. 9. in 1. ad Cor. fol. 94. Nihil, ait, est æque inconsideratum atque peccatum: nihil adeo amens, καὶ μωρὸν, καὶ ῥάθυμον, et stultum, et violentum, πάντα ἀνατρέπει, καὶ συγχεῖ, καὶ ἀπόλλυσι: *Omnia evertit, et confundit, et perdit quocumque insilierit. Est visu deforme, importunum, molestum et grave.* Deinde monstrum illud tartareum ardentibus tædis urbes incendens depingit: *Si quis pictor,* inquit, *peccatum effingeret, non mihi videtur aberrare, sic ipsum effingens: mulierem quamdam,* θηριόμορφον, *forma belluina, barbaram,* πῦρ πνέουσαν, *ignem spirantem, iniucundam, nigram, quales externi Poetæ depingunt Scyllas. Manibus enim innumerabilibus nostras apprehendit cogitationes et ratiocinationes, et ex improviso ingreditur, et omnia discerpit ac dilacerat, sicut canes clanculum mordentes.*

Secundo, iniquitas iungitur litigationi seu contradictio- II.

ni; quia sæpe, qui litigant, iniqui sunt, aut iniqui per lites fiunt. Plerique bile suffusi, et furore instincti, vocari possunt χολη, id est, *bilis*, et αλμη, id est, *salsugo:* quibus nominibus Philoclem poetam tragicum dictum vult Suidas, ob morositatem: aut *insani* cum Domitio Grammatico, qui id habuit nominis teste Gellio lib. 18. cap. 7. noct. Atticarum, ob intractabilem animum et inhumanum. Nonnullis una quies est, serendis litibus alios turbare, quod Ptolemaidi vetulæ proprium fuit, quæ ad extremam senectam nunquam sine litibus extitit.

Rabulæ etiam plerique (neque enim patronos reipublicæ columina, iustitiæ faces, pauperum asylum, in ius voco) rabulæ, inquam, in eo felicitatem suam ponunt; si, tamquam mures in farina, dente multos roserint, et serpentinis sibilis virus miscuerint. Nollem adversarii

Demosthenes vocatus serpens.

Demosthenis eum vocassent Argam, id est, serpentem: hac enim voce anguem poetæ quidam dixerunt, ut docet Plutarchus. Hoc autem scommate pungebant oratorem clarissimum, ob morum, ut dicebant, feritatem, atque acerbitatem. Quod illi temere in Græciæ ornamentum contorquebant, merito in plurimas civitatum pestes derivari potest; qui etiam venena adhibent, ut in litibus superiores evadant. Claudium Imp. laudo, qui equitem Romanum ad necem damnavit, quod ovum serpentis sinu foveret, ut in litibus esset superior. Item narrat Plin. lib. 29. cap. 3. et quale esset illud ovum, commemorat: *Est*

Mirum de ovo serpentis utili ad lites.

ovorum genus, ait, *in magna Galliarum fama, omissum Græcis: Angues innumeri æstate convoluti, salivis faucium corporumque spumis artifici complexu glomerantur, anguinum appellatur. Druidæ sibilis id dicunt in sublime iactari, sagoque oportere intercipi, ne tellurem attingat. Profugere raptorem equo. Serpentes enim insequi, donec arceantur amnis alicuius interventu. Experimentum eius esse, si contra aquas fluitet vel auro cinctum. At, ut est magorum solertia occultandis fraudibus sagax, certa luna capiendum censent, tamquam congruere operationem eam serpentium humani sit arbitrii. Vidi equidem id ovum mali orbiculati modici magnitudine, crusta cartilaginis velut acetabulis brachiorum polypi crebris, insigne Druidis. Ad victorias litium, ac regum aditus, maxime laudatur tantæ vanitatis, ut habentem in lite in sinu equitem Romanum e Vocontiis, a divo Claudio principe interemptum non ob aliud sciam:* ita Plinius. Christianis quas neces appares, qui non ovum, sed serpentem integrum, non sinu, sed mentis in penetralibus claudunt; ut in viduarum, pupillorum, pauperumque perniciem, virus evomant? Maximum civitatis ægrotantis malum est, cum medici ipsi peste afflantur: ubi iustitiam reperias, si in iustitiæ palatio iniustitia dominatur. A foro in vicos omnes: hoc est, in omnia officiorum genera, rixæ et contentiones dimanant, et ab omnibus vicis in forum refluunt: atque, in hoc æstu reciproco, multorum triste naufragium cernere licet, et cum Davide inclamare: *Vidi iniquitatem et contradictionem in civitate.*

45. Vici septem civitates mundi.

In hac mundi civitate colligit Hugo ex his versiculis septem vicos: Primum iniquitatis, sive superbiæ. Secundum, contradictionis, quia, ut ait Salomon Prov. 13. 9. *Inter superbos semper iurgia sunt.* Tertium, invidiæ. Quartum, curiositatis. Quintum, iræ vel odii. Sextum, rapinæ vel cupiditatis. Septimum denique, hypocrisis seu doli. Ingeniose autem de vico contradictionis sic loquitur: *In hoc vico,* ait, *habitat Tribus Dan, id est, advocati, quæ tribus non numeratur in catalogo Sanctorum. Apocal.* 7. 3. *ubi dicitur: Nolite nocere terræ et mari, neque arboribus: quousque signemus servos Dei in frontibus eorum. Et postea numerat signatos, dicens: Ex Tribu Iuda duodecim millia signati, etc. Inter quos non computatur Tribus Dan, qui interpretatur causa vel indicium, et significat advocatos et contentiosos, quibus timendum est ne a numero servorum Dei excludantur.* 1. *Cor.* 11. 16. *Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Iacob 4. 2. *Litigatis et belligeratis.* Ps. 67. *Dissipa gentes quæ bella volunt.* Prov. 30. 14. *Generatio quæ pro dentibus gladios habet:* ita Hugo.

Alleg. Hæresis, et Iudaismus, atque infidelitas, sunt 46. Allegor.
civitates Christo contradicentes. S. August. Est quædam, ait, civitas turbulenta: ipsa erat, quæ turrim ædificaverat: ipsa confusa est, et appellata Babylonia: ipsa per innumerabiles gentes dispersa: inde congregatur Ecclesia in desertum bonæ conscientiæ. Vidit enim contradictionem in civitate. Christus venit. Quis Christus? Contradicis. Et Filius Dei. Habet Filium Deus? Contradicis. Natus est de Virgine, passus, resurrexit. Et unde hoc fieri potest? Contradicis. Attende saltem gloriam crucis ipsius. Iam in fronte regum crux illa fixa est, cui inimici insultaverunt. Effectus probavit virtutem, domuit orbem, non ferro, sed ligno. Lignum crucis contumeliis dignum visum est inimicis, et ante ipsum lignum stantes, caput agitabant, et dicebant, Matth. 27. *Si Filius Dei es, descende de cruce.* Extendebat ille manus suas ad populum non credentem et contradicentem. Si enim iustus est, qui ex fide vivit; iniquus est qui non habet fidem: Quod ergo hic ait Iniquitatem, perfidiam intellige. Videbat ergo Dominus in civitate iniquitatem et contradictionem. Hæc Augustinus.

Quinto, in civitate Ierusalem occupata a rebelli Absalone dicit iniquos milites diu noctuque muros tenuisse, 47. Vers. 11. 1. Pars.
vers. 11. DIE AC NOCTE CIRCUMDABIT EAM SUPER MUROS EIUS INIQUITAS, id est, iniquissimi milites. Est prosopopœia; iniquitatem enim proponit velut armatum militem. *Circumdare* autem muros dicit, ut denotet, Primo, ardorem et rabiem, quæ nihil omittat eorum quæ possunt nocere Davidi et prodesse Absaloni. Secundo, timorem et sollicitudinem huc illuc discursantium, atque omnia tuta timentium. Tertio, multitudinem tantam, ut muros Ierusalem circumdet. Erat autem murus civitatis Ierusalem triplex. Iniquitas ubique milites ac duces statuebat, ordinabat et instruebat, armabatque.

Tropol. Ambitio circumdat muros civitatis mundi, ut toti civitati dominari possit, ciusque honores possidere sine ulla interturbatione accurrentium æmulorum. Ambitio proprie circuitionem significat, ab *am,* id est, circum: et *eo:* transfertur ad immoderatam cupiditatem rerum magnarum, et imperiorum. Circumdat porro ambitio primo velut vile mancipium, honores quærens, et omnes prehensans, omnibusque assentans et se submittens ut optata consequatur. Id faciebant Candidati consulatus, præturæ, ædilitatis, et cæterarum dignitatum apud Romanos. Secundo, ambitio circumdat civitatem velut sævus dominus in suos alumnos crudeliter sæviens. Tertio, circumdat ambitio, velut fera immanis. Philo lib. de Ioseph: *Qui,* ait, *auram populi captans concionaturus locum superiorem ascendit, sicut venalitii, servus fit ex ingenuo, propter honores quos videtur accipere, addicens se innumeris dominis. Idem ipse,* θηριάλωτος, *a feris circumventus inducitur, quod huic insidietur,* θηρίον ἀτίθασσον ἡ λοχῶσα κενοδοξία, *immanis bestia vana gloria, corripere ac devorare tales solita.* Quarto denique, circumdat ambitio sceleratos, velut miles armatus, omnia sibi vendicans, strictoque gladio reluctantes confodiens, atque scelerum agmen ductans. Petr. Cellensis, lib. de panibus, cap. 13. *Quæ sunt,* ait, *tabernacula Iacob, nisi exercitia animi luctantis et pugnantis contra vitia carnis, et suggestiones inimici? Tamdiu enim habitat Iacob in tabernaculis, quousque solvantur vincula carnis. Habitans denique anima in corpore, hostium circumvallatur multitudine. Aggreditur siquidem eam concupiscentia. scutum arripit ira, lanceam luxuria, gladium invidia, clypeum temeritas, equum iactantia, calcaria impatientia, galeam superbia:* ita Cellensis. Ambitio et vanus appetitus laudis hæc omnia sæpe armat, et in aciem educit.

Ambitio circumdat omnia ad honores habendos. 1 ut mancipium. 2 ut sævus dominus. 3 ut fera. 4. ut miles.

Nota, die ac nocte circumdat ambitio, sive superbia, 48. Ambitio quietem tollit.
quia nullam diurnæ neque nocturnæ quietis partem servis suis relinquit. Nam, ut loquitur S. Isidor. Pelusiota, cap. 130. ad Ioannem monachum: Οὐκ οἶδε τῦφος ἠρεμεῖν, *nescit superbia quiescere.* Charitati illam opponit Petrus

Blesensis epist. 14. Charitas enim semper Deo laborat, ambitio sibi et dæmoni: *Ambitio*, ait, *est quædam simia charitatis: charitas enim patiens est pro æternis: ambitio patitur omnia pro caducis: charitas benigna est pauperibus: ambitio divitibus: charitas omnia suffert pro veritate: ambitio pro vanitate.* Ac paulo post, aptissime ad rem nostram loquitur: *Ambitio est ipsa iniquitas super talentum plumbi. Hæc est oculus omnium curialium, sicut Zacharias dicit: Hæc est oculus eorum in universa terra: non dexter oculus, sed sinister:* Ita ipse. Ambitio die ac nocte muros circumdans est oculus insomnis. Quietem contemplationis amant viri cælo nati, ideo honores fugiunt, ut S. Ambrosius, S. Gregor. Nazianz. S. Augustinus, et alii. Quid de se dicat S. Anselmus audiamus: Sic enim loquitur, lib. 3. epist. 1. *Quod ignorare nequiverunt illi, qui eo die vultum meum inspexerunt, quando me Episcopi, Abbates, aliique Primates ad Ecclesiam trahentes, et contradicentem rapuerunt: ita ut dubium videri posset, utrum sanum insani, an insanum traherent sani: nisi, quia illi canebant, et ego magis mortuo quam viventi, colore similis, stupore et dolore pallebam: et illi, qui postea illa ipsa die me inusitate lugentem, dolore rationem superante, cum intente mihi licuit cogitare, et vestram dilectionem, et onus, quod meæ imbecillitati imponebatur, de longe audientes accurrerunt: et videntes me, aut animam, aut sensum amissurum, timuerunt: et hoc timore aqua benedicta me aspergentes, eam mihi potandam porrexerunt.*

S. Anselmi admirabilis humilitas in Episcopatus fuga.

49. Alleg. S. Hieron. de Christo et eius persecutoribus Iudæis sic explicat, q. d. Die ac nocte, id est, omni tempore, circumdabit super muros eius iniquitas. *Die*, cum doceret turbas, et illi non crediderunt. *Nocte*, cum pateretur, et illi blasphemarent.

Allegor.

Symbol. Muri civitatis sunt ipsi cives; unde Agesilaus dicebat, Spartam propterea muris carere, quod eorum loco essent cives armati: et quia urbes non lapidibus, et lignis, sed virtutibus inhabitantium oporteret munitas esse. Theopompus, Lysander et Agis asserebant, muros externos non videri necessarios viris, sed mulieribus. Secundo, civitatum muri sunt præsertim principes, ut ait Aiguanus: et nobiles, ut S. Augustinus. Sed caveant, ne sint muri civitatis mundi et vitiorum. Sunt enim eius muri, cum malo exemplo vitia roborant; et impediunt, ne Deus sua gratia, et concionatores, verbo eam civitatem evertant; sicut Iosue, tuba muros Iericho. S. Augustin. audiamus: *Die ac nocte circumdabit eam super muros eius iniquitas. Super muros eius, super munimenta eius, tenens quasi capita eius, nobiles eius. Ille nobilis si Christianus esset, nemo remaneret paganus. Plerumque dicunt homines: Nemo remaneret paganus, si ille esset Christianus. Quod ergo nondum fiunt Christiani, quasi muri sunt civitatis illius non credentis et contradicentis. Quamdiu isti muri stabunt? Non semper stabunt. Circumit arca muros Iericho. Veniet tempus septimo arcæ circumitu, ut omnes muri civitatis non credentis et contradicentis cadant.*

Symbol. Muri civitatis sunt cives ipsi.

2. Nobiles.

50. Sexto, In medio civitatis Ierusalem, quam Absalon occupaverat, erat labor. Hinc additur v. 11. ET LABOR IN MEDIO EIUS, ET INIUSTITIA. Labor dupliciter hic sumi potest. Primo passive, q. d. Intus in ipsa civitate nihil aliud erat, nisi labor miserorum, et iniustitia potentiorum: dum secure et libere iniusti divites et potentes opprimerent pauperes et imbecilles: ita Bellarminus.

Vers. 11. 2. Pars

Secundo, et melius, *labor* hic sumitur active, q. d. Rebelles illi in medio Ierusalem volitant, atque impune grassantur bona mihi fidelium civium diripiendo eosque affligendo per summam iniustitiam. Hebr. עמל *amal*, significat primo, dolorem, laborem, fatigationem, afflictionem. Hinc Flamin. vertit, *afflictio in medio eius*. S. Hieronym. *dolor in medio eius*. Secundo, iniquitatem, perversitatem, prævaricationem, transgressionem. Hinc Pagnin. *perversitas in medio eius*. Tertio, mendacium, falsitatem. Hinc Chald. Arabs, et Syr. *mendacium in medio eius*. Sic Ps. 9. 28. *Sub lingua eius*, amal, *labor*. R. Salomon vertit, transgressio.

51. Moral. Ex his vides peccato annexum esse laborem et dolorem. Peccatum est idolum mendax: promittit voluptates, dat anxietates. Numer. 23. 21. dicitur: *Non est idolum in Iacob, nec videtur simulacrum in Israel;* pro *simulacrum*, Hebr. est *amal*, quod Arias vertit *laborem*. R. Emmanuel, perversitatem. R. Salomon et Pagn. prævaricationem. Chald. fatigationem, falsitatis. Cum in terra stabili videris consistere, in periculoso mari agitaris. Lepidum et utilem apologum ceti et piscatoris in eam rem affert Cyrill. lib. 1. apolog. moral. cap. 8. *Super maris undam, ait, cetus maximus instar insulæ ab aquis extans, terræ aridæ speciem mentiebatur: piscator tum forte raticula fluctuans ac terræ cupidus in hunc sophisticum et mendacem portum pervenit: moxque ibi descendens ex petra et ferro ignem excussit, rogoque extructo cœpit fovere corpusculum præ frigore obrigescens, labore fessum et fame exsiccatum. Sed cum ignis vehemens calor insensibili piscis penetrata pinguedine in carnem sensibilem tandem descendisset, statim pisce commoto, terræ motum existimans nauta stupidus, relictis omnibus cucurrit ad ratem. Sic inde veritate comperta tutus de navicula, lamentabiliter ceto dixit: Quare ostensa ingenti mole et stabilitate lethaliter simulata, et cute picta mentiebaris te portum? Nisi certe natalile lignum statim profugo subvenisset, in te confidentem me, raptum subito non minus quam naufragium submersisses. Cui piscis respondit: Tu autem quare ad quiescendum super rem mutabilem descendisti? At ille: Certe, quia tellus esse, non animal videbaris. Tunc alter: Numquid omne quod videtur, existit? an ignoras, quod plura in sola sui apparentia, et non in veritate fundantur?* Lege cætera.

Moral. Labor est est annexus peccato.

Lepidus apologus ceti et piscatoris.

52. Cor hominis, præsertim peccatoris, in perpetuo motu, agitatione, strepitu, ac tumultu est instar molendini, vel aqua vel vento diu noctuque agitati. S. Bernard. Instabilitatem cordis sui deplorat in Meditat. cap. 9. *Dum*, ait, *cor meum per diversa requiem quærit, non invenit: sed in labore miserum, a requie vacuum manet, sibi non concordat, a se dissonat, a se resilit: voluntates alternat, consilia mutat, ædificat nova, destruit vetera, destructa reædificat, eadem iterum atque alio et alio modo mutat et ordinat, quia vult et non vult, et nunquam in eodem statu permanet. Sicut enim molendinum velociter volvitur et nihil respuit; sed quidquid imponitur, molit: si autem nihil apponitur, seipsum consumit: sic cor meum semper est in motu, et nunquam requiescit: sed sive dormiam, sive vigilem, somniat et cogitat quidquid ei occurrit. Et sicut molendinum arena, si imponatur, exterminat, pix inquinat, palea occupat; sic cor meum cogitatio amara turbat, immunda maculat, vana inquietat et fatigat.* Et aliquod interiectis subdit: *Cumque elabitur ab illis et involvitur in istis, vanitas illud recipit, curiositas deducit, cupiditas allicit, voluptas seducit, luxuria polluit, torquet invidia, turbat iracundia, cruciat tristitia: sicque miseris casibus, submergitur omnibus vitiis: quoniam unum Deum (qui ei sufficere poterat) dimisit. Per multa dispergitur, et huc illucque quærit, ubi requiescere possit: et nihil invenit, quod ei sufficiat, donec ad ipsum redeat.*

Cor hominis est in perpetua agitatione.

I. Instar molendini.

II. Secundo, cor hominis, præsertim peccatoris, est fluvius nunquam consistens, sed semper decurrens, ad scopulos allisus, et spumans, murmuransque, ac tandem in amaritudinem maris se coniiciens, camque imbibens. Richard. a S. Victore, tract. 1. de statu interior. hominis, cap. 10. *Omnia flumina*, inquit, *in mare feruntur, et omnis aqua dulcis in amaram mutatur: quia oblectamentum in fastidium vertitur, et omnis delectatio carnis in amaritudine terminatur*: iuxta illud: *Extrema gaudii luctus occupat.* Et hoc cito fit, quia torrens rerum fluit, ac cito desinit. Eccl. 1. 7. *Omnia flumina intrant in mare.* Syr. et Chald. *omnes torrentes.* Torrens est fluvius temporarius, non e fonte, sed e pluvia nascens, æstate siccus, hyeme magno fluens impetu. Æstate etiam fiunt torrentes ex liquefactione nivium in Alpibus et aliis montibus, sed non diu durant. Torrens multum strepitus efficit, sed parum af-

Instar fluvii.

fert utilitatis: imo ut plurimum est maxime noxius: idem accidit divitiis et honoribus ex alto in præceps ruentibus, id est, qui ad Deum non ascendunt, et illum non spectant, sed terram et inferos. S. Bern. vero dicebat, tract. de charit. cap. 18. *Quid suavius homini, quid iucundius, quam mundum contemnere, et se reputare sæculo celsiorem, atque in bonæ conscientiæ vertice consistere, et mundum habere sub pedibus, nihil in eo videre, quod appetat?*

III. Instar venti. Tertio, cor hominis, præsertim peccatoris, est ventus omnia circumiens, exterrens et deiiciens, per vana et ventosa desideria, et inanes honorum ac dignitatum appetitus. Eccles. 1. 6. *Lustrans universa in circuitu* (Hebr. est circuiens circuiens. Sept. gyrat gyrans: id est, perpetuo gyrat) *pergit spiritus,* id est, ventus, ut Symmach. vertit. Ventus, ut ait Apuleius, est aeris flumen. In omnem partem reflectitur a nubibus, et per universa se convolvens nec quiescit, nec alios quietos esse patitur. Si vis quietus esse, contrahe te ad pauca; ut nubes, id est, imaginationes volaticas, erraticas, fuge. Seneca lib. de tranquillitate vitæ lib. 1. cap. 12. laudat dictum Democriti: *Qui tranquille volet vivere, nec privatim agat multa, nec publice ad supervacua se ferat.*

IV. Instar Ixionis. Quarto, cor hominis, præsertim peccatoris, est Ixion rotæ, id est, vitæ et occupationibus eius, illigatus. S. Antioch. hom. 30. *Quid aliud,* inquit, *est vita hominis, quam rota, quæ perpetuo rotatu circumagitur?* S. Isidor. Pelus. lib. 2. epist. 158. *Tempus rotæ speciem imitatur, utpote quod in se torquealur et circumvolvatur.* Seneca lib. de vita beata, cap. 28. *Quid porro,* ait, *nonne nunc quoque etiamsi parum sentitis, turbo quidam animos vestros rotat et involvit fugientes, petentesque eadem, et nunc in sublime alligatos, nunc in infima allisos rapit?* S. Gregor. Naz. epist. ad Sophronium: Vides, inquit, quæ sit conditio rerum nostrarum, utque *rota quædam negotiorum humanorum cursu circumagatur, nunc his, nunc illis florentibus ac marcentibus: dum neque adversitas, neque prosperitas nobis constat, sed quam ocyssime in diversum mutatur et transilit; ut aquis ac litteris aquæ inscriptis fidere liceat citius, quam humanæ felicitati.*

V. Instar ericii. Quinto, cor hominis peccatoris est ericius spinis undequaque circumcinctus. S. Chrysost. in Ps. 90. *Quicumque peccaverit,* ait, *quasi ericius est plenus spinis.* Sophrou. 2. 14. *Ericius in liminibus eius morabitur:* id est, diabolus, qui spinis horrens cor scelerati confodit innumeris aculeis. Isaiæ 34. 13. *Orientur in domibus eius,* in omnibus animæ potentiis et corporis membris, *spinæ, et urticæ, et paliurus in munitionibus eius. Ibi habuit foveam ericius* (diabolus dolorifer) *et enutrivit catulos* (scelera spinis aspera) *et circumfodit, et fovit in umbra eius,* in rebus umbraticis, in quibus sibi complacet.

VI. Instar Promethei. Sexto, cor hominis peccatoris est instar Promethei, quem in Caucaso monte vultur exedit. Ut enim ait S. Ambros. in Ps. 35. agens de Caino: *Sine ulla intermissione,* ait, *ipse sui carnifex erat.* Seneca epist. 79. *Prima,* inquit, *et maxima pœna peccantium est peccasse.*

VII. Instar damnati. Septimo denique, cor hominis peccatoris est anima damnata iam pœnas inferorum præsentiens. S. Chrys. hom. de orat. Annæ: *Mentem habenti,* ait, *gehenna quaque formidolosius est Deum offendere, et omni regno desiderabilius Deo placere.* Labor porro *in medio* notat eius potentiam et dominationem; 2. adhærentiam et perseverantiam; 3. universalitatem, inde ad extrema facile fluit.

53. Vers. 11. 3. Pars. Regnante Absalone viguit iniustitia in Ierusalem. Septimo, in civitate Ierusalem contra Davidem rebellante, et Absalonem pro rege suo recipiente, vigebat iniustitia. Unde addit: Et iniustitia. Primo, in Davidem ipsum, quem regno privabat. Secundo, in decem eius concubinas, id est, uxores secundarias, quas Absalon polluebat supra solarium domus regiæ, in oculis omnium: tunc iniustitia fuit *in medio,* aulæ et civitatis; 2. *in medio,* id est, palam et publice: atque, ut ait Bruno Carth. *aperte et inverecunde;* 3. *in medio,* id est, inter nobiliores et honorabiliores, ait Cassiodor. sed hoc ultimum est symbolicum. Tertio, in omnes servos, amicos, cognatos et affines Davidis, qui rebellantibus non favebant: τὸ *in medio* potest significare homines mediocres, aut in media civitate habitantes. In Hebr. est, *labor in medio eius, et iniustitia in medio eius.* Pro *iniustitia,* Hebr. est הוות *havoth,* id est, pravitates: ita Pagn. et Felix; 2. fraudes: ita Syrus; 3. insidiæ: ita S. Hieron. 4. oppressiones: ita Arabs; 5. tumultus: ita Chaldæus, id est R. Ioseph cæcus. S. Hier. vertit, *insidiæ in virtutes eius;* id est, in corde, iecore, pulmone, q. d. In præcipuis eius partibus, in ipsis principibus, nobilibus et magistratibus, ac doctoribus, qui sunt partes vitales, et vitam dantes atque conservantes urbibus et toti regno.

Octavo, in civitate Ierusalem rebelli, usura permittebatur publice, v. 12. Et non defecit de plateis eius usura et dolus. Usura quomodo esset Iudæis prohibita, vide Ps. 14. 5. ubi satis fuse de ea dixi. Pro *usura,* Hebr. hic est תך *thoch,* id est, fraus, ut vertit Flamin. impostura, ut Campensis; dolus, ut Mercerus; qui rationem affert, quod enim quis corde tegat, et odium quo alterum prosequitur, cum interim sese amicum simulet; 2. damnum, ut S. Hieron. 3. et optime, usura: ita Noster; fœnus: ita Campensis. Hinc Sept. et Petav. vertunt τόκος, quod a voce Hebræa desumitur: recte tamen quidam derivant a τίκτω, id est, pario, quod usura statim atque facta est Domino suo fructum pariat, pauperi autem damnum. Hebr. dicitur *thoch,* q. d. Contritio, depauperatio, a rad. *thacac,* conterere, opprimere, circumvenire, ad paupertatem redigere. Vel *thoc* idem est atque adhæsio, coniunctio, a rad. *thaca,* adhæsit, coniunxit. Usura enim est scabies et lepra, hominem exedens, et ab eo non separabilis. Chald. reddit שקרא *seikra,* mendacium. Est consequens ex usura: qui enim debitor est, omnibus artibus evadere conatur: usurarius vero fraudibus eum semper novis illaqueat. 54. Vers. 12. Usura conterit et ad paupertatem redigit.

Nota. Fœneratores comparari possunt, 1. prædonibus; 2. gladiatoribus; 3. lanionibus; 4. anthropophagis; 5. vulturibus; 6. serpentibus. 55. Fœneratores collati cum rebus sex.

Ac primo, prædones sunt. Philo eos comparat iis latronibus, qui vestes tollunt viatoribus: nam ex nudo mutuo ita lucrum captant, ut tunicam ipsam et scruta lectosque tollant pauperculis, nudosque uri frigore et gelu cogant. Plutarchus fœneratorem vocat hostem et tyrannum. I. Cum prædonibus.

Secundo, gladiatoribus funerariis melius fœneratores composueris, qui ferales victimas busto iniiciendas mactant, tristes amicis inferias. Hoc vidit Ausonius, cum ait: *Velox inops usura trucidat.* Cato Censorius teste Tullio lib. 2. offic. rogatus, quid esset fœnus, respondit: *Quid hominem occidere?* q. d. Fœnerari et hominem occidere idem sunt. S. Ambr. id aperte dicit lib. de Tobia, cap. 10. *Nihil interest inter funus et fœnus: nihil inter mortem distat et sortem: Personat funebrem ululatum fœneris usura.* II. Cum gladiatoribus.

Tertio, laniones coriarios iure vocaveris eos qui fœnerantur. Nam etiam ultra mortem sæviunt, et direpta cute intimas fibras divellunt et abradunt. Audi horrendum nefas a fœneratoribus Romæ usurpatum, quod Brasiliis ipsis horrorem incuteret. Romani enim permiserunt, ut si quis pluribus esset debitor, iisque esset adiudicatus, corpus eius secare et dividere possent. Gellius lib. 20. cap. 1. de legibus duodecim tabularum legem refert in hunc modum: *Tertiis nundinis partes secanto: si plus minusque secuerunt, sine fraude esto.* Hoc illos eo consilio fecisse arbitror, ut omnes ad laborem incitarent, atque ab alieno ære fœneratitio contrahendo averterent. Persis quidem duo fuisse peccata maxima dicit Plutarchus: Primum, mentiri: secundum, debitorem esse. Mendacium annexum esse debitis docet Herodot. lib. 1. S. Basil. in Ps. 14. agens de usura: et S. Greg. Nyss. tom. 2. oration. in usurarios. III. Cum lanionibus.

Quarto, anthropophagis similes sunt fœneratores. S. Gregor. Nyssen. loco mox citato, panem illorum Busiridum et Polyphemorum vocat, αδελφικας σαρκας, αιμα οικειων, αρτον γενομενον απο στεναγμων των συμπτωχων, *fraternas carnes, sanguinem familiarium, panem confectum ex gemitu egenorum sodalium.* Insulsi tamen homuli ut mollicule deli- IV. Cum anthropophagis.

clis diffluant, neque labori vacent, ad eas fœneratorum mensas accedunt, ut tandem ab illis devorentur, sicut aves ad escam advolantes, statim laqueo irretiuntur.

V. *Cum vulturibus.* Quinto, fœneratores sunt vultures ad lanienam devolantes. De illis dic cum Isaia cap. 34. 15. *Illuc congregati sunt milvi, alter ad alterum.* Plutarchus in libello de ære alieno vitando: Fœneratores, inquit, γυπων δικην εσθιουσι και υποκειρουσιν αυτους, *vulturum instar*, eos edunt et laniant, atque *Altius inserto contundunt viscera rostro:* aliis tamquam Tantalis adstant, vetantque eorum quidquam gustare quæ colligunt. Unde vocat, αρπυιας υποπτερους, *harpyas alatas*, ex ore ipso mensisque cibum avellentes, ut describitur a Virgilio lib. 3. Æneidos.

VI. *Cum serpentibus.* Sexto denique, fœneratores sunt serpentes in agro sub floridis herbis latitantes. S. Basilius in Psal. 14. *Fœnus*, πονηρων γονεων πονηρον εκγονον, *malorum parentum mala soboles. Hi sane fœtus, usurarum recte*, γεννηματα εχιδνων, *genimina viperarum dicuntur: viperas enim dicunt ventrem matris perrodendo nasci. Sic item fœnora debitorum domos absumendo nascuntur.* Lege locum integrum. Neque una in domo se usuræ pestis claudit, totas sæpe urbes pervadit, velut ignis sylvas integras depascens: hinc tot seditiones Romæ extiterunt, discessio plebis in montem sacrum, Tribunorum plebis electio, aliaque innumera.

56. Eam ob rem sapientes monent, ne numos fœnori sumamus, aut demus.

I. *Pecuniæ non sunt dandæ ad usuram. Lex Platonis laudabilis.* Primo, dari pecunias ad fœnus et usuram vetat Plato lib. 5. de legib. *Ne fœnerator, ait, Qui secus faxit, ei fas esto, et fœnus, et ipsam summam denegare.* Cato Censorius lib. de re rustica, in proœmio: Maiores nostri, inquit, sic habuerunt, et ita in legibus posuerunt, furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli: ita ipse. Ex quo factum videtur, ut Zacchæus dixerit Luc 19. 8. *Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus: et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.*

II. *Pecuniæ non sunt accipiendæ ad usuram.* Secundo, quantum damnum sit fœneratitiam pecuniam accipere, docet Plutarchus libello integro, viamque tradit qua te explices, si hos in compedes te indueris; laborem scilicet atque frugalitatem, quæ perfectam te in libertatem asserant: *Romanæ*, ait, *mulieres mundum suum Apollini Pythio dederunt primitiarum loco: ex quo aureus crater confectus Delphos venit. Carthaginenses autem mulieres capita totonderunt pro patria. Nos, dum contentos esse nostris rebus pudet, dandis pignoribus contractisque subeundis in servitutem nosmet damus, ubi par erat contractis ad utilia cupiditatibus, inutilia nos et otiosa concidere aut divendere. Itaque nobis ac familiæ*, ελευθεριας ιερον ιδρυσασθαι, *fanum libertatis extruere. Diana quæ Ephesi colitur, debitores qui ad ipsius templum confugiunt, tutos a creditoribus et intactos præstat*, το δε ευτελειας ασυλον, *at frugalitatis asylum ubique patet temperantibus, cum multo otio amplitudinem parans hilarem et honorificam. Sicut enim bello Medico Pythia Atheniensibus ligneum murum divinitus dari cum dixisset, illi regione, urbe, opibus et domibus relictis, libertatis servandæ causa se in naves contulerunt: ita nobis concedit Deus ligneam mensam pelvim figlinam, et vestem asperam, si liberi vivere volumus.*

57. *Doli plenus est mundus.* Nono denique, in civitate Ierusalem rebelli erat dolus, quo opes suas augere per usuras et modos illicitos varii conarentur: unde post usuræ mentionem subdit: Et dolus. Proprie dolus est in verbis, fraus in rebus: hæc tamen sæpe confunduntur. Hebr. מרמה *mirma*, fraus, dolus: deducitur a *rama*, proiicere, eiaculari, arcus fallacis more elevare, proiicere, et excutere a spe sua, aut re, ut ait Mercerus. Dolosus itaque est sagittarius vafer et astutus, qui inopinantes confodit Chald. נכילו *nechilu*, fraus, dolus, derivatur a *necal*, machinari, callide cogitare. Dolosi miris machinis ad optata sua pervenire nituntur. Eadem voce *neclo* utitur Syrus. Has machinas et arcus dolosos evitare in hoc mundo difficile est. Ut enim ait Beda in collectaneis: *Septem sunt, quæ non inveniuntur in hoc mundo: vita sine morte, iuventus sine senectute, lux sine tenebris, gaudium sine tristitia, pax sine discordia, voluntas sine iniuria, regnum sine commutatione.* Iniuriæ omnium patemus, positi in signum cui contradicatur, et in quod tela torqueantur. Infra de illis dicetur. Hinc auctor Ecclesiastici præcipit cap. 11. 31. *Non omnem hominem inducas in domum tuam: multæ enim sunt insidiæ dolosi.* Legerat δολιου, dolosi, fraudulenti. Complutenses codices habent διαβολου, diaboli, calumniatoris, delatoris, deceptoris. Talis est dolosus. Quatuor deinde affert comparationes, quibus superbos dolosos probat non esse in domum inducendos, v. 32. *Sicut eructant* (fœtidos vapores et anhelitus) *præcordia fœtentium, et sicut perdix inducitur in caveam, et ut caprea in laqueum: sic et cor superborum*, (eructat fœtida) *et sicut prospector* (Græce κατασκοπος, speculator) *videns casum proximi sui. Bona enim in mala convertens insidiatur, et in electis imponit maculam. A scintilla una augetur ignis, et ab uno doloso augetur sanguis*, hoc est, effusio sanguinis, cædes, homicidia. Hoc in Achitophele videri potest, qui Absalonem ad rebellionem contra patrem incitavit: ideo multæ cædes factæ, et in pugna ex solo eius exercitu ad viginti hominum millia perierunt, ut refert 2. Reg. 18. 7. Addit Eccles. auctor v. 35. *Attende tibi a pestifero* (Tigur. ab homine malefico. Gr. κακουργου, vafro, malitioso, qui ex malitia nocet) *fabricat enim mala, ne forte inducat super te subsannationem.* Græc. μωμον; maculam, et infamiam. Dolosos itaque fuge, ut pestes.

ARTICULUS II.

Amicitiæ mundanæ, ac præsertim aulicæ, inconstantia.

Quid in portis, muris, domibus, vicis et plateis gereretur in civitate Ierusalem, dictum est articulo præcedenti; nunc ad aulam pergit, ubi perfidiæ fuco illita amicitiam mentiebatur, sed omni inimicitia peiorem, v. 13. Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique (S. Hilarius et Cassiod. supportassem. Psalt. Rom. supportassem me) et si is qui oderat me, super me magna (id est, superba; 2. supra veritatem amplificata) locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. 58. *Vers. 13. 14. 15.*

Vers. 14. Tu vero homo unanimis (S. Hieron. et S. August epist. 48. unanimis meus) dux meus, et notus meus, supple, eras.

Vers. 15. Qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu, supple, Ideo non possum te tolerare.

Nota primo, hostium aperte irruentium insultus facilius perferuntur. Primo, quia nihil nisi hostile ab illis expectatur, ideo tela prævisa minus feriunt. Secundo, quia nos armamus in ea, quæ quotidie ab illis expectamus; occasiones evitamus, in quibus nocere possunt. Tertio, gloriæ ducitur fortiter hostibus resistere, et aspera ab iis illata fortiter sustinere. Hoc patuit, 1. in Davide ipso, qui a Semei contumeliam irrogatam patientissime tulit. Qua de re vide dicta Ps. 37. 14. Patuit 2. in martyribus, qui intortos globos virili pectore, et instar muri adamantini, perferebant, et gloriosum sibi ducebant a Dei manifestis hostibus pati. Tertullian. ad Scapulam, cap. 5. num. 1. exultans ait: *Crudelitas vestra, nostra gloria est. Vide tantum, ne hoc ipso quod talia sustinemus, ad hoc solum videamur erumpere, ut hoc ipsum probemus, nos hæc non timere, sed ultro vocare.* Quantum vero esset subeundi martyrii desiderium, postea idem declarat. Arrius Antoninus in Asia cum persequeretur instanter, omnes illius civitatis Christiani ante tribunalia eius se manufacta obtulerunt: tum ille paucis duci iussis, ait: ω δειλοι, ει θελετε αποθνησκειν, κρημνους η βροχους εχετε: *O miseri, si mori optatis, præcipitia et funes vobis abunde suppetunt;* 3. in sanctis Confessoribus quotidie elucet magnum animi robur in perferendis hostium iniuriis. Cassian. collat. 16. cap. 18. *Non esset*, inquit, *laudabilis, nec admiranda patientia, si nullis inimicorum iaculis impetita tranquillitatis portum retineret: sed in eo est præclara atque gloriosa,*

Cur facilius hostium ferunt ur iniuriæ quam amicorum? 1. 2. 3. *Martyrum fortitudo in tormentis.* *Martyrium subeundi mirabile desiderium.*

quod irruentibus in se tentationum procellis immobilis perseverat. Nam in quo vexari frangique adversitatibus creditur, in eo potius roboratur; et in eo magis acuitur, in quo putatur obtundi; 4. denique, ipsi ethnici gloriæ sibi duxerunt convicia hostium infracto et immoto animo perferre. Vespasiani præclarum dictum refert Dio Cassius, lib. 66. fol. 751. *Tu quidem*, ait, *nihil omittis, ut ego te interfici iubeam, ego tamen canem latrantem non occido.* Eloquium patientiæ a S. Zenone discamus, et menti imprimamus. Hinc enim ait serm. de patientia: *Tu quotidiana martyrum mater es et corona, tu murus fidei, fructus spei, amica charitatis.*

59. Amicorum iniuriæ moleste feruntur: 1. Quia amicitia res sacra est, quæ violari non debet. 2. Amicitiæ fructus perditus lugetur.

Nota secundo, amicorum perfidia, et ab iis illatæ iniuriæ difficulter tolerantur. Primo, quia vident qui læduntur, rem sanctissimam, nempe amicitiam violari. S. Gregor. Naz. oration. apologet. Nihil, ait, amicitia venerabilius. Aristot. lib. 9. Ethic. cap. 9. *Amicus*, inquit, *externorum bonorum maximum.* Hoc in regibus maxime verum est, quibus sincerus amicus est gemma pretiosissima: Φιλια, inquit, απαντων βασιλεως κτηματων καλλιςον και ιερωτατον, *amicitia omnium regis possessionum pulcherrima et sanctissima est.* Secundo, amicus deceptus videt se privatum maximo fructu, quem sperabat a vera amicitia. Xenophon dicit, amicum esse παμφορωτατον κτημα, *pretiosissimum prædium.* Arist. lib. 5. Ethic. cap. 3. Cum quis, inquit, amici simulatione fuerit in fraudem inductus, iustum est de illo conqueri, qui deceperit, et quidem iustius quam de iis, qui pecuniam adulterarint, quanto circa rem pretiosiorem maleficium versatur.

3. Inexpectatæ magis feriunt. 4. Gravius est vulnus commodiori loco inflictum. 5. Evitari non potest.

Tertio, amicus deceptus et iniuria affectus dolet; quia improvisum malum et inexpectatum magis ferit. Neque enim contra illud se munivit: itaque magis telum penetrat. Quarto, amicus fictus, qui in animo suo aliquem odit, melius scit locum aptum vulneri; perspecta enim habet amici negotia, affectus et inclinationes: itaque cum vult lædere, id commodius facit. Quinto, amici ficti vulnera evitari non possunt: ideo execrabilis est Reip. pestis, qui amicitiam fingit, ut lædat. Xenophon lib. 2. hist. Græc. fol. 465. inducit Critiam graviter contra Theramenem infidum et proditorem declamantem: Non solum, ait, ut hostem, sed etiam ut proditorem vestrum ac nostrum omnium, supplicio mulctari, æquum fuerit; atqui tanto, δεινοτερον προδοσια πολεμου, *gravius malum est proditio quam bellum, quanto difficilius occulta caveri possunt, quam aperta. Itidem eo maius odium meretur, quod hostes fœdera rursus ineunt, fidemque datam inter se servant: qui vero prodidisse aliquem deprehenditur, cum eo neque pacis ineuntur fœdera, neque quisquam ei deinceps fidem habet.* Petronius Arbiter in Satyrico adhuc severius de illo pronunciat:

Amicos lædens est parricida.

Qui, ait, *ignotos lædit, latro appellatur; qui amicos, paulo minus quam parricida.* Hinc vetitum est a Pellenæis, ne quis Leus vocaretur, quod Leus Agnusius eos prodidisset, conspiratione Theseo detecta, ut ait Plutarch. in Theseo. Nicetas Choniata draconibus et feris truculentiorem et magis venenatum dicit esse perfidum amicum. Sic enim

Dracone et leone peior.

ait lib. 3. *Draconem aut leonem qui videt vel audit in montibus, statim declinat, lacrymis et precibus etiam latro mitigatur: ad virum vero aliis insidiantem, qui aliud in lingua, aliud in mente habet, cavendum, magna sapientia est opus et numinis consilio.* Unde vituperat Dromi Logothetam, qui felicitati Styppiotæ invidens se amicum eius simulavit, ut eum perderet atque accusaret: *Scyphi veneno pleni oras, amicitia melle inungens.* Nullum est tanta lapidum mole compactum propugnaculum, quod igniariæ machinationis occultus cuniculus non subruat, nisi mature provideatur, et latens hostis detegatur: amicus fictus suis artibus adhuc periculosior est.

60. Amicitiæ perfectæ signa quinque:

Nota tertio, quinque perfectæ amicitiæ signa hic assignat David, ut ostendat quam acerba fuerit Achitophelis perfidia; de eo enim agi arbitror, non de Ionatha, ut perperam explicat Trevetus: nec de Ceilano populo, ut Lyranus, licet non omnino improbabiliter.

I. Voluntatum unio.

Primo igitur ad veram amicitiam requiritur voluntatum duarum consensio et unio. Ideo David dicit: *Tu vero homo unanimis.* S. Hieron. et S. August. epist. 48. legunt unanimus meus. Apollinaris ομοφρων, eiusdem mentis et sententiæ. Petavius, ομοφρονιων. Symm. ομοτροπος, eorumdem morum. Sept. ισοψυχε eiusdem animi. Amicum Horatius dixit, animæ dimidium suæ; verius est ipsa anima nostra, qua vivimus, movemur, sentimus, ratiocinamur et sumus. Amans enim magis est ubi amat, quam ubi animat. Hebr. est כערכי chcerchi, id est secundum ordinem meum, ut vertit Felix; vernacule, *de ma taille*, id est, mihi par et æqualis, ut ait Mercerus: secundum æstimationem meam, ut R. David in commentario: secundum æqualitatem meam, ut Pagninus: secundum comparationem meam, ut Arias: quem præfeci rebus meis, ut Campensis: iuxta pretium meum, ut alii. Rad. *arach*, ordinare, æstimare, rem cum re conferre. Chald. clare de Achitophele exponit: *Sed tu Achitophel, homo similis mihi.* Syr. æqualis mihi. Arabs, æqualis animæ meæ. Itaque Achitophel dicitur unanimis, 1. quia morum et studiorum habebat similitudinem. Ut enim ait Plutarchus libello de adulatoris et amici discrimine: Το μαλιςα φιλιας αρχον συνεχον και συνιςανον, *principium amicitiæ et conciliatio, in similitudine studiorum et morum maxime consistit.* Adulator illam morum et studiorum conformitatem fingit, ut placeat et ametur; 2. unanimis dicitur, q. d. Una anima. Nam, ut ait S. Ambros lib. 3. offic. cap. 16. *Quid est amicus, nisi consors amoris, ad quem animum tuum adiungas atque applices: et ita misceas, ut unum velis fieri ex duobus, cui te tamquam alteri tibi committas, a quo nihil timeas;* 3. unanimis, q. d. Unius amoris, quem præ omnibus ita diligebam, ut unus mihi esse amicus et ad animum meum et voluntatem factus videreris. Sarisberiensis lib. 3. de nugis curialium cap. 5. *Benevolentia*, inquit, *fons amicitiæ, et primus charitatis progressus est.* Fons hic non debet in plures rivos derivari, alioqui assiccatur. Arist. lib. 9. Ethic. cap. 10. *Qui multos*, ait, *amicos habent, et omnibus sese familiariter offerunt, ii nemini sunt amici, nisi civiliter, quos et placidos vocant.*

Alleg. Iudas a Christo dicitur unanimis: Primo, quia Apostolus eius erat, ut explicat S. Hilarius. Secundo, quia amicus, ut placet Nicephoro. Tertio, quia talem se esse simulabat, ut dicit Ruffinus.

Secundo, ad perfectam amicitiam requiritur intellectus 61.
et cognitionis conformitas, ut amici sibi mutuo sint lux II.
et splendor, ad viam sine periculo decurrendam in tota vita. Hinc addit David: *Dux meus.* Hebr. אלופי *alluphi*, id est, ductor meus, rector meus. Sept. ηγεμων. Apollin. καθηγητης. Alluph etiam significat præcipuum et intimum amicum, ex quo quis pendet, et cuius consilio atque auctoritate velut præeunte agit omnia; quasi doctorem dicas, ait Mercerus. Censent Hebræorum Rabbini *alluph* eum significare, qui sola corona rege sit inferior. Sed latius patet et extenditur ad eum, qui alteri sit vitæ dux, aut illi præsit. Chald. vertit, *rab de allepheta*, id est, præceptor qui me docuisti. Proprie *alleph*, est docere aliquem prima rudimenta et elementa, docere aleph, beth, ghimel, etc. quia prima littera apud Hebræos est aleph. David itaque dicit Achitophelis se veluti discipulum fuisse, eius se consiliis permisisse, eisque credidisse, sicut facit puer, qui credit doctori suo primas Grammaticæ litteras ostendenti. Achitophel enim erat avus Bethsabææ uxoris David; cum itaque David, velut avum suum, reverebatur; et ipsius consiliis duci se sinebat; cum plurimum amaret Bethsabæam, et Achitophelis ætas et ingenium eam auctoritatem roborarent, 1. Paralip. 27. 33. vocatur simpliciter *consiliarius regis.* Quanti autem fieret consilium eius, declaratur 2. Reg. 16. 23. *Consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis* (Davidis et Absalonis) *quasi si quis consuleret Deum: sic erat omne consilium Achitophel*, q. d. Omnia eius verba pro oraculis habebantur. Sciebat se homo vafer et versipellis accommodare tempori et personis, ut Davidi pio pia daret consilia; Absaloni autem impio daret impia: sic aulæ sub principibus

Intellectus conformitas.

Achitophel erat avus Bethsabææ uxoris David.

piis sunt virtutis sacraria et amicitiæ templa; sub impiis vero, sunt fidei naufragia, amicitiæ scopuli, virtutum pestes, adulationis imperia.

62. *Amicis egent reges.* Nota. Reges egent bonis et fidelibus amicis, a quibus velut oculis, auribus, manibus et pedibus regantur et adiuventur. Reges enim in aula et throno sunt cor totius regni, in quod vitales spiritus effundunt: egent amicis, ut omnes imperii sui partes etiam remotas regere possint.

I. *Quia sunt eorum aures.* Primo itaque, amici sunt regum aures, quibus subditorum negotia, afflictiones, preces audiant. Nicolaus Damascenus in Tauris affert rem notabilem: O βασιλευς, ait, αποθανοντος φιλου, η μερος, η το ολον αποτεμνει ωτων: *Rex apud Tauros, cum mortuum luget amicum, auriculæ suæ partem, nonnunquam totam aurem, abscindit*, q. d. Ego aurem meam perdidi, mortuus est amicus mihi, qui mihi fideliter omnia quæ accidebant narrabat, et consilia sua in omni occasione dabat.

II. *Quia sunt eorum oculi, lingua, manus.* Secundo, amicus est oculus, lingua, et manus amici sui: pro eo enim et ad nutum eius, videt, loquitur, et operatur. Dio Chrysost. oration. 3. de regno: *Si oculi*, ait, *et linguæ, et manus hominum, maximi facienda sunt, non solum ut lætentur viventes, sed etiam ut possint vivere:* τουτον ουκ ελαττον, αλλα μαλλον φιλοι χρησιμοι, *his non minus, sed magis amici utiles sunt. Oculis enim vix ea videre licet, quæ sunt ante pedes, per amicos autem ea etiam quæ in terræ finibus sunt, spectare possumus; 2. auribus nemo audit, nisi valde propinqua: per benevolos autem, nullius non necessariæ rei ubique gentium auditum habent; 3. lingua quidem tantum præsentibus significat; 4. et manibus, licet quis sit vehementer robustus, non maius perficiat opus, quam duorum virorum: per amicos autem potest cum omnibus colloqui, et omnia opera assequi.* Lege multa ibi ad amicitiæ laudem præclara.

III. *Quia sunt eorum pedes.* Tertio denique, amicus est etiam amici pes, ut eum sustentet atque deducat. Xenophon lib. 2. de memorabilibus Socratis: *Quæcumque*, ait, *vel manus cuique subministrant, vel prospiciunt oculi, vel aures ante percipiunt, vel perficiunt pedes: in eorum nullo amici beneficii inferior est opera.* Hoc unum accurate videndum est, ut bono te ductori committas; ne idem tibi in virtutis via accidat, quod Crasso ad Parthos pergenti, sicut refert Plutarch. in Crasso: Cum, ait, Marcus Crassus contra Parthos proficisceretur, Ariamnes Arabs Romanorum se studiosum fingens, simulansque se via compendiosissima Seleuciam Crassum perducturum, in campos vastissimos, ubi pulvere et æstu confecti ab equitatu circumdari possent, a flumine et montibus deduxit, ubi a Surena duce Parthorum victus et cæsus est. Idem prope contigit Iuliano Apostatæ, de quo vide Baronium tom. 4.

63. *Allegor. Iudas Christi dux quomodo?* Allegor. Iudas a Christo dux appellatur. Primo, quia cum cæteris Apostolis lucem veritatis populis afferret, ut ait Ruffinus. Secundo, quia dux illis erat cum iisdem Apostolis prælatus, ut placet Euthymio. Tertio, simpliciter de Christo ipso malim accipere, qui temporalia Iudæ commiserat, eiusque prudentiæ et fidelitati pleraque crediderat: pecunias enim cum asservaret, œconomus Apostolici conventus videtur fuisse.

64. III. *In amicitia requiritur familiaritas.* Tertio, familiaritas requiritur in perfecta amicitia. Hinc addit David, *et notus meus.* Hebr. מיֻדָּעִי *meiuddai*, id est, a me cognitus, speciali scilicet notitia, mihi intimus, quem præ oculis semper habeo, mihi intima familiaritate cognitus. In oculis amicorum et vultu fascinatio quædam est et vis magnetica, quæ corda cordibus illigat, atque a se divelli non patitur. Hæc amoris potentia in remotas regiones diu diffundi non potest, sed paulatim locorum disiunctione minuitur: fovetur vero colloquiis et aspectu. Magnetius vertit, *carusque sodalis.* Syr. *amicus meus.* Ad amicos, velut ad securos sæpiusque bolide tentatos portus, accedimus, ut in eorum sinu quassatas rates reficere, et corpora animosque diuturna iactatione fractos recreare possimus. S. Greg. Naz. ad S. Greg. Nyss. scribens, ait: *Amicus fidelis, protectio fortis, et munitum palatium. Amicus fidelis, cuivis thesaurus est. Amicus fidelis, hortus* A *clausus, fons obsignatus, qui opportune aperitur et communicatur. Amicus fidelis, refrigerii portus.* Hunc si prædones hostesve invaserint, ad ignotas cautes et infidam stationem, orasque importunas flectere cogimur, aut diu cum ventis saloque luctari, donec apertum nobis et tempestatibus ac barbaris clausum, receptum nanciscamur.

Si viam terrestrem inimus, amici, velut arbores vitæ, salutifero explicatu brachia expandunt, suaves ut succos hauriamus: si ipsa Hesperidum poma aurea gerant, ea in dormientis amici sinum, et non cogitantis manum, sua sponte excutiunt, ut inde ditescat atque delectetur. Multi tamen sunt, qui folia tantum verborum excidere sibi patiuntur, si vero vel ramum distringere, vel pomulum velis excerpere, deciduo te trunco et revulsa radice vix terræ adhærente, improvidum obterent. Hos in amicis non esse reponendos docet Petrus Cellensis Abbas, lib. 5. epistola 21. *Nescit*, inquit, *veræ amicitiæ naturam, qui in amore imitatur arundinem vento agitatam. Sine profunda* B *radice amicitia accidens est, non substantia: species non virtus: fœnum de tecto, quod antequam condatur, arescit.* Basilius Imperator ad Leonem filium, cap. 26. amicos negat esse eos, sed mercatores, qui utilitate amicitiam metiuntur: *Eos*, ait, *amicos veros iudica, qui te non lucri causa diligunt, sed propter ipsam amicitiæ virtutem: alia enim amicitia quæ tempori serviens deprehenditur, non tam amicitia, quam negotiatio et mercatura quædam esse cognoscitur.*

Quarto, cum ea sit mentis humanæ imbecillitas, ut angatur curis, negotiis implicetur, tristitia obruatur, contentione nimia frangatur, a seriis nonnunquam ad iocos veniendum est, et a cælestium contemplatione, regnorumque cura, ad corporis curationem et alimentum. Hoc autem suavius fieri, quam cum amicis, non potest, quorum et vultus recreent et sales reficiant. Itaque addit rex sapiens, v. 15. Qui simul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulavimus cum consensu. Nota, pro *cibos*, Hebr. est סוֹד *sod*, id est, secretum; 2. consilium; sic dictum, quod requirat secretum. Hinc S. Hier. vertit: *Qui simul habuimus dulce secretum.* Felix vero, *Qui simul edulcemus consilium.* Dices, cur igitur Sept. et Arabs vertunt, *cibos?* Resp. primo Genebrardus, eos legisse, non *sod*, sed סעד *seod*, id est, *cibum*, a Rad. *saad*, fulcire, sustentare, alere. Sed illa vox *seod.* non reperitur in Scriptura. Secundo Richardus Cenomanus suspicatur, eos legisse סוך *soch*, id est, *unctionem*, quæ accipitur pro refectione et pulmento. Sed neque hæc vox reperitur usitata. Tertio Bellarm. et Delrio putant a Sept. lectum esse ציד *tsed*, quæ vox escam significat Sed magna est distantia in lingua Hebr. inter *sod* et *tsed*, cum unum scribatur per samech, alterum per tsade, unum per iod, alterum per vau: itaque in una tantum littera, id est consonante consentiunt: et in puncto, id est, vocali totaliter differunt. Quarto itaque rectius dicetur, sensum expressum esse, non verba: vel *sod* significasse etiam cibum; sufficit enim auctoritas Septuag. interpretum, licet alius locus non occurrat sic explicatus. Arabs vertit: *Qui manducat mecum suavitatem ciborum.* Petavius, ηδειαν δαιτα, suave convivium. *Sod* itaque sumetur pro convivio secreto, et inter solos amicos facto, in quo sine timore secreta cordis aperiamus. Delrio censet esse proverbium, *qui simul mecum dulces capiebas cibos*, id est cum quo familiariter et diu versatus sum. Sicut dicitur, modium salis cum aliquo comedisse, qui diu cum eo familiariter vixit. Hinc putat *dulces* vocari cibos, q. d. Sapidos et bene conditos, tum sale materiali, sine quo pene omnes cibi sunt insipidi et insalubres: tum sale lætitiæ et gratiarum. Pythagoras dicebat, panem ne frangito, id est, amicitiam ne dissolvito. Hecuba uxor Priami exaggerans inhospitale Thracis regis facinus, qui Polydorum filium eius sibi creditum occidit, conqueritur quod communis mensæ sit oblitus. Vide Euripidem in Hecuba. Theocritus etiam de Hercule et Telamone canit: *Qui ad unam ambo semper amici cœnabant mensam.* Origen. contra Celsum libro secundo ci- 65. *Vers. 15. 1. Pars. IV. In amicitia requiritur convictus. Varietas lectionum.*

tat quemdam Iambographum alteri exprobrantem, quod salem ac mensam esset prætergressus. Erasmus Chiliad. 1. centur. 6. affert illud proverbium, *salem et mensam ne prætereas*, hoc est, ne violes amicitiæ iura. Hebræi pactum salis usurparunt pro pacto durabili et æterno. Macedones patrio ritu fœdus, quod sanctissimum ducerent, sic iniverunt, ut panem gladio divisum uterque libaret, ut tradit Curtius lib. 8. vitæ Alexandri.

Ex his collige, *cibos* de quibus hic est sermo, dupliciter accipi posse. Primo, de cibis mentis. Secundo, de cibis corporis.

66. *Amicitia affert menti delectationem.* Ac primo, de communicatione secreti explicant S. Hieron. Pagn. Arias, Campens. Flamin. et alii. Dulcedinem amicitiæ et familiaritatis in eo statuit S. Nilus, quod mentem nutriat. Verba illius habes in capitulis paræneticis: Ηδυς εκεινος ο φιλος, ψυχην διατρεφων: *Dulcis ille amicus est, qui animam pascit.* In eam mentem ivit Plutarchus libro de adulatoris et amici discrimine. Sic enim loquitur: *Evenus dicit*, ηδυσματων το πυρ ειναι κρατιστον, *omnium condimentorum optimum esse ignem: ita Deum, amicitiam vitæ admiscentem*, απαντα φαιδρα, και γλυκεα, και προσηνη, *omnia læta, dulcia, et grata ut essent amico præsente, unaque perfruente, effecisse.* Et postea: Παντων ηδιστον η φιλια, και ουδεν αλλο μαλλον ευφραινει: *Omnium rerum suavissima est amicitia, nihilque plus affert lætitiæ.* Ciborum illorum suavitatem utilitati et honestati mistam aperit Dio Chrysost. oratione de regno, ubi inter cætera hæc apte: Μονη φιλια συμβεβηκεν, απαντων μεν ειδε συμφορωτατον, απαντων δε ηδιστον: *Uni amicitiæ contigit, ut omnium sit utilissima, omniumque suavissima possessio.* S. Laurentius Iustinianus tractatu de ligno vitæ, sect. de charitate, cap. 25. *Sicut unguento, ait, et variis odoribus delectatur caro: ita boni amici consiliis, fraterna dilectione anima dulcoratur.*

67. *Convivia cum amicis sunt iucundiora.* Secundo, et maxime proprie, hic agitur de cibis corporeis. Dulces vero cibi vocantur, quia in mensa commodius, securius, iucundius et sanctius, cum amicis animus laxatur: eaque confabulatio suavior accidit omni vino et nectare. Ut enim ait Aristoteles lib. 9. Ethic. cap. 9. *Est quædam virtutis exercitatio ex convictu bonorum*, ut Theognidi placet. Plutarchus lib. 7. Sympos. quæstione 6. *Est convivium*, inquit, *communio seriorum, iocorum, actionum, et sermonum. Itaque non quivis id frequentare debent, sed* προσφιλεις και συνηθεις αλληλοις, *amicitia inter se devincti ac familiares, ut suaviter hoc fiat. Quippe cibos quidem coqui diversorum ciborum apparant, austeros, pingues, dulces, acresque inter se permiscentes. Convivium autem bonum esse nequit et gratiosum, in quod homines diversarum gentium et affectionum coniecti sunt.*

68. *Conviviis etiam abutitur hypocrisis ad scelera.* Conviviorum suavitatem et utilitatem duo eripiunt. Primo, hypocrisis. Secundo, gula.

Primo enim, aliqui utuntur conviviorum hilaritate, velut hamo, ut ad se pertractum inimicum illaqueent, et nonnunquam occidant. Sic Absalon in convivio occidit Ammonem fratrem suum primogenitum. Theodorus Lascaris Imp. Petrum Altisiodorensem; Primislaus Bohemiæ rex Bohemas Amazones, aliique multi. Conviviis mista malevolentia et malignitas explicari potest facto Emmanuelis Imperatoris Orientis: cum enim Conradus Imperator Occidentis exercitum per Græciam duceret ad expeditionem Ierosolymitanam, et iuvari se commeatu peteret, iussit farinæ immisceri gypsum, unde morbi contracti sunt in exercitu.

Conviviis etiam abutitur gula. Secundo, qui innoxii cum amicis mensas frequentant, ut plurimum ollas magis et patinas, quam amicitiam olfaciunt ac sequuntur: unde fit, ut, cum focus refrixerit, et inanis mensa siluerit, prædatricum instar volucrum, aliunde sibi prædam venentur. In aulicis hoc notavit Alphonsus rex Aragonum sapientia et acute dictis non minus, quam bello nobilis et victoriis: Is cum e Sicilia navigaret, avesque marinas circumnavigantes, ac cibum expectantes a navigantibus videret, escam in mare proiecit. Sed cum eam cerneret a volucribus illis certatim abripi, et momento illas capta præda avolare ad suos conversus, ait: Persimiles sunt his gaviis purpurati et curiales aliquot mei: simul aliquod officium aut beneficium biantes ac dimicantes invicem a me acceperunt, aufugiunt, nec revertuntur, donec necessitate premantur, ut refert Panormitanus in illius vita.

Hos patinarum liguritores digna pœna mulctabat Heliogabalus Imp. eos enim aquariæ rotæ illigabat, et cum vertigine in aquam demittebat, rursusque in aerem erigebat: sicque convolutos Ixionios amicos vocitabat, ut est apud Lampridium in Heliogabalo. Cum fortuna et pateris non pauci circumrotantur: et quo se nidor escarum verterit, eo canes culinarii cursitant.

Allegor. Christus cum Iuda sæpe communes sumpsit cibos, item Eucharistiam illi tradidit in ultima cœna. Ille est dulcis cibus et panis angelorum, habens in se omne delectamentum suavitatis: de quo vide Ps. 22. sect. ult. Quod autem Eucharistiam sumpserit, probavi Ps. 40. 10. in illud: *Etenim homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Vide illum locum. 69. *Allegor.*

Quinto denique, pietas maximum est et indivulsum amicitiæ vinculum; in eaque omnes copulari necesse est, si veræ et perfectæ amicitiæ nomen habere exoptant. Hoc cognoscens David, eos sibi amicos allegebat, quos Deo coniunctiores sentiret, id odoratus Achitophel, totum in divina rapi se mentiebatur, regemque ad sancta currentem incitabat. Hinc vers. 15. addit: In domo Dei, id est, in schola seu synagoga ubi lex audiebatur, et Deo orationes fundebantur, sed sacrificia non offerebantur, ut vult Lyranus; 2. et melius, in tabernaculo a me exstructo in Ierusalem, ubi etiam sacrificabatur ante arcam: Ambulavimus cum consensu, q. d. In rebus ad pietatem et religionem spectantibus unanimes eramus, sæpe simul tabernaculum frequentavimus ad Deum consulendum in dubiis et periculosis negotiis. Ad quæ percipienda, semper memor esto Achitophelem fuisse avum Bethsabeæ reginæ, uxoris maxime amatæ a Davide, unde eius filio Salomoni regnum dedit. 70. *Vers. 15. 2. Pars. V. Pietas præsertim in amicitia requiritur.*

Nota, pro *cum consensu*, Hebr. est ברגש *beraghes*, id est, in societate: ita R. David; coniunctim: ita Pagninus; εν ομονοια, id est, in, seu cum consensu: ita Sept. cum concordia: ita Syr. et Arabs; catervatim: ita Felix; in multitudine populi: ita R. Salomon. Secundo, *beraghes*, id est, ut vertit S. Hieronymus, *in terrore*, q. d. Cum quis terror, aut tumultus hostilis, aut inter cives oriebatur, me in tabernaculum, quod extruxi in monte Sion, tecum recipiebam ut a Deo opem et consilium obtinerem; *in strepitu*, ut Arias reddit. Rad. *ragas* significat primo congregari, convenire, coitionem facere. Itaque recte vertunt Sept. *cum consensu:* secundo, tumultuari, tumultum facere.

Nota secundo, Hebræi Doctores dicunt, inter lectum regum Iuda, et inter tabernaculum seu templum Dei fuisse tantum intermedium parietem: et Davidi nostro portam fuisse, qua ex cubiculo suo in Dei domum, hoc est, in tabernaculum a se extructum, ut ibi arcam poneret, ingrederetur: eamque clavem posteris suis reliquisse, qua usi sunt usque ad Achaz impium, qui portam illam templi clausit. Per hanc igitur portam David cum Achitophele intrabat, ut a Deo lucem peteret. Fictitiam illam pietatem in Achitophele indicant iam allata verba 2. Regum 16. 23. *Consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum, sic erat omne consilium Achitophel; et cum esset cum David, et cum esset cum Absalone.* Temere arcana mentis non effundebat; sed nonnisi, dum res ferret, consulto Deo, ut oracula edere videretur, regemque pietatis studiosum deciperet. Notus fuit in Anglia consiliarius magni nominis, qui, cum Maria regina catholica erat catholicus, fingebatque se misere devotum et pium: at succedente Elisabetha hæretica, larvam detraxit, gessitque se ut hæreticum, et catholicos persecutus est: idem tamen haberi volebat catholicus a catholicis. Cupiebat enim audire politicus, et o- 71. *David porta occulta intrabat tabernaculum.*

mnibus placere, omniumque gratiam inire. Unde cum quidam o patribus Societatis nostræ in Anglia captus ab eo secreto rogaretur: Quid transmarini et catholici principes de se sentirent, argute, sed apposite vereque respondit: Domine, ipsi asserunt te imitari orbes inferiores cælorum, qui sequuntur motum primi mobilis: sic enim te sequi nutum, motumque reginæ.

72. Regibus necessarii sunt amici pii. Nota tertio, regibus accurate providendum est, ut amicos et consiliarios habeant pios. Lampridius in Alexandro Severo monet, ideo illum tantum Imp. extitisse, quod *amicos sanctos et venerabiles* haberet, non malitiosos, non furaces, non factiosos, non callidos, non ad malum consentientes, non bonorum inimicos, non libidinosos, non crudeles, non circumventores sui, non irrisores, etc. sed sanctos.

Duplicem pœnam ponit David eorum, qui amicitia regum ad scelus suum abutantur. Primo, mortem. Secun-
Vers. 16. 1. Pars. do, infernum. Dicit enim vers. 16. **VENIAT MORS SUPER ILLOS: ET DESCENDANT IN INFERNUM VIVENTES: QUONIAM NEQUITIÆ IN HABITACULIS** (S. Hier. in congregatione. Pagnin. in societate. Arias et Felix, in habitatione) **EORUM: IN MEDIO** (Felix, in interiori. Chald. *in corporibus*) **EORUM**, q.d. In cœtibus suis, et in consultationibus secretis, nihil cogitant et quærunt præter perversitatem.

73. Mors ad impios venit. 1. velut exactor. Nota, pro *veniat*, Hebr. est futurum ישי *iasci;* igitur est prophetia, non imprecatio. *Iasci* autem significat primo, debitum exiget. Itaque ad eos veniet mors velut exactor pœnam debitam repetens: item, repetens ea quæ per amicitiam eis data sunt, et de malo usu meritum supplicium sumens. Hinc Chald. vertit, *reos peraget eos iudicium mortis.*
2. velut mola asinaria. Secundo, *iasci*, id est obruet, gravabit. Itaque mors iis erit, velut mola asinaria in aquis voluptatum sese versantes in ima deiiciens, unde emergere non possint.
3. velut fulmen. Tertio, *iasci*, id est irruet cum impetu et ex improviso veniet. Mors igitur super impios de repente veniet, velut fulmen eos in pulverem redigens. Rad. est נשה *nascia*, cum he, quod significat oblivisci; 2. mutuum accipere; 3. debitum exigere; 4. irruere; 5. obruere. Mors irruit in sui et beneficiorum a Deo acceptorum oblitos, venit cum dormiunt homines; huius rei typus est cædes nocturna primogenitorum Ægypti, et clades exercitus Sennacherib regis Assyriorum. Nota secundo, *το super* denotat mortis in eos potentiam inevitabilem; 2. genus mortis Achitophelis, qui laqueo se suspendit; et Absalonis, qui capillis e quercu pendens occisus est.

74. Moral. Triplici de causa Absalon erat morte dignus. Primo, quod in amicum peccabat. Secundo, quod in regem. Tertio, quod in patrem.

Amicitiæ violator est morte dignus. Primo enim, qui amicitiam violat, reus est mortis; quia, solem ex hominum societate tollit, et regnorum regumque maximum decus et ornamentum. Henricus Castellæ rex moriens filio dixit, ut ait Mariana lib. 18. cap. 2. hist. Hispaniæ: *Nullum neque maius, neque magis pretiosum, iusti imperii instrumentum esse, quam amicos.* Quis igitur eum morte dignum non iudicet, qui reges iis instrumentis privet, aut qui amicitia illa venerabili in contrarios usus abutatur? S. Ambr. de fide in Arrianos: *Nihil tam cogit in mortem, quam sub obtentu fidei, fidem violare.* Hoc cum aulis principum sit frequentissimum, iure illud afferas, licet paululum inflexo sensu, quod ait Petr. Blesensis, epist. 4. *Curia plena est laqueis mortis.* Cum enim scelera sceleribus plerumque innectant aulici, ac præcipue perfidiam sectentur, in laqueos funestæ mortis se suosque sæpe immittunt.

Apud Scythas ipsos morte molestius dedecus subibant, qui amicitiæ sacrosanctum nomen violarunt; omnibus enim erant execrabiles, et ab omnium cœtu expellebantur, ut testatur Lucian. in tractatu de amicitia: *Scythæ*, inquit, *nihil amicitia melius arbitrantur, neque est in quo Scythæ magis glorietur, quam in adiuvandis amicis, communicandisque rebus acerbis: quemadmodum neque probrum apud nos maius ullum, quam amicitiæ desertorem videri.* Taxaris, Scytha ibi loquitur, et pulcherrima refert exempla; quæ, si vera sunt, admiratione et imitatione sunt dignissima.

Secundo, longe maiori dignus est supplicio, qui regiam amicitiam violat, et in populi totius parentem, Dei imaginem, regni columnam atque firmamentum, vel linguam, vel manum movet, ut Absalon et Achitophel, qui Davidem e throno et urbe regia eiecerant, sicut habetur 2. Reg. 17. sed mors venit super Achitophelem, ibid. 23. et super Absalonem, cap. 18. 9. et 14. 75. Amicitiæ præsertim regi violator omni supplicio est dignus.

Tales furias e medio tollere vel hostes ipsi voluerunt. Primo, in Iudæa David noster cum iussit interfici, qui Saulem hostem suum infensissimum occiderat, aut se occidisse iactabat, 2. Reg. 1. 15. Toto septennio Isboseth filius Saulis in Davidem bellum gesserat, et illi decem Tribus subtraxerat: et tamen Baanam et Rechab interfectores eius, iussit David trucidari, eorumque manus et pedes suspendi super piscinam in Hebron, 2. Reg. 4. 12. Secundo, in Italia oderat Galbam Vitellius, et Caium Imper. Claudius. Centum tamen et viginti viros præmium sibi ab Othone ob Galbæ cædem poscentes iusto supplicio affecit Vitellius; et Chæream necavit Claudius; quod ut ait Dio lib. 60. ετολμησεν αυτοκρατορα αποσφαξαι, ausus esset principem trucidare. Tertio, in Græcia Theophilus Imper. qui Leonis Armeni occisores amare debuerat, quod patri suo Michaeli Balbo imperium, a quo deinceps accepit tradidissent: diademate tamen ornatus, nihil habuit antiquius, quam ut pestibus illis imperium expurgaret, ut Cedrenus docet. Quarto, in Perside Alexander Magnus infestis signis Darium regem tribus præliis fractum insequebatur: Bessum tamen Bactrianorum præfectum, qui Darium eumdem regem suum occiderat, captum his verbis increpat apud Curtium lib. 6. Cuius, inquit, feræ rabies occupavit animum tuum, cum regem de te optime meritum prius vincire, deinde occidere sustinuisti? Tum vocato Oxatri fratri Darii pavitantem tradidit puniendum, *ut cruci affixum, mutilatis auribus naribusque, sagittis configerent barbari, asservarentque corpus, ut ne aves quidem contingerent.* Verebatur scilicet, ne pestem varias in terras asportarent, si veneno tam pestifero se saginassent. Oxatres, et cæteri Darii consanguinei, sicut ait Diodor. Siculus lib. 17. Biblioth. omni contumeliæ et cruciatus genere in hominem grassati, και σωμα καταλιπον συγκοψαντες ταμελη διεσφενδονησαν, *corpore tandem minutatim conciso, particulas huc illuc fundis disiecerunt.* Regum interfectores puniti.

Tertio denique, Absalon omni supplicio erat dignissimus, qui patrem, et Davidem patrem et regno et vita privare volebat. Has viperas nationes omnes execratæ sunt, acerbissimis cruciatibus affecerunt. Primo, Ægyptii soliti erant liberos parricidas, καλαμοις οξεσι δακτυλιαια μερη σωματος κατατμηθεντα επ'ακανθαις κατακαιεσθαι ζωντα, *simul ac frustulatim corporis membra calamis præacutis, ad digiti magnitudinem dissecuissent, vivos super spinis cremare*, ut ait Diodorus lib. 1. ubi rationem tam acerbi supplicii reddit. Nam atrocissimum, inquit, inter mortales scelus esse iudicabant, per vim vitam illis eripere, qui vitam dedissent. Secundo, Persæ interfectorem patris credebant esse spurium: non arbitrabantur enim scelus ulli in animum esse venturum, qui ab aliquo genitus esset. Nicolaus lib. de moribus hoc tradit, εαν δε τις, inquit, πατερα κτεινη υποβλητον αυτον οιονται: *Si quis patrem interfecerit, nothum illum arbitrantur.* Hinc Solon et Romulus nullam in parricidas legem tulerunt, quod nullos fore crederent ita emotæ mentis, qui hoc molirentur. Romæ tamen fuerunt aliqui parricidæ, ut infra videbimus, et in Perside Darius natu maior Artaxerxis filius legitimo matrimonio natus, iamque regni successor a patre designatus, quinquaginta fratres nothos in parentem incitavit, neque ab eorum ullo res detecta est. Darius tamen in facinore deprehensus, et a nefario scelere prohibitus iudicum omnium sententia damnatus est, eique de more carnifex, απετεμε ξυρω τραχηλον, cervicem novacula abscidit. Alii ab ipso Artaxerxe stricto acinace percussum volunt, donec exspiraret, ut tradit Plutarchus in Artaxerxe sub finem. Tertio, Lusitani parrici- 76. Parricidæ qua pœna puniti: 1. Apud Ægyptios. 2. Apud Persas.

das, εξω ορων η ποταμων, *extra fines aut flumina*, lapidibus obruebant, ut refert Strabo lib. 3. Geographiæ. Nolebant scilicet impio sanguine terras suas incestari. Quarto denique, Macedones suorum in oculis civium saxis obterebant parricidas, teste Curtio, ut a tanto flagitio omnes avocarentur.

77. Vers. 16. 2. Pars. In infernum vivi descendere dicuntur: 1. Quia multa patiuntur in hac vita, et sunt impii. Tales sunt aulici plerique.

Secunda impiorum pœna est in infernum cadere. Unde addit David vers. 16. ET DESCENDANT IN INFERNUM VIVENTES, id est primo, in vita sua tam acerbos dolores patiantur, ut iam pœnas damnatorum pati incipiant: ita explicat Iacobus Iansonius. Vide exempla apud Bedam lib. 5. histor. Anglorum cap. 13. 14. et. 15. Aulici, præsertim impii, in animo suo has pœnas tolerant. Audiamus Petrum Blesensem Archidiaconum Bathoniensem in Anglia, ubi vixit tempore Henrici secundi regis Anglorum, cui diu familiari et administer fuit, circa annum 1177. floruit. Verba eius sunt epist. 14. in qua molestias curiæ fusissime exponit: *Pro hac*, inquit, *vanissima vanitate militant hodie nostri curiales in labore et ærumna, in vigiliis multis, in periculis magnis, periculis maris, periculis fluminum, periculis pontium, periculis montium, periculis in falsis fratribus, in mortibus frequenter, in confractione et lassitudine corporis, atque in aliis vitæ discriminibus, in quibus gloriam martyrii mererentur, si hæc pro Christi nomine sustinerent. Nunc autem sunt martyres sæculi, mundi professores, discipuli curiæ, milites herlinini: per multas siquidem tribulationes intrant iusti in regnum cælorum: hi autem per multas tribulationes promerentur infernum.*

78. II. Qui subita morte pereunt.

Secundo, *in infernum viventes descendere* est subita et improvisa morte ex hac vita eiici nullo præmonente morbo. De illis dicit Iob cap. 21. 13. *In puncto ad inferna descendunt.* Hoc accidit murmuratorum in Mosem ducibus: scilicet Core, Datan et Abiron, de quibus Numer. 16. 31. et seqq. *Dirupta est terra sub pedibus eorum, et aperiens os suum devoravit illos cum tabernaculis suis, et universa substantia eorum* (Hebr. רכוש *rechus*, id est, divitiis: inde enim *richisses* deducimus) *descenderuntque vivi in infernum*, id est, in sepulcrum, ut explicat Abulensis, sed male; nam infernus proprie dictus accipi hic debet: non quod etiam corpus eorum in illum ceciderit: probabilius enim est in via esse mortuos, et anima sola in inferos descendisse. Omnes enim resurgent in die iudicii, et omnibus semel moriendum est: illi autem nec essent mortui, nec resurgerent. Quantus porro fragor terræ disruptæ, et clamor miserorum fuerit, nemo non intelligit. S. Ambrosius epist. 82. *Immugiens terra*, inquit, *in medio plebis scinditur, aperitur in profundum sinus, abripiuntur noxii, et ita ab omnibus mundi huius ablegantur elementis; ut nec aerem haustu, nec cælum visu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulcro.*

79. Absalonis sequaces quomodo vivi in infernum descenderunt.

Nota, hæc prophetia impleta est in iis qui Davidem persequebantur a partibus Absalonis stantes. Pugna enim commissa victi sunt, perierunt ad viginti millia, 2. Reg. 18. et multo plures erant quos saltus consumpserat, de populo, quam hi quos voraverat gladius in die illa. Saltus, id est, feræ saltus, ait S. Hieron. 2. præcipitia et fossæ saltus occultæ, in quas corruerunt fugientes, ut exponit Abulensis; 3. voragines factæ per terræ motum. Nam sine ullo motu terræ et concussu montium periisse decem saltem hominum millia in saltibus vix crediderim. Tot autem sic periisse necesse est, cum viginti millia occubuerint: et quidem plures in saltu quam per gladium.

80 Aulici in altum elati sunt similes grandini et fulmini.

Nota secundo, Achitophelis ruina commode exponi potest per grandinum et fulminum lapsus. Primo enim Achitophel, et plurimi aulici, similes sunt exhalationibus ex vaporibus, ex quibus formatur grando et fulmen: nam ex vili terra et locis cœnosis atque palustribus in altum vi solis educuntur: ita David et alii reges e pulvere aulicos suos elevant in sublime. Secundo vapores illi et exhalationes in 1.
aere aliquamdiu sine noxa versantur et aulici in aulæ va- 2.
nitate nullis noxii. Tertio, vapores et exhalationes huc illuc 3
ventis agitantur; ita aulici suis cupiditatibus. Quarto, va- 4.
pores et exhalationes, quo magis elevantur, eo magis incalescunt: ita aulici, quo maioribus honoribus extolluntur,
eo maiores appetunt et minus satiantur. Quinto, vapores 5.
et exhalationes calefactæ in nubem frigidam impingunt et ab ea patiuntur: ita inter aulicos multi et magni sunt con-
flictus. Sexto, in illa vaporum et exhalationum calidarum 6
pugna nubes frangitur: ita per conflictum aulicorum tur-
batur aula, et magnos strepitus edit. Septimo denique, 7.
fulmen et grando cadunt in terram a qua educuntur: ita aulici cadentes, familiam suam infamem reddunt, et prorsus perdunt.

81. Parricidas in culeum proiiciebant Romani.

Nota tertio, descensus Absalonis in infernum exprimi utcumque potest per deiectionem parricidarum in culeum. Culeus enim Romæ erat saccus ex lino, vel cannabe, vel corio factus, sic ab occulendo dictus. In eum sanguineis virgis verberatos parricidas cum cane, simia, gallo et serpente inclusos in mare aut fluvium abiiciebant. Unde Iuvenalis in Satyra dicit:

In culeo erat canis, simia, gallus et serpens.

Quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni:
Cuius supplicio non debuit una parari
Simia, nec serpens unus, nec culeus unus.

Tullii locus illustris.

Hanc pœnam Tullius eximie amplificat in oratione pro Sexto Roscio Amerino n. 70. *Maiores nostri*, ait, *cum intelligerent, nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret audacia, supplicium in parricidas singulare excogitaverunt: ut quos natura ipsa retinere in officio non potuisset, ii magnitudine pœnæ maleficio summoverentur. Insui voluerunt in culeum, vivos, atque ita in flumen deiici. O singularem sapientiam, Iudices! nonne videntur, hunc hominem ex rerum natura sustulisse, et eripuisse, cui repente cælum, solem, aquam terramque ademerunt: ut, qui eum necasset, unde ipse natus esset, careret iis rebus omnibus, ex quibus omnia nata esse dicuntur? Noluerunt feris corpus obiicere, ne bestiis quoque quæ tantum scelus attigissent, immanioribus uterentur: non sic nudos in flumen deiicere, ne, cum delati essent in mare, ipsum polluerent, quo cætera quæ violata sunt, expiari putantur. Denique, nihil tam vile, neque tam vulgare est, cuius partem ullam reliquerint. Etenim, quid tam est commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus eiectis? Ita vivunt, dum possunt, ut ducere animam de cælo non queant: ita moriuntur, ut eorum ossa terra non tangat: ita iactantur fluctibus, ut nunquam abluantur: ita postremo eiiciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant:* Ita Tullius. Nonne est in inferos viventem descendere, in culeum iniici, et ibi a serpente, cane, simia et gallo vivum devorari? Hæc pœna erat dignus Absalon, qui Davidem patrem suum voluerat occidere.

82. Tropol.

Tropolog. S. August. dicit: *viventes in infernum descendere* eos qui scienter peccant. Verba eius sunt: Descendant in infernum viventes. Quid est viventes? Scientes quia pereunt, et tamen pereuntes. Audi viventes perire et absorberi hiatu terræ, id est, devoratione terrenarum cupiditatum absorberi; ita ipse. S. Gregor. lib. 18. Mor. cap. 9. *Viventes in infernum descendere est scientes volentesque peccare.* Nam, ut ait S. Bernardus sermon. 4. de Assumptione B. Mariæ: *Infernus quidam et carcer animæ, rea conscientia est.* Vide dicta Ps. 6. v. 6. ubi fuse probavi peccatum esse alterum infernum et mortem.

SECTIO TERTIA ET ULTIMA.

83. *Duo asseverat. Primo, se ob spem suam in Deum ab eo esse servandum hostibus prostratis, v. 17. Secundo, regno se a perfidis amicis expulsum habiturum Deum amicum illis peremptis, vers. 22.*

PARAPHRASIS.

17. *Ego autem ad Deum clamavi: et Dominus salvabit me.*

17. Suis in fallaciis et sceleribus fiduciam hostes mei reponant, ego sua spe in Deum fretus ad eum unum magna vocis contentione preces fundam: ipse vero, cum sit omnium rerum Dominus, multis implicitum laqueis expediet.

18. *Vespere, et mane, et meridie narrabo et annuntiabo: et exaudiet vocem meam.*

18. Diu noctuque calamitatem meam, hostiumque contra ius insurgentium scelera, parenti optimo enarrabo, ut pro sua pietate potestateque succurrat: neque dubito, quin iustam humilemque orationem meam sit auditurus.

19. *Redimet in pace animam meam ab his, qui appropinquant mihi: quoniam inter multos erant mecum.*

19. Vitam meam in hoc bello periclitantem liberabit ab hostibus irruentibus, et optatam pacem et tranquillitatem meam: id autem faciet, quia, qui me nunc impetunt, antea lateri meo adhærebant, cum in aula multis stipatus principibus et nobilibus florebam.

20. *Exaudiet Deus, et humiliabit illos, qui est ante sæcula.*

20. Clamantem me Deus exaudiet, eosque fastu turgidos et victoriæ certos deiiciet, ac sine ullo labore proteret: cum illi, ab ipsa æternitate, subiecta sint omnia.

Non enim est illis commutatio, et non timuerunt Deum: extendit manum suam in retribuendo.

Neque enim a præconcepto in me regem suum scelere dimoventur, aut mentem mutant: imo vero, ne Dei quidem timore tanguntur, quasi casibus omnibus superiores: ideoque dexteram fulmine armatam in nefaria capita extendit, ut meritam pœnam iis inferat.

21. *Contaminaverunt testamentum eius, divisi sunt ab ira vultus eius: et appropinquavit cor illius.*

21. Pactum Dei, quo meam in regno stabilem sedem pollicitus est, evertere et irritum reddere moliti sunt: sed Dei unius irati aspectu in fugam versi sunt et dissipati: ad me vero divinum cor paterno amore accessit: amoremque suum, brevi tempore occultum, patefecit.

22. *Molliti sunt sermones eius supor oleum: et ipsi sunt iacula.*

22. Verba, quibus præcipuus inter eos proditor Achitophel utebatur, dulciora erant super mel et favum: sagittis tamen penetrabiliora, et magis nocentia extiterunt.

23. *Iacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem iusto.*

23. Itaque spem tuam in hominibus non repone, sed in uno Deo; ipse tibi, sedulæ instar nutricis, cibos et solatia abunde sufficiet. Etsi ad breve tempus in salo fluctuantem, et cum undis ventisque luctantem iustum affligi patiatur: sinum tamen illi aperiet, et securo æternitatis beatæ in portu triumphantem et securum collocabit.

24. *Tu vero Deus deduces eos in puteum interitus.*

24. Tu autem Deus vindex plenis auratisque velis placidum mare sulcantes impios, vorticoso turbine circumactos stygis in voraginem deiicies.

Viri sanguinum, et dolosi non dimidiabunt dies suos: ego autem sperabo in te Domine.

Qui innata barbarie iustos trucidant, et subdolis artibus suas in pedicas fraudesque deducere moliuntur, immatura violentaque morte ut plurimum præripientur. Ego vero, his infami morte præreptis superstes, in te unum spes meas omnes coniiciam: pro certo confidens fore, ut te custode diu secureque in regno floream.

QUÆSTIO UNICA.

QUAM SEDULA CURA DEUS IUSTOS SERVAT ET NUTRIT.

84. Parallela huius et præcedentis sectionis. Sectione præcedenti Achitophelis, Absalonis, et aliorum rebellium scelera, et punitionem, David exposuerat. In hac autem eleganti mirabilique antithesi singula singulis opponens, Davidis ipsius, et Christi in eo figurati, iustorumque omnium securitatem explicat. Attente singula expendamus.

Primo, initio sectionis præcedentis, v. 10. prædixerat præcipitandos esse impios ob scelera et contradictionem. Initio autem huius docet, iustum se ad Deum unum convertentem illæsum esse servandum, v. 17. *Ego autem ad Deum clamavi, et Dominus salvabit me.*

Secundo dixerat, v. 11. *Die ac nocte.* inani et infrugifero circuitu impietatem mentes sceleratorum esse circumdaturam. Hic ostendit, diu noctuque iustos recto itinere in cælum evolaturos, ubi optatos thesauros reperiant, v. 18. *Vespere, et mane, et meridie narrabo et annuntiabo,* afflictionem meam Deo, *et exaudiet vocem meam.*

Tertio, docuerat vers. 11. Labore gravari iniustos. Hic pacem pollicetur iusto, vers. 19. *Redimet in pace animam meam ab his qui appropinquant mihi: quoniam inter multos erant mecum.* Impios vero ait esse proterendos a Deo

A ipso, v. 20. *Exaudiet Deus,* me clamantem et sperantem, *et humiliabit illos qui est ante sæcula.*

Quarto, ostenderat v. 12. sceleratos publice vacavisse usuræ, ut ditescerent. Hic vero docet pro fœnore pœnam iis a Deo retributam, v. eod. 20. *Non enim est illis commutatio, et non timuerunt Deum: extendit manum suam in retribuendo:* vindictam scilicet pro scelere.

Quinto, questus erat, se ab amico suo proditum, v. 13. et seqq. Nunc vero dicit eos a Deo esse divisos, et Deum se amicum ostendisse, vers. 21. *Contaminaverunt testamentum eius, divisi sunt ab ira vultus eius, et appropinquavit cor illius.*

Sexto, dixerat hunc sibi fuisse unanimem, v. 14. Nunc dicit verba eius fuisse fallacia et nociva, vers. 22. *Molliti sunt sermones eius super oleum, et ipsi sunt iacula.*

Septimo, dixerat hunc fuisse ducem suum, familiarem et convivam. Nunc asserit in solo Deo sperandum, qui nos alet, v. 23. *Iacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet.*

B Octavo denique, mortem et infernum interminatus erat impiis, v. 16. Nunc idem iterat, et iusto securitatem pollicetur, v. 23. *Non dabit in æternum fluctuationem iusto.* Et v. 24. *Tu vero Deus deduces eos in puteum interitus. Viri sanguinem et dolosi non dimidiabunt dies suos: ego autem sperabo in te Domine.*

ARTICULUS I.

Orationis vespertinæ, matutinæ, et meridianæ efficacia.

David hic duo in oratione sua fuisse dicit: Primo, ardorem. Secundo, perseverantiam. Utriusque autem fructum aperit.

85. Vers. 17. Clamoris est magna vis in oratione.

Ac primo, ardorem declarat clamor, v. 17. EGO AUTEM AD DEUM (Chald. *coram Deo.* Magna est vis orationis præsentem sibi Deum cogitantis) CLAMAVI, (S. August. exclamavi, q. d. Vehementer clamavi. Hebr. clamabo, id est, ita clamavi, ut adhuc nunc clamem, et postea clamaturus sim. Hebræi sæpe tempora permutant) ET DOMINUS SALVABIT ME, a servis mihi rebellibus. Ruffinus et Haymo, *salvavit.* Chald. verbum Domini redimet me.

86. Ad Deum est clamandum propter sex.

Nota, clamoris magna vis est in oratione. Primo, ut orantis devotionem augeat: ita S. Thom. 2. 2. quæst. 91. art. 2. Laus vocalis, inquit, ad hoc necessaria est, ut affectus hominis provocetur in Deum. Secundo, clamor orantis terret dæmones. S. Hilar. in Ps. 56. *Necesse est terreri omnem adversantem, et bellari adversus diabolum, vincique resurrectionis fide mortem, tali exultantis vocis nostræ iubilo. Sciat hoc Deo placitum esse, hoc spei nostræ testimonium, publicas victricesque exultationis nostræ voces personare.* Vide dicta Psal. 3. 4. ubi de oratione vocali agitur, et de triplici clamore: nempe cordis, oris, operis. Et Ps. 21. 2. ubi septem rationes afferuntur, cur Christus orans clamaverit. Christus clamavit in campo parabolam seminantis declarans, Luc. 8. v. 8. Secundo, clamavit in templo legem prædicans, Ioann. 7. 28. Tertio, clamavit in loco mortis, Lazarum a morte suscitans. Ioan. 11. 43. Quarto, clamavit in cruce, mortem tolerans, Matt. 27. 46. Quinto denique, clamavit in oratione, Patrem invocans, Luc. 23. 46.

Et nos ad Deum clamemus. Primo, pro sustentatione vitæ corporalis. Isaiæ 30. 19. *Ad vocem clamoris tui dabit tibi Dominus panem arctum, et aquam brevem.* Id est, dabit tibi necessaria, non superflua. Sic Pharao rex Ægypti populo clamanti dedit alimenta, Gen. 41. Et vidua Sareptana clamanti Eliæ, 3. Reg. 17. Secundo, clamemus pro liberatione pœnæ temporalis. Sic Mardochæus sciens sibi et toti populo suo paratum exitium per Aman, qui obtinuerat edictum Assueri ad occidendos omnes Iudæos, clamavit ad Dominum, Esther. 4. sicque liberationem populi sui obtinuit, et summos honores consecutus est. Tertio, clamemus pro consolatione mentis. Deus enim dicit Psal. 90 v. 15. *Clamavit ad me, et ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione.* Quarto, clamemus pro evasione pœnæ infernalis. Figurari hoc potest in Petro, qui, incipiens mergi, clamavit, Matth. 14. *Domine salvum me fac.* Quinto, clamemus pro remissione culpæ criminalis, scilicet confitendo peccata. Isaiæ 38. ait rex Ezechias: *Sicut pullus hirundinis, sic clamabo, meditabor ut columba.* Sexto denique, clamemus pro adeptione gloriæ. Ps. 56. 3. *Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi: misit de cælo, et liberavit me.* Hæc ferme Aiguanus.

87. Vers. 18. Orandum est vespere, mane et meridie.

Secundo, constantiam et assiduitatem orationis suæ declarat David, cum asserit se orare solitum vespere, mane et meridie. Sic enim ait v. 18. VESPERE, ET MANE, ET MERIDIE NARRABO (Hebr. אשיחה *asicha*, meditabor; 2. loquar) ET ANNUNTIABO (Hebr. אהמה *eheme*, resonabo: ita Hieron. strepitum faciam: ita Flamin. tumultuabor: ita Arias, id est orabo cum contentione mentis et corporis, infremam Deo enarrans afflictionem meam, et hostium meorum malitiam): ET EXAUDIET VOCEM MEAM.

Vespere, mane, et meridie possunt sumi Primo, synecdochice pro omni tempore. Secundo, præcise pro illis tribus diei temporibus, quibus et longior et certior debet fieri oratio. De singulis videamus.

I. Quidem vespere orandum est.

Primo, vespere orandum est, id est, de nocte, pro illa enim potest sumi vesper. De oratione et meditatione nocturna vide Ps. 1. 2. Vel melius, orandum est vespere, id est, in vespertino crepusculo ante noctem, in vespertino tempore ante somnum. Hoc faciebat David, ut ipse testatur Psal. 140. 2. *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Consule illum locum. Symbolice S. Isidorus explicans illud Ps. 131. 4. *Si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob,* sic ait lib. 1. de Eccl. offic. cap. 19. *Quis non stupeat tantum in Dei amore animi devotionem, ut somnum sibi, sine quo utique corpora humana deficiunt, penitus interdixerit, donec locum ac templum Domino fabricandum in pectore suo Rex et Propheta reperiret.* Ecclesia ipsa tempus illud orationi destinavit, 1. ob Eucharistiam eo tempore institutam; 2. ob passionis Christi memoriam; nam perrexit in hortum Gethsemani, et cœpit tristis esse usque ad mortem sub initium noctis; 3. ut nox consecretur Deo, et oratio sit murus contra nocturnas tentationes. Religiosos in vespertinis precibus sedulos fuisse docet Palladius hist. sanct. Patr. c. 7. Circa horam nonam, inquit, licet stare et audire in unoquoque monasterio hymnos et psalmos Christo canentes, et preces ad hymnos emittentes, ὡς νομίσαι τινὰ μετάρσιον ἐν τρυφῆς παραδείσῳ μετοικισθῆναι, *adeo ut quis existimet, se sublime elatum transmigrasse in paradisum deliciarum.* Simeon Metaphrastes tradit de S. Abercio, cum horæ nonæ absolvisset hymnos, parum panis sumere solitum. Hoc multi monachi in Ægypto et Syria faciebant: ieiunabant scilicet usque ad horam nonam; id est, ad horam tertiam post meridiem; quo tempore Christus in cruce obiit: Sæpe in multam noctem orationes protrahebant. S. Paulinus Nolanus Natali 7. sic canit:

S. Abercii abstinentia.

Sumpta dape cœpimus hymnos
Exultare Deo, et psalmis producere noctem.

88. II. Mane.

Secundo, mane orandum est. Hoc faciebat David Ps. 5. 4. *Mane astabo tibi.* Fuse de oratione matutina ibi egi. Ne tamen hinc ieiunus abeas, tibi testes orationis matutinæ a veteribus Christianis usurpari solitæ affero: Primo Philonem Iudæum, qui, ut ait Walafridus Strabo de rebus Ecclesiasticis, cap. 25. tradit, primitivam apud Alexandrinos Ecclesiam, inter alia bona hymnos antelucanos ante galli cantum celebrasse. De Essenis id dicit Philo, sed per illos designari primos Christianos censet Baronius tom. 1. anno 64. Secundo, Plinius II. ethnicus ad Traianum Imp. scribens epist. 2. lib. 10. *Affirmabant,* inquit, *hanc esse summam vel culpæ suæ, vel erroris, quod essent soliti statuto die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati denegarent, quibus peractis morem fuisse rursum coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen et innoxium.* Tertio, Ruffinus Christianos fervorem accurrentium ad orationem refert lib. 2. histor. cap. 5. Cum, ait, Valens. Imp. videret Edessæ populos Ecclesiis eiectos in campo convenire ad preces, tanta exarsit iracundia, ut præfectum suum pugno percuteret, quod non fuissent inde, sicut iusserat, deturbati. Mane processurus Præfectus, cum per urbem iam monuisset eo se profecturum, ne quis ullum periculum adiret, terrorem solito maiorem movet. Videt tamen solito frequentiorem populum tendere ad locum, currere præcipites et festinare, tamquam vererentur, ne qui deessent ad mortem. Interea videt quamdam mulierculam ita festinam et properam domo sua prorumpere, ut nec clauderet ostium; nec operire se, ut mulierum habitum decet, diligentius potuisse, infantem quoque parvulum secum trahentem, cursuque rapido, irrupto etiam officii agmine, festinantem. Tum ille ultra non ferens: Apprehendite, inquit, mulierem, et huc deducite. Cumque fuisset adducta: Quo, ait, mulier infelix properas tam festina? Ad campum, inquit, quo Catholicorum populus convenit. Et non, inquit, audisti, quia Præfectus illuc pergit, ut omnes interficiat quos invenerit? Audivi, inquit, et ideo festino, ut ibi inveniar. Et quo, inquit, par-

Fervor mirus Christianorum Edessenorum.

vulum istum trahis? Ut et ipse, ait, martyrium consequi mereatur. Quæ cum audisset vir moderatissimus, redire Officium, et converti vehiculum ad palatium iussit. Et ingressus, ait: Imperator subire mortem si iubeas, paratus sum: opus vero quod præcipis, implere non possum. Cumque edocuisset cuncta de muliere, repressit Imperatoris insaniam: ita Ruffinus.

89. III. Meridie. Tertio, meridie orandum est. Si enim sub meridiem viator labore fractus hospitium quærit, ut cibo vires reficiat: si in regionibus calidioribus tunc temporis somno nonnihil indulgetur, si oves ipsæ pecoraque umbras captant, ut se a torridi solis ardore tueantur, par est ratio ut Christianus tunc ad Deum aspiret, in eius umbra se recreet, atque in eius domo. Sponsa petebat a Sponso, id est Christo, Cantic. 6. *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum*: id est, æmulorum, et rivalium. Primo enim, orandum est meridie, ut caveamus a dæmonio meridiano, de quo vide Ps. 90. 6. Secundo, quia est media pars diei: Itaque necessarium est spiritus resumere, et vires animo addere, ut reliquum itineris alacriter decurrat. Tertio, quia ea hora Christus cruci affixus est. S. Zosimus quotidie sic orare solebat in meridie. Hoc testatur Sophronius in vita sanctæ Mariæ Ægyptiacæ. Viginti dierum, ait exigens iter, cum *sextæ horæ* (id est, meridiei) tempus advenit, stetit modicum ab itinere, et conversus ad Orientem, agebat solitam orationem. Nam consueverat in constituto diei tempore figere itineris cursum, et stans psallere, et genuflexo orare: ita Sophronius.

Nota, nonnunquam monemur *orare vespere et mane*: nonnunquam *vespere, mane, et meridie*.

90. IV. Vespere et mane orandum est. De primo, Psal. 64. 9. dicitur: *Exitus matutini* (Valentia legit, exitus matutinos) *et vespere delectabis*. Theodoretus citat interpretationem Symmachi, *progrediente diluculo, et vesperi hymnos dicent*. S. Basilius, ortus diluculi et vesperas hymnis celebrant. S. Hilarius: *Dies*, ait, *in orationibus Dei inchoatur, dies hymnis Dei clauditur*. Et S. Hieron. in eumdem Psalm. Matutinis, inquit, vespertinisque hymnis Ecclesiæ delectatur Deus per animam fidelem, quæ relicto inanium superstitionum ritu eum devote laudaverit. Vide Philonem de Essæis agentem lib. de vita contemplativa, fol. 691. Optimum et sapientissimum est Constantinopolitanæ Synodi Sextæ consilium, cap. 7. *Dicendum est illis*, ait, *ut singulis diebus, qui amplius non potest, saltem duabus vicibus oret, mane scilicet et vespere, dicens symbolum, sive orationem dominicam; sive, Qui plasmasti me, miserere mei. Vel etiam, Deus propitius esto mihi peccatori: et Deo gratias agat pro quotidianæ vitæ commeatibus; et quia se ad imaginem suam creare dignatus est, et a peccatoribus segregare. His actis, et solo Deo creatore suo adorato, invocet Sanctos, ut pro se intercedere apud maiestatem divinam dignentur. Hæc faciant, quibus Basilicæ locus est, in Basilica: qui vero in itinere, aut pro qualibet occasione in sylvis aut agris est: ubicumque eum ipsa hora matutina vel vespertina invenerit, sic faciat, sciens Deum ubique præsentem esse*. Admirationem meretur Zeno Maiumæ Episcopus. Cum enim, ut ait Nicephor. lib. 12. cap. 47. ad eam pervenisset senectutem, ut etiam centesimum annum attingeret: haud unquam neglexit aut prætermisit receptos statosque vel matutinos vel vespertinos hymnos Dei, et reliquum sacrum ministerium suum: principio psalmodiarum adesse eisque præire solitus, κατοπιν ελθειν της αρχης, nisi gravis interveniens morbus eum impedivisset. Neque ita in Deum erat absorptus, quin ovibus suis vacaret: quin etiam lineam texebat telam, qua et vitam sustentaret, et pauperes foveret: neque ab eo opere cessavit, licet ob ætatem grandiorem primas apud eam gentem inter Episcopos ferret, et maximæ Ecclesiæ præesset.

91. V. Vespere, mane et meridie orandum est. De secundo, nempe quod *vespere, mane et meridie* orandum sit, clare habet psalmus noster. Hinc Daniel ter in die orare erat solitus, obvertens se versus Ierusalem, Daniel. 6. v. 10. *Quod cum Daniel comperisset, id est, constitutam legem* (ne quis peteret rem ullam a Deo alio, quam a Dario, per triginta dies) *ingressus est in domum suam; et fenestris apertis in cœnaculo suo contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, et adorabat, confitebaturque coram Deo suo, sicut et ante facere consueverat*. Tria illa tempora Lyranus intelligit mane, meridie et vespere. S. Hieron. ibi sic ait: Daniel regis iussa contemnens, et in Deo habens fiduciam, non erat in humili loco, sed in excelso: et fenestras aperit contra Ierusalem, ubi erat visio pacis. Tria autem sunt tempora, quibus Deo flectenda sunt genua: *tertiam, sextam et nonam Ecclesiastica traditio intelligit*: ita Hieronymus. Apostoli ter in die orationem dominicam recitari præceperunt, ut docet Clemens Romanus in lib. 7. Constitut. cap. 25. Euthymius in Psal. nostr. sic ait: Tempora significat magnarum trium synaxeon, quas nos congregationes seu collectas vocare possumus: Vespertinum nimirum, matutinum, et meridianum ministerium. S. Ephrem de festis diebus et dignit. divin. myster. In Ecclesia, ait, estote assidui, nocturno, et matutino, et meridiano tempore, viri pariter ac mulieres, divites ac pauperes, servi ac liberi, senes ac iuvenes, ad divina frequentanda mysteria studiose concurrite.

Quæres, cur trium horarum ad orandum fiat electio? 92. Cur trium illarum horarum facta est electio?
Primo, ad venerationem et recordationem SS. Trinitatis. Ita Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromatum: *Triplicem*, inquit, *horarum divisionem, quæ totidem sunt honoratæ precibus, sciunt, qui norunt beatam sanctarum mansionum Trinitatem*. S. Cyprianus de oratione Dominica: *In orationibus*, ait, *celebrandis invenimus observasse cum Daniele tres pueros in fide fortes, et in captivitate victores, horam tertiam, sextam, nonam, sacramento scilicet Trinitatis, quæ in novissimis temporibus manifestari habebat. Nam et prima hora in tertiam veniens consummatum numerum Trinitatis ostendit. Itemque ad sextam quarta procedens, declarat alteram Trinitatem. Et quando a septima nona completur, per ternas horas Trinitas perfecta numeratur: quæ horarum spatia iam pridem spiritaliter determinantes adoratores Dei, statutis et legitimis ad precem temporibus serviebant: et manifestata postmodum res est, sacramenta olim fuisse, quod ante sic iusti precabantur*. Ubi adverte quod Hebræi et Romani diem in quatuor partes dividebant, quarum singulæ tres horas continebant. De illis egi alias. I.

Secundo, *vespere, et mane, et meridie* orandum est, ut tres virtutes Theologicas a Deo impetremus, et ornatum trium animæ potentiarum. Fides dici Deo consecratæ initium facit, spes progressum, exitum charitas. Intellectus matutinam lucem imbibit, voluntas meridianam ardorem, memoria vespertinam constantiam et perseverantiam usque ad finem. Cor rorem primævum auroræ hauriat; os puriorem iam aerem captet; opus in vitæ finem producatur. II.

Tertio, *vespere, et mane, et meridie* orandum est, ut nos in tres hostes nostros armemus: nempe in carnem, mundum, et dæmonem. Primum agmen aurora ducit in carnem, quam a somno excutit. Mediam aciem sol ardentior agit in mundum, qui undequaque instrepit. Postremas legiones dirigit Vesper seu Hesperugo in lucifugas cohortes dæmonis. Deus Pater labantes primos cuneos sua potestate firmat, ut primos hostium impetus fortiter ferant. Verbum æternum sapientia principem aciem illustrat, ut laqueos mundi effugiat. Spiritus sanctus extremas phalanges bonitate sua animat, ut victoriæ iam paratam palmam non deserant. Lorinus in caput tertium Actorum ait: Iudæos orasse hora sexta, id est, in meridie, quia tunc lapsus est Adam, ut colligitur ex eo, quod Dominus post meridiem venisse dicitur, ut puniret Adam. Addunt Hebræi, quia tunc perambulat dæmonium meridianum, quod hominem ad intemperantiam et choleram fervente sole sollicitat: unde in meridie Iudæi solent contra illud recitare Ps. 90. *Qui habitat in adiutorio Altissimi*, ut ab illo liberentur: scilicet ab incursu et dæmonio meridiano, ut dicitur v. 6. illius psalmi. III.

IV. Quarto, *vespere, et mane, et meridie* orandum est, ut tres in nobis ipsis enascentes concupiscentias superemus. Ut enim ait S. Ioan. 1. epist. 2. 16. *Omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.* Quod explicans S. Aug. lib. 3. de Symbolo, cap. 1. sic ait: Ad concupiscentiam carnis pertinent illecebræ voluptatum, ad concupiscentiam oculorum nugacitas spectaculorum, ad ambitionem sæculi insania superbiæ: ita August. Carnis concupiscentia vincitur oratione matutina, ut si quod nocturnum phantasma imaginationem occupavit, per diem non redeat. Concupiscentia oculorum, quæ augetur aspectu rerum in die conspectarum, vincitur oratione meridiana. Superbia vitæ vincitur vespertina oratione considerante res omnes huius mundi occidere, et honorum splendorem in tenebras mortis et inferni desinere.

V. Quinto, *vespere, et mane, et meridie* orandum est, quia tribus illis temporibus passus est Christus. Vespere enim illum Iudas reliquit, abiit ad eius hostes, cum quibus illum cepit in horto Gethsemani. Mane ductus est a Pontificibus ad Pilatum, a quo fuit condemnatus. Sub meridiem cruci est affixus. Hoc cogitent, qui audiunt quotidie signum campanæ terties dari ad orationem. S. Cypr. de oratione Dominica, dicit orandum hora tertia; quia tunc cecidit Spiritus sanctus in Apostolos; hora sexta, quia S. Petrus tunc instructus est, ut omnes ad gratiam salutis admitteret, viso illo linteo mirabili, in quo erant quadrupedia, et serpentia terræ, et volatilia cæli, quibus gentiles figurabantur, Act. 10. hora denique nona orandum, quia tunc Christus moriens peccata nostra sanguine suo abluit: et ut redimere et vivificare nos posset, tunc victoriam suam passione perfecit. S. Hieron. in cap. 6. Danielis paulo aliter: *Tertia hora,* inquit, *descendit Spiritus sanctus super Apostolos. Sexta volens Petrus comedere, ad orationem ascendit in cœnaculum. Nona, Petrus et Ioannes pergebant ad templum* oraturi scilicet de more Iudæorum; qui, ut ait Pintus, ter in die orabant: nempe hora tertia, sexta, et nona. Tertia, quia tunc data est lex in Sina. Sexta quia tunc erectus fuit serpens æneus in deserto. Nona, quia tunc petra dedit aquas in Cades. Serpens æneus, est figura Christi in cruce omnes sanantis. Ex eius latere hora nona fluxit sanguis et aqua, velut e rupe Cades; id est, sanctitatis. Lex vero nova, promulgata etiam est hora tertia, cum Spiritus sanctus in Apostolos descendit.

VI. Sexto, *vespere, et mane, et meridie* orandum est: et annuntiandum, quid a Deo acceperimus, ait S. August. in Psal. nostr. *Vespere,* inquit, *de præteritis; mane, de futuris; meridie, de sempiternis.* Ideo ad id quod ait, vespere, pertinet quod enarrat: ad id quod ait, mane, pertinet quod annuntiat: ad id quod ait, in meridie, pertinet quod exauditur vox eius. Finis enim in meridie est, sed inde non declinatur in occasum. In meridie enim lux excelsa est, splendor sapientiæ, fervor dilectionis: hæc Augustinus.

VII. Septimo, *vespere, et mane, et meridie* orandum est in memoriam Passionis, Resurrectionis et Ascensionis. Ita idem S. Aug. *Vespere*, inquit, *Dominus in cruce, mane in Resurrectione, meridie in Ascensione. Et enarrabo vespere patientiam morientis, annuntiabo mane vitam Resurrectionis: orabo ut exaudias meridie sedens ad dexteram Patris.* Christus enim vespertinis horis mortuus est in cruce, mane resurrexit, sub meridiem ascendit in cælum. S. Augustinum sequuntur Beda Remig. Haymo et alii.

93. Symbol. Symbol. *vespere, et mane, et meridie* orandum est; hoc est, ait Dionysius, in principio, medio et fine vitæ. Hugo Card. Vespere, inquit, id est, in senectute. Mane, id est, in pueritia. Et meridie, id est, in iuventute, q. d. In omni tempore vitæ meæ. Ps. 33. 1. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Secundo, vespere, id est, illis quibus sol occidit, scilicet peccatoribus. Et mane, id est, incipientibus bene agere. Et meridie, id est, perfectis. Peccatoribus, ut resiliant: incipientibus, ut proficiant: perfectis, ut perseverent. Tertio denique, A vespere, id est, in morte. Mane, id est, in generali Resurrectione. Meridie, id est, in plena Dei visione.

Quæres secundo, cur prius fit mentio vespertinæ orationis quam matutinæ? Resp. quia Hebræi legalem diem et ecclesiasticum incipiebant a vespera, sicut nunc etiam fit in Ecclesia, a primis enim vesperis dies festus initium habet. Causa autem huius institutionis est, quod post creationem cæli empyrei, terræ et abyssi inter utraque interiectæ secutæ sunt duodecim horæ tenebrarum, post quas lux creata est, et per duodecim alias horas diem effecit, post quem secuta est nox: ac post illam secundus dies, et sic de cæteris. Vel, post primam creationem secutæ sunt sex horæ tenebrarum, et lux facta est respectu nostri hemisphærii velut in meridie, ac post sex horas secuta nox est. Nam lux illa primigenia volvebatur eodem modo quo nunc sol, qui ex parte illius factus est. 94. Cur prius de vespertina oratione agitur?

Nota, apud Hebræos triplex fuit dies. Primus, usualis a media nocte ad alteram mediam noctem. Secundus, naturalis a solis ortu usque ad alterum ortum. Tertius B denique, legalis a vespera ad vesperam. Et hoc tertio utebantur in rebus sacris, ut festis, sabbatis, et aliis eiusmodi. Hinc dicit primo David se oraturum vespere, deinde mane, et meridie. Adverte autem obiter, varium fuisse apud varias nationes diei initium. Ut enim ait Clavius in cap. 2. Sphæræ: *Babylonii quos nunc imitantur insulæ Baleares, quæ dicuntur Maiorica et Minorica, diem inchoabant ab ortu solis ad alterum ortum. 2. Athenienses, quos adhuc Itali omnes sequuntur, diem numerabant ab occasu solis ad alterum occasum. 3. Ægyptii et sacerdotes Romani a media nocte ad alteram mediam noctem, quæ consuetudo adhuc in Ecclesia Romana permansit* (si ieiunia spectes, et aliqua alia: nam a vespera preces festorum dierum incipiunt) *4. Vulgus diem computat ab ortu solis ad eius occasum. 5. Astronomi a meridie ad alterum meridiem diem computant: Maluerunt autem Astronomi a meridiano circulo diem inchoare, quam ab Horizonte, quoniam sol et astra eodem semper modo se habent respectu meridiani* C *in omni regione: non autem respectu Horizontis, qui mirum in modum variatur ratione maioris et minoris elevationis poli supra Horizontem:* hæc Clavius. Nonnulla addit Alexander ab Alexandro lib. 4. cap. 20. Pervulgatum fere est, ait, Ægyptios et Athenienses diem a solis occasu facere, et ad alterum occidentem terminare: ita ut quod spatii inter duplicem occasum fuit, integrum diem putarent. Persæ et Babylonii contra: nam diem ab ortu solis incipere, et ad alterum terminari dixerunt: Umbri et Hetrusci, a sexta hora ad alterius sextam, id est, meridiem. Romani a media nocte ad mediam sequentem, ita ut quod inter duas dimidiatas noctes temporis fuit, integrum diem facerent. Vulgus omne, ab oriente luce ad tenebras. Galli et Germani ita sunt metiti diem, ut temporum spatio, non dierum numero, sed per noctium vicissitudines computarent, noctesque diebus anteferrent. Ipsi etiam noctes ante diem fuisse arbitrati sunt: ita Alexander. Nos igitur Galli dicamus cum Davide: *Vespere, et mane, et meridie, narrabo, et annuntiabo.* 95. Triplex dies apud Hebræos. Varium apud varios diei initium.

D Tertio, fructum orationis suæ et efficaciam aperit v. 19. 96. Vers. 19.
REDIMET (Psalt. Rom. liberabit. Cassiod. liberavit, q. d. Perinde sum certus de liberatione mea, quasi me iam liberaverit) IN PACE, cum pace ad pacem, ANIMAM MEAM (id est, vitam meam. Sic sæpe anima sumitur in Scriptura) AB HIS QUI APPROPINQUANT MIHI, id est, a cognatis et affinibus, ait Euth. et Nicephor. 2. ab amicis; 3. a domesticis; 4. ut ait Theodoret. ab impugnantibus, scilicet cominus et manibus consertis. Trevetus, ab accedentibus ad capiendum et occidendum. QUONIAM INTER MULTOS ERANT MECUM, id est, Deus ab illis me redimet, veluti venditum et certo pretio additum morti ab Absalone: quia, cum in aula multis stipatus eram principibus, nobilibus et aulicis, ipsi erant mecum, in mea domo versabantur frequentes, et meis sumptibus alebantur, et mecum militaverant: Itaque, Deus illos veluti proditores puniet, et me ab eorum manibus eripiet pacem reddens optatam, et

*

Vers. 20. cum pace prosperitatem. Hoc declarat magis v. 20. EXAUDIET DEUS, me clamantem, ET HUMILIABIT ILLOS, QUI EST ANTE SÆCULA. Additur in Psalt. Rom. et *manet in æternum*. Est enim Deus æternus a parte ante et a parte post. Deus porro est ante sæcula, id est, ante omnia tempora. Sic vocamus aureum sæculum, tempus illud, quo primi heroes cum innocentia et virtute vitam transigebant. Tullius in Paradoxis etiam usurpat sæculum pro tempore. Etiam, inquit, ipse fortassis in huius sæculi errore versor; 2. alii sæculum sumunt pro spatio triginta annorum; 3. alii pro unius hominis ætate; 4. pro spatio mille annorum; 5. pro centum annis ordinarie sumitur. Sic Tullius l. 2. de Oratore dicit, Numam Pompilium duobus sæculis Pythagoram præcessisse: hunc autem ait Livius vixisse ducentis annis ante Pythagoram. Hinc Horatius carmen suum quo describit sacrificia, quæ centesimo quoque anno fiebant, vocat carmen sæculare. Deus igitur dicitur esse *ante sæcula*, id est, ante omnia spatia temporalia, quæ se mutuo *sequuntur*, et numerari possunt. Rationem addit David, cur hostes sui sint humiliandi, id est, deiiciendi et proterendi. NON ENIM EST ILLIS COMMUTATIO, (S. Hieron. non enim mutantur: ET (id est, quia: τὸ *et* enim sæpe est causale) NON TIMUERUNT DEUM, q. d. Ratio obstinationis eorum in rebellione est impietas. q. d. Non modo non timent me regem suum, sed ne Deum quidem. EXTENDIT MANUM SUAM IN RETRIBUENDO, id est, reddendo illis pœnam debitam, et quidem extenta manu et erecto brachio, q. d. Graviter et severe illos puniet.

97. Oratio dat pacem animæ. Tropolog. Oratio pacem animæ impetrat, et dæmones atterit. De primo, scilicet de pace mentis per orationem obtenta, dicit S. Basilius in prœmio psalmorum. Oratio, ἐξαιρει τα παθη, ποικιλως ψυχαις εν βιω ανθρωπων ενδυναστευοντα, *omnem prorsus vitiosæ affectionis intemperiem ab animis nostris revellit ac submovet, quantiscumque modis per vitæ istius corruptam consuetudinem in animis hominum invaluerint: idque cum peramœna quadam deductione ac moderata iucunditate animorum, quæ et menti honestas inserat cogitationes.* Psalmi præsertim id efficiunt. S. Isidor. Hispal. lib. 3. de summo bono, cap. 7. *Sicut*, inquit, *orationibus regimur, ita Psalmorum studiis delectamur. Psallendi enim utilitas tristia corda consolatur, gratiores mentes facit, fastidiosos oblectat, inertes exuscitat, peccatores ad lamenta invitat. Nam quamvis dura sint carnalium corda, statim ut psalmi dulcedo insonuerit, ad effectum pietatis eorum animum inflectit.* De secundo, nempe quod oratio, ac præsertim psalmodia, dæmones fugat et prosternit, S. Basilius in prœmio psalmorum ait: ψαλμος δαιμονων φυγαδευτηριον, *Psalmus est profligandis dæmonibus ac depellendis quoddam amuletum, Angelicæ tutelæ conciliator, scutum securitatis inter timores nocturnos, diurnorum requies laborum, infantium tutelaris protectio, consistentium in ætatis flore decus et ornamentum, senum solamen, denique mundus est muliebris appositissimus.*

ARTICULUS II.

Cibos et alia necessaria providet Deus iustis; sceleratos autem punit.

98. Vers. 21. I. Pars. NON aberrarit, qui dixerit: peccatores præsertim in regem suum rebelles, esse naturæ vomicam et purulentum apostema, urbiumque et regnorum pestem, quæ omnia polluat. Unde vers. 21. ait David: CONTAMINAVERUNT (S. Aug. polluerunt,) TESTAMENTUM (Arias, pactum) EIUS, DIVISI SUNT AB IRA VULTUS EIUS, ET APPROPINQUAVIT COR ILLIUS. Hic versiculus obscurissimus est propter mutationes numeri singularis in numerum multitudinis. In Hebræo habetur in singulari, *contaminavit testamentum eius, diviserunt, sive molliverunt præ butyro os suum*, vel *os eius:* sed cum dicitur, *contaminavit*, potest exponi, *contaminavit unusquisque testamentum eius*, quod est idem cum illo, *contaminaverunt testamentum eius*.

Impii polluunt testamentum Dei, et quale? Illud etiam, præ butyro, si legatur vox Hebraica חמאות *chamahoth*, per he non per aleph significat, *præ ira*, vel *ab ira*, ut verterunt Septuaginta interpretes. Illud etiam, *diviserunt*, potest significare, divisi sunt: nam utramque significationem habet vox חלקו *challeku*. Sensus igitur hic erit: Deus iuste extendit manum suam in retribuendis suppliciis inimicis meis: quoniam illi non solum non voluerunt mutari de vitio ad virtutem: sed magis ac magis contaminaverunt testamentum, sive pactum eius, malis suis operibus: propterea *divisi sunt*, hoc est, dispersi, ac dissipati sunt ab ira vultus Dei: quia *appropinquavit cor illius:* Dei videlicet, ad eos puniendos: ita Bellarmin. et bene: sed satis non explicat, quod sit illud testamentum, seu pactum, quod contaminaverunt.

Primo, per testamentum illud intelligit Hugo Card. novum testamentum, quod contaminant, qui ab eo mundati ad vomitum redeunt et pœnitere negligunt. De iis dicit Paulus Hebr. 10. *Irritum quis faciens legem Mosi, sine ulla miseratione duobus aut tribus testibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit?* I.

Secundo, et magis ad litteram, qui explicant psalmum de Ceilana proditione, et de persecutione Saulis, dicunt: testamentum illud, seu pactum, esse iuramentum Saulis ipsius, quo sæpius pollicitus erat se non insidiaturum vitæ Davidis, quem generum sibi adoptaverat, data ei filia Michol in uxorem. Sic τὸ *eius* sumendum esset pro reciproco pronomine *suum;* quod sæpe fit in Scriptura. Utrumque patitur affixum Hebraicum. Hebræi enim uno affixo et *eius* et *suum* denotant. II.

Tertio, et melius, qui de Absalonis rebellione psalmum exponunt, testamentum seu pactum illud accipiunt de promisso Absalonis; quo, ab exilio suo triennali, in quod electus erat ob cædem Amnonis fratris rediens, se astrinxerat fore obsequentem parenti suo. III.

Quarto denique, et optime, testamentum illud seu pactum, est promissum Dei factum Davidi, de eo conservando in regno suo tota vita, et de dando regno Salomoni filio eius. Hoc pactum, seu promissum, Absalon volebat intervertere, quod esset maximus natu filiorum Davidis; Salomon vero, longe ipso iunior. Absalon natus est Davidi ex Maacha filia Tolmai regis Gessur. Hoc etiam illi animos addebat. Salomon vero, erat filius Bethsabeæ, quæ antea fuerat uxor Uriæ nobilis, sed, ne principis quidem. Adde adulterium Bethsabeæ, quod nocebat Salomoni, licet nato in legitimo matrimonio. IV.

Nota, dividuntur peccatores a Deo, a iustis, a sociis suis, et a seipsis. 99. Impii dividuntur.

Primo quidem, dividuntur a Deo, velut sole qui faciei suæ radiis et splendore vespertiliones illos fugat, et in tartari spelæa detrudit. Psal. 33. 17. *Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* Gen. 4. 14. Cain gemebundus inclamat: *Ecce eiicis me hodie a facie tua, et a facie tua abscondar, et ero vagus et profugus in terra; omnis igitur, qui invenerit me, occidet me.* I. A Deo.

Secundo, peccatores dividunt a viris iustis. Leprosi sunt contaminati, et a cœtu mundorum separati, ne illos inquinent. Lev. 13. 46. *Omni tempore quo leprosus est et immundus, solus habitabit extra castra*, vallo scilicet protectionis divinæ non sepitur. Hoc apparuit in Core, Dathan, et Abiron, qui separati a viris probis terra hausti sunt, et vivi in infernum descenderunt. Numer. 16. 26. Moses a Deo monitus præcipit Israelitis cæteris: *Recedite a tabernaculis hominum impiorum, et nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.* Statim vero ut recesserunt, terra dehiscens eos cum suis tabernaculis, uxoribus, servis, omnibusque qui cum illis erant, devoravit, solis exceptis filiis Core, qui magno miraculo servati sunt. Num. 26. 10. *Factum est miraculum grande, ut Core pereunte, filii eius non perirent.* Miraculum est, ut cum impiis præsertim parentibus, cognatis et amicis verseris; et cum illis non sis impius, et divina vindicta dignus. II. A Sanctis.

III. A sociis suis. Tertio, scelerati ab ipsis sociis suis dividuntur, sicut vulpeculæ Samsonis, variis et insanis passionibus ardentes. Clade oborta sibi quisque consuluit aliorum oblitus. 2. Reg. 5. 20. victis Philisthæis, qui in vallem Raphaim se infuderant, ovans David dixit: *Divisit Dominus inimicos meos coram me, sicut dividuntur aquæ* a seipsis, cum in scopulos incurrunt. Absalone victo, dispersi sunt hac illac perduelles, et plerique occisi. 2. Reg. 18. 8. *Fuit autem ibi prælium dispersum, super faciem omnis terræ.*

IV. A seipsis. Quarto denique, a seipsis dividuntur impii, fluctuantibus undequaque iactati motibus, et quid agere debeant nescii. Isaiæ 57. 20. *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest; et redundant fluctus eius in conculcationem, et lutum.* Naufragii tabulæ variis allisæ scopulis post inanem fluctuationem cæco undarum turbine hauriuntur. Psal. 140. 7. *Dissipata sunt ossa nostra secus infernum.* Vide ibi dicta. Si compages ossium, quibus corpus firmabatur, diffluit, reliquis quid fiet partibus?

100. Vers. 21. 2. Pars. Deus se unit Sanctis. Contra vero, Deus se viris probis coniungit atque unit, vers. eod. 21. Et appropinquavit cor illius, Dei scilicet, a cuius irato vultu divisi sunt impii. Appropinquat autem cor Dei Primo ad puniendos impios, et hic sensus est magis connexus præcedentibus. Secundo, ad se uniendum bonis. Deus enim amore summo ad pios accedit, ut vides ex vita S. Catharinæ Senensis, S. Birgittæ, S. Teresiæ, S. Eduardi, S. Francisci, S. Ignatii, et aliorum. Visio mira S. Lutgardis. Unum aut alterum refero de S. Lutgarde Virgine: cum enim assideret iuveni, qui eius nuptias ambiebat, apparuit ei Christus ea forma, qua olim inter homines versatus fuerat, *pectorique vestem suam detrahens, qua tectus videbatur, vulnus lateris ei ostendit quasi recens cruentatum, dixitque ei: Blanditias inepti amoris posthac vide ne requiras. Hic (in corde meo) iugiter contemplare quid diligas, et quamobrem diligas, hic ego totius puritatis delicias tibi polliceor obtinendas,* ut ait Thom. Cantipratensis Episcop. suffraganeus Episcopi Cameracensis, auditor Alberti Magni, et condiscipulus S. Thomæ: erat enim ex Ordine S. Dominici. Ab eo tempore sensit S. Lutgardis a se abstersam totius vanitatis caliginem. Ad rem nostram maxime facit, quod non adeo multo post idem auctor subiicit: cum enim psalterii perfectissimam notitiam impetrasset, ait: *Quorsum attinet me idiotam et rusticam monialem Scripturæ arcana nosse? At illi Dominus: Quid vis igitur? Et illa: Volo, inquit, cor tuum. Et Dominus. Quin ego potius, ait, et cor tuum. Respondit illa: Sit ita Domine, at sic tamen, ut cordis tui amorem cordi meo attemperes, et in te cor meum possideam, omni tempore tua protectione securum. Facta est igitur ab eo die permutatio cordium, vel potius unio spiritus creati et increati per gratiæ excellentiam. Deinceps enim ita Christus cordi virginis inhæsit eam communiens et protegens: ut nec tentatio carnis, imo ne turpis quidem cogitatio mentem eius, vel temporis puncto, infestarit.*

101. Cor impii in bello est perpetuo. Alii τὸ *illius* ad impium referunt vel Absalonem, vel Achitophelem, vel Iudam, eorum enim cor agitavit proditionem, licet fictis verbis fingeret, se appropinquare per amicitiam sinceram. Favent variæ versiones. S. Hier. enim reddit: *Pugnat autem cor eius.* Chald. *sicut arma bellica cor eius.* Syrus, *præ furore cordis illius.* Pagnin. *prælium cor eius.* Hebr. קרב *karab*, proprio significat appropinquare, et non reperietur sumi pro pugnare, nisi ponatur cum על *al*, id est contra, adversus: tunc enim aliquando est verbum castrense: unde cum hoc loco *al* non ponatur, mirum est tam multos a Septuag. Interpretibus recessisse, cum optime verterint, *appropinquavit cor illius.* Non est itaque necesse dicere cum aliquibus, Sept. legisse *karob*, id est propinquus, proximus, q. d. Propinquum cor eius. Sed dicendum eos legisse *karab*, sic nihil erit interserendum litteris, sed unum punctum mutandum, nisi velis dicere *kerab* significare approximationem, q. d. Approximatio cor eius, id est, cor eius approximavit, cum affectu et benevolentia, ac propensione, ad pios et iustos. Nam ut dixi melius τὸ *illius* refertur ad Deum, cuius cor

A appropinquavit ad Davidem, Christum, et iustum, velut ad amicos suos et filios afflictos, ut eis compateretur et illos adiuvaret contra hostes: appropinquat enim ad illos arma sua et milites offerens, seque ducem exercitus et pugnæ præbens, ut fecit S. Antonio et S. Catharinæ Senensi etiam cum longe abesse putaretur; 2. bello transacto ad amicos venit Deus, velut concha aperta uniones et gemmas ostentans, quas secura manu carpant et coronæ suæ intexant; 3. venit ad eos, sicut vas pretiosi balsami, quod in omnes mentis facultates effundatur, et odore repleat totam domum; 4. thesaurus est, addensatis opibus dives, quo locupletentur; 5. fons est, rupta petra exultans, quo laventur, et in laboribus refrigerentur; 6. mare est immensum gratiarum, ex quo ad libitum hauriant, quæ deinde in alios effundant.

Hypocrisin hostium suorum aperit David, ℣. 22 Molliti sunt sermones eius super oleum, et ipsi sunt iacula. S. Hieron. *Cum sint lanceæ.* Pagnin. et Felix, B gladii stricti Syr. et Arabs, cuspides. Sunt gladii ut e propinquo feriant: sunt sagittæ, ut e loco remoto. Vers. 22.

Primo, aliqui hæc ad Deum referunt, q. d. Cor Dei appropinquavit ad me, et sermones eius atque colloquia superant oleum suavitate, et tamen penetrabiliora sunt omni gladio. Ubi adverte, verba Dei conferri posse oleo, Primo, ob suavitatem. Unde dicit David ipse, Ps. 118. 103. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua.* Sunt etiam dulcia auribus. Nam ex eius ore melle dulcior fluit oratio. Sponsa id noverat Cantic. 5. 16. cum ait: *Guttur illius suavissimum, et totus desiderabilis: talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus,* q. d. Divinæ illius suavitatis radix est amor, quo me prosequitur. Secundo, verba Dei comparantur et præferuntur oleo, propter refectionem, et vim nutriendi. Ezechiel Propheta iussus est ab angelo oblatum sibi volumen comedere, et melle suavius illud reperit. Sic enim ait cap. 3. 1. *Et dixit ad me: Fili hominis, quodcumque inveneris, comede; comede volumen istud, et vadens loquere ad filios Israel. Et aperui os meum, et* C *cibavit me volumine illo: et dixit ad me: Fili hominis, venter tuus comedet, et viscera tua complebuntur volumine isto, quod ego do tibi: et comedi illud, et factum est in ore meo sicut mel dulce.* Didymus divinorum verborum vim agnoscit, cum vocat Scripturam, Dei mensam, ἡ τράπεζα, inquit, ἡ θεόπνευστος γραφή, mensa est Scriptura divinitus inspirata, cuius contemplatio et intelligentia rationalium animarum cibum continet. In psalmo nostro ubi habemus: *Qui simul mecum dulces capiebas cibos,* Symmach. vertit: Qui communicabamus, γλυκεῖαν ὁμιλίαν, *dulce colloquium.* Tertio, verba Dei præferuntur oleo, ob vim extergendi et sanandi vulnera. Sap. 16. 12. *Neque herba, neque malagma* (id est, medicamentum emolliens) *sanavit eos: sed tuus Domine sermo, qui sanat omnia.* Cant. 5. 13. *Labia eius distillantia myrrham primam.* Myrrha, ut ait, Dioscorides lib. 1. cap. 67. obtusam vocem expedit. Quarto, oleum liquoribus omnibus enatat, et vox Dei super omnes populos et scientias auditur. Psal. 28. 3. *Vox Do-* D *mini super aquas: Deus maiestatis intonuit: Dominus super aquas multas.* Quinto denique, verba Dei similia sunt oleo, quia lucem dant et nutriunt. Ps. 118. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine.* Hæc lucerna debet semper ardere in templo animæ, sicut lucerna semper ardebat in tabernaculo et templo. Exod. 27. 20. ait Deus Mosi: *Præcipe filiis Israel, ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum, piloque contusum: ut ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonii.* De nocte lucebant septem lucernæ supra candelabrum aureum positæ, de die tres tantum. Quod autem verba Dei sint sagittæ, dicitur Ps. 44. 6. *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent.* Vide illum locum, et Ps. 119. 4. et 126. 4.

102. Sermones Dei sunt oleo suaviores.

Secundo, et melius, hic locus intelligendus est de verbis Achitophelis, vel Absalonis ficta suavitate verborum imponentis Davidi, quem occisum iam optaret, cuique perniciem moliretur. De eo enim recte dicetur: *Molliti sunt sermones eius super oleum, et ipsi sunt iacula.* Sic 103. Adulatoris verba oleo conferuntur.

supra, ubi Vulgata habet, *Divisi sunt ab ira vultus eius, et appropinquavit cor illius:* per hypocrisim scilicet, non per verum amorem. Chald. leniora quam pinguedo caseorum sunt verba oris eius, et sicut arma bellica cor eius. S. Hier. Nitidius butyro os eius, pugnat autem cor illius. Pagnin. lenierunt magis quam butyrum os suum, et ad prælium est cor eius.

Nihil oleo tactu est lenius et mollius, ait Martinus Delrio adag. 71. alvum mollit, tubera et alios tumores malaxisat, aspera levigat, dolores lenit, fluit sine ullo strepitu. Plato in Thæteto, ne ictum quidem edit sonum; denique nihil illi asperum inesse. Plutarchus scribit in libello de causis naturalibus, cap. 12. adeo ut ipsum mare tranquillet, si sævienti infundatur. Unde factum, ut homines placidos, leni ingenio, ac minime iracundos, prisci *oleo tranquilliores* vocarint. Et quia oleum nitorem servat iugem, et alia nitidat, ac facit splendescere: ideo dixerunt, *oleo nitidius*, ut Proverb. 5. 4. de fallaci meretricis blandiloquentia: *oleo nitidius guttur eius.* Sic enim malo capere, quam de cutis splendore aut lenitate, aut de ornatu, ut Plautus usurpat in Truculento: Fervide ut tota floret, inquit, ut oleum nitide nitet. Metaphorice transferri solet ad blanda verba adulatorum, vel fingentium se amicos. Huc libens retulerim illud iocosum Martialis lib. 5. epigr. 74.

Narratur quidam belle dixisse, Marulle,
Qui te ferre oleum dixit in auricula.

104. Oleum ferre in auricula varie explicatum. Oleum ferre in auricula variis modis exponitur. Triplicem, ait Raderus, invenio versus huius Martialis enarrationem. Prima est Domitii, qui dicit, eum oleum in aure ferre, qui nolit alios audire, sed ipse semper loqui. Altera est adagiographorum, qui hominem rigida et supina aure dicunt notari a poeta, id est, eum qui aversetur audire, tracta metaphora a gestu eorum, quibus aliquid infusum est in aurem, ut non effluat, aurem supinant: quem gestum imitantur ii, qui fastidiunt, vel aversantur audire, quod molestum est. Postrema eorumdem, qui non negant hoc in assentatores convenire; sed legendum docent, qui te ferre oleum dixit in auriculam, non in auricula. Adulatores enim dum potentioribus placita narrant, quasi oleum auribus inferunt, et instillant: oleum enim lenit illum sensum, et alicubi læsum curat. Noster Martinus de Roa lib. 1. singularium locorum ac rerum, cap. 5. Oleum, ait, pro dolosis verbis, et voluptatem præ se ferentibus; sed revera cor, animumque vulnerantibus, et gravissimum dolorem incutientibus, usurpatur. Sic Ps. 49. 19. dicitur: *Os tuum abundavit malitia, et lingua tua concinnabat dolos,* id est, condiebat amicitiæ ac suavitatis specie: eorum instar, qui sub amaros cibos mira suavitate condiunt: non modo ut ne sentiantur, sed etiam ut commendentur. Huiusmodi verba appellabat Diogenes mellitum laqueum: ut ait Lucretius:

Sæpe etenim medio de fonte leporum
Surgit amari aliquid, quod in ipsis faucibus angat

Et quod de amore Plautus in Mostellaria: *Gustu dat dulce: amarum ad satietatem usque aggerit.* Prov. 5. 3. ait Salomon: *Favus distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur eius: novissima autem illius, amara quasi absinthium, et acuta quasi gladius biceps.* Videsne oleum, ut orationem significet, specie quidem blandam, revera aculeatam? Hanc sapiens molliores etiam sermones appellat Prov. 2. Chald. verba blanditiarum. Psal. 34. 16. *Subsannaverunt me subsannatione, et derisoriis frendent super me dentibus suis.* En, ut verba suavia nihil revera suavitatis habeant: si quidem iis frendent, iis mordent, vellicant, carpunt, vulnus efficiunt. Ita de Roa, qui addit, orationem insidiosam cum oleo comparari: quia, ut tradit Galenus lib. 2. de simplicium medicament. facult. cap. 7. mordendi pariter ac leniendi facultate præditum est. *Nam quod oculos, ait, mordicet, quod guttur exasperet, sive ad tussim provocet, quod ventrem radat, atque secessus sanguinolentos efficiat, abunde magna testimonia sunt, mordacem illi inesse facultatem. At quod ulcera dolore liberet, et ventris mordicationes aut irrigatum aut infusum omnino sanet, quæque morsu irritantur, mitiget: cum et ipsa non parva sint contrariæ ipsius facultatis indicia, plane omissa sunt:* hæc ille. Recte igitur verba lenia, sed quæ aculeos in animum defigant, cum oleo comparantur: quod, ut est apud Galenum, cutem lenit, interiora mordet. Habere autem vim maximam interius penetrandi, argumento illa sunt ex Ps. 108. *Induit maledictionem, sicut vestimentum. Et intravit sicut aqua in interiora eius, et sicut oleum in ossibus eius.* Iam vero, quod aiunt, oleum præcipue oculos mordere, cum reliquum corpus leniat, cadit optime in eamdem significationem. Nam eiusmodi genus hominum eos maxime insectatur, quos oculis coniunctiores, et vita sibi chariores esse, egregie mentitur. Sedens, inquit David Ps. 49. *adversus fratrem tuum loquebaris, et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum.* Vide a me dicta Psal. 140. 5. in illud: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* De multis dici potest illud Plauti in truculento, actu 1.

In melle sunt linguæ sitæ vestræ, atque orationes,
Lacteque: corda in felle sunt sita, atque acerbo aceto;
Et linguis dicta dulcia datis, corde amare facitis.

Videns David homines fallaces, seipsum excitat, ut iis neglectis in uno Deo spem reponat, sic se futurum securum sperans, v. 23. IACTA SUPER DOMINUM (S. Hilar. hic, et S. Ambros. in cap. 12. Lucæ, in Dominum. Si iactes super ipsum, ipse recipiet intra cor suum) CURAM TUAM (S. Leo serm. 5. de quadragesima, cogitatum tuum. Cum multa mens coagitat et versat) ET IPSE TE ENUTRIET. 105. Vers. 23. 1. Pars.

Nota, pro *curam,* Hebr. est יהב *iehab*, id est, primo donum, a Rad. *iahab*, dedit; potest autem sumi, vel active, vel passive. Active, q. d. Donum quod tu das aliis, proiice in Deum: id est fac Dei amore, et ipse te vicissim enutriet. Hinc S. Hieron. vertit: *Proiice super Dominum charitatem tuam, et ipse enutriet te.* Arias, Proiice super Dominum donum tuum, et ipse educabit te. Christus ait Luc. 6. 38. *Date, et dabitur vobis.* Vide dicta de eleemosyna, Ps. 40. 2. Passive, *iehabecha*, donum tuum: id est, tibi a Deo factum, donum quod a Deo accepisti. Unde R. David in libro Radicum exponit, q. d. Proiice super Dominum, quod dedit tibi usque ad hunc diem, proiice super illum quod opus habes, et ipse educabit te, quemadmodum hactenus fecit. To iehab, I. Est donum.

Secundo, *iehab,* multi vertunt onus, pondus: ita R. Salomon, R. Abraham, Flaminius, Campensis, qui vertit: *Reiice in Dominum sarcinam tuam; nec dubita, quin ipse perfecturus tibi sit omnia.* Felix reddit, iacta super Dominum onus tuum, et ipse sustentabit te. Onus nostrum sumus nos ipsi; 2. alia omnia nobis obvenientia. S. Augustinus quodam loco, a me alias citato dicit: Proiice te in Deum, non est tam crudelis ut se subtrahat, et te cadere permittat. II. Onus.

Tertio denique, *iehab* significat, quidquid alicui obvenit, illud omne quo affligitur. Septuag. vertunt, μέριμναν, curam, sollicitudinem, anxietatem, quæ animum in varias partes dividit. Deducitur a μερίζω, id est, divido; et νοῦς, id est, mens; sic de suo Ænea ait Virgilius, animum nunc huc, nunc dividit illuc, in partesque rapit varias. Noster reddit *curam;* sic dicitur, quod cor urat. In sollicitudine enim et anxietate cor vehementius agitatur et subsilit: sicque spiritus vitales magis incalescunt. Magnet. reddit: Sollicitas animi curas miserosque tumultus in gremium depone Dei. Tumultus dicitur, quasi timor multus. III. Quidquid alicui obvenit.

106. To iacta, notat spem esse anchoram in Deo ponendam. Nota secundo, *iacta* esse verbum nauticum, et denotare spem nostram esse anchoram, quam in medio huius vitæ mari ac tempestate deiicere debemus supra immobilem, nisi velimus magnam sentire fluctuationem, et tandem naufragium pati. Chald. vertit: *Proiice super Dominum,* סיברך *siberach*, *spem tuam.* Alii vertunt, onus tuum. Rad. *sebar*, tria significat, 1. ferre, portare, sustinere, sustentare; 2. sperare, expectare, præstolari, confidere; 3. cogitare, opinari, putare, arbitrari, existimare, iudicare. Omnia tua in Deum proiice, difficulta-

tes, afflictiones, onera, spes, opiniones, indicia, cogitationes. S. Hilarius legit: *Iacta in Dominum cogitationem tuam, et ipse te enutriet.* Non tot ex contacto per Mosem pulvere sciniphes et culices in Ægyptios involarunt: non tot Lybica in tempestate arenulæ in viatorum oculos vestesque incurrunt: non tot agitato mari periclitantem navem fluctus invadunt: quot humanæ menti obversantur curæ: quæ si leves sunt, inficiunt: si graves, mentem obruunt. Unus est Deus, ad quem undis iactati ac prope hausti adremigemus. Portus est ventis impervius, qui pavitantes excipiat. Pater est, qui securo in littore naufragis manum auxiliatricem exporrigat. Mater est, quæ aquis madefactum et frigore concretum sinu foveat. Nutrix est, quæ siti fameque enecto fœcunda ubera præbeat. Omnia unus creator est, ad quem qui confugerit, nullius rei erit indigus.

Cura importuna. Primo, si cura importuna, veluti musca impudens, quæ Abrahami sacrificium turbabat, te impedit, servum te esse proclama: reiice illam ad Dominum, qui illi imperabit ut discedat: eius enim est, familiæ suæ providere.

Cura degravans. Secundo, si cura est onerosa et degravans, proiica eam super Dominum et Deum tuum: Atlas est, qui vel universum cælum, summa celeritate rotatum, suis humeris sustineat, et quam voluerit in partem libret. Auxiliatur in periculis et rebus arduis. S. Leo serm. 5. de quadrages. *Si quis,* ait, *quid sibi impossibile aut arduum in mandatorum effectibus experitur, hortatur, ut non in se remaneat, sed ad iubentem Deum recurrat: qui ideo dat præceptum, ut excitet desiderium, et præstet auxilium, dicente Propheta, Iacta in Deum cogitatum tuum.*

Cura anxia. Tertio, si cura est anxia, est vultur tundens iecur et cor tuum, aut vermis sinum erodens, proiice eam in Dei tui manum: ibi fiet gemma, sicut accidit S. Dominico, qui vermem e mamma piæ fœminæ eductum videre cum vellet, in dextera sua miratus est versum in unionem lucidissimum; sed in sinu illius fœminæ repositus in vermem iterum versus est. Sic fiet nobis et nostris cogitationibus in Deo positis, aut ab eo remotis. Audi S. Patrum Apostolum 1. epist. 5. 7. *Omnem sollicitudinem* (nullam excipit) *vestram proiicientes in eum: quoniam ipsi cura est de vobis.* Amicus est, et consiliarius, atque patronus fidelis. S. Anacletus in epist. 2. si tamen eius est: *Quia,* inquit, *omnis homo in sua causa deficiens, et in suis hæsitans consiliis, quærit sibi amicum fidelem, in cuius consiliis confidat, qui in suis diffidebat, et talem fiduciam habet in illo, ut omne secretum sui pectoris ei pandat et aperiat. Quid dulcius est, quam ut habeas illum, cum quo omnia possis loqui, ut tecum? si ista cum hominibus fiunt, quanto magis cum Deo hoc est agendum?* Ita Anacletus.

Cura timida. Quarto, si denique est cura timida et diffidentiæ plena, serpens est venenum in animam diffundens; et omnes sæpe, quas anxii avari quærunt, facultates erodens. Si tamen in Dei sinum abieceris, in aurum vertetur, longe melius et verius quam serpens ille, quem Alecto furia proiecit in reginæ Amatæ sinum, Æneid. 7. Necessaria nobis providet Deus. Curator est annonarius, et altor providus, 2. Corinth. 9. 10. *Qui administrat semen seminanti, et panem ad manducandum præstabit.* Deus sollicitudinem omnem de cibo et veste prohibet. Nos velut milites suos cupit in hoc unum esse intentos, ut sub papilionibus in castris degamus, hostis urbes et mœnia diruamus, eum profligemus, ipsius acies fundamus, cives nostros tutemur, coronas plurimas murales, civicas, castrenses, aliasque mereamur: de cibo autem, potu, et veste studium omne suscipit, sibique ob timorem nimium præcipi dolet: ait enim Matth. 6. 25. *Ne solliciti sitis* (Gr. μη μεριμνατε, id est, ne ita anxii et solliciti sitis, ut dividamini in varias cogitationes, et curas, atque anxietates pro opibus undique congregandis, et pro cibis) *animæ vestræ* (id est, vitæ, ait S. August. vel animæ proprie sumptæ, quæ est omnis cibi sensus, gustus, et delectatio) *quid manducetis: neque corpori vestro, quid induamini.* Lege varias et pulcherrimas rationes ibi allatas. Ad rem nostram præsertim

A est, quæ datur vers. 32. *Scit enim pater vester* (Græce et Syr. additur, cælestis) *quia* (quod, quantum, et quamdiu) *his omnibus indigetis.* Luc. 12. 29. habetur: *Vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis: et nolite in sublime tolli,* μη μετεωριζεσθε, id est, nolite in meteora, et sublimia, sed aeria, vana, et sæpe noxia præsidia humana atque sublunaria respicere, quæ sæpe in ventos abeunt, aut in caput cum pernicie recidunt. S. Paulus Philipp. 4. 6. ait: *Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Psal. 22. 1. *Dominus regit me,* (Hebr. *pascit me*) *et* (id est, ideo) *nihil mihi deerit.* Vide illum locum. S. Ambr. sapienter dicit: *Indecorum est homines curare de cibo, qui militant regno: novit rex quemadmodum familiam suam pascat, alat, vestiat.* S. Gregor. lib. 12. Moral. cap. 12. dicebat: *Quid est cor hominum, nisi sacculus Dei?* Et nos dicamus. Quid est cor Dei, nisi thesaurus hominis: ex eo thesauro sine furti metu omnia hauriet.

B Si S. Cyrillus Ierosol. Episcop. κειμηλια και ιερα παραπετασματα απεδοτο, *thesauros Ecclesiæ et sacra aulæa vendidit,* ut egenis fame laborantibus subveniret, sicut tradidit Sozomenus lib. 4. cap. 24. Si Pisistratus Atheniensium tyrannus, sicut docet Athenæus lib. 12. cap. 8. fol. 532. ουδ᾽εν χωροις, ουδ᾽εν κηποις φυλακας εφιστατο, nec prædia sua, nec hortos custodibus muniebat; ut cives omnes, quæ vellent, possent decerpere (quod et Cimon imitatus est postea, sicut Theopompus lib. 10. Philippicorum prodidit) præterea domum suam, κοινην απασι, omnibus communem exhibebat, και δειπνον αει ευτελες παρασκευαζεσθαι πολλοις ανθρωποις, parata semper frugali cœna, quæ multis hominibus satis esset, ut tenuis fortunæ cives atque inopes accedentes et ingressi cœnarent. Si, inquam, hæc fecerunt S. Cyrillus, Pisistratus tyrannus, et Cimon, quid faciet Deus, cui nihil deperit, cum omnia dederit? 107. Sanctorum liberalitas.

Ut Dei liberalitas, providentia, et cura, quam de suis habet, magis appareat; atque ut intelligamus quantum C ei sit confidendum, varios hominum status decurramus, ut sic aperte pateat Deum omnibus providisse, et necessaria suppeditavisse, 1. Pontificibus; 2. Patriarchis; 3. Cardinalibus; 4. Archiepiscopis; 5. Episcopis; 6. Sacerdotibus; 7. Abbatibus; 8. Eremitis; 9. Inclusis; 10. Religiosis variorum ordinum; 11. Imperatoribus; 12. Regibus; 13. Nobilibus; 14. Advocatis; 15. Mercatoribus; 16. Agricolis; 17. Martyribus. 108. Deus necessaria providit omni hominum generi.

Primo enim in S. Gregorio Papa amor eximius pauperum eluxit, et Dei erga S. Gregorium summa magnificentia. Unum refero ex Ioanne Diacono in eius vita: *Angelus,* ait, *vestem indutus naufragi sanctissimo illi viro* adhuc Abbati se obtulit, petiitque sibi in summa inopia succurri: statim imperavit petenti sex dari nummos: eadem die angelus eodem naufragi habitu rediit, et gravem se iacturam fecisse questus est, subsidium vero leve accipere: tum vir pius sex alios nummos erogari iussit: tertia die ille ipse angelus opem iterum implorans reversus est: cumque exhausta omni pecunia et vestibus anxius D Gregorius doleret indonatum dimitti, scutellam argenteam dono sibi a Sylvia matre missam largitus est. Aliquo tempore interiecto factus est Pontifex Maximus, tum duodecim pauperibus peregrinis, quos alere quotidie consueverat, decimum tertium se angelus adiunxit: monuitque eum ob rem ipsum creatum esse Papam, quod tam liberaliter scutellam donasset, deinde se illi tota vita custodem esse additum. Hæc ut sanctus vir audiit, statim in faciem corruens exclamavit: *Si propter pusillum meæ parvitatis munusculum, tanta mihi retribuit omnipotentissimus Dominus: ut et Pontificem me sanctæ suæ Ecclesiæ faceret, et custodem mihi suum angelum deputaret: quanta putem mihi restitui, si in præceptis eius totis viribus permanens plura studuero de pluribus erogare?* I. Summis Pontificibus.

Secundo, si Patriarchæ Alex. S. Ioannis cognomento Eleemosynarii, liberalitatem et pietatem erga pauperes attenderis, possis credere misericordiam e cælo devolan- II. Patriarchis.

Mira liberalitas S. Ioan. Eleemos. tem in terras humana forma cum hominibus conversari. Tantam vero de Dei erga munificos effusa liberalitate conceperat, ut, teste Leontio Episc. Neapolitano in eius vita, diceret: *Persuasum habeo, quod etiamsi contingeret universum mundum venire simul Alexandriam, egentem beneficentia, hos Dei thesauros nequaquam in angustum redegerit.* Plurima exempla ibi lege.

III. Cardinalibus. Mira S. Caroli Burromæi charitas. Tertio, vix maiorem ullius Prælati charitatem erga sibi a Deo concreditas oves reperies, quam S. Caroli Borromæi Cardinalis et Archiepiscopi Mediolanensis eluxit pestis tempore, quæ ea in urbe dirissima grassata est: omnia enim sua distribuit pauperibus, ipsaque peripetasmata quibus parietes vestiebantur, tapetes quibus mensæ sternebantur, stragula et alia quæ prorsus necessaria non essent: atque ne servi aliquid holocausto illi subducerent, cellas ipse invisebat, atque scrutabatur. Exhaustus multam fœnore accepit pecuniam, quæ nonnisi ex insequentium annorum fructibus solvi posset: quin ea ipsa quandoque penitus defuit, ut ait Carolus a Basilica Petri, Generalis Congregationis Canonicorum regularium S. Pauli, et postea Novariensis Episcop. in eius rebus gestis: sed Deus servo suo non defuit. Subdit enim: *Cum nihil suppeteret, unde necessaria emerentur, et nox iam esset, magnum pecuniæ numerum pro consueta in eleemosynis dandis magnificentia, Cusani fratres Pomponius et Augustinus misere;* Quid autem illis Deus rependerit, in sequentibus attende; additur enim: Ob illam præclarasque alias virtutes, Augustinum in sacrosanctum Ecclesiæ Catholicæ Senatum cooptatum, non solum Mediolanensis, sed Ecclesia quoque lætatur universa. Non modo cives, sed exteri etiam multi mittebant ad Carolum ea quæ pauperibus dare statuerant; sciebant enim optime omnium illa distribuere.

IV. Archiepiscopis. Quarto, non conquiram aliunde Archiepiscopos, quam a Campaniæ nostræ Metropoli, cum S. Remigius Remensis civitatis Archiep. et totius Franciæ Apostolus, ad illustria virtutum omnium exempla sufficiat. Cum ad sobrinam suam multis comitatus divertisset, neque vini satis suppeteret, vir Dei ad cellarium descendit, clausoque ostio orationem fudit: tum tanta copia dolium vino repleri cœpit, ut per superius foramen in pavimentum difflueret, deinde ad sobrinam rediens, ait: *Filia, noli tristari, sed spera in Domino, et fac bonitatem, et pasceris in divitiis eius. Habes nunc vinum, lætemur et exultemur in Domino;* id refert Hincmarus eiusdem Sedis Archiep. in eius vita.

V. Episcopis. Quinto, S. Arnulphus Suessionensis Episcopus panibus quinque, et quinque parvis vini mensuris septingentos homines abunde refecit, ut ait Lisiardus Episcop. Suessionensis, in vita. S. Bonifacius Episcop. Ferentinus iussit omnia dolia parari, cum paucissimi essent in vinea racemi, quos ad torcular ferri iussit, vinumque exprimi: tum exclusis omnibus cœpit aliquantulum in dolia singula infundere, *ut ex eodem vino omnia vascula vix infusa viderentur:* postea imperavit, ut pauperibus liber aditus fieret: *Tunc cœpit vinum in calcatorio crescere, ita ut omnia quæ allata fuerant pauperum vascula impleret.* Deinde cellam vinariam occlusit, et post diem tertium *omnia dolia plena* sunt reperta, ut refert S. Greg. lib. 1. Dialogor. cap. 9.

VI. Sacerdotibus. Sexto, in carcerem S. Benignus sacerdos ab Aurelio coniicitur, et duodecim canes ferocissimi, fame sitique enecti, cum sanctissimo Presbytero includuntur: sed mansuescunt canes, Angelusque subulas e manibus, plumbumque e pedibus excussit, ac *panem cælestem ei præbuit.* Post sex dies ergastulum aperiri iubet Aurelius, vegetum atque a plagis sanatum reperiit.

109. VII. Abbatibus. Septimo, cum die ipso Paschæ nec panis, nec oleum, nec quidquam aliud esset in S. Theodosii Abbatis monasterio; adeo ut panis ad ipsum sacrificium deficeret, religiosi tantam inopiam querebantur. Tum ait vir sanctus: *Parari oportet sacram mensam, reliquorum autem nihil ulli curæ sit.* Sole iam terram relinquente accedit par mulorum, per quos afferebatur sarcina variorum alimentorum, neque aberat sacræ mensæ panis, ut dicit Cyrillus

A historicus in eius vita. Alias quoque Deus miro illi modo providit: cum enim summa esset monasterii penuria, murmurantes discipulos hoc monito compescuit: *Quis ex iis, qui in Deo confisi sunt, omnino est derelictus? Aut quis, qui ipsum ad finem usque sustinuit, non accepit consolationem? Qui inebriat omnem sitientem animam. Hæc nobis cum dicat Ieremias cap.* 31. *Et omnem esurientem implet animam. Qui præparat corvis cibum, et pullis corvorum, ut Iob quoque et divinum David introducam simul loquentes. Cognoscamus quantum interest inter humanum studium et divinam providentiam, quæ pertingit usque ad extrema: et sciemus, quemadmodum iis etiam, quæ propter Christum lubenter reliquimus, divina prorsus providentia abunde et copiose fruimur.* Vix hæc dixerat, cum quidam apparuit ducens animal onustum. Ibat autem non ad magni Theodosii monasterium, sed alio pergere destinarat. Ubi vero accessit, vel invitum virum sistit iumentum immobile: ideoque Dei perspecta voluntate cibos illos omnes sancto Abbati elargitur: hæc ibi.

B Quadringenti Armenii ad Lauram ex itinere diverterant, ubi S. Euthym. Abbas sanctitate florebat: evocato Domitiano, cui domus cura erat demandata, imperat ut eis mensam apponat. Tum ille querulus asserit ne unius quidem diei habere se alimentum: cui pius vir Deo fretus demandat, ut ad cellam penariam properet: *Scies,* inquit, *quid sibi quidem volunt humanæ cogitationes, quid autem divina possit gratia dispensare ac providere præter opinionem. Ille vero statim cum cessisset, invenit divina quadam et sapiente providentia domum pane adeo plenam, ut ne facile quidem esset parum aperire ostium; ut quod prohiberetur propter eam, quæ intus erat, multitudinem.* Fracto cum aliis ostio maximam panum multitudinem reperit, magnam quoque vini et olei copiam. Tum sanctus Abbas Domitiano ad pedes accedenti inquit: *O fili, qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus quoque metet. Qui itaque accedentibus commune tectum præbent et salem, imprudentes sibi potius comparant copiosam sustentationem: ut qui non tantum dent, quantum accipiunt.*

C Cum S. Philibertus Abbas egenis plurima distribueret, panis defuit ea hora, qua necessitas edendi erat. Fratres spe divina animat, monetque Dei promissum esse, non afflicturum Dominum fame animam iusti. Ecce autem repente adest Francus quidam *septem panes et sex farinæ sata* afferens. Ea re corroborati fratres, et sibi inde satis accepere alimoniæ, et adventantibus hilariter obtulere, ut est in vita eius scripta ad Coschinum Abbatem et fratres Gemmeriensis cœnobii. Mitto S. Gerardo Abbati Broniensi piscem ab ave delatum, cum sibi subdita visitaret monasteria, ut ait Surius 3. Octob. S. Amatum Abbatem monasterii S. Romarici aquam e rupe, quam baculo percussit, eliciusse, miseratum fratrum incommoda, qui subiectis e vallibus eam baiulare cogebantur, ut in eius vita habetur. Mitto S. Basolum precibus fontem elicuisse in montis vertice, ut dicit Flodoardus lib. 2. hist cap. 3. Sileamus etiam S. Carilephum presbyterum et monachum

D fodientem terram cum fratribus, qui se illi adiunxerant: magnum auri pondus eo ipso in loco reperiisse, in quo templi fundamenta erant iacienda, statimque exclamavisse: *En quantum nobis præstitit Deus noster, ut viri iusti in nobis vaticinium compleatur, ita dicentis: Habebimus multa bona, si timuerimus Deum.* Illud porro aurum pauperibus distribuit atque peregrinis, ut refert Surius in eius vita, die prima Iulii.

Octavo, S. Honufrius qui sexaginta totos annos in solitudine sine ullius hominis conspectu transegerat, S. Paphnutio narravit, quotidianum sibi ab Angelo allatum fuisse cibum, et parum aquæ, palmam vero quotannis, duodecim spathas, id est, ramulos ex quibus palmæ dependent, sufficisse, adeo ut in menses singulos satis esset, hæcque cum herbis solitudinis sibi facta esse melle dulciora. His autem subdidit dignum tanto viro acroama: *Si ergo, O frater Paphnuti, feceris voluntatem Domini nostri, ab eo tibi providebitur. Dicit enim in sancto suo Evangelio. No-* 110. VIII. Eremitis.

lite esse solliciti quid comedatis, aut quid bibatis. Dominus enim et pater vester, qui est in cælis, novit quoniam opus habeatis. Petite ergo primum regnum Dei, et iustitiam eius, et hæc omnia adiicientur vobis.

Cum S. Mamantem Martyrem ab igne et lapidibus illæsum Aurelianus iussisset in mare deiici, angelus humana apparens forma terrorem incussit iis quibus id erat in mandatis, illisque dispersis Martyrem duxit ad montem, ubi quadraginta dies ieiunus perstitit, Mosis instar. Templum ibi construxit, omnesque feras ad se ultro confluentes mulsit: ex eorum lacte caseum conficiebat, partemque sibi reservans, partem distribuebat egenis cum Cæsaream petebat, ut ait Simeon Metaphrast. 17. Augusti.

IX. Inclusis. Nono, S. Moneguudis Inclusa, quæ ob Dei amorem tuguriolo vili se incluserat, dies quinque sine cibo et potu persliterat, cum opem a Deo in tanta necessitate peteret, nix e cælo delapsa est, quam expressit in aquam et solito more panem confecit, sicut tradit S. Greg. Turon. lib. de vita Patrum, cap. 19.

111. X. Religiosis omnium Ordinum. Decimo, religiosis omnia sua relinquentibus, ut Deo uni serviant, specialiter providet Deus. Ordines aliquot religiosorum percurramus.

I. Benedictinis. Primo, S. Benedicto et religiosis eius succurrit Deus. S. Greg. lib. 2. dialog. cap. 21. id testatur. In Campaniæ regione, inquit, fames incubuerat, magnaque omnes alimentorum indigentia coangustabat. Iamque in Benedicti monasterio triticum deerat. Panes vero pene omnes consumpti fuerant, ut non plusquam quinque ad refectionis horam fratribus inveniri potuissent. Cumque eos venerabilis pater contristatos cerneret, eorum pusillanimitatem studuit modesta increpatione corrigere et rursum promissione sublevare, dicens: Quare de panis inopia vester animus contristatur? hodie quidem minus est, sed die crastina abundanter habebitis. Sequenti autem die ducenti farinæ modii ante fores cellæ in saccis inventi sunt, quos omnipotens Deus, quibus deferentibus transmisisset, nunc usque manet incognitum. Quod cum fratres cernerent, Domino gratias referentes, didicerunt iam de abundantia, nec de egestate dubitare: ita ibi. Ionas Abbas in vita S. Columbani dicit, quod, cum Winicosus eum increparet, quod tantæ religiosorum multitudini frumenta non conquireret, respondit: *Si rite conditori suo deserviant plebes, nunquam per ævum esuriem scient.* Sic enim præcinentis vox Psalmographi concelebrat Ps. 36. *Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.* Perfacile frumento horreum replebit, qui de quinque panibus quinque millia hominum satiavit. Cum ibi noctem illam Winicosus traduxisset, viri Dei fide et oratione, *horreum repletum est*, quod ille demiratus divinam erga suos bonitatem collaudavit. Aquam quoque e saxo precibus elicuit: ita Ionas.

II. Ordinibus Mendicantium. Secundo, ordines Mendicantium iuvit Deus singulari modo: nec sine causa. Sunt enim quatuor Ecclesiæ columnæ, quæ Ecclesiam sustentarunt contra hæreticos, schismaticos, et sceleratos. Singulos lustremus.

Augustinianis scilicet. Cum S. Ioannes Prior Monasterii Bridlingtoniæ Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini in Anglia, vidisset in granario perparum esse frumenti, quod fratribus sufficere non posset, ait ad ministros: Frumentum illud diligenter asservate, cui Deus larga manu addat benedictionem suam, et illud augeat et multiplicet. Non fuit inanis tanti viri deprecatio, *frumento illo in tantum aucto, ut decem partibus priorem mensuram superaret.* Eodem pacto postea frumentum est auctum. Id habetur in M.S. codice.

Dominicanis. In S. Dominici vita, quam conscripsit Theodoricus de Appoldia habetur lib. 3. cap. 4. illustre exemplum. Cum, inquit, Ioannes Calaber et Albertus fratres Dominicani toto die nihil præter panem unicum invenissent, angelus in forma viri candidi et pulcherrimi enixe eleemosynam ab illis petiit, cui urgenti panem illum quem solum referebant, dederunt, isque mox ab iis disparuit. Reducibus domum gratulatur S. Dominicus, aitque: Angelus Domini is fuit, *et Dominus pascet servos suos,* eamus oratum. E-

A gressus ab Ecclesia, iussit fratres ad prandium adesse. Quibusdam dicentibus, frustra illos conventuros, cum nihil esset, quod posset apponi: ille sciens, quid facturus esset Deus, *Dominus*, inquit, *pascet servos suos*. Instructis mensis, et scyphis appositis dato signo ingressi sunt fratres refectorium, et sanctus vir mensis benedixit. Cunctis sedentibus legit ad mensam F. Henricus Romanus. Porro vir Dei Dominicus iunctis manibus cœpit orare ad mensam. Ecce vero duo formosissimi adolescentes in medio refectorio apparuere, *panes candidissimos* ferentes, et ab infimis incipientes fratribus, singulis singulos apponere panes, unus a dextris, alter a sinistris. Ubi ad beatum Dominicum ventum fuit, illi quoque panem præbuere, et submissis capitibus, ab eorum oculis ablati sunt. Dixit autem vir Dei: Comedite nunc, fratres, comedite panem, vobis missum a Domino. Deinde ait ad illos, qui mensis ministrabant, ut vinum afferrent. Illis dicentibus se nihil vini habere, vir Dei plenus Spiritu sancto: Ite, inquit, ad dolium, et de vino in illud a Domino infuso nobis haurite.
B Inveniunt illi dolium optimo vino redundans, fratribusque apportant, dixitque beatus Dominicus: Bibite, fratres, vinum vobis a Domino donatum. Comederunt itaque et biberunt die illo, et sequenti. Tertio die post sumptum cibum quidquid fragmentorum superfuit, iussit sanctus Pater dari pauperibus, nec quidquam inde voluit reservari. Postea hortabatur fratres spem suam in Domino collocare; nec in ulla necessitate de illius benignitate diffidere, usus apud eos concione egregia.

Alio quodam tempore Procurator fratrum eiusdem domus, indicavit sancto viro, deesse panes. Ille iucundo spiritu benedixit Deum, et exiguum illud quod supererat, iussit particulatim mensis apponi. Erant tum in monasterio fratres plus minus quadraginta. Fratres ad signum datum ingressi refectorium, post benedictionem singuli buccellas sibi appositas cum gaudio frangunt, moxque duo iuvenes eiusdem et formæ et habitus, in refectorium multos panes important, iisque beato viro tacite oblatis, su-
C bito recedunt, nec sciri potuit quinam fuerint. Tum vir sanctus ad omnes manus extendens: Iam nunc, inquit, fratres comedite: hæc ibi.

S. Vincentius Ferrerius quindecim panibus supra duo hominum millia pavit, sex hominum millia vinum ab eo oblatum biberunt, nec fuit diminutum, ut ait Ranzanus in eius vita.

S. Franciscus cum sociis versus vallem Spoletanam iter faciebat, cumque fatigati quiescerent, panem angelus attulit, subitoque disparuit, ut refert S. Bonaventura in vita. Multa exempla providentiæ Dei erga alumnos S. Francisci profert Lucas Waldingus in Annalibus Fratrum Minorum. Unum aut alterum referam ex tom. 1. anno 1234. numero 14. pag. 518. Duo, inquit, Fratres Minores per inculta et deserta iter habentes queruli famescebant, donec in aperta planicie adolescens occurrit, causam mœstitiæ petens. Rem aperientibus, et velut irritæ promissionis Deum accusantibus, dixit, ut sederent et patienter Franciscanis.
D ferrent: deinde ad eos rediens recentes panes attulit tam suaves ut obsonio non indigerent. Deinde eos suaviter increpavit, dicens: *Non esse Christianum de eius auxilio desperare, qui dixit* Ps. 54. *Iacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet: et, Non dabit in æternum fluctuationem iusto: et qui prohibuit ne Evangelici viri quidquam ferrent in via. Illis, ait, deerit, qui ad futurum non credunt: neque tenetur iis adesse, qui provisurum non sperant, nec credunt:* ita ibi. Angelum quis fuisse dubitet, qui hæc dixit et fecit. Alterum exemplum est in eadem pag. 528. Tyroni, ait, Senas, summa hyeme pergenti, ac per medias nives eunti, fameque prope enecto, in ipsa nive oblatus est panis albissimus et calidus, quo abunde famem dispulit, mediamque partem servavit, ut fratribus Senensibus ostenderet: sed cum vellet extrahere, sensit mirabiliter evanuisse.

Illustre est, quod S. Alberto Ordinis Carmelitarum contigit. Cum enim Robertus rex Neapolitanus Messanam Carmelitis.

obsideret, ac fame urbs premeratur, primores ad S. Albertum accesserunt, ut illis prece succurreret. Tum illa: Domine Deus universorum, ait, qui non avertis faciam ab illis, qui toto animo et pectore tibi confidunt: respice de excelso cælorum habitaculo super populum hunc tuum ad te clamantem, et effunde in illum misericordiam tuam. Pasce fama laborantes, qui olim in eremo manna pavisti esurientes. Extende brachium dexterum, et protege hanc civitatem, ut non modo non diffidat de te, sed certo confidat sine tuo consilio non posse ipsam salvam consistere: sciatque non in multa exercitus copia spem esse collocandam, sed in tuo nomine, etc. Hac oratione completa, mox ingens tonitruum extitit, unde vox instar tubæ audita est, dicens: Exaudivit Deus preces tuas. Hanc vocem non sine multa admiratione omnes audierunt, mireque exhilarati, dixere: Tibi Domine gratias agimus, qui meritis huius sanctissimi patris nostri Alberti admisisti clamores populi tui. Simul autem in urbis portu visæ sunt *tres triremes onustæ,* licet hostes undique et portum et urbem obsiderent. Eæ triremes in urbem penetrarunt, et annona pro cuiusque necessitata distributa nusquam conspectæ sunt, neque illarum patroni ulli erant noti, angelos fuisse creditum est.

III. Minimis. Tertio, S. Franciscum de Paula Minimorum Fundatorem, sæculi sui miraculum, et miraculorum velut fontem, Deus sæpe miro modo cibis donavit. Cum sanctus ille vir monasterium Cariliani extrueret, semel trecentos homines ficu unica refecit: altera vice parem operariorum numerum unico pane aluit: Marchionissa Polyssena domum eius subeunte, cum esset e familia regum Aragoniæ, eaque cibum religiosis solitum in eorum refectorio sumente, repente disci duo piscibus referti in mensa visi sunt, nullo eos inferente, ut ait Ludovicus Dony d'Attychy in historia generali Ordinis Minimorum, lib. 1. pag. 25. Quinquaginta milites et præfectum remigum aluit duobus panibus et unico vini poculo, in quibus nulla diminutio visa est; ibid. pag. 75.

IV. Norbertinis. Quarto, de Norbertinis aliquid dicamus: nec enim ordinem vel temporis, vel dignitatis servo: idque de industria, ne quis sit querelæ locus. Unum proferam Lohelium sæculi nostri ornamentum, cui Deus sæpe succurrit, quemque in Archiepiscopum Pragensem evexit, ubi mira virtute et miraculis claruit. De illo scribebam in Panegyrico Ordinis Præmonstratensis a me ab aliquot annis edito: *Antiqui rigoris custos acerrimus carnes aversatur, rident cæteri: ecce tibi in oculis omnium ex vacuæ piscinæ fundo immensæ magnitudinis lucius in terram ad sancti viri pedes prosilit: quid stupendum magis? In Strahoviensem Abbatem electus plura pauperibus erogat, quam in cœnobii reditibus numeret: singulis septimanis pedes pauperum non lavat solum, verum etiam linteo, crinibus, ore abstergit et osculatur: domi mensæ nunquam assidet, quin delicatissimos cibos egentium turbæ distribuendos curet: inopum penuriam tanto erga supremum numen affectu levat, ut cælesti liberalitate saccos capaces, daleris refertissimos, in arcis prius vacuis reperiat.*

V. Societati Iesu. Quinto, in minima quoque Societate nostra (sic enim eam nominat S. Ignatius in suis constitutionibus) Dei bonitas in hac parte eluxit. Memini me iam alias egisse da levata inopia tempore eiusdem S. Ignatii: de beato Francisco Borgia aliquid attexam. *Hispali*, inquit Ribadeneira, *accidit, ut nec cibum domi, neque æs pecuniamve haberent, venissentque de via socii non pauci, hora vero meridiei ad prandium instaret. Suarez. quod res erat, ad Franciscum retulit, nihil esse quod apponeretur; dandumne igitur signum, quo in triclinium omnes convenirent. Ille paululum quasi Deum precaturus se colligit, mox vultu ad hilaritatem composito: Dare signum prandii licet, quando multum iam est diei: Deo fidite, illi curæ sumus. Ecce tibi ad portam statim duo cum sportis panis ciborumque, ut ad pauperes foris pascendos redundarit.* Isabella Galindii, matrona illustris, commeatum illum dono miserat. Franciscus precibus a Deo impetrarat, et socios

A allocutus: *Discite,* ait, *filii, Deo fidere: cuius si gloriam quærimus, animis corporibusque nihil defuturum scitote.* Nec Hispali solum, sed alibi semel atque iterum idem accidit, Pintiæ nimirum et Septimancæ: ubi nec opinantibus similiter allatus est cibus; sed ab iis hominibus qui dicere nollent, quis mortalium mitterat, ut Dei providentia res geri videretur, ut ait Ribadeneira in eius vita.

Longior essem, si religiosas omnes familias huc vocare vellem, aut ex ante recensitis exemplorum acervum convehere: paucula hæc sufficiunt. Nunc cursim quoque videamus, etiam hominibus in medio sæculo viventibus, Deum opes auxisse, cum in eo spes suas posuerunt. 112. Hominibus in sæculo degentibus:

Sexto, Imperator Tiberius duos reperit thesauros: unum sub pavimento cruce signato in aula sua, alterum Narsetis in quadam spelunca. De iis egi alias. Spe magna in Deum erat. S. Gregorius Turonensis lib. 5. histor. cap. 19. refert, quod, cum thesauros quos Iustinus Imperator congregaverat, pauperibus erogaret, et Augusta eum frequentius increparet, quod Rempublicam redegisset in paupertatem, diceretque: Quod ego multis annis congregavi, tu infra parvum tempus prodige dispertis. Aiebat ille: *Non deerit fisco nostro, tantum pauperes eleemosynam accipiant, et captivi redimantur. Hic est enim magnus thesaurus in cælo: ubi neque ærugo, neque tinea corrumpit, et ubi fures non effodiunt, nec furantur.* I. Imperatoribus. B

Septimo, S. Stephani regis Hungariæ nota est liberalitas in pauperes. Nam, ut ait Chartuitius Episcopus in eius vita, nullum unquam hospitem, et peregrinum, absque ullo solatio a se discedere patiebatur; et ad recreandos egenos quotidianas expensas absque intermissione fieri iubebat: imo vero etiam nocturnis horis multa alacritate et hilaritate abluebat fidelium pedes, et in sinu pauperum abscondebat eleemosynam, Christum inopem in membris eius consolari in hac vita cupiens. Quid rependit Deus? Primus ipse regis Hungariæ titulo honoratus est, cum prædecessores tantum Duces vocarentur, bonis omnibus in vita cumulatus est, et post mortem eius C dextera mansit incorrupta: quodque his omnibus maius est, in album Sanctorum relatus est. II. Regibus.

In gratiam regum, licet non semper eorum meritis, mira nonnunquam Deus præstitit. Cum Childebertus Franciæ rex bubalum ferum venaretur; isque ad S. Carilephum, oviculæ instar mansuetæ refugisset: et rex ira posita ad sanctum virum accessisset, eius manus osculatus est, et ab eo vini poculum accepit, omnesque eius comites, et tamen vini vasculum non est imminutum: quod rex advertens tantum sylvæ illi concessit, quantum uno die asello vectus circuire posset, ut ait Surius in vita 1. Iulii. Cum Elsgina religiosa fœmina Ethelstanum Angliæ regem invitasset, ut in domum suam ex itinere diverteret, et parum potus qui Medo vocatur, quo uti Angli maxime solent, sumeret, ad Deiparam confugit, et prece obtinuit, ut rex cum magna suorum multitudine ad prandium sederet, et vasculum unde hauriebatur solito modo plenum esset, ut tradit Osbertus in vita sancti Dunstani Archiepiscopi. D

Octavo, S. Hedwigis Ducissa Poloniæ perpetuo aquæ potu sitim levabat: cum res ad Ducem delata esset, ad mensam eius indignabundus ex improviso accessit, scyphum coram ipsa positum accepit, ex eo bibit, et vinum esse suavissimum persensit: tum ad eum conversus, qui rem detulerat, ait: Profecto dignus esses, cui ob hoc mendacium oculi effoderentur: Servi vero rem scientes, Deum laudarunt: ita Surius 15. Octobris. Putabat dux aquam illi esse causam morborum. III. Ducibus.

Nono, S. Elzearius Comes Arriani tanta erat erga pauperes pietate, ut eleemosynam nulli denegaret: unde effectum est, ut, cum bis exhausto prorsus granario iuberet frumentum petenti dari, tantum sit frumenti repertum, quantum iusserat familiæ suæ reservari, ut ait Surius 27. Septembris. IV. Comitibus.

Decimo, S. Arnulphus nobilis, et postea Episcopus Metensis, tres filios habuit, nempe Anchisum, Walachisum, V. Nobilibus.

A

et Clodulphum; a quibus postulavit, sibi ut liceret facultates omnes suas pauperibus erogare. Clodulphus omnino restitit, partemque suam distribui noluit. Anchisus vero Christi pietati confidens sibi plura donanda, voluntati parentis assensum præbuit. Actis gratiis poiiicetur pater filio plura ipsum, quam reliquerat, habiturum. Et vero, Anchisi filius fuit Pipinus, Pipini Carolus Martellus, Caroli filius fuit Pipinus is qui ad familiam suam regnum transtolit, Pipini denique Carolus Magnus, ut habetur in tract. de gestis Metens. Pontificum.

VI. Advocatis. Undecimo, S. Ivo Advocatus pauperum cum unicum panem haberet, eumque pauperi dedisset petenti, ac vicario murmuranti, tres illi panes ex insperato ad prandium a muliercula missi sunt. Vicarius partem sibi datam amisit, ut ait Surius 19. Maii.

VII. Mercatoribus. Duodecimo, S. Homobonus mercator dicebatur pater pauperum; is quæstum omnem suum ex mercatura provenientem in pauperes conferebat, et querulæ uxori identidem dicebat: *Errare vehementer eam, quæ putaret rem imminui, aut bonorum iacturam fieri, si egenis distribuantur, cum nusquam melius, nusquam tutius collocentur: neque ulla rei augendæ fructuosior ratio iniri possit, quam quæ illis, id est, Christo, immenso atque inexhausto omnium bonorum thesauro, fœnori dentur, qui et in præsens centuplum, et in futurum vitam rependat æternam.* Cum magna esset annonæ charitas, egenique absente uxore affloxissent, maximam panis partem distribuit. Hora vero cœnæ reperti sunt totidem panes, quot donaverat, longe reliquis et candore et suavitate præstantiores. Cum prædiolum, cæteris diveoditis, et in pauperes erogatis sibi pauperibusque servasset, eoque fossoribus vinum aliquando ferret, occurrerunt ei mendici aliquot ab eo potum petentes: quibus vir sanctus summa eum hilaritate porrexit, cantharosque aqua fontis implevit, qua in vinum versa nihil suavius se bibisse vinitores asserebant, ut habetur in vita scripta a a Canonicis Ecclesiæ Cremonensis.

VIII. Agricolis. Decimo tertio, S. Isidorus agricola servus hero suo siti fatiscenti fontem impetrat percutiens terram baculo, ut est in eius vita.

IX. Præsertim gravia patientibus. Decimo quarto, illis præsertim Deus subvenit, qui pro se aliquid patiuntur. Unde sæpe cibum et potum miro modo dedit Martyribus. Primo, cum Paulus et Iuliana in piscem ferventem coniecti, sedibus ignitis impositi, et variis suppliciis affecti, permanerent in fide constantes, visa Dei potentia qua illæsi a tam diris tormentis servati fuerant, eos tyrannus in carcerem coniici iussit: sed media nocte iis orantibus astitit angelus luce conspicuus, qui vincula eorum excussit, duas sedes pannis constratas, et mensam coram ipsis apposuit, omnis rationis ferculis refertam, eisque ait angelus: *Venite, requiescite, et cibum sumite, quem misit vobis Iesus Christus.* Custodes carceris visa luce accesserunt, et ad mensam discubuerunt, et plerique ex iis ad fidem conversi sunt, ut refert Simeon Metaphrast. 17. Augusti. Secundo, cum S. Apollinaris Episcop. Ravennas cæsus fustibus, tortus in eculeo, lapidibus contusus, variaque alia passus in carcerem coniectus est, angelus noctu ad eum veniens videntibus custodibus escam illi attulit, eoque sanato et roborato recessit, ut ait Surius 23. Iulii. Tertio, S. Pontianus duodecim dies sine cibo in carcere clauditur, ut fame ibi moriatur, sed angelus circa noctis medium adest cibum cælestem afferens, cumque confortaus his verbis, Forti animo esto. Elapsis inde diebus duodecim, venerunt ministri, ut eius corpus enectum fame auferrent. Ecce autem illum reperiunt psallentem, et dicentem ex Ps. 10. 1. *In Domino confido, non timebo quid faciat mihi homo*, ut habetur in Actis eius 19. Ianuarii. Quarto, S. Glyceriæ cibum etiam dant angeli in carcere: ita Metaphr. 10. Maii. Quinto, S. Albanus martyrio proximus fontem precibus impetravit, ut tradit Beda lib. 1. hist. Angliæ, cap. 6. et 7. Sexto denique, S. Antoninus martyr Apameæ cum sitiret, humum baculo percussit, et fons exilivit: ita S. Gregor. Turon. Dicamus itaque Deo, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie:* sed dicamus tamquam patri, qui filiis suis providere vult et potest.

B

ARTICULUS III.

Impiorum vita brevis est, piorum diuturna et secura.

MONUIT supra, iactandam esse curam et cogitationem 113. super Dominum, sic fore, ut ab eo enutriamur: aliam Vers 23. causam subiungit: nempe, quod ea ratione securi erimus, 2. Pars. vers. eod. 23. NON DABIT IN ÆTERNUM FLUCTUATIONEM Fluctuatio triplex. IUSTO. Primo, de fluctuatione, id est, agitatione, conturbatione et anxietate, atque instabilitate mentis dubitan- I. tis de Dei ope in afflictione et penuria id exponi potest cum Aigoano, Hugone et aliis. Sic S. Iacobus in epist. sua, cap. 1. 6. ait: *Qui hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur, et circumfertur.* Modo elatus per præsumptionem, modo deiectus per desperationem et pusillanimitatem, quam supra vocavit tempestatem David noster. Psalmo autem 106. 25. fluctuationem periculosam impii aperit: *Exaltati sunt fluctus eius* (procellæ) *ascendunt usque ad cælos, et descendunt usque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat.* S. Hieron. in afflictione consumitur. Alii, in malo liquefit, præ anxietate colliquescit. *Turbati sunt, et moti sunt, sicut ebrius* (cui mens et caput circumrotatur) *et omnis sapientia eorum devorata est.* Ratio peti potest ex vers. 23. facientes operationem in aquis multis. Qui facit suum opus in aqua et fluctibus mundi, quid potest expectare præter fluctuationem et iactationem. Contra vero iustus, qui in terra viventium habet radices et fundamentum, stat firmus et inconcussus. Proverb. 10. 25. *Quasi tempestas transiens* (Arabs, in transitu turbinis) *non erit impius* (Arab. perit impius) *iustus autem quasi fundamentum sempiternum.* Vatablus, sicut fundamentum mundi perseverat. Sed hoc satis non est: nam in æternum stabit immobilis.

C

Secundo, et melius, fluctuationem intellige in rebus II. extra animam positis: scilicet, in corporis et fortunæ bonis, q. d. Non patietur in æternum illum affligi morbis, bonorum iactura, hostium potentia, et cæteris.

Tertio, plene et adæquate, non dat in æternum fluctua- III. tionem Deus iusto, neque in corpore, neque in animo, neque in bonis fortunæ.

Quod autem dicitur non dabit *in æternum fluctuatio-* 114. *nem*, dupliciter exponi potest. Primo, q. d. Nunquam da- Iustus fluctuat aliquando, sed non in æternum. bit. Secundo, et melius, si det, non dabit illam in æternum. S. August. hic: *Videris fluctuare in mari isto, sed excipit te portus. Tu tantum, antequam intres in portum, ab anchora noli abrumpi. Fluctuat navis in anchoris, sed non longe a terra proiicitur, nec in æternum fluctuabit, etsi ad tempus fluctuat. Etenim ad fluctuationem pertinent verba superiora. Contristatus sum in exercitatione mea, et conturbatus sum. Expectabam eum qui me salvum faceret a pusillanimitate et tempestate. Fluctuans loquitur, sed non in æternum fluctuabit. Nam anchora ligatur, anchora spes eius est. Non dabit in æternum fluctuationem iusto.* Deus, ait Remigius, erit tibi portus salutis. Tzetzes Chiliad. 11. numer. 36. ait, sacram anchoram a nautis

D

vocari eam, quæ est maxima et quam in desperationibus, ὡς σωτηρίαν τον νεως ὑστεραν, *in salutem navis postremam laxant.* Talis est spes, quam in extremis periculis ad Deum proiicimus, ut illi hærentes non fluctuemus. Ps. 72. 28. ait David: *Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam.* 1. Petri 5. 7. *Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* In eo firmi erimus: nam additur vers. 10. *Deus autem omnis gratiæ,* (auctor, conservator, promotor, perfector, remunerator et coronator) *qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu* (per Christum) *modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.* Græce additur θεμελιώσαι, fundabit. Syrus vertit: Ut cum sustinuerimus has oppressiones exiguas, roboremur et confirmemur, et perstemus in Iesu Christo in æternum. Tertullianus ad Martyres cap. 3. Virtus duritia exstruitur, mollitia vero destruitur. 115.

Nota, pro *fluctuationem*, Hebr. est מוט *mot*, id est mu- Mot varia significat. tationem, inclinationem, declinationem, nutationem, la-

psum, perversionem, fluctuationem. Felix vertit, iapsum. Pagnin. et Arias, nutationem. Septuag. fluctuationem: habent enim σαλον, id est, iactationem quam patiuntur naves iu tempestate, et quam patitur mens in magoa cura, soliicitudine, et anxietate.

116. Iusti transmittunt mare sæculi 1. Ponte.
Nota secundo, variis modis iusti transmittunt torrentem, et mare huius sæculi. Primo, quidam veluti ponte transeunt, sed firmiori quam fuerit pons Xerxis supra Heliespontum ad transiliendum ex Asia in Europam; aut ille pons inutiiis et ridiculus Caligulæ in Italia ad sinum Baianum. Tales sunt, qui paucas aut nullas afflictiones habent, sed instar Alcyonum habent nidos suos quietos iu ipso mari.
2 Nave.
Secundo, aiii iusti nave proveliuntur, sed quæ verius *Victoria* dici debeat, quam navis illa celebris, quæ sic appeliata est, quod totum orbem decurrisset. Hæc navis pro ductoribus et navarchis habet Christum et angelos, sicut habuere S. Lazarus, S. Martha et S. Maria Magdalena in sua periculosa navigatione, qua e Iudæa sine malis et velis veneruut Massiliam.
3. Pedibus.
Tertio, sancti nonnunquam pedibus securis siccisque dorsum maris tundunt, ut S. Franciscus de Paula, et S. Raymundus.
4 Ad portum ducuntur.
Quarto, aliquando etiam astrictis molaribus, fluctu ventoque obsecundante iittus petunt, ut S. Pantaleon.
5 In fundo illæsi manent.
Quinto, aliquando ipsis in abyssis quieti perstant, ut S. Paulus.
6. Sua iactura inclarescunt.
Sexto, nonnunquam hausti fluctibus ipsa sui iactura inclarescunt, ut S. Clemens Papa, cuius tumulus ab angelis medio in mari extructus tantæ fuit admirationi et venerationi. Septimo, aliquando denique vel ipso aspectu et contactu iustorum undæ frementes resiliunt, et securum iis transitum permittunt, ut B. Iosepho Anchietæ Soc. Iesu viro sanctissimo et miraculis clarissimo. Vide a me dicta Ps. 143. sect. 1. ubi ostendi Martyribus ignem fuisse pro rore, feras pro catulis blandientibus, cruces pro trophæis: picem, oleum, liquatum plumbum, ac buliiens pro iacte, melle, nectare et ambrosia.

Christus est sacer piscis.
Christus sacer ιχθυς, id est, *piscis* est, qui ubi ventorum rabiem viderit, atque undarum furorem, catulos pavitantes utero condit, sicut faciunt quidam pisces, de quibus egi aiias, sicque eis metum toliit et periculum. Quis non iugem optet tempestatem, ut in amantissimi Salvatoris asylo conquiescat? Sibyiiæ ιχθυς, est Ιησους Χριστος Θεου υιος Σταυρος, id est, Iesus Christus, Dei Fiiius, crux. Est enim iliius Sibyilæ carmen acrostichon, et per singulas primas litteras una ex istis vocibus intelligitur. David in eo se fuisse dicebat, et inde exultabat. Psal. 70. 6. *In te confirmatus* (S. Hier. a te sustentatus) *sum ex utero.*

Miro modo sedata tempestas.
S. Germanus Episc. Altisiodorensis et S. Lupus Episc. Trecensis in Angliam navigabant, ut Peiagii hæresin expugnarent; id veritus dæmon tantam in maris traiectu excitavit tempestatem, ut parem se nunquam vidisse trepidi nautæ inclamarent. Securus in navi dormiebat S. Germanus, qui excitatus mare increpavit, statimque *assumpto oleo,* in nomine Trinitatis levi aspergine fluctus sævientes oppressit. Crederes Iesum videre te imperantem ventis et mari; de quo, si aiiquibus credimus, supra dictum est v. 22. *Molliti sunt sermones eius super oleum.*

117. Vers. 24. 1. Pars. Puteus interitus.
Non sic impii, non sic; sed sævis et continuis iactati tempestatibus tandem naufragium faciunt. Unde additur vers. ult. TU VERO DEDUCES (Campensis, detrahes, præcipitabis. Pagnin. descendere facies. Syr. detrude) Eos (inimicum et persequentem: id est, Absalonem, Achitopheiem, et sequaces) IN PUTEUM INTERITUS; id est, in interitum, ex quo emergere non possint. Ubi nota, esse prophetiam de morte misera viginti milliium, qui perierunt in exercitu Absalonis, quorum plures perierunt in saltu hausti præcipitiis cum fugerent, vel fortasse cadentibus rupibus obruti, quam perierint gladio. In puteos interitus, id est, interimentes, eodem modo præcipitati sunt Sodomitæ, cum in valie sylvestri fugientes victorem Chodorlahomor et socios reges, ceciderunt in puteos bituminis, ibique perierunt, Genes. 14. Hic sensus est maxime litteralis: unde sequitur, *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos.*

Secundo tamen, *puteum interitus,* S. August. qui legit A *puteum corruptionis,* S. Hieron. Bruno et alii plurimi intelligunt infernum. Petavius vocat βαθυ θανατοιο βαραθρον, profundum mortis barathrum. Magnet. Averni horrificum profundum. S. August. *Puteus corruptionis,* ait, *tenebræ sunt submersionis. Deducit illos Deus in puteum corruptionis; non quod ipse sit auctor culpæ ipsorum, sed quod ipse sit iudex iniquitatum eorum.* Pœnæ iustitiam ostendit S. Hieron. cum ait: *Ut qui noluerunt bibere de fonte aquæ vivæ, in puteum interitus demergantur.* Inter inferni septem nomina R. Iosue filius Levi ponit puteum interitus, apud Galatinum lib. 6. cap. 7.

Nota, *puteus* denotat primo profunditatem miseriæ. Apocalyp. 9. 1. infernus vocatur *puteus abyssi,* id est, loci pœnæ sine fundo et termino. Secundo, *puteus* denotat arctationem in pœnis. Tertio, non deficientem calamitatem; in puteo enim semper succrescit aqua, et in iilum ex omni parte affluit. Quarto, *puteus* notat obscuritatem inferni. Quinto denique, impossibiiitatem emergendi. Hinc clamat David Ps. 68. 16. *Neque absorbeat me profundum, neque* B *urgeat super me puteus os suum.* 118. Puteus varia denotat. 1. 2. 3. 4. 5.

Morte impiorum prædicta, tempus illius declarat vers. eod. 24. VIRI SANGUINUM, id est, sanguinarii, violenter et aperte mortem inferentes, ET DOLOSI, S. August. legit, dolositatis, id est, qui fraudulenter nocent, ac necem afferunt, NON DIMIDIABUNT DIES SUOS, id est, non diu vivent: neque enim id sumitur præcise et mathematice: deinde non hoc dicitur, quasi id semper accidat, sed quod ut plurimum id fiat: EGO AUTEM IN TE (Chald. in verbo tuo) SPERABO DOMINE, id est sperans diu vivam: est metalepsis; ponitur enim antecedens pro subsequente: nempe spes pro eius effectu. 119. Vers. 24. 2. Pars.

Vitæ brevitas est pœna peccati.
Nota, vitæ brevitas est pœna peccati. Eccl. 7. 18. *Ne impie agas multum, et noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo,* id est, prævmatura et intempestiva morte. Ezechielis cap. 22. v. 4. Deus ait Ierosolymæ sceleratæ et cito puniendæ: *In sanguine tuo, qui a te effusus est, deliquisti: et in idolis tuis, quæ fecisti, polluta es: et ap-* C *propinquare fecisti dies tuos* (Chald. dies interitus tui) *et adduxisti tempus annorum tuorum,* quibus scilicet te punire decreveram. Iob 22. vers. 16. *Viri iniqui qui sublati sunt ante tempus suum.* Duo exempla iilustria profero.

Exemplum notabile Anastasii.
Primo quidem, Anastasii Imperatoris Orientis hæretici: eum fuisse *virum sanguinum* satis probat tumultus Constantinopolitanus, in quo ad dena hominum milliia sunt occisa, ut habet Ioannes Diaconus in Miscella. *Dolosum* extitisse probant plurima quæ refert Baronius t. 6. unde vocat iilum bestiam cornua habentem, agno similiima, aliudens ad illud Apocal. 13. 11. *Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra, et habebat cornua duo similia Agni, et loquebatur sicut draco.* Cum esset sceieratissimus hæreticus, larvam pietatis sæpe assumebat. Quid autem iiii ob scelera contigerit, et qua ratione vitæ dies sint imminuti Zonaras tradit: *Iustino,* ait, *et Iustiniano crimine læsæ maiestatis absolutis, denuo aliud vidisse somnium memoratur. Virum terribilem qui librum manu gestans diceret: Ecce ob perversitatem tuam, annos quatuordecim* D *vitæ tuæ deleo.* Cedrenus his addit, somno solutum Anastasium, in somnium id Amantio Præposito ad se evocato exposuisse, eumque subiecisse: *Ego etiam imaginatus sum adstare me maiestati tuæ, venisseque magnum porcum, qui me veste accepta, in terram prostraverit, atque devoraverit.* Proclum deinde magnum advenisse, qui pronuntiavit, utrumque paulo post vita defunctorum: quod accidit. Fulmine autem percussus est Anastasius.

Et iuvenis in patibulo canescentis.
Ad locum psalmi nostri facit, quod S. Bernardinus vir summæ pietatis et eruditionis refert tom. 2. Domin. 2. quadrag. serm. 17. et accidisse dicit in Catalanniæ civitate Sui, prope Valentiam, ætate sua. Duodeviginti, ait, annorum adolescens parentum non parens monitis, tandem ob latrocinia patibulo suspensus est. Ibi mox succrevit illi, populo inspectante barba, ac sensim cum capillo incanuit, ipsaque facies decrepitum senem exhibuit nonagenarium. Episcopus afflatus divino Spiritu docuit tamdiu victurum fuisse si se in paterna obedientia continuis-

set: verum autem esse Davidis oraculum Ps. 54. 24. *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos.* Sanguines ille pro peccatis sumebat, nec male, in sensu morali aut symbolico. A

120. Tropolog. Viros sanguinum S. Aug. ait esse hæreticos; animas enim occidunt. Reges hæreticos fuisse viros sanguinum, et crudelissimos, facile esset probare in Oriente, Anglia, Svecia, et aliis locis. Ideo effectum est, ut Deus vitam eorum minuerit. Nullus enim inventus est, qui ultra annum regni sui aut imperii quadragesimum vixerit, præter Andronicum Michaelis Palæologi filium, qui maximis calamitatibus ita afflictus est, ut mors illi futura fuerit optatior quam vita: tandem in monasterium detrusus est ab Andronico iuniore nepote suo, ibique miseram vitam trahere coactus. Mors eius tragica refertur a Baronio anno 1185.

Imperatores hæretici et reges non regnarunt ultra 40. annos.

Enumeratione hæc quæ diximus, probemus, orbe cursim perlustrato.

Imperatores Orientis non diu vixerunt.

1. Constantinus Imper. regnavit annos 24.
2. Valens ann. 14. menses 4. dies 13. B
3. Zeno 17. menses 2. dies 7.
4. Basiliscum unum mensem.
5. Anastasius 28. menses 3. dies 3.
6. Iustinianus 38. menses 3. dies 13.
7. Heraclius 30. menses 2.
8. Constans 26. menses 8.
9. Philippus Bardanes 2. mens. 9. dies 7.
10. Leo Iconomachus 24. mens. 2. dies 25.
11. Constantinus Copronymus 35. mens. 11. dies 18.
12. Leo 4. mens. 11. dies 26.
13. Nicephorus Generalis 8. mens. 8. dies 14.
14. Leo Armenus 5. mens. 5. dies 14.
15. Michael Balbus 8.
16. Theophilus 12. mens. 3. dies 20.
17. Constantinus Monomachus 12. mens. 8.
18. Andronicus I. Comnenus ann. 1. mens. 11.
19. Isaacius Angelus 9. mens. 7. paulo minus.
20. Alexius Angelus 8. mens. 3. dies 10. C
21. Alexius Angelus Isaaci filius, mens. 6. dies 8.
22. Alexius Murruflus mens. 2. dies 16.
23. Andronicus II. senior Palæologus 43. plus minus.
24. Andronicus III. iunior 13. plus minus.
25. Ioannes Cantacuzenus 16.
26. Ioannes Andronici iunioris nepos 30.
27. Andronicus Quartus 3.
28. Manuel Primus 30. plus minus.
29. Ioannes VII. Palæologus 3. mens. 6. plus minus.
30. Constantinus 8. plus minus.

Imperatores Occident. Reges Italiæ.

31. In Imperio Occidentali imperavit Momillus Augustulus ann. unum.
32. In Italia reges hæretici extiterunt. Herulorum quidem Odoacer qui regnavit annos plus minus 16. mens 6. dies 11.
33. Ostrogothorum vero Theodoricus 13. menses 5. dies 28.
34. Athalaricus 8.
35. Theodatus 2. D
36. Vitiges 4.
37. Ildoaldus. 1.
38. Araricus mens. 3.
39. Totilas 11.
40. Teias 1. ut ex Procopio de bello Gothico, et ex Agathia patet.

Reges Longobardi.

41. Longobardorum rex Alboinus Arrianus regnavit in Italia tres annos, mens. 6. cum iam in Pannonia 27. regnasset.
42. Clephis, sive Clepho 1. mens. 6.
43. Atharis 5.
44. Arioaldus 12.
45. Rotharis 15. mens. 4.
46. Roduaidus 6. mens. 7.
47. Gundebertus 1. mens. 5. ut ex Paulo Diacono disces libro de histor. Longobardorum.

Reges Vandali.

48. Vandali quoque Arriani Africam tenuerunt ann. 95.
Ibi Guntharius regnavit ann. 12.
49. Gensericus 39.
50. Hunericus annis plus minus 7.
51. Gundamundus 13.
52. Trasamundus 14.
53. Hildericus 7.
54. Gilimer 4. ut docet Procopius l. de bello Vandalico.
55. Wisigothi quoque fuerunt Arriani, qui in Hispaniæ et Galliæ parte regnarunt. Athanaricus regnavit ann. 13.

Reges Wisigothi.

56. Alaricus 28.
57. Ataulphus 6.
58. Wallia 22.
59. Theodoretus 14.
60. Turismundus 1.
61. Theodoricus 13.
62. Evaricus 17.
63. Alaricus 23.
64. Gesalaricus 4.
65. Amalaricus 5.
66. Theudius 17.
67. Theudiscius 1.
68. Aquila 5.
69. Athanagildus 14.
70. Luiba 1.
71. Leovigildus 14.
72. Svintila et Rechimirus ambo regnarunt ann. 2.
73. In Gallia Chilpericus Svessionum ab aliquibus creditur fuisse Sabellianus, alii negant. Regn. ann. 14. Certum vero est regem nullum qui toti Galliæ imperarit fuisse hæreticum.
74. In Hungaria Ladislaus Chunnus ann. 23. *Reges Hungari.*
75. In Bohemia Georgius Podebrachius Hussita an. 11. *Reges Bohemi.*
76. In Dania Christiernus, ex quo fidem violavit, regn. ann. 3. *Reges Dani.*
77. Fridericus ann. 11.
78. Christiernus sive Christianus, ann. 28.
79. Fridericus II. 38.
80. In Svecia, Gustavus Protestantium sectator, regn. ann. 35. *Reges Sveci.*
81. Ericus eius filius 7.
82. In Anglia Henricus VIII. regnavit a suscepta hæresi, ann. 13. *Reges Angli.*
83. Eduardus eius filius 6.

121. Contra vero, reges Pii et Christianæ atque Apostolicæ doctrinæ protectores diu vixerunt ut plurimum.

Pii reges diu vixerunt. In Orientali Imperio.

1. In Orientali Imperio, Theodosius Iunior imperavit ann. 48. mens. 6. dies 13.
2. Constantinus VIII. Porphyrogenitus 53.
3. Basilius Iunior 49. menses 4.
4. In Imperio Occidentali et regno Germaniæ, Henricus III. regnavit ann. 52. mens. 2. dies 16. *In Occidentali.*
5. Fridericus III. Austriacus, ann. 53. mens. 7.
6. In Portugallia, Alphonsus I. regnavit ann. 46. *In Portugallia.*
7. Dionysius 46.
8. Ioannes Primus 50.
9. Alphonsus Quintus 43.
10. In Castella, Alphonsus II. cognomento castus 41. *In Castella.*
11. Alphonsus III. cognomento magnus 46.
12. Ferdinandus magnus 46.
13. Alphonsus Sextus 43.
14. Alphonsus Septimus 51.
15. Alphonsus Octavus 53.
16. Alphonsus Undecimus 40.
17. Ioannes Secundus. 46.
18. In Aragonia Ramirus 40. *In Aragonia.*
19. Iacobus 62.
20. Petrus Quartus 51.
21. Alphonsus V. cognomento magnanimus 42.
22. In Navarra, Garcias Ximenius 42. *In Navarra.*
23. Garcias Ennicus 44.
24. Sanctius maior 54.
25. Garcias maioris filius 51.
26. Sanctius sapiens. 44.

27. Sanctius fortis 40.
28. Ioannes Ferdinandi Catholici pater 40.
In Gallia. 29. In Gallia, Childebertus regnavit ann. 59. Nullus eo diutius regnasse reperitur inter Principes Christianos, præter Iacobum Aragonium.
30. Clotarius Primus 51.
31. Clotarius Secundus 44.
32. Carolus magnus Imperator 44.
33. Philippus Primus 49.
34. Philippus Augustus 43.
35. S. Ludovicus 44.
36. Carolus Sextus 42.
In Anglia. 37. In Anglia, toti insulæ præfuit Henricus III. an. 56.

A

38. Eduardus Tertius 51.
39. In Polonia, Wladislaus Iagello 48. In Polonia.
40. Casimirus filius 45.
41. In Bohemia, Wladislaus 45. In Bohemia.
42. Wenceslaus 55.

Ex his omnibus, quæ in utramque partem affert Bozius pluribus lib. 23. de signis Ecclesiæ, discant reges veram fidem Apostolicam, Catholicam et Romanam fovere et conservare, hæreses execrari et extirpare, ut diu feliciter et tranquille vivant. Sæpe cogitent, quod de sapientia tum speculativa, tum practica dicitur, Proverb. 3. 16. *Longitudo dierum in dextera eius, et in sinistra illius divitiæ et gloria.*

PSALMUS QUINQUAGESIMUS QUINTUS.

IN FINEM.

1. PRO POPULO, QUI A SANCTIS LONGE FACTUS EST: DAVID IN TITULI INSCRIPTIONEM, CUM TENUERUNT EUM ALLOPHYLI IN GETH.

2. Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo: tota die impugnans tribulavit me.
3. Conculcaverunt me inimici mei tota die: quoniam multi bellantes adversum me.
4. Ab altitudine diei timebo: ego vero in te sperabo.
5. In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi: non timebo quid faciat mihi caro.
6. Tota die verba mea execrabantur: adversum me omnes cogitationes eorum in malum.
7. Inhabitabunt et abscondent: ipsi calcaneum meum observabunt.
8. Sicut sustinuerunt animam meam, pro nihilo salvos facies illos: in ira populos confringes.
9. Deus vitam meam annuntiavi tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.
10. Sicut et in promissione tua: tunc convertentur inimici mei retrorsum.
11. In quacumque die invocavero te: ecce cognovi quoniam Deus meus es.
12. In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem: in Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo.
13. In me sunt Deus vota tua: quæ reddam laudationes tibi.
14. Quoniam eripuisti animam meam de morte, et pedes meos de lapsu: ut placeam coram Deo in lumine viventium.

PSALMI QUINQUAGESIMI QUINTI ANALYSIS.

David Saulem fugiens, post evitatum apud Achis periculum, in spelunca Odollam latitat, et exponit
- Hostium suorum barbariem, 2. qui
  - Eum conculcant. 2.
  - Et impugnant, 2.
    - Omni tempore. 3.
    - In magna multitudine. 3.
- Spem suam in Deum, 4. qua
  - Timorem ortum ex felicitate et potestate impiorum negligit. 4.
  - Lætitia triumphat, ob promissa sibi facta. 5.
  - Ridet hostes sibi iniurios, 6. qui
    - Ore, verba eius execrantur. 6.
    - Mente, ruinam eius machinantur. 6.
    - Opere, insidias struunt.
- Hostium suorum excidium prædicit, 8.
  - Eos enim perdet Deus. 8.
  - Confringet. 8.
  - In fugam vertet. 8.
    - Ob humilitatem eius. 9.
    - Et lacrymas. 9.
- Et liberationem suam, 10. in qua
  - Potestatem Dei agnoscit, sibi supplicem iuvantis. 10.
  - Fidelitatem promissorum illius miratur. 10.
  - Spem semper maiorem in eo concipit. 11.
  - Timorem omnem ex animo eximit. 12.
  - Deum liberatorem laudat, 13. quod
    - Vitam eius a morte liberarit. 13.
    - Pedes, a lapsu impediverit. 14.
    - Vultum, radiis suis illustrarit. 14.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

IN FINEM.

2. PRO POPULO, QUI A SANCTIS LONGE FACTUS EST: DAVID IN TITULI INSCRIPTIONEM, CUM TENUERUNT EUM ALLOPHYLI IN GETH.

1. *David bis fugit in Geth.* Bis ad Achis regem Philisthinorum, in Geth profugit David. Primo, anno duodecimo regni Saulis, cum anno præcedenti assumptus esset in generum a Saule, dante illi Michol filiam suam in uxorem, et postea illum persequente ad mortem. Secundo, anno decimo octavo et ultimo regni Saulis, qui sæpius eum coacto etiam exercitu capere et occidere tentaverat; et tunc Achis ipsum amice excepit; eique urbem Siceleg attribuit, in qua moraretur. De secunda igitur profectione hic non agitur, sed de prima, in qua summum capitis discrimen addit. Nam cum occidisset Goliathum anno Saulis 10. vix interlectis duobus annis apparuit iratis et sæpius victis, etiam post cædem Goliathi: Itaque inclamare cœperunt: *Numquid non iste est David rex terræ?* Id est, insignis bellator, qui, ubicumque est, ibi dominatur et vincit. Vel, qui se regem terræ tuæ putat debere esse, quod occiderit Goliath Gethæum; cum ea conditione esset initum prælium, ut victores dominarentur victis. Quomodo igitur hunc in aulam tuam admittis, qui tibi forte regnum eripiet? Eorum verba audiens David simulavit insaniam, et sic evasit, ut refertur 1. Regum 21. Ideo liberatus fecit Ps. 33. in gratiarum actionem; hunc vero veluti adhuc in periculo, dicitur enim: *Cum tenuerunt eum Allophyli in Geth.* S. Hieronym. in cap. 2. Isaiæ notat, pro Philistiim semper Septuag. intrepretes vertere, ἀλλοφύλους, nomen commune pro proprio, esseque gentem Palæstinorum, quasi Philisthinorum: quia P. litteram Hebraicus sermo non habeat, sed pro ea φ Græco utatur. Allophyli possent dici omnes alienigenæ, q. d. Alienæ tribus homines, ab ἄλλος, id est, alius, alienus, et φυλὴ, id est, tribus. Cum autem Iudæi essent divisi in varias Tribus, vox Allophyli adhæsit Philisthinis, qui erant viciniores ipsis quam alii populi. Philisthinorum autem erant quinque Satrapiæ, ubi totidem erant Reguli: nempe Gaza, Ascalon, Geth, Accaron, Azotus.

2. *Populus a sanctis longe factus, quis?* Quæres, quis est ille populus, qui a sanctis longe factus est? Primo, Iansenius ait eum esse populum, qui Sauli adhærebat, contra quem populum hunc psalmum composuit. Sed contra est: dicit enim *pro populo*, non contra populum.

I. II. Secundo, idem Iansenius dicit, populum Philisthinorum posse intelligi: non quod contra eum Psalmum cecinerit: sed quod occasione eius periculi, in quod incidit apud eam gentem, illum fecerit.

III. *Et genuine.* Tertio denique, et melius, populus est capiendus, qui erat cum Davide: statim enim ut evasit David ex Geth, fugit in speluncam Odollam, de qua dixi alio loco. Cum id audissent fratres eius, et omnis domus patris eius, descenderunt ad eum illuc. Et convenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, et oppressi ære alieno, et amaro animo: et factus est eorum princeps, fueruntque cum eo quasi quadringenti viri, 1. Reg. 22. 1. et seq. Hi autem cum essent fugitivi, et exules, erant elongati a *Sanctis*, id est, a sanctuario, quod erat in Nobe urbe, quæ suberat Sauli; eaque urbe paulo post eversa, translatum est in Gabaonem. Itaque hunc Psalmum fecit in spelunca Odollam, sed suum periculum velut præsens describit, et liberationem sibi promittit. Varios enim psalmos scripsit et cecinit David, non cum res gerebantur, de quibus agit; sed postea memor illarum.

3. *Populus est columba.* Nota, pro τὸ *populo*, Hebr. est יונת אלם *ionath elem*, id est, *columba congregationis*, seu congregata. Nam *elem* significant congregationem, et multitudinem, ab *alam* congregare et colligere veluti manipulos. Columba autem congregationis, ac veluti gregalis, est populus. Unde Chald.

A per columbam Ecclesiam intelligit. Sic enim ait: *Pro Ecclesia Israel, quæ assimilatur columbæ silentii, in tempore quo elongati sunt a civitatibus suis; sed reversi laudant auctorem mundi; sicut David contritus et perfectus:*

Secundo, *elem* significat, mutum, obmutescentem: *alam* enim etiam est silere, obmutescere: unde Chald. *ionath elem*, vertit columbam silentii, ut dixi. S. Hieron. Aquila, V. editio, Flamin. *pro columba muta*. Pagnin. Arias, super columbam mutam. Felix, *muti*, q. d. Super columbam meam, id est super populum, quem nunc habeo tacens et obmutescens in spelunca Odollam.

Nota, populus omnis potest comparari columbæ, unde *Et cur?* in Canticis quoties occurrit nomen columbæ, toties Chaldæus vertit כנישתא *cheniseta*, id est, congregationem, Ecclesiam: Populus autem (id est, quadringenti viri, qui erant cum David) confertur cum columba. Primo, quia 1. eum quærebant milvi: Saul scilicet, fœneratores, et alii: ipse vero timidus se occultabat. Secundo, quia in petra 2. nidum sibi ponunt columbæ sylvestres. Tertio, quia co- 3. B lumba est avis gregalis, et non volat nisi gregatim. Quar- 4. to, quia columba se tuetur tantum fugiendo, non alios impetendo: ita David et socii non irruebant in Saulem, sed fuga sibi consulebant. Hinc sæpius migrarunt de monte in montem, et de regione in regionem. Quinto, columba, 5. ut ait Ælian. lib. 3. cap. 45. cum eam insequitur accipiter, qui natura sua in sublime volat, deorsum versus elabitur: ita David, cum illum persequeretur Saul superbus, se humiliat. S. Hieronym. vertit: *Victori pro columba muta, eo quod procul abierit David humilis et simplex* (duæ bonæ sunt alæ columbæ, humilitas et simplicitas) *quando tenuerunt eum Philisthiim in Geth:* superbos etiam Philisthæos evasit humilitate simulans insaniam. Paulus dicebat 1. Cor. 4. 10. *Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo.* Richardus Cenomanus reddit, *pro columba muta elongationum*, id est, se elongante. Vide Ps. 54. 7.

Dices, τὸ *a Sanctis* non exprimitur in illis versionibus, 4. *Varietas lectionis.* cur igitur est positum a Sept. et Nostro? Respond. Bel- C larminus, pro *elem* quod significat *mutam*, Sept. habuisse in suo codice inverso modo easdem litteras, *meel*, quod est a Deo, et per Deum intellexisse arcam Dei: et, ut clariorem sensum redderent, vertisse, *a Sanctis:* id est, a sanctuario, ubi erat arca Dei. Sed hæc sunt remotiora. Secundo, Agellius putat *non elem* lectum fuisse, sed *elim*, et significare angelos, a quibus dicatur elongatus populus: quia non eos coluit idololatrarum ritu pro diis, ac proinde multo longius erat ab omni alio minus rationabili remotus genere idololatriæ. Sed licet sit maior conformitas in lectione, explicatio tamen est violenta et contorta: deinde dicendum esset *me elim*, id est, *ab angelis*. Tertio, alii pro *elem* lectum volunt fuisse *elle*, id est, isti, in hac mente est Lorinus noster. Sed *iona* seu *ionath* est singularis numeri, *elle* est pluralis: nisi dicas, sensum esse, q. d. *Pro columba*, seu populo, *istorum remotorum*, a Sanctis scilicet; in Hebræo enim est tantum *rehokim*, id est, semotorum. Septuaginta autem explicant, unde *Versio optima Septuag. interpretum.* sunt remoti, nempe a Sanctuario; quod erat gravis pœna D ipsis, ac præsertim Davidi pio et sancto. Quarto, censeo Sept. legisse, sicut nos legimus, et per columbam intellexisse populum qui fugerat ad Davidem, sicque non verba sed sensum excessisse in hunc modum: *Pro populo, qui a Sanctis longe factus est.* De voce *in finem*, vide titulum psalmi 4.

Quæres secundo, quid per tituli inscriptionem intelli-

5. Tituli inscriptio. Mictam quid? gatur? Nota, pro *tituli inscriptionem*, Hebr. est מכתם
mictam, quam voce non interpretatam reliquentes Arias
et Pagnin. vertunt, *ipsi David mictam*. Secundo, idem
Arias vertit, ipsi David insigne aureolum. R. David vult
1. sensum esse, q. d. Quod psalmus erat Davidi pretiosus vel-
2. ut aurum. R. Abraham, velut aurum obrizum. R. Emma-
nuel, aurum optimum, inquit, ornamentum aureum appel-
lavit psalmum, eo quod esset desiderabilis in oculis eius,
velut aurum optimum. R. Salomon vult *mictam* idem esse
3. cum *atara*, id est, corona et diademate. Tertio, idem R.
Salomon in Ps. 56. ait, mictam esse tonum cantus. Alii,
speciem cantici secundum certum tonum et modulatio-
4. nem. Quarto, alii putant esse instrumentum musicum.
5. Quinto, *mictam* exponi potest, humilitas et perfectio:
vel, humilis et perfectus. S. Hier. vertit, *humilis et sim-
plex*. Aquila, ταπεινος τέλειος, *humilis et perfectus*. Chald.
contritus et perfectus. Vel, pauper et immaculatus. Di-
vidi enim potest *mictam*, in *mich*, seu *mach*, id est, atte-
nuatus, depauperatus, pauper, humilis: et in *tham*, id
est perfectus, integer, immaculatus, completus, consum-
matus, omnibus numeris absolutus. Bona est unio humi-
litatis et perfectionis; has simul iunge, et tibi facient co-
6. ronam ac diadema omnium virtutum. Sexto et optime,
Et bene. *mictam* est inscriptio, quæ fit super titulum seu colu-
mnam, vel arcum triumphalem, cum auro et argento.
Nam *chetem* significat aurum optimum, massam, grumam,
portionem aut frustum auri optimi et purissimi; item no-
tam, maculam, *tache ou marque*. Mictam autem deduci-
tur, a *chetem* addito mem heemanthico. Recte igitur ver-
terunt Septuag. *David in tituli*, id est, columnæ, seu ar-
cus, aut trophæi, *inscriptionem*. Neque necesse est dice-
re cum Bellarmino et Lorinus quod legerint *mictab*, id
est scripturam.

Sensus autem totius tituli est, q. d. Psalmus hic scriptus 6. Sensus tituli.
in finem, id est, semper cantandus pro populo seu multi-
tudine eorum virorum, qui erant cum Davide in spelunca
Odollam remoti a sanctuario. Scriptus est autem psalmus
Davidi, id est, pro Davide; ut in Davidis consolationem
et gloriam, scribatur in aliqua columna, quando captus
est a Philisthæis Gethæis in aula Achis regis ipsorum,
q. d. Hic psalmus dignus est, qui semper duret et sem-
per canatur: est monumentum ære perennius.
Allegor. Hic psalmus scriptus est in finem, id est, Chri- 7. Allegor.
stum, qui est consummatio legis, pro populo salvando,
qui per infidelitatem et peccata longe est a sanctis man-
datis, ut explicat Nyssenus: vel a Sanctis, id est, a san-
ctuario cælesti. Scribitur Davidi, id est, Christo in tituli
inscriptionem, id est in perenne monimentum in memo-
ria omnium hominum, quando tenuerunt eum Allophyli,
id est, Iudæi scelerati, alieni a Deo et Gentiles, in Geth,
id est, in torculari crucis; Geth enim significat torcular.
S. Aug. per tituli inscriptionem intelligit titulum crucis.
Per populum Remigius, Bruno, et alii sumunt Iudæos, sed
minus bene: non enim est contra populum, sed *pro populo*.
Tropolog. S. Augustinus explicat de Christi corpore, 8. Tropol.
nempe de Ecclesia patiente, in hunc modum: *Quomodo*,
inquit, *tenetur in Geth? Tenetur in torculari corpus eius,
id est, Ecclesia eius. Quid est in torculari? In pressuris.
Sed in torculari fructuosa pressura est. Uva in vite pres-
suram non sentit, integra videtur, sed nihil inde manet:
mittitur in torculari, calcatur, premitur, iniuria videtur
fieri uvæ, sed ista iniuria sterilis non est, imo si nulla iniu-
ria accederet, sterilis remaneret. Quicumque ergo Sancti
pressuram patiuntur ab eis, qui longe facti sunt a Sanctis,
attendant psalmum istum, agnoscant hic se; dicant quod
hic dicit, qui patiuntur quod hic dicitur:* Ita Augustinus.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

9. TRIA HIC EXEQUITUR. PRIMO, SAULIS ET SATELLITUM EIUS GRAVES SIBI ILLATAS INIURIAS, VERS. 2. SECUNDO, TRIPLICEM ILLIS A DEO INFLICTAM POENAM, VERS. 8. TERTIO DENIQUE, TRIPLEX SIBI A DEO COLLATUM BENEFICIUM, VERS. 12.

SECTIO PRIMA.

Duo exprimit. Primo, conculcatum se a Saule et eius sequacibus, vers. 2. Secundo, terrore se concussum ob Saulis maiestatem: ab aliis vero tripliciter afflictum, vers. 3.

PARAPHRASIS.

2. *Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo: tota die impugnans tribulavit me.*

2. Misericordiæ tuæ throno supplicem me sisto, Saulis attritus potentia et proculcatus: ne auxilium tuum implorantem despicias. Ne vel minimam quidem diei partem ad quietem concedit, sed continuo assultu me impetit, atque solo afflictum comminuit.

3. *Conculcaverunt me inimici mei tota die: quoniam multi bellantes adversum me.*

3. Neque solus ille in pauperculum grassatur, sed aulicorum innumera multitudo in iacentem perpetuo insilit, bona diripit, famam proterit: atque in unum me tela multi sine ulla intermissione ingerunt.

4. *Ab altitudine diei timebo: ego vero in te sperabo.*

4. E regia Saulis purpura emicans splendor et maiestas pavefactum metu pectus concutit: non ita tamen, quin humanis licet destitutus præsidiis, te uno fretus evasurum me illius conatus confidam.

5. *In Deo laudabo sermones meos: in Deo speravi, non timebo quid faciat mihi caro.*

5. Quæcumque dixi de felicitate mea futura et de regno mihi tradendo, laudabo et prædicabo in Deo meo, qui promissa potest exequi. In Deo meo spem fixam habeo, non vereor quid carnalis mihi fragilisque homo efficiat.

6. *Tota die verba mea execrabantur: adversum me omnes cogitationes eorum in malum.*

6. Hostes vero mei ore profano pollicitationes quas mihi factas asserebant, cavillis et dicteriis impetebant, meque mendacii arguebant. In hoc semper intenti excubabant, ut vafra in me consilia comminiscerentur, quibus nec opinantem irretirent.

7. *Inhabitabunt et abscondent: ipsi calcaneum meum observabunt.*

7. Neque tantum in ira subita et transeunte id præstant, sed conspirabunt simul, diuque in ea voluntate persistent, et tela sua occultabunt. In laqueos me suos inducere molientur, in eamque rem vestigia mea observabunt; ut, cum res tulerit, pedicas expediant.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta Christi humiliatio et tribulatio.

10. **D**AVID Christi typus, ait: afflictum se fuisse a Saule et eius satellitibus; 2. modum aperit, quo passus est.

Primo quidem, a Saule se calcatum et deiectum queritur, vers. 2. *Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo: tota die impugnans tribulavit me.* Secundo, ab eius satellitibus, vers. 3. *Conculcaverunt me inimici mei: quoniam multi bellantes adversum me.*

Tertio, ait se timere Saulis potentiam, maiestatem et superbiam, v. 4. *Ab altitudine diei timebo.* Remedium sumit spem in Deum, in quo solo glorietur: *Ego vero in te sperabo.* Et vers. 5. *In Deo laudabo sermones meos.* Ideo securum se fore prædicat, cum Deo collatus Saul sit vilis homuncio et imbecillis: *Non timebo quid faciat mihi caro.*

Quarto denique, dicit se a satellitibus Saulis irrisum fuisse. Primo, ore, v. 6. *Tota die verba mea execrabantur.* Secundo, cogitatione destinatum ruinæ: *Adversum me omnes cogitationes eorum in malum.* Tertio denique, opere insidias sibi ab illis structas, vers. 7. *Inhabitabunt et abscondent: ipsi calcaneum meum observabunt.*

ARTICULUS I.

Christus ab hominibus conculcatur in Passione, et in Eucharistia.

11. Vers. 2. **I**N spelunca Odollam omnibus honoribus et bonis spoliatus David inclamat, v. 2. MISERERE MEI DEUS, QUONIAM CONCULCAVIT ME HOMO: conculcare et obterere voluit, et contendit; 2. re ipsa conculcavit vilissimum, et contemptibilem omnibus reddens. Homo ille est Achis, apud quem coactus est simulare insaniam, 1. Reg. 21. Aut verius Saul, a quo lancea petitus, ex aula eiectus, morti destinatus, uxore et bonis atque dignitatibus nudatus. Ab eo enim non semel tantum, ut ab Achis, sed sæpius est impetitus; unde sequitur: TOTA DIE IMPUGNANS: Psalt. Roman. et Gallican. *bellans*, tota die, id est, assidue et perpetuo. Hebr. verti possunt etiam, *omni die.* Mentionem autem potius facit diei, quam noctis; quia de die fiunt ordinarii hostium insultus, deinde sub die etiam nox intelligitur: TRIBULAVIT ME. Hebr. ילחצני *ilchatseni*, id est, opprimet me, vim mihi inferet, me in arctas angustias rediget, arctatum tribulabit. Erat enim tunc David in arcta spelunca cum quadringentis militibus constrictus. Nota, quater in hac una sectione facit mentionem diei, ut intelligas eum hora prima, tertia, sexta, et nona afflictum esse, hoc est, tota die: in quatuor enim partes et Iudæi et Romani diem dividebant.

12. Vers. 3. Non solus Saul in Davidem sæviit, sed adulatores eius, et Davidis gloriæ invidentes, v. 3. CONCULCAVERUNT ME, Hebr. שאפו *sciaaphu, absorbuerunt*, me scilicet ac mea: in Hebræo enim nihil determinatur. Pagnin. *absorbere volunt.* Bona iam absorbuerunt, de me absorbendo cogitant: INIMICI MEI TOTA DIE: QUONIAM MULTI BELLANTES ADVERSUM ME. S. Hieron. addit, *Altissime*, id sumens ex sequenti versu, q. d. Sed licet multi sint, tu unus contra omnes sufficis, es enim altissimus, qui deiecto fulmine, et grandine, aliisque telis possis obterere omnes unico impetu; 2. Symmach. addit, ὑψηλότεροι, id est, altiores, superiores, q. d. Quomodo ego in spelunca tectus iis resistam, qui supra caput meum in monte ambulant, et divitiis atque honoribus me spoliatum superant? Perperam Pagninus vertit, multi bellantes *pro me* in excelso; 3. Campensis addit *superbe*, q. d. Acre et vehemens est prælium, cum superbi pedibus me premant. Ubi adverte, moris fuisse apud Iudæos et varias nationes, ut nonnunquam ante se prostratos hostes ipsosque reges calcarent pedibus atque calcari facerent, ut patet Ios. 10. 24. ubi Iosue videns quinque reges captos in illa celebri Gabaonitica victoria, in qua sol stetit, aliaque omnia sidera, dixit du-

A cibus suis: *Ponite pedes super colla regum istorum.* Ab hoste autem calcari erat molestissimum, ut patuit in Baiazethe Imper. qui se occidit, ne tantam contumeliam diutius a Tamerlane pateretur, qui eius dorso pedem imponens equum ascendebat.

13. Allegor. Christum calcant homines. Alleg. Christus queritur quod eum conculcavit homo, id est homines, q. d. Hoc maxime lugendum, ut me Deum cæli et terræ vilis homulus, ex humo et argilla factus, ideoque calcandus, proterat: ut me creatorem et benefactorem suum homo ingratus conculcet, cum omnes labores, sanguinem, ipsamque vitam in id unum conferam, ut illum elevem. Secundo, *homo*, id est Iudas, qui revera pedibus Christum calcavit in monte Oliveti cum caperetur, ut multi pie meditantur. Vide sub pedibus Iudæ Christum Domini, et aude alta sapere, et aliorum capitibus insidere. Tertio, *homo*, id est, ut ait Bruno Carthus. populus Iudæorum, qui Christum persequebatur. De Iuda præsertim explicandum videtur, de cæteris enim ait, multi bellantes adversum me: Conculcaverunt me inimici mei.

B *Tota die* autem eum impugnarunt, id est, tota vita, ait S. Hilarius; toto tempore passionis, ait Bruno Carthusianus; toto tempore ab eius passione, in Sacramento Eucharistiæ.

I. Veluti vermem. Nota, Christus calcatus est, primo velut vermiculus humi reptans. Ps. 21. 7. *Ego autem sum vermis* (Chald. vermis debilis) *et non homo: opprobrium hominum, et abiectio plebis.* Tertull. contra Marcion. vertit, nullificamen populi. Vide a me eo in Psalmo dicta.

II. Velut victum lixam. Secundo, Christus calcatus est, sicut miles victus, et in acie lapsus proteritur pedibus victorum hominum et equorum. Isa. 53. 6. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Hebr. est, Dominus *irruere fecit* in eum iniquitatem omnium nostrum. Quæ verba Forerius versans, Hic mecum, ait, Christiano lector, considera peccata tua, ac mea, partem illius exercitus extitisse, qui in Christum irruit: ita ipse. Quomodo non fremis tenens sub pedibus, hoc est, affectibus Iesum gementem, et causam tanti sceleris inquirentem?

C III. Velut leprosum. Tertio, Christus calcatus est velut leprosus, et lues orbis. Isa. 53. 4. *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit: et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra*, et per scelera. Tamerlanes rex Scytharum leprosos omnes occidi imperabat, ne urbes inficerent, sicut refert Chalchondylas: Iesus vero erat omnium salus et fragrantia: in eum tamen, velut in anathema, rabidi peccatores involant. Ps. 68. 27. *Quem tu percussisti, persecuti sunt: et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.*

IV. Velut uvam. Quarto, Christus calcatus est, velut uva et oliva in torculari crucis. Gen. 49. 11. De illo Iacob morti proximus dicit: *Ligans ad vineam* (ad Ecclesiam primitivam ex Iudæis collectam) *pullum suum* (populum Gentilem) *et ad vitem* (ad seipsum) *asinam suam*, Iudaicum populum iugo legis assuetum. *Lavabit in vino stolam suam*,

D (id est, in sanguine suo carnem suam, quæ est vestis divinitatis in ea et in anima latentis) *et in sanguine uvæ*, (id est, in sanguine suo) *pallium suum*, id est, Ecclesiam, qua velut pallio circumdatur et ornatur. Honorius Augustodunensis, qui floruit circa ann. 1220. duo ligna crucis torculari comparat lib. 1. de antiquo Missarum ritu, cap. 33. *Uva*, inquit, *in prælo duobus lignis expressa in vinum liquatur: et Christus duobus lignis crucis pressus, sanguis eius in potum fidelibus fundebatur*: Ita ille. Uva in torculari patitur, et homo inde ditatur et reficitur. Christus in cruce fundit sanguinem, et homo saginatur. Ipsius solius est labor, noster vero fructus. Isaiæ 63. 3. *Torcular calcavi solus*, in cruce, *et non est vir mecum*, qui patiatur, vix qui compatiatur, necessarii quoque mei recesserunt a me, ut dicebat Iob 6. 13. Ab hostibus vero suis, id est, a peccatoribus subsannatur et conculcatur. Chald. in Psal. nostro habet: *Conculcavit me ex incolis*

Geth homo sceleratus. Vel ex versione Nebiensis: *Conculcans coarctavit me adversarius meus, homo peccator.* Septuag. κατεπάτησαν, pedibus protrivit. Arabs, *elevatus est super me.* Superbi maxime Christum calcant. Sed caveant sibi ne puniantur. Audiant Paulum Hebr. 10. 29. *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti* (sanguinem ipsius Christi, qui novum fœdus inter Deum et hominem sancivit, de æterna hæreditate danda) *in quo sanctificatus est, pollutum duxerit, et spiritui gratiæ* (Spiritui sancto, gratiæ auctori in baptismo acceptæ) *contumeliam fecerit.* Hæc proprie dicuntur de apostatis, qui a Christo et eius fide atque Ecclesia recedunt; 2. de quolibet peccante mortaliter; 3. cum S. Ambrosio de iis, qui indigne suscipiunt sacramenta.

14. Indigne accedens ad Eucharist. calcat Christum.

Secundo itaque, Christum conculcant, qui indigne accedunt ad Sacramenta, præcipue ad Eucharistiam, quod ipsi molestissimum est. Primo, quia sæpe fit. S. Laur. Iust. tract. de casto connubio Verbi et animæ, cap. 24. *Semel,* ait, *Christus pretio traditus est in carne, sed millies in sacramento: die una suæ pertulit ludibria passionis: quotidie vero ab infidelibus ministris super mensam altaris.* Et aliquando reipsa hostiæ pedibus calcantur, in lutum proiiciuntur, glandibus ferreis traiiciuntur, et alia indigna patiuntur: et licet Christus nihil ex iis patiatur magis quam radius solis a luto vel telo: calcari tamen se arbitratur in hostia, sicut rex in sua veste. Paulus ait 1. Cor. 11. 28. *Quicumque manducaverit panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Neglecti scilicet, indigne tractati, violati et conculcati. S. Chrysostomus ibi ait: *Reus est talis cædis dominicæ, ac si Dominum occidisset, et Christi sanguinem effudisset.* S. Cyprianus serm. de lapsis: Vis, ait, infertur corpori Domini, et ore ac manibus in Dominum delinquitur. Abulensis aptius adhuc ad Psal. nostr. *Hoc peccato conculcatur corpus Domini.*

Eucharistiæ elogia.

Secundo, molestum est Christo indigne suscipi in Eucharistia, 1. quia, ut ait Guitmundus Archiepiscopus Aversanus lib. 1. de veritate Euchar. *Fructus vivificæ carnis* est Eucharistia; 2. ut ait S. Cyprian epist. 6. *honor Ecclesiæ;* 3. ut Tertull. lib. 2. contra Marcion. cap. 22. *sacrificium mundum gloriæ;* 4. ut S. Ignatius epist. 14. ad Ephesios, *Dei gloriæ;* 5. ut Albertus, profusio divinitatis. Verba eius sunt: *Magna dona Christi in hoc convivio, corpus dedit in cibum, sanguinem in potum, animam in pretium, deitatem in condimentum exhibendo.* Et dist. 3. tract. 1. cap. 7. *Fons delectationis est corpus Christi, et rivi derivati a fonte sunt, qui singulis viribus, et virtutibus, et potentiis, et membris diriguntur;* 6. diluvium et inundatio gratiarum est Eucharistia. S. Chrysost. hom. 61. ad populum: Hic est, inquit, salus animarum nostrarum, hoc abluitur anima, hoc adornatur, hoc inflammatur. S. Laur. Iustin. de disciplina monasticæ conversat. cap. 19. *Fit,* inquit, *ex ipsa sumptione Eucharistiæ in sumentibus eam digne, fomitis mitigatio, gratiæ collatio, virtutum roboratio, peccatorum remissio, contra diabolum armatio, spei elevatio, amoris excitatio, fidei commendatio, angelica convivatio, regni cælestis largitio, intellectus illuminatio, et omnium bonorum participatio;* 7. Eucharistia est sacrificium rememorativum Passionis Christi.

Eucharistia est sacrificium rememorativum passionis.

Franco Abbas Affligeniensis, de gratia Dei, tom. 10. Pulchre, ait, in pane et vino memoria Dominicæ passionis peragitur, quorum utrumque quodammodo patitur, teritur, premitur: quia sicut grana teruntur, ut panis fiat: sic et uvæ calcantur, ut vinum fluat. Concilium Turon. 2. can. 3. iubet, ut Eucharistia sub titulo crucis ponatur. S. Paulinus etiam ritum illum fuisse antiquum monstrat, cum canit epist. 12. ad Severum:

Sub cruce sanguinea niveus stat Christus in agno,
Sanctam fatentur crux et agnus victimam.

Aspectu crucis disce in Eucharistia esse memoriam Passionis. Eam animo nostro memoriam imprimi Christus optat, et suo iure imperat. Algerus Scholasticus Leodiensis et postea Monachus Cluniacensis, qui floruit circa annum 1130. et, sicut ait Petrus Cluniacensis, optime, plenissime, et perfectissime de Sacramento Eucharistiæ scripsit, lib. 1. cap. 22. ait: *Nec ante, nec post se, ipsa passionis et transitus sui hora sacramentum corporis sui dedit et sanguinis: ut unde dabat exemplum, daret etiam mysterii exordium: quatenus nostræ memoriæ arctius passionis suæ characterem imprimeret.* Os quoque et cor integrum fonti illi apprimamus, et defluum nectar hauriamus. S. Cypr. de Cœna Domini: *Ipsum,* ait, *Domini sanguinem sugimus, et intra ipsa Redemptoris nostri vulnera figimus linguam.* Imitemur S. Ioannem, qui in hac se fluenta immersit, post sacros hos liquores in pectus se Salvatoris immittens. S. Gregor. Nyss. hom. 1. in Cant. *Verbi,* ait, *amavit ubera Ioannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit, et veluti quamdam spongiam cor suum apposuit fonti vitæ, et ex ineffabili quadam traditione repletus Christi mysteriis, nobis quoque exhibet mamillam a Verbo impletam; nosque implet bonis, quæ ei a fonte sunt indita:* ita Gregorius.

Tertio, Christum conculcant, qui eius membra, id est viros iustos calcant. Quanta crudelitate calcati sint Martyres, vide Ps. 43. Impietas est bestia illa terribilis omnia conculcans. Daniel 7. v. 7. *Post hæc aspiciebam in visione noctis, et ecce bestia quarta terribilis, atque mirabilis, et fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, et reliqua pedibus suis conculcans.* Sed noli timere illam conculcationem, utilis est et optabilis. S. August. Tenetur, inquit, in torculari corpus Christi, id est, Ecclesia. Noli timere, quia conculcavit te homo. *Vinum habeto, uva factus es ut calceris:* ita Augustinus. 15.

15. Christum calcat, qui calcat eius membra.

Tropolog. Peccator ad Deum convertere se volens ingemit, quod eum conculcet homo, id est, diabolus qui est inimicus homo, cui iunguntur multi bellantes, sensus scilicet depravati atque passiones. Primo, luxuria mancipium suum in luto calcat. Eccli. 9. 10. *Mulier fornicaria quasi stercus in via conculcabitur.* Secundo, ira calcat compungendo. De Gedeone irato contra viros Soccoth, sibi iniurios, dicitur Iudic. 8. 16. *Tulit ergo seniores civitatis, et spinas deserti ac tribulos, et contrivit cum eis, atque comminuit viros Soccoth.* Tertio, avaritia conculcat. S. Chrysost. tract. quod nemo læditur nisi a seipso, t. 4. fol. 578. *Avaritia,* inquit, ὡς δέσποινα ἀπανθρώπως, καὶ ὡς βάρβαρος ὠμή, καὶ ὡς πόρνη πάνδημος, *tamquam inhumana domina, tamquam sævus tyrannus, et barbara quædam immanis, tamquam meretrix publica, pretiosa dedecorat, conficit, et plurimis obiicit periculis ac pœnis, eos qui illi servire in animum induxerunt. Cumque sit terribilis, acerba, crudelis, sæva, vultu barbarico, quin potius ferino, et quam lupus et leo, truciore, mansueta tamen et expetenda, et melle dulcior esse videtur captivis eius.* Quarto denique, superbia præsertim servos suos calcat. Iob 18. 14. *Calcet super eum* (impium) *quasi rex, interitus,* id est, diabolus, ait Hugo: de eo enim habes Apoc. 6. 8. *Nomen illi mors.* Pes superbiæ, quem timebat David Ps. 35. 12. cum ait: *Non veniat mihi* (id est, contra, et super me) *pes superbiæ.* Pes ille superbiæ explicari potest Michaelis Balbi contra Thomam tyrannum et superbum facto. Thomas ille ex obscurissimo homine, ut ait Baronius tom. 9. ann. 822. num. 14. famuloque viri senatorii Constantinopoli ob pœnæ metum, quod invasisset thorum eius, factus est transfuga ad Saracenos, ubi ad viginti quinque annos, eiurata Christiana fide permansit. Postea vero rediens ad Romanos, se Constantinum finxit esse, filium Irenæ Imperatricis, et sub Leone Armeno occupavit Armeniam, et alias regiones. Creato autem Michaele Balbo Imp. ipsam urbem Constantinopolim obsedit, sed ope Michaelis regis Bulgarorum sponte auxilium impendentis victus, et postea a Balbo Hadrianopoli vivus captus est. Hunc Cedrenus in compendio histor. num. 201. docet, more dudum recepto ab Imperatoribus, et consuetudine confirmato, læsæ reum maiestatis, iussum a Michaele Balbo porrectum iacere in pavimento: eius autem cervicem *pedibus*

16. Tropol. Peccator gemit ad Deum se volens convertere, quod a vitiis calcetur. 1 a luxuria 2 ab ira. 3 ab avaritia. 4. a superbia.

Michael Balbus calcat hostem suum.

suis conculcasse: tum pedibus manibusque truncatum, asinoque impositum, spectaculi loco per castra fuisse circumductum. Quid tum ille porro? Nihil aliud præter has voces Psalmi nostri verbis non omnino absimiles: *Miserere mei, qui verus es rex.* Pari severitate punivit filium eius adoptivum Anastasium exmonachum.

ARTICULUS II.

Prosperitas impiorum timenda est, illi opponenda est spes in Deum.

17. Vers. 4. 1 Pars. SAULIS et hostium exposita crudelitate in articulo primo; nunc miseriam suam aperit ob timorem inde ortum, quem tamen statim corrigit ope gratiæ elevans spem in Deum, v. 4. AB ALTITUDINE DIEI TIMEBO: EGO VERO (tamen: pro *vero* nihil est in Hebræo, sed additum est explicationis gratia) IN TE SPERABO. Nota, τὸ *ab altitudine*, ut dixi, aliqui iungunt cum præcedentibus, q. d. ut vertit S. Hieron. *Multi qui pugnant contra me, Altissime* (Pagnin. in excelso, Symmach. altiores, Campens. superbe) *Quacumque die territus fuero, ego in te confidam.* Sed melius et elegantius Septuag. Noster, S. Hilar. S. August. et alii iungunt sequentibus. Sensum mox subtexam. Nota secundo, in Græco textu nunc est: *Ab altitudine diei* (S. Hilar. dierum) *non timebo.* Sed S. Hier. in epist. ad Suniam et Fretellam dicit negationem esse superadditam. Syr. et Arab. qui secuti sunt Septuaginta interpretes, illam non habent, neque est in Hebræo. Nota tertio, quidam cum interrogatione legunt: *Ab altitudine diei timebo?* q. d. Nequaquam timebo: ita Lindan. Aigu. Iansen. Iansonius, Titelm. Hugo, Dionys. Carthusianus, Bruno, Ruffin. Haymo, et alii. Quid timerem, cum sit altitudo diei, unius scilicet tantum, quæ statim vergit in occasum, non stat illa altitudo magis quam rotæ summitas.

18. Quid est timere ab altitudine diei. Quæres, quid est timere ab altitudine diei? Respond. timere tempore altæ diei, est timere quamdiu sol erit altus supra nostrum hemisphærium et horizontem, donec nox tenebris suis texerit speluncam Odollam, in qua cum quadringentis militibus meis lateo: da nocte securus sum,
I. Sensus litteralis. sed de die intercipi nullo negotio possum. Hic sensus est maxime litteralis. Pagn. vertit, in die timebo. Felix, per diem timebo. Magnet. *Luce palam capiti super incumbente procella terreor.* Petav. Hac in die vehementer metuens, in qua mihi gravia multa ex alto impendent.

II. Etiam litteralis et bonus. Secundo, etiam ad litteram, *ab altitudine diei timere*, est timere a potentia, felicitate, superbia, severitate at indicio Saulis, atque hostium sibi invidentium: ita S. Aug. Hieron. Hugo, et alii. *Dies* enim ob lucem est symbolum felicitatis; 2. ob elevationem solis, est symbolum potentiæ et superbiæ; 3. ob ardorem, severitatis et afflictionis; 4. ob lucis, penetrationem ad intima corporis diaphani; dies notat examinationem iudicis omnia videntis et scrutantis: lux, herbas, flores, arbores, homines, ac cætera in terris posita exhibet oculis nostris; et sagacitas, diligentia, ira iudicis penetrat ipsa cordium secreta. Timendum porro erat Davidi ab altitudine *diei*, id est potentiæ regiæ Saulis, cum in eum summo odio arderet, et capitali supplicio eum afficere posset. Ubi adverte magnam felicitati cum luce affinitatem esse. Primo enim, utraque tristitiæ caliginem depellit. Secundo, omnia nobis ridentia ostendit et facit. Tertio, lux calorem vitalem arboribus, plantis, hominibus ac cæteris affert, atque prosperitas menti. Quarto, lux torporem excutit, et ad opus strenue agendum invitat: prosperitas cor dilatat, et membris robur addit, ac pedibus alas nectit, ut eo evolent, ubi thesauros apertos sentiunt. Quinto, lux securum iter præ-
19. stat; felices nihil est quod retardet, ante eorum oculos
In corona regum erant radii. cuncti se subducunt.

Nota, reges olim sæpe auratis radiis caput suum cingebant, ut instar solis lucerent in aulæ cælo inter suos principes, velut stellas. Hoc de Latino rege dicit Virgilius lib. 12. Æneid. *Aurati bis sex* (duodecim) *radii fulgentis cingunt, tempora.* Ad eum morem alludit auctor Panegyrici dicti Maioriano Imper. *Trabeæ vestræ triumphales*, ait, *et fasces consulares, et sellæ curules, et hæc obsequiorum stipatio, et fulgor, et illa lux divinum verticem claro orbe complectens, vestrorum sunt ornamenta meritorum pulcherrima, et augustissima.* Persarum reges, ob splendorem illum, fratres se solis et lunæ nominabant, veluti cum illis orbem partiti, terram sibi illustrandam esse censerent, illis cælum relinquerent. Eo fortasse spectavit Alexander Asiæ triumphator, et Persarum domitor, cum Dario ultimo eorum regi partem imperii offerenti respondit: *Neque mundum posse duobus solibus regi: neque orbem summa duo regna salvo statu terrarum habere.* Cedrenus p. 141. ait: Octavium qua nocte natus est Augustus, vidisse exorientem solem e sinu uxoris suæ.

Altitudo illa solis mundani timenda est. Primo, quia sicut sol oriens, statim omne lumen stellarum obscurat, 20.
ita felicitas superborum omnem gloriam aliorum tollit. Altitudo
Secundo, sicut sol, cum est altus, exurit herbas, flores, felicitatis timenda est:
segetes, ipsos homines, unde illum ipso in exortu Atlantes execrabantur, quod eos ureret: ita superbus elevatus 1.
omnia exsiccat. Hinc Plinius in Panegyrico Traiani Imp. 2.
indicat, omnes potentes et magnos cum aliorum ruina crescere; ideo eum laudat, quod neminem deiiceret, ut ex eo augeretur: *Tu*, ait, *maior omnibus quidem eras, sed sine ullius diminutione maior.* Sæpissime vero, ut loquitur S. Bernard. lib. 4. de Consideratione ad Eugenium, *in plateis divitum pauperes seminantur*, ut scilicet eorum sanguine fœcundata terra messem auream et gemmeam otiosis afferat. Plinius senior miratur in obelisci seu pyramidis vertice pilam fuisse positam, quæ umbra sua nihil obscuraret illius. Verba eius sunt lib. 36. cap. 10. *In eo obelisco, qui est in campo, divus Augustus addidit mirabilem usum ad deprehendendas solis umbras, dierumque* Pila columnæ mirabilis non faciens umbram.
ac noctium magnitudines strato lapide ad obelisci magnitudinem, cui par fieret umbra Romæ confecto die sexta hora; paulatimque per regulas (quæ sunt ex ære inclusæ) singulis diebus decresceret, ac rursus augesceret, digna cognitu res, et ingenio fœcundo. Et ad rem nostram subiicit: *Manlius Mathematicus apici auratam pilam addidit, cuius vertice umbra colligeretur in semetipsam, alia atque alia incrementa iaculantem apice; ratione (ut referunt) a capite hominis intellecta.* In rebus humanis, et præsertim aulicis, quo quis est altior, eo maiorem umbram facit, et sibi proxima obscurat.

Magnam timoris esse vim in ipso meridie, docet Hippocrates in lib. de virginum morbis: docetque, nonnunquam adeo fortiter pavere homines, ut delirent, et dæmo- 21. Meticulosi.
nes quosdam se videre putent ipsis infestos: quandoque nocte, quandoque interdiu, aliquando autem utroque tempore: et ab huiusmodi spectris multos se iam strangulasse et prosiliisse in puteos, tamquam meliora sint hæc, et omnem vitæ utilitatem excedentia: ita Hippocrates. Vim timoris sui aperit Plinius iunior in epist. ad uxorem suam Calpurniam ægrotantem: *Vereor omnia*, inquit, *imaginor omnia: quæque natura metuentium est, ea maxime, quæ maxime abominor, fingo.* Quid poterat sibi David fingere in lethali speluncæ umbra, Saule velut sole in toto illo tractu radiante?

Anagog. *Altitudo diei* est dies iudicii, in qua Christus altissimus et fulgidissimus omnes terrebit vel sanctissimos. Iob 26. 11. *Columnæ cæli contremiscunt, et pavent ad* 22. Anagog.
nutum eius. Sophon. 1. 14. *Vox diei amara, tribulabitur ibi fortis.* Ab altitudine diei timebo, ait Bellarminus, id est, a divinis iudiciis, quæ procedunt ab altissimo lumine, quale est in meridie, quod lumen omnia penetrat etiam intima cordium: sed cum timore spem quoque adiungam? ego enim, qui timebo ab altitudine luminis tui, simul etiam in tua misericordia et bonitate confidam: ita ipse.

Alleg. Christus, qui crucifixus est hora meridiana, timet Allegor.

ab altitudine diei. In eruce enim omnium sannis expositus est nudus. Unde sol obscuratus est, et luna non dedit lumen suum.

23. Tropol. Propria felicitas timenda est. Tropol. *Ab altitudine diei* timebo, id est, ab altitudine prosperitatis meæ: ita Hugo, qui ait id dici ab Ecclesia, vel anima. Ut enim ait S. Gregor. Cum utraque fortuna sit timenda, magis timenda est prospera, quam adversa. Ps. 68. *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me.* Quid sit autem tempestas, docet Gregorius, dicens: *Quid est tempestas culminis, nisi tempestas mentis?* Dicebat Propheta Ierem. cap. 17. 16. *Diem hominis non desideravi, tu scis.* S. Ignatius: Ut sanus, inquit, sim in iis, quæ ad Deum pertinent, vehementius tamen mihi verecundum est, et cavendum ab his qui me temere inflant: laudantes enim me flagellant. Clemens Alexand. apud Maximum, serm. de laude, refert, assentatores quosdam beatum quemdam sapientem prædicasse, illum vero dixisse ad eos: si me laudare destiteritis, ex discessu vestro magnum aliquem meipsum cogitabo. Si vero laudare non desinitis, ex laude vestra meam coniicio impuritatem.

24. Symbol. Scientia magna est timenda. Symbolice, *Ab altitudine diei* timebo, ait Hugo, id est, a profunditate scientiæ: quia sicut dixit Gregorius, ubi maius est donum scientiæ, ibi transgressor maiori subiacet culpæ, Ecclesiastæ 1. quia qui addit scientiam, addit et dolorem. Secundo, idem Hugo dicit, esse vocem Ecclesiæ primitivæ conquerentis, quod in diebus festivis strages Martyrum fiebant, sicut Ioannes decollatus fuit in die Natalis Herodis, Marc. 6. et dicitur 2. Machab. 6. Ducebantur cum amara necessitate in die Natalis regis ad sacrificia; et Act. 12. Volebat Herodes in tempore Paschæ interficere Petrum. Et similiter Christus fuit crucifixus in die festo, licet Iudæi dixissent, Matth. 26. *Non in die festo.* Est etiam vox Christi conquerentis de peccatis; quæ modo frequentius perpetrantur in festis, quam in profestis diebus: ita ille.

25. Vers. 4. 2. Pars. In uno Deo sperandum est. Timori opponit spem; postquam enim dixit: *Ab altitudine diei timebo*, addit: *Ego vero in te sperabo*, q. d. In te uno, et in nullo alio. Primo, quia omnis alia spes vana est. S. August. in Ps. 36. *Heu,* inquit, *spes caduca mortalium! speras in pecunia, speras in homine, et sublimitate aliqua potestatis humanæ, speras in amico aliquo potente: in his omnibus cum speras, aut tu expiras, aut cum*
1. *vivis omnia pereunt, et in spe tua, tum et ipse deficis et cadis.* Hæc est altitudo diei, quæ statim vergit in occasum, ac sibiipsi stabilitatem reperire non potest, longe minus aliis. Secundo, Deus unus ad omnia sufficit, et contra omnes satis potens est. Hoc prædicat Asa rex Iuda,
2. qui videns Zaram regem Æthiopum intrasse in Iudæam, cum decies centenis militum millibus, et trecentis curribus, sic orat 2. Paralip. 14. 11. *Domine non est apud te ulla distantia, utrum in paucis auxilieris, an in pluribus: adiuva nos Domine Deus noster. In te enim, et in tuo nomine habentes fiduciam venimus contra hanc multitudinem: Domine Deus noster tu es, non prævaleat contra te homo.* Hæc spes et oratio victoriam tantam effecerunt, ut nullo e Iudæis desiderato Æthiopes cæsi sint ad internecionem: id est, omnes omnino, ne uno quidem superstite. Ratio datur v. 13. *Quia Domino cædente contriti sunt, et exercitu illius præliante,* Dei scilicet, cuius angeli prostraverunt Æthiopes. S. Basilius Seleuciæ dicit, orat. 20. Miseria ipsa dat patronos. Tertull. Humanam, ait, apponit necessitatem, tamquam deprecatricem: ita ille. David dixerat, *Miserere mei,* miseriam suam declarans, et mala instantia deprecans, nunc se exauditum sentiens spem in Deum erigit: hæc, ut dicit S. Chrysost. serm. de fide, *patientiæ radix est*, ut S. Zeno Veron. Episc. serm. de fide et spe: *Spes est fidei gloria.* Illa est clypeus Iosue quem levans contra urbem Hai obtinet victoriam, Iosue 8. 18. addit Zeno: *Tolle spem, torpet humanitas tota: tolle spem, artes virtutesque universæ cessabunt: tolle spem, et intercepta sunt omnia.*

26. Vers. 5. 1. Pars. Effectum spei duplicem subtexit David: nempe Dei gloriam et laudem; 2. securitatem nostram; dicit enim v. 5.

A In Deo laudabo sermones meos. S. Hilar. Cassiodor. et Psalt. Vaticanum, *tota die,* quod emendata Biblia Græca iungunt sequentibus: In Deo speravi: non timebo quid faciat mihi caro.

Primo igitur, in Deo sperans eum laudat in factis suis et verbis: *In Deo laudabo sermones meos*, id est, actiones meas, et omnia quæ mihi accident, sive prospera, sive adversa. Hebraicum enim דבר *dabar,* id est, verbum seu sermo, sæpe sumitur metonymice pro re verbo significata. Secundo, et melius: *In Deo laudabo sermones meos*, id est, eos quos dixi militibus meis, ut eos animarem ad me sequendum: nempe, me unctum esse in regem Israel a Samuele, ut Sauli succedam: hos ego sermones laudabo, et in iis gloriabor; non fidens meis viribus, sed Deo. Ubi adverte, id innotuisse aliquibus saltem, et fortasse omnibus, qui eum sequebantur: unde cum esset in deserto Engaddi, et Saul ingressus esset speluncam, in qua erat, dixerunt ei, 1. Reg. 24. 5. *Ecce dies de qua locutus est Dominus ad te: ego tradam tibi inimicum tuum, ut fa-*
B *cias ei sicut placuerit in oculis tuis.* Certe, saltem Davidis pater Iesse, et fratres eius Eliab, Abinadab, Samma, et alii quatuor, qui unctioni eius adfuerant, et ob Saulis metum ad illum fugerant, rem sciebant: et de ea David cum ipsis loquebatur, animos addens, et spem in Deum erigens. Tertio, plene et adæquate, *in Deo laudabo sermones meos,* tam modo dictos, quam eos quos mox subtexam, scilicet *non timebo quid faciat mihi caro;* non enim potens satis sum in omnes, sed cum Deo omnia possum. Item, omnes alios sermones quos proferam, sive in oratione, sive extra. S. August. in Ps. nostr. *Quid habes*, inquit, *quod non accepisti? In Deo lauda sermones tuos, ut in Deo lauderis sermonibus Dei.* Amor Dei efficit, ut eum laudemus. Æthiopes id docent, apud quos Diaconus in Missa dicit: *Orate pro nobis, et pro omnibus populis Christianis, et illorum memoriam facite, qui nobis dixerunt, ut sui recordaremur. Laudate et psallite cum voce, et amore Iesu Christi.*

Spes in Deum efficit, ut eum laudemus.

C Secundo, spes in Deum omnes timores mundanos excludit. Itaque David ait: *Non timebo quid faciat mihi caro,* id est, homo. Est synecdoche. Ubi adverto, quod τὸ *caro* notat primo hominis vilitatem. Secundo, imbecillitatem et infirmitatem. Tertio, brevitatem vitæ: caro enim brevi futura est putredo et vermis. Deus vero potens est atque æternus et excellentissimus, qui solus contra omnes hostes potest tueri, et est servis suis murus ignis in circuitu. Unde dicebat Cassiodorus lib. 2. epist. 18. *Absit ut nostris temporibus urbs Roma muris videatur protegi, quam constat gentibus vel sola opinione fuisse terrori: ita enim de divino speramus auxilio, ut quæ semper fuit libera, nullius inclusionis decoloretur iniuria.* Robur illud mentis assumendum est, alioqui vel vilis homuncio nos conculcabit. Seneca epist. 14. *Verendum est ne in contemptum nos invidiæ timor transferat: ne cum calcari nolumus, videamur posse calcari.*

Et timorem omnem pellamus.

Ratio a priori, cur non timeat iustus, quid faciat sibi
D caro, petitur ex eo quod *in Deo solo laudet sermones et actus suos, hoc est, illi uni serviat,* ab illo solo laudari et amari curet: sicut qui coram Rege certat, aut in agone contendit, illius unius applausum optat et quærit. S. Chrysost. in cap. 4. epist. 1. ad Corinthios: *Ne,* ait, *aliorum laudes requiramus. Hoc enim Deo iniuria est, quod eo omisso ad conservos festinemus:* ita ipse. Satis amplum nobis theatrum est Deus, illi uni vivamus; quod aliis vixerimus, pro nihilo ducamus. Hoc sentiebat S. Barlaam apud Damascenum in histor. cap. 18. Rogatus enim a Iosaphat regis filio, quot annos vitæ haberet, respondit 45. licet enim sim 70. annorum, tamen tantum ex eis 45. Deo in monastica vita servivi: illud autem solum tempus vitæ computo: quod enim in vanitate et otio transigitur, tempus mortis est, non vitæ.

Quid faceret illi caro, id est, carnalis Saul et eius sequaces, subtexit David, vers. 6. Tota die verba mea (præsertim de liberatione mea, et futuro regno) execra- Vers. 6.

BANTUR: ADVERSUM ME OMNES COGITATIONES EORUM (sunt) IN MALUM.

27. Vers. 7. Varietas lectionum. Et v. 7. INHABITABUNT (Hebr. יגורו *iaguru*, id est, incolent, habitabunt; 2. commorabuntur; 3. congregabuntur; 4. irruent; 5. pavebunt) ET ABSCONDENT, se videlicet, ut me intercipiant. S. Hier. per hendiadym vertit, *congregabuntur abscondite*. Hebr. יצפנו *itspinu*, legitur in textu, sed ponitur circulus o supra illam vocem, ut indicetur aliter esse legendum, quam scribatur, et in margine ponitur *itsponu*, quod est futurum in Kal, a verbo *tsaphan*, abscondere, occultare, insidiari. Sed mihi non videtur esse necessaria mutatio ullius litteræ, sed tantum puncti, et legendum est *iatspinu*, quod erit futurum in Hiphil: licet enim ut plurimum coniugatio Hiphil denotet actionem, aliquando tamen intransitive sumitur pro neutro, sicut Kal. Deinde *iatspinu* hic potest significare actionem, q. d. Abscondent se et alios, id est, ponent mihi insidias occultando milites et alios qui me impetant. Non erat igitur necesse, ut hic Massoretæ ponerent Keri chetib, id est, illum circulum, qui indicet aliter scribi, aliter legi. Nam puncta sunt ab iis posita, itaque poterant ponere patach pro chirik, id est, a pro i, *iatspinu*, pro *itspinu*, seu *itsponu*. Minus commode alii volunt legi *itspenu*, a *tsapha*, id est, speculari, observare oculis ad insidiandum, expectare. Non enim apparet cur interseratur *nun*, ita ut *itspenu* significet abscondent: sed significaret, aspiciet nos.

IPSI CALCANEUM MEUM (Hebr. עקבי *akebai*, plantas mea: ita S. Hieron. calcaneos meos: ita Flamin. vestigia mea: ita Arias. Est synecdoche, calcaneus ponitur pro pede, et præsertim pro tota planta pedis. Est etiam metonymia, quia ponitur calcaneus seu planta pedis pro vestigio ab illis impresso) OBSERVABUNT, sicut solent venatores observare vestigium feræ, ut videant ubi maneat, quo ad pastum pergat, qua via fugiat, sicque eam capiant et supplantent pede impresso prostratæ et iacenti. Nam *akeb* calcaneus dicitur ab *akab*, supplantare. David fugerat in speluncam Odollam; cum itaque nusquam appareret, emissarii Saulis in toto monte scrutabantur omnia, et investigabant num appareret aliquis trames eius vestigiis notatus, ut eius ductu ad locum ubi latebat, pervenirent: perinde quasi ursum, aut lupum, ac leonem mactandum quærerent.

28. Tropol. Diabolus observat calcaneum, id est, operis et vitæ finem. Tropolog. *Observat* diabolus *calcaneum*, id est, finem vitæ nostræ, et omnis actionis bonæ, licet in fine et progressu nihil fecerit. Primo enim, sæpe fatigati deficiunt, ut accidit illis duobus Iaponensibus, qui e mediis ignibus, quos pro Christo patiebantur, ad Xadam et Amidam idola Iaponum resilierunt: et in eo, qui cum quadraginta Martyribus in lacu frigido iam erat animam exhalaturus. Secundo, quia scit diabolus solam perseverantiam coronari. Vide dicta Ps. 48. 6. in illud: *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.*

29. Allegor. Allegor. S. Hilarius hæc explicat de occultis insidiis, falsis testimoniis, captiosis interrogationibus contra Christum, et de conspiratione eum supplantandi, ac perdendi.

Symbol. Symbolice. Hæretici calcaneum Christi, et corporis eius, quod est Ecclesia id est extremos, infirmos, rudes et imperitos paupertate et vitiis abiectos observant, ut eos supplantent. Similes sunt Amalecitis, qui pigros et fatigatos in exercitu Israelitarum pergentium ad terram promissionis trucidarunt. Deuter. 25. 17. *Memento quæ fecerit tibi Amalec in via, quando egrediebaris de Ægypto* (necdum eras progressus multum in virtute) *quomodo occurrerit tibi, et extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit.* Huius rei memor, esto fervens, et in primo agmine ambula, et non te supplantabit, aut intercipiet hostis.

30. Timendæ non sunt malevolæ affectiones hominum. Moral. Nec maledictiones et execrationes hominum, nec cogitationes malignas, nec actiones insidiosas et iniurias cura, modo possis in Deo laudare sermones tuos. Primo, cogitationes et affectiones aliorum tibi non nocent, sed ipsis: sunt enim actus immanens et extra eorum intellectum, voluntatem, appetitum non transiens. Sunt telum in eos se reflectens; arcus dolosus est eorum anima; in alios iaculatur, se occidit. Invidus cor suum edit, superbus præcipitat, avarus exsiccat, iratus transfodit, gula suffocat, luxuria putrefacit, pigritia dissipat et perdit.

Secundo, impii verbis appetunt pios: *Verba mea execrabantur.* S. Hieron. *Sermonibus me affligebant*, id est, affligere contendebant. Sed hoc non est curandum. Nec verba, et cur? Primo, 1. quia verba non sunt verbera, per aerem volant, et in eo dissipantur, sunt inanis bombardæ fragor sine glande ferrea, aut plumbea, quæ risum moveat, et ruinam non inferat. Seneca lib. de Clementia, cap. 10. refert, quod Augustus Cæsar conviciis in se iactatis non irascebatur, sed arridebat. Hæc neglexerunt Augustus, Tiberius, Titus. Sveton. in Tiberio ait, ipsum convicia dissimulasse, ac dicere solitum, *In libera civitate liberas esse linguas.* Xiphilinus in vita Titi Imperatoris affert hoc eius dictum: *Nihil ago, ob quod reprehendi merear: ea vero, quæ de me falso dicuntur, prorsus negligo.* Secundo, si 2. omnia quæ de te dicuntur, attendas, eris semper inquietus; impossibile enim est, omnium ora occludere. Plutarchus lib. de cohibenda ira: Accurate, ait, scrutari inquirendo omnia, atque in medium protrahere omnia servi negotia, omnes amici actiones, omnia filii studia, omnes uxoris susurros: ea vero res iras gignit multas, atque continuas et quotidianas, quarum summa eo redit ut morosi intractabilesque reddamur. Tertio, nullus evitavit 3. linguas maledicorum et invidorum. Si Christum Beelzebub, Samaritanum potatorem vini, seductorem, blasphemum vocaverunt, quanto magis servos eius? Seneca lib. 3. de Ira, cap. 24. *Dicat*, inquit, *quisque sibi quoties lacessitur: Numquid potentior sum Philippo? Illi tamen impune maledictum est. Numquid in domo mea plus possum, quam toto orbe terrarum divus Augustus potuit? Ille tamen contentus fuit a conviciatore suo secedere. Quid est, quare servi mei hilarius responsum, et contumaciorem vultum, et non pervenientem usque ad me murmurationem flagellis et compedibus expiem? Qui sum, cuius aures lædi nefas sit? Ignoverunt multi hostibus, ego non ignoscam pigris, negligentibus, garrulis? Puerum ætas excuset, fœminam sexus, extraneum libertas, domesticum familiaritas. Nunc primum offendit? cogitemus quamdiu placuerit. Sæpe et alias offendit? feramus quod diu tulimus. Amicus est? fecit quod noluit. Inimicus est, fecit quod debuit. Prudentiori credamus, stultiori remittamus.* Quarto, verba 4. maledicorum fortiores nos reddunt, sicut flatus Aquilonis roborat et conservat arbores. Plutarchus in Apophtegmatis, illud habet Philippi regis Macedonum: Primatibus enim contra ipsum obtrectantibus ait: Gratias illis habeo, quia eorum obtrectatione fio melior, dum factis conor illos mendacii convincere. Quinto, ab hominibus maledicti, sumus Deo gratiores, sicut aroma contusum suaviorem odorem aspirat. S. Hieron. ad Pammachium de obitu Paulinæ: *Prima monachi virtus est, contemnere hominum iudicia, et semper Apostoli recordari dicentis, Galat.* 1. 10. *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Tale quid et Dominus loquitur ad Prophetas: quod posuerit faciem eorum, quasi urbem æneam, et lapidem adamantinum, et columnam ferream: ne paverent ad iniurias populi, sed impudentiam subsannantium frontis rigore contererent.* Sexto denique, maledictus ab hominibus, a Deo benedicitur, et beatitudine donatur. Matth. 5. 11. *Beati estis, cum maledixerint*, Græce, ὀνειδίσωσι, exprobrarint, *vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes*, Syr. mendacio mentientes, id est, præfracte et impudenter mentientes, et mendacia sua defendentes, *propter me. Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.*

Tertio, actionibus nocet impius pio, et calcaneum eius 31. Non sunt timenda facta impiorum. observat, ut eum supplantet; sed vir pius non timet, quid faciat ei caro. S. Dionysia martyr inter ictus virgarum, et sanguinem toto corpore fluitantem, filiolum unicum trepidantem, ad martyrii consortium hac voce animabat: *Illa pœna timenda est, quæ nunquam finitur: illa desideranda vita, quæ semper habetur.* Qua ille solidatus forti-

ter obiit, ut tradit Victor Utic. lib. 3. Vandal. persecut. In Midras, sive Glossa et expositione Ecclesiastæ dicitur: *Felices iusti, quibus accidit iuxta facta impiorum, quia amplissima illis merces et gloria est reposita. Contra, væ* A *impiis, quibus accidit iuxta facta piorum, quia attolluntur, ut gravius corruant.* Ut enim ait Plinius lib. 16. 35. Hedera complexu necat arbores, ita fortuna prospera dum blanditur, strangulat et perdit.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

32. *Tria complectitur. Primo, pœnam hostium Davidis, vers. 8. Secundo, liberationem eius, vers. 11. Tertio denique, gratiarum actionem, vers. 12.*

PARAPHRASIS.

8. *Sicut sustinuerunt animam meam, pro nihilo salvos facies illos: in ira populos confringes.*	8. Quemadmodum insidiis suis vitam mihi eripere moliuntur, et expectant, donec animam meam a corpore divellant: ita tu Deus pro nulla re eos incolumes et indemnes abire patieris. Sed iustitiæ tuæ severitate in arctum compulsos conteres, eorumque multitudinem omnem in pulverem rediges.
9. *Deus vitam meam annuntiavi tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.*	9. Calamitates et pericula vitæ meæ, variasque migrationes et agitationes, tibi supplex exposui: eaque fuisti bonitate et facilitate, ut lacrymas dolore tantæ cladis expressas, benignis oculis aspexeris.
10. *Sicut et in promissione tua: tunc convertentur inimici mei retrorsum.*	10. Sicut facturum te promisisti, cum afflictorum te curam habiturum asseruisti: cum has lacrymas exaudieris, in fugam hostes meos convertes, neque voluntati tuæ poterunt refragari.
11. *In quacumque die invocavero te: ecce cognovi, quoniam Deus meus es.*	11. Ubi primum vocem in preces formavero, cognoscam te Deum meum esse, qui, et amore mihi velis succurrere, et potestate hostes possis conterere.
12. *In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem: in Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo.*	12. Dei amantissimi parentis benevolentia fretus laudabo factam mihi ab eo promissionem et regni et liberationis. Domini potentissimi maiestatem demirans, prædicabo eamdem promissionem, quam facile præstabit. In eo uno spes meas collocatas habeo. Quare nihil est, cur inanes hominum insultus verear, quos levi momento repellere possit Deus.
13. *In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi.*	13. Meæ hærent memoriæ sacrificia, quæ oblaturum me tibi pollicitus sum, ut liberationis meæ laudem tibi uni debitam ostendam.
14. *Quoniam eripuisti animam meam de morte, et pedes meos de lapsu: ut placeam coram Deo in lumine viventium.*	14. Gratas tibi sistam victimas: quoniam gladios hostiles a cervicibus meis repulisti, et calcaneo meo insidiantes impedivisti, ne victores evaderent, abiectumque deiicerent: eaque præstitisti, ut in hac æternaque luce tibi placeam tuis donis illustratus.

QUÆSTIO UNICA.

QUANTA VIS LACRYMARUM ET VOTORUM.

33. Ordo Sectionis. SECTIONE superiori illatas sibi ad hostibus iniurias David noster aperuit: nunc vero hostium deiectionem et liberationem suam explicat.

Ac primo, deiectionem hostium ponit, v. 8. *Sicut sustinuerunt animam meam, pro nihilo salvos facies illos, in ira populos confringes.* Causam illius deiectionis ait fuisse orationem suam cum humilitate et lacrymis factam, v. 9. *Deus vitam meam annuntiavi tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo*, v. 10. *Sicut et in promissione tua: tunc convertentur inimici mei retrorsum.*

Secundo, exauditionem suam et liberationem declarat. Nam Deus statim intellectui orantis per fidem aperuit se Deum esse, et posse salvare, vers. 11. *In quacumque die invocavero te: ecce cognovi quoniam Deus meus es;* 2. corde orantis, per charitatem inflammato, Dei laudes, os amantis depromit, v. 12. *In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem;* 3. spes voluntatem fluctuantem firmat: *In Deo speravi;* 4. fortitudo appetitum sensitivum securum reddit: *Non timebo quid faciat mihi homo.*

Tertio denique, gratias Deo acturum se pollicetur, v. 13. *In me sunt Deus vota mea, quæ reddam laudationes tibi*, 1. ob liberationem a morte, v. 14. *Quoniam eripuisti animam meam de morte;* 2. ob liberationem a captivitate: *Et pedes meos de lapsu, ut placeam coram Deo in lumine viventium.*

ARTICULUS I.

Lacrymarum magna vis est apud Deum.

B DUPLEX causa perditionis Saulis, et satellitum eius, erui potest ex hac Sectione. Primo, eorum crudelitas obstinata, qui occidere volebant Davidem. Secundo, oratio ipsius Davidis.

34. Vers. 8. Primo enim, sicut canes venatorii aut leones et tigrides suam prædam, ita Saul et satellites in spelunca latentem Davidem expectabant, donec prodiret in lucem, ut eum discerperent: ideo Deus eos contrivit, v. 8. SICUT SUSTINUERUNT (Hebr. קוו *kivu*, expectaverunt anxio animo; 2. congregati sunt magno numero; 3. magno desiderio, et cum intentione et applicatione mentis, atque capite erecto præstolati sunt) ANIMAM MEAM, id est, vitam C meam, ut eam mihi raperent, PRO NIHILO (id est, nullo modo, pro nulla re) SALVOS FACIES ILLOS; IN IRA POPULOS (id est, milites numerosos Saulis) CONFRINGES, ut accidit in monte Gelboe, 1. Reg. cap. ultim. Nota pro *nihilo,* Hebr. est nunc על און *al aven*, id est, propter iniquitatem, ut vertit Felix: manifestam esse corruptionem vult Bellarminus, et legendum על אין *al ain,* id est, pro nihilo. Sed non facile dixerim esse corruptionem; nam *aven*, etiam significat nihilum, ut Amos 5. vers. 5. ubi habemus, Bethel erit inutilis, Hebr. est, erit *aven*, id est nihil, ut quidam exponunt. Ubi obiter adverte, quod iniquitas est nihil, et in nihilum redigit, obstruens misericordiam Dei, salutem omnium cupientis. Nota secundo, pro *salvabis*, in Græcis quibusdam est σώσεις, id est, expel-

les: sed Septuag. scripserunt σωσεις, *salvabis,* sicque est reponendum, et multi Codices sic habent.

Secundo, qualis fuerit oratio sua exponit David. Primo, cum humilitate. Secundo, cum fervore et dolore.

35. Vers. 9. Ac primo, humilitatis meminit sua omnia Deo exponentis, v. 9. DEUS VITAM MEAM ANNUNTIAVI (Hebr. nunc est in secunda persona *sapharta,* id est, sigillatim numerasti. Deus enim vitæ nostræ momenta omnia numerat et ponderat, ac singulas actiones. Septuag. legerant, in prima persona, *sapharti,* id est sigillatim numeravi) TIBI. Pro *vitam meam,* Hebr. est נֹדִי *nodi,* id est, motionem meam, ut vertit Arias, migrationes meas, ut Pagn. fugas meas, ut Flamin. et Muisius: secretiora mea, ut S. Hier. vitam meam, ut Sept. Noster, Petav. Apollinar. Magn. et alii: hoc est, vitæ cursum, vitam quæ nihil est præter mutationem, vagationem, peregrinationem, agitationem, fugam: omnes enim dies et horæ fugiunt, nec se revocari sinunt, et ex una cura ad aliam curam, ex negotio in negotium transimus, sicut ab equo in equum transilientes tempore fugæ. Ego præsertim nunc in errore perpetuo et vagatione sum, in nulla domo vel regione audens consistere: a Saule enim ex Iudæa fugi ad regionem alienigenarum; sed ibi periclitatus lateo in spelunca Odollam, quæ est in Iudæa, cuius rex est Saul hostis meus infensissimus: itaque, brevi inde fugere compellar, ne tandem ei innotescam. Nota, duodecim præsertim fugæ, seu migrationes Davidis numerantur. Primo, in Ramatha et Naioth ad Samuelem, 1. Reg. 19. 18. Secundo, a Naioth ad lapidem Ezel, id est, adiutorii, ut ope Ionathæ in gradum pristinum restitueretur, cap. 20. 19. Tertio, a lapide Ezel fugit ad Achis regem Philisthæorum in Geth, ubi summum vitæ adiit discrimen, quod effugit simulans insaniam. Hæ tres fugæ acciderunt anno Saulis regis 12. imo et quarta. Nam quarto ex aula Achis fugit in speluncam Odollam. Quinto, anno regni Saulis 13. fugit David ad Moabitas cum suis parentibus et sociis. Sexto, eodem anno monitus a Gad Propheta redit ex Moab in Iudæam, atque se recipit in saltum Hareth cum sociis. Septimo, e saltu Hareth abit ad Ceilam, quam liberat a Philisthinorum obsidione, eodem anno. Octavo, inde eodem etiam anno fugit in desertum Ziph. Nono, anno 14. regni Saulis ex deserto Ziph fugit David in desertum Maon, ubi fuit in summo discrimine cinctus exercitu Saulis. Decimo, anno 15. regni Saulis secessit in desertum Engaddi, ubi erant loca tutissima, id est, prærupta, impervia, atque inaccessa. Undecimo, anno 17. regni Saulis fugit David in collem Hachila, qui erat in deserto Ziph. Duodecimo denique, anno 18. et ult. regni Saulis, fugit iterum David in Geth, ad alium regem Achis, ut vult Comestor: aut potius ad eumdem, ad quam fugerat ante annos sex. De prima porro fuga in Gath agitur in hoc psalmo, non de hac ultima, ut iam monui supra.

Davidis duodecim migrationes seu fugæ.

36. Tropol. vita nostra est fuga perpetua, celerrima, at nunquam interrupta. Iob dicebat cap. 6.25. *Dies mei velociores fuerunt cursore: fugerunt et non viderunt bonum. Pertransierunt quasi naves poma portantes, sicut aquila volans ad escam.* Salomon dicebat Eccl. 9. v. 9. *Perfruere vita cum uxore* (cum sapientia et virtute, quæ est cælestis animæ sponsa) *quam diligis, cunctis diebus vitæ instabilitatis tuæ.* Hebr. vanitatis tuæ. Aquila, *vaporis tui.* Vatabl. *frivolæ vitæ.* S. Hier. ibi vitam hanc vocat *vitam umbratilem.* Itaque, provide ut tempus præsens, quod tibi est in manibus, utiliter impendas. S. Greg. lib. 7. Mor. cap. 14. *Sancti viri, quia brevitatem vitæ indesinenter aspiciunt, quasi quotidie morientes vivunt: et tanto se solidius mansuris præparant, quanto et nulla esse transitoria semper ex fine pensant. Hinc quippe Psalmista veloci cursu fugere vitam peccatoris aspiciens ait, Ps.* 36. 10. *Pusillum et non erit peccator. Hinc iterum dicit Ps.* 102. *Homo sicut fœnum dies eius. Hinc Isaias ait cap.* 40. 6. *Omnis caro fœnum, et omnis gloria eius, sicut flos agri. Hinc mentes præsumentium Iacobus corripit cap.* 4. 14. *Quæ est vita vestra? Vapor est ad modicum parens.* Proverbium Arabum est, Cant. 2. num. 13. Opes et mundus transibunt, et durabunt opera bona. Et num. 42. Mundus transibit, tamquam scriptura delebilis; sapientia stabilis est, ut sculptura.

Vita nostra est fuga perpetua.

37. Secundo, oratio Davidis fuit cum fervore et dolore. Unde subdit vers. eod. 9. POSUISTI LACRYMAS MEAS IN CONSPECTU TUO, id est, in memoria tua, ut tibi sint semper præsentes. Primo, velut gemmæ. Secundo, velut legati.

Sex effectus lacrymarum.

I. Nota, pro *in conspectu tuo,* Hebr. est *in* בְנֹאדֶךָ *nodecha, utre tuo.* Flamin. vertit. lacrymas meas repone in utrem tuum. Sic etiam habet S. Hier. apud Trevetum, licet nunc in Hieron. legamus *in conspectu tuo.* Septuag. ad sensum magis quam ad verba attendentes verterunt, ενωπιον σου, id est, ante te. Syr. et Arabs, coram te. Symm. ενδον σου, *intra te,* quæ omnia in idem recidunt. Lacrymas enim nostras sive in afflictione expressas, sive ex peccati recordatione et contritione manantes, sive ex amore Dei ipsius fluentes, in sua memoria, velut in utre sacro et vase cælesti ac divino Deus servat et aspicit, tamquam orientalis oceani gemmas. S. Macarius homil. 25. lacrymas cordis contriti vocat pretiosas margaritas. Verba eius sunt: *Admirandus ac beatis speciminibus non aliter dignus existimaberis, nisi noctu diuque lacrymas emittas, secundum opinionem illius qui dicit Ps.* 6. 7. *Lavabo per singulas noctes lectum meum, et lacrymis meis stratum meum rigabo. Non enim ignoras, quod hi qui seminant in lacrymis, in exultatione metent, Ps.* 125. *Propterea fidenter inquit Propheta Psal.* 38. 13. *Lacrymas meas ne sileas. Et iterum Psal.* 55. 9. *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo, sicut et in promissione tua. Et illud Ps.*41.4. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. Et in alio Ps.* 101. 10. *Potum meum cum fletu miscebam. Nam lacryma, quæ vere ex summa contritione et angustia cordis effunditur per agnitionem veritatis, cum ardore viscerum, cibus est animæ, qui paratur ex pane cælesti. Cuius, ex testimonio Salvatoris, maxime particeps fuit Maria, quæ sedit iuxta pedes Domini plorans. Inquit enim Luc.* 10. 42. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. O pretiosas illas margaritas in defluxione beatarum lacrymarum!*

Lacrymæ sunt coram Deo, velut gemmæ.

38. Secundo, lacrymas Deus ponit in conspectu suo, velut legatos orationem suam habituros. Primo, pro pœnitentibus. Secundo, pro iustis.

Et velut legati.

I. Primo enim, pœnitentes videntes se onustos peccatis coram Deo comparere non audent, sed ad eum lacrymas suas abiegant. S. August. serm. 3. in fest. Nativit. *Lacrymæ pœnitentium,* ait, *cadunt in conspectu Domini.* Non defluunt in mare salsuginosum amari mundi, ut cordis amaritiem augeant; sed in cælum ascendunt, atque in Dei se parentis suavissimi sinum effundunt, ut lucem et suavitatem ex illo attactu percipiant. Ubi vero ad sacrum tribunal accesserint, et cum favore susceptæ fuerint, legationem suam exponunt, ut docet S. Ioannes Climac. gr. 7. fol. 149. *Maior ac potentior baptismate post baptisma (etsi audax dictum id videatur) fons lacrymarum est: illud enim præcedentia delicta nostra purgavit, illud vero posteriora. Atque illud quidem omnes ab infantia acceptum inquinamus; per hoc autem, et illud repurgamus. Quod nisi divino munere datum esset omnibus, rarissimi omnino, qui salvarentur, inveniri potuissent. Mœstitia et gemitus ad Dominum clamant,* τα εκ φοβου δακρυα πρεσβευουσι, *lacrymæ ex timore ortæ Dei legatione funguntur.* Et S. Gregor. apud S. Thomam in cap. 14. Luc. ubi illud explanans; legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt, ait: *Dum ergo adhuc longe est, mittamus ad eum legationem lacrymas nostras.* Coriolanum flexerunt lacrymæ Veturiæ matris eius, quæ pro Romanis ab eo obsessis legatione fungebatur: Deum quoque flectunt lacrymæ filiorum, etiam prodigorum.

Pœnitentium lacrymæ placent Deo.

II. Secundo, ipsi sancti lacrymas suas ponunt in conspectu Dei, sicut David noster; qui cum hunc psalmum scribebat, natus annos 24. innocens erat, et secundum cor Dei: quanti fecerint lacrymarum donum S. Franciscus et S. Ignatius, vide in eorum vita: malebant enim excæcari,

Sanctorum lacrymæ sunt potentes apud Deum.

quam illud amittere; adeo potentes sciebant esse lacrymas apud Deum, et tantum ex illis suavitatis capiebant. Heroes suos lacrymis immadentes plerumque veteres figurabant. Ut enim ait Homerus, αγαθοι δ'αει δακρυες ανδρες, *viri boni multum lacrymabiles*. Neque Achyllis fletum Thetys, neque Æneæ Venus ferre possunt, quin auxilio veniant. Elephas de nocte suam captivitatem, et servitutem lacrymis deplorat: si autem homo accesserit, lacrymas premit ac singultus; sancti viri in hoc mundi exilio gemunt, sed coram Deo; in hominum oculis faciem suam lavant, et ungunt, ne appareant hominibus. Deo uni placere volunt, ad eum unum aspirant, sicut cervus ad fontes aquarum. Quod si ad utilitatem publicam sibi prorogari vitæ annos petunt, id lacrymis impetrant, ut accidit Ezechiæ regi, cui annos quindecim impetrarunt lacrymæ, et solem redire fecerunt decem lineis; id est, quinque horis in horologio Achaz, ut illius rei certus esset. Isa. 38. 5. dicit Deus: *Vade, et dic Ezechiæ: Hæc dicit Dominus Deus patris tui. Audivi orationem tuam, et vidi lacrymas tuas: Ecce ego adiiciam super dies tuos quindecim annos. Et de manu regis Assyriorum eruam te, et civitatem istam, et protegam eam.*

39. Lacrymæ aures, gustum, tactum et odoratum Dei delectant. I.

Nota, non tantum oculos Dei delectant lacrymæ pœnitentium et iustorum in eius conspectu positæ; sed etiam eius aures, gustum, tactum et odoratum, ut humano more loquar. Primo enim, Deus auribus percipit orationes et lacrymas nostras, vocem enim habent lacrymæ. Ps. 6. 9. *Exaudivit Dominus vocem fletus mei.* Secundo, Deus cum delectatione gustat lacrymas nostras. Non enim tantum sunt *cibus animarum*, ut eas vocat Cassiodor. in psalmos, sed etiam cibus Dei, qui hoc *pietatis adipe*, ut illas nuncupat Petr. Damiani, delectatur. S. Petr. Chrysolog. Episcop. Ravennas ait ideo Christum intrasse Simonis leprosi domum, ut Magdalenæ pœnitentis lacrymas potaret: *Pharisæi domum*, inquit, *Christus intravit, non accepturus Iudaicos cibos, sed divinam misericordiam largiturus: neque aceubuit pocula saporata melle, floribus odorata sumpturus, sed pœnitentis lacrymas ex ipsis oculorum fontibus potaturus.* Tertio, tactum Dei demulcent lacrymæ: unde divinus animæ sponsus, et caput, et pedes illis ablui peroptat. 1. Caput. Cant. 5. 2. ubi habemus: *Caput meum plenum est rore, et cincinni guttis noctium.* Chaldæus Paraphrastes, id est, R. Ioseph Cæcus, exponit: *Capilli capitis mei pleni sunt lacrymis tuis, sicut vir cuius capilli capitis tinguntur de rore cœli: et cincinnus cæsariei meæ repletus est guttis oculorum tuorum.* 2. Pedes Dei lacrymis mulcentur. Luc. 7. 4. laudat Mariam Magdalenam, quod pedes suos lacrymis abluerit: aitque murmuranti Pharisæo, quod se ab ea tangi pateretur: *Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti* (sicci sunt nonnunquam iusti, dum peccatores habent irriguum inferius, et superius, quod Axa obtinuit, Othoniel petere non est ausus) *hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, et capillis tersit.* Quem in locum S. Ambros. declarat, quantopere Christus deciduo oculorum nostrorum imbre recreetur; ait enim: *Fortasse ideo non lavit pedes suos Christus, ut eos lacrymis nos lavemus.* Quarto denique, odorantur lacrymas nostras Deus et angeli: sunt enim illis omni vino et nectare dulciores, et balsamo atque aromaticis odoribus fragrantiores. S. Bern. serm. 30. in Cant. *Lacrymæ pœnitentium, ait, vinum angelorum: quia in illis vitæ odor, sapor gratiæ est, indulgentiæ gustus, reconciliationis iucunditas, sanitas redeuntis innocentiæ, serenatæ suavitas conscientiæ.*

40. Vers. 10

Vers. 10. Sicut et in promissione tua. Hæc primo possunt iungi cum sequentibus; q. d. Tunc convertentur inimici mei retrorsum, sicut futurum promisisti. Secundo, et melius iungi debent cum præcedentibus, q. d. Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo, ut eas scilicet exaudias, sicut te exauditurum eas promisisti; tunc autem procul a me fugabuntur hostes mei, ut sequitur.

II. Lacrymas timet diabolus.

Secundus ergo effectus lacrymarum est fuga hostium, v. eod. 10. Tunc convertentur inimici mei retrorsum, id est, fugient, terga dabunt. Lacrymæ a Deo ad hominem reduces cœlestibus radiis armisque effulgurant, atque densatæ in grandines, ardescentes in fulgetras, atque in fulmina efformatæ, obvia quæque sternunt, hostiles globos nullo negotio perrumpunt, pavitantesque in cinerem redigunt. S. Petr. Damiani Opusc. 13. cap. 12. *Lacrymantes oculi*, ait, *diabolum terrent, et sic lacrymarum erumpentium expavet impetum, ac si procellosi nimbi grandinem, et furentium undique ventorum effugiat tempestatem.* Mirabile est quod ait Petr. Cellensis lib. de panibus, cap. 12. *Satan*, inquit, *tolerabilius sustinet flammam suam, quam lacrymam nostram: acriusque contriti cordis lacryma, quam flamma infernalis incendii torquetur.*

41. Vers. 11. III. Lacrymæ iuvant orationem.

Tertius effectus lacrymarum est, quod orationem adiuvant et illustrant, vers. 11. In quacumque die invocavero te, ecce cognovi, quoniam Deus meus es, id est protector, provisor, liberator et benefactor meus es tu. Deus es, ut possis: meus es, ut velis iuvare. Vix iustus os suum aperuit ad orandum, et oculos ad flendum; cum lux fidei et sapientiæ mentem pervadit ad cognoscendum divina et Deum, qui fletibus motus prope accedit et melius cognoscitur. Chald. cognovi, quod Deus sit auxilio futurus. Euthym. quod statim exaudiat. Apollin. quod sit παντεπισκοπος, omnia lustrans et considerans. Hebr. cognovi, quod Deus לי *li*, id est, *mihi*, ad meam utilitatem et voluntatem. Pagn. pro me. Ex beneficiis nobis collatis Deum esse cognoscimus.

Vim orationis cum lacrymis factæ aperit S. Chrysost. tom. 2. serm. 3. de Anna fol. 974. Sicut, inquit, hortum fontes iugiter scaturientes virentem faciunt: ita φυτον ευχης, *orationis plantam*, πηγαι δακρυων ποτιζουσαι, *fontes lacrymarum irrigantes, ad maximam magnitudinem excrescere faciunt.* S. Climac. grad. 28. fol. 432. alio simili utitur: Cibos, inquit, oleum, et sal condere solent: πτερουν δε προσευχην σωφροσυνη και δακρυα, *orationem vero elevare temperantia et lacrymæ.* S. Hieron. In Isaiam vim maximam lacrymis tribuit, cum ait: *Oratio Deum lenit, sed lacryma cogit.* B. Andreas Avellanus lacrymam miro elogio vocat *cor Dei;* id est, ut interpretor, rem Deo gratissimam, quæ Deum totum moveat, sicut cor hominem: quam intra se recipiat, foveat, et amet, sicut homo cor suum.

42. Vers. 12. IV. Lacrymæ dant lætitiam.

Quartus effectus lacrymarum est lætitia, v. 12. In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem. Vide vers. 5. dicta, ubi eadem habentur. Quod porro lacrymæ mentem lætificent, tradit S. Ambr. de obitu Valentiniani: *Pascunt*, ait, *frequenter lacrymæ, et mentem allevant fletus, refrigerant pectus, et mœstum consolantur.* Physice etiam loquendo caput vaporibus turbatum allevant: sed longe magis moraliter, ob gratiam infusam. S. Ioan. Climacus grad. 7. fol. 155. *Quisquis beatum et Deo gratum luctum*, ωσπερ διπλοιδα νυμφικην, *velut vestem nuptialem, induerit: ille risum et lætitiam spiritus veram sentiet:* ψυχης πνευματικον εγνωρισε γελωτα: Calamitas nubem obducit rationis soli: sed ubi imber decidit, serenum redit homini; et vox affectibus, ut avibus paradisi.

43. V. Lacrymæ augent spem in Deum.

Quintus effectus lacrymarum, est spes in Deum. In Deo speravi. Sed cur spem augent lacrymæ? Primo, quia lacrymæ peccata absumunt. S. Basil. Seleuciæ, orat. 6. *Vitia lacrymis extinguimus.* Peccatorum sordes animam polluunt, illam lavant lacrymæ, S. Chrysost. in Ps. 50. t. 3. fol. 1004. Secundo, lacrymæ efficiunt ut virtus crescat, S. Chrysost. tom. 1. hom. 4. fol. 61. Non sic imber deciduus semina virere et augeri facit: ως τον ευσεβειας σπορον ανιστησι, sicut pietatis semen elevat, et frondere facit lacrymarum delapsus imber. Tertio, lacrymæ petita impetrant. S. August. epist. ad Probam: *Plus gemitibus, quam precibus agitur: plus fletu, quam afflatu.* Quarto denique, lacrymæ gehennam extinguunt. S. Macarius, hom. 2. de eleemosyna: *Quænam est*, ait, *illa aqua quæ consumit flammas, nec ipsa consumitur a peccatoribus, sed gehennæ consumit incendia?*

44. VI. Lacrymæ tollunt inanem metum.

Sextus denique effectus lacrymarum, est expulsio vani timoris. Non timebo quid faciat mihi homo. Hebr.

אדם *Adam*, id est, homo terrenus. Aviculæ terriculo ab opimis oibis avertuntur, et timore homines a magnis cœptis: ubi enim consternatio mentem occuparit, ipsi capiti iam victoris insidens corona defluit, atque marcescit. Animam, velut urbem, occupare utitur dæmon; lacrymæ, instar maris immensi muros undequaque ambiunt, hostique impervios faciunt. S. Gregor. Nyssen. tract. de vita Mosis, f. 188. urbis animæ custodem ait esse lacrymam: Ακριβης φυλαξ, inquit, των δε αρετης σωζομενων το δακρυον: *Sedulus custos omnium per virtutem servatorum est lacryma.* Si dicas, lacrymam esse timoris filiam, ac parentem, id fateor: sed timor ille securitatem præstat. S. Ioann. Climac. grad. 7. fol. 160. *Lacrymæ*, ait, *quæ ex memoria mortis oriuntur, pariunt timorem, timor, securitate parta, gaudium generat.*

ARTICULUS II.

Votorum Deo persolutorum efficacia et meritum.

45. Vers. 13. In summo periculo constitutus David apud Achis, et in spelunca Odollam, vota Deo nuncupat, quæ se post liberationem redditurum profitetur, v. 13. **In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi.** Sacrificium scilicet laudis, quod Hebræi vocabant *thoda*. Vide dicta Ps. 49. 14.

Interiora sunt offerenda Deo. Nota primo, hinc colligitur nos debere offerre Deo non tantum exteriora, sed etiam interiora. Origenes hom. 24. in Numeros docet, neminem vota Domino offerre posse, nisi qui habeat aliquid in semetipso, et in substantia sua, quod offerat: non sufficere, ut iste exterior homo legem Dei suscipiat: neque ut vota solus offerat: quia, non potest aliquid dignum Deo habere: interiorem hominem esse, qui magis habeat in se quod offerat Deo: quia in illo est habitaculum virtutum, intellectus scientiæ, divinæ imaginis innovatio. S. Aug. in Ps. nostr. *In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudes tibi. Vovete et reddite Domino Deo vestro. Quid voveatis, quid reddatis? an forte animalia illa, quæ offerebantur ad aras aliquando? Nihil tale offeras: in te est, quod voveas et reddas. De cordis arca profer laudis incensum; de cellario bonæ conscientiæ profer sacrificium fidei. Quidquid profers, accende charitate.*

46. Etiam pauperrimi habent, quod Deo offerant. Secundo, hinc colligitur, neminem esse pauperem, si velit: habet enim in se thesauros, quos Deo offerat, gratiores omni gaza Persarum et Romanorum. *In me sunt Deus vota tua;* id est, tibi facta. Trevetus, *concept in vota tua;* sicut gemmas pretiosas, in cælesti concha rore divino perfusa. S. Greg. hom. 5. in Evangelia ait, ubi deest potestas bene cuipiam faciendi, ante Dei oculos nunquam esse vacuam manum a munere, si fuerit arca cordis repleta bona voluntate. Dicit præterea, istorum verborum psalmi nostri sensum esse posse: etsi exterius munera offerenda non habeo, intra memetipsum tamen invenio, quod in ara tuæ laudis impono: quia, qui nostra datione non pasceris, oblatione cordis melius placaris: *Nihil quippe*, ait, *offertur Deo ditius, voluntate bona.* Vidua in gazophylacium, (id est, in arcam, in quam iaciebantur a populo pecuniæ in usus templi, sacerdotum et pauperum) misit tantum duo minuta, quod est quadrans, id est, quarta pars parvi assis, et tamen plus omnibus misit. Nam, ut ait Beda: *Non substantiam offerentium, sed conscientiam Deus pensat· nec perpendit quantum in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur.*

47. Vota cruenta Deo facta. 1. A Iephte. Tertio, hinc colligitur licitum esse Deo vota offerre. Soliti erant Hebræi Deo vero, et alii populi idolis suis vota concipere, præsertim belli tempore; quia tunc maius est discrimen. Primo, Iephte octavus Iudex, id est, supremus Princeps Hebræorum, in bello contra Ammonitas vovit parta victoria se immolaturum, quidquid egressum de foribus domus suæ occurrisset revertenti cum pace; 2 A Mesa rege Moab. redux obviam filiam immolavit: ante Christum, cuius patientis hic typus fuit anno 1203. Secundo, Mesa rex Moabitarum desperans de conservanda urbe regia contra tres reges: nempe contra Ioram regem Samariæ; contra Iosaphat regem Iuda, et contra regem Edom, immolavit filium suum primogenitum super murum, 4. Reg. 3. 27. Tertio, 3. A Xerxe rege Persidis. Xerxes rex Persarum novem pueros ac virgines vivos in terram defodit, Herodot. lib. 7. Quarto, Haquinus, Norvegiæ rex, cum in Danorum regem Haraldum pugnaret, 4 Ab Haquino rege Norvegiæ. duos filios ad aras iugulavit, ut tradit Saxo Grammaticus lib. 10. histor. Danorum. Quinto denique, Venda Polonorum regina seipsam devovit, et in flumen Vistulam præcipitavit, ut habet Cromerus lib. 2. hist. Polon. 5 A Venda regina Poloniæ. Sed hæc omnia temeraria, crudelia et impia fuerunt: si Iephte excipias, quem Serarius et Salianus excusant, damnant vero Tertull. S. Ambr. Abulensis et alii. Deus enim humanis victimis non delectatur, ut corpus intereat: sed tantum vult, ex mentis affectionibus et potentiis, perfectum sibi fieri holocaustum.

Nota secundo, per votum nos ipsos Deo reddere debemus ac nostra omnia: 48. Per vota religiosa homo se reddit Deo ac sua omnia. *In me sunt Deus vota tua quæ reddam*, q. d. Non est cur aliunde conquiram, quam a meipso; intra me habeo quod reddam, nempe meipsum. Hoc faciunt Religiosi. Hominem sui iuris esse voluit Deus, cum arbitrii libertate donavit, ut qoam se vellet in partem flecteret, et cuius optaret cultui sese manciparet. Votum vero divinus character est, quo quis veritus ne instar onagri, feratur in avia, et sævis se dominis addicat, imaginem sui sibi Creatoris altius imprimit; ut quocumque diverterit, agnoscatur, velut sacris usibus animal destinatum.

Redditionem illam Deo factam per votum recte declarat S. Aug. in Ps. 115. *Revera*, inquit, *quisquis bene cogitat, quid voveat Domino, quæ vota reddat, seipsum voveat, seipsum reddat. Hoc exigitur, hoc debetur. Inspecto nummo Dominus dicit: Reddite Cæsari, quæ Cæsaris sunt: Deo, quæ Dei sunt. Imago sua reddatur Cæsari, imago sua reddatur Deo.* Hoc autem per religiosa vota præstari docet S. Gregor. Naz. oration. 1. in Iulian. Apostatam, fol. 77. Videsne, ait, hos pauperes, et laris expertes, ac carne ferme et sanguine destitutos, και Θεω κατα τουτο πλησιαζοντας, atque eo nomine ad Deum accedentes? hos pedibus illotos et humi cubantes? hos humiles, et supra infora? τους εν ανθρωποις, και υπερ ανθρωπινα; hos inter homines, et supra humana? hos vinculis astrictos, et liberos? retentos, et retineri nescios? quorum nihil in mundo, et omnia quæ supra mundum sunt? S. Basilius expressius id dicit, et sacrilegii arguit eum, qui postquam se Deo dederit per votum, illi se subtrahat. Sic enim ser. 1. do institut. monach. *Ante religiosæ vitæ professionem*, inquit, *liberum est unicuique, quatenus per Dei indulgentiam leges permittunt, communem cum cæteris vivendi morem sequi, sibique uxorem adiungere. Ubi vero iam quis sponte sua ipse professus est*, φυλασσειν προσηκει εαυτον Θεω, *hic Deo custodire seipsum debet, velut aliquid eorum quæ dedicata sunt*, ως αν μη ιεροσυλιας ενεχοιτο κριματι, *ne sacrilegii iudicium incurrat, cum videlicet corpus, quod semel Deo consecravit, ministerio rursum communis vitæ contaminet.*

Nota tertio, vota quibus se suaque religiosus Deo mancipat, sunt Dei laudes: 49. Vota religiosa sunt Dei laudes. *Quæ reddam laudationes tibi.* Domus religiosæ, sunt alter paradisus; in eis enim, semper Deus laudatur. S. Gregor. Nazianz. orat. 1. in Iulianum: Religiosorum, ait, αγγελικαι ψαλμωδιαι, και παννυχις στασις, *angelici psalmorum cantus, et pernox statio, et mentis ante mortem in cælum se rapientis ad Deum excessio.* Pro *laudationes*, Hebr. est תודות *todoth*, id est, sacrificia laudis, laudationes, laudes, gratiarum actiones. Syr. vertit, *Cum gratiarum actione sacrificabo tibi.* S. Gregor. lib. 9. Mor. cap. 3. Nos ipsos, ait, sacrificium Deo offerimus, cum vitam nostram divino cultui dedicamus. S. August. lib. 10. de civit. cap. 10. *Ipse homo*, ait, *Dei nomini consecratus ac devotus, in quantum Deo moritur, ut Deo vivat, sacrificium est. Corpus etiam nostrum cum temperantia castigamus, si hoc quemadmodum debemus, propter Deum facimus, ut non exhibeamus membra nostra arma iniquitatis, sed arma iustitiæ Deo, sacrificium est. Si ergo cor-*

pus, quo inferiore tamquam famulo vel instrumento utitur anima, cum eius bonus et rectus usus ad Dominum refertur, sacrificium est. Quanto magis anima, cum se refert in Deum, ut igne amoris eius accensa, formam concupiscentiæ sæcularis amittat, et ei tamquam incommutabili formæ subdita reformetur, hinc ei placens, quod de eius pulchritudine acceperit, fit sacrificium. Et lib. de Ecclesiæ moribus, vocat Deo gratissimum munus, eorum qui Deo se in religioso cœtu dedicant.

50. Nota quarto, vota religiosa a morte liberant: his adaptari potest, quod addit David vers. 14. et ult. QUONIAM ERIPUISTI ANIMAM MEAM DE MORTE, id est, vitam meam de certo mortis periculo, tum apud Achis, tum in aula Saulis, præbens mihi refugium in spelunca Odollam. Hæc spelunca est typus domus religiosæ a cæteris separatæ, et a mundo remotæ. Ibi homo moritur mundo et peccatis, vivit Deo. S. Gregor. Naz. oration. 1. in Iulian. agens de religiosis sui sæculi, aos vocat, Τους δια νεκρωσιν αθανατους, *propter mortificationem immortales, propter dissolutionem Deo coniunctos: quorum fons lucis, et quorum radii, quorum nuditas, et quorum* αφθαρσιας ενδυμα, *incorruptibilitatis indumentum:* ων το δακρυον αμαρτιας κατακλυσμος, κοσμου καθαρσιον, *quorum lacrymæ peccati diluvium, et mundi piamentum.* Non modo mortem non sentiunt, sed ipsam mortem, id est peccatum, in aliis interimunt. Lege ibid. fol. 78. tom. 1.

Vers. 14. Vota religiosa a morte liberant.

Temporalia nocent.

Morte mortem superant generosi pugiles. S. Climacus gr. 4. f. 41. *Obedientia,* inquit, νεκρωσις μελων εν ζωη διανοια εκουσιος θανατος, *est membrorum mactatio in anima viva, voluntaria mors, incuriosa vita, securum periculum, expedita apud Deum defensio,* αφοβια θανατου, *mortis securitas, navigatio sine periculo, dormiens peregrinatio. Obedientia, est animi in morte securitas, sepultura voluntatis, excitatio humilitatis.* Agit da obedientia religiosa.

Qui autem sæculi rebus inhiant, easque mente devorant, mortem cum deliciis combibunt, haud absimiles piscibus; qui, cum obiecto vermiculo lethalem hamum deglutiunt. S. Aug. de agone Christi, cap. 7. Gaudet piscis, inquit, quando hamum non videns, escam devorat: sed cum piscator eum adducere cœperit, viscera eius torquentur primo, deinda ab omni lætitia sua per ipsam escam, da qua lætatus est, ad consumptionem trahitur. Sic sunt omnes, qui de bonis temporalibus beatos se esse putant: hamum enim acceperunt, et cum illo sibi vagautur. Veniet tempus, cum sentient quanta tormenta cum aviditate devoraverint. Lege S. Cypr. in libello de singularitate clericorum, si tamen eius est ille tractatus: cuiuscumque tamen sit, est optimus, et antiqui auctoris. Vide etiam S. Gregor. in procemio dialogorum, et intelliges quanti sint tumultus et pericula naufragii in mundo, et quanta securitas in vita religiosa.

51. Nota quinto, vota religiosa a lapsu præservant. ET PEDES MEOS A LAPSU. Septuag. απο ολισθηματος, a prolapsione in loco lubrico, id proprie significat vox Græca: nulla via in declivi licet monte posita, et glacie cooperta, adeo lubrica est et facilis ad lapsum quam hic mundus. Syr. vertit, a *lapsibus;* a præcipitio enim in præcipitium cadit peccator: et cum surgere viribus naturæ tentat, iterum atque iterum suopte pondere concidit: si gratia supervenit ab hostibus multis impellitur; opus est vinculo, quo iunctus immobili Deo non cadat, tale est votum. Pericula lapsus et perditionis ostendit S. Leo sermon. 5. in Quadrages. cum ait: *Plena omnia periculis, plena laqueis. Incitant cupiditates, insidiantur illecebræ, blandiuntur lucra, damna deterrent, amaræ sunt obloquentium linguæ, nec semper veracia ora laudantium.* Et serm. 11. in eadem Quadrag. Insidiæ sunt, ait, in divitiarum amplitudine, insidiæ in paupertatis angustiis: illæ elevant ad superbiam, hæ incitant ad querelam. Tentat sanitas, tentat infirmitas: dum et illa materia est negligentiæ, et hæc causa tristitiæ. Laqueus est in securitate, laqueus est in timore: nec interest utrum animus, qui terreno tenetur affectu, gaudiis occupetur, an curis; cum par morbus sit, vel sub vana delectatione gaudere, vel sub anxia sollicitudine laborare: ita Leo. Sed laqueos non timet aquila, nubibus se pernici volatu inferens, et terrena omnia despectans; id est, vir Religiosus contemplationi deditus: sic eum vocat S. Chrysost. tom. 4. fol. 440. lib. 2. adversus vituperatores vitæ monasticæ: *Sicut,* inquit, αετος υψηλα πετομενος, *Aquila sublime volans, minutorum avium laqueis non capitur, ita et monachus. Unde enim, vel ex qua causa nocere ei possit aliquis? Pecunias ille non habet, ut damnum metuat: patriam non habet, ut exilium ipsi aliquis intentet: gloriam non optat, ut dedecus timeat. Unum reliquum est, mors scilicet: sed eam qui intulerit non modo illum non lædet, aut aliquo afficiet mœrore: verum summa quoque illi conferet emolumenta.* S. Bern. in Ps. 90. v. 3. illud considerans: *Ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero,* sic ait serm. 13. *Vos fratres mei, vos pennati, ante quorum oculos frustra iacitur rete: vos qui divitias huius sæculi reliquistis, quid timeatis a verbo aspero, quoniam iam liberati estis a laqueo?*

Obedientia liberat religiosum a laqueis, qui ipsi oriuntur a proprio iudicio et nimio amore libertatis. Nave iter facit, sine labore et periculo, qui obedit. Secundo, castitas expedit a laqueis corporis, atque innumeris coniugii curis. S. Basil. cap. 1. constitut. monasticar. vocat coniugium, πολλην αβυσσον φροντιδων, multam curarum abyssum. Atque inde concludit: *Qui a mundi vinculis esse liber expetit, hic coniugium,* ωσπερ τινας πεδας αποφυγε, *veluti compedes quasdam profugit, et Deo vitam suam consecravit, et castitatem professus est.* Tertio, paupertas liberat a laqueis divitiarum ac rerum terrenarum, et Religiosum extollit super altitudines terræ. S. Greg. lib. 31. Moral. cap. 19. *Hoc,* ait, *esse speciale specimen electorum solet, quod sic sciunt præsentis vitæ iter carpere, ut per spei certitudinem noverint, se iam ad alta pervenisse, quatenus cuncta quæ præterfluunt, sub se esse videant: atque omne, quod in mundo eminet, amore æternitatis calcent. Hinc est enim quod sequenti se animæ per Prophetam Isaiam cap. 58. Dominus dicit: Sustollam te super altitudines terræ. Quasi quædam namque inferiora terræ sunt damna, contumeliæ, egestas, abiectio, quæ ipsi quoque amatores huius sæculi, dum per latæ vitæ planitiem ambulant, vitando calcare non cessant. Altitudines autem terræ sunt lucra rerum, blandimenta subditorum, divitiarum abundantia, honor et sublimitas dignitatum: quæ quisquis per ima adhuc desideria incedit, eo ipso alta æstimat, quo magna putat. At si semel cor in cælestibus figitur; mox quam abiecta sint cernitur, quæ alta videbantur:* ita Greg. Elias cælum non conscendit cum pallio, licet angelorum curru raperetur; imo quia rapiebatur: terrena terrenis relinquenda sunt.

Vota religiosa a lapsu servant.

Nota denique sexto, vota nos Deo gratos faciunt. UT PLACEAM CORAM DEO IN LUMINE VIVENTIUM, id est, primo, inter vivos in his terris. Secundo inter vivos in paradiso, ubi est lumen æternum. Adverte, pro *ut placeam,* Hebr. est להתהלך *leithalleech*, ut ambulem. Non placent Deo otiosi: animalia, id est, Cherubini ab Ezechiele visi, coram Deo ambulabant, imo discurrebant. Abrahamo dicitur Gen. 17. 1. *Ambula coram me, et esto perfectus.* Adverte secundo, qui est coram Deo, est in lumine, et in vita: atque ambulans efficitur parelium, orbi lumen veri solis circumferens. S. August. epist. 89. vocat statum religiosum *perfectionis viam.* S. Hieron. epist. 1. ad Demetriadem: *Apostolici fastigii,* ait, *perfectæque virtutis, vendere omnia, et pauperibus distribuere: et sic levem atque expeditum cum Christo ad cælestia subvolare.* S. Bonaventura in Apologia pauperum, probat, perfectiora reddi opera per votum: quia opus, ait, de temporali facit æternum; et de nostro, facit divinum. Unde concludit: non posse donum hoc non Deo gratissimum et iucundissimum accidere. Non enim tantum fructum, sed ipsam arborem ei offert: propriam scilicet voluntatem, cum repetendi facultatem sibi, qui vovet, præcidit. Nam, ut docet S. Bern. ad fratres de monte Dei: *Unitas spiritus cum Deo homini sursum cor habenti proficientis in Deum voluntatis est per-* 52.

Vota religiosa nos Deo gratos faciunt.

fectio: cum iam non modo vult, quod Deus vult, sed sic est non tantum affectus, sed in affectu profectus; ut non possit velle, nisi quod Deus vult. Velle enim quod Deus vult, hoc est, iam similem Deo esse; non posse autem velle, nisi quod Deus vult, hoc est, iam esse, quod Deus est, cui velle et esse idipsum est. Adverte tertio, religiosum votis obligatum, debere esse in perpetuo lumine virtutum et divinæ contemplationis, ut fiat speculum relucens, in se exprimens Dei imaginem. S. Basilius sermon. de Institutionibus Monachorum: *Qui*, ait, *sæculo nuntium remisit, respiciat oportet, ut nullo modo posteaquam iam*, Θεου σκευος *divinum vas factus sit, vitioso se usu pollui patiatur. Eaque is in primis animo versare debet assidue*, αναβας πετρας ανθρωπινης φυσεως, *cum ultra humanæ naturæ fines processerit, vitæ se cuidam instituto a corpore seiunctæ tradidisse, Angelorum conversationem dum sibi imitandam proponit. Siquidem*, αγγελικης εστι φυσεως *proprium id Angelicæ naturæ, liberam esse a vinculis coniugii, neque ad aliam ullam pulchritudinem animo distrahi, sed oculos*, εις Θειον προσωπον διηνεκως ατενιζειν, *in Dei vultum intentos semper habere.*

53. Vota religiosa dant lumen virtutum in hac vita. Primo itaque, religiosus placet Deo in lumine viventium; id est, in hac vita inter viros sanctitate fulgentes, ipse radiis cælestibus coruscans. S. Bern. tract. ad fratres de monte Dei dubitat, an eos debeat vocare *homines cælestes, an angelos terrestres*. S. Ioan. Clim. grad. 4. vitam religiosam nuncupat, ουρανομιμητον βιον, *mores cælestes*. S. Gregor. Nazianz. oration. 9. ad Iulianum tributorum exactorem fol. 156. vocat religiosos, divini numinis famulos, et discipulos, cælestiumque rerum inspectores: generis nostri primitias, columnas, πιστεως στεφανους, μαργαριτας τιμιους, fidei coronas, pretiosas margaritas, templi lapides, cuius fundamentum et lapis angularis est Christus: ita Gregorius. Cœnobia enim non tantum sunt, ut ait S. Laur. Iustin. stadia militaria, atque spiritualia castra pugnantium: sed etiam, ut loquitur S. Climac. cælum terrenum: et S. Laur. Iust. idem de perfectione monasticæ convers. cap. 6. *In humanis rebus et in hac peregrinatione nihil tam efficaciter gerit in se imaginem cælestis patriæ, quam monastica conversatio, et congregatio divino cultui dicata.* S. Bern. lib. de convers. ad Cleric. cap. 21. fuse cœnobia æquat paradiso terrestri.

Vota singula breviter decurramus, et quid in iis sit lucis et vitæ videamus. S. Bern. ser. 1. in festo omnium Sanctorum expendit; cælum esse promissum pauperibus, sicut Martyribus: *Quid sibi vult*, ait, *quod eadem promissio facta est pauperibus et Martyribus, nisi quia vere Martyrii genus paupertas voluntaria est? Quid mirabilius, aut quod martyrium gravius est, quam inter epulas esurire, inter vestes multas et pretiosas algere, paupertate premi inter divitias quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster appetitus?* Secundo, virginitatis lucem aperit S. Basil. tom. 1. fol. 706. tractat. de vera virginitate: *Fidelis anima*, inquit, *virginitatem suam ab omni sordidæ cogitationis labe puram immaculatamque custodiens, ad id provehitur, ut similitudinem incorruptibilis Dei in se*, ωσπερ εν ακηλιδωτω κατοπτρω, *velut in speculo mundissimo, ipso iam gratiis suis suavissimi radii in morem illi influente*, εναυγαζοντος χαριτας, *et laudem suam consequatur.* Tertio denique, obedientiæ radios miratur. S. Greg. lib. 6. in 1. Reg. c. 2. illud versans c. 15. Melior est obedientia quam victimæ: ubi per victimas explicat alias virtutes, iisque anteponit obsequendi religiosam voluntatem. Liquet, ait, obedientiæ virtus, quo sit culmine, quam divinis oblationibus Propheta vidit altiorem. Quod si spiritualem sensum sequimur, victimæ ad magnæ conversationis austeritatem, holocausta ad compunctionem vitæ secretioris referenda sunt. Melior est enim obedientia, quam victimæ; et auscultare magis, quam offerre arietum adipem: quia, longe altioris est meriti propriam voluntatem alienæ semper voluntati subiicere, quam magnis ieiuniis corpus atterere: aut per compunctionem se in secretiori sacrificio mactare. Quid est enim adeps arietum, nisi pinguis et interna devotio? Melior est tamen obedientia: quia, qui perfecte voluntatem præceptoris sui implere didicit, in cælesti regno abstinentibus et flentibus excellit: ita Gregorius. Lege tom. 4. S. Chrysost. tract. quo præfert monachum regibus.

Secundo denique, religiosi erunt splendidi in cælo. 54. Et lumen gloriæ in altera. Idem S. Chrysostomus in eodem tract. inter cætera ait: *Si certamen futurum examinare velimus, monachum quidem videbimus*, λαμπρον και περιβλεπτον, *splendidum et conspicuum rapi inter nubes, ad occursum Christi in aera, exemplo ducis et institutoris huius vitæ salutaris, omniumque virtutum. At rex, si quidem iuste et humane imperium suum rexisse visus fuerit (hoc autem admodum rarum est) minorem salutem, minorem honorem sortietur.* S. August. ser. 28. de verbis Apostoli vim paupertatis extollens ait: Felicitas magna Christianorum, quibus datum est, *ut paupertatem faciant pretium regni cælorum.* Non tibi displiceat paupertas tua, nihil ea potest ditius inveniri. Vis nosse quam locuples sit? *cælum emit.* Quibus thesauris conferri possit, quod videmus paupertati indultum? Ut ad regnum cælorum veniret dives, possessione sua obtinere non potest; nunc obtinet, ut contempta perveniat. S. Ægidius, unus e primis S. Francisci sociis, præclaro simili explicat, quanta sit religiosorum gloria. Si, ait, Tiberis non deflueret, sed aquam quæ semper labitur, retineret: quantum iam excrevisset? Imo vero non solum tot anni, quibus iam fluit, sed pauci omnino dies satis essent, ut ex flumine ingens mare fieret. Idem igitur licet de religiosis dicere; cum quotidie vel potius assidue, bonis operibus accumulandis insistant, atque in eo noctes et dies elaborent; quas coronas, quantam gloriæ accessionem fieri necesse est? Ita ipse: quod ipse dixit et præstitit, id et nos faciamus, continuis virtutum accessionibus nobis gloriæ et splendoris æterni augmentum comparantes, ut in æternum placeamus Deo in lumine viventium.

PSALMUS QUINQUAGESIMUS SEXTUS.

1. In finem, ne disperdas David in tituli inscriptionem, cum fugeret a facie Saul in speluncam.

2. Miserere mei Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea.
Et in umbra alarum tuarum sperabo: donec transeat iniquitas.
3. Clamabo ad Deum altissimum: Deum qui benefecit mihi.
4. Misit de cælo, et liberavit me: dedit in opprobrium conculcantes me.
5. Misit Deus misericordiam suam, et veritatem suam: et eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormivi conturbatus.
Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ: et lingua eorum, gladius acutus.
6. Exaltare super cælos Deus: et in omnem terram gloria tua.
7. Laqueum paraverunt pedibus meis: et incurvaverunt animam meam.
Foderunt ante faciem meam foveam: et inciderunt in eam.
8. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo et psalmum dicam.
9. Exurge gloria mea, exurge psalterium et cithara: exurgam diluculo.
10. Confitebor tibi in populis Domine, et psalmum dicam tibi in gentibus.
11. Quoniam magnificata est usque ad cælos misericordia tua: et usque ad nubes veritas tua.
12. Exaltare super cælos Deus: et super omnem terram gloria tua.

PSALMI QUINQUAGESIMI SEXTI ANALYSIS.

Cum David in spelunca Engaddi degeret, Saulis ipsum circumdante exercitu, opem Dei implorabat:

- Ob spem suam in Deo, 2.
  - Humilem ob sui miseriam. 2.
  - Fiduciæ plenam, ob Dei potestatem. 2.
  - Iucundam, ob umbram divinam. 2.
  - Perseverantem, ob hostium furorem. 2.
  - Ferventem, ob Dei maiestatem. 3.
  - Gratam, ob accepta beneficia. 3.
- Ob benignitatem Dei erga se, 4. qui
  - Liberavit innocentem, 4.
    - Missa e cælo misericordia. 4.
    - Et veritate. 4.
  - Hostes opprobrio obiecit. 4.
- Ob calumniatorum sævitiam, 5. qui
  - Verbis
    - Dentes exerunt,
      - Ut lanceas. 5.
      - Et sagittas. 5.
    - Linguas acuunt, velut gladios. 5.
    - Sed Deus eos puniens.
      - Exaltatur super cælos. 6.
      - Et glorificatur in terra. 6.
  - Factis
    - Laqueo implicare. 7.
    - Solo affligere. 7.
    - Fovea claudere moliuntur. 7.
    - Sed Deus in illam ipsos deiicit. 7.
- Ob suas virtutes, nempe
  - Conformitatem voluntatis cum divina,
    - Parando illam ad prospera. 8.
    - Et ad adversa recipienda. 8.
  - Lætitiam in ipsis adversis:
    - Cantica dicendo. 8.
    - Et psalmos canendo. 8.
  - Alacritatem in Dei cultu, 9.
    - Cum surgit Deus ad iuvandum. 9.
    - Et gaudium menti affundit. 9.
  - Gratiarum actionem coram omnibus, 10.
    - Ob Dei misericordiam. 11.
    - Et veritatem. 11.
  - Charitatem, sibi complacendo:
    - In Dei exaltatione in cælo. 12.
    - Et glorificatione in terra. 12.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. In finem, ne disperdas David in tituli inscriptionem, cum fugeret a facie Saul in speluncam.

1. David in spelunca Engaddi hunc psalmum cecinit. Quid erat Engaddi. ANNO Saulis regis 15. cum iam per annos quatuor David huc illuc oberraret, audiens eum cum tribus armatorum millibus adventare, ut se caperet et mactaret, fugit in speluncam deserti Engaddi. S. Hieronymus porro in traditionibus Hebraicis dicit: quod Engaddi fuerit urbs nobilissima, dicta Hasasonthamar, id est, urbs palmarum, quod nimirum palmis floreret et balsamis, non longe a mari mortuo. Habet autem ea civitas desertum sibi cognomine, ut docent Brocard. Bredembachius et Adrichomius, frequens altissimis montibus præruptisque, imo, ita prominentibus, ut ruinam minari videantur, et iter agentibus metum afferant, ne in se, subiectasque valles immania saxa præcipitent. Hinc dicitur 1. Reg. 24. 1. *Ascendit ergo David inde* (ex deserto Maon) *et habitavit in locis tutissimis Engaddi.* Septuag. vertunt ἐν τοῖς στενοῖς γαδδὶ: id est, In locis Gaddi, seu Engaddi, quæ erant, angusti et difficilis aditus. Ibi sylvæ erant, ut tradit Solinus cap. 48. Polyhist. Itaque erant locus commodus latebris, et ubi pauci contra plures pugnare possent. Verba Solini sunt: *Engada* (sic enim appellat) *oppidum infra Essenos fuit, sed excisum est. Verum inclytis nemoribus adhuc durat decus, lucisque palmarum eminentissimis nihil vel ævo, vel bello derogatum.* Quod autem hunc psalmum cecinerit David in spelunca Engaddi: aut postea memor periculi, quod ibi adiit, docent Bellarm. Salian. Lorin. et alii.

2. Quid est, ne disperdas. Quæres, quid petit David non disperdi? Nota, pro *ne disperdas,* Hebr. est אל תשחת *al taschet*, quod R. Abraham putat fuisse initium cantilenæ, ad cuius modulum et rhytmum cantandus esset hic psalmus, et alii eodem titulo notati; 2. alii putant *taschet* esse nomen instrumenti musici, cum quo hic psalmus caneretur. Sed hæ duæ opiniones reiiciendæ sunt; 3. enim שחת *schchet* significat perdere, disperdere, corrumpere, funditus delere, occidere. Igitur *al taschet*, est, ne occidas, ne corrumpas, ne perdas.

3 Quem petit David non disperdi? I. Saulem. Resp. igitur *ne disperdas.* Primo, Saulem qui in speluncam illam Engaddi, in qua latebat David cum militibus quadringentis, ait Iosephus (cum sexcentis dicere debuit) ingressus est, ut purgaret ventrem: et tunc eum milites volebant occidere, sed David hoc impedivit. R. David Kimhi putant esse verba Davidis ab Abisai, qui volebat Saulem occidere: sed confundit historias: Abisai enim voluit occidere Saulem, non in spelunca Engaddi, sed cum in mediis castris dormiret in suo tentorio militari, habens hastam prope se et scyphum aquæ; tunc autem David latebat in colle Hachila, anno regni Saulis 17. et Saul castrametatus erat in Gabaa Hachila cum tribus millibus virorum de electis Israel, qui scilicet ad custodiam corporis eius destinati erant ab initio regni eius, et semper cum illo manserunt pari numero. S. Basil. Euth. Niceph. Theodoret. censent, esse verba Davidis ad seipsum, q. d. *Ne disperdas*, id est, ne occidas Saulem regem; est enim unctus Domini: horribile scelus est regem suum verbo, longe magis manu violare: satius est millies mori, quam totius patriæ patrem aggredi: Deo res nostræ curæ erunt. Tentatum se fuisse, ut eum occideret, fatetur ipsi Sauli 1. Reg. cap. 24. 11. sed fortiter subnascentes animi sui et militum motus compressit. S. Chrysost. eam animi moderationem admirans, ait: *Ne dicas illum nihil eorum sensisse affectuum, quales nos illi per coniecturam tribuimus; et id quod accidit non fuisse philosophiam* (id est, virtutem animi motibus imperantem) *sed stuporem: considera, quam vehementer exasperatus sibi temperarit. Siquidem, quod iracundiæ fluctus in animo illius intumuerint, multaque cogitationum iactatio concitata fuerit, sed eam tempestatem refrænarit amore Dei, animosque represserit, ex iis quæ facta sunt perspicere licet. Surrexit, inquit, et abstulit oram chlamidis Saulis clanculum. Vides, quanta iræ tempestas coorta fuerit. At non processit ulterius, neque fecit naufragium. Eo quod gubernatrix* (ratio scilicet) *tempestatem vertit in tranquillitatem. Percussit enim Davidem cor ipsius, ac velut equum subsilientem ac ferocitantem, revocavit iram. Huiusmodi sunt Sanctorum animæ; priusquam concidant, resurgunt, priusquam ad peccatum perveniant, refrænantur; eo quod sobriæ sint, et semper vigilent.* Non videtur David hic intelligere non esse disperdendum Saulem: nam tunc cum psalmum faciebat, non erat Saul intra speluncam, sed circa eam cum exercitu.

Secundo, *ne disperdas*, populum scilicet, ut alii volunt, q. d. Ne propter peccata Saulis contra me innocentem, perdas populum tuum Israel. Sed non fit mentio populi in hoc psalmo. II. Populum.

Tertio, *ne disperdas*, musicam scilicet: ita Trevetus; perinde q. d. David cuipiam cantori cum victoria et viriliter canenti, aut canere volenti, ne disperdas; id est, ne impedias aut interrumpas musicam et canticum meum. Sed hic sensus est alienus et ineptus. III. Musicam.

Quarto denique, et optime, *ne disperdas*, Davidem; id est, me. Iansenius sic legit textum: *In finem ne disperdas David in tituli inscriptione.* S. Hier. *Victori, ut non disperdas David humilem et simplicem.* Paguinus: *Victori ne disperdas ipsi David Mictam.* Felix: *Vincenti ne dissipes David insigne.* Arias, insigne aureum: id est, coronam regiam quam mihi promisisti. De significationibus variis *Mictam* dixi in titulo psalmi præcedentis. Ex his patet, Hugonem perperam negare psalmum hunc ad litteram posse intelligi de Davide. Ratio eius est, quia non legitur titulum erexisse. Sed primo, id negatur; cum hic dicatur, et in titulo Ps. 15. 55. 57. et 59. Nec improbabile est, in ore ipsius speluncæ aliquam epigraphen et titulum appositum fuisse postea a Davide rege, tanti beneficii memore, ut ob illud omnes posteri Deum laudarent: sicut videmus fieri in iis locis, in quibus sancti viri et Martyres aliquid notabile egerunt aut passi sunt. Præterea crediderim speluncam Engaddi, speluncam Odollam, et similia loca, in quibus David rex clarissimus, sanctissimus, Messiæ pater servatus fuerat, in oratoria erecta fuisse, atque a populo sacra habita; etsi enim liceret tantum victimas immolare, in locis in quibus erat arca et tabernaculum, tamen non erat illicitum orare in illis veluti sacellis et oratoriis, quibus postea abusus est populus immolans in excelsis. Locus autem ille sacer aliquo titulo et epigraphe, indicante eius sanctitatem notabatur. Unde dicitur, *in tituli inscriptione.* Titulus autem ille in spelunca Engaddi erat, *ne disperdas*, aut certe eadem res fusius explicata: Quo modo scilicet David cum sexcentis suis militibus ibi latuisset; et Saulem volens occidere, illi pepercisset. IV. Et optime, seipsum. 4. Spelunca Engaddi consecratam Deo instar sacelli.

5. Allegor. Spelunca Engaddi est sepulcrum Christi. Allegor. Spelunca Engaddi est sepulcrum Christi. Ita S. Augustin. ibi enim latuit verus David: et sepulcrum eius vere erat spelunca. Matth. 28. 60. de Iosepho ab Arimathia, quæ urbs dicebatur etiam Ramathaim Sophim, dicitur: Posuit *illud*, corpus scilicet Iesu, *in monumento suo novo, quod exciderat in petra.* Formam sepulcri illius sic describit Beda cap. 14. *De monumento Domini ferunt, qui nostra ætate de Ierosolymis Britanniam venere, quod domus fuerit rotunda, de subiacente rupe excisa, tantæ altitudinis, ut intro consistens homo vix manu extenta culmen possit attingere: quæ habet introitum ab Oriente, cui lapis ille magnus advolutus est. In cuius monumenti parte aquilonari, sepulcrum ipsum, hoc est, do-*

minici corporis locus, de eadem petra factus est, septem habens pedes longitudinis, trium vero palmorum mensura cætero pavimento altius eminens. Qui videlicet locus non desuper, sed a latere meridiano per totum patulus est, unde corpus inferebatur. Vide Adrichom. in descript. Ierusalem, num. 239.

6. Titulus crucis. Quæres, de quo titulo hic allegorice agatur? Respond. cum eodem S. August. de titulo Crucis, qui positus est a Pilato, *Iesus Nazarenus rex Iudæorum;* et cum rogaretur a Pontificibus et Pharisæis, ut eam inscriptionem mutaret, id facere noluit, dicens Ioan. 19. 22. *Quod scripsi, scripsi*, q. d. Recte scripsi; nolo scripturam hanc mutare. S. Hieron. S. Isidor. Nicolaus Papa, Ruffin. Beda, et alii legunt in psalm. nostr. *Ne corrumpas tituli inscriptionem.* Ubi obiter adverte, olim ad mortem damnatis solitum esse titulum præfigi, qui causam mortis indicaret. Sic S. Attalo martyri titulum hunc præfixerunt: *Hic est Attalus Christianus.* Titulus autem crucis erat Christo gloriosus. Titulus hic, ait Origenes, caput Iesu instar coronæ exornat. Hinc notat Beda, fuisse super caput eius. Apte, ait, quia licet in cruce pro nobis hominis infirmitate dolebat, super crucem tamen regis maiestate fulgebat: ita Beda. Ad hæc, et ad ea quæ supra dixi de spelunca Engaddi consecrata, referri quodammodo possunt ea quæ habet Baronius de titulis Ecclesiarum et de cruce, tom. 2. Annal. anno Christi 112. Haud dubium, ait, per titulos accipi domos divino cultui mancipatas, in quibus Christiani synaxes agere consueverant. A rebus autem Fiscalibus videtur accepta esse nomenclatura: tituli namque impositione, rem aliquam sibi fiscus solitus erat vendicare, atque principi consecrare: ut cum ait Imperator, L. si quaudo. C. de bon. vacant. lib. 11. Fuisse huiusmodi titulos vela quædam, quæ regiam repræsentarent potestatem, vel imaginibus Imperatorum, vel nominis ipsorum inscriptione insignita, multa sunt quæ poterunt demonstrare. Eiusmodi vela, cortinas regias S. Ambros. nominat. Porro titulos litteris notari solitos S. August. in Ps. 21. demonstrat. Huiusmodi titulos imponi Ecclesiasticis rebus vetuit S. Gregor. lib. 5. epist. 44. Fuisse autem titulum, quo domus aliqua cultui divino manciparetur, vexillum crucis, ex iis possumus intelligere, quæ Theodosius Imperator edicto præcipit L. ult. de Pagan. Cod. Theod. ut delubra Gentilium Christianæ religionis cultui manciparentur, collocato in eis, ut ait, venerandæ Christianæ religionis signo: eaque ratione, quod titulo crucis censerentur res dicatæ esse religioni. Leo Imperator. 1. decernimus, C. de Episcopis et Clericis, ne signum Crucis inferretur in loca publica, quæ gratia popularis voluptatis essent erecta, vetuit: hæc et alia Baronius.

Cur super caput Christi?

Symbolice, spelunca est caro Christi, quæ divinitatem eius occultabat: ita S. August. *Spelunca,* inquit, *se Christus texerat, id est, carnis infirmitatem oculis obiiciebat: maiestatem autem divinitatis in corporis tegmine, tamquam terræ abdito, contegebat. Illi ergo non cognoscentes Deum, crucifixerunt hominem:* ita ipse. Saul vero et socii Davidem quærentes ad mortem, erat populus Iudæorum. Caro Christi est spelunca Engaddi, id est, fons felicitatis: hoc enim Engaddi significat. 7. Symbol. Spelunca Engaddi est caro Christi.

Tropol. *In finem, ne disperdas*, Septuag. μὴ διαφθείρῃς, id est, ne corrumpas; opus tuum scilicet. Ita S. Chrysost. hom. 3. in verb. Isaiæ, *Vidi Dominum*, ait enim quod Propheta nobis assidue inclamat, *in fine ne corrumpas*, animæ nostræ socordiam retrahens, et iam collapsuram suffulciens, ac retinens; et tum, cum maxime opus est, nec aliud cum superest, alacritatis vigore, ubi maior iam vitæ pars peracta est, emarcescente: viribusque deficientibus, et quando diabolus ceu pirata insidiatur vehementius, paratis iam mercibus spiritualibus ne decidamus, veluti pro baculo quodam porrigens verba ista, *In fine ne corrumpas.* S. Hieron. lib. 1. contra Iovinianum: *Multi vocati*, ait, *pauci electi. Incipere multorum est, perseverare paucorum: unde et grande præmium eorum qui perseverarint.* Illud præmium assignat Christus Matth. 10. *Qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit.* S. Bernardus epist. 129. ad Genuenses: *Et nunc*, ait, *quid restat Charissimi, nisi ut admoneamini de perseverantia, quæ sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus? Prorsus absque perseverantia, nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. Vigor virium virtutum consummatio est, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium, soror est patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui cœperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit:* hæc Bernardus. 8. Tropol. Usque ad finem in bono opere est perseverandum.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

9. QUATUOR COMPREHENDIT. PRIMO, SPEM SUAM IN DEUM, A QUO PETIT MISERICORDIAM, VERS. 2. SECUNDO, MISERICORDIAM DEI ERGA SE, VERS. 4. TERTIO, CALUMNIATORUM SUORUM SÆVITIAM ET INTERITUM, VERS. 5. QUARTO DENIQUE, LIBERATIONEM SUAM ET GRATIARUM ACTIONEM, VERS. 8.

SECTIO PRIMA.

Tria exprimit. Primo, quinque modos superandæ calumniæ, v. 2. Secundo, Dei benignitatem se dupliciter exhibentis, v. 4. Tertio, iustitiam Dei calumniatores suos punientis, vers. 5.

PARAPHRASIS.

2. *Miserere mei Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea.*

Et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.

2. Summam in calamitatem deductus ac miseriam, ad te unicum vitæ meæ præsidium, et naufragi portum confugio: miserere in tua unius bonitate et potestate confidentis.

Miserere supplicis, et in unam tuam providentiam, et protectionem intenti: instar enim pulli a milvis crocitantibus, et iam involaturis trepidantis, sub maternis pietatis tuæ alis conquiescam; donec iniqui Saulis furor transeat, et universus eius exercitus recedat a spelunca hac Engaddi, in qua lateo.

3. *Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi.*

3. Terrena mihi non conquiram subsidia, vocem in cælum erigam, contentisque clamoribus tibi summo in solio residenti cladem meam aperiam, cum beneficiis me tuis semper cumulaveris.

4. Misit de cælo, et liberavit me: dedit in opprobrium conculcantes me.	4. Prævideo fore, ut e summo cælorum templo auxilium petitum demittas, meque his ex angustiis eripias: hostesque meos, qui protritum pedibus premunt et suffocant, dedecore afficias, et omnibus infames reddas.
Misit Deus misericordiam suam et veritatem suam.	Misericordiam tuam e cælo misisti, ut misero succurreret: ac veritatem, ut calumnias discuteret, meamque innocentiam declararet.
5. Et eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormivi conturbatus.	5. His me præsidiis e rugientium hostium, velut leonum, vallante agmine subduxisti: cum antea variis in somniis turbarer, ubi primum opem tuam sensi quietissimo somno dormivi.
Filii hominum dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus.	Hostibus meis dentium loco arma sunt ac tela, quibus me calumnia dicteriisque proscissum confodiant: lingua sua, velut gladio acutissimo, me impetunt, consilia, mihi pestifera, Sauli suggerentes.
6. Exaltare super cælos Deus: et in omnem terram gloria tua.	6. Tu vero, Deus meus, reptantes hos humi vermiculos pro nihilo duces, et in excelso tribunali tuo illos iudicabis, atque in eorum interitu potestatem tuam omnibus aperies.
7. Laqueum paraverunt pedibus meis: et incurvaverunt animam meam.	7. Incassum pedibus meis laqueos et insidias tetenderunt, ut velut captæ feræ illuderent: connixique sunt omnibus viribus me deprimere, soloque affligere, prostratoque insultare.
Foderunt ante faciem meam foveam, et inciderunt in eam.	Frustra exitium mihi occultum machinati sunt, cognitum enim effugi: ipsi vero in illud retrorsum acti ceciderunt. Saul enim in hac speiunca, in qua lateo, in mea erit potestate.

QUÆSTIO UNICA.

Quam exitiale monstrum calumnia, et quibus modis vitatur.

10. Ordo sectionis. DAVID in obscura spelunca Engaddi conclusus, ænigma hic proponit de calumnia, a qua se appetitum sentiebat.

Primo, vitandæ, aut certe superandæ et profligandæ calumniæ modos quinque edocet. Primum, orationem, qua ad Deum fugiamus, vers. 2. *Miserere mei Deus, miserere mei.* Secundum, spem in Deum: *Quoniam in te confidit anima mea.* Tertium, perseverantiam: *Et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.* Quartum, fervorem, vers. 3. *Clamabo ad Deum altissimum.* Quintum, gratitudinem: *Deum qui benefecit mihi.*

Secundo, exponit benignitatem Dei erga se, tum liberando a periculis, v. 4. *Misit de cælo, et liberavit me:* tum hostes atterendo: *Dedit in opprobrium conculcantes me.* Hoc autem efficit per misericordiam et iustitiam: *Misit Deus misericordiam suam, et veritatem suam.* Misericordiam quidem, quæ eum liberaret, v. 5. *Et eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormivi conturbatus.* Iustitiam vero, ad hostes puniendos: Unde sequitur eorum destructio et ruina.

Tertio itaque, calumniatores suos describit, instar monstri, quod loco dentium habeat hastas et sagittas: et loco linguæ, habeat gladium, vers. eod. 5. *Filii hominum dentes eorum arma et sagittæ: et lingua eorum gladius acutus.* Sed iustitia Dei in suo tribunali sedens rabiem ipsorum ulciscitur, vers. 6. *Exaltare super cælos Deus, et in omnem terram gloria tua.* Et fraudibus suis eos implicat, velut retibus imprudentes venatores aut piscatores, ut præda sint feris aut piscibus quos captabant, v. 7. *Laqueum paraverunt pedibus meis: et incurvaverunt animam meam. Foderunt ante faciem meam foveam, et inciderunt in eam.*

ARTICULUS I.

Quibus virtutibus calumniam vincere possumus.

11. Calumnia vincitur quinque virtutibus: I. Oratione. Vers. 2. 1. Pars. IMMANE monstrum magna se mole inferens, rabieque armatum ac veneno suffusum, David advertens calumniam, in asylo se suum immittentem, omnibus se munit præsidiis atque armis, eam ut pestem a se amoliatur.

Ac primo, oratione utitur. Cum enim ex inferis oriatur calumnia, velut hydra centiceps, aut furia serpentibus sibilantibus succincta, e cælo auxilium evocat, extremam cladem timens, v. 2. MISERERE MEI DEUS, MISERERE MEI, q. d. Nisi succurreris, de me actum est, iam iam perii. Primo enim, illa repetitio denotat vehementiam affectus in sum-

A mo discrimine. Secundo, corporis et animæ afflictionem et miseriam. Non erat tunc David in spelunca tremens, cinctus hostili exercitu: deinde calumnia conturbat sapientem, Eccl. 7. 8. Ubi adverte, maximi esse periculi apud reges et principes calumniam pati. Nam prius plerumque in accusatos fulmen imittunt, quam coactos in nubem vapores adverteris, et effugium obiectu veritatis quæsiveris. Tiberius quidem Cæsar tantum delatoribus tribuit, ut nemini fidem abrogaret. Vitellius Imp. Mathematicos delatos, inauditos capite punivit. Alex. Graginus iu sua Moschovia docet, Moschos esse ad calumniam propensos, etiam charissimorum: sæpe in alienas domos res quaspiam inferre, quas velut furto raptas repetant. Qui autem semel apud principem delatus est, morte vel falsam calumniam luere. Quis non lugeat Crispum per calumniam occisum, Eliam fugatum, S. Ioannem Damascenum manu truncatum, S. Athanasium omni contumeiia vexatum, S. Chrysostomum actum in exilium, aliosque innumeros a principibus calumniæ fraude deceptis dira perpessos? Calu- Nimis credidit calumniatoribus Tiberius. Vitellius. Moschorum gens. Calumnia viros clarissimos perdidit.

B mniæ tam præsens venenum est, ut sæpe statim occidat, atque ut plurimum morbo illato vix ulla perfecta sit medicina. Hinc ille apud Plutarch. de calumnia, iubebat suos audacter calumnias iacere, hisque alios mordere, dicens, tametsi morbi ulcus sanaretur, tamen calumniæ cicatricem mansuram.

Deus unus mederi potest, luce veritatis ostensa, ad eum 12. Deus veritate calumniam fugat.
velut ad medicum est recurrendum. S. Athanas. iu Apologia ad Constantinum Imp. tom. 1. fol. 681. *Qui*, ait, *lapide percutitur, quærit medicum: ictus autem calumniæ gravius vulnus efficit quam lapides. Est enim calumnia*, ῥοπαλον, και μαχαιρα, και τοξευμα ακιδωτον, *clava, et gladius, et iaculum acutum, ut dixit Salomon: sed his veritas mederi potest, quæ ubi negligitur, vulnera accepta acerbiora fiunt.* Deus est veritas, oratio ad eum ducit, et eum invenit, si præsertim fiat in afflictione et miseria. S. Chrys. in Ps. 119. *Quando*, ait, *es in afflictione, ne desperes, nec labores pigritia; sed tunc temporis maxime excitare:* τοτε καθαρωτεραι ευχαι, *sunt enim tunc puriores preces, et maior Dei in te benevolentia.* Et in calumnia ac dissensione in- Id impetrat oratio.

C vat oratio. Est enim ut ait S. Gregor. Nyss. t. 1. fol. 714. Belli trophæum, pacis securitas, διεστωτων συναγωγη, *dissidentium conciliatio.* Aperit enim lucem veritatis, et fugat tenebras passionum. S. Isaac presbyter lib. 1. de mundi contemptu: Oratio, inquit, refugium est auxilii, et fons salutis, et confidentiæ thesaurus, et lumen iis qui in tenebris sunt, et portus liberans tempestate, et auxilium in ægritudinis molestia, et clypeus liberationis in præiio, et sagitta acuta contra inimicos: hæc Isaac. Itaque David noster calumniis appetitus ad orationem fugit.

Secundo, spes in Deum a calumnia liberat. Hinc addi- 13.
tur v. 2. QUONIAM IN TE CONFIDIT (S. Hieron. sperat,) Vers. 2.
ANIMA MEA, hæc spes fixa est in imo cordis, et in intimis 2. Pars.

II. Spes in Deum a calumnia liberat.

medullis. Si lampadem appenderis lacui, in quo coaxant ranæ statim luminis fulgore attonitæ silent. Deus lux est, cuius vel unicus radius os oculosque ranunculis illis et calamitis occludat. Ælian. lib. 19. hist. animal. cap. 55. tradit, a cane non allatrari eum, qui mustelæ caudam secum habuerit; lib. 6. autem cap. 40. mures in Heraclea, quæ Ponti est insula, non attingere quidquid est Herculi dedicatum, ac tempore quo uvæ maturæ sunt ex insula fugere, ne quid improvidæ attingant: post illam vero tempestatem, redire. Canes circumstent, mures instar arenæ ebulliant, calumniatores circumsonent, non patietur Deus sibi creditos alumnos quidquam perpeti incommodi. S. August. lib. 1. Soliloq. *Constanter te Deo crede, eique te totum committe, quantum potes: ita enim te ad se sublevare non desinet: nihilque tibi evenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias.* Dicebat Ieremias cap. 17. 7. *Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia.* Vatabl. spes eius. Ubi Cornelius, A Deo benedictus dicitur, qui in eo sperat: quia per spem Deus maxime honoratur; qui enim Deo fidit, seque illi credit, prædicat: 1. eum esse optimum, qui velit sua bonitate succurrere; 2. esse omnipotentem, qui possit; 3. esse omniscium, qui sciat opitulari; 4. esse fidelissimum, qui sperantem in se non fallat. Hinc Græci Θεὸν dixerunt ἀπὸ τοῦ αἴθειν, ait Naz. et Damasc. id est, ab urendo: quod omnibus calorem, vitam et bona omnia aspiret. Unde Naz. orat. de pauperum cura: Nihil ita Divinum est, ait, quam de aliis bene mereri; calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando. Vel ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, id est, a spectando et contemplando omnia, ait S. Dionysius cap. 12. divin. nomin. et Damasc. 1. de fide cap. 12. Vel ἀπὸ τοῦ θέειν, id est, a currendo: quod celerrimus sit, efficacissimus, et ubique præsens. Vice versa, homo dicitur *Enos*, id est, infirmus, ærumnosus, incurabilis: ac si solus homo sit, qui a solo Deo curari possit, quique ab eo bona omnia expectat: et apud eum bona spe se sustinet, in eoque recumbit securus, sine sui suarumque rerum cura, ait Philo lib. de Abraham. Quapropter dixit Abbas ille in sententiis Patrum Ægypt. sent. 71. *Si non dixerit homo in corde suo: Ego solus et Deus sumus in hoc mundo, non habet requiem.* Ita Abraham Deo contra spem in spem credidit: ideoque et miraculosa prole et omni benedictione cumulatus est: hæc Cornelius. Ad rem nostram aptius est, quod spes Susannam liberavit a calumnia duorum senum impiorum: nam etiam cum illi testimonium contra eam malitiose dicentes posuissent manus suas super caput eius, Dan. 13. 35. *Flens suspexit ad cælum: erat enim cor eius fiduciam habens in Domino.* Sic David Psal. 24. 1. dicebat: *Ad te Domine levavi animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam.* Symmach. epist. 55. Spes, ait, in adversis aiere animos solet. Contra vero, Deus deserit in se non sperantes. Eccli. 2. 15. *Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo, et ideo non protegentur ab eo.* Arab. Væ cordi quod fiduciam non habet, quoniam non permanebit: id est, non erit firmum, sed semper fluctuabit. Nicolaus Papa III. pro symbolo usus est hoc hemistichio: *Miserere mei Deus, miserere mei:* addamus nos et alterum: *Quoniam in te confidit anima mea.* Ubi nota, τὸ *in te*, q. d. In nullo alio; quod facere est magnæ virtutis. Philo libro, Quis rerum divinarum hæres: *Si penitius*, ait, *scrutari non solum in superficie volueris, comperies quam difficile sit Deo soli absque ullo testimonio credere: propter cognationem, quam habemus cum rebus mortalibus; quæ nobis persuadent, ut credamus fidamusque gloriæ, principatui, amicis, sanitati, roborique corporis, et cæteris plurimis. Has persuasiones eluere, et diffidere creaturæ per se infidissimæ, ac soli Deo fidere, qui solus vere fidus est,* μεγάλης καὶ ὀλυμπίου διανοίας ἔργον ἐστι, *res est magni animi cælestisque. non inescari ullis rebus mortalibus.*

Notabile de ranis et muribus.

Deus cur vocetur Θεός.

Nicolai Papæ symbolum.

Deo soli confidere est difficile.

14. Vers. 2. 3. Pars. III. Perseverantia in virtute calumniam discutit.

Tertio, perseverantia in virtute discutit omnem calumniam. v. 2. ET IN UMBRA ALARUM TUARUM SPERABO, DONEC TRANSEAT INIQUITAS; id est, iniquus Saulis contra me excitatus furor; 2. donec Saul ipse iniquissimus cum toto suo exercitu transeat, et prætergrediatur speluncam Engaddi, in cuius umbra lateo, te protegente per tuam misericordiam et veritatem, quæ sunt duæ alæ tuæ, sub quibus securus sum. De illis alis postea subiungitur, vers. 4. *Misit Deus misericordiam suam et veritatem;* sub illis velut implumis et infirmus pullus sperabat David, et circumvolitantes milvos non timebat. De illa Dei umbra dixi Ps. 16. 10. *Sub umbra alarum tuarum sperabo.* Ps. 62. 8. *In velamento alarum tuarum sperabo.* Ps. 94. 4. *Sub pennis eius sperabis.* Chald. Sub umbra gloriæ eius securus consistes. Huius umbræ suavitatem et tutelam senserat Isaias, cum dicebat, cap. 49. 2. *In umbra manus suæ protexit me*, quod allegorice de Christi brachiis in cruce extentis, nosque inumbrantibus commode dixeris. Sed sæpe ingratis et incredulis laborat Deus. Isaiæ 65. 2. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum.* De bona umbra boni Prælati, protectionis Dei, gratiæ Spiritus sancti, legis Mosi, humanitatis Christi, crucis Christi, agit Hugo in Ps. nostrum. Deinde ait, esse malas umbras rerum temporalium, ignorantiæ, amatorum mundi, humanæ vitæ, pœnalitatis, voluptatis, infidelitatis, et gehennæ. Ipsum consule. *Si etiam capillus unus habet umbram suam*, ut dicebat Publius Mimus: id est, si nihil tam abiectum est, in quo auxilii aliquid non possit inveniri, de summo et amantissimo numine quid dicemus? S. Greg. lib. 32. Moral. cap. 6. *Nos*, ait, *parvulos Dominus dum protegit, nutrit; et non gravi atque onerosa, sed levi et blanda protectione nos refovet; dum suas in nos misericordias exerit, quasi more super nos avium alas tendit.* Suo se pede Sciapodes adversus solis æstum tuentur, ut Suidas tradit: umbellam Itali, Hispani, Græci prægestant, et Sinæ etiam, ut tradit noster Trigautius lib. 1. de Christiana expeditione apud Sinas, cap. 8. *A famulo*, inquit, *umbellam grandiorem sibi contra solis radios et imbres gestari faciunt: tenuiores ipsi sibi minorem ferunt.* Sed qui humanis umbellis et protectioni nimium confidit, levi earum motu et fragore id incommodi patitur, quod Carolus VI. rex Franciæ in campo arenoso non procul ab urbe Cœnomanorum: ferro lanceæ cadentis super umbellam suam ita exterritus est, ut mentem amiserit, et tota vita vix ab ea insania potuerit sanari. De alis Dei vide Ps. 35. 8.

Sciapodes.

Umbellarum usus apud Sinas.

Nota primo, pro *iniquitas*, Symmach. reddit ἐπηρεαστής, id est, calumniator. Hebr. habet הוות *havot*, id est, *iniquitates;* omnem enim iniquitatem in se una calumnia complectitur, et omnibus sceleribus inseruit ad omnia nequissima perpetranda. Venenum est veternosi serpentis, quod omnibus aspiret alumnis suis. Superbus enim utitur calumnia, ut æmulum suum deiiciat, atque ad ima præcipitet: avarus, ut nummis crumenam suffarcinet: libidinis mancipium, ut rivalem excludat, decurre cæteras criminum formas, nihil in iis funestius reperies calumnia; 2. *havot, contritiones:* ita Pagninus. Calumnia est, grando Ægyptia conterens vel latissimas segetes. Mulslus, *calamitas*, est, calamos, id est, homines tenues, pauperes, infirmos in virtute debiles penitus comminuens: et ipsos quercus ac robora, id est, divites, robustos, patientes, fortes, virtutibus omnibus armatos debilitans, et sæpe deiiciens; 3. *havot*, Syr. vertit, *tumultus.* Calumnia est tonitru reboans, et omnia permiscens: est seditio insana, fragore stygio urbes et domos implens. Vox Syr. est דלוחיא *deluchaia*, id est, pavor, formido, tumultus cum pavore et formidine. Chald. habet אתרגושא *ithraggoscia*, id est, tumultus, fremitus, strepitus, commotio, concussio, tumultuosus concursus: hæc omnia habet calumnia; 4. *havot*, Apollinar. vertit, ἀταθαλίας, id est, inhumanitas, improbitas, damna inferens, et inferre gaudens, vecordia, protervia, perniciosa improbitas. Herodot. lib. 7. διαβολὴ, ait, ἐστι δεινότατον, *calumnia res est molestissima et gravissima.* Hoc ipsum dicebat Hippias, causamque reddebat, quod amicitiam, qua nulla melior est possessio, violaret. Cleanthes ait, nihil esse διαβολῆς κακουργότερον, calumnia malignius. Menander, nihil esse ἐπιπονώτερον, laboriosius 15.

15. Calumnia est omnis iniquitas. Havot quatuor significat.

et molestius. Et vero, quid illo vitio funestius est, quod angelum lucis deformavit in διαβολον tenebrarum? dæmon humani generis hostis infensissimus vocatur diabolus, id est calumniator: quia nullum est nomen odiosius hominibus.

16. Iniquitas cito transit.

Nota secundo, cito transit iniquitas, patientia brevi opus est in laboribus. Saulis regnum breve fuit, Davidis et filii eius Christi thronus æternus. S. Gregor. Nyssen. tract. 2. in Psalmos, dicit iniquitatem transire, quia instabilis est ac transitoria peccati natura, αστατος και παροδικη αμαρτιας φυσις, neque in principio fuit, cum creatura est creata et fundata ab eo, qui res omnes procreavit et essentiis suis instruxit: neque in longinquum tempus, cum rebus permanet: quoniam eius ratio consistit non in esse, sed in non bonum esse: similisque haberi potest gramini in tectis absque radice orto, non sato aut inarato, quod cito transit et evanescit. Denique hoc ipsum verbis alterius Psalmi monet innui, Ps. 36.10. *Adhuc pusillum, et non erit peccator: et quæres locum eius, et non invenies*. Subdit etiam, hoc loco significari, nos eo usque divinæ misericordiæ auxilio indigere quoad vitam nostram transeat iniquitas, quæ per hanc vitam vagatur et oberrat. Vide dicta Ps. 36. 35.

17. Deus tunc iuvat, cum affligimur.

Nota tertio, tunc maxime Deus in umbra alarum protegit, cum transit circa nos iniquitas, et velut rapax milvus nos circuit, et devorare appetit. Numer. 16.41. *Murmuravit omnis multitudo filiorum Israel, contra Mosen et Aaron:* Quid vero fecerunt illi? ad umbram Dei fugerunt; additur enim: *Moses et Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis, quod postquam ingressi sunt, operuit nubes, et apparuit gloria Domini.* In eo gloriam suam ponit Deus, ut filios suos a calumniis liberet. Hunc locum illustrans Origenes hom. 9. in Numeros: *Non legimus antea,* inquit, *quod obtexerit nubes tabernaculum, et apparuerit maiestas Domini, et receperit intra nubem Mosen et Aaron, nisi tunc cum insurrexerit in eos populus. Discamus ex hoc, quanta sit utilitas in persecutionibus Christianis, quantum gratiæ conferatur, quomodo propugnator eis fiat Deus, quomodo abundanter Spiritus sanctus infundatur. Tunc enim maxime gratiæ Dei adest, cum hominum sævitia concitatur, et tunc pacem habemus apud Deum, cum ab hominibus propter iustitiam bella perpetimur.* Tunc Mosem et Aaronem calumniis et conviciis impetebat populus, velut destructores suos, et occisores Core, Dathan et Abiron, ann. 250. primariorum virorum, qui igne prodeunte ex altari erant occisi, cum thus incendere et offerre vellent in tabernaculo.

18. Vers. 3. 1. Pars. IV. Fervor calumniam excutit.

Quarto, fervor calumniam discutit, v. 3. Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi. Clamor duo denotat. Primo, vehementiam afflictionis. Secundo, vehementiam, ardorem, et fervorem devotionis. Hebr. אקרא *ekra,* orabo cum clamore et vociferatione. Græcum verbum κεκραξομαι, proprie significat, clamabo instar cornicis aut corvi: de pullis corvorum invocantibus Deum, et ad eum crocitantibus dixi Ps. 146.9. *Sub matris umbra securus pullus silet, et nidularium accipitrem inani circuitu nubila secantem ridet:* si vero se nonnihil mater subduxerit, ad minimum avis deiectum inclamat. Chald. vertit: *Orabo coram Deo altissimo et forti,* q. d. Nihil est, cur timeam, cum auxiliator meus sit Deus, et fortis. Hebr.

Cur Deum vocet altissimum?

Septuag. et Noster, aliique Deum hic vocant *altissimum*. Primo, ut David in fundo speluncæ humilem se declaret. Secundo, ut ostendat se non debere percelli ob maiestatem Saulis regis, quo longe altior sit Deus. Clamoris ad Deum vim maximam contra oppressores sæpe reperies: nempe cap. 3. contra Chusan Rasathaim regem Syriæ: dicitur enim v. 9. de filiis Israel, qui ei servierant octo annis: *Clamaverunt ad Dominum, qui suscitavit eis Salvatorem et liberavit eos;* Othonielem videlicet, filium Cenez, fratrem Chaleb minorem: Othoniel, idem est, quod, responsio Dei: orantem Deus aliquando differt: sed clamorem filii ferre non potest, quin exaudiat; 2. *Othoniel* significat etiam tempus, seu horam Dei; et optime idem est ac, *tempus meum Deus.* Noster Othoniel et Salvator

Othonielis et Cenez etymon.

est Christus, clamore illum impetrarunt tempore statuto Prophetæ et Patriarchæ: est filius *Cenez*, qui significat *nidus iste; 2. possessio hæc:* nidus securus animæ et secura possessio est Pater æternus. Christus est frater *Caleb*, qui significat, *quasi cor:* a Patre enim procedit per intellectum: Spiritus sanctus, qui est quasi cor sanctæ Trinitatis, procedit per voluntatem et amorem. Sed improprie admodum et periculose diceretur Christus frater Spiritus sancti, etiam ut Verbum est: quia frater non procedit a fratre: procedit autem Spiritus sanctus non minus a Verbo quam a Patre.

Nota, contra calumniam valet clamor ad Deum, ut patuit in Susanna, quæ condemnata ad necem prolato contra se falso duorum seniorum testimonio, exclamavit voce magna ad Deum, absconditorum cognitorem, qui exaudivit eam misso *Daniele*, qui significat *iudicium Dei*, seu *iudicem Dei;* hic calumniatores convicit, et innocentem liberavit. Si placet calumniæ verum et spirantem vultum intueri, aspice tabellam Apellis: cum enim Antiphilos artis gratiæque eius æmulus, ipsum apud Ptolomæum regem Ægypti accusasset, quod Tyrum prodidisset, quam nunquam viderat, calumniam depinxit, ut refert Lucian. lib. de calumnia, ubi sic ait: Apelles periculi memor tali est imagine calumniam ultus. Ad dextram considet quispiam auribus prælongis insignis, quales fere illæ Midæ feruntur. Manum porrigit procul accedenti calumniæ. Circumstant eum mulierculæ duæ, ignorantia ni fallor ac suspicio. Adit aliunde propera calumnia eximie compta, vultu ipso et gestu corporis efferam rabiem, et iram æstuanti conceptam pectore, præ se ferens, sinistra facem tenens flammivomam: dextra secum adolescentem capillis prehensum, *manus ad superos tendentem, obtestantemque immortalium deorum fidem*, rapit. Anteit vir pallidus, in speciem impurus, acie oculorum minime hebeti, cæterum plane iis similis, qui sontico aliquo morbo contabuerunt. Hunc facile coniicias livorem esse. Quin et mulierculæ aliquot calumniam sequuntur comites, quarum est munus dominam, hortari, instituere, comere, interpres picturæ aiebat insidias et fallaciam esse. A tergo lugubri habitu, pullata laceraque pœnitentia subsequitur, quæ capite in tergum reflexo, cum lacrymis et pudore venientem veritatem excipit: ita Lucianus. Declarabat porro hac tabella Apelles, calumnia se esse impetitum, sed ope a Deo impetrata salvum evasisse. Ptolomæus enim cognita veritate eum donavit talentis centum, addito in servitutem Antiphilo calumniatore, qui ipsum perdere conatus erat.

19. Clamor ad Deum iuvat contra calumniam.

Calumniæ descriptio.

Quinto denique, memoria præteritorum beneficiorum a Deo acceptorum minuit acerbitatem doloris orti ex afflictione et calumnia: ideo addit David: Deum qui benefecit mihi. Hebr. גמר עלי *gomer alai*, id est, *perficientem super me*, ut vertit Arias: iustus est incus, super quam Deus virtutes expolit ac perficit malleo, id est, afflictione: consoletur itaque se afflictus et calumniæ subiectus, inde fiet perfectior. Flaminius reddit, qui perficit mihi. Camp. qui perficiet, quæ cœpit in me. Vel, *qui me undique perficit;* 2. Pagn. vertit retribuentem mihi. R. David explicat, reddentem mihi misericordiam suam. Mercerus et Cavallerius, qui consummat misericordiam suam; 3. Syr. Salvatorem meum; 4. generaliter Sept. ευεργετησαντα με, qui beneficium mihi contulit, erga me beneficium et liberalem, qui bene de me est meritus. Magn. et notum larga toties bonitate parentem. Chald. exprimit, quod benefecerit Davidi Deus in spelunca illa Engaddi, in qua, aut saltem de qua hunc psalmum fecit: *Orabo coram Deo altissimo et forti, qui accersivit araneam, ut perficeret in ore speluncæ telam propter me.* Hoc miraculum videtur fictitium; non fundatur enim in auctoritate Scripturæ, imo vix convenit cum iis quæ dicuntur 1. Reg. 24. nec ullus antiquus auctor id refert; vivebat autem R. Ioseph Cæcus auctor paraphrasis Chaldaicæ in Psalmos multis annis post Christi nativitatem. Potest tamen Deus, cum vult, unico momento telam araneæ creare, eaque servos suos

20. Vers. 3. 2. Pars. V. Memoria beneficiorum habenda cum calumniam pateris.

De tela aranea Davidem tegente figmentum.

Vera historia de S. Felice. tegere, ut fecit S. Felici Nolano Presbytero, quem prius in platea media prædicantem, et bene sibi notum, strictis gladiis accurrentes satellites dignoscere non potuerunt. Rem sic narrat Venerabilis Beda in eius vita. Mota, inquit, persecutione, quæritur Felix, veniuntque hostes usque ad habitaculum eius, illum ocyus rapere ac morti tradere sitientes: qui tum forte ab ædibus suis absens, in medio civitatis cum amicis consistebat, et more sibi solito verbum fidei circumstantibus turbis prædicabat. Quem eo loci esse audientes adversarii, mox strictis gladiis accurrunt: sed pervenientes ad eum, mutata divina provisione aut vultu ipsius, aut corde illorum: *Nequaquam eum, quem optime noverant, agnoscere valebant.* Interrogantibus ergo ipsum, ubi esset Felix, intellexit vir prudentissimus divinitus actum esse, ne eum agnoscerent, ridensque inquirentibus: *Nescio,* inquit, *Felicem, quem quæritis: nec prorsus fefellit: nemo enim seipsum facie novit.* Qui statim relinquentes eum diverterunt alio: et quot forte obvios habebant, interrogabant ubi esset Felix: e quibus unus, prorsus causæ ignarus, et furere eos credens, cœpit obiurgare eos dementiæ; qui præsentem non possent agnoscere eum, cum quo loquebantur: pariterque eis quo discederet ille, quem quærebant ostendit. Qui gravius furentes, statim vestigia beati Felicis insequuntur. At ille appropinquantibus eis, admonitus tumultu præcurrentis civitatis, et clamoribus attoniti adventu hostium vulgi, secessit locum in secretiorem, qui ad quidem munimenti firmioris habeas, semiruti tantum muri erat fragmine præseptus. Sed mox ut virum Dei recepit, miro cum divinæ manus est opere tutatus. *Repentino enim rudere concrevit ibidem agger, qui eumdem locum præcluderet: sed et aranea divino nutu, cui omnis creatura deservit, confestim nutantes ipso in loco telas suspendit.* Quo cum pervenissent, obstupuerunt hostes, et presso gradu, loquebantur mutuo dicentes: Nonne stultum est, nos hunc hominem quærendo ingredi, cum liquido appareat neminem hic præisse? quia si quisquam intrasset, nequaquam hic aranearum fila integra remanerent, quæ etiam muscæ perrumpentes minimæ, nonnunquam scindere solent. Sic delusi, discedunt propere, frementes, et non minus quam in Felicem, rabida mente frendentes in eum, qui se in loca talia suis dolis induxerat. Ubi multa claruit sapientia pii conditoris ac protectoris nostri. Certe nonnunquam muri urbium altissimi ae munitissimi, cives suos obsidentibus adversariis produnt magis, quam liberant: et humilem Christus famulum suum a persequentibus armatis hostibus, tremulis aranearum cassibus, ne inveniri vel capi posset, abscondit. Vere, ut venerabilis pater Paulinus de his loquens, ait, *ubicumque Christus adest nobis, et aranea murus fiet: at cui Christus abest, et murus aranea fiet:* ita Beda. Latuit autem ibi S. Felix a muliere divinitus mota, nec sciente, cibum allatum sibi capiens, et cisterna ardore solis siccata occulti roris gratiam accepit, quæ sitim extingueret.

ARTICULUS II.

Calumniis impetitos iuvat Deus.

21. Vers. 4. 1. Pars. Quid Davidi misit e cælo? Cum quis patiens calumniam oratione et virtute se tuetur, eius causam suscipit Deus: vidimus, quid homo facere debeat, artic. præced. nunc quid Deus præstet videamus, v. 4. MISIT DE CÆLO, ET LIBERAVIT ME: DEDIT IN OPPROBRIUM CONCULCANTES ME. MISIT DEUS MISERICORDIAM SUAM ET VERITATEM SUAM. Quæres, quid Deus

1. misit de cælo? Primo, filium suum: ita S. August. et S. Hilarius, et iuvat versio S. Hieron. *mittet:* sed hoc my-
2. sticum est. Secundo, Chald. de angelo exponit: *Aptabit*
3. *angelum suum de cælis altissimis.* Tertio, mittet robur:
4. ita Nicephorus. Quarto, et simplicius ac verius, mittet auxilium. Ubi adverte, quod mitti de cælo denotat auxilium extraordinarium et mirabile; 2. clarum et evidens;
5. 3. cui nullus hominum possit resistere. Quinto denique, et optime, misit misericordiam et veritatem, ut statim exprimitur. Ubi nota, in psalmis esse ordinem eximium ac singularem: 1. dicit David Deum iuvare calumniam passos: *Misit de cælo;* 2. punire infamia eos qui nefarie calumniam struxerant: *Dedit in opprobrium conculcantes me.* Deinde figura satis usitata in psalmis illam divisionem resumit, idque ait fieri per misericordiam et veritatem, id est, iustitiam. Postea ostendit quid misericordia præstet, Innocentem enim liberat: *Eripuit animam meam de medio catulorum leonum, dormivi conturbatus.* Ad extremum aperit quid iustitia faciat. Punit enim aggressores, sive aperte, sive occulte sæviant: *Filii hominum,* etc. ut patebit articulo sequenti.

Moral. Calumnia nulli parcit, sed Deus iustos ab ea 22. Calumnia nulli parcit.
liberat. Quod nemini parcat calumnia patet in Iosepho famulo fidissimo Putipharis, quem scelerata mulier ad necem damnari contendebat: in Crispo filio Constantini Imper. quem Fausta licet privignum suum, prius scilicet genitum Constantino ex Minervina, gladio paterno subiecit: in filio, quem mater incesta iudici et carnifici tradidit, tempore S. Andreæ Apostoli, ut infra exponetur. Quod autem Deus ut plurimum alumnos suos ex unguibus ca- 23. Ab ea liberat Deus. 1. Iosephum.
lumniæ liberet, probatur primo in lege veteri. Passus quidem est Iosephum in carcerem deiici ob adulteræ heræ suæ infamem delationem, Gen. 39. Sed, ut ibi somniorum expositione inclaresceret, cap. 40. et toti Ægypto præficeretur, cap. 41. Susannam passus est a senibus accusari, 2. Susannam
a iudicibus velut adulteram ad lapides damnari, Dan. 13. Sed, ut virtus eius magis elucesceret, Danielisque Prophetæ interventu in oculis omnium innocens declararetur.

SECUNDO, in lege gratiæ calumnia affectos liberavit 3. S. Gregorium Neocæsariensem.
Deus. Primo, cum S. Gregorius Neocæsareæ postea Episcopus, et ob miraculorum frequentiam, et admirabilitatem cognominatus Thaumaturgus, adhuc adolescens summa puritate in Ægypto versaretur, impuri ganeones eius gloriæ invidi scortum immiserunt in eum locum, in quo cum viris eximiis de Philosophiæ studiis dissertabat, tum impudens muliercula stupri se cum eo habuisse consuetudinem inclamat, ac mercede fraudatam. Tunc qui aderant indignati, quod innocentissimo calumniam strui cernerent: modestus vero iuvenis, nihil excusans, quieta et constanti voce conversus ad quemdam ex familiaribus: *Heus,* inquit, *solve ei pecuniam, ne amplius molestiam exhibens, rei propositæ studium interturbet.* Sed simul atque manu accepit pecuniam, a dæmone vexata, et stridore belluino præter vocem humanam eiulans, prona cadit in medio eorum qui collecti fuerant. Horrendum et terribile spectaculum omnibus adstantibus, disiectis crinibus, et aversis oculis, atque ore spumam expuente: neque prius remisit, qui eam suffocabat dæmon, quam magnus ille Deum invocasset, et illum ei reddidisset propitium, ut ait S. Gregor. Nyssen. in eius vita. Crediderim donum tam excellens miraculorum, quod postea totam Ecclesiam in admirationem rapuit, ei præcipue a Deo fuisse datum ob tam insignem patientiam, et modestiam.

Secundo, a Sabino et Crescentino muliercula in S. Gre- 4. S. Gregorium Agrigentinum.
gorii Agrigentini Episcopi lectum immittitur ipso absente; eam ille non videt tota nocte precibus intentus, in carcerem tamen coniicitur, ligneoque cippo coustringitur. Cum ne excusatione quidem innocentiæ suæ pœnam deprecaretur, sed populum a foribus carceris perfringendis averteret: *Intempesta nocte lucem clarissimam, quæ totum carcerem circumfulsit, ad ipsum consolandum Deus immisit, eidemque angelus assistens, catenas quibus vinctus erat, perfregit: cumque verbis confirmasset illum, quo maiorem benevolentiam indicaret, complexus est.* Carceris ianuæ sponte apertæ sunt. Exarcho sistitur S. Gregorius, muliercula in calumnia perseverans a dæmone possidetur, Sabinus mutus efficitur, ad Pontificem maximum causa trahitur, coram quo puellam illam sanat, quæ calumniam omnem detegit, Sabinus et Crescentinus exilio mulctantur. Veniam illis impetrat Gregorius; sed repente nimbus, tenebræ, nec non atrox ventus terræ nimio flan-

tis fragore miseros invasit, eorumque facies nigra apparuit. Tum universus Senatus exclamavit: *Nunc agnovimus, quod Dominus unctum suum servaverit, et exaudierit eum e cælo sancto suo, quodque in potentia dexteræ eius est salus*, ut refert Simeon Metaphrast. 13. Novembris.

5. S. Athanasium. Tertio, S. Athanasii Patriarchæ Alex. nota est liberatio, cum a meretrice impudenter in Tyrio conciliabulo accusaretur. Vide Baronium tom. 3. anno 335. num. 11.

6. S. Cunegundem. Quarto, S. Cunegundis Imperatrix apud S. Henricum maritum suum fidei coniugalis violatæ accusata, ad vomeres candentes iudicium sibi elegit, quibus cum esset proxima ingemuit, et ait: Domine Deus Creator cæli et terræ, qui probas renes et corda, iudica iudicium meum, et eripe me. Te enim testem et iudicem hodie invoco; quia nec hunc præsentem Henricum, nec aliquem virum carnali commistione unquam cognovi. Hoc dicto, stupentibus et flentibus universis qui aderant, vomeres candentes nudo vestigio calcavit, et sine adustionis molestia secura pertransiit. Ferrum ignitum portasse scribit Crantzius lib. 4. Saxon. cap. 32. Martinus Hoffmannus in Annalibus Bambergensibus ad fidem huius miraculi eo in loco sacellum fuisse ædificatum, et duorum vomerum reliquias S. Henrici sarcophago inclusas, in Ecclesia Cathedrali Bambergensi asservari memorat. Cætera prius narrata habes in antiquis membranis monasterii Rebdorffensis, prope Aichstadium.

7. S. Brixium. Quinto, cum mulier, ad quam S. Brixii Episcopi Turon. vestimenta lavanda ferebantur, quæque sub religionis specie vestem mutaverat, concepisset atque peperisset, populus in sanctum virum ira exarsit. Iubet ille proferri infantem dies ab ortu triginta habentem, cui ait: Adiuro te per Iesum Christum filium Dei omnipotentis, ut si ego generavi te, coram cunctis edicas. Et ille: *Non es*, inquit, *tu pater meus*. Dum magicis id artibus malevoli tribuerent, *prunas ardentes in birrum suum posuit, et ad D. Martini sepulcrum populo consequente accessit, proiectisque ante sepulcrum prunis vestimentum inustum apparuit*, illo sic prosequente: Sicut istud vestimentum ab his ignibus videtis illæsum, ita et corpus meum a tactu mulieris est impollutum. Eiicitur tamen ex urbe, sed tandem mortuis æmulis cum honore restituitur, ut S. Greg. Turon. refert lib. 2. hist. Franc. cap. 1.

8. S. Vincentium Ferrerium. Sexto, S. Vincentium Ferrerium insana mulier deperibat, ægritudinem simulans cum advocat, ad flagitium invitat: dum vir sanctus renuit, illa clamare conatur ut eum accuset; sed a dæmone statim arripitur, qui a nullo eiici potuit, nisi a beato illo viro; quo iterum veniente, dæmon exclamavit: *En adest vir ille, qui in medio ignis non est æstuatus. Nunc igitur hinc discedendum est.* Tum muliere semiviva relicta discessit. Meretrix in cellam eius alias immissa est, sed sancti viri sermonibus compuncta vitam emendavit: ita Petr. Rauzanus in vita. Lege dicta Psal. 118. 134. in illud: *Redime me a calumniis hominum*. Satis sit hoc loco retulisse aliquos, qui in castitate excelluerunt, et accusati quasi in eam virtutem peccassent, a Deo mirabiliter liberati sunt; de calumniis in alia materia dicetur alias.

24. Secundo, non tantum Deus servos suos cum honore a
Vers. 4. 2. Pars. Iudæi sunt opprobrium orbis. calumniis liberat, sed etiam calumniatores eorum contumelia afficit. Unde additur v. 4. DEDIT IN OPPROBRIUM, velut in voraginem, præcipitium, abyssum, unde emergere non possent, CONCULCANTES ME. Hebr. שאפי sciophi, id est, absorbentem me, deglutire me volentem. Alleg. Iudæi qui Christum conculcaverunt et deglutire voluerunt, dati sunt in opprobrium per totum orbem. S. Augustin. *Qui*, ait, *illum conculcaverunt? Qui mortuo insultaverunt, qui tamquam hominem crucifixerunt, quia Deum non intellexerunt, dedit eos in opprobrium. Videte si non est factum, non futurum credimus, sed completum agnoscimus. Sævierunt Iudæi in Christum, superbierunt in Christum. Ubi? In civitate Ierusalem. Ubi enim regnabant, ibi tumebant, ibi cervices erexerunt. Post Passionem Domini eradicati inde sunt, et perdiderunt regnum, in quo regem Christum agnoscere noluerunt. Quemadmodum dati sunt in opprobrium vide, dispersi sunt per omnes gentes nusquam habentes stabilitatem, nusquam certam sedem. Propterea autem adhuc Iudæi sunt, ut libros nostros portent ad confusionem suam. Quando enim volumus ostendere prophetatum Christum, proferimus Paganis istas litteras. Et ne forte dicant duri ad fidem; quia nos illas Christiani composuimus, ut eum Evangelio quod prædicamus finxerimus prophetas, per quos prædictum videretur, quod prædicamus: hinc eos convincimus, quia omnes ipsæ litteræ, quibus Christus prophetatus est, apud Iudæos sunt: omnes ipsas litteras habent Iudæi. Proferimus codices ab inimicis, ut confundamus alios inimicos. In quali ergo opprobrio sunt Iudæi? Codicem portat Iudæus unde credat Christianus. Librarii nostri facti sunt, quomodo solent servi post dominos codices ferre, ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant. In tale opprobrium dati sunt Iudæi, et impletum est, quod tanto ante prædictum est: Dedit in opprobrium conculcantes me. Quale autem opprobrium est, fratres, ut hunc versum legant, et ipsi cæci attendant ad speculum suum? Sic enim apparent Iudæi de Scriptura sancta quam portant, quomodo apparet facies cæci de speculo: ab aliis videtur, ab ipso non videtur. Dedit in opprobrium conculcantes me.*

Quod autem calumniatores iustorum Deus det in opprobrium, patet ex accusatoribus Susannæ, S. Athanasii, et aliorum supra positorum. Salomon id etiam dicit Prov. 11. 8. *Iustus de angustia liberatus est, et tradetur impius pro eo*. Sept. pro *de angustia* habent ἀπὸ θήρας, id est, a venatione. Calumniator est venator tendens occultos laqueos, sed iis captus venit in opprobrium. Calumniator datur in opprobrium.

Nationibus omnibus execrationi fuerunt calumniatores. Infamis erat apud Græcos. Primo, Græcis, apud quos mille drachmis mulctabantur calumniatores, qui litem sine causa aliis intendebant, ut denotat Demosthenes contra Androtionem: *Mille drachmis*, ait, *periclitaremur*, εἰ καταψευδόμενοι συκοφαντοίμεθα, *si calumniari videremur mendaciter ea quæ non sunt affingentes.* Dixi alias, calumniatores qui fuerant causa mortis Socratis, tanto odio omnibus fuisse, ut nullus iis ignem accenderet, nemo cum iis loqui vellet, aut in balneo aqua uti cadem: unde evenit, ut impatientia odii sese suspenderint.

Secundo, apud Romanos frontem calumniatorum notis inurebant. Romanos. Hunc ad morem alludit Tullius in oratione pro Roscio Amerino: *Sin*, inquit, *sic agetis, ut arguatis aliquem patrem occidisse; neque dicere possitis, aut quare, aut quomodo: ac tantummodo sine suspicione latrabitis, crura quidem vobis nemo suffringet: sed, si ego vos bene novi, litteram illam, cui vos usque eo inimici estis, ut etiam alias omnes oderitis, ita vehementer ad caput affigent, ut postea neminem alium, nisi fortunas vestras, accusare possitis.* Hanc litteram Manutius atque Othomannus censent fuisse C. notam condemnationis; Lambinus vero fuisse K. notam calumniæ. Poterat quoque C. esse probrosa calumniæ littera. Et Plinius iunior in Panegyrico: Ereptum, ait, alienas pecunias eunt: perdant; quos habent. Expellere penatibus gestiunt: suis exturbentur: neque ut antea exanguem illam et ferream frontem ne quidquam convulnerandam præbeant punctis, et notas suas rideant. Vespasianus et Titus calumniatores flagellis cæsos per amphitheatri arenam spectandos traduxere, velut publico exitio destinatos. Antoninus Pius delatores, si non probarent supplicio, oblato præmio dimisit infames.

Tertio, apud Thurios Charondas eorum legislator maximæ infamiæ calumniatores subiecit. Thurios. Nam calumniæ, seu falsæ accusationis convictis hanc pœnam irrogavit, ut myrica coronati per urbem circumducerentur, quo manifeste civibus suis apparerent, πρωτεῖον πονηρίας περιποιησάμενοι, ad summum nequitiæ gradum illos pervenisse. Nonnullos ergo ob hoc flagitium condemnatos, quod tantæ ignominiæ dedecus perferre non possent, violenter sibi manibus sponte vitam abrupisse tradunt.

TERTIO, causam liberationis suæ de manu calumniatorum, et hostium suorum affert David: nempe misericordiam et veritatem Dei, v. 4. MISIT DEUS MISERICORDIAM Vers. 4. 3. Pars.

SUAM, ET VERITATEM SUAM: Id est, fidelitatem in promissis; 2. iustitiam. Hanc enim etiam significat sæpe veritas; et v. 5. ET ERIPUIT ANIMAM MEAM DE MEDIO CATULORUM LEONUM, Hebr. לבאים *lebaim*, leonum, ut Pagn. Hieron. Flam. vertunt: de grandioribus leonibus exponit R. David, et vult *labi* deduci a *leb*, id est cor, q. d. Cordatos, generosos, audaces et animosos leones; *arie* vero esse leonem minorem, qui potest derivari a *raa*, id est, vidit; quia oculi eius sunt perspicaces; et dormit oculis apertis, quia eius palpebræ non claudunt totum oculum. Sept. vertunt σκύμνους, *catulos leonum;* sed grandiores, et iam prædæ aptos. In hoc quod hostes vocat leonum catulos, denotat, Primo eos esse petulcos et inquietos. Secundo, famelicos. Tertio, ad cursum aptos, et quibus præda vix possit esse velocior, ita ut evadat. Quarto, fortes. Quinto, diu mansurum robur et odium. Chald. qui legerat להבים *lehabim*, id est, flammarum, vertit, *in medio flammarum.* Syr. vertit, *Salvavit animam meam a canibus.* Legerat כלבים *chelabim*, quæ vox canes significat. Ubi adverte, calumniatores esse leones, propter ferociam; 2. canes, ob latratum et invidiam; 3. flammas, ob totale excidium. Leones si vis, sunt dæmones, ut probavi Psal. 7. sect. 1. catuli leonum sunt calumniatores; iis enim non solum est os crudele, sed fœtidum, et quidquid momorderint atro cruore et fœtore opplent. De illis possit dicere, quæ habet Ioel Proph. cap. 1. 6. *Gens ascendit super terram meam, fortis et innumerabilis: dentes eius, ut dentes leonis: et molares eius, ut catuli leonis.* Nil etiam tam caninum est, quam calumnia, ob impudentiam et morsum perpetuum.

Hebr. labi, et arie, differunt.

Calumniator est leo, canis, et flamma.

DORMIVI CONTURBATUS, antequam scilicet misericordia et veritas mitterentur ad me liberandum. Sed ubi dormiverat turbatus? Primo, in toto tempore, quo Saul eum insequebatur, præsertim cum exercitu; 2. in ipsa spelunca Engaddi, in qua hunc psalmum fecit, et prope quam transivit Saulis exercitus. Euthym. autem censet Davidem dormivisse, turbatum scilicet insomniis, quando Saul et comites eius ingressi sunt in speluncam; sed hoc penitus est incertum, et parum probabile; cum per speculatores suos sine dubio scivisset ipsum approximare, et fortasse repente se in eam speluncam viæ proximam coniecisset, exclusus tempore ad commodiorem quærendam, ne videretur a Saulis militibus hac illac dispersis.

Versiones variæ. Nota, pro *conturbatus,* Hebr. est להטים *lohalim*, id est, ardentes, urentes, inflammantes; 2. ferocientes, furiosos. Hinc R. David vertit, *Anima mea in medio leonum iacuit ardentium.* S. Hier. Anima mea in medio leonum dormivit ferocientium. Campensis exponit, q. d. Versari cogor inter leones potius quam homines, et dormire inter furiosos. Chald. apud Nebiensem habet: *Anima mea colligata tamquam in medio flammarum, dormivit inter arbores flammigeros.* Dicebat S. Ignatius Patriach. Antioch. cum Romam ad martyrium duceretur, se esse inter decem leopardos, id est, milites barbaros: Daniel dormivit inter leones, Martyres in medio flammarum quiescebant illæsi, sed in medio calumniatorum ipse sapiens patitur et conturbatur. Nam, ut ait Salomon, Ecclæ. 7. 8. *Calumnia conturbat sapientem.*

25. Emblema a Davide depictum. Nota, David hoc loco nobis proponit emblema. Tabellæ in medio ponit generosum athletam armis omnibus instructum, leonibus undequaque rugientibus et insilientibus circumcinctum, sed virili animo telis gladioque impetus eorum sistentem. E cælo misericordia devolat, quæ in arenam descendens manu prehensum illum ad lauri vernantis umbram deducit, in qua securus obdormit, fremente licet leonum turba, sed e remotiori loco obstrepente. Tandem vindex iustitia cælesti armata fulmine feras omnes dissipat, et in cineres redigit. In auctorem suum gravissima calumniæ plaga ut plurimum redit. S. Chrys. hom. 43. in Matth. *Insidiator, ait, et calumniator non aliter seipsum interficit, quam qui accendit ignem, prius concalescit: ut qui duros silices manu cædit, ipse, non lapides, vulneratur: qui ad stimulos calcitrat, seipsum ferit. Contra autem, qui magno animo iniuriam perfert, ceu silex ignis et stimulus, adversarium ulciscitur.* Itaque non est tibi curandum, ne in te calumniatores insurgant, nam hoc est extra tuam potestatem: sed fortis esto, bene arma pectus, illos neglige, et tibi non nocebunt. S. Greg. Naz. orat. de pace Constantinopoli habita: *Viderl,* ait, *nihil ad nos:* ὥσπερ οὐδ' ὄναρ ἀλλότριον, *sicut neque somnium alienum.* Deo placere stude, aliorum dicta et cogitata non curabis.

ARTICULUS III.

Calumniatoris lingua gladius est: et dentes sagittæ.

Ut periculum suum, et Dei liberantis virtutem aperiat David, hostes suos depingit, vers. 5. FILII HOMINUM DENTES EORUM ARMA ET SAGITTÆ. Est Hebraismus, id est, filiorum hominum dentes sunt arma et sagittæ, q. d. Timendi sunt, quia dentes eorum sunt arma: ridendi et contemnendi sunt, quia sunt filii hominum, et humus ac lutum. ET LINGUA EORUM GLADIUS ACUTUS. Nota, pro *arma,* Hebr. est חנית *chanith,* id est, lancea, hasta, sarissa. Hinc S. Hieron. *dentes eorum lanceæ et sagittæ:* ita etiam Flamin. Felix, et alii. Interpres apud Campensem, quorum dentes hastæ et spicula sunt. Theodotio vertit, τόξον, id est, arcum seu telum. Ubi adverte, *chanith* deduci a *chana,* castrametari, considere, subsidere: dentes erecti circa os et linguam, sunt instar hastatorum in circuitu castrorum; qui accesserit, non redibit sine plaga. Chald. hic est מורניתא *morenitha,* sive *murenitha;* id est, lancea, hasta, baculus. Deducitur a *moran,* id est, arx, palatium. Tu dentibus tuis palatum et palatium oris tui atque capitis serva dentibus tuis, sed sine aliorum noxa et periculo ac damno. Syr. *naizeke,* id est, lanceæ, damna, nocumenta, læsiones: inde derivatur *mazzikim,* id est, dæmones nocentes: tales sunt calumniatores. 26. Vers. 5. 2 Pars.

Calumniatoris dentes sunt lanceæ.

Nota secundo, in præcedenti articulo vidimus emblema, in quo David, aut quilibet vir iustus, est in medio leonum ferocientium: nunc alterum ponitur emblema seu ænigma, in quo calumniatores humana forma pinguntur, vocantur enim filii hominum: sed iis apponitur caput belluinum: si placet, hunc canis, illum leonis, alium lupi, ursi, tigridis, aut alterius feræ forma depinge: linguæ loco omnibus gladium tribuit David: pro dentibus vero, uni sagittas, alii gladios, alii lanceas, verva, fustes, clavas, faces, armaque omnia. Hæc vero monstra virum iustum in arce virtutis stantem, pugnantemque impetunt, sed Deus in suprema tabellæ parte, velut e cælo descendens cum exercitu angelorum, tantam tabellæ lucem affundit, ut pestes hæ omnes in foveam a se paratam acervatim sese præcipitent. 27. Calumniator est monstrum.

Nota tertio, ex hoc versu patet hunc Psalmum præcipue scriptum esse contra detractores et calumniatores, qui fictis falsisque criminibus Saulem impellebant, ut Davidem perderet. In hoc Psalmo agitur de calumniatore.

Nota quarto, calumniatores descripturus David, nihil dat illis præter dentes et linguam, perinde quasi sint sine manibus, pedibus, corde, oculis et auribus informe, horrendum et terrificum monstrum ex dentibus et linguis conflatum et armatum. Sed quos illis dentes attribues? Primo, leonis. Secundo, canis. Tertio, feræ innominatæ. 28. Calumniator nihil habet præter dentes.

Primo enim et maxime ad hunc locum apte, dentes leonis assigna calumniatori et detractori; dixit enim David supra, se fuisse in medio catulorum leonum. Commode detractionibus et calumniis orbem vastantes compares locustis. Apocal. cap. 9. 7. *Et similitudines,* ait Ioannes, *locustarum, equis similes paratis in prælium, et super capita earum, tamquam coronæ similes auro: et facies earum, tamquam facies hominum: et habebant capillos, sicut capillos mulierum: et dentes earum, sicut dentes leonum erant: et habebant loricas, sicut loricas ferreas: et vox alarum eius, sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum: et habebant caudas similes scorpionum, et aculei erant in caudis earum.* I. Dentes habet leonis.

II. Canis. Secundo, detractor et calumniator habent dentes canis.

Themistius orat. 3. fol. 87. calumniæ tribuit caninem rabiem et dentes: eam enim comperat Scyllæ, cui a capite ad ilia usque virginis speciem tribuunt pictores: a fœmore autem quod reliquum est, *in canes desinere faciunt horrendos illos atque terribiles,* και τριστιχοι μεν αυτοις οι οδοντες, *quorum ternus ordo dentium est, capita vero sursum erecta, et parem numero prædam quæritantia.* Cynocephalo, si lubet, calumniatorem confer: illi enim, teste Agatharcide, hominis est corpus, *canina facies,* muris stridor, animalque est efferum, quod nulla arte cicurari possit. Calumnia morsus est canis rabidi; nam rabidum facit eum qui mordetur: unde vicissim mordere exoptat.

III. Feræ innominatæ, de qua agit Daniel. Tertio denique, calumniator est fera illa innominata et terribilis, de qua Daniel ait cap. 7. 19. *Bestia quarta erat dissimilis valde ab omnibus, et terribilis nimis: dentes et ungues eius ferrei: comedebat et comminuebat, et reliqua pedibus suis conculcabat: et de cornibus decem, quæ habebat in capite: et de alio quod ortum fuerat, ante quod ceciderant tria cornua: et de cornu illo quod habebat oculos, et os loquens grandia, et maius erat cæteris. Aspiciebam,* etc.

29. Viri habent 32. dentes. Dentes triginta duo sunt viris, ut ait Plinius lib. 7. cap. 16. excepta Turdulorum gente, quibus plures fuerunt: sed innumeri sunt detractori et calumniatori, quibus urbes funestant, domos evertunt, dissidiis et lamentatione complent. Michæas id deplorat cap. 3. 5. *Prophetæ qui seducunt populum meum, qui mordent dentibus suis.* Tales hæretici sunt, qui prophetæ videri volunt, et in Papam, Sacerdotes, Religiosos, Sacramenta sacra omnia calumnias et convicia iaciunt. Quosdam dentibus nasci ait Plinius, sicut M. Curium, qui ob id Dentatus nominatus est: Nati sunt cum dentibus Curius, Papyrius Carbo, et Valeria. et Cn. Papyrium Carbonem, præclaros viros: *In fœminis ea res inauspicati fuit exempli, regum temporibus. Cum ita nata esset Valeria, exitio civitati, in quam delata esset, futurum, responso aruspicum vaticinante, Suessam Pometiam illa tempestate florentissimam deportata est, veridico exitu consecuto.* Hæresis statim ut nascitur dentata est; prima illi hæc pars formatur, non cor ut in cæteris viventibus: excors enim est. Cum innata sit fœminis loquacitas, si addideris detrahendi et calumniandi pruriginem, nihil funestius excogitari urbibus atque familiis potest. Hoc Lucianus etiam admonet, tract. de non temere credendo calumniæ: *Ignorantia,* inquit, *tunc noxia est immodice, si quando in calumnias familiares, et mutua intra se amicorum crimina incidit: quibus solent et intestinis insidiis res domesticæ, et odiis civilibus,* πολεις αρδην απολωλεναι, *urbes funditus everti, in natos sævire parentes, nati parentibus insidiari, fratri frater, amans amanti, amicus item ab amico divelli, turbari demum omnia calumniæ vafritia:* ita Lucianus. Cum enim, ut ait S. Basilius epist. 33. calumniatoribus sint στοματα αχαλινωτα, *ora infrænata,* continuis morsibus sæviunt.

30. Calumniatoris dentes sunt venenati. Quodque dolendum et timendum est magis, crudelibus illis dentibus ita venenum suffusum est, ut omnis plaga lethalis sit. Unde S. Augustinus singulos a calumnia sibi cavendum esse docet; sic enim serm. 83. de tempore: *Non deroget Sacerdotibus, nec præpositos suos venenatis dentibus laceret.* Demosthenes orat. 1. contra Aristogitonem, monet Athenienses, ut omnes calumniatores ad necem condemnent, cum habeant viperinos dentes et mores: *Neminem unquam vestrum, ait, vipera momordit, neque phalangium: et absit ut mordeat unquam: sed tamen ubi omnia eiusmodi animalia conspexeritis, mox interficitis: itidem et cum delatorem, et crudelem hominem videritis viperinam habere naturam, ne expectate donec aliquem vestrum mordeat; sed, cum primum occurrerit, puniatur.* Hominum dentibus, ait Plinius lib. 11. cap. 37. quoddam inest virus. Namque et speculi nitorem ex adverso nudati hebetant, et columbarum fœtus implumes necant. Calumniator etiam grandiores columbas, id est, innocentes magnæ virtutis perimit, famam illis bonam adimens: speculum vitæ nullum ita purum et nitidum est, quod non statim inficiat et obscuret.

31. Nota quinto, calumniatoris dentes sunt arma omnia: unde pro Hebr. *chanith,* de quo dixi notatione prima, Septuaginta habent οπλον, id est, *arma,* ut Noster et Arabs vertunt. Reperti sunt nonnulli, quibus velut osse continuo dens unicus inesse videretur, quique falcis instar, omnia præcideret: aliis discreti dentes sunt: partim ferrati, ut serpentibus et canibus: partim continui, ut homini et equo, partim exerti, ut apro, hippopotamo, elephanto; quibus vel obvia diffindant, vel comprehensa commolent. Calumniator ferratos et exertos dentes habet alios in falcem curvatos, alios in gladii formam rectos. Ferales illas larvas execratur Sapiens Proverb. 30. 14. *Generatio, quæ pro dentibus gladios habet, et commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra, et pauperes ex hominibus:* non unum tantum, sed multos, imo universas civitates et provincias. S. Chrysost. eos Caino peiores facit. Sic enim in Ps. 49. *Cain unum fratrem sublatum præsenti vita expulit: hi autem,* μυριους, *innumerabiles, per ea quæ maledicunt, deiiciunt, et seipsos primos.* Calumniatoris dentes sunt arma omnia.

S. Ioannes Climacus detractores hirundinibus sanguinem exugentibus comparat, detractioni autem calumnia addit mendacium. Itaque est illa tetrior et funestior. Climaci verba sunt gr. 10. *Detractio est odii partus, subtilis morbus: crassa tamen, sed latens et occulta hirundo,* αγαπης εκδαπανωσα, και εξαφανιζουσα αιμα, *quæ charitatis sanguinem exhaurit et absumit: amoris simulatio, et cordi sordes, et conscientiæ grave onus conciliat, castitatemque abolet.* 32. Calumniator est hirundo.

Ab illis itaque cavendum est, ut monet in Psal. nostr. S. August. *Noli,* ait, *attendere inermes manus, sed os armatum.* Themistius muros auribus præstruendos monet orat. 3. *Obstruendum, ait, os calumniæ est, atque incredulitate prohibendus aditus,* ισχυρον εν ακοαις οικοδομησαμενους φυλακτηριον, *valida in auribus nostris arce constructa, ut procul illius impetus arceantur.*

Nobis quoque provideamus, ne calumniæ struendæ operam demus; hoc enim vitium ætate crescit, et in senectute præsertim, cum loquax sit, et auctoritatem habeat. Mutianus testatur vidisse se Zanclen Samothraciæ civem, cui renati dentes essent post centum et quatuor annos. Plinius lib. 11. cap. 37. ait: Homini novissimos dentes, qui gemini vocantur, circiter vicesimum annum gigni, multis et octogesimo. Fœminis, sed quibus in iuventa non fuere nati, decidere in senecta, et mox renasci certum esse: suibus vero decidere nunquam. Sues, id est, impuri et luxuriosi, facile et semper detractiones et calumnias mente et ore versant, et vix vel in ultima vitæ ætate absistunt. Vide dicta artic. 2. volucrum nulli dentes sunt, præter vespertilionem. Aves, sunt viri iusti et cælo nati, lucem amantes et serenitatem, nocere et mordere nolunt: vespertiliones, lucifugæ sunt hypocritæ, qui pietatis speciem mentiuntur, et aliorum deiectione crescere nituntur. 33. Dentes renati senibus.

Nota sexto, calumniatoris dentes sagittæ sunt. Primo, quia etiam in absentes feruntur. Secundo, quia celeriter volant. Tertio, quia incautos transfigunt. Proverb. 25. 18. *Iaculum, et gladius, et sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium.* S. Gregor. Nyssen. tom. 1. homil. 8. in Ecclesiasten: *Qui sunt,* inquit, *contumeliosi, et iracundi, et maledici, eo quod peiores lacessunt probris ac maledictis,* αντι βελων, και λιθων παροξυντικους λογους αποτοξευοντες, *pro telis aut lapidibus verba quæ irritant, tamquam ex arcu et funda, et instar iaculi iacientes,* μεσην τιτρωσκουσι καρδιαν, *medium cor sauciant eorum, qui absque lorica, et sibi non caventes transeunt.* 34. Dentes calumniatoris sunt sagittæ.

Primo igitur, sagittæ calumniatorum habent vim penetrandi. Ps. 54. 22. *Molliti sunt sermones super oleum, et ipsi sunt iacula.* Vide illum locum. Iaculum oleo illitum facilius et profundius penetrat.

Secundo, calumniæ sagittæ habent celeritatem. Anacreon appellat, φιλολοιδοροιο γλωττης βελεμνα κουφα, *linguæ, quæ conviciis iaciendis delectatur, tela velocia.*

Tertio, calumniæ sagittæ sunt venenatæ. Africani aliqui barbari sagittas suas armant piscium costis et dentibus; calumniator de suis dentibus sagittas facit, de eorum

veneno dixi notatione quarta. Possit conferri calumniator Mantichoræ: Ctesias tradit illam triplici dentium ordine pectinatim coeunte, *facie et auriculis hominis*, oculis glaucis, colore sanguineo, corpore leonis; *cauda scorpionis modo, spicula infigere.* Non triplici tantum, sed septemplici, imo centuplici dentium septo, plerique videntur esse; adeo morsibus continuis varios lacerant et devorant.

Quarto denique, calumnia est sagitta occulte vulnerans, ideoque sæpe sine remedio occidens. Ps. 10. 2. *Ecce peccatores* (antonomastice sic vocantur calumniatores) *intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.*

Remedium contra calumniam est humilitas: hæc enim eum velit contemni, cur curet verba maledica? S. Petrus Damiani Opusc. 13. cap. 22. *Ictum convicii sagitta non invenit, cum conviciati mens se in humilitate velut inclinata deponit.*

35. Calumniatoris lingua est gladius.

Nota septimo, lingua calumniatoris est gladius: *Et lingua eorum gladius acutus.* Primo igitur, lingua illa nequam gladius est, cruore humano tinctus. Ochus Persarum rex ob multas cædes patratas vocatus est gladius. Plures cædes lingua edidit. In vulgari Græcorum parœmia est γλωττη μαχεσθαι, id est, *lingua pugnare*, ut habet Aristophanes in nebulis: et, εν ταις γλωτταις εχειν οπλα, *in linguis habere arma*, ut Heraclitus loquitur epist. ad Hermodorum. Dicebat Democritus, gladium quidem secare, calumniam autem separare amicos. Hesychius lingua pugnaces vocat γλωσσασπιδας, q. d. Habentes linguam aspidis, id est, venenatam, et quolibet ictu necantem sine remedio, vel q. d. Lingua pro scuto utentes. Hebræi in libro præceptorum negativorum, n. 9. *Ob tria scelera*, inquiunt, *punitur homo, et in hoc sæculo, et in futuro: et sunt ista, idololatria, adulterium, et sanguinis effusio: sed malæ linguæ his tribus respondet, et peior est.* Quæres, quos interficit calumniator? Primo, seipsum. Eccli. 28. 22. *Multi ceciderunt in ore gladii, sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam.* Secundo, eos qui afficiuntur calumnia. Paches Atheniensis cum virtute sua Lesbium insulam patriæ suæ imperio adiecisset, ac multas tamen pateretur adversariorum calumnias, rationemque in Senatu eorum quæ gesserat, redderet, gladio quo cinctus erat, se traiecit, ut ait Plutarchus in Nicia: Adeo molesta erat probo viro calumnia. Tertio denique, sæpe occidit eum qui audit calumniam. Thalassius eam comparat hastæ tricuspidi, quæ tres interficit uno ictu: Κακαλαλος ψυχη, ait, τριβελον εχει γλωσσαν, *Obtrectatricis animæ lingua, hasta est tricuspis: nam et seipsam, et audientem, quandoque eum, cui obloquitur, lædit.* Quare vere dixit Heraclitus ad Hermodorum: εν ταις γλωτταις εχετε τα οπλα απεστερηκοτες χρηματα: *In linguis habetis arma, postquam abstulistis pecunias.*

36. Et quidem acutissimus.

Secundo, lingua non tantum est gladius, sed gladius acutus et in cuspide, et in utraque acie. Ps. 63. 4. *Exacuerunt ut gladium linguas suas.* Thearidas cum gladium cote acueret, interrogareturque, num acutus esset: *Acutior*, inquit, *calumnia*, q. d. Acutissimus. *Linguæ*, ut ait Plinius lib. 11. cap. 17. circa medium, *non omnibus eodem modo. Tenuissima serpentibus, et trisulca, vibrans, atri coloris, et si extrahas, prælonga; 2. lacertis bifida et pilosa: 3. vitulis quoque marinis duplex: sed supra dictis capillamenti tenuitati; 4. cæteris ad circumlabenda ora; 5. piscibus paulo minus quam tota adhærens; 6. crocodillis tota; 7. sed in gustatu linguæ vice carnosum aquatilibus, ut palatum; 8. leonibus ac pardis, omnibusque generis eius, etiam felibus imbricatæ asperitatis, ac limæ similis, attenuansque lambendo carnem hominis; 9. de purpurarum linguis diximus* (lib. 9. c. 36. sic dicit: Lingua purpuræ, longitudine digitali, qua pascitur perforando reliqua conchylia: tanta duritia aculeo est); 10. *ranis prima cohæret, intima absoluta a gutture, quæ vocem mittunt; 11. apibus etiam prælonga, eminens et cicadis; quibus aculeus in ore fistulosus, iis nec lingua nec dentes; 12. quibusdam in sectis intus lingua, ut formicis; 13. cæterum latæ, elephanto præcipue. Reliquis in suo genere semper absoluta.*

Lingua est varia variis animalibus.

Solus homo linguam suam in contrarios naturæ suæ usus distorquet, et illam in gladium transformat, quo in Deum, in homines omnes, in seipsum abutatur. Illi tribuitur *flagellum*; Iob. 5. 21. Eccli. 26. 9. *plaga*, Eccli. 28. 21. *laqueus*, cap. 51. 3. *vincula*, Eccli. 28. 21. *arcus*, Ierem. 9. 3. *sagitta*, Ierem. 9. 8. percutere dicitur, Ierem. 18. vers. 18.

ARTICULUS IV.

Calumniatoris punitio et fraudes.

37. Vers. 6. In cælo est clementia, et omnis virtus.

DAVID indignans ob crudelitatem calumniatorum, quibus dentes essent instar hastarum et sagittarum, lingua instar gladii, vindictam eorum deposcit, v. 6. EXALTARE (Pagninus, exalta te) SUPER CÆLOS DEUS, ET IN OMNEM TERRAM GLORIA TUA, supple, sit, vel erit, q. d. Conspicuus appare e cælo Deus, et per universam terram appareat quanta sit maiestas tua. Ultionem sume tam manifestam de iis, qui in me unctum tuum insurgunt, tuamque gloriam obscurare volunt, ut appareat illam a te profectam esse. Licet calumnia terras pererret, maria decurrat, antra subeat semotosque secessus, et neminem quietum esse patiatur, cælum tamen non ingreditur. Themisthius orat. 11. *Regiam cæli*, ait, *clementia, benignitas atque humanitas, tamquam satellites, custodiunt: ad eam malignitas nulla succedit*, ου προσεισι κακοηθεια, *nulla propinquat calumnia, criminatio longius omnis arcetur.* Quod si in cælestes viros, qualis erat David, arma moveat, statim exaltatur Deus, tribunal suum iudiciarium ascendit, fulmen decutit et maledicum Cerberum ad stygem deiicit omnibus plaudentibus, et Dei iustitiam laudantibus. Nec suo se scuto γλωσσασπιδες illi tutari possunt, nullum scutum Deo altissimo obtendi potest, cuncta pervadit et perrumpit eius telum.

38. Vers. 7. Verba calumniatoris sunt laquei.

Non tantum crudelis est calumniator, sed etiam maligous: ideo post armorum mentionem, laqueum eius David ostendit; v. 7. LAQUEUM (S. Hieron. *laqueos*. Omnia eorum verba sunt laquei. Hebr. *rete*. Venatores sunt, cæteros homines pro feris habent, et capere moliuntur, ita ut non evadant. S. Aug. *muscipulam*. Cæteros non pluris faciunt, quam mures, eos inescant parvis donis aut conviviis, ut inter pocula verbum excedens in occasionem ruinæ sumant. Petavius reddit βροχον, id est, laqueum, seu restim ad suspendium: quia circumponitur gutturi, quod Græce βροχος vocatur. Apollinar. δικτυα, *retia*, ut nullam in partem te possis convertere, quin incurras in aliquod. Sept. παγιδα, id est, laqueum depactum et fixum ad irretienda animalia) PARAVERUNT PEDIBUS MEIS, ET INCURVAVERUNT ANIMAM MEAM: FODERUNT ANTE FACIEM MEAM FOVEAM, ET INCIDERUNT IN EAM. Ubi nota, hæc dicta esse, in, aut de spelunca Engaddi, in qua latebat David. Primo enim, Saulis exercitus trium millium virorum eam speluncam cingens, et Davidem quærens ad necem, erat veluti laqueus Saulis venatoris. Secundo, in ea spelunca David et serpenti eius milites erant incurvati in eius angulis, ut melius laterent, dum ille exercitus transivisset. Itaque, *incurvaverunt animam meam*, id est me: est synecdoche. Tertio, spelunca illa erat fovea, in qua erat conclusus David; perinde quasi in eam rem Saul illam fodisset, et in eam ipsum compulisset. Quarto denique, Saul in illam foveam incidit, cum in speluncam intravit ventrem purgaturus, quo tempore a Davide nullo negotio occidi potuit, ut narratur 1. Reg. 24. 4.

39. Calumniatores sunt: 1. Aucupes fallaces. 2. Simiæ blandientes et suffocantes.

Nota, calumniatores, detractores, susurrones, et similis farinæ homines, Primo sunt aucupes, fallaces, qui sono imitantur aves, quibus laqueum ponunt. Ierem. 5. 26. ait Deus: *Inventi sunt in populo meo impii, insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes et pedicas ad capiendos viros.* Secundo, similes sunt simiis, qui blandimenta mentiuntur, et nimium credulos suffocant. Demosthenes oration. pro Ctesiphonte, calumniatorem vocat, αυτοτραγικον πιθηκον,

tragicum simium. Simius est calumniator, quia nugatur et colludit: tragicus est, quia iugulat. Tertio vulpes sunt.

3. Vulpes mordaces. Themistius sic illos nuncupat orat. 3. fol. 87. *Sunt*, inquit, *inter homines vulpeculæ quædam, sive homunciones potius exigui et illiberales*, τας αλωπεκας οπισθεν εφελκομενα, *post se vulpes secum trahentes.* Calumniator enim socios sibi adsciscit, quibus decipiat. Quarto, serpentes sunt, pellucentes, veneno occidentes.

4 Serpentes venenati. Themistius: *Alii*, ait, *eos vocant, non vulpes, sed* δρακοντας ιου χαλεπου και ατοπου μεστους υφερποντας, *serpentes difficilis et horribilis veneni plenos, adrepentes, et benevolentiæ atque humanitatis involucris obtectos, qui longissime abigendi et expellendi sunt. Demulceri enim nos sæpius mordentibus iis, atque exhilarari contingit, cum extremam linguam dumtaxat cernimus, interiora vero nolumus pervidere.* Quinto, calumniatores sunt

5 Latrones sævissimi. latrones timidi, sed sævissimi: sese enim occultant, et e remoto loco inter amœnas et viridantes arbores tecti transeuntes confodiunt, eiaculatis verborum sagittis, quas veneno illinunt, sicut olim Arabes Ascitæ. S. Gregor. Naz. tom. 1. orat. 53. fol. 759. Κακον μεγιστον, ait, η συκοφαντια, *profecto gravissimum malum est calumnia: hæc enim sapientium animabus insidias struit, ac generosam bonorum virorum constantiam labefactare molitur.* Sexto, hoc hominum genus comparare possis duobus Neuricis, qui obli-

6 Boves oblique ferientes. que tantum feriunt, cum cornua in humeris habeant, ut ait Ælianus lib. 5. de animal. cap. 27. et citat Aristotelem.

7 Sepiæ. Septimo, sunt sepiæ, quæ atramento suo purissimam vitam aliorum velut aquam limpidissimam inficiunt. Octa-

8. Speculum fallax. vo, sunt Smyrnæ speculum, quod deformes eos repræsentat, qui sint pulcherrimi. Nono denique, sunt pestis eo nocentior, quo occultior. Themist. orat. 15. fol. 264. χαλεπωτερον νοσημα αρχης, *imperii morbus periculosior est, cum subditi calumniatoribus favent, addictique sunt; quam cum barbaris serviunt: ut corpori periculosiores sunt ægrotationes, quæ intus accidunt, quam quæ foris adveniunt.*

40. Calumniator cadit in foveam quam facit, ut patet: Nota secundo, calumniator sæpe incidit in foveam, quam alteri parabat. *Foderunt ante faciem meam* (in oculis meis, q. d. Cum eorum artes et dolos viderem: frustra enim iacitur rete ante oculos pennatorum) *foveam, et inciderunt in eam.* Hebr. *in medium eius*, q. d. Ita ut evadere non possint. Ecclæ. 10. 8. *Qui fodit foveam, incidet in eam.* Isaiæ 28. 13. *Vadant, et cadant retrorsum, et conterantur, et illaqueentur, et capiantur.* Vide dicta Ps. 7. 16. et 17. ubi fuse probavi sæpe sceleratos iis artibus capi, quibus utuntur in pios. Ad rem nostram sunt,

I. In fratribus Iosephi. Primo, fratres Iosephi, qui cum vendiderant Madianitis in Ægyptum euntibus, siue dubio crimen aliquod illi affingentes ut suum tegerent, in eius manus et potestatem venerunt, et in magnas angustias redacti sunt, ac Simeon qui cæteris fuerat iniuriosior, in carcere detentus est, Gen. 42. 25.

II. In accusatoribus Susannæ. Secundo, lapides in Susannam parati reciderunt in accusatores mendaces. Dan. 13. 60. *Exclamavit itaque omnis cœtus voce magna, et benedixerunt Deum, qui salvat sperantes in se. Et consurrexerunt adversus duos presbyteros (convicerat enim eos ex ore suo falsum dixisse testimonium) feceruntque eis, sicut male egerant adversus proximum, ut facerent secundum legem Mosi* (quæ imperabat lege talionis puniri calumniatorem) *et interfecerunt eos, et salvatus est sanguis innoxius in die illa.*

III. In Sostrati matre. Tertio, Sostratum filium œstro libidinis furibunda mater invitat ad scelus, furiam execratur castus adolescens: illa, ut flagitii reum quasi sibi vim inferre voluisset, iudici sistit innocentem: acerbissima ipse pati prius supplicia statuit, quam matris nequitiam aperire: tamen S. Andreæ Apostolo fit supplex, sibi ut in has coniecto angustias precibus succurrat. Cum insons ad supplicium duceretur culeo insuendus, aut in dolium abiiciendus: ecce tibi orante Apostolo terra tremere, cælum tonitruo mugire, micare fulgura, aerem ventis et tempestate concuti. E tribunali proconsul deiicitur, populus in fugam vertitur,

A calumniæ vero et sceleris fons, vesana mater, fulmine icta concidit, dirioribusque tortoribus infelicem animam abiicit: quo attoniti miraculo innoxium iuvenem cum admiratione virtutis exsolvunt vinculis, ut refert Abdias Babylonius in vita S. Andreæ.

Quarto, Fausta Constantini Magni uxor Crispum privignum sæpius renuentem cum ea peccare, apud Constantinum accusavit, quasi per vim ea potiri voluisset; ideo Crispus neci datus est: sed post aliquot annos comperta veritate, Faustam ipsam in balneo calido suffocari præcepit Constantinus, et filio nomen et famam restitui, ut ait Entrop. Niceph. et Baronius tom. 3. Annal. IV. In Fausta Constantini uxore.

Quinto, Narcissum Ierosolymæ Episcop. turpis et infamis criminis falso insinuarunt tres periuri testes: atque cum primus sibi incendium, secundus morbum regium, tertius cæcitatem imprecatus esset, nisi verum diceret: hæc singula singulis, sicut optarant, Deo puniente obvenerunt: ita Euseb. lib. 6. hist. Eccl. cap. 7. V. In Narcissi accusatoribus.

Sexto, cum S. Marina habitu quasi vir, inter Monachos B degeret, a filia hospitis accusata est, quasi ei stuprum intulisset; hinc de monasterio eiecta est, et ad pœnitentiam perpetuam usque ad mortem damnata: cum post mortem sepelienda appareret non esse vir, sed fœmina, ac proinde stuprum non potuisse inferre, puella, quæ eam accusarat, a dæmone correpta accurrit, crimenque falsi confessa, nonnisi septimo die ad eius tumulum liberata est, omnibus S. Marinæ castitatem æque ac patientiam celebrantibus, ut habetur in vitis Patrum. VI. In fœmina Marinam accusante.

Septimo, ut dixi supra art. 2. S. Gregorii Thaumaturgi calumniatrix etiam a dæmone possessa est: quod et illi accidit, quæ S. Vincentium Fererium accusare mendaciter moliebatur. Sabinus et Crescentius in S. Gregorium Agrigentinum Episcopum insurgentes facie per miraculum denigrata in exilium a Pontifice Maximo exacti sunt. VII. In S Gregorii calumniatrice, et in aliis.

Octavo, Tiberius Imp. licet sæpe plus calumniatoribus tribuerit, quam par esset, tamen nonnunquam eos punivit, ut docet Dio, lib. 58. *Præcipuos*, ait, *eorum, qui ac-* C *cusationes calumniosas intenderent*, εν μια ημερα, *una die iussit interfici.* VIII. Calumniatores puniti a Tiberio.

Nono, præceptum erat lege duodecim tabularum, ut e rupe Capitolina præcipites calumniatores iacerentur. Hoc habes apud Gellium lib. 20. Noct. Attic. cap. 1. *Qui falsum*, ait, *testimonium dixisse convictus esset, e saxo Tarpeio deiiceretur.* Pœnam aliam affert Plinius Iunior in Panegyrico: *Delatorum*, inquit, *classis permissa omnibus ventis, coacta vela tempestati pandere, iratosque fluctus sequi, quoscumque in scopulos detulissent.* Aliam pœnam Plutarchus habet, lib. de Curiositate: *Delatores apud Dionysium tyrannum, conversione rerum facta primos arripuere Syracusani, et* αποτυμπανιζον, *exquisito tympani supplicio affecerunt.* Ubi obiter adverte, tympanum fuisse tormenti genus, quo homines fortiter et rigide distendebantur quasi in eculeo, et pulsabantur sicut pelles distentæ in tympano. De Eleazaro generoso sene nonaginta annorum dicitur 2. Machab. 6. 19. *Voluntarie præibat ad supplicium*, επι το τυμπανον, *ad tympanum.* Nonnulli ibi- D dem flagris cædebantur, vel vivi excoriabantur, vel candentibus laminis ustulabantur, sicut Eleazaro illi factum narrat Iosephus: vel saxis malleisque tundebantur, et quasi tympanum omnium verberibus cruciatibusque obiiciebantur. Paulus de sanctis Martyribus ait, Hebr. 11. 35. *Alii distenti sunt.* Græce, ετυμπανισθησαν, *tympanizati sunt. Mis sur un tambour;* aut certe, *battu comme un tambour, etendu comme un sur un tambour.* IX. Variæ eorum pœnæ apud Romanos et alios.

Decimo denique, iure Canonico pœna talionis infligitur calumniatori. Decret. 2. parte, causa 5. quæst. 7. ubi verba Gregorii referuntur: *Iuxta canonicas Patrum sententias, qui calumniam illatam non probat, pœnam debet incurrere, quam si probasset, reus utique sustineret.* Ac Sixti III. *Qui non probaverit, quod obiicit: pœnam quam intulerit ipse patiatur.* X. Iure Canonico pœna talionis puniri

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

41. *Duo complectitur. Primo, paratum se esse ad omnia adversa, etiam cum lætitia perferenda, vers. 8. Secundo, gratias agit Deo, ob liberationem suam, per misericordiam eius et fidelitatem, vers. 10.*

PARAPHRASIS.

8. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo et psalmum dicam.*	8. Cor meum hostium suorum ruina subsiliens, ad laudes tuas depromendas paratum est: atque dum tua voluntas feret, ad calumnias omnes et calamitates tolerandas. Tum voce lætum tibi canticum concinam: tum manu musicum instrumentum assumam, ut psalmos moduler.
9. *Exurge gloria mea, exurge psalterium et cithara: exurgam diluculo.*	9. Anima mea quæ decus meum es atque ornamentum, discusso veterno evigila: vosque psalterium meum et cithara, quæ gloriam mihi quoque peperistis, advolate: ut et mœrore oppressum recreetis, et beneficum numen celebretis. Summo mane, necdum albente cælo, surgam ut parenti optimo venerabundus accidam.
10. *Confitebor tibi in populis Domine, et psalmum dicam tibi in gentibus.*	10. In subditorum mihi populorum frequentia unicum te sospitatorem meum fatebor: tibique gratias agam, cum me ex his angustiis explicueris. Atque in Gentilium terris, ad quas fugere mox compellar, ob Saulis implacabila in me odium psalmos huius beneficii memores canam.
11. *Quoniam magnificata est usque ad cælos misericordia tua: et usque ad nubes veritas tua.*	11. Tanta enim eluxit in mei conservatione, in periculis ac liberatione misericordia tua: omnem ut humanum captum superet, atque terris maior cælos ipsos pervadat. Et veracitas tua, atque fidelitas in iis præstandis, quæ mihi eras pollicitus, nubibus celsior est atque fœcundior, neque a me satis explicari potest.
12. *Exaltare super cælos Deus: et super omnem terram gloria tua.*	12. Quapropter in cælis triumpha, tui te Principes atque cælici Magnates ibi deprædicent atque venerentur. Neque una Iudæa gloriam tuam claude, sed per omnem orbis ambitum effulgere patere, tuum ut lumen omnes suspiciant.

QUÆSTIO UNICA.

QUAM PERFECTA CONFORMITAS CUM DEI VOLUNTATE, ETIAM IN ADVERSIS HABENDA EST.

42. Ordo Sectionis. DENTIBUS, velut hastis, sagittis et gladiis, furentes in Davidem calumniatores Sectione præcedenti vidimus, et sub diro calumniæ verbere, velut fœcundam arborem sub grandine, eum contemplati sumus. Nunc ad maiora se certamina comparans cor totum offert Deo, v. 8. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.*

Ex hac cordis, id est, intellectus et voluntatis, cum Deo conformatione, quinque virtutes in se exortas prædicat. Primo, lætitiam spiritualem, v. eod. 8. *Cantabo et psalmum dicam;* v. 9. *Exurge gloria mea, exurge psalterium et cithara.* Secundo, diligentiam: *Exurgam diluculo.* Tertio, gratitudinem in omni loco, v. 10. *Confitebor tibi in populis Domine, et psalmum dicam tibi in gentibus.* Quarto, notitiam divinæ bonitatis et fidelitatis in promissis seu iustitiæ, v. 11. *Quoniam magnificata est usque ad cælos misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua.* Quinto denique, desiderium gloriæ Dei, v. 12. *Exaltare super cælos Deus, et in omnem terram gloriam tuam.*

ARTICULUS I.

Cor ad omnia pro Deo agenda et patienda paratum esse debet.

DAVID in spelunca Engaddi, quæ vox, ut habet Origenes homil. 2. in Cantic. *oculum tentationis* significat, velut obscuro in carcere conclusus, oculis quodammodo privatus erat densa in caligine, auribus nihil præter ge-
43. Vers. 8. Cor Deus vult bene ordinatum et stabile. mitus et querelas sociorum audiebat, manibus metu ligatis, pedibus astrictis ob circumstantem hostem, cor solum liberum habebat quod Deo expandit, offertque, v. 8. PARATUM COR MEUM DEUS, PARATUM COR MEUM. Pro *paratum*, Hebr. est נכון *nachon*, id est, præparatum, dispositum, ordinatum. Tunc bene ordinatur cor, si Deo paratur: et Deo non paratur, nisi bene ordinetur. Quæ enim a Deo, pro Deo et ad Deum sunt, ordinata sunt. Arabs vertit, *Paratum cor meum est in Deo, cor meum paratum.* Secundo, *nachon*, id est rectum. Tertio, *nachon*, firmum, certum, stabile. R. Rasi et R. Kimhi vertunt, *confirmatum est cor meum.* Deliciæ Dei sunt esse cum filiis hominum; pulsat ostium, et vult sibi aperiri: sed non vult statim eiici, requirit stabilem et constantem amatorem. Illi est parandum cœnaculum grande stratum: magnus enim hospes recipiendus est, dilata tabernacula tua Iacob, qui cum vitiis adhuc luctaris, et tentoria tua Israel, qui fortis es contra Deum, ut eum teneas et stringas, nec a te abire patiaris. Sanctitate orna cor tuum, sicut arcam auro, ut Deum docentem te leges suas recipere merearis. Chald. vertit: *Paratum cor meum Domine ad legem tuam, paratum cor meum in timore tui*, id est, tui timore ac reverentia, aut per timorem, aut cum timore. Pretiosa est cordis gemma timor Dei. Symmachus reddit, ἑδραία ἡ καρδία μου, *stabile cor meum*: tamquam thronus Dei: nam ἑδραῖος, stabilis, firmus, deducitur ab ἕδρα, sedes, thronus. Præpara igitur cor tuum, tamquam propitiatorium aureum, in quo Deus sedeat, quodque sustentetur a Cherubinis aureis, id est a charitate Dei, et a charitate proximi: tunc Deus ibi sua reddet oracula.

Quæres, ad quid ait David paratum esse cor suum? 44
Primo, ad ea toleranda incommoda, quæ tolerabat in spelunca Engaddi, et in persecutione Saulis. Secundo, ad alia omnia facienda, et patienda, quæ Deus vellet. Bis autem dicit, *paratum, paratum*, q. d. Paratissimum. Hæc enim repetitio signum est deliberatæ maxime voluntatis. Secundo, fortitudinis nihil timentis, et obiecta terriculamenta reiicientis. Tertio, alacritatis, et fervoris, ac promptitudinis ad acceptanda quæ Deus iubeat. Cor Davidis ad omnia paratum erat.

Moral. Cor nostrum debet esse paratum. Primo, ad 45.
spem auctiorem, Ps. 111. 7. Secundo, ad virtutum acquisitionem. Tertio ad iudicis adventum, Matth. 24. 4. Quarto, ad cælestes nuptias ineundas, Matth. 25. 10. Quinto, ac præcipue, ad perpetienda omnia adversa, ne improvisa magis feriant. Itaque cor parandum est, 1. ad ferendam paupertatem; 2. infamiam; 3. morbos et mortem propriam; 4. morbos parentum et amicorum; 5. omnia fortunæ mala; 6. etiam cor parandum est ad agenda omnia quæ Deus iubet. Cor Christiani sit paratum ad omnem actum virtutis.

Primo igitur, paupertas segmento veteris vilisque anniculi vix tacta terrorem ingenerat. In Dei voluntatem te, I. Ad ferendam paupertatem.

et cor tuum conice; aut divinam voluntatem in cor tuum, sed virtutibus paratum et ornatum, inanis hic terror abscedet. Cogita in omni iactura Deum] a te repetere sua bona, itaque non esse cur illi succenseas. Epictetus in Enchiridio cap. 15. *Nunquam*, ait, *te quidquam perdidisse dicito, sed reddidisse. Filiolus obiit? redditus est. Prædium est ereptum? an non id quoque est redditum? At improbus est qui eripuit? Quid hoc tua refert, per quem is qui dederat, abs te repetierit? Sed quamdiu id concesserit*, ὡς ἀλλοτρίου αὐτοῦ ἐπιμελοῦ, ὡς τοῦ πανδοχείου οἱ παριόντες, *tamquam alienum id curato, ut cauponam viator.*

II. Ignominia. Secundo, inglorius iaces sine honoribus et longo famulitio, auratis et purpuratis non fulges vestibus, ut ad regum et principum aulas et colloquium admittaris: animum tuum erige, et illa omnia infra te posita despice. Epictetus lib. 4. disputat. cap. 7. fol. 420. *Melius*, ait, *id iudico quod Deus vult, quam quod ego*, προστέτομαι διάκονος καὶ ἀκόλουθος ἐκείνῳ: *Adhæreo illi ut minister et pedissequus: cum illo desidero, cum illo expeto; denique quod ille vult, idem et ipse volo.* Modum deinde optimum et certissimum assignat voluntatem nostram divinæ aggregandi, contemptum scilicet rerum terrenarum, ut vilium et amore nostro indignarum: *Aliquis*, ait, *ficus et nuces proiicit: pueri rapiunt, et inter se certant, viri autem non. Parvum enim id ducunt. Si quis autem testas proiiciat, ne pueri quidem rapient. Provinciæ distribuuntur; viderint pueri. Argentum: viderint pueri. Prætura, Consulatus: viderint pueri; excludantur, vapulent, deosculentur manus servorum largitoris*, ἐμοὶ δὲ ἰσχαδοκάρυον ἐστι, *mihi vero ficus et nuces sunt.*

III. Morbos. Tertio, si morbus macie confectus, et squallore luridus te terret, cor Deo para: bonus est medicus, qui corpus a languore, animum a perturbatione sanet. Epictetus l. 3. disputation. cap. 26. fol. 368. *Ego*, ait, *nunquam volens prohibitus sum, nec coactus nolens; quo pacto istud fieri potest?* προσκατέταχα μου τὴν ὁρμὴν τῷ Θεῷ: *Appetitum meum obedientem præbui Deo. Vult ille me febricitare? Volo et ipse. Vult me ad aliquam rem appetitu ferri? Volo et ego. Vult me desiderare? Idem et volo. Vult me aliqua re potiri? Volo. Non vult, neque id volo. Mori me vult? Mori igitur volo. Quid adhuc me prohibere potest contra meam sententiam, aut cogere? Nihilo magis quam Iovem.* Audax et temerarium dictum, si in rigore sumatur: infinita enim est disparitas inter Deum et homines: sed quidam Philosophi censuere animam esse divinæ particulam auræ.

46. IV. Mortem. Quarto, si mors oculis concavis, nudatis ossibus, falce immitti atque implacabili terribilis, et innumeræ furiæ sese tibi obiiciunt, para cor tuum Deo, ad quem te mors ducit, et quo protegente nihil tibi nocebit. Cum S. Elzearius Comes Ariani Neapoli in Provinciam, cum uxore sua Dalphina, navigaret, solus nihil extrinsecus mutatus fuit. Ubi portum attigit, quosdam reprehendit, quod lacrymis suis et eiulatibus sibi visi essent non satis divinæ bonitati confidere. Tum S. Dalphina seorsim illum rogavit, num et ipse in tanto discrimine timuisset: Cui ille: Noveris Dalphina, ubicumque sim, sive in mari, sive in terra, quocumque genere mortis Deo visum sit me hinc auferre, *me prompto animo paratum esse*: et neque nunc, neque alias unquam, quantumvis magnis verser in periculis, mortem me formidasse: sed cum cerno adesse pericula, *cor meum hunc in modum Deo me offerre solere: Domine Deus meus, cui cordium arcana patent, qui omnia nosti antequam fiant: si decrevisti nos, vel quosdam ex nobis punire; vertatur obsecro ira tua in me peccatorem ingratum, et ignoscas aliis: maior enim honor ad te redit ex quocumque alio ex iis qui hic adsunt, quam ex me: hæc postquam ego dixi, semper in animo meo maiorem consolationem persentio.* Id sibi animo factum esse dicit, ex quo a Deo visitatus est in loco de Saltu, ut ait Surius tom. 5. die 27. Sept.

S. Elzearii magna constantia

Et S. Polycarpi. S. Polycarpus Apostolorum discipulus et Smyrnæ Episcopus triduo antequam pro fide caperetur, noctu secundum quietem vidit suum cervical flamma accensum repente consumi, et confici. Inde cognovit flamma se pro Christo esse absumendum: cumque amicorum impulsu in aliam se villam recepisset, et quæsitus a satellitibus in aliam domum abire posset, noluit: sed dixit, τὸ θέλημα κυρίου γενέσθαι, *fiat voluntas Dei*: atque ut illos adesse intellexit, descendit per gradus, et cum illis adeo sereno et placido vultu collocutus est, ut qui virum antea non nossent, putarent se θαῦμα ὁρᾶν, *miraculum intueri*: cum oculos in canam eius ingravescentem ætatem, in venerandam quoque et constantem vultus moderationem coniecissent, mutuoque sibi dictitabant: Tantane, quæso, festinatio in tali sene prehendendo suscipi debuisset? Sanctus vero vir, abiecta cunctatione, primum iis mensam actutum apponi iussit; deinde oravit, ut cibum large et affatim sumerent: unamque horam, qua libere orationi vacaret, postulavit, quam illi concesserunt. Hæc et alia Eusebius lib. 4. histor. Eccl. cap. 14.

Quinto, in parentum, liberorum, uxorumque aut amicorum morte solent plerique vehementius, quam in sua commoveri: quod cum extrema ipsis vitæ clausula instat, ad beatos cœlitum choros aspirant: cum vero, divelli a se suos sentiunt, duram tristemque solitudinem in hac ruborum et spinetorum valle deplorant. Hoc in B. Francisco Borgia adhuc Gandiæ Duce, ac postea Societatis nostræ tertio Generali, est animadversum. Nam ut memorat Andreas Schottus vitæ illius cap. 12. Cum annos duodeviginti Leonoram, pietati addictissimam uxorem, habuisset, lethali morbo ægrotare illa cœpit. Afflixit ille casus Francisci, quamvis constantem animum: quod altera sui parte spoliari se videret, liberorum matre (octo ex ea susceperat) et dolorum curarumque socia. Ægrotante illa orare frequentius, piorum etiam hominum precibus adhibitis, eleemosynis atque ieiuniis. Solus aliquando conclave remotis arbitris ingressus, obnixe, lacrymis fusis, obtestabatur Deum, salvam coniugem superstitemque vellet: cum ecce tibi vocem quamdam interiorem clare audire visus est, ut post ipse retulit, quæ diceret: Uxorem si diutius superesse vis, arbitratu tuo fiat: at tibi non expedit. Qua re turbatus, minime dubitavit Dei vocem esse. Parendum itaque: tacite enim redargui, quod, quid peteret, ignoraret. Rursus vero in lacrymas iit, hisce admistis vocibus: *Domine Deus unde hoc mihi, ut arbitratui committas meo, quod in tua solius est potestate? Mea permagni refert, tuam sequi in omnibus voluntatem. Quis enim te novit rectius, quid e re mea sit? tua itaque voluntas fiat: nec de uxore solum, sed de liberis etiam statuas supplex oro.* Observatum est, coniugis morbum statum quemdam tunc tenuisse, ut dubitarent medici, meliusne an deterius haberet: post has vero preces ad desperationem laborare cœpisse. Animam agenti ad cervical adfuit, et divinis alloquiis confirmavit, mortem forti animo, Dei misericordiæ innixa, obiret. Illa vero, Christi de cruce pendentis imagine pie complexa, animam salutis auctori, spei plena reddidit: hæc ibi. V. Parati simus ad ferendam mortem parentum.

Sexto, in omni fortunæ tempestate verti debemus ad Dei voluntatem, sicut acus nautica ad polum: inde enim est salus. Salmeron noster rem notatu dignam refert tom. 10. tract. 11. pag. 103. ait enim, quemdam perplexa necessitate pressum, orationis loco, totum ordine alphabetum recitasse, et hanc apposuisse clausulam: *Domine iunge tu litteras, et quod tibi magis placet, mihique magis expedit, largire.* VI. Et omnem fortunam.

Dicendum est cum Seneca lib. de providentia, cap. 4. *Verberat nos et lacerat fortuna? patiamur: non est sævitia, certamen est: quo sæpius adierimus, fortiores erimus. Solidissima pars est corporis, quam frequens usus agitavit. Præbendi fortunæ sumus, ut contra ipsam ab ipsa duremur. Paulatim nos sibi pares faciat, contemptum periculorum assiduitas periclitandi dabit. Sic sunt nauticis corpora ferendo mari dura: agricolis manus tritæ: ad excutienda tela militares lacerti valent: agilia sunt membra cursoribus.* 47. VII. Et ad ardua opera facienda.

Septimo, non in tolerandis tantum malis, sed in arduis

etiam operibus suscipiendis, a Dei unius voluntate pendere debemus: tunc enim fausta nobis spolia et trophæa coronasque sperare possumus, cum signifer præcesserit Deus. Adverti hoc potest in primo bello sacro in Syriam suscepto. Cum enim an. 1095. Urbanus II. Pontifex Maximus, in Galliis, in Concilio Claromontano, publice de Palæstina recuperanda perorasset, omnium animis ad hoc sacrum bellum inflammatis, acclamatum ab omnibus est: *Deus vult, Deus vult.* Hæ voces deinde ab universo exercitu plusquam trecentorum millium hominum, pro militari tessera sunt usurpatæ. Maxime vero, cum res conflictum iam spectaret, aciesque utrinque concurrerent, Christiani milites generose succlamarunt: *Deus vult, Deus vult.* Finis belli fuit recuperatio Palæstinæ, ipsiusque Ierosolymæ, in qua feliciter Gothofredus Buillionius, Balduinus eius frater, aliique Principes Christiaui regnarunt, ut refert Guillelmus Tyrius de bello sacro.

48. VIII. Ad omnem denique Dei voluntatem. Octavo denique, in omnibus semper ad Dei vultum manumque intenti simus, ut ad unicum oculi nictum, nutum capitis, oris verbulum, digiti motum evolemus, quo eius voluntas tulerit: tum secunda nobis et faventia sentiemus omnia. Ado 28. Novembris suo in Martyrologio mentionem facit duorum sanctorum Episcoporum, nempe, Quod vult Deus, et Habet Deum. Nos simus Habet Deum, et erimus Quod vult Deus, ex duobus sanctissimis viris cor unum perfectissimum, et ad Dei voluntatem paratissimum efformantes: qui enim Deum in se habet, vult id quod Deus vult, eique accidit quod Episcopo Quod vult Deus et eius Clericis evenit. Victor Uticens. lib. 1. de persecut. Vandal. dicit quod eos rex Arrianus Gensericus *navibus fractis imposuit, et nudos atque expoliatos expelli præcepit. Quos Dominus miseratione bonitatis suæ, prospera navigatione Neapolim perduxit.* Vide Ps. 122. 2.

Ratio a priori, cur debeamus Deo parare cor nostrum, et voluntati eius conformari, est Primo, quia est Dominus. Secundo, quia voluntas eius est rectissima et perfectissima. Tertio, quia voluntas nostra propria est maxime tortuosa, et rectæ rationi repugnans. Quarto, quia voluntas carnis, mundi, dæmonis est depravatissima: eam autem sequi debemus, si Dei voluntati non subdimur.

ARTICULUS II.

Conformitatis voluntatis nostræ cum divina effectus.

49. Vers. 8 2. Pars. PRIMUS effectus est lætitia spiritualis. Unde additur, v. eod. 8. CANTABO ET PSALMUM DICAM, q. d. Cantabo voce, et musicis instrumentis Psalmos modulabor: si cor Deo paratur, eoque plenum est, lingua et manus in eo exultant.

Nota, in Psalterio Romano, et apud Arnobium et Remigium additur *Domino,* sed id non est in Psalterio Gallicano, ut vult Lorinus. Sic autem explicat Remigius de Christo: *Paratum cor meum Deus, ad mortis experientiam voluntarie obediens sum: paratum etiam cor meum, id est, meorum ad offerendum tibi sacrificium: et ideo cantabo corde, et psalmum dicam opere, Domino, id est, ad honorem Domini: vel, ideo paratum cor meum: quia hoc modo erit tibi canticum, id est delectatio. Et, ut ego cantem, exurge gloria mea.*

50. Psallere in gloria sua quid? Nota secundo, Græce in Bibliis Complutensibus Regiis, et aliis cum additione ponitur, ψαλῶ ἐν τῇ δόξῃ μου, *psallam in gloria mea;* sic etiam est in Psalterio Syriac. et, ut ait Lorinus, in Arabico; in meo codice Arabico est tantum, *Glorificabo, et psallam tibi.* Sed quam vocat gloriam suam David? Primo, Deum ipsum: ita S. Gregor. Nyss. tract. 2. in Psalmos, cap. 14. Secundo, *in gloria mea,* id est in Iesu, in quo gloriari oportet: ita Richardus Pampolitanus. Sed hæc suut mystica. Tertio, magis ad litteram, *in gloria mea,* id est in dono prophetiæ: ita Euth. et Niceph. Quarto denique, et planissime, *in gloria mea,* id est, cum ex his tenebris speluncæ Engaddi emersero, et persecutione Saulis finita ad regnum mihi a te promissum pervenero. Posset etiam *in gloria mea* exponi, q. d. In mea hac tribulatione, quam a tua voluntate procedentem parato et amplificato corde recipio, et a qua magnam mihi in cælo et terra gloriam repositam esse censeo. Sic dicebat Apostolus Galat. 6. 14. *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini.* Satis est servo, si sit sicut Dominus eius. In cruce corpus Christi et iusti est cithara, cuius extentæ et pulsatæ chordæ suavissimam Dei et angelorum auribus melodiam efficiunt.

Nota tertio, pro *cantabo,* Hebr. est אשירה *ascira,* id est voce contenta canam: cum fervore Deo cantandum est. Dat Deus dona liberali manu, illi voce tota gratias agamus. Rad. *sciur,* tria significat, 1. voce extenta seu contenta canere; 2. oculorum aciem intendere, aspicere; 3. porrectis brachiis dona offerre. Nos ore, vultu, opere Deo laudes canamus, illi linguam, oculos, manus, brachia, totum corpus consecremus, et illius unius gloriæ. 51. Cantandum Deo cum fervore.

Nota quarto, pro *psallam,* Hebr. est אזמר *azammer,* id est, psallam, canam. Rad. est *zamar,* quod in Kal significat putare, incidere, amputare: in Piel vero *haddaghus,* id est, in tertia coniugatione daghesciata, hoc est, habente daghes in secunda littera seu consonante radicali, significat psallere, canere. Voluit quidam, ut Mercerus, hanc significationem ex superiori ductam, ut incisionem musicam ad vocem relatam significet, seu modulationem. Differt a שיר *sciur,* quod generaliter cantiones significat solutas et vulgares, cum זמר *zimmer* de arte compositis modulationibus dicatur, et quæ suos numeros habent et cæsuras. Putant autem complecti tam humanæ vocis, quam instrumentorum musicorum modulationem. Sed puto proprie ad instrumenta referri, licet de cantu avium in Cantico Cantic. dicatur: etsi alii pro putatione, seu incisione exponant eo loco: hæc Mercerus. Hinc erue primo, lætis aspera esse admista his in terris. Secundo, etiam in mediis spinis rosas nasci, et posse vel in rupium præruptarum et durissimarum antris echo suavissimum resonare. Ipse noster David in spelunca tristi erat, et citharæ eius suave melos rupes reddebant cum fœnore. Dicit etiam Psal. 114. *Tribulationem et dolorem inveni,* en percussionem: *et nomen Domini invocavi,* en echo cum melodia. Hoc et Paulus evidentius, et ad rem nostram accommodatius aperit 2. Cor. 7. 4. *Multa mihi fiducia* (Græc. παρρησία, loquendi libertas) *est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis, repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Mare salsum tribulationum suavissimæ aquæ gratiæ superfluunt: et gaudii lympidissimi fontes atque gustatui acceptissimi, exiliunt mediam inter salsuginem afflictionis, ut infra ostendetur. Elias notat verbum Hebraicum *zimmer* in Targum, id est, in paraphrasi Chaldaica, semper reddi per שבח *sciabach,* id est, laudare, exceptis aliquot locis in Psalterio, ubi retinetur, ut in nostro habetur et in Syriaco Psalterio. Et modulatione.

Nota quarto, Syr. *zemar* significat canere, sed ad res profanas et ludicras refertur, sicut docet noster Ioannes Baptista Ferrarius in suo Nomenclatore Syriaco, *zamar* vero, eiusdem est significationis, sed ad laudes divinas pertinet, sicut idem notat: ut intelligas tantillula inflexione posse te per eamdem prope lætitiam et nugis et cælo vacare: neque enim divina gaudium et cantus ablegant, sed cumulant et intendunt. Diversitatem utriusque gaudii advertit Seneca Epist. 23. *Nolo,* inquit, *tibi deesse lætitiam: volo illam tibi domi nasci: nascetur, si modo intra teipsum sit. Cæteræ hilaritates non implent pectus, sed frontem remittunt: leves sunt, nisi tu forte iudicas illum gaudere, qui ridet. Animus debet esse alacer et fidens, et super omnia erectus.* Cantant peccatores in huius sæculi nocte, velut viator trepidus media in caligine, ut illo vocis sono sibi ipse obstrepat, et fortuito sono non turbetur, aut tristi silentio. Iustus vero in Christi luce cantus fundit, sicut luscinia in prima verni temporis aurora, cum flores suavem fragrantiam aeri effundunt. S. August. ad hoc allusisse credi potest in Ps. 66. *Sicut,* inquit, *viato-* 52. Zemar et zamar differentia. Cantat peccator sicut viator timidus.

res cantant, et plerumque in nocte cantant, formidolosa circumstrepunt omnia, vel potius non circumstrepunt, sed circumsilent: et quanto magis silentia, tanto magis formidolosa: cantant tamen et qui latrones timent. Quanto securius cantas in Christo? Non habet via ista latronem, nisi tu deserendo viam incidas in latronem. Etiam in calamitatis nocte cantare dulce Christo possumus: si tamen nox est, ubi illa columna ignis ductrix est: etiamsi enim obducta exterior nubes putetur, mentis tamen cælum in luce est. S. Chrysost. hom. 1. in 2. ad Corinth. *Cælum*, inquit, *altius est imbribus ac pluviis. Cælum quidem, cum nubibus obducitur, pati putatur, sed nihil patitur. Sic et nos etiamsi putamur pati, nihil patimur, id est, tristitia quasi nubibus obduci putamur, sed non tristamur.* Salomon dicit Prov. 12. 21. *Non contristabit iustum quidquid ei acciderit.*

53. Virtus dat lætitiam. Neque tristitiam solum virtus excutit, sed lætitiam et cautus inducit. Si enim scientias, velut aves canoras, in mente Plato constituit, ut illarum cantillatione moveamur, de virtutibus quid dicemus? Audiatur in Theæteto fol. 144. edit. Francofurd. *In qualibet anima*, inquit, *fabricemus* περιστερεωνα τινα παντοδαπων ορνιθων, *aviarium quoddam omnis generis avium, quarum aliæ seorsim ab aliis discretis gregibus pervagentur, aliæ numero paucæ, nonnullæ solæ passim quocumque contigerit, volitent,* αντι ορνιθων επιστημας νοωμεν, *loco avium scientias intelligamus.* A virtute profluentem lætitiam explicat S. Greg. lib. 22. Mor. cap. 14. *Magna est*, inquit, *securitas cordis, nihil concupiscentiæ habere sæcularis. Nam si ad terrena adipiscenda cor inhiat, securum tranquillumque esse nullatenus potest: quia aut non habita concupiscit, ut habeat: aut adepta metuit, ne amittat: et dum in adversis sperat prospera, in prosperis formidat adversa: huc illucque quasi quibusdam fluctibus volvitur, ac per modos varios rerum alternantium mutabilitate versatur.*

Quin etiam perfectis et fortibus viris ipsa afflictio gaudium adauget, dum coronas multiplicat, atque intento digito parata præmia ostentat. S. Gregorius in 1. Reg. lib. 5. cap. 3. fol. 334. *Tribulatio nostra*, inquit, *superni gaudii introitus est. Merito ergo quoties electa mens in afflictionis suæ lamento compungitur, se tribulando hoc obtinet, ut intret in contemplationem illius superni regni, in quo ineffabiliter gratuletur. Et dum sancti viri amatores mundi in flore transeuntis lætitiæ videre refugiunt, dum corporeos sensus suos ab eorum imitatione abscindunt, eorum quæ cernitur non est fuga, sed gloriosa victoria.*

54. Conformitas præsertim cum Dei voluntate. Nota quinto, ut lætitia in calamitatibus percipiatur, prius paratum cor esse necesse est ad exequendam Dei voluntatem. S. August. in Ps. nostr. *Audi cor paratum in Apostolo, qui imitatus est Dominum suum. Rom.* 5. 3. *Gloriamur*, inquit, *in tribulationibus, quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Erat in pressuris, in catenis, in carceribus, in plagis, in fame et siti, in frigore et nuditate, in omni vastatione laborum et dolorum, et dicebat: gloriamur in tribulationibus. Unde? Quia paratum est cor eius, ideo cantabat et psallebat: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo et psallam.* Pelagius antiquus auctor refert, a Pastore Abbate Iosephum hoc modo interrogatum esse: Dic Pater, quomodo fiam Monachus? Cui Pastor: *Si vis requiem invenire et in hoc et in altero sæculo, dic in omni causa: Quis sum ego, ut meam voluntatem aut iudicium divino præferam?*

55. Psalmi augent lætitiam. Nota sexto, mentis alacritas iuvatur Psalmorum recitatione. S. Basilius in Ps. 1. *Psalmus*, inquit, *est tranquillitas animarum, gubernator pacis, tumultus et undas cogitationum sedans atque compescens.* Sic David citharam pulsans exhilarabat Saulem regem, et ab eo dæmonem expellebat. S. Chrysost. in Ps. *Non cervi ita fugiunt tela, ut Psalmos Davidis fugiunt dæmones: sumpsit David citharam, et pulsavit, et a Saule recessit malus spiritus, et recedens dæmon cecidit ut cervus sagitta percussus, et in iecore sauciatus*: ita ipse. Malus ille spiritus erat nimia tristitia ex invidia et ira exorta, cuius occasione dæmon usus Saulem possidebat.

Quibus instrumentis Psalmos sit cantaturus aperit David v. 9. EXURGE GLORIA MEA: EXURGE PSALTERIUM ET CYTHARA, EXURGAM DILUCULO. Quæres, quam gloriam hic intelligit? Primo, Deum ipsum: ita S. Greg. Nyssen. in eo enim solo gloriabatur David, non in suo robore, non in Saulis affinitate, non in promissione regni, q. d. O Deus exurge, et veni cito in auxilium meum, tu eris gloria mea, et ego te unum Dominum meum glorificabo, tuam unius voluntatem sequens, sicque tu me gloriosum reddes, etiam in medio afflictionis meæ. S. Dorothæus serm. de obedientia: *Qui divinam*, ait, *voluntatem in omnibus sequi conatur, in curru vehitur cum omnibus, ipsi alioqui ferendis: alii qui hanc itineris agendi rationem et compendium ignorant, pone sequuntur pedites, et onerosas cruces aut morose trahunt, aut laboriose ferunt.* Hunc sibi itineris ducem seligendum docet Epictetus lib. 3. disp. cap. 26. fol. 369. edition. colon. *Non licet*, ait, *invenire comitem, per quem tutus sis, fidelem, firmum, insidiarum expertem? imo vir prudens ita rem considerat, hanc rationem secum init: si Deo se dederit se iter tuto confecturum.* Subtexit autem statim maxime conducibiliter ad præsens propositum: dare se Deo, esse ad eius voluntatem formare suam. Verba eius sunt: *Quid est illud dedere se Deo? Ut quod voluerit, et ipse velit: et quod noluerit, hoc ipse nolit.* S. August. serm. 1. de S. Vincentio maximam utilitatem ponit huius conformationis voluntatis nostræ cum divina. Non vos, ait teneat voluntas propria, non vos terreat crudelitas aliena, et victus est mundus: ita Augustinus. Unde conclude cum Ioanna Taulero, in omnibus tam spiritualibus, quam corporalibus negotiis a Dei voluntate standum esse: *Si cui*, inquit, *Deus optionem faciat, dicatque: Vis ut te immunem præstem ab omnibus et corporis et animi miseriis, teque paradiso restituam? Non aliud respondendum, quam hoc ipsum: Domine prout vis: et adimere miserias potes et relinquere: hoc autem mihi erit gratissimum, quod voluntati tuæ congruentissimum.*

56. Vers. 9. Gloria Davidis est: I. Deus.

II. Iesus. Secundo, *exurge gloria mea*, id est, Iesus: ita Richard. Pampolitanus: in eo enim vivere et gloriari debet omnis Christianus. S. Ambros. *Gloria Christianorum*, ait, *non in terra, sed in cælo est, et est in Christo.* Allegor. Gloria Christi est corpus eius gloriosum: ita Remigius. O corpus meum, ait, nunc ignominia mea, factum gloria mea, per immortalitatem et impassibilitatem, exurge de sepulcro.

III. Anima. Tertio, *exurge gloria mea*, id est, anima mea: ita R. Kimhi. Anima est gloria hominis, 1. quia spiritualis; 2. quia ornata gratia; 3. quia post mortem corporis cælesti ornanda gloria. Hunc sensum approbavi in Paraphrasis.

IV. Lætitia. Quarto, *exurge gloria mea*, id est, mea lætitia: ita Trevetus. Summa enim est viri fortis gloria in omni fortuna, quantumvis adversa, dicere cum Paulo, Galat. 6. 14. *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Quem locum meditans S. Ambrosius (si tamen auctor est illorum commentariorum in Epistolas Pauli, et non potius Hilarius quidam Diaconus Romanus) ait: *Cuius omnis spes in Christo est, hic gloriatur in cruce eius: huic et mundus crucifixus est, certus amorem crucis Christi vitam esse; mundi vero amorem parere mortem.* Verius Ambrosius lib. 1. de Iacob cap. 8. docet, in ipsis ærumnis esse beatitudinem: *Non frangitur, ait, sapiens doloribus corporis, nec vexatur incommodis: sed etiam in ærumnis beatus manet. Quia non in delectatione corporis vitæ beatitudo, sed in conscientia pura ab omni labe.* Et S. Bernard. serm. 24. in Cantica: *Eris*, inquit, *inter adversa et prospera mutabilium temporum tenens quamdam æternitatis imaginem: utique hanc inviolabilem et inconcussam constantis animi æqualitatem benedicens Dominum in o-*

*

mni tempore. Nec mirum: videt enim vir sapiens et fortis in patientia rerum adversarum esse maius meritum, quam in actione. Ut enim ait S. Bonaventura de grad. virtut. cap. 24. Perfectius est adversa tolerare patienter, quam bonis operibus insudare. S. Pachomius id edocuit Theodorum quemdam, qui ab eo petebat, ut vehementissimum capitis dolorem precibus suis averteret; his enim verbis ad æquitatem mentis eum revocavit. Putasne hunc capitis cruciatum, aut simile quid, sine Dei permissione et voluntate contingere? Sustine, et cum voluerit Deus, medebitur; bona est a cibis abstinentia, bona in egenos beneficentia: plus tamen lucratur æger, cum patiens et longanimis nutum divinum attendit: ita Pachomius. Si tanta patiuntur mercatores, milites, nobiles, ut gloriam et divitias suas augeant, et in ipso suo labore exultant et triumphant, cum finem suum sine illo obtineri non posse videant; quid faciendum nobis est, quibus laboris et ærumnarum terminus est cælum, ac Deus?

57. V. *Et genuine, psalterium et cithara.* Quinto, et optime, *exurge gloria mea*, id est, meum psalterium et cithara: ut statim sequitur. David enim erat excellens psaltes ac citharœdus, unde ad Saulem adductus est, ut eum atra melancholia laborantem recrearet, 1. Reg. 16. 18. David evocatus tollebat citharam, et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saul, et levius ferebat, ut habetur ibidem v. 23. *Musica tollit tristitiam, et morbos curat corporis.* Nam ut ait Cassiodor. lib. 2. variarum epistolarum, cap. 40. musica tristitiam noxiam iucundat, tumidos furores attenuat, cruentam sævitiam efficit blandam, excitat ignaviam soporantemque languorem, vigilantibus reddit saluberrimam quietem, sanat mentis tædium bonis cogitationibus semper adversum. De Pythagora dicit Seneca lib. 3. de ira, cap. 9. Pythagoras perturbationes animi lyra componebat. Quis autem ignorat lituos et tubas concitamenta esse: sicut quosdam cantus, blandimenta, quibus mens resolvatur. Marcianus Capella rem notabilem affert: *Græcorum*, ait, *civitates sanxerunt, ut animorum coporumque morbi ad lyræ modulos curarentur. Unde qui ægris remedia præstabant, olim dicebantur præcinere, ait Macrobius, et Xenocrates lymphatos carminum modulis a dementia liberavit. Paracelsus ait. Ischiaticorum dolores lenibus tibiarum Phrygiæ modulis sedari, tibicinemque modulate canentem, viperarum morsibus mederi.* Secundo, psalterium et cithara erant gloria Davidis; quia illis se excitabat ad devotionem, et præparabat ad recipiendum spiritum prophetiæ; sicut postea Elisæus rogatus a tribus regibus, nempe a Ioram rege Israel, a Iosaphat rege Iuda, et a rege Edom, ut succurreret exercitui præ siti mox perituro, ait 4. Reg. 33. 15. *Nunc adducite mihi psaltem. Cumque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini*, id est, operatio et illustratio Dei; *et ait: Hæc dicit Dominus: Facite alveum torrentis huius fossas et fossas* (id est, multas fossas) *Hæc enim dicit Dominus: Non videbitis ventum, neque pluviam, et alveus iste replebitur aquis, et bibetis vos, et familiæ vestræ, et iumenta vestra. Parumque est hoc in conspectu Domini: insuper tradet etiam Moab in manus vestras. Et percutietis omnem civitatem munitam, et omnem urbem electam, et universum lignum fructiferum succidetis, cunctosque fontes aquarum obturabitis, et omnem agrum egregium operietis lapidibus.* Tertio denique, psalterium et cithara erant gloria Davidis, quia non tantum ipsius animam, et sociorum eius, aliorumque replebant aquis gratiæ et pietatis, sed etiam dæmones expellebant, et a corporibus, ut accidit in Saulo, et ab animabus. Timotheus excellens fidicen, fides pulsando Alexandrum Magnum ita concitabat, ut ad arma procurreret. S. Basil. in prœmio commentar. in Psalmos Davidis: ψαλμὸς δαιμόνων φυγαδευτήριον, *Psalmus*, inquit, *et profligandis dæmonibus, ac depellendis quoddam amuletum, Angelicæ tutelæ conciliator, scutum securitatis inter timores nocturnos, diurnorum requies laborum, infantium tutelaris protectio, consistentium in ætatis flore decus et ornamentum, senum solamen.* Lege S. Ambrosium in Præfat. in Psalm. ubi inter cætera dicit: Psalmus iracundiam mitigat, sollicitudinem abdicat, mœrorem allevat: *Nocturna arma, diurna magisteria, scutum in timore, festum in sanctitate: imago tranquillitatis, pignus pacis atque concordiæ: cithara modo ex diversis et disparibus vocibus unam exprimens cantilenam.* Theophrastus, Academiæ post Aristotelem successor scripsit, quibusdam viperarum morsibus cantus tibiarum aut fidicinum, atque alia organa artis musicæ modulate adhibita, aptissime mederi, quod et Asclepiades medicus litteris prodidit, qui phreneticos mente imminuta et valetudine animi affectos, nulla re magis quam symphonia et vocum concentu ac modulis resipiscere, et sanitati restitui censuit. Fertur quoque Ismenia Thebanus plures Bœotiorum ischiadicos, et coxendicum dolore laborantes, incentione tibiæ bonæ valetudini restituisse. Vitia pellit ex anima Psalmus.

Allegor. Psalterium et cithara est caro Christi. Psalterium est, quia divina operatur: cithara est, quia humana patitur. 58. *Psalterium et cithara est caro Christi.* S. August. in Ps. nostr. *Exurge psalterium et cithara. Psalterium est organum quod quidem manibus fertur percutientis, et chordas distentas habet; sed illum locum, unde sonum accipiunt chordæ, illud concavum lignum, quod pendet et tactum resonat, quia concipit aerem, psalterium in superiore parte habet. Cithara autem genus ligni cavum et resonans in inferiore parte habet. Itaque in psalterio chordæ sonum desuper accipiunt: in cithara autem, chordæ sonum ex inferiore parte accipiunt. Sed quid est psalterium? quid est cithara? Per carnem suam Dominus duo genera factorum operatus est, miracula et passiones. Miracula desuper fuerunt, passiones de inferiori fuerunt; illa enim, quæ fecit miracula, divina erant: sed, per corpus fecit, per carnem fecit. Caro ergo divina operans, psalterium est: caro humana patiens, cithara est. Sonet psalterium, illuminentur cæci, audiant surdi, stringantur paralytici, ambulent claudi, surgant ægroti, resurgant mortui, iste est sonus psalterii. Sonet et cithara, esuriat, sitiat, dormiat, teneatur, flagelletur, irrideatur, crucifigatur, sepeliatur. Cum ergo vides in illa carne quædam sonuisse desuper, quædam de inferiori parte, una caro resurrexit, et in una carne agnoscimus et psalterium et citharam.* Et aliter serm. 3. de temp. Citharam respice, inquit, ut musicum melos sonis dulcibus reddat, tria pariter adesse videntur, ars, manus et chorda: et tamen unus sonus auditur: ars dictat, manus tangit, resonat chorda. Tria pariter operantur, sed sola corda personat, quod audiatur: nec ars, nec manus sonum reddunt, sed ea cum chorda pariter operantur: sic nec Pater, nec Spiritus sanctus susceperunt carnem, et tamen cum Filio pariter operantur: sonum sola chorda excutit, carnem solus Christus accepit: operatio in tribus constat: sed quoniam ad solam pertinet chordam soni redditio, sic pertinet ad solum Christum carnis humanæ susceptio: ita Augustinus.

Tropol. Laudat Deum in psalterio et cithara, qui et in prosperis e cœlo venientibus, et in adversitate ex inferis ant terris veniente Deum laudat. 59. *In psalterio et cithara laudat, qui id facit in prosperis atque adversis.* S. Aug. in Ps. 32. *Confitere Domino in cithara*, inquit, *sive tibi abundet aliquid, gratias age illi qui dedit: sive tibi desit, sive forte damno tibi auferatur aliquid, cithariza securus. Non est enim ille tibi ablatus qui dedit, quamvis tibi ablatum fuerit quod dedit. Etiam sic, inquam, cithariza securus, certus in Deo tuo, tange chordas in corde tuo, et dic tamquam in cithara, in inferiore parte bene sonante: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Ubi adverte, quod chordæ citharæ non sonant, nisi ab omni humore sint expurgatæ. Iob erat spoliatus bonis omnibus, et vix cutis eius ossibus hærebat, ideo siccatus bene resonabat. Sic exsiccati tres pueri in fornace Babylonica cantabant, Dan. 3. *Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum: et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in sæcula.* S. Petrus Damiani opuscul. 45. cap. 4. generatim dicit: Corium non sonat, nisi siccum relinquens humor abscedat. Si ergo vis, ut tympanum vel chorda tua, clarum in auditorum cordibus sonum reddat, omnis a te vitæ carnalis tumor eva-

nescat, mens tua ab omni fluxu luxuriæ arescat: ita ipse.

60. *Psalterium est anima, cithara corpus.* Symbol. Psalterium est hominis anima, quæ est pars eius superior, et mente pervadit cælestia, supernaturalia, et divina: cithara est corpus, quod visibilia Dei opera conspicit, gustat, audit, tangit, odoratur, et ex iis Deum homo laudat; modo se a summis ad ima demittens, modo ab infimis ad summa extollens. Utriquo dicamus: *Exurge psalterium et cithara*, q. d. Noli iacere in terra et luto, cave te somno et labori dedas, surge, te excita, Deo resona et angelis. Bellarminus per psalterium intelligit spiritum: per citharam, linguam: quia, inquit, psalterium ex parte superiori sonum edit, et cithara ex parte inferiori.

61. *Conformitas cum Dei voluntate bonam facit musicam.* Nota, ut psalterium nostrum et cithara, *id est*, spiritus et corpus seu lingua bene resonent, debent intendi a psalte et citharœdo, et se eius voluntati conformare in intensione aut remissione chordarum, in positione sua ac situ, in pulsatione celeri vel lenta, vehementi vel levi: alioqui erit dissonantia. Sic dicebat S. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 457. linguas iustorum a Spiritu sancto, tamquam plectro quodam, percuti: hoc adverte.

I. *In S. Lupo.* Primo, in S. Lupo Trecensi Episcopo; nam cum Attila Hunnorum rex, quem Deus miserat ad flagellandas Gallias, omnia ubique vastaret cum quingentis hominum millibus (quos eduxerat ex Pannonia, quæ Hungaria ab ipso et eius sociis ducibus dicta est) et ad Trecensem urbem in Campania nostra sitam venisset, S. Lupus intrepido vultu illi processit obviam, eique ait: *Salve flagellum Dei*, q. d. Prospere et feliciter nobis advenisti: tunde, tunde peccatorum tympanum, psalterium et citharam, ut Deo hymnum resonent, et terrenis privati de cælestibus cogitent.

II. *In S. Gertrude.* Secundo, cum S. Gertrudis acerbissima pateretur, musicam Deo et angelis acceptissimam reddebat, dicens quotidie trecenties et sexagies: *O mi amantissime Iesu fiat voluntas tua.*

III. *In S. Epicteto et Astione.* Tertio, S. Epictetus et Astion erant Dei psalterium et cithara, qui ad omnes ictus id unum resonabant, *fiat voluntas Dei in nobis.* Ævo enim Diocletiani, Epictetus presbyter et Astion, religiosissimam vitam agentes in Oriente, a Latroniano Almiridensium duce comprehensi, in carcerem ducti sunt. Tunc Epictetus Astioni ait: Si crastino nos iudex in quæstionem rapuerit, mi optime Astion, et de nomine, parentibus, patria interrogarit, hoc unum ei respondeamus: *Christiani sumus, hoc nomen nobis, hoc genus, hæc patria.* Quod si tormentis lacerari nos Deus voluerit, nihil aliud in tormentis nisi hoc dicamus: *Domine Iesu tua voluntas semper in nobis fiat.* Postero die ad tribunal medio foro apparatum evocantur e carcere: Latronianus pro tribunali sedens, universo populo inspectante, quærere instituit, unde domo, gente, patria essent: Ad quæ Epictetus: Christiani sumus, et parentibus editi Christianis. Non hoc quæro, ait Latronianus, nomina vestra edite, sectæ vestræ perfidiam iam ante novi. Hic iterum sancti Martyres: Christiani sumus, Christum Iesum adoramus, detestamur idola. His auditis excandescens Iudex imperat vestibus spoliatos immaniter cædi. Illi elatis in cælum oculis inter cruentas plagas exclamabant: *Domine Iesu, tua voluntas fiat in nobis.* Hic Latronianus acerbe insultans: Ubi est, inquit, defensor ille vester, cuius auxilium imploratis? veniat, et vos manibus meis subducat. Post hæc denuo sancti Martyres exclamant: *Christiani sumus, fiat voluntas Dei in nobis.* His vocibus in rabiem efferatus Iudex in equuleum iubet attolli Martyres, et ungulis ferreis atrociter laniari. Sed neque hic aliæ voces extorqueri poterant, quam hæ ipsæ: *Christiani sumus*, o tyranne *Latroniane, fiat voluntas Dei in nobis.* Iudex, sic vinci, turpe sibi ratus, ardentes faces suspensis admoveri præcepit. Neque tamen iam aliæ voces auditæ quam ante: *Christiani sumus, fiat voluntas Dei in nobis.* His perfuncti cruciatibus reducti sunt in vincula. Spectata hac tragœdia Vigilantius, assessor Iudicis, postquam toties ingeminari audiisset illud: *Christiani sumus, fiat voluntas Dei in nobis*, in eam semet persuasionem adduxit, miræ virtutis

A incantamentum hoc esse, quod omnem doloris vim enervaret, et in ipsis suppliciis supplicia sentiri prohiberet. Hæc ipsa igitur verba, tamquam potentissimum carmen, in omnem noxam, assidue repetere: nec aliud stans, sedens, ambulans, domi, foris, cubitum secedens, aut thoro surgens pronuntiare quam hoc ipsum: *Christiani sumus, fiat voluntas Dei in nobis.* Triduum sic exegit, Deo ipsius velut infantis non mali miserente. Quarta demum die, arcana vi motus in publicum prodiit, et palam vociferari cœpit: *Christianus ego sum, o tyranne Latroniane, fiat voluntas Dei nostri in nobis.* Admissus in carcerem ad Martyres, Christianis sacris imbutus est, cum omni familia: qui, ut suis doctoribus gratus esset, eos postmodum capite plexos sepoliit. Proxima ab hac die Latronianus Epictetum presbyterum et Astionem in conspectum iubet produci, et iam vulpem induens: Num diis, inquit, facitis? an etiamnum in insania vestra perseveratis? Cui Epictetus: Frustra es, Latroniane, erebi monstra non colimus: vitam nobis potius extorseris, quam mentem hanc: diximus,
B et usque millies ac millies dicemus: *Christiani sumus, fiat voluntas Dei in nobis.* Hic demum Latronianus velut leo irrugire, et ad ferales ministros: mox, inquit, huc acetum et salem: faxo, sentiant improbi se vulneratos esse. Et vos ne parcite. Laceros artus aceto et sale confricate. Verum nec voculam a præcedentibus mutarunt Martyres: eadem utriusque constantissima professio: *Christiani sumus, fiat voluntas Dei in nobis.* Sed ab his cruciatibus illæsi denuo in carcerem contrusi sunt, e quo post triginta demum dies educti, et ora saxis contusi, atque fraxineis virgis crudelissimo cæsi sunt. Verum idem etiamnum clamabant ambo: *Domine Deus noster, tua voluntas fiat in nobis.* Tandem in eos suprema sententia dicta, ut extra urbem capite pœnas luerent. Dum ducerentur, his sese mutuis vocibus animarunt: *Laudate nomen Domini, quia facta est voluntas Dei nostri in nobis per omnia.* Cum ad supplicii locum pervenissent, suum illud ingenti voce proclamarunt: Benedictus es Domine, Deus patrum nostro-
C rum, et laudabilis, et superexaltatus; eo quod non humana, sed tua voluntas per omnia facta est in nobis. Iam iamque securi erant feriendi, cum inter generosissimos athletas nobile certamen ortum est: uter gladium prior acciperet, altero alteri primas deferente honoris causa. Hic Epictetus vir sexaginta annorum, etiam canis aspersus, ætatis auctoritate usus, cupere se dixit præmitti Astionem, neque diu refragatus Astion: O mi Pater, inquit, et o Sacerdos Dei venerande, fiat voluntas Dei, et tua. Dixit, et anima conditori commendata, caput amputandum præbuit. Epictetus pronum se abiiciens in Astionis cadaver, illudque arcte complexus, caput et ipse dedit auferendum. Hactenus ex lib. 1. vit. Patrum, cap. 12. usque ad 20.

Ex his conclude in nostra positum esse potestate, semper psalterium et citharam pulsare, cum ipsi simus psalterium et cithara. Hinc S. Chrysostomus Ps. 41. fol. 172. 62. *Semper læti esse possumus.*
Hic, ait, *non opus est cithara, neque nervis extensis, neque plectro, nec arte, nec ullis instrumentis: sed si velis,*
D συ σαυτον εργασης κιθαραν, *teipsum efficies citharam, cum carnis membra mortificaveris, et animæ cum corpore pulchrum concentum effeceris.* S. Petrus Chrysolog. Archiep. Ravennas ser. 93. agens de Magdalena in convivio Pharisæi peccata plangente ad Christi pedes: *Pœnitentia*, inquit, *ponit mensam, fercula compunctionis apponit, panem doloris infert, potum lacrymis temperat in mensura, et ad delicias deitatis totas, totam pulsat cordis sui et corporis symphoniam, organi planctus dat clamorem, citharam per suspiria longa modulatur, gemitus aptat in fistulam: et dum pectus ipsam conscientiam arguens sæpe percutit; facit placitura Deo cymbala personare.*

63. *Conformitas cum Dei voluntate facit diligentes.* Secundus effectus conformitatis nostræ voluntatis cum divina, est diligentia et promptitudo in exequendis bonis inspirationibus a Deo datis, v. eod. 9. EXURGAM DILUCULO. S. Hieron. manc. Hebr. in aurora. R. Rasi vertit, *excitabo auroram*, q. d. Surgam antequam aurora appareat,

eam præveniam, et sic excitabo, ut me sequatur et imitetur. David porro surgebat diluculo, ut oraret, et psalterio suo ac cithara laudes Dei concineret. Rabbini fabulantur iuxta Davidis pulvinar, lectique caput, appensum fuisse psalterium et citharam: mane autem ante auroram ex Aquilonari parte ventum intrare solitum, qui chordas pulsaret, eoque sono Davidem excitaret, qui tunc assiliente spiritu prophetico psalmos conscriberet atque modularetur: solitum vero priusquam somno se dederet, vesperi hæc verba usurpare: *Exurge gloria mea, exurge psalterium et cithara: exurgam diluculo.* Perinde quasi Spiritum sanctum ac psalterium suum citharamque alloqueretur. Rabbinica hæc sunt, sed quæ paululum deflexa usui esse possint; utile enim est lectum petenti opem ad alacrem surrectionem, atque ad matutinam orationem implorare, et prima in aurora Deo hymnos fundere, ut dies ex optatis fluat. Sic de viro iusto ait auctor Eccli. 39. 6. *Iustus cor suum tradidit ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur.* Et Ierem. Thren. 2. 19. *Consurgit, laudat in nocte, in principio vigiliarum: effundit sicut aquam, cor ante conspectum Domini.* Vide dicta Ps. 5. sect. 1.

Rabbini figmentum de Davidis cithara.

64. Allegor. Hæc de Christo intelliguntur, de quo primo dicunt Rabbini, quod nunquam aurora venit super eum, ita ut invenerit eum dormientem. Luc. 6. 12. dicitur: *Erat pernoctans in oratione Dei.* Marc. 1. 35. *Diluculo valde surgens, egressus abiit in desertum locum, ibique orabat.* Secundo, et præcipue, dicit Christus se resurrecturum a mortuis diluculo, id est, post mediam noctem, non præcise, sed paulo ante auroram. Unde Ecclesia canit: *Aurora lucis rutilat, cum rex ille fortissimus, pede conculcans tartara, victor surgit de funere.* S. Prosper in sentent. 203. *Vespere,* inquit, *Dominus in cruce, mane in resurrectione, meridie in ascensione.* Hinc Maria Magdalene, et Maria Iacobi, et aliæ mulieres eum non invenerunt, cum *vespere sabbati,* id est, nocte, quæ sequebatur sabbatum, *quæ lucescit in prima sabbati,* id est, quæ desinit in lucem in prima sabbati, hoc est mane diei Dominicæ, quæ est prima dies post sabbatum, venissent ad monumentum. Huc vocari potest illud Oseæ 6. 3. *Quasi diluculum præparatus est egressus eius.* Ubi Cornel. id explicans de Christi nativitate, affert quinque analogias illius et auroræ.

Allegor. Mane resurrexit Christus.

65. Nota, David etiam de sua cum Christo resurrectione dicebat: *Exurgam diluculo.* Mihi enim non est dubium, quin David statim post resurrectionem Christi resurrexerit, cum dicatur Matth. 27. 52. *Monumenta aperta sunt: et multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Cui enim decus illud convenientius tribuisset Christus, quam ei, cuius se filium dici voluit? in ea opinione est S. Augustinus epist. 99. Unde sequitur, Davidem nunc in cælo esse gloriosum et anima et corpore: neque enim qui cum Christo surrexerunt, iterum sunt morituri, sed cum illo in cælum ascenderunt semper victuri.

Cum eo resurrexit David.

66. Nota secundo, *diluculo* potest significare cito, statim, quamprimum, q. d. David, Exurge gloria mea, id est, psalterium meum et cithara: nam ego ipse exurgam brevi ex hac spelunca, tenebris et calamitate, ad lucem, libertatem et gloriam; 2. ego ipse *exurgam diluculo,* id est, cito ad Deum corde et ore laudandum, et operibus meis glorificandum. Sciebat id quod postea dictum est, Eccli. 1. 8. *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem.* Hoc autem præstat calamitas, quæ a Deo immittitur: est enim stimulus ad virtutem excitans. Unde prodigus fame pressus et incommodis exclamabat, Luc. 15. 18. *Surgam, et ibo.* Et omnibus idem accidere tradit S. Chrysost. hom. 66. *Fastum,* ait, *contrahit, et omnem excindit torporem tribulatio, et ad patientiam ungit, et humanarum rerum vilitatem revelat, et multam introducit sapientiam.* Tribulatio est flagellum tardioribus gradum accelerans, et perfectos ipsos alacrius et contentius ire compellens. S. Petrus Damiani lib. 8. epist. 6. *Magna,* inquit, *electis Dei est consolatio, ipsa divina percussio. Quia per momentanea flagella, quæ perferunt ad nanciscendam supernæ beatitudinis gloriam firmæ spei gressibus convalescunt:* ita ipse. Audi quam veloci gressu et alacri pergeret ad cælestem patriam S. Charitou, cum tyranni iussu nervis cæderetur: *Si,* ait, *fieri posset, ut millies morerer pro meo Salvatore, lubenter id susciperem, prompto et alacri animo,* sicut refert Metaphrast. 28. Septembr. Eodem mentis vigore erat S. Chrysostomus, qui ad Theodorum lapsum scribens, ait: *Si quotidie foret infinities moriendum, ferendum tamen esset.*

Diluculo pro cito.

67. Tertius effectus conformitatis voluntatis nostræ cum divina, est gratiarum actio in omni loco, et apud omnes. Vers. 10.
Hoc se facturum dicit David v. 10. CONFITEBOR TIBI IN POPULIS DOMINE, ET PSALMUM DICAM TIBI IN GENTIBUS. Primo, per populos et gentes intelligit Lorinus solos Iudæos, coram quibus publice et palam cuperet David ab exilio liber laudes divinas celebrare. Secundo et melius, *populos* sume pro Iudæis, partim pro sexcentis viris, qui erant cum ipso in spelunca Engaddi; partim pro cæteris omnibus: *gentes* intellige Philisthæos, ad quos meditabatur fugam. Eam tamen non iniit, nisi post duos annos. Nam anno Saulis regis decimoquinto in spelunca Engaddi, fugit vero ad Achis regem Geth anno eiusdem decimo octavo et ultimo. Sensus itaque est, *Confitebor tibi in populis et gentibus,* id est, ubique locorum, ubicumque degam, sive in Iudæa, sive apud Philisthæos, aliosve gentiles, te laudabo meis psalmis.

Allegor. S. Gregorius Nyss. tract. 2. in Psalmos, cap. 14. Ruffinus et Rickelius, per populos intelligunt Iudæos Ecclesiæ aggregandos: per gentes, eos, quos proprie gentiles seu ethnicos appellamus. Apud hos omnes Deum laudant, et Christus per se et Apostolos, et David per suos Psalmos. Hoc magis placet; nam *populus et gentes* pro iisdem sumi volunt S. Basilius, S. Augustinus, et Cassiodorus. 68.

Nota, in adversis Deum laudare, est viri fortis: in prosperis, id facere quilibet potest. Cum enim ridet cælum, favent venti, mare obsecundat, tum passis velis cedentes undas facili lætoque sulco etiam imperiti nautæ dividunt, alacrique celeusmate ad portum feruntur: si vero nubibus aer obducatur, insonent venti, tumultuentur fluctus, vela contrahunt, et timore gelidi torpescunt. Periti autem nautæ eam sibi gloriam ducunt, cum in tempestatem inciderint, et diligentia sua ac solertia securitatem afferunt trepidantibus. Vir iustus instar Delphini elato et furente mari eminet, et liberas auras captat. S. Augustinum in Ps. 32. audi: *Discite gratias agere Deo, et in prosperitatibus, et in tribulationibus. Discite habere in corde, quod habet omnis homo in lingua: Quod vult Deus. Ipsa lingua popularis plerumque est doctrina salutaris. Quis non quotidie dicit? Quod vult Deus, hoc agat.* 69.

Gratiæ Deo agendæ in ipsa adversitate.

Illustre S. Charitonis factum, et Dei erga illum paterna providentia. Cum enim a latronibus captus esset, atque in spelunca vinctus, fudit preces, *ac Deo egit gratias,* molestias libenter suscipiens, propter eam quæ illinc speratur remunerationem. Cum hæc præstaret, vipera in vas vino plenum proserpens, ad satietatem ex eo bibit; deinde non secus atque mali homines pro beneficio malum reddens, et potum veneno remunerans, recessit. Latrones autem cum ex prædæ conquisitione domum rediissent, præ siti æstuantes avide merum exhauriunt, atque illico moriuntur. S. Chariton liberatus locum illum in Ecclesiam convertit: ita Metaphrast. 27. Septemb. in eius vita. David quoque erat in spelunca, cum dicebat: *Confitebor tibi Domine.*

Id facit S. Chariton.

Voluntas Dei opponenda est omnibus agitationibus mentis. Seneca epist. 98. hoc docet: *Sive alios observare volueris, sive teipsum, favore seposito, et senties hoc et confiteberis, nihil ex his optabilibus et charis utile esse, nisi te contra levitatem casus, rerumque casum sequentium instruxeris: nisi illud frequenter et sine querela, inter singula damna dixeris: Deo aliter visum est.* Epictetus ethnicus in Dei voluntatem sua refert omnia, eique uni ac-

quiescit, lib. 3. disputationum, cap. 5. fol. 255. *Ægrotavi*, ait, *quia voluisti. Ægrotarunt et cæteri, sed ego volens:* Πενης εγενομην σου τελοντος, αλλα χαιρων: *Pauper fui te volente, sed lætus. Non imperavi, quia tu voluisti: nunquam imperium appetivi. Numquid me unquam hac de causa tristiorem vidisti? Nunquam vultu nimis hilari ad te accessi? Paratus, si quid mandes, si quid imperes. Vis me nunc ludorum celebritate abire? abeo. Gratiam tibi quam possum maximam habeo, quod me dignatus es ad ludos tuos admittere, et ad spectanda opera tua, et administrationem tuam intelligendam. Hæc me cogitantem, hæc scribentem, hæc legentem occupet mors.*

70. *Vers. 11. Deus adversa immittens patrem se probat.*

Quartus effectus conformitatis voluntatis nostræ cum divina, est cognitio divinæ bonitatis in ipsa adversitate, vers. 11. QUONIAM MAGNIFICATA EST USQUE AD CÆLOS MISERICORDIA TUA, ET USQUE AD NUBES VERITAS TUA. De hac locutione dixi Ps. 35. 6. Itaque nihil hic addam.

Nota, in ipsis afflictionibus est Dei paterna misericordia. B. Iacoponus dicebat, Hoc indicium se divini amoris accipere, si Deus ipsi negasset, quod ardentissime petiisset. S. Lydwina quoque innumeris morbis exercitata hoc identidem dictitabat: *Hoc mihi Domine acceptissimum erit, ut affligens me dolore non parcas.*

Misericors est crudelitas, cum vitem rescindit vinitor, cum granum abiicit agricola, cum arborem ventus agitat: his enim fertilitas et robur comparatur. Affundit tamen etiam oleum vulneri benignus medicus; et tribulationes unctione gratiæ et gloriæ cælestis expectatione Deus temperat. Richardus a S. Victore tract. 3. de erudition. interior. hominis, cap. 6. *Si*, ait, *in tribulatione deficis, nimioque labore fatigaris, habes gloriæ unctionem, unde fatigationis tuæ dolorem lenire possis.* S. Eucherius hom. 1. de S. Stephano: *Dum*, inquit, *occupatur in stupore et amore cælestium, merito ingruentium non turbatur duro imbre saxorum.*

71. *Vers. 12. Gloria Dei est, ut eius voluntati conformemur.*

Quintus denique effectus conformitatis voluntatis nostræ cum divina, est desiderium gloriæ Dei, v. 12. EXALTARE SUPER CÆLOS DEUS, ET IN OMNEM TERRAM GLORIA TUA. Ut enim ait S. Anselm. corona Dei est, ut eius voluntas fiat in omnibus, tam prosperis quam adversis. Verba eius sunt, cap 8. similitudin. *Solus Deus quidquid vult, debet velle propria voluntate: ita ut aliam quam sequatur, non habeat supra se. Cum igitur homo vult aliquid per propriam voluntatem, Deo aufert quasi suam coronam: sicut enim corona soli regi competit, sic propria voluntas soli Deo: et quemadmodum regem gravissime læderet, qui coronam ei auferret: sic homo Deum plurimum offendit, qui sibi rapit, quod Deo convenit. Sed sicut propria voluntas Dei, fons est et origo totius boni; ita propria voluntas hominis, totius est exordium mali.* S. Augustinus in Ps. 131. Nihil, inquit, gratius Deo offerre possumus, quam ut dicamus, quod dicitur in Isaia: Posside nos: ita Augustinus. Hoc nos dicamus omnes, si Deum tota æternitate possidere volumus.

PSALMUS QUINQUAGESIMUS SEPTIMUS.

1. IN FINEM. NE DISPERDAS, DAVID IN TITULI INSCRIPTIONEM.

2. Si vere utique iustitiam loquimini: recte iudicate filii hominum.
3. Etenim in corde iniquitates operamini in terra: iniustitias manus vestræ concinnant.
4. Alienati sunt peccatores a vulva: erraverunt ab utero, locuti sunt falsa.
5. Furor illis secundum similitudinem serpentis: sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas.
6. Quæ non exaudiet vocem incantantium: et venefici incantantis sapienter.
7. Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum: molas leonum confringet Dominus.
8. Ad nihilum devenient tamquam aqua decurrens: intendit arcum suum donec infirmentur.
9. Sicut cera quæ fluit auferentur: supercecidit ignis, et non viderunt solem.
10. Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum: sicut viventes sic in ira absorbet eos.
11. Lætabitur iustus cum viderit vindictam: manus suas lavabit in sanguine peccatoris.
12. Et dicet homo, si utique est fructus iusto? utique est Deus iudicans eos in terra.

PSALMI QUINQUAGESIMI SEPTIMI ANALYSIS.

David a Saulis consiliariis, velut reus læsæ maiestatis condemnatus, exponit:

- Malitiam illorum, quos
  - Hortatur
    - Ut ore vera loquantur. 2.
    - Ac mente recta iudicent. 2.
  - Arguit
    - Ob cordis malitiam. 3.
    - Manuum, seu operum iniustitiam. 3.
    - Intellectus depravationem perpetuam. 4.
    - Oris mendacia. 4.
    - Corporis totius venenum, 5.
      - Ut serpentis. 5.
      - Aspidis præsertim. 5.
      - Ad incantationes surdæ. 6.
- Ac pœnam meritam, cum sint,
  - Serpenti similes, dentibus carenti. 7.
  - Leoni, maxillis fractis. 7.
  - Torrenti, terra absorpto. 8.
  - Homini, telis confosso. 8.
  - Ceræ, diffluenti. 9.
  - Cæco, fulmine ambusto.
  - Spinis, excisis. 10.
- Et lætitiam iustorum
  - Interiorem
    - Visa Dei ultoris iustitia. 11.
    - Et sua de hostibus victoria. 11.
  - Et exteriorem
    - Mercede actionum suarum percepta. 12.
    - Et Dei iudicantis gloria cognita. 12.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. In finem. Ne disperdas, David in tituli inscriptionem.

1. Argum. Psalmi quale? I. De Titulo egi in Psalmis præcedentibus, restat ut investigemus Psalmi argumentum. Primo, Euthymius et Nicephorus dicunt, idem esse cum argumento Psalmi præcedentis, et ideo titulum esse eumdem prorsus.

II. Secundo, et melius, R. Salomon, Lyranus, Aiguan. et Lorinus, Argumentum, inquiunt, est acris obiurgatio iniquorum cum comminatione horrendæ vindictæ Dei: e contrario cum prædictione de præmiis iustorum, fructuque iustitiæ. Occasionem Psalmo datam fuisse volunt, quod, cum iterum licuisset Davidi Saulem, qui eum indicio sibi facto a Ziphæis persequebatur in deserto Ziph, interficere, ablata clam hasta scyphoque illius, et Abneri exprobrasset, vociferando, negligentiam in Saule custodiendo: Saul vero cognita Davidis generi sui voce, benedixisset ei, ac innocentem pronuntiasset; se autem stultitiæ atque iniuriæ damnasset: nihilominus non destiterit postea ipsum persequi Saul cum suis, et factis malis contraria dictis bonis verisque demonstrare: cumque toties iurasset remissurum se inimicitiam, iuramenta violaret. Extat hæc historia lib. 1. Regum cap. 26. Hæc illi valde probabiliter.

III. Et optime. Tertio tamen, magis arridet R. David Kimhi, qui censet occasionem scribendi huius Psalmi fuisse condemnationem Davidis in publico concilio, in quo reus læsæ maiestatis ab Abnere, patruele Saulis, aliisque principibus et nobilibus esset iudicatus: post quod iudicium in bona eius invaserint, eumque armis sint persecuti, licet in privatis colloquiis eum dicerent esse innocentem.

2. Allegor. Allegor. Psalmus hic scriptus est contra Iudæos, qui Christum ad mortem condemnarunt contra suam conscientiam: et præsertim, contra Pilatum et eius assessores iudices. Nam Pilatus eum condemnans ad crucem, sæpius proclamavit esse innocentem, Luc. 23. 4. Illis benedicitur: *Si vere utique iustitiam loquimini, recta iudicate.*

3. Tropol. Tropolog. S. Hilarius, increpatio, ait, in impios est, et denuntiatio iudicii Dei in peccatores, et retributio lætitiæ A in sanctos, et fructus omnis iustitiæ continetur. Secundo, Hugo agi hic putat contra malos iudices et Prælatos. Tertio denique, S. August. contra hypocritas, qui vere loquuntur de vitio fugiendo, et sectanda virtute, sed contrarium faciunt. Verba eius sunt: *Furtum bonum est? Non. Interrogo, Adulterium bonum est? Et omnes clamant, Non. Homicidium bonum est? Omnes clamant, detestari se. Concupiscere rem proximi bonum est? Non, vox omnium est. Aut si adhuc non confiteris; accedit qui concupiscat rem tuam; placeat tibi, et responde quod vis.* Ostendit deinde ab omnibus probari et laudari virtutem, ac subdit: *Si aliter agis quam loqueris, bona loqueris, et mala iudicas. Si enim agis, quomodo iudicas, interrogatus quid sit melius, aurum, an fides, non usque adeo perversus et devius es ab omni veritate, ut aurum melius esse respondeas. Præponis ergo auro fidem. Locutus es iustitiam, audi Psalmum: Si vere ergo iustitiam loquimini, recta iudicate filii hominum.* Hæc fuse amplificat: ipsum consule: in principio dixerat, omnibus tamquam in concione generis B humani veritatem clamare: Si vere utique iustitiam loquimini, recta iudicate filii hominum. S. Athanasius scribit Marcellino, hunc Psalmum esse dicendum ad confusionem hypocritarum.

Nota, S. Gregor. Nyss. tract. 2. cap. 15. præfert hunc Psalmum præcedentibus, qui eodem sunt titulo; aitque, in eo non tam adversariorum devictionem tractari, quam abundantiam bonorum, quæ ex victoria consequitur: et non amplius Davidem querelas exponere de conculcantibus inimicis, aut misericordiam in subsidium advocari, sed altius erectum velut e specula quadam excelsa, his qui infra in huius humanæ vitæ vallibus degunt, reprehensionis modo intonare. Titelmanus ait, Psalmum hunc magna et admodum singulari vehementia contra impios iniqua cogitantes, loquentes et operantes invehi. 4. Laus huius Psalmi.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

5. Tria complectitur. Primo, iniquorum iudicum, Davidem velut reum maiestatis condemnantium, flagitia, vers. 2. Secundo, iustam illis a Deo inflictam poenam, vers. 7. Tertio denique, Davidis et iustorum lætitiam et remunerationem, vers. 11.

SECTIO PRIMA.

Duo continet. Primo, exhortationem ad iudices, ut bene iudicent, vers. 2. Secundo, scelera illorum aperit et detestatur, vers. 3.

PARAPHRASIS.

2. *Si vere utique iustitiam loquimini, recta iudicate filii hominum.*

2. Si, ut officii vestri splendor et dignitas exigit, vere iustitiam exercetis, atque ex æquitate cuncta decernitis; nunc in mea causa quod iustum est, statuite, cum sitis homines, quos humanitas, et cum recta ratione conformatio decet.

3. *Etenim in corde iniquitates operamini: in terra iniustitias manus vestræ concinnant.*

3. Sed proh dolor! hoc unum mente agitatis, ut insontes iniquis iudiciis vano pietatis et virtutis obtentu opprimatis. Omnem Saulis ditionem vestris manibus, vestraque auctoritate conscripti libelli pervolitant, quibus nefaria fraude reus declarer.

4. *Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa.*

4. Nec mirum est, si tanta impietate in me grassemini, cum ab ipsa infantia, primoque in lucem exortu, a Dei præceptis fueritis alieni. Utero materno effusi a via veritatis aberrastis, atque in mendacii vos spineta perpetuo induistis, in quibus etiamnum hæretis.

5. *Furor illis secundum similitudinem serpentis: sicut aspidis surdæ, et obturantis aures suas.*

5. Non minore sævitia in me meosque irruistis, quam dirus coluber, qui iacentem vellicat, venenoque perfundit. Neque ullis vos deliniri, atque ab errore et rabie deduci rationibus sinitis: sed instar aspidis, quæ surdam se efficit, auresque occludit, me perpetuis ictibus compungitis.

6. *Quæ non exaudiet vocem incantantium: et venefici incantantis sapienter.*

6. Neque enim vocem meam ac sociorum auditis, qua intelligatis quid mihi sit iuris: sed aspidem eamdem imitamini, quæ obseratis auribus sonum eorum non percipit, qui carminibus arte compositis, et blanditiis prudentibus eam a veritate vellent deducere.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta malorum iudicum perversitas.

6. Ordo Sectionis. David in asperetis et saltibus, ferarumque spelæis inopem atque sollicitam vitam trahens, consiliarios Saulis, iudices suos, incusat: quod, cum iustitiæ partes sustineant, tot tamen vitiis scateant, et innoxium exagitent. Monet eos itaque, ut demandati sibi muneris memores a iustitia non deerrent, v. 2. *Si vere utique iustitiam loquimini, recta iudicate filii hominum.*

Secundo, illos depingit variis circumseptos dæmonibus, qui præcipuas partes occupent, in quibus iustitia et omnis virtus effulgere deberet.

Primum dæmonem statuit, malitiam, quæ cor eorum agitet, v. 3. *Etenim in corde iniquitates operamini.*

Secundum vero, iniustitiam, quæ manus insideat, easque moveat: *In terra iniustitias manus vestræ concinnant.*

Tertium, stultitiam, qua a recta ratione et Deo alienentur, quæque oculum dextrum teneat, v. 4. *Alienati sunt peccatores a vulva.*

Quartum, ignorantiam, qua de via veritatis et iustitiæ aberrent, et quæ oculum sinistrum excæcet: *Erraverunt ab utero.*

Quintum, mendacium, quod os incestet ac linguam: *Locuti sunt falsa.*

Sextum, crudelitatem, quæ dentes venasque omnes et medullas permeet, instar veneni in obvios quosque fundendi, v. 5. *Furor illis secundum similitudinem serpentis.*

Septimum, contemptum pauperum, qui autem dextram funestet, atque gemitibus inopum et afflictorum obsepiat: *Sicut aspidis surdæ.*

Octavum denique, contemptum Dei, qui auri sinistræ insistat, eamque Dei monitis et vocibus claudat: *Et obturantis aures suas.*

Sic constituti iudices Davidem condemnantes, nullis
A potuerant precibus vel rationibus ab iniquo suo decreto dimoveri, v. 6. *Quæ non exaudiet vocem incantantium: et venefici incantantis sapienter.*

ARTICULUS I.

Iudicum malorum insectatio et vitia.

Malignam consiliariorum Saulis hypocrisim non sustinens David, exclamat v. 2. Si vere (Hebr. num vere) utique iustitiam loquimini, recta (Ruffinus, Beda, Glossa, *recte*. In Constitutionibus Caroli Magni, et Arnob. *iuste*. Psalter. Rom. et Cassiodor. *iusta*) iudicate filii hominum, q. d. Si vera sunt ea, quæ dicitis in privatis colloquiis, in quibus me esse innocentem asseritis, sententiam ferre iustam pro me, non contra me. Ubi adverte, probabilissimum esse, ac pene certum a Saule institutum esse iudicium contra Davidem velut transfugam, regni perturbatorem, a Samuele in regem unctum, in hostilem
B regionem se recipientem, milites congregantem contra se regem suum, in eo autem iudicio Davidem fuisse condemnatum, velut perduellem, ad privationem bonorum et vitæ: unde erepta est illi Michol et data Phaltieli filio Lais in uxorem. In hos itaque iudices, contra propriam conscientiam iudicantes, agit David hoc in Psalmo. 7. Vers. 2.

Nota, pro *utique*, Hebr. est אלם *elem*, id est, congregatio, multitudo; 2. mutus; 3. adverbialiter sumitur et significat, utique, id est, certe, profecto, prorsus. Varietas versionum. Hinc primo Pagnin. vertit: *Num vere o congregatio, iustitiam loquimini?* Secundo, Felix: *An certe mutam iustitiam loquemini?* Chald. qui legerat אלם *illem*, id est, obmutuit, vertit: *Num revera, quia siletis iusti in tempore contentionis, videtur vobis quod iustitiam loquamini?* Sic sermonem dirigeret ad amicos nimis timidos, qui non auderent Sauli innocentiam eius explicare. Sed melius, ut dixi, alloquitur iniustos iudices a quibus fuerat conde-

mnatus: et in hoc fuit typus Christi innocentis a Iudæis et Pilato damnati. Tertio denique, commodius Noster, Sept. S. Hier. et alii vertunt: *Si vere utique iustitiam loquimini, recta iudicate filii hominum.*

8. Iudices cur vocat filios hominum. Quæres, cur illos iudices vocat filios hominum? Primo, ut non intumescant, ob dignitatem suam et favorem regis: sed meminerint se esse humum, et mortales. Secundo, ut intelligant supra se esse iudicem Deum in cælo habitantem, qui vasa habeat ad gloriam, et vasa quæ in virga ferrea conterat ad contumeliam, et quæ ad vilia, ut lutum deputet. Tertio, *filii hominum* dicuntur, ut meminerint humanitatis. Quarto denique, ut rectam rationem sequantur. Ubi adverte, quod iustitia vocatur etiam æquitas; quia est æqua, plana, recta, cuique suum tribuens sine acceptione personarum: Iniustitia autem dicitur iniquitas, q. d. Inæqualitas: est itaque contorta, obliqua, flexuosa. Deus porro iubet Levit. 19. 15. *Non facies quod iniquum est, nec iniuste iudicabis. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Iuste iudica proximo tuo.* Moses legislatorum omnium quos noverimus primus, dicit se hoc imperasse principibus, tribunis, centurionibus, quinquagenariis et decanis, Deuter. 1. 16. *Præcepique eis dicens: Audite illos, et quod iustum est, iudicate: sive civis ille sit, sive peregrinus. Nulla erit distantia personarum: nec parvum audietis, ut magnum: nec accipietis cuiusque personam, quia Dei iudicium est.* Vide dicta Ps. 2. sect. ult.

9. Ægyptii reges tenebantur iudicare secundum leges. Ægyptii, qui multa ab Hebræis mutuati sunt, id quoque legibus suis inseruerunt: ne regibus quidem licitum esse pro arbitrio suo iudicare, sed illos ipsos obligari ex præscripto legum, et vitam suam componere, et vitam aliorum moderari. Diodor. Siculus id testatur lib. 1. suæ Bibliothecæ, fol. 64. *Admirabile erat,* inquit, *quod nec iudicare, nec quidvis agere, nec punire quemquam ex petulantia, aut ira, aliave iniusta causa, contra quam de singulis sancitæ leges iubebant, ipsis liceret. Hæc cum more tenerent, tantum abfuit, ut indigne ferrent, aut animo offenderentur: ut contra beatissimam se vitam agere existimarent; alios enim mortales temere affectibus indulgentes, multa cum damnis aut periculis coniuncta peragere: imo nonnullos sæpe, etiamsi peccaturos se præsciant, amore tamen, vel odio, vel quacumque perturbatione animi subactos, nihilominus mala perpetrare: se vero, regulam vivendi a prudentissimis viris approbatam amplexos ab officio minimum aberrare statuebant.* Eam ob rem, summam erga eos benevolentiam subditorum declarat. Non defuerunt tamen reges in Ægypto, qui ob crudelitatem suam privati sunt sepultura in pyramidibus, quas in eam rem erexerant.

10. Iudicum Ægypti æquitas. Iudicum quoque diligentiam in Ægypto, ac virtutem declarat idem Diodorus fol. 68. *Iudiciis vero,* ait, *diligentiam non vulgarem adhibent: quod sententias pro tribunali pronunciatas,* ηγουνται μεγιστην ροπην κοινω βιω φερειν προς αμφοτερα. *maximum vitæ communi momentum afferre in utramque partem censent. Nam haud obscurum ipsis erat, si facinorosi punirentur, et iniuria oppressis auxilium ferretur, optimam hanc delictorum emendationem fore. Et contra, si terror a iudiciis impendens sceleratis, vel pecunia vel gratia everteretur,* εσομενην τωρον κοινου βιου συγχυσιν, *confusionem universæ hominum societatis eventuram, prospiciebant.*

Scytharum iustitia. Scythæ, qui cum Ægyptiis de antiquitate apud Iustinum aliosque contendebant, iudices quoque suos æqui servantes esse cupiebant. Herodot. lib. 4. rem exponit: *Incolunt,* ait, *sub excelsorum montium radicibus homines, qui ab ipso natali dicuntur esse calvi, mares pariter et fœminæ, quibus non multum est pecorum, utpote non studiosis rei pecuariæ. Sub arbore quisque cubat: per hyemem quidem, ubi pileo albo firmoque arborem contexerint: per æstatem vero sine hoc pileo. His nemo mortalium infert iniuriam:* ιεροι γαρ γινονται. *Sacri enim dicuntur, nihilque martiorum armorum possident. Iidem et finitimorum controversias dirimunt, et quisque ad eos confugit, is a nemine læditur. Nomen eis est Argippæi:* ita ibi. Apud Iudæos e tribu sacerdotali iudices eligebantur: apud Gallos Druidæ et sacerdotes erant et iudices: quod inter multos populos usitatum erat, ut iudicia veluti res sacræ sancte administrarentur. Sacerdotes sunt Iudices templi, 1. Iudices sunt sacerdotes curiæ: ut sic loquar.

Christianos longe potiori iure in iustitiæ sinceritate servanda occupari addecet. Memorabile est, quod Panormitanus de rege Alphonso refert in eius rebus gestis: scilicet, cum Aragoniæ et Siciliæ imperaret, tanta moderatione utebatur, ut præsides Provinciarum, ac iudices omnes admoneret; ne quod decretum, aut rescriptum a se factum servarent, nisi quod iure et honestate uteretur. Idem scripsit olim ethnicus Antiochus III. Syriæ rex, imperii sui urbibus. Et Antigonus rex dicenti, regibus omnia honesta esse, ac iusta esse. *Per Iovem,* inquit, *sed barbaris: nobis vero, ea tantum honesta quæ honesta sunt: et iusta, quæ iusta.* Dicamus omnibus: *Recta*, Ps. Rom. iusta, *iudicate filii hominum.* Et Alphonsi regis.

Post admonitionem factam iniquis iudicibus, subdit David eorum scelera. Ac primo, dicit eorum cor esse officinam cyclopum, in qua iniustitiæ arma cudantur, v. 3. ETENIM IN CORDE INIQUITATES (id est, iniqua iudicia, ut exposuit Hugo; 2. quaslibet iniquitates) OPERAMINI, id est, cogitatis operari; 2. vere operamini: formalis enim iniquitas est in corde, hoc est, in voluntate: iniquitas vero exterior est tantum quid materiale. Unde Deus præcipue cor examinat et indicat. S. Hilar. *Solet iniquitas,* inquit, *sub publicæ conscientiæ pudore non peragi: ideo licet complexæ manus non sint iniquitatem, tamen iniquitatem Deo cor operatur in terra. Hinc adulterium solo conceptum corde iam crimen est: hinc secundum Pauli Evangelium secreta hominum Deus iudicat, voluntates hominum Deo in ipsis humanæ nativitatis exordiis contuente. Nam cum naturæ potentis virtus, non tam viscerum fibras, quam appetitus mentis introeat: necesse est, ut non per motus sensuum prospiciendi sumat exordium, sed per naturæ scientiam etiam futuros motus sensuum præsciens apprehendat.* S. Augustin. etiam in Psal. nostr. breviter multa dicit. Quidquid vis, ait, et non potes, factum Deus computat. Arabs vertit: *Per cogitationes cordium vestrorum pravas, committitis iniquitatem in terra.* Singulæ cogitationes stricturæ sunt stygiorum chalybum; et scintillæ, quæ fœneas plebeiorum mentes amburant, et mutuis dissidiis urbes incendant, ac tenuiorum fortunas devorent. Pro *operamini*, Hebr. est *operabimini*, q. d. Tota vita vestra fornax est æstuans, ex qua uno die telum, alio ensem, alio falcem, aut nociva arma educabis. Cor est illius fornacis officina, et desideriorum ardentium receptaculum. S. Macarius homil. 15. *Cor,* inquit, *cum sit infinitæ profunditatis, ibi sunt triclinia cubicula, fores, vestibula, ministeria multa, et exitus multi. Ibi est officina tum iustitiæ, tum iniquitatis: ibi est bona negotiatio, et contraria: ibi est mors et vita, magna domus, et perplexa.* Malo cordi præsidet dæmon, et illo utitur velut tribunali, ut ibi iniqua iudicia exerceat. Thomas a Kempis part. 1. serm. 7. *Cor instabile,* ait, *et a bonis cogitationibus vacuum, nidus est diaboli.* Bono autem cordi se iungit Christus, illudque adiungit sibi Ludovicus Blosius in regula tyronis spiritalis ss. 5. num. 2. *Opera,* inquit, *atque exercitia sua divino cordi Christi emendanda perficiendaque commendet.* 11. Vers. 3. 1. Pars. Cor iniquorum iudicum est: 1. Officina cyclopum.

Iudici præsertim debet esse cor amplitudine maximum, ut totius populi quærelas et dolores capiat: charitate ardentissimum, ut iniectas litigantium iras et perturbationes excoquat, atque ad rationis puritatem revocet. Hinc Salomon cor capax ad reddenda iudicia postulat a Deo. Lib. 3. Reg. 3. 9. *Dabis ergo servo tuo cor docile* (id est, mentem quæ doctrinam excipiat: cor prudens, intelligens et sapiens. Hebr. cor audiens) *ut populum tuum iudicare possit.* Deus vero ait illi v. 12. se dedisse ipsi cor sapiens et intelligens, in tantum, ut nullus ante eum similis ipsi fuerit, nec post eum surrecturus sit. Cap. 4. 29. etiam ad- Iudicis boni cor quale esse debeat.

ditur: *Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, et prudentiam multam nimis, et latitudinem cordis, quasi arenam quæ est in littore maris.* Si mundus hic oceanus est, variis intumescens fluctibus et naufragiis infamis; iudices sunt variis in locis interspersæ insulæ ac portus, ad quos iactati tempestate mortales perfugiant. Si mundus terra est arboribus, animalibus, urbibus ac montibus gravis: iudices sunt anterides et columnæ, quibus fulciatur. Si mundum censueris esse cælum distinctum stellis, illuminatum sole, luna emicans; arbitrare, iudices esse polorum instar, qui volubilem ac versatilem hanc massam circumagant et sustentent. Summo autem studio videndum est, ne portus importuni sint, ne cariosæ trabes, et dissilientes axes omnia susdeque evertant. In iudicis corde debent esse virtutes cardinales, quæ et ipsum sustentent et aliis utile efficiant. Philo, lib. de Iudice: Ὀφειλει, ait, δικαστης αναπλεως ειναι δικαιοσυνης ακραιφνους: *Iudex ipse debet esse plenus iustitia, si alii ius administraturus est; a quo, ceu fonte, promanant fluenta legum dulcia, et potabilia sitientibus iustitiam. Hoc ita demum fiet, si is qui ad iudicandum ascendit tribunal, assumat prudentiam ne decipiatur; iustitiam, ut suum cuique tribuat: fortitudinem, ne flectatur precibus aut misericordia, quo minus animadvertat in convictos sceleris. Nam cuicumque virtutes hæ cordi fuerint, bene meritus de Republica existimandus est.* Sed verendum est, ne sæpe dici possit, quod habetur Dan. 13. 5. *Egressa est iniquitas de Babylone, a senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum.* Omnis civitas, in qua sunt iudices impii, est Babylon; id est, confusio.

12. Vers. 3. 2. Pars. II. Manus iniquorum iudicum est rapinarum rete. SECUNDO, manus iniquorum iudicum, est rapinarum rete, vers. eod. 3. IN TERRA INIUSTITIAS (Hebr. חמס *chamas*, hoc est violentiam, rapinam, calumniam, oppressionem, iniquitatem, iniustitiam) MANUS VESTRÆ CONCINNANT, id est, commiscent, adoptant, accommodant. Itaque τo *concinnant* denotat Primo, multitudinem et intricationem variarum iniustitiarum, quas iniusti iudices et advocati faciunt. Cinnus enim, ut ait Festus, est commistio: et quidem proprie rerum liquidarum. A nonnullis cinnus censetur esse potionis genus, ex multis liquoribus confectum, quod κυκεωνα Græci vocant. In tribunalibus iniquis propinatur iniustitia, in poculo aureo, sed venenato. Secundo, *concinnant*, notat artificium, subtilitatem et industriam ad tegendas iniustitias, ita ut non appareant, sed pro iustitiis capiantur. Nam, ut ait Alexander Neapolitanus lib. 4. cap. 15. Concinnator litium is est, qui novas lites simulatis captionibus, et cavillis improbis in longum ducere molitur, cum sibi iure agere non liceret. Concinnare enim est rem effictis mendaciis, omnibus lenociniis perpolire: sicut is, qui unguentis delibutus, madenti coma et capillo composito conspicitur: ita Alexander. Plinius in proœmio hist. natur. docet, vocari eleganter a Catone vitiligatores, a vitiis et litigatoribus voce composita: *quid enim, ait, quam litigant, aut litem quærunt?* Vitiligatores itaque sunt vitiosi litigatores, litium avidi, et iis calumniam et fraudem admiscentes.

Concinnator litium quis? — *Vitiligatores.*

Secundo, Græce aliud ponitur simile. Septuag. enim vertunt συμπλεκουσι; id est, simul nectunt, veluti retia scilicet. S. August. legit, connectunt. S. Hilar. complectuntur. Verti possit, complicant, mutuo complexu iungunt, apte componunt. Curiam iudicialem immensum et agitatum mare existima, in quo pauperculi et ignari agricolæ, opifices, et alii iactantur, velut in mediis fluctibus pisciculi: in navium vero diversarum foris, proris, ac puppibus, tum causidici, tum iudices sedent, manibusque plectunt retia, quibus ludibundos illiciunt, suosque in usus exenterent: atque ex iis, non trientem aut staterem, sed plurimos nummos exprimant.

Hebraica vox תפלסון *thephallesun*, seu *thephallesu* (nun enim ibi est paragogicum, seu addititium, ad elegantiam) alludit ad iustitiæ libram, quam manu tenere debent iudices, ut in utraque bilance ponant litigantium rationes, easque ponderent, ut ad æqualitatem et æqualitatem omnia redigant ac dirigant. Nam *phalas* significat, 1. libro, pondero; 2. regulo, rectifico, dirigo: unde R. Kimhi dicit *pheles* esse rectitudinem bilancium; hoc videlicet, quod manu sua tenet, qui ponderat, in cuius medio est lingula bilancium. Hinc S. Hieronym. vertit, *Iniquitates manus vestræ appendunt.* Pagninus, *In terra iniquitatem manuum vestrarum appendetis.* Ubi obiter adverte, quosdam τo *in terra* sic iungere: sed melius Noster, Septuag. S. Hieron. et alii iungunt præcedentibus. Felix, *pravitatem manus vestræ æquilibrabunt*, q. d. ut recte explicat Campensis, Iniquitatem manus vestræ pro æquitate venditant, tamquam iusta statera vos omnia expendatis. Chaldæus vertit, *iniquum manus vestræ* יתקפון *ithkephun*, id est, 1. *tenent*, continent, retinent, complectuntur; 2. per vim ac violentiam exercent; 3. aggravant, durum et onerosum præstant; 4. roborant, corroborant, confirmant, obdurant.

Nota, iudices et patroni iniusti manibus concinnant iniustitias, quia corrupti muneribus illas faciunt. De illis dicitur Ps. 25. 10. *Dextera eorum, repleta est muneribus.* Michææ 3. 11. *Principes eius in muneribus iudicabant.* Isaiæ 1. 23. dicitur Ierosolymæ: *Principes tui infideles* (Pintus, perversi: Aquila recedentes: Pagn. declinantes: Septuag. inobedientes: legibus scilicet Dei) *socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non iudicant, et causa viduæ non ingreditur ad illos.* Hesiodus in tract. de operib. v. 217. vocat illos δωροφαγους: id est, donorum voratores. Stratocles et Dromoclidas per iocum nominabant iudicum tribunal, τo χρυσουν θερος, id est, *auream messem.* Ad eam advolant innumeri Midæ, qui cum auream semcutem fecerint, officia sibi venalia auro comparantes, messem auream requirunt, falce ferrea obvia quæque decutientes. Non dixerim liberales Gallorum nostrorum animos his vitiis suis sordescere, manus tamen suas inspiciant, num orphanorum, viduarumque lacrymis et sanguine madeant. Duobus Græcia, et Latinis totidem ero contentus. 13. *Muneribus corrumpuntur iudices.* *Tribunal est aurea messis.*

Primo, Nicephorus Imper. Orientis, teste Cedreno, divitum servos subornabat, qui falso dominos suos accusarent, atque delatores honore ac præmiis afficiebat, calumnia circumventos pecuniaria mulcta condemnans. Secundo, Iustiniani Imper. avaritia scriptis multorum est notata. De ea sic dicit Evagrius lib. 4. cap. 29. In Iustiniano tam, απληστος, inexplebilis fuit pecuniæ cupiditas, et tam turpis atque adeo absurda rerum alienarum appetitio, ut omnia subiectorum bona his qui magistratus administrabant, qui tributa colligebant, qui nulla de causa insidias hominibus struere volebant, ob auri amorem vendiderit. Complures vero, imo innumerabiles, qui multa bona possidebant, causa falsa, commentitiaque conficta omnibus fortunis mulctavit: ita Evagrius. Hinc putaverim eum in dæmonis effigie visum esse a quodam religioso: si tamen non est fabella, id quod refert Procopius in arcana historia fol. 57. *Narrant*, inquit, *Monachum Deo insigniter gratum persuasum ab iis, qui secum idem colerent solitudinis contubernium, venisse Byzantium acturum causam gentium finitimarum, quibus per vim ac nefas erant res afflictissimæ. Eo ubi pervenit, facilem ad Imperatorem aditum reperiisse: sed ut ad illum penetrandum fuit, e limine acturum retulisse pedem, ac retrorsum prima via redeuntem, ab eunucho admissionali, atque adstantibus magnopere rogatum, ut ultra ire pergeret: illum vesano similem nihil respondentem ad contubernii se inde tugurium retulisse. Sociis vero causam facti quærentibus, aperte fassum,* ως δαιμονων αρχοντα εν παλατιω επι θρονου καθημενον ιδοι, *quod in regia dæmonum principem residentem in solio viderat, quem nec adire, nec rogare quidquam, esset animus.* Tertio, Caligula Imperator Romanus multos ea una de causa condemnavit, ut eorum facultates possideret. Quarto denique, Fabius Romanus, Neapolitanis et Nolanis inter se litigantibus de territorii finibus iudex datus, utrisque persuasit, ut paulatim fines suos contraherent. Tum vero, quidquid agri in medio residuum fuit, populo Romano

Nicephori et Iustiniani avaritia. *Fabella de Iustiniano.* *Avaritia Caligulæ.*

attribuit. Hoc non pauci iudices faciunt, utrumque litigatorem exugunt atque inde pinguescunt.

Eleganti similitudine avaritiam omnem a iudicum subselliis excludendam Plutarchus docet in lib. de Reip. gerendæ præceptis, fol. 819. *Aurum*, ait, *in quædam fana intrantes foris relinquunt: ferrum autem, ut semel dicam, in nullum important templum: Quandoquidem*, κοινον εςιν ιερον το βημα, *tribunal commune templum est, et Iovis consiliarii, et urbi tenentis, et Themidis, et iustitiæ: iam inde ab initio divitiarum et pecuniæ cupiditatem*, ωσπερ σιδηρον, και μεςον ιου νοσημα ψυχης, *tamquam ferrum, et morbum animi æruginis plenum exuens, in cauponum et fœneratorum fora obiice.* Athenienses constituebant novem principes, quibus Respublica erat concredita, qui, dum creabantur, iurabant se iuste iudicaturos, neque munera accepturos, neque auream statuam publice arecturos, ut tradit Heraclides in Polit. Factum Andronici Imp. in laude est: scripsit enim magistratibus in hæc verba: *Aut iniurias, aut vitam relinquit. Nam vos iniurios esse et vivere, neque Deo acceptum est, neque mihi servo eius tolerabile*, ut commemorat Nicetas lib. 2. da rebus Andronici Comneni. Fugiendæ itaque sunt illæ pestes, quæ, ut ait S. Isidor. Pelus. lib. 3. epist. 175. ob pecuniæ studium, καπηλευουσι, cauponariam exercent, auro calculum suum prodentes, ac iustitiæ laneem muneribus labefactantes. De illis possis dicere cum Davide, *in terra iniustitiam manibus appendunt:* id est, in terreno corde; 2. in tribunali corrupto et lutulento ob scelera.

14. Vers. 4. 1. Pars. III. Oculi malorum iudicum erroris duces. Alienari ab utero et vulva est proverbium. Sensus eius genuinus.

Tertio, oculi malorum iudicum sunt erroris duces, v. 4. Alienati sunt (Hebr. זרו *zoru*, elongati, alienati, distracti, dispersi sunt; 2. fracti sunt; 3. ventilati sunt; 4. alienaverunt et elongaverunt se) peccatores a vulva, erraverunt ab utero; est hyperbole, ac parœmialis locutio: id est, dudum aberrant a virtutis via, obstinati sunt in sua malitia, tota vita fuerunt scelerati, a prima infantia, a teneris unguiculis, ab uberibus, a lacte matris scelera didicerunt et sectati sunt, atque in viam vitii abierunt relicta virtutum semita. Hic est verus et germanus huius loci sensus. Sic in contrarium dicebat Iob cap. 31. 18. *Ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum.* Scilicet velut dux, comes et nutrix futura. Aristides, qui iusti cognomen meruit, rogatus a Nicia, quibus tandem rationibus et viis ad iustitiam illam evasisset, respondit: *Naturæ primum maximo beneficio: deinde vero assiduitate ac diligentia.* S. Gregor. lib. 21. Moral. cap. 21. elactis, ait, cum foris ætas corporis, intus, si dici liceat, crescit ætas virtutis.

Persæ tota vita Iustitiæ discendæ dabant operam.

Persæ omnes ætatem suam a primis unguiculis ad effœtos et decrepitos annos in discenda exercendaque iustitia conterebant, ut tradit Xenophon. lib. 1. Cyropæd. fol. 3. cosque hac in re cæteris populis præfert. Verba eius sunt: Pleræque civitates cuivis educandi liberos suos, qua ipsi visum ratione fuerit, potestatem faciunt, atque etiam senioribus vivere sui ex animi sententia permittunt: deinde edicunt, ne quis clepat, ne rapiat, ne per vim in aliquam domum irrumpat, ne quem per iniuriam pulset, adulterium ne committat, magistratus imperio parere ne detrectet, atque his itidem alia consimilia. Quod si quis horum aliquid transgrediatur, pœnæ propositæ sunt. At vero Persicæ leges hoc antevertentes, primum procurant, ne prorsus eiusmodi cives sint, qui pravi alicuius fœdive facinoris libidine ducantur. Atque hoc huiusmodi quadam ratione procurant. Est apud eos forum, ελευθερα καλουμενη, quod liberum vocant, in quo cum regia, tum regiæ magistratuum cæteræ sunt extructæ. Hinc et res venales, et nundinatores, et clamores horum, atque insolentiæ alium in locum reiectæ sunt: ne horum turbulenta confusio cum decorum illorum ordine, qui sunt instituendi, permisceatur: ita Xenophon, qui deinde addit, singulis ætatibus locum et tempus designatum esse. Forum hoc, ait, ad curias situm, quatuor in partes est divisum: earum prima pueris est attributa, puberibus altera, tertia plenam adeptis ætatem viris, quarta militares annos egressis. Ex lege singuli suis in locis adsunt. Pueri quidem, et ætatis maturæ viri, primo diluculo. Seniores vero, ubi cuique commodum est, extra status dies, quibus oportet eos adesse. Puberes etiam propter curias cum armis gymnicis exilibusque dormiunt, maritis exceptis, quorum præsentia nequidem requiritur, nisi denunciatum fuerit, ut adsint: nec honestum, hos adesse sæpius. Harum partium cuique duodecim sunt præsides, quod Persarum natio totidem in tribus sit distincta. Præsunt autem pueris delecti quidam ex senioribus, qui eos effecturi quam optimos videantur. Ephebis item, de virorum ætatis integræ numero lecti quidam, qui hos reddituri optimos existimentur. Viris etiam maturæ iam ætatis præficiuntur, qui tales reddituri putantur, ut potissimum sibi præscripta, et a magistratu summo imperata præstent. Ne senioribus quidem sui præfecti desunt, quippe quod his etiam qui præsint, deligantur, ut et ipsi officium faciant: ita ille. Quid vero hac politia sapientius, quæ hominem ab ipso lucis exortu ad sepulcrum usque per iustitiæ calles velut manuducit, atque ne aberret, peritos flexuum omnium et divortiorum præficit? Ad rem vero nostram adhuc convenientius, eodem loco cœptam narrationem persequitur Xenophon: *Pueri*, ait, *magistrorum domos frequentando in discenda iustitia versantur: aiuntque, ad hoc se non aliter ire, atque soleant apud nos, qui litteris operam daturi sunt. Horum autem præsides maximam diei partem ius dicendo conterunt. Nam et inter hos pueros nihilo secius atque inter viros, mutuæ criminum accusationes existunt: furti, rapinæ, vis illatæ, doli, convicii, et aliorum quæ accusari solent. In illos autem, quos intelligunt talis alicuius iniuriæ reos, animadvertunt. Eos enim plectunt, quos per iniuriam accusare comperiunt.*

Severi Imp. in creandis magistratibus diligentia.

Non est magni æstimandum, ut de Eleis sapienter Agis dixit, si quinque aut sex dies quis iustitiam colat: magnum vero, si tota vita ac præsertim in viridi et bullienti ætate ab ea non deflectat. Eiusmodi viro recte committi iudicis munus potest, talesque volebat Alexander Severus: qui, ut tradit Lampridius, ubi aliquos voluisset vel rectores provinciis dare, vel præpositos facere, vel procuratores, id est, rationales ordinare, nomina eorum proponebat; hortans populum ut, si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus? si non probasset, subiret pœnam capitis: ita Lampridius. Videndum est Christianis, ut idem faciant, cum hoc Imperator ille ethnicus sit ab iis mutuatus. Subdit ille ipse auctor: *Dicebat*, Severus scilicet, *grave esse, cum id Christiani et Iudæi facerent in prædicandis sacerdotibus, qui ordinandi sunt, non fieri in provinciarum rectoribus: quibus et fortunæ hominum committerentur, et capita.*

Symbol. *Alienati sunt peccatores a vulva;* id est, a matrice benignitatis ac bonitatis Dei: ita S. Gregor. Nyss. tract. 2. in Psalmos cap. 15. Secundo, Iudæi alienati sunt *ab utero*, id est, a lege, a scriptura, a fide Christi, ab exemplo moribusque Abraham et Saram: ita Ruffin. S. Eucher. Rupert. Arnob. Ugo, et S. Augustinus, qui sic ait: *Nascuntur intra viscera Ecclesiæ quidam parvuli, et bonum est ut formati exeant, ne abortivi labantur. Generet te mater, non abortiat. Si patiens fueris, usquequo formeris, usquequo in te certa sit doctrina veritatis, continere te debent materna viscera. Si autem impatientia tua concusseris latera matris, cum dolore quidem te excutit foras; sed magis tuo malo, quam suo.* 15. Symbol.

Tropol. Errant ab utero et a vulva omnes homines qui concipiuntur in originali peccato. Secundo, errant ab utero et a vulva, id est, per uterum et vulvam gulosi et luxuriosi. Oseæ 11. *Vinum et mulieres auferunt cor;* id est, prudentiam et sapientiam: alienos itaque et alienatos a mente faciunt, et in errores inextricabiles inducunt. Iustitiæ ac virtutis viam, velut circulum lacteum, suavitate amabilem et splendore spectabilem decurrunt illi, qui Deum unum quærunt, sed in avia se præcipitant, qui gulæ et luxuriæ serviunt.

Quarto denique, os iniqui iudicis est mendacii porta. 16.

Vers. 4. 2. Pars. IV. Os iniqui iudicis est mendacii porta.

Unde additur v. eod. 4. LOCUTI SUNT FALSA. Heb. Loquentes mendacium. Primo, id accipe de aulicis adulantibus Sauli regi; horum enim est proprium varia mendacia fingere et veritatem obscurare, ut aliquem invisum efficiant, eiusque dignitates obtineant. Agapetus Diaconus in capit. parænеticis, num. 12. *Aversare,* inquit, *adulatorum sermones,* ωσπερ κορακων αρπακτικους τροπους, *velut corvorum rapaces mores; illi namque corporis effodiunt oculos: isti autem animæ hebetant cogitatus, cum non permittunt perspicere rerum veritatem. Vel enim commendant nonnunquam ea, quæ reprehensione digna sunt: vel reprehendunt plerumque, quæ omni laude sunt maiora:* ita ille. Præsertim autem mendacia mendaciis attexunt, cum principis furori atque odio sic se velificari sentiunt, sicut contigit in Saulis aula Davidem perditum cupientis. Illos aucupibus vocem ad avium sonos conformantibus comparat, Lib. de Reip. gerendæ præceptis: *Adulatorem aulici,* inquit, ωσπερ ορνιθοθηραι *aucupum more, vocem suam ad imitationem regum componunt: et sic eos decipiunt. Rempublicam autem gerenti non convenit mores populi imitari.* Adulteria erant impunita apud Indos, ait Strabo lib. 15. apud Massagetas, ait Herodot. lib. 1. apud Æthiopes Garamanticos, teste Plin. lib. 5. cap. 8. Furtum inultum sinebant Germani, ut tradit Cæsar lib. 6. Ægyptii, ut Gellius lib. 11. cap. 18. Lacedæmonii, ut Plutarch. in Lycurgo. Mendacium vero, ubique gentium impune volitat; sed in aulis sceleratorum regum, qualis erat Saul, dominatur et triumphat.

Secundo, et præcipue, *locuti sunt falsa,* seu mendacium, consiliarii Saulis et iudices ab eo deputati: qui Davidem velut reum, condemnarunt, quem sciebant esse innocentem. Typus fuerunt Pilati, qui Christo quidem dixit: *Quid est veritas.* Sed non expectavit responsum: et mendacibus credens, veritatem et innocentiam ipsam damnavit.

Lepidum de Pictoriensi asino.

Nota, falsa loquuntur ignari iudices; mendacium scelerati. Primos iure compares Pictoriensi asino, qui prope horam tertiam, id est, octavam matutinam, tribunali iudicum conscenso rudere cœpit. Alii vero similes sunt Smyrnæis speculis, quæ res aliter repræsentant quam sint. Oracula sunt iudices: boni quidem velut Sibyllæ Prophetæ et sacerdotes Dei spiritu aguntur: mali vero, mendacio, velut familiari dæmone atque interprete utuntur. Ægyptiorum iudicum præses cum iudiciis præerat, gemmam, cui nomen *Veritas* inscriptum erat, gerebat in pectore; ut hanc unam sibi sequendam cognosceret. Agapetus Diaconus in capit. Paræn. num. 9. vult, principes esse instar speculi, ut veritatem videant ad bene iudicandum: *Sollicitam.,* ait, *Imperatoris animam* κατοπτρου δικην αποσμηχεσθαι χρη, *speculi in morem abstergi oportet, ut divinis splendoribus semper coruscet,* και πραγματων κρισεις εκειθεν διδασκεται, *et rerum distincta iudicia inde condiscat: nihil enim adeo facit quæ peragenda sunt, conspicere, atque custodire eam perpetuo sinceram.* Idem auctor speculo, res ut sunt repræsentanti, comparat divinum iudicium, num. 21. Basilius vero Imp. Leonem filium suum maxime hortatur, ut verax sit, et veraces amet habere familiares et amicos, ut in luce perpetua sit: *Maximi pendito,* inquit, *veracem te esse in sermone, et veraces homines in familiaritatem admittere: ita enim firmus et constans in omnibus factis et dictis æstimaberis, et veram ac non suspectam tuorum erga te benevolentiam sustinebis.*

ARTICULUS II.

Furor, venenum, et barbaries iniquorum iudicum.

Cor iniquorum iudicum, velut furiarum, iniquitate plenum: manus iniustitia: oculos errore: linguam mendacio vidimus art. superiore: nunc, reliquum corpus veneno furoris suffusum, auresque miserorum precibus occlusas videamus. Aspidibus eos comparat David vers. 5.

17. Vers. 5.

FUROR ILLIS SECUNDUM SIMILITUDINEM SERPENTIS: nempe, SICUT ASPIDIS SURDÆ, ET OBTURANTIS AURES SUAS.

Vers. 6. Et vers. 6. QUÆ NON EXAUDIET VOCEM INCANTANTIUM (Hebr. מלחשים *melachascim,* mussitantium, murmurantium, submissa voce incantantium) ET VENEFICI INCANTANTIS SAPIENTER. Nota, pro *furor,* Hebr. est חמת *chamath,* id est, ardor, et æstus iræ, excandescentia. Unde S. Hier. vertit, *Furor eorum, sicut furor serpentis.* Secundo, *chamath,* sive *chema,* significat venenum. Hinc Arias reddit, *Venenum illis, secundum similitudinem veneni serpentis.* Deducitur a *iacham,* concaluit, calefecit: venena ut plurimum nascuntur in regionibus calidis, sicut in Africa, Italia, et aliis: nascuntur tamen etiam in frigidis, ut in Ponto. Calida venena sunt nocentiora quam frigida, et citius mortem inferunt. Irati iudicis et principis furor exitialis est.

Aspidum venenum est insanabile.

Nota secundo, pro *aspidis,* Hebr. est פתן *pethen,* id est aspidis: Ita Arias, Pagn. Felix, et alii. Sic etiam vertitur Isaiæ 11. 8. Deut. 32. 33. Secundo, *pethen* significat basiliscum seu regulum. Ita S. Hieronym. vertit, *Sicut reguli surdi obturantis aurem suam.* Crediderim de aspide potius intelligendum. Primo, quia, ut cit. Arist. lib. 3. hist. anim. cap. 29. venenum aspidum est ανιατον, id est immedicabile. Moses Deut. 32. 33. ait venenum aspidum esse insanabile. Galenus, 3. de simplic. medic. facult. cap. 6. docet, esse illud venenum frigidum, ocyssime tamen necare. Davidis hostes, iram suam et invidiam hypocrisi tegebant, frigidi videri volebant, sed erant lethales aspides. Plin. lib. 8. cap. 23. Colla, ait, aspidum intumescunt, nullo ictus remedio, præterquam si confestim partes contactæ amputentur. Fortunatianus de partu Virgin. canit: *Regulus atque aspis, cedunt queis nulla venena.* Secundo, non legitur de basilisco, seu regulo, quod obturet aures suas, sed de aspide id vulgo fertur. Surditatis quidem illius nullam facit mentionem Aristoteles, nec Plinius, nec ullus antiquus physiologus, id tamen asserunt S. August. Cassiodor. Ruffin. Arnob. S. Bernard. serm. 13. in Ps. 90. S. Isidorus Hispalensis lib. 12. Originum, cap. 4. S. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 30. Beda in cap. 10. Matth. Mercurialis 2. de venenis, Delrio tom. 2. adagialium sacrorum adag. 74. qui sic loquitur: Quo pacto aspis aurem obturet ne audiat, si natura surda sit, ut traduut Avicenna lib. 4. Fen. 6. tract. 3. cap. 21. loquens de aspide sicca: quam novit etiam Lucanus lib. 9.

18. Quo pacto aspis dicatur surda.

Stabant in margine siccæ
Aspides, in mediis sitiebant dipsades undis.

Nisi *siccam* pro sitiente malis: quam siccam puto esse Chersæam seu terrestrem, quæ multo tempore solet sub terra degere, iuxta Ælian. lib. 10. de natur. animal. cap. 32. Sed tunc falleretur Avicenna; quia Chersæam hebetis visus, sed auditus acerrimi, esse docent Plin. lib. 8. cap. 23. Galenus, Ælianus, Aetius, et Ægineta: et de hac capiendum, quod Nicander ait, levi strepitu excitari, et somnum discutere, et caput horridum erigere. Surdam quoque esse Chelidoniam aspidem, sic vocatam, quod varietate colorum imitetur hirundines, censet idem Avicenna, cui cæteri scriptores, Ælian. Aetius, Ægineta consentiunt: interpres Avicennæ *hirundinem* vertit, melius *hirundinariam* dixisset, vel *hirundineam.* Iam Ptyada, sic dictam quod venenato sputo, velut telo, occidat; surdam etiam esse iidem scriptores contendunt. Si ergo tres species aspidis, id est, omnes, secundum Avicennam: vel duæ, iuxta cæteros, surdæ sunt: quo pacto dicitur vocem incantatoris exaudire posse: et ne exaudiat, aures obturare? Accedit, quod auriculas non habet, sed tenues quosdam meatus utiles ad audiendum Chersæa: inutiles Ptyas, et Chelidonia, quia membranis interioribus obturatas, ut talpa oculos habet exterioribus obseptos. Satis obscura est satisfaciendi ratio, si surditatem apud Davidem capias de naturæ vitio, ut facit Bustamantius d. lib. 3. cap. 11. Dictorum eius summa est, aspides surdas vocari, quia duæ species vere sunt surdæ: et dici aures obturare, non minus quam Chersæas, hoc tamen discrimine: cum aspides a magis cantu eliciuntur et necantur, id totum fieri a dæmone ex pacto: nam cantum signi loco tantum esse. Itaque canere incipiente mago, Chersæas cantum audire,

Aspidis tres species.

et torqueri incipere: et ideo ne audiant, aures obturare. Ptyades vero et Chelidonias, etsi cautum non audiant, sentire tamen tormina et distensionem partium continuarum, qua ruptionem dæmon parat: itaque præ cruciatu se distorquere, et unum quidem oculum (ut magnum lateant; quem vellent, nec possunt occidere) cum aurium meatu terræ adprimere: alterum vero oculum insidiose primum in magum intendere; mox non cessante dolore, cum non valeant terram subire, cauda reflexa caput, et simul meatum alterum aurium contegere, ut cerebrum, cui natura docente metuunt, quodque meatui aurium et oculis vicinum est, a noxa conservent. Hæc Bustamantius, quæ quam vera sint, considerent medici, et rerum naturalium peritiores. Ego Patribus assentior, et surditatem hic accipio de artificiosa et affectata per meatus aurium obturatione. Sic Euthymius, Haymo, Bruno, Richelius, et alii. Nec crediderim ullas aspides esse prorsus surdas, sed comparativa surdas, aliis alias hebetioris auditus. Quod igitur dixit *surdam*, explicat postea cum ait, *et obturantis aures suas*, q. d. Surdæ, id est, obturantis aures: itaque *et* ibi est exegeticum, et explicativum, quod Septuag. addiderunt ad sensum. Nam Hebr. Chald. apud Hier. Felix, et Apollinar. non est τὸ *et*: ita Delrio. S. Aug. in Psalm. nostr. sic ait: *Aspis allidit unam aurem terræ, et de cauda obturat alteram, atque ita voces illas quantum potest evitans, non exit ad incantantem.* Hac de re ipsum dubitasse patet ex præcedentibus. Non frustra, inquit, hoc dixit David, nisi quia fieri potest, ut verum sit etiam illud quod audivimus de aspide. R. Kabuenaki autem velut rem certam affirmat; aitque, serpentem senem, qui *pethen vocatur*, id est aspis, obsurdescere una aure; alteram vero pulvere aut terra obturare, ne audiat mussitationem, qua ab incantatore adiuratur, ne noceat.

19. *Iudices mali variis serpentibus comparati.* Nota tertio, si iniquos iudices prædatrici avi confetra placet, vultures voca, qui in orphanos et pauperes velut in abiectos et desolatos pullos, involant. Si in quadrupedibus eos numerandos censes, ursos existima, qui etiam in mortuos sæviant, eorumque bona et viduas expilent. Si denique ad reptilia eos abiicis, serpentes nuncupa cum Davide. Sed quos serpentes? dicit enim generatim David, *secundum similitudinem serpentis.* Primo, possis dicere, iudices sceleratos esse serpentes Hemorrhoidas, quæ morsu sanguinem omnem evacuant, nullo ictus remedio. Secundo, esse utrinque capitatas Amphisbænas, quæ utrumque litigantem lethali punctura simul convulnerent. Tertio, esse Iaculos, qui ex alto solio, velut præcelsa arbore, et iustitiæ vernantibus foliis et umbraculis in eos desiliant, qui ad fallacem umbram confugerunt. Quarto, esse Scytales, quæ amœna vestis varietate incautos et admiratione suspensos conficiant. Quinto, esse Dipsades et Presteres, quorum punctio maiorem semper, sed lethiferam, litigandi sitim inferat. Sexto, esse Basiliscos ac Regulos diademate coronatos, qui solo halitu et aspectu enecent, quod in Diocletianis, Neronibus, et aliis est perspectum, in quorum vultu, oculis, ore, nihil præter mortem legebatur. Syrus; ut dixi, hoc loco basiliscum reddit, quod αὐτοφόνος sit serpens: utpote maxime exitialis et sæpe aspidi iungitur, ut Ps. 90. 19. Septimo, omnia in malo iudice serpentium omnium venena coniuncta sunt. Megasthenes scribit, in India serpentes in tantam magnitudinem adolescere, ut solidos hauriant cervos et tauros. Metrodorus, circa Rhyndacum amnem in Ponto ait, esse serpentes, qui supervolantes, quamvis alte et perniciter aves, haustu raptas absorbeant. In depravatis iudicibus fornacem reperias et capaciorem et ardentiorem, quæ non unum tantum homunculum, sed domos integras familiasque cum omni pecore et armentis, agris, vineis, sylvis ac fluminibus deglutiat et consumat. Cardanus narrat, lib. 15. de rerum varietate, cap. 80. Cum apud Italos liceret olim in causa veneficarum eidem et accusare et condemnare, avaros iudices stipiti destinasse magnam turbam innocentium, ut facultates eorum devorarent, Senatumque Venetum coactum esse eam potestatem tollere. In Caligula et aliis, hanc voracitatem ostendi supra. Nota est historia pauperis Naboth, qui insons accusatus est blasphemiæ, instinctu furibundæ Iezabelis, et a iudicibus impiis ad necem damnatus, ut rex Achab libera eius vineam possideret, lib. 3. Reg. 20. Quid referam Rictiovaros, Darianos, et huiusmodi iniustitiæ in martyres portenta, quæ eorum sanguine et divitiis pascebantur? Lactantes infantes comedisse fertur Phalaris, eoque nomine inter tyrannos crudelissimos et immanes belluas numeratur, ut habet Athen. lib. 9. cap. 18. Crudeliores illi sunt, qui nulli parcunt ætati, sed pupillos, adolescentes iuvenes, viros, senes etiam decrepitos litibus et calumniis absumunt. Elias in oration. 19. S. Gregorii Naz. in Psalmo nostro per serpentem intelligit diabolum. Iudex malus est alter diabolus: terrenis serpentibus dirior est. Primo quia terrenorum serpentium morsibus semper aliquam reperies medicinam: at supremis sceleratorum decretis nullam. Secundo, serpentum morsus non impedit serpentes: et rabulæ, et iniquitatis ministri, sæpe mutuis se litibus compungunt. Tertio, Candei, quos Ophiophagos vocant, serpentibus vescuntur, Marsi Psyllique cum illis lusitant. 20. *Sunt peiores serpentibus, et cur?*

Mirum certe est, quod ait Plin. lib. 28. cap. 3. *Quorumdam, ait, hominum tota corpora prosunt, ut ex illis familiis quæ sunt terrori serpentibus, tactu ipso levant percussos, suctuve modico. Quorum e genere sunt Psylli Marsique, et qui Ophiogenes vocantur in insula Cypro: ex qua familia legatus Hexagon nomine, a Consulibus Romæ in dolium serpentium coniectus experimenti causa, circummulcentibus linguis miraculum præbuit. Signum eius familiæ est, si modo adhuc durat, vernis temporibus odoris virus: atque eorum sudor quoque medebatur, non modo saliva. Nam in insula Nili, Tentiri nascentes tanto sunt crocodilis terrori, ut vocem quoque eorum fugiant:* ita Plinius. *Psylli et alii quidam a serpentibus non læduntur.* Ab iniquis vero anguibus aularum et curiarum vix ullum reperias, qui se tueri possit. Quarto denique, in Mesopotamia exigui quidam serpentes nascuntur, qui indigenas non mordeant, sed in exteros magnopere sæviant. Contrarium sæpe videas in pagorum maioribus, et plerisque iudicibus, qui populares suos exugunt: et in plerisque litigatoribus, qui parentes, consanguineos, affines, bonis suis velut sanguine viduant. Iudex audiat S. Chrysostomum, et mansuetudinem induat ac viscera misericordiæ. Sic enim ait homil. 15. in Acta Apostol. Non vides, ait, iudices, qui iudicaturi sedent in sede atque habitu decenti? ita et tu fac, orna animam tuam veste iudiciaria, illa est mansuetudo: et tunc in sede iudex sedeto: ita ipse. Ad benignitatem et clementiam iudicem esse procliviorem debere probat Iudæorum consuetudo, qui quem reum semel condemnaverant, poterant absolvere: quem vero semel absolverant, non poterant amplius condemnare. In libro Sanhedrin. cap. 5. scribitur: *Comperto innocentem esse, absolvunt: sin, iudicium eius in crastinum differunt, binique conveniunt, atque diminuto cibo, vino non gustato, toto die inter se de causa conferunt: postridie matutino curiam adeunt: tum is qui absolvit, sic ait: Ego absolvo, et in ea sententia persevero. Qui condemnaverat, ei licet absolvere; et qui absolverat, ei non est licitum, mutata sententia, pœnæ reum adiudicare:* hæc ibi. Ex quibus intelligis, et in principio, at in fine potentiores esse lenitatis partes.

Nota quarto, iudex sceleratus est aspis, de quo potissimum hic agitur, ut monui antea. Sic autem suos iudices vocat David, quia ab iis non erat appellatio, erant enim cum Saule rege: itaque venenum eorum erat insanabile, sicut aspidis. Secundo, quia Ptyas Aspis venenato sputo interficit: unde S. Isidor. aspidem ab aspergendo dictam esse vult, ita hostes Davidis eum calumniis impetebant, et perdebant. Tertio, aspidis morsus somnum lethalem inducit: unde Lucan. lib. 4. somniferam vocat. Cynna vero, somniculosam: Saul at satellites eius, atque assentatores, blandis verbis Davidem devocabant e montibus, ut iam ad mortem damnatum iugularent. Quarto, erant aspides obturantes aurem; quia nullas Davidis excusatio- 21. *Iudex malus est aspis, et cur?*

nes recipiebant, sed in suo scelere obstinati erant. Cretenses Iovem suum sine auribus pingebant, quod dicerent, non convenire ab eo audiri quemquam, qui rerum omnium sit Dominus atque princeps. Volebant dicere, non esse habendam rationem personarum in iudicio: sed multi sunt sine auribus; quia non audiunt querelas afflictorum, et se supra aliorum hominum sortem esse existimant. Contra autem dicit Deus Sap. 6. 2. *Audite reges, præbete aures vos, qui continetis multitudinem, et placetis vobis in turbis nationum.* Petrus Blesensis ad id eos hortatur: *Qui,* ait, *dat divitias terræ ab eis aurum non postulat, vel argentum: sed ut audiant causam populi, et arguant pro mansuetis terræ.* Alexander Magnus dicebat, aurem alteram reo esse conservandam. Plutarchi verba sunt in Alexandro, fol. 689. *Initio,* ait, *cum iudicia capitalia disceptaret, fama tenet, eum alteri auri manum admovere solitum, ut alteram reo καθαρον φυλαγηται, και αδιαβλητον, integram et intactam servaret a calumniis.* Aspidis genus est, quod Ægyptii Thermutin vocabant, et sacrum dicebant, magnaque religione venerabantur. Quare illa aspide, velut regio diademate, simulacra Isidis coronabant. Eam a probis viris abstinere; impios vero, morte mulctare dictitabant; immortalem esse, et ab Iside contra nefarios homines immitti solitam, ut tradit Ælian. lib. 10. cap. 31. Ægyptio Bocchoridi, homini ingenio intractabili ferunt ab Iside aspidem missam, quæ superne capiti circumvoluta obumbraret, ινα κρινη δικαιως, *ut iuste iudicaret,* ut ait Plutarchus lib. de vitioso pudore, fol. 529. primo scilicet, timens punitionem, quam aspis figurabat: secundo, imitans aspidem Thermutin, quæ, ut dixi sceleratos occidit, pios non lædit. Illustre est, quod ait Philarchus vetustus auctor: nempe, aspidem quamdam ita cicurem extitisse, ut ad mensam cuiusdam veniens in Ægypto aleretur assidue: enixam vero catulos, cum ab eorum uno filius hospitis interemptus esset, illam reversam ad consuetudinem cibi intellexisse culpam, et necem intulisse catulo, nec postea in tectum id reversam. Iudices nec affinibus, nec filiis parcant: Brutus et Manlius Torquatus in filios magnum severitatis exemplum præbuerunt, ut dicam infra sect. ult.

Alexandri sapiens factum.

22. *Tropol. Obstinatus est aspis obturans aures.*

Tropolog. Aspis obturans aures suas, est obstinatus, qui non audit verbum Dei, tum interius in corde, tum exterius in prædicatione. S. Bernard. serm. 13. in Ps. 90. *Aspis,* inquit, *obstinatio est: hæc quidem est summa quædam religionis subversio, et vere iuxta testimonium legislatoris, Deuter. 33. Venenum aspidum insanabile.* Docet deinde, ab aspide aurem unam terræ infigi, alteram cauda occludi, atque id ad mores deducens ait, cauda aurem obturante denotare finem intentionis a Deo et eius voluntate avertentis: *Noverit,* ait, *vir pertinax non cælo sese, sed solo infigere caput: quia sapientia quæ desursum est, non modo pudica, sed et pacifica sit: hæc autem magis ut ita dicam, aspidica, nisi terrena esse non potest. Sed nec*

A *adeo obsurdescere, nisi cauda quoque obduraret auditum. Quæ est hæc cauda? Finis intentionis humanæ: Hæc surditas desperata: dum hinc quidem velut terræ infixus, propriæ quisque inhæret voluntati: ideo vero reflectens caudam, finem aliquem meditatur, et infigit animo quod desiderat adipisci. Inde aspidi virus in linguæ aculeo perseverat: quod adversus linguam incantatoris tanto se studio obturarit:* ita Bern. Secundo, Vitalis Cardinalis in speculo morali, verbo Confessio docet, eum caudam in aurem immittere, qui longitudinem præsentis vitæ sibi promittens, diuturnitatemque pœnitentiæ, sermones non admittit. Tertio, S. Augustinus, qui ad præterita vertitur, legerat ipse: *Quæ non exaudiet vocem incantantium, et medicamenti medicati a sapiente;* et dicit in lege veteri fuisse medicamentum; in lege autem gratiæ medicamentum medicatum: *Quid est,* ait, *medicamentum medicatum a sapiente? Forte, medicamentum confectum dicit medicamentum medicatum. An quærimus ibi aliquid, quomodo iam si medicamentum est, etiam medicatum sit? Medica-*

B *menta erant in Prophetis, medicamenta erant in lege. Præcepta ipsa omnia, medicamenta erant. Et hoc medicamentum nondum erat medicatum. Adventum Domini, medicamentum est medicatum. Hoc enim illi ferre non potuerunt, quia non curabantur medicamento, medicatum est ipsum medicamentum adventu Domini. Iam Stephanus medicamentum medicatum incantabat, hoc illi audire noluerunt: unde medicatum est medicamentum, contra hoc aures clauserunt. Nam ibi hoc fecerunt, ubi nominatus est Christus. Indignatio eorum sicut indignatio serpentis. Quid aures clauditis? Expectate, audite, et si potueritis sævite. Quia nolebant nisi sævire, noluerunt audire.* Hæc et plura Augustinus, Marsos, Psyllos, Ophiogenas, Troglodytas, et alios excantandi arte plurimum valuisse tradit Plinius lib. 8. cap. 2. et 3. Aristot. lib. de admir. audition. Lucil. in Satyr. aliique. Sed unus Iesus est illis potentior, cuius ad nomen dæmones omnes contremiscunt. Aspides ipsas mansuefieri et cicurari posse docet Agatharcides lib. 1. de mari rubro. Et vero, polium cum ruta sylvestri, si te-

C ratur cum aqua cælesti, aspidas mitigare dicitur a Plinio lib. 21. cap. 20. qui etiam dicit lib. 22. cap. 31. aspidum naturæ halicacalum in tantum esse adversum, ut radice eius propius admota soporentur. S. Chrys. hom. 15. ait, scire se aspides mitigari. Ne simus illis deteriores, sermo divinus feritatem vitiorum tollet. Si enim dixit Horatius:

> *Invidus, iracundus, iners, vinosus amator,*
> *Nemo adeo ferus est, qui non mitescere possit:*
> *Si modo culturæ patientem accommodet aurem.*

Quid dicemus de verbo Dei, quod non redit sine fructu, et sanat omnem languorem et infirmitatem, Sap. 16. 12. *Etenim neque herba, neque malagma sanavit eos: sed tuus Domine, sermo, qui sanat omnia. Tu es enim Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem, et deducis ad portas mortis et reducis.* Vide dicta de aspide Ps. 90. 13.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

23. *Duo exponit. Primo, pœnam iniquorum, vers. 7. Secundo, iustorum præmia, vers. 11.*

PARAPHRASIS.

7. *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum: molas leonum confringet Dominus.*

7. Moliuntur iniusti accusationibus suis, et decretis, me innocentem conterere; Deus vero, suis eos verbis revincet: efficietque ut, si mussitare, mordere certe non audeant. Etiam gravissimas eorum calumnias, quibus me leonum instar, commolere nituntur, in pulverem rediget ac discutiet.

8. *Ad nihilum devenient, tamquam aqua decurrens: intendit arcum suum, donec infirmentur.*

8. Torrentis vehementi impetu in me irruerunt, ut imbecillum deiicerent: at ipsi, velut aqua præceps voluta, et hiatu terræ absorpta evanuerunt. Tot enim divinæ iustitiæ telis confixi sunt, ut viribus exhausti defluxerint, et infirmati perierint.

9. *Sicut cera quæ fluit, au-*

9. Neque plus in eis erit virium ad resistendum, quam molli et fluxibili ceræ, quæ

ferentur: supercecidit ignis, et non viderunt solem.

igni admota momento colliquescit et dissolvitur. Oborta in ipsos tempestate fulmen in scelerata capita decidet atque amico solis lumine privati ad inferos detrudentur.

10. *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum: sicut viventes, sic in ira absorbet eos.*

10. Antequam, velut tenuiores ac molliores spinæ, in maiores et fortiores durescant, atque in rhamni caudicem firmiorem increscant, ita ut pungendi me et cruentandi vires habeant: ex improviso, ac velut terra dehiscente vivos, vegetaque in ætate adhuc florentes Deus deiiciet, atque abiiciet iratus contra eorum scelera.

11. *Lætabitur iustus cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris.*

11. Innocentes morte impiorum ab omni metu liberati, Deique de impietate victoriam admirati, gaudio triumphabunt, cum iustam in eos sceleratos numinis vindictam adverterint. Tum iustitia operum piorum elucescet, cum iniusti illorum oppressores occisi fuerint, ob nefariam molitionem et crudelitatem.

12. *Et dicet homo: si utique est fructus iusto: utique est Deus iudicans eos in terra.*

12. Statimque omnes in has lætitiæ voces erumpent: Et erit qui dubitet, an iustitia et virtus commodum aliquod alumnis suis afferant? Ecce tibi, manifesta ultione innotescit, Deum tandem iustum vindicem exurgere, qui etiam in terris impios puniat.

QUÆSTIO UNICA.

INIQUORUM IUDICUM QUAM ACERBA PUNITIO, ET IUSTORUM QUANTA PRÆMIA.

24. Ordo sectionis. SECTIONE superiori exposuit impiorum scelera: nunc exponit eorum pœnam, quam variis similitudinibus amplificat.

Primo, similes eos facit serpenti, cui dentes fracti sunt et excussi, v. 7. *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum.* Secundo, leoni maxillis contusis iacenti: *Molas leonum confringet Dominus.* Tertio, torrenti terra absorpto, vers. 8. *Ad nihilum devenient, tamquam aqua decurrens.* Quarto, homini telis diversis confosso, et sanguinis sui fluxu infirmato: *Intendit arcum suum, donec infirmentur.* Quinto, ceræ diffluenti, v. 9. *Sicut cera quæ fluit, auferentur.* Sexto, cæco, fulmine ambusto: *Supercecidit ignis, et non viderunt solem.* Septimo denique, spinis excisis, vers. 10. *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum: sicut viventes, sic in ira absorbet eos.*

Ad pœnam etiam impiorum, facit lætitia iustorum. Hanc duplicem ponit, visa punitione scelerum. Primo quidem, interiorem, vers. 11. *Lætabitur iustus, eum viderit vindictam.* Secundo vero, exteriorem: *Manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* Causam illius lætitiæ duplicem quoque affert. Primo, iustorum ipsorum utilitatem, v. 12. *Et dicet homo: si utique est fructus iusto.* Secundo, Dei ipsius gloriam: *Utique est Deus iudicans eos in terra.*

ARTICULUS I.

Iudicum sceleratorum et calumniatorum variæ pœnæ.

25. Vers. 7. Aspidis morsus est exitialis. PRIMO, illis dentes excutit, v. 7. DEUS CONTERET (ita ut statim excidant. S. Hier. excute) DENTES EORUM IN ORE IPSORUM: MOLAS LEONUM CONFRINGET DOMINUS. Nota, versu præcedenti hostes suos comparavit David aspidi: Chersæa autem aspis, et Chelydonia, morsu hominem necant. Unde Nicander ait: *Aspida crudelem cuius morsus præ cæteris immedicabilis est*, ἀμυδρότατον δάκος ἄλλων. Apostolius Byzantius refert id proverbium, *Aspidis morsus*, de malo, quod sit sine remedio. Aristot. lib. 8. de histor. animal. Plin. lib. 8. cap. 23. Ælian. lib. 1. de natura animal. cap. 57. Aetius cap. 20. Ægineta, aliique asserunt, vulneratos ab aspide sanari non posse, nisi parte celeriter truncata. Nicander dicit, aspidi in maxillis quatuor virulentos et longos dentes esse, quos interior tunica sub lingua pelliculis quibusdam contegit: inde immite corporibus venenum eiaculari: quod de Ptyade aspide accipi vult Delrius; hæc enim hostem conspuit, ut illi non gutture tantum, sed etiam sub lingua sit venenum.

26. Malorum iudicum dentes qui? Quæres, qui sunt malorum iudicum dentes, et quomodo conteruntur? Resp. primo, dentes eorum sunt accusatores et sycophantæ, qui calumniis famam rei innocentis lacerant. Item, decreta ipsa et sententiæ, quibus innoxius discerpitur, et bonis suis spoliatur. Secundo, conteruntur dentes illi cum suomet ore iudicantur; 2. cum sibi contradicunt; 3. cum eorum iniustitia fit omnibus manifesta, quod Deus ut plurimum facit, et iam sibi accidisse David gloriatur Ps. 38. *Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa, dentes peccatorum contrivisti.* Illum locum consule, ibi egi de detractione.

Allegor. Hoc Christi persecutoribus accidit, cum non erant consentientia testimonia eorum, Marc. 13. 59. Secundo, Pilatus sæpius innocentem fateri coactus est, Luc. 23. 4. 14. 22. Ioan. 18. 38. et seq. Tertio, post mortem eum Dei Filium multi confessi sunt, Matth. 27. 54. Quarto, præsertim in resurrectione confusi sunt, cum eius quem in mortuis numerabant, summam gloriam triumphantis viderunt, Matth. 28. 12. Quinto, licet pecuniam mendacibus militibus dedissent, resurrectio tamen Christi innotuit toti orbi. Sexto denique, etiam ante tempus Passionis sæpius eius hostes convicti sunt, et silere compulsi: ut, cum petierunt an esset dandum tributum Cæsari, cum actum est de Ioannis baptismo, de Christo Davidis filio, de duobus quibus fœnerator debitum dimisit, de iudicio adulteræ, quam ad eum adduxerant. 27. Allegor. Christi hostium dentes contriti sunt.

Hoc etiam contigit Martyrum et Sanctorum hostibus, tortoribus, et tyrannis eos ad tormenta damnantibus: nam primo, aliquibus lingua computruit, ut Nestorio hæresiarchæ. Secundo, alii eam dentibus suis discerpserunt, ut maledicus, de quo alias. Tertio, alii confusi sunt, robur, splendorem et gloriam videntes eorum quos torquebant, ut Maximianus Imp. cum toties S. Pantaleonem ignibus, rotis, aquæ, aliisque tormentis subduci ab angelis cerneret. Quarto, alii iustitia Dei ultrice occisi sunt, et male mulctati. Pausanias lib. 5. qui est primus Eliacorum fol. 321. refert, illud iustitiæ simulacrum: *Formosa mulier, quæ deformem facie alteram, sinistra obstricto collo trahit, dextera cædit fustibus, iustitiam significat, quæ iniustitiam male mulctat.* Orphæus in hymno ad laudem iustitiæ facto sic concinit: O mortalibus iustissima, opulenta, desiderabilis, quæ puris sententiis semper iura administras integra conscientia, quæ franges omnes: ὅσσοι μὴ τὸ σὸν ἦλθον ὑπὸ ζυγὸν, quicumque tuum non subierunt iugum, sed illud trutinis violentis inclinaverunt immoderate: ita ipse. Atque ut ne ab aspidis comparatione recedamus, contritio hæc impiorum explicari potest audaci et mirabili facto S. Macarii, qui aspidem discerpsit. Palladius rem narrat in hist. Lausiaca cap. 19. Cum, ait, S. Macarius puteum foderet ad recreandos monachos, morsus est ab aspide: est autem venenatum et exitiosum animal. Tum vero ambas aspidis fauces ambabus manibus apprehendens, ταύτην διέρρηξε, illam discerpsit, dicens: Cum te non misisset Dominus meus, quomodo ad me ausa es accedere? Ita Deus et sancti suos calumniatores conterent in die iudicii, et in hac ipsa vita id sæpe contingit. S. Macarius aspidem mirabiliter necat.

28. Vers. 7, 2. Pars. Secundo, hostes suos et iudices David comparat leonibus, quibus fractæ sint maxillæ et molares dentes, v. 7. MOLAS LEONUM CONFRINGET DOMINUS. Alludit ad Samsonem, qui descendens in Thamnatha cum patre suo et matre dilaceravit leonem, quasi hædum in frusta discerpens, Iudic. 14. Secundo, et potius alludit ad vim sibi a Deo datam, qua leonum et ursorum rapientium arietes de grege apprehendebat mentum, eosque suffocabat et interficiebat, 1. Reg. 17. 35. *Molas* porro intelligit, molares den-

tes, qui sunt fortissimi et maximi. Ubi adverte, quod dentes varia habent nomina. Qui enim primum apparent apertis labiis, *Primores* nominantur, lati et acuti, quibus cibus inciditur: τομεῖς, κτένες, διχαστῆρες, γελασῖνοι. Ipsi enim non cibo tantum et alimentis necessarii, sed vocis etiam sermonisque regimen, ut ait Plinius lib. 7. cap. 16. primores tenent, concentu quodam excipientes ictum linguæ. Qui vero sequuntur, quasi rotunda specie acuti in modum serræ, *Serrati* dicuntur, ab antiquis *canini* appellantur in quocumque animali, κυνόδοντες, καρχαρόδοντες. Denique sequuntur *Maxillares*, qui duplices sunt, cibumque conficiunt, ob id *Molares* dicti: γομφίους illos vocat Xenophon. Clavorum enim modo genis infiguntur. Syrus in Psalmo nostro vertit, *Caninos dentes leonum evulsit Dominus*. Sed Hebr. מלתעות *malteoth*, significat molares dentes, et sic reddit S. Hier. Felix, Camp. et alii. Græcum μύλοι usurpatur a Galeno pro dentibus molaribus qui cibum molunt: ab Hesychio etiam pro maxillis, et hic Apollin. vertit γαμφηλὰς, id est, maxillas. Sic erit pœna gravior, cum non dentes modo, sed maxillæ ipsæ frangentur.

Dentium varia nomina.

Leones sunt qui hostes sunt piorum.

Leones sunt hostes et iudices Davidis, et piorum, cum aperta vi grassantur: Aspides vero, cum occulto veneno detractionum, susurrationum et calumniarum interimunt. Canini dentes impiorum, dicteria eorum sunt, cavilli, leviores iniuriæ. Molares vero sunt graviores contumeliæ et oppressiones: confringuntur a Deo cum præda capta iam excutitur, et impediuntur ne amplius nocere possint. Iob rex pius id faciebat, ut testatur cap. 29. 17. *Conterebam molas* (Hebr. *malteoth* molares dentes) *iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam*. In ea pœna non sistit Deus, sed molas ipsas e loco suo extundit, et in terram dissipatas decutit. Ierem. 23. 28. *Dereliquit quasi leo umbraculum suum, quia facta est terra eius in desolationem a facie iræ columbæ*. Sanctius noster in eum locum docet, in vexillis Iudæorum fuisse leonis insigne: in vexillis vero Assyriorum, columbam: itaque vult prædici Iudæos ab Assyriis vincendos. David erat columba, et alas columbæ optat, Ps. 54. 7. Saul et eius satellites leoninis dentibus in ipsum sæviebant. Deus vero, illos punit. Nahum 1. 2. *Deus æmulator, et ulciscens Dominus: ulciscens Dominus, et habens furorem: ulciscens Dominus in hostes suos, et irascens ipse inimicis suis.*

In Gavartiano agri Bellunensis vico suburbano, ut ait Pierius lib. 1. cap. 30. reperti sunt magno numero nummi, a quorum una facie mulier corona insignis longaque palla induta sedet, manum ad ensis inversi capulum extendens, ita ut apex ipsius capuli volam impleat, literæ circumscriptæ, IUSTITIA. Ab altera facie eadem mulieris effigies, amictu in exporrectam retro dexteram appenso, læva supra leonis caput postremis pedibus residentis iniecta: litteræ adsculptæ erant, LEONIS HUMILITAS. Quo quidem symbolo mihi commode adumbratum videtur, vel ferocissimos quosque iustitiæ subiici, aut volentes, aut invitos. Novit enim divina iustitia leoninos animos vel levi manus iniectu comprimere.

Domantur a Dei iustitia.

Iudices sæpe trahi se in devia patiuntur, aureo vinculo, a vilissimis hominibus, velut leones a leporibus: sed Deus obvios, velut Hercules leonem Nemæum ferrea clava contundit. Hoc in memoriam indicum suorum Athenienses revocabant; cum teste Sigonio in Republ. Athen. ante iudicum consessum iubebant mactari porcum, velut expiatoriam victimam: moxque sedilia rore sanguineo leviter respergi, ut scilicet severitatis in alios exercendæ essent memores, et divinæ iustitiæ ipsis impendentis.

29. Allegor. Alleg. Hæc de Iudæis Christum persequentibus sunt intelligenda: ita S. Aug. Quando, ait, insidiabantur Domino, Matth. 22. 17. licet dare tributum Cæsari, annon licet? aspides erant, serpentes erant. Contriti sunt dentes eorum in ore ipsorum. Postea clamaverunt, Crucifige, crucifige. Iam non est lingua aspidis, sed fremitus leonis. Sed et molas leonum confregit Dominus: ita Augustinus.

30. Tropol. Tropolog. Dicitur de malis, maxime de detractoribus, Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum. Quia enim mordent alios, punientur in dentibus. Galat. 5. *Si invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini*. Apocal. 16. *Commanducaverunt linguas suas præ dolore*. Molas leonum confringet Dominus. Leo habet dentes fœtidos, sic detractores loquentes semper de fœtore aliorum. Et nota, quod hic dicit duo, dentes et molas. Dentes dicit incisivos, quibus inciditur cibus. Molas, quibus molitur; scilicet dentes posteriores, qui vocantur molares. Per dentes ergo hic intelligitur detractio, quæ ponit schisma inter bonos. Per molas, detractio, qua diminuitur bonum alterius. De prima dicitur Eccli. 28. 15. *Susurro et bilinguis maledictus: multos enim turbavit pacem habentes. Lingua tertia multos commovit, et dispersit illos de gente in gentem, civitates muratas divitum destruxit, et domos magnatorum effodit, virtutes populorum concidit, et gentes fortes dissolvit: qui respicit illam, non habebit requiem, nec habebit amicum in quo requiescat*. De secunda, scilicet de molis, dicitur in eo capitulo, v. 21. *Flagelli plaga livorem facit, plaga autem linguæ comminuet ossa:* id est, opera bona et fortia. Molas ergo leonum confringet Dominus; secundum illud Iob 29. 17. *Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam*. Sunt autem detractionis tres species. Prima, est veri boni diminutio, vel denigratio. Secunda, veri mali augmentatio vel manifestatio. Tertia, falsi mali impositio. Et de his tribus dicitur Dan. 7. 5. *Ecce alia bestia similis urso in parte stetit, et tres ordines erant in ore eius*. Deut. 32. 24. *Dentes bestiarum immittam in eos:* ita Hugo Cardinalis.

TERTIO, hostes suos et iudices comparat David aquæ 31.
decurrenti et pereunti, v. 8. AD NIHILUM DEVENIENT, TAMQUAM AQUA DECURRENS. Pro *ad nihilum devenient*, Hebr. est ימאסו *immaasu*, id est, *spernentur:* ita legerunt S. Hilar. et August. reprobabuntur, reiicientur, contemnentur: ita Syr. et Arabs: vertunt enim, *Contemnentur, tamquam aqua effusa*. Vide dicta Ps. 21. 15. in illa verba: *Sicut aqua effusus sum*. Secundo, *immaasu*, liquefient, ut reddit Arias. Liquefiant, ut Felix. Dissolventur, ut Pagninus, qui in thesauro censet poni pro *immaasesu*, id est, colliquescent. Campens. habet, diffluant, sicut aquæ labiles.

Vers. 8. 1. Pars.

Quæres, de qua aqua hic est sermo? Resp. de quadruplici posse esse. Primo, de aqua maris, quæ in tempestate videtur tolli ad sidera, et omnia debere submergere; sed elisa ad scopulos, in vilem spumam abit: ita aulici Saulis fient spuma et lutum.

Impii cito pereuntes sunt similes aquæ maris.

I.

Secundo, intelligi possunt aquæ nubium, quæ primo sublimes sunt. Secundo, luminosæ. Tertio, variis coloribus mirabiles in iride. Quarto, a sole calefactæ et leves. Quinto denique, supra caput nostrum minaces: sed in terram cadentes cum pulvere fiunt lutum, aut viles ranulæ coaxantes et cœnum quærentes. Homerus fingit Iliad. o. Iunonem aureo vinculo in aere pensilem a duabus incudibus deorsum trahi. Verba eius sunt Iovem loquentem Iunoni indicentis:

II. Aquæ nubium.

Non memor es, cum te de summo pensilem olympo
Demisi, utque pedes geminas grave pondus ad imos
Appendi incudes: manibusque tenacia vincla
Ex auro inieci: aeriis tu in nubibus alte
Pendebas, fremuere dii per ahenea cæli
Templa indignantes, neque te dissolvere quisquam
Evaluit.

Iuno est nubes in aere pendens: incudes duæ, quibus in terram deiicitur, sunt gravitas ima petens, et frigus e regione calida resiliens. Scelerum pondere iudex impius in præceps decutitur, neque dii cæteri, hoc est iudices terreni, opem præstare possunt; sed ita concidit, ut nulla eius extet memoria. Incudes duæ illum deprimentes, sunt ignorantia et avaritia.

Tertio, *aqua decurrens* hic sumi potest aqua fluviatilis, III.
quæ in mare devolvitur: id est, in amaritudinem dolorum et mortis, ibique nomen suum amittit. Thecultis dicebat Davidi 2. Reg. 14. vers. 14. *Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur*.

Aquæ fluviorum.

Eccl. 1. 7. *Omnia flumina intrant in mare*. S. Hilar. in Psalm. nostr. Omnis, inquit, superfluentium aquarum cursus est otiosus, cum unusquisque ex his id tantum quod sibi utile putet esse derivet, cæteris meatu transcurrente perituris: cum ad solam sui abolitionem usque ad maria deferantur. Hæc Hilarius.

IV. Aquæ torrentis. Quarto denique, et commodissime, *aqua decurrens* quæ ad nihilum devenit, est aqua torrentis, quæ ex alto monte desilit, obvia abripit et vastat, ac brevi in aliquem terræ hiatum, quem efficit, se præcipitans disparet. Tales torrentes sentiebat David cum dicebat Ps. 17. 5. *Torrentes iniquitatis conturbaverunt me*. His applica illud Numer. 21. 15. *Scopuli torrentium inclinati sunt ut requiescerent in Ar, et recumberent in finibus Moabitarum*. Ar significat vigilem: Moabitæ, desiderantes: scopuli, hoc est, potestas et divitiæ, ac tumor impiorum, inclinati sunt: ut populi miseri et afflicti requiescerent in Dei vigilis providentia, et in finibus iustorum cælum desiderantium, qui Danielis instar sint viri desideriorum cælestium, non auri et argenti. S. August. hoc loco nobis animos addit: *Omnes impii*, ait, *omnes superbi, sonantes ad saxa superbiæ suæ, quasi aquis irruentibus et confluentibus non vos terreant, ut hyemales aquæ sunt, semper manare non possunt: necesse est ut decurrant, necesse defluant in locum suum, in finem suum*: ita ipse. Gelidis e nivibus, licet speciosis, torrentes ut plurimum fiunt, quibus prætercurrentibus nihil est residui præter lutum. Potentia principum et iudicum e tribunali, velut monte excelso, omnes terrentium nihil videtur sublimius; sed finem, et descensum considera. Deliros quidam senex Arrianus, canam niveamque barbam suam tractans et capillum: *Ex hac nive*, ait, *cum soluta fuerit, quantum existet lutum?* Indicare cupiens, quanta erroris fœditas eo mortuo secutura esset.

Ad nihilum aquæ omnes sublunares cito deveniunt. Ierem. 13. 18. ait Deus: *Dic regi, et dominatrici*, id est, Iechoniæ et matri eius Nohestæ: ita S. Hier. et S. Thomas; 2. Sedeciæ, et matri eius: ita Lyranus; vel uxori eius, ut Chaldæus habet; 3. regi Sedeciæ, atque Ierosolymæ urbi Iudææ metropoli, *humiliamini, sedete: quoniam descendit de capite vestro corona gloriæ vestræ*. Sedeciæ regis anno undecimo eversa est et incensa Ierosolyma cum templo: *Civitates Austri clausæ sunt, et non est qui aperiat: translata est omnis Iuda translatione perfecta*, in Chaldæam: hoc est, in inferos. *Chaldæi* enim sunt *quasi dæmones*, ut sæpe monui. Id autem eis evenisse propter multitudinem iniquitatis dicitur postea. S. Cyrill. Alex. in eum locum sic ait: Quotquot ex illis cultu et observantia, quæ Deo debentur, impie contemptis, *Legibusque iustitiæ administris pro nihilo ductis*, suo fastui suisque libidinibus libere indulgendum esse putaverunt, omnes hi mali et miseri, male misereque perierunt. Est enim res periculosissima, quippiam in Deum committere, et *proculcata æquitate* quocumque modo in illius offensam incidere: ita Cyrillus. Cum se iniquus iudex, aut patronus, auro suffarcinat, ad nihilum misellos rusticos deducit: sed viceversa aureos illos montes virga percussos in aquam Deus dissolvit, quæ lacunis terræ hausta dispereat.

32. Vers. 8. 2. Pars. Impii sunt feræ sagittis confossæ. QUARTO, hostes et iudices Davidis comparantur feræ, sagittis transfixæ et deficienti ob vulnus, v. 8. INTENDIT (adversarius meus: ita Crucius, Gagneius, et Peregrinus Herus. Secundo, diabolus: ita Greg. Nyss. tract. 2. in Ps. cap. 15. Tertio, et optime, intendit Deus) ARCUM SUUM, DONEC INFIRMENTUR, inimici et persecutores mei, Hebr. *donec*, יתמוללו *ithmolalu*, id est, conterantur: ita S. Hier. Confringantur: ita Campens. Præcise, donec ipsi se confringant, excidant, circumcidant, conterant. Est enim verbum in Hitpael, quod significat actionem eiusdem in seipsum. Sensus est, q. d. Deus intendit arcum suum, et intento arcu tela frequentia et penetrantia in hostes meos iaculatur, donec ipsi debilitentur et intereant, imo seipsos interficiant, sicut accidit Sauli, qui variis Dei flagellis impetitus, et a Philisthæis victus, seipsum occidit. Ad eum alludi hic crediderim: in prælio enim variis sagittis hostium saucius, gladio proprio se transfodit, 1. Reg. cap. ult. 4.

Nota, intentus Dei arcus denotat summam vitæ et necis potestatem, quam in omnes habet. Attila mortuo Martianus Imp. in somnis vidit arcum ipsius relaxatum: aut, ut aliis placet, fractum: ut sic intelligeret potestatem eius omnem intercidisse. Baranus rex ubique sibi gladium et funem præferri imperabat, insigne potestatis et iustitiæ. Romanis Consulibus fasces semper et secures præibant; ut, cum res ferret insontes a lictoribus expedirentur. Deus vero arcum et sagittas ostentat, ut intelligas etiam e loco remotissimo posse vulnerare, et nisi te ad eum converteris, nunquam securum fore. Ps. 7. vers. 13. dicitur: *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, et paravit illum, et in eo paravit vasa mortis: sagittas suas ardentibus effecit*. Causam addit postea: *Ecce parturiit iniustitiam, concepit dolorem, et peperit iniquitatem*. Illum locum consule. Vere dixit S. Cyrill. Alex. lib. 1. de recta fide ad Theodosium Imp. *Supremum piissimi et clarissimi imperii firmamentum est Dominus Iesus Christus*. Igitur, eo sublato, et nos non amplius sustentante, infirmemur necesse est: quid vero accidet, si nos sagittis suis exhauriat et evacuet. — Intentus arcus quid denotet.

Tropol. Iniustitia, est causa ruinæ et excidii. R. Elisan. *Si*, ait, *vides aliquam ætatem tribulationibus obseptam; quære, et investiga iudices Israel: quia omnia supplicia et flagella mundo invecta, non veniunt nisi ob iudices Israel*. Cercetes artem navigandi magnifaciebant: sed, si quis scapham regens aberrasset, et vectores in discrimen adduxisset, eum singuli sputis et luto appetebant, et omni contumelia afficiebant, ut refert Nicolaus Damascenus lib. de moribus gentium. Idem facit Deus in iudicibus, quibus Remp. deducendam in portum tradidit.

QUINTO, hostes et iudices suos David comparat ceræ diffluenti et pereunti vers. 9. SICUT CERA QUÆ FLUIT AUFERENTUR: SUPERCECIDIT IGNIS, ET NON VIDERUNT SOLEM. Alludit ad faces et cereos in funeribus adhiberi solitos, et apud Iudæos, et apud Gentiles. Hunc morem semper retinuit Ecclesia, iam ab ipso principio. In funere B. Virginis, adhibitos esse cereos cum facibus tradit Nicephor. lib. 2. cap. 22. in funere S. Cypriani martyris Pontius Diaconus: in funere Meletii, S. Greg. Nyssen. qui idem refert de funere S. Macrinæ sororis suæ: Eusebius de funere Constantini Imperatoris, S. Greg. Naz. de funere Constantii Imp. S. Hieronymus de funere S. Paulæ. — 33. Vers. 9. 1. Pars.

Nota, pro *cera*, Hebr. est שבלול *sciabbelul*, quæ vox primo ut vult R. David significat limacem. Unde Chald. vertit, *Sicut reptile limax, qui madefacit viam suam*. Flamin. Instar limacis colliquescentis dilabatur. Campens. Similes fiant limaci, quæ inter rependum colliquescit. Sic dixeris non prorsus inepte, Septuag. per ceram quæ fluit, Davidem intellexisse spumam, sive salivam et excrementum limacis: fluit enim, et cito deperit, tum pedibus hominum calcantium, tum pluvia, tum terræ humore, tum sui tenuitate: lucet illa spuma, sed ad modicum tempus. Secundo, *sciabbelul* est vermis rabidus. Hinc S. Hieronymus reddit: *Quasi vermis tabefactus pertranseant*. Per vermem tabefactum, arbitror eum intelligere limacem: illi similes erant Saul et satellites eius: Primo quia terrenis intenti terrea se domo claudebant, in ea corde et affectu habitabant, ab ea expelli a Davide metuebant. Secundo, in sua spuma calumniæ, detractionis, invidiæ, et aliorum vitiorum vivebant. Tertio, irati cornua in ipsum erigebant, sed cornua limacis, id est, infirma, ridicula, quæ levi pedis motu obteri possent. Quarto, lucem aliquam et splendorem habebant in viis suis, ob fluxum spumæ, id est, honorum terræ, sed lux illa cito evanuit. Chaldaica verti possunt: *Sicut limax tabefactus, qui consumitur in itinere suo*. Tertio, *sciabbelul* est extima fœtus membrana: ita Symmach. qui vertit, ωσπερ χοριον διαλυθεν διαφωνω, *sicut secunda membrana dissoluta dissonat*, id est, deficit. Secundæ, sunt membrana illa, qua partus obvolutus ex utero prodit: sic vocatæ quod nascentem infan- — Limaci similis Saul et alii Davidis hostes. — 34. Secundæ membranæ etiam similes.

tem sequantur. Ab Hippocrate et Aristot. vocantur χοριον, quod in eo vasa velut in choro disposita sint. Dicitur etiam χωριον per omega ab Hippocrate de nat. inf. quod sit velut factus domicilium. Vel a χωρεω, quod una cum fœtu procedat. Secundis comparatur Saul, et satellites eius. Primo, quia sicut secundæ continent puerulum in utero matris velut in spelunca et carcere; ita illi Davidem in speluncis variis. Secundo, sicut secundæ conservant vitam infanti qui in illis crescit, et sine illis periret; ita afflictio illa servabat Davidem, qui in ea crescebat et augebatur virtutibus; quique postea in prosperitate lapsus est. Tertio, sicut secundæ post natum infantem abiiciuntur: ita et Saul atque eius satellites post perfectum Davidem. Quarto denique, *sciabbelul* est *cera:* ita Sept. Noster, Syr. Arab. S. Hilar. S. Augustin. et alii. Et vero, cum semel tantum hæc vox in Scripturis reperiatur, non video cur a Septuaginta interpretibus viris doctissimis recedendum sit. Ceræ autem confertur Saul primo, quia cera est opus apum; et Saul opus Dei, qui eum regem fecerat. Secundo cera utilis est ad lumen, Saul splendescebat in suo regno. Tertio, cera dum lucet, diffluit: Saul in suo honore deperit; qui ante illum erat integer, sicut puer unius anni.

35. Prælati sunt lampades. Nota, in densa caligine urbes degerent, nisi sacrorum hominum et legum tam divinarum quam humanarum luce illustrarentur: essent in Cymmeriis tenebris veterum Scytharum, et nuper repertorum Huronum, Iroquiorum et Canadensium. Sed ubi scientiarum atque virtutis sol irradiat, ibi serenos virtutum dies animadvertis. Primo, Ecclesiæ Prælati sacræ faces sunt et lampades, ac cerei, qui in altaribus se Deo conservent et substantiam suam offerant. Hinc apud Utopienses præferebatur Episcopis cereus, loco baculi pastoralis. Secundo, principes et reges (2. Reges et principes.) sunt regnorum faces. Hinc lampas præferebatur Imperatoribus. De Græcis ait Georg. Codin. tract. de officio aulæ Constantinopol. cap. 6. *Lampadem*, inquit, *præferunt Imperatori, propter illud Christi dictum: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.* Quin etiam, cum cereæ imagines Imperatoris ad civitatem aliquam mittebantur, plenis portis effusus populus et Senatus ibat obviam ferens cereos, ut docet Optatus: *Laureatis*, ait, *iconibus, quæ mittuntur ad civitates, vel regiones, obvii aderant populi cum cereis et incensis: non cera perfusam tabulam, sed Imperatorem honorantes.* Ubi nota obiter, hæreticorum pervicaciam, qui sanctorum et Christi imaginibus eum honorem impendi nolunt, quem imagini regis impenderent. Tertio, magnates, magistratus, senatores (3. Magistratus.) ac iudices sunt faces, et lumina populorum. Ideo ipsis etiam lampades dabantur Constantinopoli. Georg. Codinus cap. 8. de officiis aulæ Constantinopol. *Imperatori*, ait, *tradit Patriarcha lampadem: a prædictis vero ministris dantur lampades iis qui in dignitate sunt, et omnibus circumstantibus proceribus aulicis.* Quarto denique, singuli Christiani (4. Christiani singuli.) sunt faces accensæ in baptismo, qui vocatur φωτισμος, id est, illuminatio: quia in eo datur lux fidei, et virtutum; φως item hominem et lumen significat.

36. Cereus noster custodiendus est, ne extinguatur. Nota secundo, diligenter cereus noster custodiendus est, ne extinguatur. Petr. Blesensis, serm. 49. ad monachos: *Vidistis quempiam sub dio ambulantem, cereum faculam succensam in manibus ferentem: utraque manu custodit eam, ne vi ventorum extinguatur: et si quando aduritur, ustionem sustinet patienter. In hunc modum cor vestrum illuminatum gestatis, tamquam lucernam ardentem in manibus, ut dicatis: Anima mea in manibus meis semper.* Manibus itaque, id est operibus, videat unusquisque: sed præsertim qui aliis præsidet, ut lucem sibi inditam tueatur. Habeat facem ingentem, in qua duodecim cereæ candelæ sint, quales pueris circumcidendis præferre solebant Iudæi, ob duodenarium tribuum numerum: nos singulis diei horis unam aptemus: aut melius, duodecim anni mensibus. Ac ne noctem illunem, et stellis orbam, traducamus, utamur Alfredi candela, quæ per vigintiquatuor horas durabat. De illa Wilhelmus Malmesburiensis lib. 1. de gestis regum Angliæ, cap. 4. *Postremo*, ait, *ut omnem vitam Alfredi breviter elucidem, vigintiquatuor horas, quæ inter diem et noctem iugiter rotantur, ita dividebat, ut octo horas in scribendo, et legendo, et orando: octo in cura corporis: octo in expediendo regni negotio transigeret. Erat in capella sua candela viginti quatuor partium, æditususque, cui hæc delegabatur provincia, ut per combustionem candelæ, regem de singulis admoneret officiis.* Fluit tempus nostrum, sicut cera candelæ et aqua clepsydræ; dum tempus habemus, operemur bonum.

Nota tertio, sancti viri in Dei obsequio absumuntur, velut cerei in templis: sed eorum lucem Deus acceptat et adauget, odoremque in cælos transfert. Impii vero, cupiditatum igne torridi in liquentes stygis flammas defluunt. Hoc prædicit Vates noster Ps. 67. 3. *Sicut fluit cera, a facie ignis: sic pereant peccatores, a facie Dei.* Sive sint pauperes et abiecti. Mich. 1. 5. *Valles scindentur, sicut cera a facie ignis.* Sive potentes et excelsi. Ps. 96. 5. *Montes, sicut cera fluxerunt, a facie Domini.* Absalon Abbas ser. 41. de festo omnium Sanctorum in peccatorem invehens dicit: *Ut quid, o anima misera, mensa divinæ legis in laqueum facta est? Ut quid, fontem scaturire aspicis, et aquam non bibis? Ut quid, favum in ore tenens, ceram conteris, abiiciens mellis dulcedinem?* Ita ille. Mel gustemus sapientiæ et virtutis: ceram accendamus scientiæ et laboris. Clem. Alex. in Stromatis, impios vocat ceræ figmenta, quia cito diffluunt.

Sexto, hostes suos et iudices comparat David igne divino excæcatis aut ambustis, v. 9. Supercecidit ignis, 37.
et non viderunt solem; id est, cæci facti sunt; 2. et Vers. 9. 2. Pars.
melius mortui sunt. Nam in phrasi Scripturæ, non videre solem est mori, vel non nasci. Ecclæ. 6. 3. Sic dicit Virgilius lib. 4. Æneid. de Didone regina, lucemque relinquat. Et Lucretius lib. 5. dulcia linquunt labentis lumina vitæ. Fortasse ante ultimam Saulis pugnam, aut in ipsa pugna, in qua victus est a Philisthæis, micuerunt fulgetræ: et cælestis ignis, hoc est, fulmen cecidit in aliquos eius duces aut milites. Non est enim necesse, ut Scriptura ubique omnia exprimat. Hoc accidit cum Iosue pugnavit prope Gabaonem, contra quinque reges Chananæos, Iudic. 10. Item, cum Philisthini irruerunt in Israelitas congregatos in Masphath, circa tempus Samuelis: tunc autem victi sunt Philisthini illi, 1. Reg. 7. 10. Legio etiam fulminatrix tempore M. Aurel. Antonini Imper. precibus suis evocavit fulmina in Marcomannos. Unde victi sunt a Romanis, ut refert Baronius ann. 176. Erat illa legio Christiana.

Nota, pro *supercecidit ignis*, Hebr. est נפל אשת *nephel esceth*, quod Primo S. Hier. Pagn. Arias vertunt, *quasi abortivum mulieris*, quod non vidit solem: *nephel* enim, significat puerum, seu massam et molam cadentem per abortum. Rad. *naphal*, id est, cecidit; *esceth* vero mulierem, sicut *is* virum. (Impii sunt abortivum et talpa.) Secundo, Felix reddit: *Velut abortivum, velut talpa qua non viderunt solem.* Chald. *Sicut abortivum, et talpa cæca, quæ non vident solem.* Talpam nominant, quia Chaldaice vocatur *asciutha*, in Lev. 11. 30. Tertio denique, Sept. optime verterunt *supercecidit ignis*, fortasse legerant *naphal*, id est, cecidit; retineri etiam potest *nephel*, id est, lapsus, casus, q. d. Fuit casus ignis, et sic non viderunt solem. Suspicantur Richardus Cenomanus et Bellar. olim fuisse tantum *es*, id est, ignis; non *esceth*; 2. Genebr. opinatur *esceth* poetice et Syriace idem esse quod *es*, id est, ignis; et inde deduci εστιαν Græce, et Latine vestam; 3. probabile mihi videtur *esceth* significare ignem sicut *es*: neque necesse est sæpius in scriptura reperiri.

Tropolog. Cum cadit ignis luxuriæ aut avaritiæ, et 38.
aliorum vitiorum in aliquem, non videt solem, id est, Luxuria et avaritia excæcant.
legem; aut Christum, qui est Sol iustitiæ. S. Augustinus: *Supercecidit ignis, et non viderunt solem. Videtis, quomodo dicat quamdam pœnam obscurationis. Ignis supercecidit, ignis superbiæ, ignis fumosus, ignis concupiscentiæ, ignis iracundiæ. Quantus ignis est? Super quem ceciderit,*

non videbit solem. Ideo dictum est, Ephes. 4. 25. Sol non occidat super iracundiam vestram. Ergo fratres, ignem malæ concupiscentiæ timete, si non vultis liquefieri sicut cera, et perire a facie Dei. Supercadit enim ignis iste, et solem non videbitis. Quem solem? non istum quem tecum vident et pecora, et muscæ, et boni et mali: quia facit solem suum oriri super bonos et malos. Est et alius sol, de quo dicturi sunt illi, Sap. 5. 6. Et sol non ortus est nobis, transierunt omnia illa tamquam umbra. Ergo erravimus a via veritatis, et iustitiæ lumen non luxit nobis, et sol non ortus est nobis. Quare? nisi quia supercecidit ignis, et non viderunt solem.

39. *Lex Dei dat lucem.* Nota, lex et lux magnam habent affinitatem, qua de re dictum est Ps. 18. sect. 2. Adde, quod Gen. 1. 3. dicitur: *Et vidit Deus,* את האור *eth haor, lucem, quod esset bona.* His litteris Hebraicis lucem significantibus dicunt Rabbini contineri numerum 613. præcepta autem omnia Iudæorum pari numero extitisse: nam 248. fuisse affirmativa, 365. negativa, tot scilicet quot dies in anno, ut singula singulis diebus essent instar columnæ illius mirabilis, et igneæ, diu noctuque populum in deserto deducentis. Lucem amant lex, veritas, et iustitia. Et vero, Romani sua Senatusconsulta ante auroram, et post occasum solis facta, rata non habebant; sicut neque nunc apud nos in Gallia. Iustitia vocatur a Macrobio Iovis oculus, sine illo oculo homines Andabatarum more inter se pugnant et digladiantur. S. Chrysostomus iustitiam vocat solem, qui omnes illuminet. Verba eius habentur in Catena Græca super cap. 31. Ierem. *Sicut*, inquit, *sol iste non magnis tantum, sed et parvulis splendet: sic, et iustitiæ sol, parvorum, grandium, servorum, liberorum, principum, subditorum, regum, privatorum, infantium, senum, omnium animos lumine cognitionis illustravit.*

40. *Iudices sunt lumina urbium.* Si iudices solem iustitiæ in se recipiant, erunt parelia et alteri soles urbium et regnorum. Cassiod. lib. 6. variar. 11. *Sicut*, inquit, *cælum stellis redditur clarum: sic relucent urbes lumine dignitatum.* Et Libanius scribens ad Lynochum Bithyniæ Præsidem: Quemadmodum, ait, nubes Phœbæum lumen occultantes tenebras mortalibus exhibent, quas Phœbi præsentia fugat: ita et Bithynia, vitia omnia quibus laborat, in virtutes te præside commutavit. R. Iuda dicit, eos qui legem amant, in cælo lucere: *Illius aspectus*, inquit, *cuius facies super verba legis vigorem contrahit in hoc mundo, benedictus Deus splendere faciet in alto.* In his etiam terris emicant, ut patuit in Mose leges manibus ferente. Christi lex est radius solis iustitiæ, quo nomine ipse vocatur Malach. 4. 2. et a S. Ambrosio sol novus, dicitur dies natalis eius. Sic enim ait serm. 16. de natali Domini: *Bene quodammodo servatam hanc diem Natalis Domini, solem novum vulgus appellat, et tanta sui auctoritate id confirmat, ut Iudæi etiam atque Gentiles in hac voce consentiant.* Sed multi similes sunt iniustis illis senibus Susannam accusantibus, qui everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos suos, ut non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iustorum, ut dicitur Daniel. 13. 9. Non tot astris cælum emicat, nec tot radiis sol in cælo splendescit, quot præsidibus et consiliariis Respubl. Christiana illustratur: quo damnabiliores sunt ii, qui velut noctuæ claro in meridie cæcutiunt. Hoc illis exprobrat Iob 5. 14. *Per diem incurrent tenebras, et quasi in nocte sic palpabunt in meridie.* Comparari iure possunt cum Persis, qui solem in obscuris speluncis adorabant, de quibus Iulius Firmicus lib. 3. de err. prophan. religion. *Persæ*, ait, *hunc solem mithram dicunt: sacra vero eius in speluncis abditis, tradunt, ut semper obscuro tenebrarum squalore demersi, gratiam splendidi ac sereni luminis non videant.*

41. *Avaritia est ignis.* Nota secundo, avaritia est ignis excæcans. Primo quidem, S. Basil. eam ignem facit, qui avarum ita succendat, ut obvia quæque consumat. Sic enim ait hom. in ditescentes, tom. 1. fol. 401. *Avarus vim naturamque ignis imitando omnia comprehendit,* παντα επινεμεται, *omnia depascitur.* Et alibi. Igne vehementior est avarus, omnia continuando finibus suis occupat: ita ipse. Si avaritiæ iungas fraudem rabularum forensium, efficis funestam et ardentem tædam furiarum. Theodoret. lib. 6. de Providentia: *Nequitia*, inquit, *divitiis adiuta,* μειζον αναπτει πυρσον, *maximam facem succendit, et incendium excitat.* Avaritia illa, ignis est inferorum molestus fumo, spectrisque horrificus, atque tam voraci flamma succensus, nullo ut pabulo satiari possit. S. Aug. lib. de salutar. docum. c. 30. *Avarus vir*, inquit, *inferno est similis. Infernus enim quantacumque devoraverit, nunquam dicit, satis est. Sic, si omnes thesauri confluxerint in avarum, nunquam satiabitur.*

Cæcitatem inducit. Secundo, avaritiæ ignis excæcat. Hinc Plutum, sive Plutonem, divitiarum Deum, πλουτος enim sunt divitiæ, plerumque veteres cæcum pingebant. Clem. Alex. in Strom. *Si*, ait, *divitiæ sunt cæcæ, quomodo animæ, quæ eas stupore insano defixæ suspiciunt et admirantur,* ου τυφλωττουσιν, *non excæcantur?* Antiphanes comparat divitias medico malo ægrotum suum excæcanti: Opulentia, inquit, ωσπερ ιατρος κακος, tamquam medicus malus, nos cæcos facit, quos videntes acceperat. S. Chrysost. divitias similes facit maligno humori oculos vitianti hom. 21. in Matth. Amor divitiarum, ait, pupillam mentis, quasi malignus quidam humor influxit, et densam nebulam prorsus operatus est: ita ipse. Ex hac cæcitate fit, ut avari a regno cælorum aberrent, et iustitiæ solem Christum non videant, ut vere de illis dicatur: *Supercecidit ignis, et non viderunt solem.* Hoc tradit Clemens Alexandr. lib. 2. Strom. fol. 120. *Divitiæ*, ait, *quæ recte non administrantur,* ακροπολις εστι κακιας, *sunt arx vitii ac sceleris, in quibus multi cæcutientes, cælorum regnum nunquam ingredi poterunt.* Hanc pestem fugiant iudices, qui debent esse arx virtutum, ad quam omnis populus fugiat; et lux civitatum, atque regnorum, qua omnes illuminentur, recreentur, dirigantur atque foveantur. Plutarchus tract. de Iside et Osiride tradit, in festo solis præceptum esse omnibus eum venerantibus, ne aurum gestent corpore, et ne asino pabulum præbeant. Sol est iustitia, antistites templi eius sunt iudices; nec corpore, nec animo, aurum recipiant, dum ei sacra faciunt; ne sinant se auro corrumpi, et cæcari. Asinos quoque sciant arcendos a lilliatis subselliis: urticæ et cardui asinos decent, non lilia. Lepidum est, quod refert Ammian. Marcellin. lib. 27. cap. 2. Pictorii asinum prope horam tertiam plurimis inspectantibus tribunali iudicis conscenso rudere cœpisse. Asinus etiam in ipsis doctorum exedris ruditum edet.

Septimo denique, hostes suos et iudices iniquos comparat David spinis excisis, v. 10. Priusquam intelligerent spinæ (Hebr. סירות *siroth*, ollæ, ut Muisius vertit; lebetes, ut Pagninus: sed non placet, cum sensus sit valde obscurus, et Sept. Psalt. Syr. Arab. et Æthiopicum, S. Hieron. S. Hilar. et alii habeant, *spinæ*) vestræ rhamnum: sicut viventes, sic in ira absorbet eos. S. Hilar. et Psalterium Æthiop. *absorbebit vos.* Bellarminus putat hoc loco positum absorbet pro *absorbebit*, sicut in Evangelio Ioan. 15. ponitur *ardet*, pro *ardebit*. Hebr. est in futuro tempore ישערנו *isarennu*, id est, tremore eos concutiet, turbine eos rapiet, tempestate iactabit. Ubi adverte, fieri transitum a persona secunda ad tertiam: cum enim dixisset *spinæ vestræ*, addit *absorbet eos*. Illa autem mutatio personæ frequens est apud Hebræos sicut mutatio temporum. 42. *Vers. 10.*

Rhamnus quid. Rhamnus porro, est rubi genus, quod Gallice vocamus *bourgespine;* quodque candore et fruticatione cæteros rubos vincit; ramosque, rectis aculeis, non ut cæteri aduncis, dispergit, foliaque habet maiora. Dioscorides 8. simpl. medicam. et 3. de medicamentis facile parandis, num. 120. docet, rhamnum in sepibus fruticare, ramos ferentem rectos, aculeosque in modum acutæ spinæ: triplicis autem generis esse, ut quidem contra Ruellium Matthiolus interpretatur; atque unius ramos porrigi in longitudinem quinque cubitorum; folia omnia igni sacro atque serpentibus ulceribus mederi: et valvis aut fenestris impositos ramos, veneficia depellere.

Sensus autem est, q. d. Priusquam spinæ vestræ teneræ intelligant, et sentiant se crevisse in rhamnum duriorem, qui me, meosque pungere et cruentare possit, antequam potestas vestra in me tanta sit, ut me transfigere possitis, Deus vos exscindet atque comburet. Hoc Sauli contigit, quia brevi cum suis iniquis consiliariis periit in monte Gelboe sterili, et spinis ac rhamnis pleno. Psalmum enim hunc cecinit David, ut vult Lyranus, cum potuit occidere Saulem dormientem in castris: de ea re dixi in expilcatione tituli; hoc autem accidit anno ætatis Davidis 29. Regni Saulis 17. Occisus est autem Saul anno sequenti: nempe 18. Regni sui, quo anno David cœpit regnare in Hebron super tribum Iuda et Beniamin anno ætatis suæ trigesimo.

Nota, quod dicitur *sicut viventes* absorbet eos, denotat
43. Saulem et socios scelerum eius rapi in dimidio dierum vitæ suæ; aut certe morte immatura, violenta, et improvisa. S. Hier. vertit, *Quasi viventes, quasi in ira tempestas rapiet eos.* Ubi alluditur ad Pharaonem et Ægyptios, in mari rubro tempestatem passos, et illos absorptos; 2. τὸ *absorbet viventes,* alludit ad Core, Dathan et Abiron, qui viventes terra absorpti sunt, et viventes in infernum descenderunt; 3. hic alludi potest ad apologum Ioatham filii Gedeonis, qui, cum Abimelech creatus esset rex a Sichimitis, stetit in vertice montis Garizim, et elevata voce ait, Ligna sylvæ, nempe olivam, ficum, et vitem aliaque misisse legationem ad rhamnum, ut sibi imperaret; eum vero respondisse: Si vere me regem constituitis, venite, et sub umbra mea requiescite: si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, et devoret cedros Libani. Post aliqua

Apologus Ioatham.

vero interiecta Ioatham imprecatur Sichimitis et Abimelecho, dicens Iudic. 9. 20. *Egrediatur ignis ex eo* (Abimelecho) *et consumat habitatores Sichem, et oppidum Mello: egrediaturque ignis de viris Sichem, et de oppido Mello, et devoret Abimelech.* Nihil hæc tunc profuerunt, sed post tres annos misit Dominus spiritum pessimum, id est discordiam, inter illos; ita Abimelech destruxit urbem Sichimitarum, et eorum turrim exussit: ipse autem, molæ a muliere delectæ fragmine oppressus est; cum Iudex, id est, Princeps Israelitarum, per tyrannidem esse voluisset. David Saulem spinis et rhamno comparat, et præcipue eius malos consiliarios et suos iudices. Ruinam Amasiæ regis Iuda superbientis non absimili comparatione cardui proponit Ioas rex Israel, 2. Paralip. 25. 18. *Carduus, qui*

Et Ioas.

est in Libano, misit ad cedrum Libani, dicens: Da filiam tuam filio meo uxorem: et ecce bestiæ, quæ erant in sylva Libani, transierunt, et conculcaverunt carduum. Ioas se nominabat cedrum, quia imperabat decem tribubus; Amasiam vero carduum, quia imperabat tantum duabus, nempe tribui Iuda et tribui Beniamin: cum Amasias eius dicta neglexisset, bello ipsum appetiit, sed victus et captus est in prælio.

Nota secundo, S. Hieron. clare vertit, *antequam spinæ*
44. *vestræ crescant in rhamnum.* S. Hilar. et S. Aug. legunt, antequam producat spinas vestras rhamnus. Nostra lectio concordat ad verbum cum Hebraica et Græca. Porro lectio S. Hilarii et S. Aug. cum S. Hier. in sensu conveniunt: nam spinas crescere in rhamnum, est spinas teneras, quæ ferire non possunt, paulatim crescere, et fieri rhamnum, qui duris aculeis suis pungat et feriat: sic etiam rhamnum producere spinas, est rhamnum tenerum, et qui nocere non potest, crescere et inducere aculeos, ut maximo nocere valeat. Oportet igitur ad eumdem sensum reducere verba obscura nostræ lectionis: id quod fiet, si per vocem, *intelligere,* quæ est in Hebraico et Græco codice, interpretemur, crescere ad perfectum robur: quod quidem hominibus convenit, qui tunc ad perfectam ætatem pervenerunt, quando sapere et intelligere incipiunt: sed per metaphoram tribuitur etiam aliis rebus. Itaque, sic exponi potest versiculus: *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum:* id est priusquam ad perfectionem suam spinæ teneræ crescendo pervenirent, ut adinstar rhamni pungere, ferire et lacerare possent: *sicut viventes sic in*

Sensus huius versiculi.

ira absorbet eos: Deus, inquam absorbebit eos sic in ira sua, sicut viventes absorbere solet terra aut mare: ita Bellarminus.

Anagog. Deus pœna afficiet peccatores in hac vita, et in inferis, antequam eorum resurgant corpora, quæ erunt 45.
illis instar spinarum. S. Hilar. in Ps. nostr. *Rubus sen-* Anagog.
tium genus est, quod plures ex se condensasque spinas modo rubi affert. Florescit autem cum cæteris vere confotum. Ergo antequam rhamnus peccatorum spinas producat, viventes eos ignis in ira absorbebit. Neque enim suspenso adhuc iudicii tempore quiescere peccatores sine pœna erat dignum: viventes itaque eos, cum pœna scilicet sensu absorbebit ignis, etiam antequam resurgant. Corporum enim resurrectio significatur in rhamno, quæ ipsa in se spinas, quibus compungenda sunt, exhibebunt: aliis fructus æterni floris habituris. His vero tantum ad efferendos in se modo rhamnorum spinarum aculeos excitandis: hæc ipse, quæ fuse amplificat S. Augustinus.

Tropolog. Iudices caveant sibi, ne configantur spinis; id est, cupiditate divitiarum. Spinæ enim sunt divitiæ. 46.
Primo steriles sunt. Secundo, quia flore et odore placent. Spinæ sunt divitiæ, et cur.
Tertio, lacerant et configunt. Quarto, facile concipiunt ignem, et in eo strident. Quinto denique, quia inter eas serpentes latent. Plerasque ex iis rationibus attingit S. Chrysost. homil. 3. in epist. 2. ad Thessalonic. *Spicæ,* inquit, *sunt revera divitiæ, nullum ferentes fructum.* Et hom. 23. in Ioan. fol. 123. *Sicut spinæ,* ait, *steriles sunt, ita divitiæ: sicut illæ eos qui tangunt, lacerant, ita horum cupiditas. Sicut facile igni comprehenduntur, et odio habentur agricolis: ita huius sæculi negotia. Postremo, sicut inter spinas feræ, viperæ, et scorpii delitescunt: ita in fraudibus divitiarum.* Et hom. 8. in epist. ad Rom. fol. 84. dicit, dæmonem in amore divitiarum latere, sicut serpentem in spinis: si exscindantur spinæ, cum fugiturum. Vide Gregor. hom. 15. in Evang.

Ad avaros iudices et advocatos traducere possis id quod dicitur 2. Reg. 23. 6. *Prævaricatores, quasi spinæ, evellentur universi, quæ non tolluntur manibus; et, si quis tangere eas voluerit, armabitur ferro et ligno lanceato.* Prævaricator in iudiciis appellatur patronus, qui clientem fidei suæ creditum prodit. Perire autem dicuntur impii, *quasi viventes;* non vero viventes, quia, ut ait S. Aug. in Psalm. nostr. *falsa est hæc vita impiorum. Neque enim vivunt, sed vivere sibi videntur.* Oseæ 10. 2. habetur de impiis: *Divisum est* (per aculeos spinarum, id est, rerum terrenarum) *cor eorum, nunc interibunt.* Chald. vertit, Divisum est cor eorum a lege, nunc delinquent.

ARTICULUS II.

Iustorum lætitia in punitione impiorum, et merces ob virtutem.

Post pœnam Saulis, et impiorum eius satellitum, ex- 47.
plicatam articulo præcedenti, agit de præmiis iusto- Vers. 11.
rum: nempe de lætitia eorum, et mercede, v. 11. LÆTABITUR IUSTUS, CUM VIDERIT VINDICTAM (impiorum scilicet, ut addit Ps. Rom. Arnob. et Cassiod. in emendatis etiam Græcis codicibus est ἀσεβῶν, hoc est, impiorum): MANUS SUAS (Hebr. פְּעָמָיו *peamav,* id est pedes suos, ut vertit S. Hieron. Pagn. Arias; plantas suas, ut Felix; 2. *peamav,* id est manus suas, ut Sept. Noster, S. Hilarius, S. Aug. Syr. Arab. et alii. Sic etiam *peamecha* Ps. 73. 3. vertitur, *manus tuas*) LAVABIT IN SANGUINE PECCATORIS, Psalt. Gall. Arnob. et Cassiod. *peccatorum.*

Et v. 12. ET DICET HOMO (Chald. filii hominis; hoc est, 48.
homines), SI UTIQUE (id est, quia utique seu prorsus, certe, Vers. 12.
profecto: *si* enim non est particula dubitantis, sed affirmantis; vel, est particula enclytica et expletiva hoc loco. Hebr. est tantum אַךְ *ach,* id est, profecto, certe, vere, utique, sane) EST FRUCTUS IUSTO? UTIQUE (id est, profecto, certe, prorsus) EST DEUS IUDICANS EOS (peccatores: prius

posuit in singulari numero: sed Hebræi frequenter a numero ad numerum, a tempore ad aliud tempus transeunt) IN TERRA.

Iustus lætatur videns vindictam, quatuor ob causas.

Quæres primo, cur lætatur iustus videns vindictam? Primo, quia videt se evasisse manus sceleratorum, sicut viator gaudet videns latrones captos et furcæ appensos. Secundo, quia cernit impios non amplius in Deum peccaturos. Tertio, quia si diutius vixissent et peccassent, fuissent tota æternitate gravius puniti. Quarto denique, quia in ea punitione cernit rectissimum iustitiæ et providentiæ divinæ ordinem, et sanctissimam Creatoris sui, et rerum omnium Domini voluntatem. Ipsa enim damnatorum pœna delectabit sanctos: quia eam non cernunt, nisi interposita Dei voluntate, velut gemma gratissima, per quam transparens ipsa flamma pulcherrima est. Hoc optime declarat S. Bernard. serm. 8. in Ps. 90. *Quod*, inquit, *sapientiæ tuæ placebit: sapientibus quoque placeat necesse est universis. Non igitur tibi durum videatur fore, quod dicitur: Oculis tuis considerabis, quando et ridebis in eorum interitu: non quod velut quadam immanitate crudelitatis in ipsa tibi ultione complaceat: sed quod modus ipse pulcherrimus divinæ ordinationis, ultra quam credi possit, iustitiæ zelatorem et amatorem æquitatis oblectet.* S. Greg. illud Iobi 5. 22. *In vastitate et fame ridebis* explicans ait, lib. 6. Moral. 20. Cum iniquos omnes extrema ultio percutit, iustus de gloria dignæ retributionis hilarescit, nec damnatis iam tunc ex humanitate compatitur, quia divinæ iustitiæ per speciem inhærens inconcusso districtionis intimæ vigore solidatur. Erectas namque in claritate supernæ rectitudinis electorum mentes nulla misericordia afficit, quia has a miseriis altitudo beatitudinis alienas reddit: ita Gregorius. Petrus Lombardus, Episcopus Parisiensis, qui collegit sententias Theologorum, atque in ordinem redegit, ideoque Magister Sententiarum et Scholasticorum Theologorum vocatur, suum illud præclarum opus sententiarum terminat ista sententia, docetque visa impiorum pœna non minui beatorum gloriam. S. Ioannes Apocal. 19. 1. audivit Sanctos lætantes de excidio et ruina Babylonis: *Audivi quasi vocem turbarum multarum in cælo dicentium, Alleluia. Salus, et gloria, et virtus Deo nostro est: quia vera et iusta iudicia sunt eius, qui iudicavit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua, et vindicavit sanguinem servorum suorum de manibus eius: et dixerunt, Alleluia.* Sic Moses demersis Ægyptiis in mare rubro, ait Exod. 15. 2. *Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem deiecit in mare.* Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius. Currus Pharaonis, et exercitum eius proiecit in mare. Sic deleto exercitu Sisaræ dulcis Iabin regis Chanaan, et fusis eius curribus nongentis, ipsoque a Iahel fœmina occiso, Debora prophetissa cum Baraco exercitus duce epinicion cecinit, Iudic. 5. 3. *Audite reges, auribus percipite principes. Ego sum, ego sum, quæ Domino canam* (non mihi, et meæ gloriæ) *psallam Domino Deo Israel.* Nova bella elegit Dominus, et portas hostium ipse subvertit. Ubi collisi sunt currus, et hostium suffocatus est exercitus, *ibi narrentur iustitiæ Domini.* Holofernes Nabuchodonosoris Assyriorum regis dux peditum bellatorum centum viginti millia, et equitum viginti duo millia, præter eos qui abducti fuerant, de captis provinciis, numerabat, cum Bethuliam urbem obsedit: a Iuditha occisus est, eiusque exercitus in fugam datus plurimis interfectis, tum generosa Amazon ait, Iudith 16. 2. *Incipite Domino in tympanis, cantate Domino in cymbalis, modulamini illi Psalmum novum, exaltate et invocate nomen eius. Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi.* Atque in fine cantici imprecatur suis hostibus, v. 20. *Væ genti insurgenti super genus meum: Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, in die iudicii visitabit illos: dabit enim ignem et vermes in carnes eorum, ut urantur, et sentiant usque in sempiternum.*

49. *Lavare manus*

Quæres, quid est lavare manus in sanguine peccatoris? Primo, Bellarminus, *manus suas*, inquit, *lavabit in sanguine peccatorum:* id est bona opera ipsius magis elucebunt ex comparatione malorum operum peccatorum: nam opposita iuxta se posita magis splendent. Per sanguinem enim in Scripturis, peccatum intelligi solet: ita ille. I.

In sanguine peccatoris quid?

Secundo, *manus suas lavabit in sanguine peccatoris;* II.
id est, mundabit iustus opera sua, et bene operando fiet diligentior, dum cernit sanguinem, id est, mortem ac supplicia impiorum: ita S. Aug. hic S. Bernard. serm. 8. in Psal. 90. S. Isidor. 3. sent. cap. ultim. S. Gregorius 18. Mor. 13. qui ait: *In peccatorum morientium sanguine iusti lavantur manus: quia dum eorum pœna conspicitur, conspicientis vita mundatur.*

Tertio, *manus suas lavabit in sanguine peccatoris,* q. d. III.
Declarabit se esse innocentem, se illum non fudisse, sed impium ob suam malitiam periisse, se illum sæpe monuisse ut resipisceret, ac vitam emendaret; sed hoc recusasse, ideoque debitas pœnas exolvisse, debereque sibi ipsi suam ruinam non aliis imputare. Sic alludetur ad morem Iudæorum, de quo Deuter. 21. 1. et seq. hæc habentur: *Quando inventum fuerit in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, hominis cadaver occisi, et ignorabitur cædis reus, egredientur maiores natu, et iudices tui, et metientur a loco cadaveris singularum per circuitum spatia civitatum: et quam viciniorem cæteris esse perspexerint, seniores civitatis illius tollent vitulam de armento, quæ non traxit iugum, nec terram scidit vomere, et ducent eam ad vallem asperam atque saxosam, quæ nunquam arata est, nec sementem recepit: et cædent in ea cervices vitulæ: accedentque Sacerdotes filii Levi, quos elegerit Dominus Deus tuus ut ministrent ei, et benedicant in nomine eius, et ad verbum eorum, omne negotium, et quidquid mundum vel immundum est iudicetur.* Tum vers. 6. additur: *Et venient maiores natu civitatis illius ad interfectum, lavabuntque manus suas super vitulam, quæ in valle percussa est: et dicent, Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt.*

Quarto, *manus suas lavabit iustus in sanguine peccato-* IV.
ris, idem est cum eo quod dictum est in priori hemistichio, *lætabitur iustus, cum viderit vindictam.* Hoc enim frequentissimum est in psalmis, ut secunda pars sit explicatio primæ cum quadam auxesi. Sensus itaque erit, q. d. Lætabitur iustus visa vindicta, quam de impio Saule et consiliariis eius sumet Deus, et in ea sibi applaudet, Deique sententiam sua voce et suffragio confirmabit, veluti consiliarius Dei, et Iudex ab eo allectus ad condemnandos impios. Sic alludetur ad morem iudicum Iudæorum, qui in iudiciis capitalibus innocentes se testari manuum ablutione soliti erant, ut patet in Pilato condemnante Christum, Matth. 27. 24. quod expendens Origen. ait, Iudaico usus est more, volens eos de Christi innocentia non solum verbis, sed etiam ipso facto placare: ita Orig.

Quinto denique, et commodissime, *manus suas lavabit* V.
iustus in sanguine peccatoris, id est, exultabit vindictam illam mente versans, et plagas cruentati et prostrati hostis sui manibus tractans, et eius sanguine purpurans. Alludit ad cruentam necem Saulis hostiumque suorum: et ad morem victorum, qui parta victoria stant primo exultantes in campo, in quo iacent et moriuntur hostes; atque in eo aspectu lætantur, cum vident vindictam, quam de ipsis sumpserunt. Secundo, accurrunt ad cadavera iacentia, illa spoliant, eorum vulnera aspiciunt, mirantur, manibus versant, sociisque ostentant; et Dei iustitiam, regisque sui ac ducis potentiam, prudentiam, fortitudinem ac felicitatem celebrant. Illa autem lætitia est grata Deo, et propterea dicuntur lavari manus in sanguine peccatoris. Sic, cum Moses, Deo zelum eius acuente, idololatras omnes vitulo aureo supplices neci destinasset, Levitæ vero illi obedientes viginti tria millia illorum trucidassent, ait Exod. 32. 29. *Consecrastis manus vestras Domino, unusquisque in filio, et in fratre suo, ut detur vobis benedictio.* 50.

Filios suos et affines graviter puniefrunt Levitæ.

Nota, tantus fuit in nonnullis iustitiæ amor, et zelus, ut in filiorum et affinium atque consanguineorum sanguine manus suas laverint, eos severissime puniendo, vel I.

etiam occidendo. Primo, id patuit in Levitis, de quibus mox dixi.

II. Trebellius rex. Secundo, in Trebellio rege Bulgarorum, qui anno 862. opera Nicolai I. Pontificis Christianam amplexus est fidam tanto ardore, ut statim Photinum hæreticum abegerit, deinde filio regnum tradens Religiosam vitam sit amplexatus. Sed, cum paulo post filium suum ad pristinam impietatem revertisse cognovisset, vehementer indoluit, tantumque in eo potuit zelus, ut monastarium egressus, regno recepto, iuvenem in potastatem redactum luminibus orbaret, insuper etiam perpetuo carcera mulctaret; denique regnum Alberto minori filio eum salutaribus monitis consignans, ad suam se recepit cellam, id refert noster Hieron. Platus lib. 2. de bono status religiosi, cap. 26.

III. Phocion. Tertio, Phocion genero suo Charillo, eum is de Harpalea pecunia reus factus esset, in iudicio non adfuit: sed discessit, dicens, εγω σε επι πασι δικαιοις εποιησαμην κηδεστην: *ego te generum ad omnia iusta elegi*: ita Plutarch. lib. de Reipubl. gerendæ præceptis.

IV. Timoleon. Quarto, ibid. addit, quod Timoleon Corinthius, eum fratrem suum monendo et deprecando, et a tyrannide non deduceret, cædem eius consilio suo adiuvit. Adiungit vero de suo sententiam auream Plutarchus: *Oportet enim non modo usque ad Aram amicum esse, neque se periurii socium facere, ut aliquando Pericles dixit: sed etiam usque ad omnem legem, ius atque utilitatem: quod neglectum, in magnum atque publicum exit damnum.*

V. Spartana mulier, et alii. Quinto, quædam Spartana mulier, zelo patriæ ardens, fugientem e prælio filium occidit. Epaminondas filium Stesimbrotum securi percuti iussit etiam victorem, quod contra mandatum pugnasset. Idem fecere T. Manlius Torquatus, et Posthumius Dictator in filiis suis, ut auctor est Valer. Max. lib. 2.

VI. Brutus. Sexto, memorabile est, quod ait idem Plutarchus in vita Publicolæ fol. 99. de Bruto occidi curante filios suos. Cum enim ad Tarquinios in urbem revocandos duo eius filii, Titus atque Valerius, cum nobilibus aliquot iuvenibus conspirassent, detectique in iudicium essent adducti: pauci in Bruti gratiam faciebant exilii mentionem. Et vero, etiam Collatini lacrymæ spem eis lenioris sententiæ et Valerii silentium faciebant. At Brutus, utrumque filium nomine compellans, Age Tite, inquit, age Valerii, quid respondetis ad crimina hæc? Ubi ter interrogati nihil responderunt, tum ad lictores converso vultu: Iam, ait, reliquæ vestræ partes sunt. Illi confestim iniiciunt adolescentibus manus, togis spoliant, manibus post tergum illigatis corpora virgis cædunt. Ibi aliis oculos avertentibus, nec spectaculum illud ferentibus, fama est, faciem illum nusquam alio detorsisse, neque misericordia quidquam, περι το προσωπον οργης και βαρυτητος: da soilta vultus austeritate et severitate mutavisse: sed torve filios in medio supplicio intuitum, donec humi extensos securi percussere. Inde, permittens reliquos collegæ, discessit, re perpetrata quam nemo vel laudaverit satis, vel vituperaverit: ita Plutarchus. In nantram partem id disputo: dico tantum, pœna et præmio Respublicas et regna in officio contineri. Democritus aiebat duos tantum esse deos, pœnam et beneficium. Pius IV. in symbolo suo virgas appingi curavit cum hoc lemmate, pœna et præmium. His enim duobus polis totus orbis sustentatur et volvitur. Nunc de iustitia dicamus cum Davide Ps. 98. 4. *Honor regis iudicium diligit.* Ubi S. Basil. Hoc, ait, regem honorabiliorem reddit, quod iustitiam diligat. Salomon Proverb. 25. 4. dicit: *Aufer rubiginem de argento, et egredietur vas purissimum.*

51. Iustitiæ tenax fuit Artaxerxes. *Aufer iniquitatem de vultu regis, et firmabitur iustitia thronus eius.* Id Ochi Artaxerxis Persarum regis exemplo illustrari potest, de quo Athenæus lib. 12. fol. 548. ait: Ochus animam agens, eum per longum tempus regnum obtinuisset, et ad regium sumptum pecunia, quod satis erat, abundasset, percunctante filio natu maximo, qua industria regnum per tot annos conservasset, hoc edoctus ut imitaretur, δικαια πραττων προς απαντας ανθρωπους και θεους, *pietate*, inquit, *in deos, iustitia in homines.* Iustitiæ hæc vis in Ægyptiis quoque regibus apparuit, qui secundum præscriptas leges iudicare tenebantur: unde fiebat, ut summo amore illos populus prosequeretur. Diodor. Siculus lib. 1. biblioth. fol. 65. Hæc, inquit, erga subditos iustitia cum reges uterentur, maiore in se cives benevolentia, quam amore cognatos, propensos habebant. Non enim sacerdotum singuli, sed universa Ægyptiorum natio, adeoque singuli non tam de uxoribus, liberisque, et bonis suis privatis, quam de regum incolumitate solliciti erant: ita illa. Et sapienter quidem faciebant: nam, reges sunt totius regni patres et tutores. Miram deinde benevolentiam populi erga reges Ægypti probat, ex iis quæ faciebat in eorum morte. Belli tempore, si victoriam optas, sub iustitiæ vexillo dimica. S. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 294. *Si, ait, hostes vincere cupis, Dei metu exercitum ducito. Iustitia enim hoc affert, ut quis strenue ac feliciter pugnet: contra iniustitia nostra, hostium est auxilium.* Suidas in voce Μονητα, tradit Romanos eum Pyrrho certantes in magna æris inopia Iunonis oraculum consuluisse; idque responsi tulisse: Δικης λογχαισι μαχης, και παντα δαμασσεις, *iustitiæ lanceis pugna, et cuncta superabis.* Quod cum præstitissent, Pyrrhum ab Italia expulerunt. Denique, in iustitia est omnis fructus: ex quo effectum est, ut apud Indos qui Pedalii vocabantur, nihil aliud in precatione a diis exposcerent præter iustitiam, ut ait Nicol. Damascenus lib. de gentium moribus, arbitrabantur scilicet omnium fore se compotes, si eam unam adepti forent.

Ei Ægypti reges. Romani. Indi Pedalii.

52. Iustitia est humanitate temperanda. Vellim tamen, iustitiam humanitate temperari. Marcelli lacrymæ, captis Syracusis; C. Iulii Cæsaris, viso Pompei capita occisi ab Achilla; Titi, conspectis cadaveribus pereuntium in obsidione Ierosolymæ; Renati Lotharingiæ ducis, viso cadavere Caroli Burgundiæ ducis, a quo tota pene ditione expulsus fuerat, in magna laude sunt. Crudelem sentimus Hannibalem, qui fossa hostium sanguine plena, dixit hoc esse pulcherrimum spectaculum. Crudelem C. Marium, qui manu tenens M. Antonii Senatoris caput, eius sanguine mensam pollui passus est; Crudeliorem Severum, qui Codii Albini cadaver stratum cernens, equum calcaribus adegit, eoque illum proculcavit; Crudelissimos denique Scythas, qui, quem primum hostium occiderunt, eius sanguinem potant. Neque a crudelitate excusamus Tomyrim Scytharum reginam, quæ Cyri regis in fines suos irrumpentis, et filium occidentis, caput, in utrem humano sanguine plenum immisit, dicens: *Satia te humano sanguine, quem sitisti.* Christiana clementia, imo iustitia, mitiores animos postulat.

53. Iudices mali severe puniuntur a Deo. Nota secundo, in iudices præsertim iniquos, in quos David invehitur hoc in psalmo, severior Dei et hominum iustitia desæviit: Monentur Psal. 2. ut apprehendant disciplinam, nequando irascatur Dominus, et pereant de via iusta. Vide illum locum. Mosi præcipit Deus Num. 25. 4. *Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem, ut avertatur furor meus ab Israel.* Ratio erat, quod non impedivissent sua severitate, ne populus initiaretur Beelphegor idolo Moabitarum, et cum filiabus eorum fornicaretur, ipsique in eadem peccata cecidissent.

2. a S. Ludovico. S. Ludovicus iustitiæ observantissimus fuit, præsertim in malos iudices: eos enim ad certum usque tempus militaturos in Syriam ablegabat, ut refert Paulus Æmilius lib. 7. hist. Francorum.

3. ab Artaxerxe. Artaxerxes Persarum rex iubebat iniquos iudices excoriari. Diodor. lib. 15. fol. 334. Alii iudices, ait, ob sententias iniuste latas vivi excoriati sunt, eorumque pellibus circum tribunalia expansis, super his cognitiones causarum iudices exercebant, ut semper ante oculos exemplum supplicii, quod iudiciorum pravitas mereretur, sibi propositum haberent. Artaxerxes autem hic tanta probitate at felicitate regnum administravit, ut posteriores reges nomen transmutara in huius appellationem Persæ iusserint, sicut ait idem Diodorus fol. 400.

4. a Cambyse. Cambyses etiam Persarum rex severissimus antea extiterat in iudices malos. De illo Herodotus in Terpsichore, seu lib. 5. fol. 298. ait, Sisamnem e regiis iudicibus unum, quod iniusta ob pecuniam iudicasset, interemit, atque interempto detra-

ctum corium in lora concidit: quibus tribunal, in quo ille sedens iudicarat, intendit: Ibidemque eius filium Otanem sedere iudicem præcepit, εντειλαμενος οι μεμνησθαι, εν τω καθιζων θρονω δικαζει; atque in memoria habere, in quo tribunali iudicaret. Idem Herodotus in Polyhymnia, hoc est, lib. 7. fol. 448. ait: quod Darius rex eiusdem regionis Scandocem Thaumasii filium, Cumæ Æolidis Præfectum cruci affixit, quod cum e regiis iudicibus esset, iniquam sententiam ob pecuniam tulerat. Sed eius in cruce suspensi plura peccatis esse beneficia in domum regiam cum Darius cogitasset; agnoscensque properantius se quam prudentius egisse, hominem solvit. Periculosus est iustitiæ zelus imprudens, mollities quoque nimiæ lenitatis fugienda. Securim suam Tenedii Apollini Delphico consecrarunt, ut tradit Plutarchus de Pythiæ oraculis: rati, ut opinor, nihil fore Deo gratius symbolo illo severæ apud eos iustitiæ. Suidas enim refert Tennem regem Tenediorum tulisse legem, ut a tergo iudicis astaret quispiam se- *Securis Tenedia.*

A curim tenens: videlicet, in hoc paratus, ut quia aliquid perperam in iudicio dixisset, mendacium scilicet, aut falsum testimonium, statim eum securi perculeret. Arabiæ Felicis reges erant severi in iudices. De illis ait Heraclides Cumæus, Persicorum auctor, in libris quos Properantes vocat: *Regis voluntas est pro lege, neque ullis legibus obstringitur: iudices constituit, quorum si quis non recte iudicasse existimetur, fenestram habet in suprema palatii parte revinctam catena, apprehensa catena eam trahit et reserat. Tum rex, hoc ubi resciverit, eo qui conquestus est accersito, ius dicit:* εαν φαινωνται οι δικασται αδικως δικασαντες, αποθνησκουσι: *Si male a iudicibus est pronunciatum, occiduntur: sin recte qui fenestram movit, occiditur.* Concludamus itaque cum iis verbis, quibus incipit, et finit psalmum hunc rex noster: *Si vere utique iustitiam loquimini, recta iudicate filii hominum. Si utique est fructus iusto, utique est Deus iudicans eos in terra.* *5. ab Arabiæ regibus.*

PSALMUS QUINQUAGESIMUS OCTAVUS.

1. In finem. Ne disperdas, David in tituli inscriptionem, quando misit Saul, et custodivit domum eius, ut eum interficeret.

2. Eripe me de inimicis meis Deus meus: et ab insurgentibus in me libera me.
3. Eripe me de operantibus iniquitatem: et de viris sanguinum salva me.
4. Quia ecce ceperunt animam meam: irruerunt in me fortes.
5. Neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine: sine iniquitate cucurri et direxi.
6. Exurge in occursum meum et vide: et tu Domine Deus virtutum Deus Israel.
7. Intende ad visitandas omnes gentes: non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem.
8. Convertentur ad vesperam: et famem patientur ut canes: et circuibunt civitatem.
9. Ecce loquentur in ore suo, et gladius in labiis eorum: quoniam quis audivit?
10. Et tu Domine deridebis eos: ad nihilum deduces omnes gentes.
11. Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es: Deus meus misericordia eius præveniet me.
12. Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos: ne quando obliviscantur populi mei.
Disperge illos in virtute tua: et depone eos protector meus Domine.
13. Delictum oris eorum sermo labiorum ipsorum: et comprehendantur in superbia sua.
14. Et de execratione et mendacio annuntiabuntur in consummatione: in ira consummationis, et non erunt.
Et scient quia Deus dominabitur Iacob: et finium terræ.
15. Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes: et circuibunt civitatem.
16. Ipsi dispergentur ad manducandum: si vero non fuerint saturati, et murmurabunt.
17. Ego autem cantabo fortitudinem tuam: et exaltabo mane misericordiam tuam.
Quia factus es susceptor meus et refugium meum: in die tribulationis meæ.
18. Adiutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es: Deus meus misericordia mea.

PSALMI QUINQUAGESIMI OCTAVI ANALYSIS.

Cum David neci destinatus, a Saulis satellitibus domi suæ clausus cingeretur, Deo supplex aperit,

- Periculum suum, 2.
  - Maximum ob hostium multitudinem: 2.
    - Mente, non amantium. 2.
    - Ore, minitantium. 2.
    - Opere, vitam eripere molientium. 3.
  - Præsentissimum: 4.
    - Ob multitudinem, domum vallantium. 4.
    - Et impetum, iam irrumpentium. 4.
  - Iniustissimum, ob suam innocentiam. Nam
    - Nihil in Saulem peccaverat. 5.
    - Sed in eius gratiam præclara gesserat. 5.
  - A Deo uno tollendum:
    - Qui fugienti occurrat. 6.
    - Afflictionem aspiciat. 6.
    - Fatigatum roboret. 6.
- Hostium malitiam, qui
  - Iniustitia scelus operentur. 6.
  - Insidiis nocturnis immineant. 7.
  - Rabie canina mordeant. 7.
  - Labore improbo imperent. 7.
  - Minis continuis terreant. 8.
  - Gladio intento insiliant. 8.
  - Ira furiata infrendeant. 8.
- Liberationem suam,
  - Deo
    - Hostes irridente. 9.
    - Et ad nihilum deducente. 9.
  - Seipso
    - Per charitatem, Deo sua offerente. 10.
    - Per fidem, asylum in eo suum credente. 10.
    - Per spem, misericordiam eius præstolante. 11.
- Hostium punitionem,
  - Manifestam. 12.
  - Gloriosam sibi. 12.
  - Diuturnam, vita iis servata. 12.
  - Ignominiosam
    - Dispersione per orbem. 12.
    - Et depositione a dignitatibus. 12.
  - Iustam
    - Verborum iactantia repressa. 13.
    - Operum superbia contusa. 13.
    - Execratione et mendacio punito. 14.
  - Terribilem
    - Ob iram iudicis. 14.
    - Ob interitum in inferis. 14.
  - Doloris plenissimam
    - Ob cognitionem Dei ultoris. 14.
    - Et famem suam dirissimam. 15.
    - Ac murmur in summa miseria. 16.
- Suam gratiarum actionem, 17. quam
  - Offert Deo, contra hostes forti. 17.
  - Erga se misericordi. 17.
  - In fuga susceptori. 17.
  - In timore, asylum danti. 17.
  - In pugna, adiutori. 18.
  - In omni tempore, omnia præstanti. 18.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. In finem. Ne disperdas, David in tituli inscriptionem, quando misit Saul, et custodivit domum eius, ut eum interficeret.

1. Argum. Psalmi. Anno regni Saulis undecimo, data est Michol in uxorem Davidi: cum David natus esset annos viginti tres. Anno sequenti, Saulis invidia in ipsum erupit foras. Nam, cum Saul possessus a dæmone frustra in eum lanceam contorsisset, curavit eum noctu custodiri, occidendum summo mane; sive in iudicio, ut vult Abulensis; sive potius a satellitibus immissis. Michol fortasse a fratre Ionatha rem totam edocta, Davidem admonuit; qui per fenestram ab ea demissus abiit, et aufugit, atque salvatus est pergens ad Samuelem in Ramatha, 2. Regum 19. 12. Ea occasione factus est hic psalmus, in quo exprimuntur affectus, quos tunc habuit. Nam in ea perturbatione et temporis angustiis, cum fugam captabat, versus a Davide compositos quis credet? Id autem fecit, aut cum venit ad Samuelem in Ramatha et Naioth; aut postea, memor evitati periculi, et commotionum mentis eo tempore. Hoc de multis psalmis dicendum arbitror. David enim, etiam regnans, subinde memoria repetens variis occasionibus a Deo accepta beneficia psalmos faciebat, de illis gratias agens. Cætera, quæ sunt in titulo, explicata sunt Ps. 55.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

2. TRIA HIC PSALMUS COMPREHENDIT. PRIMO, IMPLORATIONEM DIVINI AUXILII, UT AB HOSTIBUS ERIPIAT, VERS. 2. SECUNDO, HOSTIUM SUORUM POENAM, VERS. 6. TERTIO DENIQUE, GRATITUDINEM SUAM, ERGA LIBERATOREM, VERS. 16.

SECTIO PRIMA.

Tria proponit. Primo, hostium suorum multitudinem et malignitatem. Secundo, innocentiam suam, vers. 3. Tertio denique, auxilium Dei, vers. 6.

PARAPHRASIS.

2. *Eripe me de inimicis meis Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me.*

2. Deus cordis mei, in quem unum omnia mea studia laboresque diriguntur, addictum tibi clientem expedi ab innumeris hostibus, qui partim occultum odium animo concoquunt, partim rabidis dentibus famam meam lacerant.

3. *Eripe me de operantibus iniquitatem, et de viris sanguinum salva me.*

3. Conclusum animo virus tandem evomunt, neque in conviciis sistunt: sed bona mea diripiunt, Saulis voluntati velificantur, cruentasque iugulo meo sicas obtendunt: sed ab hoc me periculo liberare potes, id ut facias rogo.

4. *Quia ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes.*

4. En numeroso agmine domum meam obsederunt, atque consilii opisque indigum concluserunt, neque ob eorum multitudinem et arma se ulla exitus aperit via.

5. *Neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine: sine iniquitate cucurri, et direxi.*

5. Neque menti meæ ullum in Saulem admissum recursat scelus, aut vel minima noxa, ob quam tanto in me furore grassetur. Vel in medias Philisthæorum acies ad eius nutum cucurri, et domesticas actiones ea rectitudine exegi, nihil ut ipsius morsibus pateat.

6. *Exurge in occursum meum, et vide: et tu Domine Deus virtutum Deus Israel.*

6. Præcipiti anxioque cursu per avia deferar, tu in occursum meum exurge, mihique oberranti securam viam aperi, meamque innocentiam et hostium rabiem aspice. Tu unus mihi sufficis, cum robore quosvis exercitus promoveas, vel ad nutum prosternas, et benignitate Deum te Israelitici populi testeris.

QUÆSTIO UNICA.

INNOCENTIÆ MAXIMA VIS EST IN OMNEM PARTEM.

3. Ordo Sectionis. DAVID, suorum sibi erga Saulem meritorum bene conscius, cum domum suam satellitibus ab eo missis succingi cerneret, vixque ullum esse effugio locum, ad Deum confugit; hostiumque illi tum numerum, tum vires artesque aperit, et opem implorat.

Quatuor porro hostium genera, sibi infesta esse declarat. Primo, eorum qui mente virus malevolentiæ suæ claudant, v. 2. *Eripe me de inimicis meis* (non amicis, non amantibus) *Deus meus.* Secundo, eorum qui in concilio et apud Saulem insurgunt contra se, sed verbis tantum conviciantur: *Et ab insurgentibus in me libera me.* Tertio, eorum qui opere sæviunt, bona diripiendo, et aliis modis, citra sanguinem tamen, vers. 3. *Eripe me de operantibus iniquitatem.* Quarto denique, eorum qui vitam ipsam, et cervices petant: *Et de viris sanguinum salva me.*

Modum duplicem aperit, quo noceant. Primo, fraudes, vers. 4. *Quia ecce ceperunt animam meam*, sicut aucupes avem. Secundo, rabiem aperte grassantem: *Irruerunt in me fortes.*

Innocentiam suam solam toti illi agmini opponit, v. 5. *Neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine:* supple in me irruit, q. d. Ego sum innocens. Imo se ad Saulis nutum ad omnia paratum fuisse testatur: *Sine iniquitate cucurri, et direxi.*

Dei denique, opem implorat, partim ut sibi subveniat, partim ut hostes atterat. Primo quidem, sibi subveniri optat, v. 6. *Exurge in occursum meum, et vide: et tu Domine Deus virtutum Deus Israel.* Secundo, hostium malitiam puniri petit, de quo dicetur Sectione sequenti.

ARTICULUS I.

Innocentia ab omnibus hostibus eripit.

DAVIDIS domum, in qua custodiebatur occidendus, dirissimi quatuor venti circumstabant: nempe invidia, A superbia, avaritia, et ira hostium eius: ab his liberari postulat, vers. 2. ERIPE (S. Hieron. *erue*, q. d. Cum labore extrahe in profunda lapsum. *To eripe* denotat violentiam, q. d. Rape me iam comprehensum et detentum; 2. celeritatem) ME AB INIMICIS MEIS (Hebr. ab odio habentibus me) ET AB INSURGENTIBUS IN ME (S. Hieron. *a resistentibus mihi.* Sed nostra versio est significantior) LIBERA ME. Græce, λυτρωσαι με, *redime me*, q. d. Iam sum venditus, et pretio addictus, egeo redemptore. Hebr. תשגבני *thasghebeni*, eleva et exalta me, q. d. Sum in domo mea, velut in carcere, conclusus: fac, ut inde exiliam. 4. Vers. 2.

Et vers. 3. ERIPE ME DE OPERANTIBUS INIQUITATEM. (Græce ανομιαν, iniustitiam, contra omnes leges) ET DE VIRIS SANGUINUM (Pagn. *sanguinolentis.* Camp. *sanguinariis*, qui scilicet domum meam obsident, ut me occidant, sicut Saul iussit) SALVA ME. Syr. *a viris effundentibus sanguinem*, qui semper parati sunt ad cædes patrandas; 2. qui multas iam patrarunt; 3. qui me occidere cupiunt, et ad hoc præstandum venerunt. 5. Vers. 3.

B Allegorice. Inimici Christi fuerunt Iudæi, ipsum odio habentes. Insurgentes in eum, qui verbis nocebant, ipsumque infamabant. Operantes iniquitatem, qui ipsum alapis, flagellis, spinis, aliisque affligebant. Viri sanguinum, qui eum crucifigebant: ita Aiguanus.

Symbolice, inimici, sunt vitiosi habitus, et consuetudines intus latentes: insurgentes, sunt actus vitiorum, et motus inordinati passionum: ita Dionysius Carthus.

Tropolog. S. Gregor. Nyssen. tract. 2. in psalmos cap. ult. hæc omnia transfert ad dæmones nobis insidiantes. Secundo, Dionysius dicit *inimicos* esse dæmones, qui sunt invisibiles; *insurgentes*, esse manifestos persecutores, sive malos et importunos homines, a quibus ut liberarentur, S. Paulus iubebat Thessalonicenses orare, 2. Thessal. 3. 2. *Operantes iniquitatem*, cunctos qui male vivant: *Viros sanguinum*, sanguine et affinitate nobis coniunctos: ita ipse; sed hoc ultimum est accommodatitium.

6. Anima iusti a quatuor ventis agitatur. Nota, anima viri iusti, velut domus Davidis et Iobi, a quatuor ventis et hostibus succutitur: et nisi firmis basibus, columnis et anteridibus fulciatur, tandem disiecta-

tur, concidit, et intus clausas pias cogitationes, affectiones, et gratias obterit. Hi quatuor venti sunt invidia, superbia, avaritia, et ira, quæ in duobus nostris versiculis notari possunt.

I. Primo quidem, invidia, v. 2. *Eripe me ab inimicis meis.* Hebr. איבים *oiebim*, odio habentibus. Chald. *baale debabi*, id est dominis seu auctoribus inimicitiæ meæ, a Saule scilicet, et aulicis invidis, et Saulis odium excitantibus et foventibus. Ubi adverte, odium Saulis contra Davidem incœpisse ab invidia, cum puellæ Israel cecinerunt: *Saul percussit mille, David autem decem millia.* Hic erat spiritus nequam, qui exagitabat Saulem, 1. Reg. 16. 14. Et quidem Hebræi in eo loco, Genebr. in Chronolog. anno mundi 3066. Delrius noster lib. 3. disquisit. Magic. c. 4. opinantur spiritum malum Saulis fuisse atram bilem, sive melancholiam et maniam, quæ Sauli tristes creabat imagines, suspiciones, invidias, mœrores, anxietates, desperationes, furores, deliria, amentias. Si velis, spiritum malum Saulis fuisse dæmonem, tibi assentiar; sed scito invidiam esse deterrimum dæmonem, et dæmonum inventum. S. Basil. homil. de invidia tom. 1. fol. 450. *Invidia intolerabile malum*, οφεως εςι διδαγμα, δαιμονων ευρημα, εχθρου επισπορα, *serpentis documentum, dæmonum inventum, inimici satio, punitionis arrhabo, pietatis impedimentum, via ad gehennam, regni cælorum privatio.* Palladius venenum invidiæ tribuit, similemque facit fontibus, in quos bufones et colubri sese inferunt. Sic enim loquitur in historia Lausiaca, cap. 95. βασκανοι ομοιοι πηγαις οφεις τρεφουσαις: *Invidi similes sunt fontibus serpentes alentibus.* Aulæ præsertim regum et principum hoc veneno inficiuntur, indeque in totum Reip. corpus pestis dimanat: nec ulla regio est immunis. Plutarch. libello de capienda ex inimicis utilitate: *Regionem*, ait, *aliquam invenire licet, quæ feris careat, quod de Creta narratur; Respublica autem nulla extitit, quæ nullam invidiam, nullam æmulationem, aut studium contendendi, qui sunt affectus inimicitiis generandis fœcundissimi, protulerit.*

Ab invidia, quæ flat a Septentrione frigido.

Ab eo veneno servat innocentia.

Innocentia liberat iustos ab invidorum unguibus et veneno. David Saulem livore suffusum evitavit, eiusque insidias et furorem Deo ducente et tutante evasit. Iosephum fraterna invidia ad Ægypti gubernacula provexit. Christum hominum Salvatorem insana Iudæorum malevolentia illustriorem et amabiliorem universo orbi effecit. Illustre est, quod commemorat Æschines; scilicet, Aristophontem gloriari solitum fuisse, quod *nonagies quinquies* inimicorum furore in ius vocatus, propter innocentiam suam semper fuisset absolutus.

Mirabile de Aristofonte.

7. II. Secundus ventus, vehementi succussu, iustorum domum ab Orientali plaga emovet superbia, quæ in vera sui cognitione fundatam animam in aerem extollere nititur, ut inde inhiantes lacunas deiiciat. Ambulat superbia elato collo, et præ omnibus eminere nititur, omnibus se opponens. Unde David ait: *Ab insurgentibus in me libera me.* Quietem nescit superbia, sed erecta cervice evolat, atque ex aliorum deiectione thronum sibi mente præstruit, ac Deum ipsum petit. Iob 15. 26. *Cucurrit adversus Deum erecto collo, et pingui cervice armatus est.* Agit de divite superbo et impio. In alios vero similes sibi homines, insana rabie grassatur. S. Ioan. Climacus gr. 23. fol. 289. Superbia, inquit, θυμου πηγη, *fons furoris*, inhumanitatis causa, commiserationis ignoratio. S. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 130. ad Ioan. Monachum: *Nescit saturitas vigiliis intendere:* ουκ οιδε τυφος κρεμαιν, *nescit quietem arrogantia:* religiosa tamen vitæ exercitatio, et vigilantiæ et mansuetudinis indiget.

Ventus est superbia quæ flat ab Oriente.

Ab hac etiam servat innocentia.

Innocentia securum iustum ab hac Megæra præstat. Psal. 108. 27. *Qui insurgunt in me confundantur: servus autem tuus lætabitur.* Prophetia est, non maledictio. Unde in Hebr. est, pudore afficientur. Cicero aquæ, incendium exortum restinguenti, innocentiam comparat. Sic enim ait, in orat. pro Roscio Comœdo: *Sicut ignis in aquam iniectus continuo extinguitur et refrigeratur: sic referens falsum crimen in purissimam et castissimam vitam collatum statim concidit, et extinguitur.* Demosthenes calumniam contra innocentes prolatam comparare videtur fragili stipulæ. Verba eius sunt in orat. de falsa legatione: *Quid causæ est, quod hi*, βδελυρωτατοι, *fœtidissimi omnium qui sunt in civitate et maxima voce præditi, a me qui minime omnium sum audax, nec quoquam vocalior adeo superentur? nimirum*, τ' αληθες ισχυρον εςι και τουναντιον ασθενες, *fortis est veritas, infirmum contrarium, et conscire sibi res gestas hoc demum eorum aufert audaciam, hoc linguam avertit*, os obstruit, *præfocat, silentium indicit:* ita ipse. Innocentia itaque præeat, veritas sequetur: veritatem vero generositas, et audacia atque felicitas.

Tertius ventus animam hominum, et iustorum domum 8.
concutiens ab Occidente, est avaritia. David adiicit, v. 3. III.
Eripe me de operantibus iniquitatem. Hebr. און *aven*, id est, falsitatem, mendacium, vanitatem, laborem, fatigationem, afflictionem. Hæc omnia sunt divitiæ avaro. Operarios iniquitatis, iniustitiæ, et mendaciorum architectos esse avaros quis ignorat? S. Petr. Damiani Opusc. 12. cap. 29. *Avaritia*, inquit, *malorum omnium radix uberius pullulat, et tamquam virosæ propaginis ramos per totum orbem feralium vitiorum portenta dilatat.* S. Laur. Iustin. tract. de ligno vitæ, sect. de spe, cap. 5. *Nullum*, ait, *est iustitiæ in illo corde vestigium, in quo sibi avaritia fecit habitaculum:* ita ipse. Vehementem huius ac periculosum esse impetum docet S. Asterius hom. in Avaritia, dum illam nuncupat, μαιναδα, αχοσμον εταιριδα, θηριον, mænadem, turpem meretriculam, feram: docetque vitia omnia libidinis, gulæ, inanis gloriæ, aut satietate, aut ætate cessare. Avaritiæ vero furorem et rabiem in singulos dies fieri auctiorem: *Quotidianam vitæ experientiam interrogabo*, οιον θηριον πλεονεξια, *cuiusmodi fera sit avaritia, quam ægre quos prehenderit, elabi sinat, ut vegeta semper ac valida, nunquam debilitetur atque deficiat: sed cum iis quos sibi subiecerit, consenescat et perennet.*

Ventus est avaritia, quæ flat ab Occidente.

Innocentiæ porro vim summam esse adversus cupidorum molitiones docuit Titus Imper. qui cum audiret prædecessores suos Imperatores variis appetitos fuisse iniuriis, ait: *Nemo me iniuria afficere aut contumelia potest: quia nihil ago, quod alios possit lædere:* ita Xiphilin. in vita. Vel sola innocentiæ cognitio liberatio est, quod ex sapienti Bionis dicto possis agnoscere. Cum enim is navem conscendisset, in qua scelerati vehebantur, in prædones incidit. Tum nefarii homines inter se mussitare cœperunt, Actum est de nobis si agnoscamur. Bion vero Philosophus subiecit: Et de me, nisi agnoscamur, ut ait Diogenes Laertius in eius vita. Sol se ostendens tenebras dissipat.

Ab ea servat innocentia.

Bionis acute dictum.

Quartus denique ventus, a meridio flans, et domum 9.
iustorum concutiens, est ardens et furibunda iracundia. IV.
Hanc timens David dicit: *Et a viris sanguinum salva me.* Iræ ut insanam rabiem ostendam, et tempestatem intolerabilem, sufficiet unus S. Basil. tom. 1. hom. 1. de ira, f. 434. *Ira*, inquit, *in nos extrinsecus irruit*, ωσπερ καταιγις τις αδοκητος, *sicut procella quædam inopinata.* Et fol. 435. iratos depingens addit: *Effrænes linguæ, ora incustodita, incontinentes manus, contumeliæ, probra, accusationes, verbera, et alia eiusmodi quæcumque quis enumerare possit, iræ et furoris fructus sunt; ob iram ensis acuitur; mors homini ex homine venit; fratres inter se ignorantur*, etc. Vides iracundiæ deditos, esse viros sanguinum, quanto cum impetu sæviant, adverte: ωσπερ αι χαραδραι, *sicut torrentes* ad curva loca decurrentes secum obvia quæque trahunt: sic et iratorum impetus violenti et instabiles omnia percurrunt atque obruunt. Non eis senectus venerabilis, etc. ita Basilius.

Ventus est ira ardens, quæ flat a meridie.

Innocentia inter medios etiam leones, sicut Daniel, secura est: et instar Marsorum et Psyllorum, venenatis serpentibus sine noxa colludit. Hinc Alphonsus rex Aragonum sæpe nullo stipatus satellitio iter agebat: causam interrogatus, respondit dignam tanto rege sententiam: *Innocentia comitatus incedo;* ut testatur Panormit. lib. 2. de rebus eius gestis. Hanc innocentis viri securitatem

Ab ea conservat innocentia.

multis ante sæculis lyricen Horatius cecinerat lib. 1. carm. Ode 22. ubi sic loquitur:

Integer vitæ scelerisque purus
Non eget Mauri iaculis, neque arcu
Nec venenatis gravida sagittis
Fusce, pharetra.
Sive per syrtes iter æstuosas,
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quæ loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

Innocentes etiam inermes dicit a lupis et leonibus non attingi. In eam quoque rem multa deduci possunt ex Oda 3. lib. 3. Nam innocentia Nepenthes herba est ab Homero laudata, quæ poculis vel amarissimis addita tristitiam omnem excutit. Antisthenes apud Diogenem Laertium lib. 6. dicebat: Virtutem esse armaturam, quæ detrahi non possit: Ensis et clypeus e manibus excuti possunt: sapiens autem ac virtute præditus nunquam non armatus est, neque vinci potest.

10. Vers. 4.
Clausus hoc scelerum agmine vir iustus, virtutem veluti in arca positam custodit, et tamdin se obsideri deplorat, v. 4. QUIA ECCE CEPERUNT ANIMAM MEAM (id est, me. Est synecdoche) IRRUERUNT IN ME FORTES, milites scilicet a Saule immissi, et domum meam nunc de nocte vallantes, ut me cras summo mane occidant. *To ceperunt*, id est capere tentaverunt, speraverunt, est Hebraismus: ponitur enim verbum reale pro mentali, et actus perfectus pro inchoato; 2. *ceperunt* vere et realiter, sicut avis et fera dicitur capta, cum est intra rete; licet non sit in manibus venatoris: ita, cum satellites Saulis veluti retiarii cingerent domum Davidis, dicit se captum esse. Quod autem dicit, *ceperunt animam meam*, indicat capturam illam penetrasse usque ad intimas cordis sui medullas: evasit tamen Deo protegente ac liberante per Michol uxorem eius, quæ eum demisit per fenestram, ut dixi in titulo psalmi. Hebr. est ארבו *arebu*, id est insidiati sunt. De nocte enim domum cingunt; sicut venatores scilicet. S. August. legit, *venati sunt*. Psalter. Romanum, *aucupaverunt*, q. d. Sicut aucupes fictis vocibus et blanditiis me deliuire moliuntur, ut capiant et perdant. Apollinaris, ανιχνευσαν, vestigia mea indagarunt, et sectati sunt: sicut canes venatici prædam propinquam odore proximam esse arbitrati huc illuc discurrunt, ut vestigia eius sequantur. Psalter. Gallican. et S. Hilarius, *captaverunt*. Arnob. et Cassiod. *occupaverunt*. Nota secundo, τὸ *fortes*, Syr. et Arabs explicant, in malitia obstinati. Hebr. עזים *azzim*, id potest significare. Arab. vertit, *Corroborati sunt adversum me in sceleribus suis*. Syr. *Magnificarunt adversum me malitiam suam*. Malim tamen, fortes simpliciter explicare de robustis militibus, quibus non possit obsistere, et de potente rege Saule.

Venatores animæ sunt dæmones.

Tropolog. De venatione dæmonum intellige: quam sint vafri et crudeles venatores dixi Ps. 34. 7. Ieremias dicit Thren. 3. 52. *Venatione ceperunt me, quasi avem, inimici mei gratis.* Secundo, de malis sociis et consiliariis, Mich. 7. 2. *Omnes in sanguine insidiantur, vir fratrem suum ad mortem venatur.*

Innocentia a vinculis omnibus liberat. Tertull. lib. ad Martyres cap. 2. *Habet tenebras carcer, sed vos lumen estis illi: habet vincula, sed vos soluti Deo estis: triste illis spirat, sed vos odor estis suavitatis. Iudex spectatur, sed vos estis de iudicibus iudicaturi. Contristetur illic, qui fructum sæculi suspirat; Christianus etiam extra carcerem sæculo renuntiavit, in carcere, etiam carceri. Nihil interest ubi sitis in sæculo, qui extra sæculum estis.*

ARTICULUS II.

Innocentia ad Deum remuneratorem ducit.

DAVID solus domi conclusus a multis militibus, et a Saulis regis potestate solam suam innocentiam, velut clypeum, contra hos omnes opponit, et Deum invocat in auxilium.

Ac primo, innocentiam suam aperit, v. 5. NEQUE INIQUITAS MEA, NEQUE PECCATUM MEUM DOMINE, supple, 11. Vers. 5.
in me irruit. Vel, in causa fuit, cur me ceperint, et in me irruerint fortes. Est ellypsis, seu reticentia. Vel, neque iniquitas, neque peccatum in me est; SINE INIQUITATE CUCURRI (id est, cursum vitæ institui; 2. ad omnia Saulis soceri mei mandata promptissimus fui) ET DIREXI: id est, rectitudinem servavi in vitæ cursu, neque ad dexteram, neque ad sinistram declinans. Nunc in plurali legitur τὸ *direxi*. Unde S. Hieron. vertit: Non egi inique, et illi currunt et præparantur: contra me scilicet. Pagnin. Absque iniquitate cucurrerunt, et paraverunt se. Arabs, absque culpa dure apprehenderunt me, et præparaverunt se adversum me. Ubi adverte, Davidem non dicere, se non peccasse in Deum, sed se non peccasse in Saulem, a quo ad necem quærebatur.

In hac vita ad Deum est currendum.

Nota, in hac vita, velut in palæstra, studiose et prudenter currendum est. S. Basil. Seleuciæ Episcop. orat. 1. *Universa hominum vita*, inquit, *virtutis palæstra est: ut vivere non videatur, qui se in virtutum palæstra non exercet.* Antiquissimum porro certaminis genus cursus fuit, ut Plutarchus lib. 1. Sympos. quæst. 5. tradit. Et nobis scamma virtutis percurrendum est: hinc David cursorem se dicit, Deum postea agonothetam ostendet. Offerunt se iter vitæ decursuris iniquitas et virtus: hæc ut fatigatos recreet, errantes ad orbitam revocet, ad metam pervenientes coronet: illa vero, ut in avia seducat, sentibus implicet, hostium gladiis obiiciat. Magno animo opus est iter arripienti. Philostrat. lib. 5. vitæ Apollonii Thyanæi docet ab Hellanodicis dici solitum in certaminibus Olympicis: *Si labore vestro consecuti estis, ut merito in Olympiam intretis, et nihil desidiosum, aut ignobile egistis*, ιτε θαρρουντες, *ite fidentes.* Et in Isthmiis: *Ite in stadium*, και γενεσθε ανδρες, *et estote viri*, quales possunt vincere. Idem nobis præstandum est, et a lubrica lutearum rerum semita deflectendum. Philo libro de Abrahamo, in sancto illo Patriarcha domum parentum relinquente, et in eam pergente regionem, quam Deus ostenderat, allegoriam ingeniose explicat animæ virtutis studiosæ, verum Deum quærentis. Et fol. 303. concludit, Deo uni fidendum esse, et cætera pro nihilo ducenda: *Quemadmodum*, ait, *per lubricum incedentes labuntur fallente vestigio: qui vero per viam siccam gradiuntur, certo gradu iter faciunt; sic qui per corporis externaque bona ducunt animam, nihil aliud quam cadere illam assuefaciunt. Lubrica enim hæc et parum firma sunt. Sed qui per virtutum contemplationem ad Deum properant*, ασφαλη και απραδαντον οδον ευθυνουσιν, *tutum inconcussumque iter dirigunt, ut nihil verius dici possit, quam quod quisquis illis rebus credit, Deo non credit: contra vero qui Deo credit, illis non credit.*

In certamine Olymp et Isthmico dici solita.

Nota secundo, cursus vitæ nostræ in cælum debet esse 12.
rectus: *Sine iniquitate cucurri, et direxi.* Pyndarus Ode 3. Olymp. stroph. 3. docet, duodeno circuitu metam esse circumagendam. Septem tantum circuitus fieri solitos docet Cedrenus pag. 139. cui assentitur Isidorus lib. 18. idque volunt usurpatum ob septem planetas. Nobis sine ullo flexu iter emetiendum est. Linea recta est brevissima, et tutissima. Petavius vertit, Rectam secans vitæ viam hactenus cursum confeci. Hoc postulat Ps. 118. 5. *Utinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas iustificationes tuas.* Luc. 3. 4. *Rectas facite semitas eius.* Ubi Titus Bostrorum Episcopus: Is, ait, Dei semitas rectas facit, qui per illius iustitiam graditur, σκολια γαρ η κακια: siquidem malitia et improbitas obliqua et sinuosa est: hæc ille. In stadiis Græcis, in quibus certamina ludicra fiebant Olympica, Isthmica, Nemeæa, et Pythia, erat fossa, quæ locum certaminis ab aliis distingueret: unde scamma dicebatur a σκαπτω, fodio. In laudo erat saltu certantibus scamma transilire: cursu autem contendentibus scamma prætergredi, erat extra limites, et extra oleas currere. Hoc autem, ut Eustathius annotat in lib. 6. Iliados, etiam de iniustitia dicitur improprie.

Cursus noster debet esse rectus.

In vitæ cursu certantibus agonotheta et adiutor est 13.

Vers. 6. 1. Pars. Deus: hunc David invocat, vers. 6. EXURGE IN OCCURSUM MEUM ET VIDE: ET TU DOMINE DEUS VIRTUTUM (Hebr. צבאות *tsabaoth*, id est exercituum) DEUS ISRAEL, id est, Israelis. Quid videri petit? 1. magnitudinem afflictionis; 2. innocentiam suam; 3. hostium malitiam. Occurrere autem sibi Deum postulat, 1. ut adiuvet; 2. ut coronet.

Innocentes Deus iuvat. Nota, *plerumque innocentes recenti invidiæ sunt impares*, ut ait Tacitus lib. 2. sed Deus ad se clamantes adiuvat, et occurrit ad se venientibus, eosque sinu suo excipit. Si Xenocrates, ne passerculum quidem, qui in sinum suum confugerat, ut involantem vulturem declinaret, abiecit; quod diceret, ut ait Laertius, innocentem et supplicem non esse prodendum, quanta Deo fides habenda est? De illa ait Philo lib. de Abrahamo fol. 302. μονον αψευδες και βεβαιον αγαθον πιςις: *Solum certum firmumque bonum est fides, qua Deo creditur, vitæ solatium, bonæ spei supplementum, depulsivum calamitatum, felicitatum conciliativum, superstitionis ablegatio, pietatis assertio, prosperitatis hæreditas, profectus in bonis omnibus fultus universorum auctore; qui potest omnia, vult autem optima.*

Passerculus Xenocratis.

14. A Deo aspici optat innocens. Nota secundo, oculos Dei non timet, sed amat innocentia. Unde ait David, *Et vide*. Ut enim ait Curtius lib. 6. *Securitatem affert innocentia.* Hinc etiam agnosce Davidis virtutem. S. Laur. Iustin. lib. de casto connubio Verbi et animæ, fol. 293. *Innocentiæ, ait, indicium notissimum est, iudicis non formidare aspectum; perfectæ autem charitatis, infatigabiliter, ac sine intervallo, Verbi sitire præsentiam.* Contra vero, Adamus sibi conscius occursum Dei aspectumque declinat. S. Chrysost. timorem illum sceleratorum noverat, cum dicebat hom. de peccato et confess. *Peccatores omnia habent suspecta*, σκιας τρεμουσι, *umbras timent: quidquid increpuerit, pertimescunt.* Temerarius fuit Vespasianus Imper. qui lethali febre correptus Deum incusabat, quod sibi de nemine male merito regnum ac vitam eriperet; cum nihil præter unum, mentem et conscientiam morderet. S. Gregor. sapienter et pie ait lib. 2. Mor. *Sic vixi, ut accusatorem exterius non timerem. Utinam sic vixissem, ut intra meipsum accusatorem conscientiam non haberem.* Quis enim est, qui cum Christo possit dicere, Iob 17. 2. *Non peccavi, et in amaritudinibus moratur oculus meus?* Si ei innocenti placere volumus, innocentes simus. Lactant. lib. 6. divinar. institut. Nihil, inquit, sancta et singularis illa maiestas aliud ab homine desiderat, quam solam innocentiam: quam si quis obtulerit Deo, satis pie religioseque litavit: ita Lactantius. Vicissim illi dabit in senectuto gaudium, qui sibi in adolescentia et iuventute conservaverit puram animam. Plato lib. 1. de Republ. sive Cephalus apud ipsum: *Eleganter*, inquit, *Pindarus dicit: Dulcis ei cor alens*, γηροτροφος ελπις, *senectutis altrix spes comitatur, quæ maxime mortalium versatiles mentes gubernat.* Hinc in Mose, S. Antonio, S. Francisco de Paula, aliisque vivida et vegeta senectus extitit.

Titi superbia.

Allegor. Hæc omnia de Christo innocente, et sine ulla iniquitate viam cæli decurrente, dici possunt et debent.

SECTIO SECUNDA.

15. *Quatuor continet. Primo, hostium malitiam et rabiem, v. 6. Secundo, Dei potestatem, v. 9. Tertio, Davidis securitatem sub Dei alis, v. 10. Quarto denique, hostium eius punitionem, v. 12.*

PARAPHRASIS.

7. *Intende ad visitandas omnes gentes: non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem.*

7. Iustitia tua, o Domine Deus, non barbaras tantum nationes, sed omnes omnino, ipsamque Iudæam, severe examinatis cuiusque sceleribus, punies: neque ulla te sceleratorum capiet miseratio; sive inter populi tibi consecrati fines versentur, sive aliorsum iter intendant.

8. *Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes: et circuibunt civitatem.*

8. Emissi a Saule satellites, ut me sepultum somno confoderent, circa domum meam vagabantur sub vespertinum tempus, et primam noctis vigiliam, (quo tempore fatigatis ob diei laborem et curas somnus solet esse vehementior) ut conceptum mente facinus commode, si res ferret, perficerent: ubi vero fugisse me cognoverunt, instar famelicorum canum, sanguinis mei avidi, latrare, et totam urbem circumcursare cœperunt; ut me sicubi laterem, interciperent.

9. *Ecce loquentur in ore suo, et gladius in labiis eorum: quoniam quis audivit.*

9. Tunc, quod ante clauserant nefas, omnibus aperiunt, meque a rege neci esse destinatum: itaque, omnibus esse aperiendas latebras meas, et quid de mea scirent fuga, ut voluntas Saulis per mortem meam impleri posset.

10. *Et tu Domine deridebis eos: ad nihilum deduces omnes gentes.*

10. Tu vero, e cælis pumilos homunciones despicies, eorumque, et omnium tibi resistere volentium conatus, cum placuerit, eludes, atque in nihilum rediges.

11. *Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es: Deus meus, misericordia eius præveniet me.*

11. Ego vero, quidquid est in me virium et roboris custodiam, ut in tui unius honorem impendam: tu enim ab omnibus relictum et extorrem suscepisti. Tu nec cogitantem misericordia tua prævenisti, et paterna benignitate comparatas insidias aperuisti; speroque, te mihi semper auxiliatorem affore.

12. *Deus ostendet mihi super inimicos meos, ne occidas eos: nequando obliviscantur populi mei.*

12. Ultionem meorum mihi hostium aperies, ut mediis in cladibus aliquid solatii percipiam: ne quæso nunc vindice illos dextera obteras: ne tanti nunc præstiti a te beneficii populus mihi subiiciendus obliviscatur, nesciatque me tanto e periculo subductum esse.

Disperge illos in virtute tua: et depone eos protector meus Domine.

Caini instar vagos, varias in regiones disperge; ut ubique potentia tua et liberatio hæc mea innotescat. De honorum, in quibus gloriantur, fastigio illos deiice, Deus meus; qui tutorem te mihi, et asylum præbuisti: sic deiecti, de me rursus impetendo non cogitabunt.

13. *Delictum oris eorum, sermonem labiorum ipsorum: et comprehendantur in superbia sua.*

13. Hanc illis pœnam imprecor, ob varia in me iacta convicia, maledicta, et minas: cum maxime insolescunt, atque in superbiam eriguntur, capiantur, suisque laqueis irretiantur.

14. *Et de execratione et mendacio annuntiabuntur in consummatione: in ira consummationis, et non erunt.*

14. Cum eorum gloria evanuerit, tunc omnium fabula existent, ob blasphemias in te Deum protectorem meum, qui regiam mihi dignitatem es pollicitus; atque ob coniectas in me calumnias. Cum a te Deo meo irato absumentur, atque ex aulæ gloria deiecti in tanta erunt vilitate, ut pro nihilo æstimentur.

Et scient quia Deus dominabitur Iacob, et finium terræ.

Tunc intelligent, et clare scient, summam esse tuam in populum Israel, et in omnes orbis nationes potestatem; omnia ut regna, et dignitates, ad nutum vel auferas, vel largiaris.

15. *Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem.*

15. Honoribus ac divitiis privati, atque summam in paupertatem redacti, varios cursus usque ad vesperam facient: non ut me intercipiant, sed ut canina fame cruciati panem sibi comparent, quam in rem ostiatim mendicantes, totam civitatem circuibunt.

16. *Ipsi dispergentur ad manducandum: si vero non fuerint saturati, et murmurabunt.*

16. Neque unam modo urbem percurrent, ut cibum sibi vicatim emendicent: sed varia per oppida pagosque dispergentur, cum una in civitate non reperturi sint ad victum sufficientia. Et tamen cum tanto labore ne panem quidem ad satietatem reperient; tunc ingemiscent, et mentis impotes murmurabunt.

QUÆSTIO UNICA.

QUANTA IMPIO FAMES ET IGNOMINIA.

16. Ordo Sectionis. SECTIONE præcedenti David petierat liberationem ab hostibus, qui domum suam vallabant, ut eum occiderent. Nunc hostium suorum scelera, et liberationem suam declarat.

Ac primo, aperit hostium iniustitiam, v. 7. *Intende ad visitandas omnes gentes: non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem;* 2. insidias, v. 8. *Convertentur ad vesperam;* 3. rabiem: *Et famem patientur ut canes,* sanguinem meum sitientes; 4. laborem improbum: *Et circuibunt civitatem,* ut videant an alicubi lateam; 5. minas, v. 9. *Ecce loquentur in ore suo, et gladius in labiis eorum,* inclamantium me neci destinatum esse a Saule, atque proscriptum; 6. curiositatem et inquisitionem nimiam: *Quoniam quis audivit?* ubi lateat, aut quo, et qua via fugerit.

Secundo, liberationem suam declarat. Nam primo eos Deus contemnet ac puniet, v. 10. *Et tu Domine deridebis eos, ad nihilum deduces omnes gentes.* Secundo, fiduciam suam erga Deum ostendit, cui uni sua servat per charitatem, v. 11. *Fortitudinem meam ad te custodiam;* 2. quem credit liberatorem suum, per fidem: *Quia Deus susceptor meus es;* 3. a quo spectat misericordiam, per spem: *Deus meus, misericordia eius præveniet me.*

Tertio denique, hostium suorum excidium prædicit, aitque, illud fore manifestum, v. 12. *Deus ostendet mihi super inimicos meos;* 2. diuturnum: *Ne occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei;* 3. ignominiosum: tum dispersione per varias urbes et nationes, quibus eorum clades innotescat: *Disperge illos in virtute tua:* tum honorum ablatione: *Et depone eos protector meus Domine.* Quod eo erit pleuius dedecoris, quo inania magis iactarunt, v. 13. *Delictum oris eorum, sermonem labiorum ipsorum;* 4. iustum, cum suis artibus capiantur: *Et comprehendantur in superbia sua;* 5. necessarium, cum Deum blasphemarint, et innocentem calumniis onerarint, v. 14. *Et de execratione et mendacio annuntiabuntur in consummatione;* 6. terribile, cum ad nihilum redacti videantur: *In ira consummationis, et non erunt;* 7. doloris plenissimum, viso ultore: *Et scient, quia Deus dominabitur Iacob, et finium terræ;* 8. miserrimum, cum ad extremam inopiam redacti cogantur panem ostiatim petere, v. 15. *Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem.* Neque unam modo, sed plures, v. 16. *Ipsi dispergentur ad manducandum.* Nec stipem petitam obtinebunt, ita ut satiari possint: *Si vero non fuerint satiati;* 9. infructuosum et damnosum, cum inde non sumant occasionem pœnitentiæ, sed peccatorum: *Et murmurabunt.*

ARTICULUS I.

Fames canina sceleratorum, conversionem suam differentium.

CURSOREM se David noster constituerat Sectione præcedenti; et dixerat, se cucurrisse sine iniquitate; nunc A ostendit rabidos canes se sequentes, atque eorum punitionem prædicit ob scelera; eamque a Deo petit v. 7. INTENDE (Hebr. עורה *ura, evigila*) AD VISITANDAS (ad puniendas. Est metalepsis: ponitur enim antecedens pro consequente: nempe visitatio pro punitione, quæ consequitur visitationem) OMNES GENTES: NON MISEREARIS OMNIUM QUI OPERANTUR INIQUITATEM. *Non omnium,* id est, nullius. Prophetia est, non imprecatio. Dices, ipsius Davidis, Petri, Pauli, Magdalenæ misertus est Deus. Resp. hic agi de pœna temporali, quæ vix ulli remittitur; 2. agi de obstinatis in sua militia. Anagog. agitur de die iudicii, in quo Deus iudicat secundum opera. Alleg. Iudæi furiosi a Deo non obtinent misericordiam, quod manus suas in oratione ostentent sanguine Christi plenas, ut ait S. Basil. in Isaiam fol. 814. 17. Vers. 7.

Nota, patitur Deus impios ad breve tempus piis insultare, ut inde utilitatem pii percipiant. Plutarch. lib. de sera numinis vindicta, fol. 552. Sicut fel hyænæ, et phocæ, aliorumque fœdorum animalium coagula, aliquid haB bent ad morbos sanandos utile: sic nonnullis, δηγμου δεομενοις και κολασεως, morsu et pœna indigentibus Deus iniiciens tyranni alicuius sævitiam implacabilem, aut magistratus molestam asperitatem, non ante id quod excruciabat ac turbabat, sustulit, quam vitiosos morbo liberasset ac purgasset: ita ipse, ubi etiam ait, Phalaridem et tyrannos esse φαρμακον, id est, medicamentum. Adverte obiter φαρμακον duo significare: nempe medicamentum salutare, et venenum, afflictionis et malevolorum velut viperarum venenum sancti viri vertunt in salutarem medicinam, et de vipera faciunt theriacam, id est, de hostium malitia suam virtutem et sanctitatem. Utilis est piis afflictio.

Sed impios inultos non patitur Deus. B. Albertus superbiam vocat morbum caducum. Invidi sibi ipsis carnifices sunt, et tortores, dum cor exedunt ac devorant. Brasidas hasta e suo corpore extracta, eum ipsum perculit atque necavit, a quo fuerat vulneratus. Plutarchus lib. de sera numin. vind. fol. 553. Callippus, ait, quo pugione Dionem sub amici specie interfecit, eodem rursus a sociis C suis necatus est: et cum Mitius Argivus esset interemptus, ærea statua in foro, cum exhiberentur spectacula, incidit in percussorem Mitii, eumque occidit. Bessi deinde profert exemplum, qui cum patrem suum necasset, diuque id scelus occultum fuisset, cum ad hospites quosdam invisset cœnatum, nidum quemdam hirundinum hasta incussa deiecit, pullosque interfecit: cumque ii qui aderant, quærerent, cur id faceret? *Non auditis,* ait, *hirundines falso de me vociferari, et testari, me patris mei esse interfectorem?* Mirati qui aderant, hunc sermonem ad regem detulerunt, et re certis indiciis comperta pœnas luit Bessus. Per quæ quis peccat, per hæc et punitur, nec impius diu est impunitus. 18. Impii suis armis pereunt. Brasidæ facinus generosum. Callippus suo pugione occisus. Bessi parricidæ scelus mirabiliter innotescit.

Post petitionem, seu potius prædictionem vindictæ, aperit David rationem: nempe quod velut canes famelici et rabidi eum ad necem quærant, v. 8. CONVERTENTUR (Hebr. *revertentur*) AD VESPERAM, ET FAMEM PATIENTUR (Hebraice יהמו *iehemu,* tumultuabuntur, latrabunt, tumultum edent, præ fame scilicet) UT CANES, ET CIRCUIBUNT CIVITATEM, satellites a Saule missi, ut nocturno tempore, 19. Vers. 8.

prima noctis vigilia domum meam obsideant, et me orto mane occidant. Vel, vespera sumitur pro qualibet noctis parte. Est synecdoche.

Fames canina est in prover-bio. Nota, *fames canina* in proverbio est pro fame maxima et rabida. Græci magnam famem vocant etiam βουλιμιαν, q. d. Bovinam famem. Sed eam a fame canina distinguit Hieronymus Magius: Differt bulimia a canina fame, Primo, quia bulimia initio est quædam vis famis intolerabilis, (Quomodo differt a bulimia?) sed postea languente plane stomacho desinit æger cibum appetere: contra, in fame canina semper hæc appetentia durat et augescit. Secundo, quia bulimia tantum nascitur ex frigoris externi violentia: fames autem canina ex illo frigore, et etiam ex humoris melancholici affluxu oritur, et ideo Galenus hanc illa universaliorem esse dixit. Tertio

20. (Famis causæ tres.) denique, bulimia non adducit ægro vomitum: canina vero fames, propter intolerabilem ingluviem continuo vexantem et permanentem, vomitionibus creberrimis et quasi continuis infestat: ita Galenus comment. aphor. 1. lib. 2. Gorræus in definition. Medicis, et Delrius adagio 80. ubi etiam notat, famem omnem inde nasci, Primo quod calor innatus totum quod erat in stomacho, humorem sive humidum illud chilosum, ut vocat Gentilis: substantificum, ut vocat Garbus: crassum, ut Averroes, consumpsit: aut alia membra ad se trahendo stomachum exuxerunt, iuxta Galenum lib. 1. de causis Symptomat. et per hanc exinanitionem calor non habens in quod agat, in ipsum stomachum acrius agit, unde dolor seu sensatio molestior oritur. Secundo, ab affluxu humoris melancholici, ex liene per venam in stomachum; qui humor frigore et acore suo famem excitat, ut docet Francisc. Vallesius lib. 1. et 5. Controversiarum. Tertio, si frigus externum adeo sit vehemens, ut eo nimium ventriculi os refrigeretur, unde ingens initio fames nascitur, quam Gr. βουλιμιαν, βουλιμον, et βουπειναν nominant, ut ex Erasistrato refert Gellius lib. 16. Noctium Atticarum cap. 3.

21. (Cur fames canina vocatur canina?) Quæres, cur ingens et intolerabilis fames vocetur canina? Respondeo primo, quia canes maxima fame laborant ob magnum calorem et siccitatem, unde in æstate et hyeme frequenter solent in rabiem agi præ fame, ut tradit Dioscorides, et Ludovicus Perez libro de natura canum. Secundo, quia canes sunt natura voraces, quod denotat reversio ad vomitum, quem iterum resorbent. Tertio, fames canina dicitur, ob canum impudentiam, q. d. Fames impudens, sive quæ impudenter omnes et eorum omnia membra torquet atque depascitur sine misericordia, sive quæ impudentes facit. Ut enim ait Iosephus lib. 6. de bello Iudaico: Omnium licet acerbitates rerum superet fames, nihil tamen ita subruit et subvertit, sicut verecundiam. Quidquid enim salvis opibus pudore dignum est, in hac necessitate contemnitur. Euthymius in Ps. nostr. David, inquit, canis similitudine usus est, quod famelicum sit animal et impudens. Quarto denique, et præcipue, canina fames vocatur ob rabiem, q. d. Rabida fames, tum quia cum rabie devorat intestina, tum quia rabidos efficit eos quos corripit, ob doloris impatientiam. S. Hilar. hoc loco: Impudentiam ait et rabiem in nuncupatione canum argui.

22. (Conversio ad vesperam, in bonam partem accipitur:) Quæres, de qua conversione ad vesperam, et de qua rabie canum hic agitur secundum sensum mysticum? Resp. primo, quod aliqui hæc in bonam partem accipiunt. Primo de Iudæis qui convertentur ad vesperam; id est, tempore Passionis Christi: vel paulo post illam, in prædicatione Apostolorum: vel in fine mundi, ad prædicationem Henoch et Eliæ: tunc enim Iudæi fame verbi Dei incitati

I. (De Iudæis conversis post Passionem.) avide ad Apostolos, et ultimos illos mundi præcones accurrent, cibum illum cælestem percepturi. Ubi adverte, Iudæos in fine sæculorum venturos ad Christum et veram fidem, ut docet Pererius in cap. 15. Danielis, Suarez t. 2. in 3. part. S. Thomæ. S. Gregor. lib. 35. Moral. cap. 9. ubi locum illum Iob 42. 11. explicat: *Venerunt ad eum omnes fratres sui, et universæ sorores suæ, et cuncti qui noverant eum prius, et comederunt cum eo panem in domo eius: et moverunt super eum caput, et consolati sunt super eum: et dederunt ei unusquisque ovem unam, et inaurem auream unam.* Sic autem ibi ad rem præsentem loquitur de Iudæis, qui erant fratres Christi ex eorum populo progeniti: *Tunc ad Christum fratres ac sorores accedunt, quando ex ea plebe, quæ ei per cognationem iuncta est: vel qui fortes futuri sunt, velut fratres: vel infirmi, velut sorores, ad eum per cognitionem fidei devota gratulatione concurrunt. Tum apud eum celebre festivitatis convivium exhibent, quando eum iam nequaquam quasi purum hominem contemnentes, propinquitatis suæ memores, divinitati se eius inhærere congaudent. Tunc in domo eius panem comedunt, cum proposita observatione subiacentis litteræ in sancta Ecclesia mystici eloquii quasi frugis medulla pascuntur.* Lege cætera cap. 10. et seqq. ubi docet, cognitum fuisse prius a Iudæis Christum: sed in fine mundi moturos super eum caput, hoc est, per formidinem veritatis ab insensibilitate mentem suam avocaturos. Allaturos vero ovem, id est innocentiam: et inaurem, quæ est obedientiæ symbolum.

II. (De omnibus qui tarde convertuntur.) Secundo, alii etiam in bonam partem accipientes aiunt *conversionem ad vesperam*, esse conversionem tardam, licet utilem, quæ fiat in fine diei vitæ, ante mortis tenebras et noctem, in qua nemo potest operari, et in qua conversis dicitur: Nescio vos. Tarda illa conversio ad vesperam periculosa est, ideoque ad illud usque tempus non est expectandum, ut convertamur. Eccli. 51. v. 8. *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem.* Primo, quia Deus se cito convertit ad nos, et vocat nos, ut ad eum convertamur. Hoc expressum est Lucæ 15. in patre prodigi ad filium accurrente, eum osculante, et pretiosis vestibus ornante. S. Antioch. hom. 77. Deum vocat πελαγος ευσπλαγχνιας, mare immensum pietatis, et pœnitentiam nuncupat φαρμακον ζωης, vitæ sarciendæ medicinam. Deinde, in patre prodigi Deum nobis repræsentat. Nobis, ait, longe disiunctis ultro obvius occurrit, circumplectitur et adstringit: totque piaculorum notis interstinctum, tot aspersum probris, et cervicem usque nulla non parte squalentem sordibus dignatur beniguissimus suavi osculo. Secundo, Deus amat victimas teneras, et primitias frugum nostrarum. Deposcebat a Iudæis in sacrificium agnos anniculos, Exodi 29. v. 30. Levitici 23. 18. Numer. 7. v. 17. Petebat in oblationem, non iam arescentis arboris, aut terræ iam exhaustæ fructus sibi offerri, sed primitiva et arborum et terræ. De terra, Exodi 34. v. 26. dicitur: *Primitias frugum terræ tuæ offeres in domo Domini.* De arboribus præcipitur, Levit. 19. 23. *Quando ingressi fueritis terram, et plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum: poma quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis. Quarto autem anno omnis fructus eorum sanctificabitur, laudabilis Domino. Quinto autem anno comedetis fructus, congregantes poma quæ proferunt: ego Dominus Deus vester.* Bachiarius in epistola ad Ianuarium de recipiendis lapsis hæc cogitabat, cum dicebat: *Aspice quod nusquam in sacrificiis pecora senio confecta iugulantur. Sed ubique aut agnus, aut vitulus, aut hircus, aut hædus immolatur: id est, tenera adhuc, et parva, vel modica peccata.* Tertio, diabolus diligens est, ut nos perdat, et nostra tarditate delectatur. S. Antioch. homil. 77. Dum, ait, lentescimus, et cunctamur converti, plenum paramus diabolo gaudium. Quarto, in bonis temporalibus acquirendis solliciti sumus, et prompti; cælestia autem, sunt avidius expetenda. S. Ambrosius libro de Elia et ieiunio, cap. ultimo: *Suscipite*, ait, *iugum Christi: nolite timere, quia iugum est: festinate, quid leve est. Non conterit colla, sed honestat. Quid dubitatis? quid procrastinatis? quid negas satis adhuc esse temporis? Omne tempus opportunum ad indulgentiam. Si aurum tibi offeram, non mihi dicis, cras venias, sed iam exigis. Nemo differt, nullus excusat. Redemptio animæ promittitur, et nemo festinat. Ioannes in pœnitentiam baptizabat, et omnis Iudæa conveniebat, Matthæi 3. Christus baptizat in spiritu, Christus gratiam dispensat, et cum fastidio convenitur.*

Melius tamen secundo, *convertentur ad vesperam*, in 23.

II. malam partem capiendum est, ut patet ex toto psalmi contextu. Hoc autem explicat S. Gregorius Nyssenus tractatu 2. in psalmos, cap. ultimo de migratione in tenebras exteriores et locum damnationis: ibi est irrita omnis conversio, et ibi viget fames canina et rabida, nunquam tota æternitate vel unica mica panis satianda, vel aquæ guttula refrigeranda. De illa vespera dicunt damnati, Ierem. 6. vers. 4. *Væ nobis, quia declinavit dies, quia factæ sunt umbræ longiores vesperi.* Pœnitentiam agunt, et præ angustia spiritus gemunt, ut habetur Sap. 5. v. 3. Dives epulo ex mediis flammis oculos attollebat, et se convertebat in sinum Abrahæ, ut aquæ guttam obtineret, Luc. 16. 24. sed frustra.

Conversio ad vesperam in malam partem accipitur, et magis litteraliter. I.

II. Secundo, id de Iudæis speciatim exponitur: illi enim his etiam in terris caninam famem passi sunt Ierosolymis: ubi in obsidione Titi undecies centena hominum millia aut gladius, aut morbi, aut fames abstulerunt. S. Hilar. recte advertit, eos gravissimam famem pati verbi Dei. Sic autem ait in psalmum nostr. *Famem huius temporis per Prophetam alium* (Amos 8.) *denuncians, dicit: Ecce induco famem super terram. Non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem verbi, ut audiatur verbum Dei. Impudentiam eorum ac rabiem in nuncupatione canum arguens. Secundum illud Ps. 21. v. 22. Libera me de ore leonis, et de manu canis unicam meam. Et hoc quidem habent interioris conscientiæ suæ dolorem, cum se dispersos, cum captivos, cum tributarios congemiscunt: sine templo, sine sacerdote, sine regno. Et hoc posteaquam in maiestatis Dominum Salvatorem mundi manus impias intulerunt. Sed ubi de peccato crucifixi unigeniti Dei arguuntur, impii esse non desinunt: et dolore translatæ ad gentes divinæ cognitionis accensiores, adhuc verbis desæviunt.*

24. III. Tertio denique, de omnibus peccatoribus in hac vita recte dixeris, *famem patientur ut canes.* Cynamologos Africæ populos caninis capitibus fabulosa credidit antiquitas. Ægyptii Anubim suum in canem deformabant. Nunc et canibus, et caninis hominibus alios et se erodentibus urbes refertæ sunt. Famem vero patiuntur, quia cibo virtutis carent. Singula vitia decurramus.

Cynamologi caninis capitibus.

Peccatores omnes canina fame laborant: I. Superbi.

Primo, superbi semper in fame sunt, quia vento pascuntur, ut Chamæleon: et aulicis adulationibus, ut Heliogabali fictitio cibo. Fateor cum Valerio Maximo lib. 2. honorem esse virtutis uberrimum alimentum. Et cum Alphonso rege esse lac senum, imo virorum omnium. Cum rex ille nobilem bibacem argueret, quod venerandam annis canitiem ebrietate deturparet, respondit senex: Vinum esse lac senum: tum rex subiecit: *Nobilium lac virtutem esse, et honorem.* Verum quidem, si hæc duo simul iungantur. Intestinum in nobis unum vocatur ieiunum, quod ob viciniam fellei vasis mordicante illo humore perfusum nihil defluentium ciborum retineat. Vanissimis mundi honoribus tantum est admistum fellis, ut nihil solidæ lætitiæ afferre possint. S. August. serm. 255. *Quale,* inquit, *gaudium potest habere anima, quæ iracundiæ furore accenditur, superbiæ amarissimo felle potatur.* Non tanta maris aquis salsedo insidet, quanta honoribus terrenis et dignitatibus, quæ sitim potius accendant quam restinguant. S. Cyprianus præfat. de Cardinal. Christi operibus: *Ambitionis,* ait, *salsugo bibulam animam occupat.* Superbi dæmones, instar avium rapacium, medullas superbi exugunt. Deuter. 32. v. 24. *Consumentur fame, et devorabunt eos aves morsu amarissimo.* Anima superba, est tenera mulier et delicata, quæ super terram ingredi non potest, nec in ea pedis vestigium figere. Deut. 28. v. 56. optaret scilicet per aerem volare: in pœnam vero, fame dirissima cruciatur, et comedit filios et filias uteri sui; id est, bona opera, et illa consumit ac perdit.

Nobilium lac virtus.

25. II. Secundo, avari fame laborant. Frontin. lib. 4. cap. 6. refert, obsidente Casilinum Annibale tantam fuisse cibi inopiam, ut centum denariis venditum murem ferant, eiusque venditorem fame periisse, emptorem vixisse. Pari eventu in obsidione Prænestina testatur Valerius lib. 7. c. 6. murem ducentis denariis fuisse venditum. Sed credo, ait, deorum providentia effectum, ut venditori et emptori quem uterque merebatur, exitum attribuerit. Avaro enim fame consumpto, manubiis sordium suarum frui non licuit: æqui animi vir, ad salutarem impensam faciendam, care quidem, verum necessarie comparato cibo vixit: ita ille. Utrum maiori laborasse fame dixeris, eum cui canina auri fames mortem attulit, an eum qui corpoream famem tandem auro neglecto sedavit? Aristoteles lib. 2. de anima dicit, famem esse appetitum calidi at sicci. Sed avarus omnia appetit, neque montibus integris, aut aggesta terra tota et fluminibus exhaustis urbibusque devoratis satiatur. Pereat igitur fame necesse est.

Avari fame I. laborant.

Peccatoribus dirissimum supplicium Deus interminatur: nempe, ut filios suos comedant. Deut. 28. v. 53. *Comedes fructum uteri tui, et carnes filiorum tuorum et filiarum tuarum, quos dederit tibi Dominus Deus tuus in angustia et vastitate, qua opprimet te hostis tuus.* Quod accidisse scimus Ierosolymis teste Iosepho, et in nonnullis oppidis. Sed quotidiana est barbaris inter filios, parentes, cognatos, affines, cum litibus se et contentionibus devorant, ob insanam auri rabiem. Non absimiles sunt illi viperæ, quæ cum aliis clausa, cæteris absumptis seipsam devorabat, et Novomontanis ac Samandrinis, quos cum Amurathes Mysiam incursans obsidione cingeret, per quadriennium, ut ait Sabellicus lib. 6. Ennead. 10. illam tolerarunt, tanta cibi inopia, ut semper vetitos et obscœnos cibos raperent sint, qui fame adacti suas ipsi corroserint manus. Iura omnia violat auri sacra fames. S. Chrysolog. serm. 29. *Aurum,* ait, *crudelitatis dominus, sævus hostis, amando lædit, nudat vitando, ipsum captivat aspectum, fidem frangit, violat affectum, vulnerat charitatem, turbat quietem, adimit innocentiam, imperat latrocinium.*

Vipera se devorans.

Comedentes propriam manum.

Septem anni gravissimæ famis Ægyptum afflixerunt, Gen. 41. 29. sed septem anni præcedentes uberrimam rerum copiam omnium profuderant, at aliquid lætitiæ attulerant. In avaro autem semper inopia, et fames est etiam in annis fertilitatis. Unde S. August. in Ps. 32. recte concludit: *Non sunt illæ divitiæ, sed mendicitas: quia quanto magis abundant, tanto magis crescit inopia.* Et Martin. Dumiensis seu Bracarensis lib. de moribus: *Quæ est,* ait, *maxima egestas? avaritia.* S. Chrysost. hom. 11. in 1. ad Timoth. *Servile,* ait, *pecuniarum iugum fuge: quippe qui si illas tenere volueris, inops eris: sin autem eas aspernatus fueris, duabus ex partibus dives evades.*

Nec famem tantum ac sitim, divitiarum affert copia, sed mortem: cum enim acervatim nummi congeruntur, id accidit quod Alexandri militibus, qui post iter in siticulosis arenis emensum, cum ad fluvium accessissent; ita se aqua ingurgitarunt, ut multi intercluso spiritu perierint, neque ulla clades gravior Macedonico exercitui accidit. Idem contigit Scodrensibus, qui, cum a Turca obsiderentur, eo venerunt inopiæ aquarum, ut vix modicum quid distribuendo tres adhuc dies suffecturæ viderentur; obsidione soluti tanta aviditate ad fluvium concurrerunt, et se aqua impleverunt, ut multi rigentibus membris statim exanimes conciderint.

Tertio, luxuriosi famem patiuntur ut canes: famem carnalium delectationum, ut explicat Bellarminus. Pascitur libido conviviis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate flammatur, ut ait S. Ambros. lib. 1. de pœnit. cap. 14. Quis non horreat prodigum escam porcis subducentem et fame pressum? Quis non compatiatur M. Antonio, qui cum prius deliciis difflueret, ad Mutinam victus ad legiones Transalpinas fugiens aquam putridam potabat, fructibus agrestibus et radicibus vescebatur? longe miserior, qui mente nihil præter purulentam saniem versa; eoque infelicior, quo maiorem in ea volutatione delectationem ponit. Aquam putrefactam, et cadaveribus pollutam cum biberet Darius in fuga, negabat se unquam bibisse iucundius: idem dictitabat Artaxerxes, et in cibario pane oblato Ptolemæus Lagi: quis tamen eum potum, et cibum, ad pecudes et mancipia non amandet? 26. III.

Luxuriosi fame laborant.

Luxuria ignis est omnia devorans, qui quo maior fit, eo

maiori fame plura appetit, dicens, affer, affer. S. August. in Ps. 37. *Concupiscentiæ mala*, inquit, *quasi ardor est ignis: ignis consumit vestem, libido adulterii non consumit animam.* S. Ambros. eleganter in apolog. Davidis cap. 5. Samson validus et fortis, ait, leonem suffocavit, sed amorem suum suffocare non potuit: vincula solvit hostium, sed suarum non solvit nexus cupiditatum: messes incendit alienas, et unius ipse mulieris accensus igniculo messes suæ virtutis amisit: ita ille.

27. IV. Iracundi. Quarto, iracundi famem patiuntur, ut canes. Omnes Medi, ut ait Eusebius lib. 6. de præpar. Evang. cap. 8. canes non parva alunt cura, *quibus morientes homines adhuc spirantes proiiciunt.* Ira omnia devorat: unde minatur Deus Deuter. 32. 24. *Dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium.* Non famem tantum aliis afferunt iracundi, sed sibi, cum maiori semper vindictæ ardore succendantur. Nam, ut definit S. Ioan. Climac. grad. 8. fol. 171. Ira, est desiderium ulciscendi eum qui nos ad iram incitavit. Et postea: *Ira est,* φλογος εξαψις, *flammæ incendium, quod vehementi ventorum turbine auctum, brevi totum cordis agrum incendit et perdit, quem lentus alias ignis non absumpsisset:* ita ibi. Rabies canum ardente Sirio, id est, stella quæ est in ore canis, et a Latinis vocatur Canicula, pestifera est: iracundi autem furor omni tempore, et ipsi et aliis noxius et lethalis est.

28. V. Invidi. Quinto, invidi famem patiuntur ut canes, imo plusquam canes. Nam, ut ait S. Basilius tom. 1. orat. de invidia, fol. 448. *Canes educatione mansuescunt, leones obsequio tractabiles fiunt; invidi vero,* θεραπειαις πλεον εξαγριαινονται, *officiis agrestiores et efferatiores evadunt.* Non male quis Invidiam pinxerit iisdem coloribus, quibus depingit Ovidius famem in antro Scythico cubantem. Sic enim ait l. 8. Metamorph.

Est locus extremis Scythiæ glacialis in oris,
Triste solum, sterilis sine fruge, sine arbore tellus,
Frigus iners, illic habitant pallorque, tremorque,
Et ieiuna fames:

Paucis interiectis ponit descriptionem famis:

Quæsitamque famem lapidoso vidit in antro,
Unguibus, et raris vellentem dentibus herbas.
Hirtus erat crinis, cava lumina, pallor in ore,
Labia incana situ: scabra rubigine dentes:
Dura cutis per quam spectari viscera possent.
Ossa sub incurvis extabant arida lumbis.
Ventris erat pro ventre locus: pendere putares
Pectus, et a spinæ tantummodo crate teneri:
Auxerat articulos macies, genuumque tumebat
Orbis, et immodico prodibant tubere tali.

Deus dixit Caino invido, Gen. 4. v. 6. *Cur concidit facies tua?* Invidia edax illam assumpserat, quæ lividum animum erodit. Hinc illud in Anthologia Græcorum, invidia res est pessima; sed habet in se unum pulcherrimum, τηκει φθονερων ομματα και καρδιαν, consumit invidentium oculos et cor ipsum. Menander iure famem vocat, μεγιστον αλγος, maximum dolorem: in ea tamen est aliquid delectabile, quod omnia facit suavia præter seipsam, ut dicebat Antiphanes: invidia vero tota fellea est, et quidquid attingit, suo felle inficit. S. Antiochus hom. 55. Invidia plane vehemens et atrox malum, ac modis omnibus crudale est. Qui enim culpiam invidet, animi angore discruciatur, contabescit misere, eliquatur totus. Invidia est, ωσπερ σκωληξ εν ξυλω, και σης εν ιματιω, *quasi vermis in ligno, et tinea in vestimento,* cor et faciem invidi conficit et macerat hebeti pallore, qui semel in ipsius manus incidit: ita Antiochus.

29. VI. Gulosi. Sexto, gulosi famem patiuntur ut canes. De illis, et de avaris dicitur, Isaiæ 56. 11. *Canes impudentissimi, nescientes saturitatem.* De voracibus vide dicta Psal. 5. 10. Socrates dicebat, famem esse cibi condimentum: nos vero iure dixerimus, nimiam ciborum appetentiam, esse famis æternæ domicilium. Prodigus sua absumens, fame laborat; et siliquis, id est, folliculis seu integumentis, quibus A grana leguminum includuntur, eam explere non potest, Luc. 15. 16. Esau vorax lentis edulium absorbet, ac primogenita perdit. Lysimachus rex siti pressus se et exercitum hosti tradidit, expletaque siti exclamavit: O dii, quam pusillæ voluptatis gratia in servitutem me ex tanto rege conieci! Vini potus nimius sæpe ad inopiam et servitutem redigit. Sed quod deterius est, gula virtutes omnes absumit. S. Augustinus lib. de salutar. documentis cap. 64. *Sicut tinea,* inquit, *lanam devorat, et sicut ignis lignum, fœnum et stipulam convincit: ita caro rebellis et delicata animam consumit et concremat.* Et lib. quæst. utriusque testamenti, quæst. 120. Sicut in speculo sordido non se talem homo aspicit, qualis est: ita si esca et crapula fuerit gravatus, alterum se sentit, quam est: tunc excitatur libido, accenditur ira, inflammatur superbia, generatur luxuria: ita Augustinus si tamen auctor est librorum illorum. Nam liber de salutaribus documentis pius est, sed stylo humiliori scriptus. Liber quæstionum veteris et novi Testamenti habet aliquot hæreses.

B Septimo denique, pigri famem patiuntur ut canes. Fames ignavissimum mortis genus, ut ait Ammianus Marcellinus lib. 17. Ignavia vero, fames est turpissima. Nam, 30. VII. Pigri.
ut dicit Salomon Proverbiorum 19. 24. *Abscondit piger manum suam sub ascella, nec ad os suum applicat eam.* Arare non vult, cap. 10. 4. ideo semper in egestate est, cap. 21. 5. agrum eius et vineam replent urticæ et spinæ, ac maceria destruitur, cap. 24. 30. Pausanias ab Agesilao patre suo fame peremptus est ob proditionem, ut testatur Chrysermus. Cassius Brutus a patre suo Cassio ob eamdem causam, sicut dicit Clytonimus lib. 9. rerum Italicarum. Eristhenes a matre sua, ob infelicem pugnam, ut canit Ovidius in Ibim. Pigri vero mens facultates omnes, suas actiones, velut filios et filias, fame verbi Dei, cælestium luminum et virtutum necat. S. Ioannes Climac. grad. 13. Acedia seu pigritia est animi remissio, νοος εκλυσις, mentis enervatio, neglectus religiosæ exercitationis. Et paulo post ait, quod pigritia, languida est in sa- C cra psalmodia, ad preces infirma, εν διακονια σιδηρα, ferrea ad ministeria, impigra ad labores externos, ficta ad parendum: ita Climacus.

ARTICULUS II.

Scelerati, et canini homines, circuitus faciunt sibi et aliis noxios.

David rabiem hostium suorum aperuit, cum eos vocavit canes famelicos, nunc eorum in nocendo diligen- 31.
tiam ostendit, cum subdit, v. 8. ET CIRCUIBUNT CIVITATEM, huc illuc cursitando, ut, qua via fuisset David, et Vers. 8.
ubi lateret, scirent. Sed quænam erat illa civitas? Ea, in qua rex Saul ordinarie morabatur; nempe Gabaa Beniamin, quæ urbs dicebatur etiam collis Dei: collis quidem, quia locus erat excelsus: Dei vero, quia ibi habitabant Prophetæ.

Tropol. Civitas est Ecclesia, et singulorum piorum ani- D ma: eam nefarii circumeunt, ut stygiis prædonibus adiuncti, si qua pateat aditus, irrumpant, atque hæresibus et sceleribus polluant. Dæmon eorum dux præit, et per vigiles suos ingrediendi vias omnes pervestigat, ut Iob explicat cap. 16. 10. *Hostis meus,* ait, *terribilibus oculis me intuitus est.* S. Gregor. lib. 13. Mor. 6. *Oculi huius hostis,* inquit, *sunt hi, qui contra Ecclesiam provident mala quæ faciant: suisque consiliis persecutorum eius crudelitates inflammant.* Idem de anima cuiusque potest dici. Pergit autem S. Iob v. 14. *Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos: non pepercit, et effudit in terra viscera mea.* In quæ verba idem S. Greg. cap. 9. *Bene,* ait, *circumdari lanceis dicimur, quia antiquus hostis tentationis suæ vulnere ab omni parte nos impetit. Sæpe enim dum gula restringitur, ut libido subigatur, inanis gloriæ aculeus mentem pulsat. Si autem corpus abstinentiæ afflictione non atteritur, contra mentem libidinis flamma se excitat.* Oculi dæmonis sunt viri scelerati.

Sæpe dum servare parsimoniam nitimur, ad tenaciam labimur. Et sæpe dum possessa effuse tribuimus, ad avaritiam ducimur: quia rursum colligere quærimus, quod tribuamus. Lothi domus patet angelis, eam mali circumeunt, sed non intrant.

32. Canes non intrabant ædem Herculis.

Secundo, civitas est ipsius scelerati anima, sed eam non ingreditur, nec illam Deo pulsanti aperit. Illis clamandum cum Isaia 46. 8. *Redite prævaricatores ad cor.* Romæ, ædem Herculis, nec muscæ nec canes intrabant. Plinius lib. 6. cap. 28. ait, canes non intrare Sigaron insulam, expositosque circa littora errando mori. Plerique improbi in rebus exterioribus usque ad mortem occupati interiora sua et cor non subeunt, partim horrore facinorum territi, partim emendationis laborem fugientes: illos non inepte comparaveris canibus; qui, ut ait Capitolinus, circum tentorium Maximini Imp. in secunda mansione ultra duodecim ulularunt, et animam quasi flendo posuerunt, ac prima luce mortui sunt deprehensi. De impiis ait Iob 21. 13. *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad* B *inferna descendunt.* Cum rebus huius mundi volubilibus tartarei illi Ixiones ad ima devolvuntur. Unde ait de illis S. Aug. in Ps. 30. *Rotam temporis amant, non intrant ad veritatem, quia non amant æternitatem; temporalibus dediti, tamquam rotæ constricti, de quibus dicitur Ps. 82. 14. Pones principes eorum ut rotam.*

Canes Maximino mortem sua morte præsagiunt.

33. Mundus est civitas, quam impius circuit.

Symbolice, mundus hic civitas est, quam circumeunt impii. Ps. 11. 9. *In circuitu impii ambulant,* hoc est, in labore rerum terrenarum, ut explicat S. Gregorius in moralib. Solet, ait, per gyrum circuitus, laboris anxietas designari. Hinc per Psalmistam dicitur: In circuitu impii ambulant: quia dum interiora non appetunt, in exteriorum labore fatigantur: ita Gregorius. Et quidem, cum finem invenisse deberent, tunc incipiunt maiora semper appetentes: neque in illorum desideriis magis finis invenitur, quam in circulis. Deinde, illa circumactio eos impedit, ne perveniant ad centrum: nempe ad Deum, qui solus omnia stabilit. Guillelmus Abbas in meditationibus: *Acti, ait, circuitu erroris, quodam capitis vertigine obstu-* C *pescimus, ut ad veritatis centrum, et unitatis punctulum immobile non pertingamus; quod stabile permanens, dat cuncta moveri.*

In hoc mundo etiam, velut in mari semper agitato, et per turbines circumacto, versamur. Impii in verticibus illis impliciti, nunquam ad portum veniunt: qui vero sese per pœnitentiam e suis sceleribus explicant, ad optatum amati Dei portum veniunt, et in eo salvantur. Isaac Presbyter lib. 1. de mundi contemptu: *Pœnitentia,* inquit, *est navis; timor vero gubernator eius: charitas, portus divinus: facit ergo timor nos sedere in navi pœnitentiæ, et transfretare nos mare mundi fœtidum; et ad portum divinum, qui est charitas, perducit nos.*

34. Vers. 9

Si quæras, quid facere velint impii, ut famem suam expleant sicut canes, respondet David, eos mordere et occidere, v. 9. ECCE (denotat eos præsentes, et admirationem ac trepidationem Davidis) LOQUENTUR IN ORE SUO, ET GLADIUS IN LABIIS EORUM: QUONIAM QUIS AUDIVIT? S. Hieronymus, *quasi nemo audiat?* q. d. Loquuntur contra D me, et necem mihi intentant; quia putant, se neque ab hominibus, neque a Deo audiri, aut impediri posse. Secundo, τὸ *quoniam* ponitur pro *quod,* q. d. Quod quis audivit? Tertio, et itaque, *quis audivit?* verba sunt ipsorum impiorum, sibi insusurrantium, se non audiri ab ullo; se non esse deprehensos in suis insidiis; neminem scire imperium Saulis de occidendo Davide: unde futurum sit, ut facile occidatur. Arabs clare: *Et dicent: Quis est iste qui audit.*

Loqui in ore, quid?

Nota, *loqui in ore,* est loqui ore. Hebr. enim nomen instrumenti et modi ponunt in ablativo. Secundo et significantius, loqui in ore, est loqui submissa voce, ut vix extra os proferatur sonus. Hinc Apollin. vertit, των φθογγος μεν απειτος, eorum quidem sonus est obscurus. Tropologice, *loqui in ore,* est loqui sine consideratione mentis: prius ora effutire verba, quam corde illa concoquas et lo- A quaris. Hebraice, os impii facit fontem verborum, et ineptiarum, ac scelerum. Est enim יביען *iabbiun,* id est, ebullient, scaturient, eructabunt. Rad. est *naba,* quæ non multum differt a נבח *nabab,* latrare: unum enim scribitur per *ain,* alterum per *beth,* cætera sunt similia. Sunt canes latrantes, et mordentes: atque fontes perennes malorum. Græce est, αποφθεγξονται, id est, sententiose, graviter et superbe loquentes; velut cum auctoritate efferent verba sua, perinde quasi sint decreta, oracula et sententiæ regis et iudicum: verbi gratia, dicent: Reus est mortis: Illi pereundum est: Convictus est criminis læsæ maiestatis, et similia. Sunt canes Scyllæ resonantes, prope quos sint frequentia naufragia.

Nota, terribile monstrum est canis, qui habet pro dentibus gladios intra os suum; sed longe terribilius est canis, qui habet gladios in labiis: prius enim percutiunt et occidunt quam os aperiatur: itaque, ictus prævideri non potest. Cerberus terribilis est, tria guttura simul paudens; sed, offa vel bolo iniecto potest impediri, sopiri, occidi: at qui habet gladios in labiis, locum effugio vix relinquit. Canes loquentes Romani in prodigiis posuerunt, et serpentem latrantem, cum regno expulsus est Tarquinius: sed canes, qui loco dentium haberent gladios, non viderunt. De gladio, sagittis, et armis detractorum egi satis Ps. 56. v. 5. in illud: *Filii hominum dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus.* Prov. 25. v. 18. dicitur: *Iaculum, et gladius, et sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium.* S. Hilar. in Ps. 63. Arcus homicidæ linguæ, ait, semper intentus est; et acumen gladii, in lingua eius præsto est. Volant autem lethales eius sagittæ: et non ambiguum est, quid efficiant: scilicet, ut sagittent in obscuro immaculatum: ita Hilarius. Canum pugnacium mentionem facit Plin. lib. 8. cap. 40. Pugnasse, inquit, adversus latrones canem pro domino accepimus, confectumque plagis a corpore non recessisse, volucres et feras abigentem. Ab alio in Epiro agnitum in conventu percussorem domini, laniatu et latratu adactum, ut cogeretur fateri scelus. Garamantum regem canes ducenti ab exilio reduxere præliantes contra resistentes. Propter bella Colophonii, itemque Castabalenses, cohortes canum habuere: eæ primæ dimicabant in acie nunquam detrectantes. Hæc erant fidissima auxilia, nec stipendiorum indiga. Canes defendere limbos, cæsis dominis, eorum plaustris impositi: ita Plinius. Hæc omnia in canibus sunt laudabilia: peiores igitur sunt canibus servi, qui de dominis detrahunt, discipuli de magistris, subditi de regibus, filii de parentibus. 35.

Canis gladios habens pro dentibus.

Garamantum rex a canibus custoditur.

Susurrones præsertim *loquuntur in ore suo;* id est, occulte mussitando, et in aurem verba insusurrando et instillando. Susurrare enim est demissa voce loqui, parvum strepitum edere, quale est apum murmur, vel venti leniter spirantis, vel aquæ molliter defluentis. Hebr. vox *iabbiun,* id est, ebullient instar aquæ, huic loco apte conveniet. Susurro autem non minus habet gladios in labiis, quam detractor, imo periculosiores tanto illos habet, quo breviores; minus enim evitari possunt. S. Antioch. hom. 30. *Susurro, ait, et detractor complices cum sint, in extremam suam operationem conspirant. Par siquidem et una est utriusque operatio, utrumque recta in viam abripiens perditionis: utrumque cum infense oderint, et Deus homines. Execrandum enim detractionis atque susurri scelus, in iisdem comperiuntur, contubernales cum sint: quæ res facile indicat, talium vitam esse* εσπιλωμενην και ακαθαρτον, *contaminatissimam et impurissimam.* Quod autem susurrones et detractores circumeant civitatem, ibi ostendit idem sanctus Pater, cum in vitæ rota eos dicit circumagi. Citat illud S. Iacobi 6. v. 6. *Lingua constituitur in membris nostris quæ maculat totum corpus, et inflammat rotam nativitatis nostræ, inflammata a gehenna.* Pergit autem sanctus ille Pater. Liquet, per hoc intelligi temporariæ istius vitæ momenta, quibus ipsa sursum deorsum provolvitur. Quid enim hominis vita aliud quam rota, quæ perpeti rotatu versatur? Sed et eadem inflammatur 36.

Susurrones in ore loquuntur, et quomodo.

a gehenna. Susurrationem itaque, fratres fugiamus, ne nos amœnitate privet paradisi, nosque transmittat in gehennam ignis: ita ipse.

Canes illi rabidi possent terrorem inilcere, cum habeant gladios pro dentibus: ideo David in suprema tabellæ parte Deum depingit eos irridentem et delielentem: atque ipsum Davidem, contra illos confortantem.

37. Vers. 10 Ac primo, irridet Deus impios, et eorum vanos conatus, Davidem educens e domo, in qua clausus tenebatur; eos vero variis Philisthæorum præliis atterens, v. 10. Et tu Domine deridebis eos (qui sunt velut canes in me latrantes) ad nihilum deduces. S. Aug. S. Hilar. Cassiod. et Arnobius legunt, *pro nihilo habebis*. Sed nervosius noster, *ad nihilum deduces*, id est, ad nihilum rediges. Sept. ἐξουδενώσεις, nihil efficies. S. Hieron. vertit *subsannabis*. Ratio est, quia tu es Dominus, illi sunt canes. Hercules Pygmæos ridebat, quid faciet Deus peccatori?

Malitia est nihil. Tropolog. malitia nihil est, ut ait S. Ambros. de fuga sæculi, cap. 4. *Nihil est, quidquid diaboli est*, ut ait idem sanctus Pater lib. 2. de Iacob cap. 5. Sic etiam David noster dicit Ps. 144. *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus*. Ps. 57. 8. *Ad nihilum devenient tamquam aqua decurrens*. Psal. 59. 14. *Ad nihilum deduces tribulantes nos*.

Nota, Deus irridet eos qui convertuntur ad vesperam, id est, nimis sero. Prov. 1. 26. ait Sapientia increata: *Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo: cum vobis id quod timebatis, advenerit. Cum irruerit repentina calamitas*. Antiochi regis Syriæ preces et gemitus tardiores reiicit Deus, 2. Machab. 9. Horrendum est, quod S.

38. Chrysaorii terribilis mors. Gregorius lib. 14. Dialog. 34. refert de Chrysaorio, qui, ut ait, vir in hoc mundo valde idoneus fuit: sed tantum plenus vitiis, quantum rebus; superbia tumidus, carnis suæ voluptatibus subditus; in requirendis rebus, avaritiæ facibus accensus. Sed eum in morbo ad extrema venisset, eadem hora qua iam de corpore erat exiturus, apertis oculis vidit teterrimos viros et nigerrimos spiritus coram se assistere, et vehementer imminere, ut ad inferni claustra eum raperent. Tum ille tremere, pallescere, sudare, et magnis vocibus inducias petere, atque a filio Maximo opem implorare. Pavore autem tetræ eorum imaginis huc illuc vertebatur in lectulo, cumque constrictus nimis relaxari se iam posse desperaret, cœpit magnis vocibus clamare: Inducias vel usque mane, inducias vel usque mane. Sed eum hæc clamaret, in ipsis vocibus de habitaculo suæ carnis evulsus est. Pulcherrima autem et verissima verba subiungit Gregorius, cum ait: De quo nimirum constat, quia pro nobis ista, non pro se viderit, ut eius visio nobis proficiat, quos adhuc divina patientia, longanimiter expectat. Nam illi tetros spiritus ante mortem vidisse, et inducias petiisse quid profuit, qui easdem inducias quas petiit, non accepit? ita Gregorius, qui eodem capite commemorat aliud terribile in morte hypocritæ, qui gulæ se dedebat, cum ieiunia simularet; ait enim adstantibus: Quando me vobiscum credebatis ieiunare, occulte comedebam; et ecce nunc ad devorandum draconi traditus sum, qui cauda sua mea genua pedesque colligavit; caput vero suum, intra meum os mittens, spiritum meum ebibens extrahit. Quibus dictis statim defunctus est, atque ut pœnitendo se liberare potuisset a dracone quem viderat, expectatus non est. Idem sanctus Pater lib. 18. moral. 7. illud Iobi 27. v. 8. *Quæ est enim spes hypocritæ si avare rapiat, et non liberet Deus animam eius? Numquid Deus audiet clamorem eius, cum venerit super eum angustia: Aut poterit in omnipotente delectari et invocare Deum omni tempore*, explicans, aptissime ad rem præsentem ait: *Clamorem eius, angustiæ tempore, Deus non audit, quia tranquillitatis tempore in præceptis suis clamantem Dominum non audivit. Scriptum est enim Prov. 28. Qui avertit aurem suam ne audiat legem, oratio eius fiet execrabilis*. S. Ambrosius in exhort. ad pœnitentiam agendam, fol. 195. Qui, ait, positus in ultima necessitate ægritudinis suæ acceperit pœnitentiam, et mox reconciliatus fuerit, et vadit, id est, exit de corpore: fateor vobis, non illi negamus quod petit: *sed non præsumo dicere, quia bene hinc erit*. Non præsumo, non polliceor, non vos fallo, non vos decipio, non vobis promitto: ita Ambros. Cur porro vir Deo plenus toties dubitationem suam aperit, nisi ut ad celerrimam pœnitentiam tempore sanitatis eos permoveat? Unde subdit: *Fidelis bene vivens, securus hinc exit. Agens pœnitentiam dum sanus est, et reconciliatus si postea bene vixerit, securus est*.

In medio tabellæ David seipsum ponit, paratum pugnare in oculis Dei desuper aspicientis, et fortiter resistere contra canes ex omni parte insultantes, v. 11. Fortitudinem meam (nunc corrupte legitur עזו *uzzo*, id est, fortitudinem eius) ad te custodiam: quia Deus susceptor meus es. Primo, ab infantia ad lucem hanc aspiciendam. Secundo, ab ovibus ad regiam unctionem, et regis Saulis affinitatem, cuius filia Michol est uxor mea. Tertio et præcipue, nunc *susceptor meus es*, per fenestram me demissum paterno sinu excipiens, ne peream. Hebr. habetur. משגב *misgab*, id est, ut vertit Flamin. adiutor: ut Camp. propugnator, et S. Hier. elevator: ut Pagnin. et Arias, elevatio. Verti possit, refugium, arx, munitio, locus elevatus et munitus. Sensus est, q. d. E domo mea per fenestram deiicior cum vitæ periculo, sed eado inter tua brachia et tuum pectus, ibi sum magis exaltatus et tutus quam in omni palatio. Tu mihi arx, et turris fortissima et altissima. Chald. שיזבותי *sezabuthi*, effugium meum, evasio mea, liberatio, refugium. Rad. *sereb*, eripere, liberare. 39. Vers. 11.

Quæres, quid est, *fortitudinem suam ad Deum custodire?* Nota pro *ad te*, Hebr. est אליך *elecha*, id est, *ad te*, tibi, tecum, apud te. Primo itaque, fortitudinem suam ad Deum custodire, et Deo, est eam custodire ut illi serviatur, ut in eius honorem et gloriam tota impendatur. Sic David fortitudinem etiam corporalem a Deo acceperat, qua ursos et leones sternebat: eam Deo custodivit, aggrediens et sternens Goliathum insultantem Deo et populo eius, 1. Reg. 17. Secundo, cum Deo fortitudinam suam custodire, est eam sibi non ascribere, non fidere suis viribus, cognoscere se sine speciali Dei ope nihil posse. Tertio denique, apud Deum fortitudinem suam custodire, est illi velut depositum tradere, ut illam custodiat, conservet, augeat; ut inde, velut ex armamentario, extrahi possit, cum tempus exiget. Sensus autem est, q. d. Nolo uti nunc mihi a te data fortitudine, qua meis adiunctis nobilibus at servis possem sibi non caventes satellites Saulis, qui velut iam capta præda victores se tutos putant, fugare et occidere: eam fortitudinem et robur in tuo sinu depono custodiendam, velut gladium in tutissima vagina, ut ea utar contra hostes tuos. Fortitudinem hanc interpretantur Euthymius et Nicephorus regnum sibi a Deo promissum; sed videtur potius intelligendum de corporis robore, et mentis fortitudine. 40. Fortitudinem ad Deum custodire quid?

Tropolog. Fortitudo hæc Deo custodienda est, 1. corpus; 2. anima; 3. divitiæ et honor; 4. iuventus, adolescentia et virilis ætas; 5. denique, quidquid in nobis est excellens et valde amatum. Enitatur quisque, ut possit dicere, *Gabriel*, id est, fortitudo mea Deus. *Eliab*, id est, Deus meus pater. *Eliel*, Deus meus fortitudo. *Eliatha*, fortitudo mea tu. *Eliada*, Dei mei scientia. *Elihoenai*, ad Deum oculi mei, seu fontes mei, q. d. Quidquid aspicio Deus meus est, aliis rebus oculos claudo: quidquid ex me profluit, Deo meo profluit, non mihi, aut creaturis. *Elimelech*, Deus meus rex. *Eliasaph*, Deus meus augmentum. *Eliezer*, Dei mei adiutorium: Deus meus adiutor. *Elisæus*, vel *Elisua*, Dei mei salus. *Eliasib*, Dei mei habitatio, seu sessio. Multi, ut ait Hugo Card. male custodiunt fortitudinem suam, quia eam amittunt; sicut Samson, cui Dalila (corrupte habet Dalida) præcidit crines, dum in gremio illius dormiret. Dalila interpretatur situla, et significat concupiscentiam duplicem, quæ semper dicit et clamat, affer, affer. Hæ enim sunt duæ filiæ, sanguisugæ; scilicet cupiditas et libido, quæ semper clamant, affer, affer, 41. Quid est hæc fortitudo?

*

Proverb. 30. v. 15. Si vero homo fortis, quantumcumque fortis sit, in gremio alterius istarum dormiat: scilicet se ei exponat, præcidit ei crines: Id est, sanctas cogitationes et affectiones. Et sic recedit fortitudo spiritualis. Fortitudinem etiam corporis debemus custodire, non ad libidinem, sed ad Dominum: id est, ad honorem eius, ut ei fortius serviamus. 1. ad Corinth. 10. v. 31. *Sive manducatis, sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite.* 3. Reg. 19. v. 8. *Ambulavit in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei Oreb.* Sunt autem quidam, qui istam fortitudinem amittunt in servitio Dei; sicut indiscreti, qui excedunt in ieiuniis, et vigiliis, et disciplinis. Alii autem sunt, qui amittunt eam in servitio diaboli; sicut illi qui totam iuventutem suam in vitiis consumunt, et expectant facere pœnitentiam usque ad senectutem. Tales non possunt dicere, fortitudinem meam ad te custodiam: sed imbecillitatem meam ad te custodiam, et fortitudinem ad diabolum. Proverb. 5. v. 9. *Ne des alienis honorem tuum, et annos tuos crudeli, ne forte impleantur extranei viribus tuis, et labores tui sint in domo aliena, et gemas in novissimis, quando consumpseris carnes et corpus tuum.* Idem etiam potest dici contra eos, qui nimis diu student in Logica, vel aliis scientiis, et quando senes sunt, tunc primo volunt audire Theologiam. Debemus autem eam custodire ei, ex quo ipse dignatur acceptare servitium, quod ei potest facere corpus nostrum. Hoc est quod dicit: Quia tu es Deus susceptor meus, qui dignanter suscipis quod possum facere. Et hoc non quia indigeam opere meo, sed ut ego merear illi. Hoc est quod sequitur: Deus meus, misericordia eius præveniet me. Sicut homo dives, qui non indiget opera cuiusdam pauperis, si tamen conducit eum ut ille possit lucrari, facit cum eo misericordiam, Ps. 15. v. 2. *Bonorum meorum non eges.* Item ipsa anima hominis, et ipsum corpus eius est fortitudo, id est, munitio. Utrumque enim est quasi quoddam castrum Dei, quod diabolus obsidet; animam tentans vitiis spiritualibus, et corpus carnalibus. Nos autem, utramque fortitudinem, sive munitionem debemus custodire Domino, quia sumus castellani ipsius. Et si tradamus aliquid eorum diabolo obsidenti, proditores sumus. Quidam autem de facili tradunt, quibus dicitur Nahum 3. 12. *Omnes munitiones vestræ, sicut ficus cum grossis suis; quæ, si concussæ fuerint, cadent in os comedentis.* Quia cito diabolus concutit animam per superbiam, vel invidiam, vel iram, quæ tradunt eam consentiendo. Quando autem concutit corpus per pruriginem, tradunt illud libidini. Sed vir iustus dicit: *Fortitudinem meam ad te custodiam*, viriliter repugnando contra adversarios. Quia tu es Deus susceptor meus tamquam scutifer, qui in tyrocinio suscipit dominum suum, et ducit eum extra bellum, quando fessus est in bello. Sic Dominus, licet nos tentari permittat, tamen protegit nos et adiuvat. 1. Cor. 10. 13. *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possitis et ipsi sustinere.* Et posset dicere diabolus: unde scis, quod Dominus ita succurret tibi: ecce, Deus meus, misericordia eius præveniet me, q. d. Quia eius misericordia etiam peccatores et impios prævenit, pro certo scio quod sibi servientem non derelinquet secundum quod dicit Apostolus Rom. 5. 8. *Cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis iustificati nunc in sanguine ipsius, salvi erimus per ipsum:* ita Hugo.

Hanc securitatem suam David non tribuit meritis suis, sed Dei misericordiæ, a qua præventus fuerat, per admonitionem ut fugeret; quia erat necdestinatus a Saule, et domi cingebatur ab eius satellitibus: qua de re minime cogitabat: itaque periisset, nisi misericordia Dei eum prævenisset, et in aliis casibus idem fore confidit. Unde

42. Vers. 11. 2. Pars. ait v. eod. 11. **Deus meus misericordia eius præveniet me**, id est, Dei mei misericordia me præveniet. Est Hebraismus duplex: Primo, quod τὸ *eius* redundat per pleonasmum Hebræis ordinarium. Secundo, quod Deum alloquitur in tertia persona, q. d. Tu Deus meus misericordia tua me prævenies. Nam mox antea dixerat, *Susceptor meus es.* Hæc mutatio personæ secundæ in tertiam, vel contra, frequentissima est, et valde notanda in psalmis. Hebr. nunc est אלהי *elohe*, quæ vox est in regimine: sed legerant Septuag. *elohim*, in statu absoluto, et Deum significat.

43. *Gratia præveniens est necessaria ad actus meritorios.*

Tropol. hic agitur de gratia præveniente nobis necessaria ad omnem actum meritorium. Celeberrimus, ut ait Lorinus, hic pro gratia locus, maxime pro præveniente et omnino prima. *Antequam aliquid boni ego faciam*, ait hoc loco Augustinus, *misericordia eius præveniet me:* quid hic respondebit infelix Pelagius? urgent eumdem hæreticum cæteri enarratores isto eodem testimonio: et nihil boni ex nobismetipsis habere nos posse nisi hoc a Domino acceperimus, nominatim Cassiodorus affirmat: Hoc quod alii præterea Patres docent atque Concilia, ita ut etiam dicant, nihil nos per nos posse nisi peccatum, sic intelligitur ut nobis solis tribuatur peccatum: omnis autem operis boni, quod cooperante etiam libero arbitrio nostro fiat, auctorem potius Deum esse quam nos, vel ut causam naturalem cum omni causa secunda concurrentem, vel ut speciale auxilium gratiæ præbentem. Item, opera moraliter bona, quæ fiant naturæ viribus cum concursu generali Dei, ut est auctor naturæ et prima universalis causa, cum per se non sint meritoria, nec veræ dispositiones ad iustificationem, perinde esse ac si essent mala, quod attinet ad consecutionem gratiæ sanctificantis et gloriæ: quamvis, quia in se bona sunt, non inducunt reatum pœnæ. Simili quadam ratione in uno delinquens, fieri dicitur omnium reus. Iacobi 2. 10. quia etsi revera non habeat reatum nisi peccatorum quæ committit: tamen et iis peccatis quæ committit, violat auctoritatem Dei communem cnivis præcepto, et nihilominus iacturam facit gratiæ atque beatitudinis, quam si omnium peccatorum reatum incurrisset. Gratia præveniens dicitur quælibet excitans, et operans, qua Deus, ut ait S. August. Enchirid. cap. 32. nolentem prævenit, ut velit: sicut gratia subsequente, adiuvante, cooperante, volentem subsequitur, ne frustra velit: aut, sicut ait lib. de natur. et gratia, cap. 3. qua prævenit, ut sanemur: subsequitur, ut sanati vegetemur: prævenit, ut vocemur: subsequitur, ut glorificemur: prævenit, ut pie vivamus: subsequitur, ut cum illo semper vivamus. Ubi tamen videtur Augustinus tribuere nomen prævenientis gratiæ etiam ei quæ sanctificat, et habitualis est, atque glorificationem præcedit, vel certe augmentum eiusdem gratiæ sanctificantis: denique gratiam omnem, quæ aliam præcedit ac prævenit, videtur prævenientem appellare, cum Scholastici stricte de actuali hæc nomina usurpent, et prævenientem, sumunt eam quam Deus operatur in nobis quos movet sine nobis, libere tunc operantibus. De gratia præveniente atque subsequente scribit eodem modo Gregor. hom. 9. in Ezech. quo Augustinus, qui etiam lib. 2. contra duas epistolas Pelagius cap. 9. sic ait: Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla vero facit homo, quæ non facit Deus, ut faciat homo; et avertat hanc amentiam a nobis, ut in donis eius nos priores faciamus, posteriorem ipsum, quoniam misericordia eius præveniet me: et si non prævenit nos, non solum non perficitur quod præcipit, sed nec inchoatur ex nobis: et, ut incipiamus, dictum est: ***Misericordia eius præveniet me;*** ut perficiamus, dictum est Ps. 22. 6. ***Misericordia eius subsequetur me.*** Legantur etiam S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 9. et 11. de fide ad Petrum cap. 32. ep. 6. cap. 7. de gratia Christi, cap. 18. et S. Prosper. carm. contra ingratos, præsertim cap. 14. et 45. 1. de vocation. Gentium cap. 24. alias 9. et epist. ad Ruffinum: iste hunc Psalmi nostri profert locum 1. de vocatione Gentium, cap. 24. cum prioribus verbis, *Fortitudinem meam ad te custodiam.* Unus quoque Arausicani Concil. 2. canon. 14. habet: *Nullus miser de quacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia prævenitur.* Sicut dicit Psalmista Ps. 78. 8. *Cito anticipent nos misericordiæ*

tuæ Domine. Et illud, *Deus meus, misericordia eius præveniet me*. Utrumque S. Bern. citat locum ad idem propositum, dicens, serm. 67. in Cantica, de præventione Dei non minus certam hanc manifestamque esse sententiam, quam alias quas commemorat. Rursum Greg. lib. 33. mor. cap. 20. vel 25. perpendens verba Iob cap. 41. 2. *Quis ante dedit mihi, ut reddam ei?* Nemo, inquit, ut divina illum gratia subsequatur, prius aliquid contulit Deo. Nam si nos Deum bene operando prævenimus, ubi est quod Propheta ait: *Misericordia eius præveniet me*. Recitat ibidem alia ad idem probandum testimonia ex Evangelio Ioannis cap. 6. 44. et cap. 15. 5. et epistolis eiusdem, 1. epist. 4. 10. ex Osea, cap. 14. 5. et Paulo, 2. Cor. 3. 5. Ephes. 2. 5. Tandem S. Aug. epist. 106. istis verbis, ait, doceri, nullis nos meritis assequi, nihilque in nobis invenire ante gratiam Dei, cur noster susceptor sit factus, et quantumcumque cogitaverimus antecedentia merita, fore ut misericordia eius præveniat nos: hæc Lorinus. Vide S. Thom. 1. 2. quæst. 109. et seqq. Suar. tom. de gratia, Vasquez tom. 2. in primam secundæ, disputat. 193. ubi agit de necessitate gratiæ in omni statu. Gratiæ pervenientis et subsequentis sex acceptiones attuli Ps. 22. 6.

ARTICULUS III.

Pœna superborum, blasphemorum et mendacium.

44. Vers. 12. **F**usis, fugatisque, et ex parte cæsis sceleratis, iustum Deus in sublimi colle constituit, ut pro voluntate eius de victis statuat, v. 12. Deus ostendet mihi (id est, tu Deus ostendes mihi. Loquitur enim Deo in tertia persona, cui antea et mox postea loquitur in secunda persona) super inimicos meos, ne occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei.) Petes, *quid ostendet?* Primo, opem suam. Cassiodor. legit: *Deus meus ostende mihi inimicos meos*. Hilarius legit eodem modo, nisi quod habet *ostendit*. S. August. Deus meus demonstravit mihi in inimicis meis. Secundo, liberationem suam. Psalt. Rom. et S. Petr. Damiani lib. 2. epist. 13. *Deus meus, ostende mihi bona inter inimicos meos*. Tertio, hostium suorum stragem. Chald. *Deus ostendit mihi ultionem in meos oppressores*. Est itaque hic oratio ecliptica et aliquid reticens. Psalt. Gallicanum habet: *Deus meus, ostende me inter inimicos meos*, sospitem scilicet, securum, et de eorum malitia triumphantem. S. Hier. vertit: *Deus ostendit mihi insidiatores meos*, victos scilicet, stupentes, iacentes et prostratos a Philisthæis in monte Gelboe, ubi Saul occisus est post cruentam pugnam. Unde David hoc timens subdit, *ne occidas eos*, quia sunt fideles, licet improbi; Philisthæi vero, sunt idololatræ. Hebr. habetur particula *beth*, quæ ordinarie significat *in*, pro plerisque tamen particulis sæpe sumitur. Noster significantius vertit *super*, q.d. Ostendet mihi illos iacentes, ita ut si velim, eos calcare possim.

45. *Cur petit hostes suos non occidi?* Petes secundo, cur petit hostes suos non occidi? Resp. Primo, quia Saul erat rex; necem autem principum, etiam cum vitæ nostræ periculo impedire debemus. Secundo, quia Saul erat socer eius et pater Ionathæ, quem David amabat, sicut animam suam. Tertio, ut Saul et alii converterentur. Chald. vertit, *ne subito occidas eos*. Quarto, quia alii exequebantur iussa regis sui, quæ non tenebantur ita examinare, sed poterant supponere esse iusta: quod tamen in hoc casu erat difficile; nota enim erat omnibus innocentia Davidis, et furor Saulis, qui a Spiritu malo arripiebatur. Quinto, ne superbirent Philisthæi. Sexto, ne illi et alii homines contermini contemnerent Iudæos, et victos pro nihilo ducerent, atque expilarent, ea causa hic ponitur: *Ne quando obliviscantur*, homines, *populi mei*, Iudaici, qui solus te cognoscit et colit. Per metalepsim autem *oblivio* ponitur pro contemptu.

46. *Iudæi utiles sunt ad fidei probationem.* Mystice, hæc de Iudæis explicant S. Hilar. S. Basil. Theodor. Remig. S. Aug. qui sic loquitur, eos Caino huc illuc errabundo comparans: *Non sine causa Cain ille est, qui cum fratrem occidisset, posuit in eo Deus signum, ne quis eum occideret. Hoc est signum, quod habent Iudæi; tenent omnino reliquias legis suæ: circumciduntur, sabbata observant, pascha immolant, azyma comedunt. Sunt ergo Iudæi, non sunt occisi, necessarii sunt credentibus gentibus. Quare hoc? Ut demonstret nobis in inimicis nostris misericordiam suam. Deus meus demonstravit mihi in inimicis meis. In ramis superbiæ præcisis, inserto misericordiam suam demonstrat oleastro. Ecce ubi iacent, qui superbi erant, ecce ubi insertus es, qui tunc iacebas: et tu noli superbire, ne præcidi merearis*. Illis maximis convenit, quod sequitur: Disperge eos in virtute tua (S. Vers. 12. 2. Pars.
Hier. *in fortitudine tua*) et depone eos (S. Hier. S. Hilar. S. Aug. destrue eos. Chald. ad paupertatem redigas eos a facultatibus ipsorum. Apollinar. robur ipsorum pavimento admove) protector meus Domine. Per totum orbem sparsi sunt Iudæi, ut sint librarii Christianorum, et servi ferentes codicem eorum, quo Gentiles convincuntur, cum vident nos probationem sumere ex libris inimicorum nostrorum: ideo non debent occidi, inserviunt enim ad ostendendam veritatem fidei nostræ. S. Bern. epist. 322. nuncupat Iudæos apices repræsentantes nobis Dominicam passionem: et luendo pœnas tanti facinoris, testes nostræ redemptionis. In Alcorano Azoara 12. dicuntur esse similes asino, libros gestanti. Petrus Clun. Abbas, S. Bernardi æqualis, floruit enim circa annum Christi 1130. scientia et virtute clarus, epist. ad Ludovicum Francorum regem utitur testimonio præsentis psalmi, ut Iudæorum necem dissuadeat. Secundo, Iudæi non sunt occidendi, quia aliqui ex illis convertuntur, et pene omnes convertentur per Henoch, Eliæ, et sociorum prædicationem in fine mundi.

Nota, pro, *ne quando obliviscantur populi mei*: nunc 47.
in Græcis codicibus, et apud S. Hilar. S. Aug. Cassiod. Petrum Cluniacensem lib. 2. epist. 13. S. Isid. in Gen. cap. 6. habetur, *legis meæ*. Sed verisimile est Septuag. vertisse λαοῦ μου, id est, *populi mei*, et id asserit S. Hieronymus epist. 135. Sic est in Hebræo, Syr. Chald. textu. Arabs habet, *legum tuarum*. Arbitratur Lorinus, τὸ *populi mei*, non esse genitivi singularis, sed nominativi pluralis. Trevetus etiam, et Chaldaicæ paraphrasis interpres vertunt, *populus meus;* sed contrarium patet ex versione Septuaginta interpretum, et ex supradictis.

Quatuor scelera hostium suorum aperit David: nempe detractionem, superbiam, blasphemiam et mendacium, ob quæ eos puniendos prædicit.

Ac primo, de eorum detractione, oblocutione, calumnia 48.
ait, vers. 13. Delictum oris eorum, sermo labiorum Vers. 13.
ipsorum, id est, propter delictum, propter sermonem di- 1. Pars.
sperge et depone eos, ut dixerat versu præcedenti. Ubi adverte, quod in textu Hebraico nulla est præpositio, sed subintelligitur. Unde S. Hier. vertit, *in peccato oris sui, in sermone labiorum suorum*. Chald. Propter delictum oris eorum. Frequens est apud Græcos ut subintelligant præpositionem κατά. Latini etiam aliquando accusativum ponunt sine præpositione, ut *cætera Graius, albus dentes*. De detractione et calumnia vide dicta Ps. 5. 10. et variis locis.

Secundo, superbiæ pœnam postulat, et comprehen- 49.
dantur (id est, simul prehendantur, in unum fasciculum Vers. 13.
colligati; 2. circumprehendantur, ut evadere non possint) 2. Pars.
in superbia sua, id est, superbia sua, per superbiam suam: ita ut superbia eorum sit laqueus, vinculum et catena, qua teneantur. Unde Apollinar. vertit, *suis magnis superbiis capiantur*. Sic sumetur hic locus intransitive. Et vero Hebræi solent nomen instrumenti ponere cum præpositione. Petrus Valderama exercit. pro die Iovis post Dominic. 2. quadrages. ait, Hebraice hic esse *in gehenna sua*: quod si verum esset, aptissime diceretur. Superbia enim est magna gehenna et infernus, ut alias ostendi de quolibet peccato mortali: sed deceptus videtur voce *geonam*, quæ significat *superbiam eorum*, sive suam, non vero gehennam.

Secundo, et melius, hæc accipienda sunt transitive, q.d. Tu Deus illos comprehende et liga propter superbiam suam, qua me a te unctum regem despiciunt, et morti

velut piacularem victimam destinant. Iob 10. 15. dicitur: *Si impius fuero, væ mihi est: et si iustus, non levabo caput, saturatus afflictione et miseria. Et propter superbiam, quasi leænam capies me, reversusque mirabiliter me crucias.* Ubi adverte, superbos esse leones, seu potius leænas: quantumvis enim furiosi sint, sunt effœminati.

50. Superbi a Deo disperguntur et deiiciuntur.

Nota, duo imprecatus fuerat hostibus suis: nempe, dispersionem et depositionem. Utrumque superbo evenit. Primo enim, Deus superbum velut male radicatum arborem vehemens turbo, diffringit et dissecat. S. Antioch. hom. 44. *Superbus*, inquit, *est* δενδρον ακαρπον και αρριζον, *arbor infrugifera, et carens radicibus, et non ferens venti vehementem impetum: sed,* ωσπερ πομφολυξ, *sicut bulla aquarum fracta et disiecta disparet: ita superbi et arrogantis memoria post mortem disperit.* Secundo, superbi deponuntur ac deiiciuntur; qui enim se humiliat, exaltabitur. S. Ambr. serm. 14. in Ps. 118. *Grande est*, ait, *in omnibus humilitatis tenere mensuram. Superbia hominem primo deiecit. Quapropter dum plus volumus, etiam quod minus est, solemus amittere. Bona humilitas quæ nihil appetendo, totum quod contemnit, adipiscitur. Ipse enim Dominus Iesus se humiliavit, ut nos elevaret: et humiliavit usque ad crucem: propter quod exaltavit illum*, inquit, *Deus; ut in nomine eius omne genu flectatur. Quanta fecit Dominus, audeo dicere, et non flexi ei genu: sed flexi ei, postquam se humiliavit:* Ita Ambrosius, qui Davidis nostri et Iosephi exemplo ideo probat. Ezechias contra, licet pius, inani gloria elatus summum in periculum incidit. Sed quod magis dolendum est, superbus deiicitur in ima vitiorum, et vix unquam inde emergit. S. Antioch. hom. 44. Quomodo, inquit, superbi ad pœnitudinis et resipiscentiæ sinum se conferant, qui, ολον διαβολον δεχομενοι, *totum diabolum in se excipientes per superbiam, per hoc colluctatorem et adversarium sibi Deum statuerunt.* Diabolus est rex superbiæ; itaque totus intrat in eam animam, in qua regnat; eminere enim et dominari appetit.

51. **Tertio**, blasphemi quoque, et maledici, sæpe tam gravi
Vers. 14. pœna mulctantur, ut in ore sit omnium, vers. 14. **Et de execratione** (Hebr. אלה *ala*, id est, iuramento, contumelia, execratione, maledictione, periurio, iuramento cum imprecatione facto) **et mendacio annuntiabuntur.** Hebr. nunc est יספרו *iesaperu*, annuntiabunt, narrabunt: crediderim Septuag. legisse יספרו *iesaperu*, in coniugatione Pual, id est, annuntiabuntur, narrabuntur. *De execratione et mendacio*, est hendiadys, id est, de execrabili mendacio, de horribili et detestabili calumnia, quam contra me finxerunt hostes mei, dicentes me velle eripere regnum Sauli. Sed ubi, quando et quomodo annuntiabuntur? Cum peribunt et consummabuntur, omnes dicent hoc eis accidisse propter eorum in me scelera, ac præsertim propter calumnias mendaces, quas cum execratione et maledictione asseverarunt. Hinc sequitur, v.
Vers. 14. 2. Pars eod. 14. **In consummatione: in ira consummationis, et non erunt.** Hæc iungenda sunt præcedentibus, q. d. Ob execrationem et mendacium annuntiabuntur; id est, omne de iis loquentur, cum consummabuntur, et quidem a Deo irato; tunc non erunt amplius in suis honoribus, nec in vita, a Philisthæis mirabiliter victi, atque trucidati. S. Hieron. vertit: *Maledictionem et mendacium narrantes consume in furore: consume, ut non subsistant.* Chald. *Quoniam periurium et mendacium narrant, dele eos internecione, destruit illos adeo ut non sint.*

52. Allegor. Hæc intelliguntur de Iudæis blasphemantibus Christum, et sibi ipsis imprecantibus, cum dicerent: *Sanguis eius super nos et super filios nostros. Non habemus regem nisi Cæsarem*, et alia eiusmodi. Hæc autem annuntiabuntur et narrabuntur; cum ipsi amplius non sint: unus scilicet populus, et regnum: cum eorum civitas, templum et alia destructa sint, et eversa.

Blasphemi varii puniti.

Tropol. de blasphemis omnibus, imprecatoribus, et periuris expone. Nunc pauca dicamus de blasphemis, quos S. Augustinus similes facit crucifixoribus Christi. Sic enim ait in illud Matth. 26. *Blasphemavit: Non minus peccant*, *qui blasphemant Christum regnantem in cælis, quam qui crucifixerunt ambulantem in terris.* Unde iure dicit S. Hieron. ep. 32. *Blasphemia veniam non meretur.* Deus iussit blasphemos lapidari, Levit. 24. eiusque speciali iussu lapidibus a populo est obrutus filius Sulamith Israelitidis, propter blasphemiam. Secundo, Holofernes dux Nabuchodonosoris regis Assyriorum (diversi a Nabuchodonosore Magno rege Babylonis) audita Dei potentia ab Achior duce Ammonitarum multas blasphemias protulit, sed manu Iudith mulieris est occisus, et eius exercitus fusus, cæsusque a paucis Bethuliæ civibus. Tertio, Rabsaces dux blasphemias in Deum iactabat, id iusserat Sennacherib rex Assyriorum: ideo angelus una nocte occidit in eius castris centum octoginta quinque militum millia, 4. Reg. 18. Quarto, Sozomenus et alii plurimi referunt Iuliani apostatæ blasphemantis mortem tragicam, deiecta cælitus sagitta. Quinto, in Chronico Cisterciensi narratur, quemdam dira blaterantem in Christum et Deiparam, tanta plaga nullo vidente percussum esse, ut gladio confossus videretur, et ululans interiret. Sexto, Matthæus Palmerius tradit, Olympium Episcopum Arrianum Carthagine in Elyanensium balneo lavantem, et Trinitati sacræ iniurium, tribus iaculis velut fulminibus, ictum, consumptum esse. Septimo, S. Petr. Damiani memorat, Clericum armis et rapinæ deditum, ab equa, cum pugnaret, abreptum in fluvium, et ab hoste statim occisum esse: *Et ecce*, inquit, *repente gladius os eius fulminis more transfixit.* Id passum fuisse ait, quod eadem die audita hac Christi sententia: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur: et qui se humiliat, exaltabitur, falsam esse dixisset.* Vide illum Opusc. 34. cap. 4. ubi fuse res narratur.

Quæres, quare post superbiam et execrationem ponit 53. Sibi imprecans punitus.
mendacium, cum sit peccatum illis levius, et in auxesi maximum ponatur ultimo loco? Respond. primo, agi hic de mendacio, quod fit cum execratione, imprecatione, et periurio, quod est gravissimum scelus, et a Deo graviter puniri solet. Ut enim dixi supra, *de execratione et mendacio*, id est, de mendacio execratorio et imprecatorio. Punitionis refero exemplum, quod Barri contigit paulo ante meum in eam urbem adventum, et quod didici a patre nostræ Societatis, qui rem oculis viderat. Sic autem se habet: Anno Christi 1619. mense Augusto cum iuvenis quidam sutor cum sociis suis luderet, Barri in Lotharingia, et pecuniam suam omnem amisisset, aurei nummi quadrantem furtive accepit, atque in calceo suo abdidit; Ubi ad numerandam pecuniam ventum est, cum nummus ille a variis peteretur, atque ab hoc ipso furunculo: tum ille tumultuari, minas intentare, iurare, atque, ut magis a se suspicionem omnem amoveret, in has execrabiles voces erumpere, *diabolus mihi collum contorqueat, si accepi.* Vix verba protulerat, cum in omnium conspectu cecidit in terram, facie omnino in dorsum obversa. Ad tam horrendum spectaculum exterriti, qui aderant, e cœnaculo in cubiculum inferius currunt, patremfamilias et uxorem eius inclamant: adsunt illi, et periuri caput ad naturalem situm revocare conantur, sed frustra: manebat enim prorsus immobile: in lectum miser ille proiicitur, vestes ei detrahuntur; cum calceus tolleretur, furtum apparuit: tum caput paulo flexibilius factum inflexerunt in humeros. Interim ad collegium Societatis nostræ currebatur, ut confessarius haberetur, advolavit pater mihi probe notus, a quo hæc accepi, iuvenem illum semimortuum reperit, elinguem, oculis apertis, capite in humerum verso tremebundum, obstupefactum: nec sine horrore ac trepidatione insolita valentem in eam partem aspicere, per quam venientem diabolum viderat. Cum miserum statum periuri illius vidisset pater, ad divina remedia confugit, Litanias aliasque preces recitavit, variasque reliquias applicavit, atque inter cæteras unam de S. Ignatio Soc. Fundatore. Paulatim iuvenis ad se rediit, et devote confessus est: Absoluta confessione narravit, statim ut hæc verba dixit, *diabolus collum mihi contorqueat, si accepi:* vidisse se diabolum in canis maximi forma, pedibus

posterioribus nixum, instar hominis ambulantem, anteriores pedes habentem similes humanis manibus, quibus in eum irruens, eumque prosternens, collum ipsi in dorsum contorsit.

54. *Mendacium est peccatum periculosum.* Secundo, dico mendacium quodlibet esse peccatum periculosissimum, quod sit velum, receptaculum, et arx vitiorum omnium: tantoque maius malum, quo minus cognitum. S. Antioch. homil. 22. *Mendacium, ex quo assiduitate occalluit, atque induruit, ne unus quidem intelligit, quam sit gravis animi ægritudo, molesta, et exitialis.* Sapienter tamen, et vere, docet mendacium omnibus mentis perturbationibus esse molestius et periculosius. Hebraica vox כחש *cachus,* quæ hic ponitur, significat mendacium et macilentiam, atque defectionem. Unde Arias vertit, *de periurio, et de macie narrabunt.* Mendacium paulatim mentem absumit, et civitates perdit. Plato ait, esse eversionem civitatis, si in privatis hominibus permittatur, permittendum tamen esse magistratibus: sed in hoc secundo errat. Ipsum audiamus lib. 3. de Republ. paulo post initium: Publicis, ait, medicis mendacium est concedendum: privatis autem hominibus minime attingendum. Hoc evidens est. Igitur Rempubl. administrantibus præcipue, si quibus aliis mentiri convenit, vel hostium, vel civium causa ad civitatis utilitatem. Reliquis autem a mendacio abstinendum. Sed adversus huiusmodi principes privatum mentiri, idem ac maius peccatum esse, quam ægrotum mentiri erga medicum: vel se exercentem erga ludimagistrum, circa sui corporis vitia: vel erga navis gubernatorem, de nave et nautis minime vera dicere: sicut vel sua quique, vel sociorum sese res habeat. Vera narras. Ita Plato, qui deinde ostendit, quam sollicite mendacii reus sit puniendus, et subdit: Siquidem ergo deprehenderis alium in civitate mentientem ex eorum genere qui artifices sunt: vatem scilicet, vel malorum medicum, vel lignarium fabrum, eum punito, tamquam rem quandam inferentem, ex qua civitatis ipsius, ωσπερ νεως, ανατρεπτικον τε και ολεθριον, *velut navis eversio et pernicies sequitur;* lib. 2. de Republ. prope in fine, dixerat: nonnumquam mendacium esse, ως φαρμακον χρησιμον, *tamquam utilem medicinam.* Plutarchus tract. de liberis educandis, prorsus amandat mendacium ab ingenuis hominibus, atque ab ipsis pueris. Assuefaciendi sunt pueri, ait, ut vera dicant, ωσπερ εστιν ιεροπρεπεστατον, *quod est sanctissimum;* το γε ψευδεσθαι δουλοπρεπες, *mentiri vero, servile est vitium; dignumque apud omnes homines odio, ac ne mediocribus quidem servis ignoscendum.* Hæc Plutarchus, qui etiam docet lib. de ære alieno, duo peccata apud Persas esse gravissima: primum ære alieno se obstringere: secundum mentiri.

Terribile est, quod S. Laur. Iustin. ait, a mendacibus, quantum in ipsis est, destrui æternam veritatem: *Mendaces,* ait lib. de vita solitaria, cap. 4. *quantum in ipsis est, immortalem et æternam veritatem, quæ Deus est, destruere moliuntur. Hoc vero dum agunt, illam in nullo lædunt, sed perimunt se, sicut in Sapientiæ volumine continetur; cap. 1. v. 11. Os autem quod mentitur, occidit animam.* In eam rem vide quæ dixi Ps. 5. sect. 1. in illud: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Probari hoc potest miserabili nece Paulini. Cum enim Theodosio Imper. iuniori pomum eximiæ pulchritudinis et magnitudinis vir quidam rusticanus obtulisset, id ille dono lætus Eudociæ uxori dedit, quod statim ad Paulinum virum scientia et virtute spectatissimum, podagra laborantem misit: Paulinus speciem illius admiratus, et a quo id Imperatrix accepisset nescius, illud ad Imperatorem remittit; tum illo, pomo agnito zelotypia cœpit inardescere, indignari, et in summam iram agi: Imperatricem extemplo advocat, ubi sit pomum a se datum sciscitatur: illa tristem in Theodosii vultu nebulam advertens nescia quid diceret, innocentiam suam mendacio velare voluit, pomum se illud comedisse asseverans. Imperator pomum profert, et statim mittit qui Paulinum confodiant, ut habetur in Chronico Alexandrino, et apud Cedren. fol. 278. ac Nicephor. lib. 14. cap. 23. Vides Paulinum clarissimum virum, velut insontem victimam, ob leve mendacium misere periisse.

Non alii tantum miseriam superborum, maledicorum, 55.
mendacium, et detractorum annuntiabunt; sed ipsi eam *Vers. 14.*
scient. Unde additur vers. eod. 14. ET SCIENT (practice, *3. Pars.*
id est, sentient et experientia sua discent) QUIA (quod) DEUS DOMINABITUR IACOB (id est, Iacobitarum, seu Israelitarum) ET FINIUM TERRÆ, id est, totius terræ, tum Iudææ, tum totius orbis, usque ad ultimos fines ac terminos.

Allegor. Sciunt et vident Iudæi, Christum esse Deum totius orbis, fide eius ubique amplificata. Anag. damnati in inferis videbunt et sentient eius potentiam et supremum dominium. Sap. 5. 2. *Videntes turbabuntur timore horribili.* Tempore tenebrarum videbunt, quia sunt vespertiliones: solis lucem fugerunt, et illi oculos clauserunt; ideo eam non viderunt: ipsi dicunt, v. 6. *Et sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Est quidem ortus, sed non illis: ne inferis quidem addicti bene se accusant, sed in solem intelligentiæ, id est, Christum, qui est sapientia Patris, culpam refundunt: perinde quasi non iis luxerit. Si oculos aperuissent, eum vidissent. S. Gregor. Nyssen. homil. 7. in Cantica, dicit: oculos nobis esse omnium rerum magistros, et doctores. Lamensius Honariensis hom. de pœnit. oculum vocat, *ornatum capitis, speculum membrorum, totius corporis fenestram gratissimam.* Pupillam sibi transfigunt mortales, et cæci se in foveam et carcerem tenebrosum peccatorum præcipitant, ut lumen non videant, et ab eo de suis cupiditatibus avertantur. Dives epulo, quando deliciis cæcatus erat, ne incurrentem quidem in oculos Lazarum videbat ante fores iacentem, et in horas singulas ipsi obvium. At vero, excocta pinguedine in Tartaro, visus illi factus est acutior, sed ad supplicium maius. Vidit in Abrahæ sinu quiescentem Lazarum, licet magnum chaos, id est, magna rerum congeries et longum spatium, inter utrumque esset interiectum. De omni damnato ait S. Gregorius 25. Moral. 3. *Veniet profecto, veniet æterna percussio, et hinc cognoscet a Deo cuncta conspici, quoniam se improviso exitu viderit pro eunctorum retributione damnari. Tunc in pœna sua oculos aperiet, quos diu clausos tenuit in culpa.* Euseb. Gallicanus serm. de obedientia: *Tarda,* inquit, *iam tunc secum pœnitudine reputabit, quare eum sic subditum atque captivum tenuerint parvissimæ ac vilissimæ passiones, cui cæli regna, cui angelorum consortia parabantur. Tunc sibi intra se unusquisque cum gemitu, sed iam tarde loquetur: Ubi estis concupiscentiæ? Ubi estis illecebræ? Ad hoc mihi momentaneas, ac fugitivas ingessistis delectationes, ut æternas postmodum inferretis angustias?* Peccatores similes sunt piscibus, qui de- *Pisces*
prehensi glacie rigent torpidi, nec sentiunt, nec moven- *glaciales miri.*
tur, πριν αν εις λοπαδας εμβληθεντες εψωνται, *priusquam in patinas coniecti elixentur,* et hoc maxime pati Gobios dicit Athenæus initio lib. 8. ex Theophrasto. Sentient damnati in ænea sartagine, quod hic sentire noluerunt, sed sine ullo fructu.

Cognito Deo, scelerati ad eum convertentur, sed tar-
dius; ideo in æterna fame erunt, v. 15. CONVERTENTUR 56.
AD VESPERAM (in tenebris inferorum) ET FAMEM PATIEN- *Vers. 15.*
TUR UT CANES: ET CIRCUIBUNT CIVITATEM. Hic versus iam positus est supra vers. 7. ubi vide sensum litteralem. Mystica nunc videamus. In hac vita impii velut rabidi canes devorant bona piorum, sed iis non satiantur. Oleaster in cap. 29. Isaiæ: *Sunt,* ait, *bona iustorum venenata potio, quæ non solum hausta non prodest: sed omnia quæ sunt in visceribus hominis commovet, et exire facit. Sic opes Sanctorum in ventre inimicorum non solum non decoquuntur in visceribus eorum, sed opes et fere viscera eorum secum trahunt, et vacuum veluti somniantem relinquunt.* In inferis longe dirior est fames et sitis, solis enim *Sitis et*
flammis et venenis implentur damnati. Antonii milites, e *fames molestia.*
Perside redeuntes, tanta siti cruciati sunt, ut ad venenatum fluvium venientes ab eius potu arceri non potuerunt: unde multi sunt mortui. In tartaro autem, amaræ potio-

nes ex serpentum, bufonum et draconum felle in ora perditorum infunduntur: nec tamen perire possunt, cum id maxime optent. Dum vivebant, imitabantur illum Stratonicum, qui dormiturus puero semper mandabat, potum sibi afferret, ουχ οτι διψω, ινα δε μη διψησω, *non quod sitiam*, inquit, *sed ne sitiam*, ut ait Athen. lib. 8. fol. 349. Nunc vero, postulant a Lazaro extremum digitum in aquam immitti, ut linguam ob superba, blasphema et mendacia verba ustulatam refrigeret, nec impetrant, Luc. 16. Miserum ac lugendum fuit Cambysis milites eo devenisse inopiæ, ut omni deficiente victu decimum quemque sortiti sint in alimentum. Miserius fuit, Romanos iam Christianis imbutos sacris, qui Placentiam contra Totilæ regis Gothorum exercitum tutabantur, carnes humanas comedisse, ac tandem deditionem facere coactos. Sed longe est miserrimum damnatos, in stygia caligine ac tenebris, tanta fame ac siti torreri, ut dentibus ac morsibus in se deseviant, instar rabidorum et semper famelicorum canum.

57 Vers. 16. Ad extremum, dicit David, impios, ob famem quam patientur, murmurare in Deum, v. 16. IPSI DISPERGENTUR AD MANDUCANDUM (S. Hieron. *Ipsi vagabuntur, ut comedant*. Chald. Ipsi fatigabuntur, ut diripiant prædam ad comedendum) SI VERO NON FUERINT SATURATI (το *si* potest poni pro *quia*. Unde Syr. vertit, *et non saturabuntur*) ET MURMURABUNT; το *et* est emphaticum. Maxima enim est damnatorum miseria et tormentum, quod perpetuo dentibus caninis in Deum frendeant, perpetuo in eum murmurantes et blasphemantes, ob pœnas quas patiuntur. Colchicum mel insanos facit, ut ait Diodor. l. 14. Vinum in Hærea Arcadiæ idem præstat, ut docet Athen. lib. 1. cap. 29. circa Abderam, et limitem qui Diomedis vocatur, equi pasti inflammantur rabie; circa Potnias vero, asini, ut ait Plin. lib. 25. cap. 8. post medium: quid facient flammæ, quas continuo absorbent et revomunt damnati furibundi?

58. Murmur et seditio in fame et siti. Nota, ad litteram David prædicit hostes suos, qui, ut a rege Saule, velut canes, offam obtinuerant, sibi erant infesti, deventuros ad extremam inopiam, in qua panem mendicent, nec inveniant, ideoque conquerantur et murmurent. Ubi adverte, alludi ad murmur Hebræorum frequens in deserto, partim spernentium manna et petentium carnes, Num. 21. 5. partim siti laborantium et aquam petentium in Mara, Exod. 15. et in aliis locis: nec Moses eos prius a murmure compescere potuit, quam postulata concederet. Ut enim ait Cato, habens orationem ad populum tumultuantem, et sibi frumentum dari postulantem; perdifficile est verba facere ad ventrem auribus carentem, ut refert Plutarch. in Catone. Celebris ob rem agrariam, ait Lorinus, Romana seditio, in qua cæsus est Tiberius Gracchus, ut tradit idem Plutar. in Tiberio Graccho: et militum, contra Gordianum iuniorem; quem interemit Philippus, ut illis satisfecerat, sicut ait Capitolinus. Etiam in primitiva Ecclesia murmur fuit Iudæorum Græcorum, id est, inter Gentiles habitantium, quod in distributione eleemosynarum præferrentur viduæ et pauperes Iudææ viduis et pauperibus aliis, Act. 6. 1.

59. Conviviis fovetur amicitia. Veteres mutuis conviviis cives inter se conciliare conati sunt. Minos his quæ vocabat ανδρεια: Lycurgus, quæ φειδιτια, q. d. Convivia frugaliter et cum parsimonia facta: vel φιλιτια, q. d. Convivia ad fovendam amicitiam facta. Plato iis quæ vocat συμποσια, q. d. Compotationes. Eodem partim spectabat apud Hebræos σκηνοπηγια, id est, festum tabernaculorum, et Paschalis Agni celebritas: et apud Athanienses in Prytaneo εστιασεις, q. d. Convivia quæ fiebant prope aram Vestæ positam in loco, ubi πρυτανεις, id est, præfecti et rectores urbis quinquaginta de rebus agendis decernebant: item, apud eosdem Athenienses erant epulæ in Panathenæis, id est, in festis a Theseo institutis in honorem Minervæ, quæ Latinis Quinquatria appellantur: item erant convivia in Thesmophoriis, in festis institutis Athenis in honorem Cereris, quæ invento frumento prima quoque leges invenisse et dedisse mortalibus fingitur apud Orpheum. Cœnæ etiam erant apud Romanos in Capitolio, et in publicis sacrificiis, ad quod creati erant epulones: ut non commodiore modo Christus amorem conciliare inter nos voluerit, quam convivio sacro Eucharistiæ, quæ dicitur κοινωνια, id est, communio, communicatio, participatio; longe illi inferiora erant Ethnicorum Charistia; id est, ut ait Valer. lib. 2. convivia solemnia, quibus præter cognatos et affines nemo interponebatur, q. d. Gratiosa, amica, benevola: mutuam gratiam, amicitiam et benevolentiam conservantia. Post cœnam Eucharisticam Christiani antiqui adiiciebant cœnam, quam vocabant αγαπην, *agapen*, q. d. Convivium charitatis, id est, factum ex charitate, cum charitate, et ad fovendam augendamque charitatem. Christus bis magnam populi multitudinem divinitus saturavit: ideo volebat eum populus Regem sibi creare, Ioan. 6. 15. Iosepho fertilitatem et sterilitatem Ægypti prædicenti prima post Pharaonem regem dignitas est collata; cum vero cibos populo distribuit, magnam sibi populi benevolentiam peperit, adeo ut per totos octoginta annos magno in honore usque ad finem vitæ perstiterit. Nec oliva, nec ficus, nec vitis, regiam dignitatem sibi oblatam acceperunt, ne prima pinguedinis iacturam faceret, secunda dulcedinis, tertia vini, Iudicum cap. 9. Hebræi et Lyr. per olivam designatum dicunt fuisse Othonielem de tribu Iuda, quam Ieremias cap. 11. 6. vocat olivam uberem, pulchram, fructiferam. Per ficum, Deboram, quæ apem significat. Per vitem denique Gedeonem, qui ex Ioseph descendit, quem Iacob Genes. 49. 22. appellavit filium accrescentem, quod viti convenit. Sed hæc explicatio est violenta, contorta et Rabbinica, id est parum solida: nec constat Othonielem recusasse imperium super Israel. Verum quidem est, ad regem et principem spectare, ut sua commoda negligant, et ad subditos derivent: ut idem sit βασιλευς, id est, basis populi, qui et ποιμην λαου, id est, pastor populi, eique cibos in necessitate, et medicinas in ægritudine præstet. Hoc si facere nequeat, abdicet se potestate, aut offerantibus neget consensum, sicut ille, de quo Isaias 3. 6. Exigunt hoc subditi suo iure, ac propterea constituunt regem sibi, non illius utilitatis causa, sed propriæ: qui et ideo cum obsequio tributa pendunt. In mensa propositionis panes semper esse volebat Deus, qui ponebantur veluti ante Deum in propitiatorio sedentem, Exod. 35. 13. ut sibi curæ esse intelligerent annonam, necessariam populo. Pater noster cælestis scit quia his egemus, Matth. 6. 32. vultque pro quotidiano pane orari, sed absque sollicitudine, vel significatione, quod iniquo feramus animo tenuiorem fortunam; sicut Lazari ulcerosi exemplo nos monet S. Basil. Regul. 55. ex fuse disput. nec enim legitur, Lazarum quidquam a divite petiisse, nec ullam significationem fecisse miserabilem se statum ferre molestius, Luc. 16. Quod monitum valet quoque in omni alio genere rerum aliarum, quæ non ad corpus tantum, sed etiam ad animum pertineant, ut nunquam sic importune flagitemus quid a Deo, ut non impetrantes, nec satiati secundum voluntatem, adversus eum murmuremus. Pereunt ab exterminatore murmuratores, 1. Cor. 10. 9. Notabile est, quod accidit Claudio Imp. Romano, tempore famis, quam prædixit Agabus, Act. 28. Nam ob eam famem in medio foro a turba conviciis, ac simul fragminibus panis, ita infestatus est, ut ægre, nec nisi postico evadere in palatium voluerit: nihil non ex eo cogitavit ad invehendos, etiam in tempora hiberno, commeatus, ut ait Sueton. in Claudio, cap. 18. Hoc mente versent principes, et populis suis provideant, ne murmurent et seditiones concitent.

SECTIO TERTIA ET ULTIMA.

60. *Duo præstat. Primo, gratiarum actionem Deo pollicetur, v. 17. Secundo, illius causam aperit, v. 17. et 18.*

PARAPHRASIS.

17. *Ego autem cantabo fortitudinem tuam: et exaltabo mane misericordiam tuam.*

17. Dum scelerati fustibus contusi, canum instar dentibus frendebunt, ego tuo robore ex hostium iam capientium manibus exemptus, potestatem illam tuam canticis celebrabo. Et dum illi ad vesperam alumnos tuos occidendos quærunt, ego prima albente aurora prædicabo misericordiam tuam, quæ me a lupis illis serotinis eripuit.

Quia factus es susceptor meus et refugium meum: in die tribulationis meæ.

Tu enim fugientem me, et quo secederem nescium suscepisti, mihique tutum perfugium et asylum præbuisti, cum Saul ad me mactandum satellites suos immisisset, qui iam domum meam omni ex parte cinxerant.

18. *Adiutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es: Deus meus misericordia mea.*

18. Tu præsto mihi fuisti, viresque suffecisti, ut per fenestram demissus evaderem: tu demissum me assumpsisti, ut per securos calles ductares: tu toto in itinere salvum et incolumem misericordia tua præstitisti.

QUÆSTIO UNICA.

Ob securitatem in periculis debita est Deo gratiarum actio.

David numerosum militum agmen ædes suas vallantium advertens, petierat in prima huius Psalmi sectio-
61. Ordo Sectionis. ne, ut ab hoc præsentissimo discrimine, ob suam innocentiam eriperetur. In secunda sectione, hostium suorum malitiam et punitionem ostenderat. Nunc in hac tertia, liberationem suam prædicit, et de ea gratias agit.

Ac primo, dicit se laudaturum Deum, quia fortiter hostium conatus repressit, v. 17. *Ego autem cantabo fortitudinem tuam;* et se misericorditer liberavit: *Et exaltabo mane misericordiam tuam.*

Secundo, misericordiam illam describit: Primo, quod fugientem passis ulnis exceperit, vers. eod. 17. *Quia factus es susceptor meus.* Secundo, quod exceptum foverit: *Et refugium meum in die tribulationis meæ.* Tertio, propugnator fuerit in irruentes, et ex illo asylo eripere molientes, v. 19. *Adiutor meus, tibi psallam, quia Deus susceptor meus es: Deus misericordia mea.* Repetitio denotat iteratum sæpe auxilium.

ARTICULUS I.

Deus iusto est asylum securum, et optatissimum.

Murmur hostium suorum prædixit prius David, cum sedibus suis pulsi errabundi et miseri panem non reperient, quo famem suam pascant. Nunc e contra declarat lætitiam suam et exultationem ob liberationem certam, cum Deum repererit refugium et asylum: Primo, munitum. Secundo, suave. Tertio, sibi semper apertum. Quarto, opportunum. Quinto, armis omnibus et propugnatoribus instructum.

62. Ac primo, munitum est asylum nostrum, id est, Deus
Vers. 17. 1. Pars. Deus est asylum munitum. noster, v. 17. Ego autem cantabo fortitudinem tuam. S. August. legit, potentiam tuam. Camp. robur meum. Sed in Hebr. est עזך *uzzecha,* id est, robur tuum. Faustinus de fide contra Arrianos cap. 6. virtutem tuam. Hoc est potens tuum auxilium, q. d. Exultabo, quod sis tam potens, ut me de tanto periculo eripere potueris. Arabs, glorificabo auxilium tuum. Sic dicit David noster, Psal. 117. 14. *Fortitudo et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem.* Ex quo fit, ut illi cantica concinat: unde sequitur, v. 15. *Vox exultationis et salutis in tabernaculis iustorum.* Vide dicta Ps. 17. 1. Deus est Atlas totum orbem sustentans. In Theodosii et aliorum, qui eo sæculo fuerunt, Imperatorum insignibus, fuit tabula libris quodam ordine dispositis onusta, quorum nonnulli syllabariis quibusdam notis inscripti sunt, quibus per compendium contentæ in eis rationes indicabantur, alii nihil præscriptum habent: supra tabulam fastigium attollitur, in

A media cuius facie, genii duo latum sustentant orbem, in quo caput instar humani, cuius hæc inscriptio est: Divina providentia. In angulis vero tabulæ, quæ descriptos libros continet, singulis capita singula sunt apposita, quorum superius a dextra inscriptionem circumductam ostendit, virtus. Alterum a læva, scientia. Inferius a dextra, auctoritas. Quartum a læva, felicitas. Quibus designari arbitror mundum hunc Dei potenti robore et sapienti ductu gubernari. Ex illa autem divina administratione virtutem, scientiam, auctoritatem et felicitatem iis subnasci, qui Dei se ductui et potestati permittant. In unico Cæsaris nomine satis virium fuit, ut secure et libere cervus vagaretur; cum in torque, collo eius circumiecto, scriptum esset, Cæsaris sum. Noli me tangere, ut refert Bellarmin. noster in Ps. 90. unde concludit sapienter: Sic servi Dei ubique tuti sunt, inter leones, ursos, serpentes, ignes, aquas, fulmina, tempestates; quoniam omnes creaturæ umbram Dei cognoscunt, et reverentur.

Symbolum Divinæ Providentiæ.

Nota, prius hostes suos vocaverat canes. Deus est asy- 63.
B lum forte, contra canes et feras omnes. Lepus urgente ve- Asylum
naticorum canum agmine asylum tutum sub S. Anselmi sub equo
equo reperit. Cerva a regiis venatoribus canibusque com- S. Anselmi.
pulsa in S. Ægidii spelunca receptum habuit, ad eam ca- Et in spe-
nes nunquam accedere potuerunt. Lilius Gyraldus in hi- lunca S.
storia de diis gentium Syntagm. 15. fol. 624. ait, quod Ægidii.
In Parthenio Arcadiæ monte Panos templum fuit, in quo locus dictus Aula, quod velut asylum animalibus fuit: eo enim adire non audebant leones, nec lupi, dum ea consectarentur, sed protinus subsistebant, ipsaque animalia relinquebant: id quod in Dianæ Ætoliæ luco factum fuisse fabulabantur. Quid censebimus nos de Deo vero? Lege dicta Ps. 90. 1. et seqq.

Nota secundo, τὸ *cantabo*, denotat, in laude Dei, ala- 64.
critatem Davidis, qui cum satellites Saulis missos ad do- David
mum suam circumdandam, et se occidendum evasisset, Psalmum
fugit ad Samuelem in urbem Ramatha, et inde ambo abie- hunc fecit in
runt in Naioth, qui erat locus prope Ramatha, ubi mane- Naioth.
bant Prophetæ. Ibi Deo hunc psalmum composuit, et ce-
C cinit cum Samuele et aliis Prophetis. Tunc Deus fortitudinem etiam suam aperuit, cum ter ab insaniente Saule missi in Prophetarum cuneum Deum celebrantium incidentes, acti spiritu divino in Dei etiam laudes eruperunt: ipseque Saul, licet eo accurrisset rabie incitatus, cum eis cantica cecinit, 1. Reg. 19. 24. *Expoliavit etiam ipse vestimentis suis regiis, et prophetavit cum cæteris coram Samuele, et cecidit nudus*, non omnino, sed nudatus vesti- 65.
bus regiis: cecidit autem, ut Deum adoraret, *tota die illa* Vers. 17.
et nocte, sic fuit tempus Davidi ad fugiendum. 2. Pars.

Secundo, Deus est asylum suave benignum, vers. eod. II.
17. Et exultabo (id est, exultans laudabo. Sumitur Deus est
active, ut Ps. 50. 16. S. Hilarius, Cassiod. Psalter. Gal- asylum
licanum hic habent *exaltabo*. Hebr. ארנן *arannen*, id est, misericordiæ.

clara, contenta, sonora, hilari, exultante, iubilante voce A laudabo) **MANE** (id est, cito; 2. matutino tempore, ut a te ac tuis laudibus incipiat dies) **MISERICORDIAM TUAM**, qua me liberasti a valiante me milite in domo mea, et asylum te mihi præbuisti.

Nota, Deus est misericordiæ asylum, omnes licet miserrimos recipit. Otho Frisingensis Episcopus insignis pietate et doctrina, Henrici IV. Imper. nepos, Henrici V. sororius, Conradi regis frater uterinus, Friderici I. patruus scribit, quod Henricus Imper. filius Ænobarbi ædificare cœpit Brisacum Austriæ oppidum, velut *misericordiæ asylum*, in pauperum refugium. Deus est misericordiarum pater, qui sinum afflictis semper pandit, eos ut recipiat, et ab hostibus tuetur. Ps. 5. 8. *Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.* In Diomedæa insula maris Adriatici ferunt templum quoddam esse Diomedis, θαυμαστόν τε καὶ ἅγιον, admirandum et religione sacrum; ab avibus obsideri magnitudine vastis, rostris prælongis et turgidis. Græcis quidem accedentibus nihil inferre mo- B lestiæ, cæterum barbaris qui accolunt venientibus subvolare, et pedibus rostrisque eorum capita lacerare, inflictisque multis vulneribus eos interimere, ut refert Aristot. lib. de mirabilib. auscultat. fol. 1156. huic templo multi sunt similes, qui cum acceptione personarum sua dona et beneficia communicant. Apud Deum vero non est Gentilis et Iudæus, circumcisio et præputium, barbarus et Scytha, servus et liber: sed omnia et in omnibus Christus.

66. Canes in Ætna non possunt feras vestigare. Nota secundo, canes vocavit David hostes suos; impudentes scilicet, ac rabidos dicere voluit. Hos arcet Deus ab amicis suis. Aristot. lib. mox citato fol. 1157. In Ætna, inquit, Siciliæ monte est spelunca, circa quam, ἀνθέων πλῆθος, omnigena florum copia crescit omni tempore, tum violis præsertim immensum spatium obtegitur. Quæ finitima loca adeo fragrantia sua repient, ut occupati hac suavitate odoris venatici canes, lepores vestigare nequeant. Ac sub eodem hiatu obscurum quoddam antrum latet, quo Proserpinam rapuisse Pluto fertur: et triticum C reperitur, nec domestico quo utuntur, neque alii importato simile, sed peculiari proprietate insigne. Quo argumento contendunt illic primum omnium triticum conspectum esse: et proinde, Cererem etiam sibi, ut apud se natam, vendicant: ita Aristoteles. Deus est asylum primo, ardens charitate, ut Ætna flammis: secundo, floridum et suave flagrans, benignitate: tertio, fœcundum et ferax, liberalitate: ibi omnes domestici abundant panibus: quarto, ad illud canes non intrant; dicitur enim Apoc. 22. 25. *foris canes;* flores virtutum habe, ad te canes stygii non intrabunt, odorem cælestem pati non possunt.

67. Dei misericordia exaltanda. Nota tertio, exultanda, id est, cum exultatione laudanda est Dei misericordia: *Et exultabo mane misericordiam tuam.* Ps. 12. 6. *Et exultabit cor meum in salutari tuo: cantabo Domino qui bona tribuit mihi: et psallam nomini Domini altissimi.* Et altissima eius misericordia exaltanda est, id est, in altum tollenda voce et opere. Hoc illustrare possis consuetudine Phliasiorum, qui erant vicini Argivis in Græcia. Pausanias in Corinthiacis folio 108. D Summos honores, ait, Hebæ Deæ habent Phliasii: summum vero omnium, quod iilis qui supplices ad eius templum confugerint, scelerum omnium impunitatem largiantur, δεδώκασιν ἄδειαν: quin et qui vincti ante fuerunt, ad eas arbores, quæ in luco sunt, compedes suspendunt: ita Pausanias. Hoc etiamnum faciunt qui a Sanctis sanantur, exaltant Dei misericordiam per Sanctos exhibitam cum

68. Vers. 17. 3. Pars. fulcra, quibus inter ambulandum nitebantur, Ecclesiis eorum appendunt.

III. Deus est asylum semper apertum Cervus servatus in S. Dionysii sacello. Tertio. Deus est asylum semper apertum, vers. eod. 17. **QUIA FACTUS ES SUSCEPTOR MEUS.** Hebr. מִשְׂגַּבִּי *misgabbi*, de qua voce vide v. 10. ultimo etiam versu eadem vox ponitur, ut trina repetitione Trinitas in una Deitate commendetur. Ad eum qui a Deo susceptus est, non pertingunt canes ut ipsum devorent. Cum Dagobertus Clotarii regis filius cervum venaretur, iamque canes fatigatum premerent, ad S. Dionysii sacellum trepidum animal fugit, et prope sanctorum Martyrum reliquias resedit. Tunc canes latratu personare cœperunt, et hac illum cursum flectere, sed in ædem sacram penetrare non potuerunt. Dagobertus rem admiratus, cervum illæsum abire permisit, et pro tessera scutaria sibi hæc verba sumpsit, *Non tempore Divos*: ita noster Gregorius Stephanus Rousselet in lilio sacro parall. 1. cap. 4. sect. 2. fol. 150. Hæc pietas et benignitas Dagoberto plurimum profuit. Cum enim iuvenili ardore abreptus Sadragesilo, ipsi honeste propinanti, barbam evulsisset, Clotarius Rex ita incanduit (erat enim illi percarus) ut filium arripi imperaret, sed subitaria fuga in ædiculam se S. Dionysii coniecit: in quam cum nec rex nec satellites insolito tremore correpti ingredi possent, filio pater condonare coactus est, ut ait P. Æmilius in Clotario II. Verba eius sunt: *Pater eodem repente pavore correptus, non ante quam venia filio data ingressus est.* Dagobertus, regno adepto, beneficii memor capsam sancti Martyris exornavit. Nauclerus in 2. volum. et Regino in Chron. rem sic narrant. Dagobertus Galliæ rex, D. Dionysii Martyris capsam solido argento texit, et corpora Sanctorum ibi collocavit, pheretro aureo multisque muneribus, eo quod ille olim *tamquam in asylo latuisset contra iram Patris.* Nam cum satellites eum inde extrahere vellent, ante sacellum fixis pedibus stupentes intrare non potuerunt: ita ibi. In Christi manibus et pedibus perforatis, atque in eius latere si latueris, inde nemo te extrahet.

Quarto, Deus est asylum opportunum, vers. eod. 17. **ET REFUGIUM MEUM IN DIE TRIBULATIONIS MEÆ.** Apollin. 69.
vertit, πύργος ἕτοιμος: id est, turris parata. Est turris, quia Vers. 17. 4. Pars.
munit et hostes arcet: est parata, quia iusto semper et in IV.
omni loco, et in omni tempore patet. Sex refugii civitates Deus est asylum opportunum. Refugit civitates.
in Iudæa servari iussit Deus, ut ad eas fugerent homicidæ involontarii, ibique servarentur, Num. 35. v. 6. Nunc locus omnis asylum est: ubique enim Deus est, qui non tantum homicidas, sed omnis generis peccatores recipit; sive apud Indos versentur, sive apud Garamantas, aut Norvegos et Peruanos. Per totum orbem, et ultra cælos protensum asylum nostrum est. Strabo lib. 14. fol. 641. Asylum Dianæ Ephesiæ.
Asyli ius, ait, templum Dianæ Ephesiæ habuit, et nunc, et olim. Sed istius libertatis fines, ἀλλαγῆναι συνέβη πολλάκις, sæpius mutari contigit. Alexander quidem asylum ab stadium extendit. Mithridates quantum sagitta ab angulo tecti emissa contingeret, quod stadio fuit paulo longius spatium. Antonius id duplicavit, et adiecit asylo partem urbis. Visum fuit hoc damnosum, et maleficiis urbem in potestatem dedi. Itaque abrogavit Augustus Cæsar: ita Strabo. Divinum asylum ubique est, cum dicat Deus Ierem. 23. v. 24. *Cælum et terram ego impleo.* Et Psal. 138. 8. *Si ascendero in cælum, tu illic es*, etc. Ac semper utile omnibus, et sanctum est.

Quinto denique, Deus est asylum armis omnibus in- 70.
structum, vers. ult. **ADIUTOR MEUS** (et quidem potens. Vers. 18.
Hebr. in abstracto est עֻזִּי *uzzi*, id est, robur, virtus, V.
et fortitudo mea) **TIBI PSALLAM, QUIA DEUS SUSCEPTOR MEUS ES: DEUS MEUS MISERICORDIA MEA.** Deus est asylum armis instructum.
Hoc Dei nomen sæpe mente versandum est: sic enim semper in Deo confidemus. S. August. in Ps. nostrum concion. 2. *O nomen*, inquit, *sub quo nemini desperandum est. Deus meus*, De nemine est desperandum.
inquit, misericordia mea. Quid est misericordia mea? Si dicas, salus mea, intelligo: quia dat salutem: si dicas refugium meum, intelligo: quia confugis ad eum: si dicas fortitudo mea, intelligo: quia tibi dat fortitudinem. Misericordia mea quid est? Totum quidquid sum, de misericordia tua est: sed promerui te, invocando te. Ut essem, quid feci ut essem, qui te invocarem, quid egi? Si enim egi aliquid ut essem, iam eram antequam essem. Porro si omnino nihil eram antequam essem, nihil te promerui ut essem. Fecisti ut essem, et non tu fecisti ut bonus essem? Dedisti mihi ut sim, et potuit mihi alius dare ut bonus sim? Si tu mihi dedisti ut sim, et alius mihi dedit ut bonus sim, melior est ille, qui mihi dedit ut bonus sim, quam ille qui mihi dedit ut sim. Porro quia te nemo melior, nemo te potentior, nemo te in misericordia largior, a quo accepi ut essem, ab illo accepi ut bonus essem. Deus

meus misericordia mea. S. Gregor. hom. 19. in Evangelia recte notat, Deum melius vocari misericordiam, quam misericordem: nihil enim in ipso est, quod non sit misericordia. Ad misericordiam autem Dei exaltandam, et non esse de ullo peccatore desperandum, affert exemplum mirabile, quod in eius monasterio contigit. Rem, inquit, fratres, quæ nuper contigit refero: ut si vos peccatores ex corde esse conspicitis, omnipotentis Dei misericordiam amplius ametis. Præsenti anno in monasterio meo, quod iuxta beatorum Martyrum Ioannis et Pauli Ecclesiam situm est, frater quidam ad conversionem venit, devote susceptus est, sed ipse devotius est conversatus. Hunc ad monasterium frater suus corpore, non corde secutus est. Nam valde conversationis vitam, et habitum detestans, in monasterio ut hospes habitabat, et Monachorum vitam moribus fugiens, recedere a monasterii habitatione non poterat; quia vel quid ageret, vel unde viveret, non habebat. Erat eius pravitas cunctis onerosa, sed hunc omnes æquanimiter pro fratris eius amore tolerabant. Nam superbus et lubricus, si qua post hoc sæculum sequeretur vita, nesciebat; irridebat vero, si quis illi hanc prædicare voluisset. Itaque cum habitu sæculari vivebat in monasterio, verbis levis, nutibus instabilis, mente tumidus, veste incompositus, actione dissipatus. Mense autem Iulio nuper elapso, huius quam nostis pestilentiæ clade percussus est: qui ad extremum veniens, urgeri cœpit, ut animam redderet. Et ultima iam corporis parte præmortua, vitalis virtus in solo pectore, et lingua remanserat. Fratres aderant, eiusque exitum, in quantum Deo largiente poterant, oratione tuebantur. At ille subito ad devorandum se draconem venire conspiciens, magnis vocibus cœpit clamare, dicens: *Ecce draconi ad devorandum datus sum, qui propter vestram præsentiam devorare me non potest. Quid mihi moras facitis? date locum, ut ei devorare me liceat.* Cumque hunc fratres, ut signum sibi Crucis imprimeret admonerent, respondebat virtute qua poterat, dicens: Volo signare me, sed non possum; quia a dracone premor. Spumæ oris eius faciem meam liniunt, guttur meum eius ore suffocatur. Ecce ab eo brachia mea comprimuntur, qui iam et caput meum in suo ore absorbuit. Cumque hoc ille pallens, et tremens, et moriens diceret, cœperunt fratres vehementius orationibus insistere, et oppressum draconis præsentia suis precibus adiuvare. Tunc repente liberatus, magnis cœpit vocibus clamare, dicens: Deo gratias. Ecce discessit, ecce exiit, ante orationes vestras fugit draco, qui me acceperat. Mox autem serviturum se Deo, et esse monachum devovit, atque a tempore illo nunc usque febribus premitur, doloribus fatigatur. Morti quidem subtractus est, sed adhuc plenius vitæ restitutus non est. Quia enim longis et diuturnis iniquitatibus pressus est, longo languore fatigatur; et durum cor, ignis purgationis durior concremat: quia divina dispensatione agitur, ut prolixiora vitia ægritudo prolixior exurat. Quis illum unquam servari ad conversionem crederet? Quis tantam Dei misericordiam considerare sufficiat? Ecce iuvenis pravus draconem vidit in morte, cui servivit in vita; nec vidit ut vitam funditus perderet, sed ut cui servierat sciret, sciendo resisteret, ipsumque resistendo superaret: et eum, a quo prius non videns tenebatur, vidit, ne postea teneretur. Quæ ergo lingua narrare viscera divinæ misericordiæ sufficiat? Quis spiritus tantæ pietatis divitias non obstupescat? Ita Gregorius, qui deinde in eam rem adducit psalmi nostri verba: *Has*, ait, *divinæ pietatis divitias consideravit Psalmista, cum diceret, Adiutor meus tibi psallam: quia tu Deus susceptor meus es: Deus meus misericordia mea. Ecce perpendens, in quibus laboribus humana sit vita constituta, Deum appellavit adiutorem: et quia a tribulatione præsenti in requiem æternam nos suscipit, appellat etiam susceptorem. Sed considerans, quod mala nostra aspicit et portat, culpas nostras tolerat, et tamen nos per pœnitentiam ad præmia reservat, noluit Deum misericordem dicere, sed ipsam misericordiam vocavit, dicens: Deus meus misericordia mea. Revocemus ergo ante oculos mala quæ fecimus: pensemus, ex quanta Dei benignitate toleramus: consideremus, quæ sunt pietatis eius viscera; et non solum culpas indulgeat, sed cæleste regnum pœnitentibus etiam post culpas promittat. Atque ex omnibus medullis cordis dicamus singuli, dicamus omnes: Deus meus, misericordia mea:* ita Gregorius. Asylum omnibus aperuit Romulus, in quod profugos et fugitivos admitteret, quod Dei Asylæi appellavit; omnes recipiebat, nec servum dominis, nec creditoribus nexum, nec magistratibus dedebat homicidam, ut ait Plutarchus in Romulo, fol. 22. Sic Roma brevi in urbem coaluit. Bonfinius lib. 1. decad. 1. hist. Hungar. fol. 2. Thyssagetæ, ait, hoc est sacri Getæ, a sacrificando dicti, vastas sylvas occuparunt, venatu aluntur, iis iustissimi mores, alimenta baccæ, maribus nuda capita, nemora pro domibus; *cum sacrosancti habeantur iustissimum confugientibus suo iure præbent asylum.* Deus est ipsa sanctitas, longe potiori iure est asylum omnibus ad eum fugientibus.

Probatur historia notabili.

Restat, ut illi psallamus, dicentes cum Davide: *Adiutor meus tibi psallam.* Et cum eodem omnibus dicamus, Ps. 29. 4. *Psallite Domino Sancti eius, et confitemini memoriæ sanctitatis eius: quoniam ira in indignatione eius, et vita in voluntate eius.* Apud Lacedæmonios, inter quos qui liberi erant, maxime liberi, et servi, maxime servi, omnes qui libertate donati fuerant, solebant, στεφανοῦσθαι καὶ περιελθεῖν θεῶν ἱερὰ, *coronari, et circuire deorum templa:* ut scilicet diis suis laudes referrent ob donum libertatis. Nos liberti sumus Christi, illi uni coronas plectamus, et cor nostrum offeramus. 71.

Libertate donati Spartæ coronabantur.

PSALMUS QUINQUAGESIMUS NONUS.

1. In finem. Pro his qui immutabuntur, in tituli inscriptionem ipsi David in doctrinam.
2. Cum succendit Mesopotamiam Syriæ, et Sobal, et convertit Ioab, et percussit Idumæam in valle Salinarum duodecim millia.

3. Deus repulisti nos, et destruxisti nos: iratus es, et misertus es nobis.
4. Commovisti terram, et conturbasti eam: sana contritiones eius, quia commota est.
5. Ostendisti populo tuo dura: potasti nos vino compunctionis.
6. Dedisti metuentibus te significationem: ut fugiant a facie arcus.
7. Ut liberentur dilecti tui: salvum fac dextera tua, et exaudi me.
8. Deus locutus est in sancto suo, lætabor, et partibor Sichimam, et convallem tabernaculorum metibor.
9. Meus est Galaad, et meus est Manasses: et Ephraim fortitudo capitis mei: Iuda rex meus.
10. Moab olla spei meæ. In Idumæam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ subditi sunt.
11. Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumæam?
12. Nonne tu Deus qui repulisti nos, et non egredieris Deus in virtutibus nostris?
13. Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis.
14. In Deo faciemus virtutem: et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.

PSALMI QUINQUAGESIMI NONI ANALYSIS.

David post primam de Idumæis victoriam, audiens præsidiarios milites suos tota regione ab iis cæsos:

- Calamitatis magnitudinem amplificat, in qua
  - Deus repulisse, et destruxisse videatur populum suum,
    - Cum ira. 3.
    - Et misericordia. 3.
  - Iudæam totam commoverit, et conturbarit. 4.
  - Populum universum graviter afflixerit et contristarit. 5.
  - Hostium Iudæorum fugiendam incursionem monuerit. 6.
  - Non tamen sine spe dandi auxilii, ad perfectam libertatem. 7.
- Victorias suas enumerat, et gloriam,
  - Cum sub se habeat omnes Iudæos:
    - Sichimam scilicet et vallem Socoth, ubi habitavit Iacob. 8.
    - Galaaditidem regionem. 9.
    - Regionem tribus Manassis et Ephraim. 9.
    - Tribum Iuda. 9. *Sub his alias intelligit.*
  - Et multas regiones exteras:
    - Moabitidem præsertim, tributa dantem. 10.
    - Idumæam prius domitam, et iterum domandam. 10.
    - Philisthæorum ditionem subditam.
- Idumæam sibi subiici postulat:
  - Bosram Metropolim, et totam regionem. 11.
  - Quod solus Deus facere potest, et faciet, licet prius afflixerit. 12.
  - In tribulatione et de tribulatione opem dare solitus. 13.
  - In eo uno roborante et hostes atterente spem collocat. 13. 14.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. Pro his qui immutabuntur, in tituli inscriptionem ipsi David in doctrinam.
2. Cum succendit Mesopotamiam Syriæ, et Sobal, et convertit Ioab, et percussit Idumæam in valle Salinarum duodecim millia.

1. *Quænam occasio belli contra Idumæos.* Anno decimo quarto regni sui, David gessit bellum contra Adarezer regem Syriæ, atque, ut dicitur 2. Reg. 8. 4. *Captis ex parte eius mille septingentis equitibus, et viginti millibus peditum, subnervavit omnes iugales currum*, id est, equis omnibus nervos vel suffragines incidit, *dereliquit autem ex eis centum currus:* eos scilicet sibi reservans, sicut habetur 1. Paral. 18. 4. ubi dicitur, David cepisse septem millia equitum, adiungendo scilicet equos curules. Nam olim pugnabatur etiam ex curribus, aut certe in libro Regum primarii tantum equites numerantur. Anno autem sequenti, nempe Davidis 15. mundi 2994. Imperii Assyriorum 1063. ante Christum 1059. bellum gessit contra Idumæos, fortasse quod Syris opem tulissent, aut occupato Davide in eo bello excursionem in Iudæam fecissent.

2. *Idumæi unde dicti, et ubi habitarent.* Nota primo, quod Idumæi habitabant ad Occidentem extrema Iudææ, et vicina loca Casio monti, nec non Arabiæ fines. Nomen sumpsere ab Esau; qui vocatus est Edom, id est, rufus ob coctionem rufam, pro qua vendidit sua primogenita fratri suo Iacob: sic ab eo dictus est mons Seir, in quo mansit; quia Seir etiam vocabatur, quod esset pilosus. Secundo nota, Davidi fuisse duplex bellum contra Idumæos. *Bellum duplex in eos gestum.* Primum quidem, duce Abisai fratre Ioab, et consequenter Davidis nepote, qui occidit Idumæorum octodecim millia in valle Salinarum, quæ non est vallis sylvestris prope Sodomam, in qua victi sunt Sodomitæ a Chodorlahomor; nam illa vallis sylvestris est absorpta cum tota Pentapoli, et nunc est mare salis. Vallis vero Salinarum, adhuc extat in finibus tribus Iuda: et in ea rursus Idumæi victi sunt ab Amasia rege Iuda, anno mundi 3208. ante Christum 845. id est, ab hac clade illata per Abisai, ducentis fere et quatuordecim annis. Secundum bellum in Idumæos, eodem anno gestum est duce ipso Ioab. Cum enim parta victoria Abisai, ut in officio Idumæos contineret, et tributum impositum exigere posset, præsidiarios milites in variis Idumææ urbibus reliquisset, eos Idumæi interfecerunt, et iugum servitutis excusserunt: David hac audita clade vehementer commotus ingemuit, et psalmum hunc cecinit; *et convertit*, id est, reverti fecit in Idumæam

A *Ioab*, qui erat princeps totius militiæ, *et percussit*, Ioab, *Idumæam in valle Salinarum duodecim millia*. Itaque in primo bello ceciderunt 18. millia, in secundo 12. millia. Sic concordantur duo Scripturæ loca, nempe 2. Reg. 8. 13. et 1. Paral. 18. 12. ubi fit mentio octodecim millium, et psalmi nostri, ubi numerantur tantum duodecim millia. In eadem autem valle Salinarum, id est in qua salinæ erant, utraque clades accidit.

Quæres, quid sit Mesopotamia Syriæ, et Sobal? Nota cum Plinio lib. 5. cap. 12. *Syria quondam terrarum maxima, et pluribus distincta nominibus. Namque Palæstina vocabatur, qua contingit Arabas, et Iudæa, et Cœle, dein Phœnice: et qua recedit intus, Damascena: ac magis etiamnum meridiana, Babylonia. Et eadem Mesopotamia inter Euphratem et Tigrin: quaque transit Taurum, Sophene: citra vero etiam Comagene. Et ultra Armeniam, Adiabene, Assyria ante dicta: et ubi Ciliciam attingit, Antiochia. Longitudo eius inter Ciliciam et Arabiam 470. M. passuum est. Latitudo a Seleucia Pieria, ad oppidum in Euphrate Zeugma 170. M. passuum:* ita Plinius. 3 *Syria fuit amplissima Provincia.*

B Respondentes itaque primo aliqui, Mesopotamiam Syriæ positam volunt pro Syria Damasci: neque enim legimus usquam Davidem transgressum esse Euphratem, nedum regionem ulteriorem succendisse; sed Sophenorum primum, deinde Damascenorum Provinciam expugnasse. Pro qua, Syria Mesopotamiæ posita videtur, sive quia utraque provincia ad regem Damasci pertineret; in cuius rei signum, dicitur ille idem rex Adarezer eduxisse Syros qui erant trans fluvium, 2. Reg. 10. 16. et adduxisse eorum exercitum, ut pugnarent contra Hebræos; sive quod peculiaris quædam provincia in Syria Damascena dicta sit Mesopotamia, sive Syria fluminum, ut loquuntur Hebræi: quæ multo post tempore Naaman celebrat, nempe Abana et Pharaphar, 4. Reg. 5. 12. ita Salianus. Sed hæc ratio non convincit, quod non legatur alibi quod David transiverit Euphratem: nam nec legitur, quod succenderit Mesopotamiam. Secundo itaque dico, hic intelligi Mesopotamiam provinciam, quæ est inter Tigrim et Euphratem. Est enim proprie dicta Mesopotamia, q. d. Provincia inter 4. *Mesopotamia Syriæ fuit Syria Damasci.* *Aut potius Mesopotamia inter Tigrim et Euphratem.*

duos fluvios, et ad Syriam pertinet, ut vides ex Plinio. Et fortasse, ideo eam David succendit, quia scilicet videbat se diu illam retinere non posse. Iosephus quidem affirmat pugnatum fuisse prope Euphratem. Denique, quod Adarezer sub se habuerit proprie dictam Mesopotamiam sibi subditam patet 2. Reg. 10. ubi dicitur, quod eduxit Syros qui erant trans fluvium, magnum scilicet, id est Euphratem, secundum morem loquendi usitatum in Scriptura; ubi cum absolute ponitur fluvius, et agitur de Asia, intelligitur Euphrates: si de Ægypto, intelligitur Nilus. Hæc etiam explicatio ad Davidis et Dei eum ducentis et tutantis gloriam facit.

5. Syria vero Soba, sive Suba, et Subal, est pars Syriæ, quæ inter Libanum et Antilibanum atque Hermon interiacet, et Græce Cœle-Syria, id est cava Syria dicitur ob demissam a declivitate montium planitiem, ait noster Christophorus a Castro in cap. 9. Amos. Nam κοιλη est cavum, idem Hebr. innuit *Soba*, quod Pagn. interpretatur abscondens: eo quod hæc planities inter montes se abscondat. Potius *Soba*, Hebr. idem est quod *tumida;* eo quod *Soba* montibus vicinis elevetur et intumescat: cum ipsa regio interiecta sit campestris, humilis, depressa et concava, utpote altissimis montibus quaquaversum vallata. Verum *Soba* non est tota Cœle-Syria late sumpta, sed pars eius dumtaxat. Nam Cœle-Syria late sumpta multas regiones, imo omnes quæ inter Libanum et Hermon montes interiacent, complectitur, ait Ptolemæus. *Soba* ergo erat trans Iordanem, confinis dimidiæ tribui Manasse, pergendo ad Euphratem fluvium. Vide Adrichom. in tabula Cosmographica tribus Manasse, num. 87. ubi *Soba* collocat iuxta Palmiram, ac Amana et Hermon montes, et Thraconitidem regionem, non longe a Damasco: ita Corn. in lib. 2. Reg. 8. 3. Rectius dixeris, *Soba* significare *bellicosam*, fortasse quod ibi essent Syrorum fortissimi. Et vero Igaal unus ex fortissimis militibus et heroibus Davidis, erat ortus ex Sobal, 2. Reg. 23. 36. Et cum Salomon a Deo deflexit ad idola, Deus suscitavit Razon fugitivum servum regis *Soba*, qui Israelem infestavit, 3. Reg. 11.

Syria Sobal erat pars Syriæ prope Libanum.

Quæres secundo, quis sit sensus tituli? Resp. hunc esse, q. d. Psalmus hic in finem, id est semper, cantandus pro his qui immutabuntur a felici statu ad calamitatem, et sperant immutationem ope Dei a sua calamitate ad felicitatem pristinam. Scriptus autem est, ut in aliquo titulo, id est columna, tropbæo, arcu triumphali insculpatur a Davide victore, ut omnes doceantur eum non suis, sed Dei viribus sperare victoriam. Compositus est post victam et concrematam Mesopotamiam, quæ inter Tigrim et Euphratem interiacet, et victam eodem modo Syriam Sobal, quæ est pars Cœle-Syriæ; postque primo bello domitos Idumæos, cum in rebellantes David convertit, id est redire fecit Ioabum principem militiæ suæ, qui Ioab percussit Idumæorum duodecim millia in valle Salinarum.

Sensus tituli.

6. Allegor. Prædicitur Ecclesiam, ope Christi, post varias calamitates domituram sibique subiecturam omnes gentes, ipsosque Idumæos, id est Iudæos terrenos et sanguinarios. Hos omnes succendet ignis Spiritus sancti: ita S. Hilarius, S. August. et alii. *Finis legis Christus est*, ait August. *eos qui immutabuntur nostis. Qui enim, nisi qui a veteri vita in novam transeunt? Mutantur in tituli*

Allegor. De Ecclesiæ victoriis.

A *Crucis inscriptionem, qui in regnum Christi transeunt a regno diaboli. Mutantur autem in doctrinam, non sibi, sed ipsi David; ut, qui vivunt, iam non sibi vivant; sed ei, qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit. Quando ergo nos mutaret Christus, nisi fecisset quod dixit* Luc. 12. *Ignem veni mittere in mundum? Quæramus iam, quid sit Mesopotamia, quæ succensa est, quid sit Syria Sobal: Mesopotamiam dicunt interpretari elevatam vocationem. Iam totus mundus vocatione elevatus est. Syria interpretatur sublimis, sed illa quæ erat sublimis, incensa est et humiliata: et quemadmodum humiliata est quæ fuerat exaltata, sic exaltetur quæ fuerat humiliata. Sobal interpretatur, vana vetustas: Gratias Christo, qui eam succendit. Quando vetera virgulta succenduntur, vireta succedunt: et alacrius, et uberius, et viridius nova nascuntur, cum ea ignis in vetustorum succensione præcesserit. Non ergo timeatur ignis Christi, si fœnum combusserit. Omnis enim caro fœnum, et omnis claritas hominis, sicut flos fœni. Succendit ergo ista illo igne. Et convertit Ioab. Ioab interpretatur* B *inimicus. Conversus est inimicus. Quod vis intellige: si conversus in fugam, diabolus est: si conversus ad fidem, Christianus est. Quomodo in fugam? De corde Christiani. Princeps huius mundi, inquit, nunc missus est foras. Conversus autem ad Dominum Christianus, quare inimicus conversus? Quia fidelis factus est, qui fuerat inimicus. Percussit Edom. Interpretatur Edom, terrenus: debuit percuti terrenus iste. Ut quid enim viveret terrenus, qui cælestis debet vivere? Interfecta est ergo vita terrena, vivat cælestis. Sicut enim portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem eius qui in cælis est. Vide illum interfici.* Coloss. 3. *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram. Cum autem percussit Edom, percussit duodecim millia in valle salinarum. Duodecim millia perfectus est numerus, cui perfecto numero etiam duodenarius Apostolorum numerus deputatur. Non enim frustra, nisi qui per totum mundum mittendum erat verbum. Verbum autem Dei, quod est Christus, in nubibus, hoc est in prædicatoribus veritatis. Mundus autem quatuor partibus constat. Ad omnes istas quatuor partes missum est verbum, ut in* C *Trinitate omnes vocarentur. Duodenarium numerum ter quaterni faciunt. Merito ergo duodecim millia terrena percussa sunt, totus mundus percussus est: de toto enim mundo electa est Ecclesia, mortificata a terrena vita. Quare in valle salinarum? Vallis humilitas est, salinæ saporem significant. Multi enim humiliantur, sed vane et fatue, in vana vetustate humiliantur. Patitur quis tribulationem pro pecunia, patitur tribulationem pro honore temporali, patitur tribulationem pro commodis vitæ huius, passurus est tribulationem et humiliandus. Quare non propter Deum? quare non propter Christum? quare non propter saporem salis? An nescis, tibi esse dictum,* Matth. 5. *Vos estis sal terræ, et si sal infatuatum fuerit, ad nihilum valebit ultra, nisi ut foras projiciatur? Bonum est ergo sapienter humiliari:* ita Augustinus, et bene: nisi quod Mesopotamia non est nomen Hebraicum, sed Grecum, q. d. μεσο των ποταμων, regio media inter duos fluvios: Tigrim scilicet, atque Euphratem. Sic in Italia est regio Interamnana, inter fluvios Narem et Tiberim.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

7. Tria continet. Primo, calamitatem populi Israel ob cæsum præsidium in Idumæa positum, vers. 3. Secundo, spem victoriæ ob promissum Dei, et robur partum aliis victoriis, vers. 8. Tertio denique, ob postulationem victoriæ, vers. 11.

SECTIO PRIMA.

Duo complectitur. Primo, afflictionem populi, vers. 3. Secundo, petitionem liberationis ab illa, vers. 7.

PARAPHRASIS.

3. *Deus repulisti nos, et destruxisti nos: iratus es, et misertus es nobis.*

3. Sceleribus nostris provocatus rebelles filios attrivisti, permittens ut Idumæi nostros milites in eorum urbibus ad præsidium positos occiderent, et iugum sibi positum excuterent, parati in nos coacto exercitu irrumpere: iusto furore inflammatus es contra nos, sed tamen misertus es nobis: non permittens, ut in terram populi tui ex improviso irruerent.

4. *Commovisti terram, et conturbasti eam: sana contritiones eius, quia commota est.*

4. Hac Idumæorum defectione, et crudelitate, totum regnum meum concussisti et conturbasti: acceptam plagam novis victoriis sana, et damna donis compensa: satis enim doloris, et afflictionis exhaustum est; et metuunt omnes, ne a tua protectione et amore destituantur.

5. *Ostendisti populo tuo dura: potasti nos vino compunctionis.*

5. Effecisti, ut populus tuus hanc durissimam lanienam experiretur, et ad intimas usque medullas dolor permearet; cum maxime securos et lætos nos præstaret victoria de hostibus obtenta in valle salinarum, per Abisai ducem a me in eos missum.

6. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus.*

6. Hanc cladem significasti nobis Iudæis te colentibus et adorantibus, ostensis cœlestibus signis cladem illam denunciantibus, ut hostium arcum et sagittas, feritatemque fugeremus.

7. *Ut liberentur dilecti tui: salvum fac dextera tua, et exaudi me.*

7. Ex hoc periculo, in quo versor, impendente hostium exercitu libera me: et victoriam, quam de illis postulo, concede, ut populus quem diligis, et tot donis cumulas, a timore et vastitate liberetur.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta afflictionis commoda.

8. Ordo sectionis. In Paraphrasi, et in explicatione tituli, sensus litteralis satis patet; ad mysticum veniamus, qui est de utilitate afflictionis.

Ac primo, afflictio iustorum, imo et peccatorum, commovet Dei parentis misericordiam, v. 3. *Deus repulisti nos, et destruxisti nos: iratus es, et misertus es nobis.* Secundo, excitat contritionem ipsorum peccatorum, v. 4. *Commovisti terram, et conturbasti eam: sana contritiones eius, quia commota est.* Tertio, afflictio dat devotionis suavem potum, v. 5. *Ostendisti populo tuo dura: potasti nos vino compunctionis.* Quarto, afflictio monet, ut Dei vindicis iram evitemus, v. 6. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus.* Quinto denique, afflictio libertatem et salutem a Deo obtinet, v. 7. *Ut liberentur dilecti tui, salvum fac dextera tua, et exaudi me.*

ARTICULUS UNICUS.

Deus in peccatores irascitur, eosque punit, ut illorum misereatur.

9. Vers. 3 David accepto nuntio de cæsis præsidiariis militibus suis, in tota Idumæa, quam recenter sibi subiecerat, repulsum et reiectum se ac populum suum dolet: et graviora timens, inclamat, v. 3. Deus repulisti (a te procul eiecisti, ad te accedentes et tibi propinquos removisti cum indignatione. Hebr. זנחת *zanachta*, elongasti, ut explicat Pagninus; proiecisti, ut S. Hieronymus; dereliquisti, ut Felix; abominatus es, ut R. David. Vox Græca ἀπώσω denotat detrusionem, deiectionem et deturbationem ex alto cum ira, indignatione, et contemptu, atque odio; q. d. Prius, velut amicos et filios, in altum prope te extuleras et fovebas; nunc ad ima proiecisti) nos, et destruxisti (Hebr. פרצת *paratstha*, id est, scidisti: ita S.

A Hier. discerpsisti, confregisti, dissipasti, diruisti) nos: iratus es, et misertus es nobis. Iratus quidem, quod passus sis tot milites nostros servos tuos, ab Idumæis in eorum regione occidi: misertus vero es quod stillantes eorum gladios a cervicibus nostris repulisti: terrore eis iniecto, ne in nos irrumperent, et fines nostros gladio et flammis vastarent. Sensus hic est facillimus, et maxime naturalis, ac litteralis. Vide dicta in tituli explicatione.

Allegor. In gravi Ecclesiæ persecutione afflicti Martyres hic loquuntur. Hæc sunt lilia Ecclesiæ, quæ a tyrannis cruciantur. In titulo ubi habemus, *Pro his qui immutabuntur*, habetur Hebr. *pro liliis*, ut exponit S. Hier. *pro liliis pulchritudinis*, ut Flaminius, id est, pro liliis pulcherrimis. Martyres sunt lilia immutata, de candidis scilicet facta rubra: in pace vestiebantur innocentia, nec Salomon pacificus in omni gloria sua vestitus est sicut unum ex istis: in bello vero rubrum est indumentum eorum. Consule titulum Psal. 44. Martyres, licet sibi nihil conscii, non tamen se iustificant: sed timent, ne ob peccata sua repellantur. Nam persecutiones Ecclesiæ peccatis Christianorum tribuit S. Cypr. serm. de lapsis, Euseb. lib. 8. hist. Eccl. Victor Afric. lib. 1. de persecut. Vandalica, et alii. Illæ tamen persecutiones, sunt misericordia Dei, quia Deus dat in illis heroicam fortitudinem: et sanguis martyrum, est semen Christianorum. 10. Martyres sunt lilia rubra.

B

Tropolog. Primo, nemo securus esse debet ob virtutem suam, aut ob statum sacerdotii, aut religionis: sæpe enim a gratia et perfectione cadentes repelluntur, et reprobantur. Eorum typus fuerunt Israelitæ filii Abraham, Isaac et Iacob sanctissimorum Patriarcharum; 2. ab Ægypto miraculis maximis extracti; 3. per desertum a Deo per columnam mirabilem deducti; 4. legem a Deo visibiliter accipientes; 5. cæremonias omnes, et sacrificiorum ritus, per eum edocti; 6. innumeris aliis beneficiis donati: tamen repulsi sunt, et destructi in deserto, intra 40. annos: ita ut duo tantum, nempe Caleb et Iosue cum paucis Levitis terram promissam intraverint. Repulsæ illius, et destructionis sententiam habes, Numer. 14. Plagas a- 11. Variæ punitiones Israelitarum in deserto peccantium.

liquas tam ante quam postea inflictas aspice. Primo, post adorationem vituli, a Levitis iubente Mose occiduntur viginti tria sceleratorum millia, Exodi 32. 28. Secundo, orto murmure populi, quasi dolentis propter laborem itineris in deserto, ignis devoravit extremam partem castrorum, Num. 11. 12. Tertio, murmurantibus, et cibos alios quam manna postulantibus, Deus dat coturnices; sed illis se infercientes percutit plaga magna nimis, Num. eod. cap. v. 33. Quarto, missi in terram Chanaan exploratores, ubi redierunt in Cades, averterunt populum ne ad illam pergerent; ideo populus in Mosem et Deum murmurans, in desertum repellitur, ab Amalecitis vincitur, ipsi exploratores præter Caleb et Iosue moriuntur, Num. 13. et 14. Quinto, Core filius Isaar fratris Amram, et consequenter fratruelis Mosis et Aaronis, Pontificatum invadere Aarone deiecto molitus est: quod ut facilius perficeret, in suas partes traxit tres primarios viros de tribu Ruben, scilicet Datban et Abiron fratres, et Hon filium Pheleth; hi alios proceres commoverunt. Sed cum separatus esset iubente Deo populus a tabernaculis impiorum, Core, Dathan et Abiron vivi a terra sunt absorpti, Numer. 16. 31. Ignis vero egressus a Domino interfecit 250. viros, qui offerebant incensum in altare thymiamatis, vers. 35. id est, qui offerre volebant: nam accepto igne ex altari holocaustorum, cum pergerent ad Sanctum, priusquam illud ingrederentur, flamma ex altare holocaustorum egressa combusti sunt. Sexto, cum ob necem illorum procerum populus murmuraret in Mosem et Aaronem, ignem Deus immisit in quatuordecim millia hominum, et septingentos. Septimo, tædio itineris ac laboris iterum populus murmurat; ideo in eum immittuntur ignitl serpentes, qui multos occidunt, Num. 21. Octavo, fornicatus est populus cum filiabus Moab, et adoravit deos earum: ideo iratus Deus iussit principes, qui peccaverant, suspendi in patibulis: et Moses imperavit eos, qui initiati erant Beelphegor, occidi, Num. 15. Mitto cæteras clades, quibus Deus populum duræ cervicis domuit, et intra 40. annos ita extinxit, ut duo tantum homines, ut dixi, nempe Caleb et Iosue cum paucis Levitis, terram promissionis intraverint, ex iis qui egressi ex Ægypto numerati sunt in principio suæ peregrinationis, Numer. 1. ubi præter fœminas, censentur sexcenta tria millia virorum quingenti quinquaginta, qui vigesimum annum excesserant. Huic numero si addas viginti duo millia Levitarum, fiet summa sexcentorum viginti quinque millium, quingentorum et quinquaginta.

12. Secundo nota, ipsa Dei ira in hac vita, et punitio, est magna eius misericordia. Primo, quia ira illa et punitio impedit peccata, quæ sine illa contigissent, et pœnam æternam attulissent. Hinc Deus peccantem populum suum Israel statim puniebat, ne in graviora scelera rueret, ut monet, et pro insigni beneficio recenset auctor historiæ Machabæor. lib. 2. 6. 13. *Etenim*, inquit, *multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium. Non enim, sicut in aliis nationibus patienter expectat, ut eas, cum iudicii dies advenerit in plenitudine peccatorum puniat: ita et in nobis statuit, ut peccatis nostris in finem devolutis, ita demum in nos vindicet. Propter quod nunquam quidem misericordiam suam amovet: corripiens vero in adversis, populum suum non dereliquit.* Rationem a priori affert S. Nilus in Parænesi: quia scilicet Deus Pater noster est, παιδευη ως πατηρ, inquit, *castigat ut pater*. Secundo, ira Dei et punitio efficit, ut a præsenti peccato exurgamus, sicque Deus det veniam. Berengosius Abbas S. Maximini Treviris, qui tempore Paschalis II. Pontificis floruit circa ann. Christi 1112. serm. de Natali Martyrum fol. 304. tom. 7. bibl. Patrum sic ait: *Pia repulsio, et paterna destructio, quæ sic hominem repellit, ut revocet: sic mortificat, ut vivificet: sic humiliat, ut exaltet: sic destruit, ut ædificet.* Et postea: *Illos destruxit ad ruinam, non ad resurrectionem: istos vero ad correctionem, non ad perditionem: illos, ut in melius non mutentur; istos, ut ædificentur et sanentur. Illos destruxit, ut cum Saule deiiciantur: istos, ut cum Davide erigantur: illos, ut cum uxore Loth respiciant retro: istos, ut ad pœnitentiam revertantur cum Petro.* Comparat scilicet tyrannos cum Martyribus. S. Cypr. quoque epistol. Persecutio, inquit, examinatio est atque exploratio pectoris nostri: et cum præcesserit disciplina, sequetur et venia.

Ira et punitio Dei in hac vita est misericordia.

Ira Dei, est nubes tenebrosa, ac tonitru minax, fulgetrisque exterrens; sed quæ est gravida pluvia, qua agros fœcundat; post terrorem nubes contentam in se pluviam diffundit: sic Ps. 76. 10. dicitur: *Non obliviscetur misereri Deus, nec continebit in ira sua misericordias suas.* Unica tantum est ira, sed multæ sunt misericordiæ: est enim Deus pater misericordiarum. Ps. 88. 33. addit Deus ipse: *Visitabo in virga* (quæ pulverem excutit) *iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eo*, q. d. Ideo non dispergam ab eo misericordiam, quia visitabo in virga. Contra vero, pro magna pœna dicit Deus se non amplius puniturum populum suum ob scelera. Ezech. 16. 4. *Requiescet indignatio mea in te, et auferetur zelus meus a te, et quiescam, nec irascar amplius.* Ut enim ait S. Hier. epist. 33. ad Castrutium: *Magna ira est, quando peccatoribus non irascitur Deus: medicus si cessaverit curare, desperat.* S. Aug. epist. 87. hinc concludit, summam esse Dei erga homines benignitatem. Quid non, ait, misericorditer præstatur a Deo, a quo etiam tribulatio beneficium est. Nam res prospera donum est consolantis: res autem adversa, donum est admonentis Dei: ita Aug. Sed fusius irati Dei misericordiam amplificat Berengosius sermon. citato de sanctis Martyrib. *O ira misericors*, inquit, *et salubris indignatio, per quam fructuosa fit omnis infructuosa conversatio. O ira misericors, quæ sic irascitur, ut subveniat: sic minatur, ut parcat: sic aufert, ut restituat: sic tradit, ut eripiat: sic destruit, ut muniat: sic abiicit, ut recipiat. O quam salubris indignatio, quæ sic avertit, ut respiciat: sic claudit, ut aperiat: sic exigit, ut dimittat: sic deiicit, ut erigat: sic perdit, ut requirat: sic amittit, ut custodiat.* Et paucis interiectis misericordiæ illius armatæ, et minas intentantis utilitatem magis adhuc extollit: *O ira misericors*, ait, *et incomparabilis misericordia, quæ ab omnibus vitiis humana semper emundat præcordia, per quam peccator invitatur ad veniam, iustus ad vitam, Martyr ad palmam, confessor ad gloriam. Non enim miseretur, nisi irascatur: qui ob hoc prius irascitur, ut postea misereatur. Prævenit enim ira, ut sequatur misericordia; prævenit lacryma, ut sequatur venia: prævenit pœnitentia, ut sequatur indulgentia: prævenit humiliatio, ut sequatur exaltatio: prævenit confessio, ut sequatur remissio: prævenit vocatio, ut sequatur iustificatio: prævenit iustificatio, ut sequatur glorificatio.* Ita ipse, sed Davidem sequamur, apud quem videbimus tribulationem esse, 1. in morbo medicinam; 2. in sanitate recreationem; 3. in bello robur; 4. denique, in triumpho coronam. 13.

Tribulationis quatuor elogia.

AC PRIMO, tribulatio est in morbo medicina, v. 4. COMMOVISTI TERRAM, ET CONTURBASTI EAM (Chald. *Commovisti terram Israel, conturbasti et destruxisti eam*, tot fortibus militibus cæsis per proditionem et perfidiam, Idumæorum) SANA CONTRITIONES (Hebr. שברים *scebarim*, fracturas et scissuras) EIUS, QUIA COMMOTA EST: contritiones et fracturas vocat Israelis, tum eversionem arcium positarum in Idumæa ad illam continendam, et ad firmandos limites terræ populi Dei, tum occisionem militum ex improviso mactatorum. Vers. 4. I.

Est in morbo medicina.

Tropol. Peccatum est morbus gravissimus, ut probavi Ps. 6. sect. 1. art. 2. David hoc loco ait, medicinam esse immissam a Deo tribulationem, quæ purulentam saniem extergat, et mentem perfectæ sanitati restituat. Vinum immiscet oleo sapiens Samaritanus, fellis affrictu oculos Tobiæ sanat angelus, ficuum adiectione morbum Ezechiæ pellit Isaias, pulvere cæcante oculos cæci nati illuminat Christus. Nihil molle et delicatum novit palæstra virtutis.

Nulla medicina malignis humoribus oppletum corpus sanat, quin per membra omnia diffusa illos commoveat, ut dispellat. Commotio aquæ erat necessaria, ut angelus

sanaret in piscina probatica, (id est in qua πρόβατα, hoc est oves, lavabantur antequam immolarentur) iacentem. Ioann. 5. 4. *Angelus Domini descendebat in piscinam, et movebatur aqua.* Signum angeli præsentis, et brevi futuræ sanationis, est commotio aquæ. Commotus David sanari postulat, Psal. 6. 3. *Sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, et anima mea turbata est valde.* Et sæpe peccator non sanatur, quia non commovetur. Ierem. 48. 11. *Moab requievit in fæcibus suis: neque translatus est de vase in vas, et in transmigrationem non abiit: idcirco permansit gustus eius in eo, et odor illius non est immutatus.* Primo, aqua contritionis, et sale mortificationis ac tribulationis, plagæ saniem abstergit Deus, ne computrescat. S. Laur. Iustin. tract. de ligno vitæ, sect. de obedientia: *Sicut caro,* inquit, *si sale non aspergitur, quamvis sit magna et præcipua, corrumpitur: ita et anima, nisi tentationibus assiduis saliatur, continuo resolvitur et relaxatur; per ipsa namque tentamenta, anima negligentiæ putredinem excutit, et in spiritus vivacitate conservatur:* ita ille. Cum sacerdotibus, hoc est animabus perfectis et Deo dignis, initur pactum salis, hoc est ferendæ afflictionis, quæ acrimonia sua prorsus mentem purget, ut a- ris se divinis sistant, et dona cælestia percipiant. Num. 18. 19. *Pactum salis est sempiternum coram Domino, tibi, ac filiis tuis.* Deus ibi alloquitur Aaronem. David quoque Noster duas victorias contra Idumæos, id est, terrenos et sanguinarios, consecutus est *in valle Salinarum*, ut dixi in titulo Psalmi. Vallis autem salinarum est locus lacrymarum salsarum et amararum, atque tribulationis. Secundo, si gangrænam vulnus contraxerit, putridæ atque emortuæ carnes igne absumuntur. Clemens Alexand. lib. 1. pædag. cap. 8. fol. 85. *Est reprehensio,* οἱονεὶ χειρουργία ψυχῆς παθῶν, *veluti chirurgia quædam affectionum animæ.* Ipsi impii ad sanationem iuvant, Deo velut perito chirurgo, ignem furentium ad utilitatem nostram vertente. S. Gregor. 2. Mor. Dum, ait, stultus sapientem laboribus fatigat, contumeliis lacerat, *profecto hunc ab omni vitiorum rubigine urendo purgat.* Tertio, si ignis non sufficit ad consumendum plagæ venenum, præsciditur membrum quod reliqua inficit. S. August. in illud Psal. 114. 3. *Tribulationem et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi,* sic loquitur: *Invenit tribulationem tamquam aliquid utile, putruerat tabe peccatorum suorum, iam sine sensu remanserat, invenit tribulationem tamquam ustionem et sectionem:* ita Augustin. Cum brachium aut pes fractus non apte et commode coaluit a peritis chirurgis nonnunquam iterum frangitur, ut melius coagmentetur. Petr. Blesensis epist. 31. Exteriori, ait, vulnere sanatur plaga interior. Procop. In cap. 9. Isaiæ. Tam, inquit, est nostræ salutis peritus artifex Deus, ut vel plagas incutiens medeatur, utrinque nos ad pietatem provocans. Iob 5. 18. *Ipse vulnerat, et medetur: percutit, et manus eius sanabunt.* Quarto, ut sanatio sit perfecta, nec morbus redeat, tribulationis adhibetur cauterium, quo emittendæ infestæ pituitæ via et exitus aperiatur. S. Antioch. hom. 117. Dominus, ait, animarum nostrarum curator providentissimus, proinde ac unus aliquis medicæ rei experientissimus simul nostro usui consulens tribulationes infligit, *et acrimoniam, asperitatemque urentis cauterii adversus coalescentem morbum admovet, integer ut sit homo et incolumis.* Quinto denique, nulla est animi morbis præsentior medicina, quam afflictio et punitio temporalis. Didacus Stunica illud Iobi 14. 17. *Signasti quasi in sacculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam,* explicans sic ait: *Nulla est peccatorum morbis aptior et præsentior medicina, quam pœna atque supplicium.* Ipsis Deo intime iunctis hominibus maxime prodest tribulatio, ut de seipso testatur S. Bernard. epistol. 280. scribens ad Eugenium Pontificem pro Altisiodorensi negotio. Cum in me itur, inquit, levis iactura est: et quæ levari facile queat resarcitu: *Ego plagis conscientiæ meæ nullum iudico accommodatius medicamentum probris et contumeliis. Non est proinde quod pro me movear, homuncio omni opprobrio dignus et despectione.* De commotione per prædicationem explicat versum nostrum Berangosius.

14. Vers. 5. II. Tribulatio est in sanitate recreatio.

SECUNDO, tribulatio est in sanitate, id est, perfecta et robusta virtute, recreatio, v. 5. OSTENDISTI (practice, id est, experiri fecisti) POPULO TUO DURA (permittendo cædem militum nostrorum in præsidiis et arcibus Idumææ) POTASTI NOS VINO COMPUNCTIONIS, Hebr. תרעלה *tarhela,* id est Primo soporis. Unde S. Hieron. vertit, *Potasti nos vino consopiente.* Pagninus, Propinare fecisti nobis vinum soporativum. Aquila reddit, οἶνον καρώσεως, vinum soporationis cum gravedine et lethargo, sensum omnem ac motum tollens, præterquam respirationis: κάρος veterni species est ac lethargi, de qua tractat Hippocrates lib. 1. et 2. de morbis, et lib. de Coacis prænotionibus. Secundo, *tarhela,* id est luctus, doloris, molestiæ, afflictionis, mœroris, molestiæ, anxietatis. Hinc Arias vertit, *Propinare fecisti nobis vinum perturbationis;* Arabs, turbidum; Syr. plenum fæce; Apollin. ἀνίας, molestiæ; Aquila, κακώσεως, afflictionis; Felix, anxietatis. Tertio, *tarhela,* id est pavoris, ut ait Campensis; horroris, ut Muisius: tremoris, ut R. Ioseph. σάλον, id est agitationis maritimæ, ut Symmachus. Quarto, *tarhela,* compunctionis, ut Noster; κατανύξεως, ut Septuag. hoc est transpunctionis, ut S. Cyprian. legit epist. 54. ad Cornelium; stimulationis, ut Augustinus. Quinto, *tarhela,* id est maledictionis, ut Chald. Sexto, mortiferum, ut R. Emmanuel et Flamin. lætificans, ut S. Hilarius: aliqui Codices habent lætificans per diphtongum, sed est error; φαρμακοῦν, medicatum, ut Petavius. Rad. est *raal,* id est, ut explicat R. Ionas, confusio seu contritio; 2. tremor, ut vult R. Ioseph; 3. venenum mortiferum, ut R. David.

Vinum compunctionis.

Ex his patet, *potare aliquem vino compunctionis* esse formam proverbialem, qua significetur gravis dolor et afflictio alteri infligi, ita ut ad intimas eius medullas et intima cordis penetralia penetret, instar potus amarissimi se per omnes venas et poros corporis diffundentis. Unde fiat in eo stupor et ebrietas quædam mentis, qua sepultus hæreat nescius quid agat homo afflictus.

15. Quale vinum propinabatur damnatis ad mortem.

Nota, alluditur ad vinum propinatum iis qui supplicio erant destinati, quodque Amos 2. 8. vocatur vinum damnatorum. R. Hasdam asserit eos qui occidendi educebantur, solitos potari pulvere incensi in scypho vini, ut sensu abalienarentur, et Ierosolymis honestas mulieres huno potum sponte parare ac mittere solitas. Per pulverem incensi, myrrham intelligo; dari enim solitum vinum myrrha conditum patet ex eo quod datum est Christo, unde Marci 15. 23. vocatur myrrhatum vinum, e fella mistum fuisse docet Matth. 27. 34. Non quod damnatis fel dari soleret, sed quod Iudæi et carnifices rabie efferati essent in Christum. Nam cæteris vinum dabatur ad vires suppeditandas, et animum mœrore oppressum recreandum, ut patet Prov. ult. 6. *Date siceram mœrentibus, et vinum his qui amaro sunt animo, ut bibant; et obliviscantur egestatis suæ, et doloris sui non recordentur amplius;* quem locum R. Moses Ægyptius, et R. Salomon exponunt de reis ad mortem ductis. Baronius tom. 1. Annal. Eccl. anno 43. num. 96. asserit, myrrhatum vinum nequaquam amarum fuisse et insuave, sed perquam iucundum et gratum: sic enim dictum esse vult, quod in vasis myrrhinis ad saporem odoremque quærendum calidum poneretur: ea enim vasa apud antiquos in magno erant pretio, quod cum vinum calidum in ea infunderetur, odorem ac saporem quemdam mirificum ex iis contraherot: ex quo præ cæteris gratissimum suavissimumque ad potum redderetur. De huiusmodi enim vino in hunc modum condito habes Martialis distichon lib. 14.

Vinum myrrhatum.

Si calidum potas, ardenti myrrha Falerno
Convenit, et melior fit sapor inde mero.

Eadem vina a myrrha myrrhina etiam ab antiquis sæpe dicta reperiuntur, de quibus agens Plin. lib. 14. cap. 13. Lautissima, inquit, apud priscos vina erant myrrhæ odore condita. Baronius præterea fuse probat vinum myrrhatum non fuisse soporiferum, neque a mente abalienasse, cum myrrhæ natura sit, ut ab ebrietate bibentes præserret, et surgentes vapores digerat, et constet latrones

cum Christo crucifixos fuisse mentis compotes in cruce. A Cæteri tamen pene omnes censent vinum myrrhatum fuisse amarum et acerbum, ipseque Baronius opinionem suam retractat tom. 10. in fine, et illam vini myrrhati amaritudinem fatetur.

16. Afflictio est viro forti vinum, id est delectatio.

Tropolog. dici etiam potest, quod Deus electos suos potat *vino compunctionis*, id est compunctione, contritione, afflictione; quæ est vinum, id est suavitas. Ut enim ait S. Nilus oration. 6. *Quod corpori sano valentique cibus est, idem est tentatio animo forti ac generoso*. Nec cibus tantum, sed etiam potus est afflictio, maiorem et promptiorem lætitiam veuis totius animi infundens, et intimas eius medullas penetrans, ut patuit in Martyribus plerisque; qui quo diriora in corpore patiebantur, eo suaviora in animo sentiebant. In ipsa amaritie suavitatem esse reconditam docet Christus, qui felle et aceto potatus canit, Cant. 4.11. *Mel et lac sub lingua mea*, q. d. Fel et acetum sunt supra linguam et carnem meam; sed mel et lac est sub lingua, et intra mentem. Gillebertus serm. 40. in Cantica hoc meditatur in hunc modum, atque ad nos etiam B transfert: *Acetum cum felle mistum, quod degustavit prælibans non bibens, in vini et lactis transivit saporem: hanc et tu, fidelis anima, tibi commutationem futuram confide.* Dicit Christus sponsæ suæ, id est animæ sanctæ, Cantic. 8.2. *Dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum.* Condimentum vini compunctionis et afflictionis est spes cælestis, et æternæ suavitatis. Innumera grana mali punici denotant afflictiones varias electorum: sed suave fragrantia et gratus odor indicant delectationem ex vera sinceraque charitate exortam. Amanti enim nihil est difficile. Varro iure vocat vinum, *hilaritatis dulce seminarium*. Clemens Alexand. lib. 2. pædag. cap. 2. fol. 113. αγαλλιαμα ψυχης και καρδιας, exultationem animæ et cordis. Socrates lethale cicutæ poculum ita exhausit, ut id resonaret, sicut tradit Tullius: tanta autem mentis firmitudine ultimam hanc calamitatem tulit, ut etiam ad mortem damnatus riserit. Xenophontem audiamus in Apologia pro Socrate, fol. 706. Cum, ait, a- C nimadverteret eos, qui comitabantur, lacrymari, Quid hoc est, inquit, modone fletis, non iam dudum scitis, ex quo genitus fui, a natura me ad mortem condemnatum esse? Etenim vero si secundis rebus affluentibus e vita præripior: patet tum mihi, tum alii, qui benevolentia me prosequuntur, dolendum esse. Si vero, diris rebus imminentibus vivendi finem facio, omnino vobis omnibus ως ευπραγουντος εμου, *tamquam in rerum mearum successu prospero, lætandum esse arbitror.* Cumque Apollodorus amicus eius diceret, dolere se quod iniuste damnatus esset. Tum Socrates caput eius demulcens dixisse perhibetur: Tunc, charissime Apollodore, videre me malles iure, quam iniuste occidi? και αμα επιγελασθαι, simulque subrisisse. Anyto autem prætereunte, qui necis eius causa extiterat, Socrates ait eum temere exultare, perinde ac si præclarum facinus fecisset: *Quam excors est*, inquit, *qui nescire videatur: quod quicumque nostrum et ultiora, et præclariora in omne ævum gesserit*, ουτος εστιν και ο νικων, *is victor sit?* Hoc D verum animi in afflicto gaudium longe melius in S. Ioanne Apostolo videas, qui læto alacrique vultu venenatum poculum exhausit: et in aliis Martyribus, liquens plumbum, fel, acetum, aliaque toxica sine timore sumentibus: nec illis Deus defuit, qui plerumque eos innoxios servavit.

17. Vinum quadruplex: nempe, dæmonis, mundi, carnis et Dei.

Nota, quadruplex est vinum: nempe dæmonis, mundi, carnis, et Dei. Primo enim dæmonis vinum est invidia fellea. Deut. 32. v. 32. *Uva eorum uva fellis, et botri amarissimi: fel draconum, vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.* Simile est vino illi quod in Arcadia fœcunditatem fœminis importat, viris rabiem. Secundo, vinum mundi est vinum erroris et hypocrisis. Isaiæ 19. 14. *Errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius.* Simile est vinis fucatis et mentitis. Africa gypso mitigat vini asperitatem, nec non in aliquibus sui partibus calce. Græcia argilla, aut marmore, aut sale, aut mari lenitatem excitat. Italiæ in parte aliqua rabulana pice, ac resina condire musta vulgare est, provinciisque finitimis. Nonnusquam prioris vini fæce acetove condiunt. In mundo adulterata sunt omnia. Tertio, vinum carnis, est luxuria. Deut. 32. v. 32. *De vinea Sodomorum vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhæ.* Sulphuratum vinum est atque olidum. Unde Paulus admonet Ephes. 5. 18. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Apud Thasios duo vini genera fuisse dicuntur: unum quo somnus conciliaretur: alterum, quo fugaretur. Luxuria tota est soporifera, et oblivionem inducit cælestium: in vitiis vero, est insomnis et pervigil: totas noctes in choreis et noxiis locis ac potibus absumit. Quarto denique, vinum Dei est vinum compunctionis et afflictionis in rebus terrenis. Isaiæ 51. 17. *Elevare, elevare, consurge Ierusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ eius: usque ad fundum calicis soporis bibisti, et potasti usque ad fæces.* Hortatur nos Dei sapientia, ut illud bibamus. Sic enim ait Prov. 9. 5. *Bibite vinum, quod miscui vobis;* potat nos misto; adversis enim læta permiscet, ut omnis mundanarum rerum amor ex mente prorsus expellatur. Simile est cuidam Thasiorum vino: apud eos enim quædam vitis Theriace vocatur, cuius et vinum et uva contra serpentium ictus medetur. Nam, ut ait Thomas a Villanova serm. de S. Quirico: *Nihil sic omnia hominis vitia et vana desideria, noxias cupiditates, et flagrantes carnis concupiscentias extinguit et mortificat, sicut tribulationis acrimonia, quæ velut absynthii poculo omnes animæ vermes, intus viscera eius corrodentes, sua amaritudine inficit et interficit.*

Symbolice Berengosius Abbas serm. 2. de Martyribus, *vinum compunctionis* ait esse charitatem Martyrum, et internam contritionem. Primo de charitate sic dicit: *Hoc est poculum illud charitatis, quod beatissimos Martyres istos perduxit ad consortium deitatis, postquam omnes vitiorum flammas in eorum corde repertas in vini copia, compunctionis extinxit ubertas. Vinum sine alterius rei commistione, dilectio est sine simulatione. Vinum vero conditum, dilectio est cum operatione.* De contritione autem: *Bene*, ait, *compunctionis internæ vino potatur, qui pro peccatis suis apud se intus in mente stimulatur: quoniam perfecte abluitur immunditia sordis, quem sæpius laverit lacryma cordis. Non enim sequitur peremptio furens, ubi hæc medicina præcesserit urens.* Initio convivium olim bibebatur, κρατηρ φιλοτησιας, *crater amicitiæ*, ad odia deponenda. In fine, κρατηρ αγαθου δαιμονος, *boni genii*, ad prospera amicis optanda. 18. Charitas et contritio sunt vinum compunctionis.

Tertio, tribulatio est in bello securitas, v. 6. Dedisti metuentibus te significationem (Hebr. נס nes, id est, *signum*: ita S. Hieron. Fel et Camp. *vexillum*: ita Arabs) ut fugiant a facie arcus (Hebr. nunc est קשט *koscet*, per *thet*, hoc est veritas, ut Pagn. Flamin. et alii vertunt: sed vel *koscet*, per *scet* significat etiam arcum, vel probabilius Sept. S. Hier. et noster legerant *koscet*, per *thau*: tunc enim, ut omnes fatentur, significat arcum: et sensus est longe clarior) ut liberentur dilecti tui, nos scilicet, amatus a te populus Israel: signum enim nobis dedisti, ut caveremus nobis ab Idumæorum irruptione: de illis enim agitur in hoc psalmo, non de extrema clade regis Saulis illata per Philisthæos, ut hic tamen voluit Agellius. 19. Vers. 6. Tribulatio est in bello securitas.

Quæres, quam significationem sive signum intelligit David? Primo, signum illud vult Iansenius esse Davidem ipsum, q. d. Me in regem super populum tuum unxisti, et quasi in signum aliquod erexisti, ut hoc signo admoniti fugiant arcum, omnemque armorum vim, qua eos hostes insequuntur, et ad istud signum a te erectum fugitivi congregentur, ad redintegrandum regnum tuum: ita ille. Sed signum illud est longe petitum. Secundo, Vatablus putat, signum illud esse fiduciam ex affulgente quasi signo, atque testimonio divinæ bonitatis et favoris; perinde ac si expanso iam vexillo in illis triumphet Deus. Sed illa fiducia est interna, videtur autem hic loqui de signo externo, quod videntes præcavere possent arcum hostilem. Tertio itaque, arbitror per illam significationem intelligi nuntium velox de strage militum occisorum; quo admoniti finitimi Idumæis Iudæi, aliique, partim fugerunt *a facie arcus*, id est, ab arcu iam apparente et mox sagittas excussuro: 20. Quale signum dedit Deus in Idumæorum rebellione.

partim urbes suas munlverunt bono præsidio militum aliisque rebus, ut hosti non paterent. Vel signum illud arbitror fuisse cometam aliquem, aut simile signum aliquod cælcste, quod præsagiret cladem illorum militum, aut quod apparuit eo ipso tempore quo fiebat. Et hæc secunda expositio melior videtur. Nam, licet vox Latina conveniat primæ explicationi, et tamen non convenit Hebr. *nes*, quod significat signum et vexillum. Ubi adverte, quod ante bella luctuosa, cladesque magnas, solet Deus cometas, velut terrificas cæli linguas, varia forma ostentare: modo acontias, iaculi specie: modo xiphias, instar gladii: modo ceratias, cornu minaces: sæpe etiam cometæ sunt virgarum in morem radiati, qualem vidi illum qui anno 1618 apparuit, ac bella Germanica diuturna et horrifica portendit: tunc enim initium sumpserunt, et adhuc anno hoc 1648. durant; atque, quem finem sint habitura, nescimus. Ante clades maximas ab Antiocho Epiphane, aliisque, Iudææ illatas visi sunt in aere diebus quadraginta equites discurrentes, auratas stolas habentes, et hastas, quasi cohortes, armatos, et cursus equorum per ordinem digestos, et congressiones fieri cominus, et scutorum motus, et galeatorum multitudinem gladiis districtis, et telorum iactus, et aureorum armorum splendorem, omnisque generis loricarum, ut habetur lib. 1. Machab. c. 1. Ante excidium Ierosolymæ signa plurima oblata esse vide apud Iosephum de bello Iudaico, aliqui sic explicant, q. d. *Ut fugiant a facie arcus* triumphalis, quem Abisai vana gloria ductus erexit in Idumæa. Sed hoc non arridet.

Cometæ præsagiunt bella cruenta

21. Allegor. Signum crucis monet fugiendum a facie arcus.

Allegorice. Signum et vexillum quod ostendit et erigit nobis Christus, ut fugiamus a facie arcus, id est, punitionis, tum hic, tum præsertim in die iudicii, est signum Crucis. Ita S. Basilius, Theodoretus et Nicephorus, qui etiam addunt signaculum baptismi. Cum Deus ex Ægypto educturus esset populum suum, ea ipsa nocte iussit Iudæis, ut signum *tau* imprimerent postibus domorum, in quibus Agnum comedebant. Erat autem illud signum figura Crucis Christi, ut docet S. Cyprianus lib. 2. testim. contra Iudæos cap. 12. Et quidem postes cum superliminari exhibent formam Crucis, debebant enim tam superliminare, quam postes illud sustinentes tingi Agni Paschalis sanguine, qui ritus singulis annis postea in Paschate servatus est. Adde, littera *tau*, cuius forma exprimebatur, erat instar perfectissimæ Crucis, ut etiamnum est in lingua Æthiopica. Et olim apud Ægyptios eam ob rem littera *tau* erat vitæ symbolum, eamque Serapidis pectori insculpebant: sicut ex opposito funestum erat θ *theta* et Græcis et Latinis. Ezechielis cap. 9. v. 4. præcipit Deus angelo, ut Ierosolymæ signet pios lugentes peccata populi, iisque imprimat signum *tau*: deinde iubet sex angelis ultoribus ut signatis parcant, reliquos omnes non signatos gladio Chaldæorum trucident. Vide etiam Apoc. 7.

22. Tropol.

Tropolog. S. Hilarius significationem seu signum illud, quod dat Deus, ut fugiant omnes a facie arcus, et liberentur dilecti, ait esse signum fidei in cordibus, testimonii in operibus, victoriæ in martyriis. Verba eius sunt: *Metuentibus significationem dedit, vel signi in frontibus* (in baptismo) *vel fidei in cordibus, vel testimonii in operibus, vel gloriæ in confessionibus, vel victoriæ in martyriis, ut a facie arcus iræque fugiatur.*

Tribulatio est signum monens ut fugiamus a facie arcus.

Secundo, significatio illa, seu signum, quod dat Deus, ut fugiatur a facie arcus, et liberentur dilecti, est tribulatio. Ita S. Gregor. lib 19. Moral. cap. 28. *In arcu*, ait, *quando longe trahitur chorda, tanto de eo districtior exit sagitta. Sic nimirum sic extremi iudicii dies quanto longe differtur ut veniat, tanto cum venerit de illo districtior sententia procedit. Idcirco autem diversis nunc cladibus percutimur, ut his correcti pacatiores tunc inveniri valeamus. Unde illic præmissum est: Ostendisti populo tuo dura: flagella videlicet sæculi, quæ secuturum gravius iudicii diem præcurrunt. Potasti nos vino compunctionis, ut terrena gaudia in lacrymas verterentur: dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus, ac si diceret: Hoc tempus misericordia est, illud tempus iudicii erit: per ista ergo huius temporis flagella, significas quomodo tunc percussurus es, quando non parcens iudicas: qui sic districte modo percutis, quando parcis.* Et alio loco dicit: Sancti super se temporalem pœnam lucrum putant: quia per hanc æternam evadere non ignorant. Thomas Valcutinus serm. de S. Cosma: Tribulationes, ait, *calcaria sunt*, quæ faciunt nos currere ad Deum. Anastasius Nicænus quæst. in Scriptur. Ideo tentationes, ait, et afflictiones, et multi rerum casus eveniunt, ut *fræna innumerabilia* circumponantur animæ, quæ facile extollitur in superbia. Orig. hom. 27. in Numeros: Quid est, ait, quod quamvis grandes habeat anima profectus, tamen tentationes ab ea non auferuntur? Unde apparet, quia *velut custodia quædam et munimen*, ei tentationes adhibentur. Secundo, tribulatio et tentatio non tantum faciunt, ut quis fugiat a facie arcus; sed etiam, ut sit dilectus, et liberetur: *Ut liberentur dilecti tui*. Oseæ 11. 14. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis*, quod explanans Villanova in c. 6. Ezech. ad rem nostram applicat his verbis: In funiculis Adam traham eos: nempe doloribus et afflictionibus traham, quæ sunt mei erga illos amoris pignora: propterea addit, In vinculis charitatis: Ita ille. Tribulatio est annulus sponsæ manus circumdans et ornans, ac monile aureum collum eius constringens et dilecto alligans. Ludovicus Blosius in monili spirituali, cap. 9. *Sancta Gertrudis divinitus*, inquit, *intellexit, quod quemadmodum annulus est signum dispensationis: ita adversitas tam corporalis quam spiritualis propter Deum tolerata, est verissimum signum divinæ electionis, et quasi desponsatio animæ cum Deo: in tantum, ut gravatus quisque possit dicere hæc verba: Annulo suo subarrhavit me Dominus Deus meus Iesus Christus. Quod si inter ipsa adversa potest dono Dei etiam laudare Deum, et ei ex animo gratias agere, iam tamquam sponsa amabilis coronam obtinet a Domino: quia gratitudo animi in adversis, est ornatissima atque pretiosissima corona animæ.* Itaque ipsa tribulatio prosperitas est, ad Deum enim nos ascendere facit, eique coniungit. S. Laur. Iustin. lib. fasciculi amoris, cap. 14. dicit, humani animi Deo dicati *ornatissimum ascensum*, sive ad perfectionis culmen, seu ad contemplationem cælestium esse, ut salubriter purgetur, deinde ut erudiatur sapienter. Purgationem autem fieri per tentationes et afflictiones fuse edocet. Et tract. de incendio divini amoris cap. 4. testatur miro se Crucis et dolorum amore inflammari; sic enim loquitur: Hanc ergo Domine, acerbissimam et ignominiosissimam passionem, *da mihi in sponsam vinculo indissolubilis charitatis*. Super omnes consolationes et delicias adamavi eam. Ita ille, ac paulo post subdit: Scias, mi Domine, quia omnia mihi vilescunt pro ipsa: pro ipsa omnia tibi restituo, et do mihi vulnera tua: *Hæc super cælum ambit cor meum, super ignem accendunt affectum meum*, super aerem fœcundant sermonem meum, super aquam emolliunt animum meum, super terram stabiliunt affectum rectum. Hæc avibus et piscibus utiliora, fructibus suaviora, arboribus, oleribus et floribus amœniora: auro, argento, et lapidibus pretiosis pretiosiora. Imo certe hæc in comparatione tuæ beatissimæ passionis nihil et vanitas sunt. Hanc volo Domine, hanc volo, hanc tribue mihi uxorem. Non peto pulchritudinem cæli, sed ignominiam tui: non mundi divitias, sed tuas angustias. Cito Domine tribue eam: iam amplius nolo nec possum differre. Consentiat in me, quia consentio in eam, et erit charitas consummata. Intrent cor meum vulnera tua, et ipsa intret in intima mea, et erit matrimonium consummatum. Hæc Laur. Iustin. mirabiliter amore Crucis ardens. Idem lib. de casto connub. verbi et animæ docet cap. 6. tribulationem esse divini amoris erga nos signum. Verba eius sunt: *Est quidem in iustis tribulatis amoris indicium futuræ beatitudinis præsagium, et prædestinationis testimonium. Non absque spinis redolens nascitur rosa, neque sine tribulationibus perficitur virtus. Ambo connexa sunt. Factum est*, inquit Scriptura, *vespere et mane dies primus. Virtus enim languet, nisi exerceatur, lacessita autem crescit. Ignis quo plus agitatur, plus serpit: videmus sylvestres feras, cum irritantur, indomitas fieri: cum vero quiescunt, mansuescere.*

23. Tribulatio est signum divinæ electionis.

24. Nota amoris est divini, quod det nobis significationem, ut fugiamus prius quam feriat. Hoc fecit primo post Adæ peccatum: ut enim illum excitaret ad dolorem, non ex improviso illum occupat, sed vocem edit, et cum fragore deambulat in Paradiso, ideo abscondit se Adam trepidus, et cum dolore crimen confessus est, atque veniam meruit, Gen. 3. Secundo, cum statuisset Deus diluvio orbem perdere propter hominum scelera, significationem dedit Noemo imperans centum et viginti annis antea illud ei prædicens, ut cæteros admoneret, Gen. 6. 3. *Dixitque Deus: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est: eruntque dies illius centum viginti annorum*, id est ut explicant S. Hieron. S. Chrysost. S. Augustin. ab hoc tempore quo loquor tecum, restant adhuc tantum 120. anni, postea per diluvium delebo omnem carnem. Cum Noemum hæc monentem veluti delirum senem, gigantes, aliique irriderent, præcepit ei Deus ut arcam ædificaret, in qua cum filiis et uxore salvaretur. Totos centum annos eam extruxit, ut Origen. ait lib. 4. contra Celsum, et S. August. lib. 15. de civit. cap. 27. ut hæc videntes peccatores magis crederent et converterentur. Tertio, ad Sodomitas misit duos angelos, priusquam illos concremaret, Gen. 19. Ad Pharaonem misit Mosem, qui varia miracula patraret, antequam eum et Ægyptios in mari rubro sepeliret, Exod. 3. et seqq. Illis monitionibus non sapuerunt, sed ad prædicationem Ionæ sapuerunt Ninivitæ, et veniam impetrarunt, Ion. 3. Et David noster a Nathan Propheta redargutus lib. 2. Reg. 12. 13. et a Gad Propheta ob numeratum populum, ibid. cap. 24. 17. Benignitatem Dei admonentis Amos edocet c. 3. 6. *Si clanget tuba in civitate, et populus non expavescet? Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus? quia non facit Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas. Leo rugiet, quis non pavebit?* Tempestates in mari prædicit Deus certis signis, ut periti nautæ cito et opportune sibi consulant, aliquot refert Plin. lib. 2. cap. 26. atque inter cætera dicit: *Præsagiunt et animalia. 1. Delphini tranquillo mari lascivientes flatum, ex qua parte veniunt; item spargentes aquam, item turbantes tranquillitatem. 2. Loligo volitans. 3. Conchæ adhærescentes. 4. Echini affligentes sese, aut arena saburrantes, tempestatis signa sunt. 5. Ranæ quoque ultra solitum vocales. 6. Et Fulicæ matutino clangore. 7. Item Mergi Anatesque pennas rostro purgantes, ventum: cæteræ aquaticæ aves concursantes. 8. Grues in mediterranea festinantes. 9. Mergi maria aut stagna fugientes. 10. Grues silentio per sublime volantes, serenitatem. 11. Sic Noctua in imbre garrula, at sereno, tempestatem. 12. Corvique singultu quodam latrantes, seque concutientes, si continuabunt ventos: si vero carptim vocem resorbebunt ventosum imbrem. 13. Graculi sero a pabulis recedentes hyemem. 14. Et albæ aves cum congregabuntur. 15. Et cum terrestres volucres contra aquam clangores dabunt perfundentes sese, sed maxime Cornix. 16. Hirundo tam iuxta aquam volitans, ut penna sæpe percutiat. 17. Quæque in arboribus habitant, fugitantes in nidis suis. 18. Et Anseres continuo clangore intempestivi. 19. Ardea in mediis arenis tristis. 20. Pecora exultantia, et indecora lascivia ludentia, eamdem* SIGNIFICATIONEM *habent. 21. Et Boves cælum olfactantes, seque lambentes contra pilum. 22. Turpesque porci alienos sibi manipulos fœni lacerantes. 23. Segniterque, et contra industriam suam absconditæ formicæ, vel concursantes, aut ova progerentes. 24. Item vermes terreni erumpentes. 25. Trifolium quoque inhorrescere, et folia contra tempestatem subrigere certum est:* ita ibi. Cum itaque Deus vilissimis animalculis mentem dederit præsagam tempestatum et pluviæ; ut et sibi provideant, et hominem commoneant; ut pecori segetibus, aliisque caducis bonis prospiciat: longe magis eum admonere voluit, ut animæ suæ consulat, atque æternitati provideat, ne naufragium faciat in æterno turbine et tempestate.

Deus prius monet quam feriat.

25. QUARTO denique, tribulatio est in triumpho corona et splendor: id est, dat coronam et splendorem, v. 7. SALVUM FAC DEXTERA TUA, ET EXAUDI ME. Tribulatio non prius athletam suum deserit, quam illum ad cælestem metam duxerit, et pulvere excusso corona cinxerit. S. Gaudentius præfatione in tractatus suos vocat Iobi patientiam *triumphalem*. Proprium enim afflictionis fortiter toleratæ est salutem dare. Unde cum Isaiæ 49. 8. legatur: *In die salutis auxiliatus sum tui*. Chald. vertit, *et in die tribulationis suscito salutem*. Ut tribulatio et salus idem esse videantur, Primo, tribulatio salutem dat, iustum in cælos erigens. Quare, ubi Noster vertit Ps. 24. 17. *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt*, S. Hier. vertit, *Tribulationes cor meum sursum ferre fecerunt*. Aquæ diluvii arcam elevabant in sublime, et illam deposuerunt in montibus Armeniæ, quæ significat elevatam, et montem doni. Secundo, cælo ipso superiorem facit tribulatio, et ad Dei solium elevat. S. Chrysostomus in illud Pauli epist. ad Ephes. 3. 1. *Ego Paulus vinctus Christi Iesu*, ait, vinctum esse Iesu, dignitatem esse quæ omnes superet: *Magna*, inquit, *et quæ vim magnam habet dignitas, et regno, et consulatu, et quibusvis aliis maior*. Hoc in numis suis declaravit S. Ludovicus post captivitatem suam, ut alias dixi. Sed pergit Chrysostomus: *Vinctum esse propter Christum est præclarius, quam esse Apostolum, quam esse Doctorem, quam esse Evangelistam. Si quis amat Christum, novit quod dicitur*. Et admirans Paulum vinctas manus Ephesiis ostendentem, dicit, παντος χρυσου λαμπροτερας και παντος διαδηματος βασιλικου: *Quovis auro splendidiores eis ostendebat manus, et quovis regali diademate. Non enim tam splendidum facit caput vitta ex gemmis composita et imposita, quam catena ferrea propter Christum. Tunc erat regiis vinctorum carcer plæclarior* και αυτου ουρανου, *atque adeo ipso cælo. Quid dico regiis? habebat enim vinctum Christi. Si quis Christum diligit, novit hanc dignitatem, novit hanc virtutem*. Vides sanctum hunc Patriarcham Paulo supparem præ admiratione exultantem, et extra se raptum, atque amore vinculorum pro Christo ferendorum inardescentem, quod paucis interpositis declarat: *Si quis me*, ait, *apud superos collocaret cum angelis, aut cum Paulo vincto in carcere, eligerem carcerem et vincula. Si quis me faceret unum ex Potestatibus, quæ sunt circa cælos, aut circa thronos, aut talem vinctum, potius optarem talis esse vinctus. Nihil est illa catena beatius*. Quid ad tribulationum laudem dici potest cumulatius? Denique concludit: *Nihil est melius, quam male pati propter Christum. Non tam beatum existimo Paulum, quod raptus sit in Paradisum, quam quod coniectus sit in carcerem. Non tam eum censeo beatum, quod raptus sit in tertium cælum, quam eum censeo beatum propter vincula*. Tertio denique, tribulationi Deus imponit coronam æternam in cælo. S. Ambr. lib. de Elia et ieiunio, eumdem Paulum in agone certantem et coronatum considerans ait: *Athletæ sumus, legitime certandum est. Multa certamina sunt: et qui hodie victus est, cras se reparet. Ante bravium contenditur ad coronam. Postea numquid athleta otio vacat, cum semel dederit certamini nomen suum? Exercetur quotidie, ungitur quotidie. Ipse cibus ei agonisticus datur, disciplina exigitur, castimonia custoditur. Et tu dedisti nomen tuum ad agonem Christi, subscripsisti ad competitionem coronæ, meditare, exercere, ungere oleo lætitiæ, unguento exinanito. Cibus tuus cibus sobrietatis sit, nihil habeat intemperantiæ, nihil luxuriæ. Potus tuus, parcior, ne quid ebrietatis obrepat: custodi corporis castimoniam, ut possis esse habilis ad coronam*. Ita ipse, qui in assumpta cursorum allegoria perseverans subdit: *Progressus in scamma, necesse est ut excipias pavorem, subeas æstivi solis flagrantiam. Gravis æstus, sed dulcis victoria. Molesta caligo pulveris, sed speciosa tolerantia. Nemo stadium pulverulentus ingreditur, sed pulverulentum reddunt certamina. Ubi colligitur pulvis, ibi palma proponitur. Nemo iterum nitidus coronatur, pulverulentum decet victoria. Veni ergo Domine Iesu, exeat corona tua:* hæc Ambrosius.

Vers. 7. Tribulatio est in triumpho corona.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

26. *Tria continet. Primo, ait David se imperare pacifice duodecim Tribubus Israel, vers. 8. Secundo, nationes etiam externas se domuisse, et domiturum Idumæam, vers. 10. Tertio denique, orat Deum, ut post acceptam cladem sibi det perfectam de Idumæa rebelli victoriam, vers. 11.*

PARAPHRASIS.

8. *Deus locutus est in Sancto suo: lætabor, et partibor Sichimam, et convallem tabernaculorum metibor.*

8. Neque est cur pristinarum me calamitatum recordatione excruciem: Deus enim in sanctuario suo mihi inter orandum, et per sacerdotem indutum veste Pontificia; revelavit fore, ut longe lateque imperem, quod nunc ex parte impletum video. Nam mihi subduntur decem Tribus quæ Isbosetho Saulis filio parebant. Ac primo, Sichima ipsa, et tabernaculorum vallis, quæ Iacob pater noster possedit, meæ sunt.

9. *Meus est Galaad, et meus est Manasses, et Ephraim fortitudo capitis mei, Iuda rex meus.*

9. Galaaditis, in qua regiam sibi Isboseth posuerat, mihi obedit et regio tota, quam Manasses et Ephraim filii Ioseph, eorumque posteri in bello fortissimi, ac robur exercitus mei, et vitæ meæ protectio, occuparunt. Tribus autem Iuda, cui regia dignitas promissa est, peculiari me amore cultuque prosequitur.

10. *Moab olla spei meæ: in Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ subditi sunt.*

10. Moabitæ quoque, Lothi progenies, a me subacti, affatim mihi meoque populo pecora ad cibum ex opimis pascuis suis suppeditant. Fines imperii mei usque in Idumæam proferam, eamque licet montibus asperam victori pede decurram, cum iam in valle Salinarum de ea victoriam insignem retulerim. Philisthæos variis præliis fractos domitosque sub iugum misi.

11. *Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumæam?*

11. Quis me, exercitumque meum, in civitatem Bosram Idumææ munitissimam arcem et metropolim deducet victorem, et totam mihi Idumæam subiiciet?

12. *Nonne tu Deus qui repulisti nos, et non egredieris Deus in virtutibus nostris?*

12. Tu solus id potes præstare, et præstiturum spero, licet nos reieceris permissa militum nostrorum strage per Idumæos; et subtracto auxilio tuo ab exercitu, quem in præsidium illius provinciæ reliqueram.

13. *Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis.*

13. Cum attritos nos videas, et a te uno auxilium sperantes, cladem illam illustri victoria compensa: quidquid enim ab humanis viribus opis sperare possum, id totum evanidum est ac futile.

14. *In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.*

14. Deo freti fortes nos et invictos præstabimus: magnaque, et ardua intrepidi moriemur. Ipse enim perfecta hac nostra fiducia, imbelles licet, ita roboravit, ut affligentes nos penitus proterat.

QUÆSTIO UNICA.

QUAM MIRABILIS IN ECCLESIA STATUUM VARIETAS, ET PER TRIBULATIONES DILATATIO.

27. *Ordo Sectionis.* Sectione prima David cladem in Idumæa acceptam deploravit. Nunc animum suum erigit, partim consideratione suæ potentiæ, partim divini auxilii.

Ac primo, dicit se imperare, Primo decem tribubus, ac præsertim tribui Ephraim et tribui Manasse filiorum Ioseph, qui loco Ruben ius primogenituræ acceperat: et consequenter, cui regnum illarum tribuum deberi videbatur, ut postea datum est, v. 8. *Deus locutus est*, etc. Secundo, dicit se imperare tribui Iuda, v. 9. *Iuda rex meus.* Tertio, habere sub se externos etiam populos: nempe Moabitas, v. 10. *Moab olla spei meæ.* Et Philisthæos: itaque se non desperare de domandis Idumæis: *In Idumæam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ subditi sunt.*

Secundo, humana hæc reiiciens præsidia, dicit, se a Deo solo robur expectare, v. 11. *Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumæam?* Et v. 12. *Nonne tu Deus?* Licet passus sis milites iam dictos occidi: *Qui repulisti nos, et non egredieris Deus in virtutibus nostris.* Auxilium itaque ab eo postulat, humiliatus illa calamitate, v. 13. *Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis.* Et sperat victoriam, v. 14. *In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.*

ARTICULUS I.

Status coniugatorum, Religiosorum et Clericorum.

28. DAVID animum suum accepta clade deiectum erigens, ait se multis dominari, ac primo sub se habere decem tribus, quas synecdochice intelligit per tribus filiorum Ioseph. Sic autem loquitur, v. 8. DEUS LOCUTUS EST IN SANCTO SUO (id est, per me sanctum Prophetam suum, ait Bellarminus; 2. per Spiritum suum sanctum, ait Iansenius; 3. per suam sanctitatem, qua mentiri non potest: ita idem Iansen. et R. David Kimhi; 4. et melius in sanctuario suo: ita Lindan. et Titelm. hoc autem fiebat, sive per vocem angeli sedentis super propitiatorium aureum in Sancto sanctorum, id est, in loco sanctissimo templi: et hoc indicat Petavius, cum vertit: *Talis e sacris adytis Dei prodiit vox.* Et Magn. *Veri certissimus auctor ex adytis responsa dedit*: sive per sacerdotum indutum Ephod: id est, veste pontificia cum superhumerali, et rationali, in quo erant Urim et Tummim. Sic enim indutus sacerdos oracula fundebat, et de futuris dabat responsa) LÆTABOR, ET (id est quia) PARTIBOR SICHIMAM (tamquam dominus pagos eius, et agros dividens) ET CONVALLEM TABERNACULORUM METIBOR, id est, vallem Socoth, in quam primo venit Iacob rediens ex Mesopotamia cum uxoribus, liberis, et tota familia sua, anno ætatis suæ 99. Isaaci patris sui 159. Imperii Assyriorum 366. mundi 2297. ante Christum 1756. In ea valle fixit Iacob tabernacula seu tentoria, ut ibi maneret: unde nomen loco dedit Socoth, id est tabernacula, ut dicitur Genes. 33. 17. ubi postea ædificata est urbs Socoth, quæ sita est in tribu Gad, iuxta Iacob et Scythopolim, teste S. Hieron. in locis Hebraicis. Per octo vel decem annos Iacobum in valle Socoth habitasse volunt Torniellus, Abul. et Sethus Calvisius, sed melius Hebræi in Seder Olam c. 2. et Genebr. dicunt, ibi hæsisse per octodecim circiter menses: inde vero abiisse in Sichem usque ad cladem Sichimitarum, iis a Levi et Simeone illatam ob stupratam Dinam: quod contigit anno ætatis Iacobi 107. Dinæ et Iosephi 17. Simeonis 22. Levi 21. Itaque manserunt prope Sichem annis octo circiter, postea perrexerunt in Bethel, inde in

Vers. 8. — *Vallis Socoth.* — *Quamdiu ibi mansit Iacob?*

Bethlehem, deinde versus Hebron, ad Turrim gregis: ad A extremum Iacob venit in Hebron ad patrem suum Isaacum cum tota familia sua.

29. Sichima. Quæres, quænam urbis sit Sichima? S. Hilarius, Bellarminus, Lorin. et alii volunt esse eamdem civitatem, quæ postea dicta est Samaria. Secundo, et melius, Salianus tom. 1. Annal. et Cornel. ac Toletus in Ioan. id negant. Sichem enim eadem fuit cum Salem. Hebræi autem dictam volunt Salem, quia ibi sanatus est Iacob a claudicatione sua. Nam Salem significat salvum et integrum. Sichem porro, quæ et Sichima, et Sichimi, et corrupte Sichar: atque ut nonnulli suspicantur, Ephron vocata fuit, sita erat in monte Ephraim, amœnitate et deliciis abundans. Anno mundi 3060. Troiæ excisæ 189. ante Christum 993. urbs hæc a Ieroboam faciente schisma a Roboam filio Salomonis, sibique regnum decem tribuum, sive Israelis usurpante, facta est regionis Samariæ Metropolis, totiusque regni caput: postea tamen ab Amri hæc dignitas translata est in urbem Samariæ, anno mundi 3112. fundati templi 90. Troiæ excisæ 241. deinde tem- B pore Alexandri Magni rursum Sichem facta est caput Samariæ, teste Iosepho lib 11. Antiqu. cap. 15. Tempore Christi Sichem corrupte dicebatur Sichar, hodie Pelosa vel Napolosa vocatur. Urbs hæc in Scriptura multis heroicis factis est memorabilis. Abraham, ait Toletus, migrans ex Mesopotamia in Chanaan, primo venit in Sichem: ibique primum altare ædificavit Domino, et terræ illius promissionem accepit, ut habetur Gen. 12. et 13. Iacob etiam revertens ex Mesopotamia cum uxoribus et filiis, in Sichem fixit tabernaculum; et ibi emit partem agri a filiis Hemor, Gen. 33. Ibi Dina corrupta est a filio regis Sichem, et facta est occisio magna a filiis Iacob, Gen. 34. Sichem constituta fuit asylum et refugium fugitivis, Iosue 20. Ibi decem tribus, propter stultitiam Roboam, recesserunt a Iuda, 3. Reg. 12. Ossa Ioseph in Sichem sepulta sunt, ut habetur Iosue ult. S. Hieronymus tractat. de locis Hebr. eamdem dicit Sichem et Salem: unde sequitur Melchisedech typum Christi, etiam huius C urbis regem extitisse. Salianus vult Sichimam esse urbem Idumææ, et vallem tabernaculorum esse vallem salinarum. Sed non assentior.

Quæres secundo, cur eius specialem mentionem hic facit David? Resp. quia ibi diu mansit Iacob, et agrum emit a filiis Hemor, quem post cladem illatam Sichimis relinquere coactus, postea recuperavit vi et armis, inde Amorrhæos expellens: ibique sepultus est cum uxore sua Lia, anno 2345. Secundo, et præcipue, mentionem Sichimæ facit, quia Iacob dedit speciali iure possidendam Iosepho filio suo, et posteris eius, Gen. 48. 22.

30. Galaad. dis regio. Quæres tertio, quid sit Galaad? Resp. S. Hieronymus, tract. de locis Hebraicis, Galaad mons est, ad quem septimo die profectionis e Charan Iacob profugus venit. Est autem ad tergum Phœniciæ et Arabiæ, collibus Libani copulatus, extenditurque per desertum usque ad eum locum, ubi trans Iordanem habitavit olim Seon rex Amorrhæorum. Cecidit supradictus mons in sortem filiorum Ruben, Gad, et dimidiæ Tribus Manasse. Sed et Ieremias D loquitur: Galaad tu mihi initium Libani. A quo monte et civitas, in eo condita sortita est vocabulum, quam et cepit de Amorrhæorum manu Galaad filius Machir, filii Manasse: ita Hieronymus. Mons Galaad, ait Pererius in c. 32. Genesis, qui a Ptolemæo vocatur Hippus, montium omnium qui trans Iordanem sunt, altissimus est: quinquaginta circiter milliaria longus: ab Austro iuxta civitatem Iacr., rupesque Harnon initium sumit: et versus Septemtrionem, per duo regna, Amorrhæorum scilicet ac Basan: ad Orientem vero per deserti loca, diversis cacuminibus usque ad Libanum montem porrigitur, et in diversis locis diversa sortitur nomina. Namque a rupibus Arnon usque ad civitatem Cedar, vocatur Galaad, qua parte cæteris fertilior, et altior est, ut hic ob loci eminentiam, reliquarum partium caput esse videatur. Deinde vero, quo usque Bosram, sive Phialam fontem protenditur, Seir vocatur. Hinc porro Trachonitidem regionem circumiens, Hermon appellatus est, et e regione Cæsareæ Philippi usque ad Damascum excurrens, Libano monti iungitur; quam ob causam Ieremias ipsum vocavit caput Libani. Antecedit hic mons fertilitate et ubertate alios omnes qui ultra Iordanem sunt montes: est enim arborum, aromatum, et graminis feracissimus. Abundat pinis ubertim resinam sudantibus, quæ quidem optima et laudatissima olim habebatur, vel teste ipso Ierem. cap. 8. 16. *Numquid resina*, inquit, *non est in Galaad, aut medicus non est ibi? quare ergo non est obducta cicatrix filia populi mei?* Et alio loco: *Ascende in Galaad, et tolle resinam, virgo filia Ægypti: frustra multiplicas medicamina, sanitas non erit tibi.* Est enim resina humor ex arboribus, præsertim pinis distillans, cuius medicamine vulnera curantur. Quæ fuerit causa, cur isti monti fuerit positum nomen Galaad, narratur Genes. 32. 48. Iacob enim fœdus percussurus cum socero suo Laban, strui iussit acervum sive tumulum lapidum, super quo epulantes fœdus invicem inierunt; et inde acervum illum appellarunt acervum testimonii: sed uterque secundum proprietatem linguæ suæ. Nam Laban Syriace vocavit *iegar sahaduta*, Iacob vero Hebraica lingua nominavit *galed* sive *galaad*, utroque autem vocabulo tam Syro quam Hebræo idem significatur, nempe acervus testimonii: quod ille acervus lapidum futurus esset in posterum percussi fœderis inter eos monumentum, ac velut testimonium. Ex eo vero factum est, ut etiam mons ipse, in quo id gestum erat, simili etiam nomine appellaretur, nec solum mons, sed etiam civitas in eo condita, et regio ei adiacens.

Alleg. Christus hic loquens dicit suam esse Sichimam, id est, gentes: ibi enim Iacob abscondit idola sua: 2. suam esse convallem tabernaculorum, hoc est, Iudæos: ibi enim fuerunt oves Iacob: 3. suum esse Galaad, id est, Martyres: nam Galaad significat acervum testimonii: Martyr autem est testis: ita S. Augustinus. Verba eius sunt: *Sichima, humeri interpretatur. Secundum historiam vero, Iacob rediens a Laban socero suo cum omnibus suis, abscondit idola in Sichima, quæ habebat de Syria, ubi diu peregrinatus tandem aliquando inde veniebat. Tabernacula autem fecit ibi propter oves suas et armenta, et appellavit locum illum tabernacula. Et hæc, inquit Ecclesia, dividam. Quid est hoc, dividam Sichimam? Si ad historiam, ubi abscondita sunt idola referatur, gentes significat. Divido gentes. Quid est divido? Alii credent, alii non credent, sed tamen non timeant qui credunt, inter illos qui non credunt. Divisi sunt enim nunc fide, postea dividentur in iudicio: oves ad dexteram, hædi ad sinistram. Ecce invenimus quemadmodum Ecclesia dividat Sichimam: quomodo dividit humeros? Secundum nominis interpretationem dividuntur humeri, ut alios gravent peccata sua, alii tollant sarcinam Christi. Humeros enim pios quærebat, cum diceret,* Matth. 11. *Iugum enim meum suave est, et sarcina mea levis est. Alia sarcina premit et aggravat te, Christi autem sarcina sublevat te. Alia sarcina pondus habet, Christi sarcina pennas habet. Nam et avi si pennas detrahas, quasi onus tollis, et quo magis onus abstulisti, eo magis in terra remanebit. Quam exonerare voluisti, iacet, non volat, quia tulisti onus: redeat onus, et volat. Talis est Christi sarcina. Portent illam homines, non sint pigri: non attendantur illi, qui eam ferre nolunt: ferant illam qui volunt, et invenient quam sit levis, quam suavis, quam iucunda, quam rapiens in cœlum et a terra eripiens. Dividam Sichimam, et convallem tabernaculorum dimetiar. Forte propter oves Iacob, convallis tabernaculorum intelligitur gens Iudæorum, et ipsa dividitur. Nam transierunt inde qui crediderunt, foris reliqui remanserunt.* Deinde pergit explicare, quid sit Galaad mystice. Meus est Galaad, inquit: Galaad habet interpretationis suæ vocem et magni sacramenti: interpretatur enim acervus testimonii. Quantus acervus testimonii in Martyribus? Meus est Galaad, meus est acervus testimonii, mei sunt Martyres veri: ita August. Adumbratum vetus te-

stamentum in Sichima, quæ fuit primum et præcipuum prædium Iacob putat S. Ambr. in Ps. 41.

32. Symbol. Symbolice. Tres Ecclesiæ status in his tribus designantur. Primo, in Sichima coniugati. Secundo, in tabernaculorum convalle, religiosi. Tertio, in Galaad, sacerdotes seu clerici.

Sichimitæ sunt symbolum coniugatorum. Ac primo, Sichima quam interpretantur humerus, humerosa, onerosa denotat iugum et onus matrimonii. Coniugati sunt Sichimitæ, q. d. Onus humeris ferentes. S. Paulus 1. Corinth. 7. 8. *Tribulationem carnis habebunt huiusmodi,* id est, onera coniugii, liberorum, et familiæ. S. Augustinus ideo nulli coniugem et coniugium suasit, ut Possidius in eius vita cap. 27. ait, quod hæc tria homini Dei servanda monebat. Primum, ut uxorem cuipiam nunquam posceret. Secundum, ut militare volentem, ad hoc non commendaret. Tertium, ut in sua patria petitus ad convivium non iret: causamque singulorum dabat. Primi, ne dum inter se coniugati iurgantur, eum maledicant per quem coniuncti sunt. Secundi, ne militiæ commendatus male agens suam culpam suffragatori tribueret. Tertii, ne per frequentiam in patriæ conviviis constitutus, temperantiæ amitteretur modus.

Laus matrimonii. Iugum tamen illud computrescit a facie olei, et gratiæ Dei. Tertull. lib. 2. ad uxorem, cap. 9. *Quale*, inquit, *iugum fidelium duorum, unius spei, unius voti, unius disciplinæ, eiusdem servitutis? His Deus pacem suam mittit: ubi duo, ibi et ipse; ubi et ipse, ibi malus non est.* Vinum suavitatis Deus castis affundit nuptiis: in eam rem Christus nuptiali convivio adfuit in Cana Galilææ, ut hæreticorum ora nuptias damnantium obstrueret, ait S. Epiphan. hær. 67. et ibi aquam in vinum mutavit, ut intelligerent omnes Deum familiæ sustentationi provisurum, et molesta in lætitiam mutaturum, si Christus et Virgo advocentur. Laudatur matrimonium Primo in Scriptura, Genes. 2. 24. Matth. 19. 4. Marc. 10. 11. 1. Cor. 7. 2. Secundo in Conciliis. Nam Concilium Gangrense can. 1. dicit anathema ei, qui matrimonium vituperat; can. 9. ei qui a matrimonio, tamquam abominando recedit; can. 10. in eos qui uxores ducentibus insultant; can. 14. mulieri virum relinquenti. Concilium Bracarense primum can. 11. anathema dicit iis, qui coniugia damnant, ut Manichæi aliique hæretici faciebant: et quidem Severus hæresiarcha fœminam a Satana factam esse mentiebatur, eosque qui illi iungebantur, Satanæ opus adimplere, atque ea de causa nuptias dissuadebat, ut docet Niceta lib. 4. orthodoxæ fidei hær. 17. Tertio matrimonium laudatur a Patribus. Clemens Alex. lib. 3. Strom. vocat sanctum matrimonium. S. Fulgentius epist. 3. ad Probam cap. 9. Dei opus, et Dei donum. S. Gregorius in Ps. 4. pœnit. opus castum. Thomas Argentinensis lib. 4. distinct. 26. quæst. 1. medium sanctitatis. Ex his inferri facile possunt, quæ ait Apostolus Ephes. 5. 28. et seqq. de charitate coniugatorum, ubi etiam Apostolus vocat matrimonium, magnum Sacramentum. S. Amphilochius Iconii Episcopus, S. Gregorii Nysseni æqualis, qui floruit circa annum 380. quemque S. Hieronymus parem in doctrina sacra et prophana facere videtur S. Basilio et S. Gregorio Nazianzeno, homil. in Purificationem Deiparæ sic ait: *Nuptiæ honoratæ sunt, et quovis terrestri dono superiores, fœcundæ arboris similitudinem præ se ferentes. Est enim coniugium ipsum tamquam planta quædam pulcherrima, ex qua virginitas ipsa nascitur, et rationalia animataque germina producuntur.* Origenes lib. 8. in Epistol. ad Roman. dicit, eos qui in coniugiis positi sunt, et ex consensu vacant orationi, si in cæteris sancte agant et iuste, corpora sua exhibere posse hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. Iunilius Africanus Episcopus, qui floruit circa Christi annum 545. *Nuptias*, inquit, *ad propagationem generis humani, terramque replendam supernæ gratia benedictionis instituit.* Quarto, matrimonium laudatur præsertim ab Imperatoribus et regibus. Iustinianus Imperator, Authent. 22. de nuptiis, Matrimonium, ait, humano generi videtur immortalitatem artificiose introducere. Et Novella 140. *Nihil in rebus mortalium perinde venerandum est atque matrimonium: quippe ex quo liberi, omnisque deinceps sobolis series existat, quod regiones et civitates frequentes reddat, unde denique optimæ Reipublicæ coagmentatio fiat.* Leo Imperat. Constitutione 26. matrimonium vocat, magnum excellensque donum. Theodoricus vero Italiæ rex apud Cassiodorum lib. 2. ep. 10. genialis thori reverendam societatem. Et ep. 10. *Inter cætera*, inquit, *humani generis pondera, coniugalis affectus curam sibi præcipuam vendicavit non immerito: quia in honore esse meretur, unde reparatio posteritatis acquiritur.* Ubi adverte, quod sanctum est in Ecclesia Dei coniugium. Neque enim columba casta admittit sordes Reipublicæ Platonicæ, in qua uxores volebat esse communes. Nec tolerat Cypriorum infamiam, qui nupturas virgines suas ad littora demittebant, ut vulgato corpore sibi dotem quærerent, teste Iustino lib. 18. quod etiam puellæ Punicæ faciebant in oppido Sica in fano Veneris, ut tradit Valer. Maxim. lib. 2. cap. 1. et Armeniæ, in templo vetustissimo et sanctissimo Deæ Anaitidis, ut habes apud Strabonem lib. 11. Dæmon enim, instar Scarabæi sibi in stercore complacet; Deus vero, sicut rex apum, inter lilia pascitur; Mansonius homines comparat apibus, quæ solæ non vivunt. Sic autem loquitur in libro, An Philosophum impediant nuptiæ: *Fatearis*, ait, *humanum genus apiculæ simillimum esse, quæ sola vivere nequit: perit enim, si relinquatur sola.* Videant igitur, qui de matrimonio cogitant, ut sint apes antequam nuptias ineant. Carolus Magnus præclare lib. 6. Legum cap. 300. Sciendum, est ait, omnibus, et firmiter tenendum, quod hi qui uxores ducere voluerint, sicut eas castas et incorruptas cupiunt invenire: sic ad eas casti et incorrupti debent accedere, easque cum benedictione Sacerdotis, sicut in Sacramentario continetur accipere: sed prius eas dotali titulo debent colligare: ita ibi. In ipso autem coniugio adhuc accuratius servent castitatem. Syricius Papa epist. 1. inter sacrilegia numerat, si quis coniugalem fidem violarit: *Illa*, inquit, *benedictio, quam nupturæ sacerdos imponit, apud fideles cuiusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur.*

Secundo, per convallem tabernaculorum, quæ erat prope Sichimam, et in qua Iacob fixis tentoriis, pavit oves suas multis annis, figuratur status religiosorum, qui Primo sunt in valle, ob humilitatem. Secundo, in convalle, ob charitatem. Tertio, ibi habitant in tabernaculis, quia non habent civitatem permanentem. Quarto, ibi pascunt oves, id est, passiones. Quinto, et oves Iacob, id est, luctatoris, ob mortificationem continuam. Ut enim ait S. Gregorius in Ps. 3. pœnit. *Retributionis æternæ gaudium nequaquam in cælo colligitur, nisi prius in terra cum fletu, et gemitu, et amaritudine seminetur, sicut scriptum est Psal. 125. 6. Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos. Sicut enim carne quiescente spiritus deficit, ita ea laborante convalescit. Et quemadmodum carnem mollia nutriunt, ita animam dura ad alta sustollunt. Illa namque delectationibus pascitur, hæc amaritudinibus vegetatur. Denique illam lenia refovent, istam vero aspera exercent. Et rursum sicut carnem dura convulnerant, ita spiritum mollia necant: et sicut carnem laboriosa atterunt, ita spiritum delectabilia angustant.* De status religiosi bonis vide dicta Ps. 35. sect. ult. et Ps. 132. 1. sufficiat nunc S. Isidorus lib. 2. epist. 132. *Bonum*, ait, *est matrimonium, at melior virginitas: pulchra est luna, at sol præstantior.* Theophylactus in 1. ad Timoth. c. 4. auro virginitatem, argento matrimonium comparat. 33. Vallis tabernaculorum symbolum Monasteriorum.

Tertio denique, mons Galaad altissimus, abundans arboribus aromaticis et rasina, in quo Laban et Iacob pepigerunt fœdus, est symbolum sacerdotii. Primo, ob altitudinem, quia superat omnes alios montes illius regionis. S. Chrysost. in Ps. 117. vocat, ὑπερέχουσαν ἱερωσύνην superexcellens sacerdotium. S. Dionysius de Eccl. Hier. c. 1. ἱερωσύνην ὑπερκειμένην, sacerdotium eminentissimum. Et de cælest. Hier. cap. 1. vocat, ἀρότητα, summitatem. 34. Galaaditarum mons symbolum sacerdotii.

S. Gregorius 23. Moral. 12. sublimitatis culmen. S. Cyrillus in Michæam vult sacerdotes dici montes æternos, ob sacerdotii amplitudinem locatos in summo gradu et gloria. Secundo, ob etymon: *Galaad* enim est *acervus testimonii*. Sacerdotum autem est testificari populo voluntatem Dei, ut se fecisse dicit Moses Deuter. 32. 46. S. Antonius Paduanus dictus est a Pontifice, *arca testamenti*, quæ etiam dicitur arca testimonii, Exod. 25. 22. id est, continens testimonium, hoc est legem Dei. Sacerdotes debent esse acervi testimonii, quia cor eorum debet esse plenum lege Dei: Nam scientia da ore eorum requiritur. Tertio, abundare debet sacerdos aromatibus virtutum. Quarto, habet resinam medicinalem Sacramentorum. Quinto, est mediator Dei et hominum, ut fœdus ineant, et concilient ima summis: Labanum etiam coniungit sacerdos cum Iacob, id est, Gentiles cum Iudæis, vel contemplativos cum activis: Laban enim album seu candidum significat: Iacob vero, luctatorem. De sacerdotio vide Psal. 42.

Tres illos coniugatorum, religiosorum, et sacerdotum status comparare possis tribus gregibus ovium quos reperit Iacob in terra Orientali, Genes. 29. 2. aut tribus propaginibus vitis, quas explicuit Ioseph, Genes. 40.

ARTICULUS II.

Sex alii in Ecclesia status, et gradus.

35. Vers. 9. Tribus Ecclesiæ statibus præcedenti articulo explicatis, alios sex adiungit David; ait enim, v. 9. MEUS EST MANASSES, ET EPHRAIM FORTITUDO CAPITIS MEI, IUDA REX MEUS; ubi per Manassem et Ephraim intelligit decem Tribus. Nam Ioseph successerat in ius primogenituræ Ruben, in eo quod duplex portio illi debebatur. Itaque pro una Tribu duas habuit: nempe Tribum Manasse et Tribum Ephraim filiorum suorum, et divisione facta per Ieroboam reges fuerunt de Tribu Ephraim. Hinc Ioseph et Ephraim sumuntur sæpe pro decem Tribubus Israel.

Dicit itaque David primo, *meus est Manasses*, id est, regio quam occupavit Tribus Manasse, qui mortuus est in Ægypto ante ingressum in terram promissionis: filii vero eius partem in ipsa Iudæa cis Iordanem cum aliis Tribubus, terminos vide apud Salianum anno mundi 2583. num. 135. et anno 2589. num. 23. tom. 2. Annal. veteris Testamenti.

Secundo additur, *et Ephraim* (S. Hilarius, S. Augustinus, *Effrem*; alii *Ephrem*) FORTITUDO CAPITIS MEI, id est, regio quam occupavit Tribus Ephraim: quæque et sua amplitudine, et virorum bellicosorum multitudine spectabilis est, fortitudo ac robusta defensio est capitis mei ac vitæ, totiusque regni. Symmachus vertit, κραταιωσις της αρχης μου, *fortitudo principatus mei*. Chald. *fortes domus Ephraim, fortitudo capitis mei*. Possessio Tribus Ephraim fuit longitudinis faciie milliarium novem, quod spatium magnum fuit in parva Iudæa, quæ a Gad usque ad Bersabee fuit tantum sexaginta milliarium pro duodecim Tribubus. Itaque Tribus Ephraim habuit fere sextam partem longitudinis: erat terra valde montosa et ferax: homines illius et numero et viribus pollebant. David de illis dicit Ps. 107. 9. pene idem atque hic: nempe, *Ephraim susceptio* (Hebr. fortitudo) *capitis mei*.

Tertio, præsertim Tribus Iuda obediebat Davidi, et illi semper obediverat, etiam illo septennio, quo Isboseth filius Saul imperavit undecim aliis Tribubus: erat enim de ea Tribu. Ait itaque, IUDA REX MEUS, id est, Tribus Iuda,

36. Tria annexa primogenituræ perdidit Ruben.

quæ principatum habet in populo meo, et ex qua semper reges prodibunt, donec veniat Messias, mea est, ac mihi obtemperat. Ubi adverte, quod Ruben ob incestum cum Bala uxore Iacobi patris sui, non tamen matre sua, admissum, tria perdidit, quæ erant annexa primogenituræ. Primo, principatum in omnes fratres, totamque familiam: et id datum est a Iacobo morituro, Tribui Iuda, Genes. 49. 8. Secundo, duplicem portionem hæreditatis: et hoc

A datum est ab eodem Tribui Ioseph, ut dixi supra. Tertio denique, sacerdotium, quod Deus per Mosen transtulit in Tribum Levi, Num. 3. 12. Adde si placet quartum, nempe peculiarem benedictionem, quia Ruben potius maledictus videtur fuisse a patre, quam benedictus, Genes. 49. 4. Iudas vero et Ioseph amplissima benedictione donati, ibid. v. 8. et 22. Quam efficax fuerit hæc benedictio patet ex multiplicatione maxima illarum Tribuum. Nam in censu habito post exitum ex Ægypto, cum acies ordinatæ sunt ad pugnandum et castra metandum, de filiis Iuda per generationes et familias ac domos cognationum suarum, per nomina singulorum a vigesimo anno et supra omnes qui poterant ad bella procedere, recensiti sunt septuaginta quatuor millia sexcenti, Num. 1. 26. De filiis Ioseph, filiorum Ephraim quadraginta millia quingenti, filiorum Manasse triginta duo millia ducenti, ibid. v. 32. et seqq. et consequenter de filiis Ioseph a vigesimo anno et supra tunc secundo anno ingressus in desertum erant septuaginta duo millia septingenti absque mulieribus et puellis,

Tribus Iuda et Tribus Ioseph numerosæ fuerunt.

B quæ illum numerum sine dubio æquabant aut superabant: non inibantur enim matrimonia, nisi intra Tribum suam. Hunc censum populi tertium esse putat Salian. anno 2545. num. 65. ubi quinque numerat. Secundum vero Cornelius Num. 1. 2. ubi tres tantum admittit. Ut ut sit, in ultimo censu, qui habitus est in campestribus Moab anno vitæ Mosis 120. et ultimo, atque etiam ultimo peregrinationis per desertum, de filiis Iudæ a viginti annis et supra reperta sunt septuaginta sex millia quingenti. De filiis Ioseph, filiorum Manasse quinquaginta duo millia septingenti, filiorum Ephraim triginta duo millia quingenti, Num. 26. id est, in summa, de filiis Ioseph octoginta quinque millia ducenti. Itaque utraque Tribus, Iuda scilicet ac Ioseph crevit in deserto: Nulla autem Tribus illarum numerum æquavit. Roboam postea filius Salomonis de sola Tribu Iuda et Beniamin collegit exercitum centum octoginta mille electorum virorum bellatorum, ut pugnaret contra Ieroboam decem Tribus ad se trahentem, sed Semeias

C Propheta a Deo missus pugnam impedivit, 2. Reg. 12. Portio Tribus Iuda et filiorum Ioseph, id est Manasse et Ephraim, cis Iordanem intra ipsam terram promissionis, prius assignata est quam aliis Tribubus. Iosue enim erat de Tribu Ephraim et dux totius populi, atque Caleb de Tribu Iuda optime de toto populo meritus: deinde ad id impellebat numerus maior, quam aliarum Tribuum. Post Iosue mortem Tribus Iuda præficitur bello iussu Dei, anno 58. exitus ab Ægypto, et imperii Assyriorum 670. ante Christum 1452. Othonici item frater Calebi natu minor fuit primus Iudex, id est, princeps Israelis post Iosue, creatus post octo annos servitutis sub Chusan rege Mesopotamiæ, anno exitus ab Ægypto 88. Ex eadem Tribu postea creatus est rex David noster, anno ab eodem exitu 437. ante Christum 1073. Ab eo tempore perstiterunt reges ex eadem Davidis familia per annos 466. usque ad Sedeciam, cuius anno 11. capta, incensa et eversa est Ierusalem, anno ante Christum 607. Itaque reges illi regnarunt per annos 506. Postea fuerunt Duces ex eadem Tribu, eorum

D primus fuit Iechonias, seu Ioachim pater Salathielis. Auctoritate eiusdem Tribus Pontifices et Machabæi, qui erant de Tribu Levi principatum tenuerunt, donec de eadem Tribu Iuda veniret Messias, cuius regni non erit finis. Inde itaque dicit David: *Iuda Rex meus*, et prius dixerat Iacob, Gen. 49. 10. *Non auferetur sceptrum de Iuda, et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium.*

Quarto, non solum Israelitæ, sed etiam externi populi obediebant Davidi. Itaque addit, v. 10. MOAB OLLA SPEI MEÆ. Arabs, *Moab virtus spei meæ*. Pro *spei meæ*, Hebr. est רחצי *rachtsi*, id est, lotionis meæ, lavacri mei, balnei mei. Hinc S. Hieron. vertit: *Moab olla lavacri mei*. Pagnin. *lotionis meæ*. Felix, *ablutionis meæ*. Secundo, spei meæ, fiduciæ, tranquillitatis, securitatis. Hoc enim significare *rachas* quis dubitet, cum Sept. interpretes in lingua sua peritissimi et Noster, atque Arabs verterint, *spei meæ*.

37. Vers. 10. 1. Pars. Moab olla spei, quid?

Symmach. λεβης αμεριμνιας, vel αμεριμνησιας, id est, lebes tranquillitatis, sive securitatis meæ. Præsertim cum apud Chaldæos *rachas* seu *rechis* significet sperare, fiduciam collocare. Ortum autem habet lingua Chaldaica ab Hebræa, et in multis vocibus eamdem retinet significationem.

I. Sensus porro est, Primo, spero Moab mihi subdendum esse: et adeo deiiciendum, ut etiam in vilissimis ministeriis mihi serviat. Chald. Aquila, Theodotio, olla lavacri mei. Pagnin. Nebiensis, Vatabl. Clarius, Caietan. Camp. Flaminius: uti sit sensus tam vilium servitiorum loco mihi futuri sunt Moabitæ, quam sunt vasa quibus pedes abluo. Igitur tunc olla poneretur pro pelluvio, ut vocat Festus: vel labro eluacro, ut Plautus: vel etiam pro matula. Sane profanis matula vocatur homo vilis, vanus, stupidus, ut Plauto in Persa. S. Hieron. epist. ad Nepotianum describens captorum sordes, inter cætera refert eos matulam appouere. Hæc et alia Delrio adagio 82. ubi eam sententiam approbat. Adde Syrum qui reddit, *Moab lotio pedum meorum.* Sed hæc iactantia mihi indigna videtur; et alienissima a mansuetissimo Davide.

II. Secundo, idem Delrio sic ait: Alia occurrebat usurpatio de iis qui flamma, ferro et sanguine perdendi sunt. Verisimile enim est hunc Psalmum propheticum esse de futura Moabitarum vastatione. Minatur ergo, se Moabitas, qui fidebant firmitati suarum urbium, in eas compulsurum et compacturum velut in ollam: deinde obsessos omni miseriarum bellicarum genere sic excocturum, ut sicut igne et aqua solent carnes elixatæ, duritiem et cruditatem amittere: sic isti malis domiti, ferociam et contumaciam deponant: quod et factum est, ut dicit historia sacra, 2. Regum 8. 2. *Et percussit Moab, et mensus est eos funiculo, coæquans terræ: mensus est autem duos funiculos, unum ad occidendum, et unum ad vivificandum: factusque est Moab David serviens sub tributo.* Hoc sensu, *ollam succensam*, ipse Deus exponit, Ierem. 1. 13. et Ezech. 24. 3. et 6. ubi aperte civitatem obsidendam et expugnandam vocat ollam: ita ibi. Sed cur Moab diceretur olla spei, vel lotionis? Deinde, ac præcipue, iam Moabitæ victi erant antequam David aggrederetur Idumæam. Nam David anno regni sui decimo tertio vicit Moabitas: decimo quarto Syros, ac præsertim Adarezer regem Soba, et postea Syros Damasci; decimo quinto denique aggressus est Idumæos duce Abisai, qui victis tributum et præsidia seu arces imposuit, sed illi iugi impatientes præsidiarios milites occiderunt ac rebellarunt: tunc David fecit, et cecinit hunc Psalmum ante bellum secundum quo illos penitus Ioab profligavit, ut dictum est in explicatione tituli.

III. Tertio itaque, Moab erat Davidi, *olla spei*, id est, in qua speraret, quod illi suppeditaret carnes plurimas ad nutriendum populum suum. Erat enim Moabitica regio fertilissima pecorum, et pro tributo videtur pecora illi dedisse. Hoc colligi potest ex 4. Regum 3. 4. ubi habetur: *Porro Mesa rex Moab nutriebat pecora multa, et solvebat regi Israel centum millia agnorum, et centum millia arietum, cum velleribus suis.* Tunc in Israel, id est, super decem Tribus, imperabat Ioram.

38. Quinto, post mentionem Moabitarum devictorum ait
Vers. 10. David, se idem sperare de Idumæis v. 10. IN IDUMÆAM
2. Pars. EXTENDAM CALCEAMENTUM MEUM. Pro *calceamentum* Hebr. est נעל *naal*, quod R. Emmanuel reddit *chirothecam:* et ait, morem regum fuisse, cum obsiderent urbem aliquam bene munitam, proiicere chirothecam intra illam, ut significarent se non ante recessuros, quam illam cepissent: ita ille. Sed nec mos gravi auctore firmatur, et *naal* proprie calceum significat. Unde S. Hieron. vertit, *super Idumæam incedam calceamento meo.* Secundo, et proterram, illam perfecte subigam, et mihi subiiciam: hic sensus est optimus, qui denotat etiam iram Davidis in rebelles calcandos, ut moris erat antiquitus victoribus. Hinc Chald. reddit, *super victuram colli cervicis fortium Idumæorum proieci calceum meum.* De eo ritu dixi alias. De possessione, quæ, ut aliqui volunt, dicitur quasi pedum positio, aliquatenus explicari potest hic locus; sed verior et nervosior est expositio, de conculcatione rebellis provinciæ.

Sexto denique concludit, v. eod. 10. MIHI ALIENIGE- 39.
NÆ SUBDITI SUNT. *Alienigenæ*, id est, Philisthæi a me ita Vers. 10.
debellati sunt, ut iam perfecte sint subditi, nec de rebel- 3. Pars.
lando cogitent. Quæres, cur Philisthæi speciali nomine vo- Philisthæi cur
centur alienigenæ? Resp. quia nullam affinitatem habe- dicti a-
bant cum Israelitis. Idumæi enim, Ammonitæ, et Moabi- lienige-
tæ, quamvis non essent filii Iacob, tamen erant affinitate næ.
aliqua illis coniuncti; siquidem Idumæi descendebant ab Esau, sive Edom, qui erat frater Iacob: Ammonitæ et Moabitæ descendebant a Loth nepote Abraham. Ex Hebr. S. Hieron. vertit, *Alienigenæ mihi confœderati sunt:* et nostra vulgata editio in Ps. 107. ubi repetuntur hi versiculi, sic habet, *Alienigenæ mihi amici facti sunt.* Vox Hebraica ambigua est, potest enim deduci a verbo רעע *raha*, quod significat subiicere et conterere, et hanc significationem sequuti Septuaginta dixerunt, *mihi subditi sunt.* Potest etiam deduci e verbo רעה *raha*, quod significat pascere, et societatem atque amicitiam contrahere: et hanc significationem amplexus est S. Hieron. et noster Interpres in Ps. 107. qui dixerunt, *confœderati sunt:* vel, *amici facti sunt:* sed uterque sensus est verus. Siquidem Philisthæi devicti bello, et tributarii effecti, ac per hoc subditi, ad fœdus et amicitiam admissi sunt: ita Bellarmin. Ubi adverte, quod David regnavit septem annis in Hebron super solam Tribum Iuda, anno septimo, post necem Miphiboset, filii Saul, cui aliæ undecim Tribus parebant, creatus est unctusque rex omnium Tribuum, statim anno octavo cœpit oppidum et arcem Sion, expulsis inde Iebusæis, et ibi sedem fixit, vocavitque civitatem David. Anno nono, sive invidentes, sive sibi timentes Philisthæi, si David in regno se corroboraret, eum variis præliis aggressi sunt, sed semper victi et cæsi. Anno autem regni sui duodecimo illos tributarios fecit penitus domitos. Anno 13. ut dixi, aggressus est ac vicit Moobitas. Anno 15. deinque Idumæos, de quibus est hic Psalmus.

Quæres, quid hi omnes populi, Davidi, id est, Christo 40.
subiecti mystice significent? Nota, In renovatione Chri- Manasses
stiana *non est Gentilis et Iudæus, circumcisio et præpu-* symbolum Pa-
tium, Barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in triarcha-
omnibus Christus, ut ait Paulus Coloss. 3. 11. Itaque Moa- rum.
bitæ, Idumæi, et Philisthæi ad Christum conversi in bonam etiam partem sumi possunt.

Respondeo itaque primo, *meus est Manasses*, id est, Patriarchæ et Prophetæ: nam Manasses fuit primogenitus Iosephi, quem illi in Ægypto peperit Aseneth filia Putipharis sacerdotis Heliopoleos. Patriarchæ fuerunt primogeniti Christi, sicut et Prophetæ in veteri lege per gratiam eius geniti. Omnes enim gratiam et vitam a Christo acceperunt.

Secundo, *Ephraim fortitudo capitis mei*, Ephraim fuit filius Iosephi natu minor, sed benedictione amplior, Genes. 48. 19. Iacob illum et Manassem benedicens, cancellatis in modum crucis manibus, dexteram imposuit capiti Ephraim, et sinistram capiti Manassis, et improbanti id Iosepho ait: *Iste quidem Manasses, erit in populos, et multiplicabitur; sed frater eius minor*, Ephraim, *maior erit illo, et semen illius crescet in gentes. Benedixitque eis in tempore illo, dicens: In te benedicetur Israel, atque dicetur: Faciat in te Deus sicut Ephraim, et sicut Manasse.* Etymon quoque Ephraim, quod significat fructificantem, ad rem nostram facit; Apostoli enim fuerunt instar arboris illius magnæ, Dan. 4. protendentis ramos suos at fructus usque ad extrema terræ. Illis dicit Christus Ioann. 15. 16. *Ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.* Quomodo palmites suos S. Petrus et S. Paulus in totum orbem extenderint, docet S. Leo serm. 1. in eorum Natali, ubi Romam alloquens ait: *Isti sunt patres tui, verique pastores, qui te regnis cælestibus inferendam multo melius, multoque felicius condiderunt, quam illi, quorum studio prima mœnium tuorum fundamenta locata sunt: ex quibus is, qui tibi nomen*

dedit, fraterna te cæde fœdavit. Isti sunt qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut gens sancta, populus electus, civitas sacerdotalis et regia, per sacram beati Petri sedem caput orbis effecta latius præsideres religione divina, quam dominatione terrena. Quamvis enim multis aucta victoriis, ius imperii tui terra marique protuleris: minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quam quod pax Christiana subiecit*: ita Leo.

41. Iuda, Confessorum. Tertio, *Iuda Rex meus*, Iudas confessionem, seu confitentem significat. Itaque est symbolum Confessorum, qui reges esse debent, id est, imperare suis passionibus: et esse leones, per fortitudinem, eaque habere, quæ de Iuda dicit Iacob, Gen. 49. 8. Non est satis habere virtutem in mente conclusam, in ore et opere habenda est. Matth. 10. 32. *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in cælis est.* Et S. Ambr. serm. de ascensu Iesu in navim Simonis: *Pretium*, inquit, *immortalitatis est nobis nostra confessio.* Luc. 11. 33. *Nemo lucernam accendit, et in abscondito ponit, sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant.*

Moabitæ Virginum. Quarto, *Moab olla spei meæ*, per Moabitas, si etymon spectes, commode possunt intelligi virgines. *Moab* enim idem est atque *a patre:* virginitas autem cælestis tota est, a Deo Patre descendens. Moab fuit filius Loth, qui significat stacten, id est, primam myrrhæ guttam; virginitas autem mortificatione conservatur: aut stacte dici potest Christus, qui omnibus exemplum dedit mortificationis sponte assumptæ: *Oblatus est enim, quia ipse voluit.* Est virginitas *olla spei*, id est, spem dans cæli obtinendi. S. Isidorus Pelus. *Sicut cælum terra, et anima corpore, sic etiam virginitas coniugio præstantior est; castitate enim homo,* αγγελοις ομοιουνται, *Angelis fit similis: coniugio autem non differt a brutis animalibus, quibus corporum commistio necessaria est, et successionem perpetuitatemque moliri videtur.* Sed cur olla? quia carnem suam Deo consecrat, et igne charitatis excoquit. Dices, Moab ortus est de peccato. Resp. ex spinis nasci rosas, ut ex Diocletiano Arthemia eius filia Virgo et Martyr, ut quidam dicunt.

Laus virginitatis. Nota, pro *olla spei*, Symmachus, ut dixi supra, vertit, λεβης ανεογηνιας, vel, αιεργινισιας lebes securitatis, vel tranquillitatis. Talis est virginitas: tollit enim curas omnes, et onera matrimonii, et læta uni Deo vacat. 1. Corinth. 7. exhortatur eos ad virginitatem sectandam, et eo motivo utitur. Sic enim v. 32. *Volo* (velim) *autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est*, id est, in multas curas distractus. *Et mulier innupta, et virgo, cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Naumachius dicebat: Pulchrum sane est corpus habere castum, indomitamque manere virginam, et puris cogitationibus perpetuo gaudere: nec onus laboriosa circa alia ferentem, neque trementem suspiriosas Lucinæ parturigines: sed permanere *quasi Reginam*, inter imbecillas mulieres: ita ille. Dapsolibyes

Stulta consuetudo Dapsolibyum. uno die cuncti uxores ducebant post Vergiliarum occasum; et unusquisque eam habebat, quam sors dederat: nam post epulas mulieribus seorsum discumbentibus, extincta lucerna, viri ad eas ingrediebantur, et quam quisque contigerat, eam ducebat, ut ait Nicolaus lib. de moribus Gentium. Quid mirum, si postea inter coniuges

Nuptiarum onus. oriebantur rixæ? idem nunc plerique faciunt qui in nocte passionum ineunt matrimonium: unde crebra, sed sera nimis oriuntur suspiria. Aristænetus scribit lib. 1. epist. 21. *Speratæ nuptiæ, dulces, gratæ, optandæ: ubi potitus es, contemptus venit, studioque magis petitum, statim abiicitur, neglectuique habetur.* Et lib. 5. epist. 10. *Nuptias nec quære, nec spera, ne tibi ipsi malum quæras, excidasque concessis bonis.* Hippocrates dicebat duos esse cum uxore iucundissimos dies: alterum quo ducitur, alterum quo mortua effertur. S. Basilius in opusculo de vera virginitate dicit, nuptias esse tragœdiam: initio gratæ sunt, exitu sæpe funestæ. S. Chrysost. commodius vocat illas *palæstram domesticam*, in qua scilicet multum sudandum luctandumque sit. Quam in rem aptissime possit afferre id quod tradit Ælianus lib. 11. var. hist. cap. 38. *Inter Sacas*, ait, *si quis puellam uxorem ducere cupit, pugnam cum ea suscipit: et si illa superior sit, captivum abducit, atque imperium in eum tenet: sin inferior, regitur ab ipso. Certant autem non de vita, sed de victoria:* ita ibi; nunc vero, sæpe tota vita coniugali pugna est. Virginibus autem nihil est quietius: quæ in medio mari, velut sacri halcyones, ne guttam quidem salsarum aquarum aut spumæ in suum nidulum admittunt; sed a tempestate securi Deo uni patent, ac cælo. Vide dicta in laudem Virginitatis Ps. 44. 15.

Quinto, *in Idumæam extendam calceamentum meum.* 42. Idumæi symbolum Martyrum.
Idumæi, id est, sanguinei, sunt Martyres. Per calceamentum hic intelligunt Incarnationis mysterium, S. Gregor. Nazianz. orat. in sancta lumina, S. Ambr. de institutione Virginis, cap. 14. S. Eucher. in formulis: illam incarnationem et eius fructum ad Martyres extendit Christus, eosque suo sanguine illustrat. S. Chrysost. hom. de sanctis Martyrib. *Non ita*, inquit, *siderum exornatum choro cælum illustre est, ac splendido vulnerum choro Martyrum corpora exornantur. Itaque propter ea quod mortui sunt, ideo maxime superant, et ante immortalitatem, a morte coronati præmia reportarunt.* Vide Ps. 43. qui totus est de Martyribus. In Idumæa illa nascuntur selectissimæ palmæ: unde Apoc. 7. 9. dicitur. *Et palmæ in manibus eorum.*

Sexto denique, *mihi alienigenæ subditi sunt:* alienigenæ, sive Philisthæi ad Deum conversi, sunt pœnitentes, qui iugum eius suscipiunt: sive ex hæresi, sive ex schismate, sive ex idololatria, sive ex peccato veniant. Pœnitentium figuram *Philisthæos* esse etymon indicat: significant enim *cinere*, seu pulvere *involutos:* hoc autem proprium est pœnitentium. Tertullianus lib. de Pœnit. cap. 9. *Pœnitentia in sacco et in cinere incubat.* Super se etiam iaciebant pulverem, sic erant pulvere involuti: ita Iosue fugatis militibus suis ab oppidanis Hai scidit vestimenta sua, et pronus cecidit in terram coram Arca Domini usque ad vesperam, tam ipse quam omnes senes Israel, miseruntque pulverem super capita sua, Iob 7. 6. Sic Bethuliæ Sacerdotes urbe sua obsessa ab Holopherne, offerebant holocausta præcincti ciliciis, et erat cinis super capita eorum, Iudith 4. 16. Mardochæus audito crudeli edicto de nece Iudæorum per totum Assueri imperium, scidit vestimenta sua, et indutus est sacco, spargens cinerem capiti, Esther. 4. 1. In omnibus quoque provinciis Assueri, Persarum regis, qui regnavit ab India usque Æthiopiam, super centum viginti provinciis, et in omnibus oppidis ac locis, ad quæ crudele regis dogma pervenerat, planctus ingens erat apud Iudæos, ieiunium, ululatus et fletus, sacco et cinere multis pro strato utentibus, ibid. v. 3. S. Martinus mori voluit cineri incubans, et apud Floriacenses monachos in more erat, ut residuum cinerum, qui prima die Quadragesimæ Fratrum capitibus imponebantur, ab infirmario conservaretur, ut morientibus Fratribus substerneretur. S. Pacianus Episc. Barcinonensis, qui floruit circa annum 360. in Parænesi, id est, adhortatione ad pœnitentiam, de nostro Davide sic ait: *David in cinere sordenti sacco insuper horrente deformis. Ille quondam gemmis assuetis et purpuris, terit in ieiunio animam suam:* ita ille. Nos quoque idem præstemus, et per veram celeremque pœnitentiam Deo nos subdamus. R. Eliezer hoc præceptum alumnis suis dabat: *Resipisce una die ante mortem tuam.* Cum autem illi urgerent atque instarent, *Num scire quis potest diem mortis suæ?* Subtexuit: *Et ideo quia nescit, hodie pœnitentiam ineat, cras forte moriturus: sicque, si quotidie mortem cogitet, quotidie pœnitentiam agat.*

Sex hos Ecclesiæ gradus compara sex calamis candelabri aurei, in Sancto prope altare thymiamatis positi. In illis calamis singulis tres erant scyphi, quos conferre possim iam explicatis tribus aliis gradibus: nempe Sacerdotum, Religiosorum, Coniugatorum. Nam v. g. Confessores, alii sunt Sacerdotes, alii Religiosi, alii coniugati, quod

pene de omnibus aliis gradibus dici potest. De illis calamis et scyphis lege caput 25. Exodi. Apostolos vocat œcumenica lumina S. Cyrillus Alex. in cap. 45. Isaiæ. Lucernæ seu lampades dantur virginibus, Matth. 25. 1. De Martyribus ait S. August. serm. 103. de diversis: *Martyres præcipua sui honoris luce fulgebunt, ipsaque corpora, in quibus indigna tormenta perpessi sunt, eis digna in ornamenta vertentur.*

ARTICULUS III.

Optabile est, et utile multas tribulationes pati.

43. Vers. 11. et 12. DAVID recensita sua potentia et populis sibi subditis, fatetur tamen se nihil posse præstare sine Dei auxilio, v. 11. QUIS DEDUCET ME IN CIVITATEM MUNITAM? QUIS DEDUCET ME USQUE IN IDUMÆAM? Et v. 12. NONNE TU DEUS, QUI REPULISTI NOS, ET NON EGREDIERIS DEUS IN VIRTUTIBUS (Hebr. in exercitibus) NOSTRIS? *non egredieris*, id est, qui non egressus es: quia Idumæi occiderunt milites nostros in arcibus et præsidiis positos. Hebræi sæpe futurum pro præterito ponunt, quando præcessit præteritum, ut hoc loco. Secundo, *non egredieris*, id est, nonne egredieris? utraque explicatio bona est.

Civitas munita intelligitur hic Bosra. Quæres, quam civitatem munitam intelligit? Resp. Theodor. S. Basii. Euth. et Nicephorus accipiendam esse Ierusalem, ad quam deduci optent captivi e Babylone redeuntes. Secundo, Chald. vertit, quis deducet me ad civitatem destructam Tyri? Tertio, Genebr. Caietan. Peregrinus, Herus intelligunt de Rabbath regia civitate filiorum Ammon, ad quam capiendam Ioab Davidem invitavit. Sed hic agitur de Idumæa. Quarto itaque intelligenda est Bosra, quæ erat Idumææ Metropolis. Hinc Psalm. 107. 11. ubi dicitur sicut in hoc loco: *Quis deducet me in civitatem munitam?* Hebr. est, quis deducet me ad Bosram? Sic autem dicta est, vel a murorum firmitate, ut ait S. Hieronymus, vel ab ubertate vindemiæ. Ex Bosra, ait Cornelius in c. 63. Isaiæ, per metathesim dicta est *Byrsa*, arx munita Carthaginis: Carthaginenses enim fuerunt orti a Thyriis et Phœnicibus: unde et eorum linguam, puta Syriacam sive Hebraicam, in multis retinuerunt. Pro *Byrsa* Romani dixerunt *Burgus*: unde dicti sunt Burgundiones, eo quod in burgis, id est, in arcibus, et locis contra hostium incursus munitis habitarent. Ita ille. Iudæi porro inepte per Idumæam intelligunt Romam, quod pene semper faciunt, perinde quasi non ab Ænea et Troianis, sed ab Esau et Idumæis oriundi sint Romani. Hoc irridet S. Hieronymus cap. 21. Isaiæ, et variis locis: longe potiori iure per Idumæos accipiendi essent Iudæi, cum Esau fuerit frater Iacobi, patris omnium Iudæorum. (Byrsa cur dicta arx Carthaginis.)

Symbol. Civitas munita est custodia Angelorum: ita Arnobius. Anagog. Civitas munita est cælum, cuius habitatores sunt Idumæi, id est, sanguinei, tincti sanguine Agni.

44. Ecclesia est civitas circumstantiæ. Allegor. Civitas munita, seu civitas circumstantiæ, ut alii legunt, est Ecclesia omnium gentium: ita S. August. *Quis*, ait, *deducet me in civitatem circumstantiæ? quæ est civitas circumstantiæ? gentium circumfusio est, quæ circumfusio gentium in medio habebat unam gentem Iudæorum, colentem unum Deum: cætera circumfusio gentium idolis supplicabat, dæmonibus serviebat. Et mystice vocata est civitas circumstantiæ, quia undique se gentes circumfuderant, et ei circumsteterant, quæ colebat unum Deum. Quis deducet me in civitatem circumstantiæ? Quis, nisi Deus. Hoc vult dicere, quomodo deducet per illas nubes, de quibus dictum est Ps. 76. Vox tonitrui tui in rota. Ipsa est civitas circumstantiæ, quæ dicta est rota, id est, orbis terrarum:* ita Augustinus.

45. Civitas munita est mundus in maligno positus. Tropolog. Civitas munita, in quam deduci optat David, id est, amabilis Domino, vel manu fortis, est mundus in maligno positus, et malitia munitus. Primo, muri eius sunt divitiæ. Nahum 3. 8. *Aquæ muri eius*, id est, divitiæ, quæ fluunt et refluunt, sicut Ps. 54. *Super muros eius iniquitas:* quia frequenter divitiæ aut inique acquiruntur,

A aut inique possidentur. Unde vocantur mammona iniquitatis, Luc. 16. 9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Secundo, fossa huius civitatis, est avaritia, et dignitates et honores huius mundi. Isa. 30. 25. *In die interfectionis multorum, cum ceciderint turres, erit lux lunæ sicut lux solis:* id est, in die iudicii, quando cadent honores et dignitates, quia sicut dicitur Isa. 2. 11. *Incurvabitur altitudo virorum, exaltabitur autem Dominus solus in die illa. Tunc lux lunæ*, id est, Ecclesiæ militantis, *erit sicut lux solis*, id est, Ecclesiæ triumphantis; quia tunc adveniet regnum Dei, id est, regnum militantis Ecclesiæ veniet ad regnum triumphantis. Quarto, propugnacula, sunt scientiæ sæculares. Iudic. 9. 51. *Erat turris excelsa in media civitate, per propugnacula*, id est, per scientias sæculares. Per has enim stant multi in turre dignitatis. Quinto, scuta sunt excusationes. Iob 41. 6. *Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus: una uni coniungitur, et ne spiraculum quidem incedit per eas.* Sexto, galea, est vana spes de satisfactione et venia. (Eius muri, fossæ, etc.)

B Eccli. 5. 8. *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem.* Et in eod. cap. v. 5. *Ne adiicias peccatum super peccatum; et ne dicas, Miseratio Domini magna est, peccatorum meorum miserebitur.* Septimo, sagittæ sunt detractiones. Ier. 9. 8. *Sagitta vulnerans lingua eorum.* Octavo, arcus est pravum iudicium. Oseæ 7. 16. *Facti sunt quasi arcus dolosus, cadent in gladio.* Arcus dolosus est, qui primo dominum suum vulnerat, hoc est, iudicium pravum: quia, sicut dicitur Rom. 2. 1. *In quo iudicas alterum, teipsum condemnas.* Nono, iacula, sunt verba adulationis. Ps. 54. 22. *Molliti sunt sermones eius super oleum, et ipsi sunt iacula.* Decimo, vexilla, sunt prava exempla. Sapient. 2. 9. *Nemo vestrum expers sit luxuriæ nostræ: ubique relinquamus signa lætitiæ.* Undecimo, loricæ sunt delectationes sibi connexæ. Eccli. 43. 22. *Sicut lorica induet se aquis*, id est, delectationibus, quæ terminum habent mare amaritudinis æternæ. Duodecimo, habitatores huius civitatis determinantur Ezech. 27. 10. *Persæ, et Ly-*

C *dii, et Libyes erant in exercitu tuo viri bellatores tui.* Persæ interpretantur latera sua dissuentes: et significant superbos, qui non possunt habere latera, id est, aliquos pares, quos ipsi non dissuant et dilanient, quia volunt eos sibi subiicere. Lydii, interpretantur nati, vel generati, et significant luxuriosos, qui semper student generationi. Libyes, interpretatur introiens, et significat cupidos, qui sunt in introitu: *Dumque sitim sedare cupit, sitis altera crevit.* Hi sunt ergo habitatores huius civitatis, de quibus dicitur 1. Ioan. 2. 16. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ:* ita Hugo Cardinalis, sed omnes etymologias nolim præstare.

Secundo, Bosra civitas munita, tropologice est tribulatio, quæ cor Christiani corroborat, ut infra mox dicam. 46. Bosra est tribulatio.
Deducitur a *be*, id est, *in*, et *sar*, id est, tribulatio, afflictio, angustia. Vindemiæ etiam significatio bona est, et huc pertinere potest. *Idumæa* quoque tribulationem cruen-

D tam repræsentat, quam Martyres optarunt dicentes: *Quis deducet me usque in Idumæam?* id est, usque ad sanguinis effusionem pro Christo. De eo desiderio et ardore dixi Psal. 43. et alibi. Nunc sufficiat locus Philææ, Ecclesiæ Thmuitensis in Ægypto Episcopi, et gloriosi Martyris, qui ad suos Thmuitas in hæc verba scribit: *Beati Martyres, qui apud nos occubuerunt, præclara illa exempla, monita salutaria, et insignes præceptiones in divinis ac sacris litteris nobis ad imitandum propositas, nulla ex parte contemnentes, oculos animi ad Deum omnium effectorem exquisite intendebant, et mortem pro pietate oppetere secum statuentes, mordicus suæ vocationi adhærescebant. Ac quoniam isti Martyres Christi insignibus decorati, Dominum nostrum Iesum Christum pro nobis hominis naturam induisse, pro certo cognoverant, ut omne peccatum radicitus extirparet, et viatica nostri itineris ad vitam æternam suscepti nobis suppeditaret. Non enim rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo,* Philipp. 2. 6. *sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem ho-* (Martyrum in Ægypto tormenta.)

minum factus, et habitu inventus ut homo: humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis. Isti, inquam, idcirco meliora dona æmulantes, omnem cruciatum, omnia suppliciorum genera, quæ poterant excogitari, non semel, sed iterum atque iterum sustinuerunt: atque præ omnibus satellitum terroribus, quos laborabant, non verbis solum, sed rebus ipsis obnixe eis iniicere, non dimiserunt animos, neque succubuerunt; propterea quod perfecta in illis charitas timorem foras miserat. Quorum eximiam fortitudinem, et excelsam in singulis tormentis animi magnitudinem, quæ tandem oratio poterit explanare? Hactenus Philæas, qui deinde pergit atrocitatem tormentorum explicare. Et cum libera potestas omnibus permissa esset contumelias et pœnas illis pro arbitratu inferendi: hi fustibus, illi virgis, alii flagellis, nonnulli loris, multi fustibus eos percusserunt. Atque spectaculum novis vicissim plagarum et supplicii generibus erat variatum, et multum probri habuit et ignominiæ. Quidam enim primum manibus a tergo colligatis ligno appensi, et machinis quibusdam membra eorum universa distenta distractaque, deinde a tortoribus ex mandato magistratuum per totum corpus graviter divexati, et non quemadmodum cum homicidis agi solet, latera solum, sed venter, tibiæ, et genæ flagris ferreis cæsæ. Alii pependerunt ad porticum una manu affixi, et articulorum membrorumque distensionem, quæ omnem doloris superabat asperitatem, pertulerunt. Alii vultu alterius in alterum obverso ligati, et columnis pedibus non ad terram demissis appensi: sic uti cum funes acrius retraherentur et contentius, corporis gravitate ac pondere acerbius premerentur: neque tantisper dum Præses cum aliis quæstione disceptabat, illisque examinandis vacabat; sed per totum fere diem istud supplicii genus sustinuerunt; quando enim ab illis ad alios profectus est, ministros ipsius auctoritati obsequentes reliquit, qui priores accurate observarent, si quisquam tormentis evictus cedere videretur: mandavitque, ut acerbe et sine intermissione ulla funibus distorquerentur, et deinceps cum iamiam essent animam acturi, rursum in terram demissi, passim misere raptarentur: neque enim de nobis vel minima cura in eorum animis resedit: sed omnia in nos perinde tum excogitare, tum re præstare videbantur, ac si homines non fuissemus. Præter alia tormentorum genera istud novum præterea, quod sequitur, adversarii nostri invenerunt. Nonnulli enim post verbera in compedibus ligneis positi erant, et pedes alter ab altero ad quartum foramen distenti districtique, adeo ut necessario supini iacerent, nec possent propter plagarum vulnera, recens toti corpori inflicta, se ullo modo commovere. Alii in solum proiecti, præ crebris tormentorum ictibus quos pertulerant, semineces iacuerunt: ac propter varia et diversa tormentorum stigmata, quæ in corporibus habebant, miserabilius spectaculum, quam cum torquebantur, oculis contemplantium subiecerunt. Ex his autem qui ita se habebant, nonnulli in cruciatu mortui sunt, et singulari animi tolerantia adversarium prorsus confuderunt. Alii semineces in carcerem conclusi, non multis diebus post, dolorum gravitate oppressi, excedunt e vita. Reliqui valetudine et viribus curatione recuperatis, temporis longinquitate, carcerisque usu et velut contritu multo evadunt fidentiores. Sic igitur cum esset singulis illorum præceptum, libera data optione, vel victimas execrabiles contrectandi, quo liberarentur molestiis, et profana atque execrabili ab illis libertate potirentur: vel non sacrificandi, et sententiam mortis exciperent: illi absque mora ad mortem libentibus animis gradiuntur. Norunt enim pro certo ea, quæ a sacris litteris præscripta sunt: Sacrificans diis eradicabitur. Exod. 22. *Et: Non sint tibi dii alieni, nec alius præter me.* Hactenus S. Philæas, unius verba, velut præclarum emblema, licet paulo fusiora hic intexere non piguit.

47. Duces illos præclaros sequamur. Ad hoc nos hortatur S.Ephrem laudatione in Martyres: *Sanctorum, ait, te Martyrum discipulum præfers: nam, si te illis discipulum dederis, erunt et ipsi vicissim tibi magistri optimi, addiscesque ab iis passiones quascumque superare, et nullatenus eis locum dare. Disces quoque ab eisdem perfectam fidem, dilectionem Dei, ac ingentem commiserationis affectum, futurorumque bonorum desiderium: nam ardentem hi rogum ac flammam virtute Dei, fideque perfecta extinxerunt, atque vicerunt. Quare et tu semper pravæ et noxiæ concupiscentiæ flammas in teipso restingue, ac vince. Varia illi tormenta superarunt spe, qua in Christum erant, suffulti: quocirca et tu turpes cunctas passiones, casta piaque mente, atque cogitatione superare contende. Vicerunt illi tyrannos sua modestia et longanimitate. Vince igitur et tu tyrannidem iracundiæ, iisdem instructus armis. Illi palam Martyres fuerunt: et tu in secreto saltem Martyrem perfectum te præbe. Illi in aperto certamine consummarunt: perfice tu quoque certamen in occulto, ut in die retributionis corona cum ipsis doneris, ac in cælesti regno socius gloriæ illorum inveniaris, simulque gaudio sempiterno perfruaris*: ita Ephrem.

Martyres sunt imitandi.

Post declaratum desiderium suum obtinendæ civitatis munitæ, et Idumææ, mirabile motivum affert David: nempe tribulationem præteritam, scilicet cædem militum suorum per Idumæos. Sic autem ait vers. 13. DA NOBIS AUXILIUM DE TRIBULATIONE: QUIA VANA SALUS HOMINIS, q. d. Adiuva nos in hac afflictione, in qua luget populus tuus, et ex qua exurgere non possumus humanis viribus: licet enim sim rex duodecim Tribuum, et Moabitæ atque alienigenæ seu Philisthæi, aliique populi mihi subditi sint: vana tamen, inanis atque inutilis est omnis salus, quam ab hominibus sperare possumus. Itaque 48.

Vers. 13.

Vers. 14. IN DEO, id est, in te, FACIEMUS VIRTUTEM: ET IPSE AD NIHILUM DEDUCET TRIBULANTES NOS, Idumæos scilicet, qui milites nostros occiderunt, et sæpe nobis iniurii extiterunt. Vers. 14.

Tropol. Non tantum dicitur, da nobis auxilium *in tribulatione*, sed de *tribulatione*: quia, ipsa tribulatio est causa, cur Deus nos magis adiuvet. Primo enim, tribulatio carnales affectiones tollit. S. August. in Psal. 26. in illud v. 2. *Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas*, sic loquitur: *Quare autem persequuntur? Ut edant carnes meas. Quæ sunt carnes meæ? Carnales affectus mei: sæviant persequendo, nihil in me moritur, nisi mortale: manducent carnes meas, finitis carnibus spiritus est, et spiritalis.* Afflictio est sanguisuga, dum pungit et exhaurit, sanat: ferramentum atque cauterium est, dum urit et secat, purulentam saniem ambedit. Idem sanctus Doctor in Psal. 50. *Utile quiddam est tribulatio, utile medici ferramentum, et plagis illatis sanandis, et plagis avertendis, ne inferantur:* ita ipse. Absynthio quoque noxios humores consumenti tribulationem conferre possis. Hesychius Presbyter centur. 1. num. 55. *Sicut*, inquit, *amarum absynthium iuvat eos qui cibum fastidiunt: ita male moralis hominibus utile est, ut adversa patiantur.* 49.

De tribulatione Deus dat auxilium:

I. Passionum motus mitigando.

Secundo, tribulatio tentationes dissolvit, sicut ignis fornacis Babylonicæ combussit vincula Ananiæ, Azariæ et Misaelis. S. Isidorus Pelus. *Sicut*, inquit, *in tribus pueris illis non solum ignis ipsos non attigit, sed et ad vinculorum dissolutionem subserviit, nactus suæ terminum efficaciæ ferrum abolendo: sic et tentationes ignaviam resecantes et ad sobrietatem adducentes, omnes a peccatorum expediunt vinculis.* II.

Tentationes dissolvendo.

Tertio, tribulatio robur animæ auget, sicut athletis exercitatio. S. Chrysost. hom. 19. in epistol. ad Hebræos: *Non vides*, ait, *quomodo athletæ decertant calathis*, id est, vasis vimineis, *arena plenis? Tibi autem non opus est in hoc studium ponere. Vita plena est iis quæ te exercent, fortemque reddant ac robustum. Nam vides quod etiam arbores quo magis ventilantur, eo fiunt fortiores et densiores.* III.

Robur animæ augendo.

Quarto, tribulatio virtutem crescere facit, ut arbores bene radicans hyems. S. Gregor. Naz. orat. in Maximum de mirabili arbore, quæ excisa floret, refert in hunc modum: *Est quædam in fabulis planta, quæ excisa floret, et adversus ferrum certat: et si de nova, fidemque excedente, novo more loquendum est, morte vivit, et sectione pullulat: et cum absumitur, crescit. Habetis fabulam iure suo quidvis libere confingentem. Mihi vero huiusmodi quiddam videtur esse vir philosophica mente præditus: afflictionibus* IV.

Virtuti dando augmentum.

enim inclarescit, ac vitæ molestias virtutis segetem existimat, contrariisque rebus ornatur. Arbor nunc est in laponia, quæ humorem omnem formidat, et in sole siccata revirescit. Vide Maff. lib. 12. pag. 34.

V. Virtutem reddendo fragrantiorem. Quinto, tribulatio virtutem facit utiliorem proximo, et fragrantiorem, sicut contrita aromata, et in ignem coniecta suavius olent. Primo enim, pistillum est tribulatio. Petrus Cellensis Abbas, deinde S. Remigii, ac postea Episc. Carnotensis, qui floruit circa annum 1180. *Species,* inquit, *aromatica pistillorum tunsione fragrascit: Ecclesia oppressione malorum crescit. Virtus quoque bonorum, adversariorum contestatione lacessita, flore vernat et fructu.* Secundo, tribulatio est ignis, thus, et aromata incendens. De Simone seniore filio Oniæ I. Pontifice Maximo dicitur, Eccli. 50. 9. *Simon Oniæ filius, Sacerdos magnus, quasi ignis effulgens, et thus ardens in igne.* Syrus, quasi odor thuris super thuribula. S. Cyrill. Alex. lib. 4. in Gen. Sicut, ait, probatissima thymiamata igni admota, odoris quo prædita sunt, specimen edunt: ita etiam sancta anima igne quodammodo probata per tentationes et labores luculentius multo existentis in ipsa multimodæ virtutis augmentum edit: ita Cyrillus.

VI. Lucem menti infundendo. Sexto, tribulatio lucem mentis iustorum ostendit, et clariorem facit, sicut nox lumen stellarum. S. Bern. ser. 27. in Cant. *Quomodo,* inquit, *stellæ in nocte lucent, in die latent: sic vera virtus, quæ sæpe in prosperis non apparet, eminet in adversis.*

VII. Animam Deo gratiorem reddendo. Septimo, tribulatio coram Deo ipso et angelis animam pulchriorem facit, et meritum adauget. B. Isaac citatus in scholiis ad gradum 4. Climaci: *Parva afflictio,* inquit, *propter Deum suscepta aut tolerata præstat operi magno, sine afflictione facto. Quia voluntaria afflictio specimen fidei et charitatis edit: opus vero quietis quasi ex conscientiæ copia seu satietate nascitur: propterea Sanctorum in Christo charitas per afflictiones probata fuit.* Notari potest, maximos fere Sanctos maximis afflictionibus tum morborum, tum aliarum rerum fuisse vexatos, ut Apostolos, S. Athanasium, S. Gregorium Nazianz. S. Basilium, S. Chrysostomum, cæterosque præsertim Martyres.

VIII. Coronam dando. Octavo denique, tribulatio coronam dat, sicut lucta et palæstra in Olympicis et aliis certaminibus. 2. Timoth. 2. v. 5. *Qui certat in agone, non coronatur, nisi certaverit legitime,* νομίμως, iuxta legem, stadii videlicet et agonis, id est, certaminis. S. Chrysostomus in epistol. ad Hebræos ait: *Tolle adversarium, et coronarum tollis occasionem.* Et S. Ambr. lib. 2. de Abraham, cap. 4. *Afflictiones forti viro coronæ sunt; invalido, infirmitates sunt.* Hinc ait, Abrahamum descendisse in Ægyptum, ut affligeretur: ibi enim rapta est uxor eius Sara, et deducta ad Pharaonem regem: sed Deus illi subvenit, et integram illibatamque Saram servavit, Genes. 12.

50. Deus unus est nobis instar magni exercitus. Hæc ut eveniant, Dei auxilium et gratia necessaria est: ideo additur vers. ult. *In Deo faciemus virtutem.* Hebr. חיל *chail,* id est, fortitudinem, q. d. Ut explicat Camp. auxilio Dei designabimus fortia: seu, Dei virtute recte geremus rem. Clare, q. d. Deo iuvante erimus fortes; 2. *chail* significat etiam exercitum, q. d. Deus unus erit nobis instar magni exercitus: *et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.* Ubi duo discere possumus. Primo, quod Deus corroborat afflictos. Secundo, quod eorum persecutores ad nihilum redigit.

Crucis elogia. De primo, nempe quod Deus roboret afflictos, dicitur Ps. 90. 15. *Cum ipso sum in tribulatione.* Hesychius crucem vocat gladium. S. Bern. serm. 2. de S. Andrea, illam

A nuncupat scutum, quo circumdamur. Huc referre possis illud Nahum, 2. 3. *Clypeus fortium eius ignitus.* Crucem rubeam veluti loricam scilicet, pectori suo apprimunt equites S. Iacobi, et alii. S. Aug. in illud Galat. 6. *Mihi absit gloriari, nisi in Cruce,* eam nuncupat *virgam regni,* id est, sceptrum. Constantinus Imper. omnibus armis potentiorem censebat, qui crucem ex ære fieri voluit, quam νικην, id est, victoriam appellavit. Heraclius vero ἀνίκητον, id est, invictam, ad quam multa sunt edita miracula, ut notat Nicephorus lib. 8. hist. cap. 23. Qui Christi se cruci iunxerit, in omnes invictus perstabit: illo itaque sacro signo ubique nos muniamus. S. Ambros. lib. de Isaac anima, cap. 8. *Signaculum,* inquit, *Christus in fronte est, signaculum in corde: in fronte, ut semper confiteamur: in corde, ut semper diligamus: signaculum in brachio, ut semper operemur. Luceat ergo imago eius in confessione nostra, luceat in lectione, luceat in operibus et factis: ut si fieri potest, tota eius species exprimatur in nobis. Ipse sit caput nostrum, quia caput viri Christus: ipse oculus*
B *noster, ut per ipsum videamus Patrem: ipse vox nostra, per quam loquamur ad Patrem: ipse dextera, per quam Deo Patri sacrificium nostrum offeramus: ipse quoque est signaculum nostrum, quod est perfectionis et charitatis insigna:* ita Ambrosius. Crucem nobis Christus porrigit, velut salutis vexillum; de illa enim S. Ioannes Damascen. lib. 4. de fide: Crux Christi, ait, clavis est paradisi, hæc infirmorum baculus, pastorum virga, convertentium manuductio, proficientium perfectio, animæ salus et corporis, omnium malorum aversio, omnium bonorum datrix: hæc ipse. Unde S. Augustinus in Ps. 94. concludit: *Non vult refici, non vult perfici, non consummari, qui tentationes fugit.* Paulus Rom. 8. 17. ait: *Si compatimur, et conregnabimus.* Cum S. Urbanum Papam in carcere visitarent Fortunatus et Iustinus Presbyteri, et flentes dicerent: Ora pro nobis sanctissime Pater, quia tempus persecutionis imminet; respondit: *Nolite ex hoc flere, sed magis gaudete: per multas enim tribulationes oportet nos introire in regnum Dei,* Iob 3. Vitæ Patrum, num. 84.
C ex Ruffino refertur, quod Ioannes Abbas dicebat, portam cæli esse iniuriarum perpessionem. *Hæc,* ait, *est porta Dei, per quam patres nostri per multas tribulationes et iniurias, gaudentes ingressi sunt civitatem Dei.* Et num. 85. de alio dicitur, qui cum ab eo peteret: Da mihi, Pater, unam rem, quam custodiam, et salver per eam, ei respondit: *Si potueris iniuriari et affici conviciis, et portare ac tacere, magna est hæc res, et super alia mandata.* S. Hier. epist. ad Oceanum: *Si,* ait, *per multas tribulationes quibusdam cælestis regni aditus aperitur, illis utique clauditur, qui nolunt sustinere vel paucas.* Et epist. 1. ad Heliodorum: *Delicatus es, et hic vis gaudere cum sæculo, et postea regnare cum Christo.*

De secundo, nempe quod Deus in nihilum redigat persecutores Christianorum, afferre potes mortem Neronis, Diocletiani, Maximiani, Iuliani, Theodorici, et aliorum multorum. Quin etiam, sine pœna exteriori, ad nihilum reducitur qui alium afficit iniuria: unde potius compassione, quam ira dignus est. S. August. in Ps. 36. concion. 2. *Tuum corpus,* inquit, *premit adversitas, illius*
D *persequentis animum putrefacit iniquitas. Nam et quidquid in te profert, in illum redit. Illius enim persecutio te facit purgatum, illum reum.* Itaque non tam nostram, quam hostium vicem doleamus; et in unum Iesum intenti Crucem ab ipso nobis oblatam amplectamur, et sanguine eius nos exornemus, et mundemus, atque reficiamus.

INDEX QUÆSTIONUM
ET EORUM, IN QUOS DIVISUS EST, ARTICULORUM,
CONCIONATORI UTILISSIMUS.

INDEX

RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM

IN TERTIUM TOMUM COMMENTARII IN PSALMOS.

Prior numerus paginam, secundus columnam designat : literæ additæ ea, quæ columnis interiecta sunt, denotant : postremus numerus est marginalis.

D

E

F

G

H

I

L

M

T

U

INDEX

MATERIARUM PRO CONCIONIBUS.

DOMINICA I. ADVENTUS.

DOMINICA II. ADVENTUS.

DOMINICA III. ADVENTUS.

*

FINIS TOMI TERTII.